Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VITAE
SANCTORVM

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDVS PATER FR. LAVRENTIVS SVRIVS
CARTHVSIAE COLONIENSIS PROFESSVS
OBIIT ANNO DOMINI M. D. LXXVIII. DIE XXIII. MAII.

Est aliquid Surij spectare in imagine vultus,
Quos spatio exiguo sculpta tabella refert.

At Surij libros, magna quos texuit arte
Qui legit, ingenium cum pietate videt.

Hos Laurentij Surij in tomos ad augmentum Bibliothecæ
Heisterbacensis comparavit R. Pater Hermannus Kerres de Seiberg
professus Heisterbacensis Anno 1669. dum Subpriorissæ munere fungeretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

21 D.u-H-G-497 (2°)

Univ- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

D. O. M.

AC

MATRI VIRGINI

OMNIBVSQVE SANCTIS

HOC DE SANCTORVM VITIS

QVAE REPERIRI POTVERVNT

OPVS

PRIMO A LAVRENTIO SVRIO CARTH. COLLECTVM

POST A IAC. MOSANDRO CARTH. AVCTVM

NVNC ITERVM MVLTARVM VITA-

RVM ACCESSIONE AVGMENTATVM, ET NOTIS

MARGINALIBVS ILLVSTRATVM

SACRVM ESTO

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LECTORI.

ALoysius Lipomannus Episcopus Veronensis, cum superiori sæculo, Nuncij Apostolici officio fungens, ad diuersos Reges & Principes mitteretur, quæcumque ad probatas Sanctorum vitas spectare videbantur, sedulò conquisiuit, & circa annum 1550. quæ hinc inde nactus fuerat, primus publici iuris fecit, & in octo tomos distribuit. Inter quæ Metaphrastem Latinè loquentem Romanæ Ecclesiæ communicauit. Verum, cum & Metaphrastes eo ordine vitas posuerit, quo Ecclesia Græca tunc Sanctos colebat: & Aloysius pleraque, prout obuia fuerunt, collocarit, factum est, vt multæ Sanctorum vitæ in illius tomis admodum confusè haberentur.

Qui tomi cum intra tempus non diuturnum ita distracti essent, vt nulla vsquam exemplaria prostarent amplius, cœperunt quidam viri doctissimi, & in Sanctos Dei deuoti, Laurentium Surium Carthusiæ Colonien sis professum (qui tum Concilia generalia & prouincialia in quatuor tomos collegerat & euulgarat) adhortari, vt fide dignas Sanctorum vitas vndique conquireret, easque in suos menses apto & concinno ordine distributas edi curaret. Ad quod ille quidem initio difficiliorem se præbuit, tandem, cum alios id onus subterfugere animaduerteret, circa annum 1570. in se suscepit.

Putabat enim harum vitarum lectionem non modicum commoturam Lectores ad eradicandam penitus ex Christianorum animis hæreticorum sententiam, quæ tum passim spargebatur, sola fide apud Deum omnia confici, in eaque sola omnem salutis nostræ vim & rationem versari. Dum enim videmus omnes eos, qui per omnes omnium sæculorum successiones Christo placuerunt, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixisse, arcta via ingressos esse, sanctis exercitijs tempus omne transmisisse, nihil cum huius mundi vanitatibus & voluptatibus commercij habere voluisse, prolixis vigilijs, perpetuis ferè ieiunijs, assiduis precibus, alijsque duris & asperis laboribus causa amoris Christi libenter susceptis per omnem vitam se afflixisse: an non, quasi in speculo, videmus, quam illi, non solum rectæ fidei, sed & firmæ spei, individuæ charitatis, summæ humilitatis, inuictæ inter tormenta & dura atque aduersa omnia patientiæ, promptæ & synceræ erga Deum & Ecclesiæ præfectos suosque superiores obedientiæ, aliarumque omnium virtutum studiosi fuerint? Quid? quod tot ab ijs ædificatæ Ecclesiæ, collectæ & reconditæ Sanctorum reliquiæ, erecta altaria, dotata & instituta monasteria viuis & efficacissimis exemplis confunderent huius temporis Ecclesiarum euer-

euersores, reliquiarum dispersores & combustores, altarium direptores, monasteriorum (vbi potuerunt) omnium demolitores, & totius ferè Ecclesiasticæ disciplinæ, Ecclesiasticarumque constitutionum profligatores.

Sciebat etiam venerabilis Pater, quantum vitarum Sanctorum lectio pijs animis conduceret, quantumque eorum exempla hominum corda ad insequenda eorum vestigia excitarent. Habent enim in ijs pij, quibus potissimum gratificari voluit, vnde multiplices carpant veræ salutis fructus: habent tepidi, vnde incalescant: habent prorsus duri & frigidi, vnde compungantur: habent etiam spiritu feruentes, vnde magis inflammentur, vt cum Apostolo ea quæ retro sunt obliti in anteriora se extendant, & ad perfectionem ferantur. Licet autem in plerisque incredibilem prope vitę austeritatem, ieiunia perpetua & in multos dies producta, vigilias naturæ humanę intolerabiles, corporis castigationes & afflictiones verè stupendas, aliaque similia reperiamus, quæ Deo quidem haud dubie grata fuerunt: ea tamen prudens lector venerari, suspicere & admirari potius, quam leuiter, vel nisi adesse sibi eam, qua illi præditi fuerunt, Spiritus sancti vim sentiat, imitari debeat. Conducit nihilominus & horum lectio: fit enim non rarò, vt exemplis illorum accensi plus aliquando nonnulli possint, quam vel ausi fuissent sperare. Quamquam, cum nemo in propria caussa bonus sit iudex, & Sapiens moneat, ne quis prudentiæ suæ nimium innitatur, optimum erit, vt in similibus ij, qui in religione viuunt, præscriptum superiorum; reliqui consilium patrum spiritualium siue confessariorum sequantur. Ita enim fiet, vt simul merito obedientiæ, quæ melior est omni victima, in cælesti patria perfruantur.

Prouerb. 3.

1. Reg. 5.

Collegit itaque Surius Sanctorum historias, non eas tantum, quæ certos probatosq; authores haberent, quod ante eum Aloysius fecerat, sed & alias, quarum authores inuenire non potuit. Et, præter eas, quas ex Aloysio mutuatus est, tot ex MSS. codicibus & aliunde edidit, vt vix tertiam partem ex Aloysio acceperit. Metaphrastem tamen totum Aloysio se debere libenter fatebatur, ijsque tribus (Gentiano inquam Heruetо viro doctissimo, Guilielmo Sirleto postea S. R. Ecclesiæ Cardinali, & Francisco Sino) qui hortante Aloysio Metaphrastem latinè reddiderunt. In omnibus autem Sanctorum vitis hoc maximè obseruauit, vt delectu non vulgari adhibito eas duntaxat ederet, quæ vel ex vetustissimis Martyrologijs graue haberent testimonium, vel ita scriptæ essent, vt lectori maturi iudicij & prudenti per se fidem facerent, satisque ostenderent bona fide conscriptas esse. Permultas verò, quod parum grauiter, nec satis ad fidem historiæ compositæ esse viderentur, ne impijs hæreticis iustam calumniandi occasionem præberet (nã vt iniquè calumnientur quis prohibeat?) omnino prætermisit. Vt verò erudito Lectori gratificaretur, vitas aliquot rudi stylo conscriptas aliquanto Latiniores reddidit, maximè quarum authores non nouerat: quasdam etiam, quæ suos quidem habebant authores, sed sic scriptæ erant, vt aures eorum qui sermonis elegantia delectantur, facilè offenderent, nonnihil elimauit: alias, quæ verbosiores videbantur, ne opus in immensum excresceret, tum etiam ne fastidium Lectori parerent, aliquantum contraxit. Quod si nec sic omnibus satisfecerit, & homines, præsertim delicatuli, modo hæc, modo illa in alijs atque alijs desiderabunt, suffecit illi, se non tam vt placeret, quam

vt pro-

vt prodesset hoc opus elaborasse. Illi verò, qui ad carpendum promptiores erunt, tum demum non temeritate, sed iudicio id fecisse putabuntur, vbi ipsi præclarius aliquid exhibuerint. Ipsi sanè summo Ecclesiæ Pastori, non nomine solum, sed & vita & moribus sanctissimo, Pio V. adeo gratus fuit Surianus labor, vt id etiam misso ad eum Breui Apostolico voluerit attestari.

Postquam autem hæc à Surio elucubrata editio iam diuendita esset, & quædam illi vitæ varijs è locis à pientissimis viris, serius quidem, transmissæ fuissent, incepit eosdem tomos à se editos recognoscere & augere. Iamque ad finem propemodum mensis Iunij progressus fuerat, quando D. O.M. placuit eum ex hac mundi palæstra ad recipienda Sanctorum præmia euocare. Quo mortuo superiorum mandato in opus illud successit Iacobus Mosander, qui & reliquis tomis quasdam Sanctorum vitas postea inseruit, & quasdam etiam sibi serius missas in septimum tomum reiecit. Vsus illa in re multorum doctorum virorum opera, qui & Surio complures insignes MSS. codices miserunt, & quorum consilia non rarò ille solebat exquirere: maximè autem Ioannis Molani Theologiæ Doctoris, Iacobi Pammelij & Melchioris Hittorpij Licentiatorum, aliorumque, quos omnes recensere longum esset. Sumptibus verò Gervvini Calenij I. V. L. Senatoris & Bibliopolæ Colonien sis, & MSS. codices conquisiuerunt, & elucubrati tomi publici iuris secundò facti sunt.

Postquam autem & secunda editio iam dudum desiderata fuerit, multique vitas has expeterent, visum fuit tandem tertiò idem opus prælo committere. Prius tamen consilium virorum doctissimorum requisitum est, cum indies ex diuersis Bibliothecis diuersa manuscripta prodeant, an non in hac quoque editione priores operas augendas existimarent. Et inuenti sunt viri optimi (quorum quidam etiam ipsi Surio familiares, & consiliorum eius participes fuerunt) qui manum operi admouerent, omnesque id, quod præstiterunt, in Sanctorum honorem factum, alios latere cupiuerunt, ipsis Sanctis cognitum illis consecrarunt. Quid verò ab illis præstitum sit, amice Lector, paucis accipe.

Imprimis, ne cui calumniandi ansa daretur, nihil de nouo inseruerunt, nihil immutarũt, in quo non religiosè ascripserint, vnde vnumquodque nacti sint. Vitas vero, quæ de nouo additæ sunt, stellulæ signo in indice cuilibet mensi præfixo notari curarunt. Aliæ crucis signo notatę sunt, quæ à Surio vel stylo mutato vel elimato editæ, iam vero substitutæ sunt, prout ab ipsis auctoribus conscriptæ fuerunt. Quas quidem vt non accuratè quęsiuerunt, ita oblatas inferendas putauerunt, non vt Surium reprehenderent styli mutati ergo, sed partim vt ijs ex parte satisfieret, qui illud à Surio factum non fuisse cuperent, partim etiam, vt videant, quam bona Surium ratio ad styli mutationem adegerit. Cum quasdam reperient ita scriptas, vt nisi Italicæ, Germanicæ, Anglicæ, aliarumque linguarum peritus fuerit Lector, vix sensũ capere possit ex ijs, quæ ab earum regionum incolis, illarum linguarum vocabulis latinizatis conscriptæ sunt. Taceo, quod vitia Grammatices accuratioribus auribus sæpè risum moueant. & dum excitari ad pietatem Lector debeat; occasionem dent alio diuagandi.

Quas verò ante hac vitas edidit Surius, in ijs si quid occurrebat, quod nõ omnino sua fide constare videretur, id ex alijs authoribus, & Cardinalis Baronij

ronij præſertim annalibús Eccleſiaſticis (cui hac in parte plurimum debetur) margini annotandum iudicarunt.

Omnes autem vitæ, tam ante hac editæ, quam de nouo inſertæ, in certa capita & paragraphos diſtributę ſunt, & in ſummitate paginarum dies menſis, quo occurrunt, aſcriptus, vt facilior eſſet Lectori modus aliquid inueniẽdi & annotandi. Singulis etiam vitis in initio tituli à margine præfixus eſt annus, non quidem ille, quo obierunt Sancti (quis enim certo, vel in notiſſimis Eccleſiæ Doctoribus, Hieronymo & cæteris illum ſciat?) ſed, quo floruerunt: quod hic monendum Lectorem duximus, ne ſæpius opus eſſet ad oram tituli, Claruit vel Floruit, repetere. Diuerſæ etiam SS. Patrum homeliæ & conciones, cum illæ non tam vitæ hiſtoriam, quam laudationes Sanctorum contineant, hinc inde omiſſæ ſunt. Quas qui deſiderat, in dictorum Patrum operibus iam ſimul editis commodius poterit reperire.

Hæc tu, amice Lector, boni conſule: &, ſi quid aliud occurrerit, quod huic operi vtile viſum fuerit, mone. Si quæ etiam alibi te ſciente vitæ latuerint, erue, & illis quorum ſumptibus hoc opus editum in frontiſpicio vides, tranſmitte. Sunt enim & interim dum hęc editio ſub prœlo ſudat, aliquæ ſubminiſtratæ ſerius, quæ cum illis, quas fortè miſſurus es, amice Lector, huius operis appendicem non ita pridem dabunt. Interim vale, & editis ad Dei gloriam, Sanctorum honorem, & tui ſalutem fruere, Sanctorum imitator exiſtens, ſicut illi Chriſti fuerunt.

Surij vitam, ab ipſius quondam amico breuiter conſcriptam, hic accipe.

REVE.

REVERENDI, ERVDITI, RELIGIOSI, ET DE ECCLESIA OPTIME MERITI P. Fr. LAVRENTII SVRII, Sacri ordinis Carthusiensis in Conuentu Colonienſi Profeſſi VITA.

LAVRENTIVS SVRIVS Lubecæ circa annum Christi 1523. patre aurifabro, viro Catholico, natus, Francofurti ad Oderam litteris operam dedit. Et, licet inter hæreticos educatus fuerit, de eo tamen merito dici potest, quod olim S. Bernardus de B. Malachia Hyberniæ Antistite scripsit: nihil eum plus de hæresi contraxisse, quàm pisces marinos de sale. Neque id mirum, cùm non ita multo pòst Coloniam Agrippinam studiorum causa missus, & Catholicis magistris, & honestorum, doctorum, piorumq; virorum hospitio ac consuetudine assiduè vsus fuerit. Ibi enim in insignis illius Londinensis Archiepiscopi, Georgij à Schorborch, propter iustitiam exulis, ædibus aliquamdiu habitauit, vt ipse in commentario rerum in orbe gestarum ad annum Christi 1517. testatur: hospitem etiam habuit doctum & valdè pium Sacerdotem Nicolaum Eschium: ac demum Reu. ac eruditum Theologum D. Andream Heerle de Bardevvick. Studij etiam tempore non cum quibuslibet, sed probis, nec minus pietatis quàm litterarum studiosis familiaritatem & consuetudinem habuit. Inter quos imprimis fuit Petrus Canisius Nouiomagus, quo cum de deserendo mundo, & complectendo religiosæ vitæ statu, conspirarat, dum studijs vacaret: sicut vterque quoque constanter, quod proposuerant, diuina adiuti gratia facto compleuerunt; &, licet prior id Surius fecerit, tamen eodem anno vterque religionem ingressus est. Absoluto itaque Philosophiæ studio, Coloniæ Magisterij lauream, Anno 1539. eodem cum Arnoldo Birckmanno die adeptus est magna cum parentis sui voluptate.

Frequentare dein cœpit religiosos Patres Carthusiæ Colonienſis, & cum doctissimo simul & religiosissimo P. Ioanne Lanspergio crebro miscere colloquia. Quibus effectum, Deo gratiam tribuente, vt ad idem, asperum quidem carni & durum, sed animæ salutare vitæ genus, spretis vniuersi mundi voluptatibus & vanitatibus, complectendum animum adiecerit: & circa annum Christi 1542. sacri istius ordinis habitum assumpserit. Quod etsi initio parens permolestè tulerit, & ab eo vitæ genere varijs modis auocare studuerit: peruicit tamen sua constantia, Deo adiuuante omnia. sic, vt expleto tyrocinij anno, cum totius conuentus satisfactione, anno 1543. solemnem ediderit in dicto ordine & monasterio professionem: & parentem, quem anteà aduersarium passus fuerat, deinceps non modò placatum habuerit, sed etiam in se liberalem beneficumque.

In ista autem vita solitaria, non otio sese dedidit, neque talenta sibi à Deo concredita in terram defodit, verum, quicquid ab officijs diuinis, & ordinis exercitationibus religiosis supererat temporis, studijs litterarum impendit, non solum, vt ipse disceret, sed alijs quoque ad pietatem excitandis, & errantibus ad Ecclesiæ gremium reuocandis prodesset. Itaque primò Superiorum suorum monitu, vertendis optimorum Authorum è Germanica lingua in Latinam libris, maximè quibus deuotio excitaretur, operam impendit. Præerat tunc Colonienſi Carthusiæ vir religione prudentiaque excellens, P. Gerardus Hamosanus, magnæ in ea ciuitate, etiam apud Magistratum, authoritatis: cuius directione ad tam sibi alijsque vtiles labores Surius inducebatur.

Itaque anno 1545. Latinè edi curauit Margaritam Euangelicam. Sequenti deinde anno vertendis Ioannis Tauleri operibus vacauit, quæ anno 48. typis Ioannis Quentelij prodierunt, Archiepiscopo Colonienſi inscripta. Ex vulgari lingua etiam Latinas reddidit Meditationes de vita Christi, quas (sic vrgente viro quodam primario, cui pro sua modestia noluit resistere) Taulero inscripsit, licet ipse iudicaret Tauleri non esse, idque etiam post alijs non semel dixerit. Anno 47. operam impendit transferendis in linguam Latinam XV. Concionibus Michaëlis Episcopi Mersburgensis, de Sacrosancto Missæ sacrificio. Annum 1549. tribuit Ioannis Ruſbrochij operibus è Belgico sermone conuertendis. Sequenti anno libros V. Christianarum institutionum Florentij Batavi, Carthusiæ Louanienſis Prioris, in Latinam conuertit linguam, & anno 52. vnà cum Ruſbrochio edi curauit. Anno 53. Henricum Harphium Mechlinienſem Minoritam de IX. rupibus typis euulgauit.

gauit. Rogatu deinde Reuerendi, doctiſſimi ſimul & pientiſſimi D. Abbatis Lætienſis Ludouici Bloſij, anno 54. Henrici Suſonis opera Latinè reddidit, & ſequenti anno edidit. Anno 56. Ioannis Fabri Hailbrunnenſis libros V. de Miſſa Euangelica, & veritate corporis & ſanguinis Chriſti in diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento, è Germanico conuertit, eodemque anno typis euulgauit. Animum dein adiecit ad inſigne illud opus Reuerendi & clariſſimi viri D. Ioannis Gropperi (de quo vide Surium ad annum 43.47.& 59. in Commentarijs rerum geſtarum) de Euchariſtia, quod is Germanicè conſcripſerat, in linguam Latinam vertendum: quod & feliciter perfecit, & anno 60. publici iuris fecit. Sequenti anno D. Friderici Staphyli apologiam de germano Scripturæ ſacræ intellectu, ſacra Bibliorum in vulgare idioma translatione, deq; Lutheranorum concionatorum concordia, Latinitate donatum edidit. Eiuſdem Fr. Staphyli prodromum in defenſionem apologiæ de vero ſcripturæ Sacræ intellectu aduerſus Iacobum Smidelinum Goppingenſem concionatorem inſequenti anno: & abſolutam eiuſdem reſponſionem contra eundem Smidelinum anno 63. Latinè euulgauit. Sicut & Reu. D. Martini Eiſengrinij Studgardienſis egregiam concionem, qua cauſſas reddit, cur tam multi ad Lutheraniſmum deficiant.

Præter iſta, aliorumque opera Latinè reddita ex vulgari ſermone, ætate iam prouectior alia aggreſſus eſt conſcribere ſua induſtria. Ac primo quidem anno 64. nonnullis magnæ authoritatis & publici boni ſtudioſis vrgentibus, penè inuitus pertractus eſt ad Ioannis Naucleri, Iuris vtriuſque Doctoris, Tubingenſis Præpoſiti, & Academiæ Cancellarij chronicon continuandum, noſtrique temporis hiſtoriam conſcribendam. Nouerat quidem vir religioſus ac pius, pleroſque huius ſæculi prudentes iudicaturos, hanc ſcriptionem parum conuenire eius ſacro inſtituto, quod profitebatur: ſed, cum ex re eſſet Eccleſiæ, vt ſtudioſis hiſtoriarum lectoribus è manibus excuterentur ſectariorum infideliter ſcripta de rebus noſtri temporis, chronica Carionis, Schleidani, Peuceri, & ſimilium hæreticorum venenatæ hiſtoriæ; dumque alij Catholici, (quibus & plus ad ſcribendum otij, & ad res ipſas inquirendas media plura ſuppetebant) ceſſarent: coactus eſt etiam hunc laborem ſuſcipere. Et, quia norat, quod hæreſis, vt cancer, ſerpat, multoſque adoleſcentes, dum litteris operam dant, hoc tam corrupto ſæculo, in tanta prauorum librorum copia, non rarò, etiam imprudentes, à fide vera Catholica aberrare: vt hos ab hereticorum conſortio auocaret, ſtuduit in eadem hiſtoria ipſorum diſſidia, abſurdas ſententias, falſiſſimas opiniones, ſimulque manifeſta mendacia contra Catholicos detegere: neque fructu is labor caruit, Deo benedictionem tribuente & gratiam. Quod verò ad veritatem hiſtoriæ attinet, eius, vt decuit, maximam rationem habuit, cauitque, ne quid à veritate alienum libro ſuo inſereret: verùm, quæ à viris Principibus, magiſtratumque gerentibus, ac reſp. adminiſtrantibus fide digniſſimis acceperat, bona fide reddidit. Quod ſi quid ſecus alicubi relatum ſit, quàm geſtum fuerit, non ipſi religioſo, & viro pio, communis boni ſtudioſo, cellæ incluſo; at illis tribuendum, qui bona fide ab alijs accepta Surio tranſmiſerunt. Licuiſſet proinde optimo P. Surio ſuo iſti commentario rerum in orbe geſtarum præfigere, quod
" Cæſarius Heiſterbacenſis ſuis dialogis, qui ſic ſcribebat: Teſtis eſt mihi Dominus, nec vnum qui-
" dem capitulum in hoc dialogo me finxiſſe: quod ſi aliqua fortè aliter ſunt geſta, quàm à me ſcri-
" pta, magis his videtur imputandum eſſe, à quibus mihi ſunt relata. Inchoauit Commentarium hunc ab anno 1500. & perduxit primo ad annum vſque 1568. ac poſtea etiam ad annum 1574. continuauit.

Neque interim feriatus eſt, ſed animum applicuit colligendis cum Oecumenicis tum Prouincialibus Concilijs, opus ſanè magni laboris, nec minoris vtilitatis. Abſoluit IV. tomis hoc conciliorum corpus anno 1567. & Regi Catholico Philippo II. Hiſpaniarum &c. Regi dedicauit. Quod quam S. M. gratum fuerit, ipſius in Surium, eiuſque conuentum liberalitas oſtendit, dum Duci Albano mandauit, vt eidem quingentos florenos adnumeraret.

Opus deinde Homeliarum SS. Patrum, olim ab Alcuino Carolo Magno iubente collectum, & ab alijs auctum, in meliorem ordinem redegit, multaque temerè vel adiecta remouit melioribus ſubſtitutis, vel corrupta emendauit. Dein additis in ſingulas epiſtolas, toto anno in Eccleſia legi ſolitas, concionibus exegeticis auxit & ornauit. Quod opus prodijt anno 1569. Et licet eo ipſo tempore in alijs parandis eſſet occupatiſſimus, tamen amico typographo Catholico petenti vt commodaret, laborem eum lubens ſuſcepit, vt erat ad omnibus Catholicis benefaciendum promptiſſimus.

Verſabatur autem eo tempore in colligendis Sanctorum vitis: quas per menſes & dies, partim ex tomis Aloyſij Lipomani, partim ex antiquis Mss. codicibus vndique conquiſitis, in ſex tomos digeſſit. Quod opus priuſquam concinnaret, variorum doctorum virorum, Epiſcoporum etiam, & aliorum Eccleſiaſticorum ac ſæcularium iudicia exquiſiuit. Cum enim reperiret non paucas, vel minus Latinè, vel verſibus ſcriptas, ne Lectoribus earum eſſet lectio minus grata, maluit aliorum (vt ſemper faciebat) quàm ſuum iudicium ſequi. Quorum dum ſententias videt diſcrepare: nonnullis ſuadentibus vt omnes ſuo ſtylo conſcriberet: alijs vt quo ſcriptæ erant, ederet: vt, quantum fieri poſſet, omnibus ſe accommodaret, mediam viam tenuit. &, quas Latinè ſatis & grauiter ſcriptas inuenit; in iis nil mutauit: in alijs rudiori oratione conſcriptis & æquo verboſioribus, ſuo ſtylo eas reddidit, & vitandæ prolixitatis cauſſa contraxit: in multis ſolum pauca mutauit in Lectoris gratiam, non ignorans quàm hoc ſæculo inculta oratio ingrata ſit. Hoc interim cauit, ne de hiſtoriæ veritate quicquam decederet. Mirum vt ſit inueniri nonnullos, qui non vereantur viri iſtius religioſiſſimi immenſos in hoc opere labores carpere, quo quidem nihil eſt facilius, ſed nihil minus decens. Hos tamen eius labores probauit re & vita ſanctiſſimus, ſupremus Chriſti Eccleſiæ paſtor Pius V. Qui poſtquam inſcriptum ſibi volumen primum accepiſſet, vt teſtatum Surio, ali-

iſque

jsque omnibus esset, quanti hoc opus faceret, hoc Breue, vt vocant, Apostolicum eidem transmisit. Cuius vnius iudicium meritò carpentium omnium linguas refrenare debuerat.

PIVS PAPA V. DILECTO FILIO F. LAVRENTIO CARTHVSIANO.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Librum, Sanctorum Patrum vitas continentem, à te nuper editum, atque ad nos missum libentissimè accepimus: qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quod opus in se continet à nobis semper desideratum, & ad refellenda hæreticorum in easdem Sanctorum Patrum historias maledicta, aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuum, teque, quod coram Domino vacuus apparere nolueris, sed in eius domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quicquid potueris, vltrò obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus: cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam inprimis ei tribuendam esse memento, à quo accepisti & velle & perficere: quod & à nobis, & ab omnibus pijs, & Catholicæ religionis studiosis meritò laudaretur. Hortamur autem te, vt huiusmodi opere prosequendo, & de Ecclesia Dei benè mereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita augere ne desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 2. Iunij. M.D.LXX. Pontificatus nostri Anno quinto.

Quantus autem in hoc opere edendo Surij fuerit labor, inde colligi potest, quod, exceptis vitis illis, quas ex tomis Lippomani impressis desumpsit, omnes sua manu, etiam in quibus nil mutauit, ex MSS. Codicibus descripserit: quod diceret hoc sibi facilius, quàm si ab alijs descriptas relegeret, conferret, & perperam descriptas corrigeret. quanto verò id labore factum sit, æqui rerum æstimatores iudicent. In singulos tomos duorum mensium Sanctorum vitas coniecit, & anno quidem 1570. Ianuarij & Februarij menses edidit: sequenti Martij & Aprilis: anno 72. Maij & Iunij: Iulij & Augusti 73. tomum verò quintum complectentem Septembris & Octobris mensium Sanctos anno 74. edidit, simulque commentarium rerum in orbe gestarum ad præsentem vsque annum auctum euulgauit: sextum denique tomum duorum postremorum mensium Sanctorum continentem vitas absoluit anno sequenti 75. Neque propterea labori suo finem imposuit: nam anno 76. primum de vitis Sanctorum volumen recognouit, & auxit. Annum autem sequentem colligendo supplemento tomorum omnium, & Adonis martyrologio describendo, reliquisque quæ in septimum tomum conijcienda erant impendit. Auxit etiam tomum secundum anno 78. & edidit. Idem inchoârat in tertio, quem cum fermè ad finem perduxisset, à Deo vocatur ad laborum suorum cum Sanctis ipsis mercedem accipiendam.

Iam verò qui nouit quot horas religiosi viri sacri istius ordinis concinendis in choro diurno nocturnoque tempore precibus, sacroque Missæ officio præter priuatas stataque preces tribuant, iure mirabitur à Patre Surio tot tantaq; volumina, triginta sex, quibus in ordine annis vixit, conscribi potuisse. Nam ab his ordinis exercitijs, ieiunijs item, alijsque austeritatibus corpori molestis, nullam exemptionem petijt, ne cui suorum offendiculum præberet, sed omnibus, quod imitarentur, illustre exemplum domesticum relinqueret. Id modò illi tributum fuisse ferunt, vt dum preces Primæ alij in choro concinerent, ipse priuatim sacrum Missæ perageret. Nihil hic dico, quantum illi à studijs temporis suffurati sint visitantes illum amici omnis conditionis, viri Principes, illustres, nobiles, docti, clerici & sæculares, variarum nationum studiosi, qui numquam desunt in academia. Quos omnes & benignè excipiebat, & pijs colloquijs ad salutis animæ curam habendam incitabat.

Placuit autem ipsius per annos singulos labores recensere: partim ad hostium Ecclesiæ calumnias confutandas, monasticam vitam otiosorum esse hominum clamitantium: partim ad excitandos domesticos fidei, tam clericos, quam laicos, qui cum otio abundent, multaque subsidia (quæ P. Surio cellæ & monasterio perpetuo incluso defuerunt) & oportunitates habeant, vt taceam, quod permulti illorum opimis Ecclesiæ stipendijs perfruantur, vel parum, vel nihil pro Ecclesia, & vtilitate proximorum laboris suscipiant. Viderint hi, quid æquissimo iudici, rationem de concreditis talentis exigenti, olim sint responsuri.

Religiosissimus autem & laboriosissimus P. Laurentius Surius, vna cum studio, quod in exornandis Sanctis cum Christo regnantibus posuit, & placidè finem viuendi in terra, & regnandi cum ijs in cœlis (vt piè creditur) initium accepit, anno Christi Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, vicesima tertia die Maij, ætatis quinquagesimo sexto, professionis verò in sacro ordine Carthusianorum trigesimo sexto. Ad cuius germanam effigiem, quidam egregiè doctus, subiectos adiecit versiculos.

EFfigiem SVRII dum cernis, candide Lector,
Quin capiat tanti fructus amorque viri?
Qui lucrum duxit, mundo latuisse superbo:
Delicias, casta mente vacasse Deo.
cce recedentis sequitur nunc gloria tutam
Virtutem, nullis sat celebranda typis.
Clara LVBECA neci genuit, sed carior illi,
Qua patet ad vitam, sedula cura fuit.
Huius ob eximium quo conflagrabat amorem,
Saluifico triuit commoda vana iugo.
At licet obscuro, sed sacro tecta recessu,
Non potuit soli lux micuisse sibi.
Nanque domi fratres virtutum lampade lustrans,
Edocuit summo reddere vota patri,
Quando erat in SVRIO sacri spectasse laboris
Exemplar, placidam mente referrè facem.
Omnibus vt, Pauli iuxta decreta, salutis
Ansa foret, cunctos, omnia factus, obit.
Nec generosa domi Virtus se passa recludi,
Protulit oppleto munera larga sinu.
Quot docet atq; monet Stygiam vitare paludem?
Quotve pio mollit pectora dura foco?
Quot dedit afflictis rebus patriæque ruinæ
Fulcra? quot hæreseõn monstra nefanda domat?
Dum sermone colens Latio monimenta piorum,
Eximias sanè suppeditauit opes.
Sanctorum præclara quid est certamina magnis
Sex celebrata Tomis quòd dedit vna manus?
Septimus adiungi dum cœptus, turba beata
Cœlicolûm studijs præmia digna parans,
Sat Superis factum, dixit, donetur Olympo,
Emeritum nostris insere CHRISTE choris.
Nec mora, præsiliens SVRIO mors prompta sedenti,
Intrepidum ad Superos cuspide pandit iter:
Liber abi, dicens, celebratis iungere Diuis,
Et cape nunc meritis serta dicata tuis.

DE PROBATIS

SANCTORVM VITIS

Quas tam ex MSS. Codicibus, quam ex editis Authoribus

R. P. Fr. LAVRENTIVS SVRIVS
CARTHVSIÆ COLONIENSIS PROFESSVS

Primum edidit, & in duodecim menſes diſtribuit.

IANVARIVS

Hac poſtrema editione multis Sanctorum vitis auctus, & notis marginalibus illuſtratus.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Ioannis Kreps & Hermanni Mylij.

ANNO cIↃ IↃc. XVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX SANCTORVM IANVARII,

Quorum vitæ, martyria, & acta, partim hoc menſe, partim alijs aliorum menſium Sanctorum vitis inſertæ, continentur.

IANVARIVS.

I. DE Circumciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, *ex Simeone Metaphraſte.* fol. 1
† S. Baſilij Cæſareę Cappadociæ Archiepiſcopi vita, *auctore Amphilochio Iconÿ Epiſcopo, interprete Vrſo.* 3
S. Martinæ virginis martyrium, *ex vetuſtis MSS. Codicibus.* 9
S. Concordij martyriũ, *ex antiquis MSS. exemplaribus.* 10
S. Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi vita, *per eius diſcipulum conſcripta.* 11
S. Euphroſynę Alexandrinę virginis vita, *ex Simeone Metaphraſte.* 21
S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis vita & miracula, *per Petrum Damianum conſcripta.* 24
S. Eugendi Abbatis vita, *ab eius diſcipulo conſcripta.* 29
S. Clari Abbatis Viennenſis vita, *ex vetuſtis MSS. Codicibus.* 33

II. †SS. Macariorum Abbatum Aegyptij & Alexandrini vita, *per Palladium Epiſc. Cappadoc. interprete Gentiano Herueto.* 34
S. Adelhardi Abbatis Corbeienſis vita, *auctore Paſchaſio Radberto Abbate Corbeienſe.* 38
S. Petri Aulani martyrium, *ex vetuſtis MSS. exemplaribus, interprete Anaſtaſio Bibliothecario.* 52
In S. Gordium martyrem Centurionem Cæſareenſem oratio *Baſily Magni.* 52

III. S. Genuefæ virginis vita, *ex vetuſt. MSS. Codicibus.* 55
*S. Theoginis martyris acta, *ex Mombritio.* 59
S. Quintini inuentionis hiſtoriam, *habes in vita S. Quintini 31. Octob. & in vita S. Eligÿ lib. 2 cap. 6. Decemb. 1.*
S. Gregorij Lingionenſis Epiſcopi vita, *Auctore Gregorio Turonenſe.* 59

IV. S. Rigoberti Remorum Archiepiſcopi vita, *ex MSS. Codicibus.* 60
*Eadem *à Flodoardo Presb. conſcripta.* 63

V. S. Apollinaris virginis vita, *ex Simeone Metaphraſte.* 65
S. Simeonis ſerui Dei, ſeu Stylitæ vita, *per Theodoretum Epiſcopum Cyrenenſem ſcripta, Alberico Longo interprete.* 68
S. Eduardi Regis Anglorum vita, *auctore Ealredo Anglo, Abbate Rhieuallenſi.* 72
De eius Canonizatione & translatione, *ex antiquo Codice.* 78
*De SS. Martyrib. in Thebaide ſub Diocletiano paſſis, *ex Euſebio Cæſareenſi, interprete Ioanne Chriſtophorſono.* 79

VI. †S. Erminoldi Prufeningenſis primi Abbatis vita *à monacho eiuſdem monaſterij, iuſſu Vlrici Abbatis Prufeningenſis conſcripta.* 80
S. Andreæ Epiſcopi Feſulani vita, *auctore anonimo.* 90
*SS. Macræ virginis, & Rufini ac Valerij vita & martyrium, *ex Flodoardi Remẽſis presbyteri hiſtoria.* 93
S. Melanij Redonenſis Epiſcopi vita, *ex D. Gregorio Turonenſi.* 94
B. Gertrudis de Oeſten vita, *Incerto auctore.* 94

VII. S. Luciani martyris vita & martyrium, *ex Simeone Metaphraſte.* 97
S. Kanuti Danorum Regis martyrium, *ex Saxone Grammatico.* 100
† S. Raymundi à Peniafort vita, *Clementis VIII. decretalibus litteris comprehenſa.* 110
S. Criſpini Ticinenſis Epiſcopi Acta nõnulla *habes in vita S. Epiphanij 21. Ianuarÿ, à cap. 1. vſque ad 6.* 346

VIII. †S. Seuerini Noricorum Apoſtoli vita, *ab Eugippio Abbate eius diſcipulo ſcripta.* 111
S. Gudulę virginis vita, *ex peruetuſto MS. Codice.* 121
B. Laurentij Iuſtiniani Protopatriarchæ Veneti vita, *à Bernardo Iuſtiniano conſcripta.* 126
De S. Luciano martyre Bellouacenſi *agitur in actis S. Quintini 31. Octob. cap. 1. & 2.*

IX. S. Polyeucti martyris certamen, *ex Simeone Metaphraste.* 136
S. Iuliani martyris cum reliquis, & Basilissæ virginis vita, *ex Simeone Metaphraste, cum auctario historiæ eiusdem.* 139

X. S. Pauli primi Eremitæ vita, *auctore D. Hieronymo Presbytero.* 149
S. Martiani Presbyteri Oeconomi Ecclesiæ Constantinopolitanæ vita, *ex Simeone Metaphraste.* 151
S. Guilhelmi Archiepiscopi Bituricensis vita, *ab eius quodam contemporaneo conscripta.* 156

XI. S. Theodosij Cœnobiarchæ vita, *ex Simeone Metaphraste, per Cyrillum historicum Palestinæ, vt conijcit Baronius, cõscripta.* 162
S. Palæmonis Abbatis vitam *habes in vita S. Pachomij 14. Maij à cap. 8. vsq; ad 13.*

XII. S. Arcadij martyris vita *per Diuum Zenonem Episcop. Veronensem conscripta.* 175
De S. Benedicto Anglo Abbate, *homelia historica venerabilis Bedæ* 176
S. Eutropij martyrium, *habes in vita S. Ioannis Chrysosto. per Georgium Patriarcham Alexand. conscripta. 27. Ianuarij, cap. 47.* 522
Monachorũ sub Constantino Copronymo Ephesi passorum martyrium, *habes in actis S. Stephani iunioris. 28. Nouembr. cap. 40.*

XIII. SS. Hermilij & Stratonici martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 177
*SS. Gumesindi presbyteri, & Seruidei monachi martyriũ, *per S. Eulogium.* 180
S. Hilarij Pictauorum Episcopi vita, *auctore Fortunato presbytero.* 180
S. Remigij Remorum Archiepisc. vita, *ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo scripta,* cum translationibus eiusdẽ, *partim ab Hincmaro, partim à Flodoardo cõscriptis.* 185
Encomium eiusdem S. Remigij, *per eundem Hincmarum.* 205
†B. Godefridi Comitis Cappenbergensis vita, *auctore Monacho quodam Præmõstratense anonymo, eius coæuo.* 208
De S. Maximo Episcopo Nolano & Cõfessore, *quære in vita S. Felicis Nolani, 14. Ianuarij, cap. 2.* 217
S. Glaphyræ virginis gesta, *à Ioanne presbytero Nicomediensi in actis S. Basilei Amasiæ Episcopi descripta, habes 26. Aprilis cap. 4. & seqq.* 325

XIV. Translationem S. Hilarij Episc. Pictauiensis *per B. Petrum Damiani, habes subiectam eiusdem S. vitæ 13. Ianuar.* 184
S. Felicis Nolani Confessoris vita, *auctore venerabili Beda presbytero.* 217
SS. Eremitarum in Sina & circumcirca interemptorum martyrium, *per Nilũ monachum, ex Simeone Metaphrast.* 220
*S. Iuliani cognomento Sabæ Anachoretæ vita, *per Theodoretum Cyri Episcopum conscripta, Gentiano Herueto interprete.* 230

XV. S. Ioannis Calybitæ vita, *ex Simeone Metaphraste.* 233
S. Mauri Abbatis vita, *per Faustum eius condiscipulum scripta.* 236
S. Boniti Aruernorum Episcopi vita, *scripta ab eius æquali.* 245
S. Macarij Aegyptij discipuli S. Antonij vitam, *habes 2. Ianuarij.* 34

XVI. S. Marcelli Papæ gesta *à Romanæ Ecclesiæ Notarijs scripta.* 249
S. Honorati Episcopi Arelatensis vita, *auctore S. Hilario Episc. Arelatense.* 252
* Translatio eiusdem ad monasteriũ Lerynense, *ex MSS. vetusti codicis eiusdem monasterij.* 256
S. Frusci vita, *ex MSS. Codicibus.* 259
SS. Berardi, Petri, Acursij, Adiuti & Ottonis, discipulorum S. Francisci vita, 388

XVII. SS. Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi martyrum passio, *per Neonem conscripta.* 265
S. Antonij Abbatis vita, *ab Athanasio Episcopo Alexandrino conscripta, & ab Euagrio presbytero translata.* 268
SS. Diodori, Mariani, & innumerabiliũ martyrum inuentio, *per Athanasium Bibliothecarium.* 283
S. Sulpitij cognomento Pij, Bituricensis Archiepiscopi vita, *ab eius æquali scripta.* 285

XVIII. S. Leobardi recluſi monachi vita, *auctore Georgio Turonensi Episcopo.* 290

XIX. S. Launomari Abbatis & Cõfessoris vita, *ab eius æquali conscripta.* 291
S. Pontiani martyris passio, *ex libris perantiquis MSS.* 295
S. VVolstani Vvigornensis Episcopi vita, *à Brauonio Vvigorniẽsi monacho scripta.* 296
*S. Basiani Laudensis Antistitis & Confessoris vita, *ex Mombritio.* 298
Alia breuis eiusdem, *ex Rubei historia Rauennatum.* 301
De S. Mario Martha & sociis martyrib. *lege gesta S. Valentini presbyteri, 14. Februarij.* Translationem eorundẽ *habes 2. Iunij in translatione SS. Marcellini & Petri lib. 1. cap. 10. & lib. 3. cap. 11.*
De S. Malardo Episcopo Carnotensi, *vide gesta S. Launomari Abbatis 19. Ianuar. cap. 18.* 294
S. Germanici martyris nobile certamen *in gestis S. Polycarpi 26. Ianuar. offendes cap. 4.* 432

XX. S. Sebastiani martyris gesta, *ex antiquis MSS. Codicibus.* 302
*Alia eiusdem & Sociorum, *ex Simeone Metaphraste, interprete Gentiano Herueto.* 313
S. Mauri Episcopi Cæsennatis vita, *auctore Petro Damiani, Episcopo Ostiẽsi.* 317
S. Euthymii Abbatis vita & res gestæ, *auctore Cyrillo monacho.* 319
Translationem corporis S. Honorati Arelatensis Episcopi ad monasteriũ Lerynẽse, *ex MSS. vetusti Codicis eiusdem*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dem monasterij habes 16. Ianuarij, subiectam vitæ eiusdem Sancti. 258

XXI. S. Agnetis virginis & martyris vita, *quæ tribuitur S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo.* 338

*Alia item eiusdem virginis. *S. Ambrosij.* 341

S. Patrocli martyrium, *ex vetusto MS. codice.* 341

S. Fructuosi Episcopi, Augurij & Eulogij diaconorum martyrium. 343

S. Meinardi Eremitæ & martyris vita & passio. 344

†S. Epiphanij Ticinensis Episcopi vita, *ab Euodio Episcopo eius successore edita.* 346

* Translatio eiusdem Hildenesheimiũ in Saxoniam, *ab eius temporis scriptore edita.* 356

XXII. S. Vincentij Leuitæ & martyris vita, *ex Simeone Metaphrast.* 358

S. Anastasij Persæ vita & martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 361

S. Blesillæ viduæ vita, *à D. Hieronym. scripta.* 308

*. S. Gaudentij Nouariensis Episcopi & Confessoris vita, *ex Mombritio.* 370

XXIII. S. Clementis Ancyrani Episcopi & martyris certamen, *ex Simeo. Metaphr.* 373

S. Ioannis Eleemosynarij Archiepiscopi Alexandrini vita, *à Leontio Episcopo Neapoleos eiusdem æquali conscripta, ex Simeone Metaphraste.* 385

S. Hildephonsi Toletani Episcopi vita, *auctore Iuliano Pomerio, eiusdem vrbis diacono.* 397

S. Margarethæ virginis apud Rauennates vita, *auctore Hieronymo Rubeo.* 398

De S. Valerio Cęsaraugustano Episcopo *vide vitam S. Vincentij martyris, 22. Ianuary. cap. 3. & seqq.* 358

S. Emerentianæ virginis martyrium, *habes in gestis S. Agnetis virginis & mart. 21 Ian. cap. 12.* 340

S. Asclæ martyrium, *in actis SS. Thyrsi & Sociorum 14 Decemb cap. 27. offendes.*

XXIV. S. Babilæ Episcopi martyrium, *auctore S. Ioanne Chrysostomo, interprete Germano Brixio Altissiodorensi.* 399

S. Timothei Apostoli gesta, *ex Simeone Metaphraste.* 411

XXV. SS. Iuuentij & Maximi martyrũ passio, *à D. Ioanne Chrysostomo scripta.* 413

S. Eusebiæ Hospitæ, vel Externæ vita, *ex Simeone Metaphraste.* 414

S. Præiecti Aruernorum Episcopi martyris, & sociorum vita. 418

S. Popponis Abbatis Stabulensis vita, *scripta ab Euerhelmo Abbate Altimontensi.* 420

XXVI. S. Polycarpi Smirnensis Episcopi gesta & martyrium, *ex Eusebij historia Ecclesiastica, interprete Ioanne Christophorsono.* 431

S. Paulæ viduæ Romanæ vita, *auctore D. Hieronymo.* 434

S. Bathildis Francorum Reginæ vita, *ab eius æquali, anonymo tamen, scripta.* 441

XXVII. S. Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani vita, *ex Simeone Metaphraste.* 445

*Alia eiusdem, *à Georgio Alexandriæ Archiepiscopo Græcè conscripta, Godefrido Tilmanno Carthusiano interprete.* 474

*De reliquijs eiusdem è Barbara Comanorum regione Constantinopolim reuectis, *ex Nicephori Callisti historia Ecclesiastica.* 539

XXVIII. S. Iacobi Eremitæ vita, *ex Simeone Metaphraste.* 540

S. Margaretæ virginis, Regis Hungarorũ filiæ, ordinis Prædicatorum vita, *à F. Garino Theologiæ Doctore, ex iuratorum testium diffusioribus dictis in compendiũ redacta.* 544

S. Gentilis mulieris Rauennatis vita, *ex Hieronymi Rubei historia.* 547

S. Leonidis martyrium, *habes in actis SS. Tyrsi & sociorum martyrum 14. Decemb. cap. 27.*

XXIX. S. Valerij Treuirorum Episcopi vita, *ex MS. Codice.* 548

S. Constantij Episcopi Perusini & martyris vita, *ex vetustissimis Perusinis exemplaribus collecta.* 549

SS. Papię & Mauri martyrium, *in gestis S. Marcelli Papæ 16. Ianuar. offendes cap. 5. & 7.* 250

SS. Saturnini & Sisinnij martyrium, *ibid. cap. 2. & seqq.* 249

XXX. S. Aldegundis Abbatissæ Malbodiensis vita, *auctore Hucbaldo Elnonense.* 553

XXXI. SS. Cyri Abbatis & Ioannis martyrium & vita, *ex Simeone Metaphraste.* 559

S. Marcellæ viduæ vita, *auctore D. Hieronymo.* 562

* Translatio corporis S. Marci Alexandria Venetias, *ex Vaticanæ Bibliothecæ tabulis.* 564

S. Metræ certamen à Dionysio Alexandrino conscriptum, *habes 12. Decemb. in certamine SS. Epimachy & Alexandri martyrum, cap. 2.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IANVARIVS
DE CIRCVMCISIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, QVAE FACTA EST OCTAVO DIE: ET BREVIS Laus Magni Basilij, ex Simeone Metaphraste.

I. UMBRAM QVIDEM FVTVRORVM BONORVM, NON ipsam autem rerum imaginem, legem habere Scripturæ, magnus pronunciauit Paulus. Quomodo enim Pictores ad exemplar, & ad formam animatam adspectum intendentes, primum quidem atramento, eius quod depingitur, speciem in tabula adumbrant: deinde diuersos colores artificiosè contemperantes, & adumbratæ figuræ adijcientes, primarium exemplar referunt per imitationem, quæ fit ad imaginem: ita etiam lex spiritus, tanquam ad viua exemplaria, & ad res, in quas non cadit interitus, intuens ad bona quæ sunt reposita in cœlis, ipsorum quidem vmbras & figuras per Mosem & vetus Testamentum, priùs obscurè & exiliter descripsit: per Christum autem, & nouæ pietatis & veritatis dogmata, veluti floridiores & splendidiores colores adijciens, cœlestium, & quæ sub adspectum non cadunt, bonorum imaginem subijcit eorum, qui vident, oculis. Quomodo autem imago perfecta est coloribus, & suam accepit pulchritudinem, quæ prius delineata fuerat vmbra, deletur & euanescit: ita etiam cum quæ nunc absconsa sunt, in cœlis posteà reuelantur, ipsa quoque imago rerum cessabit & abolebitur. Siue enim, inquit, Prophetiæ abolebuntur, siue cognitiones cessabunt. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Quando autem venerit id quod est perfectum, tunc quod ex parte abolebitur. IAN. I. *Hebr.10.* *1. Cor.13.*

II. POSTQVAM ergò vetera quidem præterierunt, noua autem facta sunt omnia: & vmbræ quidem & figuræ sunt abolitæ, euidentes autem rerum imagines per gratiam spiritûs & Apostolicam exortæ sunt sapientiam: legis deinceps figuras & vmbras negligamus, ipsius autem rerum expressioris formæ curam geramus, & quod dicit diuinus Apostolus, eorum quidem quæ retrò sunt, obliuiscentes, ad ea autem quæ antè sunt, nos extendentes, ex instituto persequamur brauium supernæ DEI vocationis: vt non simus amplius paruuli fluctibus agitati, & omni vento doctrinæ seu spiritu circumacti: neque tanquam infantes loquamur, aut sentiamus, aut cogitemus, quomodò Iudæi, qui infantilia sapiunt, aut desipiunt: sed in virum perfectum ad mensuram ætatis plenitudinis CHRISTI perueniamus, peragendo & contemplando eius legem spiritaliter. Ad hoc[a] enim vnigenitus DEVS Verbum carne fuit indutus. Ad hoc Deus Dominus inter nos apparuit, se pro infante gerens, vt infantilem & imperfectam nostram cogitationem, ad sensum perfectum, & qui virum decet, transmutaret. Quamobrem legales quoque expiationes & obseruationes, & alias adumbratas traditiones, & octauo quoque die circunciſionem subijt is, qui est supra omnem essentiam. Quo factum est, vt cùm in his debitum pro nobis exoluerit, ab omni legali seruitute, & quæ paruulis conuenit, nos liberauerit consuetudine. Erat enim necessarium & ineuitabile mandatum circunciſionis, non solùm quatenus est lege antiquior, & ab Abrahamo accepit initium, & ab ipso Mose & lege, & ijs qui deinceps sunt secuti Prophetis, confirmata est & deducta ad posteras generationes: sed etiam quòd ea necessariò à Deo data signum melioris circunciſionis & spiritalis, in omnes suum iugum imposuit, donec eius legislator, cùm æquè ac nos pro sua benignitate fuisset carnis particeps, & se ad aliorum demittendo similitudinem fuisset circunciſus, & deinde meliorem ostendisset circunciſionem, nempè eam quæ est in baptismate, eam de cætero, vt quæ esset imperfecta & inutilis, aboleuit, & vt cessaret effecit. [a] Deus cur homo factus. *2. Cor.5.* *Philip. 3.* *Ephes. 4.* *Genes.17.*

III. CIRCVMCIDITVR[b] ergò Iesus ex ea lege quam tulerat, die octauo: non vt doceret circuncidi, sed vt faceret cessare circumcisionem: vel potius, vt veteris quidem & inutilis euelleret anticipationẽ, nouæ autem & salutaris aperiret potentiam: vt aboleret quidem eam, quæ est secundum carnem: produceret autem eam, quæ est secundum spiritum: & illius quidem argueret imbecillitatem, huius autem ostenderet fortitudinem. Circumciditur Christus. Non enim venit ad dissoluendam legem tanquam alienam, sed tanquam propriam & à se compositam, eam re ipsa adimpleturus. Tanquam suum dogma & Dei mandatum venit adimpleturus literam, & spiritum prædicaturus. Et quomodo quispiam pictor optimus, cum in se, sicut dictum est, veritatis vmbram priùs figurâ set, & ita imaginis expressisset pulchritudinem, per ipsam recta erigit & deducit ad archetypi exemplaris perfectionem, idque apertissimè atque diuinissimè. Etenim quæ est secundùm carnem circumcisio, non describit solùm & adumbrat peccatorum depositionem, & eam, quæ in baptismate Christi, circumcisionem: sed etiam tanquam in vmbra describit ipsam vniuersi resurrectioem & alterationem: per quam omnis carnalis hominum sensus & cogitatio circunciditur & execatur, & in aliam vitam transformatur. Huius veluti quædam obscura & adumbrata præfiguratio erat ea, quæ est secundùm carnem circumcisio. Quocirca[c] ea quoque octauo die fuit primùm constituta, vtpotè quod octauus dies, octauum, vt arbitror, sæculum tacitè significet. [b] Christus cur circumcisus. [c] Circumcisio cur octauo die.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cùm ergò rerum imago, vt dictum est, & quæ est in spiritu circumcisio, nondum locum haberet, necessaria fortè IV.
est existimata secundùm carnem circumcisio. Cùm autem ea, quæ est in spiritu, per CHRISTVM manifesta fieret, per ipsum oportebat omnino quoque aboleri eam, quæ erat in carne circumcisionem. Etenim si hæc circumcisionis, quæ in carne fiebat, & animalium sacrificiorum ratio aut lex fuisset perfecta, vt quæ possent perficere eos, qui illa ritè peragebant, ea nullo tempore aut modo potuisset dissolui: Verbum enim Domini, inquit, manet in æternum. Quoniam autem data erat ad pædagogicam institutionẽ eorum, qui erant habitu imperfecti & infantes, vsq; ad tempus correctionis, cùm id, quod est perfectum, suo tempore refulsisset, oportebat omninò id, quod est imperfectum & minus, aboleri & supprimi: oportebat oriente sole, lunam & stellas obscurari & minui, & aperta vera circumcisione & cultu, vmbrosas veritatis imagines & figuras cedere.

Esaiæ 40.

PROPTEREA ergò Deus verbum, cùm priùs esset caro factus, hodiè octauo die in corpusculo circumciditur, vt V.
cùm literæ debitum pro nobis exoluisset, legem spiritûs, quæ manet in æternum, induceret: & id q̃ est minùs, eo quod est ræstantius, occultaret & tegeret. Propterea [a] Sacerdotium quoque, quod est secundùm ordinem Melchisedech, prælatum est Sacerdotio, quod est secundum ordinem Aaron: vt vmbræ quidem cessarent, liberè autem ageret veritas: & vt legalium quidem traditionum imperfectio & infantia euanesceret, Euangelicorum autem dogmatum exoriretur perfectio & magnificentia. Ideò cùm Petrum quoq; & Paulum diuinissimorum mystarum summos, & omnes sacros Apostolos & discipulos lege literæ priùs instituisset, & exercuisset in ea, quæ est secundùm carnem circumcisione, traduxit ad eam, quæ est in spiritu & baptismo, circumcisionem: vt cùm etiam spiritum seruitutis per ipsos abolere, uisset, spiritum gratiæ & filiorum adoptionis per diuinum baptismum in nobis excitaret in Christo Iesu. Ideò [b] omnes quoque diuinissimos Sacerdotes, tam alios, quàm Magnum quoque Basilium, eo tempore magnum in Ecclesia excitauit Sacerdotem, qui non corpore peruasit cœlos, sed contemplatione & spiritu est primus sacrorum antistes, &, qui erat in principio Deus, imitans Iesum Christum, & in velum ingreditur intimum, & illic legum spiritûs & dogmatum magnificentiam magno ore detonat, & legem literæ, eiusque, quæ est in carne, circumcisionis, angelica abolens & cessare faciens grandi eloquentia.

[a] Sacerdotium nouæ legis.

[b] Encomiũ Basilij Mag.

HIC est Basilius, qui est magni & præclari nominis, qui est fax Catholicæ Ecclesiæ, qui Sol insignis veritatis, qui VI.
illustrat omnem terram radijs suæ Theologiæ, qui in actione est inimitabilis, & in contẽplatione talis, vt ad eum nequeat vllus peruenire: qui vita perfectus, & sermone sapientissimus: qui virtutis est omnibus numeris absolutus, & in diuina & humana doctrina est planè consummatus, & cui nihil deest: qui omni mundana sapientia & scientia priùs exercitatus, eas deinde subiecit vestigijs discipulorum Iesu: qui omnem librum veterem & propheticum summè & sacrosanctè meditando perlegit, & per ipsos ad perfectissimam Iesu Christe fidem rectà deductus fuit & confirmatus: qui Euangelio quidem duce aut introductore vsus est ad propheticam veram cognitionem, diuina autem Prophetarum dictione ad sacri Euangelij accuratam notitiam: & per vtrumque sublatus est ad purissimam diuinitatis agnitionem. Hic est sublimis & excelsa Ecclesiæ Dei columna, luminare Theologiæ, ornamentum Hierarchiæ, patris homo verissimus, vnigeniti nuncius acerrimus, sancti Spiritus œconomus & scriba fidelissimus, sapientiæ partus, plenitudo intelligentiæ, penuarium cognitionis, ludus docendæ pietatis, sacri & diuini consilij eruditor, & Christi potentiæ & virtutis turris infracta & immobilis. Hic est, qui DEI timorem, & præceptum Domini, & virtutem omnes homines docet, magnus Basilius, DEI verbi tuba vel maximè regia, quæ suæ vocis magnitudine omnes fines orbis terræ comprehendit.

HIC est, qui eam, quæ est in spiritu & diuino baptismo, præclarè prædicauit circumcisionem, & si vllus alius ex VII.
Theologis, cessare fecit eam, quæ est in carne, circumcisionem. Quocirca eius ad Deum è terra & corpore solutio & transitus, nõ casu nec temerè, vt inconsideratè existimauerit quispiam, inter diuinum Christi natalem & baptismum, concurrit hodiè cum Iesu circumcisione: sed quomodo in laudando & extollendo Christi ortum & baptismum, eam q̃ fit in spiritu, circumcisionẽ extulit beatis. in sacra eius cõmemoratione, ipse quoq; dignus est habitus, qui [c] vnà extolleretur per resolutionem ad Christum: & statutum est, vt annuis eo die honoraretur cõmemorationibus & celebritatibus. Quamobrem sanctissimam eius memoriam hodiè vniuersa sanctorum Ecclesia, in omni parte vniuersi orbis terræ peragens & glorificans gratissimis Deo laudationibus, eum qui in sanctis suis glorificatus, simul laudat & glorificat Christum: vt quæ ab omni hæresi per ipsum fuerit liberata, totius aũt pietatis dogmatibus confirmata: & vt quæ cuiuslibet quidem, qui aliena sentit, doctrina fuerit liberata: soli autem Dominicæ fidei & doctrinæ se adiunxerit.

[c] Dies resolutionis B. Basilij annuis celebritatibus honoratur.

ETENIM per [d] huius, instar tonitrui sonantem, Theologi linguam, attonitus quidem fuit & sublatus Arrius, Eu- VIII.
nomius autem dissolutus, & tanquam ardentibus fulminibus, eius contradictionibus in cinerem fuit redactus & consumptus: Sabellius autem interijt & est deletus: & Macedonius quidem, qui aduersus sanctum Spiritum insanijt, Basilij spiritu eiectus fuit & perijt: Apollinaris aũt amentissimus, & insipientiæ diuinis eius dictis conuincitur, & ad perpetuam transmittitur ignominiam, & vt semel dicam, quæuis enata zizania, & quæuis Deo inuisarum hæresum differentia, quas & longum ante ipsum tempus attexuit, & quas post eius ad Deum excessum tempus est editurum, oẽs diuini Basilij theologiæ igni mandatæ, exuruntur & consumuntur, nõ minùs quàm holocausta & ara Eliæ & ligna, igne, qui per orationẽ fuit è cœlo demissus. Hic excelsus Basilius, non solùm Cæsariensium ecclesiæ, cuius etiam fuit creatus episcopus, neque suo solum tempori & suæ ætati, sed etiam omnibus vniuersi orbis terræ regionibus & ciuitatibus, & toti huic sæculo, & omnibus hominibus fuit vtilis & maximè salutaris Magister.

[d] Hæreticorum profligator Basilius.

3. Reg. 17.

ATQVE quisnam quidem fuerit eius ab initio ortus & educatio, & quod studium in sacris disciplinis, quomodò IX.
autem à Græca disciplina transierit beatissimus ad Christianam philosophiam, & vita optima & oratione pulcherrima omnes ferè superauerit, tam qui ante ipsum fuerunt Philosophos, quàm qui post ipsum, & de hinc quomodo ad sedem euectus Archiepiscopalem, & tanquam tota lucens lucerna positus supra candelabrum sanctæ Ecclesiæ, sacris, quæ actione exequebatur, verbis vniuersum orbem terræ illustrauerit, & quemadmodum cum hæresiarchis & veritatis aduersarijs fortiter pugnans, tanquàm lupos Arabicos à sacro suo grege expulerit: & cum impijs quidem decertans Imperatoribus, cum iniquis autem manus conserens Præsidibus, præclarissima victoriæ trophæa aduersus omnes erexerit, & cum in bonis pascuis & pinguibus, & sacrorum miraculorum ostensionibus, verborumque & legum cælestium ac diuinarum expositionibus, Christi oues tanquàm bonus Pastor ipse pulchrè pauisset, & tanquàm sanctus Pontifex, simplex, impollutus, à peccatoribus separatus, & ipsis cœlis, si mihi quid est audacter dicendum, effectus altior, ipse in Euangelio esset multorum salutem operatus, postea ab hoc humili solutus tabernaculo, & in loco tabernaculi admirabilis vsque [e] ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis soni festum celebrantium peruasisset, cum primogenitis cælestis Syon filijs vnà accubuerit & cum eis quieſcat: tùm de his omnibus à sacris, vt arbitror, [f] theologis sit satis philosophatum, eaque satis laudata fuerint, superuacaneum existimaui de his loqui prolixiùs.

[e] Animam Basilij collocat in cælo.

[f] Gregorios Nazianzen. & Nyssenũ, & Amphilochium dixit

Nos autem glorificemus diuini patris memoriam: Hodiè hymnis & diuinitùs inspiratis laudationibus Præce- X.
ptoris virtutes celebremus pro dignitate. Quicunque ab eo didicimus honorare virtutẽ, eum tanquàm verum patrem honoremus, sicut debemus: vt qui in Christo Iesu nati simus per Euangelium, & ab eius doctrina internum nostri cordis hominem, tanquàm Dei filij, habeamus formatum. Quomodò aũt honorabimus? Circumcidamus, non carnem

quidem

quidem noſtri præputii, vt vetus ille Iſrael, ſed internum cordis hominem. Circuncidamus omnes occultas animi perturbationes & mentis, eas auferentes aut morte affitientes, & vna cum Chriſto prompto & alacri animo morte affecti, & ſimul cum eo crucifixi & conſepulti in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circumciſione Ieſu Chriſti in baptiſmo, quomodo magnus quoque doctor nobis præcipit, & in aliis diuiniſſimis ſuis admonitionibus, & in exhortatoriis ad bapiſmum orationibus. Sinamus ergò eam, quæ eſt ſecundum carnem, circumciſionem. Reſurgamus ad baptiſmum. Prætercurramus vmbram, accurramus ad veritatem. Moſen deſpiciamus, ad Ioannem eamus. Modo enim clarè ſonat vox clamantis in deſerto, & ad ſe conuocat orbem terræ. Modo vox præcurrit verbum, & pronubus ſponſum: & nuncius Regis præmittitur, & præit ad dirigendas vias eius, & ad populum Domino præparandum, accedit ad Iordanem. Nunc Ieſus poſtquàm ex lege fuerat carne circumciſus octauo die, venit ad Iordanem triginta annos natus, vt aqua baptizaretur: vt cum literæ infantilem feciſſet ceſſare circunciſionem, lege ſtatueret eam, quæ eſt in ſpiritu, perfectionem. Nunc magnus ille præco & præcurſor, magna voce turbis præcipit in deſerto, vt agant pœnitentiam, quoniam appropinquauit regnum cœlorum. Vbi enim Rex, illic eſt omninò cum eo regnum. Quoniam ergo Rex cœlorum, ad aquam baptiſmatis appropinquauit, neceſſario ſimul quoque cum eo aderat regnum cœlorum. Nunc autem is quoquè, qui nomen aut cognomen habet regni cœlorum, poſt magnum illum Baptiſtam, hodierno die, qui eſt dies ſuæ reſolutionis, dum & commemoratur, & tacet & loquitur, omnes populos ad baptiſmum adhortatur. Paremus ergò vias Domini Dei noſtri, dirigamus ſemitas eius Chriſto omniũ Regi, qui apparet in Iordane, corda digna reddamus per opera pœnitentię, & cum eo conſepulti per baptiſmũ, & in vitæ conſtituti nouitate, vnà cum eo conglorificemur & conregnemus in ſæcula, Amen.

Circumciſio typus baptiſmi. *Ioan. 1: Matth. 3: Luc. 3: Ibidem.*

Baſilio dicto ἀπὸ τῆς βασιλείας

Vixit circa an. Ch. 360. S. Baſilii vitã ſub nomine Amphilochii improbat Baron. Eſſe autem Amphil ãte an. 800. exiſtimant Vt ſuus huius vitę Inter, eamq; eo auctore recitat Vincẽt Burg in ſpec hiſt Antonin. inchr. & Petrus de Natal. in cat. ſanct.

VITA S. BASILII CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ ARCHIEPISCOPI.

AVCTORE AMPHILOCHIO ICONII EPISCOPO INTERprete Vrſo S. R. E. Subdiacono.

Ex vitis Patrum à R. P. Heriberto Roſſvveido S. I. Theologo elucubratis:

PRÆFATIO INTERPRETIS.

BEATI Baſilii, Cæſareæ Cappadociæ præſulis, Vitam me in Latinam vertiſſe dictionem, ſecundùm poſtulationem tuam, cognoſce. Neque enim inobediens eſſe tibi debeo, qui omnibus fratribus meis & proximis debitor ſum. Sed vtinam tam benè quàm promptè, tam vtiliter quam faliciter, quod poſtulaſti, fuerim executus: præſertim cum neceſſariò ſuper hoc fueris exhortatus, & vt tantus vir apud Latinos, quemadmodum apud Græcos, celebris habeatur, iure ſatageris. Deniq; licet eius quædam ſalutifera ſcripta ſermo Latinus habeat, vita tamen illius quàm ſit admirabilis hactenus ignoratur. Et certè ſatis incongruũ eſt, quod docuerit ſciri, & quid fuerit operatus neſciri: cum ſanctus Vir (vtpote imitator illius, de quo Lucas ſcribit, quia cœpit Ieſus facere & docere) non ſolùm verba Dei docebat homines, ſed, vt magnus vocaretur in regno cœlorum, anteà faciebat. Fruere igitur ſalubrius doctrinis eius, & ne fortè dicas illum docuiſſe & non feciſſe, iam nunc ſcies quia fecit quod docuit, & de catero habebis quod imiteris.

Licet antè hoc opus ego non præſumpſerim aggredi, putans, vt ipſi noſtri, ab alio iam translatam, in quo meritò ipſe me reprehendi. Numquidnam quia Scripturam ſacram quidam interpretati ſunt, idcirco poſteriores interpretes hanc minùs interpretati ſunt? Si hoc eſſet, eandem ſacram Scripturam Latinitas ex ipſo Hebraico fonte per beatum Hieronymum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, & diuina Bibliotheca cultorem, hactenus non hauſiſſet.

Verùm diligenter inquirens, nihil ſcriptum de vita huius Sancti apud Latinos inueni niſi duo miraculorum eius, id eſt, de puero Chriſti negatore liberato, & muliere à peccatis erepta: quæ tamen adeò deprauata reperi, vt rurſus ea interpretari quàm emendare maluiſſem.

Sanè notandum eſt, quia cum quidam legunt in his actibus, quæ ſanctus Amphilochius ſcripſit, diſcrepaſſe autumant ab his, quæ S. Gregorius Nazianzenus in epitaphio huius magni viri commemorat: cum alter fortè tacuerit, quod alter non tacuit, idipſum nobis inter Euangeliſtas reperientibus. Præſertim cum & idem Amphilochius, qui ſuper tanti viri vita ſcripſerit, hæc expoſiturus aptè deſignet.

Habes ea cap. 8. & 10.

Epitaphiũ hoc ſiue orationem hãc funebrẽ habes tom. 1. operum Nazian or 20. I. IAN.

Vitã Baſilii à variis ſcriptã Greg Nazian. intelligit Habes eã inter opera eiuſdẽ, ſi fani o interprete Encomium Baſilii ab Ephręm ſcriptum habes operum eius tom. 3 à Gerhardo Voſſio latinitati donatum *a Oſia ab aliis Amphiloch. ſupplet.*

PROLOGVS AVCTORIS.

CHARISSIMI, non inconuenies erat, ſed iuſtum; deuotos filios ſuper obitu patrio contriſtari, & ei dona lachrymarum offerre: quod hactenus compatienter egimus. At verò poſtquam luctus turbinem, ſecundùm quod ſcriptum eſt, depoſuimus, ad gratificam ſupplicationem omnium Domino Chriſto Deo noſtro rependendam commoti ſumus; operæ pretium duxi, tam memorabilem Vitam, quàm vera miracula paſtoris & magiſtri noſtri Baſilii, ne diutino tranſcurſu temporis obliuioni profundæ tradantur, ſcripturæ fore mandanda. Tribus enim ſacratiſſimis & egregiis viris, Gregorio videlicet, qui in Theologia claruit, & Gregorio memorabili Nyſſeorum ciuitatis Epiſcopo, ſed & B. Ephræm, aliis atq; aliter ſermonibus epitaphicis tantum virum fulgidum exhibentibus: viſum eſt & mihi tamquam abortiuo, vt cum Apoſtolo dicam, cum præmanibus accepiſſem narrationes, quæ ab vtriſque admirandis viris editæ ſunt, ea quæ his deeſſe videbantur [a]ſupplere, more ſcilicet deuoti filii debitũ patri repræſentantis, deſurſum quædam, vt æſtimari poteſt, aſſequentis, & ſcientiam percipientis. Nouit enim, nouit nubes abſcondere ſolem & moroſus bonarum narrationum tranſcurſus facilè introducit obliuionem. Magnus igitur exſtitit paſtor noſter, & famoſus mundo Baſilius cœleſtium virtutum conſermocinator, Angelorum ordinum comminiſter, prædicabilis Eccleſiæ Doctor, incorrupta dogmatum orthodoxorum columna; qui naturam exiſtentium enuclearius explanauit, qui peſſimum Trinitatis *apoſtatã Iulianum depoſuit, †qui Valentis os blaſphemum obſtruxit, qui Arrianorum expreſsè nequiſſimum errorem deuaſtauit, qui Chriſtianorum liquidò ſtabiliuit rectam opinionem. Paſtor acceptabilis Eccleſiæ populi, regalis ſacerdotii conſors, circumamictus veritatẽ Chriſti, ouium aries, diuinæ fidei magiſter inclytus: qui & viuens & poſt obitum magnis coruſcauit miraculis, qui Deo odibilis Iuliani, vt dictum eſt, extollentis in altum cornu, & loquentis aduerſus Deum iniquitatem, corruptionem oratione ſua parauit. Interea Valens accipiens indigne Imperialem purpuram, & Arrianorum nequam ſenſui patrocinium præſtans, venit ad illuſtrem, quæ apud nos eſt, Cæſaris vrbem. Verum qualiter, vel qua cauſa, non eſt præſentis temporis enarratio. Sed ad propoſitum redeamus; virtutes illius, quas à vulua vſquè ad finem habuit, narraturi.

Hiſtor. de morte Iuliani q̃ deeſt in hac verſione Vrſi. †Vide Greg Nazian in orat. funeb. in laudem Baſil Ephræm in orat. de laudib eiuſd Sozõ Socrat. 4 c. 21 Theod. l 4 c. 18. Gildam Sap. in orat. Eccl. Ordin. Niceph. lib 11 c. 18. Bar. annal. tom 4. ad an 370

I. BASILIVS ſolus ſuper terram æqualitatem oſtendit, vitam videlicet operibus decoratam, & ſermonibus diuinæ ſapientiæ illuſtratam, omnia Chriſto dans, animã & corpus, [b] verborũ palmas, propter quod & gentilem errorem vt araneotum telas dirupit. Hic ſeptem annorum factus, ad literas traditur à parentibus: vacans autem in Mathematicis quinquennio, fructificabat plurimũ in philoſophica diſciplina, naturæ manſuetudine. Rurſus relicta patria, Cappadox enim erat genere, peruenit ad matrẽ ſermonum, id eſt, Athenas, & caſtitate ſeu multa continentia & temperantia decenter ornatus, adhæret præceptori Græcorũ ſapientiæ, Eubulo nomine, & ita ſeſe diſciplinis tradidit, vt eum

[b] *Vulg. edit. ſermonũ manus. Græcè* λόγων παλάμας *Præceptoris ſui Eubulus*

Condiscipuli eius.

cum tam præceptores quam condiscipuli imitarentur. Erant enim huius cooperatores, magnus Gregorius Nazianzenus Episcopus, qui throni Apostolici gubernacula per duodecim moderatus est annos, & Iulianus, qui ad breue tempus Christianus fuit, atque Libanius. Hic autem præ omnibus admirabilis vir posuit in corde suo non participari pani vel vino, donec ex superna prouisione sapientiæ penetraret arcana. Moratus autem in eruditionibus quindecim annos, & omnem gentilem philosophiam transcurrens, in fine Astronomiam quoq; ac Geometriam, & optima quæq; legens, cum nullo modo valuisset per ea inuenire omnium conditorem, quadam nocte vigilante illo, diuinus quidam splendor infit, vt transcurreret nostræ religionis scripturam. Surgens ergo properauit Ægyptum, & accedens ad quemdam Archimandritarum, nomine Porphyrium, petiuit dari sibi sacros libros ad perceptionem diuinorum dogmatum. Et hoc percepto mansit illic, dans operam meditationi diuinorum eloquiorum, aqua & oleribus eductus. Anno verò integro ibidem moratus, & veritatis rationem fide considerans, perseuerauit scrutatus verbum veritatis, & petiuit se dimitti Ierosolymã causa orationis iturum, & illic miracula inspecturum: qui exoratus dimisit eũ. gratia ab ipso Christi ascensu frequentari solitum docet Hier. Epist. 17. ad Marcel.

Sozom. l. 6. c. 17 Libanium præceptorem Basilii asserit

Abit in Ægyptum.

Ierosolymã orationis

II.

Conatur præceptorẽ & condiscipulos ad fidẽ adducere

REDIENS autem illo, vbi Græcorum institutus est philosophia, cœpit persuadere multis philosophis & multitudini Gentilium ostendere Christum, demonstrans illis viã salutis. Requirebat verò & præceptorem suum Eubulum (qui erat dux verbi) in vicissitudinem studiorum, quibus ab ipso fuerat institutus, ad trahendum eum & incliandum immaculatæ fidei, vtpote ipse benè currens ad eam. Omnesque docebat, qui philosophia imbuti erant, illum sequi quasi magistrum. Requirens autem eum in omnibus scholis, inuenit* in proastio cum philosophis, nihil erat enim apud eos studii quàm dicendi quid ac audiendi nouum. Disputante autem illo, reprehendit eum astans Basilius. Et quidam eorum, qui cum ipsis erãt, dixit: Reprehendit te quis, ô philosophe. Qui ait: Aut Deus, aut Basilius. Recognoscens ergo eum, & hos qui secum erant dimittens, aderat cum Basilio, & tribus diebus ieiuni perseuerantes, quæstiones inuicem proponebant. Interrogauit itaq; Eubulus Basilium: Quæ est definitio philosophiæ, Basili? Qui ait: Prima[a] definitio philosophiæ, meditatio mortis. Ille verò admirans, ait: Quis est mundus? ait: Qui est super mundũ. Et dulces quidẽ sunt mundi sermones, ipse verò mundus vehementer amarus, si quis hunc vitiosè retineat: & alia est voluptas corporis, & alia incorporalis naturæ. Et pariter hæc cuiquam inesse impossibile constat. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Verùm, quantum virtus suppeditat, frangimus esurientibus panem scientiæ, & eos, qui per militiam quorumdam sine tecto sunt, per virtutem ducimus sub tectum. Si verò eum nudum videmus, amictu circumdamus, & domesticos seminis non despicimus. Cumq; dixisset hæc, imaginans ei parabolicè Saluatoris nostri misericordiam, quam circa nos per pœnitentiã operatur, tres †tabulas sensim proponit in proforibus mentis, vnam quidem in superioribus portarum virtutes ferentem, Prudentiam videlicet, Fortitudinem, Temperantiã, & Iustitiam. In sinistra verò parte Seductionem, porrò hinc & inde Intemperantiam, Profanationem, Linguositatem, Suasionem, & huiuscemodi examen malorum. Pœnitentiam autem decenter astantem intrepidam, hilarem, lenem, & contrariis quidem aduersantem, populo verò bona omnia imprecantem. Præterea iuxta hanc, Abstinentiã, Sagacitatem, Clementiam, Pudicitiam, Pudorem, Humanitatem, & multorum bonorum plebem. Sensus verò huius historiæ videntibus quidem est monitio, audientibus autem zeli potioris occasio. Hęc & ipse ego videns delectatus sum, & in hoc ductus sum, ô Eubule. Sunt quippè in nobis non imagines neq; ænigmata, sed ipsa liquidò veritas ad salutẽ adducens. Resurgemus enim omnes, hi in vitam æternam, hi in opprobrium & confusionem perpetuam: & adstabimus ante tribunal Christi, quẽadmodum docent nos magniloqui prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & Dauid rex, & egregius Paulus. Et post hos ipse Dominus pœnitentiæ dator, & huius recompensator, qui ouẽ perditam requisiuit, qui recedentem à paternis finibus cum multis diuitiis puerum, & his luxuriosè consumptis posteà redeuntem, fame tabefactum, germanè amplexus est, & adornans fulgida stola & annulo ac vestibus pretiosis, suadet nihil puero peccanti, non sæuire, sed veluti fratri veniam dare: sic absq; inuidia Dominus excellens bonitatẽ æqualem his, qui circa vndecimam horam venerunt, mercedem dat. Ipse & nobis pœnitentibus, & resipiscentibus, ex aqua & Spiritu sancto regenerationem donabit, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus diligentibus se. Horum ergo sensu intellecto Eubulus ait: O Basili, cœlestis Trinitatis assertor, per te credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, & cætera; expectans resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, amen. Opere autem ostendam tibi fidem, quæ in me est: quoniam omnibus, quæ mihi adsunt, in manibus tuis datis, residuo vitæ meæ tempore, si placitum in conspectu Dei fuerit, tecum ero, susceptaq; ex sancta aqua seu Spiritu regeneratione. Ait autem Basilius: Benedictus Dominus Deus noster, ex hoc nunc & vsque in sæculum, ô Eubule, qui illustrauit lumen verum in mente tua, & transtulit te à multorum errore deorum in agnitionem misericordiæ suæ. Porrò si, vt fassus es, mecum pariter esse vis, ostendam tibi quo saluti nostræ modo prouideamus, à vinculis istius sæculi liberandi. Venumdemus omnia quæ nobis insunt, & tribuamus egenis, sicq; demum ad sanctam ciuitatem pergamus, inspectores per nos efficiendi patratorum ibidem miraculorum, & acquiramus fiduciam apud Deum. Taliter itaq; ambo rebus suis piè distributis, [a] sola ex his indumenta, quæ sancto Baptismati præparari solent, ementes, Ierosolymam tendunt, conuertentes ad Dominum Gentilium multitudinem copiosam. [b]

Reſurrectionem docet.

Mat 18.

Luc. 15.

Mat 20.

1. Cor. 2.

Eubulus ad fidem Trinitatis conuertitur, & Baptismum expetit.

Basilius & Eubulus societatem ineunt.

Bona suapiè erogant.

*Vide Greg. Nyssen. orat. in laudem Bas. b Hoc caput sequens deest in Vitis Patrum

III.

Antiochiã perueniunt.

PERVENIENTES verò ad Antiochi vrbem, diuerterunt ad receptaculum quoddam. Filius autem hospitis, nomine Philoxenus, sedebat præ foribus in meditatione multa: erat aũt hic discipulus Libanii sophistæ, à quo susceperat versus Homericos ad transferendum eos in Rhetoricos. Et cum in multa tribulatione consisteret, laborando deficiebat: quẽ aspiciens Basilius dixit ad eum. Quare ita tristis es, adolescens? ait: Quæ mihi vtilitas erit, si dixero tibi? Perseuerante aũt Basilio, & ei prodesse pollicente, dixit ei ram sophistam, quàm etiam versus: & quia propter hoc laboro. Qui susceptis versibus cœpit dicere horũ translationẽ. At verò adolescens stupefactus pariter & gauisus, in scriptis exponi eã rogauit: Qui scripsit horũ solutionẽ in trib. editionibus: puer aũt susceperit eos gaudens, & diluculo pergit ad Libaniũ, & dat ei versuũ enucleationẽ. Accipiens aũt Libanius, & consternatus super translatione, dixit: Per diuinam prouidentiã nullus præsentiũ sapientũ tale quid potest interpretari. Vnde ergo est horũ innouator? ait puer: Peregrinus quidã veniens ad hospitiũ meũ, paratissimè disseruit mihi horũ dissolutionẽ. Nihil ergo negligẽs Libanius, cursim ad hospitiũ venit, & videns Basilium vnà cũ Eubulo, & recognoscẽs eos, obstupefactus est pro inspérato vtriusq; aduentu. Rogauit autem eos diuertere in domum suam; & hoc consecutus rogauit etiã, vt suauem & conditam sumerent escã. Qui pane & aqua secundũ consequentiam, quę ab ipsis tenebatur, mensurate perceptis, gratias egerunt Deo, & omnium donorũ bonorũ. Paratissimè itaq; Libanius cœpit cum iis quærere, ac protendere verbositates Rhetoricas. Illi aũt proposuerunt ei de fide sermonẽ. At verò Libanius sentiens quæ dicebantur: Nondum est, inquit, tempus huius operationis: cùm autem iusserit superna prouidentia, non est qui resistat. Sed quia in maximis mihi profuisti, ô Basili, disputare quoq; ad nouitios meos ne dedigneris. Qui celeriter congregatis iuuenibus, docebat eos munditiam animæ & impassibilitatem corporis, gressum mitem, vocem temperatam, sermonem ordinatum, cibum & potũ imperturbabilem, coram senioribus silentium, ante sapientiores auditionem, circa prelatos subiectionẽ, circa æquales seu minores charitatem non fictam, pauca effari, plura verò intelligere: non exasperari sermone, non superabundare loquelis, non esse promptos ad risum, pudore ornari, cum mulieribus impudicis nũ colloqui, deorsum visum habere, sursum

Basil. puero anxio thema dictat.

Liban. Basil. & Eubulũ ad lautam mensam inuitat.

Lautitiam respuunt.

Pane & aqua viuunt.

Basilius Libanii discipulos ad omnia honesta hortatur

sum animam; fugere cõtradictiones, non didascalicam sequi dignitatem, nihil æstimare à quibuscumq; collatos honores. Quòd si quisquam vestrûm alijs etiam prodesse potest, à Deo mercedem expectet,& æternorum bonorum vicissitudinem à Christo Iesu Domino nostro. His dictis Basilius ad discipulos Libanij, & miris ab omnibus laudibus cumulatus, vnà cum Eubulo carpebat iter.

[a] *Ierosolyma sacra loca lustrant.*

IV. Cumq; [a] Ierosolymã peruenissent,& omnem locum sacrosanctum fide & amore perlustrassent,& in eis Deum, qui super omnia est, adorassent, manifesti facti sunt episcopo ciuitatis, nomine * Maximino. Et huic procidentes, postulauerunt adipisci diuinam regenerationẽ in Iordane flumine. Quos intuens sanctus hic vir Dei, gratiâ plenus, adimpleuit petitionem ipsorum,& vnà cum fidelib. viris venit ad Iordanem. Cùm aũt Basilius accessisset ad ripam, proiecit se super humum,& cum lachrymis & clamore valido petebat signum suæ fidei reuelari. Et mox cum tremore cõsurgens deponit vestimenta sua,& cum eis procul dubio veterem hominẽ, sic demùm descendens in aquã orabat: & accedens sacerdos baptizauit eum. Et [b] ecce fulgur ignis præfulsit eis,& columba ex eo veniens descendit in aquam,& turbatâ aquâ conuolauit in cælum; hi verò qui astabant tremefacti glorificauerunt Deum, baptizatus aũt Basilius exiuit ab aquâ. Admirans aũt Maximinus Basilij dilectionem q̃ in Deum habebat,& oratione fusâ super eum induit vestibus resurrectionis Christi. Baptizauit aũt & Eubulum, [c] & vngens ẽt sancto chrismate, tradidit viuificam Cõmunionẽ,& rogauit Basilium Dei sacerdos post orationem sumere cibum, q̃ & fecit dicens: Dñe Iesu Christe Deus noster, ita credo Euangelicæ voci tuæ,& spero in benignitate tuâ, ait, manducans & bibens, vincam resistentem nobis diabolum cooperatione Spiritus S. tui. Stupefactus aũt sacerdos Dei in fide illius, reuersus [d] est cum eis in sanctam ciuitatem. Añiuersario vero tempore illic demorantes, communi consilio venerunt Antiochiam, & [e] Basilius à Melerio eiusdem vrbis episcopo ad diaconij ordinem promotus, & Prouerbiorum sermonẽ interpretatus, multâ est admiratione ꝓuectus.

[b] *Baptismus Basilij fulgure & columba firmatur.*

[c] *Baptizatur Eubul⁹.*

Sacri chrismatis in baptismo & post baptismum vsus etiam nunc durat in Ecclesia.

[d] *Reuertuntur Antiochiam*

[e] *Basilius à Meletio diaconus creatur.*

Vide Nicoph. lib. 11. c. 17.

V. Post non multò tempore transacto, properauit vnà cum Eubulo ad [f] Cappadocensium regionem; & cum iam iamq; ingressuri essent Cæsariensium ciuitatem, in visione noctis reuelatus est tunc epõ ipsius vrbis, [g] Eusebio nomine, horum aduentus,& q̃ Basilius eius esset futurus successor. Qui expergefactus vocauit principem ecclesiasticæ administrationis,& quosdam venerabilium clericorum,& misit eos ad orientalem portam vrbis, dicẽs visionem: cumq; irent ad portam, obuij fuerunt eis, cùm ingrederentur. Quos videntes & agnoscentes rogauerunt vt ascenderent ad epm. Cumq; intrarent, intuitus eos sanctis. epũs,& stupefactus in similitudine visionis, Deo gratias egit. Interrogauit aũt vnde venirent,& quò abirent,& q̃ eorum essent vocabula,& discens, dixit diaconibus præbere quæ ad requiem eorum cõgruerent: qui [h] adducentes eos * ad insigne habitaculum, oĩa obtulerunt ad suauitatem eorum. Eadem aũt horâ aduocans sanctis. vir lectissimos cleri & ciuitatis, enarrauit eis ea, q̃ à Deo fuerant sibi reuelata. Qui vnâ voce dixerunt: Veraciter & hoc digna est munda vita tua, vt diuinitus de cælo reuelaretur is, qui post te futurus est pontificalẽ thronum ornare. Vnde nihil hæsitans fac q̃ tibi videtur. Epũs aũt aduocato Basilio vnà cum Eubulo, cæpit scrutari cum eis sacras Scripturas: & admirans pelagus sapientiæ, quæ inerat illis, & habitis eis idoneis assistoribus, non post multum temporis obijt. Conuenientes [i] ergo episcopi ad Synodum, cum operatione Spiritus sancti eligunt [k] Basilium ad thronum episcopalem. Qui videlicet consecratus gubernabat Ecclesiam Dei prouidentiâ.

[f] *Redit cum Eubulo in Cappadociã.*

[g] *Eusebio Cæsariensi episcoporum aduentus diuinitus innotescit.*

[h] *Honorificè ab eo excipiuntur.*

* *al. edit. ad insignem zætam.*

Zæta & diæta sæpius apud auctores occurrunt, est aũt zæta domus q̃ subtus pedes habet aquas vt ex Glossar. Cæ beronense MS. notat Rosswveid⁹ in Onomast.

[i] Anno 369. mortuo Eusebio.

[k] *Basilius Cæsariensis epis. creatur*

Vide Bar. anno 369 & Greg Naz. orat. in laudem Basilij

VI. Post aliquod verò tempus postulauit à DEO, quò concederet sibi gratiam sapientiæ & intellectus, vt offerret per propria verba sua incruentum Deo sacrificium,& veniret in præsentiam sancti Spiritus: & post sex dies, velut in excessu mentis aduentu Spiritus S. factus, septimo [l] die cæpit ministrare Deo per singulos dies, & post aliquod tempus fide ac oratione multâ inchoauit [m] propria manu scribere Missę mysteria,& quadam nocte astans ei Dñs in visu cum Apostolis propositionem panis faciens in sancto altari, erexit Basilium, dicens ei: Secundùm petitionem tuam repleatur os tuum laude, vt per propria verba tua incruentum offeras sacrificium. Qui non ferens oculis visionem, surrexit tremefactus,& accedens ad sanctum altare cæpit dicere ac scribere in chartâ, ita: Reple os meum laude, vt laudem gloriam tuam Dñe Deus, qui creasti nos,& adduxisti ad vitam hanc; & reliquas S. Missæ orationes. Et [n] post finem orationum exaltauit panem, prolixè orans & dicens, Attende Dñe Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo,& veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes,& hîc nobiscum inuisibiliter ades,& dignare potenti manu tuâ tribuere nobis & per nos omni populo sancta sanctis. Populus respondit: Vnus sanctus, vnus Dñs Iesus Christus cum S. Spiritu in gloria Dei Patris, Amen. Et [o] diuidens panem in tres portiones, vnam quidem suscepit cum timore multo, aliam verò seruauit † ad consepeliendum sibi, tertiam aũt positam super columbam auream, suspendit super altare. Eubulus aũt & cleri princeps simul præ foribus templi stantes, videbant lumen intelligibile in templo, & homines clarissimè candidatos,& vocem populi glorificantis Dñm,& Basilium altari astantem: & consternati super visione, ceciderunt in faciem cum lachrymis glorificantes Dñm. Cùm aũt exisset Basilius, ceciderunt ad pedes. Qui interrogauit causam adorationis & aduentum eorum. Illi verò dixerunt glorioss. miraculum, q̃ viderunt in templo. Tunc Basilius extensè gratias agens Dño, enarrauit gloriossima,& [p] aduocato aurifice, fecit columbã de auro mundiss.& in ea posuit portionem, suspendens super sanctam mensam, instar sanctæ illius columbæ quæ apparuit in Iordane Domino baptizato. Hoc autem facto, repromisit sermonem exhortationis se dicere ad populum: & collocata est infinita multitudo in Ecclesia, inter quas erat vir magnus, Dei cultor Ephræm, de quo postmodum [q] enarrabimus, qualiter ex apparitione diuinâ inspector factus fuerit memorandi Basilij.

[l] *Eleuatio Hostiæ sacræ in Eucharistia.*

[m] *Diuinit⁹ edoctus Liturgiam scribit.*

[n] *Hostiam sacram in tres partes diuidit*

† Notat Rosvveydus ad hunc locum consuetudine antiquitus receptum fuisse, vt Eucharistia etiam mortuis ingereretur & consepeliretur, quæ a Concilio Carthag 3 can. 6. abrogata fit.

[o] *In columba super altare suspensa Eucharistia asseruatur.*

[p] c. scil. 11.

[q] *Hebræo in Eucharistia infantulus apparet.*

VII. Itaque cùm diuinum celebraretur officium, [r] Hebræus quidam vt Christianus, se populo miscuit, ordinem officij & donum Cõmunionis explorare volens, & videt infantulum membratim incidi in manibus Basilij: & cõmunicantibus omnib. venit & ipse, [s] & data est ei in veritate caro: deinde adest & calici, qui erat sanguine plenus,& ipsius particeps est effectus. Atq; ex vtroq; conseruatas reliquias pergens in domum suam, ostendit vxori suæ, ad confirmationem eorum quæ dicebãtur, enarrans quæ proprijs viderat oculis. Credens ergo quod reuera horrendũ sit glorioſum Christianorum mysterium, in crastinum adit Basilium, supplicans ei, quò [t] sine dilatione acciperet in Christo signaculum, qui nihil negligens, solitas grates ei, qui oẽs vult saluari, referens, baptizauit eum cũ omni domo sua credentẽ in Dñm.

[r] *Credit Hebræus & baptizatur.*

[s] Eucharistia infantulus apparet.

[t] Hoc ex hac vita exemplum citat D. Thomas opusc. 58. c. 11.

Hoc loco vulgata editio interserit Prophetiam Basilij de Præfecto quodam; historias de aduentu Iuliani Cæsaream Cappadociæ, & minis Basilio intentatis; de visione Basilij & nece Iuliani; de Libanij baptismo & Valentis filio ad vitam resuscitato: quorum nonnulla cum mendacijs scanteant, id probante Baronio ad an. 363. hanc vitam supposititiam esse sub falso Amphilochij nomine iudicat idem Baronius, factumq; hinc asserit vt fidem derogent nonnullis, quæ ab alijs excerpta, in eadem vita vera esse probantur. Abfuisse hasce narrationes huic vitæ Basilij per Amphilochium, quam præfixo interpretis nomine Vrsi damus, testatur R. P. Herbertus Rosvveidus in notis ad hanc vitam n 3. quam sibi Româ missam affirmat; neq; etiam in Vitis-Patrum Nurrenbergæ anno 1483. apud Antonium Koburgum excusis, eadem reperiuntur: haberi tamen in Græca editione, Amphilochij nomine insignitam, & in veteri latina interprete anonymo, notat Rosvveidus num. 58.

VIII. Helladivs [u] autem sanctæ recordationis, qui inspector & minister fuit miraculorum quæ ab eo patrata sunt, quique post obitum eiusdem Apostolicæ memoriæ Basilij sedem illius suscipere meruit, vir miraculis & clarus, atq; omni virtute ornatus, retulit mihi, quia cum senator quidam fidelis, nomine Proterius pergeret ad sancta & percolenda loca,

[u] Ab Helladio hoc, eius successore, gesta Basilij conscripta, testatur Damasc. orat. 1. de Imag cuius commentarius non extat. Hæc narratio apud solum Amphilog.

*cõsecrare. loca, & ibidem filiam suam * tondere, & in vnum venerabilium monasteriorum mittere, & sacrificium Deo offerre
[a] Proterij famulus filiam heri deperit. voluisset; diabolus,[a] qui ab initio homicida est, inuidens eius religioso proposito, commouit vnum ex seruis eius, &
[b] Maleficum consulit. hunc ad puellę succendit amorem. Hic itaque cùm tanto voto esset indignus, & non auderet propositum saltem con-
[c] Abrenuntians Christo, diaboli operã quærit. tingere, alloquitur[b] vnum ex detestãdis maleficis, repromittens illi, vt si fortè arte suâ posset illam commouere, mul-
[d] Malefi i ad diabolum epistola. tam ei auri tribueret quantitatem, at verò veneficus dixit ad eum: O homo, ego ad hoc impos existo: sed si vis, mitto
te ad prouisorem meum diabolum, & ille faciet voluntatem tuam, si tu dumtaxat feceris voluntatem eius. Qui dixit
ad eum: Quæcunque dixerit mihi, faciam. Ait ille: Abrenuntias, inquit, Christo[c] in scriptis? Dicit ei: Etiam. Porrò
iniquitatis operarius dicit ei: Si ad hoc paratus es, cooperator tibi efficiar. Ille autem ad ipsum: Paratus sum, tantùm
vt consequar desiderium. Et[d] facta epistolâ, pessimæ operationis minister ad diabolum destinauit eam, habentem
dictatum huiusmodi: Quoniam domino & prouisori meo oportet me dare operam, quò à Christianorum religione
discedant, & ad tuam societatem accedant, vt compleatur portio tua; misi tibi præsentem, meas deferentem litterulas, cupidine puellæ sauciatum. Et obsecro vt huius voti compos existat, vt & in hoc glorier, & cum affluentiori ala-
critate colligam amatores tuos. Et data ei epistolâ, dixit: Vade tali horâ noctis, & sta supra monumentum alicuius
pagani, & erige chartam in aëra, & astabunt tibi, qui te debent ducere ad diabolum. Qui hoc alacriter gesto, emisit
miserrimam illam vocem, inuocans diaboli adiutorium: & continuò adstiterunt ei principes potestatis tenebrarum, Eph. 6.
[e] Proterij famulus diabolo fistitur. spiritus nequitiæ, & [e] suscepto qui fuerat deceptus, cum gaudio magno duxerunt eum vbi erat diabolus, quem & mõ-
strauerunt ei super excelsum solium sedentẽ, & in gyro eius nequitiæ spiritus circumstantes: & susceptis venefici lite-
ris, dixit ad infælicem illum: Credis in me? Qui dixit: Credo. Dixit ei diabolus: Tergiuersatores estis vos Christiani,
& quidem quando me opus habetis, venitis ad me; cùm autem consecuti fueritis affectum, abnegatis me & acceditis
ad Christum vestrum, qui, cùm sit bonus atque misericors, suscipit vos. Sed fac mihi in scriptis tam Christi tui & san-
cti Baptismatis voluntariam abrenuntiationem, quàm in me per secula spontaneam repromissionem, & quia mecum
eris in die iudicij simul perfruiturus æternis supplicijs, quæ mihi sunt præparata. At[f] ille exposuit propriæ manus scri-
[f] Chirographo Christũ & Baptismũ iurans, diabolo fidem signat. ptum, quemadmodum fuerat expetitus. Rursusque ille corruptor animarum draco destinat dæmones fornicationi
præpositos, & exardescere faciunt puellam ad amorem pueri, quæ proiecit se in pauimentum, & [g] cœpit clamare ad
patrem: Miserere mei, miserere: quia atrociter torqueor propter talem puerum nostrum. Comparere visceribus tuis,
ostende in me vnigenitam tuam paternum affectum, & iunge me puero, quem elegi. Quòd si hæc agere nolueris, vi-
debis me amarâ morte post paululùm mortuam, & rationem dabis Deo pro me in die iudicij. Pater[h] autem cùm la-
[g] Inflammatur herilis filia in amorẽ famuli. chrymis dicebat: Heu mihi peccatori! quid est quod contigit miseræ filiæ meæ? quis thesaurum meum furatus est?
quis filiæ meæ iniuriam intulit? quis dulce oculorum meorum lumen extinxit? ego te semper supercœlesti sponso cõ-
siliatus sum despõsare in Christo, & Angelorum contubernio sociam constituere, & in psalmis & hymnis & canticis
[h] Dolet pater de filiæ dementatione. spiritualibus canere Deo accelerabam: tu autem in lasciuiam petulantiæ insanisti. Dimitte me, sicut volo, cum Deo
contractum facere, ne deducas senectutem meam cum mœrore in infernum, neque confusione nobilitatem paren-
tum tuorum operias. Quæ in nihilum reputans, quæ à patre sibi dicebantur, perseuerabat clamans: Pater[i] mi, aut fac
[i] Filia, vt famulo nuptui detur, patrẽ vrget desiderium meum, aut priùs pauxillùm mortuam me videbis. Pater itaque eius in magnâ dementatione constitutus,
tam immensitate mœstitiæ absorptus, quàm amicorum consilijs acquiescens se admonentium ac dicentium, expedire
potiùs voluntatem puellæ fieri, quàm sese manibus interficere, consensit, & præcepit fieri desiderium puellæ potiùs,
[k] Perficitur iniquum cõiugium. quàm eam exitiabili tradere morti, & [k] mox protulit puerum qui quærebatur, simul & propriam genitam, & dans eis
omnia bona sua, dixit: Salue nata verè misera; multùm lamentabilis repœnitens in nouissimis, quando nihil tibi pro-
derit. Porrò nefandi matrimonij coniugio facto, & diabolicæ operationis completo facinore, & pauco tempore præ-
[l] Maritus abhorret à Sacramento Eucharistiæ tereunte, notatus est puer à quibusdam, quod nõ ingrederetur Ecclesiam, ne q; [l] attrectaret immortalia & viuifica Sa-
cramenta, & dicunt miserandæ vxori eius: Noueris quia maritus tuus, quem elegisti, non est Christianus, sed extrane-
us est à fide, & penitus est alienus. Quæ tenebris à dirâ plagâ referta, proiecit se in pauimentũ, & cœpit vngulis semeti-
*Gr. ἀνάγ-κασος, ab-repta. psam discerpere, & percutere pectus, atq; clamare: Nemo vnq̃ qui parentibus inobediens fuit, saluus factus est. Quis
annuntiabit patri meo confusionem meam? Heu mihi infelici! in quod perditionis profundum descendi! quare na-
ta sum? vel nata quare non statim * indireptibilis facta sum? Huiusmodi ergo eam complorantem seductus vir eius a-
[m] Vxor maritum ad Eucharistiam inuitat. gnoscens, venit ad eam, asseuerans non se ita rei veritatem habere: quæ in refrigerium suasorijs eius verbis deueniens,
dixit ad eum: Si[m] vis mihi satisfacere, & infelicẽ animam meã certificare, cras ego & tu pergemus vnanimiter ad Eccle-
siam, & corã me sume intemerata mysteria, & taliter mihi poteris satisfacere. Tunc[n] coactus dixit ei sententiam capi-
[n] Reuelat maritus vxori patratũ facinus tuli. Protinus ergò puella femineâ infirmitate deposita, & consilio bono accepto, currit ad pastorem & discipulum
Christi Basilium, aduersus tantam clamans impietatem: Misericordiam[o] mihi miseræ præsta sancte DEI, miserere
mei discipule Domini, quæ contractum cum dæmonibus feci. Miserere mei, quæ proprio patri facta sum inobediens,
& cognita illi fecit rei gestæ negotia. Porrò sanctus Dei conuocato puero, scitabatur ab eo si hæc huiusmodi essent.
[o] A Basilio opem flagitant. Qui ad sanctum cum lachrymis ait: Etiam sancte Dei. Nam etsi ego tacuero, opera mea clamabunt, & enarrauit ei &
ipse malignam diaboli operationem, qualiter ab exordio vsque ad finem fuerit subsecutus. Tunc dicit ei: Vis con-
uerti ad Dominum Deum nostrum? Qui dixit: Etiam volo, sed non possum. Dicit ei: Cur? Respondit: In scriptis ab-
renuntiaui Christo, & fœdus pepigi cum diabolo. Dicit ei sanctus: Non tibi sit curæ: benignus est Deus noster, & sus-
[p] Cruce signatus, & oratione mu nitus recluditur in sacra-rio. cipiet te pœnitentiam agentem. Benignus enim est super malitijs nostris. Et proijciens se puella ad pedes eius, euange-
licè rogabat eum, dicens: Discipule Christi Dei nostri, si quid potes, adiuua nos. Dicit sanctus ad puerum: Credis pos- Marc. 9.
se saluari? At ille dixit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et confestim apprehensa manu eius, & facto
* interioris sacri peribuli. super eum Christi signo simul & oratione, retrusit [p] illum in vno loco, * intra quem sacri habebantur amictus, & data
[q] Variè à dæmonibus infestatur. ei regulâ orauit & ipse pro illo per tres dies. Post quos visitauit eum, & dixit: Quomodo te habes, fili? Dicit ei puer:
In magna sum, Domine, defectione: Sancte Dei, non suffero clamores, pauores, iacula, & lapidationes ipsorum. Te-
nentes enim propriæ manus meæ scripturam, obiurgantur [q] in me, dicentes: Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et dicit
[r] Rursus cruce signo & oratione roboratur. ei sanctus: Noli timere, fili mi, tantummodò crede. Et data ei modica escâ, & [r] facto super eum Christi denuò signo &
oratione, inclusit eum: & post paucos dies visitauit illum, & dixit: Quomodo te habes, fili? Ait: Pater sancte, à longè
[s] Educitur post 40 dies. clamores eorum audio simul & minas; nam non video illos. Et rursus dato ei cibo, & effusâ oratione clausit ostium,
& discessit. Prætereà quadragesimo die abijt ad eum, & dicit illi: Quomodo te habes, frater? Respondit & dicit ei: Be-
nè, sancte Dei. Vidi n.te hodiè in somnis pugnantem pro me, & vincentem diabolum. Mox ergo secundum consuetu-
dinem facta oratione [t] eduxit illum, & duxit illum ad cubiculum suum. Manè aũt facto, cõuocato [t] tam venerabili cle-
*Clerus, monachi, populus. pertugilium pro misero celebrãt. ro, quàm monasterijs & omni Christo amabili populo, dixit eis: Filij mei dilecti, vniuersi gratias agamus Dño: ecce n.
futurum est, vt ouem perditam pastor bonus super humeros suos imponat, & reducat Ecclesiæ: & nos oportet perui- Luc. 15.
gilem ducere noctẽ, & deprecari voluntatem ipsius, vt nõ vincat corruptor animarũ. Quo protinus acto, & promptis-
simè populo cõgregato, per totam noctẽ vnà cum bono pastore deprecati sunt Deum, cũ lachrymis, p ipso clamantes,
Kyrieeleison. Et diluculo vnà cũ omni multitudine populi assumit sanctus puerũ, & tenens dexterã manum eius, duxit
eum in sanctã Dei eccles. cũ psalmis & hym. Et ecce diabolus, qui vitæ nostræ semp inuidet, si hanc sine tristitia viderit,

cum

cum tota perniciosa virtute sua venit,& puero inuisibiliter comprehẽso,voluit rapere illum [a] de manu sancti:& cœpit puer clamans dicere:Sancte Dei auxiliare mihi,& adeo contra illum impudenti instantia venit,vt ipsum egregium Basilium simul cum illo impelleret & subuerteret. Conuersus ergo sanctus ad diabolum ait: Impudentissime,& animarum violator,pater tenebrarum & perditionis,non tibi sufficit tua perditio, quam tibimet ipsi & his, qui sub te sunt, acquisisti,sed adhuc non quiescis,& Dei mei plasma tentando? Diabolus verò dixit ad eum:Præiudicas mihi,Basili:ita vt multi ex nobis audirent voces eius. At verò sanctus Dei ad illum:Increpat, inquit,tibi Dominus,diabole. At ille: Basili,præiudicium mihi facis,non iui ego ad eum,sed ille venit ad me,abrenuntiando Christum,mecumque est sponsione pactuatus,& ecce scriptum habeo, & in die iudicij coram communi Iudice deferam illud. Sanctus autem Domini dixit : Benedictus Dominus Deus meus, non deponet populus ille manus ab excelso cœli, nisi reddideris scriptum. Et conuersus dixit plebi : Tollite manus vestras in cœlum; vniuersi clamantes cum lachrymis, Kyrieeleison. Cumque [b] staret populus hora multa extensas habentes manus in cœlum , ecce scriptum pueri in aërem deportatum, & ab omnibus visum venit;& positum est in manus egregrij patris nostri pastoris Basilij. Susceptо autem illo, gratias egit Deo,gauisusque vehementer vna cum vniuersa plebe,dixit ad puerum: Recognoscis litterulas has,frater? At ille dixit ad eum:Etiam sancte Dei,propriæ manus meæ scriptura est. Et dirupta scriptura introduxit eum in Ecclesiam, & dignus habitus est sacris interesse Missarum officijs,& participatione sacrorum mysteriorum, & muneribus Christi.Et facta susceptione magna recreauit vniuersum populum,& ducto puero & instructo, atque data ei decenti regula,tradidit eum vxori eius,indesinenter glorificantem & laudantem Deum.Amen.

[a] *Confluxus Basilij,cum dæmone. Iudæ.ep.*

[b] *Chirographum miseri recipitur.*

Hucusq; vita Basilij Vrsi nomine insignita,quã sibi missam Romã à R.P. Andrea Zezzara, Congregationis Oratorij presbytero,ex MSS codicibus descriptã monet Rosvv. Reliqua tria capita ex MSS. itẽ Cõgregationis Oratorij desũpta esse,nõ tamẽ præfixo Vrsi nomine,tradit idẽ Rosvv.

IX. ENARRAVIT autem & hoc prædictus nobilis vir Helladius,quoniam vna dierum resplendente, sanctus pater& magnus Basilius profectus est de ciuitate nostra,nemini dicens quo esset iturus. Et ingressus coram nobis dixit:Filij mei sequimini me,vt videatis mecum gloriam Dei,& admiremur discipuli magistrum.Mox ergo vt proficisci cœpit de ciuitate nostra communis pater noster,agnouit eum per virtutem Spiritus sancti Anastasius [c] presbyter,& dicit [d] nominatim quidem vxori suæ,vsu autem soror: Ego vadam ad culturam agri, domina mi soror, sed surge & orna domum tuam,& circa horam nonam tolle thuribulum & cereos, obuiam vade sancto Basilio Archiepiscopo , venit enim applicare in domo nostra.Illa autem tremefacta super tam gloriosum dictum, fecit vt edocta est:erat autem illa virgo pudiceviuẽs [e] quadraginta transiens annos cum coniunge suo conseruans secretum,sterilem se simulans hominibus.Obuians autem nobis cum debita modestia , congruentem salutationem tribuens:primum quidem benedicitur à sancto patre nostro:deinde dicit illi: Quomodo habes [f] domina* Theognia? illa verò stupefacta de vocatione nominis dicit ei:Bene sancte Dei. Dicit illi sanctus pater noster: Vbi est dominus Anastasius presbyter,frater tuus? Dicit ei:Maritus meus est,domine, & iuit ad colendam terram.Qui dixit:In [g] domo tua est,& ne fatigeris. Verecunda ergo mulier non solum de verbo hoc,atque vocabulo nominis sui , verum etiam quod dixerat ei deifer pater noster,quoniam quidem mulier existeret nomine,soror vero vsu.Et stupefacta,tremoreque concussa cecidit in terram,clamans & dicens: Sancte Dei,ora pro me peccatrice,quia magna & miranda intueor opera Et facta super illam benedictione, coram omnibus dixit ei:Extende pannum inter brachia tua.Et cũ extẽdisset,iussit effundi carbones de thuribulo [h] in pannũ,superponẽs incensũ:& ante oẽs ibat,& veniẽtibus nobis in domũ presbyteri,obuiauit:&ipse deosculãs honorabiles eius pedes,& dedit illi in Dño salutationẽ,&dicit ei presbyter.Vñ mihi hoc vt veniat S.Dei ad me? Et dicit ei pater noster:Bene te inueni,discipule Christi,camus &faciam° sanctã Dei Missã.Erat.n.ipse presbyter Dei iciunans per singulos dies, absq; Sabbato & Dominica,non contingens aliquid nisi panẽ & aquam.Et pergentibus nobis ad Ecclesiam, præcepit presbytero,vt Missas caneret.Ille aũt ait ad eũ:Sancte Dei,sicut doces,qui malus est à meliore benedicitur.Dicit ei sanctus pater noster: Cũ omnibus studijs tuis habeto obedientiã.Consentiens autem presbyter astitit ad sanctam Missam, & tẽpore exaltationis viuifici Corporis Domini nostri Iesu Christi vidit sanctus Dei,& quidẽ de* dignis,sanctũ [i] Spiritum descendentem in specie ignis,circumdantem presbyterum,& sanctum altare. Communicantes autem,& gratias agentes Domino,iuimus in domum presbyteri,& sumentes escam dixit illi sanctus Dei : Refer mihi vnde tibi thesaurus iste,& quæ est vita tua? Dixit ei presbyter:Ego,sancte Dei,peccator sum,subiacens publicis tributis,habeo iuga bouum duo, vnum quidem ego* duco,alterum autem mercenarius meus: & vnum quidem est in administratione peregrinorum, vnum autem in administratione vectigalium, & est confamula mea hæc , ministrans hospitibus & mihi. Dicit illi: Voca illam sororem,iuxta quod & est,& dic mihi actus tuos.Dicit ei presbyter:Non possidebo bonum super terram,extraneus sum omnium virtutum. Dicit ei communis pater noster: Surge & eamus simul: & ducit illum in vnam cellulam domus eius,& dicit ei:Aperi ianuam,& dicit ei:Sancte Dei,ne iubeas ingredi,* quoniã necessaria est domus.Dicit ei sanctus:Et ego [k] ad hoc opus veni. Nolente ergo presbytero aperire claue, sermone aperuit pater noster egregius , & ingressus inuenit illic virum vlcerosum , cui defluxerant plurima corporis sui membra , & nullus eum sciebat illic esse, nisi presbyter & huius soror.Dicit ei sanctus pater:Quare voluisti abscondere thesaurum istum ? Dicit ei presbyter:Furiosus est domine,& iniuriosus,& timui ne fortè caderet in verbo. Dicit ei pater:Benè certasti in illum, sed dimitte me nocte ista ministrare illi,vt & ego per te mercedem consequar. Et dimittente sanctum cum vlceroso in cellulam,nec vocem habente loquendi præimbecillitate passionis, claudente ostium discessimus. Medicus [l] autem vulnerum,faciens super eum orationem,per totam noctem deprecans Deum, omnem languorem & omnem infirmitatem sanans,curauit eum.Dicit ergo nobiscum presbyter : Gloria tibi Deus,qui facis mirabilia timentibus te,& orationes eorum exaudis.Ecce medicus ægrotum fecit sanum,& statim clamauit sanctus Dei vt aperiremus ianuam.Eduxit itaque vlceroſum totum sanum,non habentem cicatricem in corpore suo,loquentem clarè,& glorificantem Deũ. Hoc autem magno miraculo facto,reuersi sumus in ciuitatẽ nostrã,cũ gaudio laudantes & benedicentes Deũ,cui, &c.

[c] *Anastasius presbyter.*

[d] *Hæc narratio apud nos est Amphilochium.*

[e] *Incontinentia 40 annis cum coniuge vixit.*

[f] *Theognia Anastasij vxor,vsu soror*

al. Theogenia sed Græcè est Θεογνία.

[g] *Basilius Anastasium iam domi esse prædicit.*

[h] *Theognia accensos carbones illæso sinu fert.*

* *f. ignis.*

[i] *S. Spiritus ignis specie sacrificãtem Anastasium circumdat.*

* *mino.*

* *quia necessaria sunt domus.*

[k] *Leprosus clam fouetur ab Anastasio.*

[l] *Leprosum illum Basilius sanat.*

[m] *Non absimilem historiam habes in vita S. Ioannis Eleemosynarij.*

[n] *Mulier libidinibus dedita respiscit.*

* *Alius interpr addit: Sed ne mosice. ut ego peccaui maximè post sanctum baptisma. Quomodo ego certa ero, quia pœnitentem me suscipiet Deus?*

* *signillauit.*

° *Peccata sua in charta scripta & bullata Basilio offert.*

X. MVLIER [m] quædã nobilis genere,& diuitibus sæcularibus orta,& vanitatibus huius mũdi cõposita,& in omnibus superexaltata,& vidua effecta,indecenter deuorauit pecuniã,luxuriosè viuẽs,stupro semetipsam subijciens,nulla quę Deo sunt placita agebat,sed porcorũ similitudinẽ in sterquilinio peruoluta.Nutu [n] quidẽ Dei aliquãdo in semetipsam reuersa,immensurabiliũ eius facinorũ illuminata mente, taciturno silentio recordabatur multitudinẽ peccatorũ suorum,& dolenter plorabat dicens:Væ mihi peccatrici,qũo reddam rationẽ de multitudine peccatorũ meorũ,spirituale templũ corrupi,habitantẽ in corpore animã coinquinaui.Væ mihi,væ mihi,qd operabar? qd mihi contigit ? dicã sicut meretricẽ illã,aut sicut publicanum illũ peccasse?* Hæc omnia infra se cõsiderante, ille qui oẽs vult saluos facere,& in cẽsuram veritatis reducere,& neminẽ vult perire,in eius memoriã reducere dignatus est,q̃ à iuuentute sua perpetrârat peccata.Et sedẽs ea quæ ab adolescentia sua vsq; ad senectutẽ fecerat delicta,scripsit in charta.Nouissimè verò scripsit magnũ q̃ fecerat pessimumq; peccatũ,& plũbo * bullauit chartã illã.Præuidẽs ° verò tẽpus aptum, q̃n sanctus Basilius solitus erat orationis causa ad Ecclesiã accedere,prẽcurrẽs subito iactauit chartã illã ante pedes eius:& prosternens se ante faciẽ eius, dicebat: Miserere, miserere mihi peccatrici,sancte Dei,super oĩbus peccatis. Stãs verò beatissimꝰ ille, sollicitè inquirebat ab ea,quidnã esset eius mugitus & vlulatꝰ. Illa dixit:Ecce,sancte Dei,oĩa peccata & delicta meascripsi in hac charta: & bullaui,tu aũt sancte Dei bullã istã minime moueas, sed tantũmodo de tuis sãctis orationibꝰ oĩa hæc dele.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dele. Magnus quidem sanctus Basilius eleuans chartam illam, & attendens in cœlum dixit: Tibi, Domine, soli sunt opera istius manifesta, tu quidem mundi huius abstulisti peccata, & de solâ istâ animâ faciliùs delere potes. Omnia quidem nostrorum facinora dinumerata sunt apud te: tu enim misericordiâ immensâ es, & inuestigabilis. Et hæc dicens introiuit in sanctam Ecclesiam, tenens præfatam chartam in manibus: & prosternens se coram altari, & per totam noctem, & in crastinum per tota Missarum solemnia deprecans Deum. Et accersitâ fœminâ illâ, porrigit ei chartam, & dixit ad eam: Audisti mulier, quia nullus potest dimittere peccata nisi solus Deus? Illa dixit: Audiui pater, & ideò te promoui pater, ad intercedendum apud Deum misericordissimum pro me. Et hæc dicens soluit chartam, & reperit eam totam deletam. Remãserat [a] enim magnum illud peccatum, quod fecerat, solum scriptum. Videns autem illa hoc peccatum minimè deletum, percutiens se in pectore, angustiari cœpit, ceciditque ante pedes eius, cum lachrymis clamans, & dicens: Miserere mihi serue Dei excelsi, & sicut de omnibus peccatis meis certamen habuisti, & exauditus es, & pro hoc solo intercedere vales, vt ipsum peccatũ deleatur. Sanctus verò Basilius lacrymatus est præ misericordiâ, & dixit: Surge mulier, & ego homo sum peccator, necesse habens indulgentiã. Qui deleuit, remisit tibi peccata quæ voluit: potens est enim Deus & hoc vnum peccatũ auferre à te, ille qui abstulit peccata mundi: si amodò obseruaueris, & in vijs Domini ambulaueris, nõ tantũ indulgentiam habebis, sed & gloria digna eris. Vade [b] autem in eremum, & illic inuenies sanctum hominẽ nominatum inter omnes sanctos patres, nomine Ephræm. Illi porrige hanc chartam, & ipse interceder, & obtinebit apud Dominũ pro te. Tunc mulier commendauit se sancto Dei Episcopo, & cucurrit in eremũ & pertransiuit longitudinis iter. Peruenit ad magnum & mirabilẽ eremitam, nomine Ephræm, & pulsans ianuam clamabat dicens: Miserere mihi, miserere sancte Dei. Ille verò præuidens in spiritu, pro qua petitione aduenerat, dicit ei: Vade mulier, quoniam ego peccator homo sum, necesse habeo & ego adiutorium. Illa autem iactauit chartam dicens: Sanctus Basilius Archiepiscopus misit me ad te, vt depreceris Deum, vt peccatum ꝙ in hac charta scriptum est, deleatur. Reliqua verò plura peccata, sanctus Basilius orans deleuit, & tu sancte Dei de vno delicto ne pigriteris intercedere ad Deum, quia ad te missa sum: Tunc confessor ille dixit: Non, filia. Numquid qui de multitudine illorum facinorũ potuit obtinere apud Deum, & de hoc vno non potest intercedere & obtinere? Vade [c] etenim, ne tardaueris, vt eũ iungere debeas, priusquã anima eius de corpore proficiscatur. Tunc mulier illa cõmendauit se sancto confessori Ephræm, reuersa est in Cæsaream. Cum [d] autem ingressa esset vrbem, obuiauit corpus deducentibus sancti Basilij, & videns prostrauit se in terram, cœpit clamare aduersus sanctum Dei, dicens: Væ mihi peccatrici, væ mihi consumptæ, væ mihi, sancte Dei, pro hoc direxisti me in eremũ, vt de me sine fatigatione proficiscereris: & ecce sine operibus reuersa sum, in vanum deuorans tantæ multitudinis pelagi viam iteranti. Videat Dominus Deus, & iudicet inter me & te, quoniam potuisti intercedere & obtinere apud Deum, nisi ad alium me dirigeres. Et [e] hæc dicens, iactauit præfatam chartam supra stratum, in quo ducebatur corpus sancti Basilij, & minutius referebat rei euentus coram omni populo. Vnus quidem ex clero volens cognoscere quodnam esset peccatum illud, eleuans chartam illam & soluens, reperit eam totam deletam, & mundam, clamans voce magna illi fœminæ: O mulier, charta ista scripta non est, quid enim in tali labore & angustia consumeris, nesciens magnalia Dei in te facta, & inuestigabilem eius misericordiam. Multitudo quidem populi videntes tale glorioſum miraculum & magnum, glorificabant Deum, qui potestatem talem habet, vt in terris remittat omnium peccata; & daret gratiam seruis suis, vt post discessum eorum sanet omnẽ lãguorem, & omnem infirmitatem, remittendique omnium delictorum facinora potestatem concessit his qui rectam fidem Domino cõseruant, certantes in bonis operibus, & glorificantes Deum & Dominum nostrum Iesum Christum.

[a] *Basilij precibus peccata eius vno dẽpto diluũtur.*
[b] *Ablegatur mulier ad S. Ephræm*
[c] *Remittitur ad S Basil.*
[d] Obijt S. Basilius anno 378. ex calculo Bar. quemhabes anno 369.
[e] *Reuersa proijcit chartam super sepulchrum Basilij & deletam recipit.*

XI.

Fratres, [f] narrationem volo facere de Basilio, nobili scilicet, & Ephræm Syro. Et quædam quidem ex patris nostri, quædam autem ex non mentientis ore sancti & mirabilis Ephræm audiui, Est verò ita: Ephræm nobilis existens in eremo, quædam quidem illustratione sancti Spiritus videns, quædam verò ex desiderio & interrogatione ediscens miranda nobis nostri patris Basilij, sine intermissione rogabat reuelari sibi, qualis esset Magnus Basilius. In extasi ergo factus, vidit columnam ignis, cuius caput pertingebat ad cœlum, & vox desursum dicens: Ephræm, Ephræm, quemadmodum vidisti columnã hanc ignis, talis est & Magnus Basilius. Et statim tollens interpretem, eo quòd nesciret loqui linguam Græcam, venit in magnam Ecclesiam magni nominis Cæsareæ, & peruenit in sanctam festiuitatem Theophaniæ, & ingrediens occultè vidit procedentẽ in Ecclesia magnum Basilium, & dixit sequentibus se: Quoniam in vanum laborauimus; puto enim, frater iste, in tali ordine existens, non est iuxta quod vidi, erat enim circũdatus stola candida, & circa eũ venerandus clerus candidatus & obsequens ei. Et stans in loco absconso Ecclesiæ aspexit ordinem, dicens in semetipso: Nos qui portauimus pondus diei & æstus, nihil proficimus: & hic in tali obsequio & honore humano, columna ignis exstitit! miror. Hæc [g] eo dicente, mittit sanctus Archidiaconum suum, dicens: Vade contra portam Occidentalẽ, & in angulo Ecclesiæ inuenies abbatem cum alio quodam, habentem cucullam, raribarbiũ, pusillum, & cætera vultus eius, & dices ei; Ingredere sacrarium, inuitat te pater tuus Archiepiscopus, & discens per interpretem dictum, respondit dicens: Errasti frater: nos hospites sumus. Et pergens Archidiaconus renũtiauit hæc magno Basilio sacros libros recitanti. Videt [h] sanctus Ephræm linguam igneam loquentem per os eius, & dicit Diacono; Vade, & dicens domino Ephræm, iube intrare in * sanctum tribunal, vocat te Archiepiscopus vt ingrediaris in sanctũ tribunal. Stupefactus ergo super his sanctus, glorificans Deum, & † faciens metanœam, respondens ei dixit: Veraciter magnus Basilius veraciter columna ignis Basilius, veraciter Spiritus sanctus loquitur per os eius. Rogauit autem Archidiaconum, vt renuntiaret ei, quoniam magis post * Missas in secretario salutabo eum. Ingrediens ergo post absolutionem Missæ in secretarium, vocauit sanctum [i] Ephræm, & in Domino * osculum tradidit ei. Dicit illi: Benè venisti, quia multiplicasti discipulos Christi in Ecclesia, & dæmones expulisti per Christum, in quo est labor tuus. Pater, venisti videre peccatorem hominem, det tibi Deus mercedem secundum laborem tuum. Et respondens ei honorabilis Ephræm, & dicens omnia quæ in corde suo versabantur, vna cum abbate qui cum illo erat cõmunicauit in sanctas manus eius, & faciente eo charitatem dixit sanctus Ephræm: Pater honorande, vnam peto gratiam abs te, & hanc concede dari mihi. Qui dixit ad eum: Iube, dic quæ videntur tibi, multa enim tibi debeo: & maxime propter laborem tuum, & tui aduentus. Dicit ei Ephræm: Scio, [k] pater sancte, quia quæcunque petis à Deo, cõcedet tibi; volo vt deprecerisDeum, vt loquar Græcè. [l] Qui dixit ei: Super potentiam meam petijsti: sed quia fideliter petijsti, veni pater, & eremi præceptor, deprecemur Dominũ potens est enim facere voluntatem tuam. Scriptum est enim: Voluntates timentium se facier, & orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Et facientibus orationes per plurimas horas, & surgens dixit magnus Basilius: Quare, domine Ephræm, non accipis consecrationem presbyterij, quoniam congruit tibi? Dicit ei per interpretem: Quoniam peccator sum, Respondit illi: Vtinam peccata tua ego haberem. Et dicit ei: Mittamus genuflexionem, & iacentibus super pauimentum, posuit manũ super sanctum Ephræm magnus sacerdos, & dixit orationẽ Diaconij, & dicit illi: Iube, subleua nos. Repleta [m] ergo lingua eius, dicit sanctus Ephræm Græca lingua, Salua, miserere, susci pe, & conserua nos De[o] in tua gratia: & consummatũ est, quod scriptum est: Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua babbatientium. Et loquente eo Græce, ipsa hora glorificauerunt Dominum, qui omnia potest, & exaudit orationes timentiũ se. Et spiritaliter lætantes per tres dies, & consecrans [n] illum interpretem diaconum, & ipsum presbyterum, dimisit illos in pace, glorificantes [o] Deum pro omnibus quæ audierunt, secundum quod dictum fuerat ad illos. *Desunt*

Pſ. 144.
Isai 35.
Luc. 2.

[f] *narrationem volo facere de Basilio*
[g] *eo dicente, mittit sanctus Archidiaconum suum*
[h] *Videt sanctus Ephræm linguam igneam loquentem per os eius*
[i] *Ephræm*
[k] *pater sancte*
[l] *Qui dixit ei*
[m] *Loquitur Ephram Græcè*
[n] *Ephram ordinatur presbyter.*
[o] *Deum pro omnibus quæ audierunt*

* *Basilius curat accersiri Ephram.*
* *Ephram vidit in Basilio linguam igneam.*
* *presbiterium*
† *genu flectens.*
* *ministrationem.*
* *Basilius Ephram osculo excipit.*
* *salutationem.*
* *Ephram Basilii intercessione petit loqui Græcè.*

[l] De his nihil Ephræm qui testatur sibi Basilũ per interpretem locutũ, vt notat eadem Bar. ad annum 57 Reperiri tamen eadem in Menologio Græco MS apud Cardinal. Cremonensem inter vitas à Basilio Imp Collectas, tradit Rosyweidus anno 57. ad hanc vitam

[m] *Loquitur Ephram Græcè*

[n] *Ephram ordinatur presbyter.* Idem testatur supra memor. Menolog Sozom. tamen lib 3 c 5. refert Ephræm solum ad diaconatum elatum. vide Rossvv. ann 58.

Desunt hoc loco quæ vulgata recitat edit o de Templo Catholicis à Valente ablato, datoq; Arrianis, & quomodo idem occlusum Arrianis incassum precantibus, ad Catholicorum orationes patuerit, & de Valentis interitu. De Iudæo per Basilium conuerso, & obitu Basilii. Quæ DD. Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Ephræm præterea & Baronius de Basilio Magno præclarè scripsere, Lector in illorum operibus offendet, quò eum potius remittendum putauimus, quam nimia prolixitate onerandum.

DE S. MARTINA VIRGINE ET MARTYRE, EX VETVSTIS MSS. CODICIBVS, QVOS ETIAM ADO EPISCOPVS SECVTVS EST:

sed mutatus est hic stylus per F. Lauren. Surium.

I. MARTINA virgo, generis nobilitate sublimis, quippe patre consule nata, & multis aucta opibus, fidem Christi ea tempestate constanter professa est, cum Alexander rerum potiretur. Aderat ei seruorum & ancillarum ampla familia: nec tamen rebus suis ad fastum aut luxum, vt solent plerique diuites, abusa est, sed dedita operibus misericordiæ in miseros & inopes valdè se benignam & liberalẽ præbuit. Accinxit fortitudine lumbos suos, intenta operibus bonis, optimis prædita moribus, mente peruigili sen per in acie persistens aduersus insidias rugientis leonis, qui circumit quærens quem deuoret. Missi autem ab Imperatore Vitalis comes & Cassius Imperatoris cubicularius, & cum iis Gaius quidam, Romæ in ecclesia beatam Martinam alacri vultu Deo preces offerentem offendunt: quam cùm apprehendissent, dicunt ei: Dominus orbis Alexãder te veneratur, vtpotè Romana nobilitate insignem: iussitq; te spontè thura ponere Apollini magno deo. Respondit illa hilari vultu: Vbi me commendauero Deo, & sanctissimo Episcopo, vna profici scemur ad Imperatorem. Itaq; ingressa templum, Deoq; se commendans, absoluta oratione, cum illis profecta est læta & alacris.

1. IAN. Genus Martinæ virginis. 1. *Pet.* 5.

II. VBI ad Imperatorem ventum est, nunciarunt illi, qui eam adduxerant, stare præ foribus palatii primæ dignitatis Christianam fœminam, quæ vltrò eius voluntati parens, nihil recuset sacrificare diis immortalibus, & cæteris etiam Christianis persuadere velit, vt similiter faciant. Eo nuncio exhilaratus Alexander, iussit eam introduci, aitq; ad illã: Cum sis animo liberali & ingenuo, accingere ad offerenda diis sacrificia, & immola Apollini hostias: ea re ita me tibi denuncies, vt maximos sis à me honores consecutura. At Martina Virgo: Iube me, inquit, sacrificare semper viuenti Deo, qui ex nihilo omnia creauit: vt ita me sacrificante, pudefactus & eneruatus Apollo desinat posthac illudere animis hominum sperantium in Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum. Alexandro autem præcipiente, vt in delubrum ingressa, Apollini faceret sacrificium, dixit illi: Ingredere tu, & sacerdotes Apollinis & quotquot eius estis cultores, & coram adspicite, quàm benignè sanctus & bonus Deus de manibus meis accipiat sacrificium. Itaq; Imperator iussit omnes satellites suos, & qui ipsi assistebant, ire in templum, & videre quæ fierent à Martina. Illa verò signo Christi se muniens, Deo se commendauit: & cùm precandi finem fecisset, terræ motus vehemens vrbem concussit, Apollinis delubrum partim euertit, simulachrum comminuit, & cum sacerdotibus profanis magnam populi multitudinem extinxit.

Sistitur Alexandro Imperat.

III. HIS rebus commotus Imperator, cum præ cordis cæcitate non intelligeret, virtute diuina ea omnia accidisse, sanctæ virginis faciem iussit alapis cædi, & vncis ferreis eius palpebras lacerari. Instabant nefario operi cruenti carnifices, sed inter cædendum viribus destituti, clamare cœperunt: Eheu dum hanc torquemus, nos ipsi multò acriùs cruciamur. Videmus enim quatuor viros splendidos ante illam, qui eam confirmant, & pœnas, quas illi inferre nitimur, in nos potius conuertunt. At verò ira percitus Imperator, culpansq; carnifices, quòd segnes manus ad torquendum illam adhiberent, minaci & toruo vultu in eos respiciens, mandauit vt eam à terra leuarent, & testarum fragmentis cæderent. Tum illa sursum erectis luminibus: Benedictus es, inquit, Domine Iesu Christe, qui gratiam tuam largiris spem suam in te reponentibus. Exaudi me Domine te deprecantem, & præsta mihi tolerantiam, & eos, qui me excruciant, ad te benignus conuerte. Hæc illa orante, atq; animo inuictissimo in pœnis perdurante, cælestis lux eos, à quibus torquebatur, circumdedit: (erant autem octo) ruentesque in facies suas, obsecrabant sanctam Martinam, vt apud Deum veniam ipsis imperraret eorum, quæ compulsi ei irrogassent supplicia. Quibus illa ait: Si conuerti velitis ad Dominum meum Iesum Christum, & credere toto corde, quod reddet vnicuiq; secundum opera sua, præmiis in cœlo repositis perfruemini. Sin verò aliter senseritis, æterna & horrenda vos tormenta excipient. Illi verò iam diuina illustrati gratia, in Christum se credere testati sunt, atq; ilicò crudele ministerium execrantes, vna voce Alexandro dixerunt: Nos quidem his, qui dicuntur dii, reuerà autem idola sunt, deinceps non seruimus, edocti per beatam Martinam, quæ sit virtus omnipotentis Dei, & filii eius Iesu Christi. In eos autem accensus valdè Imperator, voluit eos suspendi, & carnes eorum spathis lacerari: & illi quidem dum iis afficerentur pœnis, nihil loquebantur penitus, sed oculos habebant in cœlum erectos. Sed cum diù ita excarnificati essent, gladio in eos iussit animaduerti, veritùs ne alii quoq; ab iis discerent, quæ nostræ sunt religionis. Illi nihil territi, sed Deum orantes, & Crucis signum pingentes digitis in frontibus suis, læti ictum carnificis exceperunt die 17. mensis Nouembris: sicq; felicia regna, martyres Christi effecti, petierunt.

Adhibentur tormenta.

Conuertuntur ad Christum eius tortores.

Signo Crucis se muniunt.

17. *Kal. Nov. habet Baronius.*

IV. ALIA die rursus Martina virgo ad sacrificandum diis ab Alexandro inuitatur, sed verbis nihil obtinentibus, reditur ad supplicia. Iratus enim Imperator, iussit eam detractis priùs vestibus suspendi, & eius carnes toto corpore incidit: illa interim, dum sic affligeretur, Deum precante atq; laudante. Indè in quatuor palos distenditur, & à duobus centurionibus fustibus verberatur. Cumq; in confessione Christi perseueraret, mutati sunt per vices, qui eam cæderent, septem centuriones. Illa diuinitùs roborata, pœnas irrisit, centurionibus Imperatorem obsecrantibus, vt ab inferendis martyri suppliciis liceret ipsis desistere, propterea quòd se grauiter torqueri, & concremari, viribusq; destitui sentirent. At Imperator magis magisq; flagellari eam voluit. Aderat huic spectaculo vir quidam prædiues Eumenius nomine, qui Imperatori persuasit, vt Christi martyrem præciperet in carcerem retrudi, illicq; adipe & pinguedine feruenti perungi. Ibat illa in carcerem gaudens, & glorificans Deum, oransq; feruenter: & totam noctem hymnis & laudibus Dei transigens: sunt verò etiam auditæ voces cum ea pariter Deum laudantium virorum. Altera luce producitur è carcere, sistitur rursus Alexandro, iubetur se conferre ad templum Dianæ, & offerre illi sacrificium, nisi malè perire velit. Et martyr quidem signum sibi Crucis imprimens, in Christi nomine in templum intrauit: sed cùm preces fudisset ad Dominum, dæmonemq; in simulacro commorantem indè abscedere iussisset, tonitru cum fulgure repentè extitit, lapsusq; è cœlo ignis, idolum Dianæ in fauillam redegit, sacerdotes templi excussit, & templum corruens, multos è populo oppressit.

Noua S. Martinæ supplicia.

Signum Crucis sibi imprimit.

V. TVNC Imperator timore correptus, tradidit eam cuidam Iustino Præfecto, vt impelleret eam ad sacrificandum. Qui mox extendi eam mandauit in conto, & iterùm membra eius spathis incidi. Dixerat enim illi sancta virgo: Affligе me quantùm vis: non me adducere poteris, vt diis tuis immolem. Circa mammillas etiam vngulis eam attrectari voluit crudelis iudex, donec centum & octodecim ab vncis vulnera accepisset. Sub his vngularum cruciamentis nihil omninò loquebatur, sed oculis in cælum defixis, Deum mente precabatur. Acceptis autem tot vulneribus cum iam eam expirasse iudex putaret, carnifices ab inferendis vlteriùs plagis cessare iussit. Sed vbi eam adhuc viuere comperit, ait illi: Visne Martina sacrificare, & lucrari ea quæ etiamnum supersunt tormenta? aut certè obstinato animo,

animo decreuisti manere cum Christo tuo? Respondit illa: Ego Christum habeo confortantem me, nec sacrifico abominandis diis tuis. Præfectus iis auditis, præ ira insaniens, præcepit carnificibus, vt eam de conto deponerent, & tãquàm præ nimiis doloribus pedibus consistere non valentem, in grabatum impositam ad carcerem deportarent. Illa verò stringens corpus suum, & impellens carnifices, properauit ad carcerem, psallens in eo, & glorificans Deum, immenso vallata lumine. Præfectus autem ad Imperatorem abiens iam cœnantem, narrauit ei rem gestam, & quam in sua sententia constans & immobilis Martina perstaret, nec vllis pœnis ab ea se deduci pateretur. Imperator iis cognitis, bestiis eam mandauit obiici deuorandam. Ducitur igitur in amphitheatrum iussu præfecti Iustini, & præsente Imperatore ad bestias damnatur. Ibi tum leo immanissimus dimittitur, vt martyrem deuoret. Et ille quidem irrugiens accurrit ad illam: at non modò nihil illi molestiæ intulit, sed etiam posita omni feritate, ad eius se pedes abiecit. Itaque sancta virgo prorumpit in laudes Dei, & eum ardenter orat, nè se sinat ab ipso separari. Porrò leo cùm in caueam reduceretur, impetu facto in Eumenium Imperatoris cognatum, eum interfecit. Furore itaque percitus Alexander, eam iubet in carcerem recipi: quem illa repetiit, laudans Deum, & festum illic agens diem.

Damnatur ad feras.

Post biduum Imperatore sacrificandi causa templum adeunte, iterùm illo iubente è carcere producitur, & in delubro idolis sacrificium facere compellitur. At illa constanter dixit: Fac quod tibi visum est. me enim non poteris auellere ab eo, quem mecum habeo, Domino Iesu Christo. Rursùs ergò suspenditur, & vngulis atrocissimè laceratur, ità vt ad ossa vsq; caro scinderetur, & ad ipsas etiam ossium medullas ferrum penetraret. Tum verò clamabat præco: Confitere Martina Dianam deam, & salua eris. Respondit illa: Christiana sum, Christum Deum confiteor. Iam defecerant, qui eam cruciabant, dissolutis eorum brachiis & manibus. Alexander verò eam in ignem coniici voluit, vt periret. Fit ergò ignis copiosus, & martyr in illum iactatur: sed ea orante, lapsus imber è cælo, & concitatus turbo discussit flammam, & incensi sunt qui illic adstabant. Sed hæc omnia non virtuti diuinæ, sed maleficis artibus adscribens Imperator, stultissimaque opinione imbutus, maleficia in eius capillis hærere existimans, mandat radi pilos capitis eius. Parent ministri, radunt caput virginis. Imperator autem iam rasæ insultat, tanquàm quæ omni sit virtute nudata. Sed cum neque sic eam ad suam posset inflectere voluntatem, in templo Dianæ tribus diebus & noctibus eam includunt, vbi illa more suo hymnis & laudibus Dei insistebat: precibusq; suis obtinuit à Deo, vt Dianæ simulacrum in puluerem redigeretur. Tandem educta è fano, gladioque percussa, læta migrauit ad Dominum, atq; huiusmodi fine, vt ait Ado Episcopus, martyr venerabilis cæli regnum meruit, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

VI.

Vngulis atrocissimè discerpitur

Cæditur gladio an quarto Alexandri Imp. teste Baron qui fuit 228

AN. 160. DE S. CONCORDIO MARTYRE, EX ANTIQVIS MSS. EXEMPLARIBVS, QVIBVS FERE AD VERBVM ADO IN SVO MARTYROLOGIO CONCORDAT: AT NONNIHIL HIC MUTATUS EST STYLUS PER F. LAUREN. SURIUM.

I.

1. IAN. Persecutio sub Antonino cognomento Philosopho, quæ à S. Augustin. & Orosio quarta ponitur, ascribitur verò quinta V. de Bar. in not. ad Martyrolog. Rõ

EMPORIBVS Antonini Imperatoris grauissima persecutio orta est in vrbe Roma, ità vt nec èmendi, nec vendendi cuiquam facultas facilè daretur, nisi qui diis immolasset. Erat per id tempus Romæ vir quidam Concordius nomine, nobili familia ortus, cuius pater Gordianus dicebatur, sanctissima conuersatione presbyter de titulo pastoris. Hic itaque habens filium Concordium, eruditum eum omni sanctæ scripturæ doctrina, effecitque vt à sancto Romanæ vrbis Episcopo Pio, subdiaconus ordinaretur. Porrò vterque ad nihil vacabat aliud, nisi vt ieiuniis & orationibus die noctuque, & eleemosynis pauperum insisterent: petebãque à Domino, vt rabiem Imperatoris possent effugere. Interim verò beatus Concordius dixit patri suo. Domine mi, si vis, permitte me ire ad sanctum Eutychen, & habitare cum eo paucis diebus, donec cesset rabies inimici Antonini Imperatoris. Dicit ei pater suus: Fili, hic potiùs commoremur, vt possimus coronari. At illi beatus Concordius: Vadam, si iubes: quia ibi coronam accipiam, vbi me Christus iusserit coronari. Dimissus igitur à patre suo, abiit ad sanctum Eutychen amicum suum, qui tum morabatur in prædiolo suo via Salaria iuxta ciuitatem Tribulum: quem beatus Eutyches cum magno gaudio suscipiens, cœpit Deo gratias agere: habitauerunt simul in eodem loco, orationibus & ieiuniis insistentes. Venerunt ad illos multis & variis languoribus vexati, quos illi orantes, in nomine Iesu Christi sanabant. Interim fama rerum ab iis gestarum perlata est ad Torquatum Tusciæ Comitem, qui id temporis habitabat in ciuitate Spoletana. Misit igitur, & accersiuit sanctum Concordium, aitq; illi; Quis vocaris? At ille respondit. Christianus sum. Dicit ei Comes; De nomine tuo perquiro, non de Christo tuo. Sanctus Concordius respondit: Iam tibi dixi, Christianus sum, & Christum confiteor. Ait Comes: Sacrifica diis immortalibus, & esto noster amicus: & ego te patris habebo loco, suggeramque domino meo Imperatori Antonino, vt faciat te sacerdotem deorum. Sanctus Concordius respondit: Vtinam tu efficiaris particeps deorum tuorum. Dicit ei Comes: Audi me, & sacrifica diis immortalibus. Ego verò, inquit sanctus Concordius, te hortor & admoneo; vt tu potiùs mè audias, & sacrifices Domino Iesu Christo, vt possis euadere tormenta. Nam si non feceris, cum diis tuis in igne sempiterno ardebis. Tum Comes iussit eum fustibus mactari, & in custodia publica includi. Venit autem nocte ad eum beatus Eutyches cum sancto Antimo Episcopo: & quia Antimus Episcopus amicus erat Comitis, rogauit Comitem, vt ad paucos dies Concordium apud se permitteret commorari. Permisit id comes Antimo, habitauitq; cum eo Concordius multis diebus. Tempore autem opportuno consecrauit eum presbyterum, & cœperunt pariter orationibus vacare. Post aliquantum verò temporis reuocatus est à Comite Concordius, aitq; illi Comes: Ecquid de salute tua deliberasti? Sanctus vir respondit: Salus mea Christus est, cui quotidiè sacrifico sacrificium laudis. Nam tu vnà cum diis tuis apud inferos concremaberis. Iratus Comes, iussit eum suspendi in eculeo. Ille autem vultu alacri dicebat: Gloria tibi Domine Iesu Christe. Iterùm autem iubenti Comiti, vt sacrificaret magno Ioui, beatus martyr respondit: Ego non sacrifico lapidi surdo & muto: quia habeo Dominum Iesum Christum, cui seruit anima mea. Commotus Comes præcepit eum in imum protrudi carcerem, colloque eius & manibus ferrum iniici: simul etiam vetans, ne quis ad eum ingrederetur, sed fame necatus periret. Ibi beatus Concordius gratias agens Deo: Gloria, inquit, in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ecce autem nocte media angelus Domini ei apparuit, dicens: Noli timere, viriliter age, quia ego tecum sum. Deindè post tres dies misit ad eũ Comes media nocte duos satellites suos, qui eum aut sacrificare compellerent, aut recusantem interficerent. Qui cùm ad eum venissent, paruam Iouis statuam illi offerunt, aiuntq; ad eum: Audisti, quæ Comes iusserit? Sanctus martyr respondit: Vos scitis. Aut sacrificium, inquiunt, Ioui offeres, aut capitalem sententiam excipies. Beatus martyr gratias Deo agens, Gloria tibi, inquit, Domine Iesu Christe: & expuit in faciem Iouis. Tum vnus satellitum euaginato gladio, amputauit ei caput: atq; ita in confessione Domini emisit spiritum. Venientes autem clerici cum religiosis viris, tulerunt corpus eius, & posuerunt non longè à ciuitate Spoletana, vbi multæ emanant aquæ. Passus est Calendis Ianuarii, eiusque orationibus cæci illuminantur, ægri sanantur, dæmones expelluntur, præstante eo, pro cuius nomine passus est, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Concordius initiatur sacerdotio.

Luc. 2.

Cæditur pro Christo.

De S. Concordio plura habes in vita S. Constantii Episcopi Perusini & martyris 29. Ianuarii.

VITA

VITA S. FVLGENTII RVSPEN. EPISCOPI, PER QVENDAM EIVS DISCIPVLVM CONSCRIPTA GRAVITER ET ERVDITE

ad Felicianum Episcopum Fulgentij successorem.

PROLOGVS.

I. IAN.

OMnis noui testamenti dispẽsator fidelissimus, in quo loquitur Christus, sancte pater Feliciane, vt exemplo suo credendum sibi facilè persuadeat, operum bonorum curam maximam gerit, & quicquid alijs faciendum dicit, ipse primitus facit. Sine causa quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo [a] igitur Ecclesiæ Catholicæ doctoribus necessaria iudicantur: vita bona, & sana doctrina. Vita enim bona commendat sapienter docentem: doctrina verò sana ornat benè viuentem. Vita bona facit amabilem: doctrina sana laudabilem. Vita bona continuè creditur imitanda: doctrina autem sana nunquam iudicatur repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus: doctrina sana resistit contradicentibus. Propterea mihi, diutissimè beati Fulgentij Pontificis, tui scilicet præcessoris, à quo simul nutriti sumus, & nomen & gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos: & quamuis ille gaudijs cœlestibus oblectandus, ad meliora migrauerit, apud nos tamen modò similem deesse doctorem, sapientiæ eius benè conscius, suspirabam. Dabatur sanè flebili recordationi quædam respiratio, quoties dulcissimos libros eius, aut epistolas, aut quos edidit populo præsente sermones, vel ego legebam, vel legente alio audiebam. Veruntamen in illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiamque posse agnosci, tacitus considerabam: cuius autem iustitiæ, probitatis & misericordiæ fuerit, & quomodo laudabiliter vitam suam, quod tu benè nosti, cum familiaribus suis transegerit, sicut docuit viuens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum verò ne obliuione longa, conuersationis eius bona nescirentur, semper & vehementius formidabam. Dixi ergo, diu cogitans. Ecce fulget beati Fulgentij sana doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri eius: quasi ipse loquitur, quando codex eius titulatus nomine, legitur: quî autem fiet, vt similiter nota sit omnibus vita ipsius bona? Quandiu viuunt adhuc, qui nouerunt eum, vel à certissimis testibus aliquid de eius virtutibus audierunt, potest illi memoria præsens verum testimonium perhibere. Quid ager ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longè constituta fidelium turba? Cum peruenerint ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus Pontifex absens loquitur, & mortuus viuit, admirabuntur profecto sapientiam: vnde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara eius est doctrina, sic clarior fiat etiam vita. Loquamur & narremus fratribus nostris, quomodo tantus pontifex vixerit. Nec timendum est, ne minori facundia sacerdotem, qui per vniuersas orbis ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam paruum. Cuiuslibet enim sit meritoria oratio mea, nec augere poterit tanti viri merita, nec minuere: sed proficere tantummodo ad testimonium charitatis, in qua illi semper inhærere desiderans, salutiferis eius monitis ad suscipiendam professionem monachorum conuersus, in illo paruissimo monasterio, quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, vbi iam tu presbyter habitas, diebus ac noctibus ante eum positus vixi: quando me super mel & fauum dulciora cœlestis eius eloquij flumina frequenter irrigabant, & nisi sterilitas arentis ingenij præpediret, centesimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego, de tanta plenitudine vix exiguam capere valui portionem. Tuæ tamen paternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitaui: in quo omnia quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, & illa insuper, quæ oculis nostris adspeximus, aut iam positi in doctrina illius, quemadmodum sint gesta, non ignoramus, breuiter explicabo, notam falsitatis incurrere nullatenus timens. Cuncta quippe senilem tuam paternitatem minimè latent: nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur, sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter digeruntur.

[a] Doctoribꝰ Ecclesiæ duo necessaria.

1. BEATVS ergò & verè Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium senatorum. Auus [b] denique eius nomine Gordianus, dum Rex *Hunericus memoratam Carthaginem victor inuadens, senatores plurimos, immò cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam nauigare compelleret, inter cæteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens, saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cuius obitum, duo ex filijs eius, spe recuperandæ hæreditatis, Africanam [c] prouinciam repetentes, manere iam intra Carthaginem minimè potuerunt, domo propria donata Arrianis sacerdotibus: sed possessionibus suis ex parte per authoritatẽ regiã repetitis, ad *Byzaciũ perrexerunt, ibique in Lepte ciuitate vnus eorũ, nomine Claudius ex coniuge nomine Mariana, Christiana scilicet & honesta fœmina, istum cui tanta gloria debebatur, fœliciter genuit: eumque statim, quasi præscia qualis esset futurus, Fulgentium nominauit. Quem [d] religiosa mater; moriente celeriter patre, Græcis literis imbuendum primitus tradidit, & quandiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis literis permisit edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset, victurus inter Aphros, locutionem Græcam, seruatis adspirationibus, tanquam ibi nutritus, exprimere. Nec fefellit matrem piam cauta prouisio. Sic enim quoties ei loqui Græcè placebat, post longam desuetudinem locutionis eius & lectionis, non inconditis sonis verba proferebat, vt quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Literarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis literis, quas magistri ludi docere consueuerunt, in domo edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio, magnitudine ingenij cuncta sibi tradita memoriter & veraciter retinens. Vnde [e] tamen, domesticorum negociorum cogente necessitate, cito sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens: ita se maternis subdens imperijs, vt ibi quoquè Christi existeret imitator, de quo sacra Euangelia contestantur: Et erat subditus illis, id est, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, & præclara indole sapientis filij mœrorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium beneuolus redderet, inimicos rationabiliter repelleret, seruos mansuetus & seuerus regeret atque corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus charissimus fieret. Cuius [f] rei gratia, crescẽte per singulos dies fama eius, repentè procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, & consulendi, ac gubernandi quam plurimos.

[b] Genus Fulgentij. *Genserico corrigit Baronius.

[c] Vide Victorem de persecutione Vuandalica libr. 1. *Bithyniæ.

[d] Institutio Fulgentij.

[e] Gubernat paternam domum. *Luc.* 2.

[f] Fit procurator.

II. ACCEPTA tamen hac potestate dum clementer vtitur, & neminem lædere pro ingenita sibi bonitate desiderat, atq; in exigendis pensionibus crudelitatem iubetur exercere, cœpit secularium negotiorum grauis apparere sarcina, & displicere fœlicitas vana_, paulatimque laudabili patientia succedente, cœpit vitæ spiritalis amore exurgere de-

Monachorum fœlicitas.

re desiderium, lectionis insuper & orationis indefessum crescere studium. Monasteriorum proinde suauissimos greges frequentiùs visitans, seruorum Dei mores propositumque discebat. Inter abstinentes nulla esse gaudia sæculi, sed nulla etiam esse tædia sentiebat. In summa abstinentia viuentes videbat neminem calumniatorem timere, sed se inuicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens, Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licèt melius sit benè flere, quàm malè gaudere: quanto meliùs tamen gaudent, quorum sic in Deum tranquilla est conscientia, quos minimè terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt, nisi vndè possint diuina implere mandata? Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter: operantes manibus suis, non aduersantur vtilitatibus alienis. Viuunt inter se pacifici, sobrij, mites, humiles atque concordes. Nulla illis cura libidinis: immò magna solicitudo & iugis custodia castitatis. Imitemur laudabiles viros: arripiamus hanc benè viuendi constantiam. Sit nobis vtile, quòd gratia reuelante meruimus meliora cognoscere. Abijciamus pristinos mores, & mutemus labores. Nitebamur priùs inter amicos nobiles apparere nobiliores: nitamur modò inter seruos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modò conuertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ. De teloneo enim vocatus est Matthæus, vt Apostolus fieret. Neque nos istius exactoris honori, personam cõuenire credamus nostram: sed si ille depositio officio exactionis, accepit officium prædicationis: mihi non licebit post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum Deus est: nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio. Potens quippe est Deus, qui dat, continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in monasterijs viuere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

Seipsum incitat ad eorum consectandam vitam.

Matth. 9.

III. Post hæc verba, diutiùs in pectore suo ruminata, decreuit, sancto spiritu reuelante, secularibus omninò renunciare delicijs, & illius vitæ socius fieri, quam laudabat. Priùs tamen cogitans, nè subita mutatio mentem simul corpusque perturbans, inter ipsa conuersionis initia grauissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, occultè arripuit rara exercere ieiunia: de hinc paululum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia: segregatus frequenter à turbis, in possessione propria, nescientibus omnibus, parentibus & clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, & ibi orabat, legebat, ieiunabat, epularumque immoderatam copiam minuebat. Ad balneas penitùs non accedebat, & sub ipsa adhuc professione laica, plenè iam monachus conuersabatur. Stupebant omnes qui nouerant eum, & tam delicati viri mirabilem parsimoniam, causamque mutationis huius interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatem. Apud illum verò per singulos dies amor sanctæ professionis, & mortificationis impensior cura crescebat. Aliquando ergò, vbi omnia, quæ sibi dura videbantur, expertus, adiutorio gratiæ spiritalis, voluntati suæ sensit suppetere facultatem, beati Augustini, exponentis tricesimum sextum psalmum, disputatione compunctus, publicare suum statuit votum, mutare gestiens habitum: nè vt amicabiliter ad se venientes pati cogeretur, cum quibus seculariter diù vixerat. Cogitabat autem vir prudentissimus, conuersionem sui cordis sibi soli vtilem futuram, si latere potuisset: Publicatam verò, multis alijs exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstituram. Quis enim mediocris aut pauper, fieri monachus erubesceret, dum Fulgentium videret, *genuini fastûs arrogantia recedente, duras abstinentiæ vias, patientiæ gressibus ambulantem.

Meditatur monasticæ vitæ complexum.

**gemini*

IV. Fvit autem tunc temporis episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide catholica non longè à cathedra sua iussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc *Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinauerat, vt iuxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes ad negandum DEVM facilè flecterentur. In eodem proinde loco, vbi relegatus tenebatur, monasterium sibi construxerat: in quo spiritaliter viuens, apud omnes Christianos honorabilis habebatur. Ad hunc ergò sanctus Fulgentius, quippe ei notissimus, alacriter venit, eique votum cordis sui fideliter indicauit. Ille autem sciens secularem omnino iuuenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei: Quare fili mentiris, vt seruos Dei fallere delecteris? Tùne eris monachus, aut antiquam deliciarum tuarum consuetudinem sic repentè mutabis, vt escarum vilium negligentior apparatus, & vestium sordidarum tuum animum non offendat abiectio? Prius est, vt sis saltem laicus minùs delicioſus: & tunc forsitan credibile putabo, quòd renunciare sæculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille iuuenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur: Potens est, Domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permitte me tantùm tuis inhærere vestigijs: aperi mihi ianuam monasterij: præbe sanctæ ædificationis auditorium: fac me vnum de discipulis tuis: & Deus nouit, quomodo me liberet ab iniquitatibus meis. Hæc audiens beatissimus senex, grauissimum putauit, supplicantem diutius spernere: tandemque flexus ad consentiendum, Mane, inquit, nobiscum fili, sicut vis. Experiamur paucis diebus, vtrùm verbis facta concordent. Vtinam superfluus sit timor meus, & professio tua inueniatur stabilis. Postquàm ergò supplicanti consensum præbuit sanctus Faustus Episcopus, sonuit illico per affines & notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita eius in delicijs transacta desperare, quosdam singularis ingenij notissima scientia, magnum aliquid suadebat de profectu eius velociter sperare. Quidam verò familiares eius, quibus ab infantia charissimus amicus & fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque sæculum contempserunt, & se monasteriorum gregibus mortificata voluntate iunxerunt.

AdFaustum Episcopum se confert.

**Genserici*

Fit monachus.

Alij eius exemplum imitantur.

V. Avdit hoc mater, referentibus multis, ad consortia monachorum fugisse Fulgentium, totiusque domûs regendæ atque gubernandæ curam penitùs dimisisse, nec omninò iàm posse de tali proposito reuocari. Turbatur, expauescit, & amoris nimij desiderio concitante, quasi iam Fulgentius moreretur, quamuis benè moreretur, qui sic moriebatur, cœlum nimijs lamentationibus pulsat, & sicut solent matres in funeribus filiorum, modum nescit habere lachrymarum. Rapitur inconsideratis cursibus ad monasterium furibunda, contumelijs & conuicijs sanctum Faustum nihil dubitans aggreditur: Redde, inquiens, filium matri, redde dominum seruis. Sacerdotes semper beneficia multa viduis præstant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui sapienter respondit episcopus: Si tu mihi filium tulisses, ego te, mulier, deberem, quantum dolor imperaret, arguere: modo tu mihi iustè contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi displicet, quia seruiturus est CHRISTO, benè facis contumelias inferens Fausto. Sub his etiam sermonibus æquaminiter tolerans, & affabiliter arridens videndi saltem filium nullam prorsus licentiam dat. Illa sciens, quantum diligeretur à filio, magnis ante ianuam monasterij clamoribus eiulabat, & Fulgentij nomen frequentiùs inclamans, desolationem suam miserabiliter allegabat. Hæc prima tentatio beatum Fulgentium multis viribus impulit, dum suam genitricem, quam semper amauerat, cui maxima deuotione seruierat, audiret auribus suis flere. Sursum tamen corde positus, audiebat, & non audiebat, nec illius preces aduertere dignum putabat, quia pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. Ibi iam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fidelissimum præbebat, & similis ebrio per spiritalem gratiam factus, vtrùm mater esset,

Mater eius proposito cruciatur.

Matri illũ videndi copia negatur.

Constantia Fulgentij.

esset, quodammodo ignorabat. Hîc cum beatus Faustus Episcopus ex toto corde conuersum primitus approbauit, & cum gaudio cæteris fratribus dixit: Facilè poterit hic iuuenis tolerare quemcunque imposuerimus laborem, qui potest maternum despicere iam dolorem. Illa mater dum se plangere sæpiùs, nec ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum iam non esse credebat: quia si ibi esset, non ferre posse dolorem matris, adhuc virtutis eius nescia, putabat. Sæpè ergò iens ac rediens, & episcopo molestias, & filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa, propriã reuerteretur ad domum.

VI. Beatvs [a] ergò Fulgentius supra credibilem modum laboribus se abstinentiæ cruciabat, sine fine & oleo manducans & bibens sic parcè & tenuiter, vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret, ac superducta, quam dicunt, impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi, tunc beatum Fulgentium sub occasione ipsius infirmitatis aut recessurum simul à proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parsimoniam custodiret. Ille verò contra spem omnium, misericordiæ Dei præuenientis auxilio gubernante, ex infirmitate corporis ampliores vires animi capiebat: & tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua iugiter cogitabat: salutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicẽs: Scimus omnes ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse conferri. Nam vt sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas: quare infirmantur etiam illi, qui cõuiuijs lautioribus quotidiè saginantur? Tolerabat ergò infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter. Paruum [b] namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis eius miserator & misericors Deus adiutorio superni iuuaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem.

[a] Abstinẽtiã eius incredibilis.

[b] Desiderio proficiendi.

VII. Tvnc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cùm tota mente mundum sibi crucifigeret, & ipse mundo crucifixus, iter rectum à iuuentute suâ, sicut scriptum est, ambularet: portionem substantiæ suæ, quamuis haberet fratrem iuniorem, nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, vt à matre postmodum, si benè seruijsset, donaretur & fratri: sic salubri consilio superbiam iunioris fratris edomare desiderans, vt qui esse nolebat humilis propter pietatem, disceret humilis esse propter hæreditatem: mater quoque post discessum dulcissimi filij, cuius iam non poterat obsequio lætificari, eius meruisset beneficio consolari. Quantas ibi tunc vniuersi laudes & gratias Domino retulerunt, cùm viderent beatum Fulgentium seculari cupiditate calcata, rebus, quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem renunciâsse penitùs, vt Christum inuenire mereretur doctorem? Finita iam fuerant cuncta, quæ cum in conuersionis primordio videbantur affligere.

Thren. 3.

VIII. Sed [c] quia hæc vita nunquam potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursùs talis persecutio fidei, vt sanctæ memoriæ Faustum Episcopum cogeret per diuersas latebras commigrare: nec in ipso monasterio sineret iugiter quiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentiùs transmigrare, consulto prius episcopo Fausto, vicinum monasterium petijt, vbi paucis & simplicibus fratribus Felix nomine Abbas præerat, amicus eius ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix Abbas cum gaudio susciens, imparemque se eius virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis, recusabat priuilegium potestatis. Et post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam charitatis, vix consensit esse collega boni consortis. Ita [d] duo viri sanctissimi diligẽtes æqualiter Deum & proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conuersatione æquales, vnus scientia superior, iugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt. O quàm felix seruorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius: O quantùm fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat Felix. Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspicium. Felix vocabatur Fulgentius, viam Domini currens, & fama crescente Fulgentij, capiebat fructum sui culminis Felix. Vnus tamen eorum, beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat: alter in quotidiano ministerio solicitiùs laborabat. Superuenientibus fratribus vnus verbum Dei singulariter prædicabat, alter hospitalitatem diligenter præparabat, & hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciebat: sed sic ambo cæteris erant imperantes, vt sub vnius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicemque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis vterque viuebat, & de fratrum, quibus consulebant, vtilitate laudabiles: & de mutua, quam sibi reddebant inuicem, subiectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunauerat, nec bella valuerunt feralia superare.

[c] Fidei persecutio.

[d] Fit Abbas monasterij.

IX. Sed [e] cùm subitò barbaricæ multitudinis prouincia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vendicandam, labores ilicò perferendæ peregrinationis excipiunt, limatoque consilio procul abscedunt, vbi nulla belli nascentis opinio, construendi monasterij præberet integram facultatem. Promouent igitur castra spiritalia duces inclyti cœlestis exercitus, & per ignotas Aphricæ regiones, monachorum suorum caterua comitante, pariter gradiuntur, vbique facientes gaudium bonis, inuidiam malis. In territorio denique Siccensi, dum cogitant certas sedes statuere, regionis fœcunditate delectati, virorum etiam fidelium fauore susceptis, presbyter quidam sectæ Arrianæ in fundo Babardilla perfidiam prædicabat: cui nomen quidem fuit inter homines Felix, sed voluntas aduersus Deum semper infelix, natione Barbarus, moribus sæuus, facultatibus potens, Catholicorum persecutor acerrimus. Hic [f] beati Fulgentij nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, reconciliandos occultè multos, quos decepérat, suspicatur. Neque virum dignum sacerdotio, verè adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi sacerdotis officium putat implere. Et reuera sacerdotis officium etiam tunc laudabiliter implebat, non aliquantos reconciliando, sed omnes, quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis inuitando: cuius sermo dulcis & rectus, quia dura quoque corda molliebat, nec immeritò hunc presbyterum sic timere pro sua perfidia compellebat. Arripit igitur presbyter, insani furoris stimulis concitatus, Dei seruos crudeliter persequi, & per omnes vias custodibus distributis, ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos, voluntarijs abstinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos, persequentium paululum tradi manibus: vt martyrialis agonis affecti participes, illata discerent supplicia tolerare, probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus, à fide vera minimè defecissent. Nescientes igitur cogitationes maligni serpentis habentesq; fiduciam conscientiæ, nihil timentes, simul ambo gradiebantur secum loquentes:

[e] Cogitur fugam capessere.

[f] Felix presbyter Arrianus Fulgẽtio infestus.

X. Et ecce subitò quasi violentia sæuissimæ tempestatis inuadit incautos, diuidit iunctos, ligat diuisos, & feralibus vinculis oneratos, perducit ad presbyterum vinctos: Efficiuntur subitò sine crimine rei, sine belli sorte captiui. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Arriani. Tunc antequam tenerentur, Felix Abbas paucos solidos, vnde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter vbi metus suaserat, proiecit, & custodiendos Dei seruis, ipsi Deo committit. O diuini singularis potentia miraculi! Nemo valuit solidos illos proiectos adspicere, nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere. Sed [g] illi soli, qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus presbyter intonat: Cur ex vestris regionibus occultè veniistis Christianos reges euertere? Benè enim miser Christianos reges esse dicebat, in quibus Christum regem regum miserabiliter exsufflauerat, & quos Filium Patri æqualem negare, similis Antichristo

[g] Sistitur Arriano presbytero cum socio.

docuerat. Illis [a] ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitùs. Igitur Felix Abbas vehementi charitate commotus, Parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre. Nolite istum cædere, inter vestras manus forsitan moriturum. Conuertatur in me vestra crudelitas: ego scio quid confiteár, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, remoueri paulisper beatum Fulgentium iubet, atque illum grauiùs cædi ministris sæuissimus imperat. Tunc [b] hilari animo Felix Abbas verberibus subditur. Dolorem quippè cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, vt vsque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe charitas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro salute illius despiceret, nisi priùs sibi & multis vtilem iocundumque sentiret. Imitentur vtrosque, qui Deo placere desiderant. Alios doceat beatus Fulgentius sic viuere inter fratres, vt amentur, foueantur, & in summis necessitatibus adiuuandi, etiam si periculum non defuerit, iudicentur. Sumant alij de bono facto Felicis Abbatis exemplum, melioribus fratribus & in Dei timore plus proficientibus, omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis charitas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis superatur: inimicorum verò pertinacia continuò frangitur: quamuis tunc sæuissimus presbyter etiam de Felicis Abbatis iniuria minimè satiatus, nec beato Fulgentio parcendum putauit.

[a] Vide crudelitatem hæretici.

[b] Cæditur socius Fulgentij.

Beatvs [c] autem Fulgentius, vir omninò delicati corporis, vtpotè ex familia natus illustri, violentos impetus fustium, repentini doloris acerbitate crescente, vix tolerans, sicut ipse nobis posteà referebat, cogitauit presbyteri furentis insaniam vel mollire, si posset, vel certè paululum, donec recrudesceret, auocare: quò faciliùs inter ipsas moras inueniret spacium respirandi, ne continuata pœna omninò intolerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur: dum cæderetur, exclamat. Tunc presbyter, putans eum confiteri velle, iubet quiescere cædentes, & sic adhuc ad flagella suspensum, loqui præcepit quod volebat. Vbi dum beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis, suæ peregrinationis narrare aggressus historiam, presbyterum faceret attonitum, diuque nimia verborum suauitate delinitum, penè totius crudelitatis redderet oblitum, miratur presbyter beati Fulgentij facundiam, probat sapientiam, magnumque aliquem virum conijciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne proderet suis suam superatam fuisse sæuitiam. Cedite, ait, iterum fortiter, & multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Me etiam, puto, seducere cogitat, lõgoq; inanis fabulæ circuitu quid cõficere moliatur, ignoro. Recrudescit iterum manus vesana torquentium, flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaratur. Tandem [d] presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutiùs ausus est: sed deformiter decaluatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos inanesque proiecit. Sed [e] nec illa decaluatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: quos tolerata propter odium religionis iniuria, primæ iam confessionis decorauerat ornamento, superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo presbyteri, tanquam de loco glorioſi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati: reuersique per campum, vbi fuerant capti, solidos, quos Abbatem Felicem proiecisse diximus, integro ibi numero seruatos inueniunt, & quasi ex diuina manu restitutos hilariter accipiunt: agentesque ineffabiles gratias Deo, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, reuertuntur ad proximos fratres. Huius autem crudelissimi facti detestabilis opinio, cunctam simul mœstificat regionem: nunciatur etiam Carthagine fama. Inter alios quoque Arrianorum Episcopus dolet mactatum graui cæde beatum Fulgentium: & quia parentes eius cognitos habebat idem Episcopus, ipsumque beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, aduersum presbyterum suæ religionis & parochiæ, qui cædis author extiterat, grauiter commouetur, vindicare beatum Fulgentium parans, si querelam de memorato presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius multis, vt hoc faceret, suadentibus: Non licet, ait, in hoc seculo vindictam quærere Christiano. Nouit Deus, quomodo seruorum suorum defendat iniurias. Iste presbyter si grauissimi sceleris inter homines, me agente, receperit vltionem, patientiæ nos apud Deum perdimus retributionem: maximè quia multos paruulos scandalizare poterit, si Episcopi Ariani iudicium qualiscunque peccator, tamen catholicus & monachus quæram. Nolens ergò retribuere mala pro malis, & vitam suam sciens necessariam bonis, ne quam forsitan hæreticorum violentiam denuò paterentur, ex illa prouincia rursus egrediuntur, & ad vicina prouinciæ suæ loca celeriter regrediuntur: eligentes Mauros potius habere vicinos, quàm pati molestissimos Arrianos. XI.

[c] Verberatur etiam Fulgentius.

[d] Post verbera, cũ ignominia dimittuntur.

[e] Decaluationẽ magnum apud Barbaros fuisse supplicium, docẽt leges Theodorici, quibus eiusmodi pœnas pro diuersis delictis infligitur.

Ivxta [f] ciuitatem proindè, quæ Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt, vbi paruo tempore Domino seruientes, insistebant operibus charitatis: donec subitò beatus Fulgentius Ægyptiorum monachorum Vitas admirabiles legens, institutionum simul atque collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras nauigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, vt vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regula viueret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem. Dehinc veniens ad ipsius mœnia ciuitatis, vno tantùm fratre, cui nomen fuit Redemptus, socio peregrinationis electo, nauem conscendit, Alexandriam petiturus, nullos fortè sumptus peregrinationi tantæ necessarios secum ferens, sed in Deo, qui diues est, spem suam firmiter ponens, suauiter canebat cum Dauid: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Ventis [g] itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum contigit fœliciter portum: Deique summi prouidentia gubernante, ductus est ad hanc ciuitatem, vbi tunc Ecclesiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ charitatis: in cuius corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos tantorum Dominicorum negotiatione ditabat. Virtute [h] enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat: habens etiam ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc ergò beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur, neque tamen diu latere permittitur. Mox enim, sicut moris est, in conuiuio sacerdotum, dum de diuinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuò prodidit. Intellexit Episcopus, ex ornatu sermonis, & responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latere doctorem: distulit tamen eundem vel quis esset, curve aduenisset, conuiuis præsentibus, inter epulas quærere. Post prandium verò cùm meridianis horis in domo sua deambularet Episcopus, per fenestram respiciens, obseruantem sibi, sicut cæteros, beatum Fulgentium vidit: quem continuò peculiariter vocans. De institutionibus, ait, & collationibus loqui cœperas, dum pranderemus. Affer mihi, obsecro, codicem, si portas. Ille sine mora iussis obediens, codicem detulit, in quo quid contineretur, verbis proprijs iussus exponit. Admiratur sanctus Eulal. scientiam iuuenis, & tali hospite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere: Parentes, inquit, meos requiro, quos in illis partibus viuere peregrinos audiui. Verè enim parentes suos requirebat, quorum suauissimos mores imitari cupiebat. Intellexit Episcopus responsum non manifestum, totiusque itineris eius per alterum fratrem, qui fuit simplex, inuestigat causas. Ibi tunc beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur: iturum se ad vltimam Thebaidæ regionis eremum dicit, vt illic, sicut lectio monebat, mundo mortuus viueret, vbi maior abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed fortè potiùs XII.

[f] Fulgẽtius meditatur profectionẽ in Ægyptũ.

Psal. 22.

[g] Appellit Syracusas Eulalius, Syracusan.

[h] Monasterium S. Eulalij.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potiùs præberet exemplum. Rectè facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari: sed scis, quoniam Deo sine fide impossibile est placere. Terras, [a] ad quas pergere concupiscis, à communione beati Petri perfida dissensio separauit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris sacramenta communia. Quid ergò proderit affligere ieiunijs corpus, vbi solatijs spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Reuertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiam quondam iuuenis, antequam me pontificalis honoris gratia præueniret indignum, diu cogitaui sanctissimæ huius professionis in ipsius prouinciæ monasterijs adimplere propositum, sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere. Consentit beatus Fulgentius monentis patris consilio salutari, suæque intentionis feruore deposito, suadetur ibi apud Syracusas paucis mensibus degere, sancto Eulalio præbente victum & hospitium congruum. Sed [b] quia bonæ mentis indoles nunquam vacat, charitatis opera semper exercens, in ipso paruissimi hospitij, quod acceperat, habitaculo cœpit hospitalitatem multis superuenientibus exhibere, peregrinus & alterius indigens solatio, consolandos suscipere peregrinos. Miratur sanctus Eulalius affluentem sancti animi libertatem, magnoque gaudio saginatur, dum per manum beati Fulgentij, cui victum quotidianum nihil habenti ministrabat, alimenta ministrari non habentibus videret: Et si fas est dicere, comparatione minorum crescere maiores solere, quamuis esset sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omninò perfectus, opera tamen beati Fulgentij considerans, de die in diem plus misericors efficiebatur & largus.

Heb. 11.

[a] Cõmunio Romanæ Ecclesiæ.

[b] Hospes hospitalitatẽ exercet.

XIII. Peracto [c] itaque præsentis hyemis tempore, cura vehemens beatum Fulgentium commouet, Episcopum quendam Rufinianum nomine, qui persecutionis violentiam fugiendo declinans, ex Bizaceno concilio nauigauerat, ibique prouinciæ Siciliæ vicinus, in quadam breuissima commorabatur insula, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter, vt eius admonitione secundò firmatus, quid facere deberet, agnosceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio Pontifici minus credebat, sed quia in rebus dubijs vtilissimum semper esse multorum consilium sentiebat. Per multos itaque pedestris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plus propinquior illa insula fuerat, vbi sanctus Rufinianus Episcopus habitabat, modica nauicula deportatus, sacerdoti venerabili velociter præsentatur: à quo similiter, ne in Ægyptum proficisci perseueraret, admonitus, redire protinus ad proprium monasterium, neque tamen Apostolorum memoriam prætermittere, statuit. Occasione [d] igitur nauigij felicioris inuenta, Romam venit, & authorum secularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur ciuitatem. Fuit autem tunc in vrbe maximum gaudium. Theodorici [e] regis præsentia Romani senatus & populi lætificante conuentus. Vnde [f] contigit, vt beatus Fulgentius, cui mundus fuerat olim crucifixus, postquam sacra martyrum loca venerabiliter circuiuit, omnesque seruos Dei, quorum in breui notitiam capere potuit, humili obsequio salutauit in loco, qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico Rege, concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinemque distinctis decoratum gradibus adspectaret, & fauores liberi populi castis audiens auribus, qualis esset huius seculi pompa glorioſa, cognosceret. Neque tamen in hoc spectaculo libenter aliquid intuetur, neque illis nugis secularibus superflua illectus delectatione consensit: sed inde potiùs ad illam supernam Hierusalem feliciter desiderandam vehementer exarsit, salubri disputatione præsentes sic admonens fratres: Quàm speciosa potest esse Hierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur sanctis, contemplantibus veritatem?

[c] Rufinian. Episcopus.

Ann. 500.

[d] Romam petit religionis ergò.

[e] Theodor. 2. in Italia Gotthorũ rex.

[f] Inuisit sacra martyrũ loca Fulgẽtius.

XIV. Multa [g] his similia beatus Fulgentius illo die salubriter disputauit, & iam toto corde monasterium suum reuisere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam nauigauit, vix credentibus præ nimio gaudio monachis suis beatum redijsse Fulgentium. Nescicbat planè sancta fraternitas, quid primitus ageret: vtrum de absentia patris quereretur, an potiùs de præsentia lætaretur. Nullus tamen ausus est eum, quia discesserat, culpare, sed cuncti potiùs satagebant pio reditu eius Deo gratias agere. Iunguntur seruorum Dei gaudijs etiam laici, lætantur omnes honesti ac nobiles viri, quòd beatus Fulgentius Africanæ Ecclesiæ Doctor prædestinatus, non diu fuisset in transmarinis regionibus occupatus. Certatim denique singuli properant ampliora præbere solatia *pietatis, quibus foueretur animus reuertentis. Offertur à quodam, nomine Sylueſtrio, benè Christiano, & prouinciæ Byzacenæ primario, locus aptus monasterio fabricando, cuius gleba pinguis ac fertilis, instituendis hortis optabili fœcunditate congrueret, & quod plus eligendum videbatur, longè adhuc à furore bellico constitutus, quietissimæ pacis securitatem plenissimam daret, honestis plurimis per vicinas possessiones commanentibus: quorum frequens oblatio transactionem monachis facilimam promittebat, vt regnum Dei quærentibus, nulla cura secularis transactionis obstreperet. Libenter [h] itaque beatus Fulgentius hominis religiosi deuotam suscipiens oblationem, sine mora in loco sibi concesso monasterium fundat, plurimosque ad conuersionem pijs monitis inuitando, monachorum multiplicat numerum, & magnæ congregationis efficitur pater. Quamuis sanè spiritualia meditari iugiter concupiscet, ampliori tamẽ solicitudine distẽdi compellitur, ocium sanctũ quærens ex dilectione veritatis, & negocia multa suscipiens ex necessitate charitatis. Vnde victus aliquando contẽplatione meliorũ, lectioni & orationi tantũ vacare desiderans: cogitauit diu, quomodo sarcinam præsentis oneris abijceret, & sub aliorum regimine constitutus, ipse potiùs sub regula viueret, q̃ viuendi regulã cæteris traderet, secũdum Dei præceptũ magis vtilè iudicans imperantibus obedire, quã obedientib. imperare. Cogitanti verò ea diutiùs, talis subitò sentẽtia nascitur. Est in medio vadosi maris sinu monasteriũ * Viuecẽsi litori proximum, Vennesensi autem maxima ex parte contiguũ: vbi neque hortos colere paruissimi scopuli limes finit angustus, neq; ligni vel potabilis aquę consolatio saltem ministratur exigua, sed rei vtriusque per breuissimas nauiculas quotidiè sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua seruatur, ab infantia sua plurimis vsque ad decrepitam senectutem sanctissimè ibi viuentibus, sanctæque professioni congrua opera laudabiliter exercentibus. Vbi tunc duo presbyteri peculiares, & meritò mirabiles, & immaculatæ senectutis honore venerabiles, Abbatis officio fungebantur, nunquam de cœnobio recedentes, sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Ad [i] hoc igitur monasterium clàm beatus Fulgentius proficiscitur, ibique in congregatione tam maxima nomen ponit Abbatis, & adunatus multitudini monachorum, fulget quidem super cæteros scientia mirabili, eloquentia speciali, sed subijcitur omnibus laudabili humilitate, obedientia singulari. Memor quippe illius euangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris: Omnes suas mortificat voluntates: ieiunijs insuper, orationibus, vigilijs & abstinentiæ vacans, totumque se cum vitijs & concupiscentijs secularibus crucifigens, manibus etiam suis delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter vtebatur, & palmarum folijs flabellos sæpissimè contexebat. Cui operi, etiam cùm fuisset abbas, in suo monasterio vacabat. Lectioni autem in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis & iucundus.

[g] In Africã reuertitur.

[h] Constituit monasteriũ Fulgentius.

*charitatis,

*Al. Vincẽtilitori proximũ, Bennesensi autem, &c.

[i] Clã aliud petit cœnobium, posito abbatis nomine, *Ioan. 6.*

XV. Sed quanta in eodem monasterio lætitia, tanta in illo exorta est tristitia. Gaudebant isti, qui eum suscipiebant: dolebant illi, qui amiserant. Nascitur inter eos noua pugna charitatis. Isti nouum socium tenaciter amplectuntur, illi antiquum patrem reddere sibi suppliciter deprecantur. Isti se ornari de eius præsentia, illi de absentia deficere confi-

confitentur. Beatus[a] verò Fulgentius magis volens discere, quàm docere, consentit hîc esse, vbi fuit inferior: & trepidat illuc redire, vbi cunctis posset esse superior. Tunc Abbatis Felicis & omnium fratrum, quos reliquerat, dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio sancti Fausti Episcopi insulanos monachos pulsat. Ille protinus episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat, sibique reddi, & vbi ipse iusserit, viuere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus: ipsum verò Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronuntiat iudicandum. Quid multa? Deponitur[b] rursus beatus Fulgentius ad monasterium proprium, subire præcipitur Abbatis officium: & ne iterum à desiderio spiritali mutabilis fieret, repentè eum sacerdos presbyterum consecrat, vt Abbatis & presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia posset Ecclesia fortuitò ordinari.

[a] Humilitas sancti viri.

[b] Cogitur redire ad abbatis officium. Fit sacerdos.

Victus ergò, & honoris compedibus vinctus, cœpit beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, famaque crescente laudabili, super omnes Africæ prouincias innotescere: in ipso autem Vintorum territorio tanquam proprius Episcopus honorari, paratis omnibus, quandocunque facultas ordinandi Episcopum concessisset, beatum Fulgentium primum sacerdotem vocibus petere, & mentibus, nec alterum nisi beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. Desiderium deindè populorum DEVS videbat, ipsum quoque beatum Fulgentium non latebat.

XVI. SED[c] quia tunc regalis authoritas Episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere pastores licebat, securus huius interdictionis tempora transigebat, superfluum iudicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere. Postquam[d] verò sacra turba Pontificum, qui remanserant, communicato inter se consilio, definierunt aduersus præceptum regis in omnibus locis celebrare ordinationes Pontificum, cogitantes aut regis iracundiam, si qua forsitan existeret, mitigandam, quò faciliùs ordinati in suis plebibus viuerent: aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inueniebant promotione: ministerium verò suum faciliùs impleturos, atque inter ipsas tribulationes proprijs plebibus solatia præstituros: fit repentè communis assumptio, presbyteros, diaconos, & si quos inueniret electio, rapere, benedicere, consecrare, certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus, aut nouissimus videretur. Tunc[e] beatus Fulgentius eligentium vota velociori præueniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus vllatenùs inuenitur. Plebs ipsius loci, vbi fuerat monasterium constitutum, differre suam prorsus electionem, donec inueniret beatum Fulgentium, cogitabat. Veruntamen timens, ne dum diu beatus Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perueniret, atque inde rursus regalis interdictio nasceretur: ita compellente festinationis necessitate, suadentur sibi de suis clericis alterum quærere. Sic per multa loca, vbi beatus Fulgentius aut solus, aut primus electus est, postquam minimè potuit inueniri, dedit alijs honoris summi licentiam. Rep eta iam fuerat prouincia Byzacena nouis sacerdotibus, & penè vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ: regis quoque commota sæuitia cunctos iam decreuerat exilio mancipandos, in ipsum primitùs ordinatorem, id est, Primatem, [f] nomine Victorem, procedente sententia: qui iàm à seruis regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur: & omninò succedente maiore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ lætitia. Tunc occultis nuncijs educentibus, transisse tempus faciendæ ordinationis, beatus Fulgentius putans, cathedris quam maximè proximis Episcopos haberi proprios, ipse rursus monasterij sui congregationi gubernator reuertitur, nihil dubitans, neque formidans, sed omninò se pontificalis dignitatis euasisse sarcinam gaudens.

[c] Ordinare episcopos, Trasimun. in Africa rex interdixerat. Vide Bar. ad annum 504.

[d] Cõcilium Byzancen. contra regẽ decernit.

[e] Fugit episcopatum.

[f] Victor primas Byzan. captiuus ad Trasimũd: adducitur.

XVII. VERVNTAMEN altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare iam volebat authoritatem, ne deesset fidei Catholicæ contra Arrianos fidelissimus prædicator. In tempore ergò tribulationis abscondere noluit vas electionis, per quem dispositurat implere officium prædicationis. Erat adhuc Ruspæ oppidum nobile, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat episcopus ordinatus: quia[g] Diaconus quidam Felix nomine, qui ambire voluerat, repudiatus, honorem Pontificis in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum patiebatur accipere. Frater quippe illius germanus, amicus procuratoris, per potentiam secularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum ciuium mentes vehementer angebat, cur soli resecularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum ciuium mentes vehementer angebat, cur soli remansissent sine patre spiritali, qui videbantur super cæteros excellere nobilitate carnali: cùm repentè fama verax dolentibus nunciat beatum Fulgentium, quem tot loca primo sacerdotio iudicauerant dignum, nullatenus tempore ordinationis inuentum, remansisse presbyterum, gloria maiore vestitum, quòd honoris superioris sic calcauerat appetitum. Illis, quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus, ipsum sibi esse seruatum, propterea minimè tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente[h] igitur beato Fulgentio, Victor primâs in itinere petitur à Ruspensibus: & vicinis episcopis ordinandi Fulgentium licentia datur. Tunc aggregata violentæ multitudinis manu, repentè beatus Fulgentius, dolens oculos, in cellula propria reperitur, inuaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, quia admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur pater, ita vt in illo Propheticum illud compleri videretur oraculum, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Nimis autem gratissimus viri sapientis adspectus, & fauores populi suffragantis augebat, & à quocunque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestoque incessu venerabilis habebatur. Cùm verò loqui quippiam, cogente interdum ratione, voluisset, in eius ore omnis turba pendebat, ex locutione familiari considerans, qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus, vbicunque transibat, populus confluxerat ad fauendum, Ruspensi Ecclesiæ quanto serius, tanto meliorem confitentes prouenisse Pontificem. Diaconus[i] porrò videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solum remanere deluso poterat, sæuit, & tardus, innumeris congregatis, venienti filio pacis scandalum, sicut sacer loquitur Psalmus, iuxta semitam ponit. Viam igitur, per quam veniebat DEI seruus electus, obsedit ambitor infestus. Sed vbique simplicibus subuenit CHRISTVS, nec impediri potest ab homine sacerdotis electio, quam non præcedit ambitio. Nescio quo sancti Spiritus admonentis imperio, per alteram viam populus qui præcedebat, ambulauit, & beatum Fulgentium, dum adhuc hostis sedet in via, super suam cathedram collocauit. Celebrata[k] sunt eodem die diuina solenniter sacramenta, & de manibus beati Fulgentij communicans omnis populus, lætus abscessit. Quod posteà Diaconus audiens, diuinæ voluntati, licet tardiùs, cessit. Hunc ilicò reuertentem beatus Fulgentius benignè, effabiliter, clementerque excepit, ita vt eum posteà presbyterum ordinaret. Sed vltionem detestabitam diuina iustitia demonstrauit omninò velociter. Ipse enim Diaconus, iam presbyter, intra annum mortuus, & procurator ei consentiens ad penuriam redactus, dederunt pœnas temporalis audaciæ, quibus potens est Deus præparare in futuro gratiam cœlestis indulgentiæ. Nos illud propterea vel commemorandum putauimus, vt ostenderemus hinc maiorem beato Fulgentio creuisse circa singulos authoritatem, dum cognoscerent in istis vigilâsse diuinam seueritatem.

[g] Felix, diac. ambitiosus

[h] Cogitur episcopatum Ruspensem suscipere. *Psal. 17.*

[i] Diaconus repulsus sæuit in Fulgentium. *Psal. 139.*

[k] Missam celebrat.

XIIX. SVSCEPIT[l] interim beatus Fulgentius episcopatum sine aliqua ambitione, cum maxima deuotione, manente in contradictores diuina vltione. Nec ita factus est Episcopus, vt esse desisteret monachus: sed accepta Pontificis dignitate, professionis præteritę seruauit integritatem. Seruata verò professionis integritas, plùs ornauit Pontificis dignita-

[l] Fulgentius ad episcopatũ euectus, monast. vitã

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gnitatem. Nunquam denique precioſa veſtimenta quæſiuit, aut quotidiana ieiunia prætermiſit, aut conditos ſuauiter cibos vel inter hoſpites manducauit, aut diſcumbendo ſaltem requieſcere & reſoluere rigidum propoſitum voluit, ſed vna tantùm viliſſima tunica ſiue per æſtatem, ſiue per hyemem patienter indutus fuit. Oratio quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nullatenus vtebatur: pelliceo cingulo tanquam monachus vtebatur, ſic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium corporalium fugiens, vt nec ipſa calceamenta ſuſcipiens clericorum, aut vltimis caligis in tempore hyemis, aut caligulis in tempore æſtatis ſimpliciter vteretur. Intra monaſterium ſanè interdum ſoleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Caſulam precioſam vel ſuperbi coloris, nec ipſe habuit, nec monachos ſuos habere permiſit. Subtus caſulam nigello vel lactineo pallio circundatus inceſſit, quando temperies aëris inuitabat, ſolo pallio intra monaſterium coopertus. Scapulis verò nudis nunquam à nobis viſus eſt, nec depoſito ſaltem cingulo ſomnum petiuit. Suæ autem continentiæ Deo teſte fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat: & in tempore ſacrificij mutanda eſſe corda potiùs, quàm veſtimenta, dicebat. Huic [a] beatiſſimo ſacerdoti nullus aliquando extorſit cuiuſlibet generis carnes accipere, ſed ſola ſimpliciter olera, ptiſanas & oua quamdiu iuuenis fuit, ſine oleo, poſtquam verò ſenuit, ſuperfuſo oleo manducauit: ideò perſuaſus oleum accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium. A [b] vino autem ſanus ſemper abſtinuit. Si quando verò compellente infirmitatis neceſſitate, vino modico vti compulſus eſt, calicibus plenis aqua ſuperfundens quippiam meri, nec ſaporis eius, nec odoris iucunditate fruebatur. Antequam vigiliæ à fratribus nunciarentur, ipſe ſemper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicunque ſpiritali meditationi ſolus vacabat: quia ſe per diem filiorum Eccleſiæ neceſſitatibus occupari iugiter ſciebat. Ad agẽdas cum ſeruis Dei vigilias interdum deſcendebat, ſed priuatas apud ſe vigilias ſtudijs, quæ dixi, multo laudabiliùs exercebat.

viuit. Regulam autem Fulgentium S Auguſtini quam is ex Romana, & Mediolanẽ. Eccleſia mutuatus in Africam intulit, profeſsũ eſſe, notat Bar. ad An. 504.

[a] Carnibus perpetuò abſtinuit.

[b] Item vino ſanus.

XIX. In [c] nullo autem loco viſus eſt ſine monachis habitare: propter quod à ciuibus Ruſpenſibus hoc primum beneficium ordinatus Epiſcopus poſtulauit, vt fabricando monaſterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus ciuibus obedire feſtinantibus optimo ſacerdoti, quidam nomine Poſthumianus, Chriſtianiſſimus, & inter ſuos nobiliſſimus ciuis, agellum proprium fideliter obtulit, non longè ab Eccleſia conſtitutum: vbi pinis conſurgentibus in excelſum, ſpecioſi nemoris virebat amœnitas. Excepit beatus Fulgentius libentiſſimè locum, cuius etiam ligna neceſſaria futuræ fabricæ conſpiciebat: protinusque beatum Abbatem Felicem venire velociùs perſuaſit, cum maxima penè totius congregationis multitudine, niſi quod pauciſſimos fratres in illo monaſterio dereliquit, quibus vnum ex fratribus, Vitalem nomine, præpoſuit. Tali verò charitatis lege monaſteria vtraque præcipiebat vniri, vt quaſi non fuiſſent locis diuiſa, ſic eſſent vnanimitate coniuncta. Si quos autem nouos monachos vel in iſto, vel in illo monaſterio Chriſtus acquireret, tempus inter ſe conuerſionis ordinemque ſeruarent: & ſi quando ad ſe videndos, iubentibus duntaxat prioribus, venirent, non vt hoſpites, ſed quaſi vnius congregationis homines ſuſciperentur: beati verò Fulgentij Epiſcopi prouiſione communiter gubernati, patrem ſpiritalem ſimplici venerarentur affectu: ſic beato Fulgentio ſingula diſponente, ne ſuſcepta regendorum ſarcina clericorum conſolationem perderet monachorum.

[c] Nuſquam degit ſine monachis.

XX. Interea [d] repentè diriguntur miniſtri regalis furoris, vt detentus etiam ipſe, cum cæteris in exilium Sardiniam confeſſor Christi nobilis truderetur. Abductus ergò velociter, licèt doleret Eccleſiam ſuam nullis adhuc eloquiorum ſuorum monitis eruditam, remanſuramque protinus deſtitutam: ſapienter tamen triſtitiam gaudio maiore vincebat, quòd tam glorioſæ confeſſionis eſſe particeps inchoabat. Comitantibus ergò monachis ſimul & clericis, magiſter egregius vtriuſque profeſſionis exijt, flentibus laicis omnibus, de cathedra honoris ad locum beati certaminis, paratus fidem Catholicam mente libera, voce forti coram regibus & poteſtatibus confiteri. Suſcepit eum Carthago venientem, fructumque eius notitiæ in paucis diebus fideliter guſtans, multa obtulit munera: quæ beatus Fulgentius monaſterio illi, quod fabricari delegauerat, profutura mandauit. Ipſe verò nauem crucifixo corde & corpore nudus aſcendit, habens ſecum plurimas diuitias ſcientiæ ſingularis, quibus omnes vbicunque *veniebat, indeficiente largitate paſcebat. Inter alios ſanè Epiſcopos, cum quibus exilium commune ſuſceperat, tempore ordinationis erat inferior, ſed patientiæ & charitatis virtute non inferior. In [e] rebus enim dubijs, vbi quàm maximè conſilium petebatur, ſi quando inter ſe confeſſores beatiſſimi de communi vtilitate tractabant, vltimus quidem ſedebat: veruntamen ipſius ſententiam Primâs, vel omnes, qui Primatem ſequebantur, audire & facere cupiebant: quamuis ille nihil ſibi per inanem gloriam vendicans deferret honorem congruum prioribus ſuis. Si enim cogebatur reſpondere conſulentibus, ita paratus erat ſemper obedire iubentibus, ne præſumeret aliquid extorquere nolentibus. Poſt deliberationis autem longiſſimas moras, quicquid definitio communis inuenerat, eloquenter allegandum ſenſibus cæterorum beato Fulgentio dimittebatur. Hinc [f] etiam quandocunque tranſmarinis literis de fide, vel de diuerſis quæſtionibus interrogabantur Epiſcopi, reſpondere pro omnibus ab omnibus ei imponebatur. Ita ſicut ſanctæ memoriæ Aurelius, Carthaginenſis antiſtes Eccleſiæ, inter ſua priuilegia meruit, vt literas ex Africano concilio dandas ſolus ipſe ſcriberet: ſic iſte meruerat, vt literas ex illo concilio dirigendas, ſolus ipſe dictaret. Sexaginta [g] quippe & eo amplius Epiſcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius Epiſcopus fuit. Propterea quandocunque reſcribebat conſulentibus, epiſcoporum cæterorum dicebantur nomina in titulo, ſed ſolius beati Fulgentij ſermo tenebatur in ſtylo. Præter iſtas quoque publici tractatus epiſtolas, ſi quis fortè ex ipſis epiſcopis abſentem plebem ſuam corrigere vel monere voluiſſet, ad beatum Fulgentium accedebat, & per miniſterium linguæ eius, officium ſuæ diſpenſationis implebat. O mirabilem virum, non ſibi ſoli, ſed & omnibus natum. Sola eum Ruſpenſis Eccleſia meruerat doctorem, & pars maxima conſilij Bizaceni de ipſius ſermone viuebat. Quicunque in qualibet ſacerdotum exulantium plebe tentabat inquietus exiſtere, vel epiſcopi proprij iuſſa contemnere, beato Fulgentio dictante, ſic corripiebatur abſens, vt ſatisfactionis remedium quærens, enauigato mari, continuò fieret præſens, & per ipſum beatum Fulgentium, cuius eloquentiam ſenſerat excommunicatus, impetraret veniam ſalubriter humiliatus. Ipſe namque beatus Fulgentius erat vltor, ipſe interceſſor: cum collega vltor, pro miniſtro interceſſor. Ab ipſo procedebat gladius, vnde ſuperborum ceruix dura cæderetur: & per ipſum rurſus beneuolentiæ medicina præbebatur, donec ſupplicum fratrum puſillanimitas ſanaretur. Inter ipſa ſanè primordia glorioſi exilij, monaſterium congregare, paucos ſecum monachos ducens, minimè potuit: ſine fraterna tamen congregatione vitam ducere neſciens, coëpiſcopos ſuos, Illuſtrem ſcilicet & Ianuarium, habitare ſecum perſuaſit volentes: quibus vnico ſeruiens charitatis affectu, ſimilitudinem magni cuiuſdam monaſterij, monachis & clericis adunatis, ſapienter effecit. Erat [h] quippe eis communis menſa, commune cellarium, communis oratio ſimul & lectio. Nullus ſe ſuper alterum inſolenter efferebat, nec proprijs fratribus ampliùs aut peculariùs conſulebat, niſi quod magis illi monachi, qui beatum Fulgentium ſequebantur, diſtrictioris abſtinentiæ regulam cuſtodientes, nihil omninò proprium poſſidebant, nec inter alios clericos clericorum more viuebant. Talis erat beati Fulgentij eruditio, quæ ſpiritalibus monitis ita ſubiectorum ſibi corda transferret à terrenis voluptatibus ad ſpiritales cœleſtesque delicias, vt boni propoſiti manente cenſura, non ſeducerentur infirmorum fratrum inertia nolentium imitari, quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur, exempla. Quis illius habitationis dignè explicet laudes? Domus illa, tunc Calaritanæ ciuitatis oraculum fuit. Illuc enim veniebat

[d] Truditur in exilium.

*viuebat.

[e] Eius ſentẽtiam quãti fecerint epiſcopi exules.

[f] Nomine omniũ epiſcoporum reddit reſpõſa literis

[g] Sexaginta epiſcopi Prouinciæ Bizacenæ exules: ex alijs olim Africæ prouincijs 220. vt Paul. Dia. hiſt Miſcel. li 15. vel 225. vt Sigib. & Mar Scotus in Chron. exulaſſe memorãt. Vide Bar. ad An. 504.

[h] Monachi & clerici ſimul degũt.

afflictus percipere remedium consolationis: ibi gerebantur inter discordantes pacis & concordiæ pacta fidelia. Diuinam volentibus audire diligentiùs lectionem ministrabat ibi Dominus plenissimæ expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidiè beatum Fulgentium cernere disputantem: libebat indigentiam sustinentes, inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, vnde doctrinam quoque sumerent spiritalem. Frequenter [a] enim beatus Fulgentius, quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renunciare seculo, sapienter admonendo, faciebat, & quamuis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat: ita cupidus semper acquirendæ ad cœnobium fraternitatis, vt quamuis omnibus omnia nôsset esse, monachorum tamen professioni sociare cunctos & optaret, & vellet. Hæc fama per singulos dies crescens, Carthaginenses quoque ecclesiæ populos ad maiora gaudia prouocabat, & certissimis testibus ex illa prouincia venientibus, beatum Fulgentium commendabat absentibus.

[a] Pertrahit multos ad monasticē.

[b] Persecutio Trasamun. regis.

INTEREA [b] Trasamundi regis aduersus religionem Catholicam mens implacabilis, & ira terribilis, inter aspe- XXI.
ras persecutiones subdolasque factiones, quibus æqualem DEO patri negare Christum Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promissionibus inuitabat, sub intentione plus decipiendæ multitudinis simulare cœpit, rationem se simpliciter inquirere Catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cuius posset in suis erroribus assertione conuinci. Proponebat denique multas ineptarum tendiculas quæstionum, nec si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat: immò quasi patienter audiens, satisfieri sibi non posse iactabat. Et reuera quis homini tam obdurato corde valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos, audaces fidei suæ constantia, per occasiones à Domino præparatas, studiosi regis conuincere blasphemias. Dicitur autem requirenti diutiùs, quis plenissimè posset testimonijs euidentibus vendicare veritatem Catholici dogmatis, esse inter episcopos exulantes beatum Fulgentium, cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter & eloquenter roganti regi satisfaceret. Protinus [c] rex probare cupiens sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota nostræ religionis perhibebat Ecclesia, seruum strenuum celeriter dirigit: à quo sine mora ductus atque perductus, intrauit Carthaginem lætus: vbi tanquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reperiens occasionem, cœpit in hospitiolo proprio venientes ad se Catholicos orthodoxos diligenter erudire, rationem reddens, quomodo pater & filius, & Spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus vnus à fidelibus prædicetur. Tanta autem fuit beato Fulgentio facundi sermonis suauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas, vt certatim fideles vniuersos sancta charitas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire quoties ad interrogata respondebat. Ille verò verbum Dei sine inuidia tabescente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum iudicans improbum: paratus etiam ipse, si cui fortè Deus per Spiritum sanctum melius reuelâsset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare sub officio doctoris, humilitatem discipuli benignus & mitis exercens. Vnde contigit, vt multo doctior & sepso melior fieret, lucra Christo maiora perquirens. Alios [d] enim iam rebaptizatos, errorem suum plangere docebat, & reconciliabat: alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat: & quos iam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, vt propter eius beneuolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reuersique velociter agerent pœnitentiam. Confortati alij verbis eius, & doctrinæ eius sale conditi, redarguebant Arrianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit, vt per vnum sacerdotem, cuius sapientiam rex voluerat experiri, sapientium numerus apud Carthaginem crescceret, & per ministerium persecutoris fides Catholica incrementum potius, quàm defectum, acciperet.

[c] Rex Trasamū. Fulgentio quæstiones proponit. Exstat eius dē reg. sobiectiones, atque respōsiōes S. Fulgentij, in operib. eius; quarum exordium est: Dictum est, Pater de se ipso, &c.

[d] Fructꝰ doctrinæ S. Fulgentij apud Carthaginem.

HÆC [c] omnia rex per occultos nuncios discens, egregij sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pie- XXII.
tatem, mansuetudinem, continentiam probat, & conuenientem famæ suæ præconijs talem esse, qualis prædicabatur, agnoscit. Dicta proindè quædam, veneno plena perfidiæ, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus pontifex, & longissimæ narrationis ineptias per obiectionum capitula diuidens, responsiones subiecit breues, probabiles, necessarias, authoritate testimoniorum graues, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis sapientibus viris diu multumque collatas, & ad populi notitiam perductas, regi quoque longa expectatione suspenso tradidit ingerendas: quas ille barbarus intentissimè perlegens, quia nunquam prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus, triumphi spiritalis interpres, propositiones regis fuisse conuictas læto murmure confitetur, & Catholicam fidem semper esse victricem, coniunctis beati Fulgentij laudibus, gloriatur.

ADHVC tamen rex virum doctissimum probare desiderans, de alijs eum quæstionibus rursus interrogat, & in- XXIII.
terrogationem suam semel tantùm beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim, ne verba eius conuincenda, sicut prius, sermonibus eius insererentur, totiusque ciuitatis iudicio victus esse iterum reprobaretur. Beatus verò Fulgentius semel sibi lecta vix recolere prævalens, respondere differebat: sed respondere eum rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, & cautelam sanctissimi viri, diffidentiam iudicans. Vnde idem Pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitā per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obuiare. Tres [f] libellos mirabiles facit: vbi memoratum regem simpliciter alloquens, totius quæstionis seriem, quam tenui auditu perceperat, latè reuentilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minimè defuisse. Tunc [g] rex admiratione maxima repletus, nihil amplius est interrogare ausus, nisi, quod vnus ex episcopis eius, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potiùs noluit, quàm respondere aliquid potuit. Cui tamen ilicò beatus Fulgentius alterius operis, quod aduersus Pintam titulauit, disputatione veridica restitit, & in prima defensione sua victos aduersarios, temerariè satis ostendit repetisse certamen.

[f] Lib. 3. ad Trasamun quorū exor di..m; Triumph. lib. sensib. &c.

[g] Opus Fulgetij aduersus Pintam, quod desidet.tur, vt notat Bar.

DE [h] Spiritu sancto interroganti presbytero Abragilæ, per commonitorium paruissimum testimonia protulit XXIV.
plura, docens eum, cum Patre & Filio Deum vnum simpliciter confitendum. Cuius etiam commonitorij sententias inter vtrumque istius temporis opus ordinauit oportere describi, legentibus omnibus fidelibus Catholicis, & mirantibus: erubescentibus Arrianis, & dolore contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione reperta, volenti eum regi intra Carthaginem diutiùs retinere, diceretur ab impijs & malis hominibus: Sine causa rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe iam doctrina Fulgentij episcopi prævaluit, vt de sacerdotibus tuis recōciliet aliquantos. Proinde nisi citò subueneris, religio nostra deficiet: & quicunque à nobis est baptizatus, homousion iterum prædicabit publicè reconciliatus: nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit regalis sæuitia. Multum quippe confortat, & stabiles facit omnes episcopos Fulgentij præsentia.

[h] Desiderat & commonitorū hoc de Spiritu sancto

SVGGERENTIBVS [i] talia, rex quasi magna necessitate constrictus, assentit, & beatum Fulgentium rursus ad exiliū XXV.
Sardiniæ reuocare compellit. Intempesta igitur nocte (sic enim rex fieri delegauerat) ad nauem beatus Fulgentius populo ignorante perducitur: sed contrario flatu resistentibus ventis, super litus tantas passus est moras, vt per dies plurimos omnis penè illuc ciuitas conueniret, & de manu eius valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum sanctum repletus, Iuliateo viro religioso nimis afflicto, grauiterque pro discessu beati Fulgentij pontificis ingemiscenti: Diutiùs, ait, flere noli: Cito reuertemur ad vos Catholicæ Ecclesiæ libertate reparata, videbitis nos.

[i] Iterum relegatur.

[k] Prædicit celerem reditum suū.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nos. Hoc autem, quæso, secretum sit apud te, quod nimia charitas indicare compulit me. Sic solicitè semper beatus Fulgentius iactantiam fugit, nec in donis spiritalibus humanam gloriam quæsiuit, testimonio conscientiæ suæ contentus, & sola Dei misericordia fretus. Vnde etiam miracula facere nunquam delectatus, hanc gratiam sibi dari nullatenùs desiderauit. Sed si quando petebatur pro infirmis & laborantibus, vel necessitatem tribulationum temporalium tolerantibus Dominum deprecari, preces suas sub hac deuotione fundebat: Scis, Domine, quid animarum nostrarum saluti conueniat. Poscentibus ergò nobis quod admonet necessitas, hoc misericordia tua concedat, vndè spiritalis non impediatur vtilitas. Oratio ergò nostræ humilitatis, si expediat, ita exaudiatur, vt voluntas tua principaliter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti sacerdoti multum concessit: sed ille nihil proprijs tribuens meritis, eorum potiùs fidei, pro quibus exaudiebatur, omnia deputabat: neque sibi, sed illis, hoc concessum fuisse dicebat.

XXVI. SED nè diù moras longissimas faciamus, vnam eius sententiam de faciendis mirabilibus inseramus. * Mirabilia, aiebat, non conferunt homini iustitiam, sed notitiam hominum. Quisquis autem fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna perueniet supplicia condemnatus. Ille verò, qui misericordiæ cælestis ope iustificatus, in conspectu Dei solius vixerit iustus, etiamsi parum sit hominibus notus, beata sanctorum percipiet gaudia coronatus. Vir ergò mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus, quanuis ampliora quotidiè miracula faceret, exhortatione sanctissima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos pessimis moribus deditos, continentiæ faciens leges excipere: dum per eius saluberrima monita sobrietatem discerent ebriosi, castitatem sectarentur adulteri, distribuere omnia pauperibus auari rapacesque docerentur: & mutato proposito, superbis humilitas, litigiosis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus [a] planè mirabilibus beatus Fulgentius piam semper operam dedit, quibus secum comitantibus, in omni loco & tempore gloriosus, fauente aliquandò sereni aëris tranquillitate Sardiniam reportatus, exultantium coëpiscoporum lætos animos reddidit, ipsamque prouinciam, cui tantorum præsentia sacerdotum tribuebat ornatum, præsentiæ suæ luce fecit splendidam, concurrentibus vndique cum gaudio Christianis hominibus, videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari sæuientis impetum regis fregerat, ad diuina castra rediisse insignibus laureis adornatum, & antiquis commilitonibus iunctum, tanto amplius exhibuisse laudabiliter humilitatem, quanto sciebat suam plus enituisse virtutem: memor sine dubio scripturę monentis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.

* *Miracula.*

[a] Redit in Sardiniam, cunctis lætantibus.

Eccl 3.

XXVII. NOLVIT planè iam beatus Fulgentius in priori domo multis fratribus comitantibus diutius habitare, sed iuxta basilicam sancti martyris Saturnini, procul à strepitu ciuitatis vacantem reperiens locum, * Brumasio Calaritanæ ciuitatis antistite venerabili prius, sicut decuit, postulato, nouum [b] sumptibus proprijs monasterium fabricauit: in quo quadraginta & amplius fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis ordinem custodiuit illæsum, nemini dans licentiam professionis sanctæ regulam præterire: sed principaliter hoc obseruandum monachis tradens, vt nullus eorum quicquam sibi proprium vendicaret, sed essent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere, nec posse monachum iudicari, cui voluntas habere priuatum peculium persuaserit. Vt enim monachus lautioribus forsitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis: vt autem cupiat in quamlibet exiguis rebus iuris proprij dominium vendicare, superbæ voluntatis & auaræ cupiditatis euidens testimonium est. Distribuebat sanè ipse cum summa discretione seruis Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans. Veruntamen quibuscunque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis: De substantia communi quisquis aliquid plus accipit, omnium fit debitor, quorum est illa substantia. Debitorem porrò sola iuuat humilitas. Sic efficiebat, nè quis scandalum pateretur, quando vni propter infirmitatem plus dare videbatur. Erat ei quoque nimia solicitudo, præuenire cunctorum monachorum petitiones, antè tribuendo, quicquid tribuendum cuilibet vel necessitas, vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset, priusquàm acciperet, petere: negabat ei continuò, etiamsi mereretur accipere, dicens monachos debere his, quæ acceperint, esse contentos. Cæterùm qui sibi * tanquam indigeant, petunt, desiderijs adhuc carnalibus seruiunt, & omninò non perfectè de cælestibus cogitant, quandiù quid sibi necessarium sit, ipsi sibi, quia non possunt negociando, petendo saltem prouidere festinant. Illos [c] quoque veros esse monachos dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, nihil nolle, sed abbatis tantummodò cõsilia vel præcepta seruare. Propterea sine consilio suo nec cum fratrem, qui Præpositi gerebat officium, sinebat aliquid agere. Laborantes fratres, & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minùs diligebat, nec honore maximo dignos iudicabat: In quo autem fuit scientiæ spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus, operari manibus nunquam posset, peculiariter habebatur dilectus & gratus. Amabat autem, quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones proposuisset acerrimas, in quibus excellentissimo laboraret ingenio: licebatq; generaliter omnibus fratribus, etiam natura simplicibus, parumve intelligentibus, vndè vellent, interrogare: nec priùs, quàm satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere, victus tædio vel labore, cessabat. Erat enim maxima ei & mirabilis gratia, corripere inquietos corde tranquillo: ita vt tunc magis quando putabatur ab alijs vehementer irasci, summa in eo vigeret regnaretq; placiditas, & sine perturbatione perturbato similis, multos male agẽtes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines, tandiù seuerus apparebat, quandiù disciplinæ spiritalis vtilitas exigebat. Aliàs autem circa singulos ita mansuetus fuit, communis & facilis, vt neminem fratrum puro nomine clamitaret, neq; cum † typho dominationis secularis, aliquibus quamuis paruulis imperaret.

* *Primasio. Baronius.*

[b] Nouum extruit monasterium exul Fulgentius.

* *Plus quã.*

[c] Veri monachi qui sint.

† Typhos, superbias. Sæpè Augustinus hac voce vtitur.

XXVIII. SCRIPSIT [d] eodem tempore [e] Carthaginensibus epistolam, sublimi exhortatione perspicuam, vbi penè cunctos dolos & fallaciæ blandimenta, quibus infelices animæ seducebantur ad mortem, grauissima conquestione digessit. Tunc etiã de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit, testimonia quoq; prædestinationis & gratiæ differentias cupientem nôsse, salubriter disputans docuit. Iam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, & ibi in Sardinia commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis præcipuè senatoribus, viduisq; ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de ieiunio [f] & oratione libellos duos conscripsit. Ita notior omnibus gentibus, cum duo libri, quos Faustus episcopus [g] Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi: à pluribus fratribus ad beatum Fulgentium probandi dirigerentur, nè occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plùs laborans exponere, quàm conuincere: quia dubios sermones eius exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere. Magnus planè huius operis labor meredem debitam citò suscepit. Vt enim est dictatio ipsa finita, protinùs est longissimæ captiuitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi regis, & mirabilis bonitas [h] Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donauit antistitem, cunctisq; in locis ordinationes pontificum fieri clementissima authoritate mandauit.

[d] Quæ scripserit Fulgentius.

[e] Epistolam hanc ad Carthag. deperisse refert Bar.

[f] Periere & hi De Ieiunio & orat. libelli.

[g] Faustus episcopus Galliæ Pelagianus.

[h] Hilderic. rex catholicus.

XXIX. BEATVS igitur Fulgentius, postquàm sapienter expugnauit Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos indè,

[a] Redeunt exules episcopi in Africam.

indè, secundum quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reuersus est[a] Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, vndè solus exierat. Inuenit lætos, quos reliquerat mœstos: inuenit nimia exultatione feruentes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes: inuenit habentes spiritualem patrem, quos reliquerat dolentes Ecclesiam matrem: inuenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio. Tanta autem fuit deuotio Carthaginensium ciuium, beatum Fulgentium reuisere cupientium: sic vniuersus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter, vt alijs episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super litus staret, oculis & mentibus inter omnes episcopos beatum Fulgentium, quem familiariter nouerat, quærens, & à cunctis nauibus beatum Fulgentium expetens. Vbi verò facies eius apparuit, immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus, quis primò salutaret agnoscendus, quis benedicenti caput supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procùl stantem. Resonabat diuina laus ex omnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei basilicam sequens populus & populus præcedens, confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi beatum Fulgentium, quem plus cæteris honorabat, concurrens alacriter comprimebat, donec cauta quorundam Christianorum prouisio, rotam in circuitu faciens æstuanti liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium charitatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundauit. Et quis opera pietatis enarrare valeat, absq; dispendio veritatis? Immensa pluuia neminem terruit, aut obsequium sacerdoti glorioso præbere prohibuit: immò [b] potius velut benedictione cælesti desuper descendente, tantum fides nobilium creuit, vt planetis suis super beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & nouum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Saluatoti super pullum asinæ considenti, & Hierosolymam venienti, vestimenta sua, sicut Euangelium loquitur, in via sternebant. Tale quippe aliquid & isti faciebant, qui proprijs indumentis beati Fulgentij nudum caput vnanimiter protegebant. Vix ergò appropinquante vespere, sanctæ memoriæ [c] Bonifacio episcopo repræsentati, benedixerunt omnes & laudauerunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius per omnes vicos ciuitatis Carthaginensis, vbicunq; transibat, manibus & oculis demonstrabatur, laudibusq; innumeris prædicabatur. Postquàm verò domos omnium diligentium se petitus visitauit, benedixit, & gaudere dignatus cum gaudentibus, qui priùs fleuerat cum flentibus, cunctorum desideria satiauit, valefaciens fratribus, egressus est de [d] Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia maiora reperiès, in occursum suum populis vndiq; tendentibus cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Fauor & gratia ineffabilis beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gloriosum; per omnes ecclesias tanquam proprius episcopus suscipiebatur, & sic de reditu eius omnis Byzacena prouincia velut plebs vna gaudebat. Quem, obsecro, gloriæ huius non extolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium [e] ad maius humilitatis studium prouocauit. Veniens nanq; cum gloria populari, dignitatem pontificis priuilegio specialis venerationis accumulans, postquàm cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desiderauit. Et nè videretur abbatis Felicis aduentu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademit voluntariè facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoq; facere voluntatem: & qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic solicitè cauens, nè Felicem contristaret abbatem, vt exhibens superuenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetisset, abbatis primò Felicis consilium requisisset. In omni deniq; concilio Byzaceno, de rebus maioribus ipse primò consulebatur: in monasterio proprio de rebus etiam minimis Abbatem Felicem suppliciter consulebat. Parum fuit beato Fulgentio verbis & operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scripturam quoq; firmaret, nihil sc in illo monasterio proprium vendicare, nec pro potestate, sed pro charitate inter monachos habitare. Considerans enim vir prouidus, nè quod seruiDei simplices præiudicium postea paterentur, obicem contradictionis in hac scriptura successoribus suis opposuit, quia vtilitati monachorum seruientium Deo nihil præposuit. Emit tamen iuxta ecclesiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impẽdit, ne futuro successori suo deesset hospitium: Clericorum [f] verò, si qua defuissent, ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad ecclesiasticam militiam transtulit: ibiq; charitati consulens, vt dum penè omnes clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familiaritatis monente notitia, nulla lis aliquando inter monachos & clericos ventilaretur. Summam quoque diligentiam præbuit, nè quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur, ac negocijs secularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutiùs vagaretur: iubens omnes non longè ab ecclesia domos habere, manibus proprijs hortum colere, psallendiq́ue suauiter aut pronunciandi curam maximam gerere. Per singulas septimanas omnes clericos ac viduas, & quicunque potuisset ex laicis, quarta & sexta feria statuit ieiunare, quotidianis vigilijs, matutinis, & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, aliquantos verberibus coërcebat. Vno flagellato, quem culpa manifesta flagellari coëgerat, ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, vt nullius interserens nomen, omnes cogeret metuere, & latentia quoque peccata salubriter timendo deserere. Veruntamen quomodò inter proprios clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium lites & contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis, ordinatum sibi episcopum recipere nolentis, salubri admonitione sedauit, debitumque finem scandalo grauissimo statuens, cuncta inter eos modestè & salubriter pacificans ordinauit. In concilio quoque * Vincensi iudicio sacerdotum omnium, qui conuenerant, episcopo cuidam, nomine Quoduultdeus, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus & prælatus, ipso die tacuit, nec authoritatem concilij excusando minuere voluit: sed vbi post concilium dolere sensit episcopum, timens propter suum honorem generare scandalum fratri, meliusque iudicans per charitatem se fieri minorem, quàm sine charitate maiorem; Suphetani [g] posteà concilij gloriosum respiciens adesse conuentum, precem supplicem coram omnibus fudit, vt sibi rursum, se volente, Quoduultdeus episcopus præferretur, vt nomine suo posteriùs recitato, lætus deinceps viueret, consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluërunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam spiritûs societatem in vinculo charitatis. Vbi sunt nunc illi, quibus eminendi super cæteros dominatur affectus, qui se etiam suis Prioribus anteponunt, indebita sibi priuilegia vendicantes? Ecce beatus Fulgentius nec primatum, quem meruit, defendere voluit: quia sine charitate prior esse alicui minimè concupiuit. Catholicæ [h] Ecclesiæ singularis magister & doctor, quamlibet inter varias occupationes hîc in Africa parum vacaret, plurimos tamen ecclesiasticos sermones, qui in populis dicerentur, scribendos dictauit. Vbicunque sermonem faciebat, mulcebat animos omnium, non inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis. Expectauit eum sanctæ memoriæ Bonifacius episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, apud Bu nos ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractantem: quandò tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lachrymis irrigaret, agens gratias Deo, cuius gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat præclarośq; doctores. Iã reuersus de exilio, nouem & decem libros Fabiani, mentientis falsa gesta, conuincens, de veritate præde ti nationis & gratiæ libellos confecit tres, aliaque multa digessit: quæ si quis scire voluerit, in eius monasterio veracit r scripta reperiet.

[b] Honorificè deducitur Fulgentius.

[c] Fuit hic Bonifacius Episc. Carthaginẽsis, vt habet Bar.

[d] Nota deuotionem catholici populi

[e] Oblata gloria reddit eum humiliorem: ò rara virtus.

[f] Monachos ministeriis ecclesiasticis adhibet.

*Viuecensi.

[g] Nota insignem tanti viri humilitatem.

[h] Plurimas scripsit homilias siue conciones.

NOBIS

NOBIS autem iam tempus est dicere, quomodò post omnia bona opera sua requieuerit, ad cœli regna translatus. Ante[a] annum fermè, quàm de isto seculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subitò ecclesiasticas occupationes, & de ipso quoque monasterio suo secretò recedens, ad insulam Circinam, paucis comitantibus fratribus, nauigauit. Vbi in quodam breui scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi ac ieiunijs vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit. Et quanuis tota vita eius, ex quo monachorum professionem conuersus ex toto corde suscepit, pœnitentiæ fuerit tempus, in hac tamen insula multo amplius ac multo diligentiùs inchoanti similis, membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit. Indè iam plurimis de absentia sacerdotis murmurantibus, charitatis necessitate constrictus, iterùm descendit ad monasterium suum, consueta hominibus religiosis exhibere solatia, laboresque durissimos pro vtilitatibus proximorum longanimiter sustinere. Non multi autem fluxerant dies, & ecce seruum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit[b] enim repentè in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta propè diebus ægritudine fatigatus, hoc solùm frequenter dicebat: Domine, da mihi modò hîc patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone aliquando cessauit, siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis, vt lauacris balnearibus vteretur: Nunquid balneæ, inquit, facere potuerunt, nè homo mortalis, expleto vitæ suæ tempore, moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi, obsecro, persuadetis, vt rigorem diù seruatæ professionis in fine dissoluam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens, postquàm se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos clericos suos, præsentibus monachis, allocutus est eos, dicens: Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti. Et ideò obsecro vos, vt ignoscat mihi, quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum, orate nè mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia beato Fulgentio lachrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem pro omnium salute, sicut decuit, inuigilâsse clamantes: Prouideat ergò, ait, vobis Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc[c] imperato silentio paululum requieuit: & deindè curam pauperum gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidiè egentibus ministrabat, totum iussit expendi, per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina: quibus quid singulatim daretur, propria deliberatione constituit: hæredes in hoc seculo non habens, hæreditatem tamen huius beneuolæ sollicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudauit, ipsorum quoque paupertati misericorditer consulens: ac secretè omnibus ordinatis, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo[d] die Calendarum Ianuariarum post peractam vesperam beatum spiritum felicitet in manus Domini tradidit, annum sui episcopatûs agens vicesimumquintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis antè fratribus morti proximus indicauit. Ipso autem die sanctum corpus eius sepeliri minimè potuit, sed in oratorio monasterij constitutum, tota nocte illa in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus vigilare monachos simul & clericos inuitauit. Manè verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, sacerdotum manibus ad ecclesiam ciuitatis, quæ Secunda dicitur, vbi etiam reliquias apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus[e] planè in eadem basilica Pontifex poni meruit, vbi nullum mortuum neque sacerdotem, neque laicum, sepeliri consuetudo sinebat antiqua: sed magna vis dilectionis, remouebat impedimentum consuetudinis: ambientibus vniuersis ciuibus, & cum summa deuotione quærentibus, vt vbi vir sanctus & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adiunctus. Probauerant quippe sæpiùs, quanta bona illis oratio beati Fulgentij præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut postea manifestis indicijs euidenter apparuit, quando non post plurimos dies decessionis eius, gens inimica[f] Maurorum Ruspense territorium repentè vexauit, rapinis, cædibus, incendijs multa deuastans, atque intra ipsos ecclesiæ parietes, quos inuenire potuit, iugulans. Quis beati Fulgentij gratiam non miretur? Quandiù vixit, furorem belli ciuitas, illi commissa non sensit: & cùm tota penè prouincia captiuitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis propter sacerdotem venerabilem, cuius vita proprijs ciuibus murus fuit. Nec hoc prætereundum silentio iudicaui, quòd dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis, annum propè integrum prolixitas contentionis exegit, vt illa die sanctitas tua super eius cathedram sederet, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc priuilegio meruit prima solennitas depositionis eius, vt multo amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nôsse, quomodo non fortuitis motibus ista prouenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam beati Pontiani episcopi Thenitani, quam sic ipse narrauit: Eunti mihi secundum præceptum Datiani primatis, vt Ruspensi Ecclesiæ eligeretur antistes, idem beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit, & affabili, sicut solebat, adspectu salutans amicabiliter: Quò, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi: Vt Episcopus Ruspensi Ecclesiæ eligatur. Ille verò subridens. Iam, inquit, ordinatus est. Cui non apparet ipsius orationibus fuisse perfectum, quo est visitante prædictum? Qui ergò nouerat confirmationem necdum electi, vel ordinati, diem quoque, quo in cathedra considere poterat ordinatus, iam orando meruerat. Votis itaque continuis & fideli deuotione semper optamus, vt gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto prædecessore feliciter viuas, operisq; huius de perfectione nobiscum Domino gratias agas, & pro his, quæ minus fortè dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus lectoribus veniam petas.

[a] Sub mortẽ vel maximè se dat pœnitentiæ.

[b] Precatio Fulgentij in summis doloribus.

Num 27.

[c] Moriturus distribuit omnia pauperibus, &c.

[d] Moritur sanctus episcopus anno 519. vt notat *Bar.*

[e] Eius honorificum monumentum.

[f] Mauri Ruspense territorium populantur.

VITA S. EVPHROSYNES ALEXANDRINAE, EX SIMEONE *Metaphraste.*

AN. 420.

VM Romanorum sceptra Theodosius Archadij filius regeret, vir quidam, nomine Paphnutius, cognoscebatur in magna ciuitate Alexandrina, diuitijs quidem locuples, sed multò magis virtutis diuitijs, & animi nobilitate splendidus ac præclarus. Is matrimonio erat coniunctus mulieri virtutis studiosæ, & quæ magna erat in Deum pietate, adeò vt esset hoc re vera minimè fallax coniugium, & quod beneuolentia vtrinque tenebatur. Hanc filios non habentem cum videret maritus, angebatur animo. Quid ni enim? Nam quicunq; iunctus est matrimonio, hoc principaliter cupit, se filiorum esse patrem. Quærebat[g] ergò inuenire rationem, qua ab hac liberaretur molestia: & cùm rem vitæ suæ sociæ rectè communicâsset, consulebat vt confugeret ad eum, qui potest omnia. Quocirca illa quidem vacans ieiunijs & precibus, Annâ imitabatur, & ea, quæ illa, loquebatur: Adonai, dicens, Domine Eloi Sabaoth, si adspiciens adspexeris super ancillam, & dederis mihi filiũ ex vtero meo, offeram tibi Deo, qui es daturus. Ille autem sacra obibat monasteria, eos, qui in ipsis exercebantur, prouocans ad Deo supplicandum.

IANVA. I. Quidam eam habent 11. Februar.

[g] Euphrosyne parentes ieiunijs & precibus eam impetrant a Deo, 1. *Reg.* 2.

PORRO

PORRO autem cùm audijſſet in quodã ſacro monaſterio eſſe ſenem, cui magna vitæ puritas cõciliabat apud Deum fiduciam, eum adiens Paphnutius, cùm, quæ conueniebat, eſſet collocutus, deindè eum rogauit de ijs, quæ erãt propoſita: Adſpice, dicens, ad me, pater, & vide meam humilitatem, & luce tuarum orationum diſcute nubem mœroris, quæ me premit. Eſt enim iam longum tempus, ex quo verſans cum vxore, quæ eſt æquè, atque ego, iuuenis, & moleſtiarum matrimonij particeps, ijs, quæ ſunt ex eo, bonis, ſi matrimonij bonum eſt liberorum ſuſceptio, ſum priuatus miſerabiliter: & propterea quòd careã liberis, totius premor animi ægritudine, ſi nihil aliud, probra non ferens vicinorum, qui me irridentes, tanquàm ſterilem & infertilem conuicijs appetunt. Hæc ille quidem dicebat cum lachrymis, prehenſans pedes ſacroſancti illius ſenis. Ille autem (ſunt enim miſericordes, qui virtuti & Deo dant operam) verbis flectitur Paphnutij, & ſe totum confert ad orationem. Iuſti itaque oratio, operante apud Deum vi eorum, quæ ipſum ad hoc prouocabant, ieiunijs & precibus, & communicatione ac benignitate in pauperes, fuit exaudita ab eo, qui audit preces eorum, qui ipſum inuocant in veritate: & Paphnutio naſcitur filiola, quæ ab infantia præ ſe ferebat eximiam corporis pulchritudinem: quæ etiam vtique ſubindicabat elegantem & ſcitum, qui in ea poſteà fuit, animum: & protinùs quidem ſoluit matris filiorum egeſtatem, ſoluit autem patris quoque triſtitiam. Vt ergo etiam eſſet nomen conueniens illi rei, quam erant aſſecuti, eam protinus nominant Euphroſynem, hoc eſt, lætitiam. II.

Pſal.144.

HANC [a] ergò Paphnutius, cùm eſſet fidei fructus, alebat potiùs virtute, quàm ijs, quæ carnem pinguefaciunt: & ijs, quæ ſtant ac manent, magis quàm ijs quæ effloreſcunt, perſuadet animum adhibere, & animæ curam gerere, rei immortalis, magis quàm eius, quod citò marceſcit, docebat corporis. Ipſaq; adſpiciens ad virtutem, parentum, & ab illorum probitate animum non habens diſcrepantem, creſcebat, vt corpore, ita etiam animæ pulchritudine. Erat ei iam annus duodecimus, & mater è vita præſenti exceſſerat. Filia autem ſic formata, & ei ætate procedente virtutem magis habens accedentem, deſiderabat verum ſponſum, &, quam ille diligit, curam gerebat animæ pulchritudinis. Qui [b] autem attendebant res ſolas corporeas, & ſpectabant illius formam corporis, & rectè ſciebant, quàm eſſet nobili loco nata, octauumdecimum iam annum agentem, patrem conuenientes, petebant in matrimonium. Is autem, cùm non poſſet eorum poſtulata repellere, vni, qui præſtabat omnibus opibus, gloria & virtute, deſpondet puellam, conſilium capiens eius virtute longè indigniſſimũ, vt qui non adſpexerit ad filię ſuæ ſtatum, & illius in Deum pietatem: nec quòd tota euaſiſſet Deo familiaris, eiq; ſoli placere, & eius eſſe ſponſa perpetuò eſſet meditata. Horum ergò ille nihil reputans, parabat nuptias filiæ minimè conuenientes. Sed zelans zelauit Dominus eius verus ſponſus, & abripit quidem à matrimonio, & ijs, quæ conſequuntur matrimonium, vt procedens oſtendet oratio: eam autem ad vitam compellit præſtantiorem, quæ eam ipſi coniungebat per multam puritatem. III.

[a] Euphroſyna nata, optimè educatur.

[b] Deſponde tur viro Euphroſyne.

NAM cùm pater quidem hoc cepiſſet conſilium, non eſſet autem illa tuta, ſi non ſenis priùs precum particeps, quarũ ipſa erat fructus, ſic veniret ad nuptias, benedictionis gratia ad magnum illum ſenem venit cũ parente. Deindè cùm illius audiiſſet ſermones, & Monachorum tunc primùm vidiſſet ſtatum, ſæpè dixit: Beati, qui hoc vitæ genus propter Chriſtum ſuſcipiunt. Ille autem cùm animi perſpicacibus oculis, quid puella vellet, eſſet contemplatus, preces quoq; fudit eius deſiderio conuenientes: Deus, ô filia, dicens, faciat quod ſit tuæ animæ futurum conducibile, & in eius timore confirmet, & dignam cenſeat bonis paratis ijs, qui ipſi placuerunt. Cùm hæc dixiſſet, & ſic ei eſſet precatus, illius animæ duplicem immittit erga Deum amorem, & vehementiùs accendit eam, quæ inerat, pietatem. Domum ergò reuertẽs, rurſus dicebat: Beati, [c] qui ſuſcipiunt vitæ genus monaſticum, quoniam & hîc ſic viuunt, vt parùm aut nihil ab Angelis differant: & poſtquàm hinc exceſſerint, vita fruuntur æterna. IV.

[c] Vitæ monaſticæ encomium.

CVM domum autem veniſſet, negligebat quidem cultum corporis, adeo vt nec aqua quidem frigida faciem lauaret: lachrymis autem & ieiunijs, animæ lætificabat ſpeciem. Torques autem, inaures, & monilia, & aurum, quod manus exornabat, traducebatur ad ornatum animæ, ſuppeditatum pauperibus. Non [d] erat ei curæ mollis veſtis, ſed illius loco ei curæ erat inducere cilicium. Ex æqualibus non ijs omninò delectabatur, quæ loquebantur ad voluptatem: ſed cum ijs, quæ ſibi ſimilem habebant in Deum amorem, ſemper lubenter verſabatur. Aniles autem nugas, & vanos mulierum ſermones, ne ſummas quidem ſuas aures ſinebat tangere. Erat verò hoc quoque ei ſtudio, cum ijs, qui illic verſabantur, monachis, quique pia aliqua de cauſa ad patrem accedebant, differere, & ab illis diuina diſcere. V.

[d] S. Euphroſyna vtitur cilicio.

NON multum interceſſit temporis, & pater accerſitus venit in monaſterium, vbi erat ille magnus, ſimul cum monachis peracturus memoriam illius, qui extruxerat monaſterium. Cùm illic ergò tres totos dies manſiſſet in monaſterio pater eius ſecundum carnem, Euphroſyne accepta occaſione, & accerſito quodã monacho ex monaſterijs Scetis, qui tunc diuina prouidentia venerat Alexandriam, (erat autem is magnus virtute) ei ſuum communicat conſilium. Ille autem: Audijſti, inquit, ipſa quoq; cum ſis pia in Deũ, quàntum poſſum videre, & verſata in doctrina diuina, quæ nã Saluator dicit in Euangelijs, quod qui patrem aut matrem honorat pluſquàm ipſum, ipſo indignus efficitur. Hac vtens doctrina, & hac ſententia tuum erigens animum, quod ſtatuiſti, citò velis effectum reddere: & ignem in corde ſuſcipiens eius, qui eum miſit in terram, vide nè ſocordia & mora eum extinguas: ſed quàm primum ad finem deducas id quod animo agitas. Nemo enim mittens manum ad aratrum, (vt diuina dicit ſcriptura) & retrò conuerſus, eſt aptus regno cælorum. Hæc cum audiuiſſet à ſene, eius verbis paret protinus, & ab eo petit, vt monaſticum conſequatur habitum. Ille [e] autem prompto & alacri animo impleuit, quod preces conſuetas, & quicquid erat in more poſitum, impleuiſſet, monaſtico eam induit habitu. Et cum precatus eſſet ei finem ſcopo conuenientem, in ſuum reuertitur monaſterium. VI.

Matth.10.

Luc.12.

Luc.9.

[e] Induit habitum monaſticum.

POSTQVAM autem pius ille ſenex receſſiſſet, conſiderabat apud ſe Euphroſyne, quomodò, & vbi ſibi datum ad mercaturam exerceret talentum, maximè cum ſciret patrem ſibi fore impedimento ad id, quod deſiderabat. Cum ergo quæſiuiſſet modum, per quem poſſet omninò latére & beneuolentiam patris, & ſponſi amorem, ſtatuit quidem veſtem exuere muliebrem, virilem autem induere. Et quoniam ſciebat eos, qui ipſam erant perſecuturi tanquam fœminam, eſſe ſcrutaturos in monaſterijs mulierum ſtatuit ſeipſam collocare in numero monachorum. Hoc autem conſilium capiens, nocte quadam exuit quidem ſuam veſtem & ſimul cum tunica etiam muliebrem exuit imbecillitatem: induit autem veſtem ſalutarem, & quam primum tranſmutatur in virilem habitum. Deindè cum latuiſſet ancillarum multitudinem, & ipſos parentis oculos, & ædes deſpexiſſet præclaras ac magnificas, Chriſti crucem tollens, protinus abiit, volens ſe dignam reddere eo, quod deſiderabat, & venit ad illud monaſterium, cui præerat ſenex, cuius precum fuerat fructus. Et [f] cum veniſſet in conſpectum Præfecti monaſterij, interrogata fuit, quiſnam eſſet, & vnde, & quanam de cauſa ad eum acceſſiſſet. Illa autem dixit, ſe vocari quidem Smaragdum, eſſe autem ex aula Imperatoris: (Sic enim dicebat volens latére) reliquiſſe verò omnia, vt infida & inutilia, ac deſideraſſe vitam monachorum: & ex vrbe quidem fugiſſe regia, vt quæ eſſet plena tumultibus, & quod amicorum & familiarium nollet vexari congreſſione, & ab eis interrumpi ſuum quietis deſiderium: cum autem de iſtorum ſanctitate monachorum multa audiuiſſet, eò veniſſe, ſi quo pacto digna haberetur referri in eorum numerum. VII.

[f] Virorum petit monaſterium.

LÆTATVS

IIX. LÆTATVS est vir ille, & verbis & morum modestia admirandus, &, Ecce monasterium, inquit, fili, si tibi placet referri in numerum fratrum, nemo est prohibiturus. Sed quoniam es ætate adhuc iuuenis, & statûs monastici nondùm perfectam cœpisti experientiam, oportet te esse sub magistro, & ab eo discere vitæ perfectionem. Illa[a] autem, Hoc quoque mihi est cordi, & volo non vnum solùm, si videtur, sed multos etiam habere, qui ad virtutem me sint instituturi. Sic ea, cùm tanquam solidum & validum fundamentum, seni priùs iecisset obedientiam, traditur * Agapio monacho, qui & in rebus diuinis erat eruditus, & processerat ad summam impatibilitatem : & ab eo, vt dicam sicut diuinus Dauid, diurno fingitur figmento, & componitur ad vitam piam ac religiosam. Verumenimuerò qui nobis inuidit ab initio, & gloriatur se totum orbem terræ, tanquam nidum, comprehensurum, non ferebat, videns mulierem callidos suos laqueos superuolantem, & tanquam columbam spiritum ferri sublimem. Sed angebatur videns tam prudens consilium, & quod ita se ad latendum instruxerat: & ægreferebat videre suas artes eludi à iuuenili corpore, eoque muliebri. Aliquando[b] quidem certè eius in Deum curam ac meditationem studebat auellere, parentum accendens desiderium: aliquando autem diuitiarum, gloriæque & sponsi memoria conabatur eius emollire spiritus. Præterea ei in memoriam reuocabat consuetudinem familiarium & æqualium. Sed cùm omni ex parte eam aggrederetur, & ei immitteret tentationem, repellebatur. Quid ergò facit? Se aliorum oculis dispertijt, & eos sauciauit telis eius pulchritudinis. Illi autem cùm non possent continere vehementem cupiditatem: scirent autem non esse tutum celare morbum, rem Præfecto aperiunt: & triumphant de bello, quod illatum fuerat à maligno. Et hoc fit eis quidem mali remissio, illi autem maius incrementum ad perfectionem virtutis. Monasterij enim Præfectus eis conuenientia dat morbi medicamenta: illi verò nihil scienti eorum, quæ facta fuerant: Volo, te, inquit, seorsùm degere in cella aliqua, in qua traditam tibi seruans regulam, neque vllos illic admittes, neque omninò egredieris, neque te vllis præbebis ad colloquendum. Solus autem, quæ tibi erunt vsui, subministrabit Agapius. Dixit, & statim præcipit Agapio, vt Smaragdi, quam oportet, curam gerat, non solùm in spiritalibus, sed etiam in ijs, quæ ad corpus pertinent, quoàd eius fieri poterit, vt nulla re necessaria indigeat. Itaq; [c] beata illa, vt ei erat gratum, liberata à molestiis, in Christum magis auxit amorem, laboribus quidem addens labores, ieiunijs autem ieiunium, & prioribus vigilijs adiungens maiorem aduersus somnum decertationem, adeò vt & ipse videns miraretur Agapius, & hæc alijs manifesta redderet. Sed hæc quidem posteà.

[a] Obedientiæ laus

* *Agapius nominatur in vitis Patrum.*

[b] Dæmon impugnat S. Euphrosynen.

[c] Laboribus, ieiuniis, & vigilijs studet Euphrosyne.

IX. QVÆ autem prætermisimus dicere, nunc recenseamus. Cùm eius pater tandem domi non adesse charissimam filiam cognouisset, primùm quidem adductis famulis & ancillis, rogabat quid hoc esset, & scisitabatur, ad quemnam ex cognatis aut familiaribus profecta esset filia. Cùm autem ij quidem dixissent, eam vespere, postquàm vt consueuerat, ostium claussisset cubiculi, in lecto dormijsse: manè autẽ, ea nõ procedente, eos esse ingressos, & inuenisse vacuũ eius lectum & domum, arbitrabatur eam abijsse ad sponsum: & ad eum mittens, rogauit, an ad ipsum venisset Euphrosyne. Postquàm autem ipse quoque sponsus, qui nihil acceperat eorum, quæ acciderant, repentino nuncio perturbatus ad eum accessit, inuenit Paphnutium victum à paternis visceribus, barbamque vellentem, & genas lacerantem vnguibus, & miserabiliter dicentem. Quò[d] profecta es filia? Cur me tuum parentem, lugentem & tristem reliquisti? Non te ad hanc spem alebam, sed vt haberem baculum senectutis, & solatium imbecillitatis. Hei mihi filia, quo modo feram tuî orbitatem? Quomodò patiar solitudinem, cum in te sola spem defixissem? Non est mihi ampliùs vllus filius, vt ad eum adspiciam, & quem propter te capio, doloris ex eo inueniam solatium. Nihilominùs [e] dolebat, quàm pater, sponsus, & contendebat cum illius lamentationibus, præter spem tali bono frustratus. Consulebat tamen, vt viriliorem susciperent cogitation m, & missis lamentationibus, surgerent ad eam quærendam. Mittunt ergò quam primùm in omnem partem, qui illam scrutarentur: & proficiscuntur equites in Libyam, & Ægyptum, & ipsam Palestinam. Portæ præoccupantur ciuitatum, occupantur portus, viæ, triuia, & si quid erat, quod latebat, & poterat celare. Sed Dei agna, qui ab ipso cælabatur, non poterat capi ab ijs, qui eam cupiebant capere. Quomodò enim, cùm ille nollet?

[d] Eius discessu cruciatur Paphnutius.

[e] Item sponsus.

X. OMNI ergò ex parte dubius erat & perplexus Paphnutius, non habens, qui eum consolaretur: nam & domus lamentationibus plena erat & fletibus, & quicquid ei occurrebat spectandum, ducebat ad maiorem mali reminiscentiam. Siue enim vestis eius, seu ornamentum aliquod, aut aliquid aliud fortè videretur præsens, id erat occasio fletuum, & illud imponens oculis, & cum maximo versans desiderio, humectabat lachrymis. Mœrore ergo omni ex parte appetitus, & non valens medicamentum inuenire ad solatium, statuit rursus venire ad magnum illum senem, per quem dignus erat habitus vocari eius pater, & narrare quod euenerat. Sic enim statuebat, quod qui eam, quæ non erat, potuerat suis præbere precibus, is eam latentem poterit reddere manifestam. Venit[f] itaque ad eum, & ad illius pedes procidens: Hei mihi, O pater, clamauit: Perdidi fructum tuarum orationum, & sum orbus libris, qui per te pulchram habebam prolem. Inuidia alicuius dæmonis perijt Euphrosyne domûs meæ lætitia: perijt præter spem, nullo sciente ex domesticis, vbi sit, vel quonàm sit profecta. Te ergò mihi paululum cõcede, & eos, qui sunt tecum: & huic rei vacans aliquantulùm, pete ab eo, qui à pijs colitur, vt mihi significet, vbinàm sit lux meorum oculorum. Flexus itaque senex, & animo perturbatus, cum Paphnutij lachrymis esset illachrymatus, accersit omnem fraternitatem, & eorum, quæ Paphnutio acciderant, proponit narrationem: iubetq; vt totam hebdomadam se ieiunio dedant, & orationi, si fortè alicui apparuerit, vbinam terrarum lateat Euphrosyne.

[f] Paphnutius à monachis petit, vt preces Deo pro illa offerant.

XI. HOC tamen facto, ad nihilum redibant eorum preces. Resistebant enim illius orationes, petentis vt ignararetur: Statuebat namque Deus sinere illum potiùs parum lugere, quàm ipsum liberans à dolore, dolore magis afficere animam, quæ & naturæ, & paternæ beneuolentiæ propter ipsum nullam duxit rationem, & alioqui, nè retardaret & impediret virtutem, qua nihil est præstantius. Cùm[g] hæc ita contigissent, dicit senex Paphnutio: Nè sis tristis, O fili Paphnuti, neque vt quispiam ex infidelibus, & qui hac vita omnia metiuntur, nihil autem possunt amplius cogitare, pusillo & abiecto animo defleas recessum tuæ filiæ. Crede autem mihi seni, hãc pio & religioso scopo esse progressam: aliàs n. nos non celasset, quod factum est, Dominus. Age ergò ipsi gratias, & venerare dispensationẽ, quæ fit, vt ei videtur: & videbis quidem ipsam paulò post etiã in hac vita, si hoc conducit vtriusq; : sin minus, postquã quidẽ certè ex hac vita excesseritis, diuina tabernacula ambos omninò excipient. Hoc enim mihi dat cogitandum tanta illius pietas & amor in Deum. Sic Paphnutius cum multum remisisset de sua animi ægritudine, domum redit, & rebus suis beneordinatis, reuertitur in monasterium.

[g] Abbatem consolatur.

XII. CVM autem sic assiduè ventitaret in monasterium, virtutis studiosiores requirens monachos, vt qui lubenter eorum frueretur consuetudine, (vide ineffabiles rationes prouidentiæ) audit ex fratribus monasterij, quòd sit apud eos quidam frater, qui non longo quidem tempore se exercuit, ad summam autem breui peruenit virtutem : eique nomen Smaragdus, illustri quidem loco natus, & qui diuitijs abundabat, & pecunijs: his verò omnibus contemptis, vitam elegit monasticam, tantumque profecit in virtute, vt nemo ferè sit ex omnibus alijs, qui possit cum eo contendere. Eum trahit auditio, vt veniat in eius conspectum. Per[h] Agapium itaque conuenit illum virum virtute suspiciendum. Illa autem cùm patris faciem adspexisset, & cognouisset quidem, non esset autem cognita: mutata enim erat propter nimiam asperitatem & inediam, & habebat non aperta vultûs lineamenta: vincitur à natura, & sensim fon-

[h] Fuisset Euphrosynen nescius.

sim fontes emittit lachrymarum. Pater autem eius existimabat hoc euenire ex compunctione, non valens coniicere se esse lachrymarum occasionem, vt qui eam paterno sauciâsset spectaculo. Deindè cùm cessâsset flere, nihil quidem fatetur eorum, quæ pertinebant ad cognitionem, veluti contendens vincere naturam, quæ iam eam vicerat, & effecerat vt ei orirentur lachrymæ. Tanta autem eum implet vtilitate, & ex morum moderatione, & ex doctrina sermonum, vt plenus admiratione accesserit ad senem, & dixerit se multùm ei debere, quòd dignus sit habitus, qui talem virum videret & conueniret.

CVM triginta itaque & octo annos talem vitam Euphrosyne egisset in monasterio, & quænam esset, nulli fuisset omninò cognita, quando oportebat eam ex hac vita excedere, patrem, qui omninò diuina quadam prouidentia tunc erat in monasterio, propter vsum aliquem, accersit illa beata, & rogat, vt tres dies maneat in monasterio, dicens non inutilem eam moram sibi fore. Sed cui summæ erat curæ de charissima aliquid scire filia, pater lubens obedijt. [a] Cùm autem iam adesset tertius & vltimus, cum prope se aduocat, & dicit: Quoniam Deus res meas, vt voluit, administrauit, & vt in proposito ab initio suscepto vsque ad finem permanerem, mihi vires tribuit, volo te hodiè liberare multis solicitudinibus, & de filia tua, quod scio, dicere: quam sat scio te sitire, & eius ardere desiderio. Scias ergò, inquit, ô pater, me esse tuam filiam, vultum ostendens quàm fieri potuit euidentissimè: vt latérem autem, me in hunc transmutâsse habitum, ex quo mihi omninò Dei benignitate euenit, vt licèt te viderim per totam vitam, nullum tamen à te mihi allatum sit impedimentum in suscipiendo certamine exercitationis: & tu nunc adsis, vt tuis manibus sepulturæ meæ mandentur reliquiæ. Sic [b] dixit, & Domino statim tradidit animam. XIII.

[a] Euphrosyne se præbet ei agnoscendam.

[b] Moritur.

ILLE [c] autem re inopinata stupefactus, non respirans, humi cecidit, tanquam mortuus, adeò vt aqua eius faciem adsperserit Agapius, & cùm eum ad se reuocasset, rogaret quî factum sit, quòd ei defecerit animus. Ille autem dixit se vidisse res adeò abmirabiles, vt cuperet etiam mox vitam cum morte commutare. Deindè cùm surrexisset, & circunfusus sanctis illis esset reliquijs, & eas irrigaret lachrymis, & commixtos gaudio fletus emitteret, & clamaret: Hei mihi, filia dulcissima, cur non te mihi diù antè aperuisti? Cur non me vnà tecum assumpsisti socium in opere tui propositi? Heu me miserum, quid mihi accidit? Quomodò fuit tanta mea ignorantia? Quomodò nesciebam me in manibus habere, quod quærebatur? Quid agam? Festum ne celebrabo, hanc videns quæ processit ex meis lumbis, an lugebo vlectus paternis visceribus? Sed non est honestum eos lugere, qui postquàm hinc excesserint, vadunt ad vitam meliorem, etiamsi natura domesticos amplectens, me cogat hoc facere. Verumenimuero lugentem me excipit gaudium, fontes reprimens lachrymarum, & persuadet vt postulem quam primùm hinc excedere. Scio enim fore, vt eam videam, & ab ea videar, hoc concedente Dei benignitate, & simul viuam in secula cum ea, quæ à me quidem est genita, ei autem vixit, & beatam illi tradidit animam. XIV.

[c] Eius morte valdè ille perturbatur.

HIS verbis cùm totum actum intellexisset Agapius, id annunciat cum clamore & admiratione Præfecto & fratribus. Illi autem contendebant alius alium præuenire, obstupefacti noua & aliena auditione, & studebat vnusquisq; primus venerandas amplecti reliquias. Cùm [d] autem accessisset quidam ex fratribus altero oculo orbatus, ipse quoq; amplexurus, lucem est assecutus ab ea, quæ diuina luce digna erat habita, & duos habuit illæsos oculos, certũ effectus testimonium illius fidei & beatitudinis, quam illa fuerat assecuta. Non ampliùs ergò sepulturæ meminerant, qui aderant: sed eius obliti, glorificatione & admiratione diuisi erant cum lætitia. Cùm autem vix tandem reputâssent, etiam post sepulturam eundem esse thesaurum, illam deponunt in monumẽtis patrum, luce diuina in facie illustratam. Eius autem pater ne cogitauit quidem discedere à monasterio. Cùm [e] autem solum tãtum recessisset, quãtum satis esset ad suas facultates diuidendas pauperibus & ecclesijs, & ijs qui alioqui piè viuunt, & non habent ea quæ sunt necessaria, & vtitam aliqua consecraret cœnobio, se deinceps refert in numerum fratrum, & illic reliquum vitæ tempus transigit, in storea & cella Euphrosynes recumbens, & id esse magnum ducens ad lætitiam. XV.

[d] Monachus luscus eius oculãs sacrum corpus, lumen recipit.

[e] Paphnutius relictis omnibus, fit monachus.

CVM [f] ergò ipse quoq; decem annos transegisset in monasterio, & vitam peregisset accuratam & perfectam, migrauit ad Dominum, cum iussisset suum corpus deponi prope filiam, hoc etiam post mortem ducens esse satis solatij, surdo pulueri corporis largiri propinquitatem eius, quod desiderat. Ad perpetuam memoriam, & gloriam Dei, qui hæc sic dispensauit. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen. XVI.

[f] Abit è vita.

Habes aliam S. Euphrosynæ vitam ab hac diuersam incerto auctore in vitis Patrum lib. 1.

AN. 1000

VITA ET MIRACVLA S. ODILONIS ABBATIS CLVNIACENSIS V. AVTHORE PETRO DAMIANO, S. R. E. Cardinali Ostiensi.

1. IANVA.

PETRVS Damianus sanctis Ecclesijs, quæ sunt in occidentalibus Galliarum partibus constitutæ, salutem, quæ est in CHRISTO IESV. Hugo [g] Cluniacensis monasterij rector, & spiritualis militiæ dux ac præcipuus informator, hoc mihi laboris iniunxit, vt vitam beati Odilonis, decessoris videlicet sui, proprio stylo succinctè perstringerem, & ex his, quæ in anterioribus paginis latius reperiebantur esse diffusa, *vtiliora quæque, magisque necessaria breui compendio deflorarem. Cuius ego compulsus imperio, non venustatem luculenti aucupabor eloquij: sed sicut ex oblatis apicibus deprehendere potero, cum Dei omnipotentis auxilio, meræ veritati deseruire tentabo. Superfluum quippe est, lucernam manibus adhibere, dum micantium stellarum conaris signa distinguere: ego quoq; dum actus mirabilis viri, tanquam sereni cuiusdam atque perlucidi cœli stellas ostendo, facetijs vrbanæ facundiæ non indigeo. Ipsa quippe per se sanctorum vita fideliter enarrata, sic rutilat, vt splendorem accurati sermonis, ad illustranda fidelium corda non requirat. Huc accedit, quia rusticitas sermonis inculti, suspicionem purgare consueuit mendacij. Nam qui vix sufficit, vt elimatum saltem depromat eloquiũ, quomodò nouerit fabricare commentum? Et certè maioris tibi honoris est, vt rex in ferro, quàm seruus attitularis in auro: & habilior est aqua perspicua in vasè fictili quàm lutulenta vel lurida, quam non sapor proprius, sed exteriora commendant ornamenta gemmarum. Sic & melior est veritas in simplicibus verbis, quàm sit mendacium in elucubrati venustate sermonis. Sed iam res ipsa producatur in mediũ, & illius summæ veritatis auxilium imploremus, quæ abbreuiatum verbum per prophetam promittitur: quatenus in huius scriptionis articulo & competenti breuitate succinctos, & à nota mendacij nos exhibeat alienos.

[g] Is Hugo fuit VI Abbas Cluniacensis, Odilo V.

*meliora

*Esa. 10.

BEATVS [h] igitur Odilo * Auerniæ oriundus, ex equestri quidem ordine genus duxit, sed terrenæ prosapiæ lineam caelesti nobilitate transcendit. Hic dum adhuc puerili teneretur infantia, tanto repentè est omnium ferè membrorum languore constrictus, vt incedendi quoque prorsus amitteret facultatem. Accidit autem aliquando, vt nutrix eum ante ianuam cuiusdam Basilicæ, quæ in honorem beatæ Dei genitricis erat dedicata, relinqueret, & ipsa intenta suis compendiis, per diuersa procul abiret. Puer itaque se conspiciens sine custode relictum, ac nutriciæ sedulitatis ministerio destitutum, diuino quodam prouocatus instinctu, tentare cœpit, si valuas

* Auerniæ

[h] Odilonem ex Mercoriana gente natũ patre Beraldo matre Gerberga,

si valuas ecclesiæ quolibet nisu posset attingere. Fluctuabat igitur innocens reus Dei, & sub diuino verbere constitutus, quid ageret, nesciebat. Innocens, inquam, vtputà, qui non peccauerat: reus autem Dei, quia cœlesti verbere vapulabat. Tandem repens, & quasi quodam se manuum pedumque remigio fulciens, vix peruenit ad ianuam, paulatim progressus intrauit. Iamque spe concepta valentior, pallam altaris arripuit, & sic se erigere quibus poterat conatibus cœpit. Sed [a] dum intempestiuè conatur, nec dum soluti languoris, adhuc nodositate restringitur. Quid plura? Tandem diuinæ virtutis auxilium sensit: & omni languore depositò factus incolumis, ad referendum Deo gratias intuentium animos prouocauit. Et quia tunc alius deerat, qui pro se intercederet, sanctus ipse (vt ita loquar) in se signum virtutis exhibuit, ipse pro se interuenit: & de se ipso miraculum faciens, medicinam diuinæ curationis obtinuit. Hoc est enim egregium & insigne miraculum, cum homo non per alium, sed ipse sibi conscisceit diuinæ virtutis auxilium. Qui [b] præterea dum ad gradiusculæ iam ætatis adolosceret incrementum, prius apud sanctum Iulianum martyrem factus est clericus: deinde B. Maioli cõfessoris egregij se magisterio tradidit, & in Cluniacẽsi monasterio habitũ sanctæ religionis accepit. Vbi dum quietus & simplex humiliter in sancta religione persisteret, & in ipso rudis ac nouitiæ conuersationis exordio, quædã iam in eo perfectionis insignia præluceret, vix euolutis quatuor annis, B. Maiolus obdormiuit in Dño, sed antequàm humanitatis debitum solueret, proximus tñ beatæ dormitionis articulus immineret, B. Odilonem [c] sibimet in pastoralis officij cura substituit, suumq; super Dominici gregis custodiam vicarium dereliquit. In quem protinus omnium fratrum vota concurrunt, oẽs se ad obedientiam ei vnanimi deuotione substernunt: quiq; se eatenus orbatos remanere defleuerant, decessionis iacturam, supparis vicarij reformatione compẽsant. Iam verò in cõmissi regiminis solicitudine constitutus, plurimis sanctæ [d] religionis cœpit florere virtutibus: Nimirum vt Psalmodiæ studijs vigilanter insisteret, dura corpus inedia maceraret, atque à sacris altaribus non recedens, quotidianum ferè omnipotenti Deo sacrificium laudis offerret. Inter quas profectò piæ deuotionis excubias, vbertimis plerumque lachrymarum compunctionibus affluebat.

III. Porro aũt † Adraldus Abbas * Bremensis monasterij, vir videlicet religiosus, ac sanctæ cõuersationis honestate cõspicuus, qui discipulus eius extiterat, nobis aliqñ retulit, quia vir Dei dum in eo, quo postmodũ defunctus est, languore decũberet, illi cœpit, vt ex calcularis abaci supputatione colligeret, quæ posset esse summa Missarũ quas celebrauit per spatiũ [e] quinquaginta sex annorũ, quibus monasteriũ rexit. In quo facto liquido deprehẽditur, quã diuturna, quã indeficiens diuini amoris flãma beati viri pectus excoxit, ꝙ nimirum ab offerẽdis quotidie salutaribus hostijs cohibere tot curatũ, tot ingruentium negociorum solicitudo non potuit. In [f] erogandis præterea eleemosynis ita largus erat, vt nonnulli dum eũ omnia dispergentẽ sine cunctatione conspicerent, non dispensatorem, sed prodigum iudicarent: Præsertim [g] quodã tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehemẽter affligeret, ac plurimas Galliarum prouincias pestilenter arctaret, exhaustis iã in pauperũ vsus ærarijs, & horreis quorumcunq; prouentuũ non mediocriter profligatis, mox ẽt plurima sacrarij vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit, coronæ quoq;, quam sibi Imperator † Henricus ob sui memoriam destinauerat, non pepercit. Vt igitur tam acerbæ famis in quibus valuit, tẽperaret inopiam, quicquid hinc inde corradere potuit facultatũ, in sustentationes & aliméta contradidit egenorũ.

IV. Quodam sane die dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, laneam, qua indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam: eaque prout velaminis quantitas permittebat, vtrumque cadauer obuoluens, exhibet mortuis sepulturam. Nam & vespilones mercede conduxit, & funereis vsque ad tumulum prosecutus exequijs, defunctis fratribus debitum humanę pietatis exoluit. In [h] eadem quoque gestorum eius reperitur historia, quia corpus suum non modo duris consueuerat attenuare ieiunijs, asperrimis edomare cilicijs, sed quibusdam ferreis nexibus coarctabat. In percipiendis autem ita se moderabatur eduliis, vt apposita quæque contingens, ac naturali duntaxat necessitati dispensatiue subseruiens: & vanitatem superstitionis effugeret, & sobrietatis continentiam reseruaret. In [i] promulgandis porro iudicijs ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta mœrentibus humanitate compatiens, vt nequaquam districtum patris imperium, sed maternum potius exhiberet affectum. Vnde se prehendentibus, huiusmodi verbis solebat eleganter alludere: Etiamsi damnandus sim, inquit, malo tamen de misericordia, quàm ex duritia vel crudelitate damnari. Inter [k] ceteros autem sanctos circa beatam Dei genitricem tam ardentissima deuotione flagrabat, vt constitutus in choro psallentium, cùm ad illum veniretur ex modulantium alteratione versiculum, Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum, in terram se prosterneret, sicque per corpus ostenderet, quibus desiderij cælestis in mente facibus æstuaret.

V. Vir [l] igitur sanctus cum in bonis moribus per quotidiana piæ cõuersationis incrementa succresceret, seseque quotidie melior ad perfectionis culmen feruentius anhelaret: cœpit nonnullis coruscare miraculis: vt qui clarus erat in probitate morum, claresceret etiam in ostensione signorum: Et qui in obtutibus omnipotentis Dei erat lucerna ardẽs, fieret etiam coram hominibus lucens. Vnde diuino dispoñẽte iudicio factum est, vt quia de illis erat, quibus dictũ est, Vos estis lux mundi, primum de luce miraculum exhiberet. Aliquando siquidem dum esset in quadam sui iuris villa, quæ Bersoniacum dicitur, videt puerum venustum quidem forma, sed cæcum à natiuitate. Super quo consulens, didicit, quia filius esset villici, & quia visum penitus nunquam habuisset. Cui [m] mox pia benignitate compatiens, & apud se tacitis precibus latenter insistens, vt puta qui talia nõdum expertus, aduocat tandem paruulum, signum illi salutiferæ crucis in fronte depingit, & confestim visum, quem natura negauerat, puer accepit.

VI. Alio [n] quoque tempore dum esset vir Dei apud suum quoddam monasterium, quod Vallis Aurea vocatur, quarta videlicet feria primæ quadragesimalis hebdomadæ, quæ caput ieiunij dicitur, surgentibus à mensa fratribus, ille pugillum cineris latenter impleuit, & appositò pane discubuit. Cùmque cinerem tanquam panem manducaret, vt potum quoq;, iuxta Prophetam, cum fletu temperaret, innuit fratri, vt clam sibi aquam nullo teste deferret. Ille quod erat iussus, impleuit: aquam attulit. Quæ dum labijs adhibetur, austeritatem vini redolere sentitur. Reprimit ergo manum, abigit poculum: atque vt sibi aquam minister afferat, signis euidentibus imperat. Ad quod minister obstupuit: & vinum se à mensa referre, qui aquam propinauerat, admiratus expauit, Geminat tamen officium, vinum proijcit, conuasat aquam: denuo porrigit discumbenti. Sed ecce dum aqua potanda repetitur, vinum rursus in poculo reperitur. Iam itaque vir sanctus diuinæ erga sępietatis beneficium recognoscens, quod Deum sibi misericorditer indulgere considerat, cum gratiarum actione percipere non recusat.

Præterea, cum vir Dei cum Henrico rege, qui postmodum factus est Imperator, in Ticinensi simul vrbe consisteret, & Dominicæ natiuitatis gloriam celebraret, cõtigit vt velamen mẽsæ eius, artificiosa textrini laboris operatione cõspicuũ, sacrilega fuisset fraude sublatũ: postquam autẽ vir Dei cum rege discessit, fur qui rapuerat, iam securus, proposuit velamẽ in foro venaliũ. Sed dum illi dispositio cælestis obsistit, sancta distrahi præda nõ potuit. Terigitur quod subduxerat, inter nũdinarum merces exposuit, tertio subtiliter attentauit: sed cum emptoribus de precio penitus conuenire non potuit, nec inter distrahentẽ & coëmentem paciſci valuit venale commercium: quia diuina dispositio conatibus hominũ negauit effectũ. Interea sceleris huius authorẽ vltio diuina corripuit, & manus, quæ sacrilegiũ perpetrauerãt, ac pedes, quibus raptor aufugerat, arefaciẽs, in tolerabili dolere cõstrinxit, Mox itaq; compulsus

[a] Curatur diuinitus.

[b] Fit clericus in Briuatensi vico apud S. Iulianum, vt ex eius vita à Siluiniacensi monacho conscripta notat And. Quercetanus.

[c] Maiolus cum sibi abbatem substituit.

[d] Virtutes Odilonis.

* *Bremetensis.*

† De hoc Adraldo in Chron. Cluniacensi, vbi corruptè Adraudus Vremetensis vocatur.

[e] Annis 56. abbas fuit.

[f] Largitas eleemosynarum.

[g] Fuit hæc fames anno 1006 vt habet Sig. in Chron. Eadem Siluiniacus monach. in vita Odilonis.

* *Henric. 2. filium, seu generum, vt alij volũt Conradi Imp. intelligit.*

[h] Seueritas erga seipsũ.

[i] Humanitas erga alios.

[k] Deuotio erga Dei matrem.

[l] Miracula eius. *Matth. 5.*

[m] Cæco puero oculos aperit.

[n] Aqua bis mutatur in vinum. *Psalm. 101.*

[o] Furtem ablatam S. Odilonis distrahere non potest.

languore, ad Ecclesiam beati Maioli manibus alienis aduehitur, mantile sublatum ad reatûs indicium coram cunctis appenditur, & diuina clementia ab omni populo, qui percitus huius famæ rumore confluxerat, imploratur. Sic itaque beati Maioli meritis, ac precibus fratrum sibi seruientium, sanus & incolumis factus, velamen reddidit alienum, & recepit semetipsum. Probauit ergo quo præmio dignus esset, qui beatum offenderet Odilonem.

[a] Idem alteri accidit.

ALIVS[a] quoquè fur, cùm vir Dei in eadem vrbe consisteret, stabulum eius nocturnus irrupit, & equum, cui spe- VIII.
cialiter ipse insidere consueuerat, caute subduxit. Sed quia illis in partibus deprehendi fur sacrilegus timuit, concitus ad oppidum Laudense profugit. Securus itaque recognoscentium, proponit equum, emptores inuitat, vehiculum laudat, cõmercium flagitat. Sed sic hominem diuina dispositio præpediuit, vt nec cum quolibet emptore componere nec animal potuisset pecunia permutare. Postremo autem reuersus ad se, & pœnitentia ductus, bestiam ad locum sui criminis conscium reuocat, & quid sibi contigerit, ad sui confusionem, & omni potentis Dei gloriam, non occultat.

[b] Transit flumen illæsus cum suis.

VIR[b] idem venerabilis dum esset in itinere constitutus, quia causa dictabat, Ticinum festinanter ac sine mora IX.
transire cupiebat: sed intumescentibus aquis, etiam nauigium deerat. Protinus ergo confisus in Deum, Vnum è famulis vocat, seque in nomine Christi præcedere per alueum fluminis imperat. Obedit illico famulus: spumantes profluentium vndarum cumulos ingredi non moratur. Deinde vir sanctus cum omni commeantium turba subsequitur: & sic omnes in vlteriorem aluei crepidinem absque vllo prorsus incommoditatis offendiculo transponuntur. Quod dum nonnulli, qui aderant, mirarentur, velut æmuli præcedentium, cœperunt attentare meatum. Sed mox vt adorsi sunt extremos citerioris ripæ fluctus attingere, nisi equos sub celeritate repressissent, profluentis aquæ submersi voragine, proculdubio naufragium pertulissent.

VNVS autem ex his, qui tunc aderant, vt tam insigne miraculum vidit, obstupuit, hominemque Dei, vt suæ domus X.
subire dignaretur hospitium, fusis humiliter precibus, impetrauit, Intempestæ verò noctis silentio vis venti vehementior irruit, & lucernam, quæ in dormientium cubiculo depẽdebat, extinxit, Expergefactus autem cubicularius, cum lumẽ agnouisset extinctũ, [c] ad abigendã noctis tenebrosæ caliginem, diuini luminis infulgere postulat claritatẽ: Deus inquit, omnipotẽs, qui lumen es verũ, pro amore serui tui Odilonis, ab hac domo tenebras dimoue, eamq; gratiæ tuæ luce perfunde. Confestim de cælo coruscę lucis splẽdor emicuit, & totam domũ superni splendoris claritas illustrauit? Si ergo hoc agebat Odilo tũc sopore depressus, quid putas nũc apud Deũ potest, carnalis sarcinæ corruptione solutus.

[c] Domus cœlitus illustratur.

† Est hoc monasteriũ iuxta Cabilonem à Gunthramno Burgund Rege conditum, vt notat Fredegar.

PAVLO ante natiuitatem Domini, per hyemalium inclementiam imbrium sanctus senex ad beati † Marcelli mar- XI.
tyris monasterium festinabat. Venerunt [d] autem ad quoddam flumen, quod ita fluctibus exundantibus inhorruerat, vt prorsus intransmeabile videretur. Confisus autem in Domino, dirigit præuium, qui vada prætentet: & ipse mox cum comitibus subsequens, pertransiuit illæsus. Sed in hoc vadantium transitu illud mirabile fuit, quia cum cæteris aqua pertingeret vsque ad femora, viro Dei nec corrigia quidem pedis aquarum est inundatione perfusa. In illo scilicet solo madoris sui perdidit vnda vires: in reliquis autem naturalem ingenitæ * viris exhibuit facultatem. Istum aqua tangere potuit, humidare non nouit: illos autem, quod natura dictauerat, vndiq; madefecit.

[d] Aliud flumen transiit.

* *Iuris Biblioth. Cluniacens. Matth.* 14.

PRÆTEREA, dum vir Domini apud monasterium beati Martini, quod Ad publicam stratam dicitur, receptus es- XII.
set hospitio, sicut moris erat, vt vbicunque maneret, quocunque se verteret, monachorum ilico frequentia non deesset: non paruus ei cœtus fratrum effluxit. Quos ille cum alacritate suscipiens, & prius eis ineffabilis eloquij familiaritate communicat, & pòst modum, vt sibi pro charitate conuescantur, inuitat. Sed dum in longum sermo protrahitur, semotim quosdam ex familia seruos accipit: vtrum sit, vnde refici fratres valeant inuitati, sedulo inquit. Qui de cæteris quidem alimentis constare vriq; perhibent quantitatem: de piscibus autem penè nihil esse, quod ad tantam hominum perueniat multitudinem. Ad quos ille: In nomine, inquit, illius qui nouit quinq; millia hominum ex pane modico & gemino pisce reficere, non quasi nihil, vt dicitis, sed vberrimam nobis & hospitibus nostris piscium copiam ministrate. Cum [e] igitur mensæ discumbentiũ pauci, qui aderant, pisces à dapiferis inferuntur, cœpit esca in manibus discumbentium crescere, & quo magis à conuescentium turba consumitur, exuberantius abundaret: adeò vt satiatis omnibus, plurima supererent, quæ non modo seruitoribus cunctis, sed & alijs, si superuenirent, oblara sufficerent. Cui protinus famuli, Ecce pater, inquiunt, quod pusillanimitas nostra non credidit, vestræ fidei meritum diuinitus impetrauit. Iam non dubitare didicimus, si promissionem vestram in articulo cuiuslibet difficultatis audimus. At ille, vt semper erat mitis & humilis, non suæ fidei, quod diuinitus factum erat, asscripsit, sed illorum potiùs obedientiæ, & sanctorum hospitum meritis imputauit.

[e] Pisces multiplicantur.

Huic etiam illud non dissimile est, quia, cum Dei famulus in Romana vrbe consisteret, & hospitium in monte XIII.
Auentine apud † monasterium B. Dei genitricis haberet, cõtigit vt, sicut illius vrbis familiare est, omnino tale vinum deesset, quod sancto viro saporis habilitare congrueret. Inquirit ergo abbatem, vtrum meliùs habeat. Qui se cõfestim & profitetur habere, & quantum ipse præceperit, libenter afferre. Vir autem Domini modicum, quod ante se erat vasculum, dedit, vt sibi plenum deferretur, expetijt. Allatum ergo ante se posuit, & ipse potissimum more pincernæ sibi duntaxat & abbati, qui iuxta se discumbebat, expendit. Cumque iam à mensa surgendum refectio completa dictaret, & paululum adhuc vini in vasculo supereset, pater sanctus blande subridens: Non, inquit, fratres mei, plenè circa vos officium charitatis exhibui, qui vinum, quod mihi sapuit, vobiscum participare neglexi. Arripiens ergo cyathum, infudit merum, & singulis singulum pro benedictione largitur. Res mira: cum fratres essent ferè duodecim, & eis bibentibus [f] potùs copia non defecit, & eorum completo numero, nil omnino superfuit. Illis itaq; quod factum fuerat admirantibus, vir veræ humilitatis custos, vt in alium diuinæ gratiæ munus impelleret, & ipse fauoris humani gloriam declinaret, charitati duntaxat illius, qui vinum dedit, miraculum supernæ benedictionis applicuit.

† Monasterium hoc alio nomine S. Bonifacij, siue Alexij dici consueuit, vt notat Bar. ad an. 1014.

[f] Vinum exiguum multis sufficit.

De [g] hinc dum egressus Româ, reuerteretur ad propria, quidam intra Taurinẽsem vrbem nimium febris patiebatur XIV.
ardorem. Hic furtiuè per ministros aquam, qua vir Domini manus abluebat, accepit: fideliter bibit, & sic absque mora, deposita prorsus omni febricatione, conualuit.

[g] Febrem pellit aqua qua se vir sanctus abluit.

Iamque Iouini montis prærupta conscendens, obuios habuit pauperes, prę difficilis viæ lassitudine potum æstuanti desiderio flagitantes.

Pius itaque pater sui negligens, aliis in necessitate compatiens, iussit vt quicquid vini proprijs haberetur in vasculis, XV.
absque vlla reseruationis industria, vel potiùs diffidentia præberetur egenis. Paulò post necessitate naturæ cogente, discumbunt omnes, vt capiant cibum. Et [h] ecce vtres, qui studio fuerant piæ compassionis exhausti, vino reperiuntur, Deo scilicet debitum persoluente, repleti. Nam iuxta Scripturam, qui dat pauperi, Domino fœneratur. In hoc ergo felici commercio, vbi Dominus debitor, famulus fuerat fœnerator, quod à seruo fideliter est depositum, à bono debitore non segniter est solutum.

[h] Vtres vacui, inueniuntur pleni vino.

Aliqñ Imperator Henricus dum apposita mensa discumberet, vas illi holouitreum valde pretiosum & Alexandri- XVI.
ni operis arte compositum, cum tritis est pigmentis allatum. Mox aduocat duos aulæ regiæ capellanos, Albericum videlicet & Landulphum: quorum alter Cumanæ, alter verò Taurinensis ecclesiæ postmodum episcopi facti sunt. His itaque vasculum tradidit, & per eos beato viro Odiloni odoriferi nectaris xenium destinauit. Quod profecto vasculum capellani sancto viro, prout decebat, humiliter offerunt, ac pro eo postmodum redituri, ad regis interim conuiuium

uſuium reuertuntur. Paulò verò pòſt ſicut humanæ curioſitatis mos eſt, vt noua quælibet & inſueta inhianter adſpiciat, cœperunt monachi præfatum vas ſub admirationis intuitu contrectare, & de manu in manum ſolerter inſpiciendo tranſponere: cum eccè de manibus incautè ſe tenentium labitur, & vt fragilis eſt naturæ, continuò frangitur. Quod mox vt vir ſanctus accidiſſe cognouit, grauiter tulit, & præſertim clericis, qui reliquerant, paterna pietate condoluit: nè videlicet Auguſtum innocentes offenderent, & non modo iacturam gratiæ, ſed & regij motûs periculum ſuſtinerent. Mox ergo cum fratribus eccleſiam pius pater ingreditur, & ne hi, qui erant immunes à culpa, motum regiæ indignationis incurrant, orationibus & pſalmis incumbens, clementiam diuinitatis implorat. Iam [a] igitur oratione cõpleta, vir Dei fractum ſibi vas iubet offerri. Manibus contrectat, oculis vndiquè ſubtiliter inſpicit: & ecce nulla prorsùs in eo fracturæ veſtigia deprehendit. Tunc indignatus in fratres, eos cum auſteritate redarguit, cur vas conquererentur confractum, ꝙ omninò permanſerat illibatum. Illi verò vehementer attoniti, tam euidentis oſtenſione miraculi, & auſteritatè libenter corripientis accipiunt, & ad referendas omnipotenti Deo gratias feruentius accenduntur.

[a] Vas magni precij confractũ, ſuis precib. redintegrat

XVII. PRÆTEREA religioſus quidam vir, oriundus de pago Rotenenſi, reuertebatur ab Hieroſolymis. Qui dum mare tranſiret, quod à Sicilia versùs Theſſalonicam per plurima fluctuum periculoſa loca protenditur, eumq; cum multis alijs furentium ventorum horror impelleret: applicuerunt ad inſulam quandam ſiue rupem, vbi ſanctus quidam ſeruus Dei manebat incluſus. Rotenenſis itaque vir illic aliquandiù commorans, & tranquillitatem ſedandi maris expectans, delectabatur cum ſeruo Dei frequenter habere colloquium. Sed dum hinc nonnulla dicuntur, illinc plurima referuntur, perquiſitus hoſpes à viro, vndè genus duceret originaliter: Aquitanum ſe eſſe reſpondit. Requiſitus inſuper vtrum cœnobium illud, quod dicitur Cluniacum, & Odilonem eiuſdem loci nôſſet abbatem, quod quærebat, ſe nôſſe perhibuit. Sciſcitatur homo, cur hoc Dei ſeruus ab eo requirat. Ad quem ille, Sũt [b], inquit, vicina nobis loca ex quibus grauiſſima flammarum furentium euomuntur incendia: in quibus etiam locis animæ reproborum diuerſa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum ſemper exaggeranda ſupplicia innumerabiles ſunt dæmones deputati: qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renouant, & eos ad rediuiua ſupplicia indefinenter inſtaurant. Quos tamen ego frequenter audiui querulis lamentationibus eiulantes, & lachrymabili vociferatione deflentes, quod orationibus & eleemoſynis quorundam, aduerſus eos infœderabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera de Cluniacenſium cœtu permaximam & eorum abbate querimoniam faciunt, quia quàm ſæpè per eos ſui iuris vernaculos perdunt. Quamobrem terribile Dei nomen obteſtor, vt ſanctis fratribus illic hæc, quæ tibi dixi, fideliter referas, & ex noſtra quoque illis parte denuncies, vt eleemoſynis & orationibus magis ac magis inſiſtant: ac præſertim huius intuitu, vel de manibus dæmonum eos qui ab illis cruciantur, educant: quatenus de quotidianis eorum rapinis & luctus inferatur generis humani inimico, & gaudium multiplicetur in cœlo. Aliquãto poſt homo egreſſus in patriam, quicquid ex viri Dei relatione didicerat, beato patri & ſanctæ congregationi fideliter narrat. Tũc [c] venerabilis pater Odilo per omnia monaſteria ſua cõſtituit generale decretum, vt ſicut primo die menſis Nouẽbris, iuxta vniuerſalis eccleſiæ regulam, omnium Sanctorũ ſolennitas agitur: ita ſequenti die in pſalmis & eleemoſynis, & præcipuè Miſſarum ſolennijs, omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.

[b] Loca pœnarum in Sicilia: horum meminit Sigibertus, Vincẽtius, Ioã. Pariſiẽ. Bernard. Guidonis, & alij: de ijſdẽ idem Petr Dam epiſt. 9 lib 1 vbi Veſuuium montẽ, loca illa vocat: intelligit autem autor pet hæc loca, purgatorij pœnas.

[c] Dies omniũ animarũ 2 Nouẽb. ab Odilone inſtituitur. Vide Sigibertum in Chron. ad an. 998. Glab l. 5 c 8 Bar ad an. 148 Officiũ pro mortuis ante Odilonẽ in vſu fuiſſe Amalericus Fortunat Treuiren. Epiſc. qui vixit ducentis fere annis ante Odilonẽ in lib de offic. Eccle quos ad Ludouic. Pium Imp. ſcripſit in li. de ordinando Antiph. c. 65 teſtatũ reliquit Vide Barõ. in notis ad ad Martyrolog. Rõ. Decretum Odilonis de defunctis habẽs in Bibliotheca Cluniacenſi pag 310

XIIX. SI quis autem non generalitate contentus, quis ſpecialiter per beatum Odilonem de pœnis vltricibus ſit ereptus, inquirit, quid de reliquis ſentiat, in papa Benedicto [c] duidẽter addiſcat: vt in Romanorũ Pontifice, qui omniũ Chriſtianorum caput eſt, valeat liquidò cõijci, quid de cæteris merito debeat æſtimari. Apoſtolicus igitur iſte, quem diximus, dum adhuc viueret, beatum virum effectuoſè dilexit, reuerenter excoluit, & Apoſtolorum limina frequentanti, neceſſarij ſumptûs opima ſæpè ſubſidia miniſtrauit. Huic plane mox, vt obijt, germanus eius Ioannes in Apoſtolica dignitate ſucceſſit. Iam verò poſtquam humanis rebus exemptus eſt, non parui temporis euoluto curriculo, iam dictus papa Ioanni Portuenſi epiſcopo, & alijs duobus, quorum nomina nobis nota non ſunt, per ſpeciem nocturnæ viſionis apparuit, eiſque quia pœnalibus eſſet conſtitutus in tenebris, indicauit: hoc inſuper addens, qualiter beati Odilonis venerabilibus meritis eum ſuperna cenſura liberare decreuerit à tormentis. Obſecrat itaque per eos & humiliter flagitat, vt frater eius ad præfatum vnicæ pietatis virum, agilem quantocyùs veredarium dirigat, eumque ſuppliciter obſecrans pro ſe orare depoſcat. Protinus idem Ioannes Portuenſis epiſcopus, authoritatis apoſtolicæ fultus epiſtolis, concito gradu Papiam vſque peruenit. Vbi longo & immoderatè fortaſſis accelerato fractus itinere, per monachos cœnobij beati Maioli, Apoſtolicæ legationis apochas dirigit, omnemque per eos ſancto viro ſeriem à ſe conſpectæ viſionis exponit. Enimuero diuino factum eſſe conſtat iudicio, vt eum apud Cluniacenſe monaſterium Apoſtolicæ legationis baiulus inueniret. Præcepit itaque venerabilis pater, pro illo pſalmodias & orationes ab omnibus priuatim ac publicè fieri, eleemoſynas indigentibus erogari, ſacrificium Deo myſterij ſalutaris offerri. Nec in illo duntaxat loco id ſtatuere contentus fuit, ſed & per omnia ſui regiminis monaſteria eiuſdem ſanctionis edicta mandauit. Cumque hoc fratres intentiſſima deuotione ſatagerent, & ex ara ſanctorum pectorum fraternæ charitatis flamma proſiliens, diuinæ clementiæ ſacrarium penetraret, iam præfixi temporis terminus propinquabat. Et ecce quidam ſanctæ cõuerſationis monachus, Heldebertus nomine, qui videlicet hoc obedientiæ fungebatur officio, vt inopes aleret, indigentibus ſubſidia miniſtraret. Hic itaq; per ſoporem vidit, quod quidam pulcher ac ſerenus adſpectu, ac ſolenni quodam nitore conſpicuus, clauſtrum monaſterij magno candidatorum agmine conſtipatus ingrederetur. In capitulum deinde, vbi pater Odilo cum fratribus reſidebat, intrauit, ad eius genua caput humiliter flexit, eiq;, ſicut in geſtu corporis videbatur gratias egit. Cumq; frater ille, qui hoc in viſione contemplabatur, inquireret, quiſnam eſſet ille tam decorus ac fulgidus, qui ſancto viro ſalutationis officium exhiberet: reſponſum eſt ei, quia ille eſſet Benedictus, ſummæ ſedis Epiſcopus, qui nimirum idcirco viro Dei gratias ageret, quia pijs eius, ſanctorumq; fratrum precibus, & Tartarei cruciatus euaſiſſet interitum, & cum beatis ciuibus quieturus, ſupernæ Ieruſalem meruiſſet ingreſſum. In hoc valet liquidò deprehendi, quæ de meritis beati Odilonis opinio iure poſſit haberi: cum is nimirum, qui iuxta priuilegium apoſtolicę dignitatis claues [c] eccleſię prę cunctis mortalibus tenuit, qui ligandi atque ſoluendi vires præminenti quodam iure poſſedit, in illo iam inuiſibili examine conſtitutus, non aliter quàm precibus iſtius vel à peccatis ſolui, vel de pœnali potuit ſupplicio liberari.

[c] Athoritas præcipua ſum Ponti. Paſchalis II. de Odilone ſanctitatis fama celebri, qui ſub Gregorio VII. floruit, vide Platinam. in Vita Pauli II. Ponti. Max. Ioannes Gerſonius in Tractatu de Examinatione doctrinarum, Conſideratione 3. Quæ ſit ſententia Ecclesiæ de Sanctis, qui ſunt in Purgatorio? Ioannes Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1049. Ioannes Nauclerus in Chronico Generatione 36. Ioannes Cochlæus in Chronico Germaniæ lib. 5. Ioannes Sleidanus lib. 1. Commentariorum de Statu Religionis & Reipublicæ Carolo V. Cæſare. Ioannes Sarisberiẽſis lib. 8. Policratici cap. 20. Ioannes Aventinus lib. 4. Annalium Boiorum. Ioannes Caſſander in Liturgica Conſultatione cap. 21. Ioannes Eckius in Enchiridio cap. de Purgatorio. Ioannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus in Aſſertione Articuli 25. Ioannes Dietenberger in Catechiſmo cap. de Purgatorio. Ioannes Hoſius Epiſcopus Varmienſis in Confeſſione Fidei cap. de Purgatorio. Ioannes Pontanus lib. 1. Hiſtoriæ Gelricæ. Ioannes Lindanus lib. 3. Panoplię cap. 6. Ioannes Molanus in Additionibus ad Vſuardum. Ioannes Gretſerus lib. 1. de Sanctorum Veneratione cap. 3. Ioannes Nider lib. 5. Formicarij cap. 6. Ioannes Mabillonius in Præfatione ad Tomum 6. Actorum Ordinis S. Benedicti. Ioannes Baptiſta Egnatius lib. 5. Exemplorum cap. de Purgatorio. Ioannes Baptiſta Fulgoſius lib. 1. cap. 5. Ioannes Baptiſta Spagnolus Mantuanus lib. 3. de Patientia. Ioannes Baptiſta Rubeus lib. 1. Hiſtoriarum Ravennatum. Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus lib. 1. de Rerum Prædictione cap. 9. Ioannes Franciſcus Pontanus lib. 1. de Rebus Gothorum. Ioannes Franciſcus Sagittarius in Hiſtoria Gentis Anglorum. Ioannes Franciſcus Bonomius Epiſcopus Hieracenſis in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Commendonus Epiſcopus Zacynthi in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Coppinus Epiſcopus Caſtellanetanus in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Quintianus Stoa lib. 1. de Rebus Gothorum. Ioannes Franciſcus Poggius Florentinus lib. 4. de Varietate Fortunæ. Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus lib. 1. de Rerum Prædictione cap. 9. Ioannes Franciſcus Pontanus lib. 1. de Rebus Gothorum. Ioannes Franciſcus Sagittarius in Hiſtoria Gentis Anglorum. Ioannes Franciſcus Bonomius Epiſcopus Hieracenſis in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Commendonus Epiſcopus Zacynthi in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Coppinus Epiſcopus Caſtellanetanus in Tractatu de Purgatorio. Ioannes Franciſcus Quintianus Stoa lib. 1. de Rebus Gothorum. Ioannes Franciſcus Poggius Florentinus lib. 4. de Varietate Fortunæ.

XIX. PORRÒ autem dum aliquando in monaſterio moraretur, quod Paterniacum dicitur, erat ibi quidam puerulus monachus nomine Rudolphus, quem ſtruma quædam gutturis intumeſcens deturpauerat vſque adeo, vt & claritatem vocis auferret, & inſuper quodammodo minaretur, quod ſibi etiam aliquando auditum interciperet. Quem ad ſe vir Dei verè miſericors aduocat, palpante manu locum tumoris attrectat: Deinde [f] ſignum crucis plagæ gutturis imprimit, & diuina quædam verba dicens, mox abire permittit. Deinde mirum in modum ſicut in alijs morbus ille, poſtquam ſemel oboritur, in dies ſolet excreſcere, totumque guttur miſerabiliter occupare: ſic in iſto verſa vice cœpit extunc ſenſim quotidie detumeſcere, donec peſtis illa funditus euaneſceret, & guttur pueri ad naturalem ſe ſpeciem per omnia reformaret.

[d] Loquitur de Benedicto 8 Pont. 151 apud Platinam.

[f] Strumoſam ſanat puerum.

XX. Alio quoq; tempore † de monaſterio, ꝙ eſt in Iurẽſi territorio conſtitutum, vir ſanctus exierat, & ad * Gebennenſem

† Per hoc monaſterium Andr. Quercetanus ſuſpicatur notari Romanum monaſterium Dioœceſ Lauſan & iuris Cluniacenſ. * Gemmenſem Bib.

ſteriũ eſt in Lanſanenſi dioœceſi ab Adelheida Imperatrice conditũ, vt auctor eſt idem Odilo in vita S Adelheidis.

Cluni. vbi templum S. Victoris ab Odilone reparatum vt habet monach. S Iunacen.

sem vrbem cœpto itinere contendebat, cum autem ad quendam concauæ profunditatis fluuium deuenisset, accidit vt mulus, qui hominis Dei supellectilem, libros scilicet ac lectulum, deferebat, à publico vado procul aberrans, in profundiorem aluei voraginem caderet: sicque raptatus à gurgite, nullo membrorum, nisi solo capite, fluctibus emineret. Qui tandem è naufragio protractus educitur: ad perscrutandum, vtrùm res & maximè libri perierint, desagmatur. Miro itaque supernæ dispensationis ordine, libri simul cum lectulo ita à fluctibus reperiuntur intacti, vt ne tenui quidem aquæ stilla videantur adspersi. Mantilia verò simul & manutergia prorsùs vndique reperta sunt madida. Vbi notandum, quàm peruigil fuerit erga seruum suum diuina protectio, vt ea videlicet, quæ ablui frequentiùs indigent, madere permitteret: quæ verò madefieri sine damno non possunt, à contactu fluctuum immunia custodiret.

IN eodem quoquè Iurensi monasterio vir Domini Odilo aliquando constitutus, reperit puerum, nomine Gerardũ, XX. terribili caducæ passionis languore detentum. Qui sæpissimè quasi lunaticus corruebat, & sic eum occidui languoris impetus obruere consueuerat, vt in eo neque vox, neque memoria, nec prorsùs aliqua membrorum officia remanerent, ac ferè à mortuo nihil distaret. Huic homo Dei misericorditer condescendens, fratribus, vt pro eo Dei clementiam deprecentur, iniungit: ipse verò ad sacrosanctum altare, Missam celebraturus, accedit æger etiam vt interesset, admonuit. Cui mox Eucharistiæ salutaris munus tradidit: deindè, sicut sibi moris erat, sanctificatam [a] aquam cum beati Maioli calice propinauit. Nec mora, protinùs à puero languor omnis abscessit, salus optata succedit: & sic per merita beati viri restituti sibi vigoris incolumitas permansit.

[a] Aqua benedicta &c sanat morbum caducum.

ALIQVANDO vir Domini per prærupta Iurensium Alpium iter habebat, & repentè sagmarius, nonnullis onera- XXI. tus sarcinis, per montis deuexa collabitur, atq; per aspera rupium scopulorumq; præcipitia vsq; ad vallis infime profunda raptatur. Ministri protinùs in illud lubricæ ruinæ præcipitium descendentes, nõnulla quidem de sarcinulis, quę passim dispersa fuerant, illæsa reperiunt: librum tamen sacramentorum, aureis literis exaratum, cum vitreis quibusdam vasculis anaglypha fusilitate cælatis, deesse perpendunt. Quibus interim recedentes omissis, hospitium subeunt, corpora fessa reficiunt, & nocturno soporati silentio quieuerunt. Mane autem facto, maturè surgẽtes, ad locum illum celeriter redeunt: & curiosius quæque diuerticula perlustrantes, omnia quæ perijsse suspicabantur, inueniunt: Vasa nimirum vitrea reperiuntur illæsa: Deauratus etiam liber, cum tempus scilicet imbriferum inhorresceret, à nulla prorsus est pluuiarum inundatione contactus. Sic itaque beati viri meritis, & vitrum frangere præceps ruina non potuit, & perfundere codicem inundantium imbrium densitas ignorauit.

[b] Curat oculum hominis grauiter læsum

Nobilis [b] quidam vir dum iaceret sub arbore, particula corticis in eius oculum cecidit: Cui non modo lumen om- XXII. nino turbauit, sed & aliarum calamitatum multiplex pondus inuexit. Nam cùm id, quod oculo semel insederat, nullo modo potuisset expelli, fugit somnus ob oculis: & non modo iam homo non dormire, sed nec ciborum quidem valebat alimenta percipere. Quem seorsum vir sanctus adducens, signum sibi crucis impressit, ac mox insufflans, super locum doloris halauit: Deinde promittens se salutares pro eo victimas oblaturum, abijt. Abscedente itaque viro Dei, protinus homo suauiter obdormiuit: euigilans autem, particulam corticis ab oculo non sine lanugine quadam po iecit: & euestigiò factus incolumis, nullam decæterò doloris huius molestiam sensit.

† Glaber Rudolphus & alij Lucacense, vocant à Lucis seu Lochis Pagi Thuronensis vrbe: quæ Gallicè Loches dicitur vt notat Quercetan

Cuidam Turonensis ecclesiæ clerico lethale vulnus in brachio pestilenter excreuerat, vt sibi iam non languoris æ- XXIV gritudinem, sed ipsam potius interminaretur & mortem. Cumque vir Dei † Lucensi teneretur hospitio, accedit clericus, & periculum tam pestiferæ calamitatis ostendit. Quod ille quasi videre dissimulans, latenter brachium apprehendit, viuificæ crucis signaculum imprimit: eumque dimittens, vt sibi cautè prouideat, præcipit. Qui paulo post tum locum vlceris curiosius attendere studuit, nullaprorsùs vestigia deleti languoris inuenit. Stupefactus igitur nouitate miraculi, ad hominem Dei præstò regreditur: quid sibi contigerit, non tam relatione verbi, quàm ostensione sui brachij euidentissimè confitetur. Quod ille satis molestè tulit, eumque à suo conspectu cum indignatione exturbauit. Nam [c] tanquàm venena serpentium, sic rumores hominum fugiebat. Asserebat enim, quia quantunlibèt sublimesancti operis ædificium, per vanæ gloriæ subitò corruit appetitum.

[c] Nota sancti viri humilitatem.

PRÆTEREA miles quidã tam mentis inops erat effectus, vt postposita penitus omni cura priuata vel publica, per XXV. deuia soliuagus & nudus erraret, inconditas voces emitteret, & tanquàm dæmoniacum se per inordinati gestûs insaniam exhiberet, cui vir Domini, paterna pietate compatiens, simul cum fratribus ante altare sancti Petri prosternitur, diuinam clementiam cum psalmis & litanijs implorat, vt perire creaturam suam sub huius furoris insania non permittat. Hinc [d] ab oratione consurgens, ad eum, qui patiebatur, accedit: aqua sanctificationis adspergit, atque vt ex ea bibat, suadendo compellit. Qui non multo post ad Cluniacum sanus & incolumis venit, xenia piscium detulit, & quia sibi plenissimè reditus esset, gratias referens indicauit.

[d] Aqua benedicta curatur amens.

ALIVS quoque miles efficaciam edendi sermonis amiserat. Hic per visionem admonitus est, vt si aquam, qua ma- XXVI. nus B. Odilonis abluebantur, hauriret, hac sibi loquendi vires & amissæ linguæ officium proculdubio reformaret. Aqua igitur per ministros fideli furto subripitur: altera etiam aqua, à viro Dei benedicta, de calice sancti Maioli [e] muto transmittitur. Quas ille cum nimia deuotione suscipiens, mutatis vestibus ingressus ecclesiam, quia linguâ nõ poterat, ore cordis orauit: & sic poculo benedictionis accepto, reparatum sibi locutionis officium recognouit. Mox ẽt expeditè loquens, mirum de se spectaculum cernentibus dedit, & quid B. Odilo apud Deum posset, euidenter innotuit.

[e] Mutus sanatur.

PRÆTEREA cùm vir venerabilis apud quandam ecclesiam monasterij, quod dicitur Vallis Aurea, cibum cape- XXVII. ret, sed locum magna vini laborare penuria didicisset, ne grauaret fratrem, qui eum cum alacritate susceperat, hoc in commune præfixit, vt quisque decumbentium vno tantum scypho contentus esset: solis autem monachis pincerna poculum geminaret. Mensura [f] tamen exceditur, & largus ad bibendum potus cunctis epulantibus exhibetur. Enimuero cùm vas illud vinarium & vnum duntaxàt esset, & modicum, non modo tot indiscretè bibentibus non defecit sed & illis recedentibus, absque vlla diminutione repertum est plenum: vt per hoc euidentibus claresçat indicijs, quia vir Domini non tantum id apud Deum potuit impetrare, quod petijt: sed & nonnulla per eum virtutum signa diuinitus ostensa sunt, quæ nesciuit. Et de signis quidem atque virtutibus, quas vir sanctus adhuc in corpore constitutus ostendit, ista sufficiunt: nunc ad explicandum felicem eius obitum, auxiliante Domino, propinquemus.

[f] Vinum bibendo non absumitur, sed augetur.

ENIMVERO quanquàm homo Dei sublimiter se in spiritalibus studijs & diuina contemplatione suspenderit, XXVII. in corpore tamen vrilitatis industria non mediocriter laborauit. Monasteria [g] scilicet nonnulla à fundamentis erexit: alia vel iam semiruta, vel runiam fortè minantia reparauit. Dilatauit illis prędia, nonnullis etiam insignia contulit ornamenta. Quæ verò monasteria noua condiderit, quibus parietina tantum & sarta tecta collatis sumptibus instauraverit, enumerare per ordinem idcirco postponimus, nè prolixitate styli lacinias contexere videamur: præsertim cum in ipsis viuis operibus gestorum fidem multo clariùs experiantur oculi, quam vllo sermone valeant narrari. Dispensationis quoque geminæ moderator insignis, & in spiritali studio coram diuinis obtutibus fulsit, & in terreni laboris industria non mediocriter floruit.

[g] Monasteria ab Odilone constructa, instaurata, &c

PORRO cùm vir Domini iam in extremis ageret, per quinquẽnium fere cõpulsus est grauissimi lãguoris molestiâ XXIX. cruciari. Mox [h] itaq; beatorum Apostolorum limina festinat inuisere, vt quasi sub eorũ pedibus, si sibi daretur, q̃ semper in votis habuerat, posset ex hoc mundo transire. Veruntamen quia non est in homine via eius, aliter sibi contigit quàm

[h] Limina Apostolorum inuisit Iarem 10

quàm sperauit. Per quatuor plane menses illic ægritudine detentus elanguit: deinceps contra spem aliquãtulum conualescens, ad propria remeauit, Cluniacum itaq; deueniẽs, per annum fere totus in oratione permansit, seque, quantum ægritudo permisit, ieiunijs ac vigilijs vehementer afflixit. Decreuit autem, vt antequam debitum conditionis humanæ persolueret, quæque monasteria sua circuiens, sanctæ admonitionis studio visitaret. Expeditione igitur sanctæ huius ædificationis incepta, Syluiniacum deuenit: ibiq; se circa festiuitatem Dominicæ circumcisionis ex seculo hoc migraturũ, manifeste dixit. Porrò [a] autẽ cùm iam in agonis esset angustia cõstitutus, diabolum adstare conspexit, cumque per nomen tremendi iudicis, vt abscederet, terribiliter increpauit. Anno [b] itaq; Dominicæ incarnationis 1048. ætatis autem suæ 87 ordinationis etiam quinquagesimo sexto, ea nocte, quæ Dominicæ Circumcisionis solennia præcedebat, salutaris Eucharistiæ sacramenta percepit: sicque beatum Deo spiritum reddidit.

[a] Prædicit obitum suum.

[b] Moritur S. Odilo anno 1048.

XXX. PAVLO autem pòst eadem scilicet nocte, cùm beati viri corpus in ecclesiam iam fuisset delatum, frater quidam Gregorius nomine, * Iuueneta natione, naturæ simplicis & innocẽtis vitæ, exequiarum funebrium lassitudine prægrauatus, in eadem cella, in qua sanctus obiërat, proprium stratum petijt, in quo se proijciens, dormire tentauit. Sed [c] necdùm planè resolutus in somnum, beatum Odilonem sibi videt adstantem. Ad quem mox voce promptissima: Quid, inquit. agis domine pater? Et ille: Benè, frater, & optimè. Dominus enim meus Iesus seruo suo per semet ipsum dignatus est adesse, & suî præsentiam misericorditer exhibere. Sed in ipsa meæ decessionis hora, in illo scilicet angulo (ostendebat enim quasi digito locum) vidi figuram quandam trucem nimìs atque terribilem, quæ mihi teterrimæ suæ visionis horrorem atque formidinem tentauit incutere: sed Christi confortante virtute, nulla me potuit infestatione nocere.

* Ex & in Veneta Bar. Ninivita Bibl. Clun.

[c] Apparet cuidam post mortem.

XXXI. PROXIMA quoquè Quadragesima succedente, sanctę ac venerãdæ memorię Laurentius, * Amalphitanę sedis archiepiscopus, qui potens in literis ac biglossus, Græcè nouerat & Latinè, & quod longè præstantius est, laudabilis vitæ claritate pollebat. Hic itaq; tunc Romæ constitutus, obdormiuit in Domino. Cumque cadauer eius fuisset in ecclesiam illatum, honestus quidam clericus, Albero nomine, in eiusdem Ecclesiæ angulo lassabunda dedit membra soporì: Cumq; subitò adhuc penè vigilanti vir beatus apparuit, ei mox clericus intulit: Domine mi, quando huc & cur aduenisti? Ad charissimi (inquit) olim amici mei, domini Laurentij põtificis, exequias veni: quibus expletis, antequam te viderem, recedere nolui. Et his dictis, species loquentis euanuit. Vir itaque Domini, quia rectè vixit, feliciter obijt, & quia vitam mirabilem duxit, iure miraculis coruscauit. Vita quippe beati huius viri velut aurea tabula est: cui quasi margaritas quasdam ac gemmas infigimus, dum gestis eius interlucentia virtutum miracula permiscemus. Apud cuius venerabilem tumulum nihilomin[9] adhuc rutilant noua signa virtutum: quę nimirum nos his inferere superfluum ducimus, cum per alios iam apicibus exarata cernamus. Legentium igitur tædio consulentes, his contenti sumus, quæ succincta breuitate perstrinximus, ad honorem & gloriam redemptoris nostri Iesu Christi: qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & * gloriatur in sæcula seculorum, Amen.

* Amalphitanæ, Amalfitana Bar. est autem sedes in regno Neapolitano: vulgo Amalfi dicta, vt habet Quercetanus.

* glorificatur.

De S. Odilone Abbate plura inuenies apud Baron. Annalium tomo 10. passim, & in Bibliotheca Cluniacensi à Martino Marrier collecta, & per Andræam Quercetanum dispositа in S. Odilone V. Abbate Cluniacensi, vbi & translationem eiusdem offendes cum literis Summorum Pontificum de eadem, item S. viri scripta Vitam eiusdem à monacho Siluiniacensi conscriptam ibidem reperies pag. 1814.

VITA S. EVGENDI ABBATIS, AB EIVS DISCIPVLO FIDELITER CONSCRIPTA, VT EX IPSA narrationis serie facile potest animaduerti.

1. IANVARII.

QVANTVM, beatissimi fratres, desiderio feruorique vestro ex debiti summa suppleuerim, sicut ex ratione apicum ex parte sum opitulante Domino iam securus, ita conscientiæ propriæ extraneiq; iudicij incertus, ago hæc quæ iniungitis, non præsumptione indocti, sed obedientia, vt cernitis, regulari. Sic annuens diuinitas fecit, vt humana procliuior in dijudicando fragilitas, dum melodia delectatur aut musicis, dumq; oratorias venustates, vocabulorum quoq; ac temporum signata proprietate miratur: hæc nostra Tapinosis, nequaq; iactantia superba iudicum ventosa superfluitate calcetur. Porrò nos (vt præfati iam sumus) vobis proprie opuscula ista dicauimus, quos nouimus nõ oratorũ, sed piscatorum esse discipulos: Nec in philosophia sermonis regnum Dei, sed in virtute prospicere: magisque pura ac iugi obseruantia Dominum exorare, quam vana perituraque facundia perorare. Nunc ergò iam nobis in relatione vitæ beatissimi viri, narrationis sumatur exordium.

I. SANCTVS [d] namque Christi Eugendus, sicut beatorum Romani & Lupicini in religione discipulis, ita etiam natalibus ac prouincia extitit indigena atque conciuis. Ortus namque est haud longè à vico, cui vetustà paganitas ob celebritatem clausuramque fortissimã superstitiosissimi templi, Gallica lingua Isarndori, i. ferrei ostij, indidit nomen. Quo nunc quoque in loco delubris ex parte iam dirutis, sanctissimè micant cœlestis regni culmina dicata Christicolis. Atque [f] inibi pater sanctissimæ prolis iudicio pontificali, plebisq; testimonio extitit in presbyterij dignitate sacerdos. Igitur cùm beatissimum pignus ab ipsis penè cunabulis quodam instinctu succesſuq; felicitatis ac luminis, virtute diuina, vt reor, præsagante succresceret, & nocte quadam venerabilis pater ipsius, vel soboles sancta, ab * affectu profectuq; futuræ beatitudinis tenerentur incerti: in visione sancta puer à duobus religiosis viris sublatus, vltra domus paternæ vestibulum sistitur, ita vt in Orientis plagam cœliq; astra, quasi quondam multigena Abraham Patriarcha intuitu diligenti prospiceret: atq; ipsi typice iam quodammodo dicebatur: Sic [g] erit semẽ tuum. Post interuallum nanq; modicũ hinc vnus, ast hinc alter, atque alius inde, donec succrescens multitudo efficeretur innumera, beatum puerum vel sanctos proculdubio Romanum ac Lupicinum patres, qui eum in spiritu de cœno paternæ domus eduxerant, tanquam enormitas apum in modum mellificantis vuæ quadam cõstipatione sepserunt: & subito à parte prospicua videt instar amplissimæ portę culmina patefacta cœlestia, & lento deductoq; ad se vsq; è cœli vertice cum lumine cliuoso in modum recliuis scalæ cristata procliuitate descensum, & niueos fulgidosque angelicos choros ad se vsque vel socios tripudiantes, in Christi nomine deuentare: ita tamen quod crescente semper in loco societate, nullus omnino reuerentia diuinitatis attonitus, aut sermone mouebatur, aut nutu. Cumq; sensim cauteq; mortalibus multitudo sese inseruisset angelica, collectis copulatisque sibi terrestribus, concinentes angeli, vt venerant, cœlestia sacra repedantes ascendunt. Hoc solummodo puer inter carminum modulationem percepit, quod post annum circiter in monasterio * intermissus ex euangelijs recitari cognouit. Illud nempe vice antiphonæ (vt benè, ipso dignanter referente, commemini) reciprocis vocibus multitudo concinebat angelica: Ego sum via, & veritas, & vita. Recepta igitur sese clausit astrigera, & solùm semel puer contemplatus in loco, excussus est somno, concutitur, ac visionis terrore percussus rem gestam ilicò refert patri. Confestim nanque presbyter sanctus, cui potissimum proles sanctissima dicari deberet, agnouit.

[d] Horum vitam habes infra 28. Februarij.

[e] Gallica, pro Belgica.

[f] Sentiendum est ante sacerdotium eum habuisse vxorem, non in sacerdotio.

* efficitur.

[g] Vitio Eugendo puero oblata. Gen. 13.

* for. intermissas. Ioan. 14.

II. MOX igitur eum literarũ instrui iubet elementis, & anni exacto circulo, tanq; Samuel quondam, nõ in typico excubatur[o] templo, S. Romano oblatus est Patri. In quo [h] verè ita beatorũ abbatũ, qui eum in spiritu de incolatu terre-

1. Reg. 3.

[h] Traditur

ugendus monaſterio ſeptennis puer.

ſtri eduxerant, gratiarum gemina confluxit vbertas, vt ſuccidua quoq; poſteritas vtrum in Eugendo Lupicinum potius ſuſpiceret, an Romanum, iudicio fluctuaret incerto. Illis duntaxat huc illucque neceſſitate miſericordiæ è monaſterio ſæpe progreſſis: iſte verò à ſeptimo vſque ad ſexageſimum vitæ, quo tranſijt, annum nuſquàm exindè poſt ingreſſum extulit pedem. Lectioni [a] nanque ſe intantùm die noctuque expletis conſummatisque omnibus, quæ à Præpoſito vel abbate iniuncta ſunt, dedit & impendit, vt præter in Latinis voluminibus, etiam in Græca facundia redderetur inſtructus. In veſtitu [b] autem duabus tunicis nũquam eſt vſus, atq; vnam ipſam nunquam mutauit, niſi anteà fuiſſet plurima vetuſtate conſumpta, ſimili quoq; cucullę ipſius conditione ſeruata. Paleis verò lectuli in euentilatis multo tempore, vilíq; ſagello conſtratis, pellicioq; ſuperpoſito conquieuit. Aeſtiuis nanq; temporibus caracalla vel ſcapulari cilicino vtebatur: quod ei quoq; vir ſanctitate cõſpicuus Leunianus, Viennenſis vrbis abbas, pignore tranſmiſerat charitatis. Fuit nanq; ſanctus iſte de Pannonijs quondam, & ſpargenre barbarie in Gallijs, vinculo captiuitatis abductus: & non ſolùm in Viennenſi, ſed etiam in Auguſtudunenſium vrbe, multo tempore clauſtro peculiaris cellæ concluſus: ita vt ampliùs quadraginta annis in vtraque ciu tate coercitus, nulli hominum ex prima retruſione vultu ac corpore, [c] præter ſola ſermonis notitia, noſceretur. Monachos iuxta cellulã haud plurimos regens, monachos verò procul intra vrbem monaſterioque conſeptos iuxta ſexagenarium numerum admirabili ordinatione rexit & aluit: præmiſitq; maximas, magnas interim ſucciduasque in ſpiritu non dimiſit.

[a] Eius legendi aſſiduitas.

[b] Eius veſtitus.

[c] Lectus

[d] Leunianus ſanctus abbas.

[e] Præter, pro præter quam

S ED ſurſum redeo. habebat nanque [f] Eugendus beatiſſimus calceamenta fortia ruſticaque, in modum priſcorum patrum conſtrictus ocreis crura, faſciolisque plantas. At verò nocturnis matutinisq; cõuenticulis, nec in frigidiſſimis pruinis, nec in magnis niuibus, quicquam nuditati pedum præter ligneas Gallicanasque caligas addidit vnquàm. Atque in hunc quoquè modum eminùs ſæpiſſimè matutinis horis ad fraternum cœmeterium oraturus, gradiebatur in niuibus. Nemo [g] nanq; eum vnquàm aut in diurna, aut in nocturna ſynaxi ante completionem conſpexit egredi foràs. Nam cùm ipſe noctibus certè oratu longiſſimo, atque ſecreto cunctos in oratorium diutiſſimè anteiret, poſt omnium quoque diſceſſum nihilominùs formulæ ſuę incumbens, oratione diutina paſcebatur in ſpiritu. Atq; ità exindè quolibet tempore vultu hilari ac læto egrediebatur ad fratres, vt ſolet exati ata ambitio vultus hominum laſciua iucunditate diſſoluere. Refectio [h] ei omni tempore ſemel in die fuit. Quæ tamẽ æſtiuis diebus nunc in ſexta cum cæteris fatigato, nunc verò cum his, qui iteratò reficiebantur, terminabatur in veſpera: ità tamen, quòd nihil vnquàm, exceptis his, quæ cunctis apponebantur fratribus, deguſtauit in menſa. III.

[f] Eugendi calcei.

[g] Nunquã abfuit precibus in templo per ſoluendis.

[h] Eius victus quotidianus.

I GITVR ad inchoationem ipſius adminiſtrationis reuertamur: Cum ergo pater ille, quem beatiſſimus Romanus vel Lupicinus Condateſcenſi cœnobio ſignauerant ſucceſſorẽ, præter labores ſolicitudinesq; cœnobiales etiam corporeæ inęqualitatis frangererur incommodis, vocatis ad ſe fratribus, ſic ſanctum Eugẽdum vicis ſuę ſolicitudine innexuit, vt ſibi tamen ius paternę eminenrię in nullo penitùs imminueret, aut ſubtraheret. Tentauit nanque idem Abbas, vt antè dictum ſanctumque Eugendum cum adminiſtrationis onere, etiam preſbyterij dignitate arctiùs illigaret. Sed non ſolùm voluntati eius in hac parte ſæpiſſimè, immò ſanctiſſimè contradixit, verùm etiam ſacroſanctos pontifices, qui illuc cauſa orationis confluxerant, adiens, reuerentiam tanti honoris cautè ac diligenter effugit. Mihi tamẽ crebrò ſecretiſſimè teſtabatur, vtilius multò eſſe abbati, propter iuniorũ ambitionem, liberum à ſacerdotio præeſſe fratribus, & non illigari dignitate, quam abrenunciantes ac remotos minimè conuenit affectare. Nouimus nanque, aiebat, prærer hanc, quam prædiximus, cauſam, multos etiam patres, poſt humilitatis profeſſæ culmina, hoc officio grauius ac latentiùs ſuperbiſſe. Suſcepit ergò Dei ſanctus, ſicut etiam parer Lupicinus, abſque ſacerdotali eminentia iniunctę ſibi viciſſitudinis ſocietatisq; laborem, ea maximè ſecuritate fretus, quòd de paterna ſolicitudine ac prouiſione non habebatur incertus: ſed mox euidentiſſima reuelatione percellitur, ne de plenaria adminiſtratione velut in aliquo redderetur ambiguus. IV.

[i] Sacerdotium à ſe amolitur.

[k] Viſio alia.

N OCTE igitur ſubſecuta, ſubitò raptus in viſione, beatiſſimis quoquè Romano ac Lupicino abbatibus, vt in initijs quondam, ità nunc in oratorij ſecretario à parte dextera præſentatur, nec non etiam inter ipſos ſeniores ac ſuperſtires circumſpicit fratres, cereos ac lampades geſtare lucentes: & data ſibi à ſanctis patribus oratione vel pace, illico benedictum illum abbatem, deceſſorem ſibi vtique mox futurum, conſpicit intromirti, ac deſuper dorſum ipſius vel ſcapulas rigentibus clauis purpureis pallium album adſpicit dependere. Soluto nanque beatus Romanus ſancti illius cingulo, conſtringit illicò lumbos Eugendi. de hinc excuſſo, quod deſuper (vt diximus) geſtabat, pallio, huius adæquè humeris ſuperimponens, ait: Hæc tibi ad præſens noſce interim aſſignari: & digitis dalmaticam prædicti anteceſſoris adſtringens, etiam hanc tibi, inquit, probatam in acceptis vtilitatibus noueris aſſignandam. Mox adſtantes cum cereis fratres, incipiente primitùs vno, confeſtim cuncti claritatis ac ſolatij lumina impacta parieti deprimunt & extinguunt. Cumque vir beatus tenebrarum auguſtijs coercitus, euentum rei attonitus præſtolaretur in viſu, vox ad eum facta eſt: Noli (ait) te Eugende fraude eorum præſentium ac materialium luminum contriſtare: Orientalem nanque cellulæ huius attende proſpectum, & videbis illicò tibi abſque opitulatione humana lumen diuinitùs miniſtrari. At ille confeſtim illò porrigens viſum, adſpicit ſensim diluceſcente autora, radium diei ac lucis influere: & in ſemetipſum reuerſus, lectulo lætus excutitur. Nec mora: viſionem ſequitur effectus. V.

[l] Viſio alia.

N AM ad Chriſtum deceſſore illo migrante, volens nolensq; adminiſtrationem ſubterfugere non potuit ſubarrhatam. Illi [l] verò, qui per viſionem luminis ſolatia præſtita ſubtraxerant, humanitatis malo aliquid paſſi, liuoris zelo inflammati in beatiſſimum virum inuidiæ ardore turgeſcunt, & ſanctum Eugendum abbatem nunc deſpectione animi, nunc quoque monaſterij profeſſionisque deſertione, tanquam nouitium ac rudem monachorum laicorumque patiuntur ſubiacere deſpectui. At [m] non ille diuinæ pietatis obtutus famulũ ſuũ paſſus eſt prolixa fatigatione vexari. Confeſtim nanque ipſi potentiæ ac virtutis ſuæ dexteram affluentiſſimè ſignorum largitate porrexit, dando atque oſtendẽdo per ſeruum ſuum [n] ſanitatum dona ac prodigia multa: ita vt ſummæ ſeculi poteſtates, ſoſpitari ſe crebro ac benedici eius literis exorarent, nec ſe diuinam clementiam crederent habere placatam, niſi priùs Chriſti amici gratiam ſiue ſuffragia aut viſu aut literis potirentur: Epiſcopi quoque ac ſapientiſſimi ſacerdotes præ ſe omnimodis ferre, ſi eum corporaliter cernere, aut affatu literario obtinuiſſent familiarius compellari. Ipſi etiam pſeudofratres, qui pridie coturno elationis inflati diſceſſerant, tanquam infelices ac degeneres notabantur à laicis, niſi depoſito inuidiæ viru, ad ſanctum Chriſti famulum quantocius repedarent. VI.

[l] Abbatis officium illi demandatur.

[m] Deſeritur à fratribus

[n] Miraculis coruſcat.

Dum hæc odorifera fama geruntur, puella quædam iuxta ſeculi dignitatem non infima, circa Secundiacenſem parochiam dæmonio correpta, non ſolum clauſtris retruſa, verum etiam ferreis vinculis tenebatur obſtricta. Cumq; ſanitatis cauſa à multis (vt ſolet) exorciſmorũ ſcripta nexa ceruicibus necterentur, atq; illa ignotas ſibi perſonas ſcriptorum per immundũ ſpiritum cum nomine, ꝙ dolendum eſt, carperet & vitia, ſeq; magis illos, qui ſcripſerant, iam olim in illo atq; illo peccato latẽtibus apud humanitatẽ indicijs aſſereret poſſidere: tum ad ipſam energumenam de adſtãtibus vnus. Quid nos alienis, inquit, imò proprijs vitijs terres immunde? Verè in Chriſti nomine non ſolum iſtorum, quibus derogas, virorum, ſed cunctorum quoq;, ſi potuero, ſcripta ſanctorũ ita ceruicibus tuis innectam, vt vel multitudine operantium obruaris, ſi hos paucos audire deſpicis & contemnis. Tu mihi (inquit diabolus) Alexandrinarum chartarũ, ſi placet, onera exarata imponas, nunquam tñ ex obtento vaſculo poteris propulſare, dũmodo mihi ſolius VII.

Eugendi

Eugendi Iurensis monachi ex hoc nõ afferas visionẽ. Confestim namq; rapientes proximedictũ, ad beatissimũ virum plenissima fide concurrunt, ac rem gestam, pedibus eius prouoluti, narrantes, nõ se redituros esse testantur, nisi Christi misericordiam præstaret exoratus oppressæ. Victus igitur vel ratione, vel precibus pater breuiter cum lõga oratione (vt [a] Gregorius quondam Magnus Appollini) in hunc modum scribens atque consignans, spurcissimo transmisit istam: spiritus gulæ, & iræ, & fornicationis, & amoris, & Lunatice, & Dianatice, & meridiane, & diurne, & nocturne, & omnis spiritus immunde, exi ab homine, qui istam scripturam secũ habet. Per ipsum te adiuro verum filium Dei viui, exi velociter, & caue ne amplius introeas eam, Amen: & orans atque complicans, supplicibus tradidit deportandam.

[a] Greg Neocæsariensis apud Rufinum l. 7. hist eccles c. 25

IIX. Qvid plura? necdum [b] itineris medij spacia cõfecerant, cum ecce furcifer ille frendens atq; eiulans, prius egressus est ex obsessa, quam calcarent domus limina reuertentes. Ab hoc ferè tempore beati viri longè lateque fama nomenque enituit, vt qui sanctus iam habebatur indigenis, potens etiam & verè apostolicus, procul genitis haberetur. Materfamilias quondam Syagria nunc quoque ecclesiarum monasteriorumque per eleemosynam mater, cum graui obsessa incommodo iamiamq; haberetur à medicis desperata, epistolam beati viri exosculandam præcepit attingi. Cumque apprehensam contactis ab eadem cum oratione oculis, lachrymis quoque haud minimè deciduis infecisset, ori dehinc insertam aliquantisper dentibus cum oratione constringens, mox recuperata sanitate surrexit. Quo gaudio atque miraculo non solum ipsa suique, verum etiam ciuitas maxima Lugdunensium, exultatione mira releuata atque lætata est.

[b] Dæmonẽ per litetas expellit.

IX. Cvm ergo fama vitaque viri virtutum relatione succresceret, tanta miserorum aceruatim cœpit in monasterium turba concurrere, vt sæcularium, imo tribulantium multitudo, penè cateruis videretur monachorum numerosior. Interea [c] dum inibi mox nonnulli, alij etiam post bidui triduiq;, quidam verò post mensis spatium cõmoda votiua percipiunt, Dei sanctus manum ad salutare compendium mittens, fatigationẽ miseris auferebat. Dabat ergo supplicibus atque sospitibus deportanda illigandaque infirmis, cum sancti olei quantitate, contraria laruis atque miseriis scripta mandata: Quæ ita cooperante fide porrigebant in prouincijs longè positis medicinam, vt illi quoque obtinerent adspectui: neque solus beatissimus pater in cœnobio, sed & presbyteri multique inibi fratres, potiebantur clarissima virtute meritorum: & zeli ambitione cessante, illis potiùs quàm sibi, Dei homo medendi delegabat officium: & hoc studebat omnimodis, vt vnusquisque illi rei vel studio in monasterio deseruiret, in quo eum dono spiritus sancti pollere eminentius perspexit: atque ideò mansuetum ac lenem illi ordinabat officio vel loco famulari, vbi mansuetudinis ac patientiæ bonum nullatenus inquietudo decoloraret alterius. Rursumque superbiæ forsan aut vanitatis vitio notatos, non patiebatur esse suppositos: ne iudicio virosæ ac propriæ elationis inflati, altiùs grauiusque corruerent, cum culpas ac vitia sua nõ agnouissent, in medium crebriùs increpati. Si quos sanè (vt sese habet natura fragilitatis humanæ) edacis tristitiæ morbis interea nouerat sauciari, illis quoque inopinantibus ita specialiter ex industria blandus superueniebat ac lætus, & sancto dulcique fouebat alloquio, vt * decurso tristitiæ pernicioßissimo viru, quasi quadã salutaris olei perunctione, exasperata sanaretur austeritas. Dissolutioribus verò ac lenioribus acriorẽ seuerioremq; semper exhibuit. Presbyteris quoq; ipsis, quorum officio constrictus sæpe ab episcopis, humilitatis causa (vt diximus) noluit implicari, ita semper ob ministerium sacrificij salutaris quodam remotionis opere, conscientiæ puræ tribuit facultatem, vt illo cuique pro delicto mordaciter forsitan quippiam (vt assolet) succensenti, illi verò dum reatus culpam ignorarent, absq; notitia vel participatione alieni reatus, corpus Dominicum traderent ab altari, vt nec se conscij plecterent communione delicti, nec alterum seueritate paterna. Ante enim dationem sacramentorum indultu forsitan subtraxisse viderentur in aliquo.

[c] Plurimi ab eo curantur.

for. decusso.

X. Hic [f] nanque fuit, imo est apud Christum beatissimus homo ex cuius ore (Deum testor) nunquam processit obloquium, cuius aures nunquam polluit maleloqui oris ferale contagium. Tantum nanq; detestabatur hoc vitium, imò flagitium, quantum quis lethiferi anguis non solum venenum metuit, verum etiam concursus ipsius vitat atque conspectus. In tantum mens ipsius abstrusis vitijs pura pollebat, vt etiam beatissimorum [g] Apostolorũ Petri & Pauli sanctique Andreæ, adæque Apostolici conspicuique viri Martini episcopi, & colloquio fuerit & visu potitus. Quodam nanque tempore, antequam ipsi administrationis onus incumberet, diebus æstiuis vltra monasterium iuxta semitam, qua Gebennam vsque transcenditur, sub arbore solito quiescenti, subitò tres se per soporẽ aduentantes offerunt viri. Quorum cùm post orationem & pacem, nouitatem vultus habitusque contemplaretur attonitus, interrogat quoque quinã ipsi venerabiles essent, quorũ benedici meruisset aduentu. Tum vnus, Ego, ait, Petrus, ast hic germanus meus Andreas, & iste frater noster est Paulus. At ille confestim in spiritu ad eorũ vestigia prouolutus, Et quid est, inquit, domini, quòd vos in hæc rura cerno syluestria, quos in magnis vrbibus Romę ac Patris post sanctum martyrium legimus corpore contineri? Verum est, inquiunt, & illic quidem, vt asseris, sumus: & hicq; nunc habitaturi venimus. Et in hæc verba visio finiuit & somnus. Cumq; confrigata facie torporem somni depulisset ex vultu, conspicatur eminus duos, qui ante biennium circiter decesserant, fratres eo aduentare calle, quo sanctos apostolos per visionem conspexerat aduenisse. Et prosiliens ilico in occursum, consalutans quoque ex more, consulit, vnde dilectissimi fratres post tam diuturnum commeatum ad cœnobium repedarent. Nos, inquiunt, inter alia ad vrbem vsque progressi, obtentis quoque sanctorum patrocinijs sub trina martyrum sera quidem, sed fida intercessione, reuertimur. Dominorum namq; Apostolorum [h] Petri & Pauli atque Andreæ ditati reliquijs, ad caulas repedamus antiquas. In loco igitur, vt moris est, illis subsistentibus currens Eugendus sanctus ad monasterium, ipse patri ac patribus aduentantium sanctorum efficitur nuncius, qui fuit paulo antè contemplator in visione. Prosiliunt confestim obuiam, & consalutatis fratribus, deosculatisque reliquiarum vasculis, cum tripudio & exultatione atque psalmi sono exhibitis, inclusis quoque sub altari, patrocinantur nunc exorantibus indefessa virtute, quorum laudes ac merita nequeunt localiter coërceri.

[f] Quam alienus ab obtrectatione fuerit.

[g] Videt Apostolos Petrum, Paulum & Andreã.

[h] Reuerenter admodum accipiuntur Apostolorum reliquiæ.

XI. Vt enim de sancto ac beatissimo viro Martino dicamus, cuius mihi vultum ac habitum cum supra dictorum secretissimè solebat exponere, parumq; vobis referre non pigeat. Quadam [i] namque vice, dum diros metuunt ac vicinos Alemannorum incursus, qui nec opinantibus viatoribus, non congregatione, vel cominus, sed ritu superuentuque solerent irruere bestiali: ad mortem aut suspicionem mortis penitus euitandam, quæ crebro timoris iaculo toties interimit, quoties timetur, è limite Tyrrheni maris potiùs: quam de vicinis Herienßium locis coctile decernunt petere sal. Sed hoc tutum vt fieret, & consilium & ordinatio beati viri persuaserat. Cumque emenßo bimestri tempore, nullum darent proprij aduentus iudicium, vertitur in sanctum imputatio fratrum, quod alijs è vicino quod timuerant, sospitibus iam reuerßis, nõ tam destinatis fratribus exilium, quàm peregrinantibus propria persuasione dediße t. ille verò incertus de reatu, quis ipsos anticipiti obstrinxisset euentu, metuens tñ saltem indebito increpari, misericordiam Christi pro salute eorum diebus singulis exorabat ac noctibus. Cumque post lachrymas fessus, fuisset soporatus in lectulo, ita claritate subita vallatur in grabato, vt se plus luce cerneret circumfusum, quam si purißimi solis illustraretur illapsu. Illico iuxta lectulum beatissimus [k] Martinus assistens, consalutatum quoque, qualiter valeret, interrogat. At ille: Benè, inquit, agerem, si de salute fratrum, quos (vt increpor) exules feci, non haberer incertus. At ille: Non meminisli, ait, quia cuntes mihi eos, id est, Martino, in oratione propriè commendasti? hac namq; nocte in Pon-

[i] ...ria Alemannorum.

[k] S Martinus apparet Eugendo.

tianensi parochia manent: craſtina verò vnus ex ipſis iſthuc veniet, ſuſpicionem cũctis ablaturus, ad manſum. Expergefactus igitur Chriſti homo, tanquam memoratos fratres cunctis viſibiliter aſſignaret, ità diem & horam prædixit aduentûs, vt ipſe ſanctus Dei nunciauerat, vel ipſi continuo ſunt regreſſi.

XII. NAM & hoc, quod inſequens ſum relaturus, licet nullus ambigat beatiſſimi Martini mirabilibus applicari, tamen ignoro, quis tam ignarus ac brutus ſit, vt non illic ſpecialiùs nouerit virtutum dona clareſcere, vbi per vnitatem fidei familiariùs confortans reſidere dignoſcitur gratia meritorum. Permiſit nanque nocte quadam in ſecretario antedictum ſanctumque Martinum tentari quidem incendio, ſed probari. Sic igitur & Condateſcenſe monaſterium exuſtũ quondam eſt flammis, ſed tamen Martini [a] oleum nullo flammarum eſt voratum incendio. Quod etiam beatus Eugẽdus tanta patientia atq; æquanimitate ſuſcepit, vt mox illi diuina prouidentia nõ ſolùm ad victum ſiue veſtitum duplicia pro ſimplo reddiderit, verũ etiam tabernacula ipſa multo vtilius, congruentiusque, quàm fuerant, in vſus priſtinos reſtaurarit. Vice igitur quadam, imminente veſpera, omne illud, vt dixi, monaſterium, quia erat ex lignis, & non ſolũ contignatis indiſcretiſque cellulis, verùm etiam pulchrè fuerat cœnaculis geminatum, ità ſubitò redactum eſt in fauillam, vt manè non ſolùm nihil reſideret ex ædificijs, verùm etiam celeritate arentis pabuli, ignis ipſe penè totus redderetur extinctus. Cumq; fratres illi, prout quiſq; ſarculum ſecurimve depoſuerat, ferrum reuerà quod ſolum exuri nequiuerat, prunis euentilatis inquirerent: eccè Antidiolus ſanctus presbyter proſpexit ampullam cum oleo beati Martini, quæ ſalutis gratiã, ad lectuli ſui capitium dependebat, plenam, clauſamque, vt fuerat, poſt vaſta incendia, poſtque cœnaculorum deſuper ruentium ardentiumque ruinas, ità integram ac ſtabilitam inter fumãtes ignium reſidere fauillas, vt tres quondàm pueros roſcidis refrigerijs legimus in camino Perſico claruiſſe. Quæ etiam ampulla cum oleo ipſo ad virtutum teſtimonium vſque hodie in eodem monaſterio reſeruatur. Vndè non ampliùs ſub Eugendo ſancto, incendiali arbitror caſui licuiſſe, quàm vt dixi, beatiſſimo quondam ceſſiſſe Martino: vel poſtmodùm Condateſcenſes monachos cum oleo virtuteque Martini reminiſcimur euaſiſſe.

[a] Oleum in medijs flammis nõ inflammatur.

Dan 3.

XIII. NAM præter iſta, quæ ob meritorum virtutumque teſtimonium pauca perſtrinximus, tam præcipua extant, quæ puritate ſpiritûs, diuina illuminatione præſciuit, vt in corpore poſitus, iam quodammodò cum ſupernis Virtutibus clareſcere putaretur, adeò vt vice quadam venerabilem virum Valentinum, eiuſdem monaſterij diaconum, commoneret ſecretiùs, dicens: Conſtat [b] te, chariſſime frater, inter hos viginti circiter dies ex hoc ſeculo ad præparata præmia migraturum: & ideò quamlibèt exutus peccatorum nexibus, paratus ad Dominum eas: moneo tamen, vt circa clauſulam vitæ, dum tempus ſuppetit, profectuum collatione diteſcas, quô poſſis digna, vt vidi, acceptabilioráque hoſtia ex ara Chriſti aſſumi. Hac nanque nocte veſtitum te niueis linteis à ſanctis patribus vidi cum Pſalmi ſono in altari oratorij huius imponi. Igitur licet meritum qualitatemque tuæ aſſumptionis agnoſcas, ſuadeo tamen, vt tibi interìm addas, quod poſſis illic felicitate perpetua poſſidere. Cumque ſermocinationem cum alacritatis lachrymis & oratione complêſſent, poſt decem circiter dies febricula leui correptus, paulatimque inæqualitate vexatus, curſum vitæ præſentis explicuit.

[b] Prophetiç claret ſpiritu.

XIV. CÆTERVM [c] ex cuiuſlibet ſuperuentu perſonæ, ita per odoris fragrantiam, fœtoriſque afflatum, meritorum inſignia dignoſcebat, vt præſciret ilicò, cui quis virtuti vel vitio ſubiaceret. Nam & aduentus fratrum, & ſecularium expectantium fidem priùs ſæpè prædixit, quàm vlla aduentantis præſentia fratribus monſtraretur. Ita [d] tamen magnis eximijſque bonis exuberãs, nunquam ſe meliorem emendatioremque altero vel leuiter iudicauit: ſed pietate refertus, non quid interim eſſet, ſed quàm longè à perfectione adhuc eſſet, quaſi cunctis abiectior & infimus penſitabat. Habebat autem, nimirùm habitatore illuſtrante, magnam & in vultu lætitiam. Nam ſicut triſtem illum nemo vnquàm vidit, ita ridentem nemo adſpexit. Non [e] illi beatorum Antonij atq; Martini geſta aut mores labebantur vnquam ex animo. Nunquam, vt de Antonio refertur, aut ira ſubitò patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam: nunquam laudatus aut beatificatus, inflatus eſt: nunquam vituperatus, fractus eſt aut triſtatus. Tantum nanq; lectione reficiebatur, vt cùm lectitaretur ad menſam, ſæpiſſimè futurorum victus affectu, velut in ecſtaſi obliuiſcebatur appoſitorum. Nam præ gaudio attonitus, peregrinationem præſentis vitæ deſpiciens, municipatum ſuſpirabat in cæleſtibus præparatum. Iſte nanque illic poſt priſcis patribus legendi proprie inuexit induſtriã. Iſte etiam, refutato archimandritarum more, vtilius omnes vniuit in medium. Deſtructis nanque manſionum ædiculis, vno cunctos ſecũ xenodochio quieſcere fecit: vt quos cauſa vnitæ refectionis vna claudebar ædicula, diſcretis quoq; lectulis vna ambiret & manſio. Cui tamen lumen diei, ſicut in oratorio, indeficiens noctibus præbebatur.

[c] Quàm ſit ſuſpecta animo ſecreta, vt perſenſerit.

[d] Nota ſancti viri humiliratem.

[e] Athanaſius in vita Antonij.

XV. ISTE, inquam, Abbas ſanctus nec menſulam ſuam, (vt facere quoſdam nupèr audiui) nec victum vnquàm exceptauit à fratribus: omnibus omninò omnia erant. Non [f] ille vnquàm imperio docuit, quod exemplo anteà aut opere non compleuit. Infirmis ſemper aut valdè ſenibus clementiſſimè obſequi fecit, adijciens quoquè, vt ipſis illi è fratribus in neceſſitate ſeruirent, quos ægroti potiſſimùm elegiſſent: & non ſolum faciebat alimenta conuenientia miniſtrari, verùm etiam propter laborem infirmitatis, donèc ſanitas ſuppetteret, præſtitit ſequeſtratim reficere vel manere. Nam & ſeculi hominibus abſque perſonali acceptione ſe præbuit. Pauperibus verò adæquè vt diuitibus oſculum conuictumq; præſtitit atque conſeſſum, omni cautela iuxta patrum regulam ſeruans, nè ſe conſpectui aduentantium laicorum vel propinquorum ſaltem iniuſſus monach⁹ præſentaret. Si quid [g] verò cuicunq; fuit à proximis fortaſsis oblatũ, confeſtum hoc abbati aut œconomo deferens, nihil exinde abſque paterno præſumpſit imperio. Cellam, armariam, arcellámve nullus omninò habuit vnquàm: nulla cuique de neceſſitate exigua proprietatis operandi dabatur occaſio. Inter hæc autem omnia omnibus proprietatis cauſa ſolùm legere licuit aut orare. Cæterùm nouit fraternitas cuncta, quæ dico: nunquàm in cœnobio declinandi cauſas deeſſe maximas, vbi non propelluntur etiam minima.

[f] Erga ægros & ſenes vt ſe geſſerit.

[g] Nillimorachho aliquid peculiari per manſum.

XVI. ET quia ſermo attulit, vt de inſtitutione Patrum per imitationem beati Eugendi aliqua tangeremus iuxta promiſſum, quod memet prædixi tertio opuſculo ſeruaturum, prout memoriæ, Chriſto inſpirante, ſuggeritur, abrenuntiantium exordia primitùs intimamus. Sic nanq; quòd non omninò illa, quæ quondàm ſanctus ac præcipuus Baſilius, Cappadociæ vrbis antiſtes, vel ea, quæ ſanctorum Lirinenſium patres, ſanctus quoquè Pachomius Syrorum priſcus abbas, ſiue illa, quæ recentior venerabilis edidit Caſſianus, faſtidioſa præſumptione calcemus: ſed ea quotidiè lectitantes, iſta pro qualitate loci & inſtantia laboris inuicta, potiùs quàm Orientalium perficere affectamus: quia procul dubiò efficaciùs hæc faciliusque natura vel infirmitas exequitur Gallicana. Igitur quia oratiuncula hæc noſtra, inſtàr gubernatoris trepidantis, inſtitutionis pelagus contemplata, circunſpiciens vndique portum ſilentij gaudet attingere, paululùm circa tranſitum geſta beatiſſimi viri referam.

XVII. CVM enim vltra ſexagenariam ætatem ferè ſex menſibus prædictus pater inæqualitate corporea laboraret, ſic tamẽ quòd nunquam canonico vſque ad horam defuiſſet Curſui, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato vno ad ſe de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus iniunxerat, ſecretiſſimè quoque ſibi pectuſculum petijt (vt moris eſt) perungi. Cumque tranſacta nocte de nocturna quoque quiete à nobis percontaretur diluculò in lachrymas ac ſingultum erumpens: Parcat, ait, vobis omnipotens Deus, qui me tanta inæqualitate conſtrictum, non permittitis corporeis vinculis iam reſolui. At cum trepidi inter profluas lachrymas, conuul-

conuulsis quoque in corde singultibus, fileremus: [a]Domini mei, inquit, abbates Romanus ac Lupicinus proprijs humeris feretrum ante hunc lectulum exhibentes, me quoque deosculatum compositumque eleuantes, deferendum immiserũt gestatorio. Cumque eleuatum in oratorium introferrent, concurrentibus vobis in ostio violenter excussus, in hoc sum à vobis lectulo reportatus. Et ideo rogo, si quid seni, si quid verò paternæ pietati præstatis, nè me illic retinere diutiùs, sed tandem transire permittatis ad patres. Oro [b]ergò omnes & obsecro filioli, vt accepta ac tradita Patrum in omnibus inuiolabiliter instituta, ad gaudium meum, sanctorumque omnium ac vestrum, ad palmam victoriæ perducatis. Igitur cùm verba inter lamenta nostra complêssent, quinto admodum die huic ipsi lectulo semet imponens, tanquam dormiens visus, spiritum exhalauit. Cuius sanctum ac beatum corpusculum, inter cateruas filiorum ac fratrum, posteritatis quoque deseruiente famulatu, venerabiliter est in Christi nomine consepultum. His interim fidei feruorisque vestri sitim, ô sanctissimi, exatiatis tantisper desiderijs, reficite fratres. At si animos vestros, spreta dudùm philosophia, rusticana quoque garrulitas exatiare non quiuerat: instituta, quæ de formatione monasterij nostri Agaunensis cœnobij, sancto Marino presbytero, insulæ Lirinensis abbate, compellente digessimus, desideria vestra tam pro institutionis insignijs, quam pro iubentis auhoritate, Christo opitulante, luculenter explebunt.

[a] Visionem ante obit ũ sibi oblatam refert

[b] Monet suos, vt Patrũ instituta seruent. Obdormit in Domino.

VITA S. CLARI, ABBATIS VIENNENSIS, CVIVS QVIDEM AVTHOR NOMEN SVVM SVPPRESSIT, SED *magnam præ se fert grauitatem & integritatem: habeturque in vetustis & MSS. Codicibus.*

I. VITAM vel actus beati Clari presbyteri & abbatis scripturus, Dei gratiam imploro, vt qui illi dedit benè & sanctè viuere, mihi quoque tribuat ostium sermonis, & illius laudabilia gesta inculpabiliter scribere. Hic à puero indicijs nimirùm clarus, in Dei omnipotentis gratia profecit, adeo vt precibus suis, à Domino obtineret, quæ spiritus sancti donum petenda esse persuaderet. Accidit vt puer matrem orbatam marito haberet, quæ deuotè ad memorias sanctorum martyrum apud Viennam subindè orandi gratia occurrebat: cum qua pedissequus Clatus, venire solebat, habitabat autem eadem fœmina in vico, qui Bellicampus dicitur. Hanc cùm pro more quadam die ad orationem Clarus sequeretur, venerunt ad sanctissimum cœnobium vltra Rhodanũ: vbi tunc temporis ossa beatissimi Ferreoli martyris quiescebant. Cumque ibi mulier cum Claro suo puero in compũctione posita, longiores horas protraxisset, iamq; vespere ad hospitium suum reuerti cuperet, Rhodanus agitantibus ventis in vndas periculosissimè assurgere cœpit. Iam mater cum Claro puero suo nauim intrauerat: desperatisque nautis, penè vndis submersa naui, Clarus [b]puer extensis manibus contra ecclesiam beati Ferreoli martyris, lachrymis fusis clamâsse dicitur: Deus pro cuius nomine martyr Ferreolus mortem suscepit, subueni nobis in periculo positis. mox Rhodanus blandior effectus, nauim breui impulsu ad littora sua transposuit. De periculo erepti, mirantes pueri fidem, Deo gratias reddiderunt.

I. IAN.

[b] Efficacia precum Clari pueri.

II. ERAT [c] tunc tempori vir strenuus & Deo placitus, Viennensis Pontifex Cadoldus. Monasteria tam virorum quàm sanctimonialium, sub sancta professione viuentium pia districtione, tam in ciuitate, quàm extra muros ciuitatis, hæc præcipua erant quæ regebat: Grimanensium cœnobia, à sanctis pontificibus vrbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatæ virginis Columbæ, triginta monachos habens. Nam Grimanensium loca quadringentos monachos alebant. Porrò [d] sancti Petri monasterium, ad australem partẽ vrbis situm, quingentos pene monachos continebat: Sanctorum Geruasij & Protasij venerabilis memoria, quinquaginta. Similiter S. Ioannis Baptistæ monasterium, quinquaginta. Similiter sancti Vincencij martyris, quinquaginta. Sancti quoque Marcelli martyris cœnobium, triginta: Sanctæ Blandinæ viduarum sanctimonialium locus, viginti quinque. Sancti Andreæ infra mœnia vrbis, Centum. Sancti Niceti, eius vrbis glorioſi episcopi, quadraginta. Sancti Martini cœnobium, centum quinquaginta monachos, sub districtione regulari viuentes, adunatos tenebat. Porro in domo maiori sanctorum martyrum Apostolicam vitam tenentes, iu vnumque viuentes, plurimi clerici erant, ità vt turmis dispositis mysteria peragerent, Apud sanctum Seuerum quoque cœtus clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia sanctorum in vnum conuersantiũ habitacula penè ad sexaginta, sub cura pontificis degentia, in Viennensi diœcesi satis ordinabiliter sita erant. Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei, Viennensis ecclesia florebat.

[c] De quo Ado Viennẽsis in chron. ann 686.

[d] Cœnobia antiqua, intra & extra Viennam Galliæ.

III. TAM pia igitur loca mater Clari pueri, solicita quæ Dei sunt, frequentius visitabat, Claro [e] autem puero cœnobio sanctorum monachorum apud memoriam beati Ferreoli martyris tradito, ipsa nouissimum diem apud sanctam Blandinam clausit. Clarus itaque puer sanctè in monasterio nutritus, eò profecit, vt sibi monasterium viduarum ad custodiendum postmodùm crederetur. Abbas factus in monasterio sancti Marcelli è sancto põtifice vrbis Claro, nomine Clarus, virtutibus clarus, omnis religionis obsequio strenuus, omni actione sua curam sibi impositam per Dei gratiam solicite administrabat. Contigit [f] autem, vt mater ministerij febribus ad mortem grauaretur. Clarus igitur ad lectum decumbentis cum fide accessit: vtq; manum febricitantis tetigit, secretè secum orans in conuentu sanctimonialium, sancta mulier à lecto surrexit, & cum cæteris ecclesiam ingressa, hymnorum laudes Deo exoluit. Quidam frater etiam infirmitate graui viscerum depressus, à patre Claro oleo [g] sancto perunctus, sanitati restitutus est. Factum est, dum quodam tempore ad villam cum monachis iret, vt quidam totus vlceribus plenus, obuiam ei fieret. Tunc Clarus imperauit cuidam monacho: Vade frater, miserum istum laua in fluuiolo propè currente. Illico ille obediens, vt aqua miserum tinxit, mirabile dictu, fons vulnerum clausus, penitus cutem in tegram, videntibus omnibus, esse monstrauit. Eundem ipsum ianitorem monasterij postmodum multi viderunt.

[e] Clarus fit monachus.

[f] Curat febricitantẽ.

[g] Oleo sãct. alium sanat

IV. FORTE [h] vir Dei in grandinatam fratrum vineam deuenit. Vocato custode, quæsiuit, si racemi ad vsum vini necessarij aliqui remansissent: sed cum vix pauci esse sunt inuenti, prostratus in terra, noctem ibi fecit. In crastinum, quod vix credi potest, ita dependens vinea racemis suis onusta paruit, vt nullo modo, quod grandine percussa fuerit, indicium dare posset, Item quodam tempore cum fratres piscatum issent, & ipse prope ripam staret, incautiùs quidam retia admouens in aquam ruit. Rhodanus tunc forte ripas suas impleuerat: fratres de periculo cadentis nimium pauidi erant. Clarus [i] plena fide, vt signum crucis contra fecit, mox à periculo exemptus est, quem aqua trahebat, & ad partem primam, qua vir Dei stabat, cum fratribus peruenit. Læti omnes, Misericordias Domini cantare cœperunt. Sed vt lætiores etiam post tantum munus fierent, ingentem piscem ad litus tractum habere ad sui subsidiũ meruerunt. Erat ei consuetudo, nocte orationis causa ambulare per castrum, vbi cœnobium sanctæ Blandinæ situm est, & diabolus humana specie assumpta, enormi magnitudine flammantibus oculis ei se obuium fecit, quid ibi ageret, inquirens. Clarus perfectus in fide, cognoscens inimici fraudes, impauidus stetit, &, quis ipse esset, quæsiuit. Tunc diabolus, Missus sum ad hoc, vt te ex isto loco expellam, quia iam diù est, quod in potestate nostra locus iste esset, si tu non obstitisses. Clarus diuina virtute fretus, Vade Satan, ait: Obsistit [k] tibi Christus, cuius est terra & plenitudo eius. Cum grandi igitur sono, ita vt totum Castrum videretur esse concussum, diabolus abscessit: arreptamque vnam famularum, quę piæ foribus monasterij deseruiebat, vexare cœpit. Clarus ibi accurrit, iectis

[h] Vineá grãdine perditã restituit precibus.

[i] Submersũ ferè fratrẽ crucis signo seruat.

Profligat dæmonem.

iectis in os puellæ digitis, spiritum malignum effugauit. Sicque sanitati reddendo ancillam Dei, lætitiam fecit. Multa sunt, quæ per ipsum Christus in ecclesia Viennensi operatus est.

Actor 14. Cvm instaret tempus dormitionis eius, & hoc ei à Domino reuelatum esset, quadam die in hortis fratrum ægrotus sedit: vocatisque ad se fratribus, eos alloqui spiritualiter ac dulciter cœpit, dicens: Fratres mei, secundum Apostoli dictum, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Quid mihi à Domino reuelatum sit, non tacebo. Sex epi- V.

Actor. 14. scopos [a] ista nostra ciuitas sub pace temporis Christi Ecclesiam gubernantes habebit: Sed sub septimo episcopo grauissima persecutio Paganorum erit, & ista ciuitas iusto Dei iudicio illis in direptionem erit. Monachi inhabitatores terræ illius, partim occidentur, partim fugabuntur incensis sacris domibus, vastatis omnibus, & pene in desolationem redactis. Nunc ergo, fratres, Dei iudicium metuentes, curam agentes vestri, vigilanter intendite, vtcum dies tribulationis venerint, paratiores ad tolerandum, si qui reperti fueritis, inueniamini. Corpus meum in ecclesia beatissimæ martyris Blandinæ & sociorum eius humate. Hæc audierunt fratres qui tum præsentes aderant. Quod postea rei euentus demonstrauit, quando à Vuandalis & à Saracenis non tantum Viennensis, sed longe lateque aliæ prouinciæ vastatę sunt. Cum [b] iam decumberet, tertia die antequàm clara anima eius corpus corruptibile desereret, cumque semper in laudibus Dei perseueraret, videt circa crepusculum diei aperiri cælum, & immensum exercitum candidissimi & niuei candoris super cellam, vbi iacebat, descendere: quem exercitum mitæ pulchritudinis & splendoris iuuenis præcedebat. Quod cùm Clarus irreuerberatis oculis læto vultu inspiceret, virgo beatissima Blandina, ab eo cognita, consolari eum cœpit, & vt tantum exercitum sequeretur, hortari. Cumque ipse voto & desiderijs annueret, ab illa audiuit: Tertia die, hora quinta, sanctus Marcellus & ego ad te venientes, tum nobiscum ad felicia regna ducemus. Et ne hostis tibi nocere possit, totus iste exercitus Dei, quem vides tecum erit. Sic visione abscedente, beatus vir in ecclesiam deportatus, cilicioque superextentus, quandiu superuixit, à Dei laudibus non cessauit. Appropinquante [c] hora exitûs sui, psalterium idem decantare cœpit. Vt ergo fratres, finitis psalmis, dixerunt, Omnis spiritus laudet Dominum: cum luce odor ineffabilis cellam, vbi sanctus Dei iacebat, repleuit: sicque beata anima carne soluta, migrauit ad Dominum. Mansit autem idem odor vsque ad locum sepulchri. Quò cùm ferretur quidam paralysi dissolutus, admotus feretro beati viri, in conuentu omnium ilicò sanatus est. Sepultus autem est in ecclesia beatæ martyris Blandinæ, sanctorumq; martyrum quadragintaocto, ante altare, vbi miraculis clarus diu iacuit. Obitus autem eius agitur Calendis Ianuarijs.

[a] Reuelatio facta S. Claro.

[b] Visum videt sub obitum.

Psalm 150. [c] Moritur feliciter.

ANN. 360. VITA ABBATIS MACARII, ÆGYPTII: ET MACARII ALEXANDRINI PER PALLADIVM EPISCOPVM CAPPADOCIÆ

in historia Lausiaca cap. 19 & 20 scripta interprete Gentiano Herueto. Vtrumque autem hunc Macarium Ecclesia vt Sanctos veneratur, teste Baronio.

2. & 15. IANVA. Ruffin. lib. 2. c. 28. 29. Psalm 5. SANCTORVM & immortalium patrum, Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini, egregiorum & inuictorum athletarum, honestæ vitæ certamina, quæ sunt multa & magna, & incredulis propè incredibilia, & narrare vereor & scriptis mandare, ne fortè mei tanquam mendacis fiat mentio. Quod autem Deus perdat omnes qui loquuntur mendacium, licet apertè videre sanctum spiritum pronuntiantem. Cum ego ergo per Dei gratiam non mentiar, hominum fidelissime Lause, ne sis quoque ipse incredulus patrum certaminibus: sed gloriare potius in æmulatione exercitationis eorum qui verè sunt Macarij, hoc est beati. Atq; [d] primus quidem Christi athleta, nomine Macarius, erat genere Ægyptius: secundus autem ætate, sed in ijs quæ sunt monachorum præcipua primas partes obtinens, qui ipse quoque vocabatur Macarius, erat Alexandrinus, qui vendebat bellaria.

[d] Distributio eorum qui Macarij dicti sunt.

Et [e] primum quidem narrabo virtutes Macarij Ægyptij, qui vixit nonaginta annos integros, ex his in solitudine annos I.

[e] Macarius Ægyptius. sexaginta. Cùm triginta annos natus ascendisset, esset que ætate iunior, tam toleranter tulit labores exercitationis totum decennium, vt magnâ quadam & insigni dignus haberetur distinctione, adeò vt vocaretur παιδαριογέρων, id est, in puerili ætate senex, quoniã citiùs quàm pro ætate profecerat virtutibus. Cùm esset quadraginta annos natus, & potestatem accepit contra spiritus, & gratiam curationum, & spiritum futurorum prædictionis: dignus [f] quoq; est habitus honorando sacerdotio. Cum eo habitarũt duo discipuli in intimâ solitudine, quæ vocatur Scete: ex quibus vnus quidem erat ei minister, qui semper prope ipsum inueniebatur, propter eos qui veniebant vt curarentur; alter autem seorsum sedebat in cellâ.

Nicep. libr. 9 c 14. [f] Sacerdotium inter monachos honorandũ

Procedente autem tempore, cum sanctus perspicaci oculo præuidisset, dicit suo ministro, Ioanni nomine, qui posteà factus est presbyter in loco sancti Macarij (presbyteratu enim dignus fuerat habitus magnus Macarius:) Audi me, frater Ioannes, & fer æquo animo meam admonitionem, eaque tibi proderit. Tentaris [g] enim, inquit, & te tentat spiritus auaritiæ. Sic enim vidi: & scio quòd si meam æquo animo tuleris adhortationem, in Dei timore consummaberis & in eius opere, & laudaberis, & in tuum tabernaculum non appropinquabit flagellum. Quod si non audieris, in te venier finis Giezi, cuius vitio laboras. Contigit [h] autem vt sancto quidem non obedierit post eius mortem, sed obedierit ei qui Iudæ alligauit laqueum propter auaritiam, & post alios quindecim aut viginti annos, cum bona pauperum sibi vsurpasset, ita laborauit elephantiâ, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum. Hæc est prophetia sancti Macarij. II.

[g] Spiritus auaritiæ.

4. Reg. 5. [h] Simonia.

Ac de cibo quidem & potione superuacaneum est dicere, cùm nec apud eos socordiores monachos, qui sunt extra, inueniri possit ingluuies, aut vlla citra delectum & discrimen viuendi ratio alia ab ijs qui sunt in illis locis, cùm propter inopiam rerum necessariarum, tum etiam propter zelum virorum qui est ex Deo, vno quoque contendente vincere proximum diuersis vitæ institutis. III.

De [i] aliâ autem exercitatione cœlestis huius viri, Macarij inquam, dicebatur hic sanctus esse assidue in extasi, & maiori tempore, vel cum Deo, vel in rebus versari cælestibus: cuius etiam feruntur res diuersæ. IV.

[i] Macarius in extasi frequenter. Cassian. col 19 c. 4. Ruffin. libr. 2. cap. 28.

Ægyptivs [k] quidam libidinosus, captus amore cuiusdam mulieris ingenuę, quæ viro nupserat, cùm non posset eam inescare propter pudicitiam & castitatem erga suum maritum Parthenicum, conuenit improbus præstigiatorem, dicens: Aut eam incita vt me amet, aut arte tuâ effice vt eius maritus eam dimittat. Cùm ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigijs & incantationibus: & cum non posset eius animum mouere vt ei assentiretur, efficit vt videretur equa ijs qui eam intuebantur. Cùm ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorem suam in formâ equæ: cumque in suo lecto cubuisset, alienum ei videbatur quod in suo cubili equa iaceret. Flet ergo eius maritus, & lamentatur quod rem non inueniat: & quod existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur, præterquam quod solummodò eam videbat irasci. Vnde magis angebatur animo, cùm intelligeret eam esse suam vxorem, curiosis autem hominum artibus esse mutatam in equam. His de causis accersit vici presbyteros, & domum adducit, & eis eam ostendit: sed nec ij cognouerunt calamitatem quæ eis acciderat. Tribus ergo diebus neque fœnum comedit vt equa, neque panem vt homo, vtroque alimento priuata V.

[k] Præstigiator amatorius precibus mulierem equam apparere facit

priuata. Tandem vt Deus glorificaretur, & videretur virtus ſancti Macarij, aſcendit in cor mariti eius ducere eam in ſolitudinem ad ſanctum virum: & cum eam capiſtro ligaſſet vt equam, duxit in ſolitudinem. Dum autem appropinquaſſent, ſteterunt fratres prope cellam ſancti Macarij cum eius marito contendentes: cur huc adduxiſti hanc equam? Is autem dicit: vt miſericordiam conſequatur ſancti oratione. Illi vero dicunt ad eum: Quid mali habet? Ille eis dicit: Quam videtis equam, ea miſera eſt vxor mea: neque ſcio quemadmodum mutata ſit in equam, & iam ſunt tres dies ex quo nihil comedit. Ij autem cum hæc audiſſent, referunt ad ſeruum Dei Macarium eo iam intus pro illâ orante: ei enim [a] Deus reuelauerat, ipſis ad eum venientibus, & ideò orabat vt ſibi declararetur cauſa propter quam hoc euenerat. Reſpondit autem ſanctus Macarius fratribus qui ei renunciauerant: Adduxitne aliquis huc equam? dicunt. Ita. Is verò eis dicit: Equi vos eſtis, qui habetis equorum oculos: illa enim eſt femina ita vt eſt creata, non transformata, ſed ſic ſolum apparens oculis eorum qui ſunt decepti. Quæ [b] cum eſſet adducta, aquamque benedixiſſet, & in eius nudum caput infudiſſet, ſuper eius caput eſt precatus: ſtatimque effecit vt omnibus videntibus videretur famina. Cùm autem iuſſiſſet ei cibum afferri, fecit eam comedere, & eam ſic curatam dimiſit cum ſuo marito, Deo agentes gratias. Eam autem admonuit vir Dei, ſic dicens; Nunquam eccleſiam deſeras, nunquam abſtineas à communione Chriſti [c] Sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quod iam quinque hebdomadis non acceſſiſti ad intemerata noſtri Seruatoris Sacramenta.

VI. ALIA [d] eſt actio magnæ eius exercitationis. Magno vitæ ſuæ tempore à cella ſua in dimidium vſque ſtadium fodiens cuniculum, ſummam effecit ſpeluncam: & ſi quando complures ei eſſent moleſti, occultè è ſua cella egrediens, ibat in ſpeluncam, neque quiſquam eum inueniebat. Narrauit autem nobis quidam ex ſtudioſis eius diſcipulis, quod recedens vſque ad ſpeluncam per cuniculum, dicebat viginti quatuor orationes: & rediens, totidem.

VII. DE [e] eo exijt fama, quod mortuum ſuſcitauit: vt perſuaderet hæretico, qui non confitebatur eſſe reſurrectionem corporum: & fuit conſtans hæc fama in ſolitudine.

VIII. AD hunc ſanctum adductus eſt aliquando à matre propria lamentante adoleſcens qui vexabatur à dæmone, à duobus adoleſcentibus ex vtraque parte conſtrictus. Hunc autem ita vexabat dæmon. Trium modiorum panes poſtquam comediſſet, & calicem aquæ bibiſſet, vtraque eructans, cibos reſoluebat in vaporem. Ab eo [f] enim, non ſecus ac igne conſumebantur quæ comederat & biberat. Eſt enim ordo quoque dæmonum qui dicitur igneus. Sunt [g] enim dæmonum quoque ſicut hominum differentiæ, non mutata eſſentia, verum mente diuersà. Hic ergo adoleſcens cum ei mater non ſuppeditaret, ſæpè ſua comedebat excrementa, & locium bibebat. Flente ergo eius matre, & alienam ſui filij mœrente calamitatem, & ſanctum valde obteſtante & rogante, illũ accipiens inuictus Chriſti athleta Macarius, ſupplex pro eo Deum orauit. Poſt vnum autem aut alterum diem, remiſit dæmon vexationem: tunc ergo dicit matri adoleſcentis dominus Macarius. Quantum vis vt filius tuus comedat: illa autem reſpondit, dicens: Rogo te, iube eum ſolum comedere decem libras. Eam autem increpans, vt quæ nimium dixerat, dixit: O mulier, cur hoc dixiſti! Cumque ſeptem dies oraſſet cum ieiunio, expulſo ab eo pernicioſo dæmone ingluuiei, [h] conſtituit ei viuendi rationem ad tres vſque libras panis, quas deberet ipſe comedere ſi operaretur. Cum hoc modo Dei gratia puerum emundaſſet, eum matri reddidit.

IX. HAS [i] res admirabiles & præter opinionem fecit Deus per ſanctum Macarium. Eum ego non conueni: dormierat enim anno antequam ego ingrederer in ſolitudinem. Conueni autem eum qui erat eius ſocius in fidei operibus, & idem venerabile nomen quod ipſe habebat.

X. DICO [k] autem ſanctum Macarium Alexandrinum, qui erat presbyter earum quæ dicuntur Cellarum. In quibus Cellis ego nouem annos habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius, in quiete ſedens, eius quidem optimæ viuendi rationis alia quidem vidi opera & ſigna, alia vero didici ab ijs qui cum eo vixerunt.

XI. IS [l] cùm apud magnum virum & patrem Antonium electos palmæ ramos vidiſſet, quos ipſe laborauerat, petijt ab eo vnum manipulum ramorum palmæ. Dixit autem ei Antonius: Scriptum eſt? Non concupiſces res proximi tui. Et cum id ſolum dixiſſet, rami omnes ſtatim tanquam ab igne torrefacti ſunt. Quod quidem cùm vidiſſet Antonius, dixit Macario: Ecce Spiritus ſanctus requieuit ſuper te: eriſque mihi deinceps heres mearum virtutum.

XII. HINC [m] rurſus eum inuenit diabolus in ſolitudine, corpore valde defatigato, & dicit ad eum: Ecce accepiſti gratiam Antonij? cur non vteris auctoritate, & à Deo petis cibum, & vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum: Virtus mea & laus mea Dominus: tu autem ne tentaueris ſeruum Dei. Facit ergo diabolus vt ei phantaſma appareat, camelus onera baiulans & errans per ſolitudinem, habens omnia ad vſum neceſſaria. Qui [n] cum vidiſſet Macarium, prope eum aſſedit. Is autem ſuſpicatus eſſe phantaſma, ſicut erat, conſtitit ad orandum: is vero protinus à terra fuit abſorptus.

XIII. ALIQVANDO rurſus venit hic Macarius Alexandrinus ad magnum Macarium qui erat in Scete, & cum ambo eſſent Nilum tranſmiſſuri, accidit vt ipſi maximum pontonem ingrederentur: in quem ingreſſi ſunt duo tribuni cum magno faſtu & apparatu, vt qui intus haberent rhedam totam æneam, & equos frenis aureis, & quoſdam eos ſtipantes milites, ſatellites, & pueros torquibus & aureis zonis ornatos. Poſtquam [o] ergo tribuni viderunt ipſos veteribus pannis induros, & ſedentes in angulo, humilem illam & tenuem viuendi rationem beatam iudicabant: vnus autem ex ipſis tribunis dixit ad ipſos: Beati eſtis vos qui mundũ illuditis. Reſpondens [p] autem Macarius qui erat vrbanus dixit eis: nos quidem mũdum illuditis. Reſpondens autem Macarius qui erat vrbanus dixit eis: Nos quidem mundũ illuſimus, vos autem illuſit mundus. Scias autem te non tua ſponte hoc dixiſſe, ſed prophetice: ambo enim vocamur Macarij, hoc eſt, beati. Is autem eius ſermone compunctus cum domum veniſſet, veſtes exuens, delegit vitam agere ſolitariam, multas faciens eleemoſynas.

XIV. RVRSVS [q] cùm aliquando cupijſſet veſci vuis recentibus perbelliſque ad ſe miſſis, oſtendens continentiam, eas miſit ad alium fratrem laborantem, qui ipſe quoque vuas deſiderabat. Qui cum eas accepiſſet, & magna affectus eſſet lætitia, ſuam celare volens continentiam, eas miſit ad alium fratrem laborantem, qui ipſe quoque eum cibum appeteret. Cùm ille quoque accepiſſet, rurſus hoc ipſum fecit, & ſi ipſe valde veſci cuperet. Poſtquam [r] autem ad multos fratres deinde venerunt vuæ, cùm nullus eis veſci voluiſſet, poſtremus qui eas acceperat, eas rurſus miſit ad Macarium, tanquam magnum ei donum largiẽs. Qui cum rem curioſe inquiſiſſet, admiratus, & Deo actis gratias ob tantam eorum continentiam, ne ipſe quidem ex iis tandem comedit.

XV. ATQVE hæc quidem eſt magni Macarij exercitatio, quam ego & multi accurate apud ipſum didicimus. Si quod opus exercitationis aliquem vmquam feciſſe audiit, omnino id ardenter effecit.

XVI. CVM [s] ab aliquibus audiſſent, Tabenneſiotas per totam quadrageſimam nulla re veſci, quæ igni eſſet admota, ſtatuit hic ſanctus ſeptem annis nihil comedere quod per ignem tranſiſſet: & toto illo ſeptennio nihil guſtauit præter cruda olera vel legumina humectata. Cum hoc ergo recte geſſiſſet, aſpernatus eſt hanc viuendi rationem. Audiit autem ab aliquo alio hic monachorum optimus, quod quidam monachus comedat libram panis. Quem æmulatus, fregit quod habebat buccellatum, & immiſit in lagenam, ſtatuens ſolummodo tantum comedere, quantum manus eius ſurſum ferret. Magna eſt autem hæc in tractando corpore aſperitas: feſtine enim nobis narrabat: Plura quidem fruſta apprehendebam, ſed non ſinebat efferre ob anguſtiam foraminis. Publicanus enim mihi nõ permittebat omnino veſci. Totos [t] ergo tres annos hanc exercuit continentiam, quatuor vel quinque vncias comedens, & aquam quæ eis reſponderet: olei autem ſextarium toto anno conſumebat in alimentum.

[a] *Reuelatur Macario cur id contigerit.*
[b] *Aquæ benedictæ virtus ephantaſma Macarium à fœmina depellit.*
[c] *Fœmina fuit præſtigijs obnoxia; quia parum communicabat.*
[d] *Vt homines lateat; cuniculum effodit Macarius* Ruffi l. 2. c. 28.
[e] *Mortuum ſuſcitat in fidei teſtimonium. Vide Nicephor. lib. 9. c. 14. Caſſian. col. 15 cap. 3.*
[f] *Dæmon cõmedens, cibos reſoluit, non digerit.*
[g] *Dæmonum differentia mente diuerſa, eadem eſſentia.*
[h] *Dæmon ingluuiei.*
[i] *A quo iſta didicerit Palladius.*
[k] *Macarius Alexandrinus.*
[l] *Non concupiſcendum. Deut. 7.*
[m] *Diabolus aggreditur Macarium in ſolitudine*
[n] *Macarius oratione phantaſma pellit.*
[o] *Beata viuendi ratio in vilibus pannis.*
[p] *Mundus illuditur à monachis, ſæcularibus mundus illudit.*
[q] *Domita cibi concupiſcentia.*
[r] *Vua per charitatis officia multorum cellas perambulat.*
[s] *Quadrageſima obſeruatio in cibis igne non coctis*
[t] *Victus tenuitas.*

ALIA

[a] *Somnum superare contendit.*

ALIA[a] athletæ exercitatio. Statuit indomitus hic vir somnum superare. etenim vtilitatis gratia hoc ipse narrauit: To- XVII.
tis viginti diebus & noctibus non sum tectum ingressus, vt somnum vincerem, cum interdiu quidem æstu arderem, noctu vero algore rigerem. Quod nisi, inquiebat, tectum citius essem ingressus, & somno vsus essem, ita mihi erat arefactum cerebrum, vt deinceps agerer in extasim: & quod ad me quidem attinet, vici somnum: quod autem ad naturam opus habentem ei cessi.

[b] *Aspiritu fornicationis tentatus, culicum se morsibus exponit.*

Et[b] aliquando molestiam exhibuit spiritus fornicationis: & tunc condemnauit seipsum sedere nudum sex menses in XIIX.
palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, in qua possunt culices vel sauciare pelles aprorum, vt qui sint æque magni vt vespæ adeo vt in toto eius corpore infixerint aculeos: vt nonnulli existimauerint eum esse leprosum. Reuersus ergo in suam cellulam post sex menses, ex voce cognitum est eum esse dominum Macarium.

Per Dam. lib. 5 epist. 8.

[c] *Monimentum Ianne & mambre adire statuit vt cum dæmonibus contendat.*

Is[c] cupijt aliquando, vt ipse nobis narrauit, quod in hortis erat, ingredi monimentum, quod dicitur κηποτάφιον Ianne XIX.
& Mambre, magnorum qui erant tempore Pharaonis, vt id videret, vel etiam vt conueniret eos qui illic sunt dæmones. Dicebatur enim plurimos, eosque verocissimos, in eo loco ab illis collocatos esse dæmones per infamis artis eorum excellentiam. Hoc autem monumentum factum est à Ianne & Mambre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebât illo tẽpore apud Pharaonem. Vt qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Ægypto haberent potestatem, construxerunt illud opus ex lapidibus quatuor pedum magnitudine, & suum illic fecerunt monimentum: & cum multum illic auri deposuissent, & omne genus arbores plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt: est enim locus qui cedit facile. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum frui delicijs in illo paradiso. Tandem ergo quoniam nesciebat viam, quæ ad eum ducit hortum, Dei seruus Macarius, coniectura quadam sequebatur astra, & sicut nautæ qui transmittunt maria, totam peruasit sanctus solitudinem, & cum aliquot etiam accepisset arundines, vnam statuit in vnoquoque milliari, vt per eam rediret. Cum ergo intra nouem dies totam illam peruasisset solitudinem, & esset prope illum hortum, succedente nocte parum dormiit. Immanis verò dæmon qui semper aduersatur Christi athletis, cum collegisset omnes illas arundines dormiente Macario, & circiter ad vnum lapidem à monimento ad eius caput posuisset, recessit: postquam ergo surrexit, inuenit colligatas arundines quas ipse fixerat signi causa. Fortasse autem hoc quoque fuit Dei permissio ad maiorem eius exercitationem. vt non speraret in arundinibus, sed in Dei gratia, quæ per columnam nubis deduxit Israel quadraginta annis in terribili illa solitudine. Dicebat autem Macarius: Cùm[d] propius accessi ad illud monimentum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi; alij quidem clamantes, alij verò cum magno fremitu in me stridentes dentibus, alij verò tamquam corui volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes: Quid vis, Macari, tentatio monachorum? quid ad nos accessisti? an non nos quoque aliquem ex monachis vexauimus? Quæ nostra sunt, tu cum tuis similibus illic habes, nempe solitudinem, & illinc nostros cognatos fugauistis. Nihil est nobis tecum commune. quid loca nostra inuadis? tamquam anachoreta, contentus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt; non potes hic manere. Quid quæris ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex vius hominibus est ingressus, ex quo fratribus qui hoc condiderunt sunt à nobis hic factæ exequiæ. Et cum multa adhuc facerent & insultarent dæmones, dixit eis sanctus Macarius: Ingrediar tantum, & videbo, & hinc recedam. Eixerunt autem dæmones: Hoc nobis promitte in tua conscientia. Dicit[e] autem Christi seruus, Hoc faciam. Dæmones autem euanuerunt. Ingrediente autem eo in paradisum, ei occurrit diabolus cum stricta rhomphea, ei minitans. ad quem hanc vocem respondit sanctus Macarius: Tu venis ad me in stricta rhomphea, & ego contra te ingrediar in nomine Domini Sabaoth, in acie Dei Israel. Ingressus autem, contemplatus sum omnia in quibus inueni etiam cadum æneum catena ferrea pendentem ex puteo, iam tempore consumptum, [f] & fructum malorum punicorum quæ nihil intus habebant, fuerant enim arefacta à sole, & plurima aurea donaria. Cum sanctus ergo illinc recessisset absque tumultu & citra vllam perturbationem, reuersus est per viginti dies in suam cellam.

[d] *Varia dæmonum apparitiones.*

[e] *Iurat Macarius dæmonibus.*

[f] *Descriptio sepulchri magorum*

[g] *Tentatur esuriens.*

CVM[g] autem defecissent panes & aqua quam portabat, in magna erat afflictione. Viginti enim diebus ingrediens XX.
per solitudinem, vt existimo, nihil omnino gustauit, vt etiam res ostendit. Fortasse autem tentabatur quoque intolerantia: Et cùm iam parum abesset quin collaberetur, visa est ei quædam puellæ speciem præ se ferens, vt ipse narrabat, munda linea veste induta, & tenens vrnam aqua stillantem: quam dicebat Macarius abfuisse ab eo circiter vnum stadium. qui tres dies ingressus est eam videns cum vrna tamquam stantem, & eum prouocantem, non valentem eam assequi: spe autem bibendi, trium dierum laborem fortiter sustinuit. Postquam apparuit multitudo bufalarum, ex quibus vna stetit ex aduerso eius habens vitulum: (sunt enim multæ in illis locis) & vt dicebat nobis Macarius, vber eius lacte fluebat, & desuper sonuit vox ei dicens: Macari, accede ad bufalam, & lactare. Cum[h] ergo, inquit, ad eam accessissem & lactatus essem, mihi sufficit. Vt autem maiorem gratiam ostenderet Dominus, docens meam paruitatem, iubet bufalam me sequi vsque ad cellam. Illa vero parens iussui secuta est, me quidem lactans, suum autem nolens vitulum.

[h] *Lactatur à bufala.*

ALIQVANDO rursus cum puteum foderet hic vir virtute præditus, ad recreandos monachos (is autem erat pro- XI.
pe folia & sarmenta illic posita) morsus est ab aspide: est autem venenatum & exitiosum animal. Aspidem[i] apprehendens sanctus ambabus manibus, eam discerpsit, dicens: Cum te non misisset Deus meus, quomodo ad me ausus es accedere?

[i] *Aspidis morsus non obfuit Macario.*

CVM[k] ipse rursus magnus audiisset Macarius, quod haberent præclarum vitæ institutum Tabennesiotæ, veste mu- XII.
tata, & assumpto mundano habitu operarii, spatio quindecim dierum peruenit Thebaidem, ingressus per solitudinem. Et cum venisset in monasterio Tabennesiotarum, quæsijt eorum archimandritam, nomine Pachomium, vitum probatissimum, & qui gratiam habebat propheticam. Cui quidem sancto tunc reuelatus fuerat magnus Macarius. Cùm ergo eum conuenisset, dicit ei Macarius: Oro te, suscipe me quæso in tuum monasterium, vt fiam monachus. Dicit ei magnus Pachomius: Non potes deinceps fieri monachus, qui sis tam prouectus ætate: non potes te exercere; sunt fratres qui se exercent à iuuentute, & laborem tolerant. Tu autem in hac ætate non potes ferre tentationes. offenderis, & exibis, & nobis maledices. Neque eum accepit, nec primo die, nec secundo vsque ad septem dies. Ille vero fuit constans, manens ieiunus. Postea autem dicit ei senex Macarius: Suscipe me; abba; & nisi ieiunauero, & fecero ea quæ ipsi opera, iube me eijci ex monasterio. Persuadet fratribus magnus Pachomius vt eum admittant. Est autem vnius monasterij conuentus, mille quadringenti viri vsque in hodiernum diem. Ingressus est ergo. Cùm autem præterijsset aliquantũ temporis, aduenit quadragesima; & vidit senex Macarius[l] vnumquẽq; suscepisse diuersas viuendi rationes: alium quidem comedere vespere, alium vero post duos dies, alium post quinque; alium stare per totam noctem, interdiu vero sedere ad opus. Ipse[m] autem cum aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustauit præter pauca cruda crampes folia, quæ sumebat die Dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem: & si quando egredebatur ad aliquid necessarium, cito rursus ingrediens, stabat ad opus, os non aperiens, sed stans silentio, nihil aliud faciens præterquam silentium in corde exercens, & faciens orationem, & ramos palmæ operans, quos habebat in manibus. Cum autem hæc vidissent omnes exercitatores illius monasterij, seditionem excitarunt aduersus suum Præfectum: Vndenam nobis ad-

[k] *Macarius explorat austeritatem monachorum Tabennesiotarum.*

[l] *Quadragesima à monachis diuersimode obseruata.*

[m] *Ieiunium portentosum Macarij.*

nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad nostri condemnationem? Aut eum hinc eijce, aut, vt scias, nos omnes hinc recedimus. Cùm hæc autem à fratribus audijsset magnus Pachomius, de eo est scisitatus. Et cum didicisset eius vitæ agẽdæ rationem, Deum rogauit vt ei reuelaretur quisnam sit. Reuelatum [a] est autẽ ei eum esse Macarium monachum. Tunc ei manum prehendit magnus Pachomius, & eum foràs educit: & cum eum deduxisset in domum oratorij, vbi est ara, & esset amplexus, ei dicit: Adesdum, venerande senex. Tu es Macarius, & me id celasti: multis ab hinc annis cupij te videre cùm de te audirem. Ago tibi gratias, quod filios meos subegeris, ne se iactent & magnificè circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te, recede in locum tuum: nos enim satis ædificasti; & ora pro nobis. Tunc ab ipso rogatus, & eum omnibus fratribus orantibus, sic recessit.

[a] *Pachomius agnoscit Macarium reuelatione.*

XXIII. Aliquando rursus narrauit nobis hic vir impatibilis: Quando [b] rectè gessissem omnem vitę monasticę agẽdę rationem, tunc veni ad aliud spirituale desiderium. Statui enim quinq; dies solùm mentem meam ita componere, vt à Deo auelli nõ posset, & nihil aliud omnino cogitaret. Et [c] cùm id apud me statuissem, clausi meam cellam & aulam extrinsecus, vt nulli darem respõsum. Et [c] steti incipiens à secundâ, & menti præcipiẽs, & ei dicens: Vide ne descendas de cœlis. Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim & Seraphim, Deum horum omniũ effectorem. Illic versare: ne sub cœlos descenderis: ne incideris in mundanas cogitationes. Cùm duos autem, inquit, dies & duas noctes perseuerassem, ita irritaui dæmonem, vt ipse fieret flamma ignis, & combureret omnia, quæ habebam in cellâ, adeò vt etiam storea, supra quam stabam, igne arderet, & sic me quoq; existimarem totum conflagrare. Tandem timore affectus tertio die destiti ab hoc proposito: cùm nõ possem ampliùs mentem meam tenere indiuulsam, sed descendi ad huius mundi contemplationem: Deo fortasse permittente, ne hoc mihi reputaretur in superbiam.

[b] *Feruens vitæ angelicæ & cõtemplationis desiderium.*

[c] *Quibus argumentis mentem in cœlestia erigeret.*

XXIV. Ego ad eum accessi aliquando, & inueni extra eius cellam iacentem quendã vici [d] presbyterum, cuius caput ita erat excesum à morbo, qui dicitur cancer, vt etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur: nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum, dicens: Miserere huius miseri, & saltẽ da ei responsum. Is verò mihi respondit, dicens: Est indignus qui curetur; amandata est enim eius disciplina. Quòd si velis eum curari, persuade ei vt deinceps abstineat à ministro sanctorum Sacramentorum. Ego [e] autem ei dico: Quamobrem, quæso? Is verò dicit: Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo ꝙ ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Postquam ergo dixi ei qui affligebatur, iureiurãdo est pollicitus se non ampliùs sacrificaturum. Tunc eum accepit, & dixit ei: Credisne esse Deum quem nihil latet? Respondet ille: Maximè. rogo te. Deinde ei dicit Macarius: Non potuisti Deum illudere? Dicit ille: Non potui, domine mi. Dicit ei Macarius: Si agnoscis tuum peccatum, & Dei disciplinam propter quam hæc subijsti, corrigitor in posterum. Qui cõfessus est peccatum, & spopondit se non ampliùs peccaturum, neque altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum. Deinde [f] sic sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus fuit curatus, capillique ei creuerunt, & sanus domum redijt Deum glorificans: egit autem magno quoque Macario gratias.

[d] *Presbyter cancro laborans Macarium accedit.*

[e] *Cancro laborat, quia conscius fornicationis sacrificauit.*

[f] *Post confessionem peccati, & emendationis sponsionem à Macario curatur.*

XXV. Hic sanctus habebat [g] diuersas cellas: vnam quidem in Scete, quæ est interior in solitudine, & vnam in Libâ, & vnam in Cellis, & vnam in monte Netriæ. Et aliæ quidem carebant ostio, in quibus dicebatur sedere in [h] quadragesimâ in tenebris: alia autem erat angustior, in quâ non poterat pedem extendere: alia autem latior, in quâ conueniebat eos qui ad ipsum ventitabant.

[g] *Diuersæ cellæ Macarij.*

[h] *Quadragesima.*

XXVI. Hic [i] curauit tantam multitudinem eorum qui vexabantur à dæmonibus, vt ea non cadat in numerum. Cùm nos autem illic essemus, virgo nobilis deducta est ad eum è Thessalonicâ, quæ multis annis laborabat paralysi. Hanc [k] viginti diebus vngens oleo sancto suis manibus, & orans, sanam remisit in suam ciuitatem. Quæ cùm recessisset, ad eum copiosam misit oblationem.

[i] *Curatio infirmorum.*

[k] *Mulier curatur à paralysi per oleum sanctum.*

XXVII. Me [l] autem præsente adductus est ad eum puer qui vexabatur à spiritu. Ei autem manũ imponens in capite, & alteram supra cor, tamdiu orauit donec feciset ipsum pendêre ab aëre. Tanquam vter ergo puer inflatus, adeò intumuit, vt esset maximi ponderis. Et cùm repentè exclamasset, per omnes sensus aquam emisit: & cùm rursus desijsset, redijt ad eam in qua priùs erat mensuram. Et tradidit eum patri, cùm vnxisset oleo sancto: & cum aquam infudisset, præcepit nè [m] quadraginta diebus carnes tangeret, nec vinum: & sic eum curauit.

[l] *Puer dæmoniacus sanatur per oleũ sanctum & aquam benedictam.*

[m] *Abstinentia à carnibus & vino.*

XXIX. Evmaliquando subierũt cogitationes vanæ gloriæ, quæ eum è cella eijciebant, & suggerebant vt honesto consilio & iusta de causa Romam veniret, pro beneficio eorum qui ægrotabant: valde enim in eum operabatur gratia aduersus spiritus. Postquam autem longo tempore non obedijt, valde agitabatur. Cadens verò in limine cellæ, foras pedes emisit, & dicit: Trahite & vellite, ô dæmones. Ego enim non abeo meis pedibus, iurans fore vt iaceat vsque ad vesperam, & nisi eum excutiant, non esse auditurum. Cùm autem diu procubuisset, surrexit: cùm nox autem aduentasset, ei rursus exhibuêre negotium. Et cùm duorum modiorum sportam implesset arena, & imposuisset humeris, peruadebat totam solitudinem. Huic [n] occurrit Theosebius Cosmetor, genere Antiochenus, & ei dicit: Quid portas, abba? Cede mihi onus, & ne vexeris. Ille autem dixit: Vexo eum qui me vexat: nam cùm sit remissus & ignauus, suggerit mihi peregrinationes. Cùm autem diu permouisset, ingressus est cellam contrito corpore.

[n] *Miro onere se affligit Macarius, vexantem se vexant.*

XXIX Narravitaũt Dei nobis quoq; seruus [o] Paphnutius, præclari huius sancti discipulus, quòd cùm quodam die sederet in aula sanctus Macarius, & Deum alloqueretur, hyæna acceptũ suum catulũ, qui erat cæcus, attulit ad sanctum Macarium: & cum capite pulsasset ostium aulæ, ingressa est, eo adhuc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm autem [p] accepisset catulum sanctus Macarius, & spuisset in eius oculos, orauit, & statim vidit. Et cùm mater eum lactasset & accepisset, ita exijt. Die autem sequenti pellem magnæ ouis attulit ad sanctum Macarium, & cùm sanctus vidisset pellem, hæc dixit [q] hyænæ: Vndenam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? Quod ergo proficiscitur ab iniuria, ego à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genu flectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem. Ipse autem ei dicebat: Dixi [r] me nõ accepturum, nisi iuraueris te non amplius offensuram pauperes, comedendo eorum oues. Illa verò ad hoc quoque capite suo annuit, vt quę sancto assentiretur Macario. Tunc accepit pellem ab hyæna. Beata autem Christi ancilla Melania dixit mihi, se illam pellem accepisse à Macario illo, quod appellabatur munus hyænæ. Quid [s] verò mirum est apud viros mundi crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam, & honorem seruorum eius, id sentiens ad eum munera attulerit? nam qui in Daniele propheta mansuefecit leones, hic quoque hyænæ largitus est intelligentiam.

[o] *Paphnutius Macarij discipulus.*

[p] *Macarius sputo illuminat cæcum hyænæ catulum.*

[q] *Hyænæ præmium adfert Macario.*

[r] *Adiuratus hyæna.*

[s] *Etiam feræ sanctos agnoscunt.*

XXX. † *Hoc loco Heraclides interserit narrationem Macarij de Marco, cuius partem habes in hac quam tibi damus clariore & copiosiore Heruetiversione cap. 20. reliquam verò ca. 21. quam & vitæ huic subiungere, ne quicquam deesse videretur, libuit. Inde sequitur hac narratio Paphnutij, quam ille Marco attribuit, dicitque Marcum Athanasio dedisse pellem, Athanasius vero Melaniæ. Forte Marcus positus est pro Macarius. Tamen quod de ætate narratur 60. videlicet annorum fuisse post baptismum, & 40. ante, vt habet Heraclides, conuenit Marco, quem dedit 100. annos vixisse. Ruffinus vero libro 2. histor. cap. 4. Macario tribuit historiam de Ieana, vti & Græcus textus hic, vt notat Hereber. Rosciocydus in vitis Patrum ad hunc locum.*

XXXI. De [t] eo autem dictum est, quòd ex quo fuit baptizatus, humi non spuerit, cùm essent sexaginta anni ex quo fuerat baptizatus.

[t] *Humi non spuit Macarius.*

XXXII. Forma autem eius erat huiusmodi. Oportet enim me quoque tibi hoc significare, Christi serue, vt qui hoc sciam

optimè, cùm mea paruitas ei fuerit tempore æqualis. Erat [a] autem eius forma satis mutila & rara, pilos solùm habẽs in labro. Quinetiam in suprema parte genæ habebat paucos. Nam propter ingẽtes labores exercitationis, ne pili quidem ei enati sunt in genis.

[a] *Qua forma fuerit Macarij.*

A D hunc sanctum Macarium cùm quodam die venissem, & essem animo valdè anxius, dico illi: Abba [b] Macari, quid faciam, quoniam me affligunt cogitationes, mihi dicentes: Nihil facis, recede hinc. Respondet mihi dicens sanctus pater Macarius: Dic tu tuis cogitationibus: Propter Christum custodio parietes. xxxii.

[b] *Palladius consulit Macarium.*

H Æ c, ô studiose & amantissime Christi serue, ex multis & magnis signis & certaminibus inclyti & virtute præditi Macarij significaui.

[c] *Marcus eremita Eucharistiam ab Angelo accipit.*

H I c [c] Macarius nobis narrauit, (erat enim presbyter) se obseruasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus eius qui dabat. XXX. III.

[d] *Quanta virtutes Macarij. Incipit hic cap. 21 in Palladio ex versione Heruetj.*

C V M [d] esset autem hic Marcus iunior, dicebat memoriter vetus & nouum Testamentum, eratque insigniter mitis, & summè temperans. Quodam ergo die cùm satis otij haberem in cella mea, in extrema iam eius senectute ad eum venio, & ostio eius cellæ allideo. Quem ego, vtpote qui essem adhuc rudis, existimabam esse supra hominem, sicut erat: & auscultabam quidnam diceret vel faceret. Is autem intus solus, cùm iam centum annos transegisset, & dentes amisisset, secum pugnabat & cum diabolo, & dicebat: Quid [e] vis deinceps, κακόγηρε, id est, male senex. Ecce iam & vinum bibisti, & oleum tetigisti. Quid vis deinceps πολύφαγε, id est, vorax in canicie, & κοιλιόδουλε, id est, ventri seruiens, probro & contumelia seipsum afficiens? Et diabolo dicens: Recede à me, diabole, consenuisti mecum in dissensionibus, iniecisti mihi imbecillitatem corporis, fecisti me bibere vinum, & sumere oleum, me reddens voluptarium. Adhuc ne tibi aliquid debeo? Apud me nihil inuenis quod velis diripere. Recede à me deinceps, inimice hominum. Ac veluti se prouocans & irritans, secum loquebatur, dicendo: Adesdum, ô nugator, in canicie vorator, & helluo in senectute. Quamdiu ero tecum? XXX. IV.

[e] *Marcus iam capularis senex & secum & cum diabolo disputat.*

De his Macarijs Sozomenus lib. 6. cap. 29. Socrates lib. 4 cap. 18. & ex eo Cassiodorus hist. Tripart lib. 8. cap. 7. Niceph. lib. 9. cap. 14. & lib. 11. cap. 42. & 43. De Marco Sozomenus lib. 6. cap. 29 & ex eo Cassiodor. lib. 8. cap. 1. & Niceph lib. 11. cap. 35.

AN. 770.

VITA S. ADELHARDI ABBATIS CORBEIENSIS, AVTHORE PASCHASIO RATBERDO, QVI SEXTVS ei fuit in Gallica Corbeia successor.

[f] *2. IANV. In principio orationis funebris de obitu Valentiniani.*

P R E C I V M operis est, viros quosq; doctissimos imitari, qui parentis affectu, charorum in Christo funera pietatis opere defleuêre flendo quoq; miris eos prosequuti sunt laudibus. Quoniam, [f] sicut beatus Ambrosius in opere super Valentinum dixit, etsi incrementum doloris sit, id, quod doleas, scribere: tamen plerumque in eius, quem amissum dolemus, commemoratione requiescimus, eô quòd in scribendo dum in eum mentem dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone reuiuiscere, & totus medullam nostræ mentis influere. Cæterùm posteritatis negocium est, vt eorum exempla virtutum literis commendemus, quatenus & nostrum charitatis debitum proximis persoluamus, & Patrum exempla, quos imitari debeamus, filijs non negemus. Nouimus igitur eos non perijsse post mortem, sed beatius immutatos, vt moriendo ad immortalia summæ felicitatis gaudia peruenirent. Idcircò non omninò penitus obliterandi sunt à memoria, præsertim tales, quorum non desijsse hinc mortis euulsio fuit, sed in melius commutasse. Neque enim fatendum est, iuxta quorundam perfidorum insaniam, quod scriptura inquit: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, nec est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit regressus ab inferis. Neque hoc dicendum, quòd ex nihilo nati sumus, & post hæc futuri sumus, quasi non fuerimus. Verum igitur est, & incunctanter profitendum, Christum resurrexisse à mortuis, & mortem moriendo vicisse: vt similiter omnes, qui in Christo moriuntur, non iam mortui, imò in eo viui atque beati inueniantur. Deus enim viuorum est, & non morientium, eô quòd in illo qui viuit, omnes qui in ipso sunt, viui inueniuntur. Vndè & scriptura eos dormientes appellare consueuit. I.

Sap. 2.

Matth. 22. Luc. 20.

Q V A P R O P T E R officiosissimum est, sicut dixi, sanctos imitari viros, videlicet præfatum Ambrosium, & beatum Hieronymum, reliquosque sacros imitabiles, qui suis epitaphia charis facundissimè condiderunt. Etsi non assequi eorum iura facundiæ queo, materiam tamen loquendi scias non deesse: quia eum recolere scribendo cupio virum, quem sanctum & admirabilem vniuersus penè prædicat orbis: quemque vidimus, & vsi familiaritatis eius amore, licet indigni, sumus, omnino tacere, quamuis indocti, nequimus: vt dum eum oculis videre negamur, saltem mentis officio prosequi mereamur. Sed dum hoc cogitare incipio, duobus valde contrarijs afficior intus, mœroris, videlicet atque gaudij. Sed contristari Apostolus pro tali negocio vetat, gaudere verò non solum mea, verùm omnium nostrorum subita desolatio prohibet. Quibus vtrisq; taxatis stipendijs pietatum, gaudere magis, multumq; congaudere profecto spe promissionis æternæ de tanto patrono oportet: itaque perfelices eum iam transisse agones, quem proculdio requieuisse in Christo, sine fine beatè mansurum, minimè dubitatur. Sed quia fletu amoris vincor potius, quàm desperationis ignauia, mihi parcendum non ambigo: præsertim cum Apostolus non flere prohibeat, nisi tantùm, vt de dormientibus, tanquam cæteri, qui spem non habent, non contristemur. Ergò longè aliud est, cum desperatione contristari: aliud verò, dolere & condolere, quod sic peccati causa huc venimus, vt ad modicum vix parùm aliquid esse videamur: vnde proculdubio charorum lachrymis abluere sepulturam, debitæ pietatis affectio esse debet, non erroris. II.

1. Thess 4.

Ibidem.

[g] *S. Adelhardi encomium.*

Q V A [g] pietate licet mentis ingenio segnis, tui recordor virorum charissime Adelharde pater, senectutis decus, speciesque sanctitatis, forma virtutum: In tantùm, inquam, tui recordor amoris vinculo, vt vix admodum me valeam inter vtraque temperare negocia: Qui dum video Dominum Iesum Christum, Lazarum, quem diligebat, fleuisse mortuum, & non solùm fleuisse, verùm turbatum esse spiritu: nimiũ flere cogor, tali ac tanto cœli destitutus oraculo. Cæterùm ipsa natura docet, charorum non obliuiscì debere, sed quibus possumus eos commendare ingenijs, vt & dilectio in mente firma teneatur, visione carnis sublata: & amor in mente qui dudum accensus fuerat, dum melius viuat quem diligimus, non moriatur. Vndè mi votorum charissime, tuum superspargo more vulgi sepulchrum ex floribus, ornare cupiens funus literarum officijs: quatenus tuarum aromata virtutum non tumulo teneantur clausa, sed longè lateque exemplum futuris frangrent temporibus. Neque enim more quorundam censeo pueros hinc indè super tumulum constituere, qui tuas fingendo laudes debeant decantare, vt instar lugubrium carminum ad fletus & gemitum audientium pectora concitent: sed veritatis iura mihimet torpentis ocio nè abdicentur, literarum fidei commendabo, atque ita tuo refrigeratus alloquio, tui per secula memorabor. Neque è meo poteris euelli animo, nisi nomen tuum laudesque depromam. Fidelis [h] est mihi conscientia, quòd quicquid dixero, à tua minùs est laude: ideò persuadere mihi de te talia minimè erubesco. vnde tua præsens absentia mihi manens, nouos in me generat lachrymarum III.

Matth. 11.

[h] *Item præclara laus beati viri.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

chrymarum affectus: ita tamen, vt præsentia absens faciat gratulari, quòd iam perueneris ad diu promissa gaudia felix.

IV. Nè, quæso, lachrymanti dicas, Gratulari de me potiùs, quàm flere, charorum fili debueras, præsertim cum scias me euasisse mundi ludibria, & peruenisse ad fontem æternæ vitæ: qui si me diligeres, gauderes vtiq; & congauderes, quia iam fruor immortalitatis stola, & satior intuendo maiestatis gloriam. Scio, mi pater, scio, inquam, quia exutus carneis indumentis, cœlesti iam frueris visione: sed vincor itaque, pio perfusus amore, præsentem tuam flere absentiam, quo mihi triste videtur omne quod intueor, dum te suspirans abesse sentio. Et vt verbis Fortunati vtar.

Qualiter agnus amans genitricis ab vbere pulsus
Tristis & herbosis anxius errat agris:
Nunc fugit ad campos, feriens balatibus curas,
Nunc redit ad caulas, nec sine matre placent.

Sic me de tuis pater absentem suggero verbis. Dies, inquam, obitùs tui mihi vtinã non luxisset, quia nec poterat peior esse mihi exiguo, neque sæuior vlla tuis omnibus inlucescere: quo quid agam, quid ve faciam perpendo, sed mœrore amarus, non inuenio. Prohibente, vt dixi, Apostolo, multum flere volens, nõ audeo: gaudere verò, quamuis inuitus, tuæ charitatis gloria persuadeor. Iam enim tibi hyems, mi pater abijt, & recessit imber: ergò venerunt nuptiæ agni, inter delicias paradysi frueris: vox tua sonuit iam in auribus meis, exaudita est vox turturis, ita dicens: Sicut audiuimus, fili, sic vidimus in ciuitate Domini: audiuimus quidem glorioſa, sed cernimus potiora. In ciuitate Domini virtutum: virtutum ergò, & non vitiorum, quia Deus fundauit eam in æternum, fundamento perpetuitatis. Intelligo quidem planè talia te canentem, sed suspiro dolens, & gemo anxius, longè interdum à tuo seiunctus consortio: Et quod serius est, orbis te virtutis virum prædicat, nec contingimus, nec videmus. *Psalm. 47.*

V. Nouit igitur: quòd neq; has velis accipere laudes, qui tuas iam in cœlo scriptas proculdubiò tenes: ibi tuum prorsus feceras horreum, ibiq; tuum semper erat mentis habitaculum. Vnde quanuis mihi exigam q impendo, tibi exinde gratulor, quia frueris quod amâsti: mihi coleo, quem depulsum à lacte velocius amisisti: iocundior tua causa, sed mea plango. Tuis itaque gaudijs superatus, tandem gratias Deo agere non recuso. Ago quidem gratias, quòd talem te habuimus: vincor verò affectu, quia prius te caruimus, quàm comites paradysi nos tuo adsciueris cõsortio. Propter quod obsecro, mi Pater, prospicias per cancellos, per feneſtras quoque, Domino concedente, voti intuearis filios. Noui igitur, qua fueris charitate præditus, quàve fide firmus, qualique spe diu velut ancora Domino religatus. Certissimum idcirco [a] teneo, quod triplex iste tuus funiculus difficilè, imo nunquàm, resoluitur. Miraris non modo sub pedibus nubes ac sidera, sed etiam altam planitiem cœli, niueo candidatus habitu. Ideo precor ne differas misereri humilium, quos dudum ad talia prouocabas in certaminis campo. Fortis, mi pater, fuit vt mors dilectio tua: ideò nullo victus es hoste, nullo superatus agone. Vicisti oblectamenta mundi fortiter, & ideò coronaris, credimus, gloria triumphantis indubitanter. Venite filiæ Hierusalem, & videte diadema, quo coronatus est noster solennitate æterna, quibus ille inauratus est indumentis. Perpendite, quomodo adhuc iuuenis malignum vicerit hostem, quomodo puer mundum pedibus olim calcauerit.

[a] Fides, spes, charitas, funiculus triplex.

VI. Qui [b] cum esset regali prosapia, Pipini Magni regis nepos, Caroli consobrinus Augusti, inter palatij tyrocinia omni mundi prudentia eruditus, vnà cum terrarũ principe magistris adhibitus, elegit magis iustitiæ fore & veritatis amicus, quàm in illicita consentire, & multis oblectatus blanditijs. Vndè [c] factum est, cum idem Imperator Carolus desideratam Desiderij regis Italorũ filiam repudiaret, quam sibi dudum & quorundam Francorum iuramentis petierat in coniugium, vt nullo negocio beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tyro palatij, vt ei, quam, viuente illa, Rex acceperat, aliquo cõmunicaret seruitutis obsequio: Sed culpabat modis omnibus tale connubiũ, & gemebat puer beatę indolis, quòd & nonnulli Francorum eô essent periuri, atque rex illicito vteretur toro, propria sine aliquo crimine repulsa vxore. Quo nimio zelo succensus, elegit plus seculum relinquere adhuc puer, quàm talibus admisceri negotiis, vr propinquo, quẽ contra ire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo mõstraret. Nec minùs igitur Ioanne pro iustitia mori paratus fuisse creditur, qui pari annisu inlicitam reprehendebat regis audaciam, & spernebat huiusmodi nuptias: nec considerans propinquitatis iura, vt carni assensum præberet contra leges Christi, quas violare non ferens, sibi in animo præponebat. Vndè & voluit magis cum Christo mente ingenuus crucis ignominiam ferre, vt fortia quæque confunderet, quam si etiam adoptaretur in regnum, vt esset regis filius.

[b] Orditur vitæ narrationem Genus Adelhardi.

[c] Paulus Aemylius vult fuisse sororem Desiderij regis, sed hic author, itemque Eginhartus, filiam eius fuisse testantur.

VII. Despiciens itaq; Pharaonis regni diuitias, peruenit tandem, vt [d] Monachus velut Moyses in eremo Dei frueretur alloquijs. Neque enim adhuc seculo ita calceatus, poterat cœleste visum in monte videre: sed exutus his omnibus & sanctificatus, Dei agente gratia, discipulus factus est Saluatoris. Legerat ergo, nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, adhuc & semetipsum, non potest meus esse discipulus. Neque igitur ignorabat, quòd facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cœlorum intrare. Et ideo deposuit aselli onera, vt faciliùs arctam atq; strictam viam mandatorũ Dei curreret. Quibus depositis [e] Corbeiæ, imò Christi ibidem expetijt fontem, velut ceruus ille Dauidicus. Vbi cum parum fuisset immorat⁹, subitò humilitatis discipulus, factus est magister virtutum: & qui pridie pedisequus videbatur aliorum, inuentus est dux & præuius suorum in Christo comilitonum. Elegeras enim, bone Iesu, tibi tyronẽ & puerum: Non quidem ille te, sed tu illum elegeras & prælegeras, tua præuentũ misericordia. Elegisti eum fermè cùm viginti esset annorum, quando infelix nimium ætas humana, fragilis & valde procliuis est ad peccandum: tunc quando omnes tyrones tui, cum exirent de terra Ægypti, à viginti annis & supra, in libro vitæ te conscripti sunt præmonente. Necnõ & cùm rursus à Moyse & Eleazaro recensentur omnes hac ætate & deinceps, qui possunt ad bella procedere, in cœleste collegium supputantur. Hi tantum in castris Domini figunt tentoria, hi soli procedunt ad bella. Sane quia mirum admodum est tunc vincere, cum oblectatur varijs blandimentis: triumphare, multis cùm impellitur argumentis. Viginti etenim fiunt, quinq; quater ducti: aut quatuor, quinquies supputati. Quibus ita collectis, constat eos tantùm ad bella fore promptissimos, qui veteris ac noui testamenti ætate senuerint, & eius sapientia fuerint educati. Horum igitur virtus est ad bellandum aptissima: & vt se vincant primum monenda: præsertim cum tunc hostis, quantum in carne est, maioribus vtitur decipiendi ingenijs.

[d] Fit Monachus Adelãhardus. *Luc 14. Matth 19.*

[e] Corbeia Galliæ. *Psalm. 41.*

Num. 1.

Num 26.

VIII. Tvnc [f] ergo tuus Christe ætate puer, mẽte ingenuus, prostrauit mundi illecebras, tunc deposuit arma Saul regis, vt te solo lapide, quẽ gestabat in pectore, prosterneretur ingens animarum delusor. Te deniq; elegit secum in præcordijs ferre: te authore cõtra spiritalia nequitiæ in cœlestibus dimicare. Quid plura? ita certaminis campũ ingressus, peruenit ad cœnobium: vbi annuo pulsans voto, tandem introiuit portas iustitia, per quas soli iusti ingrediũtur. Deinde peruenit ad portam virtute mactus, quæ sola suos quosq; ducit ad vitam, ingressus nanq; est arctam & strictã viam, quę paucorum est, vt dilatato animo, viam mandatorũ Dei curreret sagacissimæ artis ingenio. Atq; cum iam diu ita totus efflo-ruisset inter monasticã disciplinã, vt magis inesse cœlestibus quam terrenis crederetur: nescio quo ducti Patres affectu quasi ex iussu regio [g] hortulanum eum constituunt. Qui gaudens vt bonus athleta Christi, ac si inter paradysi delicias, ita obediens lætabatur animo: sciebat nanq; Dñm in huiusce sepultum fuisse spelæo, ibiq; eum Marię, vt hortulanum apparuisse. Sciebat eum in eodem loco resurrexisse, & inibi visiones angelicas apparuisse. Vndè profectò thesaurum effodiens in hortis animi, multiplici corpus aromate vngebat Iesu. Quid tunc putas dicebat, tali adstipulatus officio?

[f] Alludit ad Dauidem. *1 Reg 17. Psal 117. Matth 7. Psalm. 118.*

[g] Hortulani et officium demandatur. *Ioann. 20.*

Cant.5. Ni fallor, dicebat sine voce, mentis tamen affectu: dicebat, inquam: Veniat dilect⁹ meus in hortum suum virtute consitum, & comedat fructum pomorum suorum. Erant igitur illi in animo diuersa virtutum olera: & idcirco dixisse non ambigitur, vt comedat fructum pomorum suorum. Suorum, inquam, quia non sibi, sed Domini applaudebat gratiæ, si quid boni mente gestaret. Alij labores agrorum superexcolant, quam virtutes animi obedientiæ causa defensi: iste talia nō omittens, hortum deliciarū animam suam Domino consecrauerat. Fecerat enim, quod ab eo sibi dictum meminerat. Pone me sicut signaculum erga cor tuum. Quo præmio vallatus, secum in animo Domini magis delectabatur colloquio, quàm rerum negotijs temporaliū: descenderat. n. profecto dilectus eius Christus hortum animi illius inuisere: descenderat vtique ad areolam aromatis, & in eo virtutum delitijs pascebatur. Hortus autem deliciarum eò vocatus est paradisus, quòd intelligitur mens hominis, quia Eden hortus deliciarum interpretatur. Vndè & quidam florentem eum dixerunt. Descenderat ergò in eo Christus, vt lilia colligeret castitatis, & videret si iam mala Punica germinasset.

Cant.8.

Cant.6.

[a] Anima viri iusti, paradisus est

Cant.5.

Est [a] autem boni viri animus, vt dixi, hortus plenus deliciarum virtutibus, atq; ita alter deniq; paradisus. Mittitur ibi myrrha, membrorum scil. mortificatio, cum virtutum aromatibus. Colligitur rosa martyrij sanguine rubricata: nitent poma conuallium, cœlestibus disciplinis irrorata germinant mala Punica, propter odoramenta bonorū actuum, absque eo, si quid intrinsecus latet, Dei flagrans, pius ardor amoris. Inde est, frater, si velis aduertere, quod noster senex totus amabilis & suauis erat: inde, quòd aptus omni eloquio puritatis. Nonne tibi videtur mel & lac ex eius lingua manasse, qui ita se suo influebat eloquio, vt nonnunquam aliquos quasi ebrios redderet sanctitate, omnes verò sibi connexos præ dulcore nimio faciens? Et quid aliud erant eius labia, quàm fauus distillans? & vt altius dicam, quid aliud, quàm organum sancti Spiritus? Alioquin humana non potuisset apprehendere sapientia, quę loquebatur: Plena denique sanctitatis munere verba cœlesti manabant oraculo. IX.

Genes 12.

[b] Non fert propinquorum crebras visitationes.

3. Reg 19.

Matth 8.

[c] Cassinense petit cœnobium desiderio latitandi.

Galat. 2.

Qvi cum idem ita longè diuque à sancto ageretur Spiritu, recordatus præcepti Abrahæ fuisse dicitur, vbi inquit, scriptura: Exi de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui, ac veni in terram, quam monstrauero tibi. Qui cum secum talia contulisset, cœpit intra se meditari & dicere, quòd nondum hoc præcepti genus opere compleuisset. Qui si [c] mente reliquerat natiuitatis solum, reputabat quòd adhuc corpore interesset: Etsi, iuxta Euangelij præceptum, patrem, aut matrem, aut cognatos iam reliquerat, vt Deo dignus haberetur discipulus, adhuc ēt amplius molestabatur: quia licet pro dignitatis genere, sæpius tñ eum inuisendo propinqui & noti frequentarēt, quàm quieti viri animus poposcisset. Quo factū est, vt ilicò alter Elias fuga laberetur, non Iezabel, sed carnis fugiens voluptatem. Quærebat enim seuerus Christi miles effugere, vt sese fugiendo plenius inueniret. Atq; ita qui dudū fuerat multis fulcitus blandimentorum obsequijs, factus est hospes peregrinationis: non habens cum Christo, quod egregium habendi genus est, saltem vbi caput reclinet. Itaque sic se fugiens, vt se inueniret, peruenit secum in fortitudine verbi vsque ad montē [c] Cassinum, nolens patriæ cognoscere curas neq; prædicari de se vento iactantiæ laudes. Cogitabat autē solum se velle tantum percepisse, necdum diuisum à vitijs, quousq; moraretur infra patriæ fines. Et ne rui sus nouis diaboli retibus ligaretur, exiuit vltra se vadens, si quo modo posset relatu veritatis edicere: Viuo autē iam non ego, viuit vero in me Christus. At vbi ita conscius venit Cassinum, quod totius fons religionis & origo putabatur, susceptus quidem à Patre monasterij, sed Dei disponente iudicio, ibi eum paululū licuit immorari. Fertur nanq;, quod ilico quidam ei anachoreta in Spiritu Dei prædiceret, quinam & vnde esset, & ob quam causam eousq; aduenisset. Ac deinde post modicum prædicit aduenturos regis nuncios, qui eum repeterent, suoq; in loco restituerent. Quod ille audiens, turbabatur plurimū, quod votis prospera non succederent. Quia assumens ilico Abbatem loci illius, retulit ei sua quęq;, rogans atque obsecrans si quos modo posset effugere, clementer annueret, quò nomen illius vltra etiam nec à longè audiretur. X.

[d] Cogitur redire ad suos.

[e] In monachos carnalibus propinquorū affectibus deditos.

Matth 12.

Matth 8.

Luc. 9.

Matth. 13

[f] Hier epist. 2 ad Nepotian.

Sed [d] præoccupauit Deus mox eorum consilia, & dum moras faciunt euoluendi, continuo præoccupatur nuncijs. Qui tenentes eum reduxerunt in patriam. Quid putas, quam amarus erat animus, quàm mœstus, quia ad patriæ fines & dulcia proprij soli arua inuitus rediret? Audiant [e] igitur huiusmodi virum nostri conciues monachi, qui lēti requiescunt vmbrarum delibuti fuligine: audiant, qui post se secularium greges trahunt: audiant, inquam, quòd non satis tutum sit, suorum se deliniri parentum affectibus. Christus ergo matrem nescit, & ignorat fratres, vt veram nobis mentis ostendat fraternitatem. Si quis, inquit, fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Deinde reuocat discipulum ab officio funeris, ne patrem liceat sepelire debito carnis iure: Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me. Hoc igitur totum nouerat pius senex noster, & ideò fugere festinabat è medio ciuium suorum. Recordabatur namque, quod Iesus non sit signa operatus in patria: neque propheta sit sine honore, nisi in proprio solo Hic autem honore mundi expoliatus, idcirco festinabat exire charorum vinculis, vt verè posset sibi mentis honorem adscisere, atque vt altius dicam, angelicam in terris degere vitam. Videbatur non satis pauper posse fieri in medio parentum suorum, qui regni pollebant honore, & diuitiarum copijs renitebant: Et ideò disruptis vinculis clari nominis, voluit pauper fieri sine ambitione, quondam locuples. Sed sui contemptor eximius paupertate fit ornatior, fuga clarior, vtilitate humilitatis sublimior: & vt B. [f] Hieronymi verbis vtar, sint nonnulli ditiores monachi, quàm fuerant seculares; possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete & fallace diabolo nō habuerat: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mūdus tenuit ante mendicos: Adelhardus verò noster mundi omnia calcans, vicit in schemate, & cuncta quæ mundi sunt, sub pedibus attriuit. XI.

[g] Eligitur in Abbatem.

Et dum ita quietus iam victor celsa sederet in mentis arce, dispensante Dei prouidētia, rursus ei nouus constituitur pugnandi ordo. Agitur namq; non longè postq̄ redierat, proprio consentiente monasterij Patre, vt nec multum longè dispar, i. alter Augustinus, viuente prædecessore successor eligatur: nisi quòd ille episcopus fuerit, iste verò [g] Abbatis loco subrogatus sit: vtriq; tñ perfecti dispensatores inueniuntur. Erat autem idem beatus præfati patris Augustini velut pedisequus, operum clarissimus imitator, satis acutus ingenio, voluntate promptus, eloquentia diues, dulcifluus affatu, auditorem tanto afficiens fructu, vt linguam eius vix aliud, quàm calamum sancti Spiritus credere potuisses. Prædicationis eius officium lachrymæ commendabant, & cordis duritiam gemitus molliebat. Fluebat itaque lachrymarum ab eo serotinus imber, quatenus mentes vberiùs semen fructificandi caperent, & cor audientium huiusmodi censu charitatis amore mulceret. Vox eius plena viroris gratia, & omni constantia fortior videbatur: ipse verò vultu corporeo nitens, plenus pinguedine S. Spiritus credebatur. Erat autem, iuxta [h] Horatij quod magnis laudibus prędicatur. XII.

[h] Horat 2. Sermo. Satyra 7.

Fortis & in seipso totus teres atq; rotundus.

Fortis siquidem fide, constantia & virtute solidus in tantùm, vt nil trepidans, nihilque dubitans videretur, etiamsi totus terrore anfractus orbis laberetur. Verumtamen si aliqua terroris procella impulsus esset, aliquando spe superabat, aliquando verò ratione vincebat: timor autem mundialis eum nusquam potuit subrigendo transuerberare. Teres autem & rotundus ideò in seipso, imo in Domino dicitur fuisse, quia non solum sibimet virtutibus ac moribus aptabatur: verum etiam omnibus congruus erat, & amore dignissimus: in tantum vt omnia omnibus esset, & penè cunctis lucrifieret. Erat siquidem carne nobilis, sed nobilior moribus: plenus Dei sapientia, sed opere non vacuus: pulchra facie, sed fide ac sanctitate pulchrior: diues progenie, sed ditior almitate, quia propago erat natus de propagine cœli. XIII.

Totus

XIII. Totus igitur nouo homine indutus erat,& quantũ hic mortalibus fas est, in intimo Domino recreatus. Equitatus[a] eius, erat quadriga virtutum:rotę vero [b] quadrigæ illius, prudentia,iustitia,fortitudo&temperantia. Porto prudentia tanta illi inerat,vt fons consilij ex eius animo manare videretur.Cernebat enim simul præterita, præsentia, & futura: vt de singulis præuideret quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur. Iustitiam vero quantum sectatus sit,testis est Francia,& omnia regna terrarum,consultu sibi submissa: maxime [c] tamen Italia quæ sibi commissa fuerat,vt regnum & eius regem Pipinum iuniorem,ad statum Reip.& ad Religionis cultum vtiliter iuste atq; discrete honestius informaret:vbi tantam promeruit laudem, vt à quibusdam,ita vt fertur,non homo,sed pro * virtute amoris,angelus prædicaretur. Fatętur enim,quod nunquã in iudicio alicuius personam inspexerit:neq; iuxta prouerbium vulgi,aureo pugno sit murus ei[9] animi fractus.Solus,vt aiunt, potuit illæsus fluuium transire Acherontis auari, & sine discrimine cæcitatis ex Alpibus remeare per annos: Ante quẽ tremebat in promptu superborũ altitudo, gloriabatur humilitas mansuetorũ.Deposuit.n. illico in ingressu omnẽ inde tyrannicã potestatẽ,qui velut prædones iniqui in populo furebant,tantoq; audentius,quantũ liciti auxiliabantur dominij iure,vnde & omnem terram pessima potestate vastabant.Primum ergo his pacem reddidit:deinde sua cuiq; pius arbiter iura restituit. Ergo tanta inerat ei sapientiæ virtus,vt pro virga censoris iudicis vteretur verbo, neq; moram faciens,sua cuiq; quæ iusta fuerant, designãdo. Fecit igitur vt suum quiq; adimplerent officium,& nulli[9] vsurparent alienũ. Erat autem thesaurarius pauperum,viduarum patrimonium:Pater [d] vero orphanorum,mœrentium consolator :brachium infirmorum, & forte superbientium flagrum. Verumtamen omnes de supercilio mentis artificioso deponebat ingenio, & nullum penitus frangebat, nisi quem conspiceret irreuocabilem esse.

[a] Virtutum quadriga.
[b] Rotæ quadrigæ.
[c] Italia & Pipinus rex Adelhardi consilijs informantur.
* *virtutis amore.*
[d] Eius benignitas in miseros.

XIV. Atque [e] ita virtute validus, mitis & mansuetus, Romanorum peruenit ad fines: vbi à domino Leone,tũc tẽporis Apostolico,tanto familiaritatis officio est susceptus, vt neminẽ constiterit Francorũ antea susce pisse. Vnde nostrorũ quidam narrant,sibi iocoso dixisse animo:France,inquit, sciendo scias,quia si te aliud inuenero,quam te credo, non vltra necesse est Francorũ aliquem huc venire, cui credere debeam. Quo profecto pater, quantum pondus idem vir habuerit,cuius euacuatio fidei,Francorũ genus omne probauerit non credendũ, cuiusve firmitatis fuerit. Sed quantus sit plurimum prodũt opera promissionis impleta:& testantur literæ quas de hac, quæ inter homines est tenenda fides,Clothario Imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens: Quid putas,[f] inquit, ô Princeps,si fides sæpe inter cruores & sæuientium arma, etiam inter paganos tantum valuit, vt quisq; se committeret alterius fidei sacramentis: quantum valere debeat fœdus Christiani,in veritate promissum? Non te decipiat aliquis obsecro, inquit, Imperator:quia fides cum contra aliquẽ violatur,non homo, sed Deus testis & veritas in ea cõtemnitur. Talibus [g] dictis proculdubio liquet,quod facilius fuerit,ferri violari vincula, quam huius viri fidei cõtaminari promissa, præsertim cũ in eius pectore nil roto, nisi fons veritatis & mera simplicitas radiabat. Quẽ si diligenter inspiceres, erat in eo animus sigillo Christi impressus:ideo in nullo penitus corrũpi poterat. Animus vero ei[9] erat velut hortus paradisi,fidei muro cõclusus,vniuersarum cõsitus virtutũ generibus, Huius viri imitabatur humilitatem, istius lenitatem:sequebatur autem alterius parsimoniæ victum,& mediocrem vestimentorum habitum:illius quoq; habebat patientiam,huius verò mansuetudinem Cum frequẽti autem suspirio tale mihi verbũ pietatis ore dicebat:Super quem requiescam,nisi super humilem & quietum,ac trementem sermones meos? Tu nosti bone Iesu, vt quid talia sibi sedulo replicabat mentis affectu:habebat enim sibi distinctè, & appositè ad persuadendam hominibus sanctitatem: vniuersa tua præcepta sibi commissa animo tenebat,& inde conferebat secum,habens tuorum dicta mandatorum suos ante oculos,atq; ita omnium sanctorum vitas vno mentis intuitu considerabat, quorum sedulo ruminabat virtutum exempla, vt ex his omnibus vnum colligeret virum perfectum,Deo plenum,& religionis officio decoratum.

[e] Accipitur humanissimè à Leone Pontifice.
[f] Eius fides ad Clotarium Imperatorem.
[g] Promissorum eius fides & constantia.

XV. Scribit namq; Tullius,rex eloquentiæ Latinæ,[h] in lib.2. de inuentione rhetoricæ artis, his verbis:Crotoniatæ quõdam,cum florerent omnibus copijs, & in Italia cum primis beati numerarentur,templum Iunonis,quod religiosissimè colebant,egregijs picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Xeuxim, qui tum longè cæteris excellere pictoribus existimabatur,magno precio conductum adhibuerunt. Is, vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in sese imago contineret Helenæ se pingere simulachrum velle dixit: atque illico quæsiuit ab eis,quasnam virgines formosas haberent.Illi autem statim hominem deduxerunt in palestram, atq; ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate. (Etenim quondam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus antestiterunt,atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt.) Cum puerorum igitur formas,& corpora magno hic opere miraretur: Horum,inquiunt illi,sorores sunt apud nos virgines:quare,qua sint illæ dignitate,potes ex his suspicari.Præbete igitur mihi,quæso,inquit,ex istis virginibus formosissimas,dum pingo id,quod pollicitus sum vobis,vt mutũ in simulacrum ex animali exemplo veritatis transferatur.Tunc Crotoniatæ publico de consilio virgines vnum in locum conduxerunt, & pictori,quas vellet,eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt,quod eius essent iudicio comprobatæ, qui verissimum pulchritudinis habere iudicium debuisset.Neque enim putauit omnia,quę quæreret ad venustatem, vno se in corpore repetire posse, ideò quod nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expoliuit.Itaq; tanquam cæteris non sit habitura quod largiatur, si vni cuncta concesserit, aliud alij commodi, aliquo adiuncto incommodo,muneratur.

[h] In ipso alij libri exordio.

XVI. Ita siquidem & senex noster ingrediens palæstram huius vitæ, postquam ablutus est baptismi fonte,post abrenunciationem sæculi, quo puro mentis intuitu conspexit diuersos ad diuersa tendentes. Alios quidem vidit sudare ad mundi honores, & præsentis vitæ gaudia:alios verò ad luxum & libidinem carnis: Nonnullos autem sectari iustitiam, necnon & aliquos futuram respicere vitam. Elegit [i] tamen ex omnibus, quos potuit intelligere, quinque virgines, quæ pio charitatis oleo suas indesinenter ornant lampades, & parant exire obuiam sponso & sponsæ: & has imitatus est vigilanti animo,ne fortè fur nocte veniens,dormientem subriperet.Audiuit etiam ex gymnico carmine sanctorum,quam dignas honore victorias:atque ex his omnibus vnã in se Christi reformauit imaginem. Illic in vno videl. Deo & homine Christo Iesu, omnia quæ sunt venustatis & decoris æternæ vitæ vltrà quam intelligi possit, adinuenit.Sed perfectum,quod in omnibus Ecclesiæ partibus natura prohibuit, gratia concessit,vt sit Deus omnia in omnibus. Idcirco ex omnibus pər omnia satagebat, vt iam Christum in omnibus inueniret.Ob hoc autem ab aliquibus,vt epistolæ Magistri Albini ferunt, Antonius vocabatur: à nonnullis verò, vt supra dictum est,Aurelius Augustinus.Agebat namque istud Gregorij,aliud verò B.Sylueſtri.

[i] Oleum charitatis in lampadibus.

XVII. Testis [k] est mihi conscientia mea,quod sæpe mirabar,cur tantum mutuo vellet accipere, vt indigẽtibus,vel suorum erogaret vsibus,donec vitam B.Sylueſtri inspexi,cui[9] in hoc imitabatur exemplum:vt semper magis mutuãdo pauper, quam diues inueniretur.Dicebat namq; sibi sæpe cohærentibus:Vis nosse,inq;,tu, vtrũ auarus largusve videaris? scias prorsus, ꝙ si timueris quid magis te dedisse quam oportuerit, auarus [l] conuinceris. Quod si minus quam debueras, largitatis est vtique signum. Et ideò te, fili, moneo, vt magis si neglexeris,in hoc reus appareas,vt de nostro plus cẽsseas tribuere,qua minus aliquid erogare.Nouit [m] altissima virtus,ꝙ frequentius in tãtum liberaliter tribuebat,vt ipse

[k] Eius largitas in indigos.
[l] Signum auaritiæ.
[m] Largitatis.

pauper, ac sui simul viderentur egere. Sed tunc lætus, tunc gaudens exultabat in Domino, aiebat namque: Vtinam vel in modico paupertate Christi participaremur. Sed nunquam ei visum est aliquando ad hoc potuisse peruenire negotium, eo quod Christus magis in eo pusillanimes animaret assidue, vt sua liberaliter discerent erogare, & de Dei largitate præsumere. Præoccupabat enim eum diuina clementia ministrando. Vnde cum quodam die omne pulmentum casei de monasterio hospitibus ex integro expendisset, ita vt nihil fratribus reseruaret, contigit vt quidam, cum esset cellerarius, quasi voce minaci quodam mentis affectu diceret: Miror, ait, Pater, quid tua velit ingentis rei expẽsio: En nihil residui permittis esse fratribus, quo vesci libeat. Tum ille, vt erat suauis eloquio, arridens: Dominus dabit, inquit. Et ille, Tu semper, inquit, ita polliceris: sed nõ sic extemplo dabitur, quod tu indifferenter effundis. Interim autem dum hęc aguntur, [a] ecce duo adsunt plaustra præ foribus, vnum nescio quid ferens piscium, & aliud plenum caseis. Quod B. Pater audiens, lætus pro fratre, iussit eum adesse continuo. Ecce frater, inquit, & quod timebas, argueris: Ecce imprudens conuincitur ignauia. Tum ille, vt erat simplex animo, videns se argui beneficijs, Da mi Pater, inquit, deinceps, da, quantum volueris. Iam enim non dicam vlterius, Non dabit Dominus: sed dicam prorsus, quia dabitur, quantum volueris. Neque [b] igitur tantus vir prudenti affectu poterat ignorare, quid, cui, & quantum daret. Hoc solum vitij deputetur, quod aiebat, dicebat enim ita: Si ad dandum mihi ita exiguum fuerit, vt non habeam quod duobus impertiam indigentibus, quo solum eorum aliquis adiumentum capiat, bonum mihi videtur, cui iure magis competit, vt ei totum tribuam, quam vtrisq; nil pene impertiam, aut eos ex toto vacuos relinquam: vnde vni impendebat vtrumque beneuolentiæ munus, alteri pietatis affectum.

[a] Deus eius liberalitatem miraculo compensat

[b] Prudentia eius in dando.

Videte duricordes, videte viscera pietatis. Ecce hic licet non posset largiri omnibus, tamen omnium doloribus XIIX. & penurijs, atque casibus varijs, compassionis affectu quasi proprijs afficiebatur. Verè tantus ac talis erat, vt de se, quippe relatu veritatis, potuisset asserere, Vulneratus charitate ego sum. Qui [c] nisi vulneratus esset à charitate, omnium casus continuis lamentis vt proprios non lugeret. Flebat autem diebus singulis, si non amplius, semel in die, aut secundò, mane videlicet & vesperi. Ignis ergò erat iste in eo perpetuus, non deficiens ex altari animi: sed iugiter tali ardebat voto. Ibi enim fiebat suaue holocaustum Domino: ibi victimæ mactabantur, præcipuè in noctis medio: erat enim peruigil in orationibus. Omnem carnis adipem, & concupiscentiarum illecebras tunc cremabat flammarum incendio, & omnia intrinsecus vitalia, caputque cum pedibus, id est initium vitæ ac finem Domini in sacrificium adolebat. Lauabat enim quæque lachrymis primum, vt deinceps omnia Domino mundiùs cremarentur. Fateor [d] plane, nunquam me virum inuenisse, cui fons lachrymarum tantus inesset, tantusque gemitus. Putares enim intrinsecus omnia fletibus resoluta, profundis suspirijs pectus disrumpere. Videbantur in eo quasi tonitrua resonare, dum se crebris tunderet ictibus, vt lachrymarum imbres vberiùs eliceret. Haud dubium, quin tonitrua fuisse rectè dicamus: quia tu intus eras bone Iesu, vt fletibus virtutum rigares semina, & agri pleni, quem benedixeras, fructum fonte adspersionis ablueres. Cumque exiguus ego aliquando ab eo requirerem huiusce lamenti genus, & tanti fletus gratiam, intulit ita, dicens: Plango, inquit, fili, me plango: Non quasi humiliando flere me conueniam, aut vt altiora cœli sacramenta conspiciam: sed me, inquam, quid sim considerans, plangendo lugeo. Plango quidem, non quia sic me vellem plangere: sed quia me ita plangendum noui, procul dubio plango. O profunda humilitas viri, & altissimum mentis ingenium. Dicebas enim hæc, non quod te talem scires, sed vt me, quem talem forte noueras, ad plangendum saltem seriùs inuitares, & pectus saxeum sic tuis fletibus emollires. Alioquin tu ideò flebas, quod velut intra sancta sanctorum ingressus, nondum continuare poteras, quod cernebas: Spes namque quæ differtur, affligit animam. Ergo cernebas mentis oculo cœlestem illam patriam, vbi hymnidici chori Deo laudes concelebrant: & fruebaris beato illo & fœlici cœli concentu, vbi indefessa voce resultent præ gaudio iubilationis organa: & quod maius est adhuc, feceras tuam ipsius animam sancti Spiritus habitaculum. Sed cum ipse spiritus paululum altius euolasset, vt eum requireres, flebas præ amore nimio, multumque flebas ita dicens: Anima mea liquefacta est, vt locutus est mihi, siquidem locutus est, & abijt. Abijt, vt mens auida fruendi, feliciùs inardesceret, & flammam, cum inuenisset, in eo charitatis firmius retineret. Inde erat, mi pater, quod in mortis articulo non recedebat ab ore pius affectus, ac dicebas: Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Iam enim cupiebas ingredi tabernaculi locum admirabilis: iam vox exultationis in auribus erat, & confessionis in ore: iam sonus epulantis audiebatur: iam quodammodo intereras his, quorum habitatio est sicut lætantium omnium. Talia quippe, dum fleres, tibi ante oculos assistebant, & ideò amore totus elangueras ac dicebas: Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.

[a] Cant 2. Lachrymę compassionis quotidianæ.

[d] Gratia lacrymarum præcipua.

Prou 15.

Cant 5.

Psal. 41.

Psalm 86.

Cant 5.

Nouerit pius lector, quod si se à talibus paululum pro quibuslibet negotijs segregasset, quasi à sanctis exiens, festinabat ocyus vt rediret: sed continuò totum se inueniens, totus aderat, quasi si in die nihil aliud inter manus habuisset. Mox etenim aderant lachrymæ, mox gemitus atque omnis deuotio. Reuirebat quoque animus illicò, & omnis sensus corporis continuò mundo moriebatur. Quod [e] si ad Dei intrasset officium, vt idem iucundo animo solitus erat dicere, mox omnes cogitationes & causas rerum temporalium ante ostium reponebat, & secum totus ingrediçbatur, vt totus Deo ac sibi adesset. Quem si conspexisses, subitò videres eum introire suæ secretiora mentis, & nescio quid verenti vultu respicere. Tingebat quippe calamum linguæ fonte sancti Spiritus, vt mundus Deo laudes diceret: atque inter ipsas laudes, nescio quid musicum percipiens, aliquando abundantissimè flebat. Et quid mirum? cum, vt audiui quodam referente episcopo, inter ipsas palatij populorum frequentias, dum Rex & consiliarij eius, aliud quid intenderent, & turba more solito vndique perstreperet, sæpe eorum in medio positus lugebat, quasi ad agonem flendi huc venisset. Itaque ibi residens, alibi cœlorum Regi secretius adsistebat. XIX.

[e] Preces Deo in templo persoluturus vt se comparauerint.

[f] Non hoc dicitur quod templa aut loca sacra contemnerit, sed quod etiam in itinere constitutus animum semper habuerit Deo cõiunctissimum

Quod si inter mundi discrimina huc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen regulæ minimè XX. deserebat: sed pro lectione vacabat fletibus, & pro reliquis officijs, mentis iubilo Domino famulabatur. Nouerant igitur omnes sui comites & itineris socij, nolle eum, vt continuè sibi appropinquarent: idcirco procul ab eo gradiebantur, quatenus ille soli Deo vacaret. Venerat .n. illi iam tempus, vt neq; in monte, neque in Hierosolymis, & vt ita dicam, neque in aliquo loco, sed vt in spiritu & veritate adoraret Patrem. Templum [f] autem eiusdem spiritus, suam fecerat animam, veritatisque habitaculum. Idcirco vt mihi visum est, totus vbique secum, totusque cum Deo erat, ac solicit[9] cum eo gradiebatur. Inde erat, quòd profecto semper hilaris, semperq; mitis ac lætus inueniebatur: inde, quod tam patiẽs, tam longanimis, tamq; benignus in omnibus habebatur. Erat enim filius pacis, charitatisq; catena, vt fraterna sibi viscera inuicẽ cohærerẽt. Nouit [g] hoc Spoletum & Beneuentũ: qui cum hostili gladio se inuicem indesinẽter cæderent, factum est, vt idem vir beatus illuc vsq; ob hoc progrediẽs deueniret, & Beneuentũ intraret. Porrò ibi cum esset, inter eos tantã restituit pacẽ, vt vsque hodie connexi & confœderati, sibi mutuo in pace Christi cohæreãt. Vnde non solum apud eos, sed etiam apud Græcos & omnes maris insulas nimiã promeruit amoris gratiã, atq; famam virtutis. Perpendebat autẽ in hoc dissidio, quod vtriq; Christiani & fratres essent: neq; censuit eos ita Deo placere posse, vt tãta cruentarẽtur cæde, & suarum prædas facultatũ facerent: Quia omnis, inquit Apostolus, qui odit fratrẽ suum, homicida est: & scimus, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentẽ. Vnde se medium inter eos pius

[g] Spoletum & Beneuentum redigit in concordiam

1. Ioann 3.

Pater

Pater iniecit, & quam diabolus pacem Christi violauerat, sane ad plenum restituit. Igitur in huiusce modi negotio infatigabilis videbatur, & pro iustitia certator eximius.

XXI. VNDE factum est, cum Imperator Carolus diem vitę fecisset extremũ, & Ludouicus proles eius Augustus successisset in regnum, vt diaboli agente inuidia, in eo veritas prauorum rursus solitis agitaretur insidijs. Nec nouum aliquid: quia apud improbos semper inimica veritas fuisse comperitur, & iustitia stultorum criminibus lacerata. Iam enim annosa peruersorum improbitas, iuxta illud Platonis, beatas & felices Respublicas esse ingemiscebat, si eas studiosi sapientiæ regerent, vel si earum rectores studere sapientiæ contigisset. Vnde dolo accensi atque inuidia, excogitauerunt quomodo ceu Danielem ex Regis latere amouerent, vt iustitia, vlterius non habendo defensorem, statum suum amitteret: & iniquitas suis perempta fraudibus, locum dominandi reciperet. Noueras enim omnium animarum Deus inspector, qui hoc consilium illius cordi inseueras, vt Regis & Ecclesiæ cederet iussionibus, quod non nisi ob commune omnium bonorum studium hoc fecerat: videlicet vt libertas, potentiorum tyrannide releuata, propensius Domino militaret, & vniuersarum iure laudes Ecclesiarum deuotius Domino redderentur. Sed Deus, qui suos ad altiora semper inuitat, voluit hunc virum manifestius approbare, quantusque esset in aduersis, ostendere: vt qui tantus Deo victor in prosperis triumphabat, in aduersis etiam triumpharet: Vt quia iam gratia Dei septem Euangelij beatitudines, vita & moribus sibi acquisierat, octauam quæ supererat, operibus adimpleret: Beati, inquit Euangelium, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Passus est igitur idem malignorũ supercilio, & accusatus fraude humanitatis, qui amore iustitiæ ac veritatis in promptu nil sibi tutum seruauerat, nisi se pro ea vsque ad mortem modis omnibus tradidisset. Nunquam enim timore occuluerat veritatem, nunquam mendacium locum habere concesserat: sed miseros obiecta veri puritate clementer tegebat, quos præsertim auaritia & crudelis imperitorum vexabat ignauia. Vnde cum cæcitas iniquorum dolosius aranearum telas, quã cautius venandi retia texuisset, noluit ante faciem apparere, ne forte prauitatis turpitudo, iustitia relucente, fœdius monstraretur. Quo [a] factum est, vt sine accusatore, sine congressu, nec non sine audiẽtia atq; sine iudicio iustitia plecteretur in eo. Qui pulsus præsentibus bonis, dignitate exutus, vulgi existimatione fœdatus, ob beneficium Reipublicæ exilium tulit. Sed quam cæca & stulta peruersorum calliditas fuit? Cogitabant enim inficere bonorum semper & commaculare virtutis famam, ob dignitatis ambitionem: præsertim cum eo magis alterius torqueantur gloria, quo nolunt assequi eam, qua clari nominis honore digni habeantur. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Ergo mentiti sunt se posse polluere decus ac felicitatem eorum, qui sua in cælum facultatum tulerunt præsidia. Illic enim neque fures effodiunt, nec furantur. Nemo enim aliquid habet post Deum seipso preciosius: Ideo qui semetipsum bene operando custodit, necesse est se totum & Deum possideat, nunquam se suo vacuare honore, ac facultatum precio, quo nihil ditius est, priuari poterit, si se quisque extra se non proiecerit.

Daniel 4.

[a] Vir sanctus præter meritum, exulare iubetur.

Rom 8.
Matth. 6.

XXII. PRÆCIOSISSIMVM [b] ergo genus possessionis est virtutum decus, quibus nihil grauius acquiritur, nil suauius amãdo percipitur, nihil felicius possidetur: Hunc thesaurum sibi senex noster laborando quæsierat, quærendo felicius adinuenerat, inuentum autem, quocunque iret, secum possidendo ferebat. Atque ita quanto exoccupatus rebus mundi fuerat, tanto suæ possessioni intentus, hinc inde locupletius & se cœlo restituebat. Noueras iam impudens concupiscentiæ quæstus, quia miles Christi non tuis renebatur vinculis, neque tua obfuscabatur caligine: sed celsa præsidens charitatis arce, mundum quasi sub pedibus suo liberalitatis dominio subiugãrat. Idcirco non quocunque inuidentum zelus, sed quo Dei agebat Spiritus, quasi ad epulas inuitatus, satis admodum vltroneus ibat. Dic, quæso, misera mundi cupiditas, quid inanibus gaudiis raperis? Quid [c] externa bona, & momentaneum luxum pro æternis vitæ deliciis amplexatis? Noueris, quod nunquam tua facies esse, quæ è te natura rerum fecit aliena. Quod si naturæ satisfacere quæris, scito quia parum est, quod requirit. Quod si cupiditatis luxui nil satis esse poterit, ô misera mortalium præsumptio, & temeraria virtutum imitatrix cupido, vt quid tantis immergeris fluctibus? Quid mortis æternæ præoccuparis casibus? Vt quid vltra te inconsulte transcendis, cum inde, si quid esse potuisses, totum amittas? Ecce cum iustitia & veritate bellum te semper habuisse nouimus: & inde est igitur, quod adhuc liuore torqueris. Tu primo mundum in Abel fratricidio cruentasti: Deinde per omne tempus Sanctorum millia iniquitatis gladio trucidasti, & q̃ sceleſtius est, Dominum cupiditatis precio vendidisti. Porro adhuc vincendo vinceris, quæ iam sanctorum pedibus conculcaris. Quare non audis infelix aduersum te sanctorum querimonias, sub altari Dei clamantes: Vindica Domine sanguinem nostrum? Fortè cogitas, quod in isto sanguinem non fuderis, ideo te excusatum iri. Fateor plane, quia mentita est iniquitas sibi Audisne dicentem Dominum, Mihi vindictam, & ego retribuam? Sed quod tu excogitaueras improuise, vt senem nostrum terratum sedibus exultare cogeres, Dominus eius hoc vsus est ad coronam: Igitur more solito tuum cæcitatis malum, conuertit in alterius bonum. Ecce rursus ponitur aurum in fornace: ecce tentationis igne probatur: Tunditur ac limatur igitur, vt speciosum vas, in honorem formatum, possit clarius renitere. Sed dum præsens quisque talium contemplatur rerum euentum, fortassis censet, iuxta illud Vergilij.

[b] Preciosissimæ opes, virtutes.

[c] In cæcam cupiditatem.

Gen. 4.
Matth 26.
Apoc. 6.
Deut 26.
Rom 12.

Nec curare deum mortalia quenquam. Ecloga 8.

IVSTVS enim aliquando ecce in sua perit iustitia, calumniantium fraude perimitur, & prauus sibi quisque vendicat sapientiæ laudem. Verumtamen vtrarunque rerum finem rei probauit euentus.

XXIII. INTERIM vero senex noster, sapientia probus, mittitur quasi vnus ex ignobilibus ad Heri insulam. Missus vero illuc, omni humano priuatus honore, sed cælesti interim vndique vallo fulcitur. Dissoluitur autẽ ad tempus quam felix quadriga germanitatis, in modum illius Ezechielis coniuncta: super quos Iesus, lorica virtutum succinctus, decentissime præsidebat. Erant igitur quinque vnius viri semine propagati: quorum trium Imperator Augustus familiari vsus consilio, vna secum fundabili quadratura Francorum imperium satis admodum dispositum regebat, Reipublic. augmentatum. De his nanque equis Habacuc non incongrue Domino cecinerat, dicens: Qui ascendes super equos tuos, & equitatio tua salus. Quorum quidem impar cursus, sed paranimus ad palmam in primordio ferebatur. Porro iam deinceps præsidente eis spiritu sancto, æquo voto in his vnum propositum consummatur: qui primo quidem discolores videbantur equi currere, sed voluntare concordes: postremo vero, vt B. Hieronymus [d] ait, vnum aurigæ iugum trahunt æqua ceruice, & proposito pares, non expectantes flagelli verbera, sed ad hæc vocis Christi hortamenta ita ferentes, vt magistri ac duces exercitui fierent sanctitatis. Erat autem maior natu, senex noster sanctissimus, ætate ac gratia Domino consecratus: maturior consilio, eximior omnibus sanctitate. Deinde [e] Vuala virorum clarissimus, qui ei successit postea, monachorum pater eximius: tunc temporis primus inter primos, & cunctis amabilior vnus: nimia familiaritate Regi inhærens, & maxima præfecturæ dignitate subuectus: in senatu clarior cunctis, in militia vero prudenti animo fortior vniuersis. Quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negotio, vt longe plus censeretur amore posse, quam omnium fastus etiam & tyrannis reliquorũ. Erat [f] enim iustitiæ custos, & decus honestatis, oppressorũ quoque iustus oppressior.

Ezech 1.
Habac 3.

[d] Hier ep. 26. ad Pammach.

[e] Hunc quidam Vualachum vocant.

[f] Oppressorum, id est, qui alios opprimerent.

XXIV. QVIBVS inhærebat ex latere sexu soror Gundrada, nomine dispar, sed virtutibus proculdubio compar, fratribus affinitate præsens: si quidem virgo familiarior Regi, nobilium nobilissima, quæ inter venereos Palatij ardores, & iuuenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum, & inter omnia libidinis blandimenta, sola meruit (vt credimus) reportare pudicitiæ palmam, & potuit, vt dicitur, carnis spurcitias illæso calle transire. Pudicitiæ, inquam, sceptra secum tenuit: quia prorsus sibi locupletius fore credidit integritatem seruasse carnis, quàm roseos castitatum flores violare. Est autem

[a] Tertull. lib de pudicitia.

pudicitia virtus,(qua feliciter,vt probatur,coronari meruit)velut [a] Tertullianus facundiſſimus ait,flos morum,honor corporum,decor ſexuum,integritas ſanguinis,fides generis,fundamentum ſanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis: ac deinde: Quanquam rara,inquit,nec facile perfecta, vixque perpetua. Huiuſcemodi igitur Chriſti famula inter omnia caſtitatis diſcrimina delegit expetere campum certaminis,& meruit triumphum victrix obtinere pudoris. Reliqui vero duo videlicet Bernarius noſter,& Theodrada ſoror eius Deo deuota,quæ iam reddito fructu nuptiarum, ſecundum caſtimoniæ gradum arripuerat.ad pedes Ieſu cum Maria domi ſedebant: illa quidem Sueſſione Sanctimonialium regens vitam:iſte vero Chriſti diſcipulatus nobiſcum habens formam:Vtrique tamen ad vnum brauium ſupernæ vocationis currere feſtinabant.

VIDEO igitur in hoc eorum quinario numero dulci,ſonum vtriſq; partibus reuolutum perſonare muſicum, & ad aliquid harmoniæ horum quantitates concinere. Porro ſi primùm inſpicias viros, & ſecundo duas ſorores: erit diapente Græcum, & proportio ſeſquialteræ quantitatis. Tres enim duplam medietate ſui ad aliquid vincunt: & concinit vnus videlicet beatus ſenex noſter, inter duos & duas: atque ita mellifluam muſicæ ſymphoniam artis, & pyramidem, Geometricæ diſciplinæ formam, reddunt. Sed quod operatur vnus,id eſt, Adelhardus ſenex inter quatuor, vt bene concinant: hoc vero is idem ſupereminens, vt in modum ignis quadrati, cœleſtis patriæ amore ardeant, inuitat. Alioquin ſi reſpicias eos in negotio Reipublicæ prælatos,erunt rurſus tres publicis,velut Martha, mancipati officijs & duo ad pedes Ieſu intenti tantum,vt audiant verbum. Atque ita medius eſt pater noſter ſenex: qui inter vtraſque vitas, actiuam ſcilicet & contemplatiuam interim medie temperatus incedit. Denique ſi eos rurſus diligenter attendis, tres eorum ſunt ſiquidem, qui continentiæ triumphum ſortiuntur: & duo, qui primum caſtum meditantur connubium: ad poſtremum vero, vtrique pariugum monaſticæ diſciplinæ trahunt. In omnibus igitur veſtiti duplicibus, in omnibus conſoni & concordes atque concolores prædicantur. Conſpicio quidem eos cum Beniamin ſingulos inter Patriarchas quinque indutos ſtolis: ſed à Ieſu noſtro veſte ſimpliciter nuptiali poſtmodum glorioſius decorari. Contæeor autem quinque talenta credita: ſed his omnibus vnum præmium lego ſuperappenſum. Qui [b] cum ita his auidius in inuicem,pro ſe & omnibus decertarent,venit inuidiæ ventus,& diſperſit eos procul ab inuicem, in quibus præſertim florebat totius regni decus:vt & ipſi probati manifeſti fierent, & ad quos deuenirent, eorum virtutibus fulcirentur.At vero Corbeia tunc, multorum quoque ore iam diu laudata, mœrens ac flens, cum de tanta viduata patrono lugeret,in conſolationem ſui meruit ſuſcipere [c] Vualam clariſſimum virum, inter reliquos, quos habebat nobiles, velut tyronem Chriſti, quem poſtea poſt deceſſum fratris, vice Chriſti gaudens ſibi exultat patrem habere. O prouidentia Dei, & parati oculi diſcurrere in omnem terram, attingens à fine vſque ad finem fortiter, diſponenſque omnia ſuauiter, quam incomprehenſibilia ſunt opera & iudicia tua vniuerſa: qui cæcitate humana veteris inæſtimabili lucis conſilio:flagellas enim ad tempus filios,quos coronare diſponis. Inde igitur eſt, mi Pater omnipotens, quod Bernarius noſter Lyrinum remittitur: Vuala vero tuus in Corbeia, vt dixi, tyro recipitur. Qui deponens militiæ cingulum, vt te totum veſte ſanctitatis indueret,arripuit primum tyrocinia paradiſi, vt conſummaret in ſe menſuram Chriſti. Theodrada nanque quaſi innocens ſub ſancta profeſſione Sueſſione relinquitur. Porro præfata Gundrata,ad S. Radegundem quondam Reginam mittitur idcirco, vt cui communicauerat ex parte florens inter palatij diſcrimina, imitaretur virtutum eius inſignia,& cum ea die noctuque Deum exorans,de ſe ſuiſque interim conſolationem obſecrando reciperet.

Genes.45. Matth.15.

[b] Ventus inuidiæ.

[c] Vuala ſiue Vualachus amplectitur vitam monaſticam.

Zachar.4. Sap 8. Rom 11.

XXV.

SED cum ijdem quaſi exhonorati ſecedunt à palatio, procedit ſenex noſter quaſi ad epulas inuitatus, inter eos, vt aiunt fortis fide,mente alacer,conſcius puritate. Agebat [d] nanque gratias,quod dignus inuentus, fuerit pro veritate contumeliam pati. Deinde nunc fratrem oſculo deliniens lachrymantem, nunc ſororem blanditijs & ſanctorum afficiens hortamentis, amicis perſuadens mētis fortitudinem,proceribus vero palatij exhibens virtutū exempla,porro in omnibus mirabilem mentis ſuæ conſtantiam demonſtrabat: ita vt quidam Archiepiſcoporum duo flentes ab eo regreſſi, vt fertur, Imperatori Auguſto interroganti dicerent: Quid putas, inquiunt, ô Imperator? Nunquid vindicare te cupis hunc virum exhonorando,& qualibet terrarum parte eum exultare iubendo? Fatemur, plane, quod nunquam ei gaudium huic ſimile facere potuiſſes, quo nunc ei probata patientia cælitus condonatur: præſertim cum hodie ſibi nimium gratulatur,priſtinam in Chriſto recipere libertatem. Vnde ſcias quod nunquam lætior, nunqam iucundior à nobis viſus eſt aliquando. Itaque ad nullum ferientis, ſpe ſancta ſubnixus, pauet occurſum, neque eum vllus hinc penetrat dolor. Quod audiens Imperator,pudore ſuffuſus doluit ſe feciſſe,quod iam ruboris erat inhibere. At verò pius Chriſti famulus hoc Cæſari quaſi pro crimine imputantibus aiebat,dicens. Nolite [e] quæſo,fratres mei, nolite attendere, quaſi quod de nobis agitur, in hominis ſit poteſtate. Fateor enim, etiamſi idem aliud delegerit, quam quod à Deo ſemel prolatum eſt,non poſſe penitus retractari, niſi primum hoc opere compleatur: neque poſſunt complerī diſpoſita, ſi non idem annuerit.Id circo moneo vos,chariſſimi, attendite Deum in nobis,licet per cuius non optaſſem manus, voluntatem ſuam explere: quia ſecundum Iob, cum iſta expleuerit,talia ei præſto & quamplura ſunt alia. Alioquin cum expletum fuerit, quod præfixum eſt,non quod in iſtius erit voluntate,ſed prout ſuo clementer annuerit nutu,quandoque reuocabimur. Interim vero,quæſo, parcite à Deo collato nobis principi, quod non ſua quodammodo, ſed Domini noſtri, cui peccauimus, interdum vtitur voluntate. Cæterum iuxta B. Dauid vocem, ſi Dominus incitat eum aduerſum nos, precor ſuppliciter exorate, vt ſacrificium humilitatis noſtræ odoretur, & ſuos ſuſcipiat pœnitentes: in omnibus ita tamen, vt eius fiat voluntas. Ecce quanta & quam immobilis patientia illi inhæſerat, quanta doctrina, quantaque viſcera pietatis. Igitur inter omnia hæc, & inter omnium voces gementium,& lachrymarum alloquia, medius de ſe conſolator erat & perſuaſor vitutum.

[d] Conſtantia & inuicta virtus S. Adelhardi.

[e] Excuſat Imperatoris contra ſe ſententiam.

Iob 23.

1. Reg 16.

XXVI.

ERAT enim quaſi ſpeculum ſanctitatis,& inter omnium querimonias irrogantium iura cauſidicus.Dic,ergo,quis tūc vel ſaxeum pectus habens, non fleret? Quis præciſus vel de ſilice non doleret? Aut quis vel ferreis continere ſe poterat oculis, ne lugeret? maxime ea hora, cum omnes vna voce plangendo clamarent: Peſſima [f] cæcitas malumque conſilium,vt fons conſilij in exilium deportetur. Iſtud,inquiunt,non recuperabitur,neque Francorum quiſquam ei ſimilis, tantuſque charitatis ac veritatis inuenietur aſſertor. Plane fatemur,quia peſſima fraus, & callidus hic eſt veneni dolus. Ecce quam iniquiſſimum inſtat tempus,dum iuſti & boni exhonorantur viri, & nemo eſt qui interdicat. Quid igitur,putas, erit de nobis? Ecce,aiunt, tollitur prauitatis interdictor, & quis vltra iuſtitiæ locus erit? quæ conſilii ſanitas? præſertim cum omnes ſua quærant. Nemo igitur Reipub. ſed peſſime ſibi quiſque conſulit, conſilium pro muneribus venditur, ſequuntur retributiones propria lucra conſiderant. His & huiuſcemodi querimoniarum vocibus vſi,generaliter omnium corda, ſingulorum fletibus ingemiſcere cogebantur. Ignorabant ergo quod Dei occulto iudicio, factum ſit,vt ſenex noſter mala cum fierent ne videret,& pœna peccat interim, in quoſdam liberius deſæuiret. Tunc itaque quaſi ei hoc ſolum deeſſet,quod primum concupiuerat, Domino diſpenſante, ab humano pellitur orbe: & credimus, quod cæleſtibus paſtus ſit ſacramentis,vt cui vetitum erat ſolum terrarum cernere,Ioannes exemplo cœleſtis patriæ inquiſitor fieret. Quid putas? nunquid Deus obliuiſci poterat, quod primum contra eius decreti voluntatem tali eum ab officio retardârat? Sed nunc fortaſſis ideo ei votum diu deſideratum conceditur, quaſi vt quem prius Deus labore huiuſce honoris læſerat, tandem poſterius conceſſu operis deliniret: & quem vel tenuis puluueris inter huius mundi diſcrimina maculæ ſordidaſſent, angelico aſſuefactus conſortio, fontibus lachrymarum ablueret. Quod [g] factum proculdubio creditur,vt ſeptem annis,qui

[f] Plangunt omnes iniquum S. Adelhardi exilium.

[g] Exilium eius ſeptennę.

annis, qui ad hoc sacratus est numerus, sancto ibidem Spiritu ageretur, si quo modo septiformem eiusdem Spiritus gratiam ex integro accipere meruisset. Alioquin non talis ac tanta fuisset collata virtutum fama, nisi quia diuino arbitrio conuentum est, vt qui penè omnibus Europæ partibus iam clarus inerat, etiam Aquitaniæ solum extremis finibus illustraret: vt qui sibi pollebat vbique sanctitatis nomine, illuc vsque cunctis clarius redderetur, ac deinde vbique fultus Dei auxilio, præmijs meritorum vberiùs abundaret.

XII X. Huiusce[a] rei testes idonei sunt & assertores sancti fratres, inter quos idem beatus, vt ipsi fatentur, vita angelica per septennium visus est habitasse. Quos fratres idem ad omnia, quæ Dei sunt, sancta deuotionis flamma mouebat: quoniam tanta charitatis virtus in eo erat, vt omnibus se posset influere, & suo eos amore in Dei causa firmius solidare. Dei quippe altissima virtus asperos ei quosque secundabat vbique casus, quæ tribus pueris medium fornacis fecerat tanquam spiritum roris flantem. Vnde nec procellis allidebatur, neque vi ventorum impingebatur. Christi enim erat fundatus amore. Et vt cum Apostolo dicam, Quis eum separaret, à charitate Christi? tribulatio, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Verè, vt euidentius loquar, neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, sed neque vlla creatura poterat eum separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Fundati enim erant pedes eius supra petram, & ideo non poterat commoueri. Vnde cognoscentes eum beati viri, inter quos quasi sub custodia degere primùm videbatur, cœperunt magno eius amore inardescere, & nimium eum venerari: non ob regiæ quidem propinquitatis honorem, sed pro[b] venustate morum, & sapientiæ documentis, nec non & pro sublimitate virtutum, in tanto eum honore præferentes, vt etiam eiusdem loci pater, & omne illud collegium sanctum, patris eum venerarentur obsequio, & secundum eius consilium sua cuncta tractarent, & obedirēt ei in omnibus, prout is semel ore aliquid protulisset. Tu enim hæc omnia Deus pater incomprehensibilis tuo disponebas nutu, vt & deuotus tuus famulus tandem aliquando diu optato potiretur ocio, & deuoti milites tui eius fulcirētur consilio. Vacabat igitur illic iam cœlesti sabbato, fruitione perenni, & gustauit, quàm suauis sit Dominus. Vnde quàm immensæ laudes & gratiarum actiones ibidem eius resonarent ab ore, puto, nemo est qui possit ad plenum edicere. Siquidem erat ei felix illa habitatio in modum paradysi, ex quo serpentis inuidia primus eiectus est homo. Et mirabilis satis admodum ordo. ille quidem proiectus inde, confusione tegitur: iste verò eiusdem suasu quasi reuectus; ibidem gloriatur, eò quòd iam consortio frueretur angelico. Erat igitur ei, vt quidam Poëtarum eximius ait.

Quam secura quies & nescia fallere vita,
Diues opum variarum, & latis otia fundis.

[a] Sancta eius in exilio vita.

[b] Quantò pere eum & amarint & coluerint apud quos degebat.

[c] Verg. 2. Georg.

Atque[d] ita nimium iucundus, inter mulcentia sanctitatis ocia lętabatur, quasi inter florigeta paradysi amœna: nec dubium veritatis odio cum B. Ioanne adeò vsq; exilio deputatus, sicut venerabilis Beda presbyter ait. Quin licuit cernere fluctiuagas vbique mundi rotas, & Babylonis ac Hierosolymorum mixtim confligere castra, hinc inde vicibus tela atq; fugam capi. Inde erat, mi pater omnipotens Deus, cp tuus athleta tantum pro discrimine huius vitæ flens lugebat, ac dolore suffusus, nimio lamento gemebat, rogans ac petens præsertim, vt tuorum parceres hostium cæcitati. Videbat enim & prouidebat iam senex Pater, hoc in tempore miseram humani generis vitam delicijs eneruari, & Iezabel Propheten se dicere, & seducere seruos Dei, fornicari & manducare de idolothytis, ventris ingluuiem sequi, & libidine coronari. Quia,[e] inquam, monstrum videri posset: si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret. Heu quam misera conditio ventris, qui talium affinitate partium cohærens, vtroque cluditur fine, & malæ felicitatis fastu casso vestitur honore. Vndè[f] quamuis voce Poetica vtar, moneo, vt vos qui legitis flores, & humi nascentia fraga, hinc fugite, quoniam serpens his vsibus latet. At verò præfatus senex interim eos flere non cessabat, quos auiditate diteſcendi velut quasdam aues nox illuminat, & dies cæcat: Qui dum non dispositionem Dei, sed suos intuentur affectus, licentiam vel impunitatem scelerum, omnino putant esse felicem. Sed eorum interdum immanitatem flagitij, cœlesti viro beneficia cumulantur in tantum, & omne sibi gaudium æstimaret ad futurum, dum tentatione ad victoriam functus sit inuidorum. Idcirco quocunque se verteret, proficiens vltrà atque crescens ibat.

[d] Exilium mutatur ei in paradisum.

[e] Gula & libido sociæ

[f] Verg. 3. Ecloga.

XI X. Gaudebat ergò, vt Dei in ipso compleretur voluntas, quia totus Deo subiectus esse parabatur. Aiebat namq; inter reliqua patientiæ suæ verba, de suo quærenti exulatu, ouium se velle imitari simplicitatis exemplum, & instar leporis mutationem loci non curare. Quis.n. dicebat, propter aliorū caloris indumentum, suo sine inuidiæ zelo nudatur vellere: & de sui indumenti exuuijs, alterius fouetur nuditas. Ita[g] siquidem & in me aliquod si est vtilitatis prudens opus, velim vt quilibet id gratis sine meo percipiat quæstu. Atque ita si fuero huc illucq;, addebat, pro insidiantis impulsu more leporis fugatus, neque locum quietis, cui dudum prorsus insederam, cum mœrore relinquo, neq; ad quem propellor, cum amore teneo. Nostra autem conuersatio in cœlis esse creditur: idcirco quæ sursum sunt sapimus, & nō quæ super terram. Mortui enim sumus cum Christo, & vita nostra cum eo in cœlis est abscondita: vt cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos simul cum eo appareamus in gloria. His & huiusce modi verbis ad petram, quæ Christus est, fratrum animos solidabat: vt quia inter fluctus marinos extra mundum positi videbantur, spe, quam velut ancoram habemus, cœlo profundius firmarentur.

[g] Magna animi in sancto viro libertas. *Phil 3.* *Colos 3.* *Heb. 6.*

XX. Qvibvs paterna exacie per septennium ità discretione virtutum vallatus, factum est Domino annuente, vt sui exulatus iam finem faceret, & clarior proprijs honoribus redderetur. Proprijs ergo dico, quòd meritò sibi competerent & idem summum paternitatis officium meritis illustraret. Alioquin honoribus dixi reddendum, quem proprius meritorum honor vbique & sapientia decorabat: non quod amiserit, quo reuerentia dignus censeri posset, sed æstimatione vulgi priuatus honoris officio, quantum in ipsis fuit, dignitatum fascibus redderetur. Cæterum exhonorari, sicut consulta veritas patefacit, non poterat, quem cœlestis gratia illustrabat: præsertim cum indebitus honor poti[ō] h turpet insipientem, dum summis sedibus inclarescit, quàm decoret: quia minus eius dedecus patuisset, si non altis sublimaretur officijs: quod velut struma, vt quidam ait, in superficie cutis eminet, vnde indignus prælatus videri possit. Sed senex noster non tam alienis quàm proprijs meritorum honoribus vbique ab omnibus veneratur, ab omnibus interim dignus honore cēsetur. Veruntamen quia improbos, vt dixi, dignitas reuerendos nequit facere dum pluribus eos ostentat, sed despectiores, imo indignos eadem dignitas facit. Cæterum senem nostrum tāta præditum dignitatis magnificentia fuisse constat, vt non solum per sublimitatis gradus illum contingeret videri honoratum: sed quia multò erat fultus consilio, idcirco etiam inter ignotos nimium videretur honorabilis.

[h] Honor improbos deturpat magis.

XXI. Quo factum est, vt peracto tempore cum summo tādem reuocaretur obsequio, vt pristinam reciperet dignitatem, passim omnibus exulantibus & congratulantibus penè cunctis. Vnde lætitiæ voces hincinde ad cœlum vsque tollebantur. Gratulabantur monachorum cœnobia, resultabat iucunditate Clerus ecclesiarum, vulgi quoq; gaudia vbiq; ridebant. Factus est autem concursus populi, quasi si in communi omnium festo cœli præconio insignis redderetur. Fratres autem, cum quibus interim degerat, audito suæ regressionis die, cœperunt profecto contristari & mœsti esse, atq; quodammodo gratulari: contraq; præ nimio amore, ingenti animo lachrymabant: lachrymando quoq; vix eum dimittere cogebantur. Inter quos virtute venerabilis Ragnardus, qui postea abbas eligitur, præcipuo feruebat mentis spiritu, flens mœrore animi, & flendo quoque lætabatur. Lætabatur quidem, quia veritatis amator locum taxati meriti recepisset: sed dolebat valde, quòd tanti viri præsentia priuabatur. Vndè factum est, vt cùm pius Dei cultor iam iamque

[i] Reuocatur vir sanctus ab exilio, cunctis gratulantibus

[k] Dolet eius abitus fratribus, apud quos exulārat.

que indè abiret,& omnes fratres ardenti animo eius vestigia gressusque osculando lachrymis abluerent, eiq; valedicerent,præfatus vir Dei domi intra lachrymarum cubicula sese reciperet, nè proficiscentem videret,quem plus quàm se manere secum vellet,pro quo mori etiam proculdubio paratus esset.Sed cùm senex eum multum diuq; expectando requireret,inuentus est in quodam obscuritatis loco flens & eiulans, multaq; trahens suspiria. Qui cùm vocatus esset, vt seni valediceret,illeq; nollet exire,precatus est inter nuncios,ne eum ibi plorantem detegerent.Quod audiens charitas sancti viri, regreditur iam de naui, nè fratrem, quem sanctum nouerat, inosculatum omitteret. Veniente autem ad eum sancto sene,cœpit idem magnis vocibus inclamare ac dicere.Quid hîc quæsijsti felix Pater, vel cur te mihi nûc ostendere voluisti?Testem,inquit, Deum habeo, quia mallem te hîc mortuum sepelire,quàm, me relicto,hinc viuus abire. Tunc omnes fratres & famuli magnis eum prosequuntur fletibus: leuantur vela,tandem remigia impelluntur: dant omnes gemitum,& ad litus eousque expectant, quandiu eum possent conspicere. Feruebat verò vnus in eis spiritus amoris:& ideò non se poterant continere.

ILLE verò solitis carnis quidem,nõ cordis,adspectibus,longa corporis attenuatus macie,tandem peruenit ad pala- XXX
[a] Accipitur honorificè in regis aula. tium.Vbi [a] susceptо eo ambitiosè ab omnibus,quæsitum est, quomodo ei celsitudo Regia satisfaceret:quia timebant II.
pro tanti viri iniuria, futurum discrimen incurrere. Tunc beatus senex videns pudore animi talia meditantes,prorumpit ad medium,& verecundam Regis mentem blandis deliniuit affatibus. Persuasit autem, nil eum de huiusmodi facto in animo retinere,sed omnia Dei iudicio deputare debere. Interea [b] tum eodem cogente Principe, compellitur recipere suum sanctę vitæ cœnobium,flagitantibus filijs suis,vt eum saltem quocunq; modo recipere meruissent.Ad quos cùm aduenisset diù desideratus, vt pijs eorum complecteretur iam iamque amplexibus, vexabat eum salutis inimica
[b] Redditur suo monasterio abbas.
febris, ita vt gemini affectus singulorum animos sauciarent. Pugnabat [c] siquidem in singulis mœror compassionis,&
[c] Fratres & mœrent, & gaudent.
lætitiæ feruor:eò quòd viderent membra charissimi viri sæuissimè laniari,pro quo libenti animo etiam vitæ quàm fortes dispendium sustinerent.Vincebat omnes,nunc iucunditatis magnitudo, nunc lachrymarum effusio,& extollebãt simul mixtim vsque ad cœlum lætitiæ laudes, vt in eo Dominum illuc aduenisse nullus ambigeret, cui ita susceptо congratulantur omnes,idemque benigne allocutus est vniuersos.

SED [d] cum ibidem aliquantisper dulciter quieuisset,charitatis officio iucundatus, iterum ab Augusto glorioſus ac- XXX
[d] Reuocatur ad palatium. cersitur,& redit ad palatium.Vbi cum introisset,velut quidam ait, virtutum radijs illustratus, quia venit Titan:mar- III.
cescunt sidera.Apparuit autem ilicò nudata insipientia quæ tegebatur pallio caliginis,& factus est stupor nimius, quis Senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset.Qui,comperto non parum eos inuidia fuisse delusos,duxerunt in irritum,penè quicquid per hoc tempus,vt eis visum est,argumentosè tractauerant.Soluitur itaq; multorum captiuitas, eorum maximè,qui ex Regio pollebant semine:redditur in vno libertas omnibus, quocunq; in loco tenerentur, nisi quos vita priùs mors priuârat. Tum deinde quorundam tonsura,propter furoris sæuitiam illata,transijt ad coronam, & dant Deo sponte,quòd dudum inuiti quasi ad ignominiam susceperant. Quid [e] plura?Ipse glorioſus Imperator publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam susciपiens,factus est omnium humilimus,qui quasi Regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat:vt quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione Regia sanarentur, præsertim quòd eius velle cunctos considerare,eiusque nolle conspicere, manifestum non ambigitur. Sed nisi reuersus esset veritatis assertor, interea minimè patuisset, quo lethargico spiritu premerentur. Vndè etiam matura senectus cæcitatis eorum vulneri,Christi antidoto mederi persuadendo curabat.
[e] Ludouicus Imperator publicam agit pœnitentiam.

AC deinde studuit,vt iustitiæ virtus, & sapientiæ suas reciperent sedes: vt vnusquisq; sibi seruaret cõmissum negoXXX
tium,& sui cuiq; largirentur iura. Porrò nouitates vocum, & temerarias,iuxta Apostolum,præsumptiones velut pe- IV.
[1] Tim. 6. stem in omnibus reprimebat. Omne igitur, quod in lege charitatis non inuenisset, inimicum æstimabat Deo,& velut venenum repudiabat.Cumq; his & huiusmodi præconijs,velut aurum probatum per ignem,clariùs enituisset,factus est omnibus decuplo honoratior, ita vt ore omnium egregiè resonaret. Amplectebatur autem cunctorum manibus, & quasi pater ab omnibus colebatur. Eratq; Ecclesiarum magistris velut humilitate filius, consilio verò & prudentia quasi subuector inclytus. Qui cùm ita satageret indefessus, vt perfecti oẽs & Deo digni inuenirentur:videtur demùm
Eclog 9. nou[9] renasci Francorũ ordo & aurora iustitiæ quasi ab ortu surgere. Siluerat enim iam ex parte stratum furoris æquor,
Eclog. 4. & ventosi ceciderant,vt Virgilius ait,murmuris auræ.Redierat,vt idem inquit,virgo cupidinis,si parum liceat immutari.redierant & Saturnia regna: progenies bonæ mentis iamquasi cœlo refulserat alto. Omnibus igitur circumcirca eatenus satisfactionis studio illustratis, & suis cum eo summo fruentibus ocio,voluit se demũ his exuere curis,vt esset sibimet Deo totus intẽtus.Sed nequaquam passi sunt sancti fratres,licet multam eis excusationem senectutis suæ prætenderet:quoniam quanto ætate maturior,tanto ad virtutũ culmina tendentibus salubrior videbatur:præsertim cum vigore sancti spiritus,& viriditate adhuc non exhaustæ carnis satis vigeret, curans se laboribus & vigiliarum negociis fatigari,etiam plus quàm iuuenum constantia sequi posset.

[f] Eius labores, vigiliæ, feruor,erga se seueritas. QVIS [f] enim vnquam tam feruidus,quàm idẽ fuerat?Et quis alteriùs tam crudelis arbiter,quàm ille sui videbatur? XXXV.
Fateor planè,quòd nunquàm,nisi erga se quod durior esset,necessitatem corrigendi habuit.Vnde cum à suis fratribus & filijs quàm sæpe corriperetur publicè, cur sibi tam infensus esset, qui sic discretus omnibus habebatur,aiebat,ita dicens:vt læsos eorum animos mitigaret: Ego mei curam habeo, & prorsus vestro prouidebo famulo,nè fame aut laboribus fatigatus pereat.Sed hoc peracto,paululum deliteſcendo, non diu post resumebat esuriem & laborum negocia, ita vt vix iuuenilia membra ferre possent, quibus se parsimonijs, & vigiliarum operibus affligebat. Attamen semper erat viroris gratia plenus,semper discreta macie satis admodum rubicundus: vultu quoq; decorus,& venustus adspectu.Neq;enim faciem eius ac frontẽ ignauus rugabat furor:sed totũ eum matura hilaritas decorum cõponebat &aptũ. Canities verò sancta eum candore niueo exornabat,& velut lilium super roseos amictus,hinc inde coma capitis,quasi elatæ palmarum,super cutem retinebat:eratq;,sicut scriptum est in Canticis senex noster candidus & rubicundus,electus ex millibus:* ita vt culparetur in eo natura humana, quod antequàm adulta sit, vitijs corrũpatur. Et si velim laudare tantisper glebam corporis eius,multis confertam nitoribus, erit exiguum quod impendo, quia pulchris in eo renituit,ex quo Deo dilectus & omnibus gratus fuisse probatur.Nec dubium,quia omnis caro fœnum,& omnis gloria eius,flos fœni. Verbũ aũt Dei, quod semper in eo sapientia vixit,manet in æternũ. Cæterùm si nobilitatẽ & personam eius scribendo,q; Græce χαραχτηρισμὸς dicitur,ad purum pingere voluero, ero ineloquens,super quẽ facundia Rhetoricæ artis,atq; omnis eloquentia puto quod muta sit:silebit illa Demosthenis oratio,& abyssus Tulliana conquiescet.
Cant. 5. * De hominibus dicit, qui corpora sua luxu & intemperantiae deuant.

ETSI verò secundum huius sapientiam omnibus modis eius persona cõsideraretur, vt possit laudi idonea in negocio approbari,non immerito his antefertur,in quo multum, quod supereſt felici[9] inuenitur.Consideratur [g] autem XXX
Esaiæ 40. [g] Vide Gie lib.1 de Inuent. Nomine,Natione,Patria,Genere,Dignitate,Fortuna,Corpore,Institutione,Moribus,Victu:quomodo rem familiarem administret,qua consuetudine domestica sit,affectione,arte, conditione, item altera conditione:Habitu, Vultu, Incessu, Oratione, Affectu.Istis [h] igitur modis consideratis, persona censetur: vtrùm improbus quis ad negotium,an idoneus perhibeatur.Sed videre iam iuuat, an luculentus senex noster tot efflorueriт præconijs, quot sunt ad laudem sui Declamatoriæ artis insignia.Nomine [i] ergo harum in Catalogo virtutum, primum, an sit sapiens,quæritur.Et quis sapientior,quam qui vniuersa cœlestis magistri præcepta, magis, quàm artis eloquentiæ,solicitus seruans,studuit non admittere
VI.
[h] Laudatur Adelhardus ab attributis personę.
[i] A nomine.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

admittere causa Dei quæ prohibentur, & seruare cuncta, quæ iussa sunt: Porrò [a] cum sapientia sit rerum humanarum diuinarumque cognitio cum studio bene viuendi: non dubium, dici posse sapientem, qui & quæ Dei sunt, Deo & quæ hominum sunt, prudenter nôrit administrare, & velit propter Deum. Hoc igitur negocium prudentis viri est: & ideò is, de quo quærimus, sapiens fuisse non ambigitur. Natione [b] autem carnis, quod cunctis liquet, Francus erat: verum & renat[g] in Christo, vbi & spiritu cõuersatus, totus cœlestis efficitur. Patria [c] verò, quamuis hic natus verissimè videatur, Hierusalem illa cœlestis fuisse, qua nusquam feliciùs habitatur, proprijs perhibetur meritis. Genere [d] quidem, nobiliũ nobilissimus Francorum, vt paulò ante prompsi, prosapia ortus: sed gratia demum à Deo in filium est nobiliùs adoptatus: Qui licet dignitate regia magnus videretur, en maior effectus est sublimitate perennis vitæ. Fortuna [e] namq; quâ fuerit auctus, probatur illo in loco, quo dictum est.

[a] Sapientia quid. Ita ferè Cicer. 4. Tusc & 2. Offic.
[b] A natione.
[c] A Patria.
[d] A Genere.
[e] A fortuna.

XXXVII. *Pauper in* * *augusto regnat habendo Deum.*

Siquidem quia contempsit modica, ingressus Domini sui gaudia, sublimatur, & supra multa constitutus erigitur. Corpore [f] verò, vtrùm validus an decorus fuerit, fides probat, & morum eximietas. Vndè nec immeritò illi aptatur illud in Canticis: Caput eius, inquit, aurum optimũ, comæ verò eius sicut elatæ palmarum: quoniam quicquid ad decorem ei collatum fuerat, sursum ad Deum nitendo conscendere procurabat. Oculi eius velut columbæ desuper riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, quoniam totus adspectus eius simplex fuisse & solum in Deum intentus creditur, neq; felle concupiscentiarum immixtus, sed vera innocentia mentis lotus. Porrò genæ illius sicut areolæ aromatum, quæ consitæ sunt à pigmentarijs, videlicet à sanctis Doctoribus, omni flore doctrinæ & virtutũ exornatæ oleribus. Manus illius tornatiles, sanctitatis formam exprimentes, & motu sphærico celeriter ad omne bonum insistentes: plenæ hyacinthis, cœli specie in cœlis thesaurizando renitentes, quæ multis replebantur muneribus. Venter eius eburneus, virtutũ distinctus ordinibus. Guttur illius suauissimũ, ob fauum eloquentiæ: & totus desiderabilis probabilitate morum, atq; charitate eximia. Idcirco quærimus te, Pater, dum pascis inter lilia, quærimus quem diligit anima nostra. In lectulo enim per noctes quærimus te cum lachrymis: sonet vox tua, obsecro, in auribus nostris: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Neque enim possumus te patrem non amare, quem pro nobis credimus adfuturum.

* *Angusto.*
[f] A corpore *Cantic. 5.*
Ibidem.
Ibidem.

Iam [g] si de institutione agitur, eruditus fuit idem alter Moyses omni sapientia præsentis vitę, quasi vnus ex filijs Regis: deinde perductus ad Sina, in quo ipsius Domini præsentia illustratur & familiaritate continua fruiturus ingreditur. Moribus [h] verò quibus fuerit exornatus, testis est vita eius, quæ summis redolet meritorũ insignijs, & præconijs quàm maximis prædicatur. Victus [i] nanq;, quem Philosophi definiunt consummati operis esse fruitionis exercitium, vt perueniat ad quietem, Dominus erat, quem dilexerat, quem amauerat, quem iugiter desiderãbat. Gradus autem harum virtutum sunt, cum apud eos primum ponitur affectio mentis. Porrò [k] eadem affectio, est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio. Deinde ex hoc quod afficitur, vertit se in studium, vt effectum suî obtineat. Studium autem est, anima assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum volũtate occupatio. Postquam habitus induitur acquisitæ rei, cum ad plenum id quod perfectum est, obtinemus, de quo scriptum est: Sacerdotes [l] tui induantur iustitia, & sancti tui exultent. Felix quippe indumentum virtutis est, quo quisquis induitur, & custodit vestimenta sua nè nudus ambulet, hic nuptiali veste indutus, foràs non ejcitur: quam si primus parens noster in paradyso denique conseruasset, nequaquam apertis oculis nudus inueniretur. Vndè, sicut scriptum est, dum idem descenderet, expoliauerunt eum latrones, & plagis impositis abiêrunt. Sed senex noster floridus, tali coopertus habitu, iam credimus, quòd audit: Ambulabit, inquit illi Christus, mecum in albis, quoniam dignus est, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Talique indutus habitu dum esset Pater eximius, exercebat se plurimum, vt pro victus alimonia frueretur Christo, quem induerat.

[g] Ab institutione. *Act. 7.*
[h] A moribus.
[i] A victu.
[k] Cic. libr. 1. de inuent.
[l] Cic. ibid. *Psalm. 131. Apoc 16. Matth 22. Genes 3. Luc 10. Apoc. 3.*

XXXVIII. Porro restat, iuxta præfatam disciplinã, requirere, quomodo rem suam administrârit. Quid verò dicã, rem suam quomodo administrauerit, qui nec se sibi retinuit? Fecerat enim quod audierat à Domino: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Hoc impleto, ceterum res ecclesiæ suæ quemadmodum administrauerit, testes idonei sunt sancti fratres, quorum consilio vsus est & obsequio: Per quos ita cuncta disposuit, vt & omnibus satis esset, nec multum alicui superflueret, neque in vacuum quid periret, sed omnia ad Dei laudem humaniùs largirentur: fratribus salubria præsentis vitæ tribuens, & nociua quæque ac superflua resecans: hospitibus abundanter omnibus administrans, familiam quoq; illæsam à iugo seruitutis conseruans. Siquidem viduas huiusce familiæ destitutas, & cælibes viros per singulas villas constituens, eis stipendia iugiter ministrabat. Orphanorum quoque & debilium, nec non & hospitum in ijsdem locis, opportunius velut [m] Xenodochium constituerat, vt res ecclesiæ huius suum omnes quasi patrimonium possiderẽt. Testem Deum habeo, quod idem ipse huius ministros officij velut medicus sæpe instituebat, vt ipsi excogitarent artificiosè, quomodo verum aliquid eis ad comedendum pararẽt, & in huiuscemodi cibis eorum sanitas ne periret. Porrò Regi & [n] diuitibus, nostrorum nullus tam largus erat, idcircò in omnibus Deus largitor omnium glorificaretur: Beatus, inquam, multoties iudicans dare, quàm accipere, atq; medium inter paupertatem, quantum ex se erat, & diuitias, propter alios semper incedere: idq; vt ij qui habẽt, tanquam non habentes esse instruerentur. Iustum etiam percensuerat, vt oẽs huius Ecclesiæ famuli sic tanq; Patrem eum sentirent, vt tumidi quoque dominum eum esse non ambigerent: Insuper ita eorum virtutibus fautor & institutor existeret, vt vitiorum quoque dominus, quamuis discretus & seuerissimus fieret persecutor. Iam porrò qua domestica consuetudine fuerit, nouit mensura sancti oraculi, in quo fuit manna absconditum, & vrna aurea: altare quoque incensi aureum, & virga Aaron quæ fronduerat, habens illud (nempe, oraculum) xx. cubitus in longitudine, & xx. in latitudine xx. quoque in altitudine: vt ex omni parte gemino denario consummatus, charitate Dei ac proximi, quadratura perpetua fulciretur: nec dubium, quin Dominus ei fuerit fundamentum. Intra quam mensuram attitulatus, sola nouit contemplatio diuina, quid senex noster pro suo more domestico tractaret.

[m] Xenodochium instituit.
[n] Erga diuites vt se gesserit. *Act 20. 1. Cor 7.*

XXXIX. Affectione [p] verò ita intellectus omnium bonorum incitamentis, vt super fraterna viscera charitatis officio ceu faculis vteretur. Deinceps [q] igitur arte qua fuerit eruditus, patet, quia fœcũdus inuentus est eruditionis consilio. Prudentiæ namque, vt dicitur mille oculis inspector, virtutum quoque disertissimus disputator: liberalium artium adeò vsque sanctissimus institutor: vt probares in eo illud beati Antonij: Quòd [r] sensus adinuenerit artem, & qui sensu sit integer, eum arte non indigere. De cõditione [s] iam vltra quid loquar, qui, vt præfatus sum, Regali ex progenie clarus refulsit? Necnon & de altera conditione: vtrùm proprius, vt ipsi dicunt, adoptiuusve, an abdicatus fuerit, quid ingeram, quum & Bernardi filius fuisse, fratris [t] Magni Pipini Regis, & Dei esse adoptiuus non abnuitur? Habitu [u] autem quo fuerit infulatus, constat paulò ante me dixisse, quòd Christus eius tunica talaris fuisse probatur.

[p] Ab affectione.
[q] Ab arte.
[r] Athanasius in vita S. Antonij.
[s] A condition.
[t] Parens S. Adelhardi.
[u] Ab habitu.

XL. Cæterum [x] vestimentorũ habitus, vix sufficiens, monasticus fuisse ostenditur, pro frigore potiùs mẽbra muniens, quam honoris aliquid gerens. Dicebatur quippe à quibusdam pro ludo, lorica frigoris: quoniam erat pelliceus & quasi thorax circa viscera fomentum caloris. Vultu [z] aũt suauis idem, & statura palmæ adsimilatus erat: cõ quòd pulcher adspectu & decorus esset, velut paradysi delicijs enutritus. Quam [y] pulchri gressus eius, & quã speciosi pedes ad euangelizandum: quippè quibus expeditior damis, in calceamẽtis ornatior filia principis. Porrò [z] eius oratio quàm facunda, quàm plena sensibus, quam suauis auditu manauit? Extant eius Epistolæ, ad plurimos directæ, & omnium voces, qui

[x] A vultu.
[y] Ab incessu
[z] Ab oratione.

qui nunquàm se vberius aut expressiùs loquẽtem audisse testantur. Voce quidem canorius cygno mulcebat auditum: sed & melle dulciùs palato cordis melodia sapiebat. Erat aũt omnis narratio eius aperta valdè, breuis ac lucida, quod dictionis genus Oratores summis extollunt laudibus. Nil fæculentum admiscens, neque dubium quid in sensu reseruans. At verò plano in clausulis procedens gressu, sensus eius flauisluus pinguissimo claudebatur fine. Erat igitur sonus assertionis expositio dictionum: ita vt voce formaretur propriùs verborum intellectus, & suis singulæ partium qualitates restituerentur sensibus: Habens omnia membra narrationis capitulatim distincta, & ad retinendum facilima, ad persuadendum verò vel dissuadendum promptissima: semper auidiùs ad intendendum promouens audientes, igne calidiùs ad desiderandum, torporem discutiendo, incitans desidentes. Quæ si facundia daretur mihi, luculentius explerem quod conatus sum: nunc autem excusatio pro ignorantia, venia pro voto debetur: præsertim cùm stylus nullius ad hoc negotium meliùs expediret, quàm eius, cuius vt vita præeminet, ita & sermo antecellit. Sed quia id ingenij vnda denegat, voluisse tantum, charitatis iura implêsse probabitur.

[a] Ab affect.

Philip. 1.

RESTAT nunc, affectu qualis fuerit, intimare. Sed quo artis ingenio pandam eius [a] affectum animi, qui vno semper XLI. mentis ardore afficiebatur in omni vitæ negocio? Iugiter enim cupiens dissolui & esse cum Christo, se laboribus fatigabat: permanere autem in carne, propter nos necessarium, licet aliter fateretur, penitùs sentiebat. Vndè toto annisu vitæ satagebat prodesse omnibus, mille, vt ita dicam, charitatum semper negocijs occupatus: præsertim quòd esset consilium totiùs patriæ, & pater omnium indigentium: qui ore ac manibus, cum omni circumstantia facultatum, pro libertate Christi erat omnium seruus.

[b] Exul mũdi, ciuis paradisi.

QVONIAM cùm esset semper accensus ardore, peruenit vsque ad Saxoniæ fines, vbi iam paruissima, cellula à san- XLII. cto viro, suo æquiuoco, Adelhardo nomine, sumptu huius monasterij ædificari cœperat, eò quòd idem beatus vir quia suus fuerat nutritus & familiaris filius, interesserat loco eius, dum ipse Hero insula exul haberetur [b] mundi & paradisi ciuis. Videns igitur pius pater, ac senex sanctissimus cœptum opus quòd pietatis esset officium, Regem adijt, & petiuit ab eo, vt daretur ei locus ædificandi: quia ille, in quo situm fuerat, nõ vtilis aut aptus esse probabatur. Quod audiens Imperator Augustus gauisus est valde, volens ei multa largiri, nisi retineret eum ipse, qui nulli vnquàm concedebat sibi dare, quantum quilibet voluisset, sed quantum idem vel si modicum censuisset: ajens semper illud Apostoli, quia beatius est dare quàm accipere. Accepta autem potestate à rege, vt vbi vellet, illud ædificaret, elegit locum valde amœnum, & monachis nimis congruum ad habitandum: vbi & Rex postea plurima propter Dei omnipotentis amorem contulit beneficia.

Act 20.

[c] Corbeia Saxoniæ fundatur.

[d] Abbas Spanheimensis ait eam fundationem cœpisse anno Christi 812 qui fuit annus 9 Imperij Ludouici Pij idem testatur Adam lib 1. c 15.

Psalm 118:

EST [c] autem locus, pergentibus ad ortum Solis de fonte Patris, situs supra litus Vuisiræ, in modum Δ literæ, vallis XLIII planitie collocatus: habet ad ortum Solis præfatum alueum, & montem porrectum in facie iuxta fluuium. Porrò à meridie mons alius egrediens è fluuio, sinu tendit ad occasum. A [d] septentrione verò alter è regione pari situ pergit, quousque sibi inuicem, viamper medium dantes, copulentur: itaq; ita in medio fit vallis, figuram Δ hoc modo, quantum recordor exprimẽs, nec immeritò. Nam magister veritatis, diuino nutu edoctus, talem elegit locum, qui & Christi nutriret discipulos, & suo eos describeret charactere, & signaret situ. Nihil enim in omnibus Geometriæ figuris, triangulari consummatiùs aut perfectius inuenitur. Est enim hic numerus totius latitudinis & superficiei in Arithmetica solus principium: In Geometria idem planior inuenitur. Et quisquis diligenter inspexit hanc figuram, neque in his artibus aliquid mirabilius reperitur, neque in nostra disciplina quicquam maius aut melius prædicatur, quàm Trinitas Deus verus. Igitur sine hoc numero formatum aliquid, nihil perfectum innuitur, videlicet sine principio ac fine, & horum medio inter principium atq; finem. Hæc verò figura princeps est, vt dixi latitudinis, eô quòd cæteræ omnes superficies in hac resoluuntur. Ipsa verò, quoniam nullis est principijs obnoxia, neque ab alia latitudine, nisi à se sumpsit initium, in se ipsa resoluitur. Quæ si ita sursum erecta fuerit, vt ostensum est, igne charitatis flammare ibidem habitantes debere monstratur. Quòd autem ipsius á latitudine fit initium, ostendit latum Dei mandatum nimis, non nisi dilatato corde perfici posse. Quòd verò omnes superficies in se resoluit, liquidò signatur, quòd omnes reliquæ virtutes eius latitudine consummantur: & ipsa charitas non nisi Trinitatem colendo in vnitate perficitur, vt vera perfectio, in his tribus Vnitas indiuidua teneatur.

[e] Corbeia duplex, Galliæ & Saxoniæ

[f] Vt iuniores monachos instituerit S. Adelhardus.

HÆC ideò me dixisse sufficiat, vt monstrârim, quàm prudens idẽ ac sapiens fuerit, quantoq; charitatis ardore fer- XLIV. uebat, qui talẽ ac tantum discipulis habitandi locũ parârat, irriguum aquis, velut si minor Ægyptus esset, & alter paradysus Domini, venientibus de fonte Patris in ortũ Solis. Verè, de fonte Patris, dixi: quia in Christo renati, credũtur exinde non solùm ad ortum Solis, sed ẽt vltra Solem vsq; transcendere. Quem [e] locum B. Pater Corbeiam alterius de nomine vocitauit, vt signum esset in posterũ, à quo priùs illud esset fundatum. Quis, mi pater charissime, narrare sufficiat prouidam doctrinam tuam in omnibus? Verè fateor, quòd quoties tui recordor ad liquidum, miror satis, quàm prouidus eras in omnibus. Recordor [f] enim doctrinarum tuarum, quibus eos alebas & instituebas tenellos de fide & charitate, inter quas etiam spem mediam collocabas, deq; moribus & de omni doctrina vitæ. Qualiter etiam oblatas sibi res à quoliber suspicere debuissent, cum ipsis inter solicitudinis negocia peragebas: commendans illis per omnia, vt in nullo terrenorum cupidi essent, neque quicquam vellent accipere, vnde alij grauarentur: & sic hæredes essent rerum largitoris, cautè considerarent, nè forte ipsi, quorum erat hæreditas, postmodum inopes fierent Hæc erat eius solicita & pia consideratio in omnibus, quibuscunque præerat locis: vt neque inhonestum quicquam acciperet, neque aliquis quasi causa miseri cordiæ postmodum pœnitudine premeretur. Dicebat enim, quòd multi, non solùm rectores ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes, qui seculo renunciâsse videntur, ob id decepti essent, quòd rebus nimiis abundarent in tantùm, vt seculo seruire denuò cogerentur, qui mortui esse mundo debuerant. Quid, inquit, prodesse poterit rebus proprijs futuros expoliari hæredes, & rursus eos mancipari negocijs secularibus? Constat igitur nos in præsenti tempore ideò Reipublicæ deseruire, quia ipsa nostris attenuata cupiditatibus, ex se subsistere non posse manifestè causatur. Et idcirco nos felices, qui liberi esse in Christo debuimus, facti sumus turpissimæ seruitutis, etiam inuiti, serui. Occasione itaque accepta, quasi in Dei causa mundi militiam baiulamus, cûm Apostolus dicat: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Neque enim à nobis exigitur, quòd necessaria tantùm retinemus: sed quia superflua, vt ab ipsis dicitur, possidemus: & vnde miseri lati in possessione esse cupimus, indè angustamur in omni opere bono. Quapropter filioli, estote contenti paupertate Christi, sine qua nemo est diues. Noueritis enim, quòd beati sunt pauperes spiritu, quibus regnum cœlorum repromittitur. Et ideò fratres mei, nolite, quasi pro pietatis opere, sectando auaritiam, possessionem æternam perdere. Estote igitur, quod vos æterna Christi vocatio esse voluit: vt paupertate Christi participando, diuites esse cum eo sine fine mereamini.

2. Tim 2.

Matth 5.

HIS & huiusmodi cùm eos quotidiè corroboraret ac confirmaret, construebatur ibidẽ, Deo agente, non solũ mo- XLV. nasterij, sed ẽt cœlestis patriæ fundamentum. Quid putas, quanto tunc gaudio afficiebatur eius animus, quantaq; lætitia, cùm Dei omnipotentis amor ita flagraret in eis, vt ẽt omnis illa regio Deum per ipsos benediceret? Fateor itaq;, quòd ad nos nonnunq̃ rediens, præ amore pio & spiritali gaudio vix se poterat continere, hincindè exultans atq; gaudens, quòd Christus per eum glorificaretur in multis: nos quidem rigans ac pascens cœlesti pabulo, illos plantans in Christo ac propagans, agebat vt fructum plurimum Deo ferrent. Itaq; sic in omnibus se exhibens, Christi vices agere credebatnr:

credebatur:etiam & forma humilitatis omnibus anteibat.Qui ita iugiter vno iubilationis afficiebatur spiritu, appetebat ingressionis campum : quæ ingressio,secundum B.Augustinum lib.de animæ quantitate, vna de septem,& sexta perfectionis est virtus.Quintus siquidem earum gradus,est [a]Tranquillitas :sextus,†ingressio:septimus,[b]Contẽplatio. Quæ ita decentissimè possunt edici:In seipsa,dum anima quælibet secum ingreditur & versatur: Ad Deum, dum quotidiè ardenter desiderando,ad eum ingreditur,ita dicens:Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum:quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Apud Deum, cum iam claro lumine indesinenter contemplando ei inhæret, in quem desiderant etiam angeli prospicere. Quo nunc senex noster se peruenisse lætatur, lætatur meruisse, gratias agit,atque comprehendisse summo alacritatis animo amplectitur.

[a] Tranquillitas.
† Ingressio. *Psalm 41:*
[b] Contemplatio. *1. Petr.1. 4.Reg.2.*

XLVI Vnde quid aliud dicam,quàm illud Elisæi:Pater mi,Pater mi,currus Israel,& auriga virtutum? Ecce nos quàm subito desolatos relinquis:& ideò quærimus te lachrymosa voce,& scrutamur mellifluos mores tuos manè in præcordijs nostris:nec vsquam pupilla oculi nostri silet,neque consolatur,nisi cum sibi te pro nobis melius adesse promittit. Recordamur enim,quibus nos lactabas vberibus,vel quanto in te Dei fruebamur oraculo , quantisque ferebamur alarum remigijs,&nutriebamur charitatis visceribus:ita vt si saxei essemus,tua nos molliret pietatis oratio. Omnia enim nobis omnibus factus eras,vt Christo nos lucrifaceres.Quòd [c] si ad speciale quorundam te vertisses negocium,vni in momento dabas vitæ consilium,alium,interdum deliniebas osculis. Porrò illius manum stringens , alterius animum miro demulcebas affectu:atque ita omnibus vnus eras,& totus singulis. Fratrum verò nomina,licet scripta in viscera sanctæ solicitudinis imponeres,de manu tamen certus eorum numerus diligenter scriptus penè nunquam aberat: idque ideò,vt omnes sedulo inspiceres,& mores singulorum apud te solicitus pertractares. Iam enim de singulis tecum in iudicio disceptabas,ne damnum postmodum de creditis ouibus sustineres.Benè igitur noueras, quid cuique expediret:& ideò omnibus exhibebas,quod saluti singulorum congrueret. Erat ergo discretio tua in nullo,quantum dici fas est,exorbitans à proposito, facilitate complendi, quæ singulis expedirent : generaliter verò procurando cunctis congrua. Nullum fermè per hebdomadam familiaritatis affectu non allocutum relinquens : nullum quem in die generaliter,nisi ex aliqua impossibilitatis causa,non instrueres:omnibus præbens salubria,nulli prorsus denegans , vt credimus necessaria.Idcirco filiæ Hierusalem,prout compellor dicere,flete hunc senem nostrum, & lamentum sumite.Flete virum,qui vestiebat nos charitatis coccino, desuper totum delicijs intextum, qui præbebat cultui ornamenta virtutum.Induite cilicium,& amarè plangite:quia qui consolabatur nos, & fouebat quasi nutrix in gremio,sublatus est & recessit.Vnde plorans plorabit anima mea,& erunt lachrymæ in maxillis meis,quandiu non intueor, quem diligit anima mea.Putasne veniat mihi,pater,tempus , quando vel si quoquo modo liceat faciem speciemque vultus tui conspicere?

[c] Qualem se erga fratres præbuerit.

XLVII Sed quid interim iam deinceps agimus,anima ? Ecce nuncusque quasi inter roseos versati sumus campos, & conspeximus amœna virtutum,de fonte S.Spiritus irrorata: Nunc verò instat, vt mortis eius finem pandamus,quem habuisse talem,glorificandum est:amisisse,flendum:peruenisse verò ad beatorum gaudia,congratulandum. Sed quanto nobis iucundius est,in eo,quod amatur,versari: tanto grauius est,eius absentiam, quam semper præsentem cernimus,tolerare.Vnde [d] ceu respersum nebula,mœstum est omne quod inspicimus:caligant oculi nostri , operimur singultibus,tremunt digiti;rotatur caput,funduntur lachrymæ , & insuper est pio amoris affectu quædam flendi voluntas.Vnde & quanto hæc prolixius ad consolandum cudimus,tanto ardentius amore afficimur, amando quoque dolore premimur.Idcirco mi pater charissime , ocyus transibo obitus tui paginas,in quo diutius immoranti vehemens languor ingruit. Hinc quidem interim adstillat lugendi facultas , sed paulo post consolabimur de peruentu,quo tu nunc lætaris in gaudio.Vnde quęsumus,priusquam incipiat calamus pulsare tui exitus horam,reuertere,Sunamitis,reuertere,inquam,paululum,vt intueamur te: Recipiet enim inde spiritum linguæ calamus,& leuius transibimus amaros legendi cursus.Reuertere,reuertere mi charissime,& quid videbimus in te,nisi vt castrorum acies quomodo sis ordinatus? Ad nos saltem semel,quæsumus,conuertere,vt omnes,qualem te prius habuimus,quantusve & modo sis,videamus.Ecce ascendisti,nouimus,per desertum quasi aurora consurgens , pulcher vt luna,electus vt sol, terribilis in Deo,velut castrorum exercitus ordinatus.

[d] Maximũ sui mortuus desiderium reliquit.

XLIIX. Quid [e] igitur terribilius humanis adspectibus videri potest , quam tui vultus erant adspectus in hora , cum nobis indulgentiam dares: Præceperas enim,petentibus nobis,Pater,vt omnes humi sederemus: quatenus tu os nostrum ex integro,& nos tuum erectis oculis potuissemus conspicere.Quo,fateor,nil me ordinabilius à magistro audisse indultum,nilque flammatius aut horribilius aliquid me vidisse,quàm in tuis oculis. Pressius itaque enucleans sensum , ita affatim cunctis es locutus:Ecce:[f] inquis,de creditis ego ouibus orationem redditurus venio : vos autem,ô mihi commissus grex, de obedientia & inobedientia vestra sententiam excepturi,attendite,quod idem,qui nunc adsisto,in tremendo iudicio vobis coram adero,& quid de talentorum pecunia sim lucratus,vel quomodo illam expenderim,præsentabo.Attamen interim,si quid est,in quo excessi in vobis sciens,aut nescius,volens,nolensve,indulgete, prout ego,iuxta quod oportet,si quid est, quod meum sit indulgere, vice Christi relaxo. His igitur tum ita præmissis,plenus feruore spiritus recessit,quasi iam futurus arbiter in suo: vt instrueret se, quasi contra spiritalia nequitiæ tunc in cœlestibus pugnaturus,rationem villicatioois suæ redditurum : licet semper quasi in mortis articulo pertractasset,tunc tamen velut contra legiones iturus , diligentius mentis aciem disponebat, si fortè ludibria huius vitæ sine impedimento posset effugere. Sed quia occursor decuplum eius viginti millibus superare legitur , semper quæ pacis sunt , Dominum precabatur;Domine,inquit,pone me iuxta te,atque ita cuiusuis manus pugnet contra me : alioquin turmas non effugiam iniquorum , quia tu solus inuentus es inter mortuos liber. Venit enim ad te exactor , & in te non inuenit quicquam,quod suum esset. Idcirco fac me firmius in te inhærere : vt & ipse per te tuo in corpore mali totius inueniar liber.

[e] Moritus,vt se gesserit.
[f] Oratio eius ad fratres.
Luc.14.
Iob 7.
Psal 87.
Ioann.4.

XLIX Qui totum se ita discutiens,adhuc inuenit in se qualiacunque, quasi nondum exhausta, & præcepit ea coram quibusdam fratribus exponere,(quorum vnus,etsi indignus, ego eram) interrogans, si de his se in iudicium meritò venturum fore pertimesceret.Quibus auditis,iuxta diuinam scripturam percensuimus, non ad eum pertinere, quæ ipse quasi sua longè diuque plangebat.Quid putas quàm subtiliter secum reliqua disputabat ? quam sibi seuerus erat, qui pro alienis etiam,vt pro suis se puniebat? Interea singulos de singulis monens & instruens,aiebat,vt post obitum suum in electionis pace, castè ac rectè secundum Deum inter se conuenirent. Exposuit etiam fidem suam coram quibusdam ex nobis, penè & omnem doctrinam quam docuerat, vt ex hoc eam firmius commendaret pectoribus nostris. Hinc est,quod tali absentes mœrore suffundimur:inde verò gaudentes sumus: quia de Patre talia recoluntur. Hinc ad hoc afficimur,ad aliud hinc protrahimur.Plangimus in eo siquidem maturitatem morum,fidei firmitatem,soliditatem spei,charitatis fundamenta,ex integro altissimam Christi humilitatem , & ditissimam in omnibus largitatem: nec vt Saluator,inquam,miseram Hierusalem ego lugeo : sed ploro in vnius morte pariter omnes virtutes occubuisse: Non quod nobis desit ille,qui abijt: sed quod talem videre desiuimus, quem sine lachrymis vix aut nunquam recordari valemus.

Luc.19.

L. Qvis enim siccis oculis eius recordabitur,in quo penè omne honestatis decus sublatum est? Aut quis non doleat

præsidium totius Europæ subito deperijsse? Vel quis sine mentis scrupulo poterit epistolarum eius nitorem eloquentiæ recitare? Quem si vulgo audisses, dulcisluus emanabat. Si [a] verò idem barbara, quam Teutiscam dicunt, lingua loqueretur, præeminebat charitatis eloquio. Quòd si Latinè, iam vlterius præ auiditate dulcoris, non erat spiritus. Idcirco mihi chariſſimi ô vos omnes, qui nostis quid boni habeat tanti viri præsentia, & transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor noſtrum omnium. Videte igitur quàm subito vindemiauit nos Dominus, & facti sumus squalidi, venustate sublata. Aurigo possedit nos, quia decus roseum versum est in fauillam.

[a] Petitia linguarum & eloquentia S. Adelhardi.

PARAVERAT ergo se Simeon senex ad natalem Saluatoris accensis lampadibus occurrere, & Regem regum LI.
Dominum Iesum, procedentem de thalamo suo, vlnis suis lætus suscipere: sed tetigit eum triduo ante natalem Domini validissima febris, [b] dum iuxta consuetudinem noctis medio in basilica fleret. Qui ita perdurans ad vigilias vna cum fratribus, hostiam iubilationis in pectore Domino consecrabat: & quanto, vt multi testes sunt, altius voce canebant chori, eo ampliùs idem flebat in iubilo. Sicque se pertrahens ad matutinorum vsque laudes, nec minus amore Christi febricitans elanguebat, sicut scriptum est in Canticis: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore lãgueo. Et dum quotidie magis magisque multis premeretur doloribus, spiritum non relaxabat, semper Deo intentus. Disponebat igitur ita omnia prouidus, ac si nihil mali ferret in corpore: instituens & ordinans ita singulas officinas, vt nil finis eius imperfectum inueniret, præcipuè, vt & sanctus dies dignis celebraretur honoribus. Quo peracto, vehementius cœpit vrgeri febribus: quotidie [c] tamen ad oratorium B. Martini veniens, quem copioso amore in vita semper dilexerat, ibidemque Missas audiens, communionem sanctam percepit, donec vltimus dies vitæ, à noctis huius eum eduxit caligine.

[b] Febre corripitur vir sanctus.

Cant. 2.

[c] Sub mortẽ quotidiè audit, licet ægrotus, Missam.

INTERIM verò audiens beatus vir Hildemannus Episcopus, quem ipse monachum nutrierat, & per concessum LII.
Regis tanto Bellouaci sublimârat honore, sanctum ægrotare patrem, aduenit ilico, & excubabat iugiter ante eum, donec viuendi finem fecit, & eum proprijs manibus vna cum cunctis fratribus sepeliuit. Qui dum aduenisset, gauisus est S. Pater alacritate maxima & lætatus, vt vix se ferret præ nimio exultationis gaudio. Agebat namque Deo immensas gratias, quòd de huius eum consolaretur aduentu, & dicebat: Deus omnium institutor & rector, gratias tibi ago, quia non sum fraudatus à desiderio meo. Interea cum cœpisset idem S. Episcopus à nobis percontari, vtrum benedictionis oleo, sicut à beato Apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogauimus eum, vtrumne vellet, quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, cominus obsecrabat vt fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus? quantis tunc replebatur lachrymis? Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus verò ad cœlos extensæ, inuitansque sanctum Spiritum, dicebat: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia percepi omnia tui mysterij sacramenta. Et nunc quid supereſt, nisi vt ad te veniam: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: tantum fiat voluntas tua. Alioquin sitiuerat iam idem diu venire ad fontem. Vnde & quasi iocosa voce, plenus grauitate fidei, frequenter dicebat: Hinc ibo, & ad Deum meum veniam: lætus, inquam, veniam, lætus moriar, lætusque transibo ingentes huius vitæ foueas. quoniam ad gaudia peruenturus sum sempiterna, longè mihi ante promissa.

Iacob. 5.

Luc. 2.

Matth. 26.

HIS & huiusmodi dictis sedulo se armabat Christi miles, donec ingressus est locum tabernaculi admirabilis, in vo- LIII.
ce confessionis & laudis: vbi & inuentus est exercitus multitudinis festa celebrantis. Ibique iam senex noster tripudians creditur præcinere: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Qui cum quotidianis diebus adhuc in carne febricitans, immensis se Deo taliter commendaret laudibus, contigit subito, dum solus apud se ageret, ad eum ingressum fuisse sanctum Episcopum: ad quem continuo exclamans, ait: Curre [d] velociter, ô Episcope, præcipio tibi, & osculare pedes Domini mei Iesu Christi, quoniam ecce adest. At ille audiens, valde contremuit: quia quo iret, vel quid ageret, penitus ignorabat. Ille verò hoc dicto, recepit se sub silentio, & quieuit. Tum deinceps peracto die octauo natalis Christi, alacrius cœpit insistere, vt iam hinc ei celebratis diebus liceret abire, si quo modo ipse tandem peruenire ad festum quod nox non intercipit, neque morbo corrumpi potest. Et peracto igitur iam noctis mediæ spatio, ita adorsus est, & fratribus dicebat: O filij, semper mihi in Domino multum chariſſimi, scitote quoniam hodie hinc ibo, datum est enim mihi iam hinc exire, ac videre (quod vtinam fiat) & apparere conspectui Redemptoris mei. Finitus [e] est ergo iam cursus certaminis mei, & restat penitus, quid acceptarus sim pro vocationis præmio, vt ignorem. Credimus nos tamen pater quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, (alioquin vacuus est labor fidei) præsertim qui dicere cum Apostolo veraciter potuisses: Cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo quid aliud, quam reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex in illa die?

Rom. 13.

[d] Videt Dominum Iesum.

[e] Ecce quã modeste de se loquitur vir sanctus

2 Cor. 2.

2 Tim. 4.

TVM manè iam facto, accersitis nonnullis ex nobis, cœpit idem Beatus Pater vrgere, quatenus matutinas ocyus LIV.
præuenirent. Quibus dictis, in laude Christi cœlestis eius linguæ obmutuit. Tunc verò simul conuenientibus omnibus sanctis fratribus, communionem sanctam percepit fermè hora diei prima, sicuti mos est, & cœperunt eum hymnicis laudibus Domino commendare, ita perdurantes in eius exequijs, vsque in horam diei nonam. Tum [f] idem quando & Christus in cruce, emisit spiritum, vt daretur indicium, quod cuius crucem in vita tulerat, quemq; secutus fuerat, eius & in mortis articulo sequeretur vestigia. donec peruenirent ad eum quem quæsierat, quem optârat, quem & diu de toto corde desiderârat. Quis, putas, tunc ea hora luctus omnium erat, & quàm præcipua fuerint lamenta monachorum? Attollebatur autem sursum vox vna canentium in excelso, & fletus omnium deorsum singulorum scindebat pectora: quoniam, sicut alibi dictum est, & pium erat tanto viro congaudere, & pium erat eius abscessu flere. Quis enim non fleret, etiamsi de silice natus esset, ea hora, cum inclytus Dei pastor hinc abiens, cœlos peteret? Ipse enim [g] erat, bone Iesu, quem in toto ex omnibus solum Abbatem reperi: ipse ex vniuersis, quem alterius plus quàm sua quærentem inueni. Qui sicut mater amat vnicum, ita quosque tenerrimè diligebat, atque vt solidiora caperent, inuitabat.

Matth 27.

[f] Felicissimè decedit.

[g] Eximia laus S. Adelhardi.

QVAPROPTER, quæso, attendite viri, & videte vniuersi populi matrem Corbeiam flentem, quod est aluearium mo- LV.
nachorum: flentem, inquam, ac dicentem: Ablatus est magnificus meus mihi, & nullus est, qui consoletur me ex omnibus charis: quoniam compleuit Dominus furorem suum in me, & fecit quæ cogitauit. Compleuit ergo, quæ præceperat à diebus antiquis: Terra es, & in terram ibis. Idcirco abijt chariſſimus mihi, & recessit. Reuersa est ergo virgo Israel ad ciuitates suas, & deinceps ambulat gloriosè super aquas redemptionis æternæ. Ipse namque est, qui erat mihi votorum chariſſimus: Ipse conuertens animam meam, & custos vitæ meæ: Ipse qui consurgens pro nobis in principio vigiliarum, effundebat velut aquam cor suum ante conspectum Domini. Nunc verò posuit nos Dominus ad modicum desolatos, propter eum mœrore confectos: Ideo ergo ponimus in puluere os nostrum, sperantes in misericordijs Domini, si fortè sit spes, vt peruenire possimus, quo iam pius patronus noster peruenisse creditur. Quòd donec fiat optata dies veniat: hæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero pater Adelharde, si non te proposuero in principio recordationum mearum. Alioquin obliuiscatur me dextera mea, nisi nomen tuum, laudesque pandam. Credo mi charorum chariſſime, quòd prius maternus amor perire possit, quàm nos te non diligere. Quia etsi illa suorum obliuiscitur, nos tui nunquam obliti erimus: sed dum sæcula manent: & nox cum die partitur vices, fama prædicabitur de te semper sanctissimæ vitæ, nosque tua nunquam immunes erimus à laude.

Thren 2.

Gen 3.

Ierem 31

Psalm 76.

Tu au-

Tu autem,quæsumus,trahe nos hinc post te,curramus in odorem vnguentorum tuorum:quia meliora sunt vbera tua vino,fragrantia vnguentis optimis.Recti enim te diligunt:& ideò quærimus,quousque perueniamus, vbi pascis,vbi cubas;scimus namque,quod in meridie.

LVI. NEQVE[a] igitur,iuxta quod fabulæ ferunt Threicium fecisse vatem,gemimus apud inferos coniugis mortem: sed super astra tollimus patris nomen,quo te solemniter conscendisse fatemur. Ergo etsi felix fuit ille, qui fictè potuit lucidum boni fontem visere:& felix,qui potuit vincula grauis terræ soluere: feliciores sumus nos, qui possumus post te Patrem talia,& tam sancta vota dirigere.Fingitur enim ille præfatus vates flebilibus modis flendo post coniugem syluas currere fecisse,amnes stare immobiles:iunxitque intrepidum latus ceruæ sæuis leonibus:nec timuit lepus iam cantu placidum canem.Cuius cum feruor intima pectoris flagrantia vreret, nec sic mulcerent animum cuncta quæ subegerat:it mites ad superos,quærens coniugem:nec reperta,infernas adijt domos illic sonantibus chordis blanda carmina temperans,quid de præcipuis musicorum fontibus hauserat. Ad[b] cuius voces vmbrarum dea miserans: Tandem, inquit,vincimur arbiter:& ideò donamus coniugem viro,emptam carmine.Quid putas tum ille,iuxta Poëticam narrationem,luctus dabat? quantosq; threnos geminans amor mouerat? quantisve precibus veniam implorârat ? Cuius noua carmina stupuerat infernus,vltrices scelerum deæ iam mœstæ madebant lachrymis.

[a] De Orpheo dicit.

[b] Proserpina.

LVII. SED nos,pater charissimè,talia non ideò inferimus , quòd ignoremus neminem ab inferis sine Christo regressum fuisse:sed quid boni habeat amor,volumus aperire. Amor[c] enim maxima lex sibi est : & ideò imitando quærimus te quasi per legem,quia omnis via tua,lex vitæ fuit:vt mereamur peruenire ad te,imò ad te,quia ad Christum,quo te peruenisse credimus,& optamus.Et precamur,vt Deus nostris fletibus motus exaudiat,& doneris fœliciter nobis,immò nos tibi,quia te paradiso datum petimus.Credimus namque,quod ibidem coronaris iam de capite Amana, de vertice Sanir,de cubilibus leonum,de montibus pardorum. Ista quippe omnia triumphando vicisti: idcirco factus es suauis inter delicias Paradisi & decorus,nec est in te macula.Dextera igitur Christi amplecteris,& læuam sub capite pacis somno dormiens premis:& ideò factus es coram eo quasi pacem reperiens.Lectus ergo tuus, quia in pace Christi versaris,floridus iuxta meriti qualitatem.Tigna domus tuæ,cedrina: laquearia verò,cypressina:Et nos quidem,pater amicissime nobis,iuxta quod intelligimus,gaudemus&gratulamur tibi,quia euersa domo,inuenta est in te drachma, quæ perierat:perierat enim noctis caligine circumfusa,sed accensis lampadibus,tibi felicius denuo inuenitur. Vnde interim quando aliud non valemus,iura sepulchri tui flentes circumsedemus,& superadspergimus orationum flores. Legimus super illud nomen bonum,quod melius acquisisti,quàm diuitias multas.Nam nostrûm alij pallentes violas tibi & candentia lilia carpunt: Alij narcissum & florentes rosas, Alij serpillum bene olentem spargunt.Isti[d] colocasia, & mollibus illud vaccinijs pingunt:quidam & suaues intermiscent odores: Nõnulli verò salsis lachrymarum rigant fontibus,& ego literarum superintexo Pallas:quatenus æui temporibus futuris,sanctum feruet nomen. Neque enim fucatæ artis eloquentia texo:sed sindone munda,puritatis opere, illud inuoluo. Alioquin si quis plenius hunc virum nosse desiderat,quàm fortiter fide mundum vicerit, legat illud, vbi inscribitur ei nomen nouum, & nomen ciuitatis nouæ Hierusalem. Et cum intellexerit, quibus ciuitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat: eo quod ibidem quodammodo ipse ciuitas,& possessor huiusce ciuitatis à Deo creditur esse factus.

[c] Amor, sibi ipsi maxima lex.

Cant.4.

Luc.15.

Prou 22.

[d] Verg.Ecloga 2.

Apoc.2 3 & 21.

LIIX. VNDE gaude & lætare virgo fidei, fœlix Corbeia,ex antiquo vocata: quia meruisti talem in Christo frui & possidere patronum.Queso te,mater religionis inclyta,amplectere hunc virum,quem tu tyronem cœlestibus sobriè ac discretè instituisti moribus:& imitare illum,qui te postea multis ampliauit honoribus. Quare igitur mœrore consumeris virgo & filia Dei summi,quasi non sit tibi consiliarius? Ecce[e] fratrem reliquit tibi hæredem, qui multis adhuc pro te sudabit laboribus.Absterge,quæso,lachrymas:quoniam mittes obuiam de medio tui etiam hunc senem, cum vniuersæ terrarum partes miserint eximios quosque viros.Porrò vicina monasteria cum dederint, videlicet Vedastum Atrebates,& Centulum[f] sanctissimum Richarium:& alia circumquaque viros religione nobiles, dabis forsitan & tu non impari voto virum Deo dignissimum. Neque infœcunda tunc eris, cum inter reliquos istum etiam Domino de terræ puluere generabis:imò lætabunda & gaudens veniendo venies,saltem paucos ferens manipulos.Idcirco confortare& robustius age,donec Amalec occurrit in via, quoniam alter Iosue iam tecum dux & præuius virtute, pugnat in acie. Fulci igitur istum,iam in capite inter plurimos dimicantem:Attende & illum in monte iam Domino palmas ad sublimia porrigentem.Hic pugnat,ille orat:hic hostem premit,ille vincit. Iste namque est,charissima mihi mater,fratrum amator,& populi Israel.Hic,qui multum orat pro suis charitate perpetuus.Hic qui iugis,vt credo , intercessor erit pro ciuibus.Vnde & Domine,iuxta B.Ambrosij vocem, quia nemo habet quod alijs plùs deferat, quàm quod sibi optat: non nos ab illo post mortem separes, quem in hac vita charissimum sensimus : Sed vbi es,nos facis esse simul cum illo vt vel sic eius perpetua visione apud te fruamur in Christo, quem propter te in hac vita charissimum valde dileximus, nunc in pace Christi sepultum.

[e] Vualam, siue Vualachum dicit, qui Adelhardo successit.

[f] Centulense Monasterium.

Exod.17.

2.Mach 15.

LIX. SEPVLTAE[g] sunt autem decenter membra charissimi senis , in Basilica B.Petri Apostoli sub fastigio inter eiusdem medioximæ quatuor Ecclesiæ centra,tectus polito lapide:super quem octonis sculptum versibus mulici carminis haustu dignè legitur:

[g] Vbi eius corpus conditum sit.

Hic iacet eximius meritis venerabilis Abba,
Noster[h] *Adelhardus,dignus honore senex.*
Regia prosapies,paradisi iure colonus:
Vir charitate probus,moribus atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es,quid eris,mors quia cuncta rapit.
Nam post octauas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petiuit ouans.

[h] S.Adelhardi Epitaphium.

Et sunt ibidem perhumati quatuor circumquaque venerandi viri,qui fuerant vno eiusdem officio seruitutis,à Domino propagati.Quod factum non casu contigisse puto : sed vt,quorum vna in Christo fuit militia, post Iesum Crucem sublimius eodem in loco ferre propriam,vnus esset & sepulturæ locus , qui eos duntaxat secundum similitudinem eiusdem Crucis insignius connecteret.Quorum medius senex noster cernitur,super quem signa ad Horas diuini officij pulsantur,vt ex hoc clareat,iuxta quod prouenisse creditur,quia fuerit lingua eius cymbalum sancti Spiritus, & inuitatorium ad diuini operis officium,ibidem dedicatum.Vnde & octoni versus,quòd post octauas Domini obierit,titulantur:quatenus monstretur eum opere consummato,quo dudum omnes inuitauerat,ad octauam Domini, nullo literarum imminuto numero fœliciter peruenisse.

):(

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

AN. 280. MARTYRIVM S. PETRI AVLANI, INTERPRETE ANASTASIO BIBLIOTHECARIO, VT ETIAM AGNOSCIT BARONIVS: HABETUR AUTEM IN VETUSTIS MSS. EXEMPLARIBUS.

3. IAN. [a] S. Petri patria. [b] Constãtia apud præsidem.

IN illo tempore Petrus,[a] qui & Balsamus, cum comprehensus fuisset apud Aulonam ciuitatem tempore persecutionis, cum esset oriundus à finibus Eleutheropolitanæ ciuitatis, oblatus est Seuero præsidi. Seuerus [b] dixit ad eum: Quis diceris? Petrus respondit: Nomine paterno Balsamus dicor: spirituali verò nomine, quod in baptismo accepi, Petrus dicor. Præses dixit: Quod tibi genus est? Petrus respondit: Christianus sum. Præses dixit: Quod officium geris? Petrus respondit: Hoc maius officium habere non possum: & quid esse potest super hoc melius, vt sim Christianus? Præses dixit: Parentes habes? Petrus respondit: Non habeo. Præses dixit. Mentiris, audiui enim te habere parentes. Petrus respondit: In Euangelio mihi præceptum est omnia denegare, cum ad eius nominis venero confessionem. Præses dixit: Nosti præceptum imperiale? Petrus respondit: Ego præceptum Dei mei noui, qui est verus & perpetuus rex. Præses dixit: Præceptum est à clementissimis principibus, vt omnes Christiani aut sacrificent, aut diuersis pœnis interficiantur. Petrus respondit: Et veri perpetuique regis est præceptum, si quis sacrificauerit dæmonijs, & non Deo vero, in perpetuum eradicari. Tu iudica, si verè est in te aliqua iustitia. Præses dixit: Sacrifica dijs, audi me, & comple iussa principum. Petrus respondit: Ego manufactis dijs, ligneis & lapideis, quales vos estis, non sacrifico. I.

Psalm. 113. PRÆSES dixit: Iniuriam nobis facis. Nescis quia potestatem habeo occidendi te? Petrus respondit: Ego iniuriam non facio, sed quod scriptum est in lege diuina, hoc dico. Simulacra, inquit, gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os, oculos, nares, aures, manus, pedes habent: sed de his neque loquuntur, neque vident, neque odorant, neque audiunt, neque palpant, neque ambulant, dicit Dominus: & subsequitur: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Si Dominus per Prophetam & Spiritum sanctum hæc dicit, quomodo tu mihi dicis, quòd iniuriam tibi fecerim, quia dixi similem te lapidibus & lignis mutis & surdis, in quibus dæmonia colitis, & me persuades tibi similem fieri? Præses dixit: Audi me, miserere tui, & sacrifica. Petrus respondit: Tunc mei misereor, si non sacrificauero, & à veritate non discessero. Sed quia infidelis es, & nec mihi credis, nec legi diuinæ, quia qui dæmonijs sacrificat, eradicabitur: & semper mihi hoc ingeris delictum, fac quod tibi iussum est. Præses dixit: Adhuc gero patientiam, expectans vt tecum cogitans, sacrifices & saluetis. Petrus respondit: Superflua tibi persuades, faciam, quod facturus es, & adimple opera patris tui diaboli. Nam & hoc non facturus sum, nec mihi Dominus meus Iesus Christus permittat, quem colo. II.

PRÆSES iussit eum suspendi: cumque fuisset appensus, dixit ad eum: Quid dicis Petre? Sacrificas, an non? Petrus respondit: Iube adhiberi vngulas: ego enim iam dixi tibi frequenter, quòd non sacrifico dæmonijs, nisi soli Deo meo, pro cuius nomine patior. Præses iussit eum fortitet torqueri. Cumq; [c] vexaretur nimium prædicabilis Dei martyr, vocem doloris non dabat, sed tantum psallebat, dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: & itetum dicebat: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hæc eo loquente, amplius excitatus Præses, alios carnifices iussit accedere. Turba verò adstans, cum videret nimium sanguinem currere per pauimentum, doluit, dicens ad eum: Miserere tui, homo, & sacrifica, vt te liberes ab his crudelissimis pœnis. Sanctus verò Dei Petrus respondit: Hæ [d] pœnæ nullæ sunt, nec mihi aliquem incutiunt dolorem: sed si negauero Deum meum, in veras pœnas, & in maiora tormenta perpetua ingressurum me esse cognosco. Præses dixit: Quid dicis Petre? Sacrifica, aut pœnitebis. Petrus respondit: Ego nec pœniteo, nec sacrifico. Præses dixit: Ego sententiam in te infero. Petrus respondit: Hoc est, quod tota auiditate expecto. Tunc Præses dedit aduersus eum sententiam, dicens: Petrum contemptorem inuictissimorum principum propter legem Dei sui, cruci affigi præcipio. Sic [e] quoque venerabilis athleta Christi, complens agonem suum, dignus habitus est passionibus Domini participari. Martyrizatus est autem testis Christi Balsamus, qui & Petrus, apud Aulonam ciuitatem tertio Nonas Ianuarij, sub Maximiano Imperatore, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen. III.

[c] Adhibentur ei tormenta. *Psalm. 26.* *Psalm. 115.*

[d] Contemnit immanes cruciatus.

[e] Cruci affigitur.

AN. 290. IN GORDIVM MARTYREM, CENTVRIONEM CÆSAREENSEM, ORATIO BASILII MAGNI, EIVS INSIGNE MARTYRIUM EGREGIÈ DEPINGENS.

Sub Licinio passus. *Est hom 19.*

3. IAN. NATVRÆ lex est apibus innata, fratres dilectissimi, vt nisi rex prius agmen præcedat, ab aluearibus nusquam discedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad martyres, tanquam ad flores cœlestes exeuntes, & huc frequentes conuenire viderim, quo id duce feceritis, exquiro. Quis ingentem hunc æstum excitauit? Quis hyemalem hanc tristitiam in vernam seueritatem commutauit, vt populus ex ciuitatis ædificijs, tanquam ex apum aluearibus, hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumque martyris stadium confluaret? Quoniam igitur & nos, infirmitatis nostræ oblitos, celebritas martyris excitauit, age & ipsi quoque quantum voce contendere licet, veluti bombantes apes, vernantibus floribus circumfusæ, præclara ipsius gesta personemus: rem quidem piam agentes, simul & gratam ijs qui adsunt. In laude namque iusti populus lætabitur. *Prou. 10 iuxta Lxx.* Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentem huiuscemodi prouerbij sensum sibi velit, mecum ipse cogitabam: an fortè dicat, quòd populus oratione magnifica, ac planè culta rhetoris cuiusdam potentis, quæ auditorum aures demulceat, oblectetur: præterea sermonis ornatum, rerumque inuentionem ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profectò mihi verisimile non videtur, cum ipse nusquam huiuscemodi dicendi genere vsus fuisse inueniatur. Nam & sanctorum memorias, orationis & eloquentiæ fuco prosequi, non fas erat admonere, illi præsertim, cuius scripta sermone simplici, nulloque styli apparatu conspiciuntur. I.

[f] Res gestæ Sanctorum quo fructu commemorentur.

QVIS [f] ergò illorum verborum sensus? Is videlicet, quòd populus spirituali lætitia gaudet, si eorum tantum admoneatur, quæ iusti patrârunt: atque indè ad æmulationem rectè factorum ab ijs, quæ audit, accenditur. Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, velut lucem quandam Dei cultoribus ad virtutis iter ostendit. Quamobrem cũ in sacris voluminibus Moysis vitam, morumque lenitatem, nostræ natutæ magnoperè optatam, narrante Spiritu sancto audimus, statim æmulamur. Quòd si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur, sanctis tantum ad ea, quæ maxima gessere, demonstranda, sat fuerit oratio simplex. Itaque dum vitam eorum, qui in pietate conuersati sunt, exponimus, Dominum cum primis per seruos suos glorificamus: Deinde & iustos ipsos testimonio eorum, quæ scimus, celebramus, & populum per auditum rectè factorum exhilaramus. Ioseph dum audimus aut legimus vitam illius II.

illius assequi castitatem magnopere cupimus. Si verò Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur [a] schola, præcepta rhetorum aut instituta non sequitur: nudam rerum expositionem pro encomijs habet, quam & sanctis, ac nobis satis esse existimat, illis quidem ad virtutis eorum præconium, nobis verò ad imitationis gloriam atque formam. Encomiorum namque lex est, patriæ dignitatem ostendere, generis originem ex alto repetere, educationis incunabula diligentius referre. Nostrum verò dogma hæc tanquam superuacua dimittit, & quæ sunt propria ac vernacula sectatur. Quidnam ego sum melior, si mea ciuitas olim magna bella gessit, aut de hostibus triumphauit? Si eadem optimo sit in loco sita, æstate ac hyeme, cœlique temperie fruatur? Si fertilis est viris gignendis, si ager pascendo pecori sufficiat, si meliores nutriat equorum greges, quàm vsquam reperiantur? Quid, inquam, ista? An ad virtutem commendatiores nos reddere possunt? Nos ipsi profecto decipimus, si in montis cacumine constituti, nubes nos transcendere, ac sublime cœlum nobis cedere videntes, hac de causa nobis aliquid accedere existimamus. Ineptum insuper, si sanctis, qui res orbis vniuersas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus.

Gen 39. Iudic. 13. 14. 15. 16.

[a] Præcepta rhetorum Christianis vbi negligenda.

III. IGITVR [b] nostri tantum causa profectus, sat fuerit illorum celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia, indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor: sic è sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes prouenit vtilitas. Fuerit haud modici momenti, eorum, quę olim gesta sunt, veritatem exactè tenere. Nam obscura quædam fama, viri huius præclara facta conseruans, ad nos vsque venit. Quamobrem pictoribus rectè comparabimur. Illi enim cum ex imaginibus imagines depingunt, vti par est à prima forma plurimum recedunt. Nos item cum rerum gestarum adspectu caruerimus, valde metuendum, ne dicendo rerum veritatem atteramus. Verum quando eius hodie festum celebramus, qui in huiuscemodi die certamen pro Christi nomine subijt, quantum ex eius historiæ notitia deprehendere licebit, enarrabimus.

[b] Sanctorũ memoriã, non illorũ, sed nostri causa celebrandam.

IV. FVIT [c] hic martyr beatissimus ciuis noster Cæsareensis: ex quo non mirum, si nostræ mentis affectus ad eum potissimum dirigitur, quod profecto ad verum ac domesticum nobis facit ornamentum. Nam sicut arbores quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo: sic iste ex nostræ vrbis prodiens vtero, ad summumque gloriæ culmen euectus, patriæ, quæ eum produxit atque aluit, honorem glorioßissimi martyrij tribuit. Iucunda nempe sunt quidem & externa poma, modo sapore delectent: sed longè nostro gratiora gustui propria, quàm peregrina: præterquam quòd & gloriam quandam nobis conferre videntur. Militiam [d] exercuit, in qua locum admodum insignem tenuit, ita vt centum milites eius imperio parerent: quodque animi virtute & corporis viribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur. Ea sanè tempestate, cum *tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumque Deo inimicam aduersus Ecclesiam exerceret, tota *vrbe præconis tuba sonabat, toto foro & per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Christum adoraret: qui verò contra iussa faceret, morte plecteretur. Idola proponebantur adoranda omnibus, lapideaque ac lignea hominum simulachra, pro vero numine colenda: & si qui recusarent, extrema intendebantur. Confundebatur tota ciuitas, quæ rei nouitate attonita, tota tumultuabatur. Christianorum domus singulæ vastabantur. Innocentium facultates diripiebantur. Fidelium & ingenuorum corpora, carnificum manibus discerpebantur. Matresfamilias per vicos trahebantur. Nulla iuuenum commiseratio, nulla senum reuerentia erat. Insontes, noxijs ac maleficis digna patiebantur. Complebantur supra modum carceres, domus insignes & opulentæ vacuabantur. Pleni saltus, plena perfugis loca deserta, ob vnum tantum crimen, quòd Christum colerent. Prodebat patrem filius. Pater filium accusabat. Frater [e] aduersus fratrem insaniebat. Seruus domino insultabat. Adeò diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, vt velut in tenebris agentes, sese minimè cognoscerent. Præter [f] hæc autem, domus orationis, prophanorum manibus vastabantur, aræ sanctissimæ euertebantur, nec erat oblatio vlla, nec thymiama. Diuinæ rei nullus iam locus erat amplius relictus. Cuncta mœror ingens veluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur. Sacer omnis conuentus eladem insolitam expauescebat. Dæmones verò tripudiabant, & nidore ac sanguine victimarum infecta cuncta dabant.

[c] Historia S. Gordij martyris.

[d] Gordius Centurio.

* Galerium Maximianũ intelligit, qui post Diocletianum imperium in Oriente obtinuit.

*Cæsaream dicit.

[e] Inimici hominis, domestici eius

[f] Notẽ hoc loco hæretici aras, oblationem, thymiama, &c.

V. HÆC igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, tantorum malorum exitum præueniens, abiecto militiæ balteo, sponte sibi exilium delegit. Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, seruis, propinquis, amicis, voluptatibus & rebus alijs, quas cæteri maximè appetere, ac magno studio parare solent, ad vasta deserta & hominibus inuia loca contendit: longè secum melius agi putans, si in ferarum receßibus, quàm inter idola vana cum hominibus habitaret, Eliæ prophetæ secutus exemplum, qui cum Sidoniorum conspiceret impietatem quotidiè inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conuersatione, vt Deum quæreret ac videret, abdicauit. Vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spretis omnibus, vrbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtrectatores, ementes, vendentes, peierantes, mentientes, mimos, scurras, cæteroßque huiuscemodi generis homines, quibus magnæ vrbes refertæ sunt, multosque secum, tanquam magnę naues, alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt Insuper visu audituque, ac animo à vitijs purgato & libero, Deum ipsum contemplando videre meruit, tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno vsus præceptore, spiritu veritatis.

3. Reg. 19.

VI. QVAMOBREM [g] secum meditans, quàm sit fallax & inanis vita humana, ac somnij phantasmatis æquiparanda, in supernæ illius vocationis amorem exarsit, ac veluti fortis athleta, sese vigilijs, ieiunijs, orationibus, studijs demum diuinæ eruditionis probè exercitatum, & ad certamen instructum animaduertens, hunc maximè diem obseruauit, in quo frequens ciuitas visendo equestri spectaculo erat intenta: quod hoc in loco ea tempestate in Martis, seu potius furentis bellorum dæmonis honorem celebrabatur: Populus omnis ex edito spectabat, nec vllus deerat: non Iudæus, non gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ negligenter viuebat, & cum vanitatis concilio commixta sedebat, non declinans conuentus malignantium, sed & ipsa tum equorum cursum & aurigarum agilitatem spectabat. Serui eo die ab opere liberi, pueri è scholis spectatum currebant, fœminæ prostitutę ac ignobiles aderant. Plenum erat stadium, & omnis iam turba confederat, equestre certamen videre intenta.

[g] Humanæ vitæ fallacia.

VII. TVNC [h] magnanimus ac fortis heros per montis cliuum in theatrum properans, non populum horruit, non quàm hostilibus se manibus traderet, pensitauit: sed corde intrepido & animo excelso, quasi quædam continua saxa, aut arbores multas, eos qui circa stadium sedebant, prætercurrens, in medio constitit stadio, complens dictum illud: Iustus vt leo confidenter agit. Quid plura? Adeò intrepido excelsoque animo fuit, vt cum in eminentiore theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt, extant adhuc aliqui, exclamauerit; & clarè illud Apostoli ad Romanos dixerit: Ecce inuentus sum ab ijs, qui me non quærunt: his qui me non interrogabant, palam apparui. Quibus sanè verbis se in eum venisse locum significauit minimè coactum, sed vltrò se ad certamen exhibuisse, Saluatoris exemplum secutum: qui cum per aetram noctem minimè videretur, se Iudæis manifestauit. Omnium [i] igitur oculos statim in se conuertit. Erat enim adspectu horridus, & quòd montana diu incoluerat, squalenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore toto aridus, pera præcinctus, baculo innixus. Quæ sanè omnia horrorem quendam vulgo adspicienti incutiebant, simul

[h] Vide admirandam S. Gordijvirtutem. *Prou. 28. Isai 65. Rom. 10. Ioann. 18.*

[i] Nota Lector.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& eum illustrem magnoperè reddebant. Vbi autem quis esset, cognitus fuit, gentilium simul & Christianorum clamor est ortus: his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis verò, qui repugnant veritati, iudicis animum ad eius cædem accẽdentibus, & iam ad mortem cõdemnantibus. Igitur clamor atq; tumultus omnia complebat: equos, currus, aurigas iam despiciebant. Frustra rotarum stridor aërem verberabat: nullus aliud, quàm Gordium videre malebat: nullus quàm Gordium verba sonantem audire studebat. Totum denique theatrum murmure, more venti per aëra sonantis, perstrepebat, & equorum cursum superabat.

VBI verò per præconem silentium imperatum, conticuêre buccinæ, sopitæ fistulæ, varia musicorum instrumenta siluerunt, solus adspiciebatur Gordius, solus audiebatur. Hinc ad præsidis tribunal, qui tum in eodem loco sedebat, certamenque instituebat, confestim adductus & ab eo quisnam, aut cuiâs esset, interrogatus, & patriam & generis & dignitatis locum, quem tenuerat, præterea causam fugæ ac reditus pariter enarrauit. Reuersus [a] sum, inquit, palam ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Iesum Christum spem meam, meumque præsidium profiteor: cumque acceperim te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo voto, maximè idoneum sumpsi. Hic sanè verbis velut ignis ira præsidis accensa, quicquid in eo furoris erat, in hunc subito conuertit. Præsto sint inquit, lictores, flagella, plumbatæ: corpus rotis scindatur, in equuleo suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur. Feroces adsint feræ, igni tradatur, gladio feriatur, in altum barathrum deijciatur. Verum parua hæc omnia viro execrando, digno qui non vna tantum morte intereat. Quin, inquit Gordius, damnum me facere profecto videor, si sæpè varijsque modis extingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus verbis, magisq; se lædi ac sperni ob talem loquendi licentiam existimans, naturali eius feritati vehementer accessit impetus, ac eo truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna videbatur: cum nulla tormentorum ratione, nullis armis à cœpto proposito auerti posset: quin in cœlum oculos attollens, sacra psalmorum carmina decantabat: Dominus mihi adiutor, nòn timebo quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et alia istis germana, quæ de sacris promebat voluminibus, ad animum confirmandum, & in proposito perseuerandum maximè facientia. Tantumque abfuit, vt intentatas horreret pœnas, vt eas vltro in se prouocaret, supplicijque moras vehementer increparet. Quid, inquit, tardatis? Quid statis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur. Denique quodcunque de me supplicium volueritis, sumite. Nolite mihi beatam spem inuidere. Quanto enim mihi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res [b] enim in hac vita aduersæ, nobis apud Deum perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro vinculis & carcere, per ampla paradisi spatia læti vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo & angelis referemus. Minæ vestræ semina mihi sunt diuina, vnde immortalitatem perpetuaque gaudia metam. IIX.

[a] Obserua & hic eius constãtiam

Psalm.17. *Psalm.22.*

[b] Res aduersæ sempiternam conciliant fœlicitatem.

CVM [c] tandem vir beatus hac seueritate à fide obstinata auerti non posset, alia tunc via præses est aggressus. Illecebris, & omni lenitate contaminare conatus est: cum præsertim diabolus hac vti soleat arte, vt timidos metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus præses, vbi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumuenire quærebat. Quamobrem magna se daturum spondebat: quorum alia tunc haberet, alia Imperatorem daturum ei affirmabat, locum inter milites illustrem, facultates, opes, quidquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidem victus, præsidis insaniam ridebat, qui compensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis iræ habenis, furore percitus, ensem vagina diripit, lictorem coram adstare iussit; & manu & lingua nefanda, ad viri damnationem se accinxit. Ad tribunal omnis theatri multitudo conuenit: reliquus verò populus, qui adhuc in vrbe fuerat, prorumpens, ad hoc nouum properauit spectaculum, quod & angeli & homines verebantur: dæmones verò perhorrebant. Quid plura? Concurrentibus eo cunctis, vrbs penè vacua facta est, fluminis instar tota incolarum multitudine extra vrbem ad locum martyrij confluente. Matresfamilias nobiles, ignobiles properabant: domus sine custodibus relictæ; tabernæ negociatorum desertæ, in foro venalia disiecta iacebant. Ex hoc tantum vrbs tuta, quòd omnibus extra mœnia egressis, nemo intus remanserat, qui nefas aliquid perpetrare posset. Serui, ministerio neglecto, auidi spectandi erant. Qui etiam publico non fuerant adsueti, ad virum hunc accurrebant. Virgines tunc primo extra domos prodeuntes, marium vultus conspexêre. Valetudinarij ac senes ipsi quoque extra muros contendebant. IX.

[c] Versutia diaboli.

IN tanto itaque ciuitatis concursu, beatum Gordium, alteram vitam iamiam per mortem corporis spectantem atq; tenentem, necessariorum amicorumque turba circumsistebat, amplectebantur, oscula dabant: demum flentes adhortabantur, ne sese in ardentes flammas conijceret, ne florem proderet iuuentutis, aut æthereas auras, solisque dulce iubar relinqueret. Nonnulli quando à fide omnino auertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum verisimilibus aggrediebantur rationibus, & Christum tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebãt. Non [d] enim Deum verba, sed loquentis animum, inspicere. Hoc fermè modo exasperatum iudicis animum demulceri, & Deum nihilominus propitium posse reddi asseuerabant. At ille tanquam cautes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulsu quassatus, in obstinato cœptoque proposito inexorabilis permansit. Vt enim sapientis domum supra petram ædificatam, vis nulla ventorum, aut imber è cœlo vehemens, nec torrentis impetus quassare potest: ita demum nec preces vllæ, aut minæ constantiam eius in fidem Christi euertere potuerunt. Cumque mentis acies huc illuc circuncursantem diabolum, & eius impulsu ac arte hinc lachrymas oriri, inde vim eloquentiæ, suadendique copiam subministrari animaduerteret, illud Domini verbum flentibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennæ incendia, iramque in die iræ thesaurizantes. Meum solicitare aut emollire animum desinite. Ego enim pro nomine Domini Iesu Christi mille pericula, milleque mortes, si opus foret, adire sum paratus. Alijs verò, qui Christum ore negare adhortabantur, respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, vt suum neget authorem. Corde namque credimus ad iustitiam, oreverò confitemur ad salutem. Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullusne Centurio pius erit? Primi centurionis exemplum succurrat, qui cruci Saluatoris assistens, eius diuinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus, adhuc Iudæis furentibus in cæde, nomen eius palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore subito manifestauit, Vere Dei filius erat iste. Alius item centurio, Christum adhuc in carne existentem, Deum & regem virtutum esse nouit, qui posset solo verbo opem suam per ministros spiritus egentibus adferre: cuius & fidem Dominus Israeli vniuerso prætulit. Cornelius item centurio angelum Domini videre, & per Petrum filius fieri meruit, cuius Dominus preces, sumul & eleemosynas respexit. Horum igitur centurionũ libenter discipulus & imitator esse cupio. X.

[d] Improbum & stultum consilium.

Luc.23.

Rom.10.

Matth.27. *Matth 8.*

Act.10.

NEGE me go Deum meum in cuius cultu sum educatus? Nonne cœlum, sol & astra omnia, lumen mihi clauderent suum? Credam profectò humum, quam pedibus tero, mihi ruituram. Nolite errare. Deus nequaquam irrideri potest. Ex ore nostro nos iudicat. Ex nostris, inquam, verbis nos seruat & damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audiuistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est? Mihi consulitis, vt Deum nosse dissimulem? Quamobrem? Vt vitam prorogem? mortem differam? dies adijciam? At supernæ vitæ lon- XI.

Galat.6. *Luc.10* *Matth.12.* *Matth.10*

longæuos perdam annos. An vt corporis cruciatus effugiam? At sic non videbo bona iustorum. Nam iri perditum dedita opera, & fraude ac dolo sæuas tartari pœnas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo: si malè sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si verò dissimulatis, temporique obsequimini: vos hortor rogoque relicto mendacio, vera loquamini. Dicite, quoniam Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Nam hanc vocem emittet lingua, quando in nomine Iesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Omnes profectò mortis sumus obnoxij, sed non omnes inclytam martyrij mortem sortiuntur. Non [a] igitur naturalem vitæ cursum præstolemur: mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus: cœlestem gloriam violenta immaturaq; morte præueniamus. Velociter ex hac vita, quæ potiùs est interitus longus dicenda, breui quidem labore ad vitam veram cõmigremus. Quid miseri supremum ætatis finem, inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum, hominibus pariter & brutis communem expectatis? Quicunq; enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resoluuntur, aut violento improuisoq; casu aliquo concidunt. Quandò igitur omninò semel è vita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, vt semper viuatis, alacriter assumite, ac vitæ, quam omninò relinquere oportet, nè parcite. Sit pro necessitate voluntas. Quanquàm etiamsi sempiterna essent terrena ista, nihilominùs sic quoq; pro cælestibus commutanda essent. Verùm quoniam fluxæ, fragilesq; sunt, & illorum comparatione magnoperè indignæ: quis furor in his inuigilare, & illorum studio spem illam beatam, credentibus repositam, negligeret?

Philip. 2. Ibidem.

[a] Exhortatio ad martyrium.

XII. Hæc [b] vbi dixit Christi miles, crucis se signo communiuit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: vbi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, vt non lictorum, sed angelorum manibus se committere videretur, qui subitò post interitum, sublimem eum in cælum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, vt vel tonante cœlo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur huius præclari martyrij certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod proculdubiò tale est, vt nec temporis diuturnitas vnquàm abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamuis magnum exuperare valeat. Nam quemadmodum solem quantò magis adspicimus, tantò magis eum admiramur, nec vllo modo assiduitate vilescit: sic & huius viri sanctissimi memoria, quò maiori eam temporis spatio retinemus, eò recentior in nostris animis florer. In memoria enim æterna iustus erit. In terris quidem, dum terra durabit: in cœlis verò apud æquum & altissimum iudicem, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: Cui honor & Imperium in æternæ sæcula, Amen.

[b] Crucis signo se munit.

Psa. 111.

VITA GENOVEFÆ SANCTISSIMÆ VIRGINIS, AN. 440.

EX VETVSTIS MSS. CODICIBVS DESCRIPTA,

mutato stylo, per F. Laurent. Surium.

I. VIRGO sanctissima Genouefa in Nemethodorensi parochia, quæ à Lutetia Parisiorum * quatuor ferè milliaribus abest, Seuero patre, Gerontia matre, progenita est. Ea quantam ab ineunte pueritia Dei gratiam adepta sit, quamq; deuotè & religiosè à teneris annis Deo seruierit, fidelium auditui profectuiq; valitura, vt habet textus historiæ eius, edita in titulis verba testantur. In [c] Britannijs grassante hæresi Pelagiana, acciti sunt ad eam reprimendam præclarissimi antistites Germanus Antisiodorensis & Lupus Trecasenus Episcopi. Illi ergò iam carpentes iter, ad supradictam parochiam tum orandi, tum manendi causa diuerterunt. Occurrit autem illis vtriusque sexûs ingens turba vici illius, benedictionem petens, & inter alios Genouefa quoque adolescentula, parentum vestigijs insistens, illis obuiam processit: quam [d] cum sanctus Germanus procul esset intuitus, nescio quid in ea futuræ gratiæ & sanctitatis, Deo reuelante, præsentiens, mox & nomẽ & parentes eius cœpit inquirere. Cumque circumstantes & nomen & parentes illi indicâssent, sanctus Germanus ait ad parentes: Vestra hæc est filia? Nostra est, inquiunt illi. Et Germanus, Felices vos, ait, tam venerandæ prolis genitores. Deinde abeunt ad Ecclesiam, & persolutis horæ nonæ precibus, sanctus Germanus parentes, vnà cum filia ad hospitium suum ire, puellamque Genouefam postridiè sibi, ante quàm abscederet, maturè adduci iussit.

3. IAN. * *septem.*

[c] Hæresis Pelagiana in Britannia.

[d] Vide vitã S. Germani Antesiodorens. 31. Iulij lib. 1. c. 20. & 21.

II. ITAQVE sole oriente properant cum filia parentes ad Germanum Episcopum: qui eam, præscius futurorum, blandis verbis hortari cœpit ad complectendum vitæ religiosæ propositum. Illa verò se eiusmodi vitæ institutum, paruula quidem ætate, sed nõ infantili sensu, summoperè exoptare respondit. Admiratus autem non mediocriter in tantilla ætate sanctus Pontifex & Dei donum & fidei exordia, in terram defigit obtutus, vidensq; nummum æreum humi iacentem, crucis imagine notatum, eum tollit, atque Genouefę quasi pignus quoddam religiosi muneris donat, præcipiens vt eum perforatum suo collo appensum gestet, nec vllius deinceps metalli, vel margaritarum monilibus ornari se sustineat: vti sic contemptis mundi huius ornamentis, veri nitoris & cœlestis gratiæ pulchritudine possit decorari. Atque ita valedicens ei, & commendans eam parentibus eius, in Britannias profectus est. Deinde post dies aliquot mater eius solenni die ad templum itura, Genouefam somno vacare, ac domi residere iubet. At puella dicens & clamitans, se memorem professionis suæ, velle templum orationis & deuotionis studio adire, cùm eam mater nulla ratione posset repellere, ab illa, ira incitante, in maxillam percussa est, sed non impunè. Nam [e] repentè oculorum priuata lumine, biennio ferè cœca permansit. Sed tandem Deo inspirante reminiscens, quæ de filia sua Genouefa Germanus antistes prædixisset, eam ad se vocans, ait: Quæso, cape vrnam, pergensque ad puteum, adfer indè mihi matri tuæ aquam, quæ orbata lumine, quasi semiuiua esse videor. Itaque Genouefa cum ingenti festinatione abijt ad puteum, impletoq; vase, aquam optatam matri cœcæ obtulit. Mater verò ad cœlum tendens manus, aquam à filia allatam fideliter accepit, oratq; filiam, vt signum crucis super eam exprimat: [f] ac deindè oculos illa illiniens, sentit sibi nonnihil restitutum esse visum: itaq; bis terq; idem faciens, integram se oculorum aciem gratulatur recuperâsse.

[e] Mater Genouefæ fit cœca ob cæsam filiam.

[f] Recuperat visum.

III. POSTEA verò cùm duæ puellæ, quæ eam ætate longè antecederent, vnà cum illa Episcopo consecrandæ offerrentur, ille quoq; nescio quid in ea latentis gratiæ animaduertens, antè alias consecrationi vel benedictioni eam iussit offerri: atq; sic etiam duæ illæ posteriùs consecratæ, ab Episcopi conspectu cum Genouefa pariter abscesserunt. Cum autem parentes eius defuncti essent, matre eius spiritali eam accersiente & adhortante, Parisios commigrauit, vbi illa degebat. Sed [g] cùm eò se contulisset, paralysi correpta est: verùm ex illo morbo Christi gratia ei peculiariùs collata, magis cœpit ad vulgi notitiam propagari: cumq; eius corpus paralysis acriùs sæuiens adeò dissolueret, vt vi noxij humoris populante, nulla prorsus compago suis artubus adhæreret, morbi afflictione vehementer depressa, triduò semianimis iacens, solis genibus, subrubescentibus palpitauit. At [h] vbi corporis incolumitatem, Dei misericordia opitulante, recuperauit, multa quæ in spiritu interim viderat, quibusdam spiritalibus personis indicauit: quæ, ob vitandas incredulorum oblocutiones, & iactantiæ suspicionem, nihil hîc opus est explicare.

[g] Genouefa fit paralytica.

[h] Restituitur sanitati.

IV. ADVENIENTE deinde S. Germano Parisios, iterumq; Britanniam petente, ob tanti pontificis venerationem, omnis populus procul extra vrbem pro fidei deuotione illi processit obuiam. Ille verò mox de Genouefæ vita & actibus cœpit inquirere. Ibi tũ quidam è vulgo, inuidia instigãte, ad loquendũ procaces, [i] ad obtrectandũ promptuli, illustrem

[i] Patitur obtrectatores.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vitæ illius claritudinem suis oblocutionibus & susurris obscurare nitebantur. At S. Pontifex Germanus pontifice digna grauitate illos confestim respuit, in vrbemque ingressus, Genouefæ hospitium sibi indicari petijt: eamque cum summa humilitate & veneratione salutans, vitæ illius rationem vniuerso populo, ita vt in Nemethodoro fecerat, prædicauit. Deinde vrbe egressus, in Britannias suscepto perrexit itinere.

[a] Attila vastat Gallias.

EA tempestate [a] Attila Hunnorum rex prouincias Galliæ immani cœperat populatione vastare. Itaq; Parisienses V. illius vim, furoremq; reformidantes, se vnà cum coniugibus ac liberis fortunisq; suis ad munitiora loca, relicta Lutetia transferre instituebant. Verùm S. Genouefa illorum coniuges magna constantia adhortata est, nè vrbem, in qua & natæ & educatæ essent, ea animi desperatione fractæ desererent, sed potiùs contra hostiles enses & arma se maritosq; suos ieiunijs & orationibus communirent, sicque faciliùs, Deo opitulante, se confiderent euasuras. His auditis, matronæ sanctæ Genouefæ sese consilijs accommodantes, & dies aliquot in baptisterio vigilijs insistentes, incumbunt precibus, spemque suam in Dei misericordia & auxilio reponere constituunt. Illarum quoq; maritos modis omnibus S. virgo admonebat, nè ex desperatione bona sua ex vrbe exportarent, sed potiùs Dominum fideliter deprecarentur, qui ipsos ab impendentibus periculis facilè posset eripere. Porrò vrbes illas, quas tanquam munitiores petere decreuissent, aiebat ab hoste immaniùs & acriùs oppugnatum iri: Lutetiam verò, Deo protegente, nihil mali passuram. Verùm hac occasione incitati ciues quidam Parisienses, cùm sancta & Deo grata virgo publicæ vtilitatis causa nõ cessaret & viros & mulieres adhortari, nõ dubitárunt sacrilegos contra illã inire conuentus, atq; in necem ancillæ Christi sanctè & religiosè viuentis, nefaria conspiratione coniuncti, & pœnas & supplicia illi sceleratissimè velle inferre, q̃ meritò adulteris & flagitiosis hominibus irrogarentur. Cumq; [b] iam de inferenda illi sine cunctatione nece inter se consensissent, sed de mortis genere adhuc tractarent, lapidibùsne obruenda, vel in flumen demergenda esset, atq; hac occasione deliberatum facinus nonnihil suspenderetur: contigit interea Antisiodorensem archidiaconum Parisios subitò aduenire. Qui cùm solicitè quid illic ageretur, inquireret: quid ciues inter se tractarent, agnouit. Tum verò sic illos affatus est: Nolite, ô ciues tantum facinus mente concipere. Hanc ego S. Germanum venerabili voce laudare, & vitæ eius merita prædicare crebrò audiui. Eccè quæ à memorato põtifice per me ad eam allatæ sunt eulogiæ, perspicite. Hæc & id genus plura alia Archidiacono referente, ciuium animi in illum iam magis quàm in sanctam virginem inflamantur: verùm ille eos salubri allocutione compescuit. Sanctus quidem Martin. virtutum ornamentis admirabilis, apud Vangionum ciuitatem à Præfecto militum custodiæ traditus, & altera die inermis hostium exercitui obijciendus, orationum suarum meritis vtriusq; partis fœdus obtinuit. Beatissimus quoque Pontifex Anianus Aurelianensem vrbem, Hunnorum obsidione vallatam, & propè iam arietum ictibus ruentem, à præsentissimo periculo, celeri per preces ad Deum fusas Gotthorum impetrato auxilio, liberauit. Hæc autem virgo Hunnorum exercitum non solùm procùl adhuc manentem in oratione posita præuidit, sed etiam, nè ad Parisientem ciuitatem propiùs accederet, à Deo impetrauit. Non immeritò igitur sanctæ Genouefæ magnæ venerationis debentur officia, cui cum prædictis pontificibus in virtutum meritis quoddam gloriæ consortium esse probatur.

[b] Parisienses moliuntur necem S. Genouefæ.

[c] Victus S. Genouefæ.

CERTE [c] à decimoquinto ætatis suæ anno vsq; ad quinquagesimum, bis in hebdomada exigua cibi sumptione ie- VI.
iunium dissoluit, panis hordeacei duntaxat & fabæ capiens pulmentum, idq; Dominica duntaxat die, & quinta feria. Vinum verò vel quicquid inebriare potest, toto vitæ suæ spatio non bibit. Post annum aũt quinquagesimum episcopis suadentibus, quibus contradicere sacrilegium est, cùm Christus dicat, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: pisciũ & lactis vsum, sed rarò & perparcè admisit. Quotiès ad cælum oculos tolleret, lachrymas fundebat. Comites sanè virgines præclaras has semper habuit, fidem, abstinentiam, magnanimitatem, patientiam, simplicitatem, concordiam, innocentiam, prudentiam, charitatem, veritatem, disciplinam, castitatem, quæ toto vitæ illius tempore perpetuò ei adhærebant.

Luc. 10.

VICVM Catullacens. in quo S. Dionys. post passionem suam sepultus est, grandi ac amore veneratione prosecuta VII.
est. Hic verò beatis. Episcopus, tertio à Lutetia milliari, martyrio vitam finiuit, qui à Clemente S. Petri discipulo fertur ad hæc loca ablegatus. Cupiebat [d] aũt sancta virgo huic sanctis. martyri Dionysio in iam dicto vico basilicam eximij operis construere: sed ob rei familiaris angustiam, voluntati par facultas non aderat. Cùm aũt ad eam presbyteri pro more conuenirent, cœpit cum ijs de construenda basilica conferre sermonem, vt vnusquisque pro viribus & fidei suæ deuotione impendium operi adferret. Illis verò potissimùm causantibus, q̃ ad calcem coquendam deesset facultas, sancta virgo de præpotentis Dei nihil hæsitãs auxilio, solicitè auscultare eos iubet, si quid à prætereuntibus fortassè dicatur. Obtemperant illi protinus, libenter creditura, quicquid hac de re illis ostenderetur: egressiq; foràs stant, indicto silentio, auribus excepturi, quid prætereuntes dicerent. Interim duos inter se fabulcos colloquentes audiunt, quemadmodum alter eorum porcum ob pastum fortassis euagantem solicitè perquirens, calcariam fornacem, eamq; miræ magnitudinis in locis desertis & abditis reperisset: & alter itidèm aliam eiusd. generis fornacem in sylua inuenisset. His auditis, presbyteri præ gaudio lachrymantes, Deo gratias agunt, q̃ famulam suam Genouefam tam eximiæ donogratiæ ditãrit: moxq; audita ad illam referunt. Egressis autem è domo presbyteris, illa fixis humi genibus, sese prosternens, Dominum tota nocte suppliciter obsecrabat, vt tenuitatem virium ipsius ad perficiendum opus, quod illi voluisset, sua ope subleuaret. Expleta verò oratione, cùm dies proximus illuxisset, ad Genesium presbyterum festina accessit, eiq; repertas fornaces ordine enarrauit, inuitans eum ad operis molitionem. At ille diligenter & accuratè se executurum promisit, quicquid ad ipsa iniungeretur. Itaque ciuibus quoque opem ferentibus, adhortante illos sancta Genouefa, beatissimi martyris Dionysij basilica constructa est.

[d] Tractat de cõstruenda S. Dionysij basilica.

[e] Potũ precibus impetrat à Deo.

NEQVE [e] hic silendum putaui, quid miraculum extiterit, cùm eius basilicæ structura attentiùs curaretur. Conuo- VIII.
catis enim artificibus, cædendorum, conuehendorum, dolandorumque lignorum peritis, cùm permulti iam sanctæ virginis inuitatione permoti, ad perficiendam basilicæ fabricam pro fidei suæ deuotione conuenissent, accidit quodã tempore, ignorante S. Genouefa, vt potus propemodum deficeret laborantibus. Abit ergò ad illam Genesius presbyter, vt artifices intentius hortaretur, dum ad vrbem ipse excurreret, allaturus potum necessarium. Illo egresso, sancta Genouefa vas sibi indicari præcepit, vnde hactenùs potus esset hausius: omnibusq; foràs exire iussis, cum lachrymis Dominum suppliciter orauit: vasiq; signum crucis imprimens, id effecit, vt eiusdem generis potu, quo anteà plenum fuerat, ad summum vsque denuò implerum cerneretur, perindè ac si nihil inde exhaustum fuisset: atque etiam ad operis vsq; consummationem artificibus satis abundeq; potus ille sufficeret.

[f] Eius vigiliæ certo tempore.

SOLEBAT [f] virgo sancta in obseruandis vigilijs hac vti deuotione, vt noctem sabbathi vsq; in crastinam lucem, id IX.
est, Dominicum diem, peruigili prece transigeret. Accidit verò, vt ad domesticæ volucris cantum, intempestę noctis iam exacto curriculo, quadam vice è cubiculo suo ad basilicam memoratam accenso præeunte cereo properaret, sed inter eundum nimia ventorum importunitate cereus extingueretur. Cùm verò virgines comites illius, quæ circa illam erãt, in densis illis tetræ noctis tenebris & pluuia, quò irent, aut vbi gressus ponerent, ignorarent, Genouefa virgo è puellæ manu cereum arripuit, moxq; ille vt prius ardere cœpit: quem manu gestans, cum comitibus absq; vlla gressuum titubatione ad basilicam peruenit. Porrò cereus ille à sancta virgine ibidem defixus, eadem flamma, qua accensus fuerat, absumptus est.

Ferunt

X. FERVNT, cùm in cellula sua virgo sancta humi prostrata orationi prolixè incumberet, preceque peracta è terra surrexisset, [a] cereum nullo adhibito igne fuisse accensum : cuius particulas cum permulti fideliter expetijssent, non minimum contra diuersos morbos inde remedium haud difficulter adeptos. [a] Cereus diuinitus accenditur.

XI. MVLIER quædam calceamenta pedum eius furto abstulit, sed mox vt domum redijt, cæcitate percussa est. Vt agnouit ergo, ob iniuriam sanctæ virgini illatam, diuinitùs hanc sibi pœnam irrogatam, ad illam accessit, pronamque se illius pedibus prosternens, veniam petijt, & multùm lamentans, oculorum lumen sibi restitui orauit. At [b] illa miserata mulieris causam, à solo eam leuauit : subridensque ob rei ablatæ vilitatem, oculis eius crucis signum fidenter impressit, & pristini visûs reddidit incolumitatem. [b] Cæcam illuminat.

XII. LAVDVNI quid per eam Dominus operari dignatus sit, ipsius miraculi excellentia non nos patitur silentio præterire. Cùm virgo sancta ad eam vrbem accederet, maxima pars populi in occursum illius properauit. Erant ibi inter alios puellæ cuiusdam parentes, quæ iam nouem ferè annis adeò erat paralysi dissoluta, vt nullis posset membrorum officijs vti. Ad [c] eius ergo lectulum S. Genouefa, parentum flexa precibus, accessit factaq; oratione, cum dissolutos puellæ artus manibus attrectâsset, hoc illi à Domino obtinuit, vt è lectulo, in quo decumbebat, ilicò exurgere, & suis manibus calceos posset induere, seq; vestire, & cum illa, vt iussa erat, ad templum ire incolumis. Quod cum eius loci homines vidissent, vehementi admiratione correpti, præcipua eam veneratione prosecuti sunt, laudes promentes omnipotenti Deo, qui tanta gratia se diligentes dignatur impertire. [c] Curat paralyticam.

XIII. CHILDERICVS [d] rex Francorum, tametsi non esset Christiana religione initiatus, virginem hanc sanctissimam singulari veneratione prosecutus est. Nam cum aliquando quosdam reos capitis pertinaci animi sententia de creuisset occidere, ne S. Genouefæ precibus posset flecti ad misericordiam, ex vrbe egressus, iussit portas occludi. At vbi S. Genouefæ nunciatum est, regem eos necandi gratia extra oppidum processisse, mox illis veniam precatura, festina abijt : atq; adueniente illa ad portas obseratas, confestim ei, stupefactis custodibus, quasi ad quoddam iubentis imperium, reseratæ sunt : sicq; cœptum carpens iter, vbi ad regem peruenit, ne miseri illi capite plecterentur, obtinuit. Ita illi iam iamq; perituri, à præsentissimo mortis discrimine sunt liberati. [d] Childericus rex quãti eam fecerit.

XIV. IN regionibus Orientis fuit vir quidam sanctissimus, nomine [e] Simeon, mundi huius contemptor egregius, qui quadraginta fermè annis in columna extra Antiochiam constitit. Is per mercatores, negociandi causa crebrò venientes, sanctam Genouefam cum multa veneratione salutabat, & vt pro ipso Dominum oraret, sedulò precabatur. Qua ex re videre licet, quam copiosa gratia fideles seruos suos Christus locupletare & augere soleat, vt quos à mutua cognitione longinqui prouinciarum situs, & maxima locorum interualla separant, eos Dei prouidentia interno quodam mentis adspectu inuicem se nôsse faciat. [e] Simeon Stylites per Spiritũ cognouit S. Genouefam.

XV. ADOLESCENTVLA quædam iam nubilis, [f] Cilinia nomine, cuidam puero stipulationum sponsionumq; contractu, siue per sponsalia addicta fuit. At illa petijt à sancta Genouefa, vt religiosi habitûs indumenta ipsi conferret, maritali copulæ & pompæ seculari, religionis decus & virginitatis ornamenta præferens. Quod cùm fama volitante ad sponsi aures perlatum esset, mox ille & amoris & furoris facibus, inflammatus, ad Meldense oppidum, nuptias cum sua sponsa celebraturus, aduenit. Porrò S. Genouefa eius comperto aduentu, cum Cilinia ad templum accessit : & ecce ipsa interiora baptisterij limina, portis vltrò apertis, illis mirabiliter patescunt : sicq; factum est, vt puella mundi huius procellosi naufragia, virginitatis perseuerantia superarit. [f] Puellæ tuetur integritatem.

XVI. OBLATI [g] sunt ei quodam tempore Parisijs duodecim, grauiter à dæmonibus vexati : pro quorum liberatione illa Dominum obnixè deprecante, energumeni vel obsessi illi fermè ad testudinem vsque exiliebant, occulto quodam igne intùs accensi, ita vt non sine intuentium formidine, iam in aëre, nullis adstricta vinculis, corporum moles hæreret pendula, iam vociferantes ceu quodam vinculorum contracti pondere, instar voluminis cuiusdam complicarentur, iam verò resupini aërem brachijs & crinibus verberarent, grauibusq; se vrgeri supplicijs voce lugubri prolixè testarentur. Orante autem sancta virgine, diuerso eoq; inuisibili tormentorum genere torquentur. At cùm oratione finita è pauimento Dei famula surrexisset, iussit eos ad S. Dionysij basilicam properare. Illis verò dicentibus, non se posse eò proficisci, nisi ab ipsa soluerentur, signo crucis eis impresso, iussit vt eò abirent : & nè corpora læderentur, illuc duntaxat, quò iussi erant, vt irent, dimissi sunt. Quò cùm peruenissent, sancta virgo, sexûs fœminei tarditate impedita, post duas horas illos subsecuta est : cumque ibidem pro eis, martyris Christi freta solatio, orationi, in terram more suo prostrata, diù cum lachrymis insisteret, & pia fiducia Dominum obsecraret, totum illum à dæmonibus obsessorum gregem sanitati restituit, immundis spiritibus profligatis, adeò vt illorum abscessum non solum oris querimoniæ, sed etiam teterrimus fœtor, testarentur. [g] Duodecim obsessi liberantur.

XVII. MVLTA [h] flagitia quorundam hominum, habitu duntaxat, non etiam vita & moribus, religionis propositum præ se ferentium, cognouit Domino reuelante, quæ illi existimabant alios penitus latére : atq; ob castigandam eorum impudentiam, quædam in publicum protulit : sed ea, ne honestas aures offendamus, tacita præterire maluimus. [h] Nouit occulta hominum peccata.

XIIX. ERAT [i] apud illam fœmina quædam, quam ab immundi spiritûs vexatione liberauerat. Habebat illa filiolum quadrimum, qui cùm more puerorum temerè luderet, præceps in puteum ruit, & in ima demersus est. Eum verò mater post trium ferè horarum spatium extractum è puteo, miserabiliter complectens, ante pedes sanctæ virginis, scissis genis, deposuit. At illa corpus exanime & rigidum pallio miserata contexit, omnipotentemq; Dominum pulsare precibus & lachrymis non prius destitit, quàm victrix & triumphatrix, orationum vi mortem profligaret, & filium matri viuum restitueret. Erant tum Quadragesimæ dies, & puer adhuc Catechumenus, de fide instituebatur, vt in Paschatis vigilia baptismatis yndis expiaretur. [i] Excitat puerum mortuum.

XIX. IN Meldensi oppido, cùm gratiæ huius fama sparsa esset, quidam ei occurrit cubito tenùs, neruis obrigescentibus, manûs officio destitutus, petens obnixè, vt precum suarum suffragio, huius ab ipso morbi detrimenta depelleret. Tum illa membrum debile manu sua cruce consignans, hominem sanum à se dimisit.

XX. A sancto Epiphaniæ die vsq; ad cœnam Dominicam, intra cellulæ suæ penetralia virgo sancta omnipotenti Deo, cui se vouerat, secretius inseruiebat, orationibus & vigilijs intenta. Quædam autem mulier, curiosa potiùs quàm religiosa, cùm quidnam ageret, explorare vellet, atque ea causa ad eius cellulam propiùs se admouisset, statim oculis captam se sensit, improbi conatûs pœnas luens. Sed sancta virgo, [k] expleto suæ consuetudinis officio, postquàm è cella prodijt, precum suarum intercessione lumen amissum reformauit. [k] Cæcam illuminat.

X XI. PARISIENSES post diuturnum belli grassantis excidium, cùm aliquot annis graui obsidione pressi fuissent à Francis, durissima fame afflicti sunt. Nam illa anterior belli sæuientis immanitas, quæ extra vrbem erant sita, vastauerat : at posterior clades ipsa hominum viscera depascebat. Tanta igitur miserorum calamitate permota beatis. Genouefa, nauim conscendit, vt aliundè afflictis ciuibus alimoniam compararet : cumq; Sequanam fluuium nauigaret, & aduerso superato flumine ad locum quendam peruenisset, in quo arbor excreuerat, quæ in ima propendentib. ramis, naues quasdam pernicioſi gurgitis præcipitio implicuerat, præcepit nautis, vt ad ripam nauigium appellerent egressaque è naui, dum inter se cõsultarent nautæ, qua ratione [l] arborem illam posset excindere, ad solita orationis præsidia, quorũ efficaciam iam crebrò esset experta, confugit. Ita factum est, vt nullo ferè securium ictu verberata, arbor radicitùs euellere- [l] Arborem nauiganti-bus exitio-sam precibus suis excidit.

uelleretur, non verens precum illius vim, nec illum deinceps naufragij periculum illàc nauigantes incurrerent. Exiliêrunt autem, vt fertur, ex eius arboris sinu duo angues immensæ magnitudinis, versicoloribus squamis, odoris teterrimi. Cæpto deinde itinere pergente S. Genouefa, iam ad vrbem, quò tendebat, eam fama velox anteceſſerat: & ecce obuiam illi procedit tribunus quidã Passius nomine, cuius vxor annis aliquot paralytici humoris pondere, & pedum inceſſu, & membrorum oĩm vſu ſic fuerat priuata, vt corpore velut præmortuo, anima tantùm quodam hoſpitij iure in illo demoraretur, membris ſuum officium fãcere prorſus recuſantibus. Ad cuius lectum S. Genouefa mariti eius precibus perducta, excluſis turbis, [a] ad deprecandum Dñm ſe cõtulit, humum lachrymis infundens: ac deinde mulier, crucis ſigno ab illa conſignata, membris reſtitutis, è lecto mox ſurrexit incolumis. His ea in vrbe, non ſine ſingulari Dei gratia virtutibus perpetratis, Trecas profecta eſt, vbi cœcos, & perplures alios, diuerſorum morborum ac febrium cruciatibus penè exanimes, ſigni crucis impreſſione ſanauit. Ex ea aũt vrbe rurſus ad priorem illam reuerſa eſt: vnde cum frugibus comparatis onuſtisque nauibus Pariſios repeteret, ſubita vi turbinis naues eius inter rupes & arbores impelluntur, ita vt non multum à ſubmerſionis periculo abeſſe viderentur, vndarum impetu in eas irruente. At illa ſublatis in cœlum manibus, in tanto periculo diuinum popoſcit auxilium: ſtatimq; naues omnes, quæ ſimul erant vndecim, Deo miſerante, ſanctæ virginis precibus inde reuocatæ, cœptum iter felici curſu peragunt. Tunc Boſſus presbyter, & alij, qui in nauibus erant, canticum Exodi pro gratiarum actione cum ingenti lætitia cecinerunt, dicentes: Adiutor & protector factus eſt nobis Dominus in ſalutem. Denique Lutetiam proſpero curſu perueniunt, ciuesque fame confectos & decolores, ad priſtinum corporum ſtatum & robur, alimentorum ſuppeditatione reduxit.

[a] Paralyticã ſanat.

Exodi 5.

SPEM ſuam ſancta virgo non his quæ videntur, ſed quæ non videntur, collocârat, ſciebatq; non fallaciter dictum à Sapiente: Fæneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Et quia olim in ſpiritu viderat patriam illam, vbi talium repoſitus eſt theſaurus, ſine intermiſſione orans, flere ſolebat, ſciens ſe in corpore poſitam, peregrinari à Domino. XXI.

Prou. 19.

DEFENSOR quidam, ex Meldenſi oppido, [b] Prominius nomine, annis aliquot nullos auribus ſonos aut voces percipere poterat. Is Pariſios ſalutis conſequendæ cauſa aduenit: accedenſque ſanctam virginem, poſtquàm aures eius ab illa ſignatæ & manibus contrectatæ fuêre, auditum ſibi ſenſit inſtauratum. XXII.

[b] Surdo auditum reparat.

ALIQVANTO pòſt virgo Chriſti Genouefa Turones proficiſcens, Aureliam fortè venit. In ea ciuitate quædam materfamilias, Fraterna nomine, filiam ſuam Claudiam, propè iam exanimem, cum tota familia mœſtiſſimo vlulatu plorabat. Vt autem rumor ad eum perlatus eſt de aduentu ſanctæ virginis, feſtina ad illam accurrit, atque in S. Aniani baſilica pedibus illius ſe aduoluens, orat vt filiam ſuam incolumem ſibi reſtituat. Ad quam Genouefa, Surge, inquit, & flere iam deſine. Nam omnis ille febrilis ardor, filiam tuam vaſtans, [c] diuina miſeratione extinctus eſt. Cumque ad Fraternæ ædes è baſilica ambæ pariter aduenisſent, Claudia eis ad oſtium incolumis ſuis pedibus obuiam proceſſit. Quòd cùm vidiſſent turbæ, Deum magnificauerunt. XXIII.

[c] Iam penè exanimem reddit vitæ.

IN eadem vrbe cuidam domino pro ſeruo culpæ obnoxio fertur ſupplices obtuliſſe preces: ſed cùm ille pertinaci obduratus inſania, ad preces ſanctæ virginis ſeruo veniam dare nollet, illa ſic ei dixiſſe fertur: Si tu me orantem deſpicis, non me deſpiciet Dominus meus Ieſus Chriſtus. Et ecce ſubitò herum illum domum reuertentem, mortifera febris corripit: iamq; magnis in lectulo exagitatus ardoribus, ad pedes tandem S. Genouefæ ſpumans & æſtuans abijcitur, veniam petens. At illa, vt erat mitiſſima, pro illo Dominum obſecrauit, precibusq; ſuis & herum ab illa moleſtiſſima vexatione liberum, & ſeruum à culpæ admiſſæ animaduerſatione immunem reddidit. Poſt hæc Turones ire pergit: cumq; labentibus carinis, prona Ligeris terga remorum quaterentur crebrò repetitis ictibus, multa in illo itinere impedimenta & incommòda ei obijcere conatus eſt malignus diabolus. Sed illa protectione munita altiſſimi, ſui itiris aduerſarium & inſidioſum perturbatorem, nihil læſa, facilè ſuperauit. Vt autem ad portum vrbis Turonicæ acceſſit, egredienti è naui occurrit immundiſſimorum dæmonum in ænergumenis ſcelerata multitudo: eamque ad Baſilicam euntem eminùs antecedens, vociferando querebatur gemino ſe torqueri incendio, eò quòd ob venerationem ſancti antiſtitis Martini, aulam eius introiret. [d] Multos ibidem tunc, dum ſancti ſacerdoti officium venerationis perſoluit, immundo ſpiritu vexatos, orationum & virtutum ſuarum meritis ſanos reddidit: quorundam etiam primariorum ciuium coniuges, eadem moleſtia infeſtatas, quas in publicum prodire non ſinebat maritorum erga illas amor & affectus, ab ijſdem orata maritis, per domos viſitauit, & ſimul atque limen ædium attigit, fuſa prece, oleoq; benedicto adhibito, nequiſſimos ſpiritus confeſtim abire compulit. XXIV.

[d] Multos ejicit dæmones.

ACCIDIT [e] quandoque, vt ſtans in oſtio domûs ſuæ, puellam quandam per plateam cerneret ampullam cum liquamine, quod erat mercata, deferentem: ſed ſimul in ampullæ eius ore conſpexit nequiſſimum illum ſpiritum, & humani generis aduerſarium inſidentem. Rogata igitur ab illa, manu ſua ampullam contigit, crucisq; impreſſione ſignauit: moxq; inſidiator ille à creatura, cui ſe inſeruerat, eiectus, ablato ſecum oris ampullæ fragmento, abſceſſit: & licèt intra ampullæ eius clauſtra ſe aſtutè admodum verſipellis ille occultatum putaret, attamen à Dei famula deprehenſus eſt, & nè nocere poſſet, ab illa fugatus euanuit. XXV.

[e] Fugat nequiſſimum ſpiritum.

QVIDAM [f] puerulus nomine Meroneus, cœcus natus, ſurdus & claudus, ad ſanctam virginem obtinendæ ſalutis cauſa Pariſios à parentibus eſt allatus: qui ab ea benedicti olei vnctione deliburus, & cruce ſignatus, videns, loquens, ambulans, audiens, integram adeptus ſanitatem, cum parentibus domum ſe recepit. XXVI.

[f] Puerum cæcum, ſurdum, & claudum ſanat.

ACCIDIT in Meldenſi territorio, vt cum collectis meſſoribus culmos ſpicarum truncaret, ſubitò effuſus imber ingrueret. Tum illa cõturbatis operarijs, tentorium ingreſſa, orationi ſe dedit, humi more ſolito proſtrata. Itaq; [g] multorum agros circumcirca iacentes, imber largus infudit, intrà illius verò agri ambitum ne gutta quidem vlla è nubibus diſtillauit: ſicque meſſores illi, ingenti admiratione correpti, cœptum opus abſque vlla pluuiæ infeſtatione conſummârunt. XXVII.

[g] Pluuiam auertit.

DÆMONIACVS quidam, impetrandæ ſanitatis cauſa, ad S. Genouefam à parentibus cum multo gemitu & lachrymis perductus eſt. Tum illa ampullam ſibi adferri iuſſit, in [h] qua ſacratum oleum aſſeruare ſolebat. Accidit autem, vt nihil eius olei id temporis ampulla haberet, nec Epiſcopus aderat, qui oleum ſacraret. Illa igitur hæſitante quidnam ageret, ad precandum Dominum humi proſternitur: cumq; prolixæ orationis officium, diù terræ affixa, fideliter implêſſet, ampullam inter manus ſuas oleo plenam conſpicit: atque ita ſub vnius horæ momento, & de obſeſſi hominis emundatione, [i] & de olei collatione, remunerante Chriſto, gratiam geminæ virtutis emeruit. Ego verò poſt tricenos (aliàs, ter ſenos) ab obitu eius annos, quo tempore ad eius conſcribendam vitam animum appuli, in imo ampullæ oleum, quod illa orante creuerat, vidi. XXVIII.

[h] Sacro oleo pellit dæmonem.

[i] Notatem pus quo author hæc ſcripſit.

TANDEM felici curſu longa vitæ ſpatia emenſa, laudabiliter diem clauſit extremum tertio Nonas Ianuarias. Vixit annos ampliùs octoginta, peregrina mundo, venerabilis populo, deuota Chriſto. XXIX.

QVIDAM puer, nomine Prudens, morbo calculi adeò vexatus fuit, vt vitam eius parentes deſperarent: ſed cum ad tumulum ſanctæ virginis cum gemitu & lachrymis morbi ſui curationem peteret, calculus eodem die ab illo egreſſus eſt, nec eius vlteriùs moleſtiam perſenſit. XXX.

[k] Gotthus contractus ſanatur.

[k] GOTTHVS quidam die Dominico laborans, vtraque manu contractus eſt. Itaque tota nocte orans ad ſepulchrum ſanctæ virginis, poſtera luce incolumis abſceſſit. Erat id temporis ſuper eius monumentum extructum ligneum XXXI.

oratorium: verùm glorioſæ memoriæ Clodoueus rex, qui ob eius amorem, in carcerem retruſis ſæpè veniam dederat, & ob diuerſa crimina animaduerſione digniſſima capite plectendos, in ipſo propè carnificis ictu, ſupplicante pro eis Genouefa, abſoluerat, baſilicam mirabili opere extruendam ſuſceperat, ſanctæ virginis adhortationibus permotus, quæ poſteà, illo è rebus humanis excedente, ſtudio illuſtriſſimæ Clotildis reginæ, coniugis eius, mirificè exædificata & ornata, in ſublime creuit faſtigium, triplici porticu inſignita. Oremus ſine intermiſſione virginem ſanctiſſimam, vt oret Deum pro peccatis quæ admiſimus, impetret mortalibus cibum & mentis & corporis, vt indiuiduæ Trinitati reconciliati, exultemus in ſplendoribus ſanctorum, & magnificemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt honor, gloria, imperium, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen.

ACTA THEOGENIS MARTYRIS SVB LICINIO, EX MOMBRITII TOMO SECVNDO.

AN. 300.

I. SVB Licinio comprehenſus eſt Theogenes, qui filius erat Epiſcopi & productus eſt ad Legionem, quæ dicebatur Secunda Troiana, [a] quæ conſidebat in Cyzico, quæ eſt prima ciuitas Helleſponti, iuſſuſque eſt extendi à quatuor palis in terra fixis, cædique fuſtibus; mutatiq; ſunt ſuper eum decemocto centuriones & omnes fuſtes confracti, hic autem paſſus eſt quia militare nolebat. 3. IAN. [a] Theogenis martyrium.

II. DEINDE publicè extenſus eſt in media ciuitate circa horam nonam. Tranſiens autem illac optio legionis dicebat ei inſultans: Vbi eſt Deus tuus & Rex cui militas? Si haberem poteſtatem, gladio de te partes facerem. Ad quem ſanctus: tu nihil mihi potes facere. Sed [b] venient dies, cum tua & tribuni tui crura frangentur: & corpora veſtra à feris & auibus conſumentur: & Rex tuus poſt modicum concidetur à perſequentibus: & omnes ex vobis qui Regi meo non credunt, peribunt. [b] Eius præſagium.

III. TVNC præcepit eum Tribunus mitti in carcerem & in neruo extendi, quatuorque clauis configi, & conſignauit carcerem; vbi Sanctus à ſancto Spiritu paſcebatur. Nam [c] aſtitit ei Dominus dicens: Theogenes conualeſce, ego ſum, & non accipias eſcam ab hominibus his, eſt enim incorruptibilis eſca in cœlis. [c] Cœlitus paſcitur.

IV. RECEDENTE autem Domino pſallere cœpit: Accurrentes verò cuſtodes ad oſtium, viderunt illud clauſum, & populum multum in albis veſtibus cum eo pſallentes, & renuntiarunt Tribuno, qui iuſſit multitudinem armatam ſtare ante carcerem, multos putans cum eo eſſe Chriſtianos, & neminem inueniens præter eum: iuſſit [d] ei dari panem & aquam: qui noluit accipere, dicens: Rex meus paſcit me, & annonam eius accipio quotidiè; reſcripſitque hæc Tribunis Sicinio. Ille autem iuſſit eum iactari in mare, & corpus eius non colligi. [d] Cibum ſumere recuſat.

V. EDVCTVS autem è carcere vultum habebat & omne corpus ſanum & innouatum quaſi à balneo exiret. Veniens autem ad mare petiuit ſpatium orandi, orauitque per tres horas & facta eſt lux magna ſuper eum, cuius fulgore oculi nautarum & militum excæcati ſunt, ne viderent angelos ſibi colloquentes, quorum tamen voces audiebant, & adiurauit eos dicens, quod iuſſum eſt vobis facite. Veruntamen credite in Deum & habebitis vitam æternam, [e] qui miſerunt eum in mare triſtes, & reuerſi crediderunt in Chriſtum & cum eis multi. [e] Proijcitur in mare & martyrium cõſummat. Vide Bar. an. 116.

VI. POST [f] dies nouem facta eſt pugna contra Licinium, & ex illa legione quicunque non crediderunt, gladio cecide-runt, pro quo facto Licinius iuſſit Tribuni & optionis crura confringi, ſicut ſanctus Theogenes prædixerat. Collegerunt [g] autem fideles viri corpus martyris, & poſuerũt illud in loculo, tuleruntq; noctu & ſepeliuerunt illud iuxta muros ciuitatis in villa Adamanti fidelis viri in Epogio. Fuit autem ſanctus Theogones in carcere dum exſpectarentur relationes dies nouem, nihil omninò cibi vel potus accipiens. Huius martyrium annotatur tertio nonas Ianuarias. [f] Præſagium eius exitus ſortitur. [g] Corpus eius ſepelitur. 3. IAN.

DE S. QVINTINI INVENTIONE, VIDE LECTOR HISTORIAM IPSIVS S. QVINTINI, QVAM *habes 31. Octobris ſub finem, & vitam S. Eligij Epiſcopi cap. 6. lib. 2. Decemb. 1.*

VITA S. GREGORII LINGONENSIS EPISCOPI, GREGORIO TVRONENSI AVTHORE, LIBRO *de Vita Patrum, cap. 7.*

AN. 510.

I. GREGIÆ ſanctitatis viri, quos palma perfectæ beatitudinis à terris eleuans euexit ad cœlos, ij ſunt, quos aut non fictæ charitatis vinculum ligat, aut eleëmoſynarum fructus ditat, aut flos caſtitatis adornat, aut martyrio agonizatio certa coronat. In quibus [h] ad inchoandum perfectæ iuſtitiæ opus illud fuit ſtudium, vt in primis corpus ſine macula præparatum habitaculum Spiritui S. præberent, & ſic ad reliquarum virtutum excelſa contenderent, atque ipſi ſibi perſecutores facti, dum in ſe ſua perimerent vitia, tanquàm martyres probati, peracto curſu agonis legitimi, triumpharent. Quod tamen nullus ſine Dei ope valebit efficere, niſi Dominici adiutorij protegatur vel parma, vel galea. Itaque quod egerit, non ſui, ſed diuini nominis gloriæ deputet, iuxta illud Apoſtoli: Qui gloriatur, in Domino glorietur. In hoc enim & B. Gregorius omnem gloriam contulit, qui de excelſa Senatorij ordinis potentia, ad illam ſe humilitatem ſubdidit, vt omnis ſeculi curis abiectis, ſoli ſe Deo dicaret, quem in pectore retinebat. 4. IAN. [h] Studium cõtinentiæ in ſanctis. 1 Cor. 1. 1. Cor. 10.

II. IGITVR S. Gregorius ex ſenatoribus primis benè literis inſtitutus, Auguſtodunenſis ciuitatis Comitatum ambiuit. In Comitatu autem poſitus, regionem illam per quadraginta annos iuſtitia comitante correxit, & tam ſeuerus atque diſtrictus fuit in malefactoribus, vt vix eum vllus reorum poſſet euadere. Coniugem de genere ſenatorio habuit, Armentariam nomine, quam ad propagandam generationem tantùm dicitur cognouiſſe, de qua & filios, Domino largiente, ſuſcepit. Aliam verò mulierem, vt iuuenilis aſſolet feruor inardeſcere, non contigit.

III. POST mortem autem vxoris ad Dominum conuertitur, & electus à populo, [i] Lingonicæ vrbi Epiſcopus ordinatur. Cui magna fuit abſtinentia, ſed ne iactantia putaretur, occultè ſubcinericeos panes ex hordeo alijs triticeis ſupponebat, quos frangens egenis erogabat, ipſe verò clàm hordeaceos, nemine intelligenre, comedebat, ſimiliter & de vino faciens. Nam dum aquam ei pincerna porrigeret, ad diſſimulandum, aquam aliam deſuper effundebat, tale vitrum eligens, quod claritatẽ aquę obtegeret. Iam [k] in ieiunijs, eleemoſynis, orationibus atq; vigilijs tam efficax, tamq; deuotus erat, vt in medio mundi poſitus, nouus effulgeret eremita. Nam cùm apud Diuionenſe caſtrũ moraretur aſſiduè, & domus eius Baptiſterio adhæreret, in quo multorũ ſanctor. reliquiæ tenebantur, nocte de ſtratu ſuo, nullo ſentiente, conſurgens ad orationem, Deo tantùm teſte, pergebat, oſtio diuinitùs reſerato, attenteq; pſallebat in baptiſterio. Sed cùm hoc multi temporis ſpatio ageret, res tandem ab vno Diacono cognita & manifeſtata eſt. Is enim cùm cognouiſſet hæc agi, à longè ne eum vir beatus ſentire poſſet, proſequebatur, & quid ageret, ſpectabat. Aiebat autem Diaconus, quòd cùm veniret ſanctus Dei ad oſtium baptiſterij, pulſaretq; manu propria, oſtium nemine comparente aperiebatur, illoque ingrediente, diutiſſimè ſilentium erat, poſteà pſallentium, tanquàm multarum vocum ſonus, per trium horarum & ferè ampliùs ſpatium audiebatur. Credo ego, quòd cùm magnorum ſanctorum in eodem loco haberentur reliquiæ, ipſi ſe beato viro reuelantes, laudem Domino in commune redderent. Implere autem curſu, reuertens ad lectulum, ita ſe cautè ſuper ſtratum deponebat, vt prorſus nemo ſentiret. Obſeruatores verò oſtium baptiſterij [i] S. Gregor creatur Lingonenſ. Epiſc. an. 509. ex computatione Baronij. [k] Virtutum eius catalogus.

ptisterij obseratum inuenientes, claue sua solita aperiebant. Commotoq; signo, sanctus Dei, sicut reliqui, nouus ad officium Dominicum consurgebat. Cùm energumeni eum in primo die Episcopatus sui confiterentur, rogabant eum Presbyteri, vt eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter, nè vanam incurreret gloriam, refugiebat, clamans indignum se manifestandas virtutes Dominicas esse ministrum. Sed tamen quia diutiùs hoc dissimulare non potuit, adduci eos ad se iubens, sine vllo tactu, facto [a] tantùm signo Crucis è contrà, verbo dæmonia discedere imperabat. Quod illa protinus audientia, corpora, quæ nequitia sua diuexârant, absoluebant. Et illo absente, multi cum virga, quam in manu ferre solitus erat, suspensos atq; signatos energumenos liberabant. Nam [b] & de stratu eius si quis ægrotus quippiam abstulisset, erat præsens medicamentum.

[a] Signo crucis & verbo dæmonia eijciebat.
[b] Nota Lector.

ARMENTARIA autem neptis eius, cùm grauiter quodam tempore in adolescentia sua à quartano fatigaretur incõmodo, ac medicorum studio plerumque fota, nullum posset sentire leuamen, & ab ipso confessore beato sæpiùs, vt orationi insisteret, hortaretur, quadam die lectum eius ipsa petijt: in quo posita, ita febris cuncta restricta est, vt nunquam ea deinceps ægrotaret. IV.

BEATVS [c] autem Gregorius cùm per diem sanctum Epiphaniorum ad ciuitatem longinquam ambulâsset, à modica febre pulsatus, relicto seculo, ad Christum migrauit. Cuius beata facies ita erat glorificata post transitum, vt rosis similis cerneretur, hæc enim apparebat rubea: reliquum verò corpus tanquam candidum lilium refulgebat, vt æstimares eum iam tunc ad futuræ resurrectionis gloriam præparatum. Quod deferentes ad castrum Diuionense, vbi se iusserat tumulari, in planitie illa, quæ à parte aquilonis habetur, haud procul à castro aggrauati gestatores, non sustinentes feretrum, solo deposuerunt, ibiq; parumper resumentes vires, & post paululum eleuantes, ad intramuraneam eum Ecclesiam detulerunt. Aduenientibus [d] autem quinta die Episcopis, ab Ecclesia ad basilicam B. Ioan. deferebatur. Et ecce vincti carceris ad beatum corpus clamare cœperunt, dicentes: Miserere nostri, pijssime Domine, vt quos viuens in sæculo non absoluisti, vel defunctus cœleste regnum possidens, digneris absoluere: visita nos, quæsumus, & miserere nostrî. Hæc & alia illis clamantibus aggrauatum est corpus ita, vt ipsum penitùs sustinere non possent. Tunc ponentes feretrum super terram, virtutem beati antistitis præstolabantur. His ergo expectantibus, subitò reseratis carceris ostijs, trabes illa, qua vinctorum pedes coarctabantur, repulsis obicibus, scinditur media, confractisq; catenis, omnes pariter dissoluuntur, & ad beatum corpus, nemine retinente, perueniunt. De hinc eleuantes feretrum gestatores, ij inter reliquos obsequuntur, qui à Iudice posteà sine damno aliquo sunt dimissi. Post hæc beatus confessor multis se virtutibus declarauit. Aiebat enim quidam religiosus, cœlos se apertos in die eius sepulturæ vidisse. Nec enim ambigitur, quin post actus angelicos sidereis sit cœtibus aggregatus. V.

[c] Moritur an. 541. ex calculo Baronij, 32. Episcopatus sui anno.

Magnũ miraculum per inuocationem sanctorum.

VINCTVS quidam per viam illam, qua beatum corpus à Lingonis est exhibitum, ad antedictum castrum adducebatur. Cumque milites cum equitibus præcedentes, post terga traherent vinctum, ad supradictum locum, vbi beati confessoris artus quieuerant, peruenerunt: quem dum præterirent, vinctus, inuocato nomine beati antistitis, petijt vt eum sua misericordia liberaret. Quo orante, laxati sunt laquei de manibus eius: sed sentiens se solutum, non id euulgauit, coopertisq; manibus, putabatur adhuc esse ligatus. Ingressi autem portam castri, cùm ad atrium peruenissent, hic exiliens, & corrigiam ligaminis trahentium in manu tenens, cum auxilio omnipotentis Domini, & obtentu beati Pontificis liberatus est. VI.

ADMIRABILE autem est & illud miraculum, qualiter [e] beatum corpus eius, cùm post multa tempora transferretur, apparuit gloriosum. Cùm enim beatus Pontifex in angulo basilicæ fuisset sepultus, & paruus fuisset locus ille, nec eò populi sic possent accedere, vt deuotio postulabat, sanctus Tetricus filius & successor eius hæc cernens, & virtutes ibidem assiduè operari prospiciens; antè altare basilicæ fundamenta iacit, erectamque absidem miro opere construit, & transuoluit. Ea verò transuoluta, disruptoque pariete, arcum ædificat. Quod opus cùm esset perfectum atque exornatum, postquam in media abside loculum fodit, quò corpus beati Patris transferre volebat, conuocat Presbyteros & Abbates ad illud officium. Qui vigilantes orabant, vt se beatus confessor ad hanc sibi præparatam habitationem transferri permitteret. Manè autem facto, cum choris psallentium apprehensum sarcophagum, ante altare in absidem, quam beatus Episcopus ædificauerat, transtulerunt. Quod sepulchrum dum diligenter componunt, subitò, &, vt credo, ad Dei iussum, opertorium sarcophagi motum est in vna parte, & ecce apparuit beata facies eius ita integra & illæsa, vt putares eum non mortuum esse, sed dormientem. Sed [f] nec de ipso vestimento, quod cum eo positum fuit, aliquid ostensum est diminutum. Vndè non immeritò apparuit gloriosus post transitum, cuius caro non fuit corrupta ludibrio. Magna est enim corporis & cordis integritas, quæ & in præsenti sæculo præstat gratiam, & in futuro vitam largitur æternam. De qua Paulus Apostolus ait: Pacem sequimini & sanctificationem, sine qua nemo videbit regnum Dei. VII.

[e] Corpus eius post multos annos quale fuerit.

[f] Item vestis

Hebr. 12.

PVELLA quædam die Dominico dum suum caput componeret, pecten apprehensis manibus eius, credo ob iniuriam diei sanctæ, adhæsit ita, vt affixi dentes tam in digitis, quàm in palmis magnum ei clamorem inferrent. Quæ cùm basilicas sanctorum flens atque obsecrans circuiret, ad sepulchrum B. Gregorij antistitis, in eius virtute confisa, prosternitur. Cumque diutissimè beati confessoris præsidium flagitâsset, directa manus eius ad opus priftinum, pectine decidente, reducitur. Sed & energumeni eum confitentes, ad eius sepulchrum sæpe purgantur. Nam plerumque vidimus post eius transitum, virgula, cuius supra meminimus, quam manu gerebat, per parietes ita eos affixos, vt putares illos validis atque acutissimis sudibus retineri. Multa quidem de eodem gesta cognouimus: sed ne fastidium incitarent, de pluribus pauca perstrinximus. Obijt autem tricesimo tertio Episcopatus sui anno, ætate nonagenaria: qui se virtutibus manifestis sæpiùs declarauit. VIII.

[g] Videquo. modo confugientes ad sanctorũ sepulchra, sanentur.

AN. 730. VITA S. RIGOBERTI, REMORVM ARCHIEPISCOPI, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM EX MSS. CODICIBVS, *mutato stylo, paraphrasticẽs descripta.*

4. IAN.

IN EMPORIBVS Childeberti, Dagoberti, & [h] Chilperici regum Franciæ, extitit vir DEI Rigobertus, quem quidam Robertum vocant. Traxit ille originem ex spectabili prosapia in regione, [i] quam Ribiariorum vocant, patre Constantino, matre è Francorum gente: porrò à primis ætatis initijs totum se cœlestibus mancipauit studijs & disciplinis, castitati deditus, vigilijs & orationi intentus, sermone verax, charitate feruidus, abstinentiæ studiosus, humanitate conspicuus, sapientia illustris, iustitiæ tenax, consilio prudens, omnique morum honestate venerabilis. Vnde factum est, vt ijs virtutum ornamentis instructus, breui ad perfectionis apicem pertingeret, & vt erat diuinitus præordinatum, Pontificis dignitate afficeretur. [k] Factus autem Episcopus, diuina ipsum adiuuante gratia, talis ac tantus ilicò apparuit, vt & bonis charus, & improbis formidabilis esset. Optabant boni eius salutaribus admonitionibus & institui, & parere: at mali verebantur, ne ab ipso deprehensi castigarentur. Itaque, quod de B. Remigio quoque legitur, erga benè agentes, Petri vultum præ se ferebat: erga delinquentes, I.

[h] Paul Æmyl. hist. Francicæ lib 2.

[i] Vide c 11. lib. 2. hist. Remens. Flodoardi.

[k] Episcop. factus, vt se gesserit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quentes, Pauli in spiritu seueritatem: illius clementiam & lenitatem, huius in puniendis criminibus zelum imitans. Bonis, si caderent, minabatur pœnas: Lapsis ne desperarent, cuperentque ad meliorem frugem se recipere, veniam promittebat: Quosdam sanè assiduis adhortationibus & prædicationibus suis ad emendationem sui pertraxit: plerosque grauitate & integritate multiplicis doctrinæ, desiderio sanctæ & religiosæ vitæ inflammauit: nonnullis suo exemplo consulit, aliquammultos suarum gregibus ouium adiunxit, aliquot etiam educauit: omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret.

II. SVCCESSIT in pontificatu Reolo, magnarum virtutum viro, &, vt quidam aiunt, ipsi sanguine coniunctissimo. Cum autem incertum habeatur, quot annis illo obeunte sedes Remensis antistite vacua fuerit, pleraque præcedentium Patrum studio & vigore instituta, iam collapsa visebantur, quæ sua industria vir sanctus in pristinum restituit statum. Nam [a] canonica clericos religione contineri voluit & pro numero illorum, qui tunc erant, ad victum pertinentia eis suppeditauit, vt diuino cultui & liberiùs & instantiùs vacare possent. Ante enim illius pontificatum non dabatur eis panis, vt vocant, canonicus: nec erant, vt sunt hodiè, canonici: quin etiam loca quædam cum illorum habitatoribus eis contulit, qui illorum vsibus necessarijs perpetuò inseruirent. Et ipse quidem primus inter Remorum Episcopos fertur commune eis instituisse ærarium, quod generatim omnibus eorum vsibus perenniter applicaretur: quæ verò huc contulerit, nihil opus est hîc cõmemorare: potest autem facilè eius prudentia & benignitas animaduerti in distribuendis his rebus suis, inter alia quæ possedit, dum pauperes Christi facultatum suarum hæredes instituit, qui non habent vndè possint tribuere: retribuetur autem ei in resurrectione iustorum.

[a] Instituit Canonicos

Luca 14.

III. QVODAM tempore vir sanctus de Culmisiaco villa Episcopatûs sui veniens, adijt Pipinum Maiorem domûs, quem pleriq; magistrum equitum vocant, patrem Caroli Martelli, præmissis quibusdam eulogijs ad illum à venatione redeuntem. Quas quidem crebrò illi mittere consueuerat. Morabatur tum Pipinus in pagi cuiusdam loco, cuius vocabulum est Gremaca cortis: vbi id temporis non villa erat, vt est hodiè, sed sylua grandis, & fons, ad quem apri frequentes aduentabant, qui hodieque illic permanet. Ceperat tunc Pipinus eo loci feram quandam, quam ibidem assari voluit, tanquam illic pransurus. Interea verò oblatam ipsi Episcopi Rigoberti benedictionem gratissimo accepit animo, dicens clientibus suis: Quid faciemus huic Episcopo, qui nobis gratificari non desinit? Illis tacentibus, Pipinus ad sanctum conuersus Rigobertum, his eum verbis liberaliter compellauit: Pete à me quicquid volueris, nec voto frustraberis tuo. Cui sanctus Rigobertus: Da mihi, inquit, exiguam hanc mansiunculam, & sufficit mihi. Tum ille: Et hanc tibi do, & quantum in eius circuitu tibi vendicare voles. Itaq; [b] sicut olim Clodoueus rex beato Remigio, ita ille quoque sancto Rigoberto tantùm largitus est agri, quantum posset ambulando circumire, dum ipse meridiè dormiret. Porrò sanctus Pontifex per apertos eius loci fines obambulans, passim certos fixit limites, vt si qua lis oriretur, ijs eam dirimeret: omnibusque peragratis, quæ sibi dari mâllet, mox ad Pipinum à somno surgentem redijt, & ab illo quicquid circumierat locorum, impetrauit. Ferunt autem quacumque tum vir sanctus in circuitu ingressus est, ibi & æstate & hyeme vernantiorem terram conspici, quàm in locis cæteris illi adiacentibus. Additur etiam aliud sanè stupendum miraculum, quod etiam hucusque illi cerni affirmant, ijsdem in locis postquàm eius dominio cesserunt, nullam vnquàm sæuijsse tempestatem, nec grandinem illic decidisse, neque fines illorum attingere: quod non immeritò sancti viri meritis attribuitur. Neque putandum est, sanctum Pontificem, praua cupiditate ductum has res petijsse, sed consulere voluisse Ecclesiæ, quam earum hæredem instituit: sed & alias quasdam Ecclesias illarum voluit esse participes.

[b] Pipini in S. Rigobertum liberalitas.

IV. ERAT ille vir sanctus ita externis occupationibus & negotijs intentus, vt tamen nihil de studijs internis remitteret: sicque exercitijs internis deditus, vt tamen rebus externis adhibendam curam & prouidentiam non omitteret: ne aut totus ab intimis excideret, si sola externa curanda suscepisset: nec proximis impendenda officia negligeret, si solis esset internis exercitijs addictus. Conabatur in omnibus prudenter se exhibere dispensatorem pariter & fidelem, sciens se constitutum à Domino super familiam illius, vt daret illis in tempore tritici mensuram. Longè verò semper ab illo abfuit illud Apostolicum: Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Poterat autem dicere cum eodem Apostolo: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Itemque illud: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Eratque illi viuere Christus, & mori lucrum: & quia solo corpore in terris degens, spe iam in cœlestibus versabatur, non iniuria illud sibi vsurpare poterat eiusdem Apostoli: Nostra aũt conuersatio in cœlis est: quippe qui in illorum numero computabatur, quibus dictum est, Vos estis lux mundi: &, Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.

1 Timoth. 5. 2. Cor. 11. Rom. 12. Philip. 1.

Philip 3. Matth. 5.

V. AMABAT illum atque colebat haud vulgariter Pipinus, cuius supra meminimus, misitq; [c] ad eum Carolum filium suum, vt ab illo baptizaretur. Carolus hic ob feros animos, & quod ab ineunte ætate vir strenuus in armis & robusto corpore fuerit, Martellus est appellatus. Abluit autem illum vir sanctus vndis salutaribus, & è sacro fonte illum suscepit, vt eius pater petierat: sed cùm ille posteà patri decedenti, in principatu succederet, sanctum antistitem è sua sede impiè & iniustè expulit, vt paulò infrà dicemus. Porrò vir sanctus Ecclesiam ipsius curæ commissam, ita vt cœperat, vigilantissimè & strenuissimè administrabat, ascendens ex aduerso, & opponens se murum pro domo Israel, vt staret in prælio in die Domini. Nam quibuslibet potestatibus prauè agentibus (sic enim locum hunc Ezechielis Prophetæ exponit [d] S. Papa Gregorius) rationis libera voce contraibat, & fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ authoritate vindicabat. Itaque quadrabat in illum vel maximè illud sancti Iob: Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eò quòd liberâssem pauperem vociferantem, & inopem cui non esset adiutor. Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Nec dubium, quin sicut Pastor bonus libenter positurus fuerit animam suam pro ouibus suis, si persecutor adfuisset, cuius crudelitas id exigeret.

[c] Carolus Martellus à S. Rigoberto baptizatur.

[d] Homil 14. in Euang.

Iob. 29.

Ioan. 10.

VI. INTEREA verò dum ille sic pijs esset operibus intentus, suoque clero & populo in omnibus tanquam Pater filijs solicitè consuleret, atque ea causa in Remensi vrbe demoraretur, post obitum Pipini inter Carolum eius filium, atque Ramanfredum non leuis simultas de obtinendo principatu, siue magisterio equitum, exorta est. Accidit tum, vt Carolus Remorum vrbem præteriens, totam, vt aiunt, circumiret, donec ad eam peruenit portam, in qua sanctus Rigobertus congruis extructis ædibus degebat: quem sanè huiusmodi compellauit vocibus: Domine Rigoberte, iube portam ciuitatis aperiri, vt liceat mihi ire precatum ad sanctam Mariam. Sed cùm sanctus Episcopus nullum ei vociferanti redderet responsum, quippè orationi intentus, cui perpetuò vacabat, fertur tertiò eisdem vsus vocibus: ita vt tandem vir Dei eius valido clamore compulsus, sic ei responderit: Porta hæc tibi non aperietur, donec certò constet, vtri vestrûm cessura sit victoria. Tu enim & *Ramanfredus inter vos de dignitate contenditis, nec adhuc scire licet, quem sit res exitum habitura. Quòd si Dominus te voluerit victorem euadere, reuertenti tibi libens portam reserabo, fidelemque me exhibebo. His auditis, [e] Carolus furibundus iuramento affirmauit, si victor rediret, non impunè id laturum Episcopum. At vir Dei eius minas non valdè pertimescens, (Iustus enim quasi leo confidens, absque terrore erit) portam ei noluit patefacere. Facilè enim, vt potè vir prudens, animaduertit, non orandi studio illum velle ingredi, quod

*al. Ragin-fredus.

[e] Carol minas intẽtat S. Rigobert. Prouerb. 28.

di, quod simulabat, sed vastandi potiùs animo, quemadmodum alias iam vrbes deuastârat: tum etiam verebatur, si hunc intrò admisisset, Ramanfredum, si ad eum victoria inclinâsset, ipsum infidelitatis incusaturum.

VII. Hæc autem porta à plerisque Collaticia, ab alijs hodieque Basilicaris vocatur, ibique portarum cæterarum totius vrbis claues apud se reconditas seruabat. Basilicaris verò idcircò dicta putatur, siue quòd in eius circuitu plures, quàm apud portas alias, ferantur olim fuisse Basilicæ: siue quòd euntibus ad Basilicas, quæ in sancti Remigij vico habentur, semper fuerit peruia. Iusserat autem sanctus Rigobertus in pinnaculo templi sancti Petri, quod erat propinquum eius ædibus, ostium fieri, per quod in illud templum, adiunctis illi gradibus, descendere solebat ad orandum: atq; inde reuertens, per idem ostium ingrediebatur in oratorium, quod iuxta domum suam extruxerat supra murum ciuitatis, dicaueratque sancto Michaëli Archangelo: quod quidem tempore non exiguo permansit, & frequens ad illud populus confluebat, in ipsa præsertim beatissimi Archangeli solennitate: donec Ludouicus Imperator sancti Petri monasterium donauit filiæ suæ Alpaidæ, quod quidem propter loci situm vocatur inferius: sicut alterum illi vicinum, eandem ob causam dicitur superius. Huius autem fœminæ maritus, nomine Bego, hoc oratorium iussit dirui, quòd suo fastigio iam dicti templi fenestræ caliginem offunderet: vel potiùs, quòd ad eius ostiolum grauiter caput al-

*Aprilis, sic enim habet vet⁹ chron. Francorũ à Pithoeo editum 717. an. &c. die Dominica ante Pascha. Vide Baron. eod. anno.

lisisset, cùm esset procero corpore, nec caput submisisset, ingrediens per ostiolum. Inde autem abiens, ita locutus est ad suos: Cauete, ne huc reuertens, istud hîc inueniam: alioquì certè pœnas luetis. Vt autem cœptum est destrui, ille mox arreptus est à dæmone, cùm tamen procul abesset in pago, qui Begonis villa dicitur. Feruntur etiam horribiles tenebræ Rhemis extitisse per triduum, illo in loco, vbi destruebatur. Verùm his obiter commemoratis, ad institutum reuertor.

VIII. Carolvs duodecimo Calendas * Augusti, qui tunc Dominicus erat dies, summo manè conflixit cum Chilperico rege, & Ramanfredo, quem Chilpericus Maiorem domûs, vel magistrum equitum creauerat: & pro voto victoria potitus, mox vt reuersus est, è [a] sede sua exturbauit Pontificem Rigobertũ, & quidem iniustissimè, vt erat illi anteà comminatus: neque id tamen adeò mirum, cùm etiam alijs similiter fecerit: porrò in depulsorum locum suarum partium studiosos intrusit. De hoc [b] Carolo, quem non iniuria tyrannum dixeris, annotatum est in annalibus diu ersorum regũ, quòd primus ipse Episcopatus regni Francorum contulerit laicis hominibus & comitibus. Sensit eum sanè infestum sibi sanctus Pontifex Rigobertus ad supremum vsque vitæ eius dies, cùm illi debuisset esse fidelissimus, quippè Baptismi fonte ab illo susceptus. Pertulit hoc vir sanctus exemplo Domini sui, qui à proprio discipulo impijs traditus est. Præclarè autem dictum est [c] à S. Gregorio Pontifice. Omnes electi quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur, & ipsos aduersarios in morte sua sentiunt, de quorum vita præsumebant: vt tanto illis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit ex alienæ damno charitatis. Verùm, vt scriptura dicit, qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. Prou. 17

[a] S. Rigobertus è sua sede pellitur.
[b] Quod Carol. Martel. Episcopat⁹ laicis cõtulerit, quæreIam scriptorum omniũ eius sæculi esse testatur Bar. ad an. 717.

IX. Qvod [d] Carolus hunc virum Dei crudeliter è sua sede eiecit, & res Ecclesiarum vsurpauit, iusto Deus iudicio in illius caput reddidit, quemadmodùm antiquorum veridica traditione constat. S.[e] enim Eucherius Aurelianensis Episcopus, quem etiam sua dignitate priuârat, quique in S. Trudonis cœnobio quieuit, cùm esset orationi intentus, raptus in spiritu, inter cætera, quæ illi diuinitùs ostensa sunt, vidit hunc Carolum apud inferos damnatum. Cumq; ab angelo ductore suo percontaretur eius rei causam, dictum est illi, quòd propter res sanctis ereptas & ablatas, ante extremum iudicij diem iam corpore & anima addictus sit supplicijs æternis. Itaque ad se reuersus S. Eucherius, S. Bonifacium & Fulradum Abbatem S. Dionysij, summum Regis Pipini capellanum, ad se vocauit, eisq; hæc exponens, pro comperienda certiùs veritate iussit eos adire Caroli sepulchrum, & si illic cadauer eius non inuenirent, de visionis certitudine nihil ambigerent. Abeunt illi, apertoq; monumento, vident subitò prodire inde draconem: porrò monumentum totum intrinsecùs denigratum, perinde ac si exustum foret. Sed de his satis.

[d] Homil 35. in Euang.
[e] Huc refer c 6. vitæ S. Eucherij, quã habes 20. Febr.

X. Meminit verò huius beati antistitis etiam * Adrianus Pontifex Romanus in Epistola, quam scripsit Turpino eius successori, in qua sanè multum conqueri videtur de iniuria illi illata: ita enim scribit: Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, Archiepiscopus Remensis, Rigobertus nomine, à sede contrà canones dei ectus & expulsus fuit sine vllo crimine, & sine vllo Episcoporum iudicio, & sine vllo Apostolicæ sedis consensu vel interrogatione, sed solummodò quòd anteà non consensit in partem illius, qui posteà partem de illo regno in sua potestate accepit, in qua parte est Remensis ciuitas: & donatus atque magis vsurpatus contra Deum & eius authoritatem fuerit ille Episcopatus simul cum alio Episcopatu, & alijs Ecclesijs, * & sæcularibus potestatibus, Miloni cuidam, sola tonsura clerico, nil sapienti de ordine Ecclesiastico: † & alij Episcopatus de ipsa Rhemensi diœcesi, diuerso [f] modo erant diuisi: & aliqui magna ex parte in episcopio consistentes, & alios Episcopos & metropolitanos Episcopi & Clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & à suis Episcopis iudicari & distringi non sustinebant: * & clerici, & sacerdotes, & monachi, & sanctimoniales sine lege ecclesiastica pro voluntate & licentia viuebant.

[f] Habet hęc etiam Paul. Æmilius li. 2. de reb. gestis Francorum. Sed Baron. eam tã quam commenticiã reijcit, quod decẽnio ad minimum Carol. (quẽ an 741. obijsse memorat Bar.) Euchario superuixerit.
* Ep. Greg. Pap. ad Turpinum, non Adriani, vt notat Bar.
* ex sæcularibus, legit Baron.
† & quod alij Bar.

Mat. 10

XI. Porro S. Rigobertus non immemor illius Dominici præcepti, Si vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam: secessit in Vasconiam, ibique exilium patienter ferens, multas indefessus sanctorum memorias inuisebat. Inuenit autem illum ibi is, cuius mentio paulò ante facta est, Milo Abbas, qui ex Caroli largitione Remensem obtinebat Episcopatum, dixitque illi: Quid hîc agis? Reuertere in Franciam, vbi si mihi dederis res proprias, quas illic habes, efficiam apud principem, vt tuum tibi restituat Episcopatum. Cui vir Dei: Si, inquit, dicta factis eris executus, faciam quod petis: atq; ita vir sanctus redijt in Franciam, & in chorte Gremaca, quæ illius erat peculiaris possessio, degebat. Adijt autem illum Milo, dixitq; ei: Trade mihi res, quas pollicitus es, obtinui namq; apud principem, vt restituaris sedi tuæ. At S. Pontifex: Quas res, inquit, donaui Ecclesiæ Christi, eas non possum illi tollere, & alteri donare.

Cvi Milo furibundus respondit: Quandoquidem me fefellisti, non obtinebis sedem tuam. Mox verò Episcopus ita illi ait: De rebus diœcesis fac quod tibi visum est: tantùm quæso, vt sanctæ Mariæ altare mihi impetres. Moratur [g] igitur vir sanctus in chorte Gremaca diù satis, in parcitate, humilitate, vigilijs, orationibus, eleëmosynis, cæterisq; operibus bonis vitam transigens: crebroq; ciuitatem Remensem ingrediens, in ara beatiss. Mariæ virginis, vt optârat, Missam celebrauit: atq; inde reuertens, ibat orationis causa ad S. Mauritium, post ad S. Theodoricum, subindè ad B. Cyriacum in villa Culmisiaco, atq; postremo ad Gremacam chortem se recipiebat. Cumq; id pro more faceret, contigit die quodam, vt ad sanctum Cyriacum veniret, pro se suaq; Ecclesia, vti consueuerat, precaturus. Finita autem oratione, locutus est cum Vicedomino, qui illic aderat: à quo mox suppliciter inuitatus ad prandium, non assensit, dicens in basilica S. Petri Missæ sacrum sibi adhuc esse peragendum. Sub his autem colloquijs quædam inops vidua attulit illi Vicedomino anserem.

[g] Moratur S. Rigobertus in chorte Gremaca
[h] Sententia momorabilis.

XII. At ille respiciens in sanctum Episcopum: Quando, inquit, non vis nobiscum prandere, saltem anserem hunc, oro, vt puer tuus secum ferat: & domum reuersus, illum tibi iubeas edendum præparari. Accepit igitur puer anserem, & aliquamdiu gestauit, sed interim subitò ex eius euolauit manibus. Ea res puerum valdè afflixit, sed mœrentem blandè cõsolans Episcopus, admonuit ob rerum temporalium iacturam nõ debere hominem Christianum lugere, sed [h] spem suam reponere in Deo, qui dat omnib. affluenter. His dictis, in silẽtio, vt erat solitus, hymnos Dauidicos promebat. In itinere

itinere enim positus, semper aut conferre aliquid, aut cantare de Deo solebat. Itaque post trium horarum spatia anser sponte redijt: sed eum vir magnæ simplicitatis & pietatis non passus est occidi, quamdiu viuere potuit. Exegit autem sanctus Episcopus illo in loco annos non paucos, apostolicis clarus actionibus, multisque pollens virtutibus: atque tandem consummata strenuè huius vitæ militia, plenus dierum migrauit ad patriam claritatis æternæ pridiè Nonas Ianuarij, [a] an. Dominicæ incarnationis plùs minùs septingentesimo septuagesimo tertio, Indictione octaua, estque honorificè sepulturæ mandatus à sacerdotibus & cæteris in Ecclesia S. Petri Apostoli, quam ipse à fundamentis extruxerat, conditusque est iuxta altare à parte illius dextera. Claruit [b] autem post obitum multis miraculis in testimonium eximię sanctitatis, sed hominùm incuria non sunt literis mandata. Erat apud eius loci presbyterum puer quidam scholasticus, qui irreuerenter & dissolutè super tumulum eius subsiliens, mox acri pedis dolore cruciari cœpit, ac si spinæ aculeis atrociter pungeretur. Itaque claudus effectus, illo pede nusquam posteà ingredi potuit. Quo viso, presbyter & eius loci indigenæ cancellos ibi apposuerunt, ne quis temere accedens, similia pateretur.

[a] S. Rigobertus moritur anno plus minus 773.

[b] Miracula post obitum eius.

XII. In illa autem basilica nocturnis horis tantæ suauitatis voces sæpiùs sunt auditæ, vt non nisi angelicæ putarentur. Lux quoque medijs noctibus tantæ claritatis illic emicuit, vt solis splendorem vicisse videretur: quæ etiam immenso iubare suo sacerdotis cuiusdam, qui etiamnum illic degit, domicilium basilicæ muro inhærens, adeo penetrauit, vt ingens timor ac tremor illum occuparet. Porrò Hincmarus, qui ab illo quintus fuit Rhemorum Episcopus, decimo octauo Calendas Iulij [c] transtulit sacras eius reliquias ad monasterium S. Theodorici, vbi multa sunt patrata miracula, quæ studio breuitatis præterimus. Per illum sanè quicquid cum fide & religioso animi affectu petitur, obtinetur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

[c] Eius trãslatio.

VITA S. RIGOBERTI REMENSIS ARCHIEPISCOPI, SCRIPTA A FLODOARDO PRESBYTERO, LIBRO II. historiæ Ecclesiæ Remensis, capite II. 12. 13. 14. & 15.

AN. 730.

I. DOMINO Reolo beatus Rigobertus successit* in Episcopatu Remensi, eius, vt traditur, etiam carne propinquus, in regione Ribuariorum nobili prosapia genitus: patre siquidem ex eodem pago, nomine Cõstantino; matre verò ex Porcensi orta territorio. Vir pijs moribus instructus, & virtutum insignibus adornatus. Qui nõnulla in Episcopio collapsa reperiens reperauit. Sed [d] & Canonicam clericis religionem restituit, ac sufficientia victualia constituit; & prædia quædam illis contulit, nec non ærarium commune vsibus eorum instituit. Ad [e] quod has villas delegauit: Gerniacam cortem, Musceium, Roceium, Vlfinianum Riuum, Curcellas: Ecclesiam quoque sancti Hilarij, cum suburbio ad eam pertinente: scilicet vt in annua transitus sui die sufficiens eis inde refectio pararetur: quæ superessent, ipsis communiter dividenda cederent. Famulos quoque, & eorum colonias ad necessaria Canonicorum seruitia deputauit, & eosdem Christi pauperes rerum suarum hæredes fieri destinauit. Harum verò summa rerum in XL. vel amplius mansos colligitur. Nonnullas etiam Episcopij villas, descriptis earum colonijs, seruitijsque, rite disposuit.

4. IAN. *Vigesimus septimus.

[d] Instituit canonicos.

[e] Remensi Ecclesiæ q̃nam contulerit.

II. RES etiam quibus Episcopium auxit quasdam dato pretio comparauit, vt villam nomine Cartobram in pago Tardonensi à Gamnoaldo, pro qua dedisse traditur auri solidos quingentos: & in villa, cui nomen Turba, mansos duos, à diuersis personis. Item portionem de villa quæ dicitur Campaniaca, super fluuium Vidulam, ab Hosomo: pro qua dedisse reperitur in auro solid. CXL. Item à quadam consobrina sua nomine Gilsinda portionem de villa Bracaneto super fluuium Rotumnam, cum mancipijs, ædificijs & omnibus ad ipsam possessionem pertinentibus. Item ab eadem Gilsinda partem quandam de villa Bobiliniaca supra fluuium Suippiam, cum domibus, mancipijs, campis, pratis, & cæteris ad eandem possessionem pertinentibus: pro quibus rebus in auro solidos centum inuenitur dedisse. Quasdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emisse. Quædam quoque cum aliquibus personis inuenitur commutasse, pro partium scilicet oportunitate.

III. A Dagoberto denique rege præceptum [f] immunitatis suæ obtinuit Ecclesiæ; suggerens eidem rei, qualiter ipsa Ecclesia sub præcedentibus Francorum regibus, à tempore domini Remigij & Clodouei regis, quem ipse baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo liberrima semper extiterit. Qui præfatus rex hoc beneficium confirmare vel innouare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad prædecessorum formam regum præcipiens, vt omnes ipsius sanctæ Dei Ecclesię res, tam in Campania, & infra vrbem, vel suburbanis, quàm in Austrasia, seu Neustria, vel Burgundia, seu partibus Massiliæ: in Rodonico etiam, Gaualitano, Aruernico, Turonico, seu Pictauico, Lemouicino, vel vbicumq; infra regna eius ipsa Remensis Ecclesia, vel basilica beatis. Remigij villas aut homines habere videbatur, sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoq; vt nullus iudex publicus in ipsas terras auderet ingredi, vt mansiones intrando faceret, aut quælibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præsumeret. Sed quodcunq; à præcessoribus suis regibus Ecclesiæ Remensi vel basilicæ S. Remigij fuerat concessum, cunctis diebus eadem Ecclesia valeret habere conseruatum.

[f] Immunitatem Eccles. suæ à Dagoberto rege impetrat.

IV. SED & à filio ipsius super huiusce auctoritatis corroboratione, & à cæteris sui temporis regibus immunitatis, ac teloneorum remissionis præcepta Ecclesiæ suæ obtinuit permanere. Item Theoderici regis specialiter pro villa Calmiciaco, quam Grimoaldus vir illustris Ecclesiæ Remensi contulerat. Quarum adhuc regalium monimenta præceptionum in archiuo sanctæ huius Remensis conseruantur Ecclesiæ.

V. HIC venerabilis Præsul Pipinum Maiorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse: cui eulogias pro benedictione crebrò solebat mittere. Ad quem collocuturus dum veniisset aliquando, cœpit idem Princeps requirere, quid huic sancto patri gratum potuisset offerre. Morabatur [g] autem tunc apud Gerniacam cortem, quam villam eidem oblatam vbi gratam haberi beato Pontifici comperit, offert ei, vt quantum vellet in gyro acciperet, vel quantum circumiret, dum ille meridiè quiesceret. Beatus itaq; Rigobertus, exemplum beatis. Remigij secutus, per fines qui manifestissimè parent pergens, passim itineris sui limitem poni præcepit, vt litem discerneret aruis. Cui regresso surgens Pipinus à somno largitus est omnem quem circuitu suo concluserat locum. Ad indicium verò memorabile super hoc itineris sui vernantior omni tempore, quàm in cæteris circa locis, visitur herba virere.

[g] Pipini in S. Rigobertum liberalitas.

VI. EST & aliud non contemnendæ rei miraculum, quod proculdubio meritis ipsius constat eisdem rebus à Domino prærogatum. Siquidem postquam eius cessere dominio, fertur eas nunquam læsisse tempestas, nec cecidisse super illas grando: & cum in locis contiguis videatur cadere, fines eorum non præsumit attingere. Denique res istas, vel cætera quæ visus est obtinuisse, nullo mundanæ cupiditatis impetrauit obtentu; sed Ecclesiæ suæ in cunctis consulens vtilitatibus, illam constituit hæredem. Plures [h] etiam rerum suarum participes fecit Ecclesias, vt varijs chartarum documentis instrumentis.

[h] Remensi Ecclesiæ q̃nam accesserint sub ipsius Episcopatu.

VII. SVB ipsius Episcopatu dedit Ado quidam Abbas ad Ecclesiam S. Mariæ Remensis res suas sitas in pago Laudunensi in vico, qui dicitur Raosidus, cum adiacentijs earum, domibus scilicet & colonis, campis, vineis, pratis siluis, pascuis,

scuis,aquis,aquarumve decursibus,& omnibus appenditijs. Item ad matriculam sancti Remigij res quasdam in pago Tardonensi in villa Corneciaco constitutas. Diuersæ quoq; personæ in locis diuersis res suas pro animarum remedio Ecclesiæ Remensi sub hoc patre beatissimo tradiderunt, vt Beroaldus & Sairebertus in monte Betelini & Taxouarijs domos, arua, mancipia, vineas, ac syluas: Gairefredus & Austreberta in pago Laudunensi, in villa Warocio, mansos cum terris adiacentibus, vineis, ac mancipijs. Abbo res suas sitas in pago Porcensi, villa Augusta: Leudemarus in Camarciaco, in pago Remensi, mansos cum ædificijs, mancipijs, ruribus, vineis, syluis, pratis, & cæteris adiacentijs. Rodemarus res suas sitas in vico Castricensi. Item Austrebertus suas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos condita reseruantur.

ORTA denique simultate inter regem Chilpericum & Carolum, præfati Pipini filium, Maioremq; domus Raganfridum, Carolus iste prope vrbem transiens Remorum, clamasse fertur ad beatum Rigobertum supra portam ciuitatis situm, vt ei iuberet eandem portam aperiri, quatenus ad Ecclesiam sanctæ Dei genitricis oratum posset abire. Cui crebris in idipsum vocibus instanti respondisse vir Domini perhibetur, quòd non illi eam priùs aperiret, donec sciret quem finem lis cœpta perciperet: ne fortè vrbem sibi commissam illi diripiendam proderet, qui aliarum res nõ nullas vrbium iam diripuisset. Ad [a] hæc Carolus comminatus furibundè asseritur, quod si reuerteretur victor in pace, non vltra idem vir Dei tutus maneret in eadem ciuitate. VIII. CAP. XII.

[a] Carol. Martelli iram in se concitat.

SVPRA portam siquidem, quæ dicitur Basilicaris, vel quod basilicis in gyro sui dispositis abundauit, vel quòd eun tibus ad basilicas in vico S. Remigij sitas peruia fuerit; hic benedictus Dñi consueuisse traditur commorari; quod apertis cœnaculi sui fenestris loca sanctorum B. Remigij cæterorumq; orandi gratia solitus fuerit cõtemplari. Oratorium quoq; super eandem portam construxerat in honore S. Michaelis Archangeli, de quo in contiguam S. Petri Ecclesiam descendere morem fecerat orationis amore. Quod oratorium non pauco tempore perseuerauit ibidem: donec Ludouicus Imperator idem S. Petri Monasterium Alpaidi filiæ suæ dedit. Cuius mulieris vir, nomine Bego, præfatum diruit iussit oratorium, quia scil. quadam die caput in superliminari eiusdem ostioli grauiter eliserit, eò quòd statura prorus fuerit, & erecto collo ambulauerit, nec ad introeundum seipsum humiliauerit: prætendens quod fenestram obcerus fuerit, & erecto collo ambulauerit, nec ad introeundum seipsum humiliauerit: prætendens quod fenestram obnuberet Ecclesiæ præ sui celsitudine. Quod tamen oratorium vt cœpit euelli, mox ille corripitur à Dæmone, vt erat in pago Laudunensi procul ab vrbe Remensi. Porrò per huius portæ viam puluis & ventus mixtim ferebantur: vnde & tenebræ vrbi videbantur illatæ: nec per eandem viam facilè valebat quisquam incedere. Hoc autem oratorium modo reparatum, & in præmemorato beati Michaëlis veneratur honore restitutum. IX.

[b] Episcopatu ab eodẽ priuatur.

PRÆFATVS itaq; Carolus, vt principatum bello adeptus est, hunc virum Domini Rigobertum patronum suum, qui, vt traditur, eum de lauacro sancto susceperat, [b] Episcopatu deturbauit, & cuidam Miloni sola tonsura clerico, qui secum processerat ad bellum, dedit hoc Episcopium. Hic [c] Carolus ex ancillæ stupro natus, vt in annalibus regum de eo legitur, cæteris qui ante se fuerant audacior regibus, nõ solùm istum, sed etiam alios Episcopatus regni Francorum laïcis hominibus & Comitibus dedit: ita vt Episcopis nihil pietatis in rebus Ecclesiarum permitteret. Verùm quod contra hunc virum sanctum & alias Ecclesias Christi perpetrauit malum, iusto Dei iudicio Dñs refudit in caput eius. De quo [d] primùm scripta relatione traditur, quod S. Eucherius, cuius in monasterio S. Trudonis humatum est corpus, Aurelianensium quondam Eps, dum in oratione positus mente cœlestibus intenderet, ad alteram vitam raptus, inter cætera quæ Dño sibi reuelante cõspexit, hunc Carolum in inferno inferiori torqueri vidit. Cui de hoc sciscitati responsum est ab Angelo ductore, quòd sanctorum iudicio, qui in futuro examine cum Dño iudicabunt, quorũ res abstulit, sempiternis sit pœnis deputatus. Qui B. Eucherius ad sæculum reuersus, sancto, Bonifacio, qui tunc Gallijs ad restituenda iura Canonica fuerat ab Apostolica sede prælatus, & Fulrado Abbati monasterij S. Dionysij, & summo Cappellano regis Pipini, hæc indicare studuit: dans in assertione, vt ad sepulchrum eius accedentes, si corpus ipsius inibi non reperirent, quæ de illo referebat, vera esse scirent. Quib. ad locum, vbi corpus eiusdem Caroli sepultum fuerat, venientibus, & sepulchrum ipsius aperientibus, subitò visus est serpens egressus; & totum illud sepulchrum vacuum reperitur interiùs, sicq; denigratum, ac si flammis fuisset exustum. De præfato deniq; Milone Zacharias Papa Romanus prænotato S. Bonifacio inter cætera, quæ ad eum mandata direxit, ita scribit: *De Milone autem, & eiusmodi similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, vt à tali nefario opere recedant, iuxta Apostoli vocem opportunè importunè prædica, si ac quieuerint admonitionibus tuis, saluabunt animas suas: sin verò, ipsi peribunt obuoluti in peccatis suis. Tu autem, qui rectè prædicas, non perdes mercedem tuam.* X.

[c] Carol. hic ex illegitimo thoro Pipini Grossi & Alpaidis sororis Dodonis Attdoennæ Comitis, natus est.

[d] Habes apud Paul. Æmilium li. 2 de reb. gestis Francorum eadem & apud Grati. 16 q. 1. post c. 59. ex Concil. Rothom. & in vita S. Eucharij 20. Feb. Sed à Baronio rejicitur hæc historia, eo quod tempora repugnent; & Carolus decennio vel quatuor annis vltra vt Molanus habet Eucharium superuixerit. Vide Baron. ad an. 741. quo Carolus obijt.

CÆTERVM [e] sanctus Domini Rigobertus dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur sub persecutione de ciuitate in ciuitatẽ fugere, secessit in Wasconiam. Ibi exulando, dum multorum sancto feruore memorias Sanctorum lustraret, quandam ingressus basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more. Deniq; [f] ibi duo pulsata signa sonitum nullum repertũ dedisse. Tunc sacerdos & alij circũstantes sollicitè perscrutantur quis sit, & vnde aduenerit. Ille se profiteretur clericum, & de Francia profectum. Adijcientes illi, super nouæ rei sciscitantur euentum: cur scil. impulsa eorũ consueta nõ resonent signa. At ille duo pandit sibi de quadam Ecclesia sua furtim ablata, arbitrariq; se, ne fortè sint ea. Quibus sibi ostensis, vt asserit sua fuisse, experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cuius impulsum his altisone reboantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super huiuscemodi facto stupentibus suæ sibi nolæ redduntur: & ipse tam admiratione quàm veneratione dignus habetur, quæ postmodum in Francia delatæ & Ecclesiæ Gerniacæ cortis sunt restitutæ. XI.

[e] Sanctus Domini Rigobertus dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur sub persecutione de ciuitate in ciuitatẽ fugere, secessit in Wasconiam. Ibi exulando, dum multorum sancto feruore memorias Sanctorum lustraret, quandam ingressus basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more. Deniq; [f] ibi duo pulsata signa sonitum nullum repertũ dedisse. Tunc sacerdos & alij circũstantes sollicitè perscrutantur quis sit, & vnde aduenerit. Ille se profiteretur clericum, & de Francia profectum. Adijcientes illi, super nouæ rei sciscitantur euentum: cur scil. impulsa eorũ consueta nõ resonent signa. At ille duo pandit sibi de quadam Ecclesia sua furtim ablata, arbitrariq; se, ne fortè sint ea. Quibus sibi ostensis, vt asserit sua fuisse, experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cuius impulsum his altisone reboantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super huiuscemodi facto stupentibus suæ sibi nolæ redduntur: & ipse tam admiratione quàm veneratione dignus habetur, quæ postmodum in Francia delatæ & Ecclesiæ Gerniacæ cortis sunt restitutæ.

[f] Campanæ duæ pulsatæ, nullum dant signũ.

FERTVR hunc virum Dei præfatus Milo, cui Episcopium Remense datum fuerat à Carolo, functus legatione ad Wascones in hac regione reperisse, eiq; vt in Franciam reuerteretur suasisse, suumq; sibi redhibendũ Episcopium spopondisse. Qui regressus petitur à Milone, vt res quas Ecclesiæ iam delegauerat in ius proprium sibi traderet, quod eò nullatenus assentiente, & Milone se de pollicitatione mutante, altare tantùm vir Dei sibi rogat concedi sanctæ Dei genitricis Mariæ; vt scil. in eo missas sibi liceat celebrare. Quo demum obtento, habitauit [g] in Gerniaca corte tempore non pauco, vitam in humilitate, parcitate, vigilijs, orationibus, & eleemosynis, cæterorumq; bonorum operum exhibitionibus agens. Morisq; fuit ei, ciuitatem Remorum frequenter inuisere, & in ara B. Mariæ Missas, vt optauerat, celebrare. Tum per Ecclesiam sancti Mauricij ad S. Remigium orandi gratia pergere. Inde sancti Theodorici monasterium visitare: ac per Ecclesiam sancti Cyrici de Culmiciaco ad sanctum Petrum in Gerniacam cortem redire. XII.

[g] Gerniacã cortem inhabitat.

CONTIGIT itaq; quondam, dum [h] ad S. Cyricum oratum venisset in Culmiacum, locutum eum cum Oeconomo Remensis Ecclesiæ qui aderat: rogatusque ad prandium recusauit, vtpote Missas acturus ad S. Petrum. Interea mulier quædam anserem attulit Vicedomino: quem ille offerens Epo, petit vt iubeat recipi, secumq; deferri, quem puer viri Dei susciens ferebat, cùm subitò de manib. eius euadens auolauit, spemq; resumendi puero abstulit. At pater sanctus puerum vehementer anxiatum conspiciens, blandè ceu vir mitissimus consolatur, docens de temporalium amissione rerum nequaq; flendum vel cõtristandum, quinimo semper Dño, qui dat omnibus affluenter, sperandum. Et ecce post aliquod spatium auis vltrò reuolans ad terram coram S. Præsule descendit, cumq; quasi prædux præiens, nusquã à tramite deuiat, donec ad Gerniacam cortem quo ibant, peruenit. Quam vir Domini non passus occidi, præuiam habebat itineris. Fertur enim ante se cursitare solita, dum ciuitatem adibat, aut redibat. XIII. CAP. XIII.

[h] Miracula in vita eius extenta.

HVIVS B. Præsulis * Adrianus, sedis Apostol. Pontif. meminit in Epist. sua Tilpino post Epo Remensi, directa: in qua & qrimoniam facit super eo, scribẽs in hunc modũ: *Tua [i] fraternitas nobis retulit, qa faciente discordia inter Frãcos, Archiep. Rem.* XIV.

* *Greg. corrigit Baron.*

[i] Epistola Gregor. II. ad Turpin.

nomine

nomine Rigobertus, à sede contra canones deiectus & expulsus fuit, sine vllo crimine, & sine vllo Episcoporum iudicio, & sine vllo Apostolicæ sedis consensu vel interrogatione. Sed solummodo quòd antea non consensit, in parte illius, qui postea partem illam de regno in sua potestate accepit; in qua parte Remensis ciuitas est: & donatus, atq; magis vsurpatus contra Deum & eius auctoritatem fuit ille Episcopatus, simul cum alio Episcopatu, & alijs Ecclesijs, à secularibus potestatibus Miloni cuidam, sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine Ecclesiastico; & alij Episcopatus de ipsa diœcesi Remensi diuerso modo essent diuisi, & aliqui ex magna parte sine Episcopo consistentes, & ad alios metropolitanos Episcopi & clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & à suis Episcopis iudicari & distringi non sustinebant; & Clerici, & Sacerdotes, & Monachi, & sanctimoniales sine lege Ecclesiastica pro voluntate & licentia viuebant.

XV. CAP. XIV. Hic denique beatus Præsul Rigobertus actibus egregijs, magnisq; virtutibus pollens, annos plures in hac exegit conuersatione, consummataque viriliter præsentis vitæ militia decessit pridie Non. Ianuarij. Humatus[a] est autem venerabiliter à sacerdotibus in præfata villa, in qua morari solebat, in Ecclesia S. Petri ad Australem plagam altaris. Qui multis hîc post sanctam depositionem suam refulgens miraculis, quanti sit apud Deum meriti, patenter innotuit, quæ tamen mira ob incuriam, vel scriptorum raritatem, non fuere descripta.

[a] S. Rigobertus moritur anno plus minùs 773.

Tres[b] siquidem claudi ab incolis eiusdem loci memorantur inibi fuisse curati. Cuius redhibitæ sanitatis indicia, bacilli videlicet ac scabella, in eadem Ecclesia diu sunt reseruata, donec exinde beata sunt pignora translata. Quædam quoq; mulier cœca, nomine Ausildis, ipsius loci habitatrix, ibi pristinum meritis huius patrocinantib. lumen recepit oculorum. Puer quidam, scholaribus apud loci presbyterum studijs deditus, lasciuè quondam ludendo supra tumulum eius subsilire cœpit, non dans honorem Deo, neque sancto ipsius ibidem sepulcro. Sed vt sepulti meritum panderetur, & huiusmodi præsumptio cohiberetur, continuò pes illius indoluit; moxque claudus effectus officium pedis vnius amisit, quo cõperto, presbyter cancellos inibi circa tumbam, ne quis ignarus simile quid pateretur, fieri procurauit. In eadem basilica voces tantæ dulcedinis post eius sepulturam sæpiùs auditæ narrantur, vt non nisi Angelicæ comprobentur. Lux quoq; tantæ claritatis medijs inibi noctibus emicuit, vt solis fulgorem vicisse videretur, quæ magno etiam quondam iubare sacerdotis cõtinguam penetrauit ædiculam. Quo viso tantus timor inuasit presbyterum, vt abinde maiorem huic loco reuerentiam exhibuerit, q̃ antea solitus fuerit. Ad hoc viri Dei sepulchrum diuersis ab ægritudinibus multi curantur infirmi. Frigoritici quidam cum fide venientes candelam in votis offerunt, & abrasum sepulchri puluerem sumunt; quem aquæ mixtum bibunt, & sanitatem huius sancti meritis adipiscuntur. Dentium verò doloribus cruciati hunc debita cum veneratione tumulum deosculantur, & ita curari merentur.

[b] Miraculis claret post obitum.

XVI. CAP. XV. Itaque dum in hoc loco hic inclytus Domini Confessor pluribus clarificatus signis reniteret, Dominus Præsul Remensis Hincmarus hinc eum transtulit, & [c] ad cœnobium S. Theoderici detulit, ac secus ipsius beati viri tumbam posuit, vbi dum aliquot annis venerantur, plura per eum Dominus mira patrare dignatus est. Multi siquidem febribus vexati, vel dolore dentium fatigati, eius hîc quoq; cum fide petentes auxilium, diuinum gauisi sunt adepti remedium. Ex quibus mulier quædam nomine Audinga, de quadam proxima monasterio villa, nomine Colmelecta, febribus attrita, hæc apud se super recuperanda sibi sanitate feciſſe traditur experimenta. Tres enim candelas vnius fecit quantitatis: quarum vnam nomine S. Theoderici, alteram S. Theodulfi, tertiam S. Rigoberti cõstituit: quas simul accẽdens, quæ superaret ardendo, probare disposuit. Quo facto, dum superdurat flagrando quæ beati fuerat nomine Rigoberti, mulier id reputans Deo placitum, eidem Sancto fieri votum suum instituit. Continuò aliam instaurans candelam, huius almi viri duntaxat veneration dicatam, veniensq; ad locum designatum, munusculum obtulit, & ante quæsita sancti Dei pignora post orationem dormiuit, euigilansq; desideratam se sospitatem recepisse probauit.

[c] Corpus eius ad cœnobium S. Theoderici transfertur, & eius miracula.

XVII. Post[d] annos nouem huius beati Præsulis ossa Remorum perferuntur in vrbem, & in basilica sancti Dionysij honore dicata locantur, vbi Canonicorum sepultura Remensium tunc habebatur. Erat tunc quædam mulier cæca, in villa quam vocant Alamannorum cortem, quæ dormiens audiuit in somnis vocem dicentem sibi. Quid hîc facis? curiaces? Crastina die Pontifex Hincmarus & Canonici Remenses sanctum transferent Rigobertum: vade ad illum, & ille te adiuuabit. At illa diluculo consurgens accelerauit, candelam secum deferens, aduenire, quæ mox vt ad locum beati pignoris accessit, lumẽ olim amissum recipere meruit. Surdus ẽt quidã translationis huius æquè die veniens, vt locellum sacri corporis baiulum tetigit, auditum statim recepit, qui tali quoq; modo se retulit accersitum. Noctu siquidem in diuersorio quiescentem persona quædam incognita leniter hunc in latere percussit & excitauit, excitatumque vocauit. Sensit ille tangentem, sed non audiuit, vtpote surdus, vocantem. Audierunt tamen qui secum aderant in domo vocem, ad sanctum Rigobertum ire quantociùs eum admonentem, licet viderint neminem. Qui confestim abijt, & salutem diu desideratam inuenit.

[d] Inde Remorum vrbẽ ad S. Dionysij Basilicam perfertur.

XIIX. Hvivs beati Patris membra veneranda, quoniam Ecclesia prænotata necessitate muri ciuitatis, ob infestationem paganorum construendi, euertebatur, Fulco Præsul vrbi postmodum intulit, & [e] in medio Ecclesiæ B. Dei genitricis Mariæ post altare S. Crucis collocauit. Vbi plures etiam cum fide accedentes optatam reperẽre medelam. His ferè diebus monachus quidam cœnobij beatis. Remigij, nomine Sigoardus, validissima febre correptus, impos quoq; mentis effici videbatur. Qui dum quadam nocte cubitum perrexisset, incœnatus tamen, & quiescere nullatenus sineretur, attatus vndique beatum Rigobertum auxilium sibi ferre clamans inuocat, & optatam protinus sanitatem recuperat.

[e] Inde Ecclesiam B. Mariæ Virginis Remensem.

XIX. Post aliquantum temporis deferuntur huius sancti viri pignora in pagum Veromandensem [f] ad villam Memnicum, quam Odalricus comes Ecclesiæ Remensi tunc temporis contulerat; & Fulco Præsul Canonicorum victui deputarat. Vbi quidam commanebat in proximo presbyter, nomine Signinus, qui magno cruciabatur dentium dolore. Hic audiens hæc pretiosa illuc delata munera, quam victus ægritudine impediebatur adire, cidelam illam illò studuit transmittere. Ac licet absens corpore, precibus tamen & lachrymis sanctum Domini Rigobertum non distulit exorare, quatenus per ipsius interuentum medelam mereretur accipere. Qui mox vt munusculum eius ad sancti loculum peruenit, medicum cœlestem sibi adesse recepta sanitate sentire promeruit. Et confestim ad locum sacri medicatoris profectus est, totumq; se in lachrymis ante ipsius effundens memoriam gratias retulit, & quanta sibi per huius inuocationem patris fecerit Dominus, indicauit. Nec[g] longum post hæc vrbi Remorum sacra membra reuocantur: & Ecclesiã S. Dionysij extra murum ciuitatis Canonicorum Remensium studio sumptibusque restructâ, ibidem cum B. Theodulphi pignoribus honorificè venerantur illata.

[f] Ad villam Mẽnicum pagi Veromandensis transfertur.

[g] S. Rigoberti corpus Remorum vrbem repetit. AN. 400.

VITA BEATÆ APOLLINARIS VIRGINIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

I. Imperante[h] inprimis pio Imperatore Anthemio, Imperatoris filio, qui habuit duas filias: ex quibus vna habebat spiritum immũdum, altera autem ab ineunte ætate vacabat Ecclesijs, martyrijs, & orationibus. Erat verò eius nomen Apollinaris. Cùm ea autem esset ætatis legitimæ, quærebant eius parentes eam marito coniungere, ea verò nolebat. Dicit verò quodam die suis parentibus: Cupio ire in monasterium. Ei autem dicunt parentes: Volumus te marito coniungere. Ea verò dicit eis: Nolo cõiungi marito, sed spero fore, vt quomodo Deus sanctas suas virgines custodijt impollutas, me quoque in suo timore custodiat impol-

[h] IAN. 5. Baron. censet natã patre Anthemio, viro consulari, qui sub Theodosio II. ad

impollutam. Nouum autem & admirabile videbatur parentibus, quòd cum esset id ætatis, talia diceret, Deum desiderans. Rursus eos rogabat, vt vnam adducerent monacham, vt eam doceret psalterium & legere.

IMPERATOR autem non parua affectus est molestia, quòd eam vellet iungere matrimonio. Cùm ea autem persisteret, & arrhas nollet accipere, ei dicunt eius parentes: Quid vis filia? Ea verò dicit eis: Rogo vos, vt me ad Deum adducatis, vt meæ virginitatis mercedem accipiatis. Illi autem cùm vidissent eius mentem esse adeò firmam & immobilem, & à Deo adeò tuisse amatam, dicunt ei: Speramus, filia, fore vt fiat Dei voluntas. Paucis verò post diebus adduxerunt ad eam monachas, quæ eam docuerunt psalterium & legere scripturas. II.

[a] Peregrinationes ad loca facta religionis ergò

QVODAM [a] autem die cùm vterq; considérent, ea dicit parentibus: Rogo vos, vt me dimittatis in loca sancta, vt orem & adorem sanctam resurrectionem & crucem venerabilem. Illi verò non habebant propositum dimittendi eam, quoniam eam magis amabant, quam sororem eius, quæ vexabatur. Cùm autem interiecto aliquo spatio temporis ea eis esset molesta, iussit Imperator, vt ad eam deferrentur pueri & ancillæ, & aurum & argentum, & ei dicunt: Accipe filia, & recede: imple votum tuum. Deus enim vult te suam esse seruam: eaque in nauem imposita, his pueris consequentibus, dixerunt ei: Filia, memento nostri in sanctis locis. Ea verò dicit: Quomodo mihi satisfecistis, vos quoq; in die malo liberabit Dominus, & parentibus valere iussis, cœpit nauigare. III.

CVM autem paucis diebus peruenissent Ascalonem, paucos dies illic manserunt propter maris iactationem. Ipsa verò orans in omnibus Ecclesijs & monasterijs, eis quoque exhibebat, quæ erant necessaria. Aliquot autem post diebus, cùm inuenissemus comites, venimus in sanctam ciuitatem. Cumq; in quendam locum diuertissemus propter nostras sarcinas, puerosq; & ancillas, qui vnà erant, paululùm requieuimus. Eis autem dixit beata Apollinaris: Agite, adoremus [b] beatam resurrectionem & venerandam crucem. Porrò autem eis orantibus, ea orabat pro suis parentibus. Cœpitque benefacere ijs, qui opus habebant. Ibant verò assiduè ad monasteria virginum perennium, & ad eos, qui vitam agebant monasticam, & suppeditabat eis, quæ erant necessaria. IV.

[b] Adorant beatam resurrectionẽ & venerandam crucẽ.

QVODAM autem die dicit vni ex ijs, qui cum ea versabantur: Volo vos, si Deus velit, liberare. Hoc autem audito, affecti sunt molestia. Illa itaque dixit eis: Nè sitis animo anxij. Si Deus enim quid compungit meam humilitatem, præbebo ad vos alendos. Cumque ij accepissent eius benedictionem, ei ingentes gratias agebant. Cùm verò recessissent, abijt cum ijs, qui ei remanserant, ad Iordanem: & illic rursus præbuit ijs, qui opus habebant. Cumque illinc profecti essent, rursus veniunt in sanctam ciuitatem. V.

ELAPSIS autem aliquot diebus, cùm suam complêsset orationem, dicit eis, qui vnà cum ea erant: Fratres mei, volo vos quoq; liberare. Sed nunc eamus ad Alexandriam vsq;, & sanctum Menam adoremus. Illi verò dixerunt: Vt iubes Domina. Cùm descendisset autem Ascalonem, distribuit in via ijs, qui opus habebant: inuentoque nauigio, quod ibat Alexandriam, eò nauigârunt. Audiuit autem is, qui erat præses eo tempore, & misit ad eam adorandam. Ea verò non passa est, sed noctu venit in prætorium, & [c] adorauit præsidem & eius vxorem. Illi verò ad pedes eius procidunt, dicentes: Quæsumus, Domina, cur sic fecisti? Nos misimus qui venirent ad tuos pedes, & tu Domina nostra venisti ad nostros pedes? Ea verò dicit eis: Vultis mihi rem gratam facere? Dicunt ei: Certè Domina. Ea verò dicit eis: Dimittite me, quoniam volo ire oratum ad sanctum Menam. Illi autem cum præclaris donis eam dimiserunt. Ea verò accipiens, omnia distribuit pauperibus. VI.

[c] Adorare, pro venerari.

CVM autem in ciuitate mansisset paucos dies, ibat vbique in monasteria, & assiduè eis suppeditabat. In eo autem loco, in quo habebat domum, inuenit vnam vetulam, cui præbuit modicam benedictionem, & dixit ei: Accipe soror, & abi in Ecclesiam, & [d] eme mihi vnum lebetonarium monasticum, & similiter humerale, & cucullam, & accipe etiam cingulum. Abiens verò vetula, ei hac in re inseruit. Cùm ea autem attulisset, ei precata est, dicens: Deus te adiuuet, Mamma. Cumq; accepisset, occultauit propter pueros. Quando autem voluit egredi ad sanctum Menam, ij omnibus manumissis, dedit eis id quod erat ad victum necessarium, & eos dimisit. Illi verò ei benè precati, recesserunt. VII.

[d] Vestes monasticæ.

CVM autem secum accepisset eunuchum vnum, & vnum senem, naui venit in Lemnam. Cumque peruenissent ad ædes Philoxeni, didicit is qui erat illic Paramonatius, venitque cum magno apparatu, dicitq; ei procidens: Domina mea, vbi iubes me manere donec ascenderis, & tuam feceris orationem? Ipsa verò eum rogauit cum Sacramento, vt nihil ad se afferretur. Dicit autem ei: Fac officium charitatis. Affer ad me quatuor animalia, vt ascendens adorem sanctum Menam. Ille autem die sequenti adduxit animalia. Ea verò dixit: Crede Domino, eis non insidebo, nisi eorum mercedem dedero. Cùm dedisset plusquàm dari consueuisset, valedixit Oeconomo. Ipse autem recessit, accepta ab ea benedictione. VIII.

CVM ea autem ascendisset, fecit vt agaso etiam alterum animal ascenderet. Cumque peruenissent ad sanctum Menam, eius [e] venerabile monimentum adorauêre. Audiuit autem Oeconomus, & venit in clero ad eam adorandam. Illa verò ex eo affecta est molestia. Nolebat enim cognosci. Oeconomus autem eam rogabat, dicens: Domina, iube in domo mea. Ea verò dicit ei: Ego volo vnum diem manere in Ecclesia, donec me Deus dimiserit eò, quò sum abitura misitque ad eam sancti benedictionem. Distribuit autem ijs, qui opus habebant. Post tres verò dies dicit Oeconomo: Fungere officio charitatis. Præbe mihi vnam lecticam, vt abeam & adorem patres Scetis. Is autem accersito vno lecticario, dixit ei: In nomine Dei affer ad me lecticam. Ille verò dixit: Iussisti. Beata autem adducit ad se puerum, qui ei remanserat, & benedictione ei data, eum quoque dimisit, dicens, Ora pro me. IX.

[e] Nota antiquum morem venetãdi sepulchra Sanctorum.

CVM sequenti autem die venisset lecticarius, mansit donec fuit vespera. Cumq; valedixisset Oeconomo & puero, ascendit in lecticulam, habens intùs vestes monachicas, & fecit vt ponè ascenderet eunuchus, ante autem lecticarius. Cœpitque beata orare, cùm esset intùs, & à Domino Deo petere auxilium. Circa mediam autem noctem peruenit ad paludem propè fontem, qui vsq; in hodiernum diem dicitur Fons Apollinaris. Cumque lecticæ pellas aperuisset, Dei prouidentia inuenit ambos dormientes. Cumq; se vestibus exuisset mundanis, induit se monastericis, dicens: Qui [f] dedisti principium, vt hunc sanctum assequerer habitum, fac me dignam, vt eum ad finem perducam congruenter tuæ voluntati Domine. Cumque se signâsset, deiecit se è lectica, & ingressa est paludem. Deus autem cùm vidisset eius in ipsum charitatem, effecit vt quamdiù vixit, ad nutrimentum ei palma sufficerit. X.

[f] Induit habitum monasticum, & degit in palude.

CVM autem lecticarius & eunuchus excitati essent, & cognouissent eam non esse in lectica, valdè sunt admirati. Inuenerunt enim vestes, quas ferebat, in lectica. Redeuntesq; venerunt ad sanctum, & Oeconomo de ea retulerunt, eius quoque vestes ei ostendentes. Stupefactusque, in ciuitatem ingressus est cum lecticario & eunucho, & exposuerunt Præsidi rem vniuersam. Præses verò perterritus, scribit epistolam ad patrem eius Imperatorem, significans ei omnia consequenter, missis etiam eius vestibus. Accepta autem eius epistola, & lecta, fleuit amarè. Cùm verò vidisset etiam vestes filiæ, magis suis caligauit visceribus, & cœpit flere cum matre eius, & toto senatu. Posteà autem quieuerunt, Deo agentes gratias. Dixit verò Imperator: Deus qui eam elegisti, confirma eam in tuo timore. Cùm omnes ergò rursus fleuissent, quidam ex ijs dixerunt Imperatori: Reuera, domine, ea est filia pij Imperatoris, ea est filia tuæ potentiæ. Hinc magis apparuerunt tua bona opera. Cumq; ea dixissent, & his plura, omnes pro ea orabant. XI.

[g] Nota in tanta virgine vitæ austeritatem.

CVM [g] beata autem multos annos mansisset in palude, & strenuè decertasset aduersus diabolum, euasit eius corpus tanquam pellis testudinis. Exesum enim fuerat à culicibus. Ipsa autem consumpta fuerât ab abstinentia, & à XII.

regula

regula quam seipsam docuerat. Quando verò Dominus Christus voluit eam facere dignam corona sanctorum patrum, fecit vt ea egrederetur è palude. Ignorabatur autem ab omnibus, eam esse fœminā, sed putabatur eunuchus. Apparuit verò ei in somnis, qui dicebat, Si quis te interrogauerit, quomodo voceris, dic, Dorotheus. Cum esset autem manè, occurrit ei sanctus Macarius, & dicit ei. Benedic pater. Illi autem, data sibi inuicem charitate, ambulabant in solitudine. Interrogauit verò Dorotheus, dicens: Pater, quis es? ille autem dixit: Ego sum Macarius. Is verò dixit: Fungere officio charitatis: Sine me habitare cum fratribus. Præbuit autem ei quoque cellam protinus. Totum ergo diem & noctem intensè offerebat Deo supplicationes. Cœpit autem eam tentare diabolus nocturnis visionibus. Beata verò illa vehementer aduersus eum decertabat, ne declararet se esse mulierem. Se autem [a] supra modum exercebat, neque Ecclesiam relinquebat, nec regulam, noctu diuque Deum orans.

[a] Vide cõtinuas S. orationes.

XIII. Quodam autem die Abbas Macarius venit in eius cellam, & dicit ei: Fungere officio charitatis, bone frater: emitte nobis preces. Illa verò dicit: Pater, ego à te volo benedici. Cumque fecissent preces, sederunt. Eam autem rogauit Abbas Macarius, dicens: Die mihi frater, vndenam venis, & quod est tibi nomen? Illa verò dixit: Vocor Dorotheus, & cum audijssem de sanctis, qui hîc sunt, Patribus, volui vnà cum eis habitare, si sim dignus. Dicit autem ei rursus senex: Quodnam opus facis? Ea verò dicit: Faciam, si quid me iubes. Is autem ostendit ei, vt faceret catenam. Deus verò volens ostendere eius animi fortitudinem, non declarauit Abbati Macario eam esse fœminam, sed is tanquam virum enuchum eam esse putabat. Multas autem curationes Deus per eam peregit.

XIV. Processv autem temporis dæmõ, qui est bonis infestus, aggreditur eius sororem, quæ vexabatur à dæmone: erat autem cum imperatoribus. Cœpitque eam dæmon lacerare, & dicere: Nisi me acceperiris, & tuleritis in solitudinem, ex ea non egrediar. Volebat [b] verò dæmon eius sororem conuincere, quòd esset fœmina. Deus verò obstruxit dæmonem, ne ea diceret. Puellam autem valde vrgebat dæmon, vt iret in solitudinem. Quidam verò ex proceribus consulunt Imperatori, vt eam mittat. Tunc Imperator dimisit eam cum magno comitatu ad patres in solitudinem. Cumque ij venissent in Scetim, nouit sanctus Macarius, propter quamnam causam adsint in illo loco, eisque progressus obuiam, excepit eos, & dixit: Quid huc acceditis, ô filij? Illi verò dixerunt: Noster imprimis pius Imperator Anthemius misit filiam suam, vt per Deum curetur & preces vestras. Cum eam autem accepisset à cubiculatio, deduxit eam ad Abbatem Dorotheum, & dicit ei: Fungere officio charitatis: Quoniam est filia Imperatoris, & opus habet patrum precibus & vestris. Ora pro ea, vt curetur. Hæc est enim merces tua.

[b] Dæmon eam frustrà conatur prodere.

XV. Hæc autem cum audijsset, cœpit flere, & dicere: Quisnam ego sum peccator, quòd de me talem concepistis opinionem? flexisque genibus dicebat: Concede mihi pater, vt mea peccata defleam: nam multa sunt. Ego enim sum imbecillus, planeque rudis & ignarus ad hanc rem. Dicit ei Abbas Macarius: An non sunt etiam alij patres, qui per Deum signa faciunt? Sed tamen hæc remansit merces. Illa verò dicit: Fiat Dei voluntas, & mota pœnitentia, eam accepit in cellam, & nouit eam esse sororem, flensque conquieuit. Eam autem amplexa, dixit: Benè venisti soror, Dei verò opere fuit os obstructum dæmoni, ne argueret ancillam Dei, quòd esset fœmina. Cum autem dæmon eam diu affligeret, per preces eum domuit.

XVI. Qvodam autem die dæmon cœpit eam affligere. Illa verò exurgens, manus suas extendit in cœlum, & flens Deo supplicauit pro sua sorore. Tunc clamans dæmon, dixit magna voce: O, vi pulsus à te egredior. Eaque prostrata, est egressus. Cum [c] eam autem accepisset, fert sanam in Ecclesiam ad patrum pedes, dicens: Ignoscite mihi, quod inter vos peccârim. Illi autem data pace, vocârunt homines Imperatoris, & eis tradiderunt sanam Imperatoris filiam. Qui adoratis omnibus patribus, profecti sunt ad Imperatorem. Fuitque magnum gaudium in ciuitate propter filiam Imperatoris, Deumque glorificauerunt, videntes magnam puellæ modestiam. Beatus autem Dorotheus se magis humiliauit, supra modum exercens. Fuitque perfectus signifer.

[c] Sororem suam dæmoniacam curat.

XVII. Diabolvs autem rursus subit filiam Imperatoris, & facit vt prægnans appareat. Cœpitque [d] Imperator affici magno dolore, & eam interrogauit, dicens: Ex quo es prægnans? Ea verò illic nihil aliud respondit, nisi hoc solum: Nescio vndenam hoc mihi acciderit. Imperator verò eam magis examinabat. Tunc ei satanas hãc suggerit cogitationem, quòd monachus, qui eam circunducebat, ipse eam prægnantem reddiderit. Tũc magna ira repletus Imperator, misit ad perdendum eum locum. Cum autem principes quàm celerrimè abijssent in Scetim, quærunt intelligere ea, quæ illic fiebant, dicentes: Date nobis monachum, qui prægnantem reddidit filiam Imperatoris. Dei verò sanctus Dorotheus his verbis auditis, in medium processit, dicens: Ego sum. Afflicti sunt autem sancti patres, & dixerunt: Nos quoque tecum ibimus. Ea verò dixit eis: Domini mei, solummodo orate pro me, speroque in Deo, & in vestris precibus, fore vt cito vos adorem, & abeuntes in Ecclesiam, venerunt cum toto conuentu fratrum, factisque precibus simul egressi sunt, deducentes Abbatem Dorotheum. Sciebat enim Abbas Macarius, in illo nil esse mali.

[d] Multum ei inuidet malignus dæmon.

XIIX. Cvmqve ij peruenissent ad Imperatorem, procidit ad eius pedes Abbas Dorotheus, dicẽs: Rogo tuam pietatem vt cum silentio audiat de tua filia. Eamus seorsum, & ego vobis narrabo omnia. Non est enim ei allatum vitium, nec habet quidquam mali, absit. Postquam autem iuerunt seorsum ipsa & parentes eius, dixit eis: Per Dominum promittite mihi, quòd si cognoueritis veritatem, dimittetis me in locum meum. Quod cum ei promisissent Imperator & eius vxor, dixit eis: Qui post Deum sanam fecit filiam vestram, est mea humilitas per patrum preces. Illi verò his auditis obstupefacti, mansere muti, & attoniti. Eis autem dixit: Ego vos de hac re faciam certiores, & aperto collo sui colobij, ostendit suas mammas, & dixit: Pater, ego sum tua filia Apollinaris. Quod cum audissent eius parentes, obstupuerunt, & multæ fusæ sunt in illo die lachrymæ. Adduxerunt autem suam sororem, & dixerunt ei: Nostine hunc? Illa verò respondens, dixit: Revera hic est ille eunuchus, qui post Deum me sanauit, & procidẽs ad eius pedes, rogauit eum de suo vtero. Qui cum eam erexisset, & eius vtero manus imposuisset, eam sanam reddidit. Cum hoc autem vidissent, admirati sunt, & Deum glorificauerunt. Dixerunt itaque: Verè hæc est filia nostra Apollinaris. Fuit autem fletus cum gaudio in aula Imperatoris.

[e] Venit ad parentes suos, & puldefacit dæmonem.

XIX. Cvm autem paucos dies versata esset apud parentes, omnia eis narrauit. Quæ cum audissent, Deum laudarunt. Rogarunt verò eam, vt cum eis maneret, sed non tunc persuaserunt. Propterea autem quod ei promiserant, eam cum multis lachrymis emiserunt. Rogauit autem parentes suos, vt pro se orarent. Illi verò ei dicunt: Deus cui fuisti desponsa, ipse perficiet tecum misericordiam. Memento autem nostri, filia, in sanctis tuis precibus. Quam cum amplexi essent, ipsam dimiserunt. Voluerunt [f] autem ei dare pecuniam ad vsus patrum, sed eas non accepit, dicens: Patres mei non hacent opus pecunijs huius mundi, ne à bonis excidamus cœlestibus. Factisque precibus, dimiserunt suam filiam lætantem & exultantem. Cum ea autem venisset in Scetim, susceperunt eam fratres & patres, & Deum laudauerunt, quòd redijsset frater eorum sanus, & diem festum ei fecerunt.

[f] Non vult recipere pecuniam.

XX. Pavcis autem post diebus, quando cognouit se esse è mundo exituram, dicit Abbati Macario: Fac officium charitatis. Si contigerit me è vita excedere, ne me componant monachi. Is verò dicit ei: Quomodo potest hoc fieri? Ea autem consummata, venerunt sancti patres, vt sanctum eius corpus lauarent. Viderunt autem eam esse sexu fœminam, & exclamarunt, dicentes: Gloria tibi Christe, qui multos habes sanctos occultos. Admiratus est autem Abbas Macarius, quòd hoc sibi non fuisset reuelatum. Vna verò nocte videt visionem, quæ ei dicit: Ne angaris propterea.

[g] Migrat ex hac vita.

[a] Fiunt miracula ad reliquias eius.

propterea. Oportet enim te coronari cum sanctis patribus, qui sunt à sæculo. Tunc ei narrauit vitam, & nomen beatæ. Allatisque sanctis eius reliquijs, eam posuerunt ad Orientem sanctæ Ecclesiæ, in antro Abbatis Macarij cum gaudio & gloria vsq; in hodiernum diem, per Deum & sanctos patres: & post [a] sanctæ dormitionem peraguntur curationes, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia in sæcula, Amen.

Floruit hic S Simeon Stylita Senior circa an. 370. Vixit Theod. Episc circa ann. 440.

VITA BEATI SIMEONIS SERVI DEI, PER THEODORETVM EPISCOPVM CYRENSEM SCRIPTA, ALBERICO LONGO Interprete Est autem in Philotheo (sic enim appellatur liber) Cap. 26.

5. IAN. Graci 24. May.

I. SIMEONEM virum illustrem, ac maximum terrarum orbis miraculum, nouêre quidem omnes, & qui Romano imperio subiecti sunt, & Persæ, & Indi, & Medi, & Æthiopes, & ad Scythas etiam Nomadas huius gestorum fama aduolauit. Ego verò, quamuis omnes ferè homines eius actionum testes habeam, illarum tamẽ narrationem aggredi pertimesco: ne, quoniam supra humanam naturam sunt, omnemq; fidem excedunt, fabulosa, & ab omni prorsus veritate remota posteris esse videantur: Homines enim ea, quæ de alijs dicuntur, natura sua metiri consueuerunt: & quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Sed quoniam id illis tantum, qui diuinarum rerum imperiti sunt, accidit: periti verò, pijque homines multi sunt, qui quidem spiritus sancti gratia suadente, tantum aberit vt non credant, vt etiam maximam fidem præstent: omnia eius gesta audacter, alacriterque percurram: illinc autem initium faciam, vnde vir hic sanctus vocatus est.

[b] Simeonis Stylitæ patria.

II. Oppidum quoddam intra nostros Cilicumque fines situm est, quod incolæ Sisan appellant. Hinc oriundus Simeones, [b] ouium gregibus pascendis primum à parentibus præfectus est, vt in hac re etiam viris magnis æquari posset: nempe Iacob patriarchæ, Iosepho viro prudenti, Mosi legislatori, Dauidi regi & Prophetæ, ac omnibus demum sanctissimis illius classis viris. Cum autem multa vi niuium oues in stabulis manere cogerẽtur, exiguum illud ocium nactus, ad sacrum templum vna cum parentibus, vt ipsemet mihi narrauit, profectus est: vbi cum Euangelicam vocem accepisset, quæ flentes ac lugentes, beatos: ridentes verò miseros esse dicebat, quæque illos fortunatos appellabat, qui mundam animam possiderent, adstantium quendam interrogauit, ecquonam precio poterit sibi quisquam hæc omnia comparare? Qui sanè respondens: Si monasticam, inquit, vitam, summamque philosophiam sectatus fuerit. Quare accepto verbi Dei semine, atque in intimis pectoris penetralibus repositio, in propinquum sanctorum martyrum templum se contulit: vbi prostratus humi, eum, qui omnes vult saluos fieri, rogabat, vt sibi rectum pietatis iter ostenderet, vbi cum hoc pacto diu moraretur, somno oppressus est: mox visione [c] quadam ita se affectum dicebat, vt fundamenta quædam effodere videretur.

Matth 5. Luc 6.

[c] Videt visum.

III. DVM hæc agerem, inquit, vocem adstantis cuiusdam audio, altius effodi opus esse dicentis. Cuius ego imperio obsecutus, insto operi: re tandem, vt mihi videbatur, peracta me ad ocium referebam: cum rursus ille mihi adhuc effodiendum esse dicit. Cum hæc ter aut quater fieri imperasset, satis, inquit: nunc autem si ædificium perfici cupis, indefesse tibi laborandum est: nam absque assiduo labore fieri quicquam non potest. Quod sanè vaticinium verum fuisse, res ipsa indicat: quæ enim deinceps ab eo gesta sunt, naturam omnem excedunt. Nam [d] cum illinc surrexisset, confestim in propinquum monachorum cœtum se contulit, vbi biennio commoratus, sum namque apud eos virtutem assecutus. Teledam, de qua supra mentionem fecimus, profectus est: apud quam magni diuinique viri Ammianus & Eusebius gymnasticam palæstram instituerant. Sed non in hanc beatus Simeones, verum in aliam, quæ ab hac ipsa ducebat originem, se contulit. Eusebonas enim & Abibio, Eusebij discipuli, scolam hanc construxerant, nam moribus & vita concordes, vnamque animam duobus corporibus præ se ferentes, multos imitatores habuere. Et cum ex hac vita non sine maxima gloria migrassent, Heliodorus [e] vir sanè egregius, gregis illius dux creatus est: qui sanè cum quinque & sexaginta annos vixisset, duos & sexaginta in monasterio degit: quoniam triennio post natalem diem, omnium rerum quæ in vita aguntur, expers, semetipsum incluserat. Dicebat hic, se neque porcos, neque gallos, neque aliud huiusmodi vidisse vnquam. Hunc ego sæpius vidi, eiusque morum simplicitatem, animique integritatem sum admiratus.

[d] Fit monachus.

[e] Heliodorus puer trium annorũ monasteriũ petit.

IV. AD hunc igitur profectus, magnanimus hic pietatis athleta, decem annos apud eum commoratus est: vbi cum octoginta socios haberet, omnes superauit. Cum [f] enim alij binis quibusque diebus cibum sumerent, hic certè totam hebdomadam ieiunus, idque inuitis monasterij præfectis, modumque omnem excedere dicentibus, peragebat. Audiui plerunque gregis illius ducem narrantem, quòd asperrimo fune, ex palmarum foliis contexto, nudos lumbos cingebat, atque ita constringebat, vt omnem illam corporis partem, quam premebat, dilaceraret, assiduusque cruor manaret ab vlcere. Quem cum quidam vidisset, vndenam ille cruor esset, rogauit, quo nihil respondente, manibus violenter illatis causam edidicit: quam cum præfectus etiam accepisset, confestim & iurgijs, & precibus sæuitiam illam accusans, fecit quidem, vt vinculum illud deponeret: verum vt vlceri remedium aliquod adhiberet, persuadere non potuit. Quare [g] cum hæc aliaque huiusmodi in seipsum admittere illum viderent, iusserunt vt ab eorum palæstra excederet, verebantur enim, ne corpore imbecillibus, huiusmodi rem imitari volentibus, mali alicuius causa esset. Ille diu per montis solitudines vagatus, fossam quandam non admodum profundam, nec aquas habentem inuenit: in quam semetipsum conijciens, Deo psallebat. Post quinque verò dies gregis illius duces dimisisse illum pœnituit: quare missis duobus fratribus, inuenire illum ac reducere iusserunt. Illi totum montem peruagati, in pastores quosdam incidunt: Quos cum datis signis de illo interrogassent, ostensa à pastoribus fossa, confestim multis clamoribus funem afferunt, illumque non absque magnis laboribus extrahunt illinc: non enim ascensus æquè facilis est, atque descensus.

[f] Tota hebdomada manet ieiunus.

[g] Ob nimiũ vitæ rigorẽ dimittitur è monasterio.

[h] Reuocatur ad monasterium.

V. REDVCTVS [h] itaque, parumque apud illos commoratus, in oppidum Thelanisum proficiscitur, quod sanè montis vertici, vbi nunc situm est, subiacebat. Vbi cum angustam admodum domunculam inuenisset, totum triennium in ea inclusus permansit: & cum virtutis opes augere semper contenderet, Mosis & Eliæ diuinorum virorum exemplo, quadraginta dies ieiunare decreuit. Quare bassum, qui ea tempestate oppidorum presbyteris præfectus, multa loca circuibat, rogat, vt nulla re intra domunculam relicta, fores ipsas cæmentis obstrueret. Qui rei difficultate proposita, ab huiusmodi incepto deterrebat, violentamq; sibi mortem consciscere quenquam, non esse virtutem, sed vitium & primum & maximum, admonebat. His acceptis vir Dei, Depone, inquit, ô pater hîc decem panes & aquæ lagenam: nã si corpus cibi indigens sensero, sumam illum. Rectè, inquit ille, mox pane & aqua deposita, fores obstruxit, vt iusserat. Post [i] quadraginta dies reuersus Bassus, dirutis foribus ingreditur, panumq; numerũ, & aquæ lagenam ita vt reliquerat certè, at illum exanimem atq; mutum & immobilem inuenit. Quare accepta spongia labra illius primum madefacit, mox diuinorum mysteriotum symbola imposuit: quibus ille refectus surrexit, ac cibi aliquantulum sumpsit, lactucas scilicet, cicoria, aliaq; huiusmodi: quas dentibus non admodum confectas, dimittebat in stomachum. Quam rem admiratus Bassus, in proprium gregem se recepit, magnumq; hoc miraculum suis enarrauit, quos plusquam ducentos habebat:

[i] Ieiunat sanctus totos 40. dies.

bebat:illos tamen neque iumentum,neque molas possidere,neque allatas pecunias accipere,neque [a] monasterij foribus aut ad res necessarias parandas,aut ad amicos inuisendos egredi,sed intus manere,& id tantum,quod spiritus sancti gratia sibi missum fuisset,acciperevolebat.Quas sanè leges vsque ad hanc tempestatem eius sectatores obseruant:& quanuis eorum numerus iam auctus sit,illis tamen minimè derogant.

[a] Enyt olim etiam monachi perpetuo domi manserint.

VI. NVNC ad magnum Simeonem reuertor. Ab illa [b] igitur vsque ad hanc tempestatem,octo & viginti anni prætereûre,quorum vnoquoque quadraginta dies ieiunus peregerat. Verum & tempus & imbecillitas,bonam laborum partem diminuêre. Primis enim temporibus stans psallere consueuerat , mox cum propter inediam attentatum corpus stare amplius non posset , diuinum officium sedens celebrabat : deinde absumpto penitus, extinctoque corporis robore,humi semimortuus iacebat.Cum verò supra columnam esset,descendere quidem nolebat: sed vt stare posset, aliam machinatus est artem:nam trabe columnæ alligata,illi funibus annexus,quadraginta dies exegit:tandem fauente spiritus sancti gratia,ne trabis quidem vsus est adminiculo,sed suis fretus viribus,quadraginta dies ieiunus stetit.

[b] Quotannis ieiunat dies 49.

VII. TRIENNIO igitur,vt dicebam,in domuncula illa commoratus, postremo diuulgatum hunc verticem ascendit,ibiq; septo quodam constructo,parataq; catena quadam ferrea viginti cubitorum longitudinis, alterum eius caput lapidi cuidam maximo affixit,alterum verò dextero pedi adnexuit ita,vt ne volens quidem extra fines illos abire posset: sed intra illos permanens cœlum,& quæ supra cœlum sunt,assiduè contemplari cogeretur. Ferrea enim vincula mentem ipsam,quin officio suo fungeretur,prohibere nequibant.Cum [c] verò Meletius,qui tunc Antiochenæ regioni præfectus erat,vir fanè magna sapientia præditus,superuacaneum esse ferrum illud dixisset:rationalia siquidem mẽtis vincula corpus ipsum optimè cohibere poterant:eius admonitionibus obsecutus, fabrũ vocari,ac vincula illa dissolui iussit. Et quoniam pellis quædam hirsurta tibiæ alligata erat,ne ferri rigor illam mordere posset,soluto vinculo,ipsam etiam pellem discerpi ac proijci opus fuit.In qua plusquam viginti cimices,qui in ea nidificauerant, inuenisse dicebant, nec Magnus Meletius negabat.

[c] Meletius Episcopus Antiochẽ.

VIII. HÆC sanè inserui,vt ex hac etiam re magnam viri patientiam ostenderem:cum enim pellem ipsam manibus confricare,&illos conficere posset,corũ tamen morsus ferre malebat:nẽpe,vt ex paruis ad maiora certamina assuefieret. Cũ igitur fama eius regiones illas peruagaretur,omnes ad illum vndiq; [d] cõfluebant, nõ vicini tantum,sed qui maximè distabant,alijq; languida corpora adferebant,alij ægrotis salutem petebant,alij verò patres fieri rogabant,& quòd à natura accipere beneficium nequibant,eius precibus posse se impetrare credebant, quibus sanè rebus impetratis,mox se domum alacres recipiebant:vbi acceptos fructus ostendentes,multo plures ad virum sanctum dimittebant.Quare hominum pelagus vndiq; aduentantium,& more fluminum confluentium,apud illum videre est,non enim nostrates tãtum,sed & Ismaelitæ,& Persæ,& horum finitimi Armenij,& Hiberi,& Homeritæ,& interiores etiam populi conueniunt: multi etiam illorum,qui vltimam Hesperiam incolunt,videlicet Hispani,Britanni & Galli,qui in medio horum sunt:nam de Italia dicere superuacaneum est.Ita enim [e] virum hunc celebrem apud Romanos esse dicunt,vt pro omnibus officinarum vestibulis paruulæ huius imagines collocatæ sint:quippe sui custodiam ac tutelam in illis esse credunt.

[d] Multi ad S.Simeonẽ confluunt.

[e] Nota de imaginibus Habes hæc in 7 Synodo. Actione 4

IX. CVM autem immensa hominum multitudo ad illum confluerent,omnesque tangere illum, & benedictionem accipere contenderent,vt vanum illum honorem assiduamque molestiam effugeret , super [f] columna illa stare decreuit. Quæ sanè primum sex,mox duodecim,deinde viginti,nunc demum sex & triginta cubitorum longitudinis est. Quòd sanè,meo iudicio,non absque diuina prouidentia factum est.Quamobrem eos,qui facta aliorum carpere delectantur rogo,vt linguam compescant,& desinant maledicere,animaduertantque potius,quòd sæpè Dominus.vt segniores ad virtutem excitaret,huiusmodi technas excogitauit. Nam & Esaiam nudum,& Hieremiam zona lumbos præcinctum incredulis vaticinari , interdum etiam vectes ligneos ac ferreos ceruici imponere iussit. Oseæ etiam meretricem vxorem ducere,eandemque malam & adulteram diligere voluit. Ezechielem quoque in latus dexterum,quadraginta: in sinistrum verò,centum & quinquaginta dies recumbere:rursus carceris murum pertundere,ac fugere,& cum fugisset, reuerti,ac seipsum in seruituté tradere:iterum aũt ensem acuere,eodemq; acuto caput radere,crinesq; quadrifariã hinc & hinc incidere præcepit: Et, ne cuncta percurram, hæc certè omnia rerum omnium creatoris imperio facta sunt: vt eos,qui neque legibus obtemperabant,neque prophetas audire volebant,hoc nouo spectaculo ad eorum verba audienda cogeret. Quis enim non perterrefiat,si virum sanctum ac diuinum,nudum incedentem videat? Quis autem eius rei causam scire non optet? Quis non percontetur,quamobrem propheta meretricem vxorẽ habere sustineat? Quemadmodum igitur rerum omnium Dominus ad communem multorum vtilitatem vnumquodque eorum fieri iussit,sic etiam vt desides populos ad salutem excitaret atque alliceret, nouum hoc spectaculi genus edidit, vt homines illius nouitate moti conuenirent,ac proinde verbum Dei audirent,& salui fierent. Et quemadmodum illi, qui in homines imperium habent, per aliquod temporis spatium nouas aliquas numismatibus imagines sculpunt, leonum videlicet, aut stellarum,aut angelorum,vt aurum illud nouo impressum charactere,pretiosius esse ostẽdant: sic etiam ille rerum omnium Imperator hoc vitæ genus,quasi nouum characterem proponens,omnium non fidelium tantum, sed infidelium etiam linguas,ad illius laudes decantandas excitat & inflammat.

[f] Stat in columna.

Esa 20. Ier.13 & 28. Osee 3 Ezech.4. Ezech 12. Ezech 5.

X. QVOD autem hoc verum sit,non verba,sed res ipsa indicat: Infinitum enim Ismaelitarum numerum,in impietatis tenebris errantem,stans ille super columnam illuminauit. Illustris enim lucerna hæc tanquam super candelabrum posita,vt sol quidam in omnes orbis partes radios emittit. Videre itaque est,Hiberos,Armenos,ac Persas ad illum confluentes baptizari,Ismaelitæ verò turmatim veniunt,partiumque detestantes errorem & idola, viri sancti commercio à rebus Venereis,quarum causa se in idolorum seruitutem redegerant,abstinent, legibusque à sacro illo ore acceptis, patrijsque ritibus abdicatis,non asinorum agrestium,camelorumque carnibus vescuntur amplius , sed diuinis mysterijs fruuntur.

[g] Simeon multis adfert verum lumen.

XI. HORVM spectator ego ipse fui sanè,& patriam impietatem detestantes, euangelicamq; doctrinam probantes audiui,nec sine maximo meo periculo,nam [h] cum vir sanctus iussisset,vt à me sacerdotalem benedictionem illis profuturam acciperent,impetum in me barbarico more facientes,alij à fronte, alij à tergo, alij verò à latere distrahebant,alij verò super alios conscendentes,manusq; protendentes,vel barbam vellebant,vel vestem discerpebant: ac me illi profecto necassent,nisi vir sanctus alta voce omnes à me abegisset.Tales irrisa illa à multis columna fructus ferebat,taleq; diuinitatis lumen in cæcis barbarorum mentibus infundebat.

[h] Mirus feror Ismaelitarum.

XII. ILLVD etiam,quod ab huiusmodi barbaris factum est,addam:Duæ illorum tribus erant,quarum altera virum sanctum rogabat,vt eius tribuno suam benedictionem mitteret, altera verò refragabatur, dicebatque non illi opus esse benedictione,qui iniquus esset&impius,sed suo potius tribuno,qui vir bonus esset ac iustus.Cũ de hac re diutius contendissent,tandem me suadente desistere velle videbantur,dicebam enim, quòd vtrique benedicturus erat. Illi rursus insurgentes , iniquum esse aiebant illum benedict onem impartiri,alij verò de altero tantundem dicebant,donec vir sanctus cominatus vtrisque , canesque illos appellans , litem diremit. Hæc adscripsi,vt veram illorum fidem ostenderem : non enim tanta altercatione insaniuissent, ni magnam vim viri sancti benedictionem habere credidissent.

XIII. ALIAS etiam stupendum sanè miraculum vidi.Ingressus enim quidam Saracenorum tribunus,rogabat,vt cuidam ex suis

ex suis opem ferret, cuius corporis membra in itinere soluta erant, in quem sanè morbum apud Callinicum (erat autem hoc præsidium quoddam) incidisse dicebat. Vir sanctus, cum illum in medium afferri iussisset, imperat, vt Maiorum suorum impietatem detestetur. Cum[a] his dictis obtemperasset, rogatus an patri, & vnigenito filio, ac spiritui sancto crederet, ait se credere: si credis, inquit, surge. Qui cum surrexisset, iussit vt tribunulum illum, virum sanè maximè corpulentum, sublatum humeris vsque ad tentorium ferret: qui subiens onus, confestim abstulit quo iussus erat. Quo sanè miraculo spectatores stupefacti, Deum laudabant. Hoc autem iusserat illi Domini exemplo, qui paralytico, vt grabatum tolleret, imperauerat. Nec aliquis imitationes has tyrannidem esse dicat. Ille enim dixit: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Cui sanè promissioni satisfieri ab illo vidimus, quamuis enim nusquam inueniatur, Domini vmbram aliquod fecisse miraculum, vmbra tamen magni Petri, & mortes abegit, & morbos depulit, & dæmones fugauit. Verum non dubium est, quin Dominus, qui per seruos suos huiusmodi fecit miracula tunc, & nunc etiam per diuum Simeonem Petri cognominem, infinita faciat.

[a] Curat paralysi dissolutum.

Marc 2. Ioann. 14. Act. 5.

EQVIDEM non solum eius miraculorum spectator, sed vaticiniorum etiam auditor fui. Siccitatem enim, atque illum sterilem annum, & quæ post eum secutæ sunt, famem & pestem, duobus annis ante prædixerat, cum se virgam, magna minitantem hominibus flagella, vidisse dicebat. Alias[b] etiam vermium illorum, quos bruchos appellant, magnam futuram copiam, non multum tamen illaturam detrimenti, significauit: eiusdem enim dexteræ, à qua calamitas proficiscebatur, benignitas præsidio nobis futura erat. Post triginta dies tanta illorum vis exorta est, vt quasi nubes solis radios offuscaret. Fruges tamen illas, quæ ad iumentorum victum pertinent, radicitus extirpârunt, quæ verò ad hominum, intactas reliquere. Mihi etiam, quem quidam bello lacessebat, post quindecim dies pacem futuram prædixit: quod sanè verum fuisse comperij. Alia huiusmodi multa sciens prudensque gratia breuitatis omitto, nam ex his quæ dicta sunt, spiritus sancti gratia, qua pollebat, satis superque intelligi potest. XIII.

[b] Immensa bruchorum copia.

HVIVS etiam gloria maximè apud Persarum Regem viguit. Cum enim legati, qui à nobis ad Regem ipsum profecti erant, de hoc viro mentiouem fecissent, satis humanè, quænam esset vita hominis, & qualia miracula, interrogasse fertur. Dicitur etiam eius vxor oleum[c] ab eo benedictum petijsse, ac veluti preciosissimum munus domum reportasse. Omnes etiam Regis ministri, huius fama moti, quanuis multas à suis Magis contrà ipsum sycophantias accepissent, rem tamen diligenter perscrutati, virum hunc plusquam humanum esse dicebant. Cætera verò Persarum turba, ad regis ministros & cohortes confugiens, pecuniam dabat, vt oleum à viro sancto benedictum sibi impetrareut. Ismaelitarum etiam Regina, cum sterilis esset, & parere cuperet, viros quosdam dignitate præditos misit, pes quos matrem se fieri rogabat: qua gratia impetrata, accepto regio puero, ad diuinum senem properat, sed quoniam mulieribus aditus præclusus erat, misso ad illum infantulo, vt eius benedictionem acciperet, hæc verba suo nomine ferri ad illum iussit: Hic fructus tuus est, ego enim multis cum lachrymis tuæ benedictionis semen concepi, tu verò fecisti, vt semen illud fructus esset: illi enim imbrem diuinæ gratiæ tuis precibus impetrasti. XIV.

[c] Oleum benedictum à sancto viro, quanti fecerint Persæ.

SED quousque[d] Atlantici maris profunditatem metiri contendo, cum ea, quæ ab illo quotidie geruntur, numerum omnem excedant? Equidem præ cæteris eius animi dotibus, patientia potissimum mihi admiranda videtur, nocte enim ac die stans spectatur ab omnibus, foribus enim hoc tempore, ac magna murorum parte sublata, nouo atque admirabili omnium spectaculo expositus est. Modo enim stans, modò verò humi prostratus, Deum adorat. Multi etiam adstantium eius inclinationes enumerant: semel autem meorum quidam mille ducentis quadraginta quatuor enumeratis defessus, tandem numerare amplius desijt, dum autem inflectitur, frontem pedum tenus applicat, quippe, cum[e] semel tantum in hebdomada cibum, & hunc exiguum capiat, dorsum facilè incuruari potest. Fertur etiam, quòd continuè stando, pedum eius alter vlcus contraxit, ex quo multa sanies assiduè scatere videtur. Verum nihil horum ab instituto deterret: sed æquissimo animo fert quæcunque sibi, & sponte sua, & se inuito obtingunt, omnia enim inuicta patientia vincit. XV.

[d] Eximia eius patientia.

[e] Admiranda abstinentia.

HOC sanè vlcus olim ostendere cuidam coactus est, hac de causa: Venerat quidam *à Rhamene vrbe vir sanè egregius, & ad Christi ministerium assumptus: qui cum montis illius verticem ascendisset, Dic mihi, inquit, per illam quæso veritatem, quæ humanum genus ad se conuertit, es ne homo, an incorporea natura? Quam sanè interrogationem cum adstantes molestè ferrent, iusso omnibus silentio, Cur me interrogas ait? Quoniam, inquit, vna omnium voce audio te, quod sanè proprium hominis est, neque comedere, neque dormire: quod si verum est, miror certè vnde viuas. Scalam columnæ primum admouere illum, mox ascendere, ac manibus explorare iubet. Qui dextera per interiores cilicij partes iniecta, non pedes tantum, sed molestissimum vlcus illud palpabat, quo inuento, illius magnitudine stupefactus, auditoque quod cibum etiam quandoque sumeret, descendit illinc, & cum me conuenisset, omnia narrauit. XVI.

*ab Arabene.

IN publicis[f] autem solennitatibus aliud patientiæ specimen præ se tulit, nam ab occasu ad ortum Solis, sublatis ad cœlum manibus, totam noctem stetit, neque somno victus, neque labore defessus. Tanta autem rerum gestarum miraculorumque numero splendens, adeo modestus est, vt omnium hominum se infimum atque postremum existimet. Præter modestiam verò, ita facilis, affabilis, & humanus est, vt ad cuiuslibet siue artificis, siue mendici, siue rustici, interrogata respondeat. Doctrinæ etiam munere Dei benignitate donatus est: ita vt bis in die turbas hominum docens, aures eorum, verborum venustate spiritualique scientia demulceat pariter ac *referciat: horteturque illos, vt cœlum tantum spectent, ad illud contendant, terrena despiciant, promissa regna cœlestia complectantur, & quæ futura sunt, sperent. XVII.

[f] Tota nocte stat sublatis in cœlum manibus.

*reficiat.

EST etiam[g] illum iudicia exercentem, æquasque sententias proferentem, videre: quibus rebus post nonam horam operam dat, post quam adstantes primum docet, mox quorundam auditis petitionibus, illis subuenit, deinceps lites dirimit. Circa solis occasum recipit se ad diuina colloquia. Et licet his, alijsque huiusmodi negocijs impediatur, Ecclesiarum tamen curam non omittit: sed modò Græcorum impietatem expugnat, modo Iudæorum debellat audaciam, interdum hæreticorum acies fundit, nunc de negocijs omnibus Regem certiorem facit, nunc magistratus ad zelum Dei excitat, illosque hortatur, vt magis quàm pastores ipsi de Ecclesia Dei soliciti sint. XIIX.

[g] Exercet iudicia, & lites dirimit.

HÆC scripsi, vt omnium virtutum eius minimam patrem ostenderem, omnia enim, quæ de eo narrantur, quis complectatur vnquam? neque ego me complexurum sanè, sed paucis tantum enarratis, totius eius sapientiæ quasi characterem ostendere sum pollicitus. Scribent autem alij, vt par est, his multo plura, &, si vir hic sanctus vixerit adhuc, maiora fortasse miracula adijciens. Equidem illum, cum commune totius vrbis, Christianæque pietatis sit ornamentum, precibus adiutum, in huiusmodi laboribus perseuerare, eiusque vitam Euangelicæ legi consentaneam esse & opto, & obsecro. XIX.

Hacte-

Hactenus habetur in versione Latina Alberici Longi: Porro in editione Gentiani Herueti ea quæ sequuntur, adiecta sunt: incertum, vtrum à Theodoreto, an ab alio quopiam.

XXI. CVM post hæc autem diu vixisset, & multis miraculis, & laboribus, ardoreque solis, & hyberna glacie, & vehementibus ventorum insultibus, & humanæ naturæ imbecillitate, solus ex omnibus, qui vnquam fuerunt, mansisset inexpugnabilis: postquam eum deinceps oportuit esse cum Christo, & immensorum certaminum coronas accipere, quòd homo quidem esset, morte [a] confirmauit ijs, qui non credebant: mansit autem etiam post mortem immobilis: & in cœlum quidem anima peruenerat, corpus autem ne sic quidem cadere sustinuit: sed rectum stetit in loco certaminum, tanquam inuictus athleta, nulla parte membrorum volens terram tangere. Sic Christi athletis manet etiam post mortem cum eis simul versans victoria. Variorum [b] certè morborum curationes, & miracula, & diuinarum virtus operationum, sicut quando erat superstes, ita nunc quoque fiunt, non solum apud loculos sanctarum reliquiarum, sed etiam apud summæ eius virtutis & diuturnæ decertationis monimentum: magnam, inquam, illam & celebratam columnam huius iusti & laudibus celebrandi Simeonis: cuius sanctis intercessionibus cupio, vt ego adiutus in his sanctis perseuerem laboribus, Deumque precor, qui est communis ornatus, est splendor pietatis & veræ religionis, vt & mea vita corrigatur, & ad Euangelicam vitæ formam dirigatur.

[a] Persoluit naturæ debitum S. Simeon. Superuixisse eum vsque ad 4. annum Leonis Mag. Imp. qui fuit Christi 460. asseruit Bar. in notis ad Martyrolog. Rom.

[b] Miracula post obitum. Vide Nicephor. lib. 14. cap 51. Baron. ann: 460. Super columnam celsulam ex tabulis struere, primò omnium docuisse C. Mœnium Rom. habet Baron. ex Ascon. in Martyrol.

Hæc ex Theodoreto descripsimus, quibus nunc ea subiecimus in Honorem tam eximij viri, quæ Euagrius Scholasticus Epiphanensis habet Ecclesiastica Historiæ lib. 1. cap. 13. & 14.

XXII. CAP. XIII. EIS DEM temporibus (puta, sub Theodosio iuniore Imperatore) floruit, inque magna gloria fuit Simeones, vir & insignis pietatis, & memoriæ percelebris. Hic primum stationem in columna instituit, domiciliumque in ea, cuius mensura vix duos continebat cubitos, constituxit. Per idem tempus Dominus Antiochenum procurauit episcopatum: qui vbi venit ad Simeonem, mansionem & rationem viuendi admiratus, ea quæ apud illum secretiora erant, cognoscere valde cupiebat. Ambo igitur simul ingrediuntur, & puro Christi corpore consecrato, vitalem inter se mutuo participant communionem. Iste Simeones vitam cœlestium potestatum in carne æmulatus, se à rebus terrenis abstrahere laborauit, vim adferre naturæ, quæ solet suopte nutu deorsum ferri, res in sublimi locatas persequi, & inter cœlum & res terrestres quasi medius interiectus, cum Deo colloqui, eum pariter cum angelis laudibus extollere, & tum preces pro hominibus è terra in cœlum subleuans, Deo offerre, tum misericordiam Dei de cœlo in terram deferens, hominibus impartiri. Huius res gestas literis prodidit, cùm alius quidam, qui cum oculis adspexisset: tum Theodoretus Ecclesiæ Cyrenensis Episcopus, eadem disertè exposuit: à quo cum alia, tum hoc, quod deinceps dicemus, inprimis prætermissum est: quod quidem inuenimus apud sanctos eremi incolas reseruatum, ipsumque ab illis accepimus.

XXIII. CVM [c] Simeones iste, qui in terra angelus, in carne cœlestis Ierusalem ciuis fuit, peregrinam hanc viuendi viam, hominibus planè incognitam, instituerat, sancti eremi incolæ mittunt quendam ad illum, iubentque vt ab eo sciscitaretur, quid hæc noua & inusitata vitæ ratio sibi vellet, & quamobrem trita viuendi via, & sanctorum pressa vestigijs, relicta, aliam quandam peregrinam & hominibus omnino ignotam sequeretur: eumque hortantur per nuncium, vt ex suo domicilio descenderet, viamque electorum patrum instaret. Quòd si alacri animo ac parato descendere videretur, mandârunt vt ei sua ipsius viuendi via insistendi potestas fieret: (ex obedientia enim satis constare posse dixerunt, eum Deo duce in eam viam ingressum fuisse, tamque graue certamen ad se affligendum in vita suscepisse) sin resisteret, aut suæ inseruiret voluntati, ac non statim ipsorum hortationi morem gereret, vt vi inde abstraheretur. Nũcius [d] vbi accessit ad eum, & patrum mandatum illi exposuit, isque extemplò alterum produxit pedem, patrum hortationi obsecuturus, permisit sua ac propria viuendi via incedere, sic eum affatus: Bono animo sis, & strenuè rem gere, statio tua à Deo est instituta. Hæc res ab alijs, qui de eo scripserunt, prætermissa, digna tamen quæ literis prodatur à me hoc loco commemorata est.

[c] Probatur S. Simeon. num spiritu Dei ducatur.

[d] Simeonis prompta obedientia.

XXIV. VIRTVS [e] porrò diuinæ gratiæ tam penitus in istius insedit animo, vti ad Imperatorem Theodosium, per legem iubentem, vt Iudæis Antiochiam incolentibus, ipsorum synagogæ, quas antè Christiani ab illis abstulissent, redderentur, adeo liberè scripserit, adeoque acriter eum propterea increpârit, (solum namque suum Imperatorem Deum veritus est) vt Imperator Theodosius, quò Christianorum satisfaceret voluntati, sua mandata reuocaret, præfectumque, qui ipsum de Iudæorum synagogis reddendis docuerat, abdicaret magistratu, & sanctissimum ac aereum oraret martyrem, vti nominatim pro ipso Deum obsecraret, obtestareturque, atque sua ipsum impertiret benedictione. Iste Simeones hoc seuerum viuendi genus in carne traducens, vitam vsque ad quinquaginta sex annos propagauit. Nam in monasterio, in quo primum diuinas viuendi præceptiones didicit, annos vixit nouem: in Mandra autem (sic enim vocatur) quadraginta septem: atque horum annorum decem in loco admodum angusto confecit, in columnis arctioribus septem: denique in columna quadraginta cubitorum, triginta.

[e] Obiurgat Theodosiũ Imperatorẽ

XXV. HVIVS [f] sanctissimum corpus post migrationem è vita, Antiochiam deportatum fuit, Leone tum imperium gerente, & Martyrio administrante Episcopatum Antiochiæ: Ardaburio præterea præfecto præsidiorum in Oriente, cum militum ducibus, & cæteris ordinibus, in ipsa Mandra commorantibus, seruantibusque sanctissimum beati Simeonis corpus, ne vrbes vicinæ illud surriperent. Itaque corpus sacratum, multis miraculis in itinere editis, defertur Antiochiam: quod Leo Imperator postea ab Antiochenis petiuit. At Antiocheni contra Imperatori aliud postulatum offerebant, quod ita se habet: Quoniam ciuitas mœnibus caret, (Imperatoris namque furor ea diruit) sanctissimum Simeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri & monumenti loco sit. Quibus verbis persuasus Leo, eorumque obsecutus postulationi, venerandum [g] corpus illis concessit. Istius corporis cum multę aliæ partes, ad nostram vsque ætatem fuêre reseruatæ, tum caput ipse equidem conspicatus sum, Gregorio viro magni nominis id temporis episcopatum illius Ecclesiæ gerente, & Philippico efflagitante, vti sanctorum reliquiæ, quo tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur. Atque, [h] quod valde mirandum videtur, capilli in capite inhærentes, minimè consumpti sunt, sed perinde ac si viueret, & cum hominibus versaretur, integri manserunt. Frontis item cuticula, quanquam contracta fuit in rugas, exaruitque, tamen mansit incorrupta: multi etiam ex dentibus, qui hominum fidelium manibus minimè fuissent euulsi: hique figura sua indicarunt, qualis diuinus ille Simeones fuerit, & qua statura. Ibi quoque catena ferrea, quam collo gestabat, reponebatur: qua cum (nam ne mortuum quidem, charum illud ferrum, Simeonem deseruit) corpus omnium sermone celebratum, quod tam graues exantlâsset labores, diuinos honores consecutum est. Cuius singulas res gestas cum ad meam ipsius, tum ad legentium vtilitatem narrando percensetem, nisi de eisdem à Theodoreto, vti supra dixi, vberius diffusiusque disputatum esset.

[f] Translatio corporis eius.

[g] En quanti fiunt reliquiæ S. Simeonis.

[h] Capilli eius integri permanent.

XXVI. CAP. XIV. DEINCEPS aliud, quod ipse oculis vidi, scriptis mandabo. [i] Permagno tenebar desiderio templum istius sancti Simeonis adspiciendi. Abest autem Theopoli, id est, Antiochia, stadijs ad summum trecentis, positum in ipso montis iugo

[i] Vide Niceph. ca 58. lib. 14.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iugo. Istud Mandriam vocant indigenæ: cui loco seuera vitæ disciplina, arbitror, quam sanctissimus Simeones in eo exercuit, istud nomen tribuit. Montis autem accliuitas porrigitur ad viginti stadia. Templi ædificium [a] extructum est in modum crucis, porticibus ex quatuor lateribus pulchrè illustratum. Porticibus verò columnæ expolito lapide continuè fabricatæ, adiunctæ sunt, quæ tectum scitè admodum in sublime erigunt. Versus medium templum, atrium est sub dio, summo artificio elaboratum: in quo sita est columna illa quadraginta cubitorum, in qua vitam cœlestem. Ille terrestris corporeusque angelus transegit. Atqui porticus, quas diximus, tanquam cancellos, quos fenestras vocant, in tecto habent, tum ad atrium, tum ad ipsas porticus vergentes. Ad læuam columnæ in vno cancellorum ipse equidem cum tota agricolarum, circa columnam incedentium, multitudine ibi in vnum coacta, vidi stellam [b] inusitata magnitudine, discurrentem per totam rimam, iubarque fundentem, neque id quidem semel, bisve aut ter, sed sæpius; eandemque crebro euanescentem, & ex improuiso apparentem denuo: quæ solum in istius sanctissimi viri die festo cernitur. Sunt qui memorant, ac miraculo sanè tum propter fidem eorum qui idem ipsum narrant, tum propter alia, quæ ipsi sumus conspicati, credendum est, veram personæ illius effigiem, huc illucque volitantem, se vidisse, barba demissa, & capite, vt solet, tiara operto. Viris, qui ad eum locum veniunt, liber & facilis patet introitus, hique cum iumentis suis columnam sæpè circumeunt. Fit [c] autem custodia accuratissima, ne mulier (qua de causa, haud equidem habeo dicere) aliquando in templum ingrediatur: sed si quæ accedunt, extra limen consistunt, miraculum admiratæ. Nam è regione stellæ fulgentis vna ex portis sita est.

[a] Templũ S. Simeonis

[b] Nota miri quiddam de stella.

[c] Fœminæ huius templi aditu arcentur.

Sancti huius Simeonis Stylitæ, quem seniorem vocant, vitam, ab Antonio eius discipulo conscriptam, libr. 1. Vitarum SS. Patrum offendes. De eodem plura habes in Actis S. Theodosij Cœnobiarchæ 11. Ianuarij, & in vitâ S. Danielis Stylitæ 11. Decembris. Aliam translationem vitæ huius quam dedimus per Gentianum Heruetum libr. 9. de vitis Patrum offendes.

AN. 1040

S. EDVARDI REGIS VITA, AVTHORE EALREDO ANGLO, MONACHO ET ABBATE IN RHIEualle Cistercienſ. Ordinis. Floruit is Ealredus Anno Domini 1164.

5. IAN.

Act. 10.

2. Tim. 2. Rom. 9.

GLORIOSI ac Deo dilecti Regis Eduardi vitam literis tradituri, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum principis sumamus exordium: qui Centurionis vocationem admirans, ait: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. In omni enim gente, ordine, gradu & dignitate nouit Dominus, qui sunt eius, & miseretur cui voluerit, & misericordiam præstat, in quem sibi placuerit. Neque enim ex suiipsius natura, vel paupertas præstat, vel adimunt diuitiæ sanctitatem: nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit: nec claudit libertas, nec reserat seruitus paradisum. Primus [d] patriarcha Abraham & dives scribitur, & perfectus, cuius fides admirabilis & obedientia inimitabilis in rerum omnium copia prædicatur. Ioseph dominus Ægypti constitutus à rege, vniuerso orbi præbuit castitatis exemplum. Sanctus Iob [e] qualis in diuitijs fuerit, earum probauit ademptio, quem morbus corporis, tentatio vxoris, amicorum exprobratio, spectabili patientia reddidit clariorem. Rex [f] Dauid quo nemo ditior, sed nemo & sanctior, quo nullus sublimior, sed humilior nullus, & inter thesauros innumeros sepelitur, & inter Dei amicos cæteris gratior computatur. Nemo proinde miretur, si noster Eduardus & rex dicatur, & sanctus: quem cernimus & in diuitijs egenum, & in delicijs sobrium, in purpura humilem, & sub corona aurea mundi contemptorem. I.

[d] Abraham & dives & perfectus.

Ioseph castissimus.

[e] Iob.

[f] Dauid.

[g] Ethelredus rex.

CVM enim rex Ethelredus [g] ex filia comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum, cognomento Ferreum latus, ex regina autem Emma Alfredum: beatus Eduardus intra viscera materna conclusus præfertur vtrique, agente eo, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, qui dominatur in regno hominum, & cuicunque voluerit, dat illud. Fit enim coram rege magnus procerum & episcoporum conuentus, & quia iam futura cladis indicia sæua processerant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Alij verò Edmundum ob inuictissimum robur corporis æstimant præferendum, alij ob virtutem Nortmannorum Alfredum promouendum tutius arbitrantur. Sed [h] futurorum omnium præscius, prioris breuissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum, vniuersorum vota conuertit. Vtero adhuc clauditur, & in regem puer eligitur: non natus, natis præfertur: & quem necdum terra susceperat, terræ dominus designatur: & læti proceres sacramentum fidelitatis illi iurant, qui vtrum nasceretur ignorant. Paulò itaque post natiuitatem sancti Eduardi irruentibus in Angliam barbaris, & maximam insulæ portionem cæde incendioque vastantibus, regina cum filijs in Nortmanniam transposita est. Viuebat in [i] auita domo inter pueros puer, immunis tamen à vitijs, quibus ætas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu, & purus affectu. Frequentare Ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solennijs, visitandis monasterijs operam dare, & quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare. II.

[h] Eduardus necdum natus, eligitur in regem.

[i] Virtutes Eduardi pueri.

SÆVIEBAT [k] interim gladius hostilis in Anglia, cædibus & rapinis omnia replebantur: vbique luctus, clamor & desolatio. Incenduntur Ecclesiæ, monasteria deuastantur, sacerdotes à suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos [l] vir venerabilis Brithuualdus Vuintonienſis Episcopus, cœnobium Glastonienſe mœrens ac tristis ingressus, orationibus vacabat & psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque liberatione preces lachrymasque profunderet, quasi in hæc verba prorumpens, ait: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo auertis faciem tuam? obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, & non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Scio Domine, scio, quia omnia quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti. Sed nunquid in æternum proijciet Deus, & non apponet vt complacitior sit adhuc? Eritne Domine Deus meus, eritne finis horum miserabilium? aut in æternum tuus in nos mucro desæuiet, & percuties vsque ad internecionem? Inter [m] preces tandem & lachrymas fatigatum sopor suauis excepit, videtque per somnium, beatum Petrum in eminentiori loco constitutum, & ante eum præclari vultus in forma decenti, regalibus insignijs amictum Eduardum. Quem cum proprijs manibus Apostolus consecrâsset & vnxisset in regem, monita salutis adiecit: præcipueque cælibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus, aperuit. Obstupefactus præsul tanti miraculi nouitate, petit sibi à sancto huius visionis mysterium reuelari. De statu insuper regni, & de instantis periculi fine Apostolicum exegit oracullum. Tunc placido vultu intuitus intuentem se, ait: Domini, ô præsul, est regnum, & ipse dominabitur in filijs hominum. Ipse transfert regna & mutat imperia, & propter peccata populi regnare facit hypocritam. Peccatum peccauit populus tuus Domino, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliuiscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cùm dormieris cum patribus III.

[k] Barbati vastant Britanniam.

[l] Brithuualdus Episcopus.

Ps. 11. 43. 87. Dan. 3. Psalm. 76.

[m] Visio Brithuualdi Episcopi.

Psalm. 21. Dan. 2. Iob. 34. Psalm. 76.

tribus tuis, visitabit Dominus populum suum, & faciet Dominus redemptionem plebis suæ. Elegit[a] enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui me opitulante regnum adeptus Anglorum, Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilis ciuibus, vtilis ecclesiæ, laudabilemq; vitam sancto fine concludet. Quæ omnia in beato Eduardo completa, rei exitus comprobauit. Cum autem episcopus de posteritate Eduardi quæreret, respondit sanctus Petrus: Regnum Anglorum, regnum Dei est. Post istum prouidebit regem ad placitum suum.

[a] Insigne encomium S. Eduardi.

IV. STABAT adhuc spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius, externisq; malis accessit ciuilis discordia, adeò vt quis cui mentis suę secreta comitteret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula: nusquã tuta fides: nusquam sine suspicione amor, sermo sine simulatione. Tãdem[b] eousq; proditio ciuilis, & astutia processit hostilis, vt defuncto rege Ethelredo, magna pars insulæ, legitimis hæredibus abdicatis, Canuto, qui regnũ inuaserat, manus darent: perẽptoq; inuictissimo rege Edmundo, etiam filios eius, adhuc in cunis agentes, Barbaris mitterent occidendos. Alfredus demum Eduardi frater in Angliam transuectus, inaudita crudelitate ab hostibus ciuibusq; perimitur. Tunc Eduardus omni humano destitutus auxilio, exul patriæ, regni & honoris, viuebat: Impiorum insidias timebat, & nẽ à suis proderetur, vel ab hostibus ad mortem emeretur, plurimum formidabat. Inuẽto autẽ consilio salutari, Deo prosternitur, talia prosequẽdo: Eccè Domine, non est mihi auxilium in me, & necessarij mei recesserunt à me: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit, fratres meos crudelitas proditorum absorbuit, nepotes in exilium acti sunt, mater[c] æmuli nostri nuptijs tradita est. Ita solus relictus sum, & quærunt animam meam. Sed tibi Domine derelictus sum pauper: pupillo tu eris adiutor. Tu quondã Eduuinum, morti expositũ, mirabili modo & vitæ reseruãsti, & regno. Tu illud Angliæ decus, sanctum Osuualdum ex exule regem factum, per signum crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, & custodieris me, & reduxeris me in regnum patris mei, eris[d] tu mihi semper in Deum, & beatus Petrus Apostolus in patronũ: cuius sacratissimas reliquias in vrbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturũ me promitto. Exhinc autem factus fide robustior, spe alacrior, expectans expectauit Dominum.

Psal 106.

[b] Canutus rex Danorũ Christianus & obpietatẽ mire commendatus, anno 1016. mortuo Ethelredo, fuit electus rex ab Anglis, reiectis legitimis regni hæredibus, ob necẽ Ethelredo fratri illatã. Vide Bar. ad an. mem.

Iob 6. *Psal* 37.

[c] Canutus matrem ei⁹ duxerat vxorem.

3. *Reg.* 19.

Psal 8. *Gen* 28.

[d] Votum S. Eduardi

V. CANVTO[e] autem rege rebus humanis exempto, filijs eius immatura morte præreptis, Angli Danico iugo liberati, Eduardum in regem elegerunt, & cum maximo honore consecrari & inungi fecerunt. Tunc sacerdotes sapientia & sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant: agebat clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo. Videbatur etiam terra fœcũdior, aër salubrior, maris vnda pacatior. Reges n. & principes pro tanta rerũ mutatione admiratione perculsi, cũ tanto rege fœdus inire, amicitias iungere, pacem componere grauisi sunt. Sola tamen * Dacia adhuc spirans & anhelans cædes, Anglorum interitum minabatur. In his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed hanc sibi viuẽdi formam proponens, suis se domesticis præbebat æqualem, sacerdotibus humilẽ, plebi gratum, compatientem miseris, & largum egenis. Nulla apud eum personarum acceptio: sed iudicabat in iustitia pauperes, & arguebat in æquitate pro mansuetis terræ. Eratq; pater orphanorum & iudex viduarum. Si quicquam petebatur præbebat: si accipiebatur, tacebat. Nullus vnquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira efferatum, aut gula dehonestatum. Supra humanum enim modum pecuniæ comtemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior.

[e] Eduardus Rex coronatur anno 1043. opera Goduuini Comitis vt habet Bar. ex Ingulfo *Rogerio* & alijs ad hũc annum.

* *Dania.*

VI. RECVMBENTE aliquando gratia quiescendi rege in lectulo, camerarius accessit ad thecam, in qua æs regium seruabatur, & reposito intùs quod volebat, & illam claudere oblitus, foràs egressus est. Animaduertit hoc quidã, & accedẽs ad thecã, pecuniam non modicam in sinũ recondit, & abscedit Reuersus denuò, rege inspectante, facinus iterauit. Quòd[f] cũ tertiò attentãsset, cernens rex in spiritu thesaurorũ adesse custodem, ait: Importunè agis, ô homo: si mihi credis, tolle quod habes, & fuge: quoniam si venerit Hugolinus, (hoc enim cubicularij nomen erat) nec vnum tibi nummum relinquet. Fugit ille, & vix pedem extulerat: & eccè minister regis rediens, & thesaurum ablatum reperiens, timore & tremore concutitur: angustiam cordis & furorem mentis clamor & suspiria prodiderũt. Surrexit rex, & quasi nesciens quid acciderit, perturbationis huius causam inquirit. Quam cùm didicisset, ait: Tace, fortè ille qui cepit, plus nobis indiguit. Habeat sibi: nobis sufficit quod remansit.

[f] Nota insignẽ pecuniæ contemptũ & clementiam tanti Regis.

VII. PROCERES autẽ terrę de successione soliciti, regẽ de vxore ducenda cõueniunt. Stupet rex, thesauro metuens suo, qui in fictili vase recõditus, facilè poterat calore dissolui. Sed q̃d ageret? Si obstinat⁹ resisteret, timebat nè propositi sui deretur dulce secretũ: Si suadentibus prębberet assensum, naufragiũ pudicitiæ formidabat. Tandẽ importunè insistẽtibus, cedere tutius ratus, huiusmodi verbis pudicitiam suam Domino cõmendabat: Iesu bone, tua quondam misericordia tres pueros inter flammas Chaldaicas illæsos seruauit. Per te Ioseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis euasit. Admirabilis Susannæ constantia, tua virtute de impudicis presbyteris triumphauit. Sanctæ Iudith castitas ab Holoferne nec lædi potuit, nec tentari. Eccè ego seruus & filius ancillæ tuæ, qualiscunque dilector tuus & vnicæ matris tuæ: succurre mihi Domine, quatenùs sic maritale suscipiam sacramentum, vt pudicitiæ periculum non incurram. Rege[g] igitur procerum voluntati consensum prębente, Goduuini filiam duxit in vxorem. Erat autẽ Goduuinus vir magnarum opũ, sed astutiæ singularis, Regũ regniq; proditor: qui doctus fallere, & quælibet dissimulare consuetus, facilè populum ad cuiuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut spina rosam, genuit Goduuinus * Editham. Hanc dilecto suo præparauit Christus Eduardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. Legere, aut operari manibus, ocium fugiendo, consueuit lasciuiam vitare, & colloquia iuuenum declinare. Conuenientibus igitur in[h] vnum, rex & regina de castitate seruanda paciscuntur, nec huîc fidei aliũ, quàm Deum, testem æstimant adhibendum. Fit illa coniunx mente, non carne: ille maritus mente, non opere. Perseuerat inter eos sine actu coniugali coniugalis affectus, & sine defloratione virginitatis, castæ dilectionis amplexus. Diligitur ille, sed non corrumpitur: diligitur illa, nec tangitur: & quasi noua quædam Abisag regem calefacit amore, sed non dissoluit libidine: mulcet obsequijs, sed desiderijs non emollit.

[g] Eduardus rex inuitus ducit vxorem.

* *Edgidam.*

[h] Cum spõsa pacisci tur de seruanda corporis integritate. 3. *Reg.* 1.

VIII. QVADAM verò die Pentecostes, cùm rex diuinis interesset mysterijs, hora eleuationis corporis Christi subitò rex vultu hilarior, & erectior oculis, in risum modicum, seruata tamen regia grauitate, dissoluitur. Mirari, qui aderant, cęperunt: nec sine causa, cum præter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem Missarum solennijs, causam risus instanter adstantes sibi exponi petunt. Ille,[i] vt erat miræ simplicitatis, simpliciter quærentibus, simpliciter omnia confitetur, dicens: Conuenit Danis cum rege suo antiquum facinus iterare, & quam nobis propitia diuinitas largita est, infestare quietem. In percussione quidem nostra, qua castigans castigauit nos Dominus, ignorantes Dei iustitiã, & suã extollentes virtutem, dixerunt: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Quia verò Deus patribus nostris iratus, Danorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes, facilè hoc ipsum & nunc fieri posse arbitrantur: nescientes quia qui percutit, ipse & sanat: & qui mortificat, ipse & viuificat: & qui ducit ad inferos, ipse & reducit. Igitur rex Daciæ, coacto in vnum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naues parari præcepit. Iam naues velis, & vela ventis fuerant committenda: & rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsũ non sustinens, dum de scapha in nauẽ conscendere vellet, pede lapso inter vtranq;, in mare corruit: & statim abyssus vallauit eum, & pelagus

[i] Visio S. Eduardi de Danorum regis interitu. *Deut.* 32. *Deut* 32. 1 *Reg* 2.

cooperuit caput eius:Sicq; morte sua vtrũq; populum,Danorũ scilicet & Anglorũ,à peccato pariter & periculo liberauit. Et spero in Domino Deo meo & in dulcissima matre eius, quòd temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum.Hæc sunt,quæ Christo reuelante cognoui, & vidi,& risi, & grauisus sum. Risum enim mihi fecit Dominus, & quicunq; audierit,corridebit mihi. Notantur tempus & hora:mittuntur nuncij in Daciam, & omnia quæ beatissimo regi cælitus nunciata fuerant,vera & eadem hora accidisse reperta sunt.

SVCCEDENTIBVS itaq; prosperis,rex voti sui nequaquã oblitus,recogitans quãta sibi fecerit Dominus,qui ditauit, IX. egenum,sublimauit humilem,inglorium coronauit,parat reddere vota sua,parat sumptus,parat donaria.Vocatis autem regni proceribus,habuit cum eis de statu regni,vel de sua peregrinatione sermonem, dicens:Non [a] excidit vobis, quomodò irruentibus in hæreditatem nostram Barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his,qui in circuitu nostro sunt. Alijs namq; interfectis,alijs iugo ignominioseq; seruitutis oppressis,nihil ferè honoris nihil gloriæ nostro generi reliquerunt. Tãdèm defuncto patre meo,peremptis fratribus,actis in exilium nepotibus,& cùm hostibus nostris in omnibus fortuna faueret, mihi profectò nihil spei superesse videbatur. Ego verò contra spem credens,&Domini mei misericordiæ me totũ dedens,peregrinationem meam ad sanctorum Apostolorum limina voui,& deinceps diuinæ me protectioni dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam,& non spreuit precẽ meã,& abstulit opprobriũ meum,& restituit me in regnum patris mei. Insuper cumulatum diuitijs auxit gloria, donis cęlestibus illustrauit.Ipse sine sanguine rebelles subegit,hostes subuertit, & omnia nostra amabili quadam pace composuit.Absit vt tot & tantis eius beneficijs inueniamur ingrati:quin potiùs de manu inimicorum nostrorum liberati,seruiamus illi in iustitia& veritate,faciamusq; quod ait propheta:Vouete & reddite Domino Deo vestro.Decerni te ergo mecũ,quomodo me peregrinante,regnũ subsistat Anglorum:qua lege,qua pace,qua iustitia,quo iudice omnia disponantur:quis castra,vrbes,priuata & publica negocia procuret. Erit autem vnus omniũ custos & protector Deus, & pacem quam dedit,ipse seruabit,nobiscum proficiscens & remanens:qui & vos custodiat,& me reducat.Tunc omnes in communi vociferantes ad Regem,se non deserendos,se non exponendos gladijs, patriam hostibus non prodẽdam,nec pro vno,vt putabatur,bono tot admittenda pericula allegabant. Tunc rex eorum vocibus & precibus vrgeri se sentiens,diù in animo fluctuabat:quia & voto supersedere periculosum, & tantorum precibus fletibusq; non cedere,inhumanum arbitrabatur. Tandem [b] peregrinationem differens, expectabat donec Apostolico fultus consilio, aut votum redimeret,aut impleret.

[a] Oratio regis Eduardi ad proceres

Psal. 75.

[b] Consulit de voto sũmum Pontificem.

DEMVM Pontifex summus, consideratis præmissis & diligenter discussis, regi epistolam subscripta continentem X. transmisit.Leo [c] Episcopus seruus seruorum Dei,dilecto filio suo Eduardo Anglorum regi, salutem & Apostolicã benedictionem.Quoniam voluntatem tuam laudabilem & Deo gratam cognouimus,gratias agimus ei, per quem reges regnant,&principes iusta decernũt.Sed qnia propè est Dominus in omni loco omnibus inuocantibus eũ in veritate,& sancti Apostoli cum suo capite coniuncti,vnus spiritus sunt,& pias preces æqualiter audiunt: & quia constat periclitari Anglicam regionem ex tua discessione,qui fræno iustitiæ seditiosos eius motus cohibes:ex authoritate Dei & sanctorum Apostolorum absoluimus te à peccato illius voti,pro quo offensam Dei times, & ab omnibus negligentijs & iniquitatibus tuis,ea potestate vsi,quam Dominus in beato Petro concessit nobis, dicens: Quæcunq; solueris super terram,soluta erunt & in cœlis.Deindè præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, vt expensas, quas ad iter istud paraueras, pauperibus eroges, & cœnobium monachorum in honore S. Petri Apostolorum principis aut nouum constituas,aut vetustum emendes,& sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas:quatenùs dum illi assiduè inibi Deum laudauerint,& sanctis augeatur gloria,& tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris, vel collatũ est,vel conferetur,vt ratum sit,Apostolica authoritate præcipimus, & vt semper habitatio monachorum sit,& nulli laicæ personæ nisi regi subdatur: & quæcunq; priuilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia,concedimus,& robustissima authoritate confirmamus, & in fine fractores eorum æterna maledictione damnamus.

[c] Epistola Leonis Pontificis ad S. Eduardum.

Matth. 16.

RESPONSALIBVS autem regis & literis Pontificis [d] oraculum cæleste cõcurrit.Erat enim vir quidam in Anglia.Deo XI. dilectus & hominibus,qui in specu subterraneo multis annis inclusus,suorum erat meritorum stipendijs iam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens,ait:Rex Eduardus pro voto, quo se cũ adhuc exularet, adstrinxerat, pro regni etiam pace pauperumque necessitate preceque solicitus, Romanam ecclesiam de omnibus credidit consulendam.Nouerit ergò se mea anthoritate ab hac obligatione solutum, & de cœnobio ad mei nominis honorem construendo,à summo Pontifice suscepisse mandatum.Incunctanter itaq; literis Apostolicis fidem habeat,præceptis obediat,consilijs acquiescat.A me enim egressus est sermo,quem sibi quondam patronum elegit,viæ comitem,gratiæ largitorem. Est autem mihi locus in occidentali parte Londoniæ à me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi proprijs manibus consecraui,mea nobilitaui præsentia,diuinis etiam miraculis illustraui. Thorneia nomen est loci, qui quondam ob peccata populi,Barbarorum traditus est potestati,pauperrimus ex diuite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me rex præcipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificijs, possessionibus amplíandum. Non erit ibi aliud,nisi domus Dei & porta cœli.Ibi erigenda est scala, per quam descendentes & ascendentes angeli, preces & vota hominum perferant, & deferant gratiam. Indè ascendentibus reserabo ianuas paradisi, vt ex officio,quod meus mihi Dominus ac Saluator iniunxit, & ligatos absoluam, & absolutos suscipiam: & quam eis delictum occluserat, iustificatis portam patriæ cælestis aperiam. Tu autem omnia,quæ audisti à me,& didicisti,literis tradens,regi mitte,vt munere Dei duplicato, & de absolutione securior, præcepti executione deuotior,in meî autem dilectione & obsequio reperiatur propensior.His dictis,lux cum loquente disparuit. Scripsit itaque senex omnia audita, & regi direxit. Eadem [e] autem hora lecto Papæ rescripto,beati senis apices recitantur.Tũc rex lætus & alacris,pecuniam quam ad peregrinationem parauerat,pauperibus distribuit, & monasterium ædificauit.

[d] Visio cuiusdam solitarij.

[e] Obedientia regis erga Pontificem

TEMPORE quo rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantia, prædicante beato Augustino fidei sacramenta susceperat. XII. nepos eius Sebertus, qui orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem episcopo euangelizante suscepit.Hic [f] Londonijs quæ regni sui caput habebatur,intra muros ecclesiam B.Pauli fabricauit,& episcopali honore, Mellitum episcopũ instituens honorauit.Extra muros verò in occidẽtali parte,in honore B.Petri monasteriũ insigne fundauit,& multis possessionibus ditauit:Nocte autem,dedicationem eiusdem ecclesiæ præcedente,piscatori cuidam Thamensis fluuij, qui idem monasterium præterfluit,vlteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens,promissa mercede, transponi se ab eodẽ& petijt,& promeruit.Egressus [g] autẽ de nauicula,ecclesiã,piscatore cernente,ingreditur.Eccè subitò lux cælestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium,melodiaq; cælestis insonuit,indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autẽ omnibus,quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant,solennijs,redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem dum diuini luminis fulgore perterritum, & alienatum penè sensibus reperisset, blanda consolatione red-

[f] Mellitus Londoniẽsis episcopus.

[g] S. Petrus dedicat tẽplum,in ipsius honorem exstructum.

ne reddit hominem sibi, animum rationi. Ingredientes cymbam simul vterq; piscator, ait Petrus: Nunquid pulmentarium non habes? Et ille, Inconsultæ, inquit, lucis perfusione stupidus, & expectatione tuî detentus, nihil cepi, sed promissam à te mercedem securus expectaui. Ad hæc Apostolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscatoris esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: Hunc qui præ cæteris precio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem episcopo. Pro nautica verò mercede, cætera tibi tolle.

XIII. Hvivs generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore post te progenies tua: tantùm nè vltrà piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis conciuibus constructam in meo nomine basilicam dedicaui, episcopalemque benedictionem meæ sanctificationis authoritate præueni. Dic ergò pontifici, quæ vidisti & audisti: tuoq; sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione: suppleat, quod omisimus, Dominici corporis & sanguinis sacrosancta mysteria: populumq; sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebrò visitaturum, hîc me fidelium votis & precibus affuturum: sobriè verò, piè & iustè in hoc seculo viuentibus cœli ianuam reseraturum: His dictis, confestim ab oculis eius disparuit. Manè autem facto episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiã procedenti, cum pisce piscator occurrit, & omnia quæ sibi mandata fuerant, pandit. Stupet antistes, reseratisq; ecclesiæ valuis, videt pauimentum vtriusq; alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, & quasi recenti resperſione adhuc cuncta madescere. Quod videns episcopus, vnà cum populo Deum benedicebat, & illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique seruientibus decimas offerebat. Vnus tamen [a] semel fraudem ausus inferre, mox tandiù artis caruit beneficio, donec confessus reatum, & ablatum restitueret, & promitteret correctionem.

[a] Fraus piscatoris diuinitus punitur.

XIV. Hæc cum sanctus Eduardus relatione ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud ædificijs, possessionibus & dignitatibus altiùs extollendum exarsit animus eius, & pro priuilegijs illius loci, cæterisq; causis, nuncios Romam transmisit, talem epistolam Papæ deferentes: Summo [b] vniuersalis ecclesiæ patri Nicolao: Eduardus gratia Dei Anglorum rex, debitam & subiectionem & obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ Ecclesiæ, quoniam in loco boni prædecessoris vos optimum successorem cõstituit. Quapropter iustum iudicamus, apud vos velut ad solidam petram * acuere & probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam atq; societatem in bono habere: quatenus eas donationes & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renouetis & augeatis nobis, videlicet vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ & pœnitentiæ propter votum, quòd voueram ire Romam, & in remissionem omnium peccatorum meorum, construere cœnobium monachorum in honore apostoli Petri, ratum faciatis, & priuilegia possessionum & dignitatum eiusdem loci confirmetis, renouetis & decernatis. Ego [c] quoque pro modulo meo augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum, quas habet sanctus Petrus in Anglia: & ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam ac solennem memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus sanctorum Apostolorum.

[b] Epistola S. Eduardi ad Nicolaũ 2. Papam.
* *accedere.*

[c] Ecce vt sanctus rex libenter persoluit Romano Pontifici quod debet.

XVI. Rescripsit autem ei Papa in hunc modum: Nicolaus [d] episcopus seruus seruorum Dei, glorioſissimo ac pijssimo, omniq; honore dignissimo, speciali quoquè filio nostro Eduardo Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit, erga beatum Petrum Apostolorum principem, & nobiscum habere dilectionem, & omnibus Apostolicis consentire censuris. Literas igitur vestræ nobilitati transmittimus, & per eas sanctorum Apostolorum societatem, & nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, & rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, & fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore ampliùs, ac non minorem partem obsequij nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis prouenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assiduè, vt ipse Deus subijciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere: & confirmet nos in patrono solio, & propria hæreditate, ac beatus Petrus sit vobis custos & adiutor in omni tribulatione. Renouamus ergò, & confirmamus, ac augemus vobis priuilegia vestra, scilicet vt absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, & ab omnibus alijs peccatis & iniquitatibus vestris authoritate illius, qui me, licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit ecclesiæ.

[d] Literæ Nicolai 2. Papæ ad Eduardum regem.

XVII. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum & meliorandum suscepistis, quoniã, vt [e] fertur primam antiquitus consecrationem à beato Petro accepit, cuius, licet indigni Vicarij sumus, & quia regia antiquitus sedes est, ex authoritate Dei & sanctorum Apostolorum, atq; huius Romanæ Sedis & nostra concedimus, permittimus, & solidissimè confirmamus, vt ampliùs in perpetuum regiæ constitutionis locus sit atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omninò personæ nisi regi subdantur, habeantque potestatem secundum regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos abbates, neq; introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam cõcors congregatio esse præelegerit. Absoluimus [f] etiam eum locum ab omni seruitio & dominatione episcopali, vt nullus episcopus illuc introeat ordinaturus aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis & monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum & cœmeteriũ mortuorum circa se, absque episcopali vel cuiuslibet respectu, vel exactione: & omnia, quæ ad libertatem & exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram authoritatem accedere possunt, hilari & promptissima volũtate concedimus. Possessiones autẽ, quas antiqui reges, seu quicunq; alij homines, vos quoq; & vestri barones ad eundẽ locum contulistis, & chartas, quæ ex eis factæ sunt, diuina & nostra authoritate roboramus, & ratas ac stabiles esse decernimus, & infractores earum, vel inuasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione cum Iuda proditore damnamus, vt in beata non habeant partem resurrectione, sed à beato Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis, iudicans duodecim tribus Israel. Vobis verò & posteris vestris regibus committimus aduocationem & tuitionem eiusdem loci, & omnium totius Angliæ ecclesiarum, vt vice nostra cum consilio episcoporum & abbatũ constituatis vbiq; quæ iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius regnum & imperium non desinet, nec minuetur in seculum.

[e] Confirmatio priuilegiorũ Westmonasterij.

[f] Exemptio eiusdẽ monasterij.

Matth. 19.

XIIX. Sanctvs autem Eduardus tributum illud grauissimum, quod tempore patris sui classi Danicæ pendebatur, & postmodum fisco regio inferebatur, regia liberalitate remisit, & hoc onere importabili in perpetuum Angliam absoluit. Cùm enim collecta illa pecunia ante illum delata esset, diabolum super cumulum sedentem & ludentem vidit, & nè amplius exigeretur, præcepit. Cùm in palatio iuxta ecclesiam beati Petri rex aliquandò moraretur, superuenit quidam vir mirabilis Hybernicus genere, pedis vtriusque priuatus officio: (Nerui enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, talibus natibus inhæserant, immersique carnibus pedum articuli, à lumbis eius & deorsum corpus omne peruerterant. Porrectis ad terram manibus, & scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi grauis, trahebat se post se.) Hic videns regis cubicularium, ait ad eũ: Hugoline, non me respicies nec misereberis, nec mouebit te mea tanta calamitas? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (vt cernis)

[g] Eduardus remittit tributum Danicum subditis suis.

cernis) visitaui,& sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum princeps non negauit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi nouit in omnibus esse deuotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi regem adire, vt me suo sacro subuectum dorso ad ecclesiam eius, quæ palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc vbi nunciata sunt regi, gratias agit Deo, & citatus mox æger, accessit. Rex verò, vt spiritalis ille asinus fortis, accubans in terminis, [a] suppositi humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus, brachijsq; squamosis regium illud pectus collumq; complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alij à paupere regem delusum iocabantur, alij simplicitatem iusti, fatuitatem iudicabant. Cùm itaq; rex paululùm processisset, subitò nerui extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt è carne articuli, pedes à natibus soluuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sanie cum sanguine profluente, vestis regia ornatur potiùs, quàm fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes vlcerum deponendum. Ille vero memor præcepti quod susceperat, Syrenarum cantus obturata aure pertransijt: ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemq; dimisit. Suscepto autem à rege itineris viatico, acturus gratias Deo & sancto Petro, Romam profectus est.

Gen. 49.
[a] Nota tãti reg s humilitatem.

[b] Hunc Leofricum quidam summoperè prædicant, quod cum coniuge Gothgina sanctè vixerit, & multorum cœnobiorum fundator fuerit.

In monasterio autem beati Petri ante altare sanctæ Trinitatis, Missarum solennijs sanctus rex vice quadam cum [b] comite Leofrico assistebat. Eccè speciosus ille forma præ filijs hominum Christus Iesus in ara consistens, oculis vtriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraque dextera super regem extensa, signum sanctæ Crucis eum benedicendo depinxit. At rex, demisso capite, diuinæ maiestatis adorabat præsentiam. Comes verò quid in animo regis ageretur ignorans, volensque regem tantæ visionis esse participem, cœpit velle ad ipsum vsq; procedere. Verùm rex quid in mente comitis voluebatur, intelligens: Sta, inquit, Leofrice, sta: quod vides video & ego. Post Missam verò dixit rex ad comitẽ: Per eius, quem vidimus, maiestatem mi Leofrice te obtestor, nè, quoad vsq; vixerimus, sermo iste proferatur in publicũ, nè vel nos in perniciem nostram ob fauorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio. XIIX.

[c] Curat sanctus rex morbidam mulierem.

Sub faucibus autem quasi glandes mulieri cuidam succreuerant, quæ totam faciem deformi tumore fædantes, putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant inde nati vermes, odorem teterrimum exhalabant. Iubetur tandem in somnis adire [c] palatium, & ex Regis manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis eius reciperet sanitatem. Cùm autem venisset ad Regem, & oraculum exposuisset, ille nec sordes cauit, nec fœtorem exhorruit: sed loca tumentia manibus contrectans, & aqua lauans signum sanctæ Crucis impressit. Et subitò rupta cute, cum sanie vermes ebulliunt, recedit tumor, & dolor omnis abscessit.

[d] Cæcus sanatur aqua, qua rex se lauerat.

Cæcvs [d] quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympha, qua manus abluueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id cubiculario, & ille, regi retulisset, obstupuit ille plurimum indignatus: illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum, Apostolicæ id esse virtutis, nec fidem somnijs adhibendam asseruit. Aqua manus lauit, & ad ecclesiam processit. Cubicularius autem cæco receptam in pelui aquam illam tradit, cum qua oculos & faciem lauans, visum confestim percipere meruit. Ciuis [e] quidam Lincolnensis cæcitate, percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum eius, faciem & oculos lauat: mox tenebris diuturnis optata lux succedit. Quidam [f] cęcus regẽ adire & visum ab eo percipere monitus, cubiculario, & illerẽ regi pandit. Cui rex: Veniat, inquit. Quis ego sum qui contrister, & non potiùs exultem, si meis manibus, licèt indignis, promissum beneficium homini illi pietas diuina contulerit? Vocatus est autem vir, & à rege tactus & signatus, & inter manus eius ab oculis vtrisq; vbertim sanguis effluxit, pupillas serenauit, & tumorem palpebrarum deposuit. Et dixit homo ille: Video te, domine mi rex, & facies tua tanquam facies Angeli stantis ante me. Alia autẽ vice [g] duo cæci, cum vno monoculo, aqua lotionis manuum sancti perfusi, visum percipere meruerunt. XIX.

[e] Item alius
[f] Item alius.
[g] Itẽ duo alij, & luscus vnus.

Sedebat aliquando rex ad mensam, & à latere eius comes Goduuinus. Huius duo filij adhuc pueri, Haraldus & Tostius, ludebant coram eis, cumq; vnus ex illis amariùs, quàm expetebat ludi suauitas, insurrexisset in alterum, ludũ vertunt in pugnam. Et [h] ecce Haraldus vehementiùs in fratrem irruens, capillis eius vtranq; manum inserit, prostratumq;, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocâsset. Tunc rex versus ad ducem, ait: Nihil aliud, ò Goduuine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris? Et ille: Nihil aliud, domine mi. Tunc rex dixit: Longè aliud mea mihi mens loquitur, & his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum reuelatur. Emensis quippe pueri libus annis, cùm in virum vterq; profecerit, tandem aduersus inuicem liuor vtrunq; aduret. Et primum circumuentione insidijsq; priuatis quasi ludere videbuntur: ad vltimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, & prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit. Quæ omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paulò post in regnum successisset Eduardo Haraldus, vnà cum rege Norwegiæ Tostius prosternitur, & totus ferè exercitus deletur. Eodem anno Haraldus ipse regno spoliatus Anglorũ, aut miserè occubuit, aut, vt quidam putant, pœnitentiæ tantum seruatus, euasit. XX.

[h] Pugna filiorum Goduuini quid portẽderit.

Godvvinvs cum in mensa regia assideret, vnus ministrorum in obicem aliquem vno pede immoderatiùs impingens, penè lapsum incurrit. Quem tamen pes alius recto gressu procedens, iterum in statum suum nihil iniuriæ passum erexit. De hoc euentu pluribus inter se loquentibus, & quòd pes pedi subuenerit gratulantibus, comes quasi ludendo intulit: Sic est frater fratrem adiuuans, & alter alteri in necessitate subueniens. Et ait rex ad ducem: Hoc meus mihi fecisset, si Goduuinus hoc permisisset. Ad hanc vocem Goduuinus expauit, & tristem præferens vultum, ait: Scio ego, Rex, scio: adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis æstimas discredendum, qui me vel eius, vel tuum vocant proditorem. Sed secretorum omnium conscius Deus iudicet, & sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, & me seruet illæsum, sicut nec tuæ proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius exisso. Cumq; vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, vsq; in medium gutturis pertraxit. Tentat [i] interius trahere, nec valet: tentat emittere, sed firmius hæsit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, occluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter moriẽtem rex, & vltionem in eum sentiens processisse Diuinã, adstantes alloquitur, dicens: Extrahite canem istum. Et factum est ita. Hic Goduuinus [k] simplicitate regis abutens, multa in regno contra iustitiam & Deum faciebat. Cunctos ferè regis cognatos & amicos, quos de Nortmannia adduxerat, fraude sua, dolo & circunuentione de patria exturbabat, credens sibi cuncta processura pro voto, si rex amicis nudatus, suis tantum consilijs vteretur. At rex cuncta dissimulans, diuinis vacabat obsequijs, vltionemq; Dei sibi futuram multis prædixit. Aliquando etiam ipsi Goduuino idipsum non tacuit. XXI.

[i] Vltio diuina Goduuinum proditorem extinguit.
[k] Goduuini fugata.

In die Dominicæ resurrectionis, cum rex ad mensam sederet, arctius solito se collegit ad se: & ponens præ oculis Deum, omnia ista mundana arbitrabatur vt stercora. Et [l] eccè subitò vultus eius plus solito serenabatur, interioráque lætitia labia soluebat in risum: rursumque solita grauitate resumpta, obscuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui adstabant: nemo tñ audebat eum interrogare, quid accidisset. Mensis tandẽ sublatis, secutus est ad thalamum regem dux Haraldus, cum vno episcopo & abbate vno: simulq; regem super hoc sermone conueniunt. Tunc ille ait: Quantũ se quisque subtraxerit vanis, tantum veris arctius adhærebit. Eccè enim ego inter fœcundos calices, & pinguia fercula, ac radiantis metalli splendorem recordatus sum Domini Dei mei, & effudi in me animã meam: dilatatoq; mentis sinu XXII.

[l] Visio mirabilis S. Eduardi de septem Dormientibus.

oculus

oculus interior ſpirituali perfuſus lumine, radios profectò vſque ad illam Epheſiorum ciuitatem mira celeritate porrexit, & vſque in montem Celion progreſſus, ſanctorum quidem Septem Dormientium, quieſcentium in ſpelunca, proprietatem vultuum, necnon membrorum quantitatem, ac qualitatem veſtium expreſſione manifeſtiſſima contemplatus eſt. Hæc dum, interiorem riſu ſignificante lætitiam, corde luminoſo conſpicerem, ſubitò, me cernente, à latere dextro, ſuper quod multis quieuerant annis, in ſiniſtrum ſe latus virtute diuina vertentes, dirum mortalibus omen hac laterum ſuorum mutatione ſignârunt. Ex[a] hinc enim ſurget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & erunt peſtilentiæ & fames, & terræmotus magni per loca. His enim ſeptuaginta annis (tantum enim tempus in ſiniſtro latere repauſabunt) viſitabit Dominus iniquitatem plebis ſuæ, tradens eos in manus gentium, vt dominétur eis, qui oderunt illos. Inimici nanq; nominis Chriſti inſurgent in Chriſtianos, ſerui dominis rebellabunt, reges inſidiabuntur regibus, & principibus principes, & in omnibus finibus terræ vltor iniuriæ Chriſti mucro deſæuiet. Et expoſuit eis rex vitam illorum, & nomina, & paſſionem, & dormitionis modum. Quibus auditis, inito conſilio, vt fidem poſteris facerent, ad explorandam ſermonis veritatem, dux militem, clericum pontifex, abbas monachum cum literis regijs ad Imperatorem Conſtantinopolitanum direxerunt. Qui omnia vera reperientes, incolumes ad regem regreſſi ſunt.

[a] S. Eduard prophetia.

XXIV. SANCTVS[b] Eduardus nulli petenti in nomine ſancti Ioannis Euangeliſtæ aliquid denegabat: hunc enim poſt Apoſtolorum principem arctiùs diligebat. Vndè contigit, quòd quidam peregrinus, abſente camerario, in nomine ſancti Ioannis Euangeliſtæ importunè à rege eleemoſynam poſtularet. Cui rex precioſum annulum, cum nil aliud in prõptu haberet, dedit. Accidit poſt hæc, duos Anglicos ad adorandum Saluatoris ſepulcrum Hieroſolymam proficiſci. Qui die quadam à publica ſtrata declinantes, deuia quæque ſectati ſunt: & Sole ruente, nox obſcura adducta eſt. Et cùm neſcirẽt quid agerent, quò ſe verterent, apparuit eis ſenex quidam venerandus, qui eos ad ciuitatem reducit. Suſceptis autem hoſpitio, menſa paratur: lautiſſimeq; refecti, dant membra quieti. Manè autem facto, egreſſis illis de ciuitate, ait ſenex: Viri fratres, cum ſumma proſperitate vos repatriaturos non dubitetis: quoniam proſperum iter faciet vobis Deus, & ego ob amorẽ regis veſtri, in omni via firmabo ſuper vos oculos meos. Ego[c] enim ſum Apoſtolus Chriſti Ioannes, qui regem veſtrum ob meritum caſtitatis ſumma dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei obitûs ſui inſtare diem: quem infra ſex menſes viſitans viſitabo, vt mecum ſequatur agnum quocunq; ierit. His dictis, diſparuit: & illi ad patriam proſperè redeuntes, quę viderant & audierant, regi ſeriatim retulerunt.

[b] Amor eius erga S. Ioannem Apoſtolum.

[c] Caſtitas regis quam chara Apoſtolo.

XXV. CVM[d] autem rex infirmitate graui detineretur, in mentis raptus exceſſum, biduò ferè iacebat exanimis. Tandem quaſi de graui ſomno euigilans, aperuit oculos, & ſedit, & aſſumpta parabola, ait: Cùm adoleſcens in Nortmannia exularem, grata mihi ſemper extitit bonorum amicitia: & quicunque ſacræ religionis meliores videbantur, hi mihi cæteris erant familiariores. Inter quos duos monachos ſpeciali quadam mihi deuinxerant charitate conuerſationis honeſtas, vitæ ſanctitas, ſuauitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentiùs viſitabam: quàm dulcia faucibus meis eloquia eorum. Hos ante plurimos annos tranſlatos ad cœlum, vidi mihi paulò antè in ſomnis aſſiſtere: quid genti meæ poſt obitum meum ſit futurum, ex Dei mandato mihi referentes.

[d] Ecſtaſis S. Eduardi.

XXVI. IMPLETAM[e] dicunt Anglorum nequitiam, & iniquitas conſummata iram prouocat, accelerat vindictam. Sacerdotes præuaricati ſunt pactum Domini: polluto pectore & manibus inquinatis ſancta contrectant. Et hi non paſtores, ſed mercenarij, exponunt lupis oues, nõ protegunt lac, & lanam quærunt, nõ oues: vt detruſos ad inferos mors & paſtores depaſcat, & oues. Sed & principes terræ infideles, ſocij furum, prædones patriæ, quibus nec Deus timori eſt, nec lex honori: quibus veritas oneri, ius contemptui, crudelitas delectationi. Itaq; nec prælati iuſtitiam, nec ſeruãt ſubditi diſciplinam. Et eccè Dominus gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Oſtendit deinceps populo huic iram & indignationem, immiſſiones inſuper per angelos malos, quibus traditi ſunt anno vno & die vno, igne ſimul & gladio puniendi. Ego verò ob intentatã meæ genti calamitatem dolens atque ſuſpirans, dixi: O cęleſtium ſecretorum conſcij, ſi conuerſi egerint pœnitentiam, nunquid non ignoſcet Deus, & relinquet poſt ſe benedictionem? Pœnitentia certè prolatam Dei ore in Niniuitas ſuſpendit ſententiam: quæ etiam imminentem impiſſimo Achab, debitam diſtulit vltionem. Suadebo igitur genti meæ, vt pœniteant de præteritis, & caueant de futuris: & fortè miſerebitur Deus, vt non inducat ſuper eos malum hoc grande: ſed qui punire præparauit auerſos, recipiat in gratiam ſolita pietate conuerſos.

[e] Vaticinium de cladibus futuris Angliæ.

Ioel 2. 3 Reg. 21.

XXVII. NEQVAQVAM, inquiunt, hoc erit: quoniam induratum eſt cor populi huius, & excæcati oculi, & aures aggrauatæ, vt nec audiant corripientem, nec intelligant commonẽtem, nec terreantur minis, nec beneficijs prouocentur. His eorum verbis dum mihi maior accreſceret ſolicitudo, dixi: Num ita in perpetuum iraſcetur Deus, & non apponet vt complacitior ſit adhuc? Quandò ergo tot triſtibus læta ſuccedent, aut tot aduerſa qualis conſolatio temperabit? Quale ſperandum eſt in his malis remedium, vt ſicut illinc terret & contriſtat futura correptio, ita hinc aliquantulum mulceat diuinæ miſerationis promiſſio? Ad hæc ſancti tale mihi problema proponunr: Arbor[f] quælibet viridis à ſuo trunco deciſa, ad trium iugerum ſpatium à radice propria ſeparetur. Quæ cum nulla hominis manu cogente, nulla vrgente neceſſitate, ad ſuum reuerſa truncum, in antiquam radicem ſeſe receperit, reſumptoquè ſucco rurſum floruerit & fructum fecerit, tunc ſperandum eſt aliquod in hac tribulatione ſolatium, & de ea, quam prædiximus, aduerſitate remedium. Hæc cum dixiſſent, ipſi cælo, vobis ego redditus ſum. Aſſidebant narranti viſionem regina, Robertus ſacri palatij cuſtos, Dux Haraldus, Stigandus, & qui aſcendit cubile patris ſui, & maculauit ſtratum eius, viuente adhuc archiepiſcopo Roberto cathedram Cantuarienſem inuadens. Ob[g] hoc à ſummo pontifice ſuſpenſus, paulò poſt crepuit, & effuſa ſunt viſcera. Hic ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti: ſed potius regem ſenio confectum delirare ſubmurmurans, ridere maluit quàm lugere. Cæteri verò, quibus mens ſanior erat, flebant vbertim & ſuſpirabant, qui nihil ſecùs quàm ipſe dixerat, aut à ſacerdotibus, aut à principibus fieri non ignorabant.

Pſalm. 76.

[f] Obſcura diuinæ in Anglos clementiæ ſignificatio.

[g] Pœna inuaſoris alienæ ſedis.

XXIX. QVIDAM enim præmiſſam ſimilitudinem dicunt regem pro impoſſibili ſtatuiſſe, illi maximè, qui totam Anglorum nobilitatem ſic deperiſſe lugebant, vt ex ea gente nec rex, nec epiſcopus, nec abbas, nec princeps quilibet vix in Anglia cerneretur. Mihi ſanè alia mens eſt, conſideranti ſanctiſſimum virum Dunſtanum, & ipſam calamitatem prædixiſſe, & conſolationem nihilominùs promiſiſſe. Poteſt[h] proinde ſic non inconuenienter exponi: Arbor hæc regnũ Anglorum ſignificat, decorum gloria, delitijsq; fœcundum, excellentia regiæ dignitatis ſublime. Radix, ex qua totus honor iſte proceſſit, regium ſemen fuit, quod ab Alfredo, qui primus Anglorum à ſummo Pontifice vnctus & conſecratus fuerat in regem, recta ſucceſſionis linea vſque ad ſanctum Eduardum deſcendit. Abſciſſa eſt arbor de trunco, quando regnum à genere regali diuiſum, ad aliud ſemen tranſlatum eſt. Ad ſpatium trium iugerum hæc facta eſt ſeparatio: quia in trium temporibus regum, nulla fuit nouis cum antiquo ſemine regali communio. Haraldus enim ſucceſſit Eduardo, Wilhelmus Haraldo, Wilhelmus iunior priori Wilhelmo. Acceſſit ad radicem, quando rex Henricus, in quem totum regium decus transfuſum eſt, nulla neceſſitate cogente, nulla ſpe lucri vrgente, ſed exinfuſo ei amoris affectu, abneptem Eduardi Mathildam duxit vxorem, ſemen regium Normannorum & Anglorum coniungens,

[h] Viſionis regiæ interpretatio.

iungens,& interueniente opere coniugali,de duobus vnũ faciens. Floruit sanè arbor, quando de vtroq; semine Imperatrix Mathilda processit. Tunc verò fructum fecit,quando de ipsa Henricus exoriens,quasi lapis angularis vtrunq; populum copulauit. Habet nunc certè de genere Anglorum Anglia regem, habet de eadem gente episcopos & abbates,principes & milites,ex vtriusq; seminis coniunctione procreatos. Si autem alicui hæc displicuerit expositio, aut ipse aliter exponat,aut aliud tempus,quo hæc expleantur expectet.

[a] De obitu S. Eduardi Regis. Moritur anno,1066. regni sui 22. mense 9.

SCIENS itaque Rex,quia appropinquauit [a] hora eius,vt transiret de hoc mundo, suum transitum mox in circuitu propalari iussit,nè mortis suæ agnitione dilata,orationum quoquè suffragia differrentur. Sicque senex, & plenus dierum ac bonorum operum,migrauit ad Dominum. Obijt autem anno Domini millesimo sexagesimosexto,cum regnasset vigintitribus annis,mensibus sex,& diebus vigintiseptem,pridiè Nonas Ianuarij: cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit,perijt libertas,vigor omnis interijt. XXIX.

[b] Ad eius sepulcrũ contractus sanatur.

CONTRACTVS [b] quidam ad sepulcrum eius veniens, membrorum sanitatem deuotis lachrymis & precibus postulabat. Et Eccè vis quædam occulta subitò neruos extendit, in naturalem statum crura pedesq; retorquet, euulsisq; à carne articulis,sanguis profluit,paulatimq; succo resumpto,arida priùs ossa pristinum robur recipiunt. XXX.

[c] Item sex cæci.

SEX [c] quoquè cæci,vnum monoculũ secuti,ad sepulchrũ regis properantes,cùm alter ab altero traheretur,& vnus præcedens oculus,viris septem ducatum præberet, sancto cum lachrymis miseriam exponunt, opem flagitant, contra diuturnæ caliginis tædium,sanctissimi regis deposcunt auxilium. Nec mora,beati meritis & precibus visum oculorumq; claritatem percipere meruerunt. XXXI.

[d] Haraldus occupat regnum.

INTEREA [d] Haraldus filius Goduuini,regnum nec iure,nec natura sibi debitum vsurpans, malum, quod Anglis secundum sancti regis oraculum Dominus præparauerat, transgressione pacti cum duce Wilhelmo & fidei læsione, accelerauit: Vt autem attenuatis viribus faciliùs ab his,quos iniustè prouocauerat, hostibus vinceretur, suscitauit ei Deus à parte Aquilonis inimicos,scilicet Haraldum regem Noruuegiæ, & Tostium fratrem suum, quem de Anglia expulerat ipse, quiq; tempore regis Eduardi exulabat in Flandria. Hi cum magna classe per Humbriam Eboracum properantes, cùm exercitum Northumbrensium prælio excepissent, potiti victoria, magnam de obstantibus stragem dederunt. His Haraldo nunciatis,exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliæ collegit. XXXII.

[e] Visio cuiusdam abbatis.

APPARVIT [e] autem tunc S. Eduardus cuidam Alexi,abbati Rameſiæ,viro religioso,dicens: Vade, & dic Haraldo, vt homines,qui contra ius & fas regni huius fines inuadunt,aggrediatur securè. Ego enim ero dux & protector exercitûs,quoniam iustitiæ gentis huius deesse non possum. Per me enim reportabit vice hac de hoste triumphum. Et nè verbis tuis fidem deroget,secretum ei sui cordis ostende, vt cum ei, quæ nullo conscio mente voluebat, edixeris, non hæc tuæ adinuentioni,sed meæ promissioni adscribat: Nocte [f] quidem præterita, cùm dolore femoris torqueretur, licèt eum non parùm vrgeret imminens molestia, siluit tamen,reputans apud se, si publicaret languorem, quod suis esset contemptui,& hostibus irrisioni. Verùm quia nunc ab illa peste conualuit,de meo præsumens auxilio, contra Barbaros iustum bellum suscipiat,& ab imminenti periculo suos eripiat. Quòd cum Abbas Haraldo referâsset, ex cælesti promissione factus audacior,in valida manu progrediens,apud Stamfordbrig hostibus occurrit. Confertoq; prælio, dux vterq; prosternitur,scilicet rex Noruuegiæ,& frater Haraldi Tostius,& penè totus eorum exercitus deletus est. XXXIII

[f] Vident beati mentium arcana.

[g] Corpus S. Eduardi diu mansit incorruptum.

ANNO tricesimosexto post sancti Eduardi obitum,cùm corpus eius de terra eleuaretur [g] integrum, incorruptum, & flexibile cum vestibus recẽtibus repertum est. Quod videns episcopus Roffensis,pilum vnum deuotionis desiderio accensus,extrahere,sibiq; seruare conatur: Sed ille firmiùs hærens,effectum mentis episcopi & voluntatem defraudauit. Mulier [h] quædam in festo S. Eduardi operibus vacans,paralysis morbo correpta,ad corpus sancti deducitur, & sanitatem pristinam se recepisse lætatur. Tres viri febre quartana vexati, visitato sancti sarcophago, quasi in momento curati sunt. XXXIV

[h] Miraculũ

DE CANONIZATIONE ET TRANSLATIONE S. EDVARDI REGIS ET CONFESSORIS, EX ANTIQVO CODICE, SED quædam ante Alexandri Pontificis literas videntur deesse, de legatione ad ipsum Pontificem missa, &c.

[i] Alexander 3. in Sanctorum numerum refert Eduardum Angliæ regẽ ann. 1161.

ALEXANDER [i] Episcopus,seruus seruorũ Dei,venerabilibus fratribus,Archiepiscopis,Episcopis,& dilectis filijs,Abbatibus,Prioribus,aliisq; Ecclesiarum Prælatis,per Angliam constitutis,salutem & Apostolicam benedictionem. I.

[k] Deuotio ecclesiæ Anglicanæ erga Sedem Apostolicã.

ILLIVS [k] deuotionis constantiam & fidei firmitatem,quam circa matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam exhibetis,diligentius attendentes,in id * positi voluntatis adducimur,vt vos sicut charissimos fratres,& speciales Ecclesiæ filios, syncera charitate in Domino diligamus,propensius honoremus: & postulationes vestras,quantum cum Deo possumus,libenti animo admittamus. Indè vtique fuit, quòd super petitione, quam de Eduardo glorioso quondàm rege Anglorum canonizando, & in sanctorum catalogo adscribendo, tam charissimus in Christo filius noster Henricus,illustris Angelorum rex, quàm vosipsi nobis instantius porrexistis, solicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ, dum in carne mortali viueret,& postquàm de præsenti sæculo est assumptus,omniporens Dominus per suam misericordiam declarauit: visis etiam literis antecessoris nostri,piæ recordationis Innocentij [l] papæ, vestris quoquè testimonijs indè receptis: quanuis negocium tam arduum & sublime non freque inter soleat in solennibus concilijs de more concedi,de cõmuni tñ fratrum nostrorũ consilio,iuxta votum & desideriũ prædicti filij regis ac vestrũm,corpus ipsius Confessoris ità glorificandũ censuimus,& debitis præconijs honorandum in terris,sicut eundem Confessorem Dominus per suam gratiã glorificauit in cælis: vndè videlicet inter sanctos Confessores decæterò numeretur,qui hoc ipsum apud Deum signis meruit & virtutibus obtinere. Quia igitur decet honestatis vestræ prudentiam eum piè colere,& toto studio venerari, quem authoritate Apostolica venerandum vestra postulauit deuotio & colendum: vniuersitatem vestram per Apostolica scripta monemus,& exhortamur in Domino,quatenus eũ ità deinceps studeatis debitis obsequijs honorare, vt ipsius intercessionibus apud districtum iudicem mereamini veniam obtinere, & glorioſum in æterna beatitudine præmium inuenire. Datum Anagniæ,7. Idus Februarij.

[l] Innocentius.

Nuncijsitaque ab Apostolica sede regressis, sæpedictus Abbas,conuocatis venerabilibus personis, tam episcopis,quàm abbatibus,in Ecclesia Westmonasterienſi,primò coram omnibus recitari fecit literas Apostolicæ authoritatis de beati regis canonizatione: sicque vniuersis applaudentibus, assentientibus, & Deum magna voce laudantibus, de glorioso Domini confessore Missa solenniter celebrata est: quam tamen Dominus Papa primò in Ecclesia Romana fecerat per vnum de Cardinalibus honorifice, sicut dignum fuerat, decantari. Sed quia causis exigentibus,rex adhuc in transmarinis partibus agebat, iuxta mandatum ipsius & desiderium dilata est vsq; in reditũ suum,& eidẽ seruata sacri corporis * reuelatio. Decursis verò ferè duorum annorũ curriculis, rege à Nortmania in Angliã iam regresso, II.

* releuatio.

regresso, cupiens Abbas susceptum negotium ad effectum perducere, & illud sacrum corpus, quod iam diu in terra latuerat, in eminentiori & honestiori loco collocare, cum rege secretum, & diligentem de celebranda beati regis translatione tractatum habuit, postulans vt bono principio manum debitæ consummationis adhiberet, præsertim cum ex eius mandato acceperit, præsentiam ipsius huic negotio esse expectandam. Annuit rex iusta poscenti, diemque certum, iuxta quod vtrique videbatur opportunum, indixit. Interim verò accepto Abbas à prudentioribus viris consilio, beati corporis glebam primò secretius inspicere decreuit, vt sic expeditius ad solennem transire posset *reuelationem. Sed quia opus hoc sanctum & dignum esse sciebat, suam formidans indignitatem, semel & iterum accessit, & tentauit: sed toties conscia sibi mens infirmitatis suæ, manum pia quadam hæsitatione trepidantem retraxit. At crescente timore, creuit & deuotio: crescente deuotione, adfuit confidentia cum amore, qui sæpè foràs mittit timorem. Ex ipso itaque timore confidentior effectus, & minus timidus, tempus obseruauit, quo tam secretum negocium opportunè tractaret.

*releuationem.

III. QVADAM [a] itaque nocte fratribus post matutinas vigilias ad strata reuersis, ianuis Ecclesiæ clausis, seruientibusque laicis exclusis, remansit in Ecclesia solus Abbas cum Priore, & quibusdam de fratribus ad hoc delectis, qui se ex mandato Abbatis ieiunijs & orationibus ad tam sanctum opus tractandum deuotiùs præparauerant. Quibus omnib. albis indutis, & nudis pedibus, præmissáque oratione, & cum psalmis decantata litania ante altare, processit ad tumulum Abbas cum Priore, & duobus fratribus, cæteris ante altare in lachrymis, & oratione persistentibus. Cumque lapidem, qui sarcophago superpositus fuerat, sustulissent, admotis propius lucernis, conspexerunt virum iacentem in vestitu deaurato, calceatum caligis purpureis & calceamentis pretiosis, caput & faciem cooperta mitra rotunda, auro satis operosè intexta: barbam etiam niueam & prolixam, modicumque crispantem, super pectus decenter ordine suo iacentem. Accitis itaque fratribus, qui in oratione ante altare remanserant, & ad tam desiderabile spectaculum admissis, facta est lætitia magna cum gratiarum actione inter illos. Non [b] tamen adhuc stetit, nec sic quieuit vehemès ille spiritus deuotionis, & ardens desiderium inspiciendi, tractandi, & interius perscrutandi thesaurum illum preciosum, quem se magna iam ex parte vidisse gratulabantur. Apponentes itaque manus debita cum deuotione & reuerentia, vestes, capitis operimentum, tunicam & caligas pia quadam inquisitione tractabant, tentantes, si quam fortè, sicut dictabat ratio, expetebat natura, admisissent corruptionem. Et ecce omnia ea reperiunt integritatem pristinam retinuisse: ex parte tamen obfuscatum aduertunt colorem & decorem eorum, tum ex diuturna lapidis contiguitate, tum ex puluere, & cæmento, quod in sarcophagi apertione introrsum ceciderat: quod tamen linteo, sicut poterant, amouentes, materiam, opus & colorem facilè deprehendere potuerunt. Suppositis itaque manibus cum reuerentia & timore, corpus illud glorioſum alij ad caput, alij ad pedes, quidam ad humeros, & per medium leuantes, & super extensum tapetum in panno serico precioso inuoluentes, in cista lignea ad hoc prę parata inclusserunt, omnia, quæ cum eo inuenta fuerant, intus relinquentes, excepto annulo aureo, quem in digito regis inuentum, Abbas propter deuotionem retinuit, & ad huius memoriam satis prouidè reseruare decreuit.

[a] Abbas cū suis reuerēter se præparat ad aperiēdum sarcophagum S. Eduardi.

[b] Vestes ītegras quidem defuncti, incorruptæ inuentæ.

IV. ADVENIENTE [c] itaque die, quem rex celebrandæ translationi præfixerat, omnibus paratis, quæ tantæ rei necessaria videbantur, veniens in Ecclesiam cum magno procerum & illustrium virorum comitatu, primò cistam, in qua precioſus ille thesaurus continebatur, recludi fecit, assistentibusque Archiepiscopo Cantuariensi, & episcopis quamplurimis, Abbatibus quoque & alijs venerabilibus personis, præsentem illam regiæ personæ maiestatem oculis vidit, manibusque, quantum timor & reuerentia permisere, tractauit, omniaque ita se habere gauisus est, sicut ei ab Abbate primò fuerat intimatum. Facta [d] igitur, sicut dicti solennitas expetebat, processione, precioſoque incorrupti virginis corpore per claustrum monasterij regis humeris præcipuorumque totius regni procerum manibus reuerentissimè deportato, posita est super candelabrum præclara illa lucerna in domo Domini, vt qui ingrediuntur, lumen videant, & illuminentur ab ea. Sicque illud vas insigne castitatis, & vniuersæ virtutis domicilium in feretro pretioso, quod ei ex auro & argento construi fecerat illustris rex & consobrinus eius, strenuus Anglorum debellator, Wilhelmus, regijs manibus honorificè collocatum est, laudantibus cunctis voce lætabunda, & benedicentibus Deum, qui in sanctis suis semper est glorioſus, & in omnibus suis operibus mirabilis.

[c] Transfertur sacrę eius reliquiæ valde honorifice, anno 1163.

[d] S. Eduard. in coniugio permanit virgo.

V. CELEBRATA [e] est autem translatio ista anno ab incarnatione Domini milleſimo, cēteſimo ſexageſimo tertio, 3. Idus Octobris, die Dominica, ab excellentissimo Anglorum rege Henrico, assistentibus venerabilibus viris Thoma Archiepiscopo Cantuariensi, Gileberto Episcopo Londoniensi, Henrico Wintoniensi, Nigello Heliensi, Roberto Lincolniensi, Wilhelmo Norwicensi, Iacelino Salesberiensi, Waltero Roffensi, Hilario Ciceſtriensi, Bartholomæo Exoniensi, Richardo Ceſtrensi, Godefrido episcopo sancti Asaph: & de Nortmannia episcopis, Lexoniensi Ernulpho, Ebroicensi Rotroto, Abricensi Achardo. Abbatibus, Hugone sancti Edmūdi, Roberto sancti Albani, Rogero Radingensi, Gregorio Malmesberiensi. Comitibus etiam, Roberto Legerceſtrię, Hugone Comite de Nottsule, Galfrido Comite de Essexia, Wilhelmo Comite de Arundel, Reginaldo Comite Cornubiæ, Patritio Comite de Salesbiria, Wilhelmo Comite de Albamara, Richardo Comite de Penbroch: & procerum, militū, cæterorumque diuersi ordinis & officij innumera multitudine: summi Pontificatus arcem regēte sanctissimo Papa Alexandro 3. huius beneficij auctore pariter & largitore, anno eiusdem Papæ 4. regnante pijssimo & glorioso Anglorum rege Henrico 2. anno regni eius nono, præsente & huic operi accuratissimè præsidente iam dicto eiusdem loci reuerendo patre Laurentio.

[e] Sub hoc Henrico 2. cæsus est S. Thom. Cāt uariensis Archiepisc.

DE SS. MARTYRIBVS, QVI IN THEBAIDE SVB DIOCLETIANI PERSECVTIONE DIVERSO TORMENTORVM genere cæsi sunt, ex libri 8. cap 9. historiæ ecclesiasticæ Eusebij, interprete Ioanne Christophorsono.

AN. 302.

NVLLO dicendi genere explicari potest, quænam verbera, quas ærumnas, martyres in [f] Thebaide exantlârint, testis acutis vndularum loco admotis, per totum corpus ad extremum spiritum dilacerati. Mulieres autem vno pede alligatæ, sublimes in aerem, capite deorsum statuto, quibusdam machinamentis attractæ, nudis omninò, & detectis corporibus, spectaculum fœdissimum, crudelissimum omnium, & ab omni humanitate alieniſſimum intuentium oculis exhibuerunt. Homines rursus arboribus, & earum ramis astricti perierūt. nam cum duos ramos, robustissimos illos quidem, machinis quibusdam in vnum attraxissent, ad vtrunq; illorum martyrum crura distinentes, affigentesque, eos impetu quodam denuò pro natura distendi, diffundiq; dimiserunt, sicque illorum membra, in quos ista excogitabant, repentino impetu distracta fore suspicati sunt. Neq; hæc certè fuêre ad paucos dies, aut ad exiguum tempus: sed diu admodum, ad annorum integrorū spatium continuata, in quo quidem spatio erant interdum plures quam decem, nonnunquam viginti numero, & ampliùs eo, sæpè non pauciores, quàm triginta interfecti. Iam propè sexaginta, aliquando rursus centum viri, vno die, simul cum tenellis admodum liberis & mulieribus morti addicti, & varijs suppliciorum generibus, vicissitudine quadam admotis

[f] Thebaidis martyrum horrenda supplicia. Huc refer Niceph. c 3. lib. 7. Bar. an. 302.

[g] Diuturna persecutionis crebra supplicia, eademque crudelia Christianor.

motis trucidati. Ipſi etiam, cum fortè in eiſdem locis verſaremur, complures confertim vno die ſumus oculis contemplati, alios ignis incendio perimi, alios ſecuri percuti, vſque adeò, vt tum ſecuris ipſa feriendo obtunderetur, & velut crebriore ictu debilitata infringeretur : tum carnifices ipſi trucidando defatigati, mutuis operis traditis, alter ad alterum ſubleuandum ſuccederent. Quo [a] quidem tempore mirandam ſupra modum alacritatem, vimque reuera diuinam, & ſingularem animi propenſionem eorum, qui in Chriſtum Dei crediderunt, intuebamur. Simulatq; enim ſententia contra priores pronunciata fuit, alij aliunde ad tribunal iudicis proſilire cœperunt : ſeque Chriſtianos confiteri, acerbitates [b] & multiplicium tormentorum modos pro nihilo putare, abſque metu & terrore liberè pro religione & cultu Dei omnium rerum moderatoris loqui: cum gaudio denique, riſu & lætitia poſtremam mortis ſententiam excipere, ſic vt pſalmos, hymnos, & gratiarum actiones in Deum totius mundi conditorem, quoad extremum ſpiritum edidiſſent, lætis animis decantarent.

[a] *Martyrum alacritas admiranda.*

[b] *Martyrum gratiarum actiones in medijs tormentis.*

AN. IIIO. Habetur tō 12. Ant. Lect. Hen. Caniſij.

VITA S. ERMINOLDI NOBILIS SVEVI HIRSAVGIENSIS MONACHI, ABBATIS LORSACENSIS, ET POSTEA PRIMI Pruſeningenſis monaſterij prope Ratiſponam, à S. Ottone Bambergenſi Epiſcopo ædificati, Abbatis. Iuſſu Vlrici Abbatis XVI Pruſeningenſis anno 1281. à Monacho eiuſdem monaſterij conſcripta, & ab Henrico Caniſio Nouiomago IC. ex MS. Codice primum edita.

6. IAN. *Pſalm. 11.*

NOVISSIME diebus iſtis, in quibus (proch dolor) iuxta Pſalmiſtæ querelam, defecit ſanctus, & diminutæ ſunt à filijs hominum veritates, bonorum antecedentium ſanctitatem & ſcripto recolere, & memoriæ tradere poſterorum, tam rationis inſtinctu monemur, quam ipſa vtilitate allicimur & profectu. Denique Sanctus Sanctorum, à quo Sanctitas omnis tanquam à fonte primario ſcaturigine multiformi permanat in ſanctos, in riuulorum limpida puritate dum noſcitur & laudatur, ſui ſitim in eis excitat ſalutarem, qui ab eo dulcedinem deriuatam in ſuorum mirifica ſuauitate legendo præſentiunt, & præguſtant. Accedit ad hoc, quod nos, qui futuram inquirimus ciuitatem, manentem in hoc ſæculo non habētes, dum in huius vitæ ac viæ procinctu eorum calles aſpicimus, qui tam aduerſantis mundi ſiniſtram, quàm blandientis, dextram contemnendo, viam regiam incedentes ſeruauerunt, ipſi quoque rectorum recta ſectando veſtigia, non abducimur ad intorta compita deuiantium plurimorum, qui ſe ſequentes illaqueant, & illaqueatos immergunt doloribus ſempiternis. Poſtremo illud quoque ſanctorum bona commemoranda conſequimur & ſcribendo, quod illorum eo ipſo meremur auxilijs adiuuari, quorum virtutibus congaudemus & gloriæ. Dumque alios hæc legentes ad ſtudium boni bonorum accendimus & monemus exemplis, ipſorum nos, quos prouocauimus, interceſſio conſequitur, & à domino, in quo laboramus, certa remuneratio comparatur. Iſta conſiderando ad Beatiſſimi Erminoldi Pruueningenſis Eccleſiæ primi Abbatis geſta magnifica deſcribenda, curſum ſtili dirigimus, qui gregis noſtri tanquam Aries quidam inſignis & prædux, & fideliſſimus Protopaſtor, ad aulas ſummi paſtoris æthereas nos præceſſit. Nec tam arduum opus aggredimur, in noſtris, quæ nullæ ſunt, viribus confidentes, ſed in eo, ſine quo nec incipi poteſt bonum aliquod nec compleri. Animat nos præterea, & id tentandi præſtat audaciam ipſe inchoationis huius inſtinctor præcipuus & iniunctor, venerabilis ſcilicet Pater dominus Vlricus Sextuſdecimus Abbas Pruſeningenſis Eccleſiæ, qui anteceſſoris tanti virtutibus coëxultans, ac per hoc nequaquam carens ipſe virtutibus, Anno incarnationis dominicæ M. CC. LXXXI. primo anno ſui regiminis, onus hoc Atlanticum nobis tāquam pigmeis impoſuit, vno eodemque præcepto ſuo ac iuſſu, authoritatis ſuæ ſcutum opponens linguæ calumnianti, quæ nos præſumptionis forſan argueret, & inſufficientiæ noſtræ deſperationis obicem auferens, & auſum conferens ad iniuncta. Scriptum autem ſcientes eſſe : Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos, optantes nos ad exprimenda vera ſufficere, nihil circa rem geſtam addere vel mutare conabimur, nihil de proprio confingemus, ſed vt fidelis ad nos vſque traduxit antiquitas ſiue veritate ſeruata, ſtilum aliquanto tentabimus facere comptiorem, ne rei vtilitas, tanquam Falerni nobilitas ac dulcedo obruditatem inculcioris eloquij, tanquam ob vaſculi cariem contemnatur. Sæpiùs etenim crater tornatilis & elegans, potum bonum & bibilem meliorat; deformis verò catinus, infuſi & nectaris minuit ſuauitatem.

PRO-LOG.

Hebr. 13.

Iob. 13.

Pſalm. 18.

IGITVR cum Apoſtolicæ prædicationis in omnem terram ſonus exiſtet, & in fines orbis terræ verba eorum, gra- LIB. I.
norum more diſperſa, per campos mundi latiſſimos & patentes, in fructus proficerent copioſos, & ex omni natione, I.
quæ ſub cœlo eſt, cœli horrea meſſe fidelium replerentur, Alemaniæ [c] quoque deſerta in vbertatem verſa, virorum illuſtrium plures dignos agricolæ Chriſto manipulos protulerunt. Ex quibus Auguſta quidem rutilat Vdalrico, Chunrado Conſtantia ſuffloreſcit. Alio Vdalrico Hirſaugia venuſtatur, gloriatur Henrico & Chunegunda ſua Babenberch & Ottone. Altach ac Hyldensheim Godehardo illuſtratur. Alia quoque Germaniæ loca quam plurima pluribus alijs tantis & tot exultant, quod vt de his taceatur, quos vel hominis ſegnis ignauia, vel incuria ſucceſſorum, ſeu etiam diurni tēporis intercurſus, memoriæ humanæ ſubtraxit, quos tamen indelebiliter continet vitæ liber, melius ac fœlicius ſemper in Dei præſentia, quàm in noſtra memoria breui ac momentanea conſtitutos. Si liceret, horum omnium vellemus mentionem facere nominatim, quorum nomina & virtutes, viuacis ſcripturæ tenacitas, adhuc quaſi cuiuſdam indicis oſtenſione præſentat, numeroſitate ſola vocabulorum capaciſſimi certè codices tenderentur. Hæc idcircò diximus, vt in gaudio recordemur, quomodo terra noſtra per infidelitatem quondam ſterilis peperit plurimos verè ac veraciter Samueles : qui licet in ſuo quiſque loco diuiſi, in vno tamen ſpiritu prout vult, ſingulis diuidente, ſoli domino laudabiliter, vt quondam ille Samuel ſeruierunt, in ſanctitate & iuſtitia coram illo. Inter quos Deus omnipotens ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum, de quo ſcripturi ſumus, Beatiſſimum ſcilicet Erminoldum Prufingenſem primum Abbatem, ſpeculum ſui temporis & exemplar, & poſterorum lumen, & iubar illuſtre. Et tu ergò Eccleſia Prufingenſis nequaquam minima es in præcipuis Monaſterijs Alemaniæ, ex te enim exijt, non quidem carnis exortu, ſed ſpiritus tranſitu ex hoc mundo ad patrem venerabilis ille Dux, qui de vitæ ſecularis Ægypto eductus, vita pariter & virtute Moſaica, Pharaone, id eſt, principe mundi relicto, ad terram veræ promiſſionis, vt alter Ioſue te præceſſit, Seon regem Amorreorum & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan, per quæ multiformis informitas intelligitur vitiorū, ſtrenuo ante congreſſu triumphans. Ad cuius illuſtria tandem calamus ſe conuertat, quem ſpiritus ſanctus & temperare & irrigare dignetur, qui eius, quem deſcripturus eſt, tanquam venerabilis templi ſui conſecrator pariter extitit & poſſeſſor.

[c] *Multi ſancti in Germania.*

Philip. 4.

1 Cor. 12. 1. Reg. 3. Luca 1. Epheſ. 4. 1. Theſſ. 3. Mich. 5.

[d] *Patria & parentes S. Erminoldi.*

BEATVS [d] igitur Erminoldus de gente Sueuorum progenitoribus quidem exortus eſt, modo ſæculari ſatis cla- II.
ris. Qui conceſſo ſibi pignore tali diuinitus, Dei gratiæ non ingrati, filium ſuum in Hirſaugienſi cœnobio diuinis curauerunt obſequijs mancipare. Annæ illius vtique ſpiritu non carentes, vt ſicut alter Samuel à iuuentute ſua, & vſque in ſenectam & ſenium coram domino miniſtrare conſueſceret in eodem. In quo videlicet ſtudio pietatis deſiderium eorum attulit eis Dominus, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo, dum quod omnimodis optauerunt completum, ſibique conceſ-

concessum in filio lætabantur. Denique puer erat ingeniosus, & sortitus est animam bonam, & ingenij quidem capacitate, scientiam præpollentem, ac animæ bonitate, virtutes eximias apprehendit, bonitatem & disciplinam, & scientiã doctus à Spiritu, à quo profecto ductus est in desertum vitæ clausträlis. Vbi licet à Diabolo tentaretur, membrum tamen insigne capiti Christo cohærens, & capitis armatura triumphans exiuit vincens, vt vinceret, & victor coronam perciperet repromissam. Beati igitur regulam Benedicti, benedictus ipse à Domino tanquam regni tramitem apprehendens, iter vitæ suæ secundum statutum illius ita direxit, vt Abbas ex Monacho, magister fieri ex discipulo mereretur. Siquidem[a] beati Wilhelmi tunc Hirsaugiensis Abbatis vitæ modum ac formam ita moribus suis impressit, ita perfectionis illius studuit imitari vestigia, vt iam qualis pater, talis filius appareret, & magister in discipulo videretur, & nulla iam posset esse dubietas, super hunc Heliseum spiritum Heliæ & requieuisse. Idem verò venerabilis Wilhelmus, apud Ecclesiam sancti martyris Emmerani in vrbe Ratispona sub sancto Ramuoldo, eiusdem Monasterij tunc Abbate Prior extiterat, non fama fallaci solummodo, sed veraci præconio meritorum longe lateque claresces, ad Hirsaugiensem est electus Ecclesiam, in qua Beatus, vt dictum est, Erminoldus sub eodem spiritualis militiæ tyrocinia taliter exercebat, vt non longi temporis interfluxu, signifer ex athleta, ex satellite campiductor, & ex milite primicerius crearetur.

[a] De hoc VVilhelmo multa præclarè scribit Abbas Spãgenheimẽs. in Chron. Hirsaug.

III. Denique sanctitas illius tam sonora vox in Rama audita est circumquaque, vt lucernam sub modio seu vase subiectionis vlterius tegi non sineret vel abscondi, sed super candelabrum poni regiminis persuaderet. Vnde[b] factum est, vt tam fratrum electione communi, quàm Henrici Imperatoris eiusdem nominis quinti consensu atque fauore, ad * Lorsacensis Ecclesiæ regimen vocaretur, quæ regalis est Abbatia, illisque diebus & in copia rerum temporalium abundabat, & in prærogatiuis plurimis dignitatum. Hic itaque fidelis seruus & prudens super familiam Domini constitutus, subiectis tamen non tam præesse studuit, quàm prodesse, nihil subditis faciendum iniungens, quod ipse exempli causa non primitus pertulisset. Etenim iugum ab adolescentia sua portauerat, & ipse maiorum ferendo mandata, imponenda minoribus prædidicerat temperare; Pharisæorum scribarumque nota prorsus immunis, qui alligant onera importabilia, & ea humeris hominum iuxta sententiam Saluatoris imponunt, ipsi ea digito non mouentes. Non sic iste nõ sic, sed instar boni pastoris forma factus gregis ex animo, creditas sibi verbo pauit ouiculas. Pauit exemplo sanctorum, pauit desiderio & subsidio temporali. Propter quod grex, qui datus est sibi pecus inclitum suum, nec imminutus est numero, sed adauctus, nec defecerunt sub eius cura subsidia temporalia subditis, sed creuerunt. Etenim dum in diebus sui regiminis, & numero subditi sui, & meritò pariter augerẽtur, nec de multitudine subiectorum, nec de temporalium affluentia, nec de culmine dignitatis intumuit, sed magis in sanctitate atque profectu discipulorum, quàm in excellentia prælaturæ vel magisterij kætabatur, quod perpendi faciliter poterit per subiecta.

[b] Creatur Abbas Lorsacensis. * *Laurishamensis.* *Matth. 25.* *Thren. 3.* *Matth. 23.* *1. Petr. 5.*

IV. Fratrem namque carnalem vir Dei habebat, præter titulum sanguinis generosi, satis superque & in diuitijs abundantem. Quodam verò die cum venissent viri Imperatoris, vt assisterent coram illo, affuit inter eos & ille viri sancti germanus. Cui subridens Augustus, animo fortè iocandi: Causa, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbatiæ, facientes sibi nomen grande, iuxta nomen magnotum, qui celebrantur in terra, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat inter illos. In quo igitur maiestatis nostræ munificentiæ respondebis? At ille; Vera, inquit, esse omnia recognosco, quæ præponit vestra serenitas, arbitrorque dignissimum, vt vestræ non ingratus inueniar pietati. Dictum duxit in actum, nec multo post de centibus satis Imperatorem muneribus honorauit, famulo domini Erminoldo tàm dicta Imperatoris, quàm facta germani penitus ignorante. Cæterum mox, vbi ad eum res gesta deuenit, licet horum omnium nec conscius extitisset, Lorsacensem resignauit[c] Abbatiam, protinus tàm curæ se subtrahens pastorali, quàm vel notæ leuissimæ Simoniacæ prauitatis. Aduertendum est igitur quam execrabile duxisset hic sanctus per tale se vitium maculasse, vt & Prælaturam retinere detestaretur, pro qua nihil vnquam datum licet præbitum esset, adipiscenda; sed pro iam adepta, & de post facto frater suus Imperatori grates per munera retulisset.

[c] Abdicat se Abbatis functione.

V. Relicto igitur Regimine Lorsacensi, tanquam bonæ opinionis ac famæ diluuio ad arcam requiei suæ, id est, ad Hirsaugiensem[d] Ecclesiam, & ad suum Noe Beatum videlicet Wilhelmum, tanquam emissa columba reuertitur, non sine ramo tamen virentibus folijs venustato. Nam secuti sunt eum discipuli eius, non minus quàm quadraginta, quos apud Lorsacum sub spacio vnius anni, quo inibi præfuit, Deo collegerat, vt quam fructuosus in vera vitæ palmes hic esset, ipsa vbertate geniminis monstraretur. Denique in baculo suo curæ videlicet pastoralis, solus transierat ad Lorsacense Cœnobium, & nunc cum turmis discipulorum reuertebatur Hirsaugiam: quorum collectio tanquam ramusculus de hac sancta radice consurgens, paternæ virtutis gratia virescebat. Hi ergo ab eo separari non sustinentes, sicut ouiculæ, dicentes non quidem verbis, sed facto: Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus? pastorem suum vsque Hirsaugiam sequebantur. Vbi & tanquam Angelus Domini cum honore susceptus, benignissimè pertractatur, quippe cuius ibi sanctitatis præconia non latebant. Porrò propter nos homines, & propter nostram salutem, qui præsentem locum incolimus à Domino factum est illud, vt occasione quacunque oliua fructifera, & verè vitis abundãs illic euelleretur, & transplantaretur in hac vinea Domini Sabaoth, quàm dextra Domini per sanctum Ottonem Babẽbergensem Episcopum tunc fundauerat & compleuerat, vt hæc nouella recensque plantatio de mundi Ægypto translata, mitteret altius sub tam industrio vinitore radices, dum quod sanctus Otto plantauerat, hic rigaret, vtriuslibet meritis & obtentu domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid prouidente, quàm humana solertia præualeret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam, & venalitatis, vt dictum est, Symoniacæ putre contagium sic horrentem, arca Hirsaugiæ à prima missione recepit, vt occasione hac secundario mitteretur, vnde non esset vlterius reuersura. Ipso[e] siquidem tempore Deo dignus antistes Otto Episcopus Babenbergensis, Monasterium, sicut diximus, Prunerungense fundauerat, cuius quidem possessionem ac fundum, intercedente coëmptione legitima, iustisque concambijs, nostro dominio comparauit, cum antea iuris alterius extitisset. Cæterum non humana voluntate allata est eadem fundandi voluntas, verum reuelatione sibi facta diuinitus euidenti, cuius opportuna occasione accepta hic modum ac seriem inseremus.

[d] Hirsaugiã reuertitur. *Gen. 8.* *Ioan. 15.* *Gen. 32.* *Ioan. 6.* *Gal. 4.*

[e] S. Otto Episcop. Babenbergẽsis condit Prufeningense monasteriũ anno 1109.

VI. Henricvs etenim quintus eiusdem nominis Imperator Ratisponæ curiam solemnem indixerat regni principibus vniuersis, & misit scriptum suum hora curiæ memoratæ, conuocatis dicere vt venirent. Itaque cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Curiam Augustalem, affuit & venerabilis Otto Babenbergensis Antistes, velut alter dictus, fidelis in omnibus, egrediens & regrediens, & pergens ad imperium dicti regis. Verum Ratisponæ non habens, vbi caput suum reclinare valeret ad commodum, quoniam domino disponente ciuitas ipsa repleta erat hominibus, quasi bruco, domibus omnibus occupatis, memorabilis Pontifex turbulentiam turbæ tumultuosæ deuitans, vrbe relicta sibi ac suis elegit campi planiciem, quem nunc muri loci huius includunt. Hic igitur inter duas arbores nucum, quæ tunc ornauerunt faciem campi, eiusdem tentorium sancti Præsulis figebatur. De quibus nimirum arboribus, & longe antequam id, quod nunc dicendum est, eueniret, tinnitus & strepitus campanarum, visus est multoties sonuisse, quem in vicinia demorantes non sine stupore frequentius audierunt, qui vt re ipsa iam declaratur, futuram quandoque ibi cultus diuini frequentiam vtique portendebat.

Quo

[a] Visio Sancti Ottonis Episcopi Babenberg *Genes.* 28.

Quo[a] in loco cum dies abscesserat, noctemque sol reduxerat iam occumbens, recumbens ibi vir Dei somnum oculis suis dedit, dormitationem & palpebris tempori congruentem. Et ecce locutus est in visione sanctis suis antiquitus, vt iuuenes quoque nostri visiones videre per illum, & senes nostri somnia somniare demonstrarentur, nouo Iacob Patriarchæ suo, insigni videlicet Ottoni, vt meritò Israel nomen acciperet, ad imaginem & similitudinem somnij prisci Iacob: conforme omninò somnium reuelauit. Vidit etenim à lecto suo porrectam scalam cœlosque summitate tangẽtem, in qua etiam Angeli ascensus suos atque descensus, amicis vicibus alternabant. Quo profectò dabatur intelligi, non defuturos in hoc loco quam plures, qui ad proximum subleuandum cum Martha pia compassione descenderent, & ascenderent cum Maria celsitudinem Domini contemplando. Vir itaque sanctus euigilans, & prudenter intelligens, quæ videre meruerat, nihil eorum obmisit spiritualiter, in fundatione, consummatione ac consecratione complere cœnobij, quæ prior ille Iacob in visionis suæ loco peregit, domum hic Dei veraciter & portam cœli quam plurimis construendo.

Luc. 12. *Gen* 28. *Psalm* 83.

[b] S. Ermin. præficitur monasterio Prufening. ann. 1114.

MONASTERIO igitur hic fundato & consummato secundùm Dei, quam intellexerat voluntatem, virum vir sanctus idoneum æstuanti animo requirebat, qui Christi familiæ colligendæ, in domo quam sibi construxit in tempore suo posset tritici dare mensurã, quique, vt reuentus, visioni congrueret, per scalam religionis hic ascensuros, quindecim graduum verbo & exemplo posset docere mysteria, quique præuio ascensiones in corde suo disponente discerent pededentim in valle lachrymarum loco, quem posuit ipse fundator, donec dante benedictione summo legislatore, euntes de virtute ad virtutem, Deum Deorum in Sion videre perpetuò mererentur. Cùm[b] igitur quæreretur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniretur, non est inuentus similis illi, de quo nunc agitur, Beato videlicet Erminoldo, quem Dominus lucernam Christo suo parauerat, vt ardens & lucens huius cœnobij ruditatem nouiciam, & ob hoc cæcutientem adhuc intellectu & affectu torpentem, & sanctitate conuersationis accenderet & exempli, & eruditionis atque doctrinæ splendoribus illustraret. Huius itaque famam beatus Otto comperiens, missis ad eum Abbatem suum epistolis ab vtrolibet impetrauit, vt recens incultumq; nouale colendum assumeret, & iam præexercitus agricola, manum ad aratrum mitteret sulcatricem Prufingensis cœnobij terram patrio visitaret aduentu, & inebriaret faciæ institutionis irriguo, locupletaretque multiplici germine meritorum. VII.

[c] Quã sancte in abbatia vixerit. *Gen.* 30. *Ezech.* 3. *Iob* 38.

MISSVS[c] igitur de Hirsaugia primus Abbas, ad nutum Domini nostrum dictantis honorem, Ecclesiæ nostræ præficitur, benedixitque nobis Dominus ad introitum eius, in cuius vtique nomine benedictus aduenit, non sine discipulorum atque confratrum honorabili comitatu. Denique in suscepti regiminis culmen ascendens, speculatorem se domui Israel meminit constitutum, ita pro animabus coramissorum sibi peruigilans, tãquam redditurus pro eis Domino rationem, & iuxta dictum beati Iob, vere gallus habens intelligẽtiam subditos excitaturus ad bona, semetipsum ala exercitij spiritualis primitus excitauit; cauens vtique reprobus inuenirj vel somnolentus, dum vigilandum alijs prædicaret. Sanè familiarissimum semper habebat instare vigilijs, orationibus, & ieiunijs insudare, verbum Domini prædicare, frequentiùs regnum Dei & iustitiam eius inquirere anhelanter, fugere gloriam temporalem, quærere sempiternam. Proinde fide dignissimi Senioris, qui vitam ipsius agnouerant, constantissimè testabantur, nullam sibi septiformis Spiritus gratiam defuisse, quod à considerantibus conuersationem illius actusque magnificos faciliter poterat deprehendi. Nam quantum sibi omnis gloria mundi viluerit, quantumque sibi mundus fuerit crucifixus, & ipse mundo, si nullo virtutum eius indicio alio monstraretur, eo solo diligentius aduertendi patesceret, quod ad mentis eius constantiam declarandam, quàm aduersus sæculi tàm blanditias, quàm terrores habebat, hoc loco duximus subscribendum. VIII.

Galat. 6.

[d] Hen. Imp. cum Ottone Episcop. Babenberg. Prufeningẽ sem Eccles visitaturus accedit.

HENRICVS[d] aliquando Imperator cum propter excessus suos papalis excommunicationis sententiam incidisset, & tamen à religiosis ac magnis etiam prælatis Ecclesiæ, imperatoriæ dignitatis intuitu, honor sibi ac solita reuerentia deferretur, ob fundatoris nostri præmemorati, quem non modicè diligebat, honorem pariter & amorem, cum ipso fundatore grandem sibi demonstraturus affectum, ad nouellam eius Ecclesiam visitandam cum nobilium & magnorum pompa multiplici, sicut mos est regius, aduentabat. Iamque beatus Erminoldus pater videlicet Monasterij, tam propter Imperatoriæ celsitudinis claritatem, quàm propter concomitantis cum eo & inuitantis reuerentiam fundatoris, cum compulsationibus campanarum, fratrumque processione canora & reliquiarum ac vexillorum multiplici apparatu, longe insuper extra sepia cœnobij excepturus Cæsarem credebatur, sed seruus Dei talium se fauori dissimilem demonstrabat. Non enim cogitationes suæ cogitationes eorum, neque viæ suæ viæ illorum, qui consuunt pulluos sub omni cubito manus, & precij parietem liniunt adulando, & propter hoc in regum domibus mollibus vestiuntur. Cæterum iste non vt arundo, nec terroris, nec fauoris vento quolibet agitata, sed vt columna immobilis, nec metu impellebatur, nec inclinabatur gratia qualicunque, vt ei vel occursu solenni, vel blanditia salutationis applauderet, quem per sententiam Apostolicam communione nouit Ecclesiastica tunc priuatum. Proinde cum aduentum Imperatoris per prænuncios comperisset, omnia Monasterij ostia obserari præcepit, ne vel Augusto, eiusue Comitibus vlla introeundi via pateret, firmiter prohibens & districte, ne quis egrederetur ad salutationem sibi exceptionis aliquam reuerentiam exhibendam. Ipse[e] verò Imperatore adueniente ad eum ante clausiri sepia procedens, ne vel exfastu aliquo, vel contemptu hoc agere crederetur eo insalutato: Libenter, inquit, & officio salutandi, & exceptionis congrua reuerentia, honorem tibi * impenderem, regem Imperator, si te communione priuatum Apostolicæ sedis authoritate nescirem. At Imperator ratus, eum hæc non iustitiæ zelo, sed ex cordis odio vel rancore proferre, tanquam offensum pro eo, quod quondam ab eius fratre munera recepisset, propter quæ Lorsacensem signauerat Abbatiam; Nimis, ait, inconsultè ac præcipitanter, honore vos tanto priuastis. Cui suspicioni Dei seruus occurrens, columbina, vt erat simplicitate respondit: Nouit Deus Omnipotens corda scrutans & renes, non me huius, si dici posset iniuriæ memorem vel vltorem, sed me fecisse hæc & dixisse, iustitiæ defendendę intuitu, & pro Papalis obseruatione mandati. At venerabilis Otto Episcopus medium se vtrilibet interponens: Neminem, ait, deuitare debemus, & tenemur, de cuius nobis excommunicatione non constat. Quo contra vii Dei, fortitudinis quo plenus erat spiritu roboratus, nec gratiæ fundatoris, nec Imperatoriæ deferens maiestati, quin veritatem liberè testaretur: Non possum, inquit, sententiam ignorare, quàm ore meo memini promulgatam. Talia perstabat memorans fixusque manebat, à iustitiæ suæ proposito non recedens. Quid quæso in facto hoc sanctus iste minus fecisse videtur, ab his qui magis obediendum Deo quam hominibus principibus Sacerdotum in causa simili responderunt? Quid Apostolo Paulo, qui in casu fermè eodem, ipsi se Cephæ restitisse in faciem gloriatur. Quid postremo Ambrosio præinsigni, qui Theodosio insigni Imperatori similiter Ecclesiæ interdixit ingressum, donec pro commissis sceleribus pœnitentiam ab eo susciperet & compleret? Sed enim si ad antiquiora recurrimus, numquid eum comparare non possumus Samueli, nunquid non Nathan, nunquid no Heliseo, Prophetisque quam plurimis? qui Regibus temporis sui videlicet peccata sua coram improperantes, vel ad pœnitentiam eos salutarem prouocauerunt, vel diuinam eis interminati sunt terribiliter vltionem. Nimirum & Imperator in spiritu: & virtute Heliæ, ista fecisse beatum virum considerans, reuerenter cum suis abscessit, non contemptæ maiestatis, vt suorum aliqui voluissent, vltus iniuriam, quod & in summo Pontifice ipsum iam fecisse viderant, sed hominis Dei compertam deinceps semper amplius venerant sanctitatem, quàm si caninæ adulationis cauda sibi cũ cæteris allusisset, quod facilè per subscripta potest perpendi. IX.

Ezech. 13. *Matth* 11.

[e] Hen. Imp. excommunicato se opponit Erminold

* *impenderem regium Imperator.*

Actor. 5.

Galat. 2.

D s-

X. DENIQVE cum non multo post, idem Princeps transitum faceret ante Cœnobium cum multitudine militari, fratres ad opera manuum, iuxta morem hortum forte intrauerunt, quem vilis tunc sepes ambiuit. Milites igitur, qui præibant, & qui sequebantur Imperatorem, cùm fratres in horto viderent, arbitrati principem memorem sui contemptus, sibique placere volentes: Ecce, inquiunt, cucullati, qui Dominum nostrum temere despexerunt, nec imperialem sibi dignati sunt exhibere reuerentiam, ipsum insuper suis foribus præsumpserunt excludere cum contemptu. Dēt ergò pœnas opprobrij & proteruiæ, quas merentur, luant ausus enormes, non ferant impunè spreuisse Cæsareum Diadema. Et milites quidem hæc dixerunt, & inualescebant voces eorum, odioque pastoris, dentes lupinos in eius ouiculas acuebant. Iamque iamq; insultum facturi in pusillum gregem Domini videbantur, sed euenit aliter, quam putabant. Nam [a] exijt edictum à Cesare non speratum, ne fratres videlicet illius omninò præsumerent molestare, vel verbo turbare, vel facto. Sanè non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis milites Imperator, contra quos incitaturus exercitum credebatur. Hic significante Spiritu sancto, & demonstrante, quod meritum beati Erminoldi absentes & filios defensaret, quomodo etsi corpore absens, tamen spiritu præsens erat. Numquid igitur non Dominus magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit, cuius absentia etiam merita ipse Princeps intelligens, propriæ despectionis oblitus, ea coram militibus attollebat. Nolite, ait, tangere fratres istos, & in eis nolite vllatenus malignari; noui enim, cuius Abbas eorum dignitatis sit coram Deo, noui cuius sit sanctitatis, qui & si mihi non detulit zelo iustitiæ, plurimum tamen eius confido me sanctis orationibus adiuuandum. Nimirum prudens Augustus prudenter aduerterat, honorem Imperialem sibi nō tumoris alicuius fastu à sancto viro fuisse negatum, sed magis in eo humilitatem obedientię mirabatur, qua maluit Apostolico subditus inueniri præcepto, quàm cęsareum adulando venari fauorem. Denique vt appareat, quoniam non ex typho superbiæ, sed ex zelo iustitiæ Principem Romanorum Monasterij septis excluſit, nunc qua humilitate & beneuolentia inferiores multo personas non solum exceperit, sed insuper inuitauerit, sibi licet & suis aduersantes, duximus adnectendum, vt aduertatur, quod altissimum mundi caput, quod honorandi etiam Monasterij venit, intuitu non despexit, vt vultuosus aut contumax, qui Fratres mundo despectos, qui se suosque insuper molestare consueuerant, ad refectionis solatium inuitauit submissus & supplex, quod in his, quæ subijcimus apparebit.

[a] Imperator vetat, ne quisquam lædat fratres monasterij S. Erminoldi.

XI. ETENIM Fratres sancti Emmerammi nos aliquandiu in principio crebris inimicitijs & insidijs fatigabant, impedimenta profectui nostro, quæ poterant obtendentes. Cumque de die in diem eorum contra nos odium ingraueſceret, ad hoc vsque deuenit, vt per operarios suos ante portas claustri facto fossato, exitus nostros angustiores facere molirentur; & cum nullo eis in talibus obsistente, huic operi diligenter instarent, venerabilis Erminoldus, vt labores [b] eorum videret, egrediebatur foras, instante iam hora refectionis pacifice illos atque benigne salutans, & eum lassos fatigatosque videret, tam internæ mentis eorum labori, quam corporis externo sudori compatiens, ad prandendum eos obnoxius inuitauit, inductosque refecit hilariter & benignè, tantam illis impendens humanitatem, vt magis ex charitatis saginarentur affectu, quàm in epulis, quæ dabantur. Vnde factum est, vt dimissi secum mutuo loquerentur, tam Fratrum, qui eos miserant detestantes inuidiam & rancorem, quàm viri Dei suorumque benignitatem & mansuetudinem, admirantes. Quid, quæso, qui hæc lecturi estis, quid vobis videtur de isto? cuius filius sit? Nonne illius, cuius vnigenitus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, Fratresque quos dignatus est adoptare per gratiam, spiritu eius adoptionis infuso, in quo clamarent, Abba Pater, instruxit, dicens: Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt. Et quid ex hoc consequenter adiungens: Vt sitis, inquit, filij Patris vestri cœlestis, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nec inefficax fuit opus hoc charitatis aut sterile, sed in ipsis, quibus impendebatur, sicut semen cadens in terram bonam, fructum peperit salutarem. Nam consilio inito, regerentes in locum suum terram, quam egesserant, abierunt, nihil incommodi nobis vlterius ingerentes. Sic igitur, sic secūdum Pauli doctrinam vir Dei vinci volens à malo, vicit in bono malum, inimicum cibans & potans, & per hoc super caput eius carbones congerens charitatis. Certè videmus hic virum Dei non imparem Heliseo, qui Syros ad se capiendum hostiliter veniētes Samariam introductos, amice, ne necarentur eripiens, cibo insuper refectos ac potu, ipsos domino suo remisit. Idem finis secutus vtrobiq;. Nam illi terram Israel vltrò non addiderunt intrare, & isti molestare deinceps nos cessarunt: nisi quod Syros stupor timorque cohibuit; istos verò deuicit benignitas charitatis. Diximus qua constantia & virtute mundi spreuerit dignitates oblatas, qua illatas iniurias patientia tulerit aut deuicerit mansuetudine; superest, vt qua indigentibus proximis liberalitate collata sibi à Deo communicauerit, quamque in his contra deficiendi timorem in domino confidentiam semper habuerit, ostendamus.

[b] Nota sanctiviri humanitatem.

Rom. 8. *Matth.* 5.

Rom. 12. 4 *Reg.* 8.

XII. CVRAM [c] quidem solicitam ac prouisionem receptionemque peregrinorum ac pauperum, inter virtutes cæteras, quibus claruit homo dei, quasi spiritus sui sponsam elegerat specialem, propter quod & in exercitij eius solebat amplexibus singulariter delectari, adeò quod egeni & pauperes ipso iam vsu in necessitatibus suis cum omni ad eum securitate, tanquā ad debitorē quendā accedere præsumebant, & quibus egebant, tanquam à quodā œconomo suo fiducialiter postulare. Nouerat etenim, quod exemplo Apostoli, cum esset liber ex omnibus, omnium seruum se fecerat indigorum. Deus igitur famulum suum tentare constituens, imò miserationis inolitæ sibi virtutem omnibus declarare, vocauit famem super terram, omne firmamentum panis contriuit in tota Bauaria, ita vt plurimi propter inediam pauperes interirent. Ad [d] Erminoldum igitur ex more concurritur, reserantur cellaria, promptuaria patefiunt, distribuuntur pauperibus vniuersa. Non enim prius pater sanctus in erogando defecit, quoad deficeret, vnde iam posset aliquid erogare. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse cœpit egere, qui super egenum & pauperem intellexerit. Venerunt namque ministri, qui dixerunt, omnia claustri granaria vacuata, nec iam frumenta ad vnicum & prandium fratribus superesse. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxiatus? Recurrat ad horrea? sed vacabant: emat in foro? sed precium emptionis in cœlestes thesauros, manus pauperum deportauerant. Ad Deum ergò conuertitur, & tanquam factus in agonia prolixiùs orabat ad eum, qui dat omnibus affluenter. Veri autem adoratoris adorantis patrem in spiritu & veritate oratio erat huiusmodi: Domine per naturam, per gratiam vero Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc tantæ necessitatis, vt fratrum meorum oculi omnium in te sperent, & tu des illis escam illorum in tempore oportuno, quorum propter te victualia sunt expensa, tu itaque redde quod debes, debes siquidem dantibus, qui dixisti, Date & dabitur vobis. Huiusmodi quidem ad Dominum. Porrò [e] ad beatum Georgium patronum Ecclesiæ secundum, simile erat huic quod orabat: Beatissime Martyr, ecce præceptis salutaribus monitus, & diuina institutione formatus & iussu, dispersi, dedi pauperibus, quæ habebam, qui Deo tibique in hoc loco deseruiunt, nec habent iam quod manducent, & si dimisero eos ieiunos, & non fuerint saturati, & murmurabunt aduersum me, calices & vestes, & libros, & alia ornamenta distrahere pro victu compellor, tu ergò subueni, tu succurre, tibi enim reuelaui causam meam atque necessitatem. Huiusmodi famuli sui clamores Dominus exaudiuit, beati Georgij, quem mediatorem elegerat, interuentu, nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam & diues, cuius dominus cor tetigerat, superuenit, & honorans Dominum de sua substantia, fratrum suppleuit inopiam copiose, ita vt noui cuiusdam meritis Heliſei, pristina fames in Prusingen tāquam in porta Samariæ pelleretur. Adhuc excellentiorē viam

[c] Studium eius & charitas erga peregrinos & inopes.

1. *Cor* 9. *Psalm.* 104.

[d] Liberalitas sancti viri.

Psalm. 40.

Iacob. 1. *Ioan.* 5.

[e] Oratio ad S. Georg.

4 *Reg.* 7.

viam ostendendæ sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis & conscius fieri meruit & Symmista.

XIII. DIE quadam, cum ante ianuas staret Ecclesiæ Pater sanctus, & fores essent clausæ, custode Monasterij stãte cum illo, cuiusdam necessitatis euentu, Ecclesiam ipsam, Dei seruus intrare volebat. Cumque [a] custos propero cursu circuiens, aperire Abbati Ecclesiam properaret, inuenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ Crucis intentè orantem in ipso loco, vbi nunc eius venerabile est sepulchrum, ianuis tamen Ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita nouitate miraculi staret attonitus, & stupefactus tantæ rei euentum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ contestationis interminatione præcepit, ne ante ipsius exitum de hac vita, alicui hominum, id quod viderat, reuelaret. Quid ergò dicemus ad hæc? nisi quod famu um hunc fidelem in Domino, & Dominum in electo famulo suo laudare, benedicere, & prædicare non desinamus, qui quod in seipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in seruo similiter, antequam & à corpore eius nexibus solueretur. Nihilominus ista legentes aduertant, in quam solidæ humilitatis terra donum mentis suæ vir ille fundauerat, qui omnem flatum fauoris humani, ventumque popularis auræ, tanta cautela & studio deuitauit. Ecce iam præcursoris nostri, qui exultauit vt gigas ad currendam viam cœlestium mandatorum, passus industrios & veloces, pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quantumcunque in odore vnguentorum eius admodum delectati, & post eum lætanter currere gestientes, sed ecce, vbi è vestigio Heliam nostrum cum Heliseo consequimur, tristes metas attingimus, iam Baal Pharisim quod sonat, virorum diuisio è vicino nos terret, inter fratres diuidens & Abbatem, inter pastorem Agnos, inter discipulum & magistrum.

[a] Clauso ostio templũ ingreditur.

XIV. RESTAT verò transitum eius de hoc mundo ad patrem, & eius occasiones tristissimas exequamur; tristes, inquam, non sibi, sed nobis, non sibi, qui semper cupiebat dissolui, & esse cum Christo, sed nobis, quibus in carne vtiliter permansisset, propter hoc salus hinc refugit, manus trepidat & terretur, calamus ipse percellitur & formidat. Sed enim
2. *Timoth.* 3. velimus nolimus, eundum est, cincti & astricti necessitate narrandi, ducimur quo nollemus. Ergo quod superest inuiti & prosequamur. Quia igitur omnes, qui volunt, pie in Christo viuere, persecutionem, secundum Apostolum, patiuntur, sanctus pater iste, quia à via iustitiæ flecti non potuit, nec potuit consequenter odia non incidere ministrorum. Nõ enim potest diem vespertilio non horrere, non potest nec fugere lucem talpa, non potest solis aspicere noctua claritatem. Denique cum sanctus hic pater commissi regiminis cura constrictus, sollicitè super custodiam suam staret, & vigilias noctis huius sedulò super gregem suum satagaret obseruare, vt nihilominus relinqueret incorrectum, quod contra
Iob. 1. monasticæ religionis fieret instituta, licet tanquam pater spiritualis, vere in spiritu lenitatis corriperet delinquẽtes, filij tamen [b] Belial, qui cum Sathan inter Dei filios nunquam desunt, videntes & inuidentes à suis se voluptatibus coërceri, nec sibi licere quæ licere volebant, crudelibus insectari cœperunt odijs se amantem. In tantumque diatim vesaniæ prorumpebant, quod & captabant, in animam iusti sanguinem innocentem condemnantes, effundere decreuerunt, & iam malitia ingraueſcente, cultris armati, diem mutuo statuentes, loci oportunitate captata, stabant in insidijs, cum dæmonibus in occultis, vt interficerent innocentem in loco, quem sibi condixerant, quia inibi erat more solito transi-

[b] Quidam ei necem moliuntur.

XV. turus. At quidam ista scientium Dei famulum præmuniuit, ne illo veniret, paratas sibi mortis insidias manifestans. Sed
Prouerb. 30. *Prouerb.* 21. vir iustus tanquam Leo confidens, absque terrore permansit, & tanquam equus gloriæ Domini, qui eo testante exultat audàcter, in occursum pergit armatis, paratus cum Domino, imò pro Domino, & in carcerem [c] & in mortem ire; hæc dicenti sibi respondit: Absit vt paratam impediam tergiuersando coronam: vadam potius accepturus palmam, quam Dominus exhibet triumphalem. Quid quæso aliud erat hoc famulo dicere, quàm quod Dominus ipse Petro iam dixerat, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Erat hoc dicere cum Psalmista: Calicem salutaris, accipiam, & nomen Domini inuocabo, gratias scilicet referens propinanti. Cæterum, quia parum est dixisse, nisi facere consequatur; quod dixit & fecit, procedens ad locum, vbi mortem fuerat excepturus, si Domino placuisset, eius exẽ-

[c] Contémit mortem. *Ioan* 18. *Psalm.* 115.

Matth 26. plo, qui passurus turbæ processit obuiam se quærenti. Verum sicut Dominum captiuare volentes occurrente ipso conterriti abierunt retrorsum, & corruerunt in terram, donec se ipse capi permisit, sic seruum Domini cupientes occidere, cum constantiam viri Dei viderent, irruit super eos formido & pauor in magnitudine brachij Domini, suum tunc pu-
Exod. 15. gilem protegentis. Illa igitur vice nemo in eum misit manum, quia nondum venerat hora eius, quam ille, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, in subditorum bonorum adhuc solatium & salutem, & ad cumulatiora famuli sui merita, vsque tempus quod voluit prorogabat.

Iob. 27. *Prouerb* 4. XVI. ITAQVE cum teneret iustus, vt ait IOB, viam suam, nec iustificationem suam quam cœpit tenere desereret: nam & semita vitæ suæ quasi lux splendens, iuxta sapientis eloquium, procedendo ad perfectum diem iam creuerat, tantæ lucis aspectus filios tenebrarum offendit, grauisque eis erat, & ad videndum, qui magis quàm lucem tenebras dilexerunt. Proinde cum tempus adesset quo dominus seruum suum decreuerat iam in pace dimittere, post pondus diei & æstus, mercedis æternæ denario præmiandum, iam filij pestilentes, ac tanto patre prorsus indigni, lupaliter velut agni degeneres in Pastoris interitum conspirabant. Igitur vnus talium campiductor infelix, nomine quidem Aaron, Absolon autem omine patris persecutor, cum non vt Aaron Pontifex, sed cum esset carnifex anni illius, diabolico exagitatus instinctu, locum ad quem vir Dei venire necesse habebat, diligentius obseruabat, ligneum vectem vtraque manu vibratum, viribus totis insurgens, [d] capiti venientis illisit, tanto annisu percutiens sacrum caput, vt ad terrã mox seruus domini sterneretur. Eo igitur instrumento mortis & genere, quo frater domini est occisus, occiditur, ne gloriæ illius extraneus æstimetur aut exors, qui consors est passionis, quamuis hic, vt ille non statim obierit, vt in hac potissimum die glorioſius suæ mortis domino sacrificium immolaret, quo Magi videlicet eidem tria munera mystica obtulerunt. Deniq; si aduertas eadem dona nostrum Erminoldum intelliges obtulisse, si per aurum, quod inter metalla malleo plus obedit obedientiam; in myrrha, quæ carnem à corruptione conseruat & vermibus, castitatem; in thure quod vritur & crematur, vt fragret, charitatis ardorem memineris designari, non sua propria, sed communia requirentis. Igitur vt in illam diem tunc se sacrificaturus domino seruaretur, ictu vectis accepto tabescens, viribus corporis cœpit repente destitui, iamque ante festum Epiphaniæ lecto decubuit, & in ipsius sacratissimi festi vigilia, fatiscentibus artubus aliquamdiu iacuit nihil loquens. Et post pusillum ad se reuersus, & eleuatis oculis in discipulos, qui astabant,
[e] Visio eius. hilari eos aspexit intuitu, sed affatu hilariori omnes, qui aderant, iocundauit. Etenim [e] requisitus, ad thronum Dei testatus est, se raptum fuisse cœlestem, & verba bona, & promissa se ibi consolatoria percepisse. Lætatus sum, inquit, in his, quæ dicta sunt mihi, nunquam videlicet defuturum diuinum obsequium in hoc loco. Addit & sibi librum vitæ ostensum, fratrum nostrorum nomina mortuorum præsentium, & futurorum assc ripta literis aureis continentem: & hoc, ait, vobis signum, vt certum esse noueritis, id quod loquor, cras inter maioris Missæ solemnia cantante choro, Gloria in excelsis Deo, egrediar ex hoc mundo. Erat autem vigilia, sicut diximus Epiphaniæ. Cauete igitur, inquit, cũ signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia huius occasione in diuino contingat officio, sed paucis egredientibus à cæteris cum omni deuotione sacra Missarum solemnia more solito peragantur. Vt igitur testimonia sua credibilia fierent, & sciremus, quia verum est testimonium eius, sicut dixit, euenit. Nam in sancto Epiphaniarum die, hora qua dixerat, anima illa beata domum corpoream ac terrestrem, non manu factam in cœlis acceptura reliquit, in-

[d] S. Erminoldus vectis in capite cæditur.

troiens

troiens in potentias domini sub hymno videlicet Angelorum, vt ibi perenniter inter Angelos, ipsum Gloria in excelsis concinat & hymniset. Transijt [a] autem anno Domini M. C. XXI. septimo verò postquam de Hirsaugia mense Augusto vocatus est, & ad Prusungensem electus Ecclesiam, quarto verò postquam à venerabili Vdalrico Episcopo rogato Reuerendi Hartwici Ratisponensis Episcopi ordinatus est solemniter in Abbatem. Quis enim quæso non videat, ideò transitum eius ad eum diem fuisse translatum, qua dominus sacrificia Magorum accepit, & intercurrentibus annis aliquot cœlos super se baptizatum voluit aperiri, & in cœna aquam conuertit in vinum ad nuptias, vt liquido monstraretur, quod die eodem Erminoldus noster domum cœlestem introiuit in holocaustis, & cœli, qui regi patuerant, militi & ipso die patere deberent, & quod molestiarum aquæ præsentium inter conuiuas æthereos, in vinum sibi essent æterni gaudij conuertendæ. Quis eum præterea purpurata rosaria martyrum introisse non credat? cum & iustitia suæ causa mortis extiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris, & in morte seruauerit patientiam, nihil durum interminans imprecansque lictori, & cum postremo tantæ conscientiæ fuerit in eo sanctitas, vt moriturum se præsciens & prophetans de diuino curauerit magis officio, quàm de suis exequijs ordinare.

[a] Moritur anno 1121.

Erminolde [b] ergò Abba Pater, memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio isto suæ fundationis, & in quam felicem cursum præsentis stadij consummasti, æternæ gloriæ præmium apprehendens. Ideoque suppliciter exoramus, vt gregem tuum pastor bone non deseras, sed apud beatos ciues tuos continua protectione custodias tuas oues, quas primus opilio pascendas à Domino suscepisti, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

[b] Precatio ad S. Erminoldum.

Duo tamen miracula anneximus, quæ post eius obitum contigerunt. Vnum quidem quod vnum de nostris, alterum quod alterius cœnobij fratri cuidam euenit, vt nō solum à suis hic Pater, sed & ab eis, qui foris sunt, testimonium habeat sanctitatis, & primum quidem de nostro duximus ordiendum.

XVI. Erat [c] apud nos Monachus quidam, prouectæ quidem ætatis, sed miræ sanctitatis & simplicitatis in vita sua, hic cum vocandus à domino lecto decumbens, ad exitum propinquaret, à deputato sibi ministro, si adesset aliquis, inquisiuit, erat autem Sabbathum, hora qua sonitu tabulæ ad mandatum Fratres more solito conuocantur. Audiens ergò nullum esse præsentem: Ecce, inquit, video cœlos apertos, & beatum patrem nostrum venerabilem Erminoldum videlicet, assistentem in maxima gloria coram Deo, quod vt verum esse non dubitetur in testimonium veritatis, iam spiritum exhalabo. Quo dicto, morte intercedente, & sermonem confirmante, quod dixerat, protinus comprobauit.

[c] Visio cuiusdam fratris post obitum eius.

XVII. Accedat [d] & alius testis, qui de remotis partibus venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine meritorum venerabilis Erminoldi. Frater quidam ex nostris, quodam vindemiæ tempore missus in Austriam, claustrū quod Kotwik dicitur, hospes intrauit, hospite quodam alio de claustro dicto Gärsten, casualiter cointrāte. Igitur hora refectionis, cum veniretur ad mensam, hospes hospiti ad vescendum pariter est adiunctus. Et cœna facta cum fabularentur, & secum quærerent de diuersis, vt fieri assolet, Gärstensis ille à fratre nostro diligentiùs inquisiuit, si aliquando habuissemus Abbatem, cui nomen fuerit Erminoldus, & audito quod sic, & quod insuper apud nos fuerit primus Abbas; ille sic orsus est: Quamuis, inquit, nullam omninò notitiam vel vitæ vel nominis eius prius habuerim, nuper tamen in veritate comperi, quia non est parui aut mediocris, sed maximi meriti coram Deo. Nam ex fluxu sanguinis mire vexatus, nimia nuper infirmitate & ægritudine laboraui, adeò vt de vita etiam desperarem. Cumque sanctorum quam plurium pro euasione periculi postularem auxilia ex nimia mihi debilitate somnus obrepsit. Et ecce rapi ad tribunal Christi me video, & pro culpis & negligētijs meis dura satis animaduersione percelli; vbidum animas plurimas, pro diuersitate & exigentia meritorum vel condemnari à iudice video, vel saluari; oblatus est ei vnus Ordinis sancti Benedicti frater, vt *videbat, damnationisque in eum iam iamque debebat fieri sententia: sed retractata est, & remissa clementer, sancti nescio cuius magni, quem quidem videbam, sed non agnoscebam obtentu, inter cætera pro damnādo taliter allegantis: Licet, ait, Domine, frater hic vitam suam satis exegerit negligenter, irremuneratum tamen tua pietas non relinquat, quod nunquam locum suæ professionis deseruit, nec transgressus est finaliter obedientiæ suę votum. Sancto ista fiducialiter prosequente, animam rei iudex absolui decreuit, orantis pro ea meritis complacatus. Quē cum optarem scire quis esset, ecce vnus astantium iudici ipsum venerabilem Erminoldum Prusen ingensem Abbatem esse mihi protinus intimauit. Hisque peractis euigilo, mecumque retractans ea quæ videram, statim omnibus quidem omissis, illius potissimū inuocare cœpi suffragia, cuius indubitatam expertus fuerā sanctitatē. Quod cum officiū Missæ facere decreuissem, sed debilitas vocis obstaret, continuò mihi tantas vires sensi collatas, vt sacris indutus, Missam quæ de vno Confessore dici consueuit, à fine vsque ad finem perfeci. Qua completa pristinæ sanitati sum integraliter restitutus. Hæc frater de Austria rediens, dum nobis sæpius retulisset, superueniens, ille Garstensis, cui res ipsa contigerat, sepulchro viri Dei deuotissimè visitato fratris nostri narrationem personaliter confirmauit, qui & ipse in Garsten postmodum factus Abbas solebat, superuenientibus hunc euentum frequentiùs enarrare.

[d] Alia visio cuiusdam fratris.

Lib. II. I. In [e] his duobus mandatis officio calami, quomodo in eis reuelationes & visiones Domini continentur, religiosis viris non diu post felicem transitum sancti Patris ostensæ, ac per hoc quodam iure propinquitatis ad præcedentia pertinebant, scientes quia hora est iam nos terminare sermonem, huic libellulo finem dantes, iugo boues absoluimus lassatos. Porrò vnum est necessarium, vt videmus. Quomodo enim ipsius libelli distinctio bipartita est, prima quidem eius particula, peregrinationem Hebræi nostri apud Ægyptios huius mundi seu Babylonios continente, secunda verò in exitu Israel de Ægypto præsentis sæculi, & ingressu terræ veræ promissionis explicita, consequenter succurrendum & consulendum eorum opinioni existimamus, imò dubitationi eorum & diffidentiæ potius occurrendum, quibus vitæ laudabilis claritas, quibus preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius ostensa non sufficit, sed nisi cum Thoma miracula tangant aut palpent, & nisi signa videant & prodigia, non credentes cum regulo iudaisant. Vt itaque tales habentes tantam nubem testium interpositam, ad credendum vel ipsius operibus, imitentur, vel potius compellantur ad virtutes & signa, quibus mirificauit Dominus sanctum suum, etiam postquam de hac vita transiuit, hodieque mirificauit, transeamus à fine libri prioris, sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cuius in primo vita & transitu. In principio erat verbum. Igitur cum iam Domino complaceret, vt tristitia nostra verteretur in gaudium, vt scientes eum cœlo viuere lætaremur, quem defunctum sæculo lugebamus, manifestauit se iterum Iesus ipsum Angelorum fecisse consortem, quem oblatum humano dolebamus esse consortio. Manifestauit autem sic.

[e] Obscurior est hic locus; sed quò facilius intelligatur, nota hic auctorem, de superius recēsitis visionibus loqui, & causā dare, cur ijs potius librum primū concluserit quā secūdum de miraculis auspicatus sit.

II. Honesta quædam materfamilias Christina vocabulo, cum matre sua Bertha nomine Deo valdè deuota, de ciuitate Ratispona Prusen ingensi Fratrem suum visitatura accessit. Cumque die iam inclinato vehiculo domum reuerti pararent, mater quasi valefactura Sanctis, præ foribus monasterij, quia clausum erat, orare cœpit attentius, & subitò miri odoris perfusa est suauitate, quem cum tacitè miraretur, Ecclesiam aperiri petijt, & obtinuit, & intrauit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri spirare sepulchro. Diuinæ [f] igitur gratiæ non ingrata, regratians, votum vouit Deo Iacob, quod famuli sui sepulchrum Erminoldi, de cuius meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius, nudis pedibus visitaret. Quod & impleuit, nunquam hæc vel pro viæ profunditate, vel madoribus pluuiarum niuiumve rigoribus intermittens. Et hæc vidua erat & turba ciuitatis multa cum illa, ipsius exemplo, quoniam erat ex ho-

[f] Mira odoris fragrantia ex S. Erminoldi sepulchro spirat.

nestioribus ciuitatis, cœpit viri Dei memoriam frequentare, & illius auxilium in quibuscunque necessitatibus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fecit Iesus, coram discipulis serui sui fidelibus, & manifestauit gloriam suam, & dignitatem, quam iam accepit in cœlis, qui terrenæ dignitatis gloriam non quæsiuit. Et congruè satis à suaui odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum Deo in odorē obtulit suauitatis, vt apte fracto alabastro sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius & famæ dulcis effunderetur vnguentum, ex cuius odore domus Ecclesiæ redundantius impleretur. Illud autem inter signa quam plurima, Dominus sancto suo quasi priuilegium speciale concessit, quod pueri ægrotantes, ad eius, vt fieri solet ponderati sepulchrum, vel continuò eius meritis cōualescunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis compendio protinus absoluuntur.

[a] Conradus Moguntin. Archiepisc. meritis S. Erminoldi vōti cōpos efficitur.

HOC [a] etiam cum piæ memoriæ dominus Chunradus Moguntinus Archiepiscopus famæ præconio comperisset, cum diutina laboraret infirmitate, quàm ex aere inconsueto in terra sancta contraxerat, nec quicquam sibi conferret experientia medicorum, ad sepulchrum viri cum marca argenti se ponderans, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro suæ forma petitionis. Postulauerat etenim, vt à diuturnitate languoris, vel cita euasione, vel beneficio saltem mortis absolueretur. Qui mox antequam sedem suam attingeret, morte intercedente obtinuit, quod petiuit beati meritis Erminoldi. III.

VIR quidam re pauper, & luminis orbitate pauperior, deuotionis tamen & fidei copijs opulentus Prusingen. viri Dei beneficia petiturus ingreditur, & à pluribus, qui de villa vicina venerant, & ante fores stabant Ecclesiæ, ostenso sibi in Ecclesia sancti sepulchro, pueri se ducentis manu circa altare locatus est, vt petiuit, egressoque ductore, gressum baculo suo prætentans, ad sepulchrum deuotus accessit, & humi prostratus postulauit in fide nihil hæsitans, vt lumen recipere mereretur. Moxq; [b] se sentiens exauditum, visu recepto egressus, ductori suo videre se dixit, & omnibus qui astabant, qui eum cæcum viderant introisse, ac sibi sepulchrum ostenderant, requirenti. Hos ergò vniuersos & testes suæ illuminationis habuit & præcones. Cumque illuminato congratulantium vox eminus audiretur, nam ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant, ille Deum ac famuli sui merita collaudauit. IV.

[b] Cæcus illuminatur.

FRATER quidam, ex his quos Barbatos dicimus, superueniens maligno spiritu stimulatus, & Dei gloriam non ferens, illum qui Dei ac famuli sui beneficia prædicabat, contumeliosis cœpit obiurgationibus insectari, eum deceptorem ac mendacem appellans, & huiusmodi artificio venari eleemosynas largiores. Quod ille libera voce refellens abijt & recessit. At ille Barbatus inueteratusque dierum malorum temerario ausu debacchans, facto flagello de virgis, tribus ictibus tumbam Patris sancti proteruè percutiens, ore sacrilego: Quiescas, [c] inquit, tu Erminolde, & nos inquietare desistas. Vix ista finierat, ecce Deus vltionum Dominus, vltione condigna coërcuit blasphemantem. Nam facies eius tanquam aqua feruenti perfusa cœpit incredibiliter æstuare. Qui festinus egrediens de Ecclesia, ad suum cubiculum properabat, vt lecto decumbens alleuiationem aliquam expectaret. Erat autem magister opilionum. Quem vnus de famulis suis è vestigio sequebatur, qui quidem blasphemias suas audierat, diuinæ tamen nescius vltionis, blanda ipsum pro verbis suis admonitione corripuit, illo secundùm similitudinem serpentis, & surdæ aspidis, nil penitus respondente, donec venerunt ad fontem iuxta, vbi iumenta monasterij adaquari solebant. De quo hausta sibi aqua per famulum, æstuantem faciem spe refrigerij manibus infundebat, sed vim virtutis suæ oblitus est aquæ liquor, vicemque contrarij peragens elementi, vrebat acrius patientem. Itaque lecto decubuit, ac inter flagella pharaonizans, licet à pluribus, vt resipisceret, moneretur, secundùm duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizauit sibi vindictam insuper ampliorem. Nam de die in diem, cor eius erga domini Confessorem in sua duritia persistebat. Et quoniam apposuit adhuc peccare ei, & in iram concitauit excelsum, apposuit super eum Deus plagas horridiores. Nam percussus lepra terribili, ab hominibus est amotus. Et cum adhuc suaderetur, vt pœniteret, declinauit cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes, videlicet in peccatis. Nam respondit, Se adeò non peccasse, quod mala talia meruisset. In huiusmodi igitur blasphemia perseuerans, cum præuaricator ad cor redire contemneret, factum est in vna dierum, vt per ministrum apposita sibi mensa, & desuper pane & potu, minister ad cibos pergeret offerendos, quibus allatis, quem miserè viuum in obstinatione reliquerat, miserabilius in peccato suo mortuum reperit. Nam in arulam plenam carbonibus, quàm gratia calefaciendi sibi habuit antepositam, facie prona ceciderat, & exspirauerat præambustus. In quo patenter apparet, quod qui cœco fideli fuerat odor vitæ in vitam, isti blasphemo factus est odor mortis in mortem, in resurrectionem positus & ruinam, hinc inde, cum diuersa vtrisque intulit stipendia meritorum, illum fideli deuotione illuminās, istum percutiens pro reatu. Et sicut tumulus viri Dei ter virgis cæsus est per proteruum, sic triplici plaga percussus est inimicus, ardore videlicet faciei, dehinc lepræ contagio, nouissimè verò morte pessima peccatorum. Cæterum descripto rigore iustitiæ, ad solatia misericordiæ reuertamur. V.

[c] Conuersus quidā in S. Erminoldū blasphem[a], grauiter punitur.

[d] Radoldus puer ab auium fluxu sanguinis liberatur.

RADOLDVS [d] nomine puer in Monasterio, tantum de auribus singulis noctibus sanguinauit, vt mane puluinar ipsius alicuius animalis perfusum sanguine videretur. Qui cum esset ad tumbam viri Dei tertio ponderatus, illico restitutus est integræ sanitati. Inter hæc augebatur quotidie credentium in Domino multitudo, patrocinia famuli sui requirens. Inter [e] quos mulier quædam Ieruta nomine ad sepulchrum sancti nummo se ponderauit, quem cum in arcellam oblationum mittere debuisset, denario clàm retento ad altare illum voluit obtulisse, sed dolum illicò, vindicta consequebatur. Nam illi ita contracta est manus, vt neceam extendere, nec nummum excutere præualeret. Ad cor igitur reuersa flagello, redit ad arcam denarium immissura, statimque misericordia & veritas obuiauerūt sibi, nam manum, quam dolus cōcluserat, veritas patefecit. Misso igitur nummo, quo mitti debebat, gaudens mulier alium obtulit ad altare. VI.

[e] Ieruta mulier corrigitur.

[f] S. Ermin. al quo tēpor. a signis cessat.

CVM [f] itaque turba venerantium seruum Dei, diatim accresceret, Monachus quidam Wolffranus nomine, sepulchri custodiæ deputatus, super illud ædificare proposuit ædiculam cancelleratam, per queridam Berchtoldum nomine, carpentarium, qui homicidio perpetrato nondum Ecclesiæ reconciliari meruerat, dictum opus incipiens consummauit. Porrò Dei famulus sacrilegum in Ecclesiam illius ingressum, & opera manuum cruentarum aspernans, solita beneficia requirentes per annos aliquot destitit exaudire. Quod cum Fratres solertius perpendissent, ipsam ædiculam prudenti consilio remouerunt. Sed non statim finis, vt Dei ac sui famuli dedignatio placaretur. VII.

[g] Ann. 1124. iretū incipit claresce re miraculis.

IGITVR [g] quia non obliuiscitur misereri, cui proprium est misereri semper, & parcere, cum rogatur, aliquanto tempore iam decurso, anno M. CC. vicesimo quarto Dominicæ incarnationis, stetit Phinees, & placuit, B. Erminoldus videlicet, vt auerteret iram eius, quem opus offenderat homicidæ. Quidam ergò Waltmannus nomine ciuis Ratisponensis à quodam Ruberto, qui fratrum vestibus præerat, sibi familiari, familiariter requisiuit, cuius sepulchrum hoc esset, quod in medio Monasterij cerneretur. Et audito, quod primi Abbatis esset istius loci, & quod idem fuisset vitæ sanctissimæ, quodque in carne adhuc & post mortem miraculis claruisset, & ab his destitisset ad horam, ex causa, quâ nesciret. Dictus Waltmannus illi Ruberto, Scito, inquit, quod in breui Dominus iterum eius merita declarabit. Vidi enim in visione me cum multis intrasse hanc Basilicam ad orandum, & ecce à parte capitis tumuli, arbor, vt videbatur, aurea tātæ magnitudinis succrescebat, vt latitudo ramorum ipsius cunctam repleret Ecclesiam, & extra ianuam insuper se protendēs. Quo profecto protēdebatur, quia quod olim dixit Dominus Domino meo vnigenito suo Christo passo in carne, hoc famulo suo similiter, etsi non sicut vox huiusmodi lapsa ad eum magnifica gloria, ipso tamen VIII.

effectu

effectu esset in breui dicturus, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Clarificaui videlicet degentem in carne vitâ insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus & miraculis iam defunctum, & iterũ clarificabo in nouissima tuba, inter omnes electos, interim verò sequentibus signis, quæ pro negligentia & reatu quorundam pro tempore cessauerunt. Quod & rerum euentus in proximo declarauit.

IX. SIQVIDEM paucis diebus elapsis, vespere Sabbathi, cum post officium vespertinum, processio ante altare sanctæ Crucis solito ageretur, quidam aderat inter multos, qui puerum cæcum in brachijs deportabat. Cui cum ianua clauderetur egresso, Theodericus quidam Monachus ei obuians, & videns puerum esse cæcum, redire consuluit, & sancti suffragia postulare. Populo itaque, qui iam exierat, redeunte cum puero, Deo ac famulo eius pro illuminatione pueruli à cunctis obnixius supplicatur. Et continuò Deus omnium exauditor, [a] cæcos oculos claro lumine reuestiuit, suum glorificans Confessorem. Rogatus ergò pueri gerulus, apud nos aliquandiu demorari, ob tãti miraculi testimonium recusauit, se quidem & puerum esse protestans, patre & matre carentes, & de Gallia Belgica oriundos ex territorio Treuerensi, seque puerum compassione fraterna ad diuersos Sanctos spe circumtulisse salutis, cuius subuentionem expertus nunc esset beati Erminoldi gloriæ reseruatam. Ideò, inquit, iam propter quempiam non tacebo, & propter aliquem non quiescam, donec ad solum natale regressus, annunciem huius sancti præconia circumquaque.

[a] Cæcus puer sancti méritis curatur.

X. ITEM mulier quædam iuuencula de ciuitate Ratisponensi à parentibus matrimonio copulata, ita post breue tempus est dissoluta paralysi, vt loquendo vsum prorsus amitteret, oculo altero priuaretur, dẽtes haberet ad inuicem ita compressos, vt hora refectionis cultello vix soluerentur ad escam, manibus quoque contracta & pedibus, miserabile sui spectaculum præbebat. Quæ more solito, ponderata iuxta sepulchrum viri Dei per suos, mox tam integraliter est sanata, vt quæ ab alijs deportari consueuerat, pedibus sanis accederet ad altare, & manibus ante contractis sacrificium offerret, & muto prius ore Missam, à Sacerdote deposceret celebrari, oculoque recepto lætissime remearit ad propria cum amicis.

[b] Paralytica restituitur.

XI. SED cùm gratias etiam postmodum Domino redditura, sepulchrum Sancti frequentius visitaret, puella quædam allata est, cuius manus contracta erat omninò. Quam [c] manum cum mulier ante dicta tumulo confessoris imposuisset, astantibus fratribus & orantibus pro eadem puella, clamans Och, integra sanitate recepta, in momento in ictu oculi manum ante contractam extendens, ouum quod casu in tumba iacebat, puerili more attraxit, iocunditatem & exultationem risumque excutiens vniuersis.

[c] Contracta vigorẽ manus recipit.

XII. ALIVS [d] quidam puer, carne fœda in inferiori palpebra succrescente, turpem faciem præferebat. Quam carnem cum medici & chirurgici dicerent resecandam, amici maius periculum metuentes, consilio saniori, Deo & seruo eius deferendum puerum spoponderunt, cumque mane iter arripere surrexissent, misericordia preuenerat iam fideles, carnemque abstractam penitus inuenerunt; in patratæ rei signum, sanguinea tantum macula remanente. Qui beneficio Domini non ingrati, votum deuotè soluentes ad tumbam sancti puerum adduxerunt, narrantes laudes Domini & virtutes eius fratribus vniuersis.

[d] Facie deformatus sanatur.

XIII. PVER [e] quidam cum continuo vomitu fatigatus esset, nil penitus alimoniæ retinebat. Qui ad tumbam sancti ponderatus à suis, sine mora plenam adeptus est sanitatem.

[e] Puer à cõtinuo, vomitu curatur.

XIV. QVÆDAM mulier horrendo ventris adeò fuit inflata tumore, vt ab alijs, & à seipsa grauida crederetur, patiens crebras, sicut solent, habentes in vtero, punctiones; verum solito prægnantium tempore deuoluto, cum se non esse grauidam comperisset, ad sancti viri Dei sepulchrum cum oblationibus & Dei laudibus se præsentans. [f]

[f] Videtur aliquid deesse forte, sanitati restituta est, vel simile.

XV. QVÆDAM [g] Agnes in sancti Pauli Monasterio Monialis incredibili tussis incommodo fatigata; ad inuocationem famuli Dei se sensit cõtinuò liberatam. Quæ tempore alio morbo simili repetita, repetita oratione ad Dei seruum secundo mox curata est per eundem.

[g] Agnes monialis à tusse liberatur.

XVI. IVVENIS [h] quidam dictus Vlricus de Ceuuren dolore grauissimo capitis molestatus, ad sepulchrum sancti deuote se ponderans sine mora est redditus sanitati.

[h] Vlricus de Ceuurẽ capitis dolore liberatur

XVII. MVLIER [i] quædam paupercula grauissima dissoluta paralysi per decem & octo hebdomadas, pro quantacunque corporis sui necessitate, vel se mouere de lecto vel surgere non valebat. Quæ de viri sancti virtutibus concepta fiducia, quodam diluculo vestibus suis induitur in Pruflingen asserens se ituram, quàm cum fœminæ commanentes insanire præ infirmitate putarent, deduci ab eis ad ostium attente postulans impetrauit. Hæc inter tenentium manus sanctum obnixius obsecrauit, vt si votum eius sibi placeret atque deuotio, vires deambulandum sibi apud Dominum obtineret. Nec mora tanta celeritate, quas ductrices habuerat, antecessit, vt primæ nouissimæ, & prima nouissima in itinere viderentur, & vix eam aliæ consequi prævalerent.

[i] Paralytica sanatur.

XIIX. ALIA [k] mulier dicta Alheidis, de villa vicina cœnobio, sic est percussa paralysi, vt ore retorto deformiter ad maxillam & vno oculo excæcato, horrendam faciem circumferret. Hæc in vigilia Epiphaniæ, quando in crastino anniuersarius Sancti peragitur, ad sepulchrum eius accedens, eius suffragia intentissime flagitauit. Itaque mane regressa orauit eundem sermonem, & statim ore ad statum pristinum reformato, & oculo restituto, similiter plenam est adepta sanitatem.

[k] Alia paralytica restituitur.

XIX. QVIDAM [l] Hartwicus de Chepen ex nimio morbi feruore raptus in freneſim, de manibus se tenentium sæpè protipiens, currensque per syluam, more lymphantium ferebatur. Qui adductus ad tumbam serui Dei per amicos, sancti Erminoldi obtentu, post modicum integrè restitutus est sospitati.

[l] Hartvvic. de Chepen freneticus curatur.

XX. ALIVS [m] quidam Leutwinus de villa eadem à graui nimis infirmitate iuxta idem sepulchrum, Sancti meritis continuo est sanatus.

[m] Leutvvin. ab ægritudine intercessione S. Erminoldi sanatur.

XXI. MVLIER [n] quædam paupercula gressu carens de loco ad locum scabellis se manualibus promouebat. Hæc ad sepulchrum viri sancti deueniens, ipsius auxilium inuocauit, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ, ita vt baculi sustentaculo ad ambulandum sit contenta.

[n] Aliud de contracta miraculum.

XXII. COCVS [o] fratrum Henricus nomine, cognomine Wirth, cum post febres acutas, tibiarum, oculorumque dolore maximo laboraret, in die Natalis Domini summo diluculo, ad sancti viri sepulchrum deuotius orans accessit, & statim sanitate recepta per illum, suscepit Domini misericordiam in medio templi sui, vbi famulus Domini requiescit.

[o] Henricus à VVirth, cocus fratrum, membrorum sospitati restituitur.

XXIII. BERCHTOLDVS [p] quidam ciuis de Ratispona, cum de terra sancta reuerteretur, morbo cœpit grauissimo cruciari. Porrò in partes veniens Alimaniæ, auditis beati Erminoldi virtutibus per diuersos, pro sanitate recipienda ipsum attentius inuocauit, in suæ exauditionis indicium, antequam domum suam intraret, postulans se curari. Quod fideliter petijt efficaciter consecutus, recepta imo prærepta potius integra sospitate domum reuersus est, vt petiuit.

[p] Perchtoldº infirmus sanitatem recuperat.

XXIV. EIVSDEM [q] Perchtoldi filia (filiam habebat Agnetam) cuius pudenda morbus horrendus, qui cancer dicitur, occupauit. Anxia ergò mater pro filia, ipsam ad tumulum viri Dei perduxit, eiusque inuocato suffragio pro filiæ sospitate, censum quinque nummorum se sibi promisit annis singulis oblaturam. Quo facto filia plene curata, materne deuotio cito se gratulata est exauditam.

[q] Agnes

XXV. ALTERA quoque filia eiusdem Berchtoldi, filium [r] paruum habebat difficultate vrinandi grauiter laborantem.

Berchtoldi filia à cancro curatur. [r] Puer calculo laborans, restituitur.

Cumque medicorum alij esse stranguriam, alij verò calculum indicarent, eumque oportere incidere testarentur, amici eius ponentes in Deo spem suam, Beati Erminoldi patrocinia requirentes, non sunt fraudati à desiderio suo. Nam puer adductus, ad sancti viri sepulchrum, illico integraliter est sanatus.

[a] Opertifilia ab oculorum dolore releuatur.

ALIVS [b] item ciuis Ratisponensis, Opertus nomine, filiam quandam habebat Rapotonis vxorem, quæ oculorum dolore fermè cæcata, ducta ad viri Dei sepulchrum, cum decem nummos in censu eidem promitteret annuatim, insperatam oculorum recepit protinus claritatem. XXVI.

[c] Aliud simile miraculũ

QVIDAM [c] de ipsa etiam ciuitate Henricus, qui Vicedominus appellabatur, simili dolore laborans, ductu amici sui cuiusdam etiam Henrici vocabulo, ad sepulchrum Patris sancti deueniens, simili deuotionis affectu, effectu curationis simili est exauditus. XXVII.

[d] Distortus pedibus curatur.

FILIVS [d] eiusdem Henrici, filium quendam habebat, qui distortis pedibus difficili gradiebatur incessu, qui & ipse Erminoldi meritis est curatus. XXVIII

[e] Henricus à fluuio sanguinis laborans, medelam consequitur ad inuocationẽ S. Erminol

ALIO [e] autem tempore idem Henricus à Deo fluxu cœpit sanguinis infirmari, vt nullo medicamẽto quicquam proficere se sentiret. Ad nota ergò sibi iam secundò Patris sancti suffragia se reuertens, iterum curari meruit, per eundem dominum nostrum, famulo eius fideli manu cõtacto, cuius fimbriam olim tangens hæmorroissa recipere meruit sanitatem. Hic iam tertio manifestauit se Iesus eidem Henrico, in sui gloriam Confessoris. XXIX.

[f] Leucardis imprecatione mariti à dæmone occupatur.

IN [f] Castro Napurch mulier quædam Leucardis, cuidam iuueni matrimonialiter copulata, cum quadam die vitreis annulis more luderet puellari, maritus offensus eò quod necessaria negligens vanis intenderet, maligni spiritus ei imprecans incautus inuasionem, coniugi non coniugaliter maledixit. Statimque vt vel vanitas huius vel illius acerbitas nimia puniretur, Diabolus mulierem inuadens acerrimè cruciabat, & verba per eam blasphema & turpia proclamauit, accedentium culpas eis improperans & peccata. Cumque sacerdotes super eam dicerent exorcismum, Vestra, inquit Dæmon, verba non curo, nec attendo plateramenta, repellendus Erminoldo reseruor, ille accepit reijciendi me potestatem. Et mirati sunt vniuersi, qui aderant, & ipsi nil horum intellexerunt, eò quod nondum ad partes illas viri Dei præconia peruenissent. Et murmur multum erat de eo in populo, quem dæmon diceret Erminoldum; & dicebant ad inuicem. Quid est hoc, quod dicit nobis Dæmonium? nescimus quid loquatur. Cum itaque crederent se illudi, affuit de Ratispona Rupertus quidam, qui diceret se intelligere id, quod Diabolus loquatur. Et incipiens interpretabatur illis qui aderant, verba quæ dixerat inimicus, beati Erminoldi vitam & sanctitatem, & miracula plurima manifestans. Ille est, ait Dæmon, ille est, de quo loquor. Instructo ergò vehiculo mulier superposita in Prufeningen adducta est per amicos. Cumque deuẽtum esset ad fores Ecclesiæ, illa reniti manibus cœpit, & pedibus, sed vi deducentium & labore non modico, sepulchro est superposita viri Dei. Vbi cum fratres dicerent exorcismos, & preces effunderent pro vexata, vix illa ne effugeret, tenebatur. Cum [g] subito Deo suum famulum honorante, mulier altius ingemiscens, Ach achque proclamans, quasi resoluta in somnum protinus conquieuit. Cumque ablata sepulchro in terra super plumarium reclinata fuisset, & an haberet melius, quæreretur, optimè sibi esse, ac se liberatam esse respoudit, se nil penitus virium habere. Igitur amici cum illa tota nocte ad sancti tumulum excubantes, mane viam arripiunt reuertendi, & cum iteragerent vocem huiusmodi Dæmonis audierunt. Etsi ad te accedere non præsumo, à te tamen longius non recedam. Sana tamen mulier est domum reuecta. Non multum temporis interfluit, & ecce amici fœminæ liberatæ, Deo gratias non agentes, obliti sunt beneficiorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis in illa. Ideoque [h] quantæ culpæ ingratitudo sit apud Dominum, meminerunt protinus experiri. Denique cum Dei ac sui famuli beneficia magnificare inter suos, & laudibus dignis attollere tenerentur, illi magis ea occultare ac tegere satagebant. Cum ecce subito in patris sui conspectu, Dæmon reuertens, in domum suam vnde exiuit, nouissima hominis istius peiora prioribus faciens, per os eius cœpit horribiliter exclamare, Quæ vos occultare nitimini, ego faciam omnibus manifesta. Hoc dicto acrius eam cœpit, quàm antea cruciare. Igitur amici eius meritâ vltione confusi, vexatione dante, vt assolet, intellectum, ad cor redeunt sua ingratitudine pœnitentes. Itaque ad benefactoris sui refugiens auxilium, vt sui misereretur & patientis, negligentiæ ipsorum dignanter oblitus, humillimè postulabant. Apud sepulchrum igitur viri Dei denuò pernoctantes, Domino sui famuli merita declarante, mane sanam eam & incolumem receperunt. Sicque Dominum collaudantes, vt decuit, cum sana & læta lætantes ad propria sunt reuersi. XXX.

[g] Liberatur meritis S. Erminoldi.

[h] Denuo à dæmon ob ingratitudinẽ occupatur, & ad inuocationẽ S. Erminol apud sepulchrum eius liberatur.

[i] Monocula visum integrũ recipit.

MVLIER [i] quædam per octo annos oculo vno prorsus orbata, plena fide ad sepulchrum Confessoris accessit. Quæ cum tota deuotione mentis oraret, coram omnibus, qui ad Annunciationis Dominicæ festa conuenerant, lumen ad reuelationem insignium meritorum & gloriam Christi famuli declarandam læta recipit, turbam non modicam habens suæ testem illuminationis, & Dei & eius famuli laudatricem. XXXI.

[k] Puer septẽnis distortis pedib. gressum recuperat.

IN [k] parasceue quædam de Ratispona mulier puerum fere septennem adduxit, ad memoriam viri sancti, distortos imò prorsus inuersos pedes habentem, ac impotem ambulare. Pro quo dum mater tota die vsque ad horam prandendi precibus institisset, integræ puer est restitutus sanitati, qui & in miraculi perpetrati memoriam de fratrum prandentium manibus sæpè postmodum panem & cibos accipiens, domum detulit matri suæ. XXXII.

[l] Puella quinquennis eodẽ defectu laborans ad S Confessoris tumulũ restituitur.

ALIA [l] quædam mulier puellulam fermè quinquigenem similiter pedes habentem inuersos, & nunquam valentem aliquid ambulare, ad sancti sepulchrum in vigilia Pentecostes apportauit. Et ecce inter compulsandum ad vesperas, plurima turba præsente, plantis eius ac pedibus ad rectitudinem restitutis, vsum gradiendi recepit, iuxtaque sepulchrum, primo quidem pedetentim obambulabat, deinde verò diatim magis magisque proficiens, integraliter est curata. XXXIII

[m] Epileptica sanatur.

HEROLDVS [m] quidam ciuis de Ratispona filiam habuit, quæ morbo epilepsiæ adeò vexabatur, vt quotidie bis vel ter eliderẽtur ad terram. Pro qua dum parentes, per dies triginta continuos, ad sepulchrum sancti viri eam ponderare voluissent, impleuissentque quod vouerant, filia reddita est integræ sospitati, obuiantibus sibi Dei misericordia, & vouentium & reddentium veritate. Qui & sancti beneficio respondentes, curatam eandem ob viri Dei sepulchrum, cum vna candela per annos singulos obtulerunt. XXXIV.

[n] Alheidis de Turẽvvach membrorũ vsus restituitur integer.

MVLIER [n] quædam Alhaidis dicta de Turenwach, omnium destituta membrorum officijs, viro Dei ad censum nummi vnius annis singulis se deuouit. Nec mora, quæ omnium membrorum vsu caruerat, omnium membrorum gauisa est se vsui restitutam. XXXV.

*Subintelligo, obtigisset.

DVO quidem Satellites simul erant ad prandendum, & capta præda quando diuidunt spolia tales, cœperunt mutuo corrixari; vno accusante, quod minus sexaginta denarijs recepisset, alter propter domini sui potentiam, quem habebat, verba socij contemnente & irrogante insuper illi contumelias & terrores; ille iniuriæ acceptæ non immemor, exinde quærebat oportunitatem, vt eum traderet cum sibi fortuna, * qui grauamen intulerat. Quadam itaque die læsus, & læsor obuiauerunt sibi, & iniuriatorem se agentem incautius iniuriatus gladio petijt improuiso, vulneratumque grauissimè ad terram vsque prostrauit. Quo iacente, super dolorem vulnerum eius addidit ampliora, & plagis impositis abijt semiuino relicto. Delatus igitur ad hospitium lacero corpore, biennio lecto decubuit, ita quod nullatenus valebat assurgere de eodem. Vxor autem illius flebat quotidie, & lugebat, eo quod vnde conduceret medicum XXXVI.

cum non habebat. Tabescente sic illo,& illa mœrente, nocte quadam reuerenda quædam matrona, flenti vxori non per somnum,vt assoler,sed clarissima visione apparens:Quare mœrore consumeris,ait,absque profectu? Virum tuum Beato Erminoldo transmitte,& remittet eum incolumem. At illa: Quomodo eum sibi transmittam,cum de lecto nequeat se mouere? Respondit quæ apparuerat, Tantummodo voueat se iturum,& vires augebuntur. Hoc dicto disparuit. Vxor verò narrauit[a] viro quæ viderat, qui facto voto,mane accepto baculo iter aggressus, licet cum difficultate ad tumbam Sancti deuenit, seque ponderans domum regreditur, plenam, vt credimus, postmodum capiens sanitatem. [a] Vulnerata cura impetraditur.

XXXII. AVRIFEX quidam Gotfridus nomine, gente Sueuus, vir miræ simplicitatis, in artis illius omni genere, cunctis qui erant Ratisponæ peritior, grauissimam oculorum patiebatur infirmitatem, adeò vt vnus oculus excæcaretur, insuper versus in cruentam carnem & nigram;non autem habens precium medicos conducendi,cum vetularum ac mulierum experimenta quàm plurima sine profectu aliquo requisisset, audiuit mulierem peritissimam in huiusmodi esse apud Herbipolim, ad quam dum pergere decreuisset, sed careret expensis, consultum est ab amicis, vt obmissis omnibus, suffragia beati requirat Erminoldi,quibus ille consentiens, oculo argenteo fabricato, ad sepulchrum sancti eo se ponderauit.Mira res, [b] sub spacio noctis vnius, oculum sanum ac purum perspicacioremque recepit,quàm ante morbum se meminit habuisse. [b] Gotefrido Sueuo oculus restituitur.

XXXIII. HENRICVS quidam ciuis de Ratispona, die quadam venit in Prufening, Deo & sancto suo supplicaturus. Qui audiens inter multos à sacerdote, qui celebrauit, Dei famulum commendari, habere se filiam testabatur, quæ cum [c] octo annis nunquam ad ambulandum terram suis pedibus tetigisset, ipseque adductam eam tribus ponderasset vicibus, ad viri Dei sepulchrum, adepta est integram sanitatem, quæ firmis nunc gressibus vsque in diem vtitur hodierpum. [c] Puella octēnis gressum sancti meritis meretur.

XXXIV. MATERFAMILIAS quædam de Ratispona,cum per se venire non posset,nummum ad offerendum accedendo absque candelis,per mulierem manentem secum in domo, ad sepulchrum viri Dei transmisit. Quæ cum alijs [d] mulieribus veniens,candelas quidem accendit, nummum obtulit ad sepulchrum,sed clanculo retrahens ipsum, & fraudulenter marsupio suo cum imponere cogitabat,& reseruare. Sed mirum in modum duo digiti, quibus illum abstraxerat, & tenebat, ita continuò sibi sunt coastricti, vt eos nec ab inuicem soluere, nec nummum excutere præualeret. Abijt ergò cum sociabus tristis & mœrens. Quæ cùm venisset in campum, causam ab illa fletus inquirunt. Illa suum confessa reatum, manum protulit subtractricem, digitis adhuc tenaciter cohærentibus & tenentibus, quod abstulerant in occulto. Quem cum mulieres auellere niterentur, nihilque proficerent, saniori vsæ consilio,cum rea regressæ, manum cum furto super tumulum posuerunt, pro absolutione furis, Deum eiusque pijssimum Confessorem supplici ter inuocantes. Statim digiti,qui ad furandum auferendumque cohæserant, ad [e] restituendum laxati sunt, & soluti. Denario itaque misso in arcam, mulieres cum gaudio Deum laudantes & familiam eius, ad propria redierunt.Accepit autem omnes timor,& magnificabant Deum, qui hoc miraculum audierunt. [d] Mulier fraudulēta corrigitur. [e] Restituitur.

XL. ALTERA [f] quædam Leukardis tantam incurrerat surditatem,vt tinnitu aurium crebro nimiùm læderetur,quę tumbam viri Dei tertio visitans,plenam adepta est sanitatem. [f] Leukardis auditū læsum integrum recipit.

XLI. ALIAS quædam mulier tantum dolorem patiebatur in oculis, vt multo tempore clausis eisdem cæca esse crederetur,quæ cum ad auxilium viri Dei deuota venisset,statim in ipso ingressu Ecclesiæ diu clausi sunt aperti. Apertionem autem eorum tanta est lachrymarum effusio subsecuta, vt vestes mulieris vsque ad pectus adeò madidarentur, vt perfusæ fluuio viderentur. Accessit ad tumbam,Deo gratias agens, eiusque magnifico Confessori, domum inde rediens,plena post modicum gratulata est sospitate. [g] Mulier dolore oculorum liberatur.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus, famulum suum honorans,quæ non sunt scripta in libro hoc,quæ vel quotundam simplicium fratrum humilitas vltro suppressit, vel aliorum incuria obliuioni tradidit negligenter. Hæc autem, quæ auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis, & seniores fide dignissimi, breui calamo perstringentes, futura, quorum DEVS sibi notitiam reseruauit, adnectanda committimus diligentiæ posterorum. Nam fiduciam talem habemus in Domino, quod nisi requirentibus famuli sui dilecti suffragia deuotionis & fidei vasa defecerint, sui oleum non deficiet Helisei, ipso præstante, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

EPIL. XLII. CVM fidelium pia deuotio amplius & perfectius circa nota quàm incognita moueatur, vt vniuersi, qui præsentem sunt ingressuri Basilicam, Cœnobij huius Prufeningensis originem ac profectum, vsque in hæc tempora non ignorent, pagellam hanc omnibus accessuris, vice speculi duximus adhibendam. Sciendum est igitur, quod anno post partum virginis gloriosæ M. C. IX. Beatissimus Pater sanctus Otto [h] Babenbergensis Episcopus diuina reuelatione præmonitus euidenter, vt in gestis eiusdem plenius continetur, locum hunc in Dei ac sancti Georgij Martyris victoriosissimum fundauit honorem, eoque in domibus, habitaculis, officinis, clausstro, conuenientibus, per ipsius studium & industriam laudebiliter consumato, ac communito liberaliter & abunde prædijs, syluis, cæterisque possessionibus, quas necessitas cœnobialis vitæ requirit, fratres collegit & instituit in eodem, qui sub beati regula Benedicti [i] Deo ibi perenniter militarent. Collecto ergò conuentu beatum Erminoldum, cuius sepulchrum in medio Basilicæ cernitur, huic Ecclesiæ primum Domino disponente præfecit Abbatem, euocatum tam multiplicibus, quàm supplicibus literis de Hirsaugiensi Cœnobio. In quo sub beati Wilhelmi regimine monasticæ vitæ iugum portauerat ab adolescentia sua. Vnde iam pridem propter summam perfectionem vitæ laudabilis, cuius famæ præconium longè lateque percrebuerat, ad Loracensem Ecclesiam electus est Abbas, & ab Henrico Quinto nominis huius Imperatore, regalibus solenniter inuestitus. Cui Ecclesiæ cùm paulò plus quàm anno gubernatione sanctissima præfuisset, ac sub tantillo spacio temporis, non minus quàm quadraginta Domino sanctæ religioni filios aggregasset, & ibidem, propter quendam conscientiæ leuem scrupulum, culpam timens, vbi culpa omninò non erat, dignitatem Abbatiæ illius resignans, cum fratribus Deo collectis, ad Hirsaugiense cœnobium remigrauit, vbi cum suis iocundè receptus est & seruatus, & aliquanto tempore demoratus ibidem. Demum anno Domini M. C. XIV. à venerabili fundatore nostro, huic loco, vt dictum est, gubernando præficitur primus Abbas, & rogatu venerabilis domini Hartwici tunc Ratisponensis Episcopi & consensu, per sanctæ memoriæ Vdalricum Patauiensem [k] Episcopum in Abbatem solenniter consecratur. Cumque in cura susceptæ regiminis boni pastoris instar, verbo pariter & exemplo subiectos à malo retraheret, prouocaret ad bona, nihilque negligeret faciendum, sed inuigilaret diuinis operibus incessanter, Diabolus sua damna & Dei lucra videns, & inuidens quotidiè crescere per eundem quosdam, malitiæ suæ satellites, ad sancti patris animauit interitum, & armauit. Ne igitur venerabilis Christi Confessor, qui regimine Patriarchas, Apostolos documentis & signis, virgines castitate conciues habere meruerat, martyrum quoque palma careret, post multas iniurias, contumelias, & terrores, ab vno [l] ministerio diaboli ligneo per insidias vecte percussus, aliquandiù superuiuens, tandem in Sancto Epiphaniarum die sub Hymno videlicet Angelorum, ad Angelorum regem & regionem glorioso fine transiuit, sicut in ipsius festi vigilia, prophetico quo plenus erat spiritu, ipse prædixerat, eo ipso nos, quod pro signo sui dederat vaticinij certiorans, quod nunquam videlicet diuinum cessare deberet

[h] Otto Epis. Babenberg. anno 1109. Prufening. monasteriū erigit.
[i] Ei fratres Ordinis S. Benedicti præficit, & S Erminoldum Abbatem constituit.
[k] S Emin. anno 1114. consecratur Abbas.
[l] Ligno percussus vecte post aliquādiu superuiuēs moritur

obsequium in hoc loco, quod & extunc vsque in hæc tempora, sicut patet, eiusdem patris, vt credimus, meritis & obtentu in suo statu permanet & vigore. Spiritu igitur migrante ad cœlos, corpusculum sancti patris in eo, quod in præsentiarum cernitur sepulchro, deuotè reconditum innumeris mox cœpit virtute Christi [a] miraculis coruscare, cæcis viso restituto, quam pluribus contractis & claudis gressu, resolutione turgentibus & inflatis, Epilepticis, paralyticis, energumenis, Dæmoniacis, surdis, hæmorroicis, sospitate potita, blasphemis verò punitis, igne tabefico, lepra & morte postremo, quæ merebantur punitis & correctis, accedentibus vel agentibus aliquid circa ipsius tumulum fraudulenter sicut libro miraculorum ipsius plenius manifestatur. Cæterum inter virtutes & signa, quæ diximus, non debet hoc minimum reputari, quod cum aliquanto iam tempore, memoria sancti Patris ab hominibus interimissa fuerit & neglecta, nunc tandem tam crebra visitatione accedentium iam continuò renouatur, vt hoc, quod de iusto per sapientem scriptum est: Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem, ipso facto & euidentia in eo sit impletum. Propter quod profecto speramus, quod Deus omnipotens in suo famulo glorificari, & in se glorificare disponens eundē, omnes qui per ipsum Domini beneficia postulauerunt, piè fideliter & attentè, misericorditer vel ad votum exauditurus sit vel ad fructum. Cursim ista perstrinximus & summatim, quatenus omnes, qui Dei ac famuli sui Patrocinia postulaturi aduenerint, ipsius aliqualiter merita cognoscentes, exauditionis suæ fiduciam eo ipso concipiant ampliorem apud DEVM, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Mortuus miraculis claruit.

Eccles. 39.

AN. 1310.

VITA S. ANDREÆ EPISCOPI FESVLANI, ORDINIS CARMELITARVM, DOCTE EX ELEGANTER CONscripta: sed codex Authoris nomen non habebat.

6. IAN.

ANDREAS Corsinus Florentiæ ex Corsinorum nobili familia natus fuit, patri Nicolao, matre verò Peregrina. His, postquàm in vnum matrimonium conuenerunt, nihil fuit antiquius, quàm vt religionis præcepta in omnibus obseruarent. Itaque libidine terrenorum posthabita, ijs quæ Dei erant, studentes, sæpiùs domum Domini visitabāt. Cùm verò, quod in Exodo legitur, audirent, primitias videlicet Deo offerendas esse: vt Deo eiusque genitrici gratam oblationem facerent, admodum cupiebant ex se filios procreare, vouantes primogenitum suum Mariæ religioni redere. Quorum [b] precibus B. Virgo annuens, diuinitùs eorum votum adimpleuit. Post paucos dies concepit Peregrina mater: cumq; iam tempus pariendi immineret, in somnis sibi visum est lupum peperisse pro homine: qui cum Ecclesiam intrâsset, paulatim immutatus, in agnum se vertit. Quā rem expergefacta tacitè considerans, nec viro quidem, quid in somnis viderit, est ausa confiteri. Proxima verò [c] nocte, id est, pridiè Calendas Decemb. puer nascitur: qui cùm lustraretur baptismatis sacramento, Andreas nomen accepit, quòd eo die natus sit, quo Christiana religio beati Andreæ Apostoli solennia celebraret. Puer educatus ingenuè, crescit, studijs literarum traditur. Cùm autem admodum scitus puer esset & forma præstante, vtrique parenti plurimum charus erat. Postremò factus [d] adolescens, canes alere, equos mercari, sodalitates parare, tractare arma, lites gerere cœpit, & ad hæc, omnia diuina pariter & humana promiscua habere, parentibus non solum obediens, sed nec eos se castigantes perferre poterat.

Exod. 22. 23. &c.

[b] Votū parentum S. Andreæ.

[c] Nascitur Andreas.

[d] Adolescētia ei malè morata.

I.

PARENTES verò, vbi intellexerunt, quantum periculum adolescenti imminebat, timentes ne ob eius facinora per dedecus vitam amitteret, à tam pessimis moribus illum iam ætatis suæ quintumdecimum annum agentem reuocare statuerunt. Igitur nacti opportunitatem, Andream ad se accersiri iubent. Qui cum iussa parentum negligeret, cōtumelioſa verba respondens, ab eorum conspectu improbè discedebat. Quem [e] mater, id iniquè ferens, animo concitato alloquitur: Tu profectò, inquit, lupus es, quem in somnis mihi visa sum peperisse. Quibus verbis perterritus adolescens, retrò ferens pedem, matrem orauit, vt quid sibi vellent ea verba, significaret. Tunc mater inquit: Audi fili mi verba mea, neque matris tuæ dicta contemnas. Ego vnà cum genitore tuo sterilis annos plurimos vixi, tantusque sobolis amor fuit, vt etiam pro habendis filijs vota susceperim. Itaque primitas vteri mei Deo Mariæque matri eius offerendas constantissimè voui. hocidem Nicolaus pater tuus communi voto promisit. Factum est, vt Mariæ precibus conciperem: & cum iam pariendi tempus aderat, in somnis visa sum lupum parere: qui cum ingressus esset Ecclesiam, lupi formam deserens, agnus effectus est. Postridiè verò te peperi: qualis superiorem ætatem vixeris, non te later. Non enim vt homo ratione vtens, sed vt rapacissimus lupus. Nunc iam tempus exposcit, vt in agnum te vertas, & quæ pro te vota suscepimus, velis pia mente perficere. Nam non nobis, sed Mariæ virgini natus es. Expergiscere igitur fili, nec velis longiùs per socordiam atque malos mores vitam inficere.

[e] Mater eū castigat.

II.

POSTQVAM [f] mater loquendi finem fecit, Andreas huiusmodi oratione perculsus, superiorem vitam suam tacitus considerans, pœnitentia motus, multis lachrymis Virginem precabatur, vt pro se ad filium preces fundere dignaretur, ne iuuentutis suæ delicta cognosceret. Postridie verò mane ad Carmelitarum ecclesiam profectus est, ibique orando diu antè aram Virginis gloriosæ, lachrymis faciem irrigauit, rogitans vt se lupum in agnum conuerteret. Tandem ab oratione surgens, Hieronymum Melioratum, qui ea tempestate, videlicet anno ab incarnatione Domini millesimo, trecentesimo decimo sexto, prouinciæ Tusciæ curam gerebat, prostratus orauit, vt eum intra religionem acciperet. Quod cum audiret vir præstans, miratus ingenuum adolescentem, summo loco natum, multisque educatum delicijs, cupere sacris initiari, seruitutemque religionis subire, misit ad eius parentes, quia referant Andream filium habitum religionis petere. Parentes vbi cognouerunt per nuncios, in filio suo Spiritum sanctum tam citò mirabiliter operatum, [g] stupore gaudioque repleti, eò, vbi Andreas erat, properè concesserunt, atque vnanimes filium, quem orantem inueniunt, sicut vouerant beatę Virgini offerentes, susceptī voti officia perfecerunt. Ita Andreas in agnum versus, ad religionis obseruantiam admittitur. Huic, vt eius animi firmitatem experirentur, cuiuslibet vilissimæ conditionis seruitia demandabant: ædes verrere, ostij curam gerere, interdum etiam patinas purgare iubebant. Quæ omnia ita libenti animo perferebat, vt mirum sit eius & obedientiam, & humilitatem referre.

[f] Andreas se colligit, & resipiscit.

[g] Carmelitanum amplectitur institutum.

III.

ACCIDIT [h] vt prandentibus cæteris, Andreæ ianuæ custodia mandaretur, qui neminem, quoad fratres cœnauissent, intrare permitteret. Diabolus verò tantæ humilitati inuidens, adolescentem subuertere conatus, prædiuitis viri formam accepit, & comitatu ingenti ante monasterij portam assistens, sibi fores reserari iubet. Andreas hominis importunitatem miratus, quid sibi vellet, interrogauit. Cui ille inquit: Nonne me nosti? ex cognatione enim tua natus sum: qui cum audirem te religionem subijsse, iniquo animo ferens huc accessi, vt ex tam turpi vitæ conditione ad pristinas delicias reuocarem. Itaque iam citò aperi, vt mecum domum pariter reuertaris. Iam tibi virginem ex nobilitate ingenti dote desponsauit pater. Cui Andreas: Nec vos cognosco, nec nostro quidem sanguine nati estis, qui me quæritis à tam salubri officio reuocare. Parentes enim ante, quàm natus essem, huc me genuerunt, vbi humilitatem amplexus, obedientiam sponsam accepi. Ita hostis ille ianua pulsus, atque deuictus constantia puerili, tantum facinus frustrà suscepit.

[h] Malignitas dæmonis.

IV.

POST-

V. POSTQVAM [a] fratribus Andreæ humilitas & obedientia satis exploratæ sunt, de more professus est, & in verba Prouincialis, religionis solennia vota suscepit. His [b] exactis, animus adolescentis in dies magis ac magis in diuino amore atque virtute flagrabat, ieiunijs & abstinentia atque corporis flagellatione terrenorum cupiditates superabat: tantusque silentij amator factus est, vt non nisi vbi maximè opus esset, loqueretur. Diebus tribus in hebdomada ieiunabat, in quibus nihil cibi, præter panem & aquam, sumere consueuit. Obedientiam adeò obseruabat, vt nihil magis cupere videretur, quàm vt sibi aliquis imperaret, non secus, ac si intrâsset religionem ob id solùm, vt seruiret. Orationibus atque sacris literis incumbens, nullum tempus conterebat incassum. Corpus suum assiduis flagellationibus macerans, in seruitutem redigebat, domabat cilicio, ieiunio castigabat. Appetens solitudinem, delicias fugiens, à iocis & ludis plurimum declinabat. Obturabat aures suas, ne audiret verba detrahẽtium sibi. Nam, vt moris est mendicantium, sabbato pro accipiendis eleemosynis ciuium domos adire, Andreas ob humilitatem officium huiusmodi plurimum exercebat, & cùm à suis, qui in via maximas ædes haberent, eleemosynam peteret, multis iniurijs ab eorum domibus pellebatur. namque illis inuitis Andreas habitum religionis acceperat. Irridebatur [c] à notis, à sodalibus spernebatur, & tanto tamque salutifero labori inertiæ nomen imponebant. Huiusmodi omnia Andreas ingenti patientia tolerabat, ac si religionis perfectio in tolerandis iniurijs haberetur.

[a] Facit professionem.
[b] Progressus eius in vitæ sanctitate.
[c] Irridetur à suis, & repellitur.

VI. EA tempestate Ioannes quidam Corsinus ex cognatione sua, lupum morbum patiebatur in crure, quæ ægritudo per dies noctesque hominem plurimum cruciabat. Et vt nuiusmodi cruciatum mitigaret, quocunque genere ludorum vtebatur, ita vt eius domum, lusorum porticum appellarent. Hunc vir Dei aggressus, sic alloquitur: Ioannes, si meis consilijs acquiescas, pristinæ te saluti restituam, & ab hostium tuorum insidijs diuino munimine liberabo. Ille vix [d] credens Andream in conspectu Dei talem gratiam inuenisse, vt morbos auerteret, tamen recuperandæ sanitatis desiderio pollicitus est se facturum, quicquid optimus adolescens imperaret. Cui Andreas, Est, inquit, opus inprimis, vt omnes has lusorum consuetudines abijcias: post hæc, vt vacando ieiunijs, virginem Mariam summis precibus dies octo flectere nitaris. Ioannes simplicitate verborum motus, statim vota suscipiẽs, quicquid sibi ab Andrea iussum fuerat, mira deuotione perfecit, & meritis eius est solitam valetudinem consecutus. Ita vir Dei ardens in virtutibus, & in dies magis sanctitate pullulans, ad sacros ordines admittitur. Corsini [e] omnes statuunt, vt primam Missam Andreas cantaturus, oblationem magnis apparatibus ingentique pompa celebraret. Sed ille, vbi hoc audiuit, habita prius licẽtia à Prouinciali, secessit septimo milliari ab vrbe in Conuentum Syluarum, ibique deuotissimè sacerdotij sui primitias offerenti, [f] Beata Maria virgo cum comitatu Angelorum apparuit, dicens ei: Seruus meus es tu: quia ego elegi te, & in te gloriabor. Et hæc dicens, paulatim in auras se eleuauit. Andreas stupore perculsus, non elatione extollitur, sed magis per humilitatem nitebatur se dignum seruum efficere, humanas laudes fugiens, studio bonarum artium sibi immortalitatem parabat.

[d] Curat hominẽ morbidum.
[e] Declinat pompam celebrandi primitijs.
[f] B. Maria illi apparet.

VII. ERAT ea tempestate vir nobilis, cuius filia, quam vnicam habebat, morbo hecticæ febris languens, nulla poterat medicorum arte curari. Hæc cùm prodigia, quæ per virum [g] Dei indies fiebant, perciperet, sperabat proculdubio sanitati restitui, si manibus suis vir Dei sibi pabulum ministraret. Quod pater intelligens, à beato Andrea summis precibus impetrauit, vt filiam suam ægram inuisere dignaretur, quæ in se vno omnem spem salutis posuerat. Ille vbi puellæ fidem cognouit, diutina oratione præmissa, eam visens, cibumque ministrans, pristinæ restituit saluti.

[g] Claret miraculis.

VIII. POST paucos annos [h] Pisis Capitulum celebratur, Andreas Parisios literis imbuendus mittitur: indè post tres annos in prouinciam reuocatur. Dum itaque in patriam reuertitur, per Diuionem iter faciens, patruum Cardinalem ibidem eo tempore legationis officio functum, visitat. Dum ibidem [i] apud Cardinalem aliquot dies esset, cæcum quẽdam, qui ad portam templi sedens, à prætereuntibus eleemosynam petebat, inuenit: à quo cùm cæcus stipem peteret, lumen recepit. Post paucos [k] dies Florentiam redijt, vbi tunc Capitulum Prouinciale fiebat, in quo Andreas conuentui Florentino præficitur. In qua administratione tanta vitæ sanctimonia claruit, vt narratu difficile foret. Venturam, Carmelitam Pisanum quendam, ab hydropis morbo curauit.

[h] It Parisios.
[i] Cæco visũ restituit.
[k] Fit Prior.

IX. ROGATVS à quodam familiari, cui puer natus erat, vt eundem puerum baptizaret, non recusauit. Sed dum infans illustraretur, vt moris est, aqua & chrismate, Andreas, cui Deus futura reuelauerat, mirum in modum lachrymis irrigabatur. A quo cùm pater pueri lachrymarum causam quæreret, Andreas, inquit: Hic puer sibi ac familiæ suæ excidio natus est. Pater verò præsagium huiusmodi paruifaciens, viri Dei verba contempsit. Puer autem crescens, non secus ac Andreas prædixerat, flagitijs atque facinoribus coopertus, cum multis contra Rempublicam coniurauit. Qui in iudicium vocatus, tanti sceleris pœnas soluit, omnesque cognati eius ab omni administratione Reipublicæ fuerunt abdicati.

[l] Claret spiritu prophetiæ.

X. NON longè post, vbi Deo obedientia serui sui satis probata fuit, illum ad maiorem curam voluit accersiri. Nam factum est, vt Fesulanus antistes extremum diem clauderet. Postquam illi pontificio more magnificè fecerant obsequia, Canonici cæterique, apud quos ius erat, conuenerunt in vnum, vt inter se de eligendo pontifice tractarent, à quorum vnanimi consensu Andreas Corsinus Carmelita designatur. Ea cùm [m] Andreæ nunciarentur, timens ne sub tanto onere premeretur, tertio milliario ab vrbe apud Carthusienses latitauit. Canonici verò [n] illum per omnem prouinciam quæri iubent: sed vbi nequeunt eum inuenire, iterum congregatis de renouanda electione decernitur: & dum illorum vacillantia corda in ambiguo versarentur, Spiritus sanctus per os infantis locutus est, dicens: Elegit Deus Andream in sacerdotem sibi: eccé enim apud Carthusienses orat, ibi eum inuenietis. Quibus verbis omnes stupore repleti, quicquid actum priùs fuerat, confirmant. Igitur decernitur, vt ad Carthusienses legati mittantur, vt Episcopum ad susceptionem pontificatus hortarentur. Dum hæc Fesulis gerebantur, Andreæ oranti puer in veste candida apparuit, nuncians ei hoc diuino numine factum, vt Episcopus crearetur, neque laborem subterfugeret. Nam datus erat ei custos Angelus, qui eius vestigia in Dei voluntate perficeret. Andreas itaque angeli visione perterritus, ab oratione surgens, Fesulanos se quærentes offendit. Qui episcopum salutantes, hortantur vt gregem suum, & oues pascuæ suæ non contemnat. Andreas Deo gratias agens, onus, quod paulò antè excutere nitebatur, constanti mente suscepit.

[m] Creatur Episcopus Fesulanus.
[n] At ille lætatur.

XI. IGITVR [o] factus Episcopus anno ætatis suæ 58. incredibile effatu est, quanta sanctitate floruit. Omnes terrenorum cupiditates subiecit pedibus: tantæ fortitudinis factus, vt cunctas animi perturbationes facilè superaret. Mulierum colloquia, tanquam semina vitiorum, magno studio fugiebat: temperãtiam amplexus, nulla concupiscentia carnis premebatur. Macerabat corpus, sobriè cibum sumendo: subter tunicam super nudo corpore catena ferrea cingebatur. Sarmenta vitium membris suis requiem nocturnam præstabant. Pacis seminis præcipuus seminator, bella intestina, seditiones ciuium & discordias plurimorum extirpabat. Diuinæ contemplationi intentus, nihil humanum, aut quæ ad scurrilitatem pertinerent, loquebatur. Quanto enim dignitate sublimior, tanto humilitate submissior videbatur. In ædificijs sacris plurimum intentus, Cathedralem Ecclesiam Fesularum, quæ ruinam vndique minabatur, sumptibus datis muniri fecit.

[o] Eius eximia virtus in episcopatu.

XII. QVID [p] de eius commiseratione erga pauperes, quid de pietate eius in populum suum referam? Non modo affectos egestate videre, sed nec audire quidẽ sine lachrymis poterat. Tantę n. liberalitatis fuit in pauperes, vt oẽs egenos, qui

[p] Eius liberalitas in pauperes.

qui tunc Fesulis essent, literis mandaret, quibus clanculum præbebat eleemosynam. Nemo vnquam egens sine eleemosyna ab eo recedebat. Quin etiam cùm annonæ magna penuria esset, & pro eleemosynis ad eum confluerent plurimi, ipse omnem panem in sua domo repertum pauperibus erogauit: & cum tantæ multitudini minus sufficeret, iussit sibi vltrà panes adferri. Ministri verò, qui sciebant, ne panem quidem vnum in arcula se dimisisse, defecisse panes episcopo narraueruht. Qui iussit, vt in arca attentiùs quærerent. Illi autem, [a] ne viderentur Episcopi iussa negligere, in penum reuertentes, panes in magno numero repererunt. Quam rem mirati, detulerunt ad episcopum. Ille verò panes accipiens, pauperibus erogauit, vt in omnibus Saluatoris vestigia imitaretur.

[a] Diuinitùs augentur panes.

[b] Lauat pedes pauperum.

CONSVEVERAT [b] vir Dei qualibet quinta feria, in memoriam Dominicæ humilitatis pauperibus pedes lauare. Accidit, vt quidam ex mendicis illis Episcopo resisteret, ne pedes eius ablueret. A quo cùm causam Andreas peteret, inquit ille: Crura mea morbo in putredinem versa, timeo ne excellentiæ tuæ stomachationem inferrent. Cui ait Episcopus: Confide fili in Dominum Iesum Christum, & infusa aqua in peluim, pauperis crura lauare cœpit. O rem mirandam! Ille crura lotus, statim morbo solutus est. XIII.

CONSVEVERAT noctu post matutinale officium, vno tantum ministro comite, visitare ædem siue ecclesiam, quę vulgò Abbatia dicitur, non longè à metropolitana ecclesia. Factum est dum redirent, parietem ex transuerso in via ædificatum inuenerunt. Quare perterritus minister, dixit: Pater reuerende, quis hîc tam citò parietem construxit? Cui inquit Andreas: Oremus, ne intremus in tentationem. Et prostrati in terram, cantauerunt Psalmos, Deus in adiutorium: Et, Domini est terra, &c. Et oratione facta, paries euanuit. XIV.

Psalm 69.
Psalm. 23.

CVM Bononiæ discordia ciuilis orta esset, adeò vt tumultus ille nullius authoritate posset sedari, Vrbanus quintus Pontifex Maximus, qui etiam ob vitæ merita signis claruit, audita Fesularum Episcopi probitate, eum legatum Bononiam mittit, vt dissidentia pectora mitigaret, flecteretque feroces animos ciuium. Andreas pontificis iussa perfecit, Bononiam [c] profectus est. Ciues vbi præsulis authoritatem, ac verborum suauitatem perceperunt, mox depositis animis reconciliantur: pauci verò, qui huic rei aduersabantur, atroci morbo percussi sunt. Qui tandem meritis beati Andreæ liberati, deposita animi ferocitate pacificantur. Ita vir Dei perfecto negotio, vna omnium commendatione Fesulas regressus est. His artibus atque studijs ad maturam ætatem peruenerat. XV.

[c] Bononiēses redigit in concordiam.

ANNO igitur ætatis suæ septuagesimo primo, in nocte natiuitatis Domini in ecclesia cathedrali dum solenni pompa rem diuinam faceret, ei Virgo [d] gloriosa apparuit, nuncians ei obitus sui diem in proximo mēse, videlicet octauo Idus Ianuarij: quo die Epiphania Domini celebratur. Qua quidem reuelatione tanto gaudio atque lætitia repletus est, vt qui prius ob victus parcitatem macilentus atque squalore perfusus erat, Seraphico penè colore perfusus sit. Non secus, vt beata Virgo prædixerat, morbo correptus diuus antistes, eo die natuæ concessit. In [e] cuius transitu multa diuinitùs prodigia facta, illum ad superos euolasse testantur. Ea nocte, qua vir beatus è vita decessit, multæ virgines visiones viderūt. Nanque, vt fertur, puella decem annorum in somnis vidit reseratum cælum, atque scalam, quę ad cælum vsq; pertingebat, per quam episcopus pontificali veste indutus ascendit. Hunc alii duo episcopi hinc & inde comitabantur. Quam rem cum matri indicaret, Andreas Corsinus, ait illa, conscendit ad superos. Et post cognouit beatum Andream eadem hora transisse, qua virgo ad cælos ascendisse episcopos in somno viderat. Ea nocte alia virgo nobilis, cui Andreas, cum adhuc viueret, diem mortis prædixerat, moriens, alta voce clamauit: Eia Christi præsul, expecta me, vt vna cælestem patriam ingrediamur. His dictis, ad cælum supplices manus extendens, ab hac luce migrauit. XVI.

[d] B. Maria illi denūtiat obitum suum.

[e] Moritur anno 1373.

SED quid ego narrem, quæ circa huius beati viri obitum gesta sint: quæ verba, quæ præcepta vitæ, quas traditiones religionis dederit, quæ lux circunfulserit morientem, quantę suauitatis odor à defuncti corpore spirauerit: quàm multi ex diuersis languoribus ac morbis, tactu sacri corporis, mirabiliter sanitati restituti sint? Mortuus est diuus Andreas anno ætatis suæ 71. Pontificatus anno 12. ab incarnatione verò Domini anno 1373. octauo Idus Ianuarij: cuius anima cum beatis spiritibus superni regis faciem contemplatur. Corpus eius de more funebri pompa Fesulis in ecclesia cathedrali lapideo busto conditur, licet testamento reliquerit, corpus suum apud Carmelitas Florentiæ sepultum iri. Oppidani verò, ob miram viri sanctitatem, corpus Florentiam deferri non permiserunt. namque in eo protectionis plurimum fore sperabant. Carmelitæ autem opportunitate temporis nacti, noctu clàm corpus sublatum, Florentiam deferunt, vbi ex eo tempore multis miraculis coruscauit. XVII.

[f] Miracula post obitū.

POST multum verò temporis, anno videlicet incarnationis Dominicæ 1440. Eugenio 4. Pontifice Maximo, Philippus [g] Maria, Mediolanensium dux, Ecclesiæ Florentinisque vltrò bellum intulit, ac per Nicolaum Piceninum, præfectum militiæ suæ, Florentinorum oppida multa cepit, multaque vastauit. Itaque exercitus hostium iam loca vrbi propinqua occupauerat: Florentinos, Cardinalesque, qui Florentiæ cum Eugenio summo Pontifice erant, metus inuadit: res omnes turbulentæ, aspereque videbantur. His rebus permota ciuitas trepidare, festinare, armisque diffidere cœpit, & suo quisque motu pericula metiri. Decernitur, vt Decemuiri belligerendi crearentur, qui darent operam, ne quid mali Resp. pateretur, quibus legiones parêre, bellum gerere, cohortari ciues atque socios permittitur. In quibus fuit Cosmas Medices, Nerius Caponius, Angelus Acciarolus eques, Ioannes Scodellarius. Hi in vnum conuenientes, de tutanda Republica tractare cœperunt: tanti belli discrimine, eorum animi in ambiguo versabantur: eorum Rempub. imparatam, magnas forteśque copias hostium, denique euentus belli cogitabant. Dum hæc sic agebantur, Diuus Andreas Corsinus multis miraculis coruscabat. Cùm vero ex maxima deuotione vniuersa ferè ciuitas confluueret ad Ecclesiam Carmelitarum, vbi huius antistitis corpus requiescit, adolescens quidam præcipua deuotione, vnà cum cæteris aduenit. Apparuit autem ei beatus antistes, dicens: Adolescens, maturè propera ad Decemuiros belli præfectos, meaque hæc verba refer: Deus qui Israel de manu Pharaonis eripuit, ipse confringet aduersarios eorum: ne timeant cum hoste congredi: nam Deus dissipabit omnes vires illorum. Itaque audacter cum hoste rem gerant armis: quinto die à proximo festo sancti Ioannis Baptistæ, quod hinc ad dies octo celebrabitur, de hostibus victoriam reportabunt. Adolescens etsi visione numinis perterritus extiterit, præfatos tamen viros adiens, quæ sanctus apparens dixerat, nunciauit. Quibus auditis, magistratus visioni fidem adhibentes, animæquiores effecti sunt. Exercitum itaque parant, 4. Calendas Iulij cum hoste confligunt: sed vbi multum vtrinque pugnatum est, hostium copiæ fusæ sunt. Quod sine nutu & ope diuina [h] factum non creditur, quod ingēs multitudo manu parua sic pulsa sit, vt vix pauci ex tam ingenti multitudine fuga euaserint. Piceninus postquam suos deficere, resque suas attritas videt, rebus suis diffidens, in Burgum sancti sepulchri cum paucis aufugit. Postquam de huiusmodi victoria Florentiæ nunciatum est, subitò ciuitas tota gaudio magno persultat: indictæ feriæ, ludi instituti, atque alia id genus lætitiæ signa edita. Et ne pietatis viderentur immemores, decreto fit, vt omnis Clerus, omnisque magistratus vnà cum populo in Cathedrali Ecclesia conuenirent: ex quo loco solenni processione, vt moris est, ad Ecclesiam Carmelitarum pergerent, vbi diui præsulis corpus iacet, ibidemque Missam in honorem sanctissimæ Trinitatis solenniter canerent, corpusque beati Andreæ Corsini vniuerso populo cum funalibus atque thure multo ostenderetur. Ac vbi hæc, quæ ad cultum beati viri pertinerent, non possent fieri, quin priùs consulerent Apostolicam Sedem, supplicatum est Eugenio Pontifici per Cardinales reuerendissimos, Columnensem, Andegauensem, Placentinum, Sanctę Crucis, sanctæ Mariæ nouæ, quod huic corpori quotannis

[g] Philippus Maria vexat Florentinos.

[h] Florentini cędunt Mediolanēses.

annis legitimè huiusmodi honores exhiberi possent. Eugenius [a] tametsi multa prius intellexerat de sanctitate viri, tamen rumoribus nouis permotus, atque tantorum virorum supplicatione, legitime fieri concessit, quod à Florentinis petebatur. Hæc vbi impetrata sunt, munus religionis, vti statutum erat, mira populi deuotione perficitur. Decretum item fuerat, vt omnes magistratus vrbis Florentiæ de more solenniter visitarent Carmelitarum ecclesiam, eo videlicet die, quo ipsi Carmelitæ annua huius beati viri solennia celebrarent. Quod quidem vsque hodie maxima deuotione obseruatur.

[a] Festum S. Andreæ instituitur Florentiæ.

XIX. PETRVS Victorius, ingenuus adolescens, cùm auunculum, qui Prati, quod oppidum decimo milliario est ab vrbe Florentia, prætor erat, visitaret, vnà cum sodalibus suis oppidi mœnia conscendens, ex alta turri incautè cecidit. Qui cùm rueret, se beato Andreæ Corsino commendans, ex tantò vitæ periculo illæsus euasit. Fecit & alia permulta miracula, quæ breuitatis studio præterimus.

VITA ET MARTYRIVM SS. MACRÆ VIRGINIS ET RVFINI AC VALERII, EX FLODOARDI PRESbyteri lib. 4. hist. Remensis Ecclesiæ cap. 51 52. & 53.

AN. 290.

I. CAP. 51. PASSA [b] est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sub *Rictiouaro Præfecto, quæ post insuperabilem Christi confessionem grauissima tormenta perpessa, post mammillarum abscissionem, & repentinam curationem per Angelicam in carcere visitationem, dum super prunas & testulas accensas nuda volutaretur, cum [c] precibus & gratiarum actionibus immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans aduersarium læta petijt cœlum. Corpus eius haud procul à loco vbi passa est, tunc extitit tumulatum.

* 6. IAN.

* Rictiouaro legendum censet Baronius.

[b] Ei⁹ in virginem sanctam crudelitas.

[c] S. Macræ martyrium patitur sub Diocl. Imp. vt idem asserit Baron.

II. MVLTA [d] verò post annorum curricula cuidam bubulco per visionem locus, quo beatissima virgo condita fuerat, iuxta quandam in honore beati Martini constructam Ecclesiam reuelatus est. In quo visu admonetur, vt corpus sacratissimæ virginis intra præfatam Ecclesiam reconderetur honorificentiùs, quatenus incolis eiusdem loci, prout decebat, innotesceret manifestiùs. Quod & mox à viris Deo amabilibus magno constat peractum decore. In qua donec venerabile corpus eius requieuit, insignia per ipsius intercessionem sunt patrata miracula. [e] Ibi cœci visum, claudi gressum, surdi auditum, Domino eius obtentu largiente, promeruerunt.

[d] Corpus eius diuinit⁹ reuelatum, honorificẽtius sepelitur.

[e] Miracula ad tumulũ S. Macræ fiunt.

III. PROCEDENTE [f] verò tempore vir quidam strenuus sanctarum fundator & cultor ædium, nomine Dangulfus, eius vbi nunc veneratur, fundauit templum. In quo illius sacratissima transtulit membra regnante magno Imperatore Carolo, vbi non minima quoque Domino præstante sæpè miracula peraguntur. Quam nuper Ecclesiam, tempore scilicet persecutionis Hungaricæ ijdem barbari succendere cupientes, aceruos quosdam frugum magnos, qui parieti eiusdem adhæserant, incendunt, exustisque segetibus, flammâ licet Ecclesiæ tecta lambente, eandem tamen accendere nequiuit.

[f] Corporis eius translatio.

IV. CAP. 52. EODEM [g] tempore, quo hæc sacra virgo passa est, lancinator eius Riciouarus per vrbem Remorum transiens, & quosdam Christianos ad culturam Deorum compellens, vt eos superare nequiuit, trucidari præcepit, & egressus inde reperit duos quosdam viros [h] Rufinum & Valerium fide Christi robustos, regalium tamen horreorum custodes. Quos comprehensos, vbi comperit Christi dilectione & confessione firmissimos, plagis afflictos diuturna carceris macerauit retrusione: vbi Angelica visitatione ac consolatione releuati & confortati sunt. Sic inuicti tandem reperti capitalem subire sententiam.

[g] Ricti⁹ Varus sæuit in Christian.

[h] SS. Rufini & Valerij martyrium.

V. CVMQVE [i] non post longa temporis interualla ad vrbem Remorum sacratissima deducerentur, eorum membra feretris imposita, in loco illo, vbi nunc tumulata ipsorum requiescunt ossa, ita tunc feruntur aggrauata, vt nequaquam loco moueri valerent: & ita Deo iubente factum esse probatur, vt vbi pauperibus eleemosynæ distribuerant largitatem, ibidem suorum corporum gratam perciperent requietionem. Sed dum nuper gens barbara Normannorum sæuitura se Gallijs infudisset, ob vitandam huius persecutionis procellam, eorum pignora ad vrbem sunt Remensem delata, positaque in beati Petri Ecclesia, & per dies plurimos ibidem sub honore seruata.

[i] Martyrum eorundem translatio.

VI. AT cùm iam demum à barbaris recedentibus in nos bacchata diu tempestas desæuisset, rediissetque tandem Deo iubente tranquillitas, presbyter, qui sanctis deseruiebat, & ad propria iamdudum redire cupiebat, accelerauit sanctorum martyrum glebas tollere, & ad dicatum sibi locum referre. Postque celebrata Missarum solemnia leuantur à sacerdotibus sacrata Christo corpora, atque cum magna populorum referunt comitante caterua. Contigit autem diem illam, quæ Dominica scilicet habebatur, ventorum flatu fuisse nimbosam, ita vt omnes candelæ, quæ ad obsequium sanctorum ferebantur, vi turbinis extinguerentur. Cumque carpentes [k] iter partem fluminis fuissent ingressi, cereus qui ante sanctorum pignora ferebatur extinctus, repentè cœlitus accensus omnibus mirum exhibuit spectaculum: sicque inter commixtos grandine nimbos, & ventorum flatus ad quatuor fere milia durauit ex miraculo flamma. Disposuit denique posteà presbyter cereum ipsum in meliorem formam de eadem reficere cera. Cumque [l] id à sacerdotibus sibi subiectis efficeretur, mirum dictu, inter manus eorum mol is cœpit crescere cera, & in magnam grandescere quantitatem.

[k] Cereus cælitus accenditur.

[l] Cera ad cõficiendum cereum miraculosè crescit.

VII. CAP. 53. CVMQVE illi stupentes, admirantesque perstreperent, ingressus presbyter, & videns auctam sic fuisse ceram, credidit eos aliam ceram illi, quod non præceperat, adiecisse. Sed cognito tandem à sacerdotibus, quod acciderat, miraculo, Deo gratias egit, & ceram in Ecclesia ad memoriam tantæ rei reposuit. De qua cera Riculfus Suessionum venerabilis Episcopus reliquias sibi deferri iussit. Sed & vicinarum Ecclesiarum religiosi presbyteri exinde ob deuotionem expetitas particulas in suis Ecclesijs venerabiliter condiderunt. Alia autem vice, [m] cùm de Suessione ciuitate, in qua ob similem persecutionem delati fuerant, ad locum proprium referrẽtur, claudus quidam cum cæteris, qui sanctorum corpora deuoto comitabãtur obsequio, reptabundus adnisu, quo poterat, incedebat. Non quidem hunc natura claudum produxerat, sed ex tempore illi accesserat gressuum dolenda debilitas. Cumque ad villam, quæ Vasneia dicitur, venissent, mox natiuæ rectitudini restitutus, proiectis adminiculis suis cœpit vadere plantis, & Deum in sanctis suis mirabilem ore collaudare gratanti:

[m] Claudus gressum recuperat.

VIII. PRÆTEREA in eos, qui sacrum locum violare, & res sanctis martyribus delegatas peruadere nituntur, quam citò diuina vltio exeratur, vnò exemplo sufficiat demonstrare. Tempore quo inter reges Odonem & Carolum graues agebantur Francorum in regno discordiæ, per hanc occasionem licitò rapinæ & deprædationes fiebant, confusum erat fasque nefasque: nusquam Dei aut humanarum timor legum, sed vi & potentia vniuersa constabant. Aliquando ad villam, quæ Basilica dicitur, prædones affuerunt, cœperuntque omnes pauperum substantiolas auferre. Tunc quædam mulierecula cum supellectili sua fugiens ad Ecclesiam sanctorum martyrum cursu rapidissimo tendebat. Quam quidam ex his, qui ad prædandum venerant, ita vt sedebat equo velocissimè insequi cœpit, volens

lens eam capere, & seria sua illi auferre. Sed cum quidam de adstantibus diceret, Noli miser, noli illam in atrium sanctorum insequi martyrum, ne tibi mali aliquid contingat. Ille nihil veritus, admisso equo rapidissimè fugientem insequebatur mulierem. At [a] vbi primis atrio pedibus equus institit, subitò cernuatus cecidit: sessor autem eius tam grauia allisione vexatus est, vt à summo genu vsque pedem disrupta tibia caro velut ferro incisa dehisceret, osque ipsum carnis tegmine nudatum pateret, & qui superbus eques venerat, iam humiliatus, nec suis pedibus incedere valens, manibus alienis de atrio Ecclesiæ proiectus est. Tunc equo & quæ habere potuit sanctis martyribus pro eo datis, morti quidem subtractus est, sed quod superuixit temporis inutilis & nulli operi aptus fuit, testimonium diuinæ virtutis in sua debilitate circumferens, & alijs quibusque salubrem timorem exemplo patratæ in se vltionis incutiens, ne talia agentes similia patiantur.

[a] Punitur templi sanctorũ Martyrum violator.

Illud quoq; notissimum, & omnibus habetur peruulgatum, ad sanctorum martyrum sepulchra oleum aliquando creuisse. Si [b] quidem presbyter vas quoddam fictile iuxta altare posuerat ad seruandum oleum, quod ibidem ad fomitem luminis ardere debebat. In quo vase parum quiddam olei remanserat, maiore eius parte in lychnorum lumine consumpta, cum repente cœpit crescere, & nullo inspiciente in maius augeri, donec os vasis crescens oleum exæquaret: quod cum per dies aliquot fieret, nec iam intra vasis angustias se liquor diuinitus auctus caperet, ac guttatim in terram flueret, clericus Ecclesiæ ipsius custos hoc solus animaduertit, & subiecto vase altero intra paucos dies ad vnum sextarium collegit, furtimque abscondit putans infelix diuinum miraculum cupiditatis suæ fore compendium, & vnde prouidebatur omnibus patrocinium, inde clandestinum se posse credidit perficere furtum. Sed Christus, qui sanctos suos mirificare apud omnes decreuerat, non diu permisit latere vel illius pudendum facinus, vel quod ad suorum martyrum gloriam contulerat munus. Nam quadam die domum, quæ Basilicæ adhæret, in qua etiam Suessonicus Episcopus, cum illuc accedit, manere consuecuit, presbyter nescio quid causæ fuerit ingressus, vidit vas illud oleo superfluere, & miratus vnde illa esset olei copia, cum illic perrarò huiusmodi inueniri possit liquor, cœpit percunctari clericum tanti criminis conscium, cuius esset oleum, aut quis illud ibi deposuisset. Sed cum ille diceret, nescire se vnde esset, pueri qui ad discendos psalmos ibidem residebant, & rem omnem nouerant, indicauerunt presbytero & factum miraculum, & custodis furtum. Ille hoc audito, citò ad vas quod iuxta altare stabat recucurrit, & pauimentum adhuc olei exundatione madens inuenit. Cumque immensum in sanctis suis glorificaret Deum, alius quidam de custodibus aduenit, & confessus est se magnam partem olei ipsius nullo teste tulisse, & vbi voluit & sicut voluit expendisse.

[b] Oleum crescit. I X.

AN. 500. VITA S. MELANII REDONENSIS EPISCOPI, EX D. GREGORII TVRONEN. DE GLORIA Confessorum cap. 55.

6. IAN. MELANIVS autem Redonicæ vrbis Episcopus, post innumerabilium signa virtutum iugiter intentus cælo, emicuit seculo: super cuius sepulchrum mira Christiani fabricam celsitudine leuauerunt. Sed instinctu maligni, qui semper bonis aduersatur operibus, quodam tempore ab igne comprehenditur. Palla verò erat lignea, quæ sanctum Confessoris tegebat sepulcrum. Illicò igitur vbi tignorum congeries flamma dominante truncatur, ruunt teglæ cum ligaturis, & reliquo tecti apparatu, vnaque è trabibus flammato capite impetu ruinæ præpulsa, super tumulum sancti ruit. Quæ non modo succendere pallam, verum etiam conterere inter se & lapidem sepulchri potuerant. Ruit insuper & immensa multitudo carbonum. Alia quoque vela, quæ vel parietibus, vel ostijs dependebant, ad primum flammæ flatum exusta sunt. Hæc verò [c] palla non solum non vsta, verumetiam nec in superficie ab igne dedecorata est. Igitur expleto incendio, ingrediũtur populi cum eiulatu magno, & vsque ad sepulcrum Antistitis properant, inter fletus & lachrymas noua gaudia percepturi. Remouent à tumulo ligna cum flammis, apprehensumq; tumuli velum, excussis prunis, mirantur omnes illæsum.

[c] S. Melani sepulchrum ab igne nõ læditur.

AN. 1330. VITA GERTRVDIS DE OESTEN, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED BONA FIDE CONSCRIPTA. STYLVM NONNIHIL in gratiam Lectoris contraximus. Hæc virgo necdum est in Sanctos relata.

6. IAN. VIRGO venerabilis Gertrudis de Oesten anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimo ipsa sancta Parasceue vulnera Christi suo corpori sensit impressa, vndè multis diebus quotidiè septies manauit sanguis, populo ad tam illustre miraculum obstupescente. Quod idcircò primo loco commemoratum voluimus, vt vitæ eius historia lectori sit gratior. Est [d] apud Batauos pagus Voerburg, medius inter Hagam Comitis & Delphos. In eo nata est hæc Gertrudis parentibus ruricolis, atq; ab ijsdem simpliciter educata. Vbi autem nonnihil adoleuit, cœpit non solum apud Deum, sed etiam apud homines singularis in ea prudentia elucere. Venit igitur Delphos, seruitura illic, vbi posset propter inopiam. Nulla tunc in ea vrbe erant monasteria, sed solùm templa duo, quorum vnum erat parœciæ, in quo tria tum altaria inerant: alterum domus hospitalis pauperum, in qua altare erat propter ægrotos. Multæ quoq; domus vacuæ habitatoribus tum illic cernebantur: attamen festis diebus multis vtriusque sexus hominibus eò confluentibus, non ob audiendam concionem, sed ob ducendas choreas, hæc Christi ancilla tam piè [e] & religiosè in hospitijs seruiebat, adeoq; vitæ internæ dedita fuit, vt haud rarò non minorem in illis turbis senserit diuinæ bonitatis suauitatem, quàm posteà inter Beghinas degens. Sed hanc gratiam illa cautè celauit, nec quisquam eam cognitam habuit, donec cum Beghinis habitans eam honestæ cuidam personæ reuelaret, ex ea percunctanti, vt se inter illos hominum strepitus gessisset. Ita igitur animus virginis in sæculo procul à rebus secularibus & temporarijs separatus, Deo intendebat: sicque fiebat, vt mente placita, hilaris facie, humilis corde cunctis grata esset, & amabilis. Quod autem ab Oesten cognominatur, id accidit ex carmine quodam, cui id nominis insertum erat. Quod illa quidem cecinit, sed spiritu referebat ad dilectum suum Dominum Iesum Christum.

[d] Patria Gertrudis.

[e] Pietas eius adhuc seruientis. I.

PER id tempus duæ ancillæ, Lielta & Dieuuera, crebrò ad eam venientes, idem carmen cum illa concinebant in pontibus vrbis, vel alijs locis opportunis. Sed eæ posteà, vt & Gertrudis, è vana seculi conuersatione ad Dominum sunt conuersæ, & Dieuuera Gertrudi in Beghinagio, vt vocant, cohabitauit: quod quidem hac occasione accidit. Quo tempore Gertrudis diligentem nauabat operam ijs, qui ad hospitia veniebant, animo quidem constituit soli seruire Deo, & vni placere sponso cœlesti: sed interim tamen prius experta est mundi fallaciam, contempta à sponso I I.

sponso terreno. Fuerat[a] enim desponsata cuidam adolescenti, qui despexit eam, & alteri se iungere voluit. Eam verò admonuit Gertrudis, nè suum sibi sponsum præriperet: sed id frustrà fuit, nupsit enim illa adolescenti. Cernens igitur Gertrudis tam fallacem huius mundi fidem, decreuit integram se Domino conseruare, cuius est constans fides, vtpotè Regis cælestis & immortalis. Indè[b] succedente tempore cum altera illa ex sponso Gertrudis aliquot concepisset proles, postquàm ad partum ventum est, vltra modum cruciabatur parturiens, nec priùs vel dolore, vel partu absolui potuit, quàm à Gertrude petijsset veniam: quâ pro illa misera orante, tandem liberabatur.

[a] Contemnitur à sponso suo.

[b] Pœna malè contracti matrimonij.

fit. PORRO Gertrudis omnibus huius mundi curis exonerari volens, vt absque impedimento vacaret sponso cælesti, Domino Iesu Christo, qui hactenus corporis eius integritatem seruauerat, admitti[c] se petijt in Beghinagium De Ilphense: quodq; humiliter & ardenti desiderio petijt, etiam impetrauit. Admissa igitur à Beghinis, cum multa deuotione & summo studio totam se Christo obtulit, dabatque operam, vt esset humilis sermone, factis, habitu & tota conuersatione, patienterque ferret, quicquid molestiæ accideret, ità & Deo & hominibus amabilem se exhibens. Crebrò[d] confitebatur peccata sua Deo & sacerdoti cum lachrymis, atque in ipso conuersionis suæ exordio diebus & noctibus quatuordecim, lachrymari non destitit. Itaque tum peccatorum suorum se veniam impetrâsse diuina reuelatione cognouit. Toto autem illo luctûs tempore, quo lachrymæ eius factæ illi erant panes die ac nocte, si quid alimenti corporei percepit, id quidem exiguum fuit, nec tamen absque lachrymis & planctu id sumpsit. Deinde vero vitam viuens immaculatam, in semita mandatorum Dei contendebat progredi, & pro viribus nihil eorum negligere, quæ sciret grata esse sponso suo. Ita fiebat, vt magis magisq; proficeret in vera humilitate, voluntaria paupertate, in amore Dei, in suijpsius & omnium rerum labentiûm contemptu, alijsq; virtutibus, quibus pro suo iudicio placere posset Christo, & ab eo impetrare veniam, gratiam & gloriam.

[c] Fit Beghina Gertrudis.

[d] Insignis eius contritio.

IN. IN conuersionis[e] suæ initio victum sibi emendicabat, quippè pauper & inops: sed in hocipso delectabatur amore illius, qui cùm diues esset, propter nos egenus factus est. Si ab aliquo inuitata esset ad sumendum cibum, cum gratiarum actione eum percipiebat cibum, quem mendicando sibi parauerat. Non rarò tum ancillas tum alios quoscunq; admonebat, vt vitam moresq; corrigerent. Sciscitantibus autem ancillis, vndè alimenta compararent, illa breuissimè respondit: Ancillis Deo seruire cupientibus sufficit, si fusos torqueant, & bona sint præditæ voluntate. Inuitata aliquando à matrona Aleide Willemanni, vt ederet apud ipsam, per posticum ingressa, sedit immobilis in cespitibus, mentis excessum patiens. Quod cùm aduerterent, qui illam nôrant, eam interturbare noluerunt. Sæpius intra cubiculum suum ad sex vel eo amplius hærebat hebdomadas, Deo intenta, qui tum ei manifestabat occulta sapientiæ suæ. Deindè è cubiculo exiens, comedit panem mucidum aut induratum, pro potu autem hausit coagulum, vel alium liquorem. Septennio[f] toto de necessario sibi somno subtraxit: quo spatio multas dæmonis tentationes & molestias pertulit: corripientis brachia eius vel manicas cum fremitu quodam, eique pelliceam vestem detrahere cupientis. [g] Sub his vexationibus illa sæpè dicebat, Apage miser satan: vel etiam obijciebat ei è sublimi cælo ruinam in tartarum. Quod ille ferre non sustinens, crebrò illam è locis alijs ad alia transtulit, nonnunquam in aera sustulit, sed illæsam deposuit, Christo non ferente, vt ei noceret malignus. Post tentationes illa in Domino exultabat, sciens beatum, qui suffert tentationem: quòd post probationem, si sit inuentus fidelis, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se: sciens etiam non coronandum, nisi qui legitimè certauerit. Amabat verò pueros & infantes: idq; non ignorans cacodæmon, transfigurabat se identidem, non in angelum lucis, sed in formam pueri plangentis & lugentis, vt sic virginis animum à rebus diuinis auocaret. Sed illa id non ignorans, aiebat ei: Abscede maligne dæmon: non es tu ille, quem diligit anima mea.

[e] Victum sibi emendicat. 2. Cor. 8.

[f] Miræ eius contemplationes.

[g] Dæmon eam impugnat. Iacob. 1. 2. Tim. 2.

V. SOLEBAT[h] illa quotidiè exercere se in vita & passione Christi meditanda & commemoranda: sed interim tamen accommodabat se temporibus itemque officijs Ecclesiasticis. Itaque in Aduentu Domini animo voluebat antiquorum patrum ardentissima desideria, mirabaturque incredibilem Dei erga nos beneuolentiam, quòd voluerit venire ad nos, & ex virgine nasci: immò etiam quotidiè venire in animas nostras, & mansionem sibi in illis facere, modò sermones eius seruemus, & fidelem ei exhibeamus seruitutem. Cogitabat etiam beneficia ipsi speciatim diuinitùs collata gratuitò quod à Christo in sponsam & filiam delecta esset. Atque pro his omnibus ingentes Deo gratias agebat, & admirans lætabatur. In Christi natiuitate versabat animo eius summam humilitatem, extremam paupertatem, & id genus alia: quorum cogitatio maximam ei afferebat mentis dulcedinem, excitabatque ad laudandum Deum & gratias medullitus agendas. Contigit[i] quandoq;, ea in eiusmodi meditationibus cum multa cordis deuotione & suauitate versante, seq; paruulo Iesu oblectante, vt eius virginea vbera tumescerent, lacteq; manarent quotidiè à Christi die natali vsq; ad Purificationis festum.

[h] Exercitia eius. Ioan 14.

[i] Rarum miraculum.

VI. ERAT in Delphensi Beghinagio etiam Lielta illa, cuius suprà meminimus, virgo Deo deuota. Ea[k] plena Spiritu sancto prædixit Gertrudi, anno elapso fore, vt vulnera Christi eius manibus, pedibus & lateri imprimerentur. Sed illa verè humilis, tanta se gratia indignam censens, sic respondit: Vndè hoc mihi, vt tanto Dei munere afficiar? Agnosco me magnam peccatricem, & omni virtute vacuam. Itaque oro te, soror mea, nè eiusmodi sermonibus occupes os tuum & aures meas. Sum iam tot affecta Dei beneficijs, vt ei nunquàm possim pro dignitate gratias agere. Attamen[l] anno euoluto, nocte Paraseues aduentante, cum se Gertrudis in cubiculo suo coram Crucifixi imagine corde attentissimo prostrauisset, & prolixius orans, immensam illam Christi charitatem cogitaret, qua voluit propter nos crudelissimum teterrimumque Crucis perferre supplicium: totisque viribus eum laudaret, eique gratias ageret, mirifica animi deuotione & pietate perfusa: singulari eaque stupenda gratia in manibus & pedibus & latere, sibi sensit vulnerum Christi notas siue stigmata impressa. A diuina igitur contemplatione ad se reuersa, inclamauit voce magna Dieuueram beghinam: Veni, & vide, inquiens, quantam gratiam præstitit Deus mihi indignæ, non meritis meis, sed abundanti benignitate sua. Aduolat Dieuuera, videt & obstupescit, Deum laudat & prædicat. Neque solum illa nocte, sed etiam clara iam die, atque deinceps diebus non paucis, vt minimum vsque ad Ascensionem Domini, ex illis vulneribus profluxit sanguis gratissimi coloris, idque quotidiè septies ad singulas horas Canonicas. Eum verò sanguinem excepit Gertrudis linteolis, in eum vsum ab ipsa præparatis. Non potuit autem tam insigne miraculum latere diù. Itaque non solum Dephenses, sed & vicini circunquaquè aduolârunt, rei visendæ valdè cupidi: verùm[m] id Gertrudi molestum fuit, quòd illi hominum concursus nimium impedirent eam à spiritalibus exercitijs & pijs meditationibus, quibus rapiebatur in Deum, & mentis excessum patiebatur. Sciens igitur omni homini necessarium esse timorem Dei, & nisi contineat se quisque in timore Dei, citò subuersum iri domum illius, domum, inquam, conscientiæ, idq; vel à carne propria, vel à mundo, vel à satana: simulq; reformidans, ne fortè placeret sibi, & hoc ipso Deo iam displiceret: necnon animaduertens turbas ipsam visitantium medium quoddam inter Deum & ipsam efficere, sic Dominum deprecata est: Si[n] placet tibi, bone Iesu, oro vt hæc vulnerum stigmata aboleantur in corpore meo, nè fortè separer à te si incipiam indè placere mihi, aut alijs inimici insidijs appetar. Exaudiuit verò eam Dominus, ità vt sanguis quidem ex vulneribus non manaret, sed tamen vulnerum notæ remanerent vsque ad suprenum eius vitæ diem.

[k] Prophetia Lieltæ virginis.

[l] Diuinitùs ei imprimuntur vulnera Christi.

[m] Non ferè hominum concursus virgo Deo dedita.

[n] Precibus obtinet, ne fluat sanguis ex vulneribus eius.

VII. AT verò posteà circa cor ex omni parte magnos sensit dolores. Cogebatur enim iam carere suauitate illa, quam senserat

sensérat cum sanguis ex eius vulneribus efflueret. Magno igitur cœpit ardere desiderio illa vulnera recuperandi, prorupitque in eiusmodi voces: O si mihi dulcissimus sponsus meus Iesus Christus velit restituere vulnera sua. O si contingat mihi cruenta eius vulnera visibiliter ferre in corpore meo, non rogabo, vt ea tollat à me. Mallem enim in sublimi loco ab omnibus conspicienda reponi, vt cuncti ea vulnera cernerent & præpotentem Deum collaudarent. Acceperat autem hæc vulnera Gertrudis anno millesimo trecentesimo quadragesimo, vt iam suprà dictum est, & postea annis ferè decem & octo superuixit, sed imbecillo corpore: ita vt templum aditura, bis terve in itinere quiescere cogeretur. Etsi autem corpulenta erat, at tamen in cibo potuque sumendo parca fuit. Accidit, vt quodam tempore valdè cuperet edere caseum cum pane, & ecce Deus permouet rusticum quendam, qui sumpto pane & caseo, iuit Delphos, nesciens quò ea ferret. Sed cùm venisset iuxta Beghinagium, Gertrudis in spiritu id cognoscens, licet hominem non nôsset, nec ei cognita esset, acciuit Dieuueram, dixitque vt panem & caseum à ruricola acciperet. Exit illa continuò, cernit ad fores Beghinagij hominem ferentem caseum & panem, aitque ille: Amice, noueris te eò iam peruenisse, quòDeo volente tendebas. Confestìm rusticus & tradit ei caseum & panem, & abscedit. Gertrudis autem comedit ex illo pane & caseo, gratias agens Deo.

[a] Cibi & potus parsimonia.

[b] Claret prophetiæ spiritu.

HABVIT [b] verò Gertrudis etiam prophetiæ donum. Anno salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo primo Imperatrix cum filio suo duce Wilhelmo in Mosa prælium commisit. Sentiens autem Gertrudis in spiritu periculum, quod tum imminebat: (Erat verò per id tempus cum sororibus in vrbis templô) toto corpore se prosternens, hortabatur sorores vt orarent: Iam enim, inquit, prælium ad Mosam committitur, & orandi tempus est. Paulò post commisso prælio, ait ad beghinas: Laudemus Dominum, sorores meæ: nostris enim cessit victoria. Beghinæ quædam recens conuersæ, quodam tempore in templo cum multa contritione lugebant peccata sua. Nouerat hoc Gertrudis in spiritu, easque domum reuertentes hunc in modum consolata est: Etsi, sorores [c] meæ, malâ vitâ vestrâ Dominum grauiter offendistis, sed peccata vestra lachrymis diluite, & ad breue tempus nunc vos detis angoribus. Ego verbis omnipotentis Dei affirmo vobis, nunquàm vos damnatum iri. Sedens quandoquè in cubiculo suo, sensit commune patriæ impendere exitium ex nimia Rheni inundatione. Itaque cum Beghinis ad Dominum deprecandum se conferens, crucis in modum humi prostrata, periculum illud auertit. Venit quandoque ad eam visendam fœmina quædam, Elizabeth nomine, quæ alioqui frequenter eam adire consueuerat, vestibus cultioribus induta, & vita ac moribus secularis. Ei ergò scisciranti, quo pacto posset cœlorum obtinere regnum, sic Gertrudis respondit: Crede mihi, veniet ille dies, quando & tu mundo crux eris, & ille tibi. Nec fefellit, posteà vsque adeò ea paralysi diuexata, vt claudicans & scipionibus, innixa incederet. III.

[c] Cõsolatur sorores pœnitentes.

[d] Nicolai Hondepilij laus.

NOVERAT illa etiam occulta post futura, vti eius confessarius [d] dominus Nicolaus Hondepilius reipsa expertus est. Erat is sacerdos singulari pietate, veteris ecclesiæ sacellanus, adeo paupertatis amans, vt cum esset extra notos & cognatos, ostiatim panis fragmenta emendicaret: dignus planè, cuius consilijs & institutione Gertrudis ad virtutes capessendas informaretur. Cum igitur aliquando cum ipsa virgine Gertrude loqueretur de magistro Theodorico de Renen, per id tempus hostibus reconciliato, sub finem sermonis Gertrudis ait, eum [e] ab hostibus trucidatum iri. Admirante domino Nicolao, & dicente eum cum hostibus in gratiam reductum, illa repetijt, sic omnino futurum esse, idque propediem. Et ecce Theodoricus paulò post extra portas vrbis Delphensis egrediens, hostium insidijs intercipitur, tantaque immanitate ab illis perimitur, vt membra eius collecta in sportulis domum relata sint. Quod vbi comperit Nicolaus, deinceps maiori in precio habuit, quæ à Gertrude dicerentur. Volebat ille postea in Delphensi oppido domum sibi comparare, sed cum id Gertrudi indicâsset, illa dissuasit, dicens fore, vt breui vili pretio domos venales offenderet. Id quod factum est, cum postea ea [f] vrbs obsidione premeretur: quo quidem tempore virgo Gertrudis iam excesserat è viuis. Aledis Willemanni, matrona nobilis, cuius supra mentio habita est, valde metuens extremum illud horrendumq; Christi iudicium, pœnasq; sempiternas, sæpè veniebat ad Gertrudem, orabatq; vt precibus suis impetraret ipsi à Domino gratiam, & ne cum impijs damnaretur. Ea ipsa aliquando ingressa est cubiculum vbi Gertrudis erat in contemplatione suspensa: cumq; tandem ad se redijsset magna voce ait ad Aleidem: En [g] ego tibi affirmo per Dei gratiam & misericordiam, te ab æterna damnatione immunem fore. Quibus verbis Aleidis non immeritò magna se sensit consolatione affectam, egitq; gratias Deo pro singulari eius misericordia. Petijt autem eius maritus idem sibi quoq; diuinitus impetrari, sed Gertrudis sapienter respondit, se id promittere ei non posse, nisi prius diuina reuelatione esset edocta. IX.

[e] Prædicit cædem cuiusdam.

[f] Delphi obsidentur.

[g] Prædicit cuidam Gertrudis, quod non sit damnanda.

CVM iam annos non paucos inter Beghinas egisset Gertrudis in feruore & vitæ duritia atque seueritate haud vulgari, ad eam peruenit diem, qua erat itura ad sponsum cælestem, de quo solebat & loqui suauiter, & piè meditari, & etiam canere dulciter. Itaque sacrosanctis Christi munita mysterijs, ad beghinas ait: Sorores meæ, ego domum proficiscor. Illis existimantibus præ morbi dolore sic eam loqui, dicentibusque ipsam domi esse, rursum ait sana mente: Nequaquam sum domi, sed illic volo esse, vbi plateæ sternuntur auro mundo. His dictis, paulò post [h] spiritum suum Deo commendans, in pace obdormiuit, videbanturq; in manibus eius defunctæ tanquàm eburnei digiti. Obijt anno à Christo nato millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo, ipso sancto Epiphaniæ die, humatumq; est corpus eius extra ostium turris antiquæ Delphensis ecclesiæ, parte ea quæ vergit ad Austrum, nondum enim habebant tum Beghinæ Delphenses proprium templum atque cœmeterium. Ea tempestate, & multis deinceps annis in eodem Beghinagio multæ fuêre fœminæ admiranda pietate & deuotione, quæ ex hac vita abiêre feliciter, virtutum amictæ varietate. In ijs fuit alia [i] quædam Gertrudis, in conuentuali, vt vocant, domo habitans, puritatis & humilitatis valdè studiosa. Quæ cùm diem clausisset extremum, mox in Flandria apparuit monacho cuidam, duobus angelis vtrinquè eam comitantibus: è quibus percontabatur is monachus, quò illam monacham deducerent. Respon derunt illi, non se monacham ducere, sed beghinam Delphensem. Monachus verò diligenter annotans horam illam, venit Delphos, putans eam fuisse sororem suam, quæ in eo degebat Beghinagio piè & religiosè. Sed cum sororem suam viuam cerneret, comperit aliam sibi apparuisse. Præstet nobis Christus virginum sponsus, vt in sanctorum eius numerum adscribi digni simus, Amen. X.

[h] Anno 1358 Obdormit in domino.

[i] Alia quædam Gertrudis beghina Delphensis.

VITA

VITA ET MARTYRIVM SACROSANCTI MARTYRIS LVCIANI, EX SIMEONE METAPHRASTE. HABET AVTEM de hoc martyre quædam Eusebius Cæsareen. Histor. Eccle. libr. 9. capit. 5. & diuus Hieronymus in lib. de Viris illustribus: Germana hæc acta esse perhibet Baronius ad annum 311.

AN. 270.

I. SAMOSATA [a] est ciuitas Syriæ, quam præterfluit Euphrates. Ea ciuitas fuit patria Luciani, vbi fuit honesto loco natus, vt hæc docebit, quæ de eo tractabit, oratio. Parentes eius erant Christiani. Magnum autem studium fuit parentibus, vt Lucianum ab ineunte ætate in religione, & erga Deum pietate instituerent. Ambo verò è viuis excedentes, eum relinquunt puerum duodecim annos natum. Is [b] autem, hac sola veluti consolatione inuenta, propter iacturam parentum confugit ad diuinum quoddam templum, omnibus suis diuitijs distributis pauperibus, & in prima ætare cum Macario, qui habitabat Edesam, & sacros libros interpretabatur, congressus & versatus, quicquid erat in eis pulcherrimum, pauco tempore collegit.

7. IAN. Græci 13. Octobr.

[a] Samosata Syriæ vrbs.

[b] Lucianus puer omnia sua largitur pauperibus.

Et [c] cum primum quidem accessisset ad lauacrum regenerationis, per aquam & spiritum regeneratus, declinauit ad vitam monasticam: Deinde cum ei visum esset, à vino & obsoniorum esu omnino abstinere, statim tanquam ex carceribus depugnabat aduersus omnes carnis voluptates. Seipsum [d] autem formans ieiunijs, se ad hanc firmam & stabilem deduxit consuetudinem, vt nona hora semel in die comederet. Erant autem ei etiam quidam certi dierum ambitus, in quibus tota hebdomada permanebat ieiunus. Plurimum [e] autem vitæ suæ tempus impendebat precibus & lachrymis. A scurrilitate & risu tantum aberat, quantum iudicabat ea esse verè ridicula. Contra autem, eos qui lugebant, studebat imitari, & existimabat esse dignos beatitudinibus. Silentium [f] autem amplexus, & assiduæ deditus meditationi, videbatur semper cogitabundus & tristitia plenus ijs, qui ad eum accedebant, etiamsi spiritu in se perpetuo exultaret & lætaretur. Si quando autem verbum ei ex ore visum esset emittere, diuinæ scripturæ erant id, quod loquebatur. Tantus enim earũ diuinus amor ipsum ceperat, vt vix somnum vellet capere propter continuam earum meditationem. Si quando autem corpus volebat modicum requiescere, non absq; intensa oratione, nec sine calidis lachrymis & genuum flexione, somnum sumebat. Sed hæc quidem, dum puerilem adhuc ageret ætatem, à sancto rectè gesta sunt.

[c] Fit monachus.

[d] Semel in die vescitur.

[e] Vacat precibus & lachrymis.

[f] Item silentio & meditationi.

II. Postquàm autem ab ea iam excessit, & cœpit esse adolescens, carnem quidem nullam cum spiritu agitantem seditionem reddidit per sancti spiritus operationem. Quibusdam [g] autem, quæ sunt ad esum valde exilia, corpus reficiebat, adeo vt multos dies solo pane vesceretur, & ne pane quidem pluribus, sed ijs, quæ eo erant ad alendum magis exilia. Aqua autem erat ei potus suauissimus. Nonnunquam autem abstinebat etiam ab vsu ignis. Cumque sic peruenisset ad omnem humanam virtutem, fuit cito clarissimus omnium sui temporis. Seipsum [h] ergo tradit Ecclesiæ Antiochenæ: & cum processisset ad Sacerdotium, constituit illic maximum ludum literarium, ijs, qui vbique erant studiosissimi, aliunde ad ipsum accedentibus. In celeriter autem scribendo erat exercitatus, & quod ex eo acquirebat, simul quidem & sibi ad alimentum, & pauperibus suppeditabat. Etenim nisi, priusquam ipse cibum sumeret, alij victus, quem manibus quęrebat, essent participes, iniquum esse ducebat. Is [i] ergò cum vidisset sacros libros esse valde adulteratos, cum & tempus multa in eis corrupisset, continuaque ab alijs in alia translatio, & quidam homines sceleratissimi, qui gentilitati præerant, conati essent peruertere eorum intelligentiam, ipse omnes rursus sumpsit, & ex lingua renouauit Hebraica, quam ipsam quoque sciebat accuratissimè, in eis corrigendis plurimum laboris conferens. Porro autem diuinorum quoque dogmatum puritatem quis ab alio ex ijs, qui fuerunt illo tempore melius quam ab ipso fuisse seruatum inuenerit?

[g] Mira abstinentia.

[h] Constituit scholam Antiochiæ.

[i] S. Lucianus quantũ in corrigendis scripturis laborauerit, & quænam conscripserit, Vide S. Hieronymum descript. Eccles. in Luciano; & Baron. ad ann. 311.

III. Cum autem * Maximianus Imperator maxima quadam rabie esset percitus aduersus Christi Ecclesiam, conaretur-que Christianum nomen delere ex hominibus, eos, qui erant summi inter omnes, longissimè remouere studens, de illo quidem audit, vt de quo magna fama peruaderet in omnes partes: magnum verò eum incessit desiderium, illum in suam redigendi potestatem. Mittit igitur, qui eum comprehenderent. Ille verò cum id resciuisset, non se sua sponte coniecit in periculum, sed diligenter cauebat, quantum in eo situm erat, ne videretur temerè adire pericula, neque Ecclesiæ propter se magnam afferre tristitiam. Sibi ergo cauebat pro viribus, vtpotè quod hoc quoque Dominus fecisset, & dixisset, & eius discipuli similiter. E ciuitate itaque excedens, in agro quodam latebat. Pancratius autem quidam Antiochenus, qui presbyteri quidem erat honorem assecutus, idem verò sentiebat quod Sabellius, iamdiu ante illius gloriæ inuidens, ipsum prodit ijs, qui quærebant Et ille quidem Nicomediam ducebatur moriturus. Illic enim erat Maximianus, qui magnam & omne genus cædem faciebat eorum, qui Christum non volebant negare. Nam & Anthimum, qui erat Episcopus eiusdem Nicomediæ, interfectum igni tradidit, & Petrum antistitem Alexandriæ, & multos alios præclaros & fortes viros. Quinetiam [k] ad tantam processit sæuitiam, vt ne infantibus quidem parceret, sed ipsos quoque interimeret, quoniam nec poterat quidem eis persuadere, vt gustarent ea, quæ sacrificabantur dæmonibus. Non [l] enim persuadebat, sed resistebant pueri, apertè corroborati à quodam, quod sub adspectum apertè non cadebat, auxilio, ad magis arguendam dæmonum, & eorum qui eis inseruiunt, non solum improbitatem, sed etiam imbecillitatem: siquidem apertæ erat imbecillitatis, non posse firmam ac validam suam reddere sententiam, maximè cum omnia cuperent, & omnia experirentur. Fuit autem maximum auxilium ijs, qui considerate & ex iudicio decertabant, puerorum ad mortem vsque fortitudo & constantia, vt qui erubescerent, si cernerentur pueris inferiores, rebus grauibus & asperis illatis, sicut illi, non resistentes. Quicunque autem rursus frangerentur periculis, ijs puerorum perpessiones affecrebant reprehensionem, quòd non tam propter malorum grauitatem, quàm propter animi mollitiem, eos victos fuisse appareret. Sic nihil temerè, nec absque optima ratione, neque est, neque fuit, neque vnquam fuerit eorum, quæ à Deo conceduntur & eius prouidentia: quomodo tunc multa quidem varia & multiplicia euenerunt in pueris. Ex quibus omnibus vnum narrabo, quod est maximè dignum vt mandetur memoriæ. Sic enim habet.

* Eusebius & D. Hieronymus Maximinum habent, sed non Maximinum, sed Galerium Maximianum fuisse sub quo passus est S. Lucianus, probat Baron. ad an. 311.

[k] Maximini sæuitia.

[l] Infantium virtus.

IV. MAXIMIANVS [m] cum duos quosdam pueros genere fratres, illustri loco natos, curâsset sistendos, primo quidem conabatur eos quibusdam promissis inescare, quibus existimabat pueros maximè illiciendos. Postea iussit eis afferri ex ijs, quæ erant apud ipsum, sacrificijs, & quæ videntibus pueris, sacrificauerat, vt & gustarent, & nullis malis afficerentur. Illis autem auersantibus, & deflentibus, & vt poterant, lingua eis balbutiente dicentibus, quòd non sic didicissent à parentibus: sed alius esset modus, quo ij vtebantur, minatus est, ab ira mutatus: quinetiam varijs eos affecit verberibus. Cum verò pueri fortiter resisterent, & nullo modo cederent, eos vtique diuina roborante virtute, quidam è Sophistis, qui illic aderat simul cum Imperatore, ad hæc eum maximè incitabat & inducebat, pollicitus est se statim effecturum vt ipsi comederent. Ridiculum enim esse dicebat, si à pueris adhuc balbutientibus viderentur superari Romanorum Imperatores. Tale quid ergò machinatur: Cum sinapij quandam acutissimam & toleratu difficillimam excogitâsset

[m] Miraduorum infantium constantia.

[a] Nota Sophistæ crudele inuentum.

gitâsset confectionem,eorum quidem capita pilis nudauit.Cum [a] autem medicamenti id,quod erat crassissimum,illiuisset,vt ex maiore materia,repentina & maior simul virtus profundũ penetraret,in igne accensum eos intulit balneũ. Hoc in loco pueri,cum veluti quodam fulmine icta essent eorum capita , hac ipsa hora fuerunt inclinati ad solum vsque. Nec multo post cadens eorum ætate minor,prior est mortuus,cum non potuisset resistere magnitudini flammæ accensæ in caluaria. Cum autem alter vidisset fratrem cecidisse,quam maxima potuit voce bona verba est effatus,fratris exultans victoria,eumque amplexus est & osculatus,& eum proclamauit victorem,assiduè exclamans: Frater mi vicisti:donec hoc dictum eloquens,eumque complectens & osculans,ipse quoque expirauit & iacuit, fratrem iam vlnis tenens.Accidit autem illo tempore hæc perpessio maxima &ijs,qui videbant,maximè miserabilis,ipsa quidem cernè ætate attrahente plurimorum animos ad misericordiam. Et [b] eos quidem ij, qui ad ipsos genere attinebant,cum sustulissenr,sepelierunt cum alijs pueris,propter causæ communitatem. Et hoc est martyrium circa Nicomediam,quod nominatur martyrium infantium,vsque in hodiernam diem.

[b] Martyrium,id est, Ecclesia Martyrum.

[c] Lucianus confirmat milites euersos.

Cum [c] autem Lucianus,dum duceretur,venisset in Cappadociam , & conuenissent quosdam illic milites,qui erant quidem Christiani,coacti autem fuerant abnegare,eorum mentem reuocauit,ostendens & exponens,quod sit omnium turpissimum, viros eosq; milites, videri ignauos ac pusillanimes, & ad mortis adeundum periculum timidissimos, quibus quædam iam fœminæ,atque adeo pueri,fuêre superiores.Quomodo autem vos,inquit,pro rege caduco &terreno pericula adibitis, qui cœlestem tam cito prodideritis?Quod autem erit vobis munimentum aut præsidium salutis,si ille vos mox hinc accersierit? Non cogitatis eum hoc vniuersum & regere,& administrare? illumque & vitæ esse dispensatorem,& mortis Dominum? Est ergo longè melius,præsentem vitam minus curantes,consequi,quæ apud illum nunquam desinit,beatitudinem,quam vitam,quæ hîc est,amplectentes,ab hac nihilo secius excidere,vt qui fortè sitis & hac priuandi ab hostibus,& illam non assecuturi,& præterea daturi pœnas puniendi immortales. Illi ergo cum hæc audiuissent,resipuerunt,& eos pœnituit se negâsse. Et cum rursus ad se redijssent, & liberè essent locuti,plurimi propter Christum mortem subiêrunt,cum essent non pauciores numero quam quadraginta: nonnulli autem cum decertassent aduersus omnia genera suppliciorum,vixerunt adhuc,cum nihil turpe & ignauum præ se tulissent in secunda experientia,sed prius quoque iudicium negationis,inuicta deinceps pro pietate constantia deleuissent. V.

[d] Perducitur Nicomediam.

[e] Lapsos quosdam erigit.

Lvcianvs [d] autem,cum in transitu itineris hæc&plura huiusmodi effeciisset,delatus est Nicomediam.Huius autem viri fuêre multi familiares,& ex ijs nonnulli cum eo aderant decertante Nicomediæ.Ex [e] quibus aliqui cum ad eos accessissent ij,qui cogebant Christianos ritum sequi gentium,primum quidem cesserunt , vt qui non possent tormentis sufficere:at cum diuinus Lucianus (adhuc enim viuebat) eos ad se accersiuisset, & omne genus sermonibus eorum animos correxisset,& quantum sit transgressionis periculum, ostendisset,& quòd nemo eorum,qui suam prodiderit in Christum confessionem , effugiet flammam gehennæ, quæ non potest extingui, ducti pœnitentia, ab eo reducti sunt in Ecclesiam.Ex ijs autem,qui ad Lucianum venerant Nicomediam,erat etiam Antoninus,discipulorum suorum dilectissimus:quo,postquam venit,vsus est ministro ad scribendas epistolas,vt ipse quoque ostendit Lucianus in vna epistola.Ex ijs autem qui aberant,erant quidem plures viri,ex mulieribus autem Eustolia,& Dorothea,& Seuera.Aiunt [f] autem Pelagiam quoque fuisse ex eius discipulis, quæ Antiochiæ Syriæ vixit:quæ etiam dicitur seipsam è tecto altissimo deiecisse,cum accessissent,qui eam erant comprehensuri, timens ne abominandum quid per vim sustineret,(erat enim virgo) &eo modo esse mortuam:quam etiam in hodiernum vsque diem honorant,tanquam martyrem,qui sunt amantes martyrum. VI.

[f] Pelagia martyr.

[g] Reuerentia vultus S. Luciani. A Maximino transvelum auditur;putatque Baronius,tum eum Apologiam pro Christiana religione dixisse.

Porro [g] autem cum de Luciano à multis audiret Maximianus , tantam in eius facie insidere reuerentiam,vt si eum solum vidisset,veniret in periculum ne fieret Christianus, postquam iussit, vt ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret,velo interiecto,separat sermonis congressionem , & verba procul ad eum emittebat,intermedio vtens sermonis ministro.Et primum quidem pollicebatur se innumerabilia ei esse largiturum,& rerum gerendarum habitarum eum esse consiliarium,& patrem Imperatoriæ dignitatis,& socium solicitudinis,quæ pro summa rerum suscipitur & plura alia huiusmodi:pro quibus omnibus vnum solum dicebat se petere,nempe vt dijs sacrificaret.Cum autem ille audita donorum magnitudine,quæ de eis dicebantur,nihili fecisset,& ne vniuersum quidem mundum esse cum pietate in Deum conferendum dixisset,tunc iam mutatus Imperator,minatus est se ad supplicium ei esse intẽtaturum,quicquid longum tempus inuenisset,& si quid ipse posset inuenire nouum & inauditum. Illo autem aduersus hæc interritam opponente audaciam,& parato prodire in aciem,valde indignatus Imperator,eum quidem noluit quam primum tollere de medio:putabat enim se sic ei gratificaturum, vt qui eum ilico liberaret à malis : sed iussit in carcerem coniectum torqueri varijs modis. VII.

[h] Diris afficitur cruciatibus Lucianus.

Cvm [h] eum ergo accepissent ij,quibus hoc erat imperatum, eum multis & varijs affecêre cruciatibus,quibus erat quidem grauem accepturus dolorem,longo autem tempore in pœnis duraturus. Et nunc quidem in cippum (est autem hoc tormenti genus oblongum) ambos eius pedes immittebant,ad quatuor distrahantes foramina:quod quidem est in hoc supplicio grauissimum,cum vtrinque coxendices violenter è suis moueantur articulis: nunc aũt in toto dorso graues testarum aculeos,densos & cõtinuos maligno animo substernebant: & vt ne liceret quidẽ viro iusto se vertere,& ne moueri quidem,dum talibus sauciaretur aculeis, eius manibus extensis,eas vinciebãt in quodam ligno,quod erat positum super eius caput. Quinetiam alijs quoque multis eum afficiebant probris ac contumelijs, & eum etiam arcebant ab omni cibo,nisi vellet vesci ijs,quæ ab ipsis sacrificabantur:ea enim affatim porrigebant.Ille autem maluisset subire mortes vel innumerabiles,& lubentius manens ieiunus,paulatim à fame esset consumptus, quàm vel illorũ solum passus esset conspectum.Sic igitur permansit Christi seruus,qui à fame consumebatur,totos quatuordecim dies faciens consueta, & verbis doctrinæ animum addens ijs, qui pro Christo erant inclusi in carcere, & eos confirmans constantissimis & perpetuis precibus. VIII.

[i] Dies festus Theophaniorum

[k] Prophetia S. Luciani.

Cvm autem aliquot iam dies transissent,ex quo eo modo, quo diximus, affligebatur, & iam appropinquaret quidem dies [i] festus Theophaniorum;discipulos autem (iam enim ei plures aderant ex Antiochia,& ex alijs locis congregati) subijsset tristitia,reputantes fore,vt eis statim relictis, abeat quidem magister, non valens resistere diuturnæ illi fami:ipsi autem nequaquam digni censeantur,qui Theophaniæ diem festum cum eo celebrent: videbatur enim eis esse adhuc valde remotus , & non posse magistri corpus vsque ad eum diem sufficere,vtpote quod inedia illud iam magna ex parte consumpsisset,vir ille inclytus eos consolans,iubebat esse bono animo.Ero enim,inquit,vobiscum,& diẽ festum Theophaniorum vobiscum celebrabo:recedam autem postridiè.Ad [k] effectum autem deductum fuit id,quod dixerat,apertè diuina in hoc ostensa virtute. Cum ergo aduenisset dies festus,qui expectabatur,desiderabant quidem discipuli hanc vltimam à magistro consequi mysterij diuini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent,aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent,partim autem accederent.Ille verò,Mensa quidem, inquit, erit vobis hoc meum pectus,non, vt arbitror,Deo futura minus honesta ea,quæ fit ex inanima materia. Templũ autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circũdantes.Et sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Iam enim,vt quod esset sanctus in fine vitæ, & remissi erant custodes, Deo, vt ego quidem arbitror, qui martyrem honorare volebat , & suorum discipulorum non sustinebat inconso- IX.

labile

labile videri desiderium, efficiente, vt citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Nam cum omnes eos martyr fecisset in orbem consistere, vt inter se inuicem alter propè alterum stantes, eum tuto comprehenderent, iussit suo pectori imponi signa diuini sacrificij. Postquam autem hæc fecissent, & in cœlum protinus sustulit obtutum, cum iam vix posset extollere, & preces peregit consuetas. Deinde cum diuina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps sacramentorum, & transmisit ad eos qui aberant, vt ipse quoque ostendit in vltima ad eos epistola. Et hunc quidem diem cum eis transegit, sicut erat pollicitus.

X. POSTRIDIE [a] autem cum venissent quidam ab Imperatore, visuri an adhuc viueret, (videbatur enim eis valde mirandum, quòd vitam hucusque produxisset) postquam prope se stantes adspexit eos, qui aduenerant, cum se, quantum poterat extendisset, & ter dixisset: Sum Christianus: simul cum vltima voce emisit spiritum. Sunt autem, qui dicant eum adhuc spirantem proiectum fuisse in profundum maris. Maximianus enim admiratus eius perpetuam ad finem vsque constantiam, iussit ijs, qui in eiusmodi rebus inseruiunt, ipsum in mare iacere, cum magnum lapidem appedissent brachio eius dextero, vt submersus nusquam appareret, & corpus eius nullam assequeretur sepulturam, nec iusta ei fierent. Atque [b] fuit quidem in profundo quatuordecim dies, nempe totidem, quot in carcere decertârat aduersus varias corporis perpessiones. Quintodecimo autem delphinus in siccum eum hoc modo extulit: Cum eius discipuli circa ripas & litora alius alibi versarentur, vt viderent, si quo modo possent eum è mari eiectum inuenire, tempore autem hyberno id valde esset turbatum: diuturnum tempus effecit, vt planè desperarent se posse id inuenire.

[a] Reddit Domino spiritum, anno 311. vt notat Bar. in annal.

[b] Corpus eius diu in mari positum inde effertur.

XI. INTERIM verò aduenientè quintodecimo die, martyr in somnis apparens cuidam Glycerio, germano suo discipulo, qui tunc versabatur in regione aduersa continenti Nicomediæ, dicit ei: O tu cum primum manè surrexeris, abi in hunc locum, ostendens locum litoris. Te enim, inquit, conueniam, cum illuc veneris. Ille autem, cum primum ex magna euidentia & admiratione eorum, quæ ostensa fuerant, eum somnus dimisisset, & iam dies illucescèret, surgens, & quosdam alios ex pijs secum assumens, cum eis venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus [c] ascendebat è mari, iam ex eo emergens: qui cum esset extensus super aquæ superficiem, valde spirabat, & ad terram contendebat: eratque circa ipsum multa spuma, & murmur fluctuum, qui ab ipso scindebantur. Ferebat autem extensum mortuum, tanquam in lecto iacentem. Eratque spectaculum admirabile, super corpus adeò lubricum & rotundum quietè manens mortuus, & nec à suo pondere, neque à vi fluctuum deuolutus ab eo, quod ipsum portabat vehiculo. Cum autem delphinus fuisset propè continentem, fluctu sublimè fuit sublatus, & terræ id appulit. Atque ille quidem statim expirauit.

[c] Delphinus illud effert.

XII. MORTVVS [d] autem, statim in arenam delatus, iacebat saluus & omni ex parte integer, nisi quod manus dextera, cui lapis fuerat appensus, non est corpus quoque reliquum consecuta. Et sunt quidem qui dicunt, eam nec postea quidem fuisse è mari emissam, sed mansisse in profundo, effectam id, quod Deo visum fuit. Nonnulli autem dicunt, eam quoque non ita multo post fuisse redditam, cum effluxisset ei vinculum, eamque in terram delatam, cum sustulissent ij, qui aderant, restitutam fuisse rursus in eandem compagem corporis. Hoc autem accidit manui, cum Deus, vt arbitror, eam seorsum voluisset honorare, vt qui acceptum habuisset laborem, qui per eum fuit susceptus, in corrigendis scripturis. Nam in perpessionibus, quas pro Christo susceperat, in maiori honore fuit ea, quæ erat grauior. Non autem existimabit quispiam, corpus mortuum à delphino casu fuisse allatum, neque id factum fuisse fortè fortuna. Nam quod reuera quidem delphinus eum eo modo, qui dictus est, exportârit, videtur esse manifestissimum, cum multi qui fuerunt illo tempore, huius fecerint mentionem. Quin etiam ipse quoque scio ab ineunte ætate de illo cani solitum hoc, cuius est pars extrema:

In terram dorso portans ex æquore delphin, *Expirauit.*

Quòd autem non factum sit casu, vel maximè quidem ostendit ipsa magnitudo miraculi, quod factum est. Somnium quoque, quod propter id euenit. Quinetiam ea quoque, quæ postea sunt ostensa. E mari enim exportatum corpus, erat insigne miraculum ijs, qui contemplabantur, vt quod præter id, quod in mari acciderat, illæsum alioqui maneret, & nec mare tam multis diebus ei nocuisset, neque vlli pisces id tetigissent, neque vllus malus odor illinc emitteretur: adeò vt esset omni ex parte manifestum, fuisse diuinum id, quod factum est.

[d] Corpus illæsum, & integrum, dempta manu visitur.

XIII. NEQVE verò prius aliquo contemptu, neque quod eum non posset defendere, siuit Deus tanta pericula adire martyrem. Neque nunc sine iustissima causa siuit ei disiungi manum à reliquo corpore is, qui in eo tam multa fecerat miracula. Sed & tunc vniuersam ornaturus eius virtutem, vocauit ipsum ad societatem passionum sui filij, optimam & iustissimam ei præbens occasionem ad hoc, vt ipsum quoque illius impertiret gloria. Et hæc est mihi communis ratio in omnibus martyribus, id est, testibus veritatis. Nunc autem volens confirmare studium, quod contulit in sacras scripturas, esse opus plurimi faciendum, manum, quæ ei propriè in hac re inseruijt, voluit etiam proprijs honorare passionibus: quomodo etiam, vt arbitror, solent spectatores fortis redimere brachia athletarum. Quòd si quis etiam crediderit eam in mari mansisse, ei licet & hæc considerare, & quòd Deus miraculis sæpè etiam admiscet ea, quæ procedunt à natura, vt per illa quidem ostendatur virtus effectrix miraculorum, per hæc autem fides quoque habeatur naturæ. Sed hæc quidem, & propter quam causam vnumquodque contingit, purè demum sciat is, qui hæc administrat. Quinetiam in singulis eorum, quæ ab ipso admirabiliter fiunt & geruntur, didicerit quisque aliam quoque esse arcanam, & quæ sit supra nos rationem, optimamque, & quæ comprehendi non potest, administrationem, neque temerè aliquid fieri aut fortuito.

XIV. TVNC ergò sic à Delphino exportatum corpus, delatum est in arenam. Concurrenres autem discipuli, primum quidem, vt decebat, id salutabant, alius aliunde venientes, & osculabantur, & amplectebantur, vnusquisque pro viribus, ob promptum & alacre animi studium. Deinde [e] verò cum id sumpsissent, & proprijs manibus extulissent, & ei iusta omnia de more fecissent, in loco insigni deposuerunt. Et tunc quidem illi sepulchrum, quale potuerunt, prout tempus vrgebat, statuerunt. Postea autem, quæ nobis salutarem Domini restituit crucem, & magnum inter claros Imperatores genuit Constantinum, veneranda Helena [f], quando reuertebatur Hierosolymis, locum honorans, & in eo condidit ciuitatem conuocatis habitatoribus ex ijs, quæ circuncirca erant, regionibus, & effectis operis participibus, & validis eam cinxit mœnibus, & [g] martyri templum ædificauit maximum: quod nunc quoque insigne & pulchrè exstructum cernitur ab ijs, qui & terra, & mari ingrediuntur ac nauigant: Ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, & eorum, qui propter ipsum decertauerunt: Quoniam eum decet gloria in sæcula sæculorum, Amen.

):(

[e] Conditur in sepulchro.

[f] Helenopolis.

[g] S. Helena martyri Luciano templum maximum ædificauit.

AN. 1070

DE S. KANVTO DANORVM REGE ET MARTYRE, EX SAXONE GRAMMATICO, Historiæ Danicæ Lib. XI.

7. IAN.

I.

KANVTVS Suenonis filius, propitiæ fortunæ beneficio, summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum experimẽto ętatem animo præcucurrit. Quippe [a] contracta iuuentute, myoparonũ piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, nouisque virium gradibus, paterni roboris fundamenta transcendit. Quæ victoria futurum eius dominium ominata est. Pro amplificanda tuendaque patria iuges excubias gessit, rerumque, quarum ob infirmam ætatem vix spectator esse potuit, author haberi præsumpsit. Quinetiam iuuenile corpus continuo vsu ad bella impigrè conficienda, armaque viriliter sustinenda firmabat, famaque eius bellica vi in tantum claritatis excessit, vt rediuiuum magni Kanuti spiritum fortunamque simul cum nominis videretur communione sortitus, adeò vt nullus eum paterni regni successione potiturum ambigeret. Neq; enim virtute iam maturus, honori intempestiuus videbatur. Sed nec liberalitatis species, eius adolescentiæ defuit: cuius [b] fratrem Haraldum natu maiorem, obtusi admodum cordis, inter iuuentæ initia perpetuus inertiæ sopor oppressum tenebat.

[a] Dissipat piratis adhuc adolescens.

[b] Haraldus vir obtusi cordis.

II.

SVENONE autem defuncto, regiæ successionis delectum anceps popularium sententia pertractabat. Maior namq; Danorum pars, memor quantis per Kanutum priuatæ adhuc fortunæ periculis obiecta fuerit, grauiora, si regnum indueret, verita, maligna virtutis interpres, quod gloriæ eius accrescere debuerat, iniquissima meritorum æstimatione damnabat, eleuatis virtutum præmijs, clarissima eius opera repulsæ turpitudine rependendo. Igitur vt hunc negociorum metu perosa: ita Haraldum ocij cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prætulit, ignauumque sibi regem maluit imperare, quàm fortem. Quamobrem [c] egregiæ indolis claritate contempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsa fortitudine, inertiam honoribus insecuta. Verum hunc ingratæ mentis habitum fucosa rationis specie colorabat, Haraldum perinde ac natu maiorem, ipso naturæ iure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum: hunc virtus inuisum, illum vitium probabilem fecerat. Soli Scanienses, iusta animi inclinatione prouecti, Kanuti probitate culta, Haraldi desidiam respuebant. Porro Haraldus plerosque fraternæ partis fautores, legum emẽdatione liberiorisque vitę iucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam solicitandos curauit. Ita à Kanuto vulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse [d] deficientibus à se copijs, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Vbi fraterna legatione, regni communionem spondente, reuerti monitus, spretis mandatorum blanditijs, Suediam fugibundus intrauit, perquam stultum ratus, eius se promissis in fracta fortuna credere, cuius eadem adhuc vigente minas acceperit.

[c] Dani Haraldum præferunt Kanuto.

[d] E regno proscribitur Kanutus, & in Suediam ad Halstanum Regem confugit.

III.

MOX perinde atque iniuriarum oblitus, intactis patriæ rebus, bellum aduersum Orientales viuente patre cœptum, enixè prosequitur. Interim [e] Heraldus regnando biennium emensus, defungitur. Quo mortuo, Kanutus fraternis suffragijs in regni fastigium reuocatus, Orientale bellum, quod in adolescentia orsus, in exilio auspicatus fuerat, accepto solio, potius amplificandæ religionis, quàm explendæ cupiditatis gratia, totis viribus innouandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec ante manum ab incepto retraxit, quàm Curorum, Sembonumque ac Estonum regna funditus delêsset. Deinde sublato hoste, nuptias circumspiciens, finitimaq; coniugia obscura ac dignitate sua minora reputans, præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium aduocauit, ex qua filius ei Carolus obuenit. Cumque magnatum insolentia solutos hebetatosque prisci iuris neruos adspiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris disciplinam connisus, probatioris iustitiæ cultum seueriss-mis edidit institutis, contusumque & labentem æquitatis tenorem, in pristinum habitum reuocauit. Non [f] sanguini, non necessitudini, quo minus iustè se gereret, indulgentiam habuit: nullius amicitiæ aut familiaritati impunitatem iniuriæ tribuit: sed omnia antiquæ consuetudinis momenta præcurrens, labefactatum iuris vinculum tenacissimo nexu adstrinxit, ac paternæ seueritatis vestigia solicitus vsurpauit, eoque studio grauissimas Maiorum offensas contraxit.

[e] Heraldus obit anno 1079. & Kanutus fit rex Danorum.

[f] Iustitia & seueritas eius.

IV.

SACRIS decus suum reddebat, sacerdotia gerentes, gratiæ nutrimentis prosequebatur: cumque ab inerti & rudi populo parum iustam pontificibus venerationem haberi conspiceret, ne tanti nominis potiores inter priuatos relinqueret, decreti circunspectioris industria, principum eis consortionem indulsit, ipsisque primum inter proceres locum, perinde ac Ducibus, assignauit. authoritatem honore concilians. Prouidit etiam, ne tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inque summa religionis arce positi, infima cultus conditione vilescerent. Nec solum Pontificibus dignitatis incrementa donauit, sed etiam priuatorum [h] Clericorum ordinem benignissimis decretis adornare studebat. Nam quo cumulatiorem eis honorem redderet, * literatorum controuersias, vulgaris fori conditione exemptas, ad eiusdem professionis iudicium relegabat Ijsdem religionis reos, obiecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quæ aduersum diuina committerentur, animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasque huiusce generis actiones, sacerdotali iudicio destinatas, à publico foro secreuit, ne honore impares conditio æquaret. Quamobrem dignitati pondus adiecit, decusque priuato fastigio excelsius eorum respectui inesse voluit. Quo effectum est, vt Danorum nemini, nisi regi aut pontificibus, eique, qui potissimus regni successor aduertitur, domesticis quenquam liceat actionibus postulare. Idem populares, adhuc sacrorum rudes, decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit: quippe maturitatem rerum capere nouelli cultus rudimenta nequibant.

[g] Episcopis primum inter proceres locum tribuit.

[h] Fauor eius in Clerum.

* *al. litigatorum.*

V.

NE autem [i] Sueno Episcopus promissam templi refectionem negligentius exequi videretur cœptam Roschildensis sacrarij fabricam ad finem vsque perduxit. Cuius excolendi gratia coronam, arte impensaque operosissimè elaboratam, in eius ornamentum appendit, existimans regias opes potius sacrorum splendori, quàm humanæ auaritiæ seruire oportere. Egynus [k] quoque ijsdem ferme temporibus, opitulante rege, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus explicuit. Quibus rex dedicari iussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Nam in æde Laurentiana annua cantorum stipendia, pontificis subsidio fultus, instituit. Ipse enim partim ex fisco suo regisque latifundijs, partim antistes ex ante collatis templo beneficijs quotidianos eorum sumptus exhibuit: tantaque inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, vt vter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicationis die Rex solenniter altaria veneratus, quartam regij numismatis, quartam suæ in ciues exactionis, quartam æstiui census portionem ei, qui pro tempore loci antistes extiterit, muneris loco perpetuo iure possidendam concessit. Nec parcius priuata Clericorum iura tutatus, ab eis, qui sacrarij rus excolunt, vniuersum

[i] Sueno Episcopus Daniæ.

[k] Liberalitas eius in ecclesias.

uersum penè regiæ pensionis ius ascriptis chori ministris deferendum curauit. Cæterum * detractæ expeditionis pœnas, ac violatæ pacis vindictam, eorumq;, qui propinquis vâ cui decessissent, hæreditates regij dũtaxat iuris esse voluit. Itaq; non minorem in edendis templorum priuilegijs, quàm præstandis beneficijs, authorem egit. Et vt legibus suis æternitatem conciliaret, eas conuellere conaturos Antistitum execrationi subiecit. Cuius edicti, postmodum à multis temerè pertentati, vetus adhuc ratio perseuerat.

* *for.* d retractæ.

VI. Rex verò cum in omnibus sanctè se industrieque gessisset, præcipuè religionis charitate conspicuum præbuit, nec vnquam remotos ab exactissimo eius cultu oculos habuit. Qui cum fratrum suorum turbam iuueniliter intemperantem patriæ admodum * onustam videret, largis vberibusque stipendijs alitam, vno duntaxat Olauo, Slesuici partibus præsidente, in clientelam assumpsit, ac publicum pondus priuato leuauit impendio. Tandem Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus, à paterni auunculi temporibus obrutum animaduertenti, nouarum rerum cupido subrepsit. Vtque eius animum certius repræsentaret, non contentus studia sua Orientalibus decorasse victorijs, Angliam [a] infœlicitate amissam, hæreditatis duxit nomine repetendam, recolebat enim bellicam Maiorum gloriam, cumque opibus imperij fines nullo magis, quàm Anglicis creuisse titulis, maioremque eis ex vnius insulæ, quàm totius Orientis spolijs incessisse splendorem. A quorum imitatione deficere, stolidi ac degeneris animi esse, satiusque regno carere, quàm inter paruulæ telluris angustias inclusum maiestatis vsum habere. Vt ergo negociorum conformitate, Maiorum fortitudini responderet, operamque eorum studijs consentaneam ederet, atque auiti nominis gloriam æquaret, omnium, quæ paterna corrupisset inertia, refectionem suæ commendabat industriæ, parentemque perosus, auum æmulatus est.

* Onustam pro onerosam.

[a] Vult Angliam infeliciter amissam armis repetere.

VII. Primvm [b] igitur occultum Olauo consilium prodit, eoque idipsum hortante, rem deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quem rex sibi fraterna, charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum habebat, insidiosæque eius adumbrationis ignarus, affectum referri sibi, quem ipse impenderet, æstimabat. Quem etsi prudentia secus monuit, sanctitas tamen malignam de fratre suspicionem referre prohibuit, ne consanguineam fidem temerè damnare, inque fraudis metu hostes ac necessarios iuxta ponere videretur. Verum Olauus affectatione regni, pietatis erga germanum oblitus, perfidissimi pectoris habitum summa fidei simulatione tegebat, vulgatumque regis propositum non solum adulationibus fouit, sed etiam hortamentis instruxit: non quòd potentissimum regnum ab eo recuperari posse speraret, sed vt imperatæ rei difficultatem in odium imperantis conuerteret. Enimuero fratris animum fastidiosè æstimans, pijssimum eius amorem parricidali fraude pensabat. Nam cum eum, quòd neglectam ante seueritatem nouis legibus restituisset, ciuibus inuisum animaduerteret, quo odium eius cumulatius redderet, quòd publicè displiceret, priuatim exequi stimulabat. Et ne solus insidias volueret, lecta societate clandestinæ coniurationis cœtum instruxit, nec frustra ingenium fuit. Quippe [c] primores, quorum violentia regijs sanctionibus retusa fuerat, parricidalis cum Olauo propositi consortium habuerunt. Kanutus verò omnium animos gloriæ magis, quàm sceleri intentos existimans, imperata classe, Lymici maris oris aduehitur, à quo breuissimus in oceanum transitus patet, quondam nauigijs peruius, nunc verò interiecta arenarum mole percluſus. Hic rex fraternum diu præstolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitus alacritate est excussus. Nam Olauus reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, commentumque cassandæ expeditionis exagitans, alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum simulatione quærebat, eo moram trahere cupiens, donec aut Regem sine eo proficiscentem, interim ipse regno priuaret, vel tarditate suspensum, exercitu destitueret, Rexque vel desertorum impunitate despicabilis, vel pœna cunctis inuisus euaderet. Ita & fratrem & dominum aduentus sui cunctatione ludificans, tam vafræ, tamque insidiosæ rationis commento, generosi ac fortis propositi molitionem subruere conabatur.

[b] Olaui fratris eius in Kanutum perfidus animus.

[c] Olaui cũ primoribus conspiratio

VIII. Nec cum callida cõsilij ratio fefellit. Nam tota à Rege classis, fastidita eius expectatione, defecit. Rerum enim, quę à fratre gerebantur, ignarus, morantis aduentum sæpenumero mandatis exegerat: cum tandem de eius perfidia certior factus, classe præstolari iussa, Slesuicum lectissima manu festinato contendit, ibique [d] fratrem inopinatum & attonitum intercepit. Deinde productum accusatumque, nec obiecta validè propulsantem, perinde ac conuictum, impotentemque defensionis, compediri à militibus iubet. Qui indebitam regio sanguini contumeliam suis manibus administrandam negabant: cuius tanta apud ipsos veneratio fuit, vt ex eo ortos, morte quàm vinculis mulctare mallent, tolerabilius rati, quod commuuis conditio admittit, quàm quod seruile supplicium exigit. Sed & gentis nostræ verecundia summam in vinculorum pœna turpitudinem reponere consueuit, hisque affici omni fato tristius ducit, ingenuas mentes probroso, quàm cruento supplicio punitiores existimans, tantoque alterum altero speciosius censens, quantum naturæ habitus à fortunæ vitio distare creditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus iusti imperij, quàm iniqui germani respectui tribuendum, nec sanguini parcendum, dum vitia puniuntur, existimans, quippe quem virtus defecerit, nullam stirpis reuerentiam obtinere, animique labe fœdum, omnem generis infuscasse splendorem. Igitur non tam fratris nomen, quàm parricidæ propositum intuebatur. Adeo sanguinis precium vilescit, cum se moribus ignobilem fecerit. Post hæc [e] rex Olauum catenis coercitum, nauigioque in Flandriam relegatum, carcerali custodiæ mandandum curauit. Cuius captionem coniurati parum fama aut nuncio experti, quo callidius exercitum soluerent, intertem regis moram absentiamque causati, classem clandestino monitu circunuentam, domos abire iusserunt. Quam rem si quis palam exhortatus fuisset, publicatis bonis, aut in exilium agi, aut capitali supplicio affici lege merebatur. Quam rem defectionis incentoribus tutissimum visum, vt sine vllo authore ipse sibi populus desertionis licentiam vindicaret, ne tam priuatum discessionis crimen, quàm publicum haberetur. Tantum [f] autem apud improuidam multitudinis temeritatem insidiosa magnatum ratio valuit, quòd plebs non minus eorum authoritate, quàm moræ tædio adducta, fidentissimam reuertendi libertatem acciperet.

[d] Olauus à Kanuto capitur.

[e] Mittitur in Flandriam Olauus.

[f] Perfidia procerum in Kanutũ.

IX. Cvivs facti rex cognitione susceptа, dolorem prius, deinde lætitiam egit. Siquidem iniuriam in religionis habitum formauit, mulctæque nomine primam exigendarum decimarum occasionem corripuit, lætatus quòd ei vtilissimam propositi rationem opportunitas conciliasset, suoque dedecore sacrorum decus instruere cupiens. Cumquè magnates Olauum, quem sibi factionis ducem futurum sperauerant, à fratre interceptum audissent, proposita fraude defecti, summam eius dissimulationem egerunt. Itaque rex accersita postmodum concione, docet quantum Danicis armis militaris semper disciplina profuerit, maiorum imperijs à minoribus semper obtemperatum fuisse, regum authoritatem popularibus inniti suffragijs, principum famam nullo magis, quàm militum fide creuisse, eorumque nullius momenti imperium esse, si non plebeijs subsistat auxilijs. Sibi verò nuper ignotam regibus contumeliam obuenisse, inusitatæ defectionis authores hebetudinem audaciæ prætulisse, auiditate ocij speciosissimæ rei negocium subruisse. Adiecit quoque, quanta pecuniæ summa ob impium desertionis crimen damnari meruerint, gubernatorum singulis quadragena nummùm talenta, terna remigum vnicuique mulctę loco numeranda proponens. Nemine [g] collationem abnuente, promissa æris solutio est. Quo cognito, remittere se Kanutus illam exactionem, si sacerdotibus decimas erogare voluissent, edixit. Tunc concio, petitâ consulendi licentiâ, paulisper à Rege deliberatura secedit, an

[g] Exigit pęnam pecuniariã à desertoribus.

propositis satisfieri conditionibus oporteret. Vtraque exhibitu difficilis æstimata. In soluendo namque ære, complures inopia afficiendos credebant. Decimarum verò pensionem omni æuo celebrandam, æternam debitoribus infligere seruitutem. Igitur quasi in tristium rerum contextu minus asperè delectum facturis, acerbior visa, cui comes diuturnitas affuisset. Nam cum altera se tantum, altera posteros quoque puniendos aduerterent, præsentem inopiam perpetuo muneri prætulerunt. Itaque temporum æstimatione facta, quo sibi tantum, quàm quo posteris pœnam crearent, culpam redimere præoptantes, semel ære, quàm semper libertate, defici maluerunt, iure elicitum, dedecore vacuum: persuasione extortum, probro obnoxium rati. Quinetiam [a] annuam alienis frugem dependere, ignominiæ, non religioni, attinere censebant. A quibus cum Rex deteriorem conditionis partem approbari videret, simulata pecuniæ exactione, septentrionales Iutiæ partes ingressus. Tostonem cognomine Peculatorem, eiusque collegam Hortam, colligendæ pensionis quæstores instituit, mulctæ metu decimarum religionem differre cupiens. Ijsdem defectorum res, æstimatis possessionum precijs, intactas dimittere iussum. Qui mandatum immitius, ac iussi fuerant, executi, iniqua plebem exactione pulsabant. Quam rem æmuli regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendacijs exaggerabant. Veris quoque maiora fingentes, inuisos cunctis reddidêre quæstores. Quippe militum opus, non regis imperium, iudicabant: nec iubentis, sed iussi studium intuebantur.

[a] Nolunt Clero decimas persoluere.

[b] Quæstores regis cædduntur.

QVORVM [b] instinctu multitudo quæstores adorta, communem iniuriam publica consternatione cohibuit, magis, quid fieret, quàm quid fieri iussum esset, inspiciens. Nec eorum cædibus satiata, in regem quoque vesana prorupit. Qui impetum eius opportunè sua ratus absentia declinandum, Slesuicum concessit, ibique coniugem cum filio constitutam, si res siniſtrè cessissent, perfugere in patriam iussit, nullum inter perfidos præsidium habituram. Siquidem intempestiuum regno hæredem domesticorum arbitrio relinquere verebatur. Igitur Vuandali, solam sibi in armis libertatem restare credentes, fugæ eius perinde ac victores insultare cœperunt. Qui cum imminentibus Iutis, & vetera auxilia deficere cerneret, nec noua temporis angustiæ contrahi sinerent, quo tutior secessu foret, Fioniam [c] petit, salutem insulæ præsidio quæsiturus: vbi nihilominus indignam religiosissimo spiritu suo violentiam expertus est. Hinc enim Iutis aucta sæuiendi fiducia, concitatam multitudinis temeritatem exacuit: hinc grassandi præsumpta libertas, tristem regi procellam inflixit. Sanè populares, pœnæ metu cœptum omittere veriti, perseuerantiam sceleri exhibendam duxerunt. Neque enim bis læsum pœnam noxijs remissurum credebant. Ideoque eius exitium sitientes, ardentissimo odio sanctissimi viri necem petebant: ac veluti veniæ desperatione compulsi, hostem tollere, quàm vltorem experiri, maluerunt. Nec suis eum finibus exegisse contenti, Fionia quoque propellendum decernunt. Iamque Rex accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare statuerat, cùm Blacco [d] quidam, primam ipsius familiaritatem adeptus, sed nihilo minus eum occultè perosus, simulatæ fidei consilio hortatur, fugæ parcat, Othonienſis pagi præsidia expetat, nec fœmineo more latebram circumspiciat: se interim plebis acta speculaturum, blanditiasque iræ eius oppositurum promittit. Quòd si plebis animum mitigare nequisset, tanto ante id regi pronunciaturum, quantum fugæ occupandæ sat esset. Consilio obtemperatum est. Tunc Blacco, omissa legatione, siniſtris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impensius struit. Hortatur, quam celerrimè calumniæ authorem occupent, nec fugacem elabi permittant: oppressionum vindices tyrannum, non Regem, fastidire commemorat: catere culpa, quod honestatis æmulatione committitur: patriæ tutores, perinde ac pietatis ministros, parricidio exui: priuatum abesse crimen, vbi publicæ libertatis vindicta peragitur. Præterea miserrimos, cœpti irritos: compotes, felicissimos fore. His atque consentaneis modis solicitato in Regis necem populo, aduersum immerentis caput funestos omnium conatus erexit, eaque actione consternatam amentia plebem, veluti furiali quadam face succendit. Statimque impetus creuit, vbi hortatorem habere cœpit. Neque enim temeritati eius constantiam suam obiecit, sed publicæ sese dementiæ auctorem adscripsit. Igitur incitatior seditionis procella, pestifera eius concione * deferbuit, grauiorque tempestatis incentorem nactis tumultus erupit. Inde reuersus, pacatiorem populi animum nunciat: facilè consternationis procellam acquiescere, si Rex iram mutuo deponere, reisque pœnam remittere voluisset. Quem Rex fidum legationis ministrum ratus, regalis magnificentiæ conuiuio excipit, maligumque suæ pietatis interpretem donis prosequitur. Vtrobique gratia perfidiæ habita est. Nam [e] Blacco alterna partes vice subiens, corrupto legationis officio, pro mediatore proditorem agere cœpit, atque ex speculatore sceleris hortator euasit, siniſtrè Regis, falso plebis animum interpretatus. Ita pellacis viri mendacium, legationis titulo inuolutum, Regem pariter ac populum fefellit: hunc, ne imminentem vitaret: illum, ne parceret expectanti.

[c] Rex fugit in Fioniam.

[d] Blacconis in se perfidiam experitur.

* efferbuit legendum puto.

[e] Ecce tibi insignem proditorem Iuda nequiorem.

XI.

EVNDEM die postera Rex prioribus paria pollicentem, ad speculanda seditionis acta dimittit, communemque hostem, inter se & vulgum creandæ pacis authorem assumpsit: Nec solita legato perfidia defuit: cuius pestiferis monitis instincta plebs, vehementius aduersum Regis caput consternationem destrinxit. Kanutus interim quotidianis sacrorum * solennibus assuetus, ne quid religioni præponeret, Albani ædem sacram, pro se deprecaturus, accedit. Quippe precibus Deum, quàm hostem armis, ne quid charitati detraheret, aggredi præoptauit: vbi dum religioni vacando officia sanctitatis exequitur, consternatæ multitudinis corona armis sacrarium clausit. Quotquot [f] ergo ex militibus hostem præcurrere poterant, periculi consortium affectantes, Regem petebant eius in seipsos discrimen transfundere cupientes: cumque salutem secessu consequi possent, periculum præsentia quæsiêrunt, morteque clari, quàm fuga tuti fieri maluerunt. Quanta porrò humanitate clientelam hanc abundasse credemus, quæ, ne infœlicem domini fortunam desereret, periculo sese, quod vitare licebat, opposuit, inque magna fugiendi copia salutem Regis, quàm suam, tueri satius duxit? Benedictus quoque fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori destinauerat. Ericus verò seorsum ab hoste conclusus, cum solus multirudinem fustinere nequiret, per medios hostium globos, ferro secessum molitus, erupit. Tunc nemine religiosæ pacis domicilium violenter irrumpere præsumente, primus Blacco cunctantibus cæteris, ferro valuas petiuit, ductuque suo eandem cunctis licentiam tribuit. Ita se non sacrilegij modò, sed etiam publici parricidij ducem authoremque exhibuit. Quod videns plebs, concitato seditionis motu templum aggreditur, eoque irruptione facta, diuinos lares ac sanctissima penetralia sacrilegâ tempestate fœdauit. Verum [g] Blacco in ipso, quem irruperat, aditu trucidatus, datis parricidij piaculis, violati sacrarij pœnas pependit: mors eius, interfectoris exitu vindicata est. Itaque alterius fato scelus, alterius pietas causam præbuit. Crediderim tunc pium cruorem parricidali permixtum, separatis fluxisse meatibus, atque sine vlla riuulorum communione hinc sacrum, inde scelestum sanguinem, diuiduis alueis incessisse. Benedictus liminibus [h] irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur.

* solenniis legendum arbitror.

[f] Præclara militum fides in regē.

[g] Pœna scelestissimi proditoris

[h] Benedictus regis frater trucidatur.

XII.

REX ipse inter cruentos imminentis violentiæ strepitus fiducia conscientiæ eundem mentis habitum tenuit, neque religioni parcius, quàm si periculum abesset, vacauit, ne plus ab eo timoris quàm constantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem eius hora, sanctitatis studio vacua fuit. Nam cum parietem vndique à popularibus perfringi, (quippe ligneus erat) ideoque propinquam sibi necem instare animaduerteret, accersito sacerdoti [i] factorum arcana confessus, per summam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas absoluit, præmiumque sibi pœnitentiæ salubri-

[i] Rex confitetur Sacerdoti factorum arcana.

ſalubritate conciuit. Tantum enim in innocentia ſua fiduciæ repoſuerat, vt mortem non periculo oppreſſus refugere, ſed metu vacuus, appetere videretur. Quinetiam propaſſis vtrinque brachijs ante aram, fati ſecurus occubuit. Vbi dum victimæ more proſtratus percuſſorem expectat, immiſſæ per feneſtram lanceæ [a] mortifico iactu confoſſus, pium mortis ſacrificium edidit, profuſoque militum ſanguine, ſuum ad vltimum erogauit. Enimuerò crebris vndique telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo cubabat, exceſſit quàm feretro mandaretur extinctus. Ex cuius ſanctiſſimis vulneribus plus gloriæ, quàm cruoris effluxit: quippe præſentis vitæ exitu initium melioris accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus. Fælix eorum parricidium, qui quem terreſtrium virtutum orbe exemerant, cœleſtium vſibus applicabant, caducaque & fragili potentia ſpoliatum, ſolidæ atque æternæ fælicitatis compotem ſtatuerunt. Sed & clandeſtina eius virtus perlucidis poſtmodùm experimentis enituit. Hæc [b] audiens regina, patriam cum filio impubere repetit, geminis poſt ſe relictis filiabus: ex quibus Ingertha Folconi Suedicæ gentis nobiliſſimo nupta, Benedictum Kanutumque filios habuit: ijſdemque mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Suediæ Ducem cum fratribus ſuis nepotem accepit. Verùm ex Cæciliæ matrimonio Ericus Gotthorum præfectus, Kanutum cum Carolo procreauit. Ex quibus generoſiſſimarum imaginum numeroſa poſteritas, clara propinquitatis ſerie cohærens emerſit.

[a] Pius rex ab impijs interficitur an. 1081. vt adſtruit Baronius.

[b] Fugit Regina in Flãdriam cum filijs.

XIII. At populus peremptо rege exultans, quod ſcelus deflere debuerat, inſultatione proſequi voluptatis loco reputabat. Qui cùm paricidio pietatis cauſam prætexeret, idque tyrannicidij nomine coloraret, militem ſuum Deus mercede fraudari non paſſus, arcanam ſanctiſſimi viri innocentiam manifeſtis publicauit indicijs, eximioque vitæ eius ſplendori etiam clara mortis ornamenta conceſſit. Sanè ad coarguendam parricidarum malitiam, puniti merita miraculoſis prodidit argumentis, ignotamque vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum [c] plebs admiratione perculſa, virtutis inuidiam egit, conſpicuamque ſignorum experientiam diù nequicquàm infuſcare tentauit. Veteris namque inuidiæ fremitu, ac priſtinis odij viribus pertinaciùs excandeſcens, adduci non poterat, vt diuinis honoribus coleret, quem ob ſcelus à ſe interfectum putaret, rem cœlitus declaratam, humanis argumentis abnegare conando. Quam-quàm enim damnatos à ſe mores, cœleſti iudicio comprobatos videret, ad diſſimulandam tamen occultandamque miraculorum fidem, iuſtam cædis cauſam fingebat, firmamque facti tuitionem retinens, ſententiæ ſuæ perſeuerantiſſima propugnatrix exiſtere non erubuit. Nec vita regem ſpoliâſſe contenta, etiam fati laudibus exuëre conabatur, cuius lucem extinxerat, famam quoque ſepelire conniſa. Sed humanis tenebris diuinus ſplendor inuolui non poterat: quippe miraculorum nitor, dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam ſanctitatis eius medela, varias imbecillitatum affectiones, remediorum ſalubritate proſecuta eſt. Cumq; [d] obtrectantium liuor crebreſcentibus ſignis virtuti cedere cogeretur, nec fidem vlteriùs fruſtrari quiuiſſet, in facti tamen defenſione perſiſtens, ſanctitati quidem aſſenſit, ſed eam nõ tam ex præteritæ vitæ meritis, quàm vltimi temporis pœnitentia profectam adſtruxit. Ita & iuſtam facto cauſam prætexuit, & vita caſſum honore donauit. Siquidem dignè Regem periſſe, ſed pium lachrymis euaſiſſe dicebat, intentionem eius, auaritiæ, quàm religioni, propiorem exiſtimans. Cuius erroris non paruas poſtmodùm pœnas perpendit. Sed & poſteri, paternam redolentes inuidiam, ſanctitatis eius famam non moribus, ſed lachrymis imputant, præſentiq; incredulitate præterito ſe errori implicant, neque adduci poſſunt, vt ipſius beatitudinem, depoſito odio, ſyncere æſtiment. Verùm ſacra eius oppidulo orta, toto penè terrarum orbe fulſerunt, cultusque ipſius primum à ciuibus exceptus, paulatim in commune prorepſit. Cuius tam vitæ, quàm miraculorum virtutem priuatim Othonienſibus venerandam, publica eam religio conſecrauit. Sed & cœleſtem eius ſpiritum ad hoc vſque tempus fælix ſignorum fortuna proſequitur. Hinc eſt, quòd Kanutus diuini iam animi immortalitate potitus, vt terreſtribus patriam patrocinijs attollere ſtuduit, ita cœleſtibus protegere non deſiſtit. Ideoque ſanctitas eius, gloriæ & celebritatis fructu opulentiſſima, ſplendidum in Faſtis locum obtinet. Quinetiam ſalutares effectus ſuos quotidianis adminiſtrat indicijs, malitiamque patriæ, beneficijs penſat. Nam virtutum eius inſignibus omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illuſtrationis radijs ſanctorum fatis claritas erogatur, cùm cœleſti beneficio mortalis liuor opponitur.

[c] Niracula S. Kannti in uidia plebs obſcurare conatur.

[d] Multa edit poſt obitũ miracula ſanctus rex.

XIV. Interfecto [e] Kanuto, Iuti iniquæ ſocietatis pertinacia ſingularem Olaui gratiam amplectentes, creari eum Regem [f] alacerrimis petiuêre ſuffragijs: hunc ſibi plurimum gratiæ relaturum ſperantes, cui tanto regnum diſcrimine quæſiuiſſent. Neque eius fratribus hunc honorem eximio Kanuti amore ſuſpectis erogandum duxerunt. Igitur pecunia pacta, Nicolaum communem tam præteriti quàm futuri Regis germanum, vadem pro eius redemptione dederunt, receptoq; regnum imponunt. Nec paruum Nicolaus fraternæ charitatis ſpecimen edidit: ſiquidem fraternas induere catenas, ſuisq; vinculis germano regnum emere non dubitauit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor, quam ei communis fratris iuſſu inflixerat, vltionis metu cum coniuge Botilda, quæ Vluoni Gallitiano ex filio Trugotoneptis obuenerat, Suediam petiuit. Dani verò, collato certatim ære pro ſponſoris reditu, pactam creditori pecuniam numerârunt. Quem Flandrenſi cuſtodia liberatum, infeſta parricidis fortuna veluti cladem aliquam noſtrorum abundatiæ ac fertilitati iniecit. Nam cum Dani noui Regis initijs applaudentes, priſtinæ ruinæ procaciùs inſultarent, criminoſis ſemper infenſa diuinitas, ne diu ſcelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere voluit, communique inopia, publici paricidij victa exegit piacula. Vt enim non in ſingulos modò, ſed vniuerſos animaduerteret, ſumma aëris intemperantia annorum, quibus Kanutus regnum geſſerat, numerum adæquauit, cæleſtique robore humana vi maiorem edidit vltionem. Quippe [g] verni æſtiuique temporis feruore ſatum omne coaruit: autumnale verò adeò pluuium fuit, vt ſi quid locorum humiditate paluſtrive madore alitum ſuccreuiſſet, perſeueranti imbrium inundatione decideret, quanquàm contrarium cœli habitum humanæ commoditatis ratio flagitâſſet. Igitur opportuno ſolſtitium humore caruit, eundemq; ſine modo profuſum, ſiccum amans Sextilis excepit. Tunc planè camporum facies cœleſtibus imbribus inundata, latè patentis ſtagni ſpeciem præbere conſpecta eſt; ita quod æſtas ægrè genuit, autumnus oppreſſit: tantaque temporum intemperies extitit, vt nec imber æſtum leniret, nec æſtus imbris illuuiem temperaret. Quinetiam agreſtes, aquis campos tegentibus, ſupernantia ſpicarum capita demetentes, nauiculis excipiebant, ac deinde putres ariſtarum reliquias fornacibus igni percalefactis exiccandas mandabant: ſicque eas molæ ſubijcientes, quia panem præſtare non poterant, in viſum pultis vertebant. Quamobrem tanta ciborum penuria inceſſit, vt maxima populi pars, alimentorum inops, inedia conſumeretur.

[e] Ex lib. 12. eiuſdem Saxonis.

[f] Olauus in regno ſuccedit.

[g] Vltio diuina in Dano paricidas.

XV. Ea res locupletes inopia, pauperes morte mulctauit: maioresque ære, minores ſpiritu ſpoliauit. Nam diuitum populus, non ſuppetentibus alimentis, auro argentoque ſalutarem comparauit impenſam: pauperum verò gregem, tam cenſûs quàm dapis inopem, horrida paſsim fames abſumpſit. Rex [h] ipſe ad vltimam tabem adactus, plurima fruge latifundia permutabat, agrisque vænire iuſſis, alimenta poſſeſſionum precijs comparabat. Nobilibus in eundem vſum ingenuitatis inſignia erogare, rubori non fuit. Enimuerò abundè ſeges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum, vltio videretur. Quæ tam dira clades conuictum populi animum, ſanctitatem, quàm anteà detrectauerat, fateri coëgit, deque celſitudinis eius contemptoribus veneratores effecit. Sanè tam euidens pœna, alijs fruge abundantibus, Danis priuatim ingruens, & parricidarum noxam, & perempti innocentiam liquidò argumentata eſt. Hanc peſtem [i] Sueno Pontifex, cuius ſumma apud Danos authoritas erat, populo parricidij

[h] Sola Dania penuria laborat annonæ.

[i] Suenonis Epiſcopi vaticinium, & præconia.

pœnitere præmonito, inceſſuram prædixit. Quippe in plebem pius, in Deum venerabilis habebatur, religionemque attentiore cura, conciones præſtantiore facundia celebrabat: ita fauore omnium occupato, arcem in noſtros authoritatis atque eloquentiæ faſtigium poſſidebat. Subiectorum mores non ſolùm dictis, ſed etiam ſereniſſimis operum informabat exemplis: nec voce, quàm mente, concinnior fuit. Idem perfecta Trinitatis æde, in exædificando eius ambitu Kanutũ religioſi operis ſocium habuit. Nec minorem in extruendis Mariæ ſacrarijs operam geſſit. Quippe vnum in vrbe, alterum Rungſtiadis enixè molitus, tertium Michaëlslagoſæ cõdidit: adeò ſe ſanctorum penetralium ſingulari cultu flagrare monſtrauit. Nec domeſtica ſanctitate contentus, augmentum eius foris petere, arrepto peregrinandi labore, conſtituit. Cumq; Hieroſolymam proficiſcens, Byzantium peruenisſent, contracta varij generis ornamenta, cum ſacrorum cinerum reliquijs in neceſſarios vſus domeſtici templi remittenda curauit. Sed cuius Græcia pietatem vidit, mortem Rhodos aſpexit. Ijſdem ferè temporibus, abſumpto Richaldo, Aſcerus, morum generisque ſplendore eximius, Lundenſi potitur ſacerdotio. Olauus[a] cùm bis penè luſtrum regnando condidiſſet, inter continuas rei familiaris anguſtias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat.

[a] Olaui obitus.

S. Kanuti vitam etiam ſcriptam inuenies à Ioanne Magno Archiepiſcopo Vpſalenſi. lib. 18 cap. 12. 13. &c. Hiſtoria Gothorum.

An. 1220.

VITA S. REYMVNDI A PENIAFORT, SIVE D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE OCTAVI, DECRETALES

Literæ, quibus B. Raymundus à Peniafort Barcinonenſis, Ordinis Prædicatorum, in Sanctorum Catalogo adſcribitur.

7. Ian.

ROMANA Catholica Eccleſia, quæ ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu ædificata, diuinitus à Spiritu ſancto regitur, & ineffabili eius æternæ ſapientiæ prouidentia mirabiliter gubernatur, in eadem vnitate fidei & doctrinæ veritate, quam à Chriſto ſuo ſponſo, & Apoſtolis accepit, perpetua conſenſione perſeuerans, à Deo Patre miſericordiarum continuis gratiæ cœleſtis benedictionibus cumulatur, ac veluti fœcunda mater multiplici ſanctorum prole aucta, eorundem meritis ac virtutibus illuſtratur: Atque hanc fidei Catholicæ vnitatem vnus, idemque ſpiritus per multas gratiarum diuiſiones in corpore Chriſti, cuius nos membra ſumus, anteà operatus eſt, & nunc etiam operatur. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, qui vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptiſma prædicarunt, ac veritatem facientes in charitate, creuerunt in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum eſt per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri: Præcipua verò huius myſtici corporis membra ſunt viri ſancti, quos elegit Deus, & prædeſtinauit in vitam, qui eandem fidem ſemper tenuerunt, & pro eius defenſione legitimè certantes adepti ſunt repromiſſiones, & in cœlis coronari meruerunt. Huius autem fidei vnitatem, in qua vnum corpus in vno ſpiritu efficimur, iam inde ab ipſius Eccleſiæ naſcentis initio ad hæc vſque tempora Principes, & poteſtas tenebrarum multis hæreſium procellis, ac turbinibus excitatis labefactare, & conuellere tentarunt; ſed diuina Chriſti ſapientia, qua Eccleſiam ſuam ſupra firmam petram fundauit, aduerſus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt, potenti ſua dextera eum ſemper defendit, & vſque ad conſummationem ſæculi conſeruabit. Atque in hoc admirabilis Dei prouidentia maximè elucet, quod omnium penè ſæculorum ætatibus, & ijs præcipuè temporibus, quibus religio Catholica Tyrannorum atrocitate, & hæreticorum perfidia impugnata eſt, inuictos martyres, athletas fortiſſimos, glorioſiſſimos confeſſores, & viros ſanctos, magnos in virtute, ac prouidentia præditos, aduerſus Tyrannorum ſæuitiam, atque hæreticorum iniquitatem excitarit, qui ſuo ſanguine fidem Catholicam decoratam, ac vitæ integritate, doctrinis, virtutibus, & miraculis confirmatam latiſſimè propagarunt. Ac ſuperioribus quidem ſæculis ex glorioſi Patris S. Dominici familia B. Raymundus à Peniafort Barcinonenſis extitit, qui amator veræ ſapientiæ, quæ nunquam marceſcit, ſpretis omnibus diuitijs, dives factus eſt in gratia Dei, quæ data eſt in Chriſto Ieſu in omni verbo, & ſcientia, dives in humilitate, & virtute, dives in bonis operibus, in quo denique Deus oſtendit abundantes diuitias gratiæ, & gloriæ ſuæ. Nam vocauit eum in partem ſortis Sanctorum, & impleuit agnitione voluntatis ſuæ, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, ita vt plenus Spiritu ſancto, & fide in medio Regum, & Magnatorum ſapientiam loqueretur, non ſapientiam huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſconditа eſt à ſapientibus huius mundi, & reuelata paruulis: nimirum verus Dei miniſter in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quærens, ac myſterium fidei in conſcientia pura fidelibus, & infidelibus ſumma charitate patefaciens, permultos in cæcitate cordis à via ſalutis aberrantes, verbo veritatis, & innocentia vitæ in rectam mandatorum Dei ſemitam traduxit, & aduerſus hæreticorum impetum, & audaciam ſe tanquam murum fortiſſimum & inexpugnabilem oppoſuit. Inſuper Deus qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, dedit ei gratiam curationum, ac ſanctitatem eius, in virtute Spiritus ſancti, per ſigna & prodigia, cum in eius vita, tùm poſt obitum ita manifeſtauit, vt eius gloria per ampliſſima Hiſpaniarum regna permanârit. Hæc enim eſt ſumma Dei benignitas, qua ſanctos ſuos, qui in contemptione honorum, in omni rerum humanarum deſpicientia, & in cruce Chriſti Domini noſtri gloriantes in hac vita eius laudem, & honorem amplificârunt, nunc eoſdem glorificans, à quibus ipſe glorificatus eſt, veluti quadam viciſſitudine honoris, omnium bonorum fælicitate in cælis remunerat, & tribuit eis nomen ſempiternum, quod nunquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum eiuſmodi homines auerſos ab honoribus, in tribulationibus, in anguſtijs tantam adeptam eſſe gloriam videamus, vt ſua tenuitate, & humilitate omnium Regum amplitudinem, omnem huius mundi exiſtimationem, & dignitatem longè ſuperarint. Nam diuerſæ ſunt viæ Dei à vijs hominum, qui in vanis cogitationibus, & curis inanibus occupati loquuntur ſublimia gloriantes; Deus autem ſedes Ducum ſuperborum deſtruxit, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra, memoriam verò humilium ſenſu reliquit, & maximis honoribus, ampliſſimisque monumentis conſecrauit. Quare B. Raymundum meritò laudamus, & Deum in eo benedicimus, qui ſingularibus gratiarum donis, & ſummis virtutibus eum ornauit; de cuius vita, morum ſanctimonia, fidei puritate, & admirabilium ſignorum multitudine pauca ſolum ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem proponimus, vt omnes intelligant quibus tandem illè gradibus in cœlum aſcenderit, ac Deo gratias immortales agant, eius nomen in Eccleſia Dei publico hoc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ decreto, numero Sanctorum fuiſſe adſcriptum.

Ephes. 2. 2. Cor 1. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Ephes 4. Rom. 8. 2. Tim 2. Heb. 11. 1. Cor. 12. Ephes. 6. Matth. 7. Matth. 10. Matth. 18. Eccleſ. 44. Sap 6. 2. Corinth. 1. Iacob 1. 1. Timoth. 6. Coloſſ 1. Act. 10 Eccleſ 39. 1. Corinth 2. Matth 11. 2 Corinth 6. 1 Timoth 3. Pſal 118. Pſal 67. Cor. 12. Rom 15. Galat 6. 1. Reg 2. 2. Corinth 6 Iſa 55. 1. Reg. 2. Eccleſ. 10.

[b] B. Raymũdi à Peniafort origo. [c] Studium. [d] Progreſſus in literis. Matth. 25. [e] Bononiam proficiſcitur.

I.

BEATVS [b] Raymundus Barcinonenſis ex nobili familia de Peniafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Chriſtianæ rudimentus imbutus iam magnum aliquid portendere videbatur, cum eſſet eximia corporis, & animæ indole, & [c] naturæ quodam inſtinctu ad veritatem, & pietatẽ in dies magis propenderet. Adoleſcens [d] humaniores literas tam auidè arripuit, vt exiguo tempore maximos progreſſus fecerit, & eas artes quas planè didicerat, Deo iuuante, ſumma cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit. Atque vt è talentis ſibi à Domino concreditis lucrum faceret ampliſſimum, [e] Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium, & diſciplinarum emporium profectus eſt, vbi tempus ſibi ad negotiationem ſapientiæ datum non inſumpſit in vanis & carnalibus deſiderijs, quibus

ætas

ætas illa iuuenilis à studio virtutis abripi sæpè solet, sed pietatis officijs, ac Pontificio, ciuilique iuri toto pectore incubuit, ac [a] tandem Doctoris laurea, cæterisque doctrinæ insignibus decoratus, sacros [b] Canones publicè magna cùm hominum admiratione absque vllo stipendio est interpretatus; cui posteà cum Senatus Bononiensis ob præclaram eius eruditionem honorarium ex ære publico decreuisset, ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi à senatu pecuniæ, omniumque rerum, quas sua industria comparasset, DEO in primis, ac suo Paracho Decimas fideliter offerebat. Quo in munere docendi cum aliquot annis egregiam nauasset operam, & iam eius eruditionis fama per Italiam increbuisset, Berengarius Barcinonensis Episcopus eius virtutibus, ac scientia permotus, Româ suam ad Ecclesiam rediens, Bononiam iter instituit, vbi beatum Raymundum conuenit, ac multis vltrò, citroque sermonibus habitis, Berengarius virum admiratus, ac secùm ipse reputans cum ingenti Ecclesiæ suæ ornamento, & vtilitati futurum, vehementer institit, vt secùm ad [c] Ecclesiam Barcinonensem, vbi educatus fuerat, reuerteretur; quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit, quem etiam aliquantò post eiusdem [d] Ecclesiæ Canonicatu, & quadam Præpositura addita ornauit. Hoc beneficio, & dignitate auctus, omnibus Canonicis, & vniuerso illius ciuitatis populo integritatis, ac doctrinæ splendore præfulgebat, eratque tanta eius in omni gestu, motuque corporis modestia, & totius vitæ consuetudine suauitas, vt omnium ætatum atque ordinum homines in amorem sui raperet, & admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur, eiusque honorem, ac cultum pro viribus semper auxit. Nam cum [e] festus Annunciationis eiusdem Virginis dies ea in Ecclesia minùs celebris haberetur, ipse ab Episcopo, & Capitulo impetrauit, vt duplici ritu solèniter perpetuò coleretur, atque ex Præposituræ suæ redditibus censum annuum attribuit Canonicis in distributiones erogandum, qui sacris officijs eo die interessent.

[a] Creatur Doctor.
[b] Publicè docet canones.
[c] Redit Barcinonem.
[d] Creat' Canonic⁹ Barcinonensis.
[e] Annunciationis B. Mar. festū solemniter celebrari curat.

II. MAGNAM [f] hac ratione apud omnes auctoritatem, & sanctitatis opinionem sibi conciliârat, totiusque ciuitatis oculos, animosque omnium, ac præcipuè Præiatorum, & Principum in se conuerterat, cum inanem mundi gloriam instar fœni arescentis decusso flore marcescentem apud se ipse contemnens, ad sublimiorem vitæ statum aspiraret. Venerant tunc in eam vrbem recenter Fratres Ordin. Prædicat. qui Apostolicum in morem Euangelio Christi prædicando populum docebant, & ad cultum Dei, studiumq; pietatis incitabant, quorum vsu, & consuetudine primùm delectari B. Raymundus; deinde etiam ad idem vitæ institutum amplectendum vehementer cœpit inflammari; neq; anceps difficilisvè cogitatio fuit. Nam inclinatum eius animum & in via salutis ambulantem speciosi illi pedes Euangelizantium in montem Domini, perfectionis nimirùm Euangelicæ apicem facilè deduxerunt.

[f] Magna fuit apud oēs B. Raymun. auctoritas, & sanctitatis opinio. *Isaiæ* 40. *Roman* 10. *Psalm.* 54.

III. ITAQVE iam matura ætate annum circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus, spretisq; omnibus diuitijs, assumpsit pennas, vt columbæ, atq; in requiem Domini euolans, in [g] Ordine Fratrū Prædic. solemnem professionem emisit: Quod vt omnibus admirationi fuit hominem genere nobilem, doctrina præstantem, affluentem bonis, dignitate & fama celebrem, suscepto [h] religiosæ vitæ instituto, spontaneam paupertatem opibus, suisque contemptum honoribus, & commodis prætulisse; ita eius exemplo complures literati, ac studio, doctrinisqueediti nobiles viri eundem ordinem sunt amplexi, ac propterea magnum ea religio in dicta ciuitate suscepit incrementum.

[g] Ordinem Prædicat. ingreditur.
[h] Causam cur Monachus factus sit hanc refert Fr. Leander Albertus; quod scil adolescenti plurimis rationib. religionis ingressum desuasisset.

IV. HIC iam nouus Christi miles aduersus humani generis hostem fortiter dimicare apud se statuens, ac turrim æternæ salutis, ædificans, vt sapiens architectus, humilitatis [i] religiosæ, quæ cæterarum est parēs, custosq; virtutum, fundamenta iacere decreuit. Itaq; etsi omnibus eruditione, & prudentia antecellebat, hoc tamen ipso dimissius sentire de se, alijs omnia, sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, deniq; libentiùs delitescere, quàm in lucem prodire cōsueuerat, cuius ille virtute tenacissimùs in omni vita fuit: & [k] quoniam obedientia humilitatis vita est, ad hanc tuendam, atq; conseruandam, exemplo mediatoris, & Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, vir iustus die ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto propriæ voluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo vitam cum Christo in Deo absconderat, ac totus à superiorum nutu pendebat. Beatam [l] paupertatem regni cœlorum præmio dignam, & Christi ore laudatam, toto pectore amplexus est, ac eam veluti fraternæ pacis fundamentum, munditiam vitę, curarum huius mundi abdicationem, proximam quasi, & compendiariam ad Deum viam studiosissimè semper coluit, ac semetipsum tanquàm aurum igni probatum in camino paupertatis expurgabat. Castitatis, [m] q̄ cœlestis & angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctos lumbos, & lucernā boni operis in manibus habens, eam infictili corporis sui vase in sanctificatione, & honore portans, incorruptam, & integram vsq; ad extremum vitę diem conseruauit, & qua erat in Dei matrem & intemeratam virginem Mariam pietate, in cuius fidem, & clientelam se iamdiù ante contulerat, nullum firmius ad dæmonis vires conterendas, quàm eiusdem virginis [n] præsidium inueniri posse certum, exploratumq; habens, eius patrocinium assiduè inuocabat, ac tantus eius erat in oratione feruor, & perseuerantia, vt ex varijs occupationib. se ipse frequenter colligens sederet solitarius, & leuans se super se diuinæ contemplationi vacaret, in qua cœlestes planè spiritus hauriebat, & de fontib. Saluatoris aquas sapientiæ salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ suæ actiones irrigabat, vt flumina aquæ viuæ de ventre eius in aliorum vtilitatem promanarent.

[i] Præcipuas Religiosor. virtutes amplectitur.
[k] Humilitatis fuit obseruantissimus.
[l] Paupertatem toto pectore amplexus est.
[m] Castitatis amantissimus fuit.
[n] B. Mariam virginem assiduè inuocabat.

Mat. 11. 1. Cor. 3. *1. Tim. Phil. 2. Prou. 15. Col. 3.* *Isa. 48. 2. Cor. 4. 1. Pet. 1. Luc. 12. 1. Cor. 4. 1. Thes.* *Tirem. 3. Ioan. 12. Ioan. 7.*

V. IN [o] pauperes, ac præcipuè captiuos dura seruitute ab infidelibus detentos propensissimus erat, nullumq; officij genus vnquàm prætermisit, quo eos liberari posse existimaret, quorum hoc etiam maiorē curam, & solicitudinem gerendam esse censebat, quò in grauiori periculo Christianæ fidei abiurandæ, & amittendæ salutis æternæ versarentur. Cum itaq; eius hortatu Petrus Nolascus natione Gallus, cuius confessiones B. Raymund. audiebat, vir opibus florens, & insigni pietate præditus, ad inopes alendos, & maximè ad captiuos ex Barbaror. vinculis redimendos, suas copias & opes magna cum alacritate ac libenti animo conferret, egregium pij, ac liberalis animi officium pro sua infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte insequente beatiss. Virgo Dei mater eidem Petro, qui sanctis meditationibus, & orationi vacans cogitabat, qua ratione calamitatib. Christianorū in captiuitate degentium succurri posset, serena fronte & cōspiciendam dedit, & acceptissimū sibi, ac vnigenito suo filio fore dixit, si suum in honorē instituerētur Ordo Religiosor. quibus cura incumberet captiuos è tyrannide Turcar. liberandi: ac illa ipsa nocte eadē virgo sanctiss. B. Raymundo, & Iacobo I. Aragoniæ regi apparuit, id ipsum de religiosis admonens. Quare hi collatis inter se cōsilijs, & consentientibus [p] animis ordinem B. Mar. de Misericordia, seu de Mercede redemptionis captiuorum fundauerunt: cui B. Raymund. certas viuendi leges conscripsit ad istius ordin. vocationem accommodatissimas, quarū approbationem aliquot annis post à fel. rec. Gregor. IX. prædecessore nostro impetrauit, & dictum Petr. qui eid. ordini omnia sua prompte dederat, primum et Generalem Ord. Magistrum suis ipse manibus, habitu eodem indutum creauit.

[o] Pauperū & captiuorum præcipuè curam gerebat.
[p] Ordinis Redemptionis captiuorum statuta & leges ædidit, & primū Magist. Generalem creauit.

VI. HÆC B. Raymundus, quæ ad vnius Dei gloriam, & proximi vtilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat, tamen ardentem illius in egenos charitatem, & vitæ sanctimoniam iam vbique fama vulgauerat, & sanctæ illius doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem [q] bonæ memoriæ Ioan. Cardinalis Episcopus Sabiensis eruditionis, & pietatis laude clarissimus ab eodem Gregor. IX. prædecessore nostro in Hispaniam ad crucem aduersus Saracenos prædicandam, aliaque Sedis Apostolicæ negotia pertractanda Legatus de latere missus multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adiutorem.

[q] Cum Ioanne Card. Episc. Sabinensi in Hispaniā proficiscitur.

VII. QVO in munere B. Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate, & charitate versatus est, vt omnibus esset bonus odor Christi ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, & iam ætate prouectus, multisq; virtutibus cumula- *1. Corinth. 2.*

Ephes 6. cumulatus magna apud omnes auctoritate polleret; in quo tamen longinquo & difficillimo itinere nullis vnquam ab eo precibus obtineri potuit, vt equo veheretur, sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationẽ Euangelij pacis, & assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter suis comitatus socijs pedibus faciebat, & Cardinalẽ, quò *Luc. 1.* erat venturus præuertens, quasi viam ante faciem eius in benedictione præparans. Euangelio Christi prædicando permultos, adiuuante Dño, ad arctam salutis semitam à via lata, & spatiosa traducebat, & confessiones audiendo, à censuris & à peccatorum nexibus liberabat. Quodq; omnib. mirum fuit, toto illo itinere, nihil vnquàm de solita ciborum abstinentia, vigilijs, ieiunijs, precationibus, totiusq; religionis seueritate remisit, sed obseruantissimus constitutionum sui ordin. ne latum quidem vnguẽ ab illius statutis, & legibus discedebat. Quare suspiciebant ipsum vniuersi, colebant omnes, Iohannes Cardinalis summoperè diligebat, qui perfuctus legatione ad vrbem rediens, cum Beatum Raymun-

[a] A Gregor. IX vocatus Romam venit.

dum vnà secum adducere decreuisset, nunquàm id tamen ab eo potuit impetrare: sed [a] cum ad eundem Gregorium IX. prædecessorem nostrum, de rebus legationis referret, tàm multa, eaq́ue præclara de huius Beati viri virtutibus dixit, vt idem Gregorius prædecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se confestim euocârit, cuius ille dicto audiens, quanquam religiosæ quietis auidissimus, Romam venit.

[b] Ab eodem Capellanus & Pœnitentiarius constituitur.

[c] Pater pauperum appellatur.

[d] Decretales in ordinẽ redigit.

EXCEPIT [b] eum amanter, & benignè prædictus Gregorius prædecessor, ac breui perspectis, & exploratis eius animi dotibus, summisq; virtutibus, Capellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc est causarum Palatij Apostolici Auditorum, & Pœnitentiarij dignitate ornauit, ac tanti semper fecit, vt non nisi adhibito eius consilio graviores causas tractaret: quem cum etiam à sacris sibi confessionibus præfecisset, is, qua erat in egenos charitate, pœnitentiæ loco illi iniungebat, vt inopum preces, & iustas petitiones statim audiret, eorumq; negotia expediret, & quàm citissimè conficeret; quare ab eodem Gregor. prædecessore Pater pauperum est appellatus. Decreta [c] Roman. Pontif. quo quæque tempore condita erant, diuersis in Epistolis, & Concilijs sparsis, quæ obscuritatem & incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, & maximè studentium vtilitatem, in ordinem, & compendium redigi iamdiu omnibus ferè placuerat, sed tanto operi vir idoneus quærebatur. Itaq; [d] Gregor. prædecessor B. Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit, quod tandem ipse ingenti labore trium annor. spatio fæliciter absoluit, quemadmodum in ipso Decretaliũ proœmio grauissimo eiusdem Gregorij testimonio est comprobatum. VIII.

[e] Archiepiscopatum Taraconen. semrecusat.

HISCE lucubrationibus, & assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis euagationem, & inanis gloriæ cupiditatem se ipse tuebatur diligentissimè. Quare oblatos etiam honores, & ampliſſimas Ecclesiarum cathedras omni conatu repudiauit. Nam [e] cum Gregor. Archiepiscopatum Tarraconens. ei deferre decreuisset, id ille adeò grauiter, & molestè tulit, vt illicò febri correptus aliquot dies ingenti corporis, animiq́ue dolore torqueretur. Itaq; ab huius mundi gloria alieniſſimus omni ope contendit, vt eam à se dignitatem auerteret: quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus, & quorundam Cardinalium auctoritate, eiusdem Gregorij prædecessoris animum ita inflexit, vt illius Ecclesiæ onus in ipsum transtulerit, quem ei muneri beatus Raymundus aptissimum esse iudicauit. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo iuri redditus, gratijs Deo peractis, ad solitos labores sese contulit, quorum tandem magnitudine, & diuturnitate confectus, in tam grauem morbum incidit, vt illi certam mortem medici denunciarent, nisi patrium solum repeteret. Itaque dimisso confessarij eiusdem Gregorij prædecessoris munere, & [f] obtenta abeundi facultate Barcinonam redijt, atque ita redijt, vt eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum, & illæsum, quo imbutus ad vrbem venerat, in patriam reportârit. IX.

[f] Barcinonã redit.

1 Corint 12.

[g] B Raymũdo data gratia sanitatũ & operatio virtutum. *Ephes 2.*

[h] Barcelo de Faro semimortuus B Raymundi precibus, vitam quæ satis fuit ad confitendũ peccata obtinet.

[i] B Raymũdus Pœnitẽtiarij munere sponte se abdicat.

VIX ab vrbe recesserat, cum statim ei diuinitus per spiritum data est gratia sanitatum, atque [g] operatio virtutum. Nam cùm ad eum Cathaloniæ portum, quem Tossa vocant, appulisset, aduectum ad se leui cymbâ quendam eius loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in messem incumberet, adeò graui & repentino correptus erat morbo, vt statim omnibus orbatus sensibus, nullos neque clamores, neque admotos corpori stimulos perciperet, sed humi iacens exanimis, mortuus esse crederetur) Beatus vir miseratus, Deum, qui diues est in misericordia, ardentissimè est deprecatus, vt ei vitam, quæ [h] satis esset ad confitendum peccata, produceret: tùm magna fide in Deum nixus infirmum proprio compellans nomine rogauit, an vellet peccatorum sordes sacra confessione diluere? Confestim ille velut è somno excitatus oculos sustulit, receptoq́ue vocis vsu, id velle se, ac vehementer optare dixit; & confessione facta atque exonerata peccatorum conscientia, perceptaq; absolutione nihil ampliùs elocutus spiritum Deo reddidit: Id circumstantes admirati glorificauerunt Deum, quod talem hominibus dedisset potestatem. X. *Matt 9.*

ATQVE vbi Barcinonem appulit, confirmatis paululùm viribus, statim ad res diuinas, & cœlestes contemplandas animum adiecit. Eius verò Barcenonem aduentus simulatq́ue per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri cœptus est partim visendi gratia, partim consulendi (nam Pœnitentiarij potestatem concessu eiusdem Gregorij, etiam ab vrbe absens exercebat) quos omnes consolabatur in Domino, & spiritualibus monitis mirificè recreabat, eius enim scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat, & consilium eius, sicut fons vitæ salutem animæ plurimis afferebat. Hac [i] autem Pœnitentiarij potestate, quo liberius Deo, sibiq́ue vacaret, sponte se abdicauit, quamquam eius etiam absentis opera idem Gregorius prædecessor, cæteriq; Romani Pontifices, qui eum sequuti sunt prædecessores item nostri vtebantur, vt ex ipsorum literis facilè constat, quibus ei grauissima negotia committebant. Conscripsit etiam summam casuum conscientiæ, qui solent in foro pœnitentiæ frequenter occurrere, magnæ doctrinæ, atq; auctoritatis, & tam confessarijs quam confitentibus valdè vtilem, & necessariam. XI.

† Germani enim Albertum Magn. Gall. Hugonem de S. Theodorico vt F. Alb. habet elegerant.

[k] Magister Generalis Ord. Præd. declaratur anno 1238.

[l] Biennio elapso mag. stratu sponte se abdicat.

[m] Iacobo I. Regi Aragoniæ vt

DVM sacris & suauibus hisce studijs, & iuuandi proximi occupationibus distineretur, anno humanæ salutis millesimo ducentesimo trigesimo octauo Iordanus eiusdem Ordinis secundus Generalis Magister, ex hac vita excessit. Quare nouo Generali Magistro deligendo Capitulum Generale Bononiæ est congregatum, vbi cum † dissidentibus sententijs non satis Patribus inter se conueniret, ad S. Dominici corpus preces indictæ sunt, atq; inde ad suffragia ventum, quibus omnibus, nullo penitus refragante, Beatus [k] Raymundus absens Generalis Magister est declaratus, cuius ille rei nuncio perculsus, atque animo perturbatus primum repugnare vehementer cœpit; sed prouectioribus ætate, ac sapientia Patribus Bononia Barcinonam aduentantibus, qui eam omnium, & Dei voluntatem esse confirmârunt, ægrè tandem acquieuit, ac magistratum iniit. Itaque aliorum precibus, & auctoritate victus animum ad regendam eam familiam adiecit, quàm cum integro biennio sanctissimè, & magna cùm laude administrasset, facto, ipso postulâte superiore anno, ex cõmuni Patrum sententia decreto, vt liceret Magistro Generali officium Magisterij renunciare, proximo insequente Capitulo Bononiæ item habito affectam ætatem, infirmamq́ue valetudinem incusans, pristinæ nimirum quietis, vitæq́ue priuatæ auidissimus, Magistratu [l] mœrentibus omnibus sponte se abdicauit, quò veluti onere deposito, lætus, & alacer ad consuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi studium se quàm diligentissimè retulit, ac nihil vnquàm antiquius habuit, quàm vt religionem Catholicam longè, lateq́ue propagaret, & pro viribus ab hæresum labe vindicaret. XII.

QVAMOBREM [m] cla.me. Iacobo Regi Aragoniæ eius nominis primo in primis suasit, vt sacrum Inquisitionis officium suis in regnis institueret, ad hæresim, videlicet, quæ tunc ex nefaria Valdensium secta recenter exorta erat, omnesq́ue XIII.

officium Inquisitionis in suis regnis instituueret, suasit,

nesque alias procul à finibus eius regni arcendas, atq; hanc ob causam Concilio Prouinciali Tarracone aduersus eosdem sectarios habito, iussu ipsius Iacobi Regis interfuit.

XIV. SVB[a] idem verò tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniæ ciuitates, & finitimas insulas impia sui generis stirpe iultò ante infecerant, armata manu vehementer etiam infestabant, quibus vt in suis regnis Euangelium Christi prædicaretur, eidem Iacobo regi auctor fuit. Hunc[b] etiam ad maiorem insulam ex Balearibus proficiscentem eius rogatu comitatus est, tum vt ei à sacris confessionibus esset, tum etiam, vt verbo DEI prædicando, fideique Catholicæ mysterijs explicandis, Hebræos & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam religionem adduceret; vbi cum idem Iacobus Rex vesano amore captus, cuiusdam fœminæ cõsuetudine vteretur, B. Raymundus, qua erat dicendi libertate, ac prudentia, illum blandè primùm sermone ab ea conatus est reuocare; verùm vbi se nihil proficere animaduertit, tùm orare, proq; sua in Deum fide precibus omnibus cœpit obtestari, ne ob exiguam corporis voluptatem malè se ipsum perderet: sed neq; preces quidquam profuêre. Hic tùm B. Raymundus animi dubius, & incertus, quo se verteret, consulto tandem precibus diuino numine, statuit nihil grauius sibi faciendum, quàm vt ex insula discederet, ne libidinem eiusdem Iacobi Regis, quàm ferre ampliùs non poterat, probare sua præsentia videretur. Itaque eum adijt, serioq; ac seuere admonitum suæ voluntatis certiorem fecit; Iacobus verò Rex eius apud se retinendi cupidus, nautas omnes præmoneri iussit, atq; capitali edicto prohiberi, ne vllus eum traijceret. Interim ignarus eiusce consilij B. Raymundus in portum perrexit, vbi ab omnibus nauicularibus communi consensu reiectus, cognita Iacobi Regis voluntate, in portum Sollar profectus est, itineris sui comite hoc vnum firmissimè asseuerans ibi æternum Regem sibi non defuturum; at cùm neq; in eo portu à nautis admitteretur, id secùm ipse demiratus, hoc magna fide pronunciauit, Regem quidem mortalem ita statuisse, sed Regem æternum aliter prouisurum. Itaq;[c] omnibus in litore salutatis, per quasdam rupes, & prærupta saxa in mare porrecta aliquantulum progressus in mare descendit, ac socium allocutus, videbis, inquit, quemadmodùm Deus optimam nauem prouidebit. Quare fiduciæ plenus, expanso super aquis pallio, reductaq; eius ora instar veli ad baculum, quo tanquam malo vteretur, Dei opem inuocans, ac signo crucis se muniens, relicto in insula suo modicæ fidei, ac dubitantis socio, mari se commisit, ac leni prosperoq; inflante vento, perambulans semitas maris, ac benedicens Deum, qui dominatur potestati eius, centum sexaginta miliaria sex horis confecit, omnibusque circum litora insolitum nauigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit, vbi resumpto pallio, quod ne quidem aqua perfusum erat, ad Monasterium sui Ordinis sub meridem se contulit, quodque non minùs admirandum est, ianuis clausis illud ingressus, populi acclamationes euitans, ad gratias Deo peragendas in templum secessit, cuius rei fama totam vrbem, finesque illius breui peruasit. Auxit etiam huius miraculi magnitudinem eiusdem Iacobi Regis emendatio subsecuta. Extant autem vsque in hunc diem vestigia turris, & capellæ eo in loco, ex quo in mare descenderat; extructæ, atque ipsum etiam pallium, vt continuata apud eos populos traditione receptum est, cuius contactu multi à varijs corporis infirmitatibus quotidiè liberantur.

[a] Vt Saracenis Euangelium prædicaretur eidẽ Iacobo regi auctor fuit.

[b] Vna cum eodem ad maiorẽ insulã ex Balearib. proficiscitur.

[c] Miraculũ transfretationis B. Raymundi.

Matth. 14. *Psal.* 8. *Psal.* 88.

XV. IN procuranda Hebræorum & Saracenorum salute, magno charitatis ardore semper incensus fuit, omnemque operã dedit ad eos fidei Christianæ documentis excolendos, ac pro viribus adiuuandos, quòd vt ei faciliùs esset, [d] Seminarium, in quo nonnulli sui Ordinis religiosi Hebraico, & Arabico sermone erudirentur, Castellæ, & Aragoniæ Regum impensis instituit, quod opus toti Hispaniæ ornamento atque infidelibus adiumento fuisse ex eo satis constat, quod illius ope, atque auxilio ingens eorum multitudo Christianam religionem amplexa sit. Neophytos[e] non minori charitate doctrinæ Christianæ præceptionibus imbuebat, atque tam assiduus erat in illis instituendis, vt eorum parens esse videretur, & ne alimenta eis ad vitam necessaria deessent, vndiq; eleëmosynas corrogabat.

[d] Seminatiũ in quo sui ordinis Religiosi Hebraico & Arabico sermone erudientur instituit.

[e] Neophitorum curam suscepit.

XVI. DE rebus dubijs sæpè consultus, singulari prudentia, ac diuina planè sapientia omnibus respondebat, atque inter cætera beneficia, quæ accepit hoc præcipuè donum à Deo est consecutus, vt eos, quibus cum ageret, mira consuetudinis suæ dulcedine, ac voluptate perfunderet.

XVII. ORANDI[f] contemplandique summam diuturno vsu adeptus est facultatem; nam etsi varijs, grauibusque negotijs distineretur; tamen vbi se ad orationem composuerat, tanta subitò diuini spiritus suauitate rapiebatur, vt omnium rerum mortalium cura exutus esse videretur, ac sæpè intempesta nocte clam obseruatus est in secretiori templi recessu, tam crebrà, altaq; suspiria inter orandum edere, vt audientes ad lachrymas commoueret. In diuinis officijs erat assiduus, atq; incredibilem psallendo capiebat voluptatem.

[f] Orandi cõ templandique summã adeptus est facultatem

XVIX. SACROSANCTVM[g] Missæ sacrificium ferè quotidiè celebrabat; quanta verò esset eius in sacrificando animi puritas, ac deuotionis feruor, vel ex eo facilè existimari potest, quod astantes ex eius solo aspectu ad orationem incitarentur, ac petita à Deo Patre misericordiarum beneficia, eius precibus impetrarent.

2. Cor. 1.

[g] Magna ei⁹ fuit in sacrificando animi puritas & deuotionis feruor.

XIX. NAM[h] Frater Martinus eiusdem Ordinis conuersus, cum antequam suaui se Christi iugo subijceret, voluptatibus carnis liberiùs indulsisset, ac tunc earum rerum, quibus ante assueuerat, recordatione suique corporis illecebris, quasi quibusdam stimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem huius tentationis propulsandæ spem in Beati Raymundi meritis collocauit. Igitur eius sacrificijs sæpè interesse ac summis precibus à Deo flagitare cœpit, vt tanto suo malo remedium aliquod afferret, quod dum perseueranter peteret, quodam die ex manibus B. Raymundi celebrandis, ac sacram hostiam populo ostendentis, Christus Dominus sub augustissima pueri specie clarissima luce radiantis spectandum ei se præbuit, quo viso tanto est repentè gaudio delibutus, vt ex eo tempore ad extremum vsque diem, diuina gratia, & bonitate, ab omni concupiscentiæ carnis commotione fuerit præseruatus.

[h] F. Martin. celebrante B Raymun. in eleuatione sacræ hostię Christũ in pueri specie vidit & à concupiscẽtia carnis ꝑseruat⁹ fuit.

XX. GVM[i] cœlestis militiæ angelo tanta inerat ei familiaritas, & amicitia, quæ maximum est puritatis & sanctimoniæ argumentum, vt ab eo frequenter ad orandum, à somno excitatus inuitaretur.

[i] B Raymũdi familiaritas cum Angelo.

XXI. CIBI potusq; parcissimus fuit, totam[k] enim hebdomadam, excepto die Dominico ieiunabat: nullum vnquàm in eo contumaciæ vel arrogantiæ vestigium animaduerti potuit, quinimò lenitate & patientia fuit maxima, & in Deum tanta charitate, vt eius amore omnia arbitratus sit vt stercora, ex qua etiam egregia illa in proximos charitas redundabat.

Phil. 3.

[k] Totã hebdomadam die Domini co excepto ieiunabat.

XXII. OMNIBVS[l] demum virtutibus cumulatissimus, deuexa iam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia, expectans Dominum, vt ad cœlestes nuptias ab eo vocaretur. Igitur annos ferè centum natus cupiens dissolui, & esse cum Christo, in lethalem morbum incidit, atque Sacramentis omnibus rite munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso[m] die Epiphaniæ Barcinone obdormiuit in Domino salutis humanæ anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

[l] Eius virtutes.

[m] Moritur Barcinonæ An. 1275.

XXIII VVLGATA eius morte ingens hominum concursus ad monasterium videndi causa repentè factus est, ac tanta fuit sanctitatis eius apud omnes opinio, vt multi Epi, complures Prælati ac nobiles viri, clerus ẽt & populus Barcinonensis vniuersus, funus eius suma doloris significatione sint prosecuti: Cõmunem verò illius sanctitatis famam auctoritate sua magnopere auxerũt, [n] Alphonsus Castellæ, & Iacob. Aragon. reges, qui ad eius exequias suâ ꝑsentiâ cohonestandas, comitantib. filijs, ac domesticis omnib. suma cum veneratione, & fama sanctitatis beati hui⁹ viri cõuenerunt, itaque

[n] Alphonsus Castiliæ & Iacob.

Aragoniæ Reges eius exequias sua præsentia cohonestarunt.

itaq; corpus eius magno totius ciuitatis luctu, ac principum virorum dolore honorificè humatum est, quod paucis annis pòst in sepulchrum marmoreum translatum fuit. Barcinonensis populus B. Raymundo vitâ functo, quasi totius patriæ lumine extincto, mœrore afflictus grauiter agebatur, atq; ob recentem virtutum eius, ac beneficiorum memoriam eo carere omnibus acerbissimum erat; sed pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui secundum multitudinem dolorum, consolationibus suis timentium se corda lætificat, B. Raymundi meritis beneficia in omnes conferendo plebem suam mirificè recreauit. Nam [a] fidelissimi huius serui integritatem, & sanctimoniam multis quidem in vita miraculis claram, pluribus signis post obitum ingenti omnium lætitia comprobauit.

2. Corint. 1. Psal 93.

[a] Miracula post mortẽ S. Raymun.

XXIV. ATQVE vt omnes intelligerent, quàm Deo placita esset anima eius, eo ipso tempore, quo ex hac vita migrauit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum. Erat [b] in ea ciuitate Guillelmus de Villaragut, qui inueterata corporis lepra grauiter laborat, neque eum fœditas morbi, doloriſvè acerbitas in publicum prodire, solitasque exercitationes & negotia obire patiebatur. Medici adhibitis frustra medicamentis omnibus, deplorata re animum desponderant; ipse verò, Deo ita disponente, qui sanctum suum clarificaturus erat, in ædes quasdam monasterio Ordinis Prædicatorum vicinas, ea ipsa nocte, qua B. Raymundus excessit è vita, diuerterat, vbi cum grauissimo elephantiæ dolore torqueretur, à pio quodam viro Bernardo de Molendinis nuncupato, canonico Barcinonensi admonitus est, vt B. Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret, quod ille recuperandæ valetudinis cupidissimus simulatq; diligenter præstitit, confestim omnis lepra ex eius membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit, in cuius rei signum, & accepti beneficij memoriam idem Guillelmus monumento suspenso in templo, rem omnibus testatam esse voluit, & posteritatis memoriæ commendauit.

[b] Guillel à Villaragut precibus B Raymundi porrectis mundatur à lepra.

XXV. ILLVD verò maximum est eius sanctitatis argumentum, quod mortuos etiam ad vitam reuocârit. Nam [c] quædam puella Margarita nomine Ioannis Physici filia, quatuor, aut circiter annos nata, diuturna febri, continuisque alui fluxionibus exhausta diem obierat extremum, eamque verè mortuam esse pallor ipse vultus, contractæ nares, oculi extincti, horridi dentes, cæteraque indicia confirmabant; quin & idem Ioannes pater medicæ artis expertissimus asseruit omnia mortis, nulla vitæ vestigia in eius corpore extitisse; honesta interim mulier Romea eiusdem Margaritæ mater, quæ paulò ante ad Beati Raymundi sepulchrum accesserat, & auxilium ab eo, filiæque valetudinem precabatur, vbi de morte filiæ certior à Ioanne eius marito facta est, ab eodem sæpiùs domum reuocata fuit: quo illa nuncio perculsa, tanto filiæ recuperandæ desiderio inflammata est, vt neque inde se abituram, neque domum reuersuram affirmaret, nisi Beati huius viri meritis & intercessione Margarita eius filia vitæ restitueretur; itaque lachrymis ac lamentis omnia miscere, & ardentius orationi instare, atq; à Deo per B. viri merita summis precibus flagitare cœpit, vt filiam vitæ, sibique redderet, cuius perseuerantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec spreuit deprecationes eius. Nam sub occasum solis Margarita filia, paulò post meridiem defuncta, non modò vitæ, sed etiam integræ valetudini est penitus restituta, quæ postridiè in templum pedes adijt ad gratias pro tanto beneficio agendas, & decem, & quatuor annos superuixit.

[c] Margarita Ioannis Physici filia mortua vitæ restituitur.

XXVI. ALTERA item honestæ conditionis fœmina. Romea [d] appellata, Michaëlis, videlicet de Sala hominis pij vxor Beati Raymundi opem experta est: nam cùm maturo iam fœtu acerbissimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquos intus recluso corpore, tribus integris diebus, ac noctibus grauissimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quàm vt ex hac vita decederet; nam ob languentis stomachi fastidium, cibos omnes, haustosq; respuebat, atque à sensibus alienata, vocisque vsu priuata iacebat exanimis, quo tam præsenti vxoris suæ periculo prædictus Michaël vehementer animo consternatus ad templum illicò excurrit, B. Raymundi opem, subsidiumq; implorans, qui simul ac domum redijt, Romea fœlicissimè partum edidit atq; omni dolore est liberata.

[d] Romea Michaelis de Sala vxor partu fœliciter edito acerbissimis parturiendi doloribus liberatur

XXVII. PRÆTEREA [e] iuuenis quidam continuos viginti dies acutissima febri agitatus, viribusq; exhaustus in superiorem ædium partem à suis delatus fuerat, vt aura puriore frueretur, animumq; relaxaret, quo ex loco deorsum in lapides, & saxa corruens, ita conuulsus fractusq; membris fuit, vt immotus humi prostratus ab omnibus mortuus esse putaretur. Eò, vt fit, cùm multi videndi, & iuuandi causa accurrissent, astantium quidam pulueres ex B. Raymundi sepulchro desumptos, quos religiosè, ac piè secum gestabat, in iacentis, ac moribundi os iniecit, colloque appendit, atque æger ille continuò valetudini est integræ restitutus. Et illa quidem, aliaq; quàm plurima multo ante tempore contigerunt, hæc verò recentiora sunt.

[e] Iuuenis quidam æger integræ valetudini restituitur.

XXVIII. ANNO millesimo quingentesimo octogesimo nono, cum pestilentia Barcinone grassaretur, atque ingenti hominum clade inualesceret; quidam [f] probus vir Michël Amat appellatus peste mortifera correptus, ad desperata valetudine à medicis destitutus, Sacramentorum, atq; extremæ vnctionis susceptione, ad mortem se comparabat, sensim verò per omnia corporis membra serpente morbo, in eas redactus erat angustias, vt præclusis faucibus amplius loqui nõ posset. Quare intimo cordis & animi affectu B. Raymundum est deprecatus; vt eam à se infirmitatem depelli precibus suis impetraret, qua in oratione B. Raymundum sibi videre visus est, atq; ex manu se contingere, quo ex facto ita omni repente morbo leuatus est, vt eodem ipso die conualuerit.

[f] Michael Amat peste correptus, omni morbo liberatur.

XXIX. HOC aliquanto recentius est. Nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto; pia [g] quædam mulier Anna Beneta vocata, Barcinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniæ festo copioso sanguinis profluuio in summum vitæ periculum adducta erat, neque adhibita medicorum remedia sanguinem vllo modo sistere poterant, neq; ipsa in proximam diem victura putabatur. Quare eorundem hortatu cum sanctissimæ Eucharistiæ, atq; extremæ vnctionis Sacramenta, piè, & deuotè sumpsisset, mortem expectabat. Interim in B. Raymundi præsidium toto animo confugit, ac pulueres ex eius sepulchro ad se deferri, atque in cyatho misceri sibi iussit, quibus epotis melius se habere cœpit, & absq; vllo prorsus alio pharmaco vitæ discrimen euitauit.

[g] Anna Beneta adhibito ex B. Raymundi sepulchro puluere, à profluuio sanguinis curatur.

XXX. ILLVD verò perpetui eiusdem miraculi vim obtinet, quòd [h] ex primo eius sepulchro terra quædam tenuis, seu puluis saluberrimus enascitur, qui licet magna in copia inde exportetur, nunquam tamen deficit, ac multæ, magnæq; corporis infirmitates eo curantur.

[h] Ex eius sepulchro terra quædam tenuis enascitur, qua infirmitates sanãtur.

XXXI. ANNO itidem millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, cùm iudices instituti ad explorandas Beati huius viri reliquias, arcam, vbi erant reconditæ, aperuissent, tantus illicò odor ex eius corpore, qui viuens in odorem suauitatis Deo se consecrârat, exhalauit, vt multi, qui eò confluxerant, nihil eo percipi posse iucundius affirmarent: quinimò egregius vir [i] Ludouicus de Claremunt ex graui morbo sensu odoratus à sexdecim annis orbatus, cum in ea hominum multitudine videndi desiderio incitatus propius accessisset, eum etiam odorem suauissimum sensit, quo repentè ita recreatus est, vt lachrymas præ gaudio continere, nec vllam vocem emittere vllo modo posset: verùm tacitus apud se cogitans dubitabat, num istius solummodo odoris olfactum recuperasset, an etiam rerum aliarum, sed domum reuersus vbi se varios odores percipere animaduertit, miraculum subitò euulgauit. Neque verò hæc odoris fragrantia eo solùm tempore ex eius corpore emanauit, sed [k] aperto quodam eius sepulchri meatu idem suauis odor quandoque afflatur, qui ab ijs sentitur, quos diuina bonitas eo munere dignatur.

Luuit. 8.

[i] Ludouicus à Claremũt odoratus sensum recuperat.

[k] Ex eius sepulchri meatu suauis odor afflatur.

His,

His, pluribusque alijs miraculis, quæ referre longum esset, corda regum inclinata, plurimique Ecclesiarum antistites, & prælati, populiq; integri regni Aragoniæ diuinitus excitati, vna voce, & cõsensu à multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris frequenter petierunt, vt B. Raymundus in Sanctorum numerum referretur. Et quidem quarto ab eius obitu anno, salutis videlicet humanæ, millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Archiepiscopus Tarraconensis, ac decem Episcopi Regni Aragoniæ, multiq; Abbates in Concilio Prouinciali Tarracone congregati literas ad fel. rec. Nicolaum Papam III. prædecessorem nostrum dederunt, quibus singularem eius in Deum charitatem, vitæque innocentiam coram Deo, & hominibus testificati, vt eum breuia virtutum, ac miraculorum eius inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

XXXII. Cvm autem ipse Nicolaus III. prædecessor è vita migrasset, præfecti ciuitatum regni Aragoniæ, & [a] principatus Cathaloniæ, totaque ciuitas Barcinonensis, quin & priores, cæterique fratres Ordinis Prædicatorum, qui eas prouincias incolebant, idem à fel. rec. Bonifacio VIII. etiam prædecessore nostro enixè flagitarunt; verùm ipso Bonifacio prædecessore ab humanis etiam erepto, Concilium [b] Prouinciale Tarracone denuò conuocatum, apud sanctæ mem. Ioannem XXII. prædecessorem etiam nostrum, primam petitionem renouauit: quo tẽpore frater Arnaldus Burguetus Ordinis Prædicatorum Inquisitor, ac Procurator à Capitulo Generali, ad hanc Causam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quæ de hoc Beato viro vulgabantur, examinari curauit. Sed cum per dicti Ioannis prædecessoris obitum res transigi non potuisset, cla. mem. Petrus Aragoniæ rex, datis ad fel. record. Clementem VI. similiter prædecessorem nostrum literis, vehementer institit, vt Beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem diuinæ prouidentiæ sublimitas, quemadmodum in eius literis habebatur, honorare voluerat in excelsis.

XXXIII. Cvm [c] verò huius rei tanta sit grauitas, & magnitudo, vt exiguo tempore perfici non poterit, omnis huius causæ tractatio vsque ad tempora sanctæ mem. Pauli III. similiter prædecessoris nostri fuit intermissa, qui tandem precibus bo. mem. fratris Ioannis à Toleto tituli S. Sixti Cardinalis Burgen. nuncupati inclinatus concessit, vt in omnibus Monasterijs & Ecclesijs, Ordinis Prædicatorum, in Regno Aragoniæ existentibus solemne officium de Beato Ray-
Pij II. mundo celebrari posset. Interiecto autem diuturni temporis interuallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, Beati Raymundi meritis, & intercessione plurima in dies beneficia toti Hispaniæ largiretur; cla. etiam mem. Philippus II. [d] Hispaniarum Rex Catholicus per literas, & per dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba, & Cardona Suessæ Ducem, suum apud nos, & Sedem Apostolicam oratorem supplicauit, vt huic causæ sub tot Romanis Pontificibus inchoatæ, ipsi vellemus finem imponere, quo sanè pio regis studio vehementer sumus recreati. Nam cum ab ipso Pontificatus nostri principio nihil magis, quã Dei gloriam, & Catholicæ religionis exaltationem spectauerimus, gaudebamus in Domino, cum vtramq; hisce regis supplicationẽ promoueri cerneremus. Itaq; vt religioso eius desiderio satisfaceremus, venerabilibus [e] fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis, Sacrorum rituum iniunximus, vt acta omnia quæ prius hac in re cõfecta erant, diligenter inspicerent, & examinarent; Hi autem fuere ex triplici ordine assumpti, venerabiles fratres Episcopi Alphonsus Ostien. Gesualdus, Inicus Aualos Portuen. de Aragona, Gabriel. Sabinen. Paleottus, & dilecti filij nostri Alexander sanctæ Mariæ Transtyberim Medices, Franciscus sancti Petri ad vincula de Gioiosa, Augustinus sancti Marci Veronen. Dominicus sancti Chrysogoni Pinellus, Franciscus Maria sanctæ Mariæ in Ara cœli de Monte, Ascanius sanctæ Pudentianæ titulorum presbyteri Columna, Odoardus sancti Eustachij Farnesius, Antonius Sanctorum Quatuor Coronatorum Facchinettus Diaconi nuncupati S. R. E. Cardinales; coram [f] quibus ritè cõgregatis cum dilectus filius Michaël Llot, sacræ Theologiæ Doctor, frater eiusdem Ordinis Prædicatorum professus, ac Procurator legitimè hac in causa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hanc ipsam causam spectantes protulisset, quia tamen multæ probationes addi poterant, Literæ ad Archiepiscopũ Tarraconensem atque ad Barcinonensem, & Vicen. Epi-
Epist. 4 Cles. 1. scopos cum oportuna facultate missæ sunt, vt alias omnes scripturas & probationes annis superioribus hoc in negotio factas Barcinonæ extraherent, & ea deniq; agerent quæ ad hanc causam requiri videbantur, omniaq; ad nos transmitterent, quæ cum essent omni iure confecta, summaq; auctoritate firmata, & debita cum diligentia, & fide transmissa: Nos [g] tribus viris doctrina & integritate præstantibus, ac vsu peritissimis, Seraphino videl. Oliuario Razzalio Decano, Petro Francisco Gipsio, & Francisco Peniæ Causarum palatij nostri Auditoribus commisimus, vt ea summo studio, quantaq; possent diligentiâ legerent, expenderent, ac totius causæ merita exactissimè ponderarent. Quo in munere cum sedulò & accuratè versarentur, Philip. II. Hispaniarum Rex Catholicus, cuius memoria in benedictione sit, magno in primis nostro, & totius orbis Christiani dolore, ac viam vniuersæ terræ ingressus est. Quare charissimus in Christo filius noster Philip. III. Hispaniarum item Rex Catholicus eius filius non modo regnorum, verùm etiam paternarum virtutum hæres statim à primo regni sui exordio, vt se suaq; omnia in B. Raymundi præsidium, ac patrocinium cõferret, literis, & per eundem Antonium Suessæ Ducem oratorem item suum nobis supplicauit, vt in hac causa progredi vellemus. Idcircò vehementer lætabamur, & benedicebamus Domino, qui pios reges perpetuò suscitat, ad sanctos suos honoribus prosequendos, quos elegit in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.

XXXIV. Cvm [h] igitur prædicti Auditores in discutiendis actis, ac vniuerso processu diuturnam, & assiduam nauassent operam, nihilque eorum, quæ ad hanc rem peragendam pertinent, prætermisissent, omnem rei gestæ seriem, suumque iudicium scripto nobis tradiderunt, quorum integram relationem nos ijsdem Cardinalibus Cõgregationis sacrorum rituum per eos d. Auditores tradi iussimus, atq; vt plurium iudicio tota hæc causa examinaretur, alios et Cardinales prioribus adiunximus, nimirùm dilectos filios nostros Fridericum S. Mariæ Angelorum in Thermis Borromæum, Antonium Mariam S. Agnetis in Agone Gallum, Cæsarem SS. Nerei & Achillæi Baronium, Syluium S. Saluatoris in Lauro titulorum Presbyteros Antonianum, atq; Andream S. Angeli in foro Piscium Perettum Diaconum S.R.E. Cardinales, quos oẽs monuimus, vt acta omnia de B. Raymundi puritate fidei, morũ integritate, ac miraculorum euidentia, tanto studio perpenderent, quantum, & rei grauitas requirebat, & nos meritò expectabamus, qui cum priuatim multisque Congregationibus inter se habitis, dilecto filio Pompeo Molella fisci nostri procuratore semper citato, & partes suas diligenter præstãte, singula rerum capita, & acta omnia sedulò examinassent, ac processum, testes, instrumenta, & huius causæ momenta, cum Auditorum sententijs diligenter contulissent, eoq; adducta essent omnia, vt ad nos referri oporteret, Nos [i] Cõsistorium secretum pro more conuocari iussimus, in quo præfatus Alphonsus Cardinalis Gesualdus, suo, & totius Congregationis nomine, primùm retulit scripturas, processum, omniaque huius causæ acta legitimè confecta esse, ac maximæ auctoritatis, probataq; veritatis vim obtinere; deinde tota B. Raymundi vita, multisq; miraculis enarratis, se, & cæteros dictæ Congregationis Cardinales vna voce, vnaq; mente in eam sententiam venisse dixit, B. Raymundum (si ita nobis videretur) posse Catalogo Sanctorum aggregari; in quorum sententiam cum reliqui Cardinales suo quisq; suffragio ex ordine iuissent, magnam animi voluptatem capiebamus, quòd beati huius viri sanctitatem in dies magis elucere videremur. Atq; vt in hoc grauiss. negotio, nihil de pristina nostra consuetudine, ac debita diligentia remitteremus, nos ipsi acta studiosè, & accuratè perlegimus, atque eorundem Rotæ Auditorum, & venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium relationem veriss imam esse comperimus.

[a] Reges, Episcopi, & populi Aragon. à Rom. Pontif frequenter petierunt vt B. Raymun. in Sanctorũ numerum referretur.

[b] Idem fecêre Archiep. Tarracon. Epis & Abb. in Concil. Tarracon.

[c] Paulus PP. III. cõcessit vt in omnibus Eccles. Ord. Præd. regni Arag. solenne officium de B. Raymundo celebrare posset.

[d] Philip. II. Hisp Rex supplicauit sanctitati suæ, vt causæ huic finẽ vellet imponere.

[e] Sanctitas sua Card. Congr. sacrorum rituum, huiꝰ causæ examinationẽ credidit.

[f] Fr Michael Llot procurator in hac causa, scripturas quasdam ad hanc causam spectantes produxit.

[g] Easdẽ sanctitas sua tribus Rotę auditorib. examinandas cõmisit.

[h] Auditores Rotæ scripto iudicium suum referunt, idque Cardinalib. Congregat. sacrorum rituum examinandum committitur.

[i] Consistorium secretum B. Raymundum q Catalogũ Sanctorum ascribatur, dignum iudicat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

[a] Consistorium publicum à Pontifice indicitur in quo Bernardin[us] Scottus orationem de vita B. Raymundi habuit.

QVARE [a] lapsis paucis post diebus ex Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum instituto Consisto- XXXVI
rium publicum indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, nostriq familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus Consistorialis Aulæ nostrę Aduocatus, eximia beati Raymundi charitate, vitæ innocentia, & miraculis copiosa oratione explicatis, charissimi in CHRISTO filij nostri Rodulphi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi, & eiusdem Philippi Tertij Regis Hispaniarum Catholici, & Principatus Cataloniæ, totiusq; Ordinis Prædicatorum nomine, vt B. Raymundum sanctis adiungere vellemus, à nobis suppliciter flagitauit. Quæ cum audiremus, benedicebamus Domino, & gratias Deo agentes lætabamur præcipuè Philippum III. Regem Catholicum in ipso regnandi principio hunc sibi ad felicem regnorum suorum administrationem patronum tanto ardore postulare. Itaq; [b] respondimus sanctam eius petitionem nobis esse gratissimam, & eam ad Dei gloriam inprimis, & communem totius Christianæ Reip. vtilitatem pertinere, quòd nimirum Deus, qui splendor, & gloria Sanctorum est, in Sanctis suis magis laudatur, & Christi fideles eo facilius diuinæ gratiæ munera, auctis intercessoribus obtinent, quo maior cultus, & honor Sanctis adhibetur. Prætereà singulare regis pietatem commendantes, optare nos pio eius desiderio satisfacere diximus; huius tamen rei tantam esse grauitatem, vt maturius adhuc cum venerabilibus Fratrib. nostris S.R.E. Cardinalibus, & cæteris Episcopis deliberandum esse censeremus. Itaq; omnes eos in Domino hortati sumus, vt omnia quæ ad B. Raymundi vitam, & miracula spectarent, omni studio, & diligentia examinarent: deinde orantes in spiritu, & in ipso vigilantes (q̃ nos facturi eramus, Deum precarentur, vt daret nobis spiritum sapientiæ & reuelationis, quo hæc arcana cælestia, quæ ratione humana comprehendi non possunt, cognosceremus, & illuminaret oculos cordis nostri, vt quid in hac grauissima causa statuendũ esset, deliberare possemus.

[b] Responsio Põtificis ad orationem Bernardini Scotti.

[c] Secretum aliud Consistorium. *Luca* 12. 1. *Timoth* 3

HIS [c] peractis secretum aliud Consistorium indiximus, cui etiam Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui XXXVII
tunc erant in vrbe, ac nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios, nec non Palatij nostri Auditores, & Secretarios voluimus interesse, in quo nos ex gratiæ cœlestis abundantia, qua nostra tenuitas in hac suprema Pastorali vigilia, domus DEI quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis constituta est, ea diximus, quæ ad hanc causam spectare nobis visa sunt. Deinde ab ijsdem Fratribus nostris petiuimus, vt consideratis atq; examinatis omnibus actis, id præcisè diceret, quod Spiritus S. eis daret eloqui, & an B. Raymund. Sanctis adscribendus esse videretur. Itaq; primũ S.R.E. Cardinales, deinde Patriarchæ, tum Archiepiscopi, & Episcopi ibidem præsentes, suo quisq; loco dictis sententijs, omnes communi consensu ex ijs, quæ in vniuerso processu explorata erant, merito à nobis B. Raymundum inter Sanctos referendum esse censuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui Fratres nostros omnes in vnitate spiritus idem sentire facit, tribuens omnibus cor vnum & animam vnam, eosq; monuimus, vt interim precibus, ieiunijs, eleëmosynis, Deigratiam & auxilium nobiscum inuocarent.

Actor. 2.

Actor. 4.

[d] Dies Canonizationis à Pontifice indict[us].

CVMQVE omnia iam ad præscriptum, & [d] normam sacrorum Canonum confecta essent, quod supererat acturi, XXXVIII
post aliquot menses diem Canonizationis diximus Tertiam Kalen. Maij. Dominicam videlicet in Albis, qua Paschalis solemnitas terminatur, Neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, & Euangelium in Ecclesia legitur, quo Christus Dominus post resurrectionem ad discipulos ianuis clausis ingressus, insufflato eis Spiritu sancto, potestatem eis remittendi & retinendi peccata est elargitus; in quo magna nobis lætitiæ materia oblata est: quia videlicet memineramus Beatum Raymundum, & Sacramenti pœnitentiæ ministrum extitisse, & post traiectionis miraculum ianuis clausis Monasterium sui Ordinis Barcinone ingressum esse deinde etiam quod eodem solemnitatis, & lætitiæ die nos ab hinc septem annis S. Hyacinthum Polonum eius Ordinis fratrem Prædicatorum B. Raymundi coætaneum in Sanctos retulimus: ad quam quidem animi nostri voluptatem non mediocris accessio facta est, quòd hoc ipso die S. Catharinæ Senensis, ac sancti Petri Martyris festum in Ecclesia solemniter celebratur, qui sub eadem sancti Dominici disciplina vitam sanctissime traduxerunt. Quamobrem in tam accommodata totius Ecclesiæ, ac Sanctorum eiusdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionem festiuitate, Nos B. Raymundo eum honorem decernere statuimus, qui sanctis Confessoribus adhibetur.

[e] Pontifex ex Capella sua processionaliter in Basilicã S. Petri descendit.

CVM [e] igitur præscripta Dominica in Albis hodierna scilicet dies aduenisset, Nos cum venerabilibus Fratribus XXXIX
nostris S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, qui in Capella nostra Pontificia hanc ob causam conuenerant, vestibus sacris induti, hymnum: Aue maris stella, inchoauimus, reliquum Capellæ nostro choro prosequente, ad beatæ MARIÆ Virginis opem implorandam, atque ita cantanter in vijs Domini, Romanæ Curiæ Prælatis & Officialibus, & familiaribus nostris, & seculari ac religioso Clero longo ordine præcedentibus, singulos cereos accensos gestantibus, ex nostro Palatio Apostolico, ad augustissimam Principis Apostolorum Basilicam processimus, vario ornamentorum genere instructam, eamq; ingressi ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genuflexi procubuimus, orantes vt DEVS hanc celeberrimam actionem ad laudem & gloriam nominis sui dirigeret. Inde ad supremam Ecclesiæ partem ascendimus alto & sublimi fornice admirandam, vbi amplùm regioque sumptu suggestum erectum erat coram altari sancti Petri Principis Apostolorum, in quo sacram pontificalem Missam celebraturi eramus, omniaque facibus, cereisque ardentibus collucebant; ac plurimæ circum imagines beatum Raymundum erecto corpore egregiè pictum referebant, dextera manu clauem in potestatis atque officij Pœnitentiarij memoriam, sinistra librum doctrinæ, ac Decretalium monumentum gerentem: vbi statim nobis in mentem venit nos ijsdem, quibus beatus Raymundus, Capellani videlicet, seu Causarum Palatij Apostolici Auditoris munere, antequam in numerum Cardinalium assumeremur, & in ipsa Cardinalis dignitate summi Pœnitentiarij officio, quanquam non exacte, ac perfecte functos fuisse, ac propterea à Deum in spiritu humilitatis non sine lachrymis precabamur, vt si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate à nobis omissum, vel commissum fuisset, id eius bonitas atque clementia B. Raymundi meritis, atque intercessionibus nobis condonaret. Deinde in suggestum delati ante idem altare Principis Apostolorum orauimus, vt suo nobis auxilio, præsidioque adesset: mox in excelso è regione altaris throno considentes eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos sacris indutos vestibus obedientiam nobis de more præstantes excepimus; tum dilectus filius noster Odoardus S. Eustachij [f] Cardinalis Farnesius nuncupatus, Regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine, semel, iterum, ac tertiò suppliciter à nobis flagitauit, vt B. Raymundum in Sanctos referremus, cuius singulis petionibus opportunè respondimus, ac per interiecta totidem interualla, litanias, hymnos, precesq; adiunximus.

[f] Cardinalis Farnesius tertio regis Hispaniarum nomine Pontifici supplicat, vt B. Raymundũ inter Sanctos referat

DENIQVE absolutis perfectisque omnibus ijs, quæ à Romanis Pontificibus hoc in genere instituta sunt, com- XL.
munibus precibus implorata Spiritus sancti ope, ad honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationẽ fidei Catholicæ, & religionis Christianæ augmentum, auctoritate eiusdem Sanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, omniumq; Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Romana curia existentium consilio, communiq; consensu B. Raymundũ à Peniafort Ord. fratrum Prædic. expresse professum, ac [g] in Ecclesia S. Catharinæ eiusd. Ord. Barcinone sepultum, de cuius innocentia vitæ, & miraculis nobis planè cõstat, Sanctum esse definiuimus, ac Sanctor. Cõfessor. numero & catalogo adscribendum esse decreuimus, prout per præsentes definimus, decernimus & adscribim[us], statuentes, vt ab vniuersa Eccles. quolibet an. die 7. Ian. festum eius & officium sicut pro vno Cõfessore non Pontif. ad

[g] Pontifex Canonizationis sententiã profert an. 1601

normam

normam in Rubricis Breuiarij Romani præscriptam deuotè celebretur. Insuper omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui singulis annis eodem die prædictam Ecclesiam S.Catharinæ Barcinonensis, in qua corpus eius conditum est, piè & deuotè visitauerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones cõcessimus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis Monasterijs & Ecclesijs diebus festis Sanctorum eiusdem Ordinis concessæ sunt.

LXII. ITAQVE omnibus, quæ ad B.Raymundi canonizationem spectabant, ritè peractis, atque hymno ad Dei laudem & gratiarum actionem decantato, diuinaque ope S.Raymundi meritis, peculiari in eius honorem oratione, quàm nos ipsi fecimus & clara voce recitauimus, inuocatá, Nos[a] in eodem loco & altari Principis Apostolorũ Missam solennem de octaua Dominicę Resurrectionis, cum eiusd. B.Raymundi commemoratione celebrauimus, omnibusq; Christi fidelibus, qui & canonizationi & Missæ interfuerunt, ad Dei laudem & sancti sui gloriam, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis suis benedicamus, & gratias immortales ei agamus; quia suscepimus misericordiam in medio templi eius, nouum videl. in Ecclesia intercessorem, cuius meritis ac suffragijs, in omnibus animæ corporisq; periculis adiuuemur. Ac singulari planè diuinæ prouidentiæ munere factũ est, vt hisce difficillimis temporibus, quibus religio Catholica inimicorum telis assiduè impugnatur, hunc patronum & aduocatum, vniuersi Christi fideles consecuti sint ad Ecclesiæ pacem inprimis & tranquillitatem, ad optatam Principibus Christianis concordiam, ac hæreticis in errorũ tenebris à via salutis errantibus, lucem veritatis impetrandam. Cæterùm,[b] quia nimis difficilè foret præsentes nostras literas ad singula quæq; loca deferri, volumus, vt earum transsumptis etiam impressis manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbique habeatur, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli[c] ergò hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo primo, tertio Kal.Maij, Pontificatus nostri anno decimo.

[a] Missam solennem celebrat & plenarias Indulgentias concedit. Psal.67. Psal.47.

[b] Decretum quod fides habeatur præsentium delumptis.

[c] Pœna in eos, qui contra præsentes literas aliquid attentârit.

Vitam S. Raymundi etiam descripserunt Petrus Marsilius, Leander Albertus, Ferdinandus del Castillo, Saluador Pons, Michael Lsot, Franciscus Diagus, Franciscus Benia & Antonius Vincentius.

VITA S. SEVERINI, NORICI APOSTOLI AB EVGIPPIO ABBATE, EIVS TESTE BARONIO, DISCIPVLO SCRIPTA edita à V. C Marco VVelsero.

AN. 440.

EPISTOLA EVGIPPII PRESBYTERI AD PASCHASIVM DE SANCTO Seuerino Monacho.

I. DOMINO sancto ac meritò venerabili Paschasio, Eugippius in Domino salutem. Ante hoc fermè biennium, Consulatu scilicet Importuni, Epistola cuiusdam Laici nobilis ad quendam directa Presbyterum nobis oblata est ad legendum, continens vitam Basilici Monachi; qui quondam in Monasterio montis, cui vocabulum est TITAS super Ariminum commoratus, post in Lucaniæ regione defunctus, vir & multis & mihi notissimus. Quam Epistolam, cum à quibusdam describi cognoscerem, cœpi mecum ipse tractare, nec non & viris religiosis edicere, tanta per beatum Seuerinum diuinis effectibus celebrata, non oportore celare miracula. 8. IAN.

II. QVÆ cum auctor Epistolæ præfatæ resciret, animo promptiore mandauit, vt aliqua sibi per me eiusdem sancti Seuerini mitterentur indicia, quibus instructus libellum vitæ eius scriberet, posteriorum memoriæ profuturum. Hac ergò protinus oblatione compulsus, COMMEMORATORIVM nonnullis refertum indicijs ex notissima nobis & quotidiana maiorum relatione composui non sine magno mœrore animi, iniustum, scilicet, reputans, vt te superstite, Laicus à nobis hoc opus efficere rogaretur: cui & modus & color operis non sine præsumptione quadam possit iungi, ne forsitan sæculari tantum literatura politus, tali vitam sermone conscriberet, in quo multorum plurimum laboraret inscitia, & res mirabiles, quæ diù quadã silenti nocte latuerant, quantũ ad nos attinet, ignaris liberalium literarum obscura dissertitudine non lucerent. Sed non vltra lucernæ illius igniculum, te, velut Sole splendente perquiram, tantùm ne mihi peritiæ tuæ radios nube quadam excusationis obducas, imperitiam videlicet accusando, noli, obsecro, tam duris me verberare sermonibus, dum dicis: quid tibi aquas expectarem de silice? Iam vtique non expecto de silice plateæ sæcularis, sed à te, qui spiritualibus spiritalia comparans, nos de firmissima petra illo, quo profluis orationis melle * recreaberis, de quo iam nectareum suauissimæ promissionis gustum dirigens præcipit, vt COMMEMORATORIVM vel indicia vitæ sæpè dicti Seuerini transmitterem, q̃ donec in tuæ constructionis libellum transire mereantur, nequaquam animum recensentis offendant. Quisquis enim ad construendam domum Architectum requirit, necessariam sollicitè materiam præparet: quod si moles ad instar parietum impolitis componatur, artifice tardante, lapidibus, nunquam ædificasse dicendus est, vbi nulla magistri structura prorsus intrauerit, nulla ritè subjciuntur fundamenti munimina, iussione vestra villissima compositione præparans num purum putare debeo conscripsisse quod cupio, vbi disciplinæ liberalis nulla constructio, nullus Grammatici culminis decor extitit? Habet planè certum fundamentum solius fidei, quo sanctum virum mirandis constat claruisse virtutibus, quod per manus linguæ tuæ nunc offero collocandum, de tui operis fastigio laudes Christo debitas redditurus. *al.recreabis.

III. ILLA quoque precor virtutum beneficia sanitatumque remedia, quæ vel in itinere, vel hic apud eiusdem beatissimi Patris memoriam diuina sunt peracta virtute, digneris adnectere, quæ quoniam fidelis portitor filius vester Deo gratias optimè nouit, verbo commendamus imitandum, sperantes nos baiuli nomen etiam de tui operis perfectione iugiter esse dicturos, vt Dei fidelissimus famulus tantis virtutibus opulentus, sicut ad sanctorum gloriam suis per Christi gratiam meritis euehitur, sic ad humanam memoriam tuis literis consecretur. Sanè patria de qua fuit oriundus fortasse necessariò à nobis requiritur, vt inde, sicut moris est, texendæ cuiuspiam vitæ sumatur exordium. De qua, licet me fatear, nullum euidens habere documentum, tamen quid hinc habendum & à te cognouerim non tacebo.

VI. CVM multi igitur Sacerdotes & spirituales viri, nec non & Laici nobiles atque religiosi vel indigenæ vel de longinquis ad eum regionibus confluentes sæpiùs hæsitarent intra se quærentes, cuius nationis esset vir, quẽ tantis cernerent fulgere virtutibus, nec vllus penitùs ab eo auderet inquirere; tandem Pirmenius quidam Presbyter Italiæ nobilis, & totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore, quo Patricius Orestes iniquè peremptus est, interfectores eius metuens, eò quòd interfecti velut pater fuisse diceretur; post multos itaque familiaritatis adeptæ dies, eripuit quasi pro omnibus, & ita scisitatus est dicens: Domine sancte, de qua prouincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus est? Cui vir Dei faceta primum hilaritate respondit: si fugitiuum putas, para tibi pretium, quod pro me

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

possis, cum fuero requisitus offerre. His talia * seriò subijciens mox, qui prodest, inquit, seruo Dei significatio loci, vel quis sim, cum possit id tacendo sanctius vitare iactantiam, vtpote siniſtram qua nesciente cupio opus bonum Christo donante perficere, quo merear dexteræ socius fieri & supernæ patriæ eius ascribi. Quam si me indignum veraciter desiderare cognoscis, quid te necesse est terrenam cognoscere, quam requiris? Verumtamen scito, quia DEVS, qui te Sacerdotem fieri præstitit, ipse me quoque periclitantibus his hominibus interesse præcepit: & tali memoratus Presbyter responsione conticuit, nec quisquam ante vel postea beatum virum super hac parte percontari præsumpsit; loquela tamen ipsius Africanum testabatur hominem omninò Latinum, quem constat ad quandam Orientis solitudinem feruore perfectionis vitæ fuisse profectum; atque inde pòst ad Norici Ripensis oppida, Pannoniæ superiori Vicina, quæ barbarorum crebris premebantur incursibus, diuina compulsum reuelatione venisse, sicut ipse * causa secretiore, tanquam de alio loqueretur, ferre solitus erat, nonnullas Orientis vrbes nominans, & itineris immensi pericula se mirabiliter transisse significans. Hæc igitur sola, quæ retuli, quotiens de beati Seuerini patria sermo ortus est, etiam ipso superstite, semper audiui: Indicia verò mirabilis vitæ eius huic Epistolæ coniuncta prælatis capitulis * cum memoratorio recensita fient, vt rogaui, libri vestri magisterio clariore, supereſt vt eius orationibus tuas sociare non desinas & indulgentiam mihi poscere non desistas.

* Bar. legit Senior.

* Bar. legit clauso sermone.

* for. cum commemoratorio.

EPISTOLA PASCHASII DIACONI AD EVNDEM EVGIPPIVM *Presbyterum Responsoria.*

DOMINO sancto semperque charissimo Eugippio presbytero Paschasius diaconus. Frater in CHRISTO charissime, dum * nos peritiæ tuæ facundiâ & otij felicitate perpendis, amaritudines occupationesque multiplices peccatorum * retracta, & ne condemnes, pudoris iacturam * dilectione sustine. Direxisti COMMEMORATORIVM cui nihil possit adijcere facundia peritorum; & opus quod Ecclesiæ vniuersitas possit recensere, breui reserasti compendio, dum beati Seuerini finitimas Pannoniorum prouincias incolentis, vitam moresque verius explicasti, & quæ per illum diuina virtus est operata miracula, diuturnis mansura temporibus tradidisti memoriæ posteritatis. Nesciunt facta piorum * præterire cum sæculo: vt omnes præsentem habeant, & secum quodammodo sentiant commorari, quibus eum reuelatio peruexerit lectionis. Et ideò quia tu hæc quæ me narrando poscebas, elocutus es simplicius, explicasti facilius, nihil adijciendum labori vestro studio nostro credidimus; Siquidem aliter audita narramus, aliter experta depromimus, facilius virtutes magistrorum à discipulis exponuntur, quæ suggeruntur crebriùs conuersatione dicentium. Diuinis charismatibus inspiratus, scis sanctis bonorum mentibus excolendis quantum gesta sanctorum vtilitatis impertiant, quantum feruoris attribuant, quantum puritatis infundant, de qua re Apostolicæ vocis auctoritas latiùs innotescens: forma, inquit, estote gregi: & beatus Paulus Timotheo præcepit: forma esto fidelibus. Vnde idem Apostolus iustrum Cathalogum summâ breuitate contexens, ab Abel incipiens insignium virorum pergit narrare virtutes; sic & ille fidelissimus Mathathias, morti glorioſissimæ iam propinquans, filijs suis hæreditario iure sanctorum exempla distribuit, quorum certaminibus admirandis celeriùs excitati, animas suas pro legibus sempiternis sanctitatis feruore contemnerent. Nec paterna liberos fefellit instructio, tantum enim profuerunt memoratis facta piorum, vt apertissimâ fide armarentur, principes deterrêrent, castra sacrilega superarent, cultus arasque dæmoniacas longè lateque diruerent, ciuicamque coronam, * sertis decoratam perennibus, splendenti patriæ prouiderent. Vnde & nos ornamentis sponsæ Christi quiddam fraterno ministerio prouidere gaudeamus, non quod vllis vt credo temporibus defuerit clarior vita maiorum, sed quod domum magni regis plurima vexilla trophæorum habere conueniat. Non enim vera virtus excluditur numerositate virtutum, sed optatis excessibus eâtenus ampliatur.

* Sanctos, legit Bar.

* te tractare contemnis. Baron.

* Bar. dilectionis cõtemplatione sustineo.

* perire.

1. Petr 5. 2. Timoth. 2. Hebr. 13.

* al. gestis.

TEMPORE [a] quo Attila Rex Hunnorum defunctus est, vtraque Pannonia, cæteraque confinia Danubij rebus turbabantur ambiguis: ac [b] primum inter filios eius de obtinendo regno magna sunt exorta certamia, qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam sui sceleris accepere patris interitum. Tunc [c] itaque sanctissimus Dei famulus Dei famulus Seuerinus de partibus orientis aduenies, * in vicinis ripensis & Pannoniorum partibus, quod * Asturis dicitur oppido morabatur, viuens iuxta Euangelicam Apostolicamque doctrinam, omni pietate & castitate præditus, in confessione Catholicæ fidei venerabile propositum sanctis operibus adimplebat. Dum ergò talibus exercitijs roboratus palmam supernæ vocationis innocuè sequeretur, quadam die ad Ecclesiam processit ex more, tunc presbytero, clero, & ciuibus requisitis, cœpit [d] totâ mentis humilitate prædicere, vt hostium insidias imminentes orationibus ac ieiunijs, & misericordiæ fructibus inhiberent: sed animi contumaces ac desiderijs carnalibus inclinati, prædicentis oracula infidelitatis suæ discrimine probauerunt. Famulus autem DEI reuersus ad hospitium quo ab Ecclesiæ fuerat custode susceptus, diem & horam imminentis excidij prodens, de contumaci ait oppido & citiùs perituro festinus abscedo. Inde ad proximum quod * Commagenis appellabatur oppidum declinauit. Hoc barbarorum intrinsecùs consistentium, qui cum Romanis fœdus inierant, custodiâ seruabatur arctissimâ, nullique ingrediendi aut egrediendi facilis licentia præstabatur. A quibus tamen Dei famulus, cum esset ignotus, nec interrogatus est nec repulsus. Itaque [e] mox ingressus Ecclesiam, cunctos de salute propriâ desperantes, ieiunio & orationibus atque eleëmosynis hortatur armari, proponens antiquæ salutis exempla, quibus diuina protectio populum suum contra opinionem omnium mirabiliter liberasset. Cumque salutem omnium in ipso discriminis articulo promittenti credere dubitarent, senex qui dudum in * Asturis tanti hospitis susceptor extiterat, venit, atque à portarum custodibus sollicitâ interrogatione discussus, interitum sui oppidi habitu verboque monstrauit, adijciens eâdem die quâ quidam homo Dei prædixerat, barbarorum vastatione fuisse delerum. Quo audito sollicitire sponderunt, Putás ne ipse est qui desperatis rebus Dei nobis subsidia pollicetur? Mox [f] igitur in Ecclesiâ recognito Dei famulo, senex eius pedibus prostratus aiebat, ipsius se meritis liberatum, ne cum cæteris oppidaneis subiret exitum.

I.

[a] De bellis inter filios eius gestis, fusius Gornandes de rebus Geticis.

[b] S. Seuerin venit in Panoniam.

* in vicinis Norici ripensis.

* al. Casturis.

[c] Horratur ad opera pietatis.

* Comagenis.

[d] Ieiunijs & eleemosynis docet armari.

* Casturis. Baron.

[e] Ita placatur iratus Deus.

[f] Hostes ex vrbe fugiunt

* al. Fabianas. Est autem Fabiana vrbs, quæ nunc Vienna Austriæ.

HIS auditis habitatores oppidi memorati incredulitati veniam postulantes, monitis viri Dei sanctis operibus paruerunt, ieiunijsque dediti in Ecclesiâ per triduum congregati, errata præterita castigabant gemitibus & lamentis. Die autem tertio cùm sacrificij vespertini solennitas impleretur, facto subito terræ motu, ita sunt barbari intrinsecùs habitantes exterriti, vt portas sibi Romanos cogerent aperire velociter. Exeuntes [g] igitur cuncti diffugerunt, æstimantes se quam vicinorum hostium obsidione vallatos, auctoque terrore diuinitus, & noctis errore confusi; mutuis se gladijs conciderunt. Tali ergò aduersarijs internecione consumptis, diuino plebs seruata præsidio, per sanctum virum armis didicit pugnare cœlestibus.

II.

[g] Hostes ex vrbe fugiunt

EODEM tempore ciuitatem nomine * Fauianis sæua fama oppresserat, huius habitatores vnicum sibi remedium affore crediderunt, si ex supradicto oppido Comagenis hominem DEI religiosis precibus inuitarent. Quos ille ad se ventum ire prænoscens, cum hæsitaret vtrum pergeret cum eis necne, à Domino vt cum eis pergeret commonetur. Quo cum venisset, cœpit ciuibus suadere dicens, poteritis pœnitentiæ fructibus à tantâ famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent institutis, beatissimus Seuerinus diuinâ reuelatione cognouit, quandam viduam nomine

III.

Procu-

Proculam fruges plurimas occultasse, quam productam in medium arguit vehementer. Cur inquit nobilissimis natalibus orta, cupiditatis præbes te ancillam, & extas auaritiæ mancipium, quæ est docente Apostolo seruitus idolorum? Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male partis facias non habebis, nisi fortè frumenta diù denegata in Danubij fluenta proijciens, humanitatem piscibus exhibeas quàm hominibus denegasti. Quammagno mulier pauore perterrita, cœpit seruata libenter erogare pauperibus. Igitur non multo post rates plurimæ de partibus *Retiarum mercibus onustæ quàm plurimis, insperatè videntur in littore Danubij, quæ multis diebus crassâ †Eni fluminis glacie fuerant *congelatæ: Quæ Dei imperio mox solutæ, ciborũ copias fame laborantibus detulerunt. Tunc cœperunt omnes Deum insperati remedij largitorem continuatâ deuotione laudare, qui malo diuturnæ famis interire credebant, fatentes rates extra legitimum tempus à glaciei resolutas frigore serui Dei precibus aduenisse.

IV. PER [b] idem tempus inopinatâ surreptione prædones barbari quæcumque extra muros hominum pecudumque repererant duxêre captiua. Sicque plures de ciuibus ad virum Dei cum lachrymis confluentes illatæ calamitatis exitium retulerunt, simul ostendentes indicia recentium rapinarum. Ille verò Mamertinum percunctatus est, tunc Tribunum, [c] qui pòst Episcopus ordinatus est, vtrum aliquos secum haberet armatos, cum quibus latrunculos sequeretur instantius. Qui respondit, Milites quidem habeo paucissimos, & ideò non audeo cum tantâ hostium multitudine confligere. Quod si tua veneratio præcipit, quamuis auxilium nobis desit armorum, credimus tua nos fieri oratione victores. Et Dei famulus ait, Etiamsi inermes sunt tui milites, nunc ex hostibus armabuntur: nec enim numerus aut fortitudo humana requiritur, vbi propugnator Deus per omnia comprobatur, tantum in nomine Dei perge velociter, perge fidenter, nam Domino misericorditer præeunte, debilis quisque fortissimus apparebit, Dominus pro vobis pugnabit, & vos tacebitis. Vade ergò festinus, hoc vnum ante omnia seruaturus, vt ad me quos ex barbaris cœperis perducas incolumes. Exeuntes [d] igitur in secundo milliario super riuum qui vocatur *Dicuntia prædictos latrones inueniunt, quibus in fugam repente conuersis, arma omnium sustulerunt: cæteros verò vinctos ad Dei famulum vt præceperat adduxerunt captiuos. Quos absolutos vinculis, cibo potuque refectos paucis alloquitur: Ite, & vestris denunciate complicibus, ne auiditate prædandi vltra huc audeant propinquare, nam statim cœlestis vindictæ iudicio punientur, Deo pro suis famulis dimicante, quos ita consueuit diuina virtute protegere, vt tela hostium non eis inferant vulnera, sed arma potiùs subministrent. Dimissis itaque barbaris, ipse de Christi miraculis gratulatur, de cuius miserationibus promittit, nunquam illud oppidum hostium prædas vlteriùs experturum, si ciues tantùm ab opere DEI nec prospera nec aduersa retraherent. Deinde [e] beatus Seuerinus in locum remotiorem secedens qui ad Vineas vocabatur, cellula parua contentus, ad prædictum oppidum remeare diuina reuelatione compellitur, ita vt quamuis eum quies cellulæ delectaret, Dei tamen iussis obtemperans, monasterium [f] haud procul à ciuitate construeret, vbi plurimos sancto cœpit informare proposito, factis magis quàm verbis animas instruens auditorum. Ipse verò ad secretum habitaculum quod *Purgum oppidum appellatur ab accolis, quinque à Fauianis distans milliarijs, sæpiùs secedebat, vt hominum declinata frequentia, quæ ad eum venire consueuerat, oratione continua Deo protinus inhæreret. Sed quanto solitudinem incolere cupiebat, tanto crebriùs reuelationibus monebatur: ne præsentiam suam populis denegaret afflictis. Proficiebat itaque per singulos dies eius meritum, crescebatque fama virtutum, quæ longè, lateque discurrens, cœlestis gratiæ in eo signa pandebat. Nesciunt enim latêre quæ bona sunt, cum iuxta sententiam Saluatoris, nec lucerna sub modio contegi, nec in monte posita ciuitas possit abscondi. Inter [g] cætera enim magnalia quæ illi Saluator indulserat, præcipuum abstinentiæ munus accipiens, carnem suam plurimis subiugabat inedijs, docens corpus quod cibis abundantioribus enutritur, animæ interitum protinus allaturum. Calceamento nullo penitus indutus, ita [h] mediâ hyeme, quæ in illis regionibus sæuiore gelu torpescit, nudis pedibus semper ambulare contentus, singulare patientiæ dabat indicium. Ad cuius immanitatem frigoris comprobandam, testem constat esse Danubium, ita sæpè glaciali nimietate concretum, vt etiam plaustris solidum transitum subministret. Qui [i] tamen talibus per Dei gratiam virtutibus sublimatus, intimam humilitatem fatebatur dicens, Ne putetis mei meriti esse quod cernitis, vestræ est potiùs salutis exemplum. Cessèt iam humana temeritas, elationis supercilium comprimatur, vt aliquid boni possimus, eligimur, dicente Apostolo, Qui elegit nos ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Orate imò pro me, vt non ad condemnationis cumulum, sed ad iustificationis augmentum Saluatoris mei dona proficiant. Hæc & his similia solebat proferre cum fletibus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cuius virtutis fundamento munitus, tanta diuini muneris claritate fulgebat, vt ipsi quoq; hostes hæretici, reuerentissimis eum officijs honorarent.

V. *RVGORVM [k] siquidem rex, nomine *Flacciteus, in ipsis regni sui cœpit nutare primordijs, habens Gothos ex inferiore Pannonia vehementer infensos, quorum innumera multitudine terrebatur. Is ergò beatissimum Seuerinum in suis periculis tanquam cœleste consulebat oraculum. Ad quem dum vehementissimè turbaretur adueniens, deflebat se à Gothorum principibus ad Italiam transitum postulasse, à quibus se non dubitabat, quia hoc ei denegatum fuerat, occidendum. Tunc ergò à viro Dei hoc responsum prædictus accepit. Si [l] nos vna Catholica fides annecteret, magis me de vitæ perpetuitate debuisti consulere, sed quia de præsenti tantùm salute sollicitus, quæ nobis est communis, interrogas, instruendus ausculta. Gothorum nec copia, nec aduersitate turbaberis, quia citò securus, eis discedentibus tu desiderata prosperitate regnabis, tantùm ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum, & nunquam proprijs virtutibus innitatis. Maledictus inquit scriptura, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Disce igitur insidias cauere, non ponere, in lectulo quippe tuo pacifico fine transibis. Qui cùm tali admonitus oraculo lætus abscederet, perlato sibi quod turba latrocinantium & barbari aliquos captiuassent ex Rugis, ad virum Dei misit protinùs consulendum. Qui sanctis [m] eum mandatis, ne prædones sequeretur, Domino sibi reuelante præmonuit, dicens: Si eos sequutus fueris occidêris, caue nè amnem transeas, & insidijs, quæ tibi tribus locis paratæ sunt, inprouida mente succumbas: nam citò nuncius fidelis aduenier, qui te his omnibus efficiet certiorem. Tunc captiuorum duo ab ipsis hostium sedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt quæ à beatiss. viro, Christo sibi reuelante erant prædicta. Igitur frustratis insidijs aduersantium Flacciteus incrementis auctus prosperioribus vitam rebus tranquillissimis terminauit.

VI. POST [n] hæc autem quidam Rugus genere, per annos duodecim incredibili ossium dolore contritus, omni caruerat incolumitate membrorum, cuius cruciatus intolerabilis, circumquaque vicinis factus erat ipsa diuturnitate notissimus. Itaque nihil proficiente diuersitate remedij, tandem vidua mater ad sanctum virum vehiculo filium deduxit impositum, & ante ianuam monasterij proijciens desperatum, continuatis fletibus reddi sibi vnicum filium precabatur incolumem. Sed vir Dei sentiens à se magna deposci, fletu commotus aiebat, Quid opprimor opinione fallaci, cur æstimor posse quod nequeo: Non est virtutis meæ præstare tam grandia, consilium tamen do, tanquam misericordiam consecutus à domino. Tunc mandat mulieri vt pauperibus aliquid pro suis viribus largiretur. Illa nihil morata, vestem quâ induta erat se velociter exuens, egenis diuidere properabat: Quo audito vir Dei, feruorem eius admirans, iterum mandat vt suis operiretur amictibus, dicẽs: Cum tuus filius tecum domino sanante perrexerit,

Ephes. 5.

[a] Viennenses fame laborantes, releuantur à S. Seuerino.
**al. Rhetiarum.*
†*Oeni.*
**Colligata.*
[b] Irruptio Barbarorũ.
[c] Qui post Episcopus ordinatus est: Verba hæc videntur ex glossemate irrepsisse.
[d] Fugiunt Barbari relictis armis.
**Taguntia.*
[e] Rudera cellæ S. Seuerini ad Vineas, superesse in pago Siferingâ, prodit Lazius Cõment. lib. 12. sect. 6 c. 9.
[f] Monasterium constructum S. Seuerinus iuxta muros oppidi Fauianis.
**Burgum: Cuspinian. Burckendorff interpretatur.*
[g] Eius abstinentia.
[h] Patientia.
[i] Humilitas
**Rugiorũ.*
[k] A. 473. Rugorum rex consulit S. Seuerinum
**al. Flacitheus, Flaciteus, & Flacithe.*
[l] Prædicit illi futura, eumq; optimè instituit.
[m] Deregit regi structas insidias.
[n] Curat infirmum qui 12. annis decubuerat.

opere vota ſupplebis. Igitur indicto paucorum dierum de morte ieiunio, fuſis ad Deum precibus, illicò ſanauit infirmum, atque incolumem ſuis greſſibus ambulantem remiſit ad propria. Qui cum poſteà nundinis frequentibus intereſſet, ſtupendum miraculum cunctis videntibus exhibebat: nonnulli enim dicebant, Ecce ille qui fuerat corporis putredine fractus: Alijs autem quod ipſe eſſet omninò negantibus, grata contentio naſcebatur. Ex illo enim tempore quo eſt reddita ſanitas deſperato, vniuerſa Rugorum gens ad Dei famulum frequentans cœpit gratulationis obſequium reddere, & opem ſuis poſtulare languoribus. De alijs etiam gentibus ad quas tanti miraculi fama peruenerat, multi Chriſti militem videre cupiebant.

VII. QVA deuotione etiam ante hoc factum quidam barbari cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu diuerterunt: inter quos & * Odouachar, qui [a] poſtea regnauit Italiæ, viliſſimo tunc habitu, iuuenis ſtatura procerus aduenerat. Qui dum ſe, ne humile tectum cellulæ ſuo vertice contingeret, inclinaſſet, à viro Dei glorioſum ſe fore cognouit. Cui etiam valedicenti, Vade inquit ad Italiam, vade, viliſſimis nunc pellibus coopertus, ſed multis citò plurima largiturus.

VIII. * FELECTEVS quoque rex, qui & Faua, memorati filius Flacitei, paternam ſequutus induſtriam, ſanctum virum cœpit pro regni ſui frequentare primordijs. Hunc [b] coniux feralis & noxia nomine Giſa, ſemper à clementia remedijs retrahebat. Hæc ergò inter cætera iniquitatis ſuæ contagia, etiam rebaptizare quoſdam eſt conata Catholicos, ſed ob ſancti reuerentiam Seuerini, non conſentiente viro, à ſacrilega quantociùs intentione defecit. Romanos [c] tamen duris conditionibus aggrauabat, quoſdam etiam Danubio iubebat abduci. Nam cum quadam die in proximo à Fauianis vico veniens, aliquos ad ſe transferri Danubio præcepiſſet, viliſſimi ſcilicet miniſterij ſeruitute damnandos, diligens ad eam vir Dei, vt eos dimitteret poſtulabat. Verùm illa facibus fœminei furoris exæſtuans, mandata reportari iuſſit aſperrima: Ora, inquit, tibi ſerue Dei in tua cellula deliteſcens, liceat nobis de ſeruis noſtris ordinare quod volumus. Hæc igitur audiens homo Dei, confido inquit in Domino Ieſu Chriſto, * quia neceſſitate compellitur explere, quod praua voluntate deſpexit. Velox [d] itaque ſequuta correptio, animum proſtrauit arrogantis, quoſdam enim auri fices barbaros, pro fabricandis regalibus ornamentis clauſerat arcta cuſtodia. Ad hos filius memorati regis admodum paruulus, nomine Fridericus, eodem die quo regina ſeruum Dei contempſerat, puerili motu concitus introiuit. Tunc aurifices infantis pectori gladium impoſuere dicentes, quod ſi quis ad eos abſque iuramenti * præfixo ingredi conaretur, paruulum regium primitus tranſfigerent, & ſemetipſos poſteà trucidarent, quidpe cum ſibi nullam ſpem vitæ promitterent, macerati diuturnis ergaſtulis. His auditis regina crudelis & impia, veſtibus dolore conſciſſis, talia clamabat, O ſerue Dei Seuerine, ſic à Deo tuo illatæ vindicantur iniuriæ? Hanc mei contemptus vltionem effuſis precibus poſtulaſti, vt in mea viſcera vindicares? Itaque multiplici contritione ac miſerabili lamentatione diſcurrens, fatebatur ſe pro ſcelere contemptus, quod in ſeruum Dei commiſerat, plagæ præſentis vltione percelli, confeſtimque directis equitibus veniam petitura, & Romanos quos ea die tulerat, pro quibus rogantem contempſerat tranſmiſit, & aurifices protinus accipientes Sacramentum, ac dimittentes infantulum, pariter & ipſi dimiſſi ſunt. His auditis reuerentiſſimus Chriſti ſeruus gratias Creatori referebat immenſas, qui ob hoc interdum differt vota petentium, vt fide, ſpe & charitate creſcente, dum minora petuntur, maiora concedat. Id namque egit virtus omnipotentis ac Saluatoris, vt dum liberos ſæua mulier ſubiecit ſeruituti, ſeruientes cogeretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, regina ſtatim ad ſeruum Dei properans cum marito, monſtrat filium quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens ſe eius nequaquam vltrà iuſſionibus obuiare.

IX. MAGNA [e] quoque Dei famulo, prophetiæ gratiâ prædito, in redimendis erat captiuis induſtria. Studioſius etenim inſiſtebat barbarorũ ditione vexatos genuinæ reſtituere libertati. Intereà [f] cuidam cum cõiuge liberisq; redẽpto, præcepit tranſuadere Danubium, vt hominem ignotum in * nundinis quæreret barbarorum, quem in tantum diuinâ reuelatione didicerat, vt etiam ſigna ſtaturæ, capillorumque colorem, vultus eius ac veſtis habitus indicaret, & in quâ parte nundinarum reperturus eum foret oſtenderet, addens, vt quidquid reperta ei diceret perſona, reuerſus ſibi maturius intimaret. Profectus itaque cuncta ſicut vir Dei prædixerat miratus inuenit. Is ergò ab eodem homine quem reperiſſe ſe mirabatur, interrogatus audiuit dicente, Putaſne poſſum inuenire hominem qui me ad virum Dei, cuius vbique fama diffunditur, quâ voluerit mercede perducat? Diu eſt enim quod ipſos ſanctos martyres, quorũ reliquias fero, ſuppliciter interpello, vt tali miniſterio tandem aliquando ſoluas indignus, quod huc vſque non temerariâ præſumptione, ſed religioſa neceſſitate ſuſtinui. Tunc [g] nuncius hominis Dei, eius illum aſpectibus præſentauit, qui debito ſanctorum Geruaſij & Protaſij martyrum reliquias honore ſuſcipiens, in baſilicâ quam in monaſterio conſtruxerat collocauit officio ſacerdotum. Quo in loco martyrum congregauit ſanctuaria plurimorum, quæ tamen præeunte ſemper reuelatione promeruit, ſciens aduerſarium ſæpè ſubrepere ſub nomine ſanctitatis. Epiſcopatus [h] quoque honorem, vt ſuſciperet poſtulatus, præfinitâ reſponſione concluſit, ſufficere ſibi dicens quod ſolitudine deſideratâ priuatus, ad illam diuinitus veniſſet prouinciam, vt turbis tribulãtium frequentibus intereſſet. Daturus nihilominus monachis formam, ſollicitior admonebat beatorum patrum veſtigijs inhærere, quibus ſanctæ aduerſationis adquireretur inſtructio, adhibendamque operam ne is qui parentes reliquit & ſæculum, pompæ ſæcularis illecebras retrorſum reſpiciendo cuperet quas vitauerat, & ob hoc vxoris Loth exemplum terribile proponebat. Memorabat etiam timore Dei mortificanda eſſe incentiua libidinum, nec aliter ſuperanda corporalis delectationis aſſeruit incendia, niſi fuiſſent per Dei gratiam lachrymarum fonte reſtincta.

X. QVIDAM [i] verò nomine Maurus baſilicæ monaſterij fuit ædituus, quam beatus Seuerinus redemerat de manibus barbarorum, huic quadam die præcepit vir Dei dicens, Caue ne hodie tranſgrediaris alicubi, alioquin imminenti periculo non carebis. Hic ergò contra præceptum tanti patris, ſæcularis cuiuſdam hominis perſuaſu, meridie ad colligenda poma in ſecundo à Fauianis milliario egreſſus, mox à barbaris Danubio tranſuectus eſt cum ſuo perſuaſore captiuos. In illâ horâ vir Dei dum in cellulâ legeret, clauſo repente codice, Maurum ait citò requirite: quo nuſquam reperto, ipſe quantociùs * Hyſtri fluenta prætermeans, latrones properanter inſequitur, quos vulgus Scamaros appellabat. Cuius venerandam præſentiam non ferentes, ſupplices quos cœperant reddidêre captiuos.

XI. CVM [k] adhuc Norici ripenſis oppida ſuperiora conſtarent, & penè nullum caſtellum barbarorum * vitaret incurſus, tam celeberrima ſancti Seuerini flagrabat opinio, vt certatim eum ad ſe caſtella ſingula pro ſuis munitionibus inuitarent, credentes quod eius præſentiâ nihil eis aduerſi eueniret. Quod non ſine gratia diuini muneris agebatur, vt omnes eius monitis quaſi cœleſtibus terrerentur oraculis, exemploque illius bonis operibus erudirentur. In caſtellum quoque cui erat * Cucillis vocabulum, deuotionibus * accolanis vir ſanctus venerat aduocatus, vbi factum grande miraculum nequeo reticere: quod tamen * Maiciani poſt preſbyteri noſtri, cuius eiuſdem loci ſtupenda miracula, relatione cognouimus. Pars igitur plebis in quodam loco nefandis ſacrificijs inhærebat. Quo [l] ſacrilegio comperto vir Dei, multis plebem ſermonibus alloquutus, ieiunium triduanum per preſbyterum loci ſuaſit indici, ac per ſingulas domos cereos afferre præcepit, quos propriâ manu vnuſquiſque parietibus affixit Eccleſiæ. Tunc pſalterio ex more decurſo, ad horam ſacrificij presbyterum & diaconum vir Dei adhortatus eſt, totâ cordis alacritate ſecum communem Dominum deprecari, quatenus [m] ad ſacrilegos diſcernendos lumen ſuæ cognitionis oſtenderet. Itaq; cum multis lar-

* Odoacer.
[a] Odoacro quæ prædixerat
* Feletheus & Felithe-us.
[b] Giſa crudelis fœmina
[c] Romanos captiuos intelligit.
* quòd neceſſitate cõpelletur, habet Baron.
[d] Pœnas dat cõtemptus ſui in S. Seuerinum.
* præſidio, legit Bar.
[e] S. Seuerini in redimendis captiuis ſtudium.
[f] Ignoti cuiuſdam habitum, conſtitutioni corporis, vultum & diuinitus ſibi reuelatũ cuidam deſcribit, vt à nunquam viſo cognoſci poterat
* Territorium intelligit, Germanicè Marckt.
[g] Reuerenter accipit & colligit ſanctorum Geruaſij & Protaſij reliquias.
[h] Epiſcopatum recuſat.
[i] Prædicit cuidã ſuum periculum.
* Iſtri.
[k] Celebris eius fama.
* al. intraret.
* Cocullis, Lazius Catullis
* accolarũ, habet Bar.
* Maiorani pòſt presbyteri noſtri, cuius eiuſd. loci, ſtupẽda relatione cognouimus, legit Bar.
[l] Idololatriæ reliquias penitus aufert
[m] Sacrilegos ab alijs, per lumi

tis largissimis fletibus, cumque fixis genibus precaretur, pars maxima cereorum quos fideles attulerant subito est accensa diuinitus, reliqua verò eorum qui prædictis sacrilegijs infecti fuerant, volentesque latêre negauerant, inaccensa permansit. Tunc ergo qui eos posuerant diuino declarati examine, protinus exclamantes secreta pectoris * suis factionibus prodiderunt, & suorum testimonio cereorum manifestâ confessione * cuncti propria sacrilega testabantur. O clemens potentia Creatoris, cereos animosque inflammans, accensus ignis in cereis refulsit & in sensibus. Visibilis lux liquabat ceras inflammas, at inuisibilis corda fatentium soluebat in lacrymas. Quis credat, amplius eos quos sacrilegus error inuoluerat postea claruisse bonis operibus, quam eos quorum cerei fuerant accensi diuinitus:

XII. Alio rursus tempore in finibus ciusdem castelli, locustæ frugum consumptrices noxijs morsibus cuncta erant vastantes. Tali ergo peste perculsi; mox presbyteri ceterique mansores sanctum Seuerinum summis precibus adierunt dicentes, Vt tantæ plagæ auferatur atrocitas, orationum tuarum experta suffragia postulamus, quæ magno dudum miraculo in accensis cereis multum apud Dominum valere conspeximus. Quos ille religiosius allocutus, non legistis ait quid auctoritas diuina peccanti populo præceperit per prophetam, Conuertimini [a] ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & post pauca: Sanctificate, inquit, ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, & cætera quæ sequuntur, hæc explete, vt dignis operibus malitiam præsentis temporis facilè euadatis; nullus à me ad agrum exeat, quasi humanâ sollicitudine locustas vetiturus, ne diuina amplius indignatio prouocetur. Nec mora ergo omnibus in Ecclesiam congregatis, vnusquisque in ordine suo psallebat ex more. Omnis ætas & sexus, quæ etiam voce non poterat precem Deo fletibus offerebat, eleemosynæ fieri non cessabant, quidquid bonorum operum præsens necessitas exigebat, sicut Dei famulus præceperat implebatur. Omnibus ergo huiuscemodi studijs occupatis, quidam pauperrimus opus Dei cœptum deferens, ad agrum propriæ segetis inuisendæ causa, quæ perparua inter aliorum sata iacebat, egressus est, totaque anxius die locustarum nubem impendentem quâ potuit exturbauit industriâ, moxque Ecclesiam communicaturus intrauit; sed segetem eius exiguam, multis vicinorum circundatam frugibus, locustarum densitas deuorauit. Quibus eâ nocte ab illis finibus exterritis imperio diuino, probatum est quantum valeat [b] fidelis oratio. Manè quippe sancti operis temerator atque contemptor, tursus ad agrum suum malè securus egrediens, eum locustarum pernicie funditus inuenit abrasum, & omnium circumquaque sationes integras vehementer admirans, ad castellum lamentosa vociferatione reuertitur, cumque id quod acciderat indicasset, ad huiuscemodi videndũ cuncti exière miraculum, vbi quasi ad lineam regularem contumacis hominis segetem locustarum morsus ostenderât. Ob quam rem monendi occasionem homo Dei reperiens, docebat vniuersos vt omnipotenti Deo discerent obedire, cuius imperijs obtemperant & locustæ. Pauper vero prædictus flebiliter allegabat, posse se mandatis obedire de cætero si vlla spes qua viueret sibi remansisset. Tunc ergo vir Dei cæteros allocutus, iustum est inquit vt qui proprio supplicio humilitatis vobis & obedientiæ dedit exemplum, liberalitate vestra anni præsentis alimenta percipiat. Collatione itaque fidelium correptus homo pauperrimus & ditatus, didicit quantum dispendij incredulitas inferat, quantumque beneficij suis cultoribus diuina conferat largitio.

XIII. Item iuxta oppidum quod * Iuba appellatur, cum quadam die intrantes basilicam, æstatis tempore, solennitatem vespere redditurí, ad accendenda luminaria ignem minimè reperissent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiuerunt, in tantum alterutra ferri ac petræ collisione tardantes, vt tempus vespertinæ solemnitatis efflueret. At vir Dei genubus humi fixis orabat attentius. Mox [c] igitur in conspectu trium spiritualium qui aderant tunc virorũ, cereus quem idem Seuerinus sanctus manu tenebat accensus est. Quo lucente, sacrificio vespertini temporis ex more suppleto, gratiæ Deo referuntur in omnibus. Quod factum, licet vir memoratus hos qui huic interfuere miraculo celare voluerit, sicut & multa magnalia quæ per illum diuinis sunt effectibus celebrata, claritas tamen tantæ virtutis occultari non potuit, sed ad magnam cæteros fidem excellenter accendit.

XIV. Accidit etiam eiusdem loci quandam mulierem diutino languore vexatam iacere seminecem, exequijs iam paratis, cuius proximi mœsto silentio voces funereas quodam fidei clamore presserunt, & ante ostium cellulæ sancti viri corpus iam exanime pene deposuêre. Videns ergo homo Dei clausum aditum oppositione lectuli, ait ad eos: Quidnam est quod facere voluistis? Responderunt: Vt oratione tua vitæ reddatur exanimis. Tunc ipse lachrymabundus exclamans ait: Quid à paruo magna deposcitis? Cognosco me prorsus indignum, vtinam merear veniam pro meis inuenire peccatis. Et [d] illi: Credimus inquiunt, quod si oraueris reuiuiscit. Tunc sanctus Seuerinus fusis illico lachrymis, in oratione prostratus est, & muliere protinus resurgente allocutus est eos: Nolite quidquam horum meis operibus applicare, hanc enim gratiam feruor fidei emeruit, & hoc fit in multis locis & gentibus, vt cognoscatur quod vnus sit Deus, faciens in cœlo & in terra prodigia, excitans perditos in salutem, & mortuos vitæ restituens. Mulier verò sanitate percepta, * opus sacrale die tertio iuxta morem prouinciæ proprijs cœpit manibus exercere.

XV. Quintanis * appellabatur secundarum municipium Retiarum super ripam Danubij situm, huic ex alia parte paruus fluuius * Quintana nomine propinquabat. Is crebra inundatione Danubij superfluentis excrescens, nonnulla castelli spatia, quia in planum fundatum erat occupabat. Ecclesiam etiam loci eius mansores extra muros ex lignis habuere constructam, quæ pendula extensione porrecta, defixis in altum stipitibus sustentabatur & furculis, cui ad vicem soli tabularum erat leuigata coniunctio, quam quoties riuus excessisset, aqua superfluens occupabat. Quintanensium itaque fide sanctus Seuerinus illuc fuerat inuitatus, vbi cum tempore siccitatis venisset, interrogabat cur tabulata nudaris obstaculorum tegminibus apparêrent. Accolæ responderunt, quod frequenti fluminis alluuione quidquid fuisset superstratum continuo laberetur. At ipse, sternatur, inquit, super tabulata in Christi nomine nunc pauimẽtum, nam videbitis amodo fluuium cœlesti iussione prohibitum. Pauimento itaq; perfecto, ipse vir Dei acceptâ securi subter descendens, postes factâ oratione percussit, atque ad aquam fluminis, venerandæ crucis expresso signaculo dixit: Non te sinat Dominus meus Iesus Christus hoc signum crucis excedere. Ex illo itaque tempore cum ex more fluuius creuisset in cumulos, ambissetque viciniam quam solebat, ita spatijs Ecclesiæ erat inferior, vt nunquam sancti patibuli signaculum quod impresserat homo Dei prorsus excederet.

XVI. Accidit aũt vt castelli presbyter memorati admodũ venerabilis * Siluinus nomine moreretur, & cum in Ecclesiâ feretro posito noctem psallentes duxissent ex more peruigilem, iã crescente diluculo, rogauit vir Dei fessos presbyteros & diaconos vniuersos parumper abscedere, vt post laborem vigiliarum somno se aliquantulum recrearent. Quibus egressis, Dei homo ostrarium Maternum nomine interrogat, vtrum omnes vt dixerat abscessissent. At illo respondente cunctos abijsse, nequaquam, ait, sed latet hîc quidam. Tunc ianitor Ecclesiæ secundo perlustrans, nullum intra eam mansisse testatur. Verum Christi miles Domino sibi reuelante, nescio quis, ait, hîc delitescit. Tertio itaque diligentius perscrutans, quandam inuenit virginem consecratam locis se occultioribus abdidisse, hanc ergo memoratus sic increpauit ædituus, Cur istic famulo Dei posito tuam credideris potuisse latêre præsentiam? At illa, pietatis inquit, me amor talia facere persuasit, videns enim cunctos foras expelli, putaui mecum quod seruus Christi inuocatâ diuinâ maiestate præsentem mortuum suscitaret. Exeunte igitur memoratâ virgine, homo Dei cum presbytero & diacono ianitoribusque duobus, in oratione curuatus postulauit fletu largissimo, vt opus solitæ maiestatis diuina virtus ostenderet. Tunc oratione completâ à presbytero, ita cadauer vir beatus alloquitur. In nomine Domini nostri Iesu

[a] Ioel. 2.

[b] Orationis quanta vis.

[c] Cereus S. Seuerini mi raculosè ac cenditur.

[d] Animam agentem sanitati restituit.

* Satisfactionibus Baronius.

* Conuicti, Baronius.

* Iunauo, Lazius.

* Germanicè VVesserus, Frons arbeit/ interpretatur

* Quintianis Anton. Secunda Retia, quæ Vindelicia olim.

* Quintanica.

* al. Syluinus & Syluius Lazius

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

[a] Siluanum presbyterũ mortuum loqui facit.

Christi sancte presbyter Siluane [a] loquere cum fratribus tuis. Et subito oculos defunctus aperuit. Vix verò præsentibus homo dei tacere præ gaudio persuasit, & denuo ad eum: Vis, inquit, rogemus dominum vt te adhuc seruis tuis in hac vita condonare dignetur? At ille ait: Per dominum te coniuro ne diutius hîc tenear, & frauder quiete perpetua, in qua me esse iam cernebam. Statimque reddita oratione quieuit exanimis. Hoc autem factum sancti Seuerini adiuratione ita cælatum est, vt ante mortem eius non potuisset agnosci, ego tamen hæc quæ retuli Marci subdiaconi & Materni ianitoris relatione cognoui. Nam presbyter & diaconus tanti testes miraculi, ante sanctum virum, cui iurauerant nulli se quod viderant prodituros, obijsse noscuntur.

[b] S. Seuerin. captiuorũ & inopum patronus præcipuus

TALIBVS igitur beatus Seuerinus [b] per Christi gratiam opulentus muneribus, captiuorum etiam egenorumque XVII.
tantam curam ingenita sibi pietate susceperat, vt pœnè omnes per vniuersa oppida vel castella pauperes, ipsius industria pascerentur, quibus tam læta sollicitudine ministrabat, vt tunc se crederet tantummodò saturari, vel abundare bonis omnibus, quando videbat egentium corpora sustentari. Et cum ipse hebdomadarum continuatis ieiunijs minimè frangeretur, tamen esurie miserorum se credebat afflictum. Cuius largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamuis ex duro barbarorum imperio famis angustias sustinerent, deuotissimè tamen frugum suarum decimas pauperibus impendebant. Quod mandatum licet cunctis ex lege notissimum sit, tamen quasi ex ore angeli præsentis audirent, grata deuotione seruabant. Frigus quoque vir dei tantum in nuditate pauperum sentiebat, siquidem specialiter à Deo perceperat, vt in frigidissima regione mirabili abstinentia castigatus, fortis & alacer permaneret. Pro decimis autem vt diximus dandis quibus pauperes alerentur, Norici quoque presbyteros missis exhortabatur epistolis. Ex qua consuetudine cum nonnullam ad eum erogandarum vestium copiam direxissent, interrogauit eos qui venerant, si ex ciuitate quoque * Tiburnia similis collatio mitteretur. Respondentibus etiam inde protinus affuturos, vir Dei nequaquam eos venire signauit, sed dilatam eorum oblationem prædixit barbaris offerendam. Itaque non multo pòst ciues Tiburniæ, vario cum obsidentibus Gothis certamine dimicantes, vix initi fœderis pactione inter cætera etiam largitionem iam in vnum collatam, quam mittere famulo Dei distulerant, hostibus vt prædixerat obtulerunt.

* *Tigurnia Lazius Tiberina & Tiberia, Auentinus Tiburniam*

S. Veit in Kernt. *interpretatur Anna. 2.*

CIVES quoque ex oppido * Lauriaco, crebro quondam sancti Seuerini exhortatione commoniti, frugum deci- XIIX.
mas pauperibus offerre distulerant. Quibus fame constrictis, iam maturitate messium flauescente, vicina subsidia monstrabantur. At vbi rubiginis improuisa corruptio frugibus nocitura comparauit, mox ad ipsum conuenêre prostrati, pœnas suæ contumaciæ confitentes. Miles verò Christi, fessos verbis spiritualibus alleuabat dicens: Si decimas obtulissetis pauperibus, non solum æterna mercede frueremini, verum etiam commodis possetis abundare præsentibus: Sed quia culpam confessione propria castigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo præsens tam valide penitus non nocebit, tantum fides vèstra non vacillet. Verum ciues ad persoluendas ex illa die decimas hæc promissio reddidit promptiores. Tunc [c] vt solebat hortatus est indici ieiunium, quo expleto, placidus imber desperatæ messis amputauit incommoda.

* *Laureaco.*

[c] Rubiginẽ à frugibus auertit

PATAVIS * appellatur oppidum, inter vtraque flumina, * Enum videlicet atque Danubium constitutum, vbi bea- XIX.
tus Seuerinus cellulam paucis solito more fundauerat, eo quod ipse illuc sæpius rogatus à ciuibus aduenire, maximè propter Alamannorum incursus assiduos, quorum rex Gibuldus summâ eum reuerentiâ diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum desideranter occurrit, cui sanctus obuiam, ne aduentu suo eam ciuitatem prægrauaret, egressus est, tantaque constantia regem allocutus est, vt tremere coram eo vehementius cœperit, sed & postea suis exercitibus indicauit, nunquam se nec re bellica nec aliqua formidine tanto tremore fuisse concussum. Cumque [d] Dei famulo daret optionem imperandi quæ vellet, rogauit doctor pijssimus, vt sibi potius præstaturus, gentem suam à Romana vastatione cohiberet, & captiuos quos sui tenuerant, gratanter absolueret. Tunc rex constituerat vt ex suis aliquem dirigeret, ad id opus maturius exequendum; statimque missus Amantius diaconus, è vestigio regem subsequitur eiusque pro foribus excubans, multis diebus non potuit nunciari. Cui pro re, qua directus fuerat non peracta, tristissimo reuertenti, apparuit quidam effigiem sancti præferens Seuerini, qui eum minaci appellatione perterritum sequi se iussit. Cumque pauens atque concitus sequeretur, peruenit ad ianuam regis, statimque dux ille præuius ex oculis mirantis euanuit. Verum regis iterum nuncius diaconum vnde esset, & quid speraret interrogat: Ille rem breuiter insinuans, oblatis regi, receptisque remeauit epistolis. Dimissus igitur, reuexit fere septuaginta captiuos, insuper promissionem regis gratam deferens, qua spopondit se, cum diligenter prouinciam peragrauerit, remissurum quantos in eadem reperturus fuisset numero captiuorum. Pro qua re postmodum sanctus Lucillus presbyter destinatus magnam miserorum copiam à captiuitate reuocauit.

* *Patauis.* * *Oenum, al. Rhenum.*

[d] Liberationem captiuorum à Gibuldo rege impetrat.

PER id tempus quo Romanum constabat imperium, multorum milites oppidorum pro custodia limitis publicis XX.
stipendijs alebantur. Qua consuetudine desinente, simul militares turbæ sunt deletæ; cum milite Batauino vtcumque numero perdurante, ex eo perrexerunt quidam ad Italiam, extremum stipendium commilitonibus allaturi, quos interemptos à barbaris nullus agnouerat. Quadam ergo die dum in sua cellula legeret sanctus Seuerinus, subito clauso codice, cum magno cœpit lachrymare suspirio, astantes iuuenes iussit ad fluuium properanter excurrere, quem in illa hora humano firmabat cruore respergi, statimque nunciatum est, corpora præfatorum militum fluminis impetu ad terram fuisse delata.

[e] Paulino Episcopatũ prædicit.

PAVLINVS [e] quidam ad sanctum Seuerinum fama eius latius percurrente peruenerat, hic in consortio beati viri XXI.
diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audiuit ab eo, Venerabilis presbyter festina, quia cito dilectionem tuam, populorum desiderijs vt credimus obluctantem, dignitas episcopatus ornabit: Mox remeante ad patriam, sermo in eo prædicentis impletus est. Nam ciues * Tiburniæ, quæ est metropolis Norici, coegerunt prædictum virum summi sacerdotij suscipere principatum.

* *Tigurniæ.*

* *Oenum.*

BASILICÆ extra muros oppidi Batauini, in loco nomine Boitro trans * Enum fluuium constitutæ, vbi cellulam XXII.
paucis monachis ipse construxerat, martyrum reliquiæ quærebantur. Ingerentibus ergo se presbyteris vt mitterentur ad sanctuaria deferenda, hæc beatus Seuerinus monita proferebat: Quamuis cuncta mortalium opere constructa pereant, hæc tamen ædificia præ cæteris celerrimè relinquenda sunt; & ideo pro reliquijs sanctorum nullum laborem debere suscipere, quia vltro sancti Ioannis eis benedictio deferetur. Interea beatum virum ciues oppidi memorati supplici ter adierunt, vt pergeret ad Fauianam Rugorum principem, mercandi eis licentiam postularet. Quibus ipse, tempus, inquit, huius oppidi appropinquauit, vt desertum, sicut cætera priora castella cultore destituta, remaneat. Quid ergo necesse est locis mercimonia prouidere, vbi vltra non poterit apparere mercator? Respondentibus illis, non se debere contemni, sed consueto subleuari regimine, quidam presbyter hæc diabolico spiritu repletus adiecit: Perge quæso sancte, perge velociter, vt tuo discessu parumper à ieiunijs & vigilijs quiescamus. Quo dicto, vir Dei lachrymis vrgebatur ingentibus, quod in ridiculam vanitatem cunctis audientibus sacerdos eruperat. Aperta namque scurrilitas latentium est testificatio delictorum. Sanctus itaque vir curta fleret interrogatus à fratribus: Video, [f] inquit, plagam grauissimam nobis absentibus huic loco protinus euenturam, & Christi sacraria, quod non sine gemitu cogor exprimere, humano sanguine redundabunt, in tantum, vt etiam locus iste violandus sit, nam in baptisterio loquebantur.

[f] Plagam venturam prædicit.

Ad anti-

Ad antiquum itaque & omnibus maius monasterium suum, iuxta muros oppidi Fauianis, quod centum & vltra millibus aberat, Danubij nauigationibus descendebat. Mox igitur eo discedente * Chunimundus paucis barbaris comitatus, oppidum vt sanctus prædixerat Batauis inuasit, ac penè cunctis mansoribus in messe detentis, quadraginta viros oppidi, qui ad custodiam remanserant, interemit. Presbyterum quoque illum qui tam sacrilege contra famulũ Christi in baptisterio fuerat elocutus, ad eundem locum confugientem, insequentes barbari peremerunt. Frustra enim illuc offenso Deo veritatis inimicus accessit, vbi tam imprudenter excesserat.

* *Hunimundus*

XXIII. IGITVR sanctissimus Seuerinus dum in monasterio Fauianis Euangelium legeret, oratione suppleta consurgens, scapham sibi illico iubet præparari, & mirantibus his qui aderant, ait, Sit nomen Domini benedictum, reliquijs [a] beatorum martyrum oporter nos occurrere. Nec mora transmeant Danubium, inueniunt hominem confidentem in ripa vlteriore fluminis, ac multis eos precibus postulantem, vt ad seruum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet duceretur. Mox itaque ei Christi seruo demonstrato, suppliciter sancti Ioannis baptistæ reliquias obtulit, multis apud se seruatas temporibus. Quas Dei seruus debita veneratione susciens, basilicam sancti Ioannis sicut prędixerat, vltronea benedictione collata, sacrauit officio sacerdotum.

[a] Reuerenter occurrit sanctis reliquijs.

XXIV. AD habitatores præterea oppidi quod * Iopia vocabatur, septuaginta & amplius à Batauis millibus disparatum, solitâ vir Dei reuelatione commonitus, Moderatum [b] nomine cantorem Ecclesiæ destinauit, præcipiens vt habitationem lociillius omnes sine cunctatione relinquerent, mox enim perituros fore si contemnerent imperata. Alijs ergo de tanto præsagio dubitantibus, alijs non credentibus prorsus, iterum misit Quintasium quendam, cui lachrymans ait, Perge velocius, denuncians eis, si in hac nocte remanserint, sine dilatione capientur. Sanctum quoque Maximum spiritualis vitæ presbyterum instantius imperat admonere, vt saltem ipse contemptoribus derelictis, properaret à cœlesti misericordiâ liberari, de quo sibi Dei famulus magnam dicebat inesse mœstitiam, ne forte salutiferum differendo mãdatum, imminenti subiaceret exitio. Prædictus itaq; pergens imperata suppleuit, & reliquis incredulitate nutantibus, nuncius viri Dei presbytero retinenti se, atq; hospitalitatem præbere cupiente, nullatenus acquieuit. Quâ nocte Herulii insperatè protinus irruẽtes, oppidumq; [c] vastantes, plurimos duxere captiuos, presbyterum verò memoratũ patibulo suspenderunt. Quo audito seruus Dei grauiter doluit præmonitus non curasse.

* *Iuuauit, legunt Lazius & Auentinus nunc Salisburgum.*

[b] Iopenses monet fugam capiant ni perire velint.

[c] Incredulorum pœna.

XXV. DEINDE quidam de Norico * Maximinus nomine seruum Dei frequentare solitus erat. Et cum pro familiaritate quam meruerat in monasterio sancti viri diebus aliquot moraretur, eius informatur [d] oraculis patriam suam graue repente exitium subiturum. Qui acceptis litteris ad sanctum Paulinum Episcopum designatis, remeauit instantius. Igitur memoratus antistes litterarum tenore perstructus, vniuersas diœceses siue castella, scriptis proprijs vehementer admonuit, vt triduano ieiunio quod literæ viri Dei signauerant, exitio venturæ cladis occurrerent. Quibus iussa complentibus, terminato ieiunio ecce * Alamannorum copiosissima multitudo feraliter cuncta vastauit, Castella verò nullum sensere periculum quæ lorica fidelis ieiunij, & laudanda cordis humilitas aduersus hostium ferociam fidenter armauerat.

* *Maximus.*

[d] S. Seuerinus Maximinum monet de imminentibus patriæ suæ periculis.

XXVI. POST hæc leprosus [e] quidam Mediolanensis territorij, ad sanctũ Seuerinum, famâ eius inuitante perrexerat, hunc sanitatum remẽdia implorantem suppliciter, monachis suis indicto ieiunio cõmendauit, qui continuo Dei gratiâ mũdatus est: Cumq; recepta sanitate redire suaderetur ad patriã suam, prostrauit se pedibus sanctiviri, petens ne vlterius ad sua redire cogeretur, cupiens sc. vt lepram quoq; peccatorum sicut carnis effugeretur, vitamq; in eodem loco sine laudabili terminaret, Cuius animũ vir Dei vehementer admirans, paucis monachis paterna iussione præcepit, frequentatis cũ eo ieiunijs in oratione continua permanere, vt Dominus ei quæ essent opportuna concederet. Tantis itaque remedijs præmunitus, intra duorum mensium spatium vitæ mortalis est compedibus absolutus.

* *Sueuorum.*

[e] Leprosum mundat.

XXVII EODEM tempore mansores oppidi Quintanensis, creberrimis Alamannorum incursionibus defessi, sedes proprias relinquentes in Batauis oppidum migrauerunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium prædictorum, qua causa plus inflammati sunt, credentes duorum populos oppidorum vno impetu prædarentur. Sed beatus Seuerinus orationi fortius incubans Romanos exemplis salutaribus multipliciter hortabatur, prænuncians hostes quidem præsentis Dei auxilio superandos, sed post victoriam, eos qui contemnerent eius monita, perituros. Igitur Romani [f] omnes sancti viri prædictione firmati, spe promissæ victoriæ aduersus Alamannos instruxerunt aciem, non tam materialibus armis, quam sancti viri orationibus præmuniti. Qua congressione victis ac fugientibus Alamannis, vir Dei ita victores alloquitur, Filij, ne vestris viribus palmam præsentis certaminis imputetis, scientes vos Dei nunc præsidio liberatos, vt hinc paruo interuallo temporis, quasi quibusdam concessis inducijs discedatis mecum. Itaque ad oppidum Lauriacum congregati descendite. Hæc homo Dei plenus pietate commonuit. Sed Batauinis genitale solum relinquere dubitantibus, sic adiecit: Quamuis & illud oppidum quo pergimus ingruente barbarie sit quantocyus relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus. Talia commonentem sequuti sunt plurimi, quidam reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicunqne enim ibidem contra hominis Dei interdictum manserunt, * Thuringis irruentibus in eâdem hebdomade alij quidem trucidati, alij in captiuitatem deducti, pœnas dedere contemptus.

[f] Romani de Alamannis triumphant S. Seuerini orationibus adiuti.

* *Thuringis mauult VVelserus.*

XXIX IGITVR post excidium oppidorum in superiore parte Danubij, omnem populum in Lauriacum oppidum transmigrantem, qui sancti Seuerini monitis paruerant, assiduis hortationibus præstruebat, ne in suâ virtute confiderent, sed orationibus & ieiunijs atque eleemosynis insistentes, armis potius spiritualibus munirentur. Præterea vir Dei quadam die cunctos pauperes in vnâ basilicâ statuit congregari, oleum prout poscebat ratio largiturus, quam speciem in illis locis difficillimam negotiatorum deferebat aduectio. Igitur tamquam benedictionis accipiendæ gratia maior egenorum turba confluxit, pretiosum quippe ibidem huius liquoris alimentum, auxit turbam numerumque poscentium. Tunc [g] beatus oratione completa, signoque crucis expresso, solitum sibi scripturæ sanctæ sermonem cunctis audientibus exprimens ait, Sit nomen Domini benedictum. Tunc cœpit oleum propriâ manu ministris implere portantibus, imitatus seruus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare, sequensque vestigia saluatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dexteræ sinistrâ nescicnte fundebat. Completis itaque vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrãtium. Tantum igitur Dei beneficium dum circumstantes tacitè mirarentur, vnus eorum cui nomen erat Biennius magno timore perterritus exclamauit dicens, Domine mi, crescit hic cacabus olei, & in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, proditâ virtute, subtractus est. Cui statim Christi famulus exclamans ait, Quid fecisti frater? Obstruxisti commodum plurimorum, ignoscat tibi Dominus Iesus Christus. Sic aliquando mulier vidua debitis onerata, Helisei prophetæ iussis instruitur, ex olei stillâ quam habebat vasa replere quam plurima. Quod cum fecisset, & adhuc vasa à filijs deposceret, vbi audiuit numerum defecisse vasorum, mox stetit oleum.

[g] Oleum pauperibus elargiens, non defecit.

XXX. PER idem tempus * Maximus Noricensis, cuius fecimus superius mentionem, fidei calore succensus, mediâ hyeme, qua regionis illius itinera gelu torpente clauduntur, ad beatum Seuerinum audaci temeritate, vel magis, vt postea claruit, intrepidâ deuotione venire contendit, conductis plurimis comitibus qui collo suo vestes, captiuis & pauperibus profuturas, quas Noricorum religiosa collatio congregauerat baiularent, itaque prouecti ad summa alpium cacumina

* *al. Maximinus.*

cumina peruenerunt, vbi per totam noctem nix tanta confluxit, vt eos magnæ arboris protectione vallatos, velut ingens fouea demersos includeret. Et [a] cum de vita sua penitus desperarent, vidit ductor comitum per soporem in effigie virum Dei, stantem ac dicentem sibi: Nolite timere, pergite quo cœpistis. Hac verò reuelatione protinus animati, cum cœpissent etiam fide magis quam gressibus proficisci, subito diuino nutu ingentis formæ vrsus è latere veniens viam monstraturus apparuit, qui se tempore hyemis speluncis abditare consueuit, & mox cupitum gerebat iter, & ducenta fere millia non ad sinistram deuians non ad dexteram, viam demonstrauit optabilem. Tanta enim eos intercapedine præcedebat, quanta regente vestigio semitam præpararet. Itaq; progrediens bestia per heremi vastitatem, viros qui egenis deferebant solatia non reliquit, sed vsq; ad habitacula hominum qua potuit humanitate perduxit, & mox in vnã partem officio diuertit expleto: ostendens tanto ducatus officio, quid homines hominibus præstare debeant, quantumq; charitatis impendere, cum desperantibus iter bestia sæua monstrauerit. Igitur cum seruo Dei nunciarentur qui venerant, ait, Ingrediantur quibus viam qua venirent vrsus aperuit. Quo audito illi stupore repleti, mirabantur enim virum Dei referre id quod in absentia prouenerat.

[a] Maximo apparet & hortatur in ceptum iter cum sodalibus intrepidè prosequatur.

CIVES item oppidi Lauriaci, & superiores transfugæ castellorum, ad suspecta loca exploratoribus destinatis, hostes quantum poterant humana sollicitudine præcauebant. Quos [b] seruus Dei diuinitatis instinctu commonitus, præsaga mente præstruxit, vt omnem paupertatis suæ sufficientiam intra muros concluderent, quatenus inimicorum feralis incursio, nihil humanitatis inueniens, statim fame compulsa immania crudelitatis cœpta desereret. Hæc per triduum contestatus, aduesperescente iam die, Valentem nomine monachum mittens ad sanctum Constantium eiusdem loci pontificem, & ad cæteros commanentes. Hac [c] inquit nocte dispositis per muros ex more vigilijs districtius excubate, superuenientis hostis cauentes insidias. At illi nihil aduersi per exploratores, sentire se affirmabant. Sed Christi præco præmonere non desinens, dubitantibus voce magna clamabat, eadem nocte eos asserens capiendos, nisi imperijs fideliter obedirent, sæpius repetens, me inquit lapidate si mentitus fuero. Itaque tandem aliquando muris inuigilare compulsi, expleta consueti operis in noctis principio psalmodia, cum celeberrimo cœpissent vigilare concursu, aceruus fœni cominus positus, ex facula baiuli nolentis accensus, lumen non incendium reddidit ciuitati. Qua occasione vociferantibus cunctis, hostes syluarum occultatione morantes, subito splendore clamoreque perterriti, putantes se præcognitos quieuerunt, ac manè facto circumdantes ciuitatem & vbique discurrentes, cum nihil victualium reperissent, diripuerunt animalium gregem cuiusdam hominis, qui seruo Dei prædicente contumax, sua fugare contempserat, & recesserunt. Illis autem abeuntibus ciues portas egressi, haud procul à muris scalas iacentes inueniunt, quas ad vrbis excidium præparantes barbari, vigilantium clamore turbati in nocte iactauerant. Quapropter memorati ciues veniam à Christi famulo precabantur humiliter, confitentes corda sua lapidibus esse duriora, qui rebus præsentibus agnouerunt in sancto viro gratiam viguisse propheticam, atque in vno impetu esset plebs inobediens vniuersa captiua, nisi eam liberam viri Dei consueta conseruasset oratio, Iacobo Apostolo protestante, Multum inquit valet deprecatio iusti assidua. XXX.

[b] Lauriacensibus hostium insidias detegit.

[c] Excidium vrbi, ni aduigilarent prædicit.

FELETHEVS [d] Rugorum rex qui & Faua, audiens cunctorum reliquias oppidorum quæ barbaricos euaserant gladios Lauriacum se per Dei famulum contulisse, assumpto veniebat exercitu, cogitans repente detentos abducere, & in oppidis sibi tributarijs atque vicinis, (ex quibus vnũ acceperat Fauianis) quæ à Rugis tantummodo dirimebantur Danubio, collocare. Quamobrem grauiter vniuersi turbati, sanctum Seuerinum adiêre suppliciter, vt in occursum regis egrediẽs, eius animum mitigaret. Cui [e] tota nocte festinans, in vicesimo ab vrbe milliario matutinus occurrit. Rex ergo aduentum eius protinus expaueſcens, testabatur illius se fatigatione plurimum prægrauatum, causam repentinæ cursionis inquirit. Cui seruus Dei, Pax tibi inquit rex optime, Christi legatus aduenio, subditis veniam precaturus. Recole gratiam, diuina beneficia recordare, quibus pater tuus se frequenter sensit adiutum. Nam cunctis regni sui temporibus nihil me inconsulto gerere præsumebat. Qui monitis non resistens salutaribus, crebris prosperitatibus recognouit, quanti valeret obedientis animus, quantumque triumphatoribus prosit, suis non tumêre victorijs. Et rex inquit, Hunc populum pro quo beniuolus precator accedis, non patiar Alamannorum aut * Thuringorum iniquorum sæuâ deprædatione vastari, vel gladio trucidari, aut in seruitio redigi, cum sint nobis oppida & castella in quibus debeant ordinari. Cui seruus Christi constanter ita respondit: Nunquid [f] arcu tuo & gladio homines isti à prædonum vastatione creberrima sunt erepti, & non potius Dei munere, vt tibi pauliſper obsequi valeant, reseruati? Nunc ergo rex optime consilium meum ne respuas, fidei meæ hos committite subiectos, ne tanti exercitus compulsione vastentur potius quàm migrentur: Confido enim in Domino meo, quod ipse qui me fecit horum calamitatibus interesse, in ducendis eis idoneum faciet promissorum. His auditis, rex modestis legationibus mitigatus, cum suo remeauit exercitu. Igitur Romani quos in sua sanctus Seuerinus fide susceperat, descendentes de Lauriaco pacificis dispositionibus, beniuolâ cum Rugis societate vixerunt. Ipse verò Fauianis degens in antiquo suo monasterio, nec admonere populos, nec prædicere futura cessabat, asserens vniuersos in Romani soli prouinciam absque vllo libertatis migraturos incommodo. XXXI.

[d] Feletheus hic Flaccetei filius, de quo supra cap. 8.

[e] S. Seuerinus Feletheo regi occurrit,

* *Turcilingorum fortè vt coniecturatur V Velserus.*

[f] Eius animum mitigat.

HISDEM temporibus * Odobagar rex sancto Seuerino [g] familiares litteras dirigens, si qua speranda duceret, dabat suppliciter optionem, memor illius præsagij quo eum expresserat quondam regnaturum. Tantis itaque sanctus alloquijs inuitatus, Ambrosium quendam exulantem rogat absolui. Cuius * Odobagar gratulabundus paruit imperatis. Quodam etiam tempore dum memoratum regem multi nobiles coram sancto viro humana, vt fieri solet, adulatione laudarent, interrogat quem regem tantis præconijs prætulissent: Respondentibus * Odobagarum regem. * Odobagar inquit interim inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet integros regnabit, finem verò regni eius significans, & his dictis adiecit, citius illos quod ipse prædixerat probaturos. XXXII

* *Odoacer.*

[g] Odoacer Italiæ rex scribit S. Seuerino.

* *Odoacer.*

* *Odoacrũ.*

* *Odoacer.*

AB oppidaneis Comagensibus, apud quos primum quondam innotuerat beatus Seuerinus, suppliciter rogatus ad uenit. Cuius [h] compertâ præsentia, vnus ex optimatibus Felethei regis filium suum adolescentem diuturno languore vexatum, cui iam parabat exequias, transiecto Danubio pedibus eius proiecit, & lachrymans, credo inquit homo Dei, te filio meo velocem impetrare diuinitus posse sanitatem. Tunc data oratione, qui semiuiuus allatus fuerat, statim patre mirante surrexit, & perfecta protinus reuertitur sanitate. XXXIII.

[h] Sanat periculosè laborantem.

* *Thegio.*

ELEPHANTIOSVS quidã * Telo nomine de longinquis regionibus sancti Seuerini inuitatus virtutibus venit, rogans eius orationibus mundari. Accepto itaque ex more præcepto, iubetur Deũ totius gratiæ largitorẽ sine cessatione lachrymabiliter exorare. Quid [i] plura? precibus beati viri idem leprosus diuina opitulatione mundatus, dum commutat mores in melius, mutare meruit & colorem, regis æterni magnalia tam suis quam plurimorum vocibus longè lateque denuncians. XXXIV.

[i] Leprosum mundat.

BONOSVS * quoque monachus beati Seuerini, barbarus genere, qui responsis eius inhærebat, oculorum imbecillitate plurimum prægrauatus, medelam sibi præstari eius oratione poscebat, ægrè ferens aduentitios & externos salutaris gratiæ sentire præsidia, sibique nullam remediorum opem aliquatenus exhiberi. Cui [k] seruus Dei, non tibi, inquit, expedit fili corporeis luminibus acie habere perspicuam: & exterioris oculi clarum præferre cõspectum, ora magis vt obtutus vegetetur interior. Talibus ergo monitis informatus, dedit operam corde magis videre quam corpore, meruit- XXXV.

* *Bonos.*

[k] Quibusdam sanitas pernicioſa eſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

metuitque absque vllo fastidio mirabiliter in orationis perfici iugitate continuus, & per quadraginta fere annos in monasterij excubijs perseuerans, eodem quo conuersus est fidei calore transiuit ad Dominum.

XXXVI. In loco *Boitro superius memorato, quosdam tres [a] monachos sui monasterij doctor humilis superbię fœditate respersos, dum pro suis singulos excessibus increpatos, durare in pernicie comprobasset, orauit vt eos Dominus in adoptionem recipiens filiorum, paterno dignaretur flagello corripere. Prius ergo quam orationem effusis lachrymis terminaret, vno momento ijdem monachi dæmone corripiente vexati, contumaciam suam pectorisque fastum, ac superbiam cordis mirabilibus vocibus fatebantur. Absit vt cuiquam hoc crudele videatur aut noxium, quia traditi sunt huiusmodi Satanæ in interitum carnis, sicut docet beatus Apostolus, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi: cum beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus seruum Stiliconis, auctorem falsarum Epistolarum deprehẽsum, dixerit oportere tradi Satanæ, ne talia imposterum auderet admittere, quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore sacerdotis, spiritus immundus arreptum cœpit discerpere. Seuerus quoque Sulpitius refert ex relatione Posthumiani, virum quendam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo iactantiæ vanitatem quã incurrerat, exorasse vt permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curauerat. Idẽ post pauca: Itaq; correptus à dæmone, tentus in vinculis, omnia quæ energumeni ferre solent perpessus, quinto demũ mense curatus est, non tantum à dæmone, sed quod illi erat vtilius atq; optatius, ab elationis vanitate. Prædictos itaq; monachos vir Dei delegatos fratribus per dies quadraginta arduis abstinentiæ remedijs mancipauit. Quibus expletis, datã super eos oratione, à potestate dæmonis eruit, nec solum corporis sanitatem, sed & mentis impertit. Quo facto sancto viro reuerentia & terror accreuit, & cæteros maior disciplinæ metus obtinuit.

*Barotrõ.
[a] Tres superbos monachos vt petierit castigari à Domino. 2. Cor. 5.

XXXVII. Marcianvm monachum, qui postea presbyter ante nos monasterio præfuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat. Et cum dies tertius laberetur, ait fratribus, Orate charissimi, quia grauis hac horâ Marcianum tribulatio cõprimit & Renatum, de quâ tamen citius Christi liberabuntur auxilio. Tunc monachi quæ ab eo dicta sunt protinus annotantes, illis post menses plurimos redeuntibus, diem horamq; periculi quâ barbaros euaserant indicantibus, sicut signauerant approbauerunt.

XXXVIII. Item beatissimus Seuerinus monacho Vrso nomine, repente præcepit quadraginta dierum districtiore [b] ieiunio, venturæ calamitati, abstinentia ciborum & lamentis occurrere, dicens: Imminet tibi corporale periculum, quod Dei præsidio parui panis & aquæ remedijs expiabis. Quadragesimo itaque die mortifera papula in brachio ieiunantis apparuit, quam mox ad ipsum ingressus suppliciter demonstrauit. Cui sanctus Dei famulus: Noli metuere pronuntiatum tibi ante dies quadraginta discrimen, statimque propria manu signo crucis obducto, mirantibus qui aderant papula lethalis euanuit. Hoc vnum de domesticis sanitatibus narrare sufficiat, prolixi operis fastidium declinando. Nam sæpius suorum ægritudines monachorum Christo sibi reuelante prænuncians, hisdem quibus præuidebat muneribus & sanabat.

[b] En vt vult ieiunio auerti imminens periculum.

XXXIX. A discipulorum suorum quoque cellulâ spiritualis doctor non longius habitabat, in orationibus & abstinentia iugiter perseuerans, cum quibus tamen matutinas orationes, & propriam noctis principio psalmodiam solemniter adimplebat, reliqua verò orationum tempora, in paruo complebat oratorio quo manebat. In quibus sæpe cœlestibus informabatur oraculis, multa futura per Dei gratiam prædicabat, multorum etiam occulta cognoscens, vt opuserat proferebat in medium, & singulis remedia prout poscebat modus ægritudinis prouidebat. Stratus eius vnum erat in oratorij pauimento cilicium, omni tempore ipso quo vestiebatur amictu, etiam dum quiescret vtebatur. Nunquam ante solis occasum nisi certa soluit festiuitate ieiunium. Quadragesimæ verò temporibus vna per hebdomadam refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria errata deflens, quibus poterat præsidijs temperabat.

XL. Deinde post multos agones & diuturna certamina, cum se beatus Seuerinus de hoc sæculo transiturum Deo reuelante sensisset, memoratum Rugorum [c] regem *Fauam cum vxore eius crudelissima, nomine Gisa, ad se venire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus, vt ita cum sibi subiectis ageret, quo se iugiter cogitaret pro statu regni sui rationem Domino redditurum, alijsque verbis intrepidè monuisset, protenta manu regis pectus ostendens, reginam interrogationibus arguebat his: Hanc, inquit, animam Gisa, an aurum argentumque plus diligis? Cumque illa maritum se diceret cunctis opibus anteferre. Vir Dei sapienter. Ergo, inquit, desine innocentes opprimere, ne illorum afflictio vestram magis dissiper detestatem: etenim tu sæpe mansuetudinem regis conuellis. At illa: Cur, inquit nos sic accipis serue Dei? Cui ipse: Contestor, ait, vos ego humilis, iam profecturus ad Deum, vt ab iniquis actibus temperantes, pijs mores honestetis operibus. Huc vsque regnum vestrum auctore Domino prosperatum est, iam ex hoc vos videritis. His monitis rex cum coniuge sufficienter instructi, valedicentes ei profecti sunt. Tunc sanctus non desinebat de suæ migrationis vicinia suos alloqui dulcedine charitatis, quod quidem facere nec ante cessauerat. [d] Scitote, inquit, fratres, sicut filios Israel constat ereptos esse de terra Ægypti, ita cunctos populos terræ huius, oportet ab iniusta barbarorum dominatione liberari. Etenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes, ad Romanam prouinciam absque vlla sui captiuitate peruenient. Sed mementote præcepta sancti Ioseph patriarchæ, cuius ego vos indignus & infimus attestatione conuenio: visitatione visitabit vos Dominus, & tolletis ossa mea hinc vobiscum, quod non mihi, sed vobis est profuturum. Hæc quippe loca nunc frequentata cultoribus, in tam vastissimam solitudinem redigentur, vt hostes æstimantes auri se quippiam reperturos, etiam mortuorum sepulturas effodiant. Cuius vaticinij veritatem euentus rerum præsentium comprobauit. Leuari ergo suum corpusculum pater sanctissimæ probitatis prouidis argumentis præcepit, vt dum generales populi transmigrationes proueniissent, indiuisa fratrum, quos adquisierat, congregatio proficiscens, obtentu memoriæ eius in vno societatis vinculo permaneret.

[c] Rugorum regem vt instruxerit. *Febam.
[d] Prophetia morituri. Gen. 50.

XLI. Diem [e] etiam quo transiturus esset idem beatus Seuerinus è corpore ante duos & amplius annos hac significatione monstrauit. Epiphaniorum die, cum sanctus Lucillus presbyter abbatis sui sancti Valentini, *Retiarum quondam Episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturus sollicitus intimasset, idem famulus Dei ita respondit: Si beatus Valentinus hæc tibi celebranda solemnia delegauit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarũ mearũ studia obseruanda, migraturus è corpore, dereliquo. In his sermonibus tremefactus, cũ se magis, vtpote homo decrepitus enixius commendaret, quasi primitus transiturus, adiecit: Hoc erit sancte presbyter quod audisti, nec enim Domini constitutum humana voluntate præteriet.

[e] Diem obitus sui longè ante indicat. *Rhetiarũ. *al. Fridericus. †Feba, habet Baron. *acceperat à Fauianis, idem Bar.

XLII. Præterea cum Fridericus *à fratre suo Rugorum rege †Faua ex paucis quæ super ripam Danubij permansérãt oppidis vnum *acciperet Fauianis, iuxta quod sanctus Seuerinus vt retuli commanebat, & ad eum idem Fridericus ex more salutaturus accederet, cœpit ei miles Christi iter suum enixius indicare, sub contestatione hæc proloquens: Noueris [f] me inquit quantocyus ad Dominum profecturum, & idcirco commonitus præcaueto, ne me discedente aliquid horum quæ mihi commissa sunt attaminare pertentes, & substantiam pauperum captiuorumque contingas, indignationem Dei, quod absit, tali temeritate sensurus. Sed *Fridericus insperatâ commonitione perculsus: cur, inquit, hac contestatione confundimur, cum non optemus tantis orbari præsidijs, & sanctæ largitioni tuæ, quæ omnibus nota est, conferre aliquid nos deceat, non auferre, quatenus solitâ, sicut & pater noster Flaccitheus, tuâ merear oratione muniri qui expe-

[f] Friderico transitum suum prædicit S. Seuerinus, & eius ad eundem admonitio. *al. Fridericus.

qui experimento didicit sanctitatis tuæ meritis se fuisse semper adiutum. Et ille, qualibet, inquit, occasione meam cellulam volueris lædere, & hîc statim probabis, & in futuro solues quam non opto vindictam. Tunc *Fridericus promittens se Christi famuli monita seruaturum, remeauit ad propria. Doctor verò dulcissimus non cessabat suos alloqui per monitâ discipulos, dicens: Confido de gratiâ Christi mei Iesu, quia vobis in opere suo durantibus, & meæ memoriæ pacatâ societate coniunctis, æternæ vitæ bona tribuet, nec solatia præsentium denegabit.

*al. Fridericus.

NONIS itaque Ianuarijs cœpit tenuiter lateris dolore pulsari, quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adesse præcepit, quos de corpore suo commonens, & paternâ informatione corroborans, instanter ac mirabiliter talia prosecutus, aiebat: Filij [a] in Christo charissimi, scitis quod beatus Iacob conditione mortis instante, filios suos adesse præcipiens, propheticæ benedictionis affatibus singulos quosque remunerans, mysteriorum arcana prodidit futurorum. Nos verò infimi ac tepidi, tantæque impares pietati, hanc prærogatiuam nostris vsurpare viribus non audemus, vnum tamen quod humilitati congruit non tacebo, mittens vos ad exempla maiorum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Abraham namque vocatus à Domino, fide obediuit vt exiret in locum quem acceptarus erat in possessionem, & exijt nesciens quo venturus esset. Huius igitur beati patriarchæ imitamini fidem, imitamini sanctitatem: terrenam despicite patriam, cœlestem semper inquirite. Confido autem in domino, quod mihi de vobis æterna lucra prouenient. Video enim vos gaudium meum feruore spiritus ampliasse, amare iustitiam, fraternæ charitatis vincula diligere, castitati operam dare, humilitatis regulam custodire, hæc quantum ad hominis spectat intuitum, laudo confidenter & approbo. Sed orate vt quæ humanis aspectibus digna sunt, æternæ discretionis examinatione firmentur, quia non sicut videt homo videt Deus. Ille siquidem sicut diuinus sermo denunciat, omnia corda scrutatur, & omnium mentium cogitationes anteuenit. Assiduis ergo precibus hoc orate, vt oculos cordis vestri Dominus illuminet, eosque sicut orauit beatus Heliseus aperiat, quo possitis agnoscere quanta nos circumstent adiumenta sanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur, Deus enim noster supplicibus appropinquat. Non desit militantibus iugis oratio, non pigeat agere pœnitentiam, quos non puduit facinus perpetrare, non pigeat lugere peccantes, si quomodo offensa diuini iudicij lachrymarum vestrarum inundatione placetur, quia spiritum contribulatum, suum est dignatus vocare sacrificiũ. Simus igitur corde humiles, mente tanquilli, delicta omnia præcauentes, ac diuinorũ semper memores mandatorũ, scientes non prodesse nobis cum humilitate vestis nomen monachi, vocabulũ religionis speciem pietatis, si circa obseruantiâ degeneres inueniamur & reprobi. Mores igitur filij charissimi proposito suscepto consentiant: grande nefas est peccata sectari hominem sæcularem, quanto magis monachos, qui blandimenta sæculi quasi atrocem bestiã fugientes, Christum cunctis affectibus prætulerũt, quorum incessus & habitus creditur esse documentum. Sed quid vos vltra demoror filij charissimi longi sermonis affatu? Superest vt beati Apostoli vltimâ oratione vos persequar, ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo, & veræ gratiæ eius, qui potens est conseruare vos, & dare hæreditatem in sanctificationibus. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Oratio eius iam morituri. Gen. 49. Gen. 12. Heb. 11.

XLIII

POST huiusmodi igitur ædificationis alloquium, cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere, & sacramento communionis accepto fleri se penitus prohibet, totumque corpus signo crucis extenta manu consignans, vt psallerent imperauit. Quibus mœroris effusione cunctantibus, ipse psalmum protulit ad canendum: Laudate Dominum in sanctis eius, omnis spiritus laudet Dominum. Sextis [b] itaque Ianuarij Idibus, nobis vix præfletu respondentibus, in hoc versiculo quieuit in Domino. Quo sepulto, credentes omnimodo seniores nostri quæ de transmigratione prædixerat, sicut & multa alia, infecta præterire non posse, locellum ligneum parauerunt, vt cum prænunciata populi transmigratio prouenisset, prædictoris imperata complerent.

XLIV

Psalm. 150.

[b] Reddit animam an. 481. vt notat Baron. Auentinus 481. definit.

FRIDERICVS* verò beati Seuerini morte comperta, pauper & impius, barbarâ [c] cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteũ, cæteraque altaris ministeria præcepit auferenda. Quæ cum imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus suas manus extendere, quendam militem *Auicianum nomine compulit diripere memorata. [d] Qui quamuis inuitus præcepta perficiens, mox tamen incessabilitet vexatus omnium membrorum tremore, dæmonio quoque corripitur. Is ergo velociter consilio meliore correxit errata. Suscepto namque professionis sanctę proposito, in insulæ solitudine armis cœlestibus mancipatus, militiæ commutauit officium. *Fridericus autem immemor contestationis & præsagij sancti viri, abrasis omnibus monasterij rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimisit. Sed mox in eum vltio denunciata peruenit, nam intra mensis spatium à Friderico fratris filio interfectus, prædam pariter amisit & vitam. Quapropter [e] rex Otachar Rugis intulit bellum, quibus etiam deuictis, & Friderico fugato, patre quoque Faua capto, eum ad Italiam cum noxiâ coniuge supra memoratâ, videlicet Gisa transmigrauit. Post audiens idem *Odachar Fridericum ad propria reuertisse, statim fratrem suum misit cum multis exercitibus *Aonulphum, ante quem denuo fugiens Fridericus, ad Theodoricum regem, qui tunc apud *Nouam ciuitatem prouinciæ Messiæ morabatur, profectus est, Aonulfus verò præcepto fratris admonitus, vniuersos iussit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ tamquam de domo seruitutis Ægyptiæ, ita de quotidianâ barbarie frequentissimæ depræ-dationis educti, sancti Seuerini oracula cognouerunt. Cuius præcepti non immemor venerabilis noster presbyter Lucillus, dum vniuersi per comitem *Pierium compellerentur exire, præmissa cum monachis vesperæ psalmodiâ, sepulturæ locum imperat aperiri. Quo [f] patefacto, tantæ nos suauitatis fragrantia omnes circumstantes accepit, vt præ nimio gaudio admiratione prosterneremur in terram: deinde humaniter æstimantes ossa funeris inuenire disiuncta, nam annus sextus depositionis eius effluxerat, integram corporis compagem reperimus. Quo [g] miraculo, immensas gratias retulimus omnium conditori, quia cadauer sancti, in quo nulla aromata fuerunt condita, cum barbâ pariter & capillis vsque ad illud tempus permansisset illæsum. Linteaminibus igitur immutatis, in loculo multo iam tempore ante præparato funus includitur, carpentum trahentibus equis mox euehitur, cunctis nobiscum prouincialibus idem iter agentibus, qui oppidis super ripam Danubij relictis, per diuersas Italiæ regiones varias suæ permigrationis sortiti sunt sedes. Sancti itaque corpusculum ad castellum nomine Montem Feletem multis emensis regionibus apportatum est.

XLV.

*Fridericus.

[c] Barbarica temeritas à Deo punitur.

*Anicianum.

[d] Vide pœnas sacrilegi.

*al. Fridericus.

[e] Odoacer expugnat Rugios anno 487.

*Odoacer Fridericum.

*Onulfum Auent. Anulfum.

*Nouas.

*Pigerium.

[f] Aperitur sepulchrũ S. Seuerini.

[g] Corpus eius integrũ inuenitur.

PER idem tempus multi varijs occupati languoribus, & nonnulli à spiritibus immundis oppressi, medelam diuinæ gratiæ sine vlla mora senserunt. Tunc [h] & mutus quidam ad id castellum suorum miseratione perductus est, qui dum in oratorium quo sancti viri corpusculum super carrum positum adhuc permanebat, alacer peruenisset, ac sub eo clauso oris sui ostio in cordis cubiculo supplicaret, illico lingua eius in oratione resoluta, laudem dixit altissimo. Cumque reuersus ad hospitium quo suscipi consueuerat, interrogatus fuisset ex more, nutu signoque pulsatus, & orâsse se, & laudem Deo obtulisse clarâ voce respondit. Quo loquente pauefacti qui eum nouerant, ad oratorium cum clamore currentes, sancto Lucillo presbytero, simulque nobis qui cum illo eramus, ignorantibus quid euenerat indicarunt. Tunc omnes exultantes in gaudio, diuinæ clementiæ gratiarum retulimus actiones.

[h] Fiunt miracula ad corpus S. Viri.

*Barbara, Baronius.

IGITVR illustris fœmina *Barbaria beatum Seuerinum, quem fama vel litteris cum suo quondam iugali optimè nouerat, religiosa deuotione venerata est. Quæ cum post obitum eius audiens corpusculum sancti in Italiam multo labore perductum, & vsque ad illud tempus terræ nullatenus commendatum, venerabilem presbyterum nostrum *Martianũ, sed & cunctam congregationem literis frequentibus inuitauit. Tũc [i] sancti Gelasij sedis Romanæ pontificis au-

XLVI

*Marcianum.

[i] Transfertur eiuscor-

eis auctoritate, & Neapolitano populo exequijs reuerendis occurrente, in castello *Locullano per manus sancti Victoris episcopi, mausoleo, quod prædicta fœmina condidit, ex parte collocatum est. Qua celebritate multi languoribus diuersis afflicti, quos recensere longum est, receperunt protinus sanitatem. Inter quos quædam venerabilis ancilla Dei Processa nomine ciuis Neopolitana, cum grauissimum ægritudinis pateretur incommodum, sancti funeris prouocata virtutibus, in itinere properanter occurrit, ingressa sub vehiculum, quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omnium languore membrorum. Tunc & *Laodicius quidam cæcus, inopinato psallentis populi clamore perculsus, sollicitè suos quid esset, interrogat: Respondentibus quod cuiusdam sancti Seuerini corpus transiret, compunctus ad fenestram domus, in qua manebat, se duci rogat, de qua poterat à sanis eminus multitudo psallentium atq; vehiculum sancti corporis contemplari. Cumque [a] fenestræ enixius incumberet atq; oraret, protinus prospicit sigillatim demonstrans omnes notos atque vicinos. Quo facto, cuncti qui audierant, gratias Deo lachrymantibus gaudijs retulerunt. Marinus *quoque primicerius sanctæ ecclesiæ Neopolitanæ cùm sanitatem post immanissimum capitis dolorem recipere non posset, caput vehiculo credens appossuit, & mox à dolore liberum subleuauit, memorque illius beneficij, semper in die depositionis eius occurrens, deuotum sacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat. Verum multis plura scientibus, sufficiant ista de innumeris, quæ ingressu eius gesta sunt beneficiorum virtutumq; retulisse miracula. Monasterium [b] igitur eodem loco cõstructum, ad memoriam beati viri hactenus perseuerat, cuius meritis multi obsessi à dæmonibus curati sunt, & diuersis obstricti languoribus receperunt ac recipiunt operante Dei gratia sanitatem, Cui est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

pus Neapolim
*Lucullano, sic dicto à L. Lucullo.
*Laodiceus
[a] Cæcus illuminatur.
*al. Marianus quoque primicerius cantorum.
[b] Monasteriũ S. Seuerini post obitum eius constructũ.

VITA SANCTÆ GVDVLÆ VIRGINIS, APVD BRABANTOS CELEBERRIMÆ, EX PERVETVSTO MS. Codice transscripta.

AN. 6601

I. IGITVR Sigiberti regis temporibus, qui fuit Dagaberti regis filius, extitit [c] quidã Comes Witger[a] in pago *Brachantensi, probabilis moribus, cuius thalamis inhærebat coniunx dignissima, cuius fuerat nomen *Amulberga, Maioris domus inclyta Pipini sorore progenita: qui vterque diuinis parili modo obtemperabant monitis. Quibus in seculo piè degentibus, sanctum & iustum contulit germen dominus. Eodem namque germine sanctus extitit Emebertus, Cameracensium præsul gloriosus, vitæ admirabilis, & meritis insignis: cuius etiam extitêre sorores simili sanctitate probabiles, Reinildis scilicet sanctissima, & Pharaildis moribus egregia. Horum [d] ergò genitricem tam felici iocunditate prolis pollentem, omnipotens Dominus adhuc futura fœcundauit prole dignissima: & iam more parturientium anxietatis fluctuantem procella, qui in seruis suis cõsolatur, huiusmodi refocillatione recreare dignatur. Nox erat, & terris mortales somnus habebat, cum eadem materfamilias sopori dedita, angelum aspicit, hæc sibi proferentem verba: solue metum corde, vtpote fœcundata precioso germine. Ipse enim rex cœli ferre iubet hæc solamina tibi. Concepisti fideliter, paries feliciter, venerabilis filiæ clarissima mater: quæ ab ipso puellari æuo diuinis adhærebit cæremonijs: in quibus perseuerans vsque ad metas æui breuis, palmam capiet vitæ perennis. Tali ore locuta visio angelica, eam completo reliquit sermone, auram & in tenuem euanuit. At illa talibus exhilarata visis, corpus è stratis corripit, & ad cœlum manus cum voce tendit, & parans cælitus delatis credula corda responsis, largitori omnium bonorum gratias reddidit. Orta est sanè hæc virgo *Brachantensium finibus, vt prædictum est, à parentibus tam religiosis, quàm nobilibus, eo tempore, quo beata Gertrudis vixit celeberrima in Dei rebus.

8. IAN.
[c] Genus S. Gudulæ.
*Pagus Brachãtens. prõ Brabantia.
*Amelberga.
[d] Mater ei[a] p visum admonetur.
*Brabantensium.

II. CVM ergò prædicti parentes [e] virginis filiam suam sacro fonte regenerare decernerent, præsentiam supradictæ virginis expetunt, & vt eius regenerationis fieret testis, omnes in preces descendunt, Beata autem Gertrudis tam piæ precibus assensum præbuit, virgini[s]que Gudulæ regeneratione non solum interfuit, sed etiam manuum suarum munditia eam sanctificauit, & de sacro fonte leuauit. Vnde factum est, vt virgo virginis mater per spiritum fieret, atque vlterius sub vbera doctrinarum suarum educandam suspenderet.

[e] S. Gertrudis eam è sacro fonte suscipit.

III. HVIVS etiam [f] sanctæ virginis neptes extitêre sanctæ sorores Aldegundis atque Waldetrudis, vbertim bonorum operum flore fulgentes: Ergò cum iam beata virgo Gudula [g] infra monasterij clausura sacræ scripturæ lacte aleretur, & à sua sancta consanguinea, nec non spirituali matre pasceretur, euangelicis sententijs non absurdè auditis, mentem ad cœlestis patriæ desideria cæpit erigere, & ad beatam, atque æternam vitam vbertim exardescere. Beata siquidem Christi virgo Gertrudis eius animum incessanter pulsabat, vt sacræ virginitatis inuiolatam palmam seruaret, vt veniente sponso, pulsans, non cum stultis ad ostium remaneret, sed cum prudentibus cœlestem gloriam feliciter possideret. His namque atque alijs huiuscemodi quamplurimis beata virgo accensa monitis, huius seculi pompam abnegans, moribus ætatem *peragrans, & sanctam mentem suspendens ad astra, totam se mirum in modum in DEI redigebat famulatum, à quo perenne flagitabat præmium. Vnde contigit, vt semper in dies melior se fieret, ætatulamque sensu præcelleret: quia secundum illud Sapientis doctrinam, & non pecuniam, disciplinamque magis elegit, quàm aurum. Crescente [h] enimuerò de die in diem ætate, crescebat morum probitate, veluti condecens erat DEI famulæ. Erat sanè corpore incorrupta, mente casta, amabilis cunctis, affabilis vniuersis, prudentia callens, fortitudine ingens, frænis temperantiæ serena, iustitiæ vigore seuera, patientiâ laudabilis, mansuetudine præstabilis, pietate ineffabilis, feruens charitate bis tincta, stabilis fide, robusta, longanimis, spe inconcussa. Harum namque omnium virtutum commercia exaggerabat, in eius animo cuncta disponens sapientia.

[f] Aldegund. VValdetrudis.
[g] In monasterio instituitur. *Matth. 25.*
Prou 8.
[h] Virtutes S. Gudulæ.

IV. POSTQVAM ergò spiritualis eius genetrix, sanctissima videlicet Gertrudis, de huius mundi peregrinatione transiuit ad patriam, & ab eiulatu & conualle lachrymarum ad cœli regiam, vbi desiderati sponsi facie perfruitur, almisluã Christi virgo Gudula tantæ cognatæ solamine destituta, repedat ad parentum limina, referens pectus sitibundum, hausturu sapientiæ refertum, parentibus deinceps subiecta, iuxta Apostoli præceptum. Erat autem in confinio villa, *Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum miliarium interstitio, in quo ædificatum fuerat oratorium in honore sancti Saluatoris dedicatum. Hunc locum diligens DEI virgo, crebrò experijt, remota à suis, vitans eis esse molestiæ in omnibus saltem modicis negotijs, atque appetens vacare contemplationi solius diuinitatis. Orationibus [i] protelatis deputabat dies, continuabat & noctes, pernox in vigilijs, strenua in psalmodijs, exercitata in ieiunijs, mactabat se holocaustum Christi conspectibus, cui se totam deuota tradiderat ab annis puerilibus, & cùm solo hic esset corpore, quotidie animo ad æterna transibat. Sermo quoque illius erat, iuxta Apostolum, sale conditus: sæpissimè genuum flexionibus accommodata, cum lachrymis & compunctionibus cordis dominum

Ephes 6: Coloss 3.
al. Morsella.
[i] Exercitia S. Gudulæ, apud parentes manentis.

Coloss 4.

obsecrabat, vt quæcunque meditaretur vel ageret, conspectui eius accepta forent. Quantos autem pro huiusmodi facto aduersus virginem Dei fraudum suarum diabolus laqueos tetenderit, explicare quis poterit? Sed virgo Dei tot tegebatur diuinis adminiculis, quot contra se omnium hostis vsus est tendiculis: tantoque ei obnixius resistebat, quanto ad insidiandum instare ipsum videbat.

QVADAM igitur nocte dum ad idem oratorium sancti Saluatoris, quod præscripsimus, declinaret, vt in contritione spiritus sui ad cœlestia suspirando illic pernoctaret, ecce hostis, qui primæ parentis Euę calcaneo insidiabatur, huic virgini fraude, qua potuit, insidiari conabatur. Nam quia [a] nox lumen negabat, secum virgo Dei lucernam habebat, quam pedisequa eius tunc fortè ferebat. Hanc non sine detrimento sui inimicus extinxit, si fortè virginem fraude sua præoccuparet, eandemque à cœpto itinere reuocaret. Sed elusit fraudem inimici in virgine virtus Christi. Nam virgo Domini, vt Diabolicæ fraudis perturbaret laqueos, orationum assumit clypeos: vtque lucerna per diabolum extincta reaccendatur, * iunior genibus Deum deprecatur. V.

Genes. 3.
[a] Patitur infestationes dæmonis.
* *fortè iunctus.*

EXAVDIVIT Deus preces virginis, quas pro receptione fudit luminis: & tenebras, [b] quas ingessit princeps tenebrarum, disrupit luce misericordiarum suarum. Videres itaq; lucernam sine manibus accendentis reaccendi, & in obsequium virginis, velut in nictu oculi, lumen extinctum restaurari. Cœptum ergò iter læta peregerat, & ad oratorium, quo tendebat, peruenerat, reliquumque noctis obsecrationibus & vigilijs transegerat. Cumque aurora in matutinam lucem prorumperet, roburque vultu suo colorem redderet, preces vigiliasq;, quibus hæc virgo totam noctem pernoctabat, longis suspirijs iam in diem continuabat. Nam pro carnis spirituque sui contritione, & pro declinando popularí fauore, sola, propria comite famula, [c] pedibus nudis sanctorum loca sub nocturnis horis frequentare erat solita. Diebus verò, vt humanum vitaret fauorem, talibus, & vt ita dicam, dimidijs vtebatur * subtularibus, vt superior pars pedum videretur tecta: sicque Dei feruens amore incedebat, inferiore nuda relicta. VI.

[b] Est pernox in precibus.
[c] Nudis pedib⁹ noctu, sacra inuisit loca.
* *subtalaribus.*

SED dum id, quod piè egit homines latere voluit, fit res palam, quam innotescere noluit. Nam solo prostrata, & spe atque animo in cœlos erecta; plantas, quas nudas videri noluit, prætereuntium visibus non sine obliuione videndas reliquit. Sacerdos etiam hoc viderat, qui celebraturus Missam aduenerat, & quid in hac re causæ ageretur, satis superque mirabatur. Ipse verò horrore tanti facti perculsus, eiusque algori compassus, diutissimè præstolans; postquam illa ab oratione surrexit, continuò chirothecas de manibus suis extraxit, eiusque vestigijs supponere abijt, vt tam illustris meriti puellam religioso officio honoraret. Quas in manibus humiliter virgo recipiens, & recedente sacerdote in alteram partem se diuertens, longè à se proijcere exoptauit: sed diuina operante clementia, ferè vnius horæ spatio restitere in aëra. Quo stupendo rursus animata miraculo, immensas retulit gratias omnipotenti Deo: non suo imputãs merito, sed illi, qui suis semper adest fidelibus. VII.

EXPLETIS tandem à sacerdote Missarum solennijs, in quibus sancta virgo suum spiritum contribulatum Deo sacrificium immolauerat, ad proprij limina domatis remeat. Iam ferè medium iter emensum fuerat, & ecce cuidam mulieri obuiat, quàm longus mœror & diutina calamitas torquebat. Gestabat siquidem filium suum in humeris, qui cum languore natiuo ab aluo ipsius malè fœtæ parentis deciderat in hanc lucem: iamque sol nonum circumuoluebat annum, ex quo eundem puerum trina passione debilitatum viderat. Etenim erat contractus, incuruus, caducis vultibus, & solam terram despectans cernuus. Spiracula etiam vocis erant obstructa, & obmutuerat lingua. Quinetiam dira chiragra contuderat manuum articulos, intantum vt ori non ingereret cibos, nisi adiutorio alienæ manus appositos. Pro cuius incommodo, compassione & pietate virgo Dei pusillanimis facta, & ex visceribus misericordiarum in lachrymas est suscitata, ac si in lachymarum indicio eum genuisse putaretur, & per omnia mater ipsius crederetur. Accedit ergò, & in humeros suos eum accepit, atque pro sospitate eius coram Domino aliquantulum fleuit. Cuius preces mox in aures Domini Sabaot peruenerunt, effectumque sui celerem inuenerunt. Iam [d] enim puero vocis membrorumque retinacula laxabantur, & ad officium suum penitùs excitabantur membra: in vsum mouendi roborabantur, atque lingua ad officium distinguebatur loquendi, primumque sermonem hunc habuit, quo matrem lætus sic inclamauit Mater veni, mater veni. Mirabatur beata Gudula virtutem Dei ostensam per se: gaudebat etiam mater pueri, misericodiam Dei per beatam virginem factam in se. VIII.

[d] Curat puerum valdè morbidum.

AMBÆ gaudebant, ambæ stupebant, Dominique misericordiam semper superexaltare iudicium perpendebant. Sed hoc factum humilis virgo nube silentij appetens obumbrari, interdixit mulieri, ne id per se aliquando contingeret diuulgari. At illa longè aliter actitabat, quàm virgo Dei supplicabat: quia pro inopinata salute filij sui, pietatem nequibat tacere filij Dei: non vt verborum virginis Dei aspernatrix, sed vt deuota beneficiorum Domini veneratrix. Perlatum est autem huiusce modi miraculum ad populum circumquaque manentem, & celebre factum vsque in præsentem diem. IX.

Iacob. 2.

EST adhuc, quod in virgine Dei miremur, quod per eam de excelso cœlorum habitaculo parratum fide fatemur. Nam vt sibi moris erat, quadam die in cella sua orationis pensum peragebat, & in cœlesti contemplatione spiritum suum suspendebat: cùm ecce quædam mulier leprosa accedit, quæ non sine fide sospitatis suæ mox futuræ illò aduenit: cuius carnem ex diutina infirmitate putredo penè in vermes consumpserat, & ad mortem vsque perduxerat, nisi iam ex pietate diuina preciosa per virginem succurreret medicina. Præterea pro deformitate sui, à præsentia & visibus hominum intantùm (vt ita dixerim) exulauerat, vt vix vlla cum aliquibus consortij vestigia inueniret. Sed beata Gudula spiritu contrito & humiliato intrinsecus perfusa, compassione super illam, & sermone cum illa satis est vsa, atque ex nomine sic inclamauit, & pro sospitate sui, ne diffideret, admonere curauit: O Herenfrida, inquit, mens tua fidei suæ ancoram in eum figat, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Preces [e] proinde ingeminat solitas, suspiriorum atque gemituum administratione præstitas: vt qui decem leprosis mundatis, vnius tantum alienigenæ fidem inuenit, & pro gratiarum actione reuertentem laudauit, huius etiam mulieris fidem inspiceret, & eidem misericordiarum suarum antidoto consuleret. Cuius preces Dominus exaudiuit, omnemque lepram miserationis suæ manu detersit, vt nec cicatricum signa in ea relinquerentur, quibus lepræ indicia notarentur. Quantis verò pro subita incolumitate sui gaudijs indulserit, facilè ex similibus quisque colligere poterit. X.

Psalm. 146.
Luc. 17.
[e] Precib. suis sanat leprosam.

HÆC & alia innumerabilia, & plura certè, quàm possit humana colligere scientia, per famulam suam operata est virtus diuina: quæ ideò notitiam mortalium fugerunt, quia ex iudicio diuino publica non fuerunt. Ea tamen, quæ sciri contigit relatu antiquorum, suisque ex scriptis fides præstitit maiorum, fideli tantùm sufficiant, atque pro sanctitate virginis illi satisfaciant. Hanc ergò Domino [f] miraculis coruscare placuit, quoniam in vita sua iustè & irreprehensibiliter viuere concessit. Igitur in eius præsenti & inimitabili vita, qualis esset meriti, crebrò diuina declarabant miracula: quæ ad scribendum nimium sunt prolixa, sed ex his paucis etiam eius cætera cognoscuntur opera. Soluta autem ab ergastulo corporis, multa prioribus ampliora, & admiranda subsequuntur miracula: quia etsi non viuit corporaliter, viuit cum illo spiritualiter, qui est gloriosus in sanctis suis, & magnificus in omnibus operibus suis. O verè beata, & multis præconijs digna, in qua dolus non fuit; neminem iudicans, neminem condemnans, nulli malum XI.

[f] Miraculis post obitũ mirificè coruscat.

pro

pro malo reddens, sed coram Deo & hominibus iustè ac sanctè viuens. In hac itaque constantia animi perdurans, non dicam per singulos dies, imò verò per singula horarum momenta feruebat flagrantia desiderij interni videndi Deum deorum in Sion cœlesti: quorum vicissitudine non est inhibita, & petitione, quam petiuit, vt in domo Domini habitaret omnibus diebus vitæ suæ, non est fraudata.

XII. NAM [a] felici & vltimo eius præsentis vitæ termino mediante, Dominici sacramenti sese viatico circumquaque vallans, iturum ad cœlos spiritum roborans, Pipino seniore monarchiam tunc regni regente, sexto Idus Ianuarias, flentibus fidelium cateruis, supernorum ciuium gaudentibus turmis, illa sancta anima sanctorum cœtibus socianda, de mundi ludibrio migrauit ad Christum, ab ipso perceptura æternæ felicitatis palmam, cui est honor, virtus gloria in sæcula sæculorum. Administrata autem sunt honorificè corporis ipsius funebria, & vt tantæ nobilitatis puellam decuit, ex concursu plebis non *modicè facta sunt celebria: vbi virtutes ipsius, quibus plurimum vsa est quoad vixit, etiam ab inuitis lachrymas extorquebant, & ab ipsis vix quenquam abstinere permittebant. Lugebant certè hanc phani & pauperes, ostendentes tunicas & vestes, quibus illos hæc altera Dorcas vestiebat, & quotidianis alimoniarum stipendijs fouebat. Sepulta est autem in villa Ham, quam hodie eo ipso vocabulo constat nominatam. Neque ad tumulum eius diuinæ glorificationis defuêre magnalia, quæ viuêti ipsi fuêre semper præsentia. Nam [b] vno eodemque die ipsius sepulturæ, sole in Capricorni sidere posito: nunc quippè brumam facit deflexus ad austrum: arbor, quam ferunt populum, visa est subitò ibidem virescere, & quod natura temporis non habuit, in propagines formari & frondescere, in testimonium eiusdem virginis, in domo Domini vt palma florentis. Tanta namque hincindè frondium seu ramorum iucunditate diffundebatur, vt omne æstiui temporis nemus vicisse putaretur. Magnus proinde in ore omnium super hoc miraculo rumor, & duplex in omnes permiscetur stupor, arborem & insperate & intempestiuè creuisse. Vtrumque enim non satis fuit stupuisse. Mirum namque fuit, arborem subitò populasse: sed mirabiliùs extitit, eam hyemis tempore, quod natura (vt prædictum est) non habuit, vernâsse.

[a] Sanctum Domino spiritum reddit.

* modicè.

Act 9.

[b] Populus arbor hyeme ad eius tumulũ viret mirabiliter.

XIII. FECIT autem Deus hæc consilio, quo nouit & voluit: fecit etiam potestate, quâ valuit, qui in principio creaturarum terram iussit germinare herbam virentem, semenque iuxta genus suum facientem. Deindè pro miraculi huius admiratione plebs vndecunque accurrit cum exultatione, *Deumque in tam præclara virgine supplicat, & miraculum, quod vidit, vbique gentium explicat. Factum est autem dum humaretur corpus sanctissimum, latronem quendam exequijs eius interfuisse, & ornamenta, cum quibus sepulturæ tradebatur, contemplatum fuisse. Tertia verò nocte, nefas quod corde conceperat malitiosè, mortifero debriatus veneno auaritiæ, opere festinabat adimplere. Proh nefas: Ad sepulchrum accessit, gloriosam margaritam detexit, & vt lupus ad prædam, ità impudens & furcifer gloriosum irruit deprædari sepulchrum. Nobilis ergò sancta, vt fuerat, virgo atque inclyta prosapia, & præpotentibus ac ditissimis parentibus, vt prætulimus, exorta, non sua spontanea præmeditatione, sed fidelium potiùs amicorum apparatu, eius sacrosanctum corpusculum auro & argento, vesteque preciosa honorificè fuerat redimitum. Qui [c] talia omnia secum absportans, diripuit, solo relicto sarcophago cum sacra virginis gleba. Quo facto illius nutu, cui nuda & aperta sunt omnia, statim vltio subsequitur diuina. Nam eiusdē scelesti latronis filia non multò pòst fœminarum choreis se interponens, quum per plateas decantando, & huc atque illuc saltando cum cæteris discurreret, quædam illic adfuit mulier, sanctissimæ virgini familiaris & amica: quæ prædicti latronis filiam nimis diligenter intuens, easdem armillas, quas in brachijs sacræ virginis, dum sepeliretur, reliquerat, in eius lacertis esse certissimè recognouit. Tanta ergo admiratione commota, hoc illic adstantibus denudauit celerius.

* Deoquè.

[c] Sacrilegus fur eius sepulchrum diripit. Heb 4.

XIV. QVIBVS admirantibus, ilicò talia sanctissimæ virginis fratri, Emeberto scilicet supradicto, fuerunt delata. Hic itaque pro atrocissimi immanitate sacrilegij dolore tactus cordis intrinsecus, quandoquidem ille locus, in quo furtum factum fuerat suę diœcesi erat adtitulatus, totus ex authoritate canonica in reos furti insurgens, maledictionis iaculum in eos vibrauit, & à sanctæ Dei Ecclesiæ gremio atque fidelium consortio sequestrans, damnauit. Quibus [d] tam meritò mulctatis, veluti arbor quædam, si à proprio fuerit abcissa stipite, cõtinuo vniuersi rami à priori arescunt atque destituuntur viriditate, ita omnis illa progenies, tam detestabili profluens stirpe, graui, & varia postmodum vexatur infirmitate. Nulla enim huius generationis persona extitit, quin clauda vel aliqua pedum debilitate detenta, vel etiam dira affecta gutteria, præteritum luat facinus. Sic namque à primordio vsque in præsens huiusmodi in talibus talis perseuerat infirmitas. Vnde datur intelligi, sacra virgine intercedente, illis temporaliter pœnitere à Deo concessum esse, ne illos igni inextinguibili (quod multo constat deterius) perpetualiter nimis infelix exueret culpa.

[d] Sacrilegium illud horrendum in modum punitur.

XV. CVM autem ex signis ad tumbam eius quotidiè crebrescentibus, odorem virtutum eius fama adspiraret omnibus, ex consilio & dispositione altissimi, placuit fidelibus de loco sepulchri eam leuare, & in locũ honori ipsius magis congruum transferre. Factum est, vt ex consensu pariter & conuentu probabilium vtriusque sexus personarum, certus præfiniretur dies transferendarum beatæ Gudulæ reliquiarum, quas ad Niuialense transferre cœnobium ex consilio eorum, qui conuenerant, est propositum: quandoquidem non esset competens, thesaurum tantæ margaritæ occuli angulo humilimi viculi, sed loco celebri reponi. Sed consilium humanum, diuino roboratũ, in ipso suo conatu est frustratum. Nam [e] dum feretrũ, receptui membrorũ paratum, moueri tentaretur, vt eò, quo prædictum est, transportaretur, tanto fit pondere ibidem fixum, ac si catenis insolubilibus teneretur adstrictum. Quid verò agere debeant, stupore & solicitudine vtrobique hæsitant: quia ibi quid *agere nesciebãt, vbi de occulto Dei iudicio quicquam præsumere non habebant. Venit proinde in mentem quibusdam religiosis consanguineis beatę Gudulę, Aldegundisatq; Waldedrudis virginum Christi: si forte hęc virgo illuc membra sua transferri vellet, quò quęlibet virginum pręscriptarum sedem suæ quietis haberet.

[e] De translatione corporis S Gudulæ tractatur.

[f] Corpus S. Virginis moueri loco non potest.

* Agerent.

XVI. ERANT namque loca, tunc reliquiarum earundem virginum Christi seruatoria, beatæ videlicet Aldegundis Malbodium, sanctæque Vualdedrudis Castrilocus. Destinabant ergò animo nunc huc, nunc illuc transferre: similiterque in mouendo vires perdidêre. Nam [f] huius rei adinuentio per omnia redigitur in nihilum. Fatigari poterant, sed sanctam glebam mouere non poterant. Singulis verò huic ponderi frustrà succedentibus, & in ipso conatu deficientibus, pietas diuina diutiùs suspensos tenere noluit, quos ad id operis inspiratione sua excitare voluit. Nam reuerendæ huic eleuationi quidam prouectæ, imo decrepitæ ætatis intererat, qui vsque ad id temporis longum senium duxerat, soluisque à diebus sanctæ Gudulæ superstes, cæterisque natu & industria prouectior fuerat. Huius spiritum diuina inspiratio mox excitauit, & quo virgo Dei transferri debuit, inspirauit: Namque in hæc verba prorumpens: Videtur, inquit, mihi eam quietis suæ sedem in oratorio sancti Saluatoris iam elegisse, in quo eam, quoad vixit, assiduis suspirijs spiritum suum claruit Deo vouisse. Tunc ad nutum senis intuitus omnium pendebat, eiusque sententiæ omnium qui aderant, consensus respondebat, Et [g] accedentes feretro, tanta mox facilitate vsi sunt in ferendo, quanta priùs difficultate frustrà laboraueran in mouendo.

[g] Iterum manet immobile.

[h] Fit facile mobile.

XVII. DEPORTANDVM est ergò ad præscriptum locum *Mortzelle illud venerabile corpus, populis promiscui sexùs

* Morselle.

cum laude & tripudio comitantibus, miraculisque ex glorificatione diuina prosequentibus. E quibus ea, quæ fidelium relatu didicimus, vt posteris notitiæ sint, narrabimus. Cùm à plebe, sanctum corpus in hymnis prosequente, dimidium itineris emensum fuisset, & iam Ecclesiæ, ad quam festinabat, cantantium populus propinquasset, ecce surdus quidam, cui longa infirmitas aurium meatus clauserat, pro incommoditatis suæ remedio corpori sacro propiùs accesserat, & vt fidelibus ad deportanda sanctorum corpora moris est, propè * lipsanas sacræ virginis ire religiosum duxerat. Cuius [a] fidem è vestigio sanitas sequitur repentina, quam meritorum beatæ Gudulæ præstitit medicina. Hauserat aure sonum, chorus inde stupet populorum. Tunc verò pro receptæ sanitatis commodo gratias DEO sanctæque virgini egit, atque sacrum corpus ipsius sequendo, reliquum itineris peregit, & cum populis, pro nouitate rei voces in altum dantibus, ad definitum sancti corporis locum peruenit. Ergò in Basilicam sancti Saluatoris sancta ossa introduxêre, & cum magna lætitia post sacrum altare constituêre, & nomen sanctum eius adscribunt iustè in aliorum sanctorum serie. Cumque Missarum celebrassent solennia, perfecto honore, læti redeunt domum, prædicantes sanctæ virginis nomen famosissimum, ac in sanctis suis mirabilem magnificantes Deum.

* *id est, reliquias.*

[a] Surdus recipit auditum.

H o c verò die, quo translatum est corpus virginis in Basilicam * Mortzellensem, virtus altitoni ad nomi- XIIX.
nis sui laudem, & suæ Virginis ampliandum honorem, patefecit suæ omnipotentiæ ostentationem, quam vtique propalauit super ipsam arborem, cuius superiùs fecimus mentionem: quæ videlicet in vico Ham cœperat crescere ad vestigia sanctæ Virginis, depositionis eiusdem die. Hæc enim arbor olim apposita custos fidissima sanctarum exequiarum, non defecit à suo obsequio, nec in translatione earum. Nam altera die eiusdem translationis in villam * Mortzelle, eadem arbor sacræ Virginis membra fuerat subsequuta, ac in eodem loco tam mirificè eradicata, & conuenienter transplantata coram prædicti oratorij foribus, quasi ibidem à primordio germinare cœpisset ac crescere, cum vtraque villa à se inuicem decem milliarijs distarent. Neque parùm erat spectaculi, arborem ex eo loco, quò olim sine manibus creuerat putantium, etiam sine manibus subitò transisse eradicantium. Quod ad iussum DEI omnipotentis actum angelico ministerio intelligit, qui diuina prouidentia disponi omnia fideliter credit. Huius rei rumor circumquaque decurrit, & per cunctorum ora volitans ad palatium vsque peruenit. In tempore illo sceptrum monarchiæ Imperialis tenebat Carolus, qui ex trophæis frequentibus cognominatus est Magnus. Itaque fama volucri prouulgante, certatim studebant illuc aduentare tam longinqui quàm proximi, & miraculum, quod CHRISTVS ad gloriam suæ virginis monstrauerat ardebant intueri. Rex autem Carolus tam mirificis auditis miraculis, illuc deuotus aduenit, vbi ex miraculo prædictæ arboris nouum spectaculum sibi iniecit, & ex spectaculo compunctionis granum adiecit. Qui [c] vt ecclesiarum DEI amator semper extitit, defensorque strenuus, in cunctis deuotissimus, eandem villam * Mortzellensem sacræ virgini testamentis condonauit legalibus, & prædictum prædiolum Ham, vndè arbor aduenerat, sub pluribus ac idoneis tradidit testibus: vt ibi tota villa deinceps subiecta maneret, vbi primùm arbor præcesserat diuinitùs. Adiecit insuper præfatus Rex eo in loco sanctimonialium aggregare cateruam, decretisque regalibus facultatem illis famulandi DEO ascripsit satis opportunam. Quæ singula testamento mandauit, subscriptis testibus assignauit, & ecclesiæ, in qua sancta iacebat, in perpetuam hæreditatem delegauit. Quæ scilicet traditio vsque ad Vuenemarum rata permansit: cuius vsurpatione iniusta, ad posteros suos eadem villa non sine offensa diuina pertransijt.

* *Morselensem.*

[b] Stupendum diuini tus translatæ arboris miraculũ.

* *Morselle.*

[c] Carolus Magnus prædicatur

* *Morselensem.*

P o s t hæc memoratus rex Carolus exercitio venationis more deditus, per circumadiacentem foresten XIX.
turbabat rabidas feras à suis saltibus: inter quas miræ magnitudinis vrsum insequitur, qui iam multo spacio victus, cùm nullum esset effugium, vndique campis latè patentibus, ac mortem imminentem iamiamque capiendus crebris differret flexibus, properè cursu recto tendit ad * Mortzellam, & in sancti Saluatoris irrumpit ecclesiam. Tunc rem contigit euenisse, quam facilius erat stupuisse, quàm dixisse. Nam Deus, qui, vt scriptum est, homines saluat & iumenta: bestialem quodammodo vrsi sensum permutauit, rationem quandam intelligendi in eo formauit. Erat namque cernere, propè lipsanas sacræ virginis se admisisse, & sub tanta protectrice, à strepitu insequentium iam securum, procubuisse. Ibi subitò oblitus feritatis suæ, deflexa ceruice, submissoque humiliter capite, Sanctimonialium aduenientium cœpit vestigia lambere, ac more lasciuientium catulorum omnibus aggaudere. Vndè patenter dabat intelligi, se fuisse defensatum patrocinio famulæ Dei, eiusque amodò paratum esse deseruire obsequijs. Quod vbi nunciatum est regi, cum suis rem, quæ in bestia diuinitus agebatur, intellexit, Deique magnalia in virgine amplectens, recessit, sine eiusdem vrsi quidem læsione, sed non sine rei, quam viderat in vrso, admiratione. Idem verò vrsus desistens esse syluestris, cœpit esse domesticus, & in reliquum apud eiusdem loci sanctimoniales non aliter vixit, quàm sententia omnium ibi manentium sibi indixit.

* *Morselam.*

Psalm 35.

[a] De cuiusdam regis filia.

O p e r æ p r e c i v m [d] mihi videtur non prætermitti silentio, qualiter eandem famulam suam clarificauerit opi- XX.
fex rerum per fines transmarinos. Ibi siquidem rex quidam regebat populos sub placida pace, qui susceperat filiam ex legitima coniuge. Huic autem prima natiuitatis dies dedit initium vitæ cum membrorum labe, quam languor coæuus debilitate contraxerat. Cui in visu persona mulieris vultu & statuta spectabilis apparuit, eamque sospitatis suæ indicia ad tumulum Virginis Gudulæ iam citò futuræ edocuit. Expergefacta autem, patri & matri quæ viderat, retulit, stuporemque ipsis exindè intulit: quibus pro visione gaudium quidem creuit, sed quia locum ignorabant, solicitudo tristitiam dedit. Tunc nocte sequente eadem visio puellæ apparuit, vtque bonis esset operibus intenta, admonuit.

Quæ somno excitata, noctem illam diemque sequentem lamentationibus transegit, donec tertia se nocte eadem, quæ ante apparuit, mulier præsto dedit, & consolationis viam primum ingressa edocuit, quo beata Gudulà pago orta, vbi post mortem sepulta, & ad quem locum posteà esset translata: adijciens etiam sanctimonialium cateruam, quietis ipsius loco aggregatam, atque ad obsequium eius fidei signo subarrhatam. Manè ergò his, quæ viderat, publicè enarratis, patreque & matre pro his in gaudium excitatis, naui vnà cum militum manu imponitur, emenso mari ad locum, vbi virgo DEI sedem suæ quietis elegerat, prouehitur. Vbi à sanctimonialibus susceptа, ac prope lipsanas sacræ virginis posita, orationis instantia ab eisdem per triduum fouetur: tandemque sospitatem, quam oraculo accepturam se didicit, meretur. Sicque membrorum officio roborata, atque incredibilibus super hoc gaudijs excitata, licet adhuc paganis detenta ritibus haberetur, Deum in tanta virgine miraculis corruscantem profitetur, ad patriam repedat, Deumque Christianorum publicè prædicat. Cuius incolumitas stuporem, gaudium & fidem regis suisque dedit: stuporem, rei nouitate: gaudium, in filiæ recuperatione: fidem, in vnius Dei confessione.

Tandem & ipse ad cœnobium sacræ viriginis, satis terrarum marisque emensus, vnà cum plurimis regni sui viris est addu-

est adductus, baptismumq;, quibusdam suarũ rerum copijs ibidem oblatis, est adept⁹. Post cuius perceptionem eidem beatæ virgini vas argenteum condonauit, quod in deferendis ad Ecclesiam oblatis longo pòst tempore ibidem manentium ætas conseruauit. Interea regressus patriam cum suis reuisit, vt omnes sui regni homines baptismi fonte abluerentur, decretum dedit: quod latè diuulgatum, in vnum credere Deum fecit. Postremum, nullum permisit regno militare suo, qui per paganismum rebellasset Christi regno. Sic per salutem vnius, multis prouenit animarum salus. Sed nec dubitari debet, quanta inter circummanentes signorum gloria fulserit, quæ longè etiam remotos populos illustrauerit miraculis. Magna verè in cœlis & in terris eius gloria, magna æque ipsi apud Deum inueniendi, quæ postulat, efficacia: cuius meritis obtinentibus, veri notitia Dei transmarinis data est gentibus: non illis, quos vocant Angelos: iam enim illi docente Augustino in Christum crediderant, quem admirabili viro, Gregorio authore docentem meruerant: sed longè nimirùm remotioribus, in infidelitatis cœno tunc temporis sordescentibus. Ratum quidem erat sanctimonialium inibi floruisse religionem, adusque Hunnorum irruptionem. Qualiter autem cum eis sanctimonialibus actum sit, & in * Mortzellensi villa religio supradicta defuerit, sequens sermo declarabit. * Morsellensi.

XXI. Post multa & magna miracula ostensa in vico * Mortzelle dispensatione Domini collocata sanctimonialiũ congregatione inibi in honore dilectæ Deo Gudulæ virginis, multiplicata populorum malitia, lata & prospera tui bauit diaboli versutia. Ipse quippe aduersarius noster, qui bonis inuidet, & malis adgaudet, tum tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, si qua adhuc virtutum vestigia remanserunt in terris, nititur omni impietatis abolere molimine. Vt iacula atrocitatis suæ per corpora exterius transmitteret liberiùs: heu dolor & facinus! primò venena sua in anima diffudit, interiùs, tanto grauiùs, quanto abundantiùs. Sic, vt diximus, ascendente ad Dominum clamore nequitiæ[a] Christianorum, vt similem inuenirent pœnam, fines Lotharingiæ gens inuadit Danorum. Sanctuaria vertebantur in derisum, in prædam substantiæ incolarum. Ita pace turbata, res cœnobij * Mortzelensis paulatim diripit aduersariorum insatiabilis cupiditas. * Morsellensis. 1. Pet. 5. [a] Barbari populantur regiones Christianorum.

XXII. Qva tempestate, metu paganorum agente, sacratissimæ virginis Gudulæ corpus à supradicto cœnobio in locum, qui dicitur Capræmons, deportatur. Interea pagani impietatis suæ * fimiculos latiùs protendentes, atque rapinæ vastationisque fomitem magis ac magis sitientes, quæcunque poterant consumptionis fine perdidêre, nec etiam à cœnobio * Mortzelensi manum abstinuêre. Nam igni ab eis crematum, & irremediabili malo temerè est inuasum: ita vt nullum nostro nunc tempori reliquerint indicium. Nam sicut nobis Dominica vox testatur, omne regnum in se diuisum, desolabitur: Lodouicus rex Anstrasiorum, fines Francorum iniustè inuasit contra fratres suos. Facta itaque pactione inter eos, datisque sacramentis cum reuerteretur, Nortmannis, qui erant progressi vsque Carbonariam, in loco, qui dicitur Timnim, obuiauit supradictus rex, qui Austrasijs imperauerat: cum quibus absque mora conflixit, & Deo propitiante, ex eis maximam partem gladio strauit: reliqui in fugam dilapsi, in fisco regio se communiunt: deindè noctu diffugiunt, & ad classem gressum dirigunt. Posteà Vualam fluuium ingressi, in * Niumago ad regium palatium applicuerunt, ibique castra posuerunt. Quod factum cùm ad notitiam Lodouici perlatum esset, absque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obsidione clausit. Conserto cum eis nonnullis diebus certamine, non adeò præualuit: quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis, hostibus tutissimum præbebat receptaculum. Postremò rex accepta pollicitatione, quòd si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuò de regno eius discederent, cum omnibus copijs recessit. Illo recedente, Pagani palatium vna cum munitione exurentes flammis, nauibus ascensis, maiori numero congregato, cum inæstimabili multitudine peditum & equitum confederunt in loco, qui dicitur Haslon iuxta Mosam. Et primo impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Traiectum castrum, Tungrensem vrbem [b] incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis ac incendijs cuncta deuastant, Coloniam Agrippinam, Bonnam, ciuitates cum adiacentibus castellis, Tulpiacũ, Vulpiacum & Nussam igne comburunt. Post hæc Aquis palatium, indè Malmundarias & * Stabulaus monasteria in fauillam redigunt. Arduennam percurrentes, Prumiam monasterium ingrediuntur ipso die Epiphaniæ Domini: Interfectis omnibus, quos ibi inuenerunt, monasterium igne consumunt: & onerati præda, ad castra redeunt. * Morsellensi. Luc 11. * Nortmãni Nouiomagium obtinent. [b] Multas vrbes flammis exurunt.

XXIII. Dvm hæc aguntur, Lodouicus rex apud Francofort moritur. Nortmanni audita morte regis, nimio exultabant tripudio: & iam non de conflictu, sed de præda cogitabant. Igitur cum omni festinatione exeunt, & Treuirorum ciuitatem nobilissimam die sacratissimo Cœnæ Domini occupant: In qua vsque ad sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne tentorium vrbis circumquaque vsq; ad solum demoliti sunt. Deinde [c] ciuitatem flammis exurentes, Mediomatricum dirigunt aciem. Quod cùm reperisset eiusdẽ vrbis antistes, adiunctis sibi alijs episcopis vel comitibus, vltrò illis obuiam ad pugnã procedit. Inito certamine, Nortmanni victores extiterunt, & episcopo interfecto, cæteri fugerunt. Pagani iter, quod cœperant, deserentes, cum ingenti præda summa celeritate, ad classem reuertuntur. Ijsdem verò temporibus Carolus, huius nominis & dignitatis tertius, licet grauibus & multimodis regni negocijs occupatus, tamen aduersantes Normannos, Deo auxilium ferente, regno depulit. [c] Treuiris comburitur [d] Alij habẽt quod data pecunia, è regno decesserint.

XXIV. Postea verò gens Hungarorum finibus suis egressa, regnum Bauiariorum ac Lotharingiæ occupat, cædibus, rapinis ac incendijs omnia vastat, & vsque ad Carbonariam syluam igne & præda est demolita. Sed Otto senior tunc temporis Imperator, multimodis regni & suorum procerum impeditus incommoditatibus, dum aduersantes non cohibet hostes censura regiæ seueritatis, maiorem & grauiorem licentiam iniustitiam faciendi tribuit etiam domesticis. Bellum tamen contra Hungrarios susceptum, Deo misericorditer dispensante & pro suis pugnante, satis feliciter peractum est. Rex ipse Hungrariorum cum suis principibus captus est: cæteri verò interfecti & funditus sunt extincti.

XXV. Igitvr post tanta & talia regni flagitia recedentibus paganis, Beatæ Gudulæ corpus ad præscriptum cœnobium, ab Danis iam in nihilum redactum, redijt. Quod quanquam hostium irruptione suique destructione vilesceret, beatæ tamen virginis corpus ibidem seruabatur, eaque reuerentia, qua loci eiusdem valuit paupertas, venerabatur, donec Vuenemarus quidam subintrauit, qui vt altera pestis eundem locum iniusto possidendi desiderio vsurpauit, & omni crudelior belua, specie Christianus, non opere, paganos ipsos nimia vicit crudelitate. Bona Ecclesiastica in vsus suos & suorum stipendia satis audacter præsumpsit vẽdicare, & ancillas Christi iniurijs & egestate coactas, compulit fugere, & vt oues sine pastore circumquaque vagantes errare. Si quam præterea de numero Deo seruientium mors occupabat, locum eius auaritia [e] Vuenemari supplere nolebat: sed non mirum erat, quippe qui & viuentibus sua denegabat. Hoc tandem iusto Dei iudicio tam animæ quàm corporis morte damnato, dolet ecclesia ipsum reliquisse filios. Quorum vnus Hermenfridus res ecclesiæ supradictæ inuasas iniustè, non timuit mortuo patre susципere, & quidem per aliquot annos sine alicuius contradictione vel defensione. [e] De reliquijs S. Gudulæ. [f] Vuenemarus bona ecclesiastica sibi sceleratè vendicat. *Iudic 17. 18 21.

XXVI. Hoc enim tempore, vt clamat veritas scripturæ, neque rex, neque dux in Israel erat: sed vnusquisque in via cordis sui ambulabat. Tanta namque aliorum malorum pericula, tanta vndique aduersitatum creuerant incommoda, tanta insuper principum erat negligentia, vel defensorum impotentia, vt res ecclesiarum minui vel diripi in his finibus ab aliquo, iam esset pro nimio. Post hæc Ottone secundo tenente imperium, Carolus [g] frater Lotharij regis Francorum in regno Lothariensi adeptus est ducatum. Qui statum imperij dolens perturbari multipliciter, ad melioranda [g] Carolus frater Lotharij, fit dux Lotharingiæ.

negotia multorũ animum aduertit solerter. Vndè inter cætera res ablatas ecclesiæ *Mortzel. inuasorũ partibus nisus est subtrahere, & sanctæ Gudulæ famulantibus restituere. Sed quiuis scire potest facilè, quàm difficilè corrigantur, quæ in consuetudinem venerunt diutina dilatione. Sua loco sancto volebat reddere industria Caroli ducis, sed obstabat audacia persuasoris, nec Deum timentis, nec hominem reuerentis. Insurgunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Hermenfridum omnes suæ partis clamant esse patris successorem, & paterni boni hæredem. Ducis autem prævalente potentia, Hermenfridus suique complices amantes terrena, paruipendentes cœlestia, inito consilio inuasas terras retinent sibi, & precioſam margaritam, omnibus datis comparandam, corpus scilicet sanctæ Gudulæ dant bono negociatori, Carolo videlicet glorioso duci. O miseros & miserãdos omni modo, qui instar brutorũ animalium terram respicientes pectore prono, ac ventri obedientes, non Deo, ipsi se indignos iudicant tanto dono. Et sicut paternam rapacitatem eis hæreditate cessisse gauisi sunt, sic quasi æterno mucrone perfossi, paternæ necis exitum sibi cõtigisse tristati sunt. Nam [a] vniuersos eiusdem possessionis cohæredes, inaudita mirabilique nece notum est finiri ad extrema venientes.

*Morsellensi.

[a] Vltio diuina in vsurpatores rerum ecclesiasticarum.

CAROLVS verò dux pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet se cœlestem suscepisse thesaurum. Quem [b] cum debito honore in Ecclesiam sancti Gaugerici Bruxellę intulit, & quid sibi cessisset boni gestiens probare oculis, temerè, quanuis deuotè, aperuit thecam virginis: sed mirum dictu, ecclesiam totam derepentè nebula circumfundit, omnemq; diurni luminis adspectum in nocturnas tenebras permutans, oculos præsentiũ caligo retundit, atq; sic prouidentia Dei omnes ab incepta temeritate retraxit. Saniori interim præscriptus dux innitens consilio, se vnà cum aliquanta fidelium plebe in contritione carnis ac spiritus coarctauit triduo, vt quod faciendũ incauta persuasit temeritas, summa, quæ omnia vincit, impetraret humilitas. Et iã tertia dies illuxit, memoratusq; princeps ad loculum B. Virginis cum sacerdotibus ac thymiamate accessit, aperuit, & quod desiderabat vidit, inuocataq; Dei maiestate reclusit, ac sigillo signauit. Postea [c] verò partem quandam villæ, quæ vocatur Molenbecca, S. Gudulæ tradidit, & sex familias addidit, & alia complura altaris vestimenta donauit. Illic nõ sine magna veneratione quieuit vsq; ad tempora comitis Baldrici, nepotis Caroli ducis. Millesimo quadragesimoseptimo anno incarnationis Dominicæ, XV. indictione, Damaso Apostolicæ sedi præsidente summo pontifice, Henrico II. regnante dedicatũ est in monte Bruxellę templum XVI. Calend. Decem. ad laudem nostri redemptoris, in honore sancti archangeli Michaelis à Gerardo Cameracensi episcopo. Lambertus vero, qui & Baldricus comes, Henrico fratri succedens, cuius præsentia tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata, eodem die illud corpus sanctissimum de ecclesia sancti Gaugerici cum episcopo cæterisq; sacris ordinibus leuauit, atque cum summo honore in ecclesia [d] S. Michaëlis reposuit. Et annuente in omnibus vxore sua Oda, quæ fuit Gozolonis ducis filia, ad seruiendum Deo sanctæq; Gudulæ virgini, ibi clericos constituit, & ad vsus eorum ipsam ecclesiam cum decimis, & alia plura legaliter contulit. Ibi nunc quoque ad ostendenda gloriosæ Virginis merita, multa & magna fiunt miracula. Hæc de virgine pauca tantum è multis in notitiam nostram venerũt, omissis proculdubio plurimis, quæ nos præterierunt. Sed hîc nostra de virgine claudatur oratio, eiusdemque nobis aperiatur interceſſio, quæ me scribentem, & te Christiane respiciat legentem, Amen. XXVII

[b] S. Gudula transfertur Bruxellas.

[c] Carolus dux quæ sit largitus ecclesiæ S. Gudulæ.

[d] S. Gudula ad Michaelis ædem transfertur.

AN. 1410.

VITA B. LAVRENTII IVSTINIANI PROTOPATRIARCHÆ VENETI, A CLEMENTE VII. ANNO 1524. IN BEATORVM numerum relati, à Bernardo Iustiniano Oratore expolitissimo conscripta.

8. IANV. Præfatio ad monachos Carthusianos.

ETSI non dubito, venerandi patres, quin Patriarcha Laurentius sicuti viuens solebat, ita etiam vita functus excipietur à vobis omni pietatis officio: iucundiorem tamen eius aduentum esse existimaui, si rationem, qua suauissimus grauissimusque hospes ad vos veniat, cognoueritis. Nam quum eum à teneris annis dilexissem, plùs etiam quam parentem, atque illius discessu mœrens, desiderarem aliquid solatij, optabam (vt amantium mos est) aliquam illius imaginem, non Lysippi quidem manibus, aut Appellis, sed quæ potiùs exprimeret & mores illius, & actiones, & verba: quæ nisi literarum viua (vt ita dixerim) pictura fideliter atque perfectè repræsentari non possent. Illud igitur vnum cupiebam, illud optabam, singulares illius cœlestesque virtutes, & cuiuis pontificum veterum merito non impares, præstantis alicuius ingenij literis illustrari. Quod cùm ipse mecum sæpiùs agerem, sæpe etiam cum his venerabilibus patribus vestris, qui apud nos sunt, & præsertim cum angelici spiritus viro [e] Francisco Taruisano, præfecto vestro cœnobij, accidit inter nos officij quædam & pietatis plena contentio. Quum orarem ego illum, & ille contra me, vt aliquid de vita nostri pontificis scriberem: dicebam esse illi authoritatẽ, esse doctrinam: cõsueuisse per multos annos cum Laurentio, multa vidisse, multa cognouisse: singulari charitate ac reuerentia ei fuisse deuinctũ: Vereri me præterea dicebam, nè si ego scriberem, sanguinis propinquitas obesset fortasse Laurẽtij causæ, & (velut in foro solet) testimonium nepotis in causa patrui suspectius haberetur. At ille eisdem contra me rationibus vrgebat enixius, & facultatis, & consuetudinis, & amoris: atque (vt est præstanti doctrina & vsu rerum) intueri iubebat [f] Ambrosium, qui Satyri fratris laudes duobus libris complexus est: adspicere Bernardum, qui Gerardo fratri, inter cæteras nobilissimas super Cantica homilias, locum præcipuum eius laudibus inseruit. Neq; Latinos solùm memorabat, sed Græcos etiam. Nam & Chrysostomus parẽtis, & * Basilius sororis vitas & laudes, quemadmodum noster Aurelius Monicæ matris, prosecuti sunt. An (præterea dicebat) si quotidie vides alienos & externi generis homines concurrere ad illius sepulchrum, qui aut statuas, aut flores, cereósve in testimonium venerationis apportent: quid tandem tibi necessitudine nepoti, pietati filio, tantis illius beneficijs obstricto agendum est? Te certè audiui, quum diceres illum tibi sæpe magnis in laboribus præsenti adfuisse numine, quemadmodum promisit ipse tibi, dum migraret è vita. Nonne igitur ad illius honorem & gloriam, (nisi ingratissimus esse vis & haberi) quicquid in te est aut facultatis & ingenij, aut deniq; studij & diligentiæ, conferendum? Hæc igitur ille quum diceret non minus prudenter quàm amicè, certe in memoriam redigebat, idipsum vsu accidisse ferè per omnes ætates. Omitto enim priscos illos gentiles, vt Catonem, vt Cæsarem, vt Thucydidem, & Xenophonta: quorum hi Græcis, illi Latinis literis, res illustrauêre suas: adeò non de amicis aut propinquis, sed de se ipsis scribere non dubitârunt. Dicã de nostris. Certè Athanasius Antonij, Martini Seuerus, Bernardus Malachiæ, Gregorius Basilij, Gregorij Chrysostomus scripsêre vitas, aut discipuli omnes, aut amicissimi. Itaque refragari iamiam poteram summæ authoritatis exemplis: sed illa præcipuè ratione nõ poteram, quam de illius erga me memorauerat beneficijs. Abijt [g] enim optimus pater ea maximè tempestate, cùm me familiamque meam turbulentissimi fluctus & procellæ varijs modis impeterent, vt mergi penitùs necesse fuerit, (tu scis bone Deus) nisi inuocatus semper à me benignissimus pater, in tantis malis atque periculis opem tuam impetrauisset. Vt extaret igitur aliquod grati animi officium, quod profectò ab nepote erga patruum sine scelere omitti non potuit, appuli animum ad scribendum. Quæ autem narrabimus, verè possumus dicere cum Apostolo [e] quia non solùm à fidissimis testibus audiuimus, sed pleraque ipsi vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt: præsertim cùm ab initio pontificatus ad vltimum vsque vitæ diem, ab illius, (vt aiunt) latere nunquàm ferè discesserimus. Placuit autem vobis potissimum inscribere, clarissimi athletæ Christi. Nam quum Leonardi parentis cineres atque

I.

[e] Franciscus Taruisanus

[f] Ser. 26 in Cant. for * Gregorius Nazianzenus

[g] Nota quid conferat pia inuocatio Sanctorum

1. Ioan. 1.

atque ossa, mei, apud vos habeam pignus eximiæ erga vos familiæ nostræ obseruantiæ & pietatis: cur germanos optimos atque dulcissimos, qui se incredibili pietate dilexerunt, quantum in me est, pari quoque contubernio non donem? Venit igitur ad vos Laurentius, pater & vita sanctus, & doctrina instructus, & miraculis corruscans: quibus quidem ornamentis quid accedere possit, non video. Sunt autem summa omnia hæc, & habitant adhuc in oculis omnium: ex quibus & voluptatem in legendo, & fructum in imitando percipere possitis.

III. NATVS est igitur Laurentius Venetijs, Bernardo Iustiniano patre, matre verò Quirina. De [a] vtriusq; familiæ nobilitate neque multa dicere, neque omnino silere licet sine illius iniuria. Nam sicut his fortunæ donis gloriari, superbæ leuitatis est: ita fortiter contempsisse, quod Laurentius fecit, summæ grauitatis. Celebre [b] igitur est, & in antiquis Venetorũ monumentis extat, Iustinianam familiam à Iustiniani posteris defluxisse: tres fratres Constantinopoli pulsos per seditionem, venisse in Italiam, atq; Venetijs consedisse. Huius familiæ virtus cum multis in bellis, tum in eo maximè claruit, quòd à Vitali Michaële duce Veneto aduersus Emmanuelem Imperatorẽ Constantinopolitanum feliciori initio, quàm euentu gestum est. Classem nobilissimam centum triremium, & viginti nauium dux Venetus centum diebus confecit, & in altum deduxit: quæ quum omnem oram Illyrici maris, portus deinde Epiri atque Achaiæ, & deinde maris Ægæi insulas penè omnes recepisset, captaque denique ac spoliata Chio, ad [c] insulam, quæ nunc dicitur sanctæ Panagiæ, diuertisset, & descendisset aquatum, (seu pestis illa fuit, corrupto cœli tractu seu, quod magis creditum est, infectæ ab hostibus veneno aquæ) sane incredibili lue vastata est. Iustiniani quicumque per ætatem potuerant capere arma, classem eam conscenderant, quasi patrias sedes bello repetentes: sed tantum conatum infelix exitus excepit. Nam ad vnum omnes, sic volente Deo, aut ferro, aut morbo extincti sunt domi, præter aliquot senes sufficiendæ soboli frigidiores. Forte euenit, vt vnus tantum superesset adolescens, Nicolaus nomine, apud monachos sancti Nicolai. Vitalis dux laceram, & tam milite quàm remige vacuam classem trahens, in patriam reuersus: & cùm præter alia publica incommoda, tum ẽt quasi excidij illius familiæ causa fuisset, quę toti ciuitati fuerat charissima, etiam sibi sanguine. Impetrat ab Alexandro tertio Pontifice maximo, vt liceat adolescenti monacho soluere vinculum religionis, ad reparandam sobolem suæ gentis: eique vnicam filiam despondet, Annam nomine. Faustæ fuêre nuptiæ. Donauit [d] illos Dominus maribus sex, & tribus fœmellis. Lætus tam prospera sobole Nicolaus, & Deo gratias agens, voti veteris, religionisque non immemor, ad monasterium reuersus est: ædificato priùs apud Amianum cœnobio virginum sub nomine sancti Adriani: in quo vxor ipsa Anna quoque monasticam cepit vitam. Multis miraculis ambo claruerunt, atque eorum imagines apud ædem sancti Nicolai, in testimonium sanctitatis ad nostram vsque ætatem perstitêre. Quod, ne cui fortè mirum videatur, ijsdem temporibus idem Alexander pontifex Constantiam, Gulielmi Siciliæ regis filiam & monacham, & plùs quàm quadragenariam Henrico Imperatori, Frederici Barbarossæ filio, nuptui concessit, ad sobolem Gulielmi patris, qui Siculis fuerat charissimus, suscitandam. Ex hac igitur sanctitatis propagine Laurentius ortus. Bernardus pater iuuenili ætate in medio magnorum honorum cursu surripitur. Quirina mater, & ipsa clarissimo genere, anno ætatis quarto supra vigesimum, amisso viro, & quinque susceptis liberis, reliquam ætatem cælibem duxit, domum suam regens, vt Apostoli verbis vtar, & filios in timore Dei & mandatis instituens, instans [e] orationibus die & nocte: & nè in delicijs mortua esset, cilicium & catenam æream, quoad vixit, circà lumbos gestauit, ieiunijs & vigilijs florentem ætatem castigans: præcipuè autem in pauperes misericors & benefica, & quæ ad eleemosynas filios semper & verbo instrueret, & exemplo. Accessit ad eximium Laurentij ornamentum, germanorum fratrum par memorabile, Marcus & Leonardus: quorum necessaria mentio me diu tenuit ancipitem, scriberemne hic aliquid de illorum vita moribusque: sed quum magni res operis videretur, malui nunc soli Laurentio dare operam. Vnum tamen illud non silebo, cum bona venia legentium, tres eiusmodi fratres tanta virtute, sanctimonia, & omnium bonarum artium scientia præditos (quod quidem scriptorum monumentis extet) vix illa vnq̃ secula tulisse. Nec falli me amore, neq; fallere prorsus scio. Natus est Laurentius sub finem belli Genuensis illius maximi & periculosissimi: & natus, quo die pro insigni apud Clodiã victoria, vniuersa ciuitas supplicationibus & omni lætitiæ genere redundabat. Dicere solebat Quirina mater, dum in ea lætitia pareret, gaudio quodam animi perfusa, Deo primum gratias egisse, quòd cum partum, quem tantis in laboribus periculisque gestâsset, in lucem ederet cum tanta ciuitatis lætitia: Deinde Deum suppliciter orâsse, vt hostibus aliquando formidini esset, & saluti ciuibus: quod certe vidimus euenisse bello Mediolanensi, sicuti suo loco dicemus. Statim [f] autem primæua ætate declarauit morum elegantiam singularem. Nihil illo venustius, aut amabilius: cum maioribus natu libenter esse, cum æqualibus facilis, minores amplecti. Cæterùm excellenti videbatur animi magnitudine, & ad summas res semper intenta. Nihil illum ludicri delectabat, vt solet cæteros iuuenes: sed ad magnas res diuina sapientia rapiebat, vt aliqñ Quirina mater metuens, ne aliorsum erumperet ille ardor animi, & mundi honores amplecteretur plusquam par esset: Quin tu, inquit, hanc mi fili insaniam mittis? Infernum sapit ista superbia. Cui subridens Laurentius veluti per iocum, Noli timere, ait, mater: magnum me Dei seruum adhuc videbis. Hoc de seipso puerile præsagium haud multò pòst Dominus impleuit. Annum erat natus vndevigesimum, eius scilicet ætatis, in qua carnis illecebræ ancipitem facere solent humanæ vitæ viam. Dñs autem Iesus manũ illi adhibere volens, apparuit illi, sicut ipse in eo libello, qui Fasciculus amoris inscribitur, meminit. Ipsius verba subijciemus: Eram vestri similis, quęrens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inueniebam. Tandem quædam virgo sole splendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Hæc propiùs accedens, venusto vultu, placidoq; affatu: O iuuenis inquit, dilecte, cur effundis cor tuũ, & pacem sectãdo, per multa variaris? Quod quæris, penes me est: & concupiscis, tibi polliceor, si tñ in sponsam me habere volueris. Quum verò nomen ipsius, & genus, & dignitatem scire peroptarem, se ait sapientiam Dei esse, quæ pp hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo læta discessit. Hac igitur visione perculsus, rem detulit ad Marinum, Quirinæ matris consobrinum, qui fuit tam vitâ, quàm doctrinâ sanctissimus. Is quanquam magnum aliquid portenderet, & ardentem iuuenem ad omnem altissimæ vitæ rationem intelligeret, perspicere tñ penitùs illius animũ, & corporis infirmitatem experiri maluit, de vestitu nihil mutauit, nè cultus sordidior proderet animi propositum: sed matri nimium amanti secretum esse non potuit. Quę [h] quum præter suspiciones alias, ligna quædam rudia super lectum sternere, superq; his lignis cubitare filium deprehendisset (vt est matrum natura mollior) metuens nè filius non satis difficultates religionis intelligeret, induxit in animum tentare illius propositum, & nuptias apparare. Et quidem virgo offerebatur, forma, nobilitate & amplis diuitijs præstans, quam ego senem cognoui. Id cum animaduertisset filius, & fratres cum matre coniurâsse perspiceret, fugã maturauit, atq; ad Marinum auunculũ se contulit in religionem canonicorum collegiatorum, qui S. Georgij in Alga nũcupantur. Dicebat [i] aũt initio conuersionis proposuisse animo, hinc omnia bona fortunæ, nobilitatem, magistratus, honores, vxorem, liberos, pecuniã, & omnis præterea generis voluptates: illinc inedias, vigilias, æstus, algorem, seruitutem: sedisse deinde quasi iudicẽ inter ista: & ab sese ita exegisse: Considera nunc etiam atque etiam Laurenti, quid agas: Putasne hæc perferre poteris, aut illa contemnere? Tum sese ad Domini crucem conuertisse: Tu es Domine spes mea: ibi posuisti certissimum refugium tuum. Sic confirmatur animo, relicta matre, fratribusque calcatis, præterea opibus, & honoribus, & florentis ætatis illecebris, ad cœlestem militiam profectus est.

[a] Genus S. Laurentij.
[b] Familia Iustiniana.
[c] Venetorum clades.
[d] Redit ad monasterium Nicolaus Iustinianus
[e] Nota sanctitatem nobilis matronæ.
[f] Mores adolescentis S. Laurentij.
[g] Christus illi apparet.
[h] Nota stratum sancti adolescentis.
[i] Spernit nuptiarum voluptates.

[a] Pugnat aduersus voluptates insigniter. [b] Vigiliæ eius. [c] Tolerantia frigoris. [d] Statio eius in templo. * Harebat. * Obserua iter in cœlos. [f] Patientia eius eximia Dan 3. [g] Eius insignis humilitas. [h] Contemptus superbiæ & fastus mundani. [i] Amor paupertatis. 2. Cor 9. Heb. 11. [k] Mentis excessus in Missa. [l] Eius constantia. [m] Affectus vt edomitos habuerit

PRIMVM[a] igitur sibi certamen instituit cum corporeis illecebris, cuius viam breuissimam iudicauit, si nihil illis molle concederet, sed bellum gereret quasi cum hoste capitali. Nihil dicam de cibi parcitate, quem nũquam saturitate, sed vix vltima necessitate definiret: nihil de sitis tolerantia, qua nunquam sic torreri visus est, vt vel per ieiunium, vel manuum operationem, vel peregrinationem, vel valetudinem adduci potuerit, vt potum deposceret: quin si inuitaretur à fratribus, dicebat: Quo igitur pacto feremus Purgatorij calores, si paruam hanc sitim ferre non possimus? Vigilias[b] à Patribus institutas, non solùm ita seruauit, vt ad matutinum primus veniret, vltimus discederet: sed quum omnium monachorum mos sit, post matutinum ad somnum redire, donec sol illucescat, Laurentius per omnem vitam nunquam de ecclesia discessit, donèc ad Primam fratres conuenirent. Rigente hyeme, accedere ad ignem nunquam visus est: quod fuit admirabilius propter corporis imbecillitatem. Accidit[c] autem, vt pater quidam ad ignem inuitaret: recusante illo, palpauit pater illius manum, quumque obrigentem frigore sensisset, admirans, inquit: O fili, magnus calor est, quo intus ardes, si frigora ista non sentis, quibus obriguisti. Quid illud, vt ne in hortũ quidem remittendi animi causa vnquam accesserit, quod vnum solet esse monachorum remedium? Stabat[d] gradu nixus, dum diuina canerentur officia: non dextra, non læua sedilibus * hærere: quem statum semper in psallendo seruauit. Videntur hæc fortasse minus admirabilia his, qui nunquam experiuntur. Vos autem nobiles Christi athletæ, qui quotidie facitis harum rerum periculum, scio factu difficiliora quàm dictu iudicatis. Huius propositi atque constantiæ perseuerauit vsque ad vltimam senectutem, vt in ipsis ægritudinibus vix vlla corpus remissiori ratione foueret. Nam quum medicus eum laborantem iam fermè septuagenarium ad edendas carnes inuitaret Quadragesimæ tempore, & quô facilius suaderet, afferret exemplum sancti cuiusdam ex his recentioribus, qui ob ægritudinem haud maiorem die Dominicæ passionis pulpam phasiani comedisset, petiuit primum Laurentius, an abstinere posset sine vitæ periculo, quum ille non negâsset, Vnusquisque, inquit, abundet in sensu suo: sed vt verum fatear, valdè me delectant veterum exempla sanctorum. Video[e] autem confessores per carnis macerationem, martyres autem per sanguinis effusionem ad cœlestem patriam contendisse Itaque vt ad priores annos redeam, quum factus esset ætate vergente debilior, cogebant eum patres ex capituli decreto, vt cibo & somno, & veste moderatiùs vteretur. Quod ille ægrè ferens, quasi ad delicas compelleretur: Iubete, dicebat, vt lubet, parebo iussis: scire tamen vos velim, ei qui pro Christo pati decreuerit, patiendi viam non defuturam. Quærebant ab eo patre, qui hæc narrabat, quid his verbis significare voluisset: Disciplinas credebat, id est, verbera & plagas, quibus solebat affligi vehementiùs. Notas[f] quippè & sanguinis maculas sæpissimè apparuisse. Non solùm autem euicit has communes naturæ necessitates, sed dolorum patientiam admirabilem vbique præstitit. Incidit initio religionis in morbum fistularum, quas medici appellare scrophulas solent. His omne collum repletum est. Desperabant medici de iuuenis salute. Vnum remedium dabant, si setis equinis per transuersum collum sæpè deductis, corrupti humores educerentur: adurerentur deindè ferro candenti. Verum timebant, nè dolorem ferre nõ posset. At Laurentius vultu, quo semper erat, æquali: Quid dubitatis, ait, fratres? fecet & vrat medicus, vt libet: an non poterit Dominus mihi dare fortitudinem, qui tribus pueris dedit in fornace candenti? Traiectus itaque, & sectus, & adustus est. Vbi illud admiratione dignum, quod præter vnam vocem Iesu semel emissam, ne minimum quidem gemitum edere deinceps auditus est. Cæterùm hoc nobis incredibile fuisset, nisi oculis nostris vidissemus, in vltima ætate, quum pontifex esset, eandem animi firmitatem, & quum guttur intumuisset maiorem in modum, ac resolutio tardior appareret, eademque difficilis, angeretur autem animi pijssimus pater, domi atque in cubiculo inclusum vacare non posse ouibus suis, ad ictum ferri stetisse penitùs immobilem, quum timenti medico diceret: Incide audacter, neque enim laminas martyrum nouacula tua superabit. II.

[g] HÆC de corporis attritione, & quidem pauca de multis: sed veniamus ad animum, vbi plus negocij videtur. Incipiemus autem ab humilitate, quam ipse cæterarum virtutum reginam appellabat. Si rector erat monasterij, velut id sibi muneris contemptui potiùs esset, quam honori, infima quæque ministeria diligere, quæ relatu etiam sint indigna: nihil nisi de peccatis suis loqui, sua detestari, contemni ac despici cupere, semper de humilitate Domini Iesu, aut beatissimæ virginis loqui. Sed omissis quotidianis istis, videte patres, quomodò contumelias tulit. Quum de monasterij negocijs aliquãdo in capitulo ageretur, frater quidam simplicioris ingenij, accusauit nescio quid à Laurentio factum. Laurentius autem quamuis intelligeret hominis ingenium, & purgare facile posset quod abiecerat, substitit primum, quasi non audiret: tandem leni gradu in medium procedens genibus flexis: Ignoscite, inquit, patres: peccaui in cœlum & coram vobis, ecce pœnitentiam, quam dederitis, agam. Tactus pœnitentia frater ille, ad Laurentium accurrit, & veniam petens, eius pedibus aduolutus est. Iterum autem quum simile quippiam falso obijceretur, compressa Laurentius mordicus lingua, nihil respondit: scilicet ne aut mendax confessio malum exemplum proderet, aut negatio contentionem gigneret: loquendi & tacendi tempora prudentissimè discriminans. Mundi[h] verò fastus atque superbiam quam magnificentissimè perdomuit? Non dico, vt opes reliquerit, & honores: Neque enim tantæ virtutis est, honores contemnere, quam contemptum appetere. Plùs est enim, vt malè affici negligas, quàm vt bene affici non cupias. Cæterùm illud summæ perfectionis, vt malè affici desideres. Itaque non silebo, quòd Maphæus patriarcha, qui illi successit, & fuerat eius discipulus, mihi narrauit: Nam quũ de more exissent, ad petendum panem, fortè accidit, vt frequentiora vrbis loca penetrarent. Sensit eum Laurentius motum loci celebritate, & declinare homines cupientem: Maphæe, inquit, quid moueris? Vadamus constanti gradu. Nihil enim profecimus, si reliquimus verbo mundum, nisi etiam opere declaremus. Eamus cum faccis istis quasi crucibus, & gloriosum hodie de seculo triumphum referamus. De[i] paupertatis autem amore quid dicam? Accidit fortè, vt tectum monasterij igni conflagraret, vbi fratres omne penu in spem anni reposuerant. Aberat eo die Laurentius. Aduenienti verò mœsti fratres triste nuncium cùm attulissent, hilari vultu Laurentius? Eia filij, quid mali actum est nobis? Nonne paupertatem vouimus? Benedictus Deus, qui nos voti compotes facit. Ipse qui dat semen serenti, panem etiam ad manducandum præstabit: tantùm nè amittamus confidentiam nostram filij: quæ, vt inquit Apostolus, magnam habet remunerationem. Sicut igitur omnes & carnis & mundi illecebræ viluerant, ità vna illi voluptas erat, ex ecclesia aut cella non discedere. Et Orationis quidem & contemplationis gratia eum nemo superauit. Qualis enim veneratio subibat animum, cum illum ad altare conspiceres? quæ corporis immobilitas, quæ vultûs intentio, quæ lachrymæ? Ex fratre quodam audiui, illius imprimis familiari, dum celebraret[k] Missam nocte Dominicæ natiuitatis, post cõsecrationem Eucharistiæ solutum in mentis excessum. Cumque diutiùs perseueraret, accedit diaconus semel atque iterum. Ille perstitit immobilis. Tandem casulam tractus à fratre, velut à somno euigilans, Ecce prosequor, inquit, frater. Sed quid de infantulo isto tam pulchro faciemus? Quomodo solum & nudum in tanto frigore relinquemus? Constantia[l] autem fuit admirabili. Postquam Deum secutus est, maternã aut fraternam domũ ingressus non est. Memini puer adhuc cùm essem, videre eũ ad domus nostrę ianuam pulsantem, panes petere, domum tamen aut limen non ingredi, sed foris stantem panes opperiri. Mater autem filium ægre ferens tanto onere grauem diutiùs per vrbem vagari, iubebat ministris, vt saccum illi panibus implerent. Recusare semper Laurentius, & panibus duobus contentus discedebat, vt operam nauaret humilis mendicationis, & non domestici quæstus. Matris dormitioni interesse, pietatis esse putauit: Ibique noctem egit, vt materni amoris præceptum adimpleret. Dignum[m] illud memoria, quòd matrem, quam vnicè dilexit, morientẽ videre potuit sine lachrymis: & III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mis:& plorantibus alijs,ipse siccis oculis vltimum persoluit officium.Idem vbique erat, nunquam eum quisquam aut lætitia exhilaratum, aut ira commotiorem,aut solutiorem remissione animi videre potuit.Non vllum denique vestigium metus,cupiditatis, doloris,voluptatis.

VI. ERAT[a] autem illius constantia(quod rarò solet accidere) mira simul humanitate & veneratione condita.Sermone fuit suaui, breui, & pondere pleno: & (vt scriptum est) verbum quod ex illius ore egrediebatur, vacuum non redibat. Fuit illi præcipuus in adolescentia socius, tam genere quàm diuitijs clarus.Is fortè aberat, & in Oriente negotia gerebat, quando Laurentius Dominum Iesum secutus est. Hoc cùm accepisset & iuuenis & ignarus, quid esset animus diuino spiritu afflatus, pergit ad monasterium cum cantoribus & citharedis, & cum aliquibus armatis, planè non dubitans socium ad reditum pellicere:& si fratres fortè negarêt,tum vi & armis vsurus, accersit Laurentiũ: quem cùm vidisset non tam habitu vestis mutatum,quàm oris & gestus & incessus,obstupuit. Laurẽtius benignè salutatum, incipit illius animum blando priùs sermone tractare:tum paulatim à mundi rebus ad cœlestia deducere. Quid multa? Impulit iuuenem,& qui laqueum ad amicum capiendum tetenderat, in rete improuisus incidit. Respondens autem Laurentio, inquit: Frater verba æternæ vitæ habes: & quoniam frustrata mea spes est, teque ex hoc loco educere non possum,tu sane ex hoc sæculo me ad te deducere poteris,statutum est tecum viuere,tecumque mori.Prædicationis facultas ad populum ei defuit:quia nec spiritu,nec lateribus esset benè firmis: sed nihil fuit suauius, quam sedentẽ inter fratres audire.Cuius quidem rei vos inprimis, venerandi patres, optimi testes estis, à quibus vocari sæpè solebat. Vbi aliqñ[b] audiui à fratribus vestris,cùm sedissent ad vmbrã patulæ fagi, & dicere aliquid pararet, exemplo nimbis & tonitruis incredibili cum fragore misceri cœlũ visum esse. Cùm verò fratres hinc pluuiam, grãdine mq; metuerent,hinc ægrè ferrent concupita prædicatione fraudari,subridere cœpit Laurentius,& manu monere: Quiescite,inquiens,fratres,hæc sunt satanæ ludibria,qui mendax fuit ab initio, & in veritate non stetit. Nunquid verbum Dei alligare poterit? Vix igitur sermonem instituit,& ecce cœlum visum est aperiri,diesq; lætissimus pio fratrum desiderio ob sequentissimum præbuit officium. Non minori præterea cura fratribus aderat: Mœstos consolari, curare infirmos, laborantibus subuenire, cogitationes & diabolicas insidias exquirere. Vexabatur[c] frater(vt mihi narrauit) spiritu ad sæculũ redeundi,& aliquoties à Laurentio confirmatum, non cessabat diabolus instigare. Ferre ille ampliùs tentationem non poterat.Ad Laurentium autem se conferens:Succumbo,pater,ait,fer opem.Ecce nisi adiueueris,ad sæculũ redeo. Tum Laurentius:Sine modo,mi frater,& tantùm hodie nè abeas. Cras, vt libuerit, deliberato. Nox vna in orationibus ac lachrymis absumpta,sic diabolum fugauit,vt nunq; deinceps eum sit ausus impugnare. Sed quod sequitur, admirabilius:q; quidem narrare dubitarem, nisi accepissem à patre venerandæ fidei & authoritatis. Quum frater quidam simili instigatione premeretur,& ad certissimam Laurentij opem recurrisset, accepit Laurentius lauri ramusculum, qui decoctus aqua,relictus erat in vasculo.Ad fratrem autem conuersus: Accipe,[d] inquit,frater, & in horto planta: & si quidem reuiuiscet,securus esto de perseuerantia tua.Abijt ille & plãtauit,& reuiruit: & de miraculo gaudens,memoriam virgæ Aaron,& palmę Macarij reuocauit. Cæterùm[e] prophetiæ spiritu vberrima quadam mensura Dñs eumdonauit: & hoc ita celebre & diuulgatum fuit,vt non aliter ad eum,quàm ad oraculũ concurreretur.Innumerabilia dicere possum,& aliqua dicemus sparsim,vbi res postulabit. Interea vnũ eligemus è multis,vel homine in quo accidit,vel multiplici varietate,vel certitudine rei præstantissimum.Fantinum[f] Dandulũ scio cognouistis,genere,dignitate, vita & doctrina clarissimum:qui fuit nuper episcopus Patauinus. Hic dum sæcularis esset adhuc, & primarium in nostra Republica locũ teneret,primo die Quadragesimæ ad suscipiendũ de more cinerẽ accedit: Suscepto cinere & benedictione, Laurentius ait:Memento frater, quia futuro anno tu alijs horũ cinerum officium impendes. Quod vt audiuit homo secularis,& plùs quàmquinquagenarius,surrexit admirans: neq; aliud tñ ibi percontatus est propter loci maiestatem, sed in claustro prætereuntẽ expectat.Factus aũt ad illum propior, rogat quid illis verbis significare voluerit.Lautẽtius substitit aliquantulum cogitabundo similis,deinde subiecit:Dico tibi frater, q; cinerem quidẽ non impones, sed certè populo distribues ramos oliuarum.Fantinus quanuis maiori adhuc admiratione teneretur,quonam modo hoc posset accidere,tñ aliud sub his verbis latere dubitans, discessit. Ecce aũt haud multò pòst Martino defuncto, Eugenius Venetus pontifex eligitur. Ad eum Fantinus legatus ab senatu nostro destinatur. Suscipit eum Eugenius maximo cũ honore,& inter sacros ordines initiat.Deniq; ante vertentem annum legatum Apostolicum Bononiam mittit: quò cùm venissel, & primo die Quadragesimæ imponere cinerem populo necesse esset, inuitatur legatus ad id muneris. Ille recusat,quòd ab alio, quàm sacerdote,fieri non liceret.Instant enixiùs illi,dicentes id muneris à Legatis semper exerceri consueuisse.Fantinus in proposito permanet, atq; id officij non paruo tandem labore deprecatur,nihil adhuc de Laurentij verbis aduertens.Die verò Parmarum,cùm similis contẽtio oriretur,& canonici peterent, vt oliuæ ramos populo distribueret,ille aũt ex humilitate eadẽ sacerdotij excusatione vteretur: tandẽ canonici summis precibus postulant; vt si in cineribus Legatum sese gerere noluit, saltem non recuset oliuarum officium. Quid multa? Victus Fantinus,illud officium,vt prædixerat Laurentius,proprijs manibus absoluit.Has aũt sancti viri virtutes Eugenius Pontifex cum audiret,animũ induxit Venitis episcopũ dare.Quo[g] animo acceperit,iudicate,si potestis.Bis fugiendi cepit impetum, & in abdita aliqua loca secedendi:bis restitit, & itare demum in patrum suorum sententijs deliberauit.Erant aũt ex ijs qui suaderent,non esse summo Pontifici obluctandum, sed parendum Christi vicario. Nonnulli verò, vt nullo modo susciperet,suadebãt,mundi Fastus,onera insueta,& corporis imbellicitatẽ memorantes.Fuêrẽt, qui suaderent vt fugeret:& afferebant singuli exempla sanctorum,qui vel suscepissent, vel renuissent, vel incogniti profugissent. Indicto tñ ieiunio & oratione solenni,decreuerunt patres conari apud Eugeniũ & literis & nuncijs,ne sibi patrem ducemque suũ auferret,sine quo societas illa plane periclitaretur. Bis misêre, bis rescripsit Eugenius & extant dũæ illius epistolæ,quibus dulcissimis verbis patres illos consolatur.Rationibus præterea grauissimis, & sanctorum patrum exemplis admonet,nè diuinæ voluntati aduersentur.Non parêre igitur non potuit Pontifici ter iubenti.

V. ANNO[h] ætatis quinquagesimoprimo inijt episcopatum, & quidem nulla pompa aut comitatu,vt fratres ẽt germanos adesse noluerit, & aduenisse priùs nouum præsulem omnis vicinia cognosceret, quàm penè intelligeret aduenturum.Eam noctem duxit insomnem, Deum precatus orationibus & lachrymis, vt si id muneris ad ipsius honorem susceptisset, nolens alioquin & inuitus, ne se desereret:scire se quantum negotij susciperet, nosse populi multitudinem, ordinum varietatem, amplitudinem principatus secularis: quales & quàm crebras discordias habuissent cum superioribus episcopis:contra verò, vires sibi tenues & imbecilles, quippe nusquam, nisi in monasticis cellulis exercitatas. Quum hæc & pleraquè alia cum lachrymis effunderet, dicebat se tanta animi luce repletum,vt non aliter deinceps illius episcopatus,quàm alicuius monasterij,munera obierit. Familiam[i] sic instituit. Elegit duos de suo cœtu fratres: quorum altero vtebatur ad officia diuina, cum altero partiebatur curas meliores. Quinq; præterea ministros habuit per tres & viginti annos:quibus fuit in eo pontificatu:quanq; per liberalem iocum dicere solebat,familiam sibi grandem esse,cuius cura premeretur:pauperes Christi significans. Veste[k] vsus est colore,quem dicunt,cœlestino,iusta longitudine.Tapeta;& aulæa,& cætera ornamenta ædium omnino spreuit. Mensa[l] non sordida, sed summa mundities, ad quam de more monastico legebatur: nihil omninò argenti. Vescebatur in vitreis & fictilibus: cibo vulgari semper vsus,amauit oua,quòd & stomacho amica essent,& voluptatem nõ irritarent. Nihil appetere aut damnare. Quicquid

[a] Eius sermo qualis. *Esaiæ* 55.

[b] Est frequens apud Carthusianos. *Ioan* 8.

[c] Cõfirmat fratrem de instabilitate vexatum.

[d] Admirabile quiddam. *Num.* 17.

[e] Abundat prophetiæ spiritu.

[f] Fantinus Dandulus episcopus Patauinus.

[g] Abhorret ab episcopatu.

[h] Fit episcopus sinẽ vlla pompa

[i] Familia eius qualis fuerit.

[k] Eius vestis.

[l] Mensa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quid apponeres, ſumere. Accidit ſemel vt pincerna deceptus colore, acetum pro vino apponeret. Cùm Laurentius admouiſſet ori, vt acetum eſſe ſenſiſſet, nihil vltra quæſtus, prandium exigebat ſine potu. Pincerna vt aduertit, veniam ſupplex errori deprecatur. Cui Laurentius placido vultu: Eia, inquit, curato diligentiùs deinceps officium tuum. Cubile[a] habuit vix ſex pedes protenſum, tomento paleari, & opertorio, quod veteres centonem, noſtri ſclauinam vocant: excluſis ſemper de thalamo omnibus, vt liberiùs vacaret lachrymis & orationi. Statim[b] autem operam dedit, vt pontificalis eccleſia, ſuperiorum epiſcoporum aut incuria aut auaritia neglecta, pro dignitate ſedis excoleretur: Canonicorum ordinem, ad nihilum redactum, reſtituit, addit ſacerdos, cantores inſtituit. Eandem[c] adhibuit curam circa alias eccleſias, vt plurimæ, in quibus vix Miſſa dicebatur, nunc videantur eſſe pontificales. Mores[d] deinde cleri caſtigare adortus, deque ijs edidit pulcherrimas conſtitutiones. Sed nihil erat, quod non facilè impetraret liberalitate & bonitate naturæ. Erat enim alioquin non grauis. Frui clerum ſuis fructibus patiebatur, vt nihil illi oneris impoſuerit vnquam. Pari[g] cura proſequebatur monaſteria, præcipuè ſacrarum virginum ob ſexus infirmitatem, quibus nihil deeſſe pateretur, vel ad corporis neceſſitates, vel ad regulares ét diſciplinas. Collapſa reſtituit, noua cõſtruxit. Pulchrum huius rei teſtimonium, quòd cum initio viginti aut circiter obſeruantia ſuſcepiſſet, moriens reliquit quinque ſupra triginta. Non minori ſtudio aliarum etiam ouium curam gerebat. Non fuit credibile, quantus quotidie concurſus fieret mœſtorum & laborantium, qui conſolari cuperent, qui iuuari ope, oratione, conſilio. Ad eum omnes confluere. Plebanos quidem ſedulò monere, reddituros aliquando proprij officij rationem. Cæterùm pecuniam contempſit, vt neminem vnquam magis contempſiſſe crediderim. Domus[h] erat aperta omnibus, omne penu pauperibus patebat. Si procurator rationes afferret, nihil accepti vel expenſi videbat ampliùs, quàm quid deeſſet aut ſupereſſet: indignum omnino ratus, vt qui animarum quæſtui præfectus eſſet, ſederet ad calculos. Primum illi de pecunia inſtitutum fuit, vt nullum penitùs ſibi cum fratribus eſſet commercium: quia nihil exiſtimauit ad amorem ſuæ plebis conciliandum, ſi demque comparandam efficaciùs, quàm ſi tolleret prorſus omnem ex animis omnium de hac re ſuſpicionem. A qua vt longiùs abeſſet, cùm Leonardus frater aliquãdo pauperem eleemoſynam petentem Laurentio commendâſſet: Vade, inquit ille, & reſponde Leonardo meis verbis, vt tibi ipſe ſubueniat, poſtquam à Domino habet, vt de ſuo dare poſſit. Illud in amoris fraterni ſignum retinuit, vt in Paſchate, & in Natiuitate Domini, & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, eos donare duobus panibus, ex farinæ flore confectis. Poſt mortem autem fratrum, idem tributum mihi ſemper pendit: quin potiùs & à fratribus iuuatus ipſe eſt pecunia grandi in bullis Apoſtolicis epiſcopatus, & à me deinceps non minori præſertim cùm ad patriarchatum euectus eſt. In[i] cognoſcendis autem penurijs hominum adhibere ſolebat viduas aliquot ſpectatę virturis & fidei, quòd & ille ſexus eſſet ad huiuſmodi miſericordiæ opera feruentior, aptior etiam ad indagandas paupertates occultas, eorum præcipuè, qui ex opibus in inopiam decidiſſent, quorum generi hominum maximè miſerebatur. Malebat autem aliquando decipi, quàm nimius eſſe in examinando, vt ſi in alterutro eſſet offendendum, mâllet, cui non oporteret, dare, quàm non dare cui oporteret. Libentiùs dabat res humano vſui neceſſarias, quàm pecuniam: & plures libentiùs ſummas, quàm maiores, vt eſſet communior in tanto populo beneficentia. Orauit aliquando Laurentium conſanguineus eius non ita pauper, vt pecunia eum iuuaret in filiæ dotem. Reſpondit Laurentius: Conſidera quæſo, frater, ſi parum dedero, non eſt quo opus habes: ſi multum, defraudabo multos, vt vni ſatisfaciam: & prætereà quicquid illud eſt, quod eſt, ad cibos potiùs pauperum, quàm ad intortos crines aut margaritas, ab eccleſia traditum eſt. Igitur ignoſce, ſi dare non poſſum. Sed nihil fuit ciuitati gratiùs, quàm lignorum naues onuſtæ, quas ſæuiente hyeme diſtribuebat pauperibus. Pecuniæ ad eum quotidiè confluebant, vndè crederes. Vidi aliqñ, cum ab eo eleemoſyna peteretur, quòd pecunia non poſſet, promiſſione ſatisfacere: ſæpè, cum domi nihil reliquiſſet, æs alienum contrahere. Et[k] quum procurator rogaret eum, qua ſpe faceret: Domini mei, dicebat, qui pro me diſſoluere facile poterit. Nec ſpes illum fallebat. Nam continuo ſubmittebat illi Dominus pecuniam inſperatò multis de locis. His moribus & diſciplina incredibile eſt, quantum beneuolentiæ & authoritatis apud omnes ordines comparauerit.

[a] Cubile.
[b] Eccleſiam cathedralem inſtaurat.
[c] Item cæteras.
[d] Clerum reformat.
[e] Item monaſteria.
[f] Contemptor pecuniæ quantus fuerit.
[g] Benignitas eius in pauperes & calamitoſos.
[h] Eius in Deum fiducia.

Omnibus eſt gratus & venerabilis

HABVIT[l] autem hoc donum diuinitùs collatum, vt omnes, cum quibus eſſet, lætos ſemper placidoſque dimitteret, omnibus ſatisfaceret. Boni iuxta, maliq;, modeſti, facinoroſi ſine vllo penè diſcrimine illum colebant. Sic verba, & oculi, & motus, & omnia quæcunque aut diceret, aut faceret, (tanta erat virtutis & gratiæ vis) rapiebant animos omnium in amorem. Initiò quidem pontificatus, quum de mulierum ornatu decretum edidiſſet, vxorijs quibuſdam maritis ingratum, dux noſter illorum querelis deceptus, quaſi libertati ſeculari metuens, accerſiri eum iubet. Quæritur ea de re verbis acrioribus: vt fuit natura vehemẽtior. Tum Laurentius pater manſuetè ſimul grauiterque reſpondens, ſic illius animum demolliuit, vt dux conuerſus ad adſtantes, neque lachrymas continens, Angelus, inquit, non homo, locutus eſt: Vade pater, & fungere officio tuo. Illum deinceps velut Apoſtolum veneratus eſt, vt aliquando per iocum dicere ſoleret, præter Laurentium neminem eſſe mortalium, cum quo animam commutaret. Conſulebatur autem[m] dubijs in rebus, & quanquàm irent quaſi ad hominem diuino potiùs quàm humano ſpiritu reſpondentem, res tamen humanas, tam publicas, quàm priuatas, quas nondum illi experiri contigerat: (ſiquidem ante vigeſimum annum confugit ad ſolitudinem, primo & quinquageſimo redijt) ſic callere videbatur, perinde ac ſemper tractauiſſet: vt dicere non verear, nihilo mihi minùs prudentiorem eſſe viſum, quàm meliorem: ſi tamen prudentia, bonitatis pars non ſit. Iam[n] vero in iure dicendo ſapientiam illi dicant, qui viderunt, & præſertim curia Romana: quæ nihil vnquam ab eo iudicatum reſcindi paſſa eſt. Sententiæ illius inappellabiles habebantur: & quanquam in irrogandis pœnis clementior eſt habitus, iuſtitia tamen fuit, quæ neque precibus, neque lachrymis frangi poſſet. Nulli illius cœnaculum vel cubile non patuit. Non cauſarum multitudine potuit, non proteruitate litigantium defatigari. Stabat veluti rupes immobilis ad turbines cauſarum, quibus nulla ferè, vt opinor, in orbe eccleſia magis agitatur, propter amplitudinẽ ciuitatis & cleri. Gratiſſima inprimis fuit breuitas reſpondendi, qua & paucis abſoluebat, & cæteris adeuntibus ſatisfaciebat faciliùs. Sed qua iuſtitiæ luce afflatus ad iudicandum veniret, præſertim maioribus in cauſis, erit ſatis apertum teſtimonium, quod referemus. Matrimonij lis orta Paduæ eſt inter haud vulgares familias. Ad Fantinum epiſcopũ, de quo dixi, defertur. Ille cauſa cognita, cum leges fauere mulieri, quæ virgo aſſerebatur, pro muliere pronũciat. Iuuenis, qui ſponſionem factam pernegabat, innocentiæ conſcius, aduerſus tantæ authoritatis iudicem Laurentium pro ſecundo impetrat. Laurentius autem quum videret à ſapientiſſimo & optimo alioquin iudice ſecundum mulierem iudicatum, tamen lachrymis iuuenis permotus, opem implorantis cauſam non ſuſcipere non poteſt. Ad orationem[o] autem ſe confert, quam grauioribus cauſis habebat pro fideliſſimo conſiliario. Hac diligentiùs facta, iudicat ſecundum virum. Propinqui mulieris nihilo ſegniùs tertium iudicem petunt, & impetrant epiſcopũm Taruiſanum. Is quoquè pro mũliere pronunciat. In diſcrimine videbatur Laurentij ſententia duabus aduerſis, & expectabant omnes attentiùs tantæ cõtentionis exitum: cum iudex æquiſſimus Deus ipſe ſe pro quarto gerere voluit, & litem omnem dirimere: in lucem producit inceſtum mulieris, quæ ex conſobrino & eodem clerico grauida, quum partum ampliùs differre non poſſet, amiſſo pudore & patefacto flagitio, diuinam fuiſſe, non humanam, Laurentij ſententiam confeſſa eſt: Conſcientia autem fuit explicata, pura, integra, quæ omnia dirigeret æquitate: ſcientia verò potiùs diuini-

IV.

[*] Etiã humanarum rerum fuit callentiſſimus.
[n] Æquitas in iure dicendo.
[*] *deeſt, viderentur, aut tale quippiam.*
[o] Oratio illi pro optimo conſiliario eſt.
[m] Eius conſcientia.

diuinitus infusa, quàm humanitus acquisita, videri posset. Vix [a] enim elementa prima didicit à præceptore, & tamen nihil est in sacra scriptura disputatum, de quo non posset grauissimè respondere. Dicam, quod accidisse memini. Venit [b] ad eum Theologus, qui audierat de illius doctrina, & præsertim quod didicisset sine doctore. Audire voluit & periculum facere. Mouet illi quæstionem de diuinis relationibus. Respondet Laurentius. Ille responsum laudans, repetit adhuc, velut cum circulatore sophista sibi res esset. Tum Laurentius: Scriptum est, frater: Contentiones & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Dixi quid sentirem, si satisfeci, placet: sin minùs, quare qui tibi respondeat sapientius. Compunctus ille & gratias agens, petita benedictione discessit. Scripsit autem volumina quindecim, & sermones quadraginta. Crebra [c] illius scripturarum vsurpatio, deuota traditio, stylus redundans & copiosus: qui si gentilium literis dedisset operam, potuit inter scriptores elegantes annumerari. Voluminum tituli, hi sunt: Lignum vitæ. De disciplina monasticæ professionis. De spirituali & casto cõnubio verbi & animæ. De humilitate. De spirituali interitu animæ. De triumphali agone mediatoris Christi. De interiori conflictu. De complanctu Ecclesiæ. De corpore Christi & sanguine. De vita solitaria. De contemptu mundi. De sermone Domini in cœna. De officio pastorali. De obedientia. De gradibus perfectionis. Sermonum autem titulos apponere, operæ precium non iudicaui.

[a] Scientia.

[b] Theologus quidam eius tentat doctrinam. *Tit. 3.*

[c] Eius lucubrationes.

VII. QVANTO [d] autem magis authoritate & gloria crescebat, eo indies fiebat humilior. Audite mansuetudinem. Nam quum prælatus magnæ, plus ob pecuniam quam vitam, authoritatis ductus inuidia, varijs eum quotidiè calumnijs laceraret: vt expleret animi malitiam, incidit conuentum plurimorum præstantium & doctrina & dignitate virorum, quasi de theologica aliqua quæstione disputaturus. At conclusiones quasdam proponit, decretis illis contrarias, quæ Laurentius ediderat de sumptu & ornatu mulierum. Ridere partim qui aderant, partim mirari, quam ad rem essent conuocati. Qui verò grauius sentiebant, indignè admodùm pati, quòd illud spectaculum non honor Dei, sed maledicendi cupiditas coegisset. Tandem bonus pastor manu silentio indicto, longam pro mulieribus orationem habet: cuius epilogo quum misericordiam & lachrymas mouere vellet, pluribus simul locis excitatus risus est. Gratijs, qui venerant, actæ: Disputatores ad cœnam vocati, atque ita discessum. Affuit quidam, patris nostri dilectus in spiritu filius, qui huiusmodi re mirificè commotus, quòd homo petulans sanctissimum virum huiusmodi contumelijs incessisset, accurrit ad Laurentium. Aderam tum ego fortè, quum hic & ira & via fessus, Et quid, inquit, pater? Patieris ne honorem tuum ab ijs improbis lacerari? Tum Laurentius: Quid est fili? Ille rem omnem, vti se habet narrat, non verbis solùm, sed & ore & oculis & manibus sic indignantibus, vt non eum solum in quem essent illa iactata, sed quenuis alium immunem ab iniuria, facilè commoueret. Quid tum Laurentius? Putatis ne aliquod irati animi signum protulisse? Testor Dominum Iesum, quum intenros in eum ad id vnum coniecissem oculos, nihil mutationis in eo vultu perspicere potuisse. Nihil indoluit aut questus est: imò noluit scire, quis affuit, quis dixit: non fronte aut vultu aut signum aliquando vel minimum edidit animi commotioris. Vt autem mœrentem filium solaretur, placido vultu: Noli, [e] inquit, te afflictare fili: Dominus Iesus, cuius negotium est, ipse aderit honori suo. Neque sanè in eo falsus est. Nam paucis post mensibus dux ipse cum satellitibus suis partim exilio, partim vinculis, morte nonnulli affecti sunt. Quanq̃ autem nihil videtur addi posse ad hanc cõsuetudinem, nescio tamen an id, quod accidit iterum in simili genere, sit admirabilius. Nam cum solenni pompa Eucharistiæ sacramentum festo corporis Christi circumferretur, comitatu (vt solet) totius populi frequentissimo, heluo quidam, qui clerici scelera ab episcopo damnata impudẽtius defenderat, ante ostium proprie domus consistens, dum inde Laurentius transit, Deum nihil veritus, qui antè oculos eius incedebat: En, inquit, qui pro sancto colitur. O insani, qui talem hominem adoratis. Audit Laurentius. Sed quid arbitramini? Gradu quo vadebat, perseuerat: non vultum, non oculos deflectit ab Sacramento: & quum aliquot pij homines commoti rei indignitate, cum facibus ad illius domum vellent concurrere, vix à me qui tunc aderam, repressi sunt. Quod tamen facinus vindicauit paulò pòst Senatus, maiori Laurentij gloriâ, illa præter cæteros inflicta pœna, vt perditus ille frequentiori populo in ecclesia pontificali super pulpito publicè mendacium fateretur. Certauit autem Dñs cum Senatu nostro in pœna supplicioq; miseri. Nam paulò pòst pulsus vrbe est, profugusque nunc errat procul à domo liberisque inops atque mendicus. Sed penè infinita sunt talis mansuetudinis testimonia. Erat [f] autem verborum actionumque tanta mensura, vt si inferiora hæc cœlestibus conferri fas est, (cœlestis enim certè animus esset) vix ego motus cœlorum & reuolutiones & gyros agi maiori ordine atque mensura crediderim. Ipse quidem discipulo reuelauit, sibi à Deo datum fuisse, vt quouis loco aut tempore se colligere vellet, & in cœlum mentem erigere, semper posset. Quòd si fortè aliquibus, vt solet, imaginibus turbaretur, non aliter abigere se diceret phantasias illas, quàm si muscas oberrantes pelleret ab oculis. Erat in illis causarum actionumque turbinibus semper quietus & immobilis. Nihil audire diceres: quasi in cœlo esset animus, corpus in terris. Rursus autem, si stylo aut orationi sese dedisset, & interpellaretur, vt sæpe fit, ab aliquo eum adeunte, videres sine vlla molestia, cœpto opere intermisso, quasi ociosum iucundo vultu venientem excipere, quoad vellet, audire: tanta profectò animi pace, vt angelica interdum videretur potiùs, quàm humana. Hanc tam admirabilem constantiam sola diuinæ bonitatis meditatio poterat emollire. Dixi superius, quum de matris dormitione loquerer, in illius funere lachrymam non emisisse. Videte patres, vbi lachrymæ profluerent. Donum [g] enim habuit lachrymarum, vt nemo ferè alius. Quum post prandium aliquando sederet, & de diuinis, vt solebat, sermonem haberet familiarem, conuersus ad eos, qui aderant, ferentiori quodam mentis affectu, Quid, inquit, agam fratres, quid agam, cum ad iudicem deducar? Quid egi miser, in quo sperare possim? Nihil habeo, nisi quòd ad illius sanctissimi ligni radicem prouoluar & plangam. Hæc quum dixisset, totus solutus in lachrymas est: quas cùm profusiùs emisisset, & erectus vidisset nos, qui aderamus, compungi, & illas lachrymas admirari, veritus nè quid ex his laudis humanæ surreperet, Videtis ne, inquit, has [h] lachrymas? Affectus cuiusdam sensualis fuerunt, non veræ deuotionis, à qua absum longissimè. At quàm pulchrè diuina bonitas conuenientem illi animo sedem tradiderat. Omittite virtutes aut sanctitatis nomen: facite vos tunc primum eum videre: angelum, non hominem, credideritis. Fuit [i] proceritate corporis altiore quàm iusta, gracilioribus membris, colore candido, statu erectus & celsus, omni facie admodum decora. Oculis verò vniuersum corpus ita moderantibus, vt venerationem & sanctitatem vndique spirare videretur.

[d] Eius eximia lenitas & tolerantia iniuriarum.

[e] Vltio diuina in eius obtrectatores.

[f] Dictorũ factorumq; eius moderatio.

[g] Donum siue gratia lachrymarum.

[h] Extenuat lachrymas.

[i] Figura corporis egregia.

VIII. SED [k] quia de Marco & Leonardo fratribus nihil hactenus dixi, nolim aliquis existimet, vllos vnquam sese maiori charitate dilexisse. Visebatur ab his quotidie: ad eum publica omnia & priuata deferebant: sed omnes ferè illorum sermones erant de æterna vita. Cæterùm quàm diuino spiritu omnibus in actionibus suis ageretur, vltimis illorum horis apparuit. Laborauerat Marcus valetudine diuturna, domo per annum non exierat: cupiebat fratrem videre, quo nihil in terris chariùs haberet. Recusabat Laurentius venire. Domo enim fraterna, sicuti materna, vt antea diximus, semper abstinuit. At ille orare enixiùs, & obsecrare per fraternæ iura pietatis, vt mori eum non vellet sine sua benedictione. Solabatur eum, & promittebat venire Laurentius, sed tamen differebat. Ibat ad eum Leonardus pater, ibam ego, orantes vt veniret, si quidem viuum reperire vellet. Dicebat, bono animo essemus: venturum sese, quum tempus exigeret: & certè aliquoties videbatur meliùs habere. Quum autem apparuit, hora, quam expectauit, fallere chariſſimum fratrem noluit. Ecce venit ad eum, quum minime expectaremus. Iam propinquus

[k] Charitas erga germanos fratres.

ptis incommodis, totum corpus pariter attriuerat. Nos autem de eius vita pluſquam de noſtra ſoliciti, hortabamur, vt audiendi onera deponeret. Quibus ille, vultiſne locum, qui mihi commiſſus eſt, deſeram? Nam quod ad ieiunia, vigilias & caſtigationem carnis attineret, ſeneſcere corpus, ſpiritus iuueneſcere videbatur: & aut Paulum referebat, qui nonagenarius veſcebatur palmulis: aut Hilarionem, qui octogenarius farinula, aut alium de patribus antiquis. Vt autem nihil ad cumulatam gloriam deeſſet, perſeuerauit ſcribere vſque ad eam diem. Fortè tunc librum de gradi-

[a] Cupit diſſolui, & eſſe cũ Chriſto.

bus perfectionis abſoluit. Dum autem poſt cibum mecum de more ambularet. Quàm libenter abirem, [a] inquit, ſi Domino placeret. Neque enim melior ſum, quàm patres mei: ſed tu bone Ieſu obſequi non debes voluntati meæ, ſed vtilitati populi tui. Voluit autem Dominus preces eius audire. Febri poſt paucos dies acerrima corripitur. Lectum paramus: ille commotior & indignanti ſimilis. Mihíne plumam paratis? Qui mollibus ſternuntur, [b] in domibus regum ſunt. Non in pluma Dominus meus, ſed in duriſſimo ligno cubitauit. An non meminiſtis, quid beatus Martinus in rẽ ſimili reſponderit, non decere Chriſtianum hominem mori, niſi in cinere & cilicio? Nihil igitur tunc profecimus, victíque ad eius mattam detulimus inter brachia. Cùm autem neque medicis, neque pecuniæ parceretur, & miniſtrantium circa ſe ſtudium videret, compungebatur animo: En quanta, dicebat, ob huius facei vilis ſanitatem parantur? quanta perduntur? cum intereà pauperes Chriſti non panem, non ſtratum, non ignem habeant, vbi calefiant. Intellexit autem vir ſanctus migrationis diem aduenisſe. Hactenus, inquit, filij per iocum res acta eſt, ſeriò nunc agitur. Propè eſt ſponſus: eundum ei obuiam. Et ſublatis in cœlum oculis, Venio, inquit, ad te bone Ieſu. Obſeruatum eſt autem ab ijs, qui miniſtrabant ei, quod aliquando plenus animi, ardore quodam ſpiritus in cœlum ferri geſtiebat: interdum verò in profundum ſeſe humilitatis abijciens, pertimeſcere videbatur diuinum iudicium. Nam dum ego ad eum non ſine lachrymis dicerem. Quàm lato animo migrare debes, ô pater, cui palma cœlorum parata eſt: Decerni, inquit, filiis forti-

[b] Correptus febri, omnẽ mollitiem reſpuit.

tibus ſolet hæc palma, non ignauis meíque ſimilibus. Hæc humilitatis: illa verò quàm plena fiduciæ? Nam cum nos lachrymari videret, Abite, ait, hinc cum veſtris lachrymis: tempus lætitiæ eſt, non lachrymarum. Sic in fiducia Macariũ, in timore Arſenium referens: inter vtrumque incedens, vt cum fiducia metueret, nec ſine timore confideret. In cam-

[c] Vult muniri eccleſię ſacramẽtis ſub mortẽ.

pum [c] igitur cum mortè deſcenſurus, armari ſe ſacramentis Eccleſiæ, & ad ſacellum inter manus deferri poſtulauit. Et cùm è ſtrato ſubleuatus, innixus humero meo, labantia membra regere non poſſet, paululum reſedit. Effundebar totus in lachrymas. Quod ille aduertens: Quid ploras, inquit, Bernarde fili? Da mihi dexteram. Quam quum ambabus ſuis tenuiſſet, Confide, inquit, & bono animo eſto: nunquam enim te deſeram. O vocem dulcem pariter & acerbam. Neſcio quomodo non elanguit cor meum: niſi quod temperata fuit tam certa promiſſione mœſtitia. Certè illius diei, illius loci, patres clariſſimi, debeo nimis crebrò meminiſſe. Legatum, quod à dulciſſimo patre mihi relictum eſt, omni fide & ſpe veluti brachijs amplexabor, quaſi ob ſignatum ab angelis, ſubſcriptum à beatis ſpiritibus: quorum glorioſam & innumerabilem multitudinem ad ſuſcipiendam fidelis conſerui animam cubiculum illud compleuiſſe non dubito. Quam vero ſupellectilem creditis fuiſſe compertam in his ædibus? Putatiſne aurum aliquod aut argentum? Illud admirabilius, quod nullum omninò librum poſſederit. Cum quotidiè legeret aut ſcriberet, librum tamen vllum poſſidere noluit. Teſtamentum omne, quod fecit, efferri ſeſe iuſſit nulla pompa ad monaſterium ſuum, quod abeſt duo millia paſſuum extra ciuitatem, ibique in ſepulchris fratrum reponi. Neque ſemel præcepiſſe contentus, quaſi diuinaret, quid contentionis de illius ſepultura eſſet futurum, vocari nos iterum iubet: Scitis, inquit, quæ de ſepultura mandaui? Facite quod iubeo: nolite pompam parare. Neque enim is ſum, quem fortè exiſtimatis: Antonium imitatus & Hilarionem, qui in locis obſcuris ſepeliri voluerunt, ne colerentur à vicinis.

XI. SVSCEPTA verò paulò antè diem ſacri olei vnctione, ſermonem habuit de mortis vtilitate ac de cœleſti vita, miro quodam ſenſu ac grauitate verborum. Nam vt erat ſupinus, aliquandiu tenuit in cœlum oculos. Tum denuò ſemiclauſis, in hanc ſententiam fari cœpit: (verba etiam, quantum potuimus tenere, ſubijcientur) Videtis, ô filij, horam meam aduenisſe: benedictus Deus, qui eam tandem venire voluit, cum nulla ſit alia via, quæ ducat in cœlum. Ille enim

Ioan. 14. venit nobis via, veritas & vita, vt eiectis de paradiſo miſeris exulibus, viam ſignaret in patriam redeundi. Si enim in hac

1. Cor. 15. vita tantùm ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Sed abſit à nobis tam ſtulta cogitatio. Quid

Sapient. 5. enim vita hæc, niſi lanugo quædam (vt ille inquit) & veluti memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis? Chriſtus pro

1. Cor. 15. nobis mortuus eſt primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noſter propter nos mori voluerit. Hunc diem ſemper ante oculos habui: tu ſcis Domine: quanquam dum vitam meam conſidero, confuſio ſit

Dan. 9. mihi potius appellanda, quàm vita. Sed in ſpiritu humilitatis ſuſcipe me, bone Ieſu, vita & ſalus animæ meæ. Neque enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Illa ego ouis amiſſa, ad te paſtorem redeo. Vocem tuam noui, non alienorum: peto Domine, vt ad ouile me reducas. Poteſne

Pſalm 90. ſpernere vocem clamantis & confugientis ad te? Nonne tu ille, qui dixiſti, Clamabit ad me, & ego audiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quàm ore, Domine: ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui eripiat, niſi tu bone Ieſu. Sed neque felicium ſpirituum ſedes affectare auſim, qui ſpeciem intuentur ſanctiſſimæ Trinitatis. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ, poſtulat micas ſuauiſſimæ mẽſæ tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quàm nimium, ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo tuo ſeruulo non negaueris. Conuerſus deinde paulu-

Eſa 4 & 40 lum ad aſtantes, ait: Vos intereà fratres, ſeruate Domini præcepta. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tan-

Geneſ 27. quam flos fœni. Contemplamini me, ecce aruit fœnum, & flos eius cecidit. Horam hanc quis poterit euadere? Sed mihi credite, filij, nihil eſt præſtantius, quàm ſeruire Domino. Hæc cum dixiſſet, ſublato pauliſper brachio, quod denudatum tenebat, caligantibus oculis, vt Iſaac illum antiquum videre te diceres, adſtantibus crucis ſigno, Benedicat, inquit, vobis Dominus Ieſus, fratres & viſcera mea, & benedicat filijs meis, qui abſunt, quos in Domino parturij. Det

[d] Benè precatur moriturus omnibus ſuis.

vobis cor, vt colatis eum: aperiat animum in lege ſua, neque vos deſerat in tempore malo. Benedicat principi [d] noſtro, & vniuerſo ſenatui, vt ſortem commiſſi ſibi principatus, ad honorem Dei, & commune omnium ordinum bonum, ſibi traditam recordentur. Benedicat denique populo meo, cuius amorem, pacem, concordiam Dominus in dies magis atque magis conſeruare & augere dignetur. Diluceſcere cœperat, & iam anteà percrebuerat, viuere diutius eum non poſſe. Mota igitur vniuerſa ciuitas eſt. Canonici quidem primo diluculo ſunt ingreſſi: quos dulciſſimè recognoſcens, ab his veniam petebat, ſi muneri ſuo non ſatisfeciſſet. Diuinum honorem commendabat & eccleſiæ cultum: tum vt mutuam inter ſe charitatem ſeruarent. Poſtremò rogabat, vt in diuinis officijs ſui meminiſſent. Quid ibi rurſus lachrymarum, bone Deus, quid clamorum edebatur? Illum patrem, illum dominum, præceptorem, ducem. Paulò pòſt procuratores ſancti Marci ingreſſi ſunt, & alij principes ciuitatis, ſacerdotes & religioſi viri. Nullus denique ciui-

[e] Singulis ad ipſum accedentib. optimas tradit inſtitutiones.

tatis [e] ordo arceri foribus potuit. Loquebatur vnicuique aliquid ad ſalutem. Procuratoribus & principibus pauperes, iuſtitiam: ſacerdotibus honorem Dei, negotiatoribus charitatem, aduocatis pauperum cauſas, ſingulis denique officiorum ſuorum munera commendat: vt admirabile fuerit artus illos penè exanimes, intento ſemper ſpiritu laborem loquendi, benedicendique per totum biduum (tantum enim ſuperuixit) perferre potuiſſe. Nuſquam magis enituit illa puritas & altitudo animi. Neminem reſpuit, omnes pari fronte ſuſcepit: vt neque pauperis, neque diuitis, neque ſecularis vlla apud eum videretur eſſe diſtinctio. Plura intereà tum prædixit, tum fecit digna memoratu: quorum duo tantum ſubijciemus, vt appareat, oẽm huius ſanctiſſ. vitæ partem, ſignis atq; portentis, ſicut cæteris claruiſſe virtutib.

Erat

quàm ierat. Reliquit ibi maximum odorem sanctitatis. Pari amore seu maiore[a] etiam Nicolaus Quintus Pontifex nobilissimus eum dilexit, vt in illo ornando certauerit cum Eugenio. Nam sicut ille Episcopum, cum primùm potuit, fecit: ita hic Patriarcham, cùm primùm oblata occasio est, creauit. Gradēsi siquidem Patriarcha mortuo, patriarchatum [b]à Grado, nobili quondam vrbe, transtulit Venetias, idque nec cognita, nec postulata Senatus nostri voluntate: quippè qui non minùs hominem, quàm ciuitatem, eo facto exornare cuperet. Allata res haud satis placuit Senatui, verenti ne spiritualis & ecclesiastica dignitas, aucta opibus & auctoritate, veteres, quas cum superioribus Episcopis discordias habuerant, renouaret: beatissimi tamen patris mansuetudo diremit facilè dubitationem. Adijt enim continuò ducem & collegium, sese dixit abhinc duodeuiginti annos inuitum Episcopum factum, & à quiete sua in hos turbines seculares iniectum: desiderare nunc quietem, & minui magis pondus præsulatus quàm augeri, sibi esse in animo, hoc oneris quibuscunque posset modis deprecari, nisi ipse dux, ad quem ciuitatis suæ dignitas pertineret, fortè sentiret aliud: pro cuius honore, quoniam ita de se merita ciuitas esset, nullum laborem recusare deberet. Excitauit omnium lachrymas sanctissimi patris mista charitati humilitas. Dux, qui rem hanc ægerrimè ante tulerat, & ab Eugenio tentatam semper impugnauerat, statim ex sua totiusque collegij sententia enixè eum rogare cœpit, vt libenti animo id muneris susciperet. Sic quod inuidiosum fuerat in dignitate, ex mansuetissimis sancti viri moribus gratissimum factum est.

[a] Nicolaus V fecit eum Patriarchā.

[b] Patriarchatus Venetias transfertur.

IX. Sed [c] quia mores & actiones illius hactenus prosecuti sumus, subijciemus etiam de dictis aliqua memoratu digna, quantùm meminisse ex domestica consuetudine potuimus. Dicebat, serui Dei non esse, à magnis peccatis cauere: id enim esse secularis hominis: sed parua vitare, ne charitas refrigesceret. Non simul ac corpus extenuatum fuerit, de abstinentia remittendum: propterea enim abstinendum. Tribus monacho opus esse: desiderio, moderatione, & gratia. Nam vbi horum aliquid desit, ibi perseuerantiam esse non posse. Humilitatem esse torrenti similem, qui æstate tenuior, quasi serperet: hyeme verò atque Vere, inundaret. Sic humilitas in prosperis quidem exigua, in aduersis magnanima esse debet. Minimè sibi placebant in monasterijs ampla ædificia: & cùm videret latiora cellasue ampliores, caput quassans, dicebat: Non sic patres nostri, non sic. Dormitorium ipse fecit apud Leonicum ex sepe & creta, cùm tamen lateritium facere facilè posset propter monasterij facultates. Dicebat enim nullam rem monachum adspicere debere in hoc seculo, quæ desiderium illius teneret. Maximè pensanda esse eorum proposita, qui se conferrent ad religionem, ne, dum ineptus suscipitur, ab eo aprus corrumpatur. Dicebatque, cùm augeretur nimium numerus, rigiditatem vitæ atque monasticum vigorem diutius non posse consistere. Raram siquidem esse perfectionem. Memini adolescentem nobilem ad monasterium confugisse: quem cum intellexisset fratrum nimijs suasionibus pellectum, patri flagitāti reddidit, dicens: Accipe filium tuum, religionis propositum à sancto Spiritu est, non ab humana suadela: & est longè deterius, ab religionis vita deficere, quàm eam nunquam suscepisse. Ex quo die factus est Sacerdos, [d] quotidiè Missam celebrauit, nisi valetudine impediretur. Dicebatque, qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur, facilè se declarare, Domini sui curam non habere. Pudicitiam cum carnalibus blandimentis, nihil aliud esse, quàm ignem extinguere velle, & ligna superinijcere. Paupertatis donum quantum esset, neminem nôsse, nisi qui secreto cubiculo & contemplatione delectaretur. Consultò Deum gratiam religionis [e] hominibus occultâsse: nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent. Neminem benè scire, quid esset humilitas, nisi qui à Deo accepisset, vt esset humilis. In nullo enim tam falli homines, quàm in vera humilitate cognoscenda. Veram [f] scientiam esse, scire hæc duo: Deum esse omnia, & se nihil. Sæpè monebat, nunquam amittendam de Deo fiduciam. Illam esse, in qua animæ vita consisteret. Diuitem dicebat non posse saluari, nisi per eleemosynam. Tantò facilius esse munus Imperatoris aut ducis, quàm episcopi, quāto difficilius esset, quæ non videas regere, quàm quæ videas. Inter labores publicos bellorum, quæ eius ætate plurima fuêre, dicebat senatoribus nostris: Si vultis Dominum vestri misereri, nihil vos ex vobis aut esse, aut posse iudicetis. Bonum principem assimilabat capiti: quia sicut caput & lingua implorat auxilium pro reliquo corpore se non mouente, ita principis oratio potest placare Dominum, quamuis populus alijs intendat. Vitanda monebat, quę multis obstaculis impedirentur: quia opera Spiritus sancti facilia essent, & æquabilia, diaboli aspera & plena sentibus. Et cùm de rectoribus ciuitatum secularibus loqueretur, quasi illorum laboribus condolens, non sine clementia Dei fieri putabat, vt virtutis comes esset gloria, & quasi laborum curarumque delinimentum aliquod: tantisper autem gloriæ cupiditati ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina præcederet. Innumerabilia alia sapienter & dixit, & sensit, quæ quidem referre, infinitum est. Cæterum iam plenus erat [g] dierum, nomenq; illius, & fama latiùs quotidiè fundebatur. Nemo veniebat ad hanc vrbem, qui non vel in primis spectaculis appeteret hunc patrem videre. Taceo vulgus & turbam sine nomine, qui, quacunque incederet, ad eum visendum, veluti ad angelum de cœlo demissum, per vias & compita concurrebant. Cardinales omnes, duces & principes domi cum inuisere, vitam inuestigare, thalamum, cubile, cœnaculum, omnia lustrare oculis, & venerari. Franciscus Sfortia Mediolani dux, & Blanca vxor, Galeatium maiorem natu, & magnæ spei filium adhuc impubem Venetias cùm misissent, illud imprimis mandauêre, vt puerum ad sanctum virum deducerent, vt imponeret illi manum, & eius orationibus commendarent. Bartholomæus Collionus, clarissimus hac ætate dux magnam ad eum vim auri detulit, quam in pauperes dispertiret. Quod fuit & in militari viro propter deuotionem, & in patre nostro propter opinionem, rarum & singulare. Iam aduenæ & peregrini omnis ordinis & generis, Pannones, Germani, Galli, Hispani, vel qui Romam ad limina Apostolorum, vel qui in Orientem ad Dominicum sepulchrum pergerent, tum felices auras sperabant, si benedictione huius patris accepta discederent. In maximis [h] verò patriæ periculis dux noster atque senatus non aliter ad illius orationem confugêre, quàm ad oraculum quoddam. Quantum autem illius oratio proficeret, vnum aliquid priùs, quā partem hanc claudam, in testimonium referemus. Est propè Corcyram locus asper & incultus, vbi vir habitauerat eremita triginta & amplius annos, vitæ abstinentia & orationibus, & quod primum ferebatur, prophetiæ spiritu insignis. Gerebat fortè Corcyræ negotium vir quidam de nostris, tam genere quàm moribus prestans, qui cum arderet bellum, quod cum Philippo Mediolani duce gerebamus, & afflictiores viderentur esse res nostræ, adijt virum Dei: rogat eum, nunquid Veneta Respubl. vt ferebatur, deplorata esset. Ad quem eremita: Commotus est furor Domini, inquit, contra vos, quia verbum Domini proiecistis: & nisi pontificis vestri lachrymæ interpellarent pro vobis, iamdudum quasi Sodoma perijssetis. Tale de Laurentio testimonium retulit eremita in medijs Corcyræ rupibus & speluncis. Cui non solum Laurentius, sed omnes ferè mortales incogniti erant & inauditi.

[c] Eius sentētiæ memorabiles.

[d] Quotidiè sacrificat.

[e] Religionis monasticæ felicitas.

[f] Vera scientia.

[g] Celebritas nominis sancti viri.

[h] Efficacia precum eius.

Porro [i] charitas illa, qua suas oues prosequebatur, vix animo concipi posset, nedum verbis explicari. Totus illi pontificatus inter grauissimorum temporum, maximorumque bellorum turbines consumptus est. Non erat contentus propria oratione: animabat hortando, monendo, obsecrando, iubendo, vt profecto tantæ charitatis & ardoris vel minima pars vim cœlo inferre potuerit. Et hoc, si mihi liceat, procul dubio dixerim fuisse Quirinæ matris suæ præsagium, quod filio nascenti precata est: ijs præcipuè temporibus, quibus ter quaterue in præcipiti fuit Venetum imperium.

[i] Charitas erga oues ipsi commissas.

X. Agebat annum quartum supra septuagesimum, corpore quidem imbecillo & tenui, sensibus autem integris, & sine vllo vitio valetudinis: nisi quod ingraueiscens ætas, additis inediæ, vigiliæ, algoriſque ab ipsa adolescentia susce-

ptis incommodis, totum corpus pariter attriuerat. Nos autem de eius vita pluſquam de noſtra ſoliciti, hortabamur, vt audiendi onera deponeret. Quibus ille, vultiſne locum, qui mihi commiſſus eſt, deſeram? Nam quod ad ieiunia, vigilias & caſtigationem carnis attineret, ſeneſcere corpus, ſpiritus iuueneſcere videbatur: & aut Paulum referebat, qui nonagenarius veſcebatur palmulis: aut Hilarionem, qui octogenarius farinula, aut alium de patribus antiquis. Vt autem nihil ad cumulatam gloriam deeſſet, perſeuerauit ſcribere vſque ad eam diem. Fortè tunc librum de gradibus perfectionis abſoluit. Dum autem poſt cibum mecum de more ambularet. Quàm libenter abirem, [a] inquit, ſi Domino placeret. Neque enim melior ſum, quàm patres mei: ſed tu bone Ieſu obſequi non debes voluntati meæ, ſed vtilitati populi tui. Voluit autem Dominus preces eius audire. Febri poſt paucos dies acerrima corripitur. Lectum paramus: ille commotior & indignanti ſimilis. Mihine plumam paratis? Qui mollibus ſternuntur, [b] in domibus regum ſunt. Non in pluma Dominus meus, ſed in duriſſimo ligno cubitauit. An non meminiſtis, quid beatus Martinus in rè ſimili reſponderit, non decere Chriſtianum hominem mori, niſi in cinere & cilicio? Nihil igitur tunc profecimus, victique ad eius mattam detulimus inter brachia. Cùm autem neque medicis, neque pecuniæ parceretur, & miniſtrantium circa ſe ſtudium videret, compungebatur animo: En quanta, dicebat, ob huius facci vilis ſanitatem parantur? quanta perduntur? cum intereà pauperes Chriſti non panem, non ſtratum, non ignem habeant, vbi calefiant. Intellexit autem vir ſanctus migrationis diem aduenisſe. Hactenus, inquit, filij periocum res acta eſt, ſeriò nunc agitur. Propè eſt ſponſus: eundum ei obuiam. Et ſublatis in cœlum oculis, Venio, inquit, ad te bone Ieſu. Obſeruatum eſt autem ab ijs, qui miniſtrabant ei, quod aliquando plenus animi, ardore quodam ſpiritus in cœlum ferri geſtiebat: interdum verò in profundum ſeſe humilitatis abijciens, pertimeſcere videbatur diuinum iudicium. Nam dum ego ad eum non ſine lachrymis dicerem. Quàm læto animo migrare debes, ô pater, cui palma cœlorum parata eſt: Decerni, inquit, fili fortibus ſolet hæc palma, non ignauis meique ſimilibus. Hæc humilitatis: illa verò quàm plena fiduciæ? Nam cum nos lachrymari videret, Abite, ait, hinc cum veſtris lachrymis: tempus lætitiæ eſt, non lachrymarum. Sic in fiducia Macariũ, in timore Arſenium referens: inter vtrumque incedens, vt cum fiducia metueret, nec ſine timore confideret. In cam pum [c] igitur cum mortè deſcenſurus, armari ſe ſacramentis Eccleſiæ, & ad ſacellum inter manus deferri poſtulauit. Et cùm è ſtrato ſubleuatus, innixus humero meo, labantia membra regere non poſſet, paululum reſedit. Effundebar totus in lachrymas. Quod ille aduertens: Quid ploras, inquit, Bernarde fili? Da mihi dexteram. Quam quum ambabus ſuis tenuiſſet, Confide, inquit, & bono animo eſto: nunquam enim te deſeram. O vocem dulcem pariter & acerbam. Neſcio quomodo non elanguit cor meum: niſi quod temperata fuit tam certa promiſſione mœſtitia. Certè illius diei, illius loci, patres clariſſimi, debeo nimis crebrò meminiſſe. Legatum, quod à dulciſſimo patre mihi relictum eſt, omni fide & ſpe veluti brachijs amplexabor, quaſi ob ſignatum ab angelis, ſubſcriptum à beatis ſpiritibus: quorum glorioſam & innumerabilem multitudinem ad ſuſcipiendam fidelis conſerui animam cubiculum illud compleuiſſe non dubito. Quam vero ſupellectilem creditis fuiſſe compertam in his ædibus? Putatiſne aurum aliquod aut argentum? Illud admirabilius, quod nullum omninò librum poſſederit. Cum quotidiè legeret aut ſcriberet, librum tamen vllum poſſidere noluit. Teſtamentum omne, quod fecit, efferri ſeſe iuſſit nulla pompa ad monaſterium ſuum, quod abeſt duo millia paſſuum extra ciuitatem, ibique in ſepulchris fratrum reponi. Neque ſemel præcepiſſe contentus, quaſi diuinaret, quid contentionis de illius ſepultura eſſet futurum, vocari nos iterum iubet: Scitis, inquit, quæ de ſepultura mandaui? Facite quod iubeo: nolite pompam parare. Neque enim is ſum, quem fortè exiſtimatis: Antonium imitatus & Hilarionem, qui in locis obſcuris ſepeliri voluerunt, ne colerentur à vicinis.

[a] Cupit diſſolui, & eſſe cũ Chriſto.

[b] Correptus febri, omnẽ mollitiem reſpuit.

[c] Vult muniri eccleſię ſacramẽtis ſub mortẽ.

SVSCEPTA verò paulò antè diem ſacri olei vnctione, ſermonem habuit de mortis vtilitate ac de cœleſti vita, miro quodam ſenſu ac grauitate verborum. Nam vt erat ſupinus, aliquandiu tenuit in cœlum oculos. Tum denuò ſemiclauſis, in hanc ſententiam fari cœpit: (verba etiam, quantum potuimus tenere, ſubijcientur) Videtis, ô filij, horam meam aduenisſe: benedictus Deus, qui eam tandem venire voluit, cum nulla ſit alia via, quæ ducat in cœlum. Ille enim venit nobis via, veritas & vita, vt electis de paradiſo miſeris exulibus, viam ſignaret in patriam redeundi. Si enim in hac vita tantùm ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Sed abſit à nobis tam ſtulta cogitatio. Quid enim vita hæc, niſi lanugo quædam (vt ille inquit) & veluti memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis? Chriſtus pro nobis mortuus eſt primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noſter propter nos mori voluerit. Hunc diem ſemper ante oculos habui: tu ſcis Domine: quanquam dum vitam meam conſidero, confuſio ſit mihi potius appellanda, quàm vita. Sed in ſpiritu humilitatis ſuſcipe me, bone Ieſu, vita & ſalus animæ meæ. Neque enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Illa ego ouis amiſſa, ad te paſtorem redeo. Vocem tuam noui, non alienorum: peto Domine, vt ad ouile me reducas. Poteſne ſpernere vocem clamantis & confugientis ad te? Nonne tu ille, qui dixiſti, Clamabit ad me, & ego audiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quàm ore, Domine: ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui eripiat, niſi tu bone Ieſu. Sed neque felicium ſpirituum ſedes affectare auſim, qui ſpeciem intuentur ſanctiſſimæ Trinitatis. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ, poſtulat micas ſuauiſſimæ mẽſæ tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quàm nimium, ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo tuo ſeruulo non negaueris. Conuerſus deinde paulum ad aſtantes, ait: Vos intereà fratres, ſeruate Domini præcepta. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Contemplamini me, ecce aruit fœnum, & flos eius cecidit. Horam hanc quis poterit euadere? Sed mihi credite, filij, nihil eſt præſtantius, quàm ſeruire Domino. Hæc cum dixiſſet, ſublato pauliſper brachio, quod denudatum tenebat, caligantibus oculis, vt Iſaac illum antiquum videre te diceres, adſtantibus crucis ſigno, Benedicat, inquit, vobis Dominus Ieſus, fratres & viſcera mea, & benedicat filijs meis, qui abſunt, quos in Domino parturij. Det vobis cor, vt colatis eum: aperiat animum in lege ſua, neque vos deſerat in tempore malo. Benedicat principi [d] noſtro, & vniuerſo ſenatui, vt ſortem commiſſi ſibi principatus, ad honorem Dei, & commune omnium ordinum bonum, ſibi traditam recordentur. Benedicat denique populo meo, cuius amorem, pacem, concordiam Dominus in dies magis atque magis conſeruare & augere dignetur. Dilucеſcere cœperat, & iam anteà percrebuerat, viuere diutius eum non poſſe. Mota igitur vniuerſa ciuitas eſt. Canonici quidem primo diluculo ſunt ingreſſi: quos dulciſſimè recognoſcens, ab his veniam petebat, ſi muneri ſuo non ſatisfeciſſet. Diuinum honorem commendabat & eccleſiæ cultum: tum vt mutuam inter ſe charitatem ſeruarent. Poſtremò rogabat, vt in diuinis officijs ſui meminiſſent. Quid ibi rurſus lachrymarum, bone Deus, quid clamorum edebatur? Illum patrem, illum dominum, præceptorem, ducem. Paulò pòſt procuratores ſancti Marci ingreſſi ſunt, & alij principes ciuitatis, ſacerdotes & religioſi viri. Nullus denique ciuitatis [e] ordo arceri foribus potuit. Loquebatur vnicuique aliquid ad ſalutem. Procuratoribus & principibus pauperes, iuſtitiam: ſacerdotibus honorem Dei, negotiatoribus charitatem, aduocatis pauperum cauſas, ſingulis denique officiorum ſuorum munera commendat: vt admirabile fuerit artus illos penè exanimes, intento ſemper ſpiritu laborem loquendi, benedicendique per totum biduum (tantum enim ſuperuixit) perferre potuiſſe. Nuſquam magis enituit illa puritas & altitudo animi. Neminem reſpuit, omnes pari fronte ſuſcepit: vt neque pauperis, neque diuitis, neque ſecularis vlla apud eum videretur eſſe diſtinctio. Plura intereà tum prædixit, tum fecit digna memoratu: quorum duo tantum ſubijciemus, vt appareat, oẽm huius ſanctiſſ. vitæ partem, ſignis atq; portentis, ſicut cæteris claruiſſe virtutib.

XI.

Ioan. 14.
1. Cor. 15.
Sapient. 5.
1. Cor. 15.
Dan. 9.
Pſalm 90.
Eſa 4 & 40
Geneſ 27.

[d] Benè precatur moriturus omnibus ſuis.

[e] Singulis ad ipſum accedentib. optimas tradit inſtitutiones.

Erat

Erat ei charissimus in Christo filius [a] Marcellus nomine, clarus genere, sed vita clarior, vir bonus & iustus. Laurētium autem sic diligebat, vt palàm diceret, si quid de eo accideret, se nullo modo superuicturum. Cùm audisset igitur de illius valetudine, continuò accurrit: introducitur ad eum: cui ad eius osculum inclinato Laurētius submissa voce, Marcelle, inquit, quid de discessu meo cruciaris? Ego quidem præcedo, sed tu me propediem sequeris. Sic Domino placitum est, vt hoc Paschate nos iterum mutuo amplexemur. Lætior ille huiusmodi verbo, quàm tristior, initio Quadragesimæ acri valetudine corripitur, & in Paschate, vt prædixerat, ad sepulturam elatus est. Dilectissimo [b] autem filio Hieronymo, grauiter laboranti, salutem & prædixit & reddidit. Nam cùm destitutus à medicis, pro mortuo haberetur, mater autem & sorores nihil iam spei, nisi in patris huius orationibus haberent, misit ad eas sanctus hic pater, qui dicerent, bono animo essent: neque enim illa ægritudine moriturum. Quod sicut dixit, ita factum est. Paulò enim post reliquit eum febris, & pristinæ valetudini restituitur.

[a] Prædicit obitum Marcelli.

[b] Alia prophetia.

XII. Sed iam dissoluebantur sanctissima illa vincula carnis & spiritus, & quæ indissolubili pace per tot annos atque concordia vixerant, iubente Deo, illa terræ, spiritus cœlo reddendus erat. Claudere paulatim cœpit oculos facie quadam hilariori, & membra omnia explicare, quasi de labore ad requiem transiturus. Quas ibi cateruas angelorum aduenisse vidissemus, si corporeis oculis potuisset videri illa societas? Tali igitur [c] comitatu inter eorum cœlestes voces & cantus felicissimus ille spiritus, velut igniculus in cœlum emicuit. Hic finis sanctissimi patris verè felix, verè beatus. O si mihi nunc liceat laxare habenas lachrymis, & liberius lamentari! Vim facio mihi, patres. Erumpunt lachrymæ, nec cohibere me possim: sed non est huius loci: secretum cubiculum aptius est: ibi promissa tua, optimè pater, quum necessè fuerit, repetam: ibi dexteram tuam testabor, præsertim cum sæpè alias in maximis periculis inuocatus, me miris modis adiuueris. Orta altera luce, effusa incredibili concursu tota ciuitas est: vi penè fores effractæ, vt in Ecclesiam subitò deferri necesse fuerit ad oculos populi depascendos. Tanta autem continuò circumstetit feretrum multitudo, vt à gradibus chori, vbi positus fuerat, raptus deinde sit, non hominum manibus, sed sola sese comprimentium atque impellentium turba, vsque ad valuas ecclesiæ. Discissæ vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Cæterum vt primitiæ aliquæ sanctificationis, & [d] publicum iam apparere testimonium inciperet, scholæ illæ quatuor celeberrimæ (sic enim eas appellamus) non quasi ad mortuum, sed ad viuentem, & sanctum, & viris frequentissimæ, & ornatu ac pompa, non quidem lugubri aut funebri, vt solent in mortuorum elationibus, sed vt in processionibus ac supplicationibus, quum gratiæ publicæ Deo redduntur: sic nullo publicè aut priuatim iubente suadenteve, sed ipsæ per sese sic instructæ auratis cereis, & omni honoris ac lætitiæ significatione accurrere. Quale illud etiam testimonium, [e] quod bini ex vestris fratribus, quum ad illud officium, vt cæteri, adijssent, sent, audire sibi visi sunt suauissimos quosdam cantus, & inauditas modulationes? Redeuntibus autem ad monasterium, & illis non cessantibus, tum alter ad alterum, Audisne frater has melodias? Quidni audiam, inquit alter: angelicus planè mihi videtur iste concentus, non humanus. Idem affirmare alius cœpit. Vtrisque igitur admirantibus, nunquam illi cantus, quoadusque ad monasterium peruenerunt, conticuêre. Expletis officijs, quum efferendi tempus aduenisset, ecce quo pacto, præcipuo quodam Dei iudicio, [f] tunc quidem occulto, sed paulò pòst aperiendo omnibus, lis oriri cœpta inter patriarchales canonicos, & fratres sancti Georgij: Hi quum ex præcepto patris nostri repeterent, quod mandauerat de loco sepulturæ: illi sacros canones afferrent, vt prælati in proprijs ecclesijs sepelirentur: neque semper defunctorum ordinationibus parendum, ex Marcellini Pontificis exemplo: qui quanquam corpus suum inhumatum sub anathemate permanete iussisset, visum esset tamen sanctis patribus, non tam hominis, quam pontificis habere rationem. Interim autem sacrum illud corpus in Ecclesiæ sacrario reponitur, quasi litis euentum expectaturum. Accidit autem res omnibus retrò seculis inaudita: pace dixerim sanctorum aliorum omnium: quod quidem extet ex eorum monimentis. Nam ibi corpus illud dum reponitur, altero ac tertio die, nec corruptionis aliquid, nec fœtoris apparet. Itemque & quinto & sexto nihilominus integrum perseuerat. Tantæ rei miraculo excitata, accurrit vniuersa ciuitas: vident & exquirunt diligentius, nunquid sit delibutum vnguentis: omnia membra contrectant. Nihil pigmenti aut artis, nihil rigoris in membris, fœtoris longè minus: quin potius odorem suauissimum membra illa spirare videbantur. Additur [g] miraculum miraculo. Nam post biduum rubescere genæ, & viuus per membra sanguis conspici cœpit. Et iam capere non poterat sacrarium illud concurrentem turbam, & sese inuicem comprimentem: vt octauo tandem die necesse fuerit in ecclesiam publicè deferri, ad oculos populi exatiandos. Tum verò & admiratio, & stupor, & clamores. Igitur qui litigant, & hi instantius postulant, & hi custodiunt diligentius. Reponitur iterum in sacrarium, vbi per dies quadraginta perseuerauit incorruptus & integer. Omnibus [h] illis diebus nunquam non visitatus est: nunquam sacrarium illud non apertum omnibus fuit, & videre & venerari volentibus, donec septimo supra sexagesimum die, quum alioqui satis commodè seruari posse non videretur, sepulturæ traditus est officijs & honoribus, non quibus cæteri solent, de quorum virtute & meritis ambigatur: sed quasi sancti cuiusdam reliquiæ, sic cum omni honore collocatæ, decimosexto videlicet Calendas Apriles, quum sexto Idus Ianuarias migrâsset ad Dominum. Multi non solum ex Italia, sed Illyrico etiam atque Epiro, ad id ostentum domo profecti. Medici omnes, & præsertim Gerardus Veronensis, medicus ætate nostra omnium nobilissimus, qui cum in hac ægritudine visitauit, naturæ nulla vi fieri posse testati sunt, præsertim cum putrida febri laborâsset. Diffusus enim per venas putridus & corruptus humor, corruperit necesse fuit reliquum corpus: vt impossibile penitus extiterit, absente calore naturali, vel paruum aliquid temporis integrum, incorruptumque manere. Quantum igitur, quamque admirabile spectaculum fuerit, aliorum sit iudicium. Nam si beatissimo Bernardo honori datum est, vt dandum erat, quod corpus eius triduo inhumatum substiterit: quid Laurentio nostro tribuendum, qui tot dies & penè menses integer & incorruptus euasit? Mota ciuitas tantæ rei miraculo, dare operam voluit, ne eiusmodi ornamento, vel primi scilicet, vel sanctissimi patriarchæ reliquijs, patriarchalis ecclesia spoliaretur. Hoc facto relatum in memoriam illud beatissimi Martini Turonensis Episcopi, qui quum apud Condatensem Pictauorum vrbem diem obijsset, & Pictaui, apud quos obijsset, retinere vellent: Turonenses autem repeterent proprium antistitem, tamdiu in contentione res illa versata est, donec à Turonensibus furto sublatus, propriæ ecclesiæ restitueretur. Quæ autem [i] miracula deinceps acciderint, quæque accidant quotidiè, ad sepulchrum illud diuinam opem poscentibus, ea non aggredi satius existimaui: quippe quæ innumerabilia sunt. Inquirentur fortassis aliquando diligentius ab ijs, quorum sicuti authoritas maior est, & officium solennius, ita vix crediderim fieri posse, vt tanti luminis splendorem Deus iacere diutius in tenebris patiatur.

[c] Reddit spiritū S. Laurentius.

[d] Publicum eius sanctitatis testimonium.

[e] Carthusiani duo audiunt angelicas cantiones.

[f] Contētio de eius sacro corpore.

[g] Insigne miraculū.

[h] Diebus 67. manet corpus incorruptum.

[i] Miracula crebertima ad eius sepulchrum.

BVLLA CLEMENTIS VII. QVA B. LAVRENTIVM IVSTINIANVM PROTOPATRIARCHAM VENETVM numero Beatorum asscripsit anno 1524.

Venerabili fratri Antonio Patriarchæ Venetiarum. Clemens Papa VII.

VENERABILI Fratri salutem, & Apostolicam benedictiouem : Illius, qui semper in Sanctis suis mirabilis est, vices licet immerenti gerentes in terris pijs fidelium præsertim Ducum, & Nobilium votis, quę ad Dei laudem & gloriam, ac venerationem Sanctorum cedere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis. Exposuit nobis dilectus Filius Marcus Foscarus Dominij Venetiarum orator ad nos destinatus, pro parte dilecti Filij Nob. viri Andreæ Gritpi Ducis & Dominij Venetorum, huiusmodi: quod licet ex processu super Canonizatione beati Laurentij Iustiniani, de mandato fel. rec. Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri, ad tunc Ducis & Dominij Venetorum instantissimas preces habito, & ad Romanam Curiam transmisso, verisimiliter credi posset, omnia quæ ad ipsius beati Laurentij canonizationem necessaria erant, tunc plenè, ac sufficienter probata fuisse : tamen cum processus ipse casu quodam igne crematus fuisset, piæ mem. Leo Papa X. etiam prædecessor noster ad tunc Ducis, & Dominij Venetorum huiusmodi supplicationem eius tunc Nuncio, & bon. mem. Episcopo Cremonen. tunc in humanis agenti in Ciuitate Venetiarum commorantibus, de Venerab. Fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus consilio, per suas in forma breui literas commisit, vt ad inquisitionem negotij canonizationis huiusmodi procederent, qui cum ad inquisitionem huiusmodi procedere cepissent, ac prædictus Leo prædecessor, sicut Domino placuit, fuisset vita functus, recolendæ mem. Adrianus VI. similiter prædecessor noster ad supplicationem oratorum prædicti Dominij Venetorum, qui ad sedem Apostolicam pro prestanda sibi obedientia destinati fuerant, tibi (Frater Patriarcha) & Venerabilibus Fratribus Thomæ Feltrensi Nuntio Apostolico, & Paulo Nemosiensi Episcopo, per suas in forma Breuis literas mandauit, vt processum Canonizationis aliàs inchoatum prosequi deberetis, ac si dicti Leonis Papæ literæ sup. directæ fuissent : Cum autem præfatus Adrianus prædecessor noster dicto processu minimè absoluto, fuerit vita functus, & processus huiusmodi non ita de facili valeat expediri, ac idem Marcus orator pro parte Ducis & Dominij prædictorum nobis humiliter supplicauerit, vt pro æterni Regis laude & gloria, ac ipsius Beati Laurentij Episcopi Confessoris reuerentia, nec non Ecclesiæ decore, ac Catholicæ fidei splendore, & populorum dicti Dominij deuotione liceat singulis annis in die, qua dictus Beatus Laurentius migrauit ad Dominum, Festum, & Officium de vno Patriarcha Confessore, cum oratione vnius Episcopi Confessoris, sub nomine eiusdem beati Laurentij Patriarchę in tua, & alijs Ecclesijs dicti Dominij Venetorum ab omnibus celebrari. Nos qui fideles quoscunque ad Sanctorum Dei Venerationem, ac iugem erga eos deuotionem (prout possumus) libenter excitamus, cum ad præsens alijs grauibus præpediamur impedimentis & negotijs, canonizationis quo huiusmodi negotio intendere non valeamus, ipsorum Ducis & Dominij deuotis supplicationibus inclinati, vt tam in tua Patriarchali, cuius ipse Beatus Laurentius Patriarcha fuit, quam in quibusuis alijs cathedralibus etiam Metropolitanis, ac collegiatis ac parochialibus, quorumcunque locorum, etiam Religiosorum Ecclesijs totius Dominij Venetorum, officium in memoriam eiusdem Beati Laurentij Patriarchæ de vno Episcopo Confessore, sub nomine eiusdem B. Laurentij annis singulis, die qua migrauit ad Dominum, celebrari, ac in eorum Missis ac Matutinis, ac Vesperis commemoratio sub nomine B. Laurentij Patriarchæ recitari possit ab omnibus, qui illud celebrare ac recitare voluerint, & eius imago in Ecclesijs, siue Christi fidelium personarum domibus depingi (sine tamen diademate, & non tanquam canonizati, sed tanquam Beati) liberè & licitè valeat; auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs, quibuscunque. Volumus autem, quod præter præmissa, dictus B. Laurentius catalogo Sanctorum adscriptus minimè censeatur. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die XVIII. ..*.. M.D.XXIV. Pontif. Nostri, Anno Primo.

* In exemplari, quo vsi sum⁹ mẽsis desiderabatur, fortè incuria typographorũ, scatebat enim pluribus mendis

Officium de B. Laurentio Patriarcha Veneto compositum, à Rectoribus, Generalibus & vniuersis congregationibus S. Georgij in Alga Dominij Venetorum, & S. Ioannis Euangelistæ, Regni Portugaliæ, quorum ille fundator, Clementi VIII. oblatum, anno 158 . ab eodem approbatum est, & à Paulo V. anno 1605. confirmatum. Bullas habes operibus memorati B. Laurentij Iustiniani præfixas, & peculiari libro, cui titulus est: Summorum Sanctissimorumq; Pontificum, illustrium virorum piorumq; Patrum de B. Laurentij Iustiniani Venetiarum Patriarcha vita, sanctitate ac miraculis Testimoniorum centuria, collectore D. Daniele Rosa, editas.

CERTAMEN SANCTI MARTYRIS POLYEVCTI, EX SIMEONE METAPHRASTE.

AN. 250.

9. IAN. * Eius festũ Martyrolo. Rom. Beda, Vsuardus & alij 9. Febr. habent : q. fortè translationis eius festum est; Cohibitæ n. exactis, eũ 10. die Ian. martyrum collimmasse Graci eius natale hac die celebrãt

SI est vlla alia pulcherrima narratio, pulcherrima quoq; est narratio admirabilis martyris Polyeucti. Nam cum vtilitate, magna quoque est coniuncta iucunditas. Huius autem rei potest ea non falsam testem adducere experientiam. Dicatur ergò, & à nobis in medium proferatur pijs Deique amantibus auditoribus, vobis quoque pro viribus, quæ vestra sunt afferentibus, aures orationi attentas exhibentibus, promptumque & alacrem animum præbentibus narrationi. I.

TEMPORE Imperatorum [b] Decii & Valeriani, erat quidam Nearchus & Polyeuctus, studio quidem milites, amicitia autem ita inter se deuincti, vt longè magis, quàm si inter eos interessisset sanguinis & cognationis necessitudo, summo sui inuicem desiderio & insigni concordia ac consensione coniuncti essent eorum animi, & vterque in alterius corpore se putaret viuere & spirare. Erat autem Nearchus quidem Christianus & fidelis, pietateque ac vera religione perfectus. Egregius autem Polyeuctus, gẽtilis quidem religione, & veritatis luce nondum illuminatus, alioqui se Christianum accuratè conseruans, & omni virtute exornans: & erat quidem oleâ frugifera, hoc autem solum ei deerat, quod nondum erat in domo Dei. Quoniam autem Decius ille & Valerianus non rectè vtebantur imperio, nec eum, qui illud eis dederat, agnoscere & colere volebant, imò verò manum impiam, & cum Deo pugnantem, in ipsum erexerant: & non solùm eum negabant, sed omnes quoq; subiectos scriptis edictis incitabant, & omnibus modis arcebant à Dei cognitione : & deos proh dolor falsos & vanos, in veri Dei locum constituebant, & illos colere & adorare cogebant, qui minùs habent sensus, quàm lapides & statuæ.

[b] Nearchus & Polyeuctus milites amicissimi.

QVONIAM ergò hæc ita habebant, & proposita erant supplicia & præmia : ijs quidem qui parebant, honores, dona & pecuniæ: ijs autem, qui non parebant, minæ, pœnæ, & vltimũ malum mors: amico timuit Nearchus, & putauit hoc esse tempus, quod effecturũ esset, vt dissensio in religione, eorum quoq; dissolueret amicitiam. Hæc cùm in animo haberet, & apud se versaret, apertè ostẽdebat se cruciari animo, magnisq; agitari fluctibus, & occultè deflere amicum. II.

Prę-stan-

Præstátissimus [a] autem Polyeuctus cùm videret sic se habere amicum, pungique aculeis doloris, & qui verbis explicari nequeunt, gemitibus conari leuare magnam animi ægritudinem, & vestigia lachrymarum indicare oculis: amicè ad eum accedens, interrogat, & causam quærit discere, cur ita se habeat. Nam ipse quoq; nihilominus dolebat, cùm eum videret sic affectum, qui erat eiusdem cum eo animi. Ille autem volebat quidem dicere, & significabat se nihil posse celare amicum: esse autem aliquam causam, propter quam etiam si velit dicere, necesse habeat tacere, & amici consolationem hac in re minimè consequi. Cùm autē valde diuinus vrgeret Polyeuctus, & postularet vt ei secretum aperiret & ei exprobraret contemptum amicitiæ, & mutatam affectionem, Nunquid, dicens, aliquid offendimus? Quanam in re tibi molesti fuimus? Quænam res tam dira & tam atrox facta est, vt Polyeuctum tuum à venia arceas?

[a] Cruciatur Nearchus Polyeucti errore.

IV. Hæc cum diceret, & animo angeretur, non ferens Nearchus, oculos suffusus lachrymis, & profundo suspirio internam cordis flammam significans: Cùm, inquis, ô amicissime, nostræ consensionis & dilectionis apud me cogito separationem, necesse quoque habeo animum abrumpere. Hæc postquam ille audijt, corde grauissimè perculsus: Quomodo hæc, inquit, Nearche, quomodò, & cur hæc verba dicis præter spem? & vndenā hæc erit nobis separatio, quam statuimus nè mortem quidem posse nobis facere? Hoc est, inquit, ô amicissime, quod me propemodum suffocat, & ipsum comprimit spiritum & animam, quoniam hæc, quam dixi, separatio est nobis humana morte validior & grauior. Cùm autem nōdum, quid sibi vellet oratio, intelligeret [b] Polyeuctus: statim surgens, & amicum complexus, & ei ita vt eum tenebat, ardentissimè circumfusus: Sed dic, inquit, mihi, ô Nearche, dic apertè, & explica quemadmodū hæc sit futura separatio. Non enim fero ampliùs hoc minimè amicum silentium. Sin min⁹, videbis iam tuum Polyeuctum in terra iacentem mortuum & exanimem. Atque videbatur quidem. Nearchus velle dicere, sed victus ab animi perturbatione, vinctam habebat linguam: & solùm mœstus ac conturbatus, amicum fixis adspiciebat oculis, & immoderatum significabat dolorem. Postquam autem videt Polyeuctum mœrore confectum, abiecisse animum, & humi procidere, & esse iam à dolore omnino superatum, cogitur in hanc vocem erumpere.

[b] Valde vrget Polyeuctus, vt dolorem suum Nearchus indicet.

O AMANTISSIME, inquit, Polyeucte, hoc edictum Imperatoris nobis separationem afferet, & disiunctionem. Postquàm autem hanc vocem sapientissimus audijt Polyeuctus, statim conijciens quid sibi vellet, quod dixerat Nearchus: Cogitauit. n. quòd amborum in religione dissensio iam examinanda, & acerbitatem subitura iudicum coget, eos à se inuicem disiungi: conuertit eum ad diuiniorem quantam cogitationē, & reuoluens animo quam viderat visionem, & eam iudicans tempori conuenientem, cœpit repleri gaudio & voluptate: & quemadmodum hæc fuerit visio, communicauit amico, Est aliquid, dicens, ô Nearche, quod prohibebit nobis hanc fieri separationem.

V. Vidi [c] enim ego Christum, quem tu adoras, ad me accedētem, hac sordida, qua sum indutus, veste me exuisse, alia verò valdè preciosa (ô quis illius pulchritudinem dixerit & splendorem!) induisse, cuius humerum fibula constringebat aurea. Deinde verò mihi quoque equum tradidisse alatum. Atque talis quidem fuit visio, quam vidit diuinus Polyeuctus: eius autem nequaquam fuit vanus exitus, sed præclare expressit id, quod erat futurum, mutata quidem illa vestis pulcherrima, mutationem in meli⁹ ex eo quod est deterius: nempe, vt ex terrena militia in cœlestem & diuinum militum referretur numerum, per quem erat in chorum martyrum cooptādus. Alatus autem ille equusquid aliud possit significare, quam illius celerem à terra in cœlos ascensum?

[c] Visionem suam Nearcho narrat Polyeuctus.

VI. Hæc cùm audijsset Nearchus, lætatus est, hilarisque effectus, ei dixit: Christum cognouisti? Christum, ô Polyeucte, qui verè est Deus? Ille verò ei dicit: Quando autem eum ignoraui? Num, cum tu de eo diceres, tremor meum subibat animum? aut cum legeres, non eius admirabar sermones? solum enim mihi nomen deerat: alioqui enim eram affectione Christianus, & studebam me Domini Christi mancipare seruitio, multum valere iubens cultus inanes simulacrorum. Quid ergo facimus, ô Nearche: Cur non aperte ostendimus nostram in Christum confessionem? Cùm hæc autem lubenter accepisset Nearchus, dixit, se veluti nudans & aperiens: Mihi, [d] ô Polyeucte, non diuitiæ, non gloria, nec omnino dignitas militaris, nec aliquid aliud ex ijs, quæ sunt huius mundi, præfertur vitæ, quæ est in Christo, eam enim solam desidero: alia autem apud me sunt parua, & nullius precij. Deinde rursus diuinus Polyeuctus eius animi veluti faciens periculum: Quid verò, inquit, an non cōcupiscis hanc, quæ adest tibi, dignitatem? Nearchus autem existimans hæc ab eo dici ex animo, & non eius tentandi gratia; Videris, inquit, mihi, ô Polyeucte, ignorare veram in Christo dignitatem, & eam quæ est apud illum gloriam, & quæ nunquam cessat, beatitudinem. Sic quidem inter se conferebant sermones, & sibi inuicem suam aperiebant sententiam.

[d] Animus Nearchi verè Christianus.

VII. Egregivs autem Polyeuctus iucundè & lepidè volens aliquid amico dicere: Tu quidem suspicaberis, inquit, me ignorare eam, quæ est in Christo, gloriam, & quæ est apud illum, beatitudinem. Ego autem, ô Nearche, video te præcessisse, & imperatoriam, vt scis, & cœlestem chlamydem accepisse per reuelationem. Sed tamen volo ex te sciscitari aliquod caput spirituale. Vereor [e] enim, nè, si absque sacramentis & mysterijs accesserim ad Seruatorem, ei videar minimè acceptus, & indignus qui referar in numerum eius militum. Postquàm hæc audiuit Nearchus, statim surgit, & euadit animo acrior & vehementior: & amicum incipit recreare, promptiorique & alacriori animo eum reddere ad Christi fidem, dicens: Nulla, ô amicissime, sit tibi de hac re dubitatio. Scriptum est enim, posse Deum vel ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quod quidem quid est aliud, quàm hoc, posse etiam gentiles ex insperato salutem assequi, & esse milites Christi? Nam omnibus, vt semel dicam, aperta est porta cœli: nulli omnino ex omnibus occlusus est salutis aditus. Quamobrem is quoque qui credit, magnam recipiet mercedem paruæ illius fidei. Propterea enim ijs quoque, qui prima & tertia & nona hora accesserunt ad vineam, æqualis merces decernitur. Quamobrem, etiamsi ipse tardus accesseris, eadem quæ primi, præmia consequeris. Ad hæc Diuus Polyeuctus tanquàm eius subijsset animum recordatio. Per veritatem, inquit, Nearchæ amicissime, audiui aliquandò latenter te aliquid eiusmodi legentem ex diuina scriptura, quòd eos, qui vnam horam essent operati, æquali Christus honorasset portione ijs, qui sustinuissent totum æstum diei. Nearchus autem, Multa quoque, inquit, ô vir egregie, inuenies eiusmodi exempta. Eccè enim, inquit, latro, qui fuit cum Christo crucifixus, cùm innumerabilium reus esset criminum, pro modico, & breui verba magnas inuenit remunerationes: & quæ multis emitur sudoribus in paradiso conuersatio, admodum faci e ab eo paratur. Nam vel parua fides potest magnos montes transferre.

[e] Polyeuctus cupit baptizari. *Matth 3.* *Matth 20.* *Ibidem.* *Luc. 23.*

VIII. Hæc cùm diuinus audisset Polyeuctus, animo statim in altum extollitur, & vt corporeorum & terrenorum omnium plane oblitus, Paciscamur, dicit Naercho, nos firmius & stabilius seruaturos ea quæ visa fuerint. Ego enim rebus humanis de cætero renunciaui. Quodnam autem de Christo nos oporteat ferre testimonium, planum fecit, quæ id præsciuit, diuina Domini clementia. Ecce enim, ô Nearche, eam, quæ est in cœlis, pulchritudinem mihi visione apprehendit cogitatio: quam quidem assistere, & Christū video ante oculos, & splendore eius visionis mihi vultus illuminatur. Sed iam tempus est legere impium edictum Imperatorum, & rectè scire, quidnā velit nos facere. Sic [f] dixit: cumque id accepisset, perlegit, inter legendum conspuit: & cùm id in frusta minuta confregisset, ventis mandauit. Deindè sic conuersus, videt idola quæ portabantur, & à stultis adoranda deducebantur ad aras. Quæ cum iucundissimè & vehementissimè risisset, prius quidem simulat se prompto & alacri animo ad ea accedere. Deinde illorum singula accipiens, & protinus humi allidens, simul contriuit omnia, & redegit in subtilem puluerem.

[f] Polyeuctus conspuit & cōfringit edictum Imperat.

IX. His ergo factis, cùm eius socer venisset Felix, fuerat enim iam constitutus persecutor ab Imperatoribus: & vidisset

quæ fecerat Polyeuctus, admodùm ægrè ferens, Heu, dixit, Felix est priuatus liberis: & qui priùs eram insignis, & susci-
piebar propter filios, repetè me affligit filiorum orbitas. Nullus deorum nec hominum potest misereri Polyeucti, qui
talia est ausus, & nostros deos contriuit. Ad hæc D. Polyeuctus, eo quod factum fuerat, veluti magis glorians, tantùm
aberat, vt reformidaret aliquid, & extimesceret: Nunc quidem, inquit, ego eos contemnens, re ipsa ostendi, quam sint
imbecilli. Quòd si sunt tibi alij, ij quoque in medium adducantur. Hinc enim scies, quemadmodum nos Christi seruos
ea conspuere oporteat. Felix autem cum humana & miserabili quadam affectione de sancto cogitans & loquens. Si
velis, inquit, ô Polyeucte, aliquantisper viuere, donec tuam videas vxorem. Quænam autem [a] adhuc, inquit sanctus,
vxoris mei cura est, & filiorum, qui ex rebus humanis nihil omninò curo, cùm in solis cœlestibus mens versetur, & ijs,
in quę non cadit interitus? Tua autem filia, si me quidem sequatur, beata erit propter suum animum & institutum: sin
minus, ipsa quoque cum vestris dijs mala malè peribit.

[a] Admirabilis animi fortitudo.

POSTHÆC Felix profundebat lachrymas, vt qui spem omnem abiecisset. Qua de re dupliciter cæcutiens, nempè & ex ægritudine animi, quæ eum angebat, & ex insania, qua laborabat in simulachra, loquebatur verba digna tantis tenebris, & tanta dementia: Hei mihi, dicens, te quoque, ô Polyeucte, Christi artes fefellêre magicæ? Martyr autem admodùm prudenter & fortiter. Non per sacra, inquit, martyrum certamina. Non nego, inquit, me ab illo esse vocatum ad cognitionem veritatis. Ipse enim est, inquit, qui cùm suis manibus meam demulsisset animam, à tenebris ad lucem, & ab errore deduxit ad veritatem, & dignum censuit, qui essem & nominarer eius miles. Cùm autem hæc dicerentur, accedentes sanctorum persecutores, cùm martyrem comprehendissent, sacrum os [b] eius pulsabant, verè odio habentes confutationem, quæ erat in foribus, & malis auribus non volentes ferre vim veritatis. Præclaro autem Polyeucto eæ quidem plagæ nullo modo erant curæ. Videbant enim Christum, qui pro eo erat passus, propè ipsum assistere. Quem cùm suum posuisset refugium, nec pro malis habebat ea, quæ ipsum inuadebant: nec scuticam, quæ eius corpus cædebat. XI.

[b] Os S. Polyeucti verberatur.

HAS [c] ergò plagas, vt dictum est, parùm curabat Polyeuctus: luctabatur autem aduersus aliam diaboli maligni artem. Nam cùm ille ad eum adduxisset socerum & vxorem lachrymantes, & miserabiliter eiulantes, sic conabatur eius animam suis decipere præstigijs, & pro viribus dissoluere eius robur & constantiam. Is autem non ignorans maligni insidias, cùm seipsum valdè vtiliter conturbasset, animæque fortitudinem & iram excitasset, & quæ ex lachrymis oritur, effœminatæ mollitiei eam opposuisset, grauiter admodùm & fortiter: O scelerate, inquit, & profanorum mystagoge simulacrorum, cur me insidiosis tuis & vxoris lachrymis studes abducere à confessione in Christum? Cur autem defles Polyeuctum, cùm te ipsum multò magis deflere & lugere oporteat, propterea quod cùm principibus, qui sunt ad tempus, seruieris, igni sis æterno tradendus? Et hæc quidem dixit socero Felici. Postquam autem vidit vxorem quoque suam Paulinam miserabiliter lachrymantem, & dicentem. Quid tibi accidit, ô Polyeucte? Quomodo autem fraude es inductus, vt duodecim deos nostros confringeres? Eam suauiter irridens sanctus. Si solus, inquit, ego duodecim deos tuos vici & contriui: ecce deorum es omninò egena. Adesdum ergò, inquit, Paulina, & faciam, vt verum Deum cognoscas, quem ipsa studе diligenter adorare, & hac breui vita æternam commutare. Cùm hæc sic dicerentur, & multi infideles per ipsum ad fidem in Christũ conuerterentur, & omnes persecutores simul congregarentur, & partim quidem promissis, partim verò etiam minis sanctum studerent in contrariam traducere sententiam, quoniam nulla via & ratione id effici poterat, nec eius rei vlla erat spes reliqua, fertur in eum sententia, vt ense statim mortem subeat. XII.

[c] Diabolus ei insidias tendit per vxoris lachrymas.

CVM autem ei iam res fuisset aperta, erat videre Polyeuctum nihil mœstum, nihil triste, nihil omninò, quod esset effœminati & pusilli animi, aut dicentem, aut pati præ se ferentem: quod quidem accidisset alicui alij, qui ab hac iucunda luce & vita separaretur. Imò verò tanquam ex tenebris & afflictione ad gloriam transiret & delicias, magnam ostendebat lætitiam & animi alacritatem, vt qui iam frui inciperet ea, quæ est illic, beatitudine. Nam ijs quoque, qui aderant, affirmabat se quendam accedentem videre adolescentem, & secum eloquentem, & omnibus modis efficientem, vt obliuisceretur omnium terrenorum. Sed quis ô diuine Polyeucte, hoc vel tui solum laudandum assumens, te dignam possit laudem contexere? Nam cùm iam esses consummandus, & per sacrum tuum sanguinem diuinum baptismum, & in Christo signaculum accepturus: ô generosam animam, ô mentem firmam & stabilem, & à mendacio alienam: nec sic amicitiæ Nearchi es oblitus, sed eum adspiciens. Vale, inquit, Nearche, & pactorum conuentorum recordare. Hanc [d] cùm tu vir fortis vocem, tanquam vltimum aliquod donum, amico reliquisses, ad ensem processisti, & per eum illatam mortem prompto & alacri animo subijsti. XIII

[d] Cæditur gladio.

CVM sic autem fuisset consummatus Polyeuctus, preciosum quidem eius corpus, qui ex fratribus erant studiosiores, deposuerunt in Melitene ciuitate Armeniæ, æternam hæreditatem sic sibi acquirentes. Fuit autem [e] dies quartus, qui vidit finem Polyeucti & corporis depositionem. Inseruijt autem hic quoque Nearchus, qui accepto sanguine martyris, cùm eum in nitido imposuisset linteo, portauit in ciuitatem Cananæotarum, donans ei arma salutis, & verè beatam hæreditatem. XIV.

[e] ἡμερῶν τέτρας.

HÆC gesta sunt tempore Decij & Valeriani in prima Orientis persecutione. Nam fuit quidem primò martyr Hierosolymis sacratissimus Stephanus, secundò autem Philoromus in Alexandria ciuitate Ægypti, & tertiò D. Polyeuctus in Melitene Armeniæ quarto Idus [f] Ianuarij. Is sæpè se magnam curam agere Christianorum, etiam post mortem, non leuiter & obscurè, sed apertè & euidenter ostendit. Quidni enim faceret, qui talis erat, & genus illinc ducebat, & eiusdem fuerat sodalitatis? nobilium, inquam, & illustrium ex fide in Christum: qui sequebantur quidem Marcum [g] Imperatorem, bellum gerentem aduersus Barbaros, aquæ autem penuria laborabat Romanorum exercitus, tristisque erat Imperator, cùm hostes quidem valdè inualescerent, sitis autem inter cætera nostros vexaret. Ij autem Christi fortes milites, qui eandem implebant legionem, quam hic venerandus martyr, cùm se separâssent, & procul ab exercitu remouissent, manus quidem pias ad Deum tollunt, piam, quæ ab eis honorabatur, fidem acerrimè proferentes. Rogant autem Dei miserationes, vt eos benignis oculis adspicerent, & hanc soluerent necessitatem, quæ opprimebat multitudinem. Cùm illi sic orassent, suis non sunt fraudati precibus. Nondum enim precationibus finem imposuerant, & densa nubes cœlum subiens, aërem quidem impleuit tonitru: fulgura autem elisa micabant, & multa erupit pluuia, adeò vt dum sic ferrentur [h] fulmina & imbres, recreati quidem sint Christiani, plurimi autem Barbari interierint, & ex eo sit legio nuncupata κεραυνοβόλος, id est, Fulminum iaculatrix, hucusque cognita ex hac magni miraculi effectione, ad gloriam Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vnius & consubstantialis diuinitatis. Cui conuenit omnis gloria, honor & adoratio, nunc & in sæcula sæculorum, Amen. XV.

[f] Sancti curant res nostras.

[g] Vide Tertul. apolog. & Euseb. Cæs. histor. Eccl. lib. 5. c. 5.

[h] Alij vertũt Fulminea.

VITA

VITA IVLIANI MARTYRIS SS. CVM RELIQVIS, AC BASILISSÆ VIRGINIS, EX VETERIBVS MONVMENTIS apud Simeonem Metaphrasten.

AN. 300.

I. SANCTORVM martyrum Iuliani, Basilissæ, & reliquorum certamina hæc sunt, quæ pro religione perpessi, sempiternum post suum hinc excessum, nobis hoc beneficium reliquerunt: sua enim facta, & quæ ipsi pro Christo perpessi sunt, ad eos, qui posteà certare vellent, certissimum exemplum transmiserunt. Itaq; errantibus viam monstrârunt, & cæcorum oculi, infirmorum fides, omnium deniq; hortatores fuerunt, qui suarum virtutum specimen ad alios transmiserunt, & splendore sancti Spiritus homines illustrarunt. Ex hoc iustitiæ thesauro nemo est, qui haurire non possit, vel errare queat, nisi qui velit pertidiam retinere. Vos autem, qui hæc auditis & legitis, nobiscum vnà credite, omnia possibilia esse credenti, ob idq; sine aliqua hæsitatione bonam hanc hæreditatem, quam nobis Martyres imitandam reliquerunt, accuratè & diligenter persequamur. Peto igitur à vobis, qui hæc lecturi estis, vt attentis animis audiatis, quàm glorioſum sit terrena hæc derelinquere, quô peranguſtã sanctorum hominum viam contendentes, illorum institutionem assequi possimus. Illud igitur, vt dixi, vos rogatos velim, vt cum eorum facta legitis, vera esse credatis. Nam beati quidem sunt qui viderunt, & crediderunt: sed longè beatiores, qui non viderunt, & crediderunt. Nos, qui nostris oculis vidimus, Martyrum facta conscribimus: quamobrem exiguam beatitudinis partem nobis fore credimus. Vobis verò necessariò maior quædam gloria futura est, qui auditis, & creditis, Deum in sanctis suis perfectissima quæque opera implere posse. Huius igitur sanctissimi martyris Iuliani certamen, quod ille perpessus est, in medium afferam, neq; silentio præteribo, quemadmodum ab ipsa pueritia vitam Deo gratam exercuerit. Velim fidem nostris verbis habeatis, vt id facientes, discatis, qualis merces fidelibus hominibus parata sit.

9. IANV.

Matth. 17.

Ioan 20. a En se vidisse aiunt martyrum gesta

II. BEATVS [b] hic Iulianus claris fuit parentibus, quod ad mundi huius splendorem pertinet. Illum parentes vnicũ habebant suorum viscerum ac generis pignus, quem omni eruditione & sapientum virorum disciplina instituendũ curauerunt. Nulla n. Dialecticæ, aut Rhetoricæ artis pars eum fugiebat: ita ingenij acrimonia præstans erat. Ille verò nõ aliter mundi sapientiam, quàm vt bonum Christi athletam decet, exercebat: mundo autem ipso sic vtebatur, tanquam non vsurus esset: legerat enim apud omnium Christianorum magistrum Paulum: Præterit figura mundi huius. Ita denique seipsum Deo charum præbebat, vt mundi huius sapientiam stultitiam duceret: semper enim in votis habebat, mundi huius memoriam nullam habere, sed cum Christo esse, Fidei [c] verò, quam sancta mater Ecclesia tenet & obseruat, amator erat ardentissimus, quotidiè sanctorum virorum ianuas frequentans: neq; diem vllũ intermittebat, quin ad eos iret, & tanquàm bonus aliquis operarius, thesaurum in corde suo reponebat, omniumq; sanctorum & electorum Dei virorum facta imitans, & ad vniuscuiusq; virtutes properans, Christi gratia florebat.

b Genus Iuliani.

1. Cor. 7.

c Fidem colit S. Ecclesiæ, & sanctorum facta imitatur.

III. INERAT in eius visceribus perfectus quidam amor, timorem eijciens, ita enim seipsum ab huius carnis & mundi affectibus atq; infirmitatibus remouit, vt rectè illud Domino Deo confiteretur: Quandiù in hoc mundo sum, peregrinor à Domino. Ille & homines latere cupiebat, quoniam Christo ipsi placere studebat, quamobrem suum propositum & sanctissimum desiderium occultabat. Hunc cum parentes viderent tanta attentione animi Christianæ fidei exercitationem sequi, iuuenem ad se vocarunt, & his verbis hortati sunt: Suauissime noster fili, audi parentum tuorum sanas admonitiones. Quoniam in sanctissima Christi lege à beato Apostolo, omnium Christianorum magistro, spirituali doctrina instructi sumus filios gignere, familiam regere, nullam occasionem inimico relinquere: propterea te hortamur, vt non tantùm nobis placeas, quantum Domini Iesu Christi legibus fidelem te præbeas. Ad hæc beatus Iulianus dixit: Neq; propositi mei ratio, neq; ætatis tempus postulat, vt ea faciam, quæ adhortamini. Tũ parentes: Annos decẽ & octo natus es: qui potes igitur recusare, quin coniugẽ ducas? Nolumus ætatẽ excuses, sed facere studemus, vt vxorem habeas, quò liberos gignere possis, & puerum aliquẽ Deo ipsi offeras. Verũ quo tempore corporis libidines defecerint, tu & vxor cõcordi animo & volũtate in castitate viuẽtes, salutarem Christi doctrinã attendere poteritis.

2. Cor. 5.

1. Timot. 5.

IV. HÆC parentes agebant, vt semen propagare possent, quod finem habiturum credebant, nisi generis successione renouaretur, Ille verò cùm parentum verba molestè ferret, neque illis acquiesceret, cumq; tam consanguineorum, quàm eorum, qui patris amicitia vtebantur, consilia execraretur, illis responsum hoc dedit: Neq; vxorem ducere in animo habeo, neque licet recusare, quod vos cupitis: quocirca septem dierum tempus à vobis peto, & quale consilium Deus ipse per Spiritum sanctum menti meæ suggesserit, tale vos à me responsum referetis. Hæc cùm parentes audiuissent, multis cogitationibus solicitabantur, quoad definitus ille dies præteriret, quo audire possent, quid filius responderet. Adolescens autem ille honestissimus septem dierum spatio, quod à parentibus impetrauerant, diurna & nocturna tempora in precibus transigebat, à Deo petens, nè pateretur virginitatem, quam illi seruandam promiserat, quauis causa violari. Cum igitur septimi diei nox aduenisset, & eius corpus ieiunio extenuatum esset, cumque somnum cæpisset, præsto fuit illi Dominus, & fidelem seruum consolatus est: ac eius mentem cõfirmauit, iubensque facere, quod parentes admonebant: Surge, inquit, nè timeas, neque parentum tuorum consilia, vel propositum metuas: duces enim coniugem, quæ te non maculabit, neque à meipso segregabit, sed tua causa virginitatem etiam seruabit. Itaque & te & illam virgines in cælum recipiam: multa enim castitas per vos propagabitur, multique iuuenes & puellæ per vestram doctrinam cælestis vitæ ciues fient. Ego tibi præstò ero, in te habitans, vt omnes corporis libidines, & carnis bellum expugnem: quin etiam illam ipsam virginem, quæ tecum copulata fuerit, talem efficiam, qualem ipse volo. Faciam igitur, vt ipsa institutum tuum sequatur, & illic quidem in thalamo vobis præparato me cum angelorum choro videbitis, & cum innumerabilibus vtriusq; sexus virginibus, quos natura quidem ipsa dissimiles fecit, at fides, quæ in me habetur, similes facit: quorum & tu imitator esse agnoscaris.

d Virginitatem Deo promerita. e Christus ei apparet.

V. HÆC cum dixisset Dominus, & illum tetigisset: Viriliter, inquit, age, & confortetur cor tuum. Hac Dei virtute confirmatus admirabilis ille adolescens, surrexit, & ait: Gratias ago tibi, Domine Deus, qui es cordis & renum scrutator, quiq; mundi huius delicias ac voluptates procul à me remouisti, ita vt corde firmo castitatis meæ te adiutorẽ mihi futurum sperem, eaque te daturum confidam, quæ neque oculus vidit, neq; auris audiuit, ea scilicet, quæ præparasti his, qui ex toto animo te secuti fuerint. Tu dignum me fecisti, qui possem in via tua ambulare: vel potius tu, quæso, mihi sis bona illa via, & his, qui castitatem amant, & animæ integritatem, corporisq; munditiam amplectuntur. Nouisti tu Domine, quemadmodum ex eo die, quo †genitus sum, vsque ad hanc horam, qua me vocare dignatus es, nihil mihi optandum, nisi te ipsum proposui: idq; solum in votis habeo, vt quod ab ore meo exijt, tu confirmes. Tunc enim

f Sentit à se ablatas mũdi voluptates. † in re renatus sum.

VI. meipsum credam cœpisse id exequi, cum ea, quæ dixero, reipsa præstabo.

EXIIT igitur è cubiculo ita hilaris, vt sui adspectus hilaritate omnem parentum tristitiam ademerit, quibus ait: En ego, vt optabatis, nuptias ipsas, rectam quandam viam, non peccati sed gaudij, mihi futura esse cognoui: itaq; iam faciam, quod vos adhortamini. Ea re parentes valdè lætati sunt, futurum sperantes, vt ab eo prolem susciperent. [g] Quid multa? Dabant parentes operam, vt fœmina inueniretur, quæ similis ei foret tum moribus, tum generis nobilitate, quæq;

g Quæritur ei sponsa.

quæque ad filios procreandos fœcunda iudicaretur. Diuina igitur prouidentia factum est: illius, inquam, Dei, qui ex coniugio tantum boni futurum prouiderat, vt virgo quędam inueniretur, quæ multarum possessionum facultatibus abundaret, generis splendore par, cui nomen erat Basilissa, parentibus suis etiam ipsa vnica. Cumque, vt hominibus mos est, nuptiarum tempore aduentante, parentes consensum puellæ habuissent, nuptiarum tempus definitur, omniaq; illa confecta sunt, quæ consueuerunt in eorum, qui nuptijs copulantur, sponsionibus contineri. Beatus verò Iulianus ità nuptiarum diem expectabat, tanquàm bonus aliquis athleta, qui, superata corporis libidine, cælesti Deo gratus esse studeret.

VII. CVM igitur dies constitutus aduenisset, finitimarum vrbium ciues conuenerunt, multa & varia oblectationum genera secum afferentes, quibus delicatæ & elegantioris ætatis mentes ad amoris illecebras excitarentur. Itaque plateæ musicis omnium generum vocibus resonabant, virginum multitudo illic aderat, aureis vittis crines contextos habentium, quæ suauissimis canticis vel constantes & fortes viros ad intemperantiæ illecebras prouocare poterant. Inter [a] eiusmodi barbaricas nationes Christi athleta Iulianus constanti & forti animo versabatur, nulli occulta cordis sui consilia patefaciens, nisi Domino ipsi, à quo victoriæ spem certam expectabat. Prolatam igitur è thalamo sponsam hilari vultu accepit, cum qua & exultauit in Domino: & ijs quidem, quorum multitudo illic aderat, hilarem vultum ostendebat: in animo autem Deo ipsi illud cum timore canebat: Domine, vre renes & cor meum, nè vetus ille draco contra me bellum exuscitet. Cùm verò hora illa propè esset, qua sibi & virgini secum copulatæ thalamus nuptialis adeundus erat, religiosus ille adolescens à Domino communitus, thalamum securo animo ingressus fuit: quo loco cum primùm preces ad Deum misisset, tantus liliorum [b] & rosarũ odor emissus est, vt virgo ipsa eo in loco sibi esse videretur, qui verno tempore varijs & suauè redolentibus floribus abundaret. Nocte verò intempesta virgo iuuenem, cui fuerat copulata, sic allocuta est: Mirum est, quod sentio, valdè certè mirandum, quod velim mihi dicas, an & tu sentias. Ad hæc beatus Iulianus: Narra, inquit, fideliter, quæ sentias. Tum virgo: Cùm sit hyemis tempus, & terra ipsa nullos habeat flores, ità in hoc meo thalamo omnes flores odorum suauitatem emittunt, vt iucunditate hac suauissima vndique perfusa, tota certè obstupescam, neq; omnino cubilis copulationem appetam. Tum [c] illi beatus Iulianus dixit: Suauissimus odor iste, quem sentis, non temporis, sed ipsius Christi castitatem amantis opus est, qui corporis castitatem intactam seruantibus æternam vitam largitur. Si Christi ipsius præcepta mecum vnà seruare volueris, vt eũ tota animi attentione diligamus, vt virginitatem ingenti præmio remunerandam conseruemus, vt deniquè in hoc seculo vasa ipsius electa efficiamur, in his ipsis in futuro illo æuo habitabimus, cum Christo ipso regnabimus, & nunquàm desiungemur. Ad hæc beata virgo Basilissa: Et quænam, inquit, alia tam necessaria salus est, quàm vt virginitatẽ seruemus, & vitam æternam consequamur? Idq; ita esse credo, vt dicis. Itaq; cupio tecum vnà concordem animum habere, vt sempiternam mercedem Christum Dominum meum possidere valeam.

[a] Iulianus non afficitur mundi oblectamentis. *Psal 25.*

[b] Vide miraculum.

[c] Encomiũ castitatis.

IIX. HÆC [d] cum virgo illa dixisset, beatus Iulianus in solo prostratus, Dei adorandi causa iacebat, ita clamans: Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis. Id cùm virgo ab adolescente sponso factum vidisset, ipsa etiam idem fecit: & eccè subitò fundamenta cubiculi, in quo erant, commota sunt, & lumen, quod verbis exprimi non potest, ità effulsit, vt lumen, quod in eo thalamo erat, illius lucis magnitudine obscuratum sit: impletumq; tunc illud est: Spectaculum facti sumus & angelis, & hominibus. Maximũ profectò & diuinum spectaculum in cubiculo illo tunc erat. Ex vna parte æternus ille rex Christus sedebat cum innumerabili quorundam candidas vestes habentium multitudine: Ex altera parte innumerabilium virginum cœtus, quarum primas tenebat glorioſa Mater & Virgo illa Maria. Ex æterni regis parte summis vocibus illud canebatur: Vicisti, Iuliane, vicisti. Quæ verò cũ Virgine illa Regina Maria erãt, clamabant: Beata es Basilissa virgo, quæ salutaribus admonitionibus obtemperâsti, & mundi fallacias respuẽs, ad sempiternam gloriam percipiendam teipsam præparâsti. Rursus ex æterni Regis parte clamabatur: Milites mei, qui veteris serpentis voluptatem expugnarunt, surgant è terra, & attẽto corde librum æternæ vitæ recitent. Liber autem ipse propositus erat in cubiculo ipsis præparato.

[d] Orat Sanctus in solo prostratus.

1. Cor. 4.

IX. HAC voce audita, qui erant ex vtraque parte sedentes, responderunt, Amen. Venerunt autem duo quidam viri candidis vestibus induti, quorum pectora zonis aureis cincta erant, & singuli singulas coronas in manibus gestantes, illoſq; erigentes: Surgite, inquiunt, quoniã vicistis, & nostro numero ascripti estis. Videte, quod in præparato vobis cubiculo propositum est. Legite & cognoscite, quoniam fidelis est Dominus in verbis suis. Cumq; illorum manus tenerent, eas coniunxerunt. Erat autem illic positus quidam liber argento septies purgato splendidior, aureis literis conscriptus, Circa cubile verò quatuor senes erant, qui habebãt in manibus phialas aureas plenas aromatibus varijs, multi odoris suauitatem emittentibus, è quibus senibus vnus dixit: Eccè in his quatuor phialis continetur perfectio vestra: ex his enim quotidiè ante faciem Dei odoris suauitas ascendit. Quamobrem beati estis, qui plurimas huius seculi voluptates deuicistis, ad illas properantes, quas neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, quæq; in cor hominis non ascenderunt. Abi nunc, Iuliane, & lege, quod vna sancta Trinitas iubet.

Psal 144.

Esai. 64. 1 Cor. 2.

X. ACCESSIT multa cũ fide Iulianus, & cæpit legere, quæ in hanc sententiam scripta erant: Quisquis mei desiderio detentus, mundum hunc contempserit, in eorum numero erit, qui mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa verò, quæ animo syncero atq; intacto est, in ordine virginum numerabitur, quarum vera mater Domini Iesu Christi Maria primas partes obtinet. Hæc cum dixisset, librum complicuit, & rursus multa ista millia dixerunt, Amen: & multa illa alia millia eandem dictionem vna voce repetentes, hilaritatem simul præ se tulerunt. Rursus ad illos senex dixit: In hoc libro, vt videtis, scripti sunt casti homines, sobrij, veraces, misericordes, humiles, mites, qui non fictam charitatem habuerunt, qui res aduersas atq; acerbas sustinuerunt, qui calamitates & ærumnas perpessi sunt, qui denique suæ in Christum charitati nihil prætulerunt, non patrem, non matrem, non vxorem, non filios, non agros, non diuitias, non reliqua omnia, quæ in hoc seculo humanos animos impediunt. Illi denique in hoc libro sunt scripti, qui ne suas quidem animas Christi causa in mortem tradere cunctati sunt, è quorum numero & vos esse digni habiti estis. His dictis, statim visio ab illorum oculis ablata est. Tunc beati virgines, Christi visione gaudentes, reliquum noctis spatium vigilantes, in hymnis & canticis transegerunt.

XI. QVID plura? Cùm dies illuxisset, frequens hominum multitudo lætabatur, & eiusmodi copulationem se visuros existimabat, quali homines ipsi solent inter se copulari, cum non intelligerent neque sentirent, totam illam diuinam fuisse copulationem. Illi [e] enim beati homines cœperunt spiritu, non carne, diuinæ gratiæ mysterium copulare: quod in se occultantes, dabant operam, vt quod faciebant, tantum à Christo Domino, & eius angelis cognosceretur. Quoniam verò Deus ipse non destituit eos, qui cordis & animi synceritate vitam agunt, ita diuinæ gratiæ dona progressum habuerunt, vt breui tempore vtriusq; parentes ex hac vita decesserint, & idoneos hæredes eos reliquerint, per quos cœlorum regno non priuarentur. Erant autem & ipsi Christiani fidelissimi. Tunc beatus Iulianus & Basilissa hilares, libertatis occasionem sibi datam arripuerunt, præmium se accepturos sperantes, quo possent per fragiles mundi huius facultates, sedes illas cælestes habitare. Quoniam verò laboriosum est, religiosæ illorum vitæ facta singulatim narrare, ex tot tantisq; pauca quædam percurremus.

[e] Tegunt suam continentiam.

XII. BEATVS Iulianus & Basilissa concordẽ sententiam in ea quoque re habuerunt, vt non solũ essent soliciti de salute sua,

ſuà, ſed etiam multarũ animarum [a] curam haberent. Diuiſerunt igitur ſibi domicilia, & ſuper duo illa candelabra duæ lucernæ altæ effulgebant: æternusque ille rex immenſam gratiæ ſuæ miſericordiam ignotis etiam hominibus impartiens, per ardentem illorum hominum orationem, tribulos & peccatorum ſpinas comburebat. Potens quoquè Chriſti Domini vox, per ora ſanctorum Iuliani & Baſiliſſæ in omnes partes tranſcurrens, hæc dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Conſtituerunt igitur monaſteria, in quibus animarum meſſem ex huius mundi ſpinis atque ærumnis abreptam, colligerent: neque erat quiſquam, qui audiens ſancti Iuliani ſermonem, aliquà re detineretur, quo minùs ad Dominum conuerteretur. Relinquebant [b] igitur viri mulieres, filij parentes ſponſi ſuas ſponſas, & paternas facultates, & propter ſempiternam illam vitam ingentes diuitias pauperibus largientes, anguſtam viam arripiebant: neque quiſquam illorum imponens manum aratro, reſpiciebat retrò. Erat autem beatus Iulianus ſacri illius gregis, ferè decem millium monachorum pater, nam quicunque ad cœleſtem vitam animos ſuos conuertebant, apud Iulianum ipſum ad Deum ſe transferebant, adeò vt nemo poſſet enumerare animarum multitudinem, quæ per ſanctum Iulianum conuerſa, & ad cœlum traducta eſt. Eodem modo & beata mulier Baſiliſſa, virginum & mulierum animas ab huius mundi ſordibus liberatas ad cœlum dirigebat. Itaque à beato Iuliano ſancta illa virorum mercatura tractabatur: per ſanctam verò Baſiliſſam, inter virgines & mulieres caſtitatis victoria effulgebat.

[a] Dant operam ſalutianimarum. *Matth. 11.*

[b] Multi ad illos confluunt, relictis omnibus.

XII. QVONIAM verò planum omnibus factum eſt, qualis fuerit ſancta illorum inſtitutio atque vita: cùm, inquam, Deo adiuuante, id per nos planum factum ſit, nunc ad illud tempus oratione noſtra progrediemur, quo martyrium aſſecuti ſunt, eorumque glorioſa facta & victoriæ præmia declarabimus. Temporibus Diocletiani & Maximiani, perſecutionis furor & impetus vndique ferueſcebat. Eius autem rei fama per omnem Orientis regionem peruagata erat. Tunc [c] ſanctus Iulianus cum ſancta Baſiliſſa in ieiunio & precibus perſeuerantes, tales orationes in conſpectu Dei effundebant. Domine, qui es occultarum rerum cognitor, humanarum mentium teſtis, cordis & renum perſcrutator, te obſecramus, vt tranquillo vultu tuo nos illumines, & aures verbis tuis obedientes nobis præbeas: non enim dormis, neq; dormitas tu, qui vtriuſq; noſtrûm caſtitatis propoſitum ac ſtudium cuſtodis. Hoc ſtudio tu Domine Ieſu Chriſte vides nos lætari: nè permittas igitur gregis tui ſimplicitatem corrumpi, neq; inſatiabilis lupus, qui ſemper nobis aduerſatur, poteſtatem habeat, vt aliqua in re fidei tuæ murum ac ſignum diſſoluat, quod ſignum in ſeruos tuos & ſeruas per nos abiectos contuliſti. Et illos igitur, & nos Chriſte protegas: plùs enim poteſt dextra tua nos erigere, quàm perſecutoris potentia opprimere. Cognoſce & perſcrutare ſingulorum vires, & pro tuæ prouidentiæ & prænotionis gratia omnes ad illos viuentium choros perducas, vbi nulla amplius mortis ſuſpicio reliqua eſt: ſed in ſecula omnia regnandum erit, vt die illo, quo venies magnus & terribilis, concedas nobis Domine, vt ſerui tui & ſeruæ, te authore, per nos in militia tua verſantes, integri atq; intacti in conſpectu tuo ſtare poſſint, noſque hilares dicamus: Ecce nos & filij, quos dediſti nobis: nemo ex illis perijt.

[c] In ieiunijs & precibus perſeuerant.

Eſa. 8.

XIII. CVM [d] orationi finem impoſuiſſent, in domos ſuas reuerſi ſunt, eodemq; illo tempore nocte intempeſta Dominus ipſe in ſomnis ita beatam mulierem Baſiliſſam allocutus eſt: Baſiliſſa nomine tuo digna, ſcito, quæcunq; optaſti, ea me firmare decreuiſſe, vt vaſa illa vniuerſa, quæ per tuam ipſius operam mihi purgaui, tu viuens ad cœleſtia regna præmittas, & habeas dimidium annum, quo poſſis ex omni loco, vbi tritici ſementem feciſti, colligere, & laboris tui meſſem tutò reponere. Itaque & ipſa poſteà ſequéris, vt horrei bonarum animarum pleni claues accipias: ex hoc enim quotidie odor ſuauitatis in conſpectum angelorum aſcendit. Iulianus verò pugnabit & vincet: neque enim vnquam vinci poterit is, in quo regnat caſtitas: multa verò mihi per ipſum animarum copia conciliabitur. Itaq; oportet illum pro nomine meo multa pati. Verum ego multa prodigia in conſpectu inimicorum ipſius oſtendam, & priuſquam me ille inuocauerit, dicam, Eccè adſum.

[d] Chriſtus apparet S. Baſiliſſæ.

XIV. HÆC cum audiſſet ſancta Baſiliſſa, experrecta gaudebat valdè, quod Domini Ieſu Chriſti vultum & characterem ſplendidum, & inſtar ſolis exorientis effulgẽtem vidiſſet. Ordine [e] igitur Iuliano rem omnem narrauit. Cumq; ſanctã virginum multitudinem conuocaſſet: Agite, inquit, ſanctæ virgines, gaudium meum & corona capitis mei, agite, ad Deum preces mittamus, & ſacrificium laudis corde contrito & humili offeramus Deo ipſi, quandoquidem dignatus eſt nobis reuelare myſteria occulta, viamq; & tempus definiuit, quo animas noſtras purgatas habentes, illius ſigillo imprimamur: vt ſingulæ proprij cordis occulta conſiderantes, in hoc mundo benè peregrinemur, & ad æternam illam vitam tranſmigremus: vt nihil proprium in nobis inueniant potentiæ illæ, quæ animas in cœlum proficiſcentes impediunt: vtq; dæmones ipſi nihil in nobis inuenientes, timeant, cùm ſanctum illud præſidium nobiſcum vna venite, & caſtitatis ſpiritum nobiſcum eſſe viderint. Conſiderate, & mentium veſtrarum occultiſſima quæq; inquirite, vt quoad tempus nobis ſuppetit, animas noſtras ab omnibus vitijs ac peccatis purgemus pura illa aqua, & actionibus bonis inſiſtentes, Deo ipſæ tales nos offeramus, (hoc autem ſi cum fide petierimus, à Domino impetrabimus) vt peccatorum maculis purgatæ, ad cæleſtia illa regna peruenire poſſimus, vbi eſt ſponſus noſter Dominus Ieſus Chriſtus. Quamobrem vos hortor, ſanctæ meæ ſorores, nè aliquod fermentum malitiæ in corde veſtro reſideat, ſed omnes viciſsim vobis veniam detis: & ſi quid mutuò contrà vos habetis, viciſsim vobis remittatis, vt à Domino mercedem reportetis: ſi quid, inquam, aliæ aduerſus alias commiſerunt, læto animo vobis condonetis, vt perfectam animæ & ſynceri corporis coronam accipiatis, & me matrem veſtram Deus ipſe victricem vnà cum veſtro grege incorrupto efficiat. Illudq; ſcitote, nihil valere corporis virginitatem, vbi cordis ira & ſimultas habitauerit.

[e] Oratio S. Baſiliſſæ ad virgines.

XVI. HÆC cum narraſſet beata Baſiliſſa, locus ille, in quo erant, commotus eſt, & illis adſpicientibus, columna ignea viſa eſt, auream habens inſcriptionem: ex qua columna vox quædam emiſſa eſt multo cum ſplendore & odoris ſuauitate: illincq; & Crucis ſignum effulſit. Vox illa hæc dixit: Baſiliſſa, quę nomine tuo digna es, lege quod ſcriptum vides. Inſcriptionis autem ſententia talis erat: Hæc dicit primus & nouiſſimus: Omnes virgines, quarum tu dux es, vaſa pura ſunt, & oculis meis gratiſſima: neque enim aliquid reprobatum in illis inueni, quas tu iuſtitiæ purgatione & igne probationis, tanquàm aurum purum effeciſti. Venite igitur ad regna vobis præparata. Hæc cùm legiſſet Baſiliſſa, viſio ab oculis earum ablata eſt. Tunc omnes illæ virgines gratias egerunt Deo, qui diuinitatis ſuæ teſtimonio animas illas ſanctas eſſe comprobauerat. Beata verò Baſiliſſa animo & vultu hilari, Gratias, inquit, ago tibi Domine Ieſu Chriſte, qui corporeas pugnas deuiciſti. Addidit autem & illud: Nihili facio te, diabole: quin etiam cõtemno, quippe qui fraudum tuarum fructum perdidiſti. Deſpicio te, ſerpentis voluptas, quæ vaſa Deo ſegregata & electa, nullis artibus ſubripere potuiſti. Nihil te curo, mendacij magiſter, quoniam de grege mihi commiſſo nulla eſt, quæ tecum vnà periërit. Nihili facio te, & ebrietatem tuam, quòd ſobrias pectorum noſtrorum cogitationes vincere nõ potuiſti: neq; tu amator mundi huius animas noſtras, Dei ſeruitio intentas, ad tuã libidinẽ reuocare valuiſti: non artibus, nõ machinis, non tuis laqueis nos irretire aut detinere potuiſti. Tu igitur tua confuſione contentus ſis, tu ſolus tuo ſupplicio læteris: videſ enim prædam è manibus tuis abreptã, & regna cæleſtia, è quibus tu excidiſti, hominibus patefacta. Gaudete mecũ ſorores, quoniam regnant in vobis virtutum ſigna: & mundi contemptio, cæleſte regnum percepit: parentum abnegatio, angelorũ cohæredes vos fecit: abiectio & frugalitas, tanquã cedrus in Libano, & cupreſſus in monte *Ebron, erecta eſt: deuicta voluptate, tẽperantia cumulata eſt. Nulla ab hoſtib⁹ noſtris vis amplius metuẽda eſt, neq; dubitatio aliqua

[f] Inſultat Baſiliſſa diabolo.

* *Hermon.*

aliqua supereſt, quòd animæ noſtræ detineri poſſint, quò minùs ad genitorem ſuum aſcendant. Omnes inimici noſtri erubeſcant, quòd nihil in ſuo de nobis inueniant. Hæc cum læto animo Virgo diceret, cœpit vitis illa Domino conſecrata, iuſtitiæ florem producere: & ita diuina prouidentia completa fuit, vt intra promiſſum tempus omnes illæ virgines ad Deum commigrauerint.

CVM igitur ſancta Baſiliſſa de illarum animarum, quæ illius fidei, vt depoſitum quoddam, commiſſæ fuerant, ob- XVII.
latione & fructu non eſſet amplius ſolicita, hora diei ſexta orationi & precibus incumbens, ſopore correpta, vidit omnem chorum ſanctarum virginum, quæ erant ferè mille, ſplendidis ſtolis indutas, & regalibus zonis cinctas, quæ regiam Crucem baiulantes, vna voce beatæ Virgini Baſiliſſæ dicebant: Hoc reſponſum accepimus, vt tecum vnà Dominum & regem adoremus. En te ipſam expectamus, vt nos offeras Chriſto illi, cui nos conciliâſti. Experrecta verò beata Baſiliſſa, gauiſa eſt gloria illa, quam futuram audiuit, & ſancto Iuliano rem omnem ſignificauit. Dei verò prouidentia ita factum fuit, vt dum precibus & orationibus vacarent, ſancta Baſiliſſa ad Deum migraret. Quam[a] beatus Iulianus merito ſepulchri honore proſecutus eſt, dies & noctes ſpiritales vigilias ad eius memoriam adhibens.

[a] Migrat ad Dominum & Iulianus ad eius ſepulchrum vigilat.

IPSE verò cum choro ſanctorum hominum verſabatur, quibus talis gratia data eſt, vt alius alio non eſſet inferior, XIIX.
ſed virtutibus inter ſe certarent. Multa enim curationum ſigna per ipſum & eiuſdem diſcipulos Deus efficiebat. Neminem ſol ipſe iratum vel inuenit, vel dereliquit. Si quis vero aliquo modo in aliquem ſe arrogantem & ſuperbum oſtendiſſet, cibum non ſumebat, in humilitate & fletibus perſeuerans, quoad charitatem fratri reſtituiſſet. Eiuſmodi ſtudio ita laborabant, vt ſanctarum orationum fructus ſacrificium laudis Deo ipſi offerrent. Gaudebat pater ipſe filiorum ſtudio. Tunc ſinguli dicebant ſe incipere, quando finiebant. In hac ſancta congregatione nunquam diabolus aliquem ſuis laqueis irretire potuit.

F. LAVRENTIVS SVRIVS CANdido Lectori.

HVcuſque reuerendiſſimus Aloyſius Lipomanus, vir ſempiterna memoria dignissimus in ſeptimo Tomo Vitatarum Sanctorum, hanc Iuliani & Baſiliſſæ hiſtoriam, ex Græcis ipſius hortatu Latine cõuerſam, ponit tantum non perſuaſum habens, nihil eius hactenus Latinè extitiſſe. At nos totam hiſtoriam, cum Græco Aloyſij exemplari ferè vbique conſentientem, quamque antiquiſſima etiam allegent martyrologia, in manuſcriptis codicibus inuenimus, libenterque ea, quæ in Græco exemplari deſiderari teſtatur Aloyſius, hu, quæ ille elegãter curauit Latinè transferri, adiecimus, vt habeat lector integram totius rei geſtæ narrationem, in quibus tamen interdum ſtylum abſque ſententiæ damno mutauimus.

[b] Dira Chriſtianorum perſecutio.

HÆc agebantur Antiochiæ, quæ eſt metropolis Syriæ. Quid multa? Vis perſecutionis incubuit, ſed Dominus non XIX.
dereliquit ſanctos ſuos, conſeruans eos etiam in confeſſione martyrij, cuius regnum permanet in ſæcula ſæculorum. Amen. Adueniente [b] autem Martiano præſide in vrbem Antiochiam, adeò furor ſacrilegus exarſit, vt non villa, non vicus remaneret, vbi non idolum ſtatueretur: vt ſi quis aut emere, aut vendere voluiſſet, priùs idolis immolaret. Antiocheni autem iuſſu præſidis compellebãtur ſinguli in ſuis ædibus ſimulacrum Iouis collocare & ipſe quidem præſes Martianus, author erat perditionis cum coniuge & vnico filio ſuo. Perfertur autem ad illum Iuliani fides, & quòd multos ſecum in hac religione ſocios haberet, qui ſe pararent ad mortem potius, quàm idolis ſacrificarent. Iratus itaq; Martianus, accito ad ſe aſſeſſori ſuo præcipit, vt B. Iulianum & eius ſocios omnes conueniat, horteturque ex decreto inuictiſſimorum principum dijs immolare, nè cum cõtemptoribus diuerſis ſubdantur pœnis. Aſſeſſor verò vnà cum Corniculario & principe ac primarijs viris ciuitatis, pergit ad eum locum, vbi S. Iulianus Domino vacabat: quò permulti ſacerdotes & diaconi & miniſtri Eccleſiæ ſe receperant, rabiemq; perſecutionis declinantes, parati erant ad necẽ. Nunciatur igitur Iuliano, aſſeſſorem iudicis cum principe & primoribus vrbis præ foribus adeſſe. Ille igitur ſic alloquitur eos, qui illic erant congregati: Iam, fratres, oremus: quandoquidem iuxta ſunt perſecutores noſtri, qui inſtar aquæ abſorbere nos volunt. Videamus ergò quid nobis reſponſuri ſint.

[c] Armat frontem crucis ſigno.

HÆc [c] dicens, armat frontem crucis ſigno, & ſcuto fidei communiens pectus, iubet eos ingredi: & quia erat primarij viri eius vrbis filius, pro dignitate eiã magiſtratu ciuitatis honor exhibebatur. Porrò iudicis aſſeſſor in has prorupit voces: Puto non te latere, Iuliane, ſacratiſſimorum principum decreta, quibus orbi conſulunt, vt vna ſit apud omnes deorum cultura. Nam Dominus meus Martianus præſes, audiens nobilem generis tui ſtirpem, hoc pro ſua ſapientia decreuit, vt ſecundum moderationem legum, cum gratia conueniaris: quam legem dominorum principum præmanibus habeo, tibi recenſendam: ex quibus ſalutiferis dictis veritate cõperta, reddas te generi tuo, & proprijs bonis vtaris, & amicitiam conſequaris principum. Cui B. Iulianus ſic reſpondit: Sapientiam tuam non credo fugere, quia nõ ſerpens mouetur ex propria ſede, niſi ex ore incantantis verborum cognouerit carmina. Nam ſicut non proficit, nec valet mouere ſerpentem, qui carmina neſcit: ita nec decreta principum, nec philoſophia iudicis, quæ in te cognoſcitur, Chriſticolas mentes ad dæmonum poterit inclinare culturas. Aſſeſſor dixit: Ergo contemnis ac deſpicis, & indignum ducis audire principum iuſſa? Sanctus Iulianus dixit: Audiant principum iuſſa, qui ipſis militant: nos autem, qui regem habemus in cœlo, terrenum principem non audimus. Aſſeſſor dixit: Et hoc potes geſtis edicere? Iulianus ſanctus dixit: Geſtis aliquid proſequantur, qui in hac vita ſpem habent: nobis autem, quibus mundus crucifixus eſt, quid cum foro? Aſſeſſor dixit: Vt video, deſperâſti de te, vt non viuas: vel iſtius multitudinis, quam tibi aggregâſti, miſerere. Sanctus Iulianus dixit: Multitudinis huius voluntas ſimul mecum ex Dei pendet arbitrio. Nam qualem me vides loquentem, tales ſunt & iſti tacentes. Vnus eſt Dominus, quem confitemur, qui eſt Chriſtus filius Dei. Aſſeſſor dixit: Hæc quæ proſequeris, renuncio Domino præſidi. S. Iulianus dixit: Quod in nobis cognouiſti, occultari non ſinas. Nos potiùs parati ſumus nunc temporalem mortem ſuſcipere, vt in æternũ viuamus, quam viuere temporaliter, vt æternis pœnis mancipemur. Aſſeſſor [d] dixit: Audio etiam, quod epiſcopos & omnem clerum tecum aggregaſti. Nunquid & ipſi diſcipuli tui effecti ſunt? Sanctus Iulianus dixit: Diſcipuli non ſunt, ſed patres. Per ipſos enim veram natiuitatem ſuſcepimus. Pro qua re ſatis dignum eſt, vt filij cum patribus, & patres cum filijs pergant ad regna cœlorum.

[d] Epiſcopos & Clericos dicit patres ſuos & quidem reuerenter.

REDIENS igitur aſſeſſor, præſidi Martiano omnia nunciauit, quæ fuerant geſta. Tunc Martianus præſes conſilio XXI.
diaboli armatus, hanc dedit authoritatem, vt Iulianus ſolus obtutibus ſuis ſuæ obediẽtiæ reſeruaretur: multitudinem verò ſanctorum in eodem loco, quo agebant & Dei laudibus vacabant, iuſſit ignibus concremari. Quod [e] & impletum eſt, & oẽs ibidem igne conſumpti ſunt. Huic ergò loco talis diuinitus gratia collata eſt vsq; in hodiernum diem, vt oẽs prætereuntes, vbi tempus pſallendi certiſſimum venerit, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera & nocturno tempore ita audiãt pſallentium multitudinem, vt ſi quis his temporibus aduenerit, quacunq; fuerit infirmitate detentus, ſanus abſcedat. Nunciatur Martiano impletum fuiſſe quod iuſſerat, & beatiſſimum Iulianum ſub cuſtodia degere. Tunc exarſit inimicus, & ſequenti die tribunal ſibi præparari iubet in foro. Ilico igitur præſidis iuſſio impletur. Cucurrit vndique omnis ætas, omniſque ſexus, vt beatum Iulianum, cuius amore tenebantur, viderent cum diabolo dimicantem.

[e] Martyres comburuntur.

TVNC

XXII. TVNC[a] præses sub voce terribili iubet beatum Iulianum suis adspectibus præsentari. Quem cùm offerrent iudici, incuitus in eum Martianus præses, dixit: Tu es Iulianus, præceptis principum rebellis, & diuinorum numinum contemptor contumax? Tu es, qui innocentem multitudinem magicis artibus aggregâsti, & omnium mentes immutâsti? Ad hæc B. Iulianus studebat silentio. Ad quê iterum Martianus ait: Video te sceleribus tuis oppressum, nihil ad ea, quæ interrogo, respondere. S. Iulianus dixit: Ego nec rebellis, nec sacrilegus vnquàm fui: sed legi diuinæ, in qua regalia vitæ continentur mandata, pareo. Nam quòd me studentem silentio miraris, tecum colloqui sane erubesco, quem video fallacia & mendacijs armatum. Nam horum Imperatorum iussio quomodo potest esse sacra, quæ sacrilegium imperat? Martianus dixit: Doleo vicem tuam, quòd sic magicis artibus occupatus es, vt non intelligas, quantam vim habeant principum iussa: per quæ obediens consequitur laudem, & principum meretur amicitias: inobediens autem, qualis tu esse dignosceris, pœnis subiacet, & mortis hæres efficitur. Nam audio te tam nobili familia exortũ, vt adhuc Imperator natalibus tuis parcere velit. Itaque hortor te quasi filium meum, vt ad laudem generis tui, dijs thura offerre lætus properes.

[a] Iulianus sistitur ad tribunal præsidis.

XXIII. HÆc audiens beatus Iulianus, dixit: Præses spiritu malitiæ cæcate, non recto ordine prosequeris, vt intelligere possis, quæ sit laus generis mei. Tu mihi suades, vt dijs, quos colitis, thura offeram, vt gloriam & amicitias principum merear adipisci. Vos dignoscimini multorum deorum dearumque esse cultores: nos autem Trinitatis vnicæ veri esse cultores manifestamur. Dij vestri lapidei sunt, aut ærei. Si ærei sunt, satis eis meliores sunt cucumæ, quæ ad vsus hominum ex ipso metallo fiunt. Si[b] lapidei sunt, respuendi sunt, quia ex ipsis sternũtur plateæ ad euadendũ lutum: & cùm sint omnes, quos colitis, ex quolibet metallo, aut cõflatili, aut sculptili, dicitis eos sacrificio & thure placari, vt per hæc sint propitij his, qui eos colunt. Nos autem, qui vnum Deum, qui est in cœlis, colimus, dicitis magicis artibus occupatos: pro qua re torqueri nos iubetis, verum Deum confitentes. Vndè debes scire quod nescis: quia sicut non est societas luci & tenebris, nec firma habitatio agni cum lupo: ita non poterit fides nostra subiugari imperio vestro. Martianus dixit: Mihi iussum non est verbis agere tecum: sed audi, quod iubent inuicti principes, vt ex eorum lege cognoscas, quid te agere oporteat. Sanctus Iulianus dixit: Quid iubeant, audiui: quid autem me oporteat facere, consilio salutari definiui. Nefas est enim, grege præmisso, pastorem minimè sequi. Martianus dixit: Illi mortem dignam pro errore suo consecuti sunt: tu verò vt euadas tormenta, quæ contemptoribus debentur, & vt generi tuo & natalibus restituaris, hoc elabora. Sanctus Iulianus dixit: Labora pro te, vel pro tuis, quos diabolus sibi fecit esse hæredes: pro me autem ille solicitus est, qui me ex limo terræ formauit. Martianus præses dixit: Sic tecum debeo agere, quasi cum infirmo cardiaco medicus, quoadusque sanitatem recipias. Quòd si te sanum reddidero, & diuinorum numinum cultorem effecero, magnum mihi honorẽ apud principes conflauero. Nam & ipsi domini rerum, multum tuæ insaniæ condolent. Sanctus Iulianus dixit: Nunquam auditum est, vt cæcus illuminet videntem, aut morbidus curet sanum, aut errans corrigat recto itinere gradientem. Martianus dixit: Ergò, vt dicis, cæcus sum, morbidusque & errans, qui saluti tuæ consultum esse cupio: & tu solus plenam obtines sanitatem? Sanctus Iulianus dixit: Hæc omnia in te dominium obtinent. Quòd si velles te cognoscere, vt toto pectore salutem inquireres tuam, non te horreret medicus noster, per quẽ omnes Christiani verissimam obtinent sanitatem. Quos autem vos colitis, dæmones esse manifestum est: qui perdere possunt sibi credentes, liberare verò non possunt.

[b] Irridet fallos deos.

XXIV. HÆc audiens Martianus, exclamat tortoribus suis: Extendatur ad verbera, vt vel sic stultitia eius omnibus innotescat. Beatus Iulianus dixit: Non est stultitia Deum nõsse, sed gloria: tu verò secularibus oppressus illecebris, quid sit cõgruum, non agnoscis. Martianus dixit: Extendite eum, & fustes rigidos & nodosos afferte, & omnia eius membra fortiter dissipate. Cum[c] hæc facerent, vnus de cædentibus ictu percutiens, oculum amisit: & is erat de necessarijs præsidis, qui etiam Imperatoribus notissimus fuit. Hæc videns Martianus, fremuit, dicens: Tantũ valuit magica ars tua, vt tu nihil sentias, & aliorum oculos euellas? Sanctus Iulianus dixit: Martiane vides, quia hoc est verum, quod superiùs dixi: cæcus es, & morbidus, & errans. Sed tandem amota sæuitia tua, qua in me bacharis, audi quæ propono. Martianus dixit: Si pro salute tua, audiam te libentissimè. Sanctus Iulianus dixit: Conuoca omnes, quos habes, deorum & dearum probatissimos sacerdotes, & inuocent nomina deorum suorum super oculum euulsum, & restituant cultori suo visum. Cùm autem non valuerint, ego Domini mei Iesu Christi nomen inuoco, & non solùm euulsum oculum corporalem ei restituo, sed & cordis oculos illuminabo.

[c] Cæditur nodosis fustibus atrociter.

XXV. TVNC Martianus tam vera ratione confusus, iubet omnes pontifices adesse, dicens ad eos: Ite, & immortales deos sacrificijs optimis honorate, vt huic rebelli suo Iuliano ostendant virtutem suam, & homini meo necessario oculum reformantes, ipsum culturæ suæ inclinent. Ingrediuntur lapides ad lapides, lapidum iussa complentes. Qui cum ritu illo nequissimo dæmonia appellarent, hoc accipiunt in templo responsum: Discedite à nobis: nos igni perpetuo mancipati sumus. Nam tantum valet deprecatio Iuliani ad Dominum, vt à quo die comprehensus est, nobis pœna centuplicata sit. Et cum tenebris clausi retineamur, quomodo huic visum reddimus, quem ipsi non habemus? Hoc responsum accipientes in templo, egrediuntur falsa promittentes. Beatus verò Iulianus, quem nihil latebat, oratione facta, dicit ad præsidem: Martiane, festina celeriter ingredi templum: vocant te dij tui. Et[d] licet non voluntate parêret, sed inuitus, tamen paruit. Cumque ingrederetur ianuam templi, vidit omnia simulacra ærea, crystallina, electrina, aurea, vel ex omni metallo sculpta, quæ fuerant amplius quinquaginta, ita comminuta, & in puluerem esse redacta, vt quid fuissent, penitus non apparêret. Tunc Martianus præses cæcatus à diabolo, clamare & dicere cœpit: O maleficia sic prævalentia: ô apodixes carminum, vt & vires Deorum superent, & preciosa numina in puluerem redigant. Sed[e] hæc deorum sapientia laudabilis est: qui adhuc iniurias sibi irrogatas sustinent, vt rebelles suos patiendo subiugent. Ipsum autem videamus, si pollicitationis suæ impleat effectum, vt oculum ictu percutientis extinctum, sola inuocatione nominis Dei sui valeat reformare.

[d] Dæmonũ simulacra destruuntur.

[e] O cæcata hominum mentes.

XXVI. TVNC Martianus præses ad beatum Iulianum dixit: patientissimos deos te superasse gloriaris, quorum circa te pietatem minimè cognoscis. Nunc autem promissum tuum imple, vt in Christi nomine, quem colis, oculum restituas extinctum. Sed nè hoc magicis artibus exerceas, loco te perfundi iubeo, per quod maleficia omnia profligantur. Beatus Iulianus dixit. Hoc quod facturus es, non ad iniuriam meam, sed ad laudem Domini mei proficiet: vt & oculum pristinæ sanitati restituat, & putens lotium in odorem conuertat nectareum. Cumq; [f]eum perfunderent, ita completum est, vt à sancto Iuliano ante prædictum fuerat, vt non lotio, sed balsamo putares esse perfusum. Ad quod miraculum præses, licèt incredulus, tabescebat. Tunc sancto Iuliano super oculum extinctum crucẽ Saluatoris faciente, & nomen Domini inuocante, statim ita restituetur est oculus, quasi nihil fuisset passus. Sed hæc omnia non Dei virtute, sed magicis artibus credebat fieri Martianus. Ille[g] verò qui oculum recepit, clamabat, dicens: Verus Deus est Christus, & ipse solus est colendus, ipse solus adorandus. Quem talia prosequentem præses gladio animaduerti iussit: sicque roseo sanguinis sui rubore perfusum, Christus sibi martyrem consecrauit.

[f] Fœtor lotij in gratissimos mutatur odores.

[g] Cæcus videt.

XXVII. SANCTVM verò Iulianum impijssimus Martian⁹ diuersis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per oẽs artus oneratum, sub voce præconis circuire ciuitatem præcepit, dicendo: Hæc merentur rebelles deorum, & principum cõtemptores. Cumque venissent ad locum, vbi filius præsidis literis studebat, puer ait ad condiscipulos suos: Rem video inauditam.

Qui

[a] Visio filij Præsidis.

Qui dixerunt: Quam? Et ait: Ecce [a] video reum illum Christianum, quem milites ducunt, & multitudinẽ candidatorum cum illo loquẽtem, & coronam ex lapidibus præciosis & auro super caput eius, cuius fulgor aëris huius obscurat lumen: & alios tres viros albescentibus comis aureoq; vultu, in similitudine aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est huic tali Deo credere, qui sic suos tuetur cultores, & tali decore circumdat. Nam credite mihi fratres, in eius cõfessione delector, & talia pati desidero, si velit eius Deus esse Deus meus. Hæc audientes condiscipuli eius, & magister, turbati sunt, eumque blando sermone corripientes, ab intentione reuocare volebant. Timebant enim, quia vnicus erat patri. Et adiecit puer: Verè magnus est Deus Christianorum, in quem credere consilio salutari decreui. Ipse est verus Deus, qui credentes in se non deserit. Quæ [b] est enim gloria huius vitæ? Sicut vento vter distentus plenùs apparet oculis, & intus est vacuus: ita & huius sæculi gloria, in qua nos temporalem habemus lætitiam, & æternam Dei potentiam non cognoscimus. Volumus dominationem exercere, & dominatorem rerum, qui est in cælis, corde incredulo voluntariè non agnoscimus. Quantò [c] meliora sunt nobis pecora & iumẽta, vel canes, qui vocem vel iussum dominorum suorum agnoscunt: iniuriam verò eorum, morsibus vindicant & calcibus. Nos autem rationales facti, creatorem nostrum dimittimus, & colimus lapides & ligna. Sufficiat mihi hucusque errâsse: iam non errabo, quod mihi defuit ostensum est. Tempus acceptum inueni: quare non elaborem, vt adquiram tempus sine tempore, fruar luce sine fine? Contemno diuitias labiles, vt æternas adquiram. Nam impedimenta huius mundi separant à Deo: potestas verò temporalis successione finitur, & vita ipsa à morte separatur. Illi credere debeo Deo sancto, in cuius regno si militem, nullus venit mihi successor: cuius æternitati si sociatus fuero, mortem nunquam pertimesco. Hæc est vera gloria & nobilitas generis, pro eo pati: quem, cùm torqueor, nunquam amitto: quem cùm confiteor, nunquam derelinquo.

[b] Gloria huius vitæ prorsus inanis.

[c] Spiritus Dei loquitur in puero.

[d] Mira conuersio filij Præsidis.

Hæc dicens præsidis filius, proiecit volumina doctorum, & ipsas vestes, quas indutus erat, abiecit à se, dicens: Polluta [d] vestimenta mea ad Dei hominem properantem, necesse est abijcere: nudum me maternus vterus huic seculo sudit: ideoq; quod mundi est, mũdo relinquam. Et hæc dicens, per plateam ciuitatis cursum arripuit, quousq; ad locum, vbi S. Iulianus torquebatur, veniret. Ita enim iusserat iniquissimus Martianus, vt per omnes plateas & vicos ciuitatis diuersis pœnis affligeretur. Tunc puer prostratus pedibus S. Iuliani martyris, clamabat, dicens: Te desidero patrem secundæ natiuitatis, quẽ Christus Dñs adeò clare exhibet. Martianum verò genitorem meũ iniquum veridicorum omnium veritatisq; persecutorẽ, abnego & despicio: tibiq; adhærens opto pro Christo Domino & Saluatore meo, quem vsq; ad hunc diem ignoraui, similia tibi pati. Hæc videntes ministri pœnarum, & milites, tabuerunt admirantes, stupore perterriti, nec sermonem edere potuerunt. Doctores verò atq; magistri fugam meditabantur, totaque ciuitas ad spectaculum tantæ rei cõcurrebat. Omnes hæc audientes & videntes tremor inuasit, cognoscentes præsidis filium sancto Iuliano sic adhærentem, vulnera eius osculantem, taliaque proclamantem: Vniuersi populi, qui conuenistis, cognoscite me: quia ego sum filius præsidis, qui cum impio meo patre sanctorum veneranda corpora, licentia paternæ potestatis elatus, dissipabam: & hæc ignorans, contra Deum feci. At vbi Deum cognoui, imò cognitus sum ab eo, dijs abrenuncio, patrem & matrem abnego, diuitias superfluas respuo, Christum confiteor, B. Iuliani me sectatorem profiteor. Quid tardatis ministri & milites? Ite, renunciate parentibus meis, me verum Deum cognouisse: & huic adhærere, quem veri Dei verum cultorem cognoui. XXIIX.

[e] Parentes eius mire cruciantur eius conuersione

Innotuit res toti ciuitati, totamq; prouinciam fama peragrauit. Nunciantur hæc patri eius & matri: at illi audientes, vt cera ab igni tabescebant: & quia innumerabilis venerat multitudo populi, iubent filium à Iuliano segregatum, sibi restitui. Domini verò misericordia ita adfuit precibus sancti martyris sui, vt si quis vellet extendere manum, vt eum separaret à complexu S. Iuliani, statim contraherentur manus & brachia illius. Resciscens id pater, iubet eos ad se simul perduci. Cumq; eius adspectibus sisterentur, ait ad B. Iulianum: Spei meæ fructum magicis artibus auferre conaris, & tenerum pectus illicitis carminibus genitorum affectus negare compellis? Hæc [e] dicente præside, aduenit mater eius cum innumerabili familia vtriusq; sexus, crineq; soluto & vberibus nudatis, laceratoq; pectore, vocem dabat in cœlum. Tunc præses videns hęc, scissis vestibus, lacerata facie, dicit ad B. Iulianum. Iuliane crudelissime, adspice dolorem patris & matris: adspice tantę familiæ planctum: & magicis artibus solue innocentiam, vt nobis vnicum reddas filium, & huic tantæ familiæ restituas dominum: vt & ego pro te Imperatoribus suggeram, vt culpa tua neglecta, sanus abscedas. Sanctus Iulianus dixit: Suffragio tuo opus non habeo, nec ab Imperatoribus tuis dimitti quæro: sed hoc rogo Dominum meum Iesum Christum, vt me vna cum isto agno, de luporum visceribus nato, & omnes qui credituri sunt, martyrio impleto, in eorũ numero, quos tu in innocentia viuentes, igne consumpsisti, computare dignetur. Nam ecce adest, qui ex te natus est, & modò mecum credendo renatus. Ætatem habet: ipse tibi responsum det, ipse genitricis adspiciat lachrymas, ipse vbera, quibus nutritus est, doleat morsibus fœdis esse consumpta. XXIX.

[f] Oratio Celi pueri ad parentes suos.

Ad [f] hæc venerabilis puer dixit: Contingere solet, vt de spinis rosæ nascantur, nec amittit odorem suauissimum rosa nata de spinis: neque frutex, qui genuit rosam, spinarum suarum amittit aculeos. Vt igitur consueuistis, pungite, & me odorem suauitatis credentibus permittite propinare. Vobis obediant, qui perire parati sunt: me imitentur qui de tenebris ad lucem transire contendunt. Ego pro Christo Iesu Domino meo vos parentes abnego: vos propter deorum vestrorum cultum, filium vestrum tormentis affligite. Per istam enim temporalem mortem, vitam acquiro æternam: nec possum in vos pius esse, & in me crudelis existere: nec vestrum amorem præpono æternæ lætitiæ. Quid moramini? Quasi incredulus & credulis pater, non quasi verus Abraham, apprehende gladium, & Christo filium victimam offer. Sed si te viscera pietatis vincunt, dirige me ad sæuissimos principes, vt & ego pro Domino meo Iesu Christo ornamenta martyrij pœnis adimpleam. Nam vani & inanes sunt luctus vestri, falsæ lachrymæ: me verò ab hac confessione pietatis non valebunt disiungere nec definitiones omnes philosophorum. Discedite ergo à me, quia paternum nomen & maternum Christi nomini posthabeo. His auditis exclamauit Præses: Custodiâ priuatâ asseruentur, & opes necessariæ eis subministrentur. Tum verò sanctus Iulianus, opes, inquit, quas nobis præberi iubes, tibi consentientibus largiaris. XXX.

Hæc audiens Martianus præses, fremuit vt leo: Et existimans pœna terrere, quos blandimentis obtinere non potuit, iubet eos in carceris ima retrudi, vbi damnatorum membra, diuturno tempore tabefacta, horribilium vermium examina exhalabant: & fœtor teterrimus sentiebatur. Introducũtur eo sancti martyres: quos præcedẽs gratia Dei, locũ horrendũ illum delectabilẽ eis reddidit, tenebrasq; conuertit in lucẽ, exhibens cereorum officia, nectareumq; spirans odorẽ, ita vt pœna euanesceret. Hæc [g] videntes milites circiter viginti, qui eos custodie mancipandos adduxerant, cõuersi ad inuicem dicunt: Non pudet nos ferreo esse pectore? Nũquid [h] iustum est, vt ab hac tali luce ad tenebras reuertamur, à vita ad mortem, ab odore nectareo ad horrendas effusiones sanguinis? à tali patre sic nos monente ad iudicem inascentem? à veritate ad mendacium? à sobrietate ad ebrietatem? à castitate ad libidinem? Turpe est reuerti & esse quod fuimus, & negligere salutem quam inuenimus. Hæc dicentes, ad pedes se aduoluũt sancti Iuliani, laudantes & confitentes nomen Christi. Tunc B. Iulianus cum venerabili puero, Deo gratias referunt. Audiens hæc Martianus præses, præponit custodiæ crudelissimos custodes, donec tormentis præparatis, omnibus pœnas inferret. Beatus verò Iulianus solicitus de salute eorum, quos Christo acquisierat, orabat Deum, vt baptismi gratia eos faceret confirmari. XXXI.

[g] Horridus carcer fit martyribus delectabilis.

[h] 20 milites credunt.

Nec

XXXII. NEC hoc silebitur, aliud insigne donum in eadem ciuitate concessum. Ante tempus enim persecutionis, Imperatores Diocletianus & Maximianus primarium virum ciuitatis illius vnice diligebant, quòd ex genere Carini Imperatoris descendisset. Hic defunctus cum vxore sua Christiana, septem filios perfectos Christianos superstites reliquit, quos Imperatores retinentes amore patris eorum, iusserunt eos sine aliqua persecutione Christianę religioni deseruire. Hi [a] habuerunt secum presbyterum, qui eis sancta mysteria celebrabat. Visitantur ergo à Domino, & iubẽtur vna cum presbytero carcerem petere, vt venerabilis puer & milites gratiam baptismi perciperent. Statim igitur sancto prȩcepto obediunt: cumq; ad carcerem venirent nocte, viderunt angelum Domini ante se præeũtem, qui vt tetigit ianuas carceris, statim omnia claustra aperta sunt. Et orantes simul cum beato Iuliano, Deo vota persoluunt. Tunc illi septem fratres vna cum sancto presbytero Antonio videntes tantum splendorem gratiæ, clamabant, dicẽtes: Ecce adsumus: Huc nos Dominus direxit vna cum sacerdote suo, vt omnes hi gratiam baptismatis consequantur, & nos omnes per te pater Iuliane, verax Christi miles, in agone martyrij Christo plenius militemus. Hæc audiens beatus Iulianus, dixit: Gratias tibi Iesu bone refero, qui dignatus es ita implere desiderium meum, vt hi, quos per me tibi acquisisti, per baptismi gratiam vera fidei membra confirmentur, & quos impietas Imperatorum quasi agnos paruulos inter tanta agmina luporum reliquerat, ad tui sancti nominis confessionem aggregentur.

[a] Presbyter sancta mysteria celebrat, id est, Missam.

XXXIII. NVNCIANTVR interim hæc impio Martiano, cumque competit septem germanos sine aliqua persecutione Iuliano sociatos, & optare mori pro Christo, contremuit: Et educens eos de custodia, sic alloquitur: Quid vobis contigit, infantuli, quos ita principes tuentur & diligunt, vt ipsi arbitrij vestri essetis, & fidei vestrę cultores? Quid patimini, vt sine aliqua persecutione optetis mori, quibus concessum est viuere? Si ego maleficijs amisi filium, & militum mentes nescio quibus carminibus immutatæ sunt, cur ita vos, vestro permissa arbitrio, vltroneos offertis neci? Audite me, & estote securi, vt fuistis. Ad [b] hæc senior frater venerabilis ait: Præses, audi quæ à me dicũtur. Præses dixit: Dic, & libens audiam. Puer dixit: Massa auri naturæ suæ obtinet claritatem: sed nisi per manus artificis, igne & malleis, & limis in partes dissecetur, diadema inde in capite regis non perficitur. Vt verò ex ipso metallo auri, industria artificis diuersarum adhibito ordine margaritarum & lapillorum, preciosum componitur diadema, ita vt omnes qui vident, mirentur, & vt auro, natura sua splendido, diuersarum margaritarum & lapillorum natuta adhæret: ita sumus & nos, nati de Christianis parentibus, & facti Christiani: sed nisi natiuitas hæc in publico omnibus fuerit manifestata, in occulto non coronatur: & nisi beati Iuliani vestigia immaculato calle secuti fuerimus, in diademate regis æterni Domini nostri Iesu Christi esse non possumus. Satis abominabilis est illa arbor, quæ folijs vernat, & creatori suo melliflua poma non exhibet. Hęc audiens Martianus, iubet eos in custodiam recipi: in qua pro eis beatus Iulianus & omnes sancti Dominum deprecabantur, ne per serpentis falsa blandimenta innocua pectora declinarent ad verba maligna: susciputque sancti lætos: quos ante suspectos habuerant.

[b] Septem fratres cum possent viuere, vltro se pœnis offerunt.

XXXIV TVNC [c] Martianus prȩses suggestionem fecit Imperatoribus, dicens: Pijssimi principes, subuenite legibus vestris, & diuinis numinibus, quæ remanserunt, præbere munimina: & magnum Iulianum vestris conspectibus præsentate, qui magicis artibus amplius quinquaginta deorum simulachra, per quos mundus florebat, comminuit, filiumque meum vnicum à me seperauit, & militum mentes, nescio qua magica arte, immutauit: quin & septem germanos, quos clemẽtia vestra legis suæ iussit esse cultores, sua magica arte ad se allexit, & beneficijs vestris fecit esse ingratos. Quid ergo iussu vestro definiatis decernite. Hæc audientes Imperatores impijssimi, hanc dederunt sententiam, vt si Iulianus cum socijs suis in hac confessione permaneret, ad exemplum cæterorum, congregata omni prouincia, vniuerso vulgo expectante, singulis singulas culpas iuberent præparari, & in eas picem, bitumen & sulphur mitti, & singulos in eadem deponi cupas, & igne suppositio concremari. Quòd si aduersus hæc magicæ artis præualeat carmen, haberet potestatem qua vellet eos pœna affligendi.

[c] Præses refert ad Imperat.

XXXV. ACCEPTA [d] hac authoritate, præses iubet sibi in foro sedem prȩparari. Alia verò die cum cõsedisset, iubet sanctum Iulianum cum socijs eius suis adspectibus sisti: Et cum sisterentur, in hanc vocem serpens prorupit: Nihil de vestra salute in tanti temporis spatio cogitâstis? Sanctus Iulianus respõdit: Cogitatus noster, qui est ab initio, in quo cœpit, in hoc & finit: tu verò si aliquid cogitasti pœnarum, exerce. Martianus præses dixit: Quod cogitaui, hoc implebo. Et adiecit: Audistis, quid de vobis statuerint inuictissimi principes? Venerabilis puer respondit: Audisti & tu nec nominande, nec dicende, nec videnda pater, pœnam, quam præparauit Deus diabolo & vobis, qui effecti estis angeli eius? Subsecutus sanctus Iulianus, dixit: Quod iusserunt, imple, nam nos quidem te audire non delectat. Cum ista dicerentur, ecce corpus ferebatur exanime per plateam, sepulturæ mancipandum. Tunc Martianus præses cæco corde iubet corpus reduci. Cumque hoc factum fuisset, iubet illud in medio foro deponi. Omnes ergo hæc videntes, vehementer obstupescũt. Et ait ad sanctum Iulianum: Magister vester Christus dicitur antequam crucifigeretur, mortuos suscitâsse. Hic iam patebit, si verè Deus est, si vos, sicut & magister vester, mortuum suscitaueritis. Sanctus Iulianus dixit: Quid prodest cæco quòd hic Sol oritur? Martianus dixit: Hîc nunc parce fabulis, & si aliquid præuales, aut Deus tuus, sicut superius dixi, hunc mortuum suscita. Beatus Iulianus dixit: Licet infidelitas vestra hoc non mereatur à Domino, tamen quia tempus est, vt virtus eius manifestetur, & ne hoc impossibile putetis, fidele habeo promissum Domini mei, credens quicquid eum petiero, non me fraudatum iri. Tunc verò Iuliano oculorum intentionem in cœlum defigente ferè vnius horæ spatio, subito immutata est facies eius, & facta est vt nix: & his verbis coram omni populo, audientibus cunctis, fudit orationem ad Dominum, dicens: Domine [e] Iesu Christe, qui es verus filius Dei, qui in principio natus es de patre sine tempore, & in nouissimo mundi carnem de Virgine sumpsisti sine semine: adspice in hac hora de summitate cœlorum ad confusionem inimicorum tuorũ, & ad corroborandam fidem credentiũ in te hæc, quæ operatus es positus in terris: exaudi nunc de cœlis, & suscita hunc mortuũ, vt viui non moriantur, sed mórtui reuiuiscant. Et hæc dicens, ait ad corpus: Tibi dico, terra arida, in ipsius nomine, qui quarto die Lazarũ suscitauit, surge & sta super pedes tuos. His dictis, surrexit qui erat [f] mortuus, & voce magna clamabat: O acceptabilis oratio, ô immaculata virginitas, quãta meretur? Quo enim ego ducebar, & vnde reductus sum?

[d] Sistuntur martyres tribunali præsidis.

[e] S. Iuliani precatio.

[f] Mortuus excitatur.

XXXVI TVNC Martianus cæcatus à diabolo, irridendo dicebat: Vnde redîsti? Tunc ille, qui fuerat mortuus, dixit ad præsidem: Permitte me ordine prosequi. Martianus iterum ridẽs, dixit: Prosequere. Ad hæc [g] ille, qui fuerat mortuus, dixit. Ducebar nescio à quibus Æthiopibus, quorũ statura erat vt gigantũ, adspectus horrendus, oculi vt fornax ignis, dentes vt leonũ, brachia vt trabes, vngulæ vt aquilæ: in quibus nulla misericordia erat. Hi me lætantes ducebant in infernũ, & iam prope ad os putei cũ essem, hoc expectabatur, vt caro mea redderetur terræ, ex qua sumpta est. At vbi tu præses corpus meum feciſti reuocari, & beatus Iulianus orationẽ fudit ad Dominum cœlorũ, infernus omnis conturbatus est, & audita est vox de throno Dei, dicens: Propter dilectũ meum Iulianum reducatur anima. In nullo enim volo eũ contristare, in quo sic Pater & ego & Spiritus sanctus lætamur. Post hanc vocem venerunt duo viri albis induti, & auferentes me de damnatione impiorũ, huic luci reddiderunt, vt per eũ, qui me suscitauit, cognoscam eum post mortem, quẽ ante viuus negabã. Hæc audiens præses, turbatus est: & ne dissensio fieret inter tãtas multitudines, iubet eum cum sanctis in custodiam retrudi, & claustra annulo suo signari. Quem beatus Iulianus fecit baptismi gratiam consequi: atq; ita cum illis cœpit martyrij agonem subire.

[g] Mortui suscitati oratiuncula.

IVBET autem impius Martianus præparari pœnam, quã Imperatores decreuerant. Cumq; parata fuiſſet, illuxit dies altera, & populi vtriuſque ſexus currebant ad ſpectaculum circi. Sedit autem pro tribunali præſes, & vniuerſa ætas cõcurrit: & qui nolebant, à miniſtris vrgebantur. Statuuntur cupæ per ordinem triginta & vna: terror verò intolerabilis inuaſit homines: implentur cupæ ad medium vſq; pice, bitumine & ſulphure: aggregatur copia lignorum & ſarmentorum, iuberq; impius Martianus ſanctos produci de cuſtodia. Sanctus [a] verò Iulianus & puer vno vinculo tenebãtur, cęteri autem onerati diuerſis vinculis catenarum, trahebantur ad ſpectaculum, hymnum Domino vna voce cantantes & dicentes: Bonum mihi Domine, quia humiliâſti me, vt diſcam mandata tua. In quorum adſpectu nouam pulchritudinem omnis ætas mirabatur, & eorum mentes ad fletum conuerſa pietas inclinabat. Clamabant omnes confusè, Viri dicebant: O iniuſtitia, & nos filios habemus. Mulieres, ſolutis crinibus, clamabant: O fletus felle acerbior, cur talis iuuentus igne crematur? O poteſtas cæca, quæ nec viuis parcit, nec reſurgentibus credit. Tunc ſanctus Iulianus ſilentium petens, ait ad populum: Ne prohibeatis auro, quo minus per ignem tranſeat: ſcientes viſuros omnes & credentes & incredulos, igni conſumpto, illæſos nos permanere.

[a] Producuntur iterum martyres ad ſupplicium.

IVSSIT autem præſes ad ſuum illos conſpectum adduci, quibus ſic ait: O deſperata voluntas, per quam decus iuuentutis ad interitum quaſi ad epulas properat. Neſcio quo carmine ſic alienatæ ſunt iſtorum mentes. Conuertimini, & licet tardè, pro veſtra ſalute immortalibus dijs, qui pro vobis laborant, ceruices flectite. Quòd ſi volueritis, ego obtinebo ab Imperatoribus, vt ſine aliqua perſecutione religionis veſtræ ſitis cultores: tantum, ne vnicus filius meus in ipſo flore vernantis ætatis crudeli incendio concremetur. O inſanabilis dolor pectoris mei, quem primum plangam! Cum omnium decora ſunt corpora, at filij mei dulciſſimi vultum conſidero elegantiorem. Væ tibi Iuliane, omnium malorum architecte: quàm multa bona tecum trahis ad mortem, vt vnicus filius me neget patrem, nec matrem velit agnoſcere. Vel antequam pereas fili, ex ore tuo dulciſſimo verba audiam tua. Ecce venit & mater tua, quæ partus ſui dolores, quos non ſperabat, inuenit &: Ecce innumera familia, quæ te ſibi futurũ dominũ ſperabat, tibi valedictura aduenit. Venerabilis puer Celſus [b] dixit: Lugeant te & ſe, quos fallacia dæmonum blandimenta decipiunt: nos autem quos conſpiciunt ad regna cœlorum contendere, cur lugent? Nam nos tranſibimus per ignem iſtum, & illæſi tibi apparebimus, & huic tanto populo, qui agonem noſtrum expectat. Dæmones verò quos colitis, & illos, quos Imperatores pijſſimos dicitis, ceu quædam purgamenta deſpicimus. Præſes dixit: Ipſa eſt contumax audacia veſtra, quæ vos viuere non permittit. Beatus Celſus dixit: Per ipſam vanitatẽ quã colis, te obteſtor, vt præſtes quæ à te poſtulo intrepido corde, & petitioni meę tribuas effectum. Præſes dixit: Quicquid volueris, pete. Puer dixit: Cũ me videris illæſum poſt ignẽ, permitte ad me venire matrem meam, & habebo cũ ipſa conſilium, tridui dilatione conceſſa. Si verò mihi illa vnã rem, quam voluero, cõceſſerit, nec me, nec ipſam amittes. Mater hæc audiens, vrgebat fieri. Tunc impius Martianus, cæcatus à diabolo, dixit: Si ex igne illæſus exieris, (quod fieri poſſe non credo) faciam quæ deſideras. XXXIIX

[b] Celſi pueri egregia conſtantia.

TVNC præſes non ſuſtinens videre incendium filij, aſſeſſorem reliquit, qui principum iuſſa impleret: ipſe autem ſciſſis veſtibus eiulans, cum vxore iam prope mortua domum reuertitur. Exurgit verò luctus immanis, plangentibus cunctis: lugebantq; parentes filium, familiæ multitudo dominum: nec erat, qui conſolaretur. Quid multa? Aſſeſſor munus ſibi iniunctum adimplens, iubet ſanctos ſingulos in ſingulas cupas deponi. Sanctus [c] verò Celſus, qui nũquam à ſancti Iuliani latere fuit diſiunctus, dans pacem patri, ad præparatum ſupplicium ibat intrepidus. Et cum ſinguli à miniſtris apprehenderentur, & deponerentur in cupas: ſicut ſuperius contexuimus, pice, bitumine, & ſulphure impletas: aggregata copia lignorum, ſarmentorum & ſtupæ, iubet aſſeſſor ignem ſupponi. Quod vt factum eſt, erupit flamma triginta cubitis excelſior. De medio verò ignis ita multitudo pſallentium reſonabat, quaſi vox aquarum multarum. Conſumptis autem omnibus, igneq; ſopito, cunctis mirantibus apparent ſancti vt aurum vel argentum, mirificè rutilans, hac modulatione hymnum Deo canentes. Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos Deus in refrigerium. Et iterum: Ignis ardens & coruſcans, vim naturæ ſuæ oblitus eſt. XXXIX.

[c] Deponuntur martyres in cupas

Pſalm 65.
Sap 16.

NVNCIANTVR hæc præſidi, Dei ſanctos illæſos omnibus apparere, & cum vxore ad ſpectaculum properat, exitum rei volens agnoſcere. Tunc in hanc vocem prorupit: Iuliane, te obteſtor per Deum tuum, vt mihi dicas, vnde tantã virtutem maleficiorum didiceris. Beatus [d] Iulianus dixit. Quia me per Deum meum obteſtatus es, qui eſt horum mirabilium author, referam quomodo poſſint mereri, qui talia deſiderant noſſe maleficia, vt, ſicut & ego, huius carminis efficiantur authores Si quis primum elaborauerit, vt ſe ab omnibus actionibus huius ſæculi faciat alienum, & ſolã vocem Domini audiat, imperantis & dicentis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: ita vt nihil amori Chriſti præponat, nihilq; aliud deſideret, niſi quod ipſe Dominus promittit: non conſideret patrem aut matrem, non vxorem, non filios, & cætera, quæ in hoc mundo impedimenta ſunt animæ: qui ante omnia pauperum curam ſolicitè gerit, qui contentus eſt eſurire, vt alij reficiantur: quia ſatis Deo acceptum eſt munus, quo indigens ſaturatur, & nudus veſtitur: quando ira non perficitur: qui malum pro malo non reddit, qui iracundiæ tempus non reſeruat, qui impatientiam patientia ſuperat: & qui non dicitur ſanctus, antequam ſit, ſed elaborat, vt ſit. Multi enim dicuntur, quod non ſunt, & ipſa ſpe ſecuri, quia dicuntur quod non ſunt, ſegnes efficiuntur. Elaborare autem debent, vt quod de eis dicitur, non verbis tantum, ſed etiam operibus comprobetur. Et multi ſunt, qui verè ſunt ſancti, nec tamen de eis dicitur quod ſunt: ſed humilitate & gratia pleni, ab hominibus audire nolunt, quod ſunt: vt ab illo recipiant mercedem, qui nouit, quid ſint. Hi tales hanc artem, quam ego didici, ſcire poſſunt: & non ſolum in hoc corpore degentes hanc merebuntur gratiam, ſed etiam æternam Chriſti ſibi conciliant amicitiam, qui docti à Chriſto, alijs communicant donum ipſis collatum: qui illatas ſibi iniurias pro laude deputant, qui ſibi iniuriæ tempus non reſeruant, qui reconciliant ſe proximo, & proximum ſibi, & ſic offerunt munera Chriſto: deniq; qui [e] humilitatem obtinent, quæ eſt culmen omnium bonorum. XL.

Luc. 9.

[d] S Iuliani aureæ inſtitutiones.

[e] Humilitatis laus.

MARTIANVS præſes dixit: Et quis tam ſit inſipiens, qui huius vitæ lætitiam fugiat, & ad iſtam tantam iniuriam & indignitatem ſemetipſum abijciat? Sanctus Iulianus dixit: Deus noſter omnibus paratus eſt dare, ſed pauci digni ſunt, qui mereantur accipere. Martianus præſes dixit: Ad te, Iuliane, meus ſermo iam finem accepit. Sanctus Iulianus dixit: Hoc & ego ſemper optaui. Tũc præſes ad filium ſuum ait: Ecce mater tua, vt poſtulaſti: triduo cum ea habebis inducias. Hæc enim ad omnia parata eſt tibi conſentire: tantum, ne te vnicum ſolatium dolorum ſuorum amittat, & dulciſſimum filium. Sanctus Celſus dixit: Hoc triduo mihi matre conceſſa, nulli licebit tuorum intereſſe. XLI.

PRÆSES dixit: Sicut vis, ita concedo. Et adiecit: Recludantur ſimul priuata cuſtodia. Impletur iuſſio præſidis. Tunc ſancti martyres recluduntur in cuſtodia vna cum matre pueri. Ingreſſi [f] verò ſancti, hanc orationem fuderunt ad Dominum: Domine Deus, qui præſcius es futurorum, qui tranſacta velut præſentia conſpicis, qui mentes magis comprobas quàm ætates: tu Domine oculos cordis huius aperire dignare, & acceptabilem tibi fac terram, ex qua ſuſcepiſti fructum, in quo lætari cognoſceris. Statim ergo commotus eſt locus, in quo erant ſancti orantes, & fulgor argento ſepties ſplendidior emicuit: nec odor conſuetus ſanctis defuit, & vox pſallentium in aëre ſonabat: Verè pius es Deus, qui iuſtificas ſine operibus animas peccatrices. Hæc videns mulier & audiens, clamabat: Nunquam in diebus vitæ meæ tantum odorem comperi. Nam ſicut in amœniſſimis hortis liliorum & roſarum, & crocei, & nectarei, & balſami, & nardi redundat odor: ita his donis ſum refecta, vt omnium dolorum XLII.

[f] Oratio ſanctorum martyrum pro matre Celſi.

meorum

meorum oblita sim: nec aliud [a] cordi meo remanere sentio, nisi vt illum verum Deum esse cõfitear, pro quo filius meus agonizat. [a] Mater Celsi conuertitur.

XLIII. Hæc audiens beatus Iulianus cum omnibus sanctis, talem fertur matronæ illi tradidisse doctrinam: Beata tu, credens quæ sit spes fructus tui: meritò animæ & corporis medicinam celeriter consequeris. Nam talis est medicus, qui tuam suscipit infirmitatem, vt non secando curet vulnera tua, sed semel probando fidem tuam. Venerabilis verò puer Celsus subsecutus, dixit. Verè te nunc veram matrem confiteor, verè genitricem meam agnosco: nec tu amittis filium, nec ego matrem, si vna mecum ad illud contendas donum, pro quo omnes sancti tanta in hoc sæculo patiuntur. Venerabilis autem matrona, cuius intima pectoris diuina gratia iam illustrauerat, respondens filio, dixit: Cognosce me, fili, nihil amori eius præponere, quem tu sic diligis: pro qua re quicquid necessarium saluti meæ cognoscis, exerce: Venerabilis puer respondit: Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Itaque hoc tibi deest, vt purificationem baptismi accipias, per quam possis effici habitaculum Spiritus sancti. Matrona respondit: Ecce nos omnes claustra obtinent, & militum custodiæ circunuallant, nec introitus nec exitus licentia permittitur: & quomodo hîc ingressi sumus talem hominem, qualem mihi proponis? Cui sanctus Iulianus dixit: Hîc habemus sanctum & venerabilem virum Christi sacerdotem, qui te purificet: tantum, vt tu ex corde abneges deos patrios, & in vnum Deum credas, qui regnat in cœlis, in Trinitate vnus, & in vnitate trinus: sub cuius imperio imperant principes, cuius gratia confirmantur duces: cuius timore contremiscunt gentes, cuius sapientia prudentes fiunt homines, cuius imperio operiuntur cœli nubibus, cuius voluntate dantur terræ pluuiæ, cuius dono terra fœcundatur, cuius volũtate, quæ necessaria sunt hominibus, gignit, cuius dono manant fontes: ipse est Dominus Iesus Christus, æternus autem pater cum filio & Spiritu sancto. Illius splendore illuminantur cæci, tenebræ incredulitatis fugantur: illius nutu gubernantur vniuersa, quia eius voluntate creata sunt cuncta. Hæc audiens matrona, dixit: Qui hæc ita esse non credit, ferreum habet pectus: nec hominũ gerit sensum, sed pecudum. *Rom 10.*

XLIV. Tvnc omnes sancti gratias referunt Domino, qui dignatus est de luporum faucibus ouem perditam liberare. Ad quam iterum beatus Iulianus conuersus, ait: Itaque credis, vt audisti, vnum Deum verum esse in cœlis? Matrona respondit: Ipsum verum credo esse Deum, quem per tuam prædicationem esse cognoui creatorem omnium, qui certis limitibus fixit mare, qui ei posuit terminum, quem non transgreditur, qui cœlum suspendit, & illud diuersarum stellarũ splendoribus adornauit: qui perpetuum solis ardorem fundauit, & lunæ initium & finem constituit: ipse est [b] Dominus Iesus Christus, cui, relicta omni vanitate, credo, cupiens hâc vitâ, quam temporalem esse cognoui, carere, vt ad illam vitam æternam vobiscum merear pertingere: Hæc dicente matrona, locus, in quo stabant contremuit, & audita est vox in aëre, dicens: Credidi, propter quod locutus sum. Et post hanc vocem dixerunt, Amen. Tunc beatus Antonius presbyter baptizauit eam: quam venerabilis filius eius Celsus suscipiens, pater eius in baptismi gratia factus est. Cumq; de eius salute omnes lætarentur, audita est vox in aëre, dicens. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum in Domino. Post huius verò concessæ gratiæ munus, ait beatus Iulianus ad sanctos: Vox, quæ intonuit auribus nostris, prænunciat nobis futuras passiones & genera tormentorum, quæ aduersum nos cogitat inimicus. Pro qua re sancti martyres, fidei nostræ cursum ei commendemus, qui potest fidem nostram conseruare, & cursum consummare, vt repositam iustitiæ palmam & coronam mereamur percipere. [b] Mater Celsi confitetur Dominum Iesum. *Psalm. 115.* *Psalm. 30.*

XLV. Qvid multa? Cognoscit impius Martianus, vxorem suam martyrum prædicatione conuersam, atq; in Christi fide & amore esse confirmatam, & iubet intra domum suam martyres priuatim exhiberi. Cumq; eius adspectibus præsentarentur, ait ad venerabilem puerum Celsum: Matrem tuam sub hac ratione postulasti, vt tibi consentiret: ficq; nostræ acquiescerес voluntati. Itaq; quid gestum sit, nunc edicito: cognoscere enim cupio: Venerabilis puer dixit: Gratias ago Deo meo, qui voluntatem meam ita perfecit, vt in æternum eam possideam matrẽ, & ipsa me filium. Tu verò scito nos pro Christi amore in hac vita spem penitus non habere. Pro qua re nec ego te noui patrem, nec illa maritum. Tunc irâ repletus præses, iussit matronam comprehendi, & domo teneri. Ad quam cum appropinquarent ministri, volêres eam contingere, cæci efficiebantur.

XLVI. Hæc videns Martianus, cæcatus à diabolo, iubet omnes in ima carceris recludi. Alia verò die sedens pro tribunali, iubet viginti milites illos, qui in agone certabant pro Christi nomine, decollari: septem verò germanos, igni tradi præcepit. Quod cum fuisset factum in atrio illius, consummauerunt martyrium suum in pace. Iulianum autem cum Antonio presbytero, matrem & filium cum illo, qui à mortuis erat excitatus, iudicio suo reseruari iussit. Et cum sederet pro tribunali in foro, iubet beatum Iulianum, & reliquos sanctos, quos memorauimus, exhiberi. Ex officio ergo dictum est: Adstant. Tunc Martianus sic erupit: Tecum loqui, Iuliane, penitus dignum non censeo. Et adiecit: Tu es Antonius, quem papam suum isti testantur? Constat te huius magicæ artis esse autorem. Beatus Antonius presbyter respõdit: Gratias ago Domino meo Iesu Christo, qui benignitatis suæ me voluit esse ministrum. Præses dixit: Vel tu mihi dic Antoni, Quæ est ars magica vestra, vt sic separetis coniugia, & filios à parentibus disiungatis, & immortales dij per vos blasphementur? Quæ sit ergo hæc audacia vestra, edicito: nam scire cupio, vt ex ore tuo re cognita, videam quale vobis & magicis artibus vestris nomen imponam. Tantum enim præualuistis ad decipiendum populum, vt glorieminivos mortuum suscitasse, per quod tot innoxia pectora irretijstis. [c] 20 milites & 7. fratres perimuntur.

XLVII. Ad hæc beatus Antonius presbyter dixit: Optaueram quidem, vt ducem huius agonis nostri Iulianum tibi prouocares, & ab eo responsum acciperes: sed quia vnus est Dominus noster Iesus Christus, qui tangit organa cordis nostri, quandoquidem tu interrogâsti quem voluisti, audi à me quæ inquiris. Magister & author huius magicæ artis, quam nos dicis exercere, hoc nobis dedit præceptum, ne margaritæ preciosæ à nobis porcis mittantur. Qui etiam dixit: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare filium à patre, filiam à matre, &c. Qui & alio loco consequenter dicit: Qui amat patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut aurum, aut argentum, aut domos, aut agros plus quàm me, non potest meus esse discipulus. Hanc vocem audiens filius tuus, non pluris fecit te carnalem genitorem, quàm Christum creatorem suum. Similiterque illa, quam dicis tuam vxorem, hac voce Domini comperta, contempsit vitam temporalem, vt Christum immortalem, & requiem consequatur æternam. Et adiecit: Nihil verius, nihil dulcius, modo id cognoscere posses. Hæc audiens Martianus, iubet eos in custodia recludi dicens. Excogitabo pœnas, quibus isti intereant. *Matth. 7.* *Matth 10.* *Luc. 14 sententialiter.*

XLVIII. Alia die conuocans ad se sacerdotes templi, dixit ad eos: Ornate venerandum templum Iouis, quod pro consuetudine semel in anno solet patefieri: vbi habentur veneranda numina, id est, Iouis, Mineruæ & Iunonis ex electro puro confectæ imagines, quibus suauissimus Cupido delectamenta ministrat: simulque libamina & sacrificia præparate. His illi auditis, solitas instruunt hostias. Quid multa? Illuxit dies, patefactoque templo, vniuersa multitudo conuenit, admirans templum patefactum, quod vix semel in anno in principum natalicijs patesceret. Tale enim erat opus fabricæ illius, vt non marmore, sed tabulis aureis parietes & pauimentum instructum splenderet, auroque purissimo & margaritis vel lapidibus preciosis crisparent cameræ. Cumque omnia pararentur, ingressus præses templum, iubet Dei sanctos adduci. Quibus præsentatis dixit: Ecce nunc Iuliane & tu Antoni tempus aduenit, in quo vos, & consortes vestri salutem consequamini. Hoc enim elegi pro vestra salute, vt in isto terribili templo deorum, thura immortali-

mortalibus numinibus offeraris. Quòd si verò adhuc in ista contumacia perstiteritis, abnegantes deos, pro quibus hucusque vobis peperci, diuersis tormentis in vos debacchabor. Tu itaque Iuliane, quem constat esse authorem sceleris huius, accedens, conciliatibi deos immortales, per quorum diuinitatem gen-ri tuo restituaris. Beatus[a] Iulianus respondit: Iam quidem Præses definieras, nullum deinceps mecum habere t..monem: sed quia tempus illud aduenit, quod tu ipse dixisti: quo nos salutem consequamur, vt numina à nobis honorentur, fac omnes sacerdotes deorum intus adesse, vt cognoscant quale sacrificium offeramus. Præses ait: Bene sit tibi: optimè locutus es.

[a] S. Iulianũ fallo putat Præses sacrificare vel-le.

SANCTVS Iulianus dixit: Quandoquidem multam nos laudem reportaturos dicis & gloriam, hortarisque vt omnibus in vnum conuenientibus, dijs vestris immolemus: id quidem facere non piget. Nam ideo semper distulimus, vt in hoc templo mirabili magnum sacrificium cunctis cernentibus immolaremus. Tunc enim lætatur, qui conuiuium parat, si omnes adfuerint inuitati, vt nullum prætereat epulum, quod paratur, ne postea sit qui succenseat. Tunc Præses non intelligens, qua ratione hæc prosequeretur, dixit: Gaudeo de vobis: qui etsi tarde, tamen cœpistis dulcissimam hãc lucem, omnibus bonis redundantem, dijs immolando non amittere. Deinde iubet vincula ab omnibus auferri, dicens: Turpe est vinculis adstrictos teneri, quibus cœperunt dij esse propitij. Cumque exonerarentur ferro, quo erant constricti, dixit ad venerabilem puerum & matrem eius: Accedite & placate deos, quibus hucusque seruîstis. Cui venerabilis matrona hoc solum dedit responsi: Non permittat verus Deus, quem cognoui: vt vltra tecũ colloquia misceam. Et per ignorantiam quidem feci quæ dicis: sed iam cognoui veritatem, à qua nunquam recedam. Tunc præses conuersus ad beatum Iulianum, ait. Ecce omnia parata sunt, implete, quæ spopondistis. Sanctus Iulianus dixit: Iam est tempus & hora, in qua gloriemur, vt omnibus videntibns glorioſi appareamus, noueritque omnis posteritas, quale sacrificium hodie Deo obtulerimus. Præses præcedit, & iubet sanctos de priuata custodia venire, æstimans esse certum, quod volebat. XLIX

[b] Signo crucis frontes suas muniunt sancti martyres.

INGRESSI[b] verò sancti in templum, vexillo crucis armant frontem. Tunc ait beatus Iulianus ad præsidem: Quid præcipis præses? Omnibus dijs offeremus sacrificium? Præses dixit: Omnes, quos conspicis, immortales sunt, pares virtute, æquales in gloria: nec inuident sibi in cultoribus suis, præcipuè in vobis, qui tam tardè cognouistis. Hæc dicente præside, fixit genua sua sanctus Antonius presbyter, & beatus Iulianus cum socijs suis. Ait autem sanctus Iulianus: Deus qui es sine initio, sine fine, sine tempore, & æternum possides nomen: qui non in manufactis habitas, quem non capit mundus, sed requiescis in corde mundo: qui per sanctum prophetam dixisti, Omnes dij gentium dæmonia: tu autem solus Deus Abraham, Isaac, & Iacob: qui per tuam sapientiam feci cœlos, fundâsti terram, congregâsti maria, terminum eis ponens, quem non transgrediuntur, quem murmur aquarum sua voce collaudat, quem diuersarum volucrum garrulæ voces suauiter collaudantes, suum creatorem agnosc..nt, qui arbitrio Christi creâsti vniuersa: adspice nunc in subuersionem templi huius, & has dæmonum imagines, easque colentium frange audaciam, vt ad nihilum redigantur hæc omnia, in quibus gloriantur hi: & te solum cognoscant verum esse Deum, & glorientur in te, qui credunt nomini sancto tuo, & Iesu Christo filio tuo, quem cognoscimus tibi coæqualem & coæternum in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Et cum dixissent omnes sancti, Amen, omnia sculptilia illa ad nihilum redacta sunt, & templum[c] ita subuersum est, vt quid fuerit, penitus non pateret. Multi quoque sacerdotum, circiter mille, cum templo subuersi sunt, & alia multa paganorum turba simul interijt. Ignis autem eructat in eodem loco vsque in hodiernum diem. L.

Psalm. 95.

[c] Templum corruit funditus cum simulachris dæmonum.

TVNC beatus Iulianus dixit ad præsidem: Præses, vbi sunt manufactæ imagines dæmonum, in quibus gloriabaris? Vbi electrum, vbi aurum, vbi argentum, vbi templi pulchritudo, vbi parietes & pauimentum aureum, vbi metalla preciosa? Inuocato nomine Domini nostri Iesu Christi, in terram conuersa sunt, vnde assumpta erant. Sicut autem illa omnia vterus suscepit terræ, ita vos & Imperatores vestros, & omnes cultores dæmonum perpetuus accipiet infernus: vbi ignis edax non extinguetur, & vermis deuorans non morietur: vbi corpus semper reparatur ad pœnam, vbi misericordia quæritur, & non inuenitur. Hic vos talis locus expectat, & scelerum authorẽ diabolum. Tunc Martianus ingemiscens, aiebat: O virtus magica: ô carmen inauditũ, sic præualens, vt etiam terræ sinus aperiat, & tanta bona ab oculis pie fruentium auferat. Iam non miserebor, iam non parcam, donec eos gladio feriri iubeam, & eorum pœnis me exaziem. Iubet ergo sanctos in imo carcere includi. LI.

Esai. vltim.

EA nocte cum in Dei laudibus versarentur Iulianus & socij eius, in ipso mediæ noctis silentio adest multitudo sanctorum cum sacerdotibus, qui iam martyrij palmam retulerant, omnes stolis albis induti: inter quos viginti milites & septem illi fratres glorificati aduenerunt: adest & beata Basilissa[d] cum omni choro virginum, in qua multitudine sola vox Alleiuia resonabat. Tunc beata Basilissa ita alloquitur sanctũ Iulianum: Regna cœlorum tibi patefecta sunt: & hoc præceptum accepimus à rege æterno, Domino nostro Iesu Christo, vt die apparitionis suæ te cum comitibus ad se recipiat. Omnis patriarcharum & prophetarum & apostolorum glorioſus vobis occurret numerus, in quorum vos sanctorum numero Dominus Iesus Christus perpetua lætitia sibi sociabit: sicque visio ab oculis eorum ablata est. Alia die iubet Martianus præses in medio foro tribunal sibi præparari, & adduci sanctos Dei, excogitans nequissimus serpens, noua & exquisita genera tormentorum. Deinde[e] præcipit ministris, vt manuum & pedum digitos licinijs oleo madentibus colligent, & ignem supponant. Cumque factum fuisset, licinijs consumptis, illæsa permanebant sanctorum corpora. Videns hoc inimicus, iubet à sancto Iuliano & venerabili puero cutem capitis auferri: sancto verò Antonio presbytero & Anastasio, qui resuscitatus fuerat, clamantibus & dicentibus, Gloria tibi Christe, iussit oculos vncis ferreis effodi: Sanctam[f] verò Marionillam matrem pueri, quam Dominus præscierat pœnas tolerare non posse, cum eam iuberet eculeo applicari, si quis ex ministris eam voluisset contingere, cæcus efficiebatur, eiusque nerui adeò contrahebantur, vt manus suas ad se reducere non posset. Sanctos verò suos Dominos ita curauit & illuminauit, vt omnibus quasi nihil passi viderentur. LII.

[d] S. Basilissa cum multis apparet S. Iuliano &c.

[e] Noui cruciatus martyrum.

[f] Marionilla mater Celsi à pœnis præseruatur.

TVNC exclamauit Martianus: Heu me, vincimur. sed adhuc vnum supereſt. Iubet ergo amphiteatrum præparari: in quod ingressus, iubet in sanctos omne genus ferarum immitti. At feræ laxatæ, nihil læserunt sanctos, immò verò illorum pedes lingebant. Hæc videns præses, conuocans omnes magistratus ciuitatis, iubet omnes custodias perscrutari, & personas iam morte dignas in amphiteatrum intromitti: atque sanctos Dei inter diuersorum criminum reos & sacrilegos decollari præcepit. Tunc sanctus Iulianus cum socijs suis dixit: Gloria tibi Christe, qui nos ad hanc horam salutis perduxisti. Tunc venerabilis puer cum sancta matre sua dixit ad præsidem: Nota tibi facies nostras, quas in hoc seculo gratia Christi sic vides immutatas. Tua enim perfidia conabatur fæditatem nobis imponere: gratia verò & pietas Domini nostri Iesu Christi induit nos magna gloria & decore: vt in illa die cognoscas nos in gloria, cùm tu fueris in pœna. Ita ergo sancti[g] martyres capite plexi sunt. Cumque hoc factum fuisset, statim terræmotus extitit ingens, vt prope tertia pars ciuitatis à fundamentis subuerteretur, nec locus aliquis persisti, in quo idolum fuisset: accesserunt quoque fulgura & tonitrua & grando, quæ maximam partem incredulorum consum- LIII.

[g] Sancti Martyres decollantur

consumpserunt. Ipse aute præses Martianus semitruus euasit : verum non post multos dies vermibus scatens expirauit.

LIV. Ea nocte venerunt sacerdotes ac religiosi viri, vt sanctorum reliquias colligerent, sed præ multitudine cadauerum, sanctorum corpora non agnouerunt. Positis ergo genibus, oratione completa, apparuerunt eis in specie virginum animæ sanctorum, & vnaquæque suo corpori insedit: sicque sanctæ reliquiæ collectæ sunt. Domini verò gratia ita ordinauit, vt sanguis eorum, quasi lacteus panis, circa vnumquemque eorum congelaret: vt nec terra auderet os suum aperire ad sanctorum cruorem recipiendum, quia sceleratorum sanguine iam fuerat satiata. Sanctorum igitur corpora auferentes sacerdotes, sepeliérunt in Ecclesia sub sacrosancto velamine altaris: vnde Domini pietas indeficientem fontem prodire iussit, cuius vndis sacrosanctum baptisterium inundatur. In quo loco ea diuina beneficia credentibus triuuntur, vt si quis aduenias fide & credulitate plenus, cuiuslibet morbi statim consequatur medicinam. Nec silebo miraculum, quod ibi Dominus ad fidelium confirmandam fidem operari dignatus est : nec quisquam debet ambigere, quin idem hodieque efficiat. Decem leprosi iam exesis & putrefactis carnibus, ad fores adducti sunt, vt in die passionis eorum baptismi gratiam consequerentur. Completo [a] igitur in eis sacramento, cum eos baiularent, quia manibus tangi non poterant, eam sunt adepti corporis sanitatem, vt vix quisquam mortalium pulchrior videretur. Simul autem etiam vox audita est : Iuliani dilecti mihi fides hæc omnia promeruit, & his maiora merebitur. In eodem venerabili loco cæci illuminantur, & dæmones profligantur : neque ibi duntaxat, sed vbicumque in nomine Domini Iesu Christi, & sancti eius Iuliani basilicæ constructæ sunt. Gloria ergo Christo, qui est fidelis in verbis suis, & tantam gloriam præstat sanctis suis, regnans cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti, Amen.

[a] X. leprosi mundantur

VITA S. PAVLI PRIMI EREMITÆ, AVTHORE DIVO HIERONYMO, PRESbytero.

AN. 250. I. Tom. Epistol.

PRÆFAT. INTER multos sæpè dubitatum est, à quo potissimum monactorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altiùs repetentes, à beato Elia & Ioanne sumpsêre principium: quorum & Elias plus nobis videtur fuisse, quàm monachus, [b] & Ioânes ante prophetare cœpisse, quàm natus est. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte verum est. Nõ enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas verò & [c] Macarius, discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum, principem istius rei fuisse: quod non tam nomine, quàm opinione nos quoque comprobamus. Nonnulli & hæc, & alia, prout voluntas tulit, iactitant, subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem fuisse, & multa, quæ persequi otiosum est, incredibilia fingentes: quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur. Igitur [d] quia de Antonio, tam Græco, quàm Romano stylo, diligenter traditum est, pauca de Pauli principio & fine scribere disposui, magis quia res omissa fuit, quam fretus ingenio. Quomodo autem in media ætate vixerit, & quas satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur.

10. IAN. alij 15. Ianuar.

[b] Monachorum institutum antiquissimum

[c] Macarium hunc S. Antonij discipulum Alexandrinum illum fuisse existimat Hereb. Rosweidus in notis ad vitas Patrum in vita S. Pauli primi Eremitæ. Verorumque Macariorum vitam habes 2. Ianuarij.

[d] Vitam S. Antonij à S. Athanasio Græcè scriptam & ab Euagrio translatam habes infra 17 Ianuarij.

I. SVB [e] Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine, fœlici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum & Thebaidam Ecclesias tempestas sæua populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora: & vt ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus [f] ait, volentibus mori, non permittebatur occidi. Cuius vt crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subiecimus.

[e] Persecutio hæc sub Decio & Valeriano, cum sub ijsdem edictis continuata sit licet inter Decium & Valerianum aliquod pacis fuerit interstitium, pro vna eademque censetur, teste Baron. ad annum 253.

II. PERSEVERANTEM [g] igitur in fide martyrem, & inter eculeos, laminasque victorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas saltagines ante superâssent.

III. ALIVM [h] iuuenili ætate florentem, in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari; & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, &, quod dictu quoque scelus est, manibus attrectate virilia: vt corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superiaceret. Quid ageret [i] miles Christi, & quo se verteret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.

[f] Cyprian. Epistol. 55. [g] De persecutione facta id temporis in Ægypto & Thebaide vide Euseb. libr. 6, capit. 33. & 34. Baron. ann. 253. [h] Exemplum atrox persecutionis [i] Inuicta martyris virtus.

IV. PER idem ergo tempus, quo talia gerebantur, apud inferiorem Thebaida cum sorore iam viro tradita, post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti Paulus relictus est annorum circiter quindecim, literis tam Græcis quàm Ægyptiacis apprimè eruditus, mansuetiani animi, Deum valde amans: & cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verum [k] quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames ? Sororis maritus [l] cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum vxoris lachrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus, ab scelere reuocauit. * Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod [m] vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem: ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto, (vt est cupiditas hominum occulta cognoscere) auidius explorans, animaduertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens: cuius riuum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine, eadem quæ genuerat, aquas terra sordebat. Erant præterea per exesum montem haud pauca habitacula, in quibus scabræ iam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ, visebantur. Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse ea tempestate, qua Cleopatræ iunctus est Antonius.

[k] Aeneid. 3. [l] Affinis vult Paulum prodere. * al. *Aderat, instabat, crudelitate quasi pietate vtebatur.*

V. IGITVR [n] adamato, quasi quòd à Deo sibi offerretur, habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem, cibum & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor & sanctos angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus

[m] S. Paulus confugit in eremum anno 253. ætatis 23. Decij, Imper. 1. vt supputat Baronius. [n] Vide hîc miram Monachorum abstinentiam & ciborum delectum.

bus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo pane & lutulentâ aquâ vixit: Alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri *cubam vocant, quinqu caricis[a] per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbuntur his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.

*gubam legit Grauius, dicitque Syriace cisternam significare.

Marc. 9.

[a] Caricis, id est, ficubus ficcis.

Sed vt ad id redeam, vnde digressus sum, cum iam centum tredecim annos beatus Paulus vitam cœlestem ageret VI.
in terris, & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur, vt ipse asserere solebat, hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullum vltra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium vlterius multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci. Ilico erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quo nesciebat. Et iam media dies, coquente desuper sole, feruebat: nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quod seruum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso, salutaris impressione [b] signi armat frõtem, &, Heus tu, inquit, quanam in parte hîc seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius verba, quàm proloquens, inter horrentia ora *senis blandũ quæ siuit alloquiũ, & dexteræ protensione manus cupitum indicat iter: & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verum [c] hæc vtrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an (vt solet) eremus monstrosorum animalium ferax; istam quoque gignat bestiam, incertum habemus.

[b] Signo crucis armat frontem.

*al. setis.

[c] Nouatores historiam hanc tot sæculis succedentibus assidua lectione probatam, ex Hippocentauro Fauno & Satyro, quorum hoc capite & sequenti mentio habetur, ducẽtes argumẽtum, ludicrum commentum reddere nituntur: sed fidem suam quantum ad Hippocentaurum S Hieronymus liberat dum quid nam fuerit, spectrumne an mõstrũ, dubitat. Hippocentauri memi nit Plin. lib. 7. cap. 3. vide Bar. an. 343.

Stupens itaque Antonius, & de eo quod viderat, secum voluens, vlterius progreditur. Nec mora, inter saxosam con VII.
uallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei & loricam spei, vt bonus præliator arripuit. nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, afferebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius, & quisnam esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos, [d] Satyrosque & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei: precamur, vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mũdi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lachrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ, indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu satanæ: simulque admirans, quod eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ [e] tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxêre. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat, sub rege Constantino, vniuerso mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit: & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.

Eph. 6.

[d] De Faunis Plin lib. 5. c. 8. in fine.

[e] Nota quæ hic accidisse S. Antonio à S. Hieronymo enarrantur, miracula euenisse vt notat Baron. ad ann 343.

Sed, vt propositum persequar, Antonius cœptam regionem pergebat, ferarum tantum vestigia intuens, & eremi VIII.
latam vastitatem, quid ageret, quo verteret gradum, nesciebat. Iam altera effluxerat dies. Restabat vnum, vt deseri se à Christo non posse, confideret. Pernox secundas in oratione exegit tenebras, & dubia adhuc luce, procul intuetur lucpam, sitis ardoribus anhelantem, ad radicem montis irrepere. Quam sequutus oculis, & iuxta spelũcam, [f] cum fera abijsset, accedens, intro cœpit adspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus visum. Verum (vt scriptura ait) perfecta dilectio foras mittit timorem: suspenso gradu, & anhelitu temperato, callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cæcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidius properat, offenso in lapidem pede, strepitum cõcitauit: post cuius sonitum beatus Paulus ostiũ, quod patebat, occludens, serâ obfirmauit. Tunc verò Antonius præforibus corruens, vsq; ad sextam, & eo amplius horam, aditum precabatur, dicens: Qui sim, vnde vel cur venerim, nosti. Scio me non mereri conspectum tuum: tamen nisi videro, non recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsiui, & inueni: pulso, vt aperiatur. Quod si non impetro, hîc moriar ante postes tuos: certè sepelies vel meum cadauer.

1. Io. 4.

[f] Admittit Antonium Paulus.

Talia perstabat memorans, fixusque manebat,
Ad quem responsum paucis it a reddidit heros:

2. Æn. 6. Æn.

Nemo sic petit, vt minetur: nemo cum lachrymis iniuriam vel calumniam facit. Et miraris si non recipiam, cum moriturus aduenerís? Sic arridens [g] Paulus, patefacit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutauêre nominibus: gratiæ Domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est. En quem tãto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem, puluerem mox futurum. Verum quia charitas omnia sustinet, narra mihi, quæso, quomodo se habeat humanum genus: an in antiquis vrbibus noua tecta consurgant: quo mundus regatur imperio: an superstint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur.

1. Co. 13.

[g] Admittit Antonium Paulus.

Inter has sermocinationes suspiciũt alitem [h] coruum in ramo arboris consedisse: qui inde leniter subuolans, inte- IX.
grum panem ante mirantium ora deposuit. Post cuius abscessum, Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidij semper panis fragmentum: verum ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur, Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei marginem fontis vterque consedit. Hic verò quis frangeret panem, oborta contentio, penè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisq; nititur, pars cuiq; sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libauerunt: & immolantes Deo sacrificium laudis noctem transegêre vigilijs.

[h] Coruus panem adfert Paulo.

Cvmqve iam esset terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic locutus est. Olim te frater in istis regionibus X.
habitare sciebam: Olim te conseruum mihi promiserat Deus: sed quia iam dormitionis meæ tempus aduenit, & quòd semper cupiebam dissolui, & esse cum Christo, peracto cursu supereſt mihi corona iustitiæ, tu missus es à Domino, qui humo corpusculum meum tegas, immo terræ terram reddas. His Antonius auditis, flens & gemens, ne se desereret, atque vt comitem talis itineris acciperet, precabatur. Et ille: Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi, sarcina carnis abiecta, agnum sequi: sed & cæteris expedit fratribus, vt tuo instituantur exemplo. Quamobrem, [i] quæso, perge, nisi molestum est, & [k] pallium, quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad inuoluendum corpusculum meum defer. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnoperè curaret, vtrum tectum putresceret cadauer, an nudum, (quippe qui tanto temporis spatio, contextis palmarum folijs vestiebatur) sed vt à se recedenti mœror suæ mortis leuaretur.

Philip. 1. 2. Ti. 4.

[i] Obserua vt per spiritum didicerit absentia.

[k] Baronius non ideo tantum pallium à Paulo expetitum opinatur: sed vt hoc communicationis symbolo fidem eius comprobaret: vide Baron. ann 343.

Stvpefactvs ergo Antonius, quòd de Athanasio & pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo videns, & in XI.
pectore eius Deum venerans, vltra respondere nihil ausus est: sed cum silentio lachrymans, exosculatis eius oculis, manibusq;, ad monasterium, quod [l] postea à Saracenis occupatum est, regrediebatur. Neq; verò gressus sequebantur animum,

[l] Contigit hoc, anno 358.

mum, sed quamuis corpus inane ieiunijs, seniles etiam anni fregerant, tamen animo vincebat ætatem. Tandem fatigatus & anhelus, ad habitaculum suum confecto itinere peruenit. Cui cùm duo discipuli, qui ei longo iam tempore ministrare consueuerant, occurrissent, dicentes: Vbi tamdiù moratus es pater? respondit: Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Iohannem in deserto, & verè vidi Paulum in paradiso. Et sic ore compresso, & manu verberans pectus, ex cellula pallium protulit: rogantibusque discipulis, vt pleniùs quidnam rei esset exponeret, ait: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tunc egressus foràs, & ne modicum quidem cibi sumens, per viam qua venerat, regressus est, illum sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim, quod euenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet. *Eccles. 3.*

XII. CVMQVE [a] iam dies alia illuxisset, & trium horarum spatio viam remeauisset, vidit inter Angelorum cateruas, inter Prophetarum & Apostolorum choros niueo Paulum candore fulgentem, in sublime conscendere. Et statim in faciem suam procidens, fabulum capiti superiacebat, ploransque & eiulans, aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur insalutatus abis? Tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat posteà B. Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ, cucurrisse, vt instar auis peruolâsset: nec immeritò. Nam [b] introgressus speluncam, vidit genubus complicatis, erecta ceruice, extensisq; in altum manibus, corpus exanime. Ac primùm & ipse viuere eum credens, pariter orabat. Postquàm verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer sancti Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precabatur.

[a] Anima ei⁹ in cœlos p. ficisc tur, an. 343. ætatis 113. Constantij Imp. 7. calculante Baron.

[b] En vt corp⁹ exanime Deum flexis genibus precatur.

XIII. IGITVR obuoluto & prolato foràs corpore, hymnos quoque & psalmos de Christiana traditione decantans, contristabatur Antonius, quòd sarculum, quo terram foderet, non haberet: fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputãs; dicebat: Si ad monasterium reuertar, tridui iter est: si hîc maneam, nihil vltrà proficiam. Moriar ergò, vt dignum est, & iuxta bellatorem tuum, Christe, ruens, extremum halitum fundam. Talia [c] eo animo voluente, ecce duo leones, ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur: quibus adspectis, primò exhorruit. Rursusque [d] ad Deum referens mentem, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu, ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusq; caudis circa eius pedes accubuêre, fremitu ingenti rugientes, prorsus vt intelligeret eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere: arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum foderunt: ac statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesque lingentes. At ille animaduertit, benedictionem eos à se precari: nec mora, in laudationem Christi effusus, quòd muta quoq; animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis. Et manu annuens eis, vt abirent, impetrauit. Cumq; illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & depositio eo in fossam, desuper humum congregant, tumulum ex more composuit. Postquàm autem alia dies illuxit, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat, ac sic ad monasterium reuersus, discipulus cuncta ex ordine replicauit, diebusque [e] solennibus Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.

[c] Sepultura S. Pauli miraculo curata.

[d] Simile leonũ obsequium habes in vita S. Onuphrij 12. Iunij c. vlt. *Matth.* 10.

[e] Dies solennes Paschæ & Pentecostes etiam Antonij tẽpore.

XIV. LIBET in fine opusculi eos interrogare qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui vno filo villarum insuunt *prædia, huic seni nudo quid vnquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concauis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipij vestri. Sed econtrariò illi quidem pauperculo paradisus patet, vos auratos gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licèt, tamen seruauit: vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo puluere coopertus iacet, resurrecturus in gloriam: vos operosa saxi sepulchra premunt, cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso vobis, parcite saltem diuitijs, quas amatis. Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? cur ambitio inter luctus lachrymasq; non cessat? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro, [f] quicunq; hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpuram cum *pœnis suis.

[f] Nota quãti fecerit vestem S. Parẽli S. Hieronymus.

al. pretia.

al. regnis.

VITA [g] S. P. N. MARTIANI PRESBYTERI, QVI FVIT OECONOMVS MAGNAE ECCLES. CONSTANTINOP. EX SIMEONE METAPHRASTE.

[g] S. Martianum Nouatianis aliquando fauisse, postpedem retulisse, factũque Oeconomum Eccles. Cõstantinopol. refert Baron. AN. 450.

Ia. 10 I. SVNT quidem multa quoq; alia, quæ hanc regiam exornant ciuitatem, Imperatorum sedes & opes, & omne genus pulchritudo, situsq; & magnitudo, & mœnia, quæ sunt hostili manu potentia: Nihil autem ei adfert æquè magnum decus & ornamentum, atq; vita virorum bonorũ & virtutis amantium. Ij enim maiorem quidem adferunt delectationem, & maiorem etiam admirationem: quinetiam maiorem pariunt vtilitatem. Propterea maior est gloria ciuitatis, [h] ornari potiùs viris pijs & religiosis, quàm murorum propugnaculis. Atq; ea quidem multos viros tulit præclaros, qui eam decorant varijs virtutis ornamentis: ex quibus si quis primos accuratè elegerit, & ijs vitam Martiani conferre, vel etiam præferre voluerit, is mihi nõ videatur à recto excidere iudicio. Quòd autem non sit mala de eo nostra, sed recta sententia, ipse, vt aiunt, ostendet, eritq; procedens fide digna oratio.

[h] Ornamenta vrbium.

II. HIC ergò Martianus floruit quidem tempore eius, cui fuit idem nomen, nempe [i] Martiani, qui tunc erat dominus Romani Imperij. Patriam autem suam veterem Romam ab alto repetens à parentibus, (illi enim ex ea profecti, in hanc Constantini ciuitatem, quæ erat recentior, migrârunt) consequenter erat & illustri natus genere, insigniq; opib⁹ & dignitate, & quòd nobilitatem referebat ad splendorem Imperatorium. Tanta autem gloria insignes nactus parentes, pietate autem & religione longè insigniores, ipse quoq; educatur liberaliter, & eruditionem pulchrè docetur, nostram, inquam, & externam. Deinde sicut Moses quoq; ad Ægyptios, ita etiam Martianus optimè ventitat ad Byzantinos, & ad maiorem & perfectiorem sapientiam, eam, inquam, quæ est ex spiritu, conuertitur. Qua quidem ex re & vitæ splendor, & sermonis gratia illi accedens, nomen ei peperit, & insignem fecit inter omnes laicos. Paulò pòst autem etiam cooptat in clerum Ecclesiæ: & cùm sacris esset dignus, deducit [k] ad gradum sacerdotum. Qui autem ei ad hoc vim attulit, fuit huius ciuitatis Patriarcha. Nã illum quoq; cepit siren illius virtutis, & plenæ erant aures ijs, qui de illo spargebantur, sermonibus & laudibus. Cùm ergò gradus, qui inter sacerdotium intercedunt, nihil esset quod prohiberet, sed multò magis, vt ad maiora procederet, inuitaret: cùm omnes breui tempore peruasissent, vocante tempore, refertur etiam in numerum sacerdotum. Deinde etiam fit Oeconomus maximæ Ecclesiæ communi suffragio, non vim afferens, sed inuitus, & non tam honoratus, quàm eos honorans, qui eum prætulerant. Sed hæc quidem posteà.

[i] Martiani patria, Parentes.

[k] Promouetur ad sacerdotium.

III. MODO autem cùm ei admodum iuueni creditum esse sacerdotium, & eius parentes è vita iam excessissent, & vtriusque facultates, quæ erant luculentæ, accepisset, eum iuuentutem quidem moderatè, sacerdotium aũt honestè, opes verò piè regere & administrare fuit cognitũ: vt qui egenos suæ hæreditatis assumeret cohæredes, & eis maiori parte cederet: vel vt hoc potiùs dicam, cum eis quæstuosam exerceret negociationem, & in paruis suppeditandis maxima vicissim acquireret. Atque alias quidem voluptates magno quodam & excelso animo apparuit eum despicere, & eis minimè vti: ab vno aũt solo victus fuit amore, à verbis inquã, diuinæ scripturæ: & ad illa oculos perpetuò conuertebat, & eis perpetuò assidebat, quo fiebat, vt nihil esset in eis adeò occultum & inuentu difficile, quod non manifestum &

notum euasisset laboriosæ eius diligentiæ. Ventri autem & oculis fortiter imperabat, vt qui sciret florem & robur iuuentutis per ea facilè impelli ad lapsum. Sunt autem casus, qui ex ijs oriuntur, multi & difficiles. Precibus[a] autem & vigilijs se dedebat plurimùm, & valdè pueros edocebat, quod ad virtutis rationem attinet, non solùm eos, qui erant relati in numerum sacerdotum, sed, vt semel dicam, quotquot in canitie erant pij & religiosi, & curam gerebant philosophiæ. Illo autem suo præclaro boni & honesti amore, valdè quoque amabat sacras ædes Christi Martyrum, & ex eis alias quidem, quæ laborabant, & ruinam minabantur, reficiebat: alias autem, quæ nondùm factæ fuerant, excitabat. Quod[b] autem ardentissimè amabat, & sui desiderij finem existimabat, hoc erat, vt præclaræ & insigni inter martyres Anastasiæ præclarum templum extrueret. Laborabat autem in loco inueniendo, in quo opportunissimè sacram ei ædem extrueret.

[a] Precibus & vigilijs se dedit.

[b] Templa instaurat & extruit.

IV. CVM de eo autem esset solicitus, mulier quædam, quæ genus ducebat ex Syrorum Antiochia, Nico nomine, cùm paulò ante coniugem amisisset, insignem domum, quæ ei hæreditate obuenerat, posita autem erat in medio Constantinopolis foro, volebat vendere, vt cùm eius precium accepisset, ad sua reuerteretur. Hæc cùm resciuisset hic ardens amator martyris, & locum vidisset conuenientem, & situm esse aptum suo proposito pro lucro rem esse ducit: & ad mulierem veniens, loquitur de precio, & numeratis bis mille aureis, persuadet ei domum vendere. Cùm sic fecisset, planum erat eum iam velle opus aggredi. Sed qui bonis omnibus aduersatur, ne hîc quidem ostendit se suæ artis oblîtum, neque[c] omninò cessare aut cessaturum esse malefacere: sed se mulieri astutè insinuans, & ei grauem immittens pœnitentiam, eius mentem validè oppugnabat: tanquam alias machinas ei pudorem admouens, quòd scilicet à vulgo haberetur ludibrio, quæ sic pulcherrimas consumeret possessiones, erat enim domus antiqua & magnifica, & cui longo ante tempore, magni scilicet Constantini, contigisset ædificari: locari autem mercedibus & annuis possessionibus, satis magnum commodum afferebat. His mulier, vt mulier, labefactata, contractum soluere conabatur. Martianus autem, qui nulli volebat esse molestus, nec cogere vt aliquid faceret quod nollet, suo iure cessit, & possessionem dimisit mulieri, quærens actionis sacrum esse fundamentum, & nihil volens offerre sanctæ martyri, quod non prompto & alacri daretur animo, aut quod esset coactum. Ex hoc ergò videbatur malignus victoria potitus: sed fuit illud principium, quo factum est, vt maximè vinceretur. Nam Deus, qui scit omnia traducere ad id quod est conducibile, is prouidet, vt huius rei exitus sit longè melior & præclarior.

[c] Maligni dæmonis fraus.

V. HIC enim Martianus cùm hoc amore teneretur, & aliquando versaretur in legendis orationibus eius, qui & sermone, & moribus, & theologia præclarissimè refulsit, sapientis, inquam, Gregorij, & de huius martyris templo cognouisset, vt ille dicit, quòd positum quidem esset in ijs, quæ Domini Rostra vocabantur: erat autem tunc veluti quædam sedes Orthodoxis aduersus Arrianos. Cùm[d] ergò cognouisset quæ ille de eo templo prædixerat, suum gregem incitans, & ei addens animum: Hanc Anastasiam, hanc, inquam, quæ cognomen accepit ex resurrectione, videbitis (sat scio) ampliorem & maiorem. Cumque didicisset non sine Dei numine nec temerè prædictum fuisse à magno illo viro: etsi non magis prædictum fuisset de templo, quàm de populo: &, vtpotè quòd is, qui per illum hæc prædixisset, posset quoque verba in opus deducere, neque reputans impensarum multitudinem, neq; quòd maior esset conatus, quàm qui eius viribus conueniret, ei, quæ omnia potest, fidei rem credens, opus cœpit vrgere: & illud quidem minus & vetus templum relinquit in priori figura, vt sic omnibus ad spectandum propositum, apertiùs quàm lingua prædicaret Theologi prophetiam: alterum autem ei excitat maximum & pulcherrimum, in orbem quidem varijs porticibus atrisque & vestibulis, quæ[e] vel ante templum elegantem præ se ferunt speciem, comprehendens: id autem veluti quandam magnam stellam vel lunam, à multis ijsque pulchris stellis circumdatam, in medio erigens. Qualis enim id complexa sit pulchritudo, columnarum splendores, & colores, & magnitudo, lapidumque fulgor, & claritas materiæ, aurum tectum suprà illustrans, vt vbique picturæ, quæ artis quidem perfectione mentes obstupefaciunt, oculos autem demulcent varietate materiæ. Iam verò domum venerandæ illuminationis, aut eam quæ est constituta ad reponenda sacra vasa & donaria, quomodò quis dicens, non minùs dixerit, quam postulet operum dignitas? Ipsorum autem vasorum multitudinem, aut materiam, aut artem qui volet oratione persequi, sciet omninò, se ea solùm mirari posse, non lingua exprimere. Adeò sunt omnia æquè excellentia, vt etiamsi nemo prædixerit, vel ex hoc possit esse manifestum videntibus, quòd ea mente diuina processerunt, & manu diuina opem ferente è superis.

[d] Vaticiniũ S. Gregorij Nazian.

[e] Templũ S. Athanasiæ condit S. Martian.

VI. OMNIBVS autem conuenientibus, noui[f] quidem templi, vt par est, encænia celebrabantur, & dies quoq;, quo ipsa martyr certamen consummauit, ipso, inquam, Decembre. Vocabant autem *encænia & fideles Imperatores & sacrum Senatum, & vniuersam (vt semel dicam) ciuitatem. Oportebat autem, qui latebat, Martianum eo die videri, qualis esset moribus, qualis virtute & quantum se vltrà mandata extendebat. Nam cùm tota concurreret ciuitas, & egentes vnà cum ea quodam pacto attraherentur, pauper quidam accedens ad hunc virum egregium, (ij enim exquirunt ac discunt benignas & clementes animas, non secus atque ij, qui laborant, medicos) accedens ergò, respexit ad eius dexteram, & petijt vt acciperet aliquod medicamentum famis. Ille autem (tunc enim nihil gestabat in sinu, sed reuerà habebat intra animæ sinum benignitatem multam & clementiam, cùm remotus fuisset ab omnibus, & locum adspexisset valdè latentem, nullo autem alio, nisi vna tegeretur tunica, quod quidem fuit ei tota vita familiare, vt duabus non vteretur tunicis: cùm sic se haberet vir diuinus, etsi facilè erat excusando egestatem, repellere supplicationem: nam[g] quòd nihil portabat, testes habebat omnia intuentes oculos. Ille, perindè ac, si non daret, fieri non posset, vt non Deo afferret molestiam, cùm se ea ipsa, qua sola indutus erat, veste exuisset, dat egenti prompto & alacri animo: & de cætero habebat solam vestem sacerdotalem, & penulam, quæ corpus contegebat, quam etiam vndiquaque contrahens, cupiebat quantùm fieri poterat, latere, & id quod factum fuerat, omnium celare oculos.

[f] Dedicatur templum S. Athanasiæ an 459 vt habet Bar. *ad encænia, legit Baron.*

[g] Nota insignem liberalitatem in pauperē.

VII. POSTQVAM autem fuerunt intra ædem sacram, ei autem diuinum celebrare sacrificium iussit primus sacerdotum: ille quidem penulam similiter contrahebat & complicabat, cupiens, vt diximus, rem latere. Qui autem aderant, & vnà cum eis Pontifex, cùm oculos in eum defixissent, vident quoddam nouum & arcanum miraculum, & propemodum ijs solùm credibile, qui adspexerunt: vident eum intùs indutum eximia quadam veste regia, & auro nitenti intertexta, quæ tunc etiam magis apparebat in manibus, quando eos qui accedebant, diuino corpore impertiebat. Hæc videntes, alij quidem apud se mirabantur: alij autem alijs quoque enunciabant, nonnulli quidem vt admirantes, nonnulli verò, vt est verisimile, etiam inuidentes. Qui etiam ad ipsum pontificem Gennadium accedentes, tanquàm existimantes eum nescire, quæ eum scire maximè volebat, ei renunciant. Deinde[h] ei etiam conabantur detrahere, & mouebant calumnias aduersus beatam illam animam. Et ille seipsum quoque dicebat vidisse, modum autem ignorare, & se re vera de eo dubitare.

[h] Habet virtus semper æmulos suos.

VIII. POSTQVAM autem à Martiano fuit impositus finis sacrificio, eum accersit Patriarcha, & eum seorsum conueniens, de veste reprehendit, dicens eam magis Imperatoribus conuenire quàm sacerdotibus. Ille autem magis animi dubius, quàm is, qui dubitabat, procidit ad pedes illius, & in eos multas fundens lachrymas, negabat omninò id quòd dictum fuerat, & dicebat deceptos fuisse eius oculos. Tale quid enim vel solùm cogitasse, aperta est insania. Adhæc Patriarcha (stultum enim existimabat & à ratione apertè alienum, proprijs non credere oculis) manu propria statim tangens, relaxat ipse penulam simul cum veste sacerdotali, & decæterò miraculum videbatur & dicebatur. Nam illa quidem

quidem aurea, quæ paulò ante videbatur, tunica, nusquàm erat: nudus autem sanctus videbatur sicut erat, exceptis his indumentis sacerdotalibus: nudus, inquam, qui verè aureis virtutis tunicis, quæ sub adspectum non cadunt, tegebatur. Hoc Pontificem quidem adducit in admirationem: in [a] admirationem autem adducit etiam Imperatores, cùm iam fama ad eos peruenisset: clarum autem erigit trophæum simul & aduersus malignam & sceleratam * Arrij insaniam, [b] quæ, proh dolor, vsque ad id tempus defendebatur ab aliquibus. Fidelium enim multitudo, cùm miraculo ei esset veluti additus animus, & in recta esset confirmata sententia, Arrij quidem dogmata respuebat tanquam nugas: ipsi autē perindè ac quædam amnium fluenta, prompto & alacri animo ad templum confluebant, partim quidem contemplaturi eius pulchritudinem, partim autem rectos quoque audituri sermones. Tanta autem & tam innumerabilis confluebat multitudo, vt vel solum accessisse propè ambitus, esset præmium multorum sudorum, & à multis existimaretur dignum, de quo acriter contenderent.

[a] Leonem scil. & Irenen Aug. intelligit.
* *al. Eutychetis.*
[b] Arrianismus necdū exinctus

IX. Conveniebant ergò, diem vnum festum frequenti deinceps tempore celebrantes. Nam [c] ab eo quoq; frequentiâ fiebant miracula. Ex quibus, ne in multis dicentis immorer, aliquod vnum accipiens narrabo, quod satis est & ad ostendendam Magni Martiani gratiam, & quòd hoc sacrum templum Dei voluntate factum sit: [d] Incendium, quod non multa habuit similia, exitio dabat † Rostra Domini. Nam cùm ignis apprehendisset loca, quæ sunt ad mare Boreale, totam vrbem cingebat, & sic serpens ferociter, vsque ad mare, quod est in meridie, depascebat omnia quæ intercedebant. Consequenter ergò hanc quoque sacram ædem ignis comprehendebat impetus. Vnusquisque ergò proprijs neglectis calamitatibus, ad templum acriter procedebat, igni, qui non cernebatur, eorum inflammatis animis. Homo autem Dei nihil perterritus, & ne si quidem eum in orbem circumsidéret ignis, nihili faciens, sed fidei in Deum cedens omnia cedere, sacris acceptis Euangelijs, in summum tectum ascendit, & stans in medio flammæ, & se conuertens ad preces: Christe Deus, dicebat, Deus patrum nostrorum, qui Abrahæ sacrificium suscepisti, & quem ei ex promissione præter spem præbuisti filium, præter spem à cæde liberâsti: qui etiam in fornace Babylonica tres pueros captiuos eo effecisti potentiores: ipse nunc quoq; Domine hanc tuam domum conserua, ne lædatur ab igne: & ne concedas, vt opus tuum quod nos multo labore & tanto perfecimus desiderio, ignis destruat, ne adhuc pergat inimicus in nos insolenter gloriari, nec ora Arrianorum, qui sunt nobis propinqui, nos probris appetant: sed nunc quoq; ostende aliquid dignum tua benignitate & maiestate, ad gloriam tui nominis, & ad nostram, qui veritati credimus, gloriationem & exultationem.

Gen. 22. Deus.

[c] Claret miraculis Martianus.
[d] Incendium vrbis Constantinopol anni 465 De hoc incendio vide 11. & 29. Decemb. in vitis Dan. Stillitæ, & Marcelli Archiman. Euag. l. 2. c. 13
† Hoc etiā nomine nūcupatā esse basilicam Anastasiæ, quod in eo loco Greg. Nazian pulpitū ad cōciones erexisset, memorat Bar.

X. Hæc cùm ille diceret, vnà cum verbis effluebant lachrymæ, & ostendebant eum intus extabescere. Deindè [e] cùm subiunxisset, Amē, videbant omnes ferè qui aderant, primum quidem ignem sibillantem circa totam ædem, & in illam veluti facientem impetum: deindè verò recedentem, & veluti repressum à quadam inexpugnabili & fortissima virtute. Certè hæc quoq; sacra ædes, quomodo diuinorum puerorum aliquando corpora tota illæsa, tota intacta, in tanto, ô Christe Seruator, igne est conseruata. Nec hoc solùm, vt iam ante diximus, sed plurima quoq; alia admirabilia in hoc templo ostenduntur: multa quidem & tunc per Martianum, multa autem post illius quoq; mortem, partim quidem magna [f] inter martyres Anastasia: partim aūt ipsa quoq; communi omnium regina, intemerata, inquam, Deipara, operante. Quæ quidem euidentissimè apparens ijs, qui in eo sunt paulò meliores, cum figura & forma consueta, nō solùm in somnis, sed reuerà, causa est, vt fugentur dæmones, morbi & ægritudines: veneficijsq; & alijs malis medicamentū verè est inexpugnabile. Sed hæc quidē dicere certamen est non facile, & enumerare perindè est, ac mare metiri cyatho.

[e] Precibus incendium auertit.
[f] Miracula.

XI. Qvod autem non solùm viui, vt rectè viuerent, sed etiam iam mortui, vt viuerent, in hoc templo acceperunt, iam volens declarare oratio, inueniat eorum, qui adsunt, aures paratas ad accipiendum miraculum. Mulier quædam ex superiori porticu dexteræ partis despiciens, & plùs, quàm tutum esset, se in altum extollens, simul & cadit ex alto: & sibi quidem mortem affert, affert autem, proh dolor, mortem quoque fœtui, qui in eo habitabat. Quod quidem cùm vidissent diuinus Martianus & populus, id ferre non poterant: sed in medio festo erat lamentatio & lachrymarum occasio id quod acciderat. Verumenimuerò is qui est natura bonus, non finit diù dominari illam affectionem: sed antequàm è templo exirent, qui congregati fuerant (oportebat enim simul & Dei clementiæ, & in eos, qui ipsum amabant, gloriæ opus conspici) cùm [g] in altum manus sustulisset Martianus, & communiter oraret cum populo, & mulier surrexit præter opinionem, & intùs motus est infans admirabiliter. Sed de miraculis quidem satis sit in præsentia.

[g] Insigne miraculum.

XII. Oportet [h] autem omninò alia quoque templa complecti oratione, quæ ille piè ac religiosè ædificauit: Irenes, inquam, quæ est inter martyres admirabilis, quod est ad mare positum: & eius, quod est illi continens, diuini scilicet Theodori. Hoc enim templum martyris Irenes, erat quidem in principio, neque propter magnitudinem, nec pulchritudinem, nec vllum alium ornatum aut magnificentiam, dignum quod spectaretur. Sed Deo omninò curæ fuit id excitare in eam, quæ nunc cernitur, magnitudinem & pulchritudinem. Quamobrem Gennadio quoque Patriarchæ diuina quædam apparet visio. Dicebat autem visio: Solue hoc templum: tempore enim tui successoris sum id rursus excitaturus. Atque ille quidem simul iussum impleuit, & vitam finijt. Martianus autem ille admirabilis, cùm ad eius aures peruenisset hæc visio, atq; ei ēt fuisset tradita magnæ Ecclesiæ dispensatio, existimans somnium id ad se deferre, varias apud se versabat cogitationes, quonam modo fieri posset, vt ei succederet hoc opus ex sententia. Inscientibus itaque ferè omnibus, cum paucis aliquot illuc venit. Deindè etiam cùm ipsos iussisset recedere: iam enim erat nox: solus & genu & anima Deo inclinata, vbi nunc sacra ara est posita, Deus, orabat, dicens, qui [i] execranda templa simulachrorum tuo nutu & salutari voluntate euertisti, ab eorum autem deceptione opus tuarum manuum liberâsti: ædes autem sacras & templa sancta excitari iussisti, in quibus tu quoque semper diuina multa signa peragis: ipse nunc quoque conuenienter tuo diuino promisso, ad hunc locum respice, & eum sanctifica tua ineffabili gratia & virtute: per nos Domine excitans iam tibi præcognitam domum ad tuam gloriam, ad nostram exultationem, ad multarum animarum salutem, quæ tuum nomen inuocant. Certè Deus & rex omnium, cuius voluntati cedunt somnia, & cuius verè est opus cogitatio. Cùm sic orâsset, eius [k] oculis somnum immittit Deus, & statim ei ostendit in somnis, & templi situm, & magnitudinem, & aliam omnem ædificationem. Deinde etiam diuinam tanquam in somnis audiuit vocem: O Martiane, fieri possunt omnia credenti.

[h] Templū Irenes & Theodori.
[i] Deus vult templa extrui.
[k] Visio S. Martiani.

XIII. Cvm itaque surrexisset, metu & gaudio plenus, accedit ad Archiepiscopum, & exponit visionem. Illius autem gratum assensum assecutus, ad opus aggreditur, & vt, prout ei ostensum fuerat, ædem faceret magnificam, cùm proximum mare, quod tunc templi fores propemodùm alluebat, labore & magnis sumptibus effodisset, templi sic iacit fundamentum: adeò vt huic quoque templo conueniat, quod dictum est: Ipse super maria fundauit eam, omnium scilicet opifex. Iactis autem fundamentis, reliqua quoque pergit ædificare. Magnificas [l] enim columnas per seriem vtrinque statuens, deinde alias ijs supernè imponens, effecit inferiores & superiores porticus. Deindè cùm totam ædem omni ex parte comprehendisset ὑπαιθρος, ita tectum imponit, maximis id complexus trabibus. Quid autem dixerit quispiam, quàm sint validi parietes, quàm sit amœnum pauimentum, quàm sint alia omnia ornata, accurata, & elegantia? Nam vbicumque quispiam oculum defixerit, existimans se immorari in eo, quod est pulcherrimum, deinde rursus aliud attenderit: eum pœnitebit moræ, quam in priore traxerit: & sic omnia peruadens inueniet, cùm semper id, quod præcessit, videatur vinci ab eo quod adest. Cuiusmodi autē inuasit quoq; dæmon, hoc præcla-

Psal 23.
[l] Templi mira elegantia.

præclarum opus impedire aggredieñs ? Nam cùm duæ magnæ columnæ, quæ ſtatutæ erant ante aram venerandam, iam eſſent erigendæ, altera ex ijs manibus hominum diù parere noluit, vixque contineri poterat, & à ſtatu concinno diuertebat, & inſtrumenta continenter dirumpebantur: ijsque, qui ad hoc adminiſtrabant, defatigata iam erat induſtria. Tandem cùm fieri poſſe veluti deſperâſſent, ad ſanctũ vno conſenſu accedunt, & id, quod factum fuerat, renunciant. Is autem non ſtatuit ſe dedere ocio & ſocordiæ. Neq; verò afferendi remedij ſpem abiecit, reſpiciens imbecillitatem cogitationum & manuum humanarum: ſed ſpei in Deum vniuerſum permittens, venit ad locum. Et cùm primò manus extendiſſet, & [a] ſe totum contuliſſet ad precationem, & figuram crucis ſignâſſet, increpauit dæmonem, qui erat cauſa impedimenti: Inimice, dicens, & hoſtis omnis boni, ceſſa inuidere & ea impedire, quæ fiunt ad Dei gloriam. Deinde ipſe quoque cum alijs, manibus iam ſenio affectis, opus vnà attingens, magnum attulit momentum, ex ſpiritu potiùs, vt ita dicam, quàm ex corpore: & protinùs moueri cœpit columnæ ſtatus, & ceſſit manibus. Apparet autem in hodiernum vſque diem in columna miraculum per hoc quòd à recto paululùm declinauerit. Hanc autem dicimus columnam, quæ poſita eſt à ſiniſtris aræ ſacræ ijs, qui adſpiciunt ad Orientem.

[a] Precibus & ſigno crucis dæmon eneruatur.

SED quomodò pulcherrimi quoque ab eo conſtructi illuminatorij, quod [b] quidem ſolemus vocare baptiſterium, paucis explicare quis poſſit pulchritudinem, quod videntibus cum admiratione magnam profundit voluptatem ? Comprehenſum enim eſt à quinque porticibus, ſicut Probaticam quoque aiunt piſcinam, quæ eſt in Hieruſalem. Sed hîc quoque maiora, quàm illic, videntur fieri miracula. Nam in illa quidem erat qui accedebat angelus, & vno die vnus aſſequebatur curationem. Hîc autem non eſt ſeruus qui miniſtrat, ſed aduenit quidem Dominus. Curatio autem non vno fit die, ſed aſſiduè: & non ſolùm corporum, ſed etiam apertè animarum. Oſtendit autem diuinus Martianus hac quoque figura baptiſterij, ſe vniuerſum feciſſe ad formam huius, quæ ſermone celebratur piſcinæ. Cùm enim tectum tholis diuiſiſſet, & aureis lapillis quæcunque erant illius ornâſſet, & ægrotorum figuras deſcripſit ad vnguem, & ipſum etiam Chriſtum ægrotos curantem: vt non ſolùm eos qui laborant, ſed medicum quoque videre liceat. Optimum autem fuerit, non ita valdè indigendo præſenti oratione, ea quæ dicta ſunt, ipſis oculis apprehendere. Nam quæ illic ſunt, maiora eſſe exiſtimo, quàm vt ea poſſimus oratione conſequi, & quæ poſſit ſolus viſus comprehendere. Quamobrem ea quidem ſtatuo prætermittere. Quæ autem ſunt his germana, & ſimul propinquo tempore perfecta fuêre, ea dicam vtiq; : & quod iam mihi fuit in memoria, [c] diuini Iſidori templum, adhuc magis literis memoriæ mandabo. XIV.

[b] Baptiſterium mirifici operis. *Ioan 5.*

[c] S. Iſidori templum.

CVM diuinorum oratorium ædificationis quodam vehementiſſimo teneretur amore bonus re vera Martianus, nec magnum quoque neglexit Iſidorum: ſed vt eius ſactas afferret reliquias, & magnificentiſſimam ei ædem extrueret, magno ſibi duxit ſtudio contendendum. Nec ceſſabat omnem locum conſiderare ac contemplari. Et ideò adhuc quidem differebatur ædificatio, cùm autem eius collegiſſet reliquias, & in loculo depoſuiſſet, eas ſtatuit in præſentia ſeruare in hoc templo martyris. Vbi autem breui aliquo poſt tempore aggreſſus eſt eas transferre, accidit ibi aliquid admirabile & arcanum. Neque enim ipſe, nec [d] alia multa manus hominum potuit thecam ampliùs mouere. Diuinam ergò aliquam rem eſſe arbitratus, & cùm alioqui ei in ſomnis ipſe ſignificâſſet martyr, ſe loco delectari, neq; velle hinc ſuas transferri reliquias, deinceps parens viſioni, conſtruxit hanc ædem, quæ ſita eſt propè templum martyris Irenes. Quòd hæc ædes autem ſit grata martyri, per multa hoc ſigna ſignificat, euidenter apparens, & magna miracula aſſiduè efficiens, & à dæmonibus quidem liberans eos qui ab eis detinentur: naufragis autem fluctus ſedans, & ventorum ſæuitiam increpans: eos qui moleſtia afficiuntur, conſolans, & triſtitiæ cauſas eis adimens, & alioqui ægrotantibus aut egentibus ea, quæ ſunt grauia, ceſſare faciens: & quæ bona ſunt, præbens. Hæc cùm magnus perfeciſſet Martianus, & his veluti alijs muris aureis, ornatûs gratia & ſecuritatis, ciuitatem decorâſſet, diſſoluit vitam in profunda ſenectute, priuſquàm maximo templo Irenes celebraret encænia: hoc veluti excedendi appoſitum quidpiam elocutus: Hæc ambo [e] in manus tuas commendo Domine, nempè animam quam ipſe creâſti, & templum, quod ego tua voluntate conſtruxi. Quæ cùm dixiſſet, deceſſit decimo menſis Ianuarij. XV.

[d] Nota mira de ſacris martyris reliquijs & miraculis.

[e] S. Martiani obitus.

CONCVRRIT [f] autem vniuerſa ciuitas, deductura reliquias, ipſeque qui tunc erat pontifex, & quicunque erant ſortis eccleſiaſticæ, & multitudo monachorum, & cœtus honeſtarum mulierum, & ex magiſtratibus, quotquot erant pij ac religioſi. Atque ſacras quidem eius reliquias Iohannis Baptiſtæ monaſterium, quod etiam dicitur Danielis, ſuſcipit: quod ſitum eſt prope diuinum templum præclari Martyris Mocij: quod ipſum quoque fuit opus illius manûs, vel, vt veriùs dicam, propoſiti. Quo quidem in loco in hodiernum vſque diem præclarè & piè eius memoria celebratur. Ædis autem magnæ Irenes, quam ipſe fuerat fabricatus, maximè pia Verina (ea autem erat vxor Magni Leonis) curam ſuſcipit. Quæ quidem, quæ ei ad ornamentum deerant, implet diligentiſſimè, auroque tectum ornat magnificè. Hæc autem declarat, quæ illic eſt inſcriptio. Templi [g] verò encænia quotannis peraguntur viceſimo Ianuarij. Quo tempore magnus quoque eſt concurſus multitudinis, & frequens in ore omnium decantatur Martianus, tanquàm illius filias hæc duo templa vidente multitudine, & eius memoriam per ea renouante: adeò vt nonnulli inter ſe lepidè dicant cum voluptate: Ecce hæc quoque eſt alia filia Magni Martiani, pulchritudine & magnificentia ſoror magnæ Anaſtaſiæ. Quod certè ille quidem ipſe ſolummodò de diuina dixit Anaſtaſia, quemadmodum cenſuerit quiſpiam eſſe prætermittendum ? Nam cùm quidam ex eius familiaribus magnam miraretur impenſam: Si deſponſurus eſſem, inquit ille, meam filiam, non quæ ad eius decorem pertinerent, & ornatum, ſtatuerem mihi eſſe præbenda quàm poſſem magnificentiſſimè ? Nunc autem cùm impenſas ſtatuerimus facere in templum ſponſæ CHRISTI, & ſponſæ adeò pulchræ, & quæ pro ipſo ſanguinem non parſit fundere: non longè ampliùs & alacriùs ſumus ſumptus facturi, nullumque ornamentum ſpeciemque & elegantiam prætermiſſuri ? Tam ſplendidus & magnificus erat Martianus in ijs, quæ DEO grata erant, operibus: neque vllis parcebat ſumptibus. XVI.

[f] Celeberrima eius ſepultura.

[g] Templi dedicationis anniuerſaria etiam apud antiquos.

ETENIM non harum ſolùm fuit conditor, ſed multarum quoque aliarum ædium non tantùm ſe præſtitit opificem, verùm etiam refectorem atque reparatorem. Vt magni quoque martyris Theodori, qui fuit in Tænaro: & Stratonici martyris, qui fuit Rhegij. Et quod eſt magis admirabile, cùm in ſacris ædibus eius eſſet manus tam liberalis, ea erat multò magis profuſa in cura gerenda pauperum. Quòd quidem nunc vult curſim perſequi oratio, adeò vt non ſolùm manifeſta fieret illius in egenos benignitas, ſed hæc ipſa quoque beneficentia, qualibus donis dignaretur illius amatores. Noctu [h] vir ille admirabilis obiens plateas & ciuitatis angiportus, huius quoque curam gerebat. Sicubi inueniſſet mortuum præ nimia paupertate abiectum, & cuius nemo curam gereret, & quem talem vidiſſet, tanquàm magnum aliquod lucrum aſſecutus, eum lubenter videbat: cumque eum diligenter lauiſſet & induiſſet, & alia iuſta pro more ei feciſſet, deinde etiam mortuum tanquàm viuum alloquebatur: Agedum, dicens, ſis quoque nobiſcum particeps eius, quæ eſt in Chriſto, charitatis. Quæ cùm ſic diceret, habebat eum qui iacebat, audientem. Surgebat enim, (ô miraculum, quod verbis non poteſt explicari) & bonum amplectebatur Martianum, curam quæ eius gerebatur, non illum, ſed Chriſtum potiùs oſtendens ſuſcipere. Deinde ſic mortuus, rurſus erat mortuus: & talis videbatur ab ijs, qui erant ſuperſtites. Hoc autem fuit aliàs quoque cognitum: ſed ex hoc euaſit manifeſtiùs. XVII.

[h] Studium eius erga ſepeliendos mortuos.

MEDIA nocte, quando maximè putabat fore vt à nemine videretur, ventitabat ad quendam argentarium ſibi familiarem, vt aurum permutaret: & accipiens multùm minutæ [i] monetæ æneæ, vt haberet quod poſſet diſtribuere pauperibus, XIIX.

[i] Moneta ænea.

peribus, statim reuertebatur. Argentarius autem accipiens noctem intempestiuam ad lucri occasionem, iniqua trutina ponderabat aureos. Ille autem nihil contradicens, nec omninò accuratè considerans, apertè ostendebat se omnia permittere conscientiæ eius qui ponderabat. Cùm autem hoc sæpè fieret, & Martianus simulans se non intelligere, nequaquã insimularet argentarium, eum magna subijt admiratio: & simul tempus considerans, nempè medium noctis, ad meliorem venit considerationem: cœpitque suspicari id, quod erat veritati propius, & Martiani vitæ conuenientius. Vnum certè ex suis pueris iussit eum sequi egredientem, vt sciret, quidnam ab eo illa minuta fieret pecunia. Neque enim ab argentario cognoscebatur Martianus, vt qui aptè vultum celaret, quando ad ipsum ingrediebatur, vt illam minutam acciperet pecuniam. Atq; puer quidem sequebatur. Postquam autem [a] incidit vir diuinus in quendam pauperem mortuum in lecto iacentem, & acceptum ex quadam cauponis domuncula, lauit & induit: & cùm surrexisset, est amplexus, & eo deindè reclinato, rursus abijt: puerum, cùm hæc vidisset, horror inuasit, & conuersus, quàm citissimè fieri potuit, omnia declarat ei qui illum miserat. Illum autem subijt pœnitentia eorum, quæ fecerat: & quòd se iniquissimè in sanctum gesserat, deflebat, & pœnas sumebat de sua conscientia. Certè cùm is rursus venisset, vt faceret similia, procidit ei ad pedes, & confessus est ea, quæ malè fecerat: & quicquid per fraudem lucratus fuerat, enumerauit. Ita bona tacens actio plura potest facere, quàm verborum multitudo: & quibus nihil prosunt reprehensiones & suasiones, ijs opus laudabile procedens silentio, & latenter transmissum ad eorum conscientiam, meliores reddidit, & effecit, vt bonum sua sponte discerent. Diuinus autem Martianus cùm dixisset se fuisse nulla affectum iniuria, ab eo quod dabatur, & qui dabat se deinceps abstinuit: non tanquàm improbum aliquem auersans: illi enim non solùm ignouit, sed etiam professus est se eum habere amicissimum: sed toto pede fugiebat cramben, ex [b] vana gloria proserpentem, & non volens sua alicui homini fieri manifesta, sed ea apud Deum solum reponens. Licèt ergò ei qui velit, considerare, quidnam priùs possit admirari, insignene miraculum, an beneficentiæ studium, an in vniuersa machinatione eius animi libertatem. Verumenimuerò de illius beneficentia oratio aliud quoq; bonum mihi reuocat in memoriam.

[a] Mortuum Martianus lauit & induit.

[b] Fugit vanã gloriam

XVIII. Hæc virtus ei tantæ erat curæ, vt [c] propter eam ne in meretricum quidem domos venire dedignaretur, neq; eam rem esse turpem existimaret: sed ad illum ipsum, quem diligebat, Christum adspiciens tanquàm ad exemplar, qui cum publicanis & peccatoribus propter eorum salutem sæpè habuit consuetudinem, & malis suaderet mulieribus, quæ erant salutaria: quibus nonnunquam inopia erat causa sui interitûs, dum vellent, proh dolor, suo corpore quæstum facere. In eas ergò magis erat profusus, & dextera magis promptus optimus Martianus: & maximè si contigisset festum agi die sequenti. Tunc enim erat paratus plura eis præbere, quam illæ erant accepturæ ex abominanda nequitia: persuadebatq; eis & vti lauacro, & se in sequentẽ diem seruare impollutas, & ad Ecclesiam deinde accedere, & recordantes eorum quæ præcesserant, horribilis gehennæ metum sibi incutere, & Deum placare lachrymis. Quod [d] quidem cùm sæpè factum esset, nonnullas boni vincebat consuetudo, diuinusque eis ingruens metus efficiebat, vt non solùm stupris, sed omni etiam ornamento valedicentes, ad monasteria & asceteria, id est, loca in quibus se exercerent, prompto & alacri venirent animo. Multæ quoque ex ijs statuerunt ire Hierosolymam, cùm ab illo accepissent sumptus, qui sufficerent ad viaticum. Quæ cùm vitam maximè puram & priori ex diametro oppositam ostendissent, ne boni quidem spiritûs donorum fuêre expertes: sed aliæ quidem ex ipsis morbos soluerunt oratione, aliæ autem dæmones quoque, quos priùs diligenter coluerant, facilè eiecerunt ex hominibus. Hæc ille, non vt faceret aliquis ex ijs, qui magnis affluunt opibus, id quod redundat exinaniens, sed propter magnum quod egentibus afferebat auxilium, ne ipsis quidem parcens necessarijs. Sed nonnunquàm cùm omnia etiam extulisset & erogâsset, quæ habebat in manibus, sibi solam spem bonam & ad Dei solùm manus adspicere, relinquebat: adeò vt cum alijs, quæ habebat bonis, etiam quòd ad nihil possidentem attinet, primas partes nulli cederet.

[c] Meretricibus quoq; præstat beneficia, vt resipiscant.

[d] Quædam ex ijs ad bonam frugẽ se recipiunt

XIX. Hvivs [e] autem quod dico, signum est. Dicitur enim, quòd à festo Sanctorum reuertens aliquando: nam nec ijs, nec Domini, quæ fit in medio multorum, laudationi deerat, diuini cultûs & religionis gratiâ. Reuertens ergò, quoniam pluuiam erumpere contigerat, madefactus & domum ingressus, cùm se inclusisset & vestem exuisset, paucis exiccabat carbonibus. Accidit autem, vt Dei amantissimus Pontifex tunc eum accerseret. Qui autem missi fuerant, cùm domum inuenissent clausam, pulsabant ostium, & iubebant egredi. Illum verò pudor, nè nudus videretur, cogebat intùs manere, quoniam ne alia quidem ei vestis aderat, vt posset indutus progredi. Et ideò renuntiauit quidem se venturum, sed tamen adhuc differebat, donec vnus ex ijs qui aderant, se gerens paulò curiosiùs, cùm vni foramini oculum admouisset, & contemplatus esset id quod fiebat, & ipse repletus fuit admiratione, & effecit vt alijs vteretur huius rei testibus, dum suis cernerent oculis. Postquam itaq; id quod visum fuerat, omnes obstupefecissent, reuersi sunt, & Patriarchæ cum admiratione omnia aperuêre. Illi autem non modò venit in mentem admirari, sed potiùs eos increpare, quòd ex adeò paruis statuerint magnum iudicare Martianum, cùm liceret ex multis alijs, & quæ nullus posset alius facilè efficere, illum existimare, admirandum & beatum.

[e] S. Martiani magna paupertas.

XX. Qvanta [f] autem fuerit ex æquo omnium in hunc magnum reuerentia, populi, inquam, & Senatûs, & ipsius Imperatoris, testatur quidem fama: testantur autem etiam, qui tunc fuêre potentissimi, Aspar & Ardaburius. Qui etsi essent mala opinione præditi, & ijs qui rectè sentiebant, inimicissimi, diuinum tamen Martianum ne facilè quidem intueri poterant, insignem eius virtutem reuerentes: & ideò illi magnum honorem tribuebant, & templum magnæ Anastasiæ, quod ab illo fuerat conditum, preciosis vasis ex auro & argento factis decorauerunt. Ille autem donum remunerans, decreuit vt diebus solennibus, patria eorum lingua (Gotthi enim erant) diuinitùs inspiratæ scripturæ in eo templo legerentur. Sed Byzantinis quidem erat Martianus adeò venerandus. Vocabat autem fama eas quoque, quæ procul sitæ erant, ciuitates, & vndiquè confluebant: alij quidem percepturi peccatorum curationem, alij verò morborum: & nec deerant quidem, qui à Roma veteri veniebant. Inter quos alio quoque, quod factum est dignum memoratu, non par esse arbitror fraudare vestras aures.

[f] Est apud omnes in magna veneratione.

XXI. Qvædam [g] enim mulier laborans diuturno fluxu sanguinis adeò grauiter, vt omnis medicinæ, quòd ad eam attinebat, vanum existimaretur studium & superuacaneum. Ea, Româ relictâ, (eam enim vocabant diuina signa Martiani, quæ canebantur ab omnibus) peruénit Constantinopolim. Neque verò eam tantum iter confeciſſe pœnituit, vt quæ tanta vexatione nihil dignum consecuta sit: sed simul vt ad iustum accessit Martianum, & morbum significauit, curata est mulier. Talis enim fuit hic vir diuinus, vt nec tactu quidem sæpè, sed sola precatione & nudo aspectu liberaret eos qui accedebant, & ei exhibebant negotium. Tantus quidem fuit Martianus miraculis. Talis autem ijs quoque, quæ rectè & ex virtute gesta sunt, conuenienter diuinæ promissioni, quæ dicit: Eos qui me glorificant, glorificabo. Cuius intercessionibus nobis concedatur, illius esse bonorum participes, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia nunc & in secula seculorum, Amen.

Mobida mulier curatur ab eo.

1. Reg. 2.

VITA

AN. 1200

VITA SANCTI GVILHELMI, ARCHIEPISCOPI BITVRICEN. ORDINIS CISTERCIENSIS, PRAECIPVE QVAM GESSIT TOTO ILLO tempore, quo fuit Pontifex; scripta ab eius quodam contemporaneo, & qui satis indicet, se res compertas, & sui temporis conscribere; qui tamen quod in plerúq; verbosior esse videatur, per F. Lauren. Surium, mutato stylo, in compendium redactus est.

10. IAN. [a] Henricus Archiepisc. Bituricensis.

VM ex hac luce migrâsset felicis memoriæ [a] Henricus Bituricensis Archiepisc. qui inter nos degens, erga clerum & populum summa semper vsus est mansuetudine & humanitate: paucis post diebus Ecclesiæ illius Clerici ad eligendum idoneum successorem conuenêre: sed cùm primùm inter se nõ concordarent, tandem ex instinctu Spiritûs S. in eam pariter iêre sententiam, vt Ecclesiæ Parisien. antistitem, qui ex illorum collegio ad id erat dignitatis assumptus, accersirent, eius in Episcopo èligendo consilio & prudentia vsuri. Erat enim vir magnus, & cunctis venerabilis, consilijs prouidus, iustus ac timens Deum: cumq; erga alias Galliarum Ecclesias multa vteretur sollicitudine, æquum esse existimabant, vt matri suæ, id est, Ecclesiæ desolatæ, in qua à teneris annis fuisset enutritus, tam necessario tempore mininè deesset. Ille verò nullas nectens moras, tanquàm deuotus filius afflictæ matri omnibus quibus posset modis consulturus, vocatus mox aduenit. Itaq; vbi ad præfixum diem conuentum est iterùm ab eius Ecclesiæ clericis, post multam deliberationem, id tandem omnibus vnanimiter placuit, vt [b] ex ordine Cistercien si, cuius tum erat in Ecclesia Dei eximia sanctitas, Abbas aliquis in pontificem deligeretur. Ibi tum inter cæteros, quos morum sanctitas commendabat, crebrò nominatus est Guilhelmus, id temporis Carolíloci religiosissimus Abbas: qui postquàm arduum illud amplexus fuerat institutum, indies & perfectiora contendebat, & sicut generis nobilitate, ita vitæ sanctimonia cæteris antecellere videbatur. Tandem ex compromisso & hunc & alios, ab ipsis nominatos, ad Parisiensem Episcopum detulerunt, ex eius arbitrio proculdubiò suum antistitem habituri, quem ipse esset indicaturus: quippe qui illorum omnium mores probè cognitos haberet. Sed quia iam hora tardior erat, vir ille prudentissimus noluit in re tanti ponderis præcipitare sententiam: sed negotium omne in diem alterum distulit. Etsi autem inuitus admodum eam in se prouinciam recipit, nulla ratione recepturus, nisi schismatis certa discrimina impendére vidisset: at cessit tamen, decreuitq; ea nocte solitis vigilijs & precibus incumbere, & diuinum implorare auxilium, vt Dominus destitutæ Ecclesiæ pastorem idoneum daret. I.

[b] Ordinis Cistercien. sis sanctitas.

SEQVENTI inde die in beatissimæ Mariæ virginis templo manè sacrificium Missæ cum ingenti deuotione obtulit. Aderant verò illi duo eximiæ sanctitatis & prudentiæ viri, quorum vnus postea Turonensi, alter Meldensi Ecclesiæ præfectus est: Sub horum conspectu schedulas, quibus cerâ obsignatis Abbatum nominatorum erant inscripta nomina, sub altaris palla reposuit, penitùs ignorans, quæ cuius nomen haberet. Absoluto autem sacrificio, cum lachrymis & multo gemitu humi prostratus, orat Dominum Iesum & eius sanctissimam genitricem, vt qui solus corda nosset omnium, ostendere dignaretur, quem vellet eius Ecclesiæ pastorem constitui. Expleta oratione, nihil iam hæsitans de misericordia Dei, surrexit, & ex omnibus schedulis vnam solam apprehendens, nomen inuenit domini Guilhelmi Carolíloci Abbatis: moxque rem duobus illis socijs suis indicauit: atq; vnà cùm illis properat ad Clericos congregatos, & ipsius aduentum præstolantes. Interim rem apud se & duos illos tacitam habet, dilaturus eius propalationem, donec certiùs aliquod diuinitùs indicium apparéret. Et ecce non minima pars eorum, qui conuenerant, obuiàm illi procedit: vna voce clamitant omnes, [c] Guilhelmum Abbatem, vtpotè virum religiosum, iustum, sanctis moribus conspicuum, sacris instructum literis, illustri ortùm prosapia, reliquis omnibus debere anteferri. Ita Dominus Iesus, quem ipse iam designâsset pontificem, illorum quoque animis inspirauit. His verò auditis, & lætitia & admiratio cepit Episcopum, ita vt lachrymas tenere non posset, videns rem diuinitus geri, exclamauitque: A Domino factum est istud: simul Deum benedicens, mox properat cum illis ad reliquos paucos, qui in electionis loco permanserant: atque inde cum omnibus ad beati Stephani metropolitanam accessit Ecclesiam: vbi ante aram prostrati cum preces Domino fudissent, ex [d] omnium fratrum voluntate & consensu, ipso die S. Clementis Guilhelmus Abbas in Archiepiscopum & totius Aquitaniæ primatem eligitur. At illum quidem res tota latebat: postquàm verò illi innotuit, non est superbiâ elatus: imò verò dolere cœpit & mœstus esse, quòd à sublimi diuinarum rerum contemplatione animus ad tractanda secularia & temporalia deinceps auocandus esset. Hinc ergò gemitus, hinc ex imo pectore ducta suspiria. Sed quanto ille à tanti honoris dignitate magis abhorrebat, tanto honor ipse eum arctiùs complexus est, vt possit de illo quoque dici, quod [e] de S. Paula D. Hieronymus ait: Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. II

[c] Petitur in Episcopum Guilhelm. Abbas

[d] Eligitur ab omnib.

[e] In vita S. Paulæ.

INTEREÀ positus in deliberatione, quid potissimum sequi deberet, acciperéne tam molestum in se onus, an fugere potiùs: videt solennes ad se venire nuncios Ecclesiæ Bituricensis, obnixè rogantes, vt vocationi diuinæ obsecundet, & electioni de ipso factæ assensum præbeat. Et hi quidẽ, licèt cum veneratione multa suscepti, passi fuissent haud dubiè repulsam, nisi maior authoritas obstitisset. Accessit [f] igitur ad has preces Cistertiensis Abbatis mandatum, cui iam reluctari, nisi suæ professionis vellet esse transgressor, non poterat. Et nè posset vlla ratione effugere, addidit grauius præceptum etiam Apostolicæ sedis legatus, qui id temporis in Gallijs erat. Scripserat autem vterq; epistolam ad illum, plenam ponderis, admonentem illum, ne se diuinæ voluntati præberet refractarium: cogitaret verò quandoque reuersurum Dominum, & talenta collata repeturum cum vsuris. III.

[f] Compellitur electioni assentire.

ITA igitur ille compulsus, licèt valdè initiò reniteretur, seque indignum clamitaret, velle tandem cogitur, quod nolebat, sciens meliorẽ esse obedientiam quàm victimam. Valedicens verò fratribus, quibus præfuerat, nec sine multis lachrymis multoque cordis gemitu, singulorum se precibus commendans, recessit ab illis corpore tantùm, non animo. Porrò festinus iter habuit Bituriges: quò cùm peruenisset, à populo & Clero, illi procedente obuiàm, inprimis reuerenter acceptus est: deinde ab Episcopis ritu solenni consecratus, curam commissi sibi gregis, non vt mercenarius, sed vt verus pastor suscepit. Et ne sibi deesset, suique ipsius curam neglexisse videretur, omnes animi motus ita studuit rationis continere imperio, adeoq; omnia quæ sunt mundi huius contemnere, vt nihil in ipso reprehensione dignum animaduerti posset à subditis, quibus seipsum virtutis & sanctitatis atque bonorum operum exemplar præbere volebat: non ignorans, quòd semper componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere mentes humanas edicta valent, quàm vita Regentis. Domabat carnem, vt & anteà consueuerat: & qui cunctis animi perturbationibus & affectibus à puero bellum indixerat, nunc acriùs indicit, vt posset ex sententia dicere cum Apostolo: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobos efficiar. In opibus & copijs, in honore & dignitate eximia, quæ solent permultos euertere, pauper esse spiritu studebat: inter lautas epulas & in ciborum apparatu nouerat esurire: inter vestitos mollibus asperrimo cilicio terebat corpus, monastico retento habitu, vt [g] non tam Pontifex quàm monachus videri posset. Vestes habebat, quæ corpus tegerent, non quæ luxum & pompam præ se ferrent: neque his quicquam aut aspera hyeme adijci, aut feruente æstate detrahi siuit: pondere illarum pressus potiùs, IV.

1 Reg 15. Eccles. 4.

1. Cor 9.

[g] Nõ deponit habitũ monasticũ.

tiùs, quàm adiutus. Ab eo tempore, quo, relicto seculo, monasticum vitæ genus amplexus est, [a] nunquàm carnibus vesci voluit: licèt ob gratiam hospitum, tam ex aucupio, quàm venatione apparata fercula iuberet mensæ suæ inferri, cùm id ratio postularet. Inter mudanos strepitus & aulæ tumultus, inter litigantium rixas & controuersias, pacem pectoris ita coluit, vt etiam cum his qui oderant pacem, foris pacis studiosum se exhiberet.

[a] Nunquam vescitur carnibus.

V. Cvm sciret autem non posse eum incendere alios, qui ipse non ardeat, igne sancti Spiritûs inflammatus, subditos quoque suos accendebat sanctæ conuersationis exemplis: non modò nulla admittens illicita, sed à multis etiam licitis vltrò abstinens. Si qua autem ab alijs essent mala perpetrata, ea haud secus atque propria lugebat: vt è diuerso bonis alienis non aliter quàm suis delectari videbatur. Interioris hominis sui maculas, si quas inuenisset, lachrymis compunctionis diluebat: ita vt deindè faciliùs non modò festucas, sed etiam ingentes vitiorum trabes, ab aliorum oculis verbo sanctæ prædicationis & irreprehensibilis conuersationis exemplis amoueret. Cauebat enim, ne si proprijs scateret morbis, audiret illud sibi obijci: Medice, cura teipsum. Qui enim apud DEVM pro alijs intercessor est, non debet suis offendere culpis, quem pro alienis deprecatur. Verumenimuerò cùm sanctus Pontifex nihil sibi malè esset conscius, attamen seruum se putabat inutilem, semperque sibiipsi suspectus & pauidus, ibi etiam culpam agnoscebat, vbi non erat, clamans cum Propheta: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. *Luc. 4.* *Psal. 18.*

VI. Porro non ignorans virtutum omnium custodem fidissimam esse [b] humilitatem: tum quoque vnigenitum æterni patris filium, cùm Dominus esset omnium, non tamen venisse, vt ipsi ministraretur, sed vt ministraret, ad illius se componens exemplum, omnibus humilem & benignum sese exhibuit: quantoque maior erat ex dignitate pontificia, tanto se gerebat summissiùs, humiliabatque in omnibus, memor illius apostolicæ sententiæ, Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis. Valdè autem dabat operam, vt nec integram vitam peruersa doctrina, nec sanam doctrinam vita improba deturparet. Agebatque diligenter apud subiectos, vt ex animis eorum tribulos & spinas vitiorum extirparet, & virtutum semina insereret: sciens non ad ocium, sed ad immensum negocium à Domino se esse vocatum, cui quandoq; administratæ tam amplæ prouinciæ rationem esset exactissimam redditurus.

[b] Humilitati præcipuè studet. *Matth. 20.* *1. Petri 5.*

VII. Etsi autem ob patientiæ & humilitatis studium, quas in virtutum structura fundamenti loco posuerat, quibusdam videretur iustitiæ censuram nonnihil negligere, ab ijsque propterea temerè remissus & tepidus diceretur: at Cleri tamen & Ecclesiæ iura atque libertatem, in nullo passus est violari. Visus [c] quidem fuit indulgentior erga delinquentes: sed pius pastor sua patientia illos prouocabat ad pœnitentiam: quos si vidisset ea humanitate fieri obstinatiores, iam zelo accensus iustitiæ, ad castiganda & vindicanda flagitia commissæ potestatis gladium exerebat: nihil ea in re nec minis principum, nec tyrannorum sæuitia absterritus, nec amicorum blandis precibus fractus aut delinitus.

[c] Cur erga lapsos tuerit lenior.

VIII. Non se finebat instar Heli sacerdotis falsa superari pietate, qui quòd in corrigendis filijs esset remissior, cum illis pariter extinctus est. At tamen contemplans humanæ conditionis fragilitatem, & ex natura vitijs deprauata semper in deteriora procliues hominum animos, in alienis culpis propriam attendebat infirmitatem: sicq; seipsum considerans, libenter [d] veniam dabat peccata sua lugentibus ex vera cordis contritione: ita maternis eos fouens complexibus, vt tamen, vbi res poscceret, etiam paternæ virgæ adhiberet disciplinam: seuerus in vitia hominum, benignus erga naturam. Itaq; nec in misericordia remissus, nec in humanitate mollis & effœminatus, nec in rigore iustitiæ sæuus & crudelis, nec in pietate plùs æquo indulgens fuit, sanandis peccatorum vulneribus & vinum & oleum prudenter infundens: vt vini acrimonia vulnerum saniem abstergeret, & olei lenitas dolorem temperaret. *1. Reg. 4.* [d] Erga peccantes vt se gesserit. *Luc. 10.*

IX. Qvam [e] autem circa misericordiæ & benigitatis opera sedulus & intentus fuerit, non est silentio tegendum. Miseris & egenis præstabat alacriter eleëmosynam, sciens scriptum esse, quòd hilarem datorem diligit Deus: quosq; abiectiores nouerat, eos sua liberalitate solitus erat anteuertere ac præuenire: debiles & claudos reficere, maximè à quibus nullam expectaret beneficij compensationem, hospites & peregrinos non modo tecto recipere, sed compellere etiam vt intrarent. Eos verò duntaxat admittebat ad familiaritatem, quos sanctitatis opinio commendabat: à quibus vt magis magisq; disceret esurire & sitire iustitiam, crebris eorum collocutionibus frui volebat: illis planè à familiaritate exclusis, quos vel sciret notatos infamia, vel quibus ipsa familiaritas causa esset eius contemnendæ dignitatis & functionis. [e] Benignitas in pauperes. *2. Cor. 9.*

X. Neqve tamen quenquam non amabat in Christo: imò verò prodesse cupiebat omnibus. Nudos pro cuiusque conditione, paucis admodùm consciis, vestiebat: non ab hominibus gloriam quærens, sed mercedem expectans à Domino: Ægrotos & carceribus inclusos & visitare & consolari studuit, aduersus desperationem & impatientiam, scripturæ diuinæ sententijs & exemplis eos confirmans. Erant in ijs tertiana & quartana febre vexati, qui concepta in Deum fiducia, quòd per sancti viri preces & merita curari possent, rogabant eum, vt manu ipsis imposita, febrem discedere iuberet. At ille molestissimè ferens se sanctum vel appellari, vel existimari, eos silere iussit, & ad diuinam poscendam opem se conferre. Illis [f] autem cum ingenti gemitu in sua prece persistentibus, vt erat mitis & humilis corde, manus illis imponebat: & alij quidem quamprimùm, alij paulò post integram recepêre sanitatem. Ex ijs sanè quosdam nos vidimus bonæ existimationis viros, qui hæc nobis ita, vt diximus, gesta testarentur. Et quia vitæ sanctitas studiosè occultata, per miracula se solet prodere, libet hîc quædam sancti viri miracula commemorare, quæ per eum Dominus efficere dignatus est, dum adhuc in carne degeret.

[f] Hinc potest colligi, authorē huius historiæ res compertas scribere.

XI. Cvm [g] more solito vir sanctus diœcesin suam circumiret, & gregem sibi creditum paterna solicitudine visitaret, suumq; munus fideliter exequeretur concionando, sacros ordines conferendo, templa & aras consecrando, discordes conciliando, baptizatos sacro chrismate confirmando: puer quidam continuo capitis tremore iam menses tres & amplius agitatus: apud montem Falconis illi à parentibus offertur: quem cùm vidisset vir pius, manus illi imposuit, & intra triduum ille se sensit incolumem.

[g] Miracula eius.

XII. Capellanvs S. Germani de Podio, cuius Ecclesia duobus à nostra vrbe milliaribus abest, dimidio ferè anno sinistræ manus officio priuatus, Missas celebrare non potuit. Ea re non mediocriter ille afflictus & confusus, à medicis petijt tanti mali medicinam, sed frustrà. Tandem ad virum Dei venit, manum illi propè aridam ostendit. Susceptus ab illo benignè, hoc responsi accepit, vt humiliter peccata sua confiteretur. Abijt ille, accepta priùs sancti patris benedictione, & paulò post reddita sanitate, die tertio Missæ sacrificium obtulit. Consecrauerat quodam die vir sanctus Ecclesiam quandam, & tanto defatigatus labore, cum clericis & alijs indè reuertens, in prato consedit, paulùm ibi cibi sumptutus. Illi prato coniuncta domus erat, ex qua egressa mulier, Huberta nomine, iam partui vicina, sanctum virum alloquitur, eique cum multis suspirijs infelicitatis suæ pertexit historiam, quòd iam quartò aut quintò peperisset quidem, sed non nisi fœtum mortuum: se [h] verò eo nomine accusans, sua culpa id fieri aiebat. Cernens pius pastor calamitatem ouiculæ suæ, blandis eam verbis consolatur, simulque iubet sacerdoti sua peccata confiteri, ac deindè bono esse animo. Deniquè extensa manu benedixit illi, & de cibo ac potu suo præbuit. Vbi illa cibo sumpto confortata est, abijt, & adueniente partûs tempore, prolem saluam & incolumem enixa est, nec vnquàm posteà abortum fecit, licet crebrò deinde pepererit.

[h] Non temerè ad faciendam confessionem hortatur.

SI quos vir sanctus comperisset in Ecclesiastici iuris & libertatis iniuriam carceri mancipatos, tamdiù ante fores carceris sub dio persistebat, donec ei essent redditi illæsi. Exemplo autem Tobiæ prouocatus, non tantùm mortuos sepulturæ mandabat, sed etiam sine personarum acceptione fratrum funera prosequebatur, pauperum & peregrinorum humandis corporibus libens necessaria præbebat. Intererat autem huiusmodi tristibus spectaculis, vt indè in memoriam rediret conditionis humanæ, extremorumq; suorum, & hac cogitatione aduersus peccata se muniret. XIII.

[a] Opera misericordiæ spiritalia.

EADEM [a] autem misericordiæ opera etiam spiritaliter suis impendebat. Esurientes pane verbi Dei pascebat, sitientes aqua sapientiæ salutaris & doctrinæ cœlestis reficiebat, nudos secundùm animam, ac bonorum operum indumentis destitutos, verbis & exemplis optimis communiebat, ad charitatis studium eos prouocans, quæ est vestis nuptialis: Christum Dominum ad sui cordis hospitium inuitabat, cœlestibus cogitationibus intentus, ne quid intra ipsum, tantùm hospitem offenderet. Infirmos & in carcere detentos visitabat: vitiorum æstu tanquam quibusdam febribus exagitatos, saluberrimarum admonitionum medicamentis fouens & curans, & peccatorum nexibus constrictos & vinctos absoluens. Mortuos sepeliebat, peccata mortifera oris confessione docens explicanda. Cùm enim sponte hîc nostra in confessione peccata detegimus, id efficimus, vt in suo iudicio Christus ea tegat. XIV.

[b] Crebræ eius preces. 1. *Thes.* 5.

CREBRAS [b] ad Deum fundebat preces, idque & secretò & prolixè, sciens dictum ab Apostolo, Sine intermissione orate. Sub ipsis autem precibus & Missæ sacrificio mirabili afficiebatur gratia compunctionis. Vidisses ex oculis, tanquam ex fonte quodam indeficienti, vbertim manare lachrymas, pia quadam dulcedine & sanctæ deuotionis ardore conditas. Si quæ se animo illius voluissent peregrinæ cogitationes ingerere, cum S. Abrahamo eas abigebat, nostræ redemptionis mysteria in tanto sacrificio non sine maxima spiritûs delectatione reuoluens, nec aliter illud peragens sacrificium, quàm si Christum Dominum, coram cerneret pati & crucifigi. Erat eius animus totus in cœlis, ardenti desiderio cupiens ad illam beatam patriam pertingere: sed interim tamen non sic vni vacabat sibi, vt suarum ouium obliuisceretur. Ab illis sublimibus animi exercitijs, ab illa cœlestium sublimi contemplatione dimittebat se ad consulendum subditis suis, ad defendendos pupillos & viduas, ad subueniendum oppressis, ad tractanda multifaria negocia crediti sibi gregis. Itaq; & diuinis sic inhærebat studijs, vt curam populi sui non negligeret: sicq; vacabat suorum procurandæ saluti, vtà cœlestibus appetendis & consecrandis non auelleretur. XV.

Genes. 15.

[c] Tentationes dæmonis.

VIDENS [c] autem serpens tortuosus, antiquus nostræ salutis aduersarius, virum sanctum multiplici gratia & varijs virtutum vernare floribus, multas, easdemq; occultas, contra eum instruit machinas: modò generis nobilitatem, modò functionis excellentiam, modò ordinis Cistertiensis præstantiam, modò vitam in eodem ordine ab adolescentia innocenter transactam ob oculos illi statuens, vt tam multis vanæ gloriæ incitamentis, ad animi tumorem & fastum eum impelleret, hortaretur q; præ se alios contemnere, nec omninò sui ferre contemptum, subditis imperare seueriter, immorigeros punire atrociter, cuncta sibi licita arbitrari, plùs omnibus sibi sapere videri. At verò hostis versuti fraudes intelligens vir sanctus, doctus ad prælia spiritûs, inexpugnabili humilitatis scuto se munit, & superbi hostis callida machinamenta in illius caput retorquet, sicq; fraus in se conuersa eliditur. Nam quæ ille ad commouendam superbiam adhibuerat, vir sanctus scripturæ diuinæ & sententijs & exemplis facilè profligauit. Simul autem ad fortissimum sanctarum [d] precum præsidium confugiens, ita Dominum orabat: Domine IESV CHRISTE, qui ad te clamantes, à tua misericordia non repellis, quiq; dixisti, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. XVI.

[d] Precum fortissimũ præsidium. *Ioan.* 8.

POSTQVAM autem virulentus serpens suis se artibus nihil in sancto Episcopo profeciisse vidit, etsi turpiter pudefactum se doluit, at nec sic tamen à nocendi studio cessauit. Suggerebat animo illius, vt quos ob illorum scelera communione priuâsset, illis ex more totius Ecclesiæ Gallicanæ mulctam pecuniariam irrogaret, præter illam satisfactionem, quam pro qualitate criminum imposuerat: vt vel sic à similibus admittendis coercerentur. Nec hîc deerant viri magni nominis, qui dicerent eiusmodi pecuniam posse eum in suos vsus conuertere, aut certè, si id mâllet, pauperibus erogare. Sed hac in re vir sanctus admirabili vsus est moderatione, & discretione, vt nec Deum offenderet, cui soli placere cupiebat: nec proximis scandali materiam offerret, quos videbat non ita subitò ab hac consuetudine posse reuocari, nec æquo laturos animo, si ea pecunia priuarentur: imò potiùs hac occasione maioris quæstûs rationes & vias meditaturos in suæ salutis perniciem. Itaq; [e] media quadam incedens via, mortem patriæ nec damnare planè voluit, nec approbare: sed accepta cautione de soluenda mulcta pecuniaria, congrua satisfactione, pro criminum ratione imposita, excommunicatos clementer absoluit, gratias agens Deo, quòd rebelles filij ad sinum matris Ecclesiæ se recepissent: pecuniam verò posteà nullam ab eis accepit, licet ob incutiendum salubrem timorem, sæpiùs se accepturum minaretur. Omnes enim mundi huius opes haud secus atq; stercora aspernabatur, thesauros suos in cœlis collocans, vbi tota animi eius intentio versabatur. XVII.

[e] Vt se gesserit erga excommunicatos.

EVNDEM in modum cùm illi persuaderetur, vt in malitia obstinatos & incorrigibiles collecto exercitu debellaret, quô illis profligatis, tranquillitate & pace Ecclesia frueretur, & liberiùs diuinis officijs vacaret: quam ad rem confirmandam itidèm adducebantur patrum exempla, mos regionis à patribus institutus, à posteris obseruatus: ne quid præpropere vir sanctus ageret, ad deliberandum, Deumque obsecrandum temporis spatia accepit. Valdè enim ab effundendo abhorrebat sanguine, nec libebat militaribus accingi armis, hostilesque vastare terras, & prædas agere. Ne tamen vel ritum patriæ temerè damnare, vel Maiorum instituta explodere videretur, promisit quidem se facturum, quæ illi suasissent: sed hostes non ferro aut igni, sed spiritaliter oppugnandos suscepit. Obduratos [f] igitur & peruicaces seorsum ad se euocat, acriter obiurgat, gladio spiritûs, quod est verbum Dei, prosternit: adhibet comminationes æstuantis gehennæ, illam fornacem pice & sulphure semper arsuram ob oculos ponit: & ne parùm efficax sit sermo, assiduis & quotidianis se macerat ieiunijs, orationibus & vigilijs, vt Deus illorum duritiam emolliat. Nec est spe frustratus sua, non sine stupore & admiratione multorum, subitò ex lupis agni, ex persecutoribus amici, ex alienis amici & familiares fiunt: & quibus antea contemptibilis & vilis habebatur, iam non modò Archiepiscopum, sed sanctum vocant Archiepiscopum: parent subditi suo pastori, ad votum celeriter iussa capessunt. Si qui autem necdùm obtemperare volunt, ab alijs non alio, quàm ethnicorum & publicanorum, loco habentur. Felices putantur, quibus imperare dignatur, quibus obuiàm procedentibus benè precatur, quibus vel fimbriam vestimenti eius contigerit attigisse. Sancta [g] conuersatio eius omnium animos conciliabat, præsertim quod ex signis haud obscuris animaduerterent eum esse apud seipsum humilem, quòd meritò deberent imitari: nec deesse illi authoritatem, quam non immeritò formidarent. XIIX.

[f] Prefractos & obstinatos vt correxerit. *Ephes.* 6.

[g] Humilitas eius omnes illi cõciliat.

IN [h] ipsis sanè pontificatûs sui initijs multas persecutiones & infestationes pertulit: quibus etsi fortasse concuti potuit, deijci tamen aut euerti nequaquàm potuit. Regem Francorum, alioqui Christianissimum, ob causas quasdam, quæ in Ecclesiastici iuris detrimentum cederent, diù iratum patienter sustinuit. Non deerant æmuli, qui regis ex ignorantia peccantis iram, admotis facibus, magis magisque inflammarent. Videre tum licuit multos ex ijs, qui sereno tempore amici putabantur, inimicorum induisse animos, & quidem regni optimates. Erant & satrapæ regis, XIX.

[h] Persecutiones patitur.

plùs

plùs homini quàm Deo placere appetentes, qui improbis sermonibus hortarentur eum, vt regem iniustè, vt mentiebantur, offensum sibi reconciliaret: quòd si cũctaretur, se illius facultates minarentur in fiscum regium redacturos, & illum tanquàm læsæ maiestatis reum, proscripturos. Sed Ecclesiæ columna nec blanditijs eneruatur, nec terroribus concutitur, sciens, Deo magis oportere, quàm hominibus, obedire. *Actor. 5.*

XX. EXTITERVNT autem, suâ zizania seminante omnis dissensionis satore diabolo, etiam discordiæ grauissimæ inter ipsum & clericos metropolitanæ Ecclesiæ, adeò vt quidam ex illis, non leuibus eum contumelijs & probris afficerent: quorum sanè ille furori cedere mâluit, quàm maledictum reddere maledictis, & liti atq; contentioni inseruire. Verùm omnipotens Deus quorundam bonorum virorum opera & intercessione, & regem pontifici, & filios patri conciliauit, omni illa tempestate sedata. Sanctus autem pontifex ex vtraque hac infestatione creuit existimatione & gloria, vbi robustæ mentis eius constantia & præclara apud Deum merita, quæ priùs homines latuerant, sese declarare cœperunt. Rex enim auditis sanctitatis eius testimonijs, suo illum fauore complexus est: & clerici puncti pœnitentia, patrem suum & amare ardentiùs, & maiori prosequi reuerentia student. Ille è diuerso rebelles priùs filios ampliùs & veneratur & diligit, & alijs, qui nunquàm eum offenderant, etiam præfert & anteponit. Nulla[a] postmodùm in illa Ecclesia extitit rebellio, omnia pro suo arbitratu statuit: cuius rei nos testes sumus oculati. Tam enim certis indicijs plenum eum esse Spiritu sancto crebrò comperimus, vt aliquid illi statuere volenti si quis eo absente resistere deliberâsset, illo præsente non posset: imò verò, quod plus habet stuporis & admirationis, votis omnium non sine miraculo in id consentientibus, vt ius conferendi sacerdotia, quæ vulgò Præbendas vocant, in illum, & eius gratia in successores illius transferrent, quod anteà semper ad totum illorum collegium pertinuerat: ille hoc præsentiens ad Ecclesiæ damnum quandoque cessurum, sponte & liberaliter hanc oblatam donationem nullo pacto admittere voluit.

[a] Vides hinc quoque authorem huius historiæ res cognitas scribere.

XXI. INTERIM[b] verò ne deesset sancto viro satan suus, qui eius patientiam exerceret, erat quidam vir dolosus, qui sicut eius antecessores, ita & illum pertinaci odio infestabat. Cernens enim sanctum Episcopum mansuetum, modestum, simplicem, confidentiùs iura Ecclesiæ violare tentauit, & toto malignitatis spiritu debacchari in hominem Dei. At ille hominis versuti fraudes non ignorans, columbæ simplicitatem serpentis prudentia temperat, minimeq; patitur ab impio Ecclesiam ipsi creditam opprimi: sed opponens se murum pro domo Israel, quantùm exigere iustitia videbatur, cousq; humiliter restitit illi persecutori, donec ex hac luce migraret.

[b] Defendit Ecclesiæ iura.

XXII. EXTITIT[c] autem alia quædam longè grauior persecutionum procella, & pugnandi magna necessitas, vt victori suæ gloria & præmia cumularentur. Eo namq; tempore in Aquitania, in extremi regis finibus hæretici Ecclesiam Dei adeò exagitârunt, vt penè mergi videretur. Soluebatur ab illis Catholicæ fidei vnitas, & iam in eam euaserant multitudinem, vt instar locustarum operirent terræ superficiem, non occultantes, sed palàm prædicantes perfidiam suam. Cumq; scripturæ diuinæ sententias prauè interpretarentur, vinum sibi vertebant in venenum, & ex lumine sibi faciebant materiam cæcitatis. Iactabant miseri licere ipsis omnia, sectatoribus suis impunitatem promittebant flagitiorum, cæci duces cæcorum. Ea autem proposita impunitate, facilè homines, alioqui nimium in vitia procliues, sibi alliciebant plurimos. Vtq; apud vulgus imperitum scientiæ sibi existimationem pararent, summoperè in eam curam incumbebant, vt ab alijs rectè intellecta corrumperent, & prauas suas opiniones falsis assertionibus communirent. Iam cultus diuinus illis locis maxima ex parte erat abolitus, & templa haud secùs atq; iumentorum stabula vilescebant, dum nemo parietes ruinam minitantes instauraret, & brutis animantibus in ea pateret aditus, quæ locum baptisterij & altaria tua Domine contaminabant: atq; etiam sordes & immunditiæ in conspectu introeuntium hominum ante fores iactarentur, vt polluerent sanctuarium Dei.

[c] Hæretici grassantur in Aquitania.

XXIII AD horum indoctam doctrinam confutandam, sanandamq; insaniam, missi sunt à sanctissimo Pontifice Innocentio viri religiosi Cistertiensis Ordinis, multa sanctitate conspicui: qui cùm eò venissent, cum magna humilitate verbum Dei seminaturi, inuenerunt terram prorsus sterilem & inutilem: planeq; derisi sunt & contempti ab illis superbis hæreticis, nec fructum apud illos facere potuerunt. Ea re comperta, & animo & corpore à deploratis hominibus recesserunt, excusso in illos puluere pedem suorum. Verùm nè modicum fermentum totam massam paulatim corrumperet, visum est summo Pontifici, vt funestæ arbores, non nisi acerbos & exitiosos ferentes fructus, nè latiùs suos propagarent ramos, radicitus succiderentur. Mittit[d] igitur literas ad prouincias omnes, vt arma capessant ad edomandam hæreticorum peruicaciam, abolendumque eorum nomen in terris, quorum iam nomina de libro vitæ deleta erant. Dignum enim erat, vt qui à capite CHRISTO se separauerant contumaciter & obstinatè, nec vllis admonitionibus ab errore poterant reuocari, meritas pœnas luerent. Pontificis acceptis literis, omnium animi accensi sunt ad capiendas & profligandas vulpeculas, vineam DOMINI Sabaoth demolientes. In ijs autem facilè primus fuit beatissimus Primâs noster Guilhelmus, qui non sine lachrymis multis magnoque animi mœrore, lectis publicè sanctissimi Pontificis literis, instar Phinees zelo inflammatus est, crucemque vesti assuens, eam voluit virtutem suarum quasi coronidem vel consummationem relinquere, vt Ecclesiasticæ vnitatis perturbatoribus eliminatis, pacem Ecclesiæ restitueret. Etsi autem esset imbecillis corpore, non tamen illi deerat animi constantia & fortitudo: nec tam erat senio fractus, quàm ieiunio assiduisq; vigilijs confectus. Igitur conuocatis subditis suis, exponit illis Christi Saluatoris beneficia, humano generi collata, crucis[e] mysteria explicat: in ea sola eos gloriari docet, & vt se gratos declarent, hortatur vt cruce se signari sinant contra crucis irrisores: profert illam Christi sententiam: Si quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat caucem suam, & sequatur me. His alijsq; eius sermonibus egregiè animati, pollicetur se quocunq; intendere velit iter, illum alacriter secuturos. Et illi quidem promissis stetêre suis: at sanctus Episcopus priùs è viuis excessit, quàm posset voto suo satisfacere. At nec sic tamen putandus est sacræ militiæ non interfuisse. Cùm enim in Domini exercitu Abbas Cistertiensis dux & præceptor esset constitutus, sub cuius ille magisterio in habitu monastico diù Christo militauerat, quonam pacto in re tanti momenti illum deserere potuit? Etsi igitur corpore absens, sed præsens erat spiritu. Nam visi sunt multis militiæ cœlestis exercitus, præcedente crucis signo, quo etiam illi signati erant. Hinc[f] illa insignis victoria Christianorum Catholicorum, qui illos impios mirabiliter debellârunt, neque ætati parcentes, neq; sexui. Capta est velut momento temporis populosa vrbs, quam Biteres vocant, quæ iam non exigua scelera meditabatur, sed in id vsq; amentiæ prorupit, vt magnam sibi videretur assumpsisse religionem, quòd nullam respuisset falsitatem. Inter vbera matrum paruuli quoq; cæsi sunt, & neq; Ecclesiæ, neq; monasteria tueri eos poterant, qui Ecclesiæ sciderant vnitatem. Indè itum est Carcassonẽ munitissimam vrbem, ex eaq; perfidi omnes eiecti sunt. Tandem etiam terræ princeps comprehensus est, genere quidem spectabilis, sed moribus ac religione degener, qui illam hominum fæcem susceperat fouendam atq; tuendam. Detentus autem est in vinculis, donec miserandum in modum spiritum exhalauit. Contritis igitur & exterminatis impijs, expiantur altaria, extruuntur templa, Ecclesiæ dirutæ instaurantur: in ijsque constituuntur sacerdotes, diaconi & clerici, qui diuina celebrent officia, cultumq; diuinum reparent.

[d] Literæ Põtificis cõtra hæreticos.

[e] Cruce signati contra crucis irrisores. *Luca 9.*

[f] Hæretici à Catholicis profligantur.

XXIV SED vt ad narrationis ordinem reuertamur, cum beatus Guilhelmus audiuisset migrasse ex hoc seculo venerabiles antistites, Turonensem & Parisiensem, valdè quidem contristatus est, & planxit planctu magno. Erant enim illi quasi

[g] Obitus Episcoporũ Turonen. & Parisien.

quasi duæ oliuæ speciosæ & fructiferæ in domo Dei, & velut lucernæ supremo ardentes lumine, quas verus Oriens miserat ad Occidentis regiones illustrandas. Expectabant autem mox ipsos secuturum Bituricensem Pontificem, vt qui in vita se eximiè dilexerant, in morte quoq; non separarentur. Fuerat enim inter illos syncera quædam familiaritas, & cùm se animi causa inuicem inuiserent, de his, quæ ad animarum & ecclesiarum ipsis commissarum curam, administrationem & salutem pertinerent, inter se secretò conferebant, suaq; inter se arcana sibi mutuò communicabant. Illis igitur vita functis, paucis mensibus noster Episcopus superuixit. Cupiebat enim dissolui, & esse cum Christo, & licet obitûs sui diem ex diuina reuelatione præsciret, tamen longa illi omnis mora videbatur. Interea sic vixit in carne, vt quasi carnis sarcinam exuisse videretur: adeò iam consumptis carnibus, pellis ossibus adhærebat, & artus admodùm confecti atque extenuati visebantur, nec tamen cessabat exigere à carne, vt spiritui seruiret. Porrò cùm non parùm vereretur, ne post ipsius obitum gregem suum lupus rapax ceu pastore orbatum dissiparet & discerperet, valdè cœpit animi esse dubius, quid potissimùm eligeret. Nam nec à beata illa supernorum ciuium iucundissima societate diutiùs esse, nec gregem volebat desolatum relinquere: sed inter hæc totum se diuinæ permisit prouidentiæ & voluntati.

Philip.2.

XXV. IAM Saluatoris natalem diem, Circumcisionem quoque sanctus præsul cum fideli populo solenniter celebrauerat: porrò pridiè Epiphaniæ Domini sentiens adesse tempus migrationis suæ ab hoc exilio ad patriam diù concupitam, [a] populi multitudine cõgregata in Ecclesia protomartyris Stephani, cœpit ad illos concionari, vti sæpiùs consueuerat: nec ab hoc officio, neque à laudibus Dei se retrahi passus est febre acutissima, qua tunc laborabat. Nam etsi vi morbi corporis vires tabescerent, at spiritu roborabatur, vt posset dicere cum Apostolo: Cùm infirmor, tunc potens sum. Interioris enim hominis vires ipsa firmat corporis infirmitas. Sumpserat autem sibi Thematis loco illud Apostolicum, Hora est iam nos de somno surgere, &c. Nimirùm pastor bonus iam propediem discessurus ab ouibus suis, exhortabatur ad vigilandum, ne intrarent in tentationem: & ne improuisa illis subreperet mors, admonebat vt semper essent parati, & id genus alia multa, tanquam vltimum Vale illis dicens, proponebat. Sermone absoluto, & data populo benedictione, ex imbecillo imbecillior factus abscessit. Sæuiebat tum solito acriùs hyemis frigus, & ille nihilo minùs caput habebat nudum, membris febrili languore fatiscentibus. Locus enim ille, in quo sermonem habuit ad populum, omni ex parte vento erat expositus, quod sic affecto corpori non potuit non esse incommodissimum. Et tamen perindè ac si opus non haberet, nullius poscebat auxilium, & sine adminiculo domum reuertebatur. Creuit indies febris, & sanctum Pontificem egregiè exercuit. Deindè quinto Idus Ianuarij, cùm iam omnibus ritè peractis, etiam testamentum, multis assistentibus religiosis & prudentibus viris, condidisset, fratribus conuocatis, extremæ [b] Vnctionis Sacramentum humiliter ac deuotè percepit: eo percepto, etiam sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissimè postulauit, vt tanto itineris duce munitus, posset securus hostium cuneos penetrare. Vt autem Dominum Creatorem suum ad se venisse cognouit, ilicò resumptis viribus, de stratu prosiliens, tanq̃ iam febris omnis abscessisset, non sine stupore circumstantium, maximè quòd iam ferè in supremo spiritu positus videretur, & vix aliquid liquoris posset in os admittere, concito gradu procedit obuiàm suo Saluatori, vires certè subministrante charitate, flexisq; genibus, totus lachrymis diffluens, illum adorat: vtq; sæpiùs genua possit flectere, crebrò prostratus erigitur, illiq; suum agonem tota deuotione commendat, orans, vt quicquid purgandum supereſt, ipse purgare dignetur, ne quid funestum in ipso possit inuenire inimicus.

[a] Concionatur ad populum.

[b] Extremã vnctionem accipit. Item Eucharistiam. Nota reuerentiam.

XXVI. FVERAT [c] autem biduò ferè maxima ex parte loquendi priuatus facultate, ita vt extremas vocum partes tantummodò exprimeret, quas nos coram positi ægrè possemus intelligere: sed interim tamen nutibus & signis euidentibus declarabat, integram ipsi semper permanere memoriam. Porrò coram Domino sic prostratus, prolixè orauit, sed eius verba ad plenum intelligi non poterant, linguæ, vt diximus, impedimento obstante. Deinde expassis in crucis formam manibus, & oculis in cœlum sublatis, carnem Saluatoris non sine lachrymis, corde contrito & humili, manducauit. Hoc facto, lætior effectus, confortatur in Domino, sciens se fortissimum in illo supremo certamine habere adiutorem, ducem itineris, præmij largitorem. Mox ad stratum rediens, subleuantium illum manibus adiutus, cùm paululùm respirâsset, cœpit nutibus indicare, velle se vt corpus ipsius defuncti apud Carolilocum humaretur. Illi enim monasterio diù præfuerat, nec immeritò locum illum præ cæteris amare visus est. Aderant autem etiam illi morienti aliquot eius monasterij fratres, nec deerant, qui putarent, illis petentibus, hoc illum ita constituisse.

[c] Hic iterum author satis se prodit certasse ri bere.

XXVII. VERVM initiò ab omnibus ibi coràm positis reclamatum est, ita dicentibus: Absit à nobis, pater sancte, vt corpus tuum nostræ Ecclesiæ subtrahi patiamur. Corporis tui præsentia carere nolumus, quæ nobis boni pastoris memoriam iugiter refricabit. Obnixè oramus, vt sicut hactenùs plebem tuam ab imminentibus malis protexisti viuus, ita tuearis & vita functus: quosque in vita varijs malorum casibus sæpè eripuisti, etiam sepultus apud nos, tuis meritis & precibus eripere digneris. Ille verò nulla ratione se passus est à sententia deduci, sed cum lachrymis obsecrabat, vt quod cuiuis catholico licet, liceret etiam ipsi, nempè sepulturæ locum sibi deligere. Cedunt igitur qui aderant, & ne patrem affligerent, coguntur velle quod nolunt. Sacrilegum enim putabant, ea præsertim hora, eius supremæ resistere voluntati. Ea re ab inuitis impetrata, omnes [d] osculatus est, nutibus orans, vt pro ipso Domino deprecarentur, & ceu filij pacis pacem inter se amarent & colerent. Illi verò omnes se eius precibus commendabant, & cùm vicissim petissent omnium, si quæ intercessissent, offensionum veniam, veriti ne multorum præsentia illi esset onerosa, accepta ab eo benedictione & licentia discedendi, non sine lachrymis domum abierunt. Manserunt autem apud illum pauci familiares & domestici, secretorumq; eius consci. At ille nihil à morbo impeditus, vt [e] erat semper orationi intentus, totus in Dei opere versabatur. Labia diuinis assueta laudibus, sine intermissione moueri ad preces videbantur: & vt sanus consueuerat, temporibus & horis congruis diuina coram se officia celebrari voluit, & quos ore promere non poterat psalmos, patulis auscultare auribus, & animo altiùs affigere studebat. Ita omni tempore aut vacabat precibus, aut raptus in spiritu, cœlestia contemplabatur: nec iam de præmio hæsitabat, qui se angelicorum spirituum visionibus sentiebat confirmari.

[d] Osculatur omnes & petit veniam si quem offenderit.

[e] Perpetuò orat.

XXVIII. NOCTE verò subsequente (solet autem nox exaggerare vim morbi) vir sanctus acrioribus cœpit vrgeri doloribus: & iam præsentiens extremam ferè adesse horam, iussit sub adspectum suum è scrinijs proferri vestes pontificales. Ex ijs quasdam minoris precij ad se adduci voluit, quibus etiam tunc vsus fuerat, quando est consecratus antistes: quas immutabili animi proposito ad suam sepulturam diligenter curârat asseruari. Eas verò omnes cuidam è suis familiaribus, cuius fidem habebat exploratam, ad breue tempus seorsum seruandas tradidit.

XXIX. SOLITVS erat vir sanctus circa noctis medium surgere ad preces nocturnas, hymnos, psalmos, & alia à sanctis patribus instituta, cum omni deuotione, & qua par erat solennitate decantare, illud obseruans propheticum, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ijs verò omnibus ritè peractis, inuictum ab oratione spiritum non relaxans, nunquàm dabat membra sopori, nunq̃ defatigata sinebat quietem capere: sed tamdiù manebat in oratione prostratus, donec illucesceret dies. Sed nunc morbo magis magisque inualescente, cùm statutum tempus expectare non posset, quo, vt diximus, ad [f] persoluendas noctis preces surgere solebat: ne illis nondùm absolutis hinc fortassis abscederet, horam solitam voluit anteuertere, ne mors ipsum anteuerteret. Signo itaque dato ijs, qui ipsi aderant fratribus,

Psal. 118.

[f] Præuenit nocturnas preces iam moriturus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tribus, vt laudes Domini inchoarent, ipse prior labijs & pectori suo signo crucis impresso, hæc duo verba, Domine labia, vtcunque pronuncians, reliqua formare non potuit.

XXX. Illi autem mente eius perspecta, finem illius impendere, ex precum anticipatione verisimilibus coniecturis dicerunt. Itaq; vnus ex ijs sacerdos religiosus, admodum illi familiaris, à memoratis verbis preces auspicatus est, & cætera omnia, quæ sequuntur, alijs adiuuantibus debito ordine ad finem vsque perduxit, viro sancto mente easdem preces persoluente. Quibus completis, voce & manu significauit, se velle [a] in terram deponi. Parent illi iussis eius: & quia non decet Christianum nisi [b] in cinere & cilicio mori, in sparsos humi cineres eum deponunt, cilicio semper indutum, licèt pauci admodum eius rei essent consci: quod etiam nunquam sibi passus est ab aliquo detrahi. Cumque [c] paulò spatio temporis sic iacuisset, benedicens fratribus, spiritum suo reddidit conditori.

[a] Vult deponi in terram.
[b] Perpetuò vtitur cilicio.
[c] Moritur.

XXXI. Avdito autem pijssimi patris obitu, vniuersa ciuitas commota est: passim omnis ætas & vterque sexus cum cereis & luminaribus properant ad Ecclesiam beati protomartyris Stephani, quo corpus exanime cum hymnis & canticis psallentium deferebatur. Videre illic multos licebat, qui nullam viuo reuerentiam præstare voluerant: & eam nunc defuncto exhibent, seque hominem sanctum aliquando contempsisse, aut dictis vel factis afflixisse, ducti pœnitentia, palàm lugere non erubescunt, & ad sanctum corpus prostrati, adorare non desinunt. Denique tota illa nox ab alijs in psalmis & iubilo, ab alijs in planctu & mœrore exacta est. Illucescente altera die, sparso iam circumquaque rumore de morte sancti viri, ex locis vicinis multitudo populi haud aliter atque ad festum confluxit diem, domus & tuguria custode vacua relinquuntur. Vidisses ibi fœminas, dum se verentur ad pij patris exequias tardiùs venturas, relinquere in cunis vagientes paruulos, & non obseratis domorum foribus, properare ad funus. At eædem, cùm quid egissent, & quo in periculo paruulos reliquissent, secum posteà perpenderent, consternatæ animis, quòd metuerent ne infantes â feris beluis deuorarentur, cum multo ciulatu accedentes ad corpus sancti pontificis, illi suas proles commendabant: quas deindè, domum reuersæ, non sine magna admiratione saluas repererunt: sicut etiam illi, qui ostijs apertis, præ sancti patris amore, discesserant properè ad exequias, postquàm domum redière, nullum penitùs alicuius detrimentum se passos admirati sunt. Diem autem illum omnes habuêre festiuum & solemnem, nec vllo admonente, omnes ab omni seruili opere spontè abstinebant. Erat sanè & iucundum & admiratione dignum spectaculum, videre omnis generis & ætatis homines ad sanctum corpus vndique confluere, vt [d] vultum intueantur angelicum, & manus ac pedes deosculentur: quos tamen semel exosculari non fuit satis, sed crebrò reuertebantur, vt oscula denuò infigerent.

[d] Vultus angelicus defuncti.

XXXII Eodem autem die circa horam vespertinam, cùm vniuersus clerus & populus ad celebrandas pastoris sui exequias conuenisset, quasi [e] globus igneus in aëre suspensus, suprà sancti protomartyris Stephani Ecclesiam instar stellæ coruscantis apparuit: quem non solùm illi qui aderant, sed etiam nonnulli aliundè ad nostram vrbem properantes, dimidiæ ferè horæ spatio se vidisse, cunctis admirantibus, nunciabant. Interim parabatur cum multa festinatione feretrum, quo sacrum corpus ad Carolilocum, quemadmodum sanctus vir decreuerat, deportaretur, populo hanc eius voluntatem adhuc penitùs ignorante. At postquàm rei veritas innotuit, subitò commoti sunt vniuersi: & sole iam ad occasum inclinante, omnes vnanimiter statuerunt, vt omni studio, adhibitis custodibus, valuas & omnes aditus templi etiam armata manu obseruarent, ne quis sacrum corpus per vim posset auferre: neque illorum pars minima intra Ecclesiæ parietes tota illa nocte egêre excubias. Manè autem alterius, id est, Dominicæ diei, iuxta altare sancti Martyris humo altiùs effossa, & omnibus ad sepulturam necessarijs celeriter præparatis, ne quod posset impedimentum incidere, sanctum corpus etiam ante sacra Missarum solennia sepulturæ mandare constituerant. Verùm ille moderator & rerum & temporum, qui serui sui gloriam nulla ex parte minui, sed augeri potiùs voluit, nihil absq; ratione & ordine fieri permisit.

[e] Globus igneus videtur.

XXXIII. Celebrato [f] igitur priùs Missæ solenni sacrificio, stabant seorsum fratres Carolíloci, animi dubij, quid agerent: & neque propiùs audent accedere, neque vt supremæ sancti patris voluntati fiat satis, postulare. Iam enim turbæ conspiraverant, vt si alienæ manus auferendo sancto corpori admouerentur, aut si qui aduenæ vel ignoti illud apprehendere conarentur, repentè trucidarentur. Et quidem ex senioribus & maioribus Ecclesiæ nonnulli, ne fidem datam sancto Episcopo infringerent, liberam illis fratribus tollendi corporis fecêre potestatem: sed id eò & libentiùs & liberiùs, quòd satis scirent ne seipsos quidem, etiamsi vellent, cæteris fratribus Ecclesiæ illius non consentientibus, & turbis renitentibus, sacrum corpus indè posse amouere. Ita ergò fratres Carolíloci videntes se nihil posse proficere, Cleri & populi mirantur deuotionem: ceduntque turbis, spe & expectatione sua frustrati, præsertim cùm ipsis præsentibus cum honore debito sacrum corpus beatissimi viri sepulturæ traderetur.

[f] Turbæ pertinacia in asseruando sacro corpore.

XXXIV Nec [g] defuerunt miracula, quæ illius sanctitati illustre redderent testimonium. Nam eo ipso die per merita illius, necdum humato eius corpore, inter cætera insigne quoddam contigit miraculum, quòd noluimus silentio præterire. Puer quidam non omninò decem annorum, toto curuatus corpore, cœlum intueri non potuit, sed prono semper vultu terram spectabat. Iam triennio id incommodi pertulerat, manuum ac pedum officio penitùs destitutus. Cibus aliena manu eius ori inferebatur, & ad naturæ necessaria à matre portabatur, quæ sic languente filiolo suo ipsa pariter languebat, eiusque afflictione acriùs affligebatur. Vt autem percepit hic puer sanctum Episcopum è corpore excessisse, multa instantia obsecrat matrem, vt ipsum perferre non grauetur ad Ecclesiam, quò possit sancti patris corpus exosculari. Acquiescit tandem mater eius crebrò repetitis precibus, eumque suis complexa vlnis, difficulter in templum inferre potuit præ turba. Vt autem propiùs accessit, constanti animo prostrauit se cum paruulo suo coram sacro corpore, & ambo osculati sunt eius manus & pedes. Ea ipsa hora audit mater quasi fragorem quendam & commotionem ostium filij sui, quæ (vt ipsa testabatur) potuisset etiam audiri à multis, si non obstitisset circumstantis populi strepitus & tumultus. Redit mater cum illa sua sibi multùm chara sarcinula, & cùm iam procul à turba recessisset, exclamat filius, & dicit: Sine me, mater, meis ingredi pedibus: eccè enim per merita sancti Episcopi sentio me redditum sanitati.

[g] Miracula.

XXXV. Qvibvs auditis, mater illum deponit, & consolidatæ sunt bases eius & plantæ, & sine vllo adminiculo, cunctis admirantibus, iter capessit. Stupet mater, stupent vicini omnes, qui nouerant puerum triennio tam malè affectum fuisse. Timens autem mater puero ob recentem adhuc curationem, nisi ad Ecclesiam reuersa, gratias ageret omnipotenti Deo, & eius glorioßissimo confessori Guilhelmo, illuc redire statuit post turbæ discessum. Sed dum illa expectat, & miranda Dei opera secum admiratur, ecce Dominus volens clarificare sanctum suum, ad eius tumulum cæteruatim confluentibus populis, antiqua potentiæ suæ innouat miracula, signis alijs alia succedunt. Igitur nolens expectare diutiùs, apprehensa manu pueri, non obstante populi concursu, ad Ecclesiam properat, & cum alijs sanitati restitutis, atq; ea causa gratias agentibus, ipsa quoque pro filij sui salute gratias agit totius gratiæ largitori.

XXXVI Eodem [h] Dominico die, cùm turbæ recessissent, multi & nostræ vrbis homines, & locis finitimis degentes, varijs afflicti morbis, qui præ populi frequentia ingredi anteà non poterant, humiliter ac deuotè ad sancti tumulum accesserunt, sperantes in eo, qui sanat contritos corde, vt per eiusdem beati patris merita, optata potirentur sospitate. Sed quia nimis longum est, imò impossibile, non ea modò, quæ ad sancti viri sepulchrum, sed etiam in diuersis regio-

[h] Multi varijs affecti morbis, curantur.

nibus ad eius inuocationē quotidiè eduntur miracula, singulatim cōmemorare, dicemus in summa duntaxat: nempè, videre cæcos, claudos ingredi, hydropicos curari, surdos audiri, loqui mutos, dæmoniacos liberari, aperiri carceres, vincula solui, sanari læthaliter saucios, mortuos ad vitam reuocari: atq; adeò etiam bruta animantia, non vno morbo liberari: multos iam penè desperatione obrutos, ad sancti patris recordationem mirificè releuari: deniq; quacunque vel ægritudine correptos, vel periculo expositos, à malis omnibus eius intercessionibus ereptos, sentire præsentem virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

AN. 460.

VITA S. P. N. THEODOSII COENOBIARCHÆ EX SIMEONE METAPHRASTE, PER CYRILLVM NOBILEM HISTORICVM PALAESTINUM, vt coniecit Baronius, fideliter conscripta. Est hic diuersus ab eo, qui eodem seculo sub Marciano Augusto in Palæstina vixit, Eutychiana hæresi infectus, vt idem testatur Baron.

IAN. 11.

I. INTER tempora quidem ver est iucundissimum, inter stellas autem sol est pulcherrimus: inter vitas autem optima quoq; est vita magni Theodosij. Theodosij, inquam, qui nomen non solùm esse nomen ostendit, sed id ad rerum perduxit veritatem, vt qui verè conspectus sit hominibus θεοῦ δῶρος, id est, donum Dei, & vniuersæ vitæ, qui virtutis amore tenetur, exemplar commune. Qua quidem de causa eum iustius fuerit nuncupare Cœnobiarcham, quàm quòd cœnobio præfuerit. Nam hoc quidem est magis eius proprium: alterū verò, multorum quoq; aliorum: & hoc quidem ostendit imperij beatitudinem, sicut re vera fuit: alterum autē finem habet incertum, & nondum manifestum euentum. Is autem quisnam fuerit ab initio, & ex quibusnam ortus sit parentibus, & quemadmodum ad spiritalia aggressus sit certamina, priùs oportet persequi: deindè verò dicere de eius monasterio, quod ab omni lingua communiter decantatur, & de alijs rebus illius dicere pro viribus, nec aures grauando immoderata oratione, neq; rursus nimia breuitate in ijs quæ sunt opportuna, dando damnum egregijs animis.

[a] Theodosij patria.

II. BEATVM [a] Theodosium tulit quidam vicus, nomine Magariassus, situs in regione Cappadocum: qui tunc quidem erat multis ignotus & obscurus: nunc autem ferè omnibus propter ipsum cognitus. Oportebat enim eum esse potiùs causam splendoris patriæ & parentibus, quàm illa vitæ Theodosij decus afferre & gloriam. Erant [b] autem ei parentes & vero Dei cultu religiosi, moribusq; pij & Deo grati: qui vel ex ipsis nominibus bonam vitam & mores ingenuos optimè significabant. Vocabatur enim pater quidem Proæresius: Eulogia autem, quæ eum genuerat. Quæ quidem [c] posteà quoque vitam amplexa monasticam, vt quæ boni huius instituti occasionem inuenisset ex bona vita filij charissimi, eum patrem habuit spiritalem, cuius ipse fuerat mater secundùm carnem: pro carnali generatione rectè accipiens spiritalem regenerationem. Etsi difficilè est filio, dignas gratias referre parentibus, qui vt sit, sunt authores: cur non hic quoq, est superior, qui fuit causa matri, vt benè esset?

[b] Parentes.

[c] Mater ei fit monacha.

[d] A puero quibus deditus fuerit

III. EX his ergò ille ortus, generosa & beata planta, piè ac religiosè nutritur & augetur, simul in corporea & spiritali ætate, & quomodo omninò oportebat eum qui ex talibus quidem esset natus, & talis quoq; esset euasurus. Cùm [d] autem eam iam attingeret ætatem, quæ prouidet & discernit, statim ostendit, ad quænam esset eius propensus animus, non amans pecunias, non corpora, quæ quidem sunt exultationes & germina non generosæ & non rectè eductæ iuuentutis: tanquam equi, qui fræno minimè assueuit, & terræ, cui non obtigêre manus & labores agricolæ: sed vitæ philosophicæ amorem parturiens, & loca sancta videre cupiens, in quibus omnium opifex & Deus, toti mundo salutares sustinuit passiones, has ipsas Christi vtiquè reueritus passiones, si illas ipse tam parui faceret, vt propter corporis laborem cedens ocio ac socordiæ, ad sancta illa loca non veniret: præterea autem volens etiam accipere solitudinem, adiutricem egregiam ad philosophiam, & amplecti vitam planè solitariam & quietam. Non enim cupiebat nomen, quod eam, quæ est in rebus, mentitur veritatem. Quænam autem fuerit ei occasio huius peregrinationis, vultiam persequi oratio.

[e] Lectoris fingitur officio. *Genes. 12. Marci 19.*

IV. DEXTER erat ad diuinas legendas scripturas præclarus Theodosius, si vllus alius. Lubenter enim audiebatur, non solùm quòd hac in re pulchrè esset eruditus: sed etiam, quòd acre inijceret omnibus desiderium, & ex morum moderatione & verecundia, qua nihil aliud magis decet iuuenes. Propterea ergò ei mandatum fuerat, vt [e] sacros libros legeret populo. Quos quidem concinnè & numerosè legens, cùm aliquando quidem Deum Abraham præcipientem, vt exiret è terra & cognatione: aliquando autem & patriæ derelictionem, & domûs, & parentum, & fratrum, quæ fit propter ipsum, ijs qui sic fecerunt, esse causam vitæ æternæ. Hæc legens, & ea quæ sunt his similia, & in mentis sinus immittens, ita vt par erat, accendebatur animo, & sequendi Christum magno tenebatur desiderio, per viam angustam & asperam. Cumq; has assiduè versaret animo cogitationes, preces fundit, quæ vitæ pulcherrimæ fuêre proœmium: Deduc me Domine, dicens, in via tua, & ambulabo in veritate tua. Deindè diligenti studio init viam, quæ ducit Hierosolymā: illo quidem tempore, quo Martianus Imperator erat in vitæ occasu: Chalcedonensis autem Synodus (eam autem esse quartam & sanctam cognoscimus) congregabatur aduersus * Nestorium & alios hæreticos.

Psal. 85.

**Eutychen.*

[f] Simeonē Styliten inuisit.

V. CVM autem iam venisset Antiochiam omni ex parte bonus Theodosius, non statuit oportere eam transire, nisi ad [f] insignē Simeonem, Simeonē, inquam, Styliten, id est, in columna stantem, priùs veniret, & eius vultū contēplaretur, & sermones audiret, & ex his veluti viæ solatium caperet, orationisq; & benedictionis eius esset particeps, quæ simul & virtutis viam, quam habebat in animo, & eam, quæ cernebatur, leuem facilemq; redderet. Cùm ad eum autem abiret, statim non contemnendum nec leue signum accipit illius apud Deum fiduciæ & familiaritatis, priusquàm ad sacram accederet columnam & vocem emitteret, ipse desuper illum audiens clamantem, & ipsum nominatim vocantem. Vox autem ita habebat: Benè venisti homo Dei Theodosi. Ille autem obstupefactus, & ei genu inclinat, & se humi prosternit, gloriosiorem appellationem specie humiliore respondens. Deindè ad ipsum lætus ascendit, cùm ille iussisset, & amplectentem est complexus: hoc quoque magni faciens, membra attingere venerabilia, & illius cōplexum suscipiens tanquam diuinum aliquod signaculum, confirmantem ei gressus ad virtutem. Ille autem ei omnia diuinissimè [g] prædixit, & qualem nam sit huius vitæ finem inuenturus, & cuinam sit gregi posteà præfuturus, & quòd multas pecudes ratione præditas abrepturus sit à lupo, qui percipitur intelligentia: & alia, quæ paulò pòst finem singula accepêre: quæ etiam per vnumquodq; tempus procedens dicet oratio.

[g] Simeon illi futura prædicit.

VI. HIS ergò adhuc magis animo confirmatus, cùm preces admirabilis Simeonis tanquàm duces quasdam & custodes accepisset, alacriùs quàm priùs iter persequebatur, & peruenit ad sanctam ciuitatem, cùm Iuuenali tunc esset commissus Archiepiscopatus Hierosolymorum. Cùm [h] autem totum illum diuinum locum obijsset, & sancta sanctè adorâsset, apud se in animo versabat, quomodo inciperet philosophari, & vtrum ex duobus vitæ institutis eligeret: idné, quod est planè solitarium & quod non habet aliquam cùm vllo consuetudinem: an quod agitur cum alijs pijs, & qui eundem scopum persequuntur. Cæterùm separatim silere, & quietem agere, non probauit in præsentia, id nequaquàm tutum esse iudicans ei, qui nondum esset expertus per se luctari cum spiritibus nequitiæ. Si enim ex ijs qui in mundo militant, nemo, inquit, est tamen inuicta audacia, & tam insigni stultitia, vt si sit planè rudis & in re militari

[h] Inuisit reuerēter sanctam ciuitatem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

litari omnino inexercitatus, à linea in medio ſtatim hoſtes irruat: quomodo ego, cui manus non ſunt eruditæ ad prælium, nec digiti ad bellum, neque ſuperna ſum accinctus potentia: idque cum ſit conflictus longè periculoſior, aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi principes tenebrarum huius ſæculi, aduerſus ſpiritalia nequitiæ, poſſem in acie conſiſtere? Reſtat ergo, vt cum ego à ſanctis Patribus didicerim, qui ſe in his prius rectè exercuerunt, & ſatis ab eis fuerim inſtitutus ad decertandum contra hoſtes, qui percipiuntur intelligentia, deinde in tempore percipiam fructus, qui colliguntur ex quiete & ſilentio.

VII. Hæc [a] cum ſapientiſſimè cogitâſſet: erat enim ei inter alia, perfecta quoque intelligentia: ſtatim ſe conuertit ad eos quærendos, qui bonum cum labore meditantur, vt qui ſciret, quòd patiendo tutius docetur & diſcitur. Longino itaque beato ſeni, qui erat excellentiſſimus patrum ſui temporis, ſeipſum tradit: vndique cum eo & degit & habitat, illius moribus admodum delectatus, & ideò totus ei veluti inhærens, &, vt dicam cum diuino Dauide, anima poſt eum agglutinatus. Nam cum quo quis verſari delectatur, talis etiam eſſe creditur: & id pulchrè dicitur ab antiquis. Admirabilis autem hic Longinus ſe in quadam domuncula turris diuini Dauid: hoc enim perhibet longi temporis traditio: incluſerat & illic dulce mel virtutis laboriosè conficiebat. Apud quem cum omnes ſenſus pius Theodoſius, ita vt oportebat, exercuiſſet, & in ijs quæ ſunt expetenda & fugienda, diſcernendis ſummè elaborâſſet, in veterem ſedem (eum enim locum ita vocant: eſt autem in via publica, quæ tendit verſus Bethleem) commigrat, inuitus quidem, ſed cedens paternæ voluntati, cui potius, quàm ſibijpſi morem gerebat. Quænam autem fuit cauſa migrationis? Mulier quædam admodum pia & honeſta, nomine Icelia, diues facultatibus, ſed virtute ditior. Ea cum aliquo quidem prius cohabitauit: poſtea autem Chriſti fit miniſtra propter pietatem. Et enim templum quoque quod illic eſt, dicitur poſuiſſe omnium Dominæ & Deiparæ. Cum ea ergo tunc ſeni magnopere ſupplicaſſet, vt in templo, quod ipſa condiderat, collocaret Theodoſium: ille quidem paret inuitus: perſuadet autem multo magis nolenti Theodoſio, vt admittat translationem. Cui enim iucundum erat ſimul habitare, conſequens eſt, vt ei quoq; moleſta fuerit ſeparatio: maximè cum beatus Theodoſius mallet parere, quàm imperare, ſicut declarabit oratio.

[a] Præfertinitio vitam cœnobiticã anachoreſi.

Psalm 62.

VIII. Cvm [b] itaque perſuaſus & translatus eſſet, & diuinum illud templum habitâſſet, eius deinde fama ad omnes peruadente: ſolet enim virtus non minus eum, qui poſſidet, oſtendere, quàm eum, qui eam fert lucerna: nõ ferens illiceſari diutius, tranſit in hunc ſacrum montem & hanc ſpeluncam: ex qua facit ille vnam ſolam eã, quæ eſt ad Deũ, tranſitionem, illic relicto corpore. Tribus autem de cauſis piè fit eius in montem trãslatio Primum quidem, vt præfecturam tanquam magnum aliquod onus fugeret, quam illi erant impoſituri Patres, vel potius eius virtus eximia. Secundo, vt loci quoque translationem, ad excelſioris vitæ inſtitutum translationem efficeret, hominum ſolitudinem multiplices virtutis fructus producere arbitrans. Tertio autem, quòd non à ſe, ſed à Deo motus fuerit, vt ei Chriſti phalanx ducenda committeretur, vbi tot militum, vel fortiſſimorum potius hominum millia, erat communi Domino oblaturus. Sic ergo pia mente commotus, accedit ad verticem montis, & in hac ſpelunca [c] perpetuo habitat, quæ etiam hucuſque eius ſacris diues eſt reliquijs.

[b] Recedit à Longino inuitus.

[c] Spelunca, eius ſacris diues reliquijs Matth. 2.

IX. Qvædam autem fama ab alto à patribus tradita, ad nos vſque peruenit, quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethleem venerunt ab Oriente, cum Deo, qui ex ſuperna ſpecula in Occidentem huius mundi venerat, aurum, thus & myrrham piè admodum obtuliſſent, deinde ab angelo reſponſum accepiſſent, ne eandem viam rurſus inirent, ſed per aliam potius rediret in ſuam regionem: Hos, inquam, dicit Magos in hac ſpelunca in reditu fuiſſe diuerſatos: cumque hîc noctu dormijſſent, manè ingreſſos eſſe viam, quæ ducebat in patriam. Et tale quidem eſt id, quod dicitur, & fortaſſe eam nulla labefactat improbabilitas. Nam primum quidem, cum ſtatuiſſent ingredi iter per Hieroſolyma, non eſt admodum facile, vt ij alia ex Bethleem domum reuerterentur. Sicut etiam nunc videmus eos, qui à Bethleem, vel ab ea quæ eſt circuncirca regione, tranſeunt, per hanc proficiſci. Præterea autem multa ex ijs, quæ olim quidem facta ſunt, ſita autem non ſunt in diuina ſcriptura, ſola ſcriptis non mandata traditio, efficit vt in hodiernum vſque diem pro certis habeantur. Qualia [d] ſunt ea, quæ dicuntur de loco cranij, quæ ſunt, inquam, tractata à magno Baſilio. Ille enim dicit in quadam ſua oratione, (oportet enim ea tanquam condimentum aliquod addere orationi) non ſcriptam nobis exponens traditionem: Adam, inquit, primus noſter parens in hoc, qui nũc dicitur cranij, loco dicitur eſſe ſepultus: vbi meus quoq; Chriſtus pro nobis crucem & mortem ſuſcepit, propter eam, quæ verbis explicari non poteſt, benignitatem. Et hæc quidem ſic.

[d] Traditiones ſine ſcripto, pro certis habentur in Eccleſia.

Sapiens autem Theodoſius cum fuiſſet in hoc loco, & ſemper cuperet excelſiora, diuino Apoſtolo ſibi veluti
X. exemplari propoſito, euaſit illius imitator, omnia quidem ſacra amans mandata ſimiliter: præcipuè autem captus amore diuinæ dilectionis. Eius [e] enim ſuaui iaculo ſic erat illius ſauciata anima, & ita eius inſolubilibus adſtringebatur vinculis, vt excelſum illud & diuinum præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, re ipſa ab eo impleretur: quod quidem non aliter fieri potuerit, niſi omnes naturales animæ facultates ad nihil aliud, quod adſit, contendant, niſi ad ſolum creatoris deſiderium. Has, inquam, intelligentes animæ operationes, vt qui muſicæ eſſet peritus, pius Theodoſius concinnè & numerosè mouens ad ea, quæ oportet, & quando & quantum oportet, & vt par eſt, vnamquanq; coniungens, omnium harmoniarum numeroſiſſimam & iucundiſſimam effecit ſuæ vitæ temperaturam, vnum ſolum ſcopum ſibi proponens, vt ex Deo à ſe omnia fierent, & nihil ab eo diſſentiret & diſcreparet.

[e] Charitati præcipuè ſtudet. Matth. 22.

Qvis enim in ijs, quæ pro Deo ſuſcipiuntur, periculis æque excelſi & fortis animi viſus eſt atq; ille, qui neq; vin-
XI. cebatur à minis potentiorum, neq; illiciebatur inducebaturve blanditijs, quando de Deo fortaſſe, ſed non ex Deo, erat quod iubebatur? ſed de ea re quidem differatur oratio. Quis autem ſignificauit iudicare cordis cogitationes, & accuratè eas examinare, & maligni noſſe artes, quæ ſuffurantur per dexteras, ſicut ille? Quis ſic animam quidem comprimere, ſpiritum autem conterere, omnem autem intelligentiam & altitudinem deprimere, quæ extollitur aduerſus Dei cognitionem? & vt ſemel dicam. Quomodo [f] quis res illius imitatus fuerit, quas ne dignè quidem laudare potuerit? ieiunij conſtantiam, vigilandi perſeuerantiam, orandi aſſiduitatem, pulchrum pſalmodię ordinem, oculorum in lachrymas innatam profuſionem, vt prius ſpes eſſet ſiſti perennia fluuiorum fluenta, quàm fontes illius lachrymarum: per totas noctes ſtationem, illa quæ occultè ſuſpendebãtur, propter quæ, eo quòd in ſomnum diffluerent, & reſolueretur, dolor incumbebat in inguinem: humilitatem ſpiritus, manſuetudinem, animum vt plurimum cogitabundum & attẽtum acre ingenium, & quod admodum facilè recta ad cœlos vſq; volabat? Hæc optare quidem poſſunt etiam alij: ſunt autem ad imitandum omnino difficilia.

[f] Eccleſanctipatris ſancta exercitia.

Qvis ventri ita imperauit, aut eum abſtinentiæ legibus magis habuit obedientem? Qui eo vtebatur non ſecus ac
XII. ancilla, cibum ſumente quando ipſe iuberet. Sumente autem cibum, non quantum ipſe vellet, ſed quantum ſufficeret ad continendum vinculum naturalis coniunctionis. Alimentum [g] autem erat fructus palmæ, aut paucæ ſiliquæ, aut legumen aliquod aqua madefactum, aut etiam quæ ex agreſtibus herbis erant eſculentæ. Quòd ſi horum quoque, quæ dicta ſunt, erat penuria propter ſummam ſolitudinis inopiam, oſſa dactylorum madefacta, erant illi lautum & ſplendidum nutrimentum propter neceſſitatem, & famis ſcitum ſolatium. Perpetuis autem triginta annis panis nihil guſtauit penitus. Sed etſi ita parce & ſtrictè ſe gerebat in ijs, quæ pertinebant ad vſum corporis, non ita tamen ſe habe-

[g] Sancti viri abſtinentia & victus auſteritas.

habebat in ijs, quæ pertinebant ad animam: sed illam contra âbunde & copiosè noctu diuque alebat: vt qui in lege Domini quotidie meditaretur, & sacris elogijs quotidie rigaretur. Quo factum est, vt visum sit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, & fructum dedit in tempore iucundissimum & copiosissimum. Atque corporis quidem in iuuentute ad libidines incitationem sic pulchrè effecit conquiescere. Hanc autem abstinentiæ legem non statuit simul abijcere cum flore iuuentutis, neque eam repulit tanquam adhuc inutilem & minimè necessariam: sed conseruauit vsque ad profundissimam senectutem, augens, & non remittens: & non secus ac quendam socium nauigationis, qui vna nauigauit in hyeme & tempestate, multorumque laborum & ærumnarum fuit particeps, cum iam fuerit in portu, erubescens amandare.

Psalm. 1.

[a] Labores appetit, spernit voluptates.

AMPLECTEBATVR [a] itaq; labores, sicut alij voluptates: remissiones autem & delicias repellebat vt hostes, cum longa consuetudo ei talem impressisset habitum. His non secus ac stella iucundissima, splendidissimè ac pulcherrimè micans radijs, iam etiam procul apparebat. Nam ciuitatem quoque sitam supra montem, est celari difficile. Ergo nec latuit, etiamsi illud ipsum perpetuo fugeret. Cum non lateret autem, consentaneum erat omnino vt boni & honesti studiosas animas ad se traheret, non secus ac magnes ferrum, aut potius vt bonas quasdam apes, iucundum illud mel virtutis. Ad illum itaq; iam ventitabant quidam ex ijs, qui erat amatores virtutis, & malebant cum eo incolere solitudinem, quam cum Imperatoribus præclaras ciuitates. Qui [b] vim afferentes, vix quidem, sed tamen persuadent, ne sua solum consideraret, sed ea etiam, quæ sunt proximorum: & eius, quæ est ex Deo vita, eum accipiunt veluti pædotribam. Et tunc quidem sex vel septem numero erant chorus, qui erat circa ipsum. Cum autem sciret ille magnus, ijs qui ex Deo viuere elegerint, nihil æquè conducere ad parandam virtutem & ad partam conseruandã, ac mortis [c] memoriam: quæ etiam vera philosophia & dicitur & creditur: quid facit? Sepulchrum iam construere his suis iubet discipulis: simul quidem vt eius esset monumentum finis, sicut etiam vocatur: & sic eos magis excitaret ad decertandum, & diligentius stimularet ad virtutem: & simul etiam, & mortuos acciperet: quin etiam ille ex futuris aliquid prænidens & præsagiens, iam enim hæc charismata & gradus attigerat, in luce gratiæ lucem videns. Quid autem erat quod præsagiebat, iam declarare aggreditur oratio. XIII.

[b] Quidam se illi adiungunt.

[c] Mortis memoria vera philosophia.

PARATVM enim erat sepulchrum, & adstabat quidem ipse desuper: discipuli autem ipsum circunsistebant Ille autem acuto mentis oculo intuens id, quod erat euenturum, sic lepidè dicit, eos adspiciens: Sepulchrum quidem est paratum. Quisnam autem ex vobis est encænia eius celebraturus? Et ille quidem sic, lepidæ & vrbanæ orationi miscens seria. Solebat enim ipse quoque inter alia tempus notare, austeritatemq; & tristitiam gratia moderata soluere. Quidam autem Basilius, dignitate quidem sacerdos: propter rerum autem bonarum desiderium, expressos apertè seruans paternos characteres: & eum qui ipsum genuerat spiritaliter, non minus referentis similitudine virtutis, quàm carnales patres ij, qui ex illis nati sunt, & alioqui sciens quæstionem non frustra dictam esse propositam à magistro, primus arripiens sermonem, erat prompto & alacri animo ad mortem eligendam, tanquam rem non repudiandam, sed valde vtilem & conducibilem. Protinus ergo genibus flexis, cum se humi proiecisset, Benedic mihi, inquit, Pater. Ego autem, inquit, huius sepulchri primus celebrabo encænia. Hic ergo perijt, ille verò dedit. Et ipsum quidem habuit sepulchrum. Iubet autem pater omnia ipsi fieri, quæ lex vult fieri mortuis; tertianas, inquam, & nouenas, & consequenter etiam quadragenas. Cum [d] autem iam finem acciperẽt quadragenæ, ô quomodo explicauerit oratio id, quod est valde quidem verum, sed est valdè creditu difficile, propterea quod modum exuperat! Basilius neque à febre arreptus, nec capitis dolore vexatus, nec vllum dolorem sentiens in vlla parte corporis, tanquam molli quodam & suaui somno sopitus, excessit ad Dominum, præmium virtutis, & quòd prompto & alacri animo illinc transire voluerit: quod quidem apertè significauit eum eorum, quæ hîc sunt, nequaquam affici voluptate: vt qui primus vt ante Deum sisteretur, & primus coronaretur, tulerit. adeò vt ipse hac in re laudem magistri superauerit, nisi fortè nimis videatur curiosum id, quod dictum est, siquidem magna res est, Dei facies benignè & beneuolè adspiciens. XIV.

[d] Obserua hic vsum antiquum tertianarum, &c. pro defunctis.

[e] Res mira.

HIS [e] sic perfectis, miraculum consecutum est miraculum. Quadraginta enim deinceps dies, in canticis vespertinis inter sacrum chorum discipulorum hic diuinus quoque stans Basilius, & vna cantans videbatur & audiebatur à magno Theodosio. Et ex alijs quidem nullus alius, neq; vocem audiebat, neq; illius formã cernebat. Solus aũt quidam Aëtius, vir qui ipse quoq; magistri sequebatur vestigia, & volebat esse discipulus Theodosij: non ex eo solum, quòd res illius & sciret, & narraret, sed eum etiam imitaretur, ipsum quidem videre non poterat, sed vocem audiebat. Rogauit autem magistrum, an ipse mortui quoque vocem audiret. Ille verò dixit se & videre & audire: &, si vellet, se ei esse ostensurum eo tempore, quo apparuerit. Atque nox quidem successit, & peragebatur conuentus, & homo Dei rursus planè videbat Basilium cum ijs, qui stabant & canebant, simul stantem & canentem, eumque digito ostendens Aëtio, preces quoque addidit: Aperi Domine, dicens, huius quoque oculos, & videant hoc quoque magnum tuorum operum mysterium. Cum is autem statim vidisset & agnouisset, atque etiam accurrisset, & præ desiderio eum complecti voluisset, Basilius non solum apprehendi non potuit, sed etiam euanuit, cum dixisset alijs audientibus, Salui estote, ô patres & fratres, salui estote: me autem de cætero non videbitis amplius. Quamobrem id quod à Christo dictum fuit in Euangelijs, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: ostendit id quod factum fuit, esse verissimum & fide dignissimum. XV.

Ioann. 11.

HOC fuit primum testimonium virtutis Theodosij. Secundum autem mea iam vult persequi oratio, quod priori nullo modo est inferius: Dies erat festus, & festorum omnium primus & præcipuus: ipsum, inquam, Pascha, [f] mei Christi, vel mea potius resurrectio & reformatio. Sacræ autem noctis aderat quidem vespera: ijs autem, qui ad eum ventitabant, nihil erat ijs, quæ sunt ad vescendum necessaria. non panis, non oleum, non aliquid aliud erat ex ijs, quæ sunt esculenta. Atque chorus quidem discipulorum ægrè ferebat, vt est verisimile, qui iam erant numero duodecim: ægrè ferebant autem non pro se tantum, sed quòd cum iam non adesset panis, qui offerretur ad sacrificium, erat eis futurum pasca absque sacrificio, & absque corpore Christi dies festus celebrandus. Circunsistentes itaque aduersus magistrum murmurabant, cum causam rationi consentaneam veluti ex re cepissent. Ille verò cũ tantum dixisset, Parari oportet sacram mensam: reliquorum autem, inquit, nihil vlli curæ sit. Nam qui olim tot Israelis millia in solitudine, deinde etiam non paruam multitudinem aluit ad satietatem: hic ipse nostri quoque curam gerens, nec est viribus imbecillior, nec ad prouidendum debilior. Hæc ille quidem dixit: sed quemadmodum eius verba effectum sint quàm primum consecuta, nec spe fraudauerunt discipulos, iamiam dicet oratio. Quomodo enim olim ouis in planta Sabec adfuit parata ad holocaustum, ita etiam huic quoque beato, sole iam terram relinquente, accedit par mulorum, per quos afferebatur sarcina [g] variorum alimentorum, conuenientium hominibus, qui se exercent: & nec aberat quidem ipse sacræ mensæ, qui videtur, & intelligentia percipitur, panis: sed erat vna cum alijs. Propter quod magis lætari sunt Theodosij quidem discipuli, Christi autem cultores. Et hoc quidem donum, fuit donum illius precum, quod non ex cœlo descenderat, vt prius manna: sed ex terra scatutierat nutibus cœlestibus, & aluit non solum sensiliter, sed etiam spiritaliter, quòd ad panem quidem attinet, qui fuit oblatus sanctificationibus. Sic ergo cum simul terrestribus bonis & cœlestibus se iucundè satiâssent, qui apud ipsum erant, vsque ad sanctam Pentecosten, paulatim discebant, qualis esset illorum Doctor. Et hoc quidem ita se habuit. XVI.

[f] Sanctum Pascha festorum præcipuum.

Genes. 23. iuxta 70.

[g] Ab inspecto alimẽta afferuntur S. Theodosio.

Quod

XVII. Qvod [a] autem consequitur, illius dico esse fraternum, & similis fidei & spei fœtum germanissimum. Vir quidam cuius erant magnæ opes, bonis autem operibus laudem assequi statuerat, suas facultates distribuebat in benedictionibus, & pecuniæ materiam efficiebat animæ salutarem. Is, inquam, cum omnibus alijs, & præcipuè ijs, qui viuebant ex Christo, & se à mundo remouere, ad Deum autem prope accedere rectè cogitabant, dextera apparuisset iucundissima, vt diuina dicit scriptura: aut rursus, vt cum scriptura magis dicam, hortus eius non conclusus, & fons conspectus esset non signatus, solis Theodosij discipulis, per obliuionem aut ignorationem nō impertijt beneficentiam: aut fortè etiam Deo in his sanctum probante aut glorificante. Atque discipuli quidem accedentes, ei exhibebant molestiam, vt & se & illos manifestos redderet diuisori, & magno studio instabant: neque enim se habere, quo deinceps alantur, qui paucas quidem habebant siliquas, & cum eæ nonnunquam deficerent, ea quæ restabant ossa, coquebant, vt iam dictum est, & eis vtebantur ad famis solatium. Sic ergo illi hominem, qui semper latere studuerat, manifestum fieri cogebant propter pusillum suum & abiectum animum: & eum, qui ad Deum oculos conuertere consueuerat, vrgebant, vt turpiter manus porrigeret hominibus, relicta manu, quæ est aperta, & implet omne animal benedictione, vt qui eam esse angustam vel parcam ac sordidam iudicâsset in præsentia. Atque illi quidem erant tristes. Is verò eos sensim admonens: Quis, aiebat, ex ijs qui in Deo confisi sunt, omnino est derelictus? Aut quis, qui ipsum ad finem vsque sustinuit, non accepit consolationem? Qui inebriat omnem sitientem animam. Hæc nobiscum dicat diuinus Hieremias: Et omnem esurientem implet animam. Qui præparat coruis cibum, & pullis coruorum: vt Iob quoq; & diuinum Dauid introducam simul loquentes. Cognoscamus quantum interest inter humanum studium & diuinam prouidentiam, quæ pertingit vsq; ad extrema: & sciemus, quemadmodum ijs etiam, quæ propter Christum lubenter reliquimus, diuina rursus prouidentia abundè & copiosè fruimur.

[a] Verus diuitiarum vsus.

Cant. 4.

Psalm. 144.

Ierem. 31.
Psalm
Iob. 39

XIIX. Hæc dixit, & paulò post apparuit quidam, ducens animal onustum. Ibat autem non ad magni Theodosij monasterium: sed scopus quidem erat eiid transire, onus autem in aliquo alio loco deponere. Postquam verò fuit iam prope monasterinm, vel inuitum virum sistit iumentum: cumque ei flagello multas plagas incuteret, illud erat immobile, non secus ac si esset saxum. Cum homo ergo rectè existimâsset id non fieri, sine Dei numine, mox conuerso ordine, animal vtebatur tanquam duce, & laxato fræno, ei permittebat ire, quo eum ferret impetus. Cum [b] homo sic fecisset, animal confestim nusquam quidem alio, sed perinde ac si aliquis frænum, cum à nemine videri posset, traheret & dirigeret, rectâ vadit ad monasterium. Quo cum vir esset ingressus, & inopiam, quæ eos vrgebat maxima, didicisset, & Dei priuidentiæ arcanum esset admiratus, quemadmodum scilicet effecisset, vt inopiæ molestia, eis esset occasio coronarum, & vt ipse eam solueret molestiam: & quòd ea de causa nōn parebat animal, eum diuina vocante prouidentia ad alendas animas, quæ Deo quidem ministrabant, ministrantis autem corporis laborabant imbecillitate. Hæc cum ille dicisset, duplum præbuit eius eleemosynæ, quam primus diuisor dederat. Decætero ergo eius discipuli cessantes ei exhibere molestiam, & esse pusillo & abiecto animo, studebant potius eum imitari, beatumq; eum ducebant propter firmam spem & fidem in Deum. Sed hæc quidem hucusque.

[b] Nota miram Dei prouidentiam.

XIX. Qvoniam [c] autem ei quotidie accedebant discipuli: fontes enim illius gratiarum, vocabant bonas & virtutis studiosas animas: ceruas rationis compotes dixerit aliquis, aquas amantes spiritales: alijque plurimi accesserunt, & non pauci ex ijs, quorum magna erat authoritas & opes. Et iam magnus quidem erat numerus discipulorum, spelunca autem exigua & planè minor, quàm vt eos posset capere: ipsi autem accedentes solicitabant, vt excitaret monasterium, & ampliorem eis faceret mandram ouium spiritalium: dicentes, nihil oportere eum curare sumptus faciendos ad ædificationem. Nam & sumptu, aiebant, qui ad eam sufficit, manus, & manu nobis ea animus largior. Sic cum maiori gregi cogeretur præesse verè bonus pastor, dici non potest, quantis iactaretur curis, & quàm varijs distraheretur cogitationibus. Quando enim ad bonum quietis & silentij respiciebat, & ad puram & tranquillam mentem, ab hac chara quiete tanquam à matre se auelli dolebat. Quando autem considerabat, curam esse gerendam eorum qui ventitabant, & non oportere sibi soli viuere, sed multò magis etiam proximis, & eius rei ipsum Dominum fuisse nobis ab initio exemplar propositum, qui & sibi congregauit discipulos, & conspectus est pastor ouium rationis compotum, & pro eis emisit animam.

[c] Augetur in dies numerus discipulorum eius.

XX. Hæc ergo quando per ocium considerabat, & in contrariam partem trahebatur animus, neque sciebat cuinam purè adhæreret. Nam quietis quidem & silentii fructus non ignorabat: Rursus autem sciebat, quinam essent fructus curæ, quæ gereretur fratrum: & ideò vtrisque adhærebat, & neutrius erat penitus: & ab vtroque recedebat, & cum ambobus rursus conueniebat. Quid ergo facit? Deo permittit vniuersum, qui vel solus potest miscere, quæ misceri non possunt: & illius auxilio credit posse fieri, vt & conseruetur bonum quietis & silentii, & non priuetur mercede præfecturæ. Non enim in eo, quod sit corpus solitarium, sed in eo, quòd sit cor benè compositum & tranquillum, vitam rectè geri monasticam, vt à diuino Dauid est definitum. Certè etiam si ita se haberet, iudicium tamen Deo permittit, & ei supplicat, si omnino ei gratus esset conatus: (ei enim in mente versabatur, quod olim diuinus Simeon de eo prædixerat) si ergo omnino Deo placeret, vt hoc signo declararet, & locum apertè indicaret, in quo erat monasterii iacturus fundamenta.

[d] Corporis solitudo non facit monachum.

XXI. Cvm ergo in manus sumpsisset thuribulum, & implêsset carbonibus, & deinde absque igne imposuisset suffitum, peruasit solitudinem, labris preces decantans. Preces autem ita habebant: O Deus, qui per multa & magna miracula fecisti Israelem fidelem, qui famulo tuo Moysi multis & variis prodigiis persuasisti, vt eos regendi onus subiret: & virgam quidem in serpētem, in alborem autem leprosam manum mutâsti, & deinde ei rursus priorem restituisti colorem. Qui aquam quidem mutas in sanguinem: ipsum autem rursus facilè in aquam restituis. Qui Gedeoni signum victoriæ vellus exhibes, & quæ ad vellus pertinent. Qui omnia fabricaris & contines. Qui Ezechiæ vmbræ graduum retro reuersione descripsisti vitæ additamentum. Qui etiam Eliæ preces prius exaudiisti, ignemq; de cœlo demisisti: & propter eorum, qui se impiè gerebant, ad te conuersionem, ligna & holocausta & aquam vna cum ipsis lapidibus combussisti: ipse etiam nunc es Domine, ipse quoq; exaudi me seruum tuum, & ostende vbi tibi placeat, vt templum quidem tuę potentiæ, tuis autem seruis & meis discipulis habitaculum ædificem, ostendes autem omnino, vbi iubebis accendi hos carbones, ad gloriam quidem tuam, multorum autem agnitionem, & veritatis confirmationem. Hæc & his similia decantās, obibat loca, quæ nouerat aliis aptiora.

Exod.
Exod. 4.
Iudic. 6.
Esai. 38.
3 Reg.

XXII. Cvm autem solitudinis multam terram peruasisset vsque ad locum, qui dicitur Gutilla, & ripas lacus Asphaltidis, sic mortuis & minimè ignitis carbonibus; cùm vidit eos minimè accendi, neque conatum ei ex animi sententia succedere, constituit reuerti. Cum hoc autem fecisset, & parum esset remotus à spelunca, (ô quis tuam dignè laudârit potentiam, ô rex immortalis!) fumus repentè ascendit ex carbonibus, fumus benè olens, cum ignis modo ineffabili percurrisset carbones, & eos latenter suscitâsset. Cum itaque ignis melius quàm lingua locum significâsset, & iacta sunt fundamenta, & templum extructum est, & ædificatum est monasterium, [d] vel, vt melius dicam, virtutum habitaculum, aut tabernaculum in terra, quod est re vera terrâ superius & cœleste: quod quidem est & magnitudine maximum, vt quod paulatim creuerit iis, quæ factæ sunt, accessionibus: & abundat bonis omnibus, non iis solis, quæ sunt ex spiritu & virtute, sed iis etiam, quæ sunt ad vsum corporis. Nam eis quoque erat illis opus, cum essent homines: non lautis

[d] Monasterium vocat virtutum habitaculum, &c.

lautis quidem & superuacaneis,sed quorum est necessarius vsus & ineuitabilis.Quomodo enim in præclara ciuitate & populo frequenti,ita etiam hîc quoq; licet videre omnigenas artium officinas, quæ communi fraternitati omnia præbent circa laborem,& ab externis,quæ eos auellant,curis liberant.

[a] Commendat cœnobium Theodosij.

IAM[a] verò habitationum varietas & diuersitas quemnam oculum quidem non mouet ad contemplandum? quã- XXIII
nam autem non linguam ad laudandum? Quam enim omnino animam,aut quòd corpus eorum,qui diuersantur,non curat? Hæc est monachorum,illa eorum qui promiscuè vitam agunt:alia egenorum,alia eorum,qua alias peregrinantur.Et vt in summa dicam,vnicuiq; eorum,qui accedunt, & locus quo excipiantur, & modus quo curentur,alius alij est attributus.Vnum est,quod ex æquo omnibus exhibetur, nempe summa hospitij hilaritas & benignitas. [b] Cæterum pauperum quidem magnam curam gerebat Theodosius : quorum ille egestatem vincens suppeditatione, eam rursus habebat voluntate inferiorem:quomodo etiam volũtatem semper victam à liberalitate & munificẽtia spiritus,vt paulo post ostendetur.Hoc autem est ipsis rebus consentaneum & valde consequens. Si enim ipse cum esset homo,studebat hominum egentium superare cupiditates voluntatis magnitudine: quomodo non humana rursus voluntas superanda erat ab opibus diuinis & benignitate.

[b] Benignitas eius in pauperes.

[c] Item ægrotos.

CVM[c] autem in omnes,qui egestate premebantur,ita esset misericors, eius magis augebatur misericordia in eos, XXIV
in quibus rursus erat malum grauius,& cum egestate erat præterea morbus, aut membrorum mutilatio, eaque sacra, quod est grauissimum,excrucians.Ea ratione erat etiam oculus quidem cæcorum, pes verò claudorum, indumentum autem nudorum: eorum,qui tecto carebant,tegumentum:ægrotorum medicus,largitor,administer,famulus: omnibus omnia factus propter excellentem benignitatem : sanguinem abluens,vulnera mundans,labra admouens labris eorum,quorum erat caro mutila,& ita eos sapienter consolans, & persuadens,vt moderatè ferrent calamitatem,cum scirent eos,qui sapiunt,non modo ipsos non aduersari,sed eos potius beatos ducere & amplecti. Non autem se superbè & inhumanè gerens,vt complures,quos cum oporteret miserando fratrum,in eos benignitatem exercere&clemẽtiam,illi,ô inhumanitatem,adeò sunt elati & sublimis animi,aut (vt verius dicam) nimis sui amantes, & tam pusilli & abiecti animi,vt non solum eos non admittant,sed eos etiam videre non inducant in animum:perinde ac si nolint meminisse neque omnino scire, quòd ipsis quoque sunt carnes subiectæ talibus affectionibus. Sed non sic hic beatus,sed fuit magno (sicut diximus) & generoso animo. Et sunt huius quidem multi oculi testes: maximè autem ex ijs,qui hoc ministerium vna cum eo obibant: qui cum primo hanc insignem benignitatem & commiserationem similiter atq; alij auersarentur,illius deinde egregiam reueriti moderationem,persuasi fuerunt rectè sapere,&,vt par est,imbecillitatem humanam & humilitatem.

QVAMOBREM si quis eum dixerit communem portum, & communem medicinæ officinam, communem do- XXV.
mum,commune panarium,rectè dixerit & congruenter veritati,ægrotantium, esurientium,algentium, peregrinantium.Eorum enim omnium ea,quæ par erat,cura ab eo gerebatur.Qui[d] autem cõtemneretur aut dèspiceretur propterea,quòd esset vilis & humilis,si quæsiuisses,illic inuenisses neminem: sed propter hoc ipsum,quòd esset,inquam,vilis & minimus,maiorem consequeretur curationem, quoniam Christus quoque est inter minimos,& quæ sunt illorum, apertè sibi tribuit.Quare eorum qui expellerentur,nulla illic habebatur ratio. Nullus despiciebatur, nullusque indignus reputabatur commiseratione. Quod quidem patrum quoq; nonnullis non est admodum facilè seruare in filios. Sed alijs quidem vestes quoque dabantur,quibus ijs erat opus:omnibus similiter dabantur alimenta.Atque meminerunt quidem,qui ad hæc ministrabant,se vno die plusquam centum mensas parâsse. Et[e] humanus quidem misericordiæ fons erat huiusmodi,& tam abundè scaturiens : Dei autem fons qualis? Num est manifestum,quòd multis atque adeò infinitis partibus superabat? Nunc autem declarabit oratio, quibusnam indicijs,& finem imponet ei,quod est pollicita.

[d] Neminem quamuis humilem despicit.

[e] Vno die plusquam centummẽsę parantur.

CASTIGABAT aliquando terram Deus,castigabat autem fame:erat aũt non breuis aliqua fames,neq; in hos qui- XXVII
dem dominabatur,in alios verò non:sed ex æquo omnes inuaserat flagellum.Cum sic aũt affligerentur homines,vt eorũ,quæ sceleratè fecerant,pœnas darent:malorum enim studiorum hæc esse fructum,dicit diuinus Micheas:& adesset dies[f] festus Palmarum,quo pauperum & agrestium multitudo, festi accepta occasione,in eo loco versabatur,iam hoc quidem pro morte facientes, sed tunc magis à fame iussi. Qui itaque ad parandum prandium inseruiebant,ad tantam caligantes multitudinem, conabantur quibusdam libris & trutinis alimentum distribuere,vt hac accurata,subtilique ratione & parcitate posset pluribus alimentum sufficere. Pondus auem eis ad libram,vt dixerit quispiam vtens lingua Romanorum,redibat. Accedens autem magnus ille Theodosius, cum id quod fiebat,visu apprehendisset,& à magna multitudine vim afferri ianuis, & idem quod Iob, didicisset sentire & diceret: Foris non diuersabatur hospes,& patebat ostium omni viatori : iubet portas aperiri, & permittere,vt omnes volentes possent ingredi: & hominibus mensas consuetas apponere , quos difficile erat vel numerare, non solum eos cibo satiare. Quicumque ergo ei erant inseruituri,quando ad solam tantummodo adspiciebant multitudinem,non credebant: tantum abest,vt aliquid facerent , propterea quòd modum iussus exuperabat. Postquam autem adspexerunt ad virtutem & gratiam eius, qui iubebat,ab humanis destiterunt, & altius adspexerunt, & portas statim aperuerunt, & lubenter admiserunt eos qui veniebant: & deinde etiam parandis mensis dabant operam, & hilariter ea etiam apponebant, quæ habebant. Quid[g] ergo Deus admirabilium ? Rursus quoque suffecit ad paucis alendam magnam multitudinem , sicut etiam prius quinque panibus quinque millia. Simul ergo eorum impleti sunt ventres, & arcæ panariæ ostendebantur plenæ panibus : & illi quidem existimabant fore, vt omnia deficerent : cæ verò erant plenæ, & plura tenebant quam præbuerant , & per orationem veluti ad replendos ventres pauperum plurimum fructum produxerant. Sic pro eius proposito Deus ipsum est remuneratus , & pro eius beneficentia in pauperes , non solum abundè desuper pluens propter eius munificam voluntatem : sed etiam efficiens , vt vir ille in admiratione haberetur & celebraretur , propterea quòd sit minimè falsum promissum. Promisit enim eos glorificare , qui eum sciunt glorificare per operã.

Mich. 6.

[f] Dies festus Palmarum.

Iob 31.

[g] Præclarũ miraculum. *Ioan. 6.*

1. Reg. 1.

POST hoc autem aliud quoque dicatur,quod est similis munificentiæ & virtutis in faciendo miraculo. Rursus e- XXIIX
rat dies[h] festus,& festus virginis Dei matris : in quo,propterea quod erat valde insignis ac solennis, tam magna conuenerat multitudo (oportebat enim & festi causa esse multos celebraturos , & eius qui festi celebritatem peragebat, dexteram, aut vt potius dicam propositum , habere etiam conuenienter multos qui alerentur) vt ne sufficerent quidem ad faciendum accumbere eos, qui accedebant, illi quibus hoc commissum fuerat : tantum abest, vt haberent quod satis esset ad eos alendos, nisi in vna mensa oporteret vnum panem apponere. Qui[i] autem arcas panarias ante impleuerat Dominus, larga & copiosa dextera, quæ aperitur & nutrit, quicquid ab ipsa est creatum: is tunc quoque mensas impleuit, vel vt potius dicam, ventres : adeò vt cum innumerabilis ille hominum conuentus, fuisset plenus ad satietatem, tot essent sportæ reliquiarum, vt ipsi quoque, qui accubuerant, multa domum tulerint,& ijs qui seruiebant , ex ijs sint opiparæ postea mensæ appositæ. Videntur autem hæc esse difficilia non solum ad imitandum, sed etiam ad laudandum,& ad rectè explicandum oratione. Quis[k] enim adhuc videns Ægyptios confluentes ad magni Theodosij monasterium , non existimauerit vel puteos esse tantæ multitudini defecturos ad solum potum?

[h] Valde insignis dies festus dies S. Mariæ.

[i] Esca diuinitus augetur.

[k] Nota miracula, quæ in Theodosij fiebant monasterio

potum? Illi autem ita ad satietatem fruuntur appositis, vt ijs etiam, qui post ipsos veniebant, sufficerent quæ remanserant, ad secundum conuiuium. Quis ergò videns, quæ in hodiernum vsque diem fiunt in solitudine, non statim est habiturus fide dignum testimonium, quòd qui per Moysem in solitudine mirabile prius pluit Hebræis nutrimentum, hic ipse nunc quoque per Theodosium (etenim in Christo viuere creditur) hoc quoque magnum & diuinum efficit, & tot viris nutrimentum copiosè suppeditat? Propterea ergo multos quoque videtis ad hunc locum festinantes, hunc ipsum reuera esse illum existimantes, propter quem Seruator & quinque prius panes benedixit, & tot hominum millia aluit ad satietatem. Sed hæc quidem ita se habeut. Nobis autem redeundum est ad ea, quæ consequuntur. *Exod 16.*

XXIX. QVONIAM enim præcipuum indicium charitatis in proximum, est cura quæ geritur ægrotorum: quæ etiam maximè nouit purgare patibilem nostræ animæ facultatem: quoniam non sufficit ad perfectionem, fratrem nutrire esurientem, & potum dare sitienti, eumque qui est hospes & nudus, in domum introducere & complecti: sed oportet preterea eius etiam cum mutuo quodam sensu misereri, vt non sit solummodo bonum, sed etiam benè fiat, ex animæ scilicet affectione: vt non manu solum, verum etiam anima ostendat misericordiam. Qualis[a] autem ille esset in eare, iam vult declarare oratio. Cum tres domos ædificâsset, vnam quidem ijs, qui propter Christum erant seiuncti, & toti mundo crucifixi, tribuit ad curam corporis in infirmitatibus. Deinde duas permisit ijs, qui in mundo viuebant & versabantur: & ex ijs ipsis vnam quidem ijs, qui erant insigniores & honestiores: alteram verò ijs, qui erant viliores & pauperiores, & qui opus habebant alterius auxilio. Quinetiam suis monachis, quorum propter senium & labores longæ exercitationis soluta erat vis membrorum, (Oportebat enim ne hoc quidem effugere Theodosij solicitudinem) ijs cũ in loco separato aptum extruxisset gerontocomion, id eis permisit ad recreationem diuturnæ afflictionis, tãquam bonis viatoribus, longa via & aspera defessis, accommodatum diuersorium. Præterea autem aliud quoq; ab eo constructũ est nosocomium, nempe ad opera commiserationis verè misericordi & clementi animæ: quod etiam erat donum mulieris verè honestæ moribusque piæ & religiosæ: quæ quidem eius admirans bonitatem, domumque & seipsam cum filijs ei largitur: mundo quidem renuncians, Deo autem totam seipsam permittens, & volens vt sui filij sub illo viuerent.

[a] Tria valetudinaria extruit.

XXX. QVINETIAM, quod maius est signum clementiæ & benignitatis, quicunq; in montibus, & speluncis degere quidem propter Christum, sed non ex Christo, elegerant, inconsiderato & non stabili calore secuti exercitationem: & humanæ quidem imbecillitatis, & Christi verborum, quod absq; illo nihil possumus facere, obliti: inani fastu & vana persuasi arrogantia, & quæ rectè gesserant, miseri sibi adscribentes: ô mea mala, ô grandem insolentiam, vel potius amentiam. Quid enim boni fecerit humana natura, tuo, ô Seruator, nudata auxilio? quime doces per linguam Prophetæ, dicentem: Remisi manus, & aruerũt: & facti sunt tanquam fœnum siccum super domos, tanquam gramen. Quid verò per hæc significat? Quod amisso flore virtutis, quem qui tuam habent manum opem ferentem, amplexi sunt, deinde exiccati defectu tuæ pinguetudinis, dedecus deformitatis miserabiliter induerunt. Qui ergo sic stultè senserant, & ideo traditi erant satanæ ad interitum carnis, vt ait Paulus, vt saluus fiat spiritus: aut alioqui mente erant læsi & malè affecti, & pœnas dederant in eo, quod peccauerant, vt discerent cum in honore essent, effecti rationis compotes, intelligere ac noscere opificem & auxiliatorem, & non esse ingrati in eum, qui eis dederat gratiam: ij experti sunt eum valde benignũ, & paternè in ipsos se gerentem. Pro eis enim accendebatur, tanquá pro filijs proprijs, & alioqui beneuolè in eos afficiebatur. cumq; eis constituisset locum quietum & tranquillum, permisit vt in eo agerent: vt esset ei quodãmodo alterum monasterium, & ob multitudinẽ eorum, qui erant congregati, & ob ordinem ministerij, & ob statum eorum qui ministrabant, & ob sumptum eorũ, quæ suppeditabantur: Magis ergo quàm aliorum, homo Dei, sicut diximus, vincebatur ipsorum commiseratione, & in eis recreandis magnam adhibebat curam & diligentiam, & eos consolabatur verbis aptis ad persuadendam tolerantiam. *Ioann. 15.* *Esa 37 iuxta LXX.* *1 Cor. 5.*

XXX. NEQVAQVAM[b] ô filij, dicens, nequaquam resoluamini, & eneruemini hac temporali afflictione. Neque hoc vobis videatur optandum, à Deo omnino non corrigi. In laboribus enim, inquit, & in flagellis castigare Hierusalem. Sic dicit Deus per Hieremiam: Anima mea nunquam à te deficiat. Castigat enim, sed benignè: & castigat omnem filium, quem recipit, possum dicere ex diuina scriptura, adeò vt disciplina eius & castigatio non sit iræ, sed dilectionis, ad correctionem peccatorum: inducta propter benignitatem. Bonum est ergo, ô fratres, & valde bonum, cum hîc spiritaliter, castigati fuerimus, illic Dominicas plagas non experiri: & cum hîc ad tempus afflicti fuerimus, quæ finem non habent, tormenta effugere. Hîc enim nihil pati, longè est grauius, quàm pati: & excedere è vita absque tentationibus, vt cuius non fuerit purgata materia peccatorum multis afflictionibus, quod est apertum indicium terribilium afflictionum, & nothorum potius, quàm germanorum filiorum signum euidens. Quanquam[c] ne illud quidem omnino conturbabit animum eorum, qui sapiunt, si figmenti diuini dæmon euadit dominus. Nam datur quidem eis potestas ab eo, qui creauit, tanquam quibusdam punitoribus, hei mihi, ad castigationem filiorum qui declinârunt. Datur autem, quantum ille nouit sufficere ad castigationem, non quantum ipsi volunt. Vix enim parcerent hominibus, qui ne brutis quidem pepercerunt, vt sacra docent Euangelia. Conspiciamur ergo per hanc disciplinam sensum accipere peccatorum, & non egêre alijs plagis grauioribus, quòd incorrecti maneamus post plagam. Efficiamur probati per afflictionem. Quod contra nostram voluntatem est illatum, fiat etiam proprium voluntatis, in eo quòd moderatè feramus ea, quæ contigerunt, & gratias agamus ei, qui intulit disciplinam legibus benignitatis. Ipse percussit, & ipse nos sanabit. Et hoc habeo à Propheta: Percutiet & alligabit, & non tardabit ad curationem. Hæc dicens admirabilis Theodosius, omnibus quidem procurabat consolationem: & nonnullis etiam à morbo liberationem: alios admonens, vt forti & magno animo ferrent ea, quæ sunt grauia: & persuadens esse vtilius ea tolerare, quàm ab eis liberari. Hac ratione plurimum studij ponebat Theodosius, non vt eos, qui malè habebant, liberaret ab eo, quod erat eis molestum: sed vt potius eis persuaderet, vt ea forti & magno animo ferrent. *Matth. 8.* *Ose. 6.*

[b] Adhortatio ad patientiam.

[c] Cur diabolus finatur obsidere homines

XXXI. SED enim quomodo aliorum illius bonorum epulis auditores excipiemus? Quid enim, perinde ac si desint res præclarè ab eo gestæ, excogitabimus, quemadmodum possimus immorari in oratione? Quis enim cum eas, quæ hîc fiunt, audiêrit hymnodias, non demulcetur quidem auribus, lætatur autem animo, corde autem vehementer exilit, promptoque & alacri animo labra mouet ad laudandum eum, qui fecit, quod diuersis quidem linguis, vna autem mente & sententia canantur piè & religiosè? Quomodo[d] enim in lyra, ea quæ fit vicissim pulsatione, contemperatur vocum diuersitas numero admirabili: ita etiam hîc quoque diuersis linguis, quidam varius & valde concinnus cantatur hymnus. Hic etiam vir sapiens, sicut olim Beseleel diuini architector tabernaculi, sapientissimè & pulcherrimè dispensat & administrat in hoc sancto monasterio, & quatuor ædes intra id ædificat. Ex quibus vnam quidem dimisit ijs, qui lingua Græca vtuntur: in qua ipsa aliorum quoque patrum choro hymnus canebatur. In secunda autem genus Bessarum sua voce communi Domino fundebat preces. Tertiam autem sortita fuit gens Armeniorum: in qua quidem ipsi quoque lingua patria Deo hymnos emittebant. Vltimam autem & quartam seorsum ab alijs ij, qui vexabantur à dæmone: Qui cum erant alioqui furiosi & emotæ mentis, vt ante meminimus,

[d] Etiam antiquis patribus hymnodia & cantus fuit in vsu, tam in die, quam in nocte.

[a] Ecce septē horæ canonicæ etiam à priscis monachis frequentatæ.

mus,cum ipsi ad se reuersi,erant compositæ mentis,cum ijs,qui eis ministrabant,in ea preces emittebant altissimo. Ita ab eis peragebatur hymnodiæ regula,quæ (vt dictum est) septies in die offerebatur Deo vniuersorum. Sed [a] hæc quidem alio tempore. Nam quando oportebat veneranda participare sacramenta, lex erat apud eos pulchrè admodum constituta,vt vsq; ad diuinitus inspirata Euangelia vnusquisq; in sua Ecclesia simul & lingua, diuinam audiret vocem: postea autem omnes congregarentur in vna,exceptis dæmoniacis: in magna scilicet Græcorum Ecclesia. Quod quidem in hodiernum vsque diem faciunt:& illic sunt participes sanctificatorum.

[b] Eius discipuli quales extiterint.

Et quid opus est omnia recensere,illius,inquam,sacri pastoris & gregis: & vtrum eorum magis admiretur virtutem,an multitudinem? Num quos tota quidem sua vita parturijt spiritaliter,paternè autem nutrijt, & deinde etiam ad Deum emisit,cum pulchrè suam vitam finijssent,fuerunt numero sexcenti & nonaginta tres. Quos autem præfectus, qui post illum successit monasterio, fuerunt pluſquam quadringenti, spiritalis virtutis apertum seruantes characterem,filij patrem amantes,& filij, qui insigniter amabantur à patre. Causa [b] autem amoris, qui erat in vtrisque,erat non natura, quæ est res laude carens & mercede: sed bona voluntas & bonum animi institutum, amans id quod bonum est & honestum: & ideò laudem omnino meretur: Et possem quidem dicere cum magna voluptate, quot Pastores,quot Episcopos protulerit eius educatio, & quot ex eius ouibus fuerunt Pastores aliorum,& præfuerunt sacris monasterijs: non ipsi amantes imperium, sed potius iudicati digni qui imperarent, & digni quibus crederetur præfectura animarum: & quorum multi per se vixerunt, propter quietis ac silentij desiderium, & cupiditatem maiorum certaminum: quorum nonnullis producta fuit exercitatio vsque ad octoginta annos,& eis annorum multitudo congregauit multitudinem diuitiarum spiritalium: per quæ omnia cognoscebatur & prædicabatur Theodosius, & ei aureum conseruabatur genus, quod honore, inquam, antecellit. Per quæ ei implebantur fructus & manipuli,& merces augebatur. De vnoquoque ergo eorum libenter meminisset oratio, nisi produceretur ad immoderationem. Oportet ergo paucis dicere; nullum fuisse relictum locum, qui non commodi & vtilitatis aliquid ex eo sit consecutus. XXXII.

[c] Multi sein eius tradũt disciplinam

Postquam [c] ergo huius viri diuini fama per vniuersum orbem terræ iam peruasisset, & virtutis studiosas ad se attraxisset animas,multi quidem ex militibus, bella multum valere iubentes,referebantur in numerum eius phalangis:multi autem ex ijs quoque,qui valebant dignitate, & honores fuerant consecuti, hæc non secus atque somnia despicientes,aut potius vt alias Syrenes,quæ demulcent ad eorum, qui eas attendunt, exitium, dimittentes, toto pede ad ipsum contendebant: propter Christum ignominiam, veram esse gloriam, & ipso etiam regno meliorem credentes. Multi autem ex ijs quoque, qui erant insignes eruditione, libros quibus adhærebant,tanquam aliquibus vberibus aut fontibus,vel tanquam iucundissimas voluptates, vel tanquam pulcherrima spectacula despicantes,mâluerunt attingere institutiones elementorum vitæ, quæ ex Christo agitur: relictisque plausibus& laudibus ciuilibus, humanæ sapietiæ prætulerunt eam,quæ est propter Christum, stultitiam. Quibus [d] admodum aptè vsus fuit hic bonus pastor:imbecillioribus quidem labores alleuans,augens autem robustioribus:adeo vt neque imbecillitas opprimeretur immoderatione,neque vires insolescerent si non comprimerentur:erga omnes seipsum varians & mutans spiritali sapientia: Non virga castigans,sed sermone instituens,sermone sale condito,& qui peruadebat vsque ad profundum motuum mentis,vt qui vim haberet ex ipsa operum fiducia. Ea ratione & consolans,erat multis terribilis: & increpans,desiderabilis,& iucundus in omnibus. Quis ita fuit,& cum multis conuersans, vtilissimus, & ad sensus colligendos, & ad efficiendum vt intro conuerterentur, aptissimus? adeò, vt is in maiori esset tranquillitate in medijs tumultibus, quàm ij, qui sunt in solitudine: & idem simul esset & cum multitudine, & separatus: & illud quidem alijs, hoc verò sibi afferret vtilitatem: vel suam potius per vtrumque, siquidem iuuare proximum, est apertè iuuare seipsum. Quod [e] autem & permansit cum eo toto vitæ suæ tempore, & est veluti necessarium aliquid & semper consequens, erat diuinorum lectio eloquiorum: quam non tempus, non morbus, non senium,non aliquid aliud ex ijs,quæ accidunt,interrupit. Quinetiam cum iam esset imbecillus,& iam ad extremam venisset senectutem, nec de cætero posset amplius progredi, liber erat in manibus, & vincebantur labores à laboribus: à meditationis inquam laboribus,labores senectutis & imbecillitatis. Ad quos cum dies non sufficeret, illius lucem lucerna supplebat in noctibus. XXXIII.

[d] In illis instituendis eius prudentia.

[e] Lectio scripturæ assidua.

Quoniam autem cum esset homo, oportebat eum esse multis defessum & exhaustum laboribus, non poterat quidem noctu vna esse cum fratribus canentibus, & admonere quæ oportebat: ministro autem tanquam lingua vtens,qui ei fundebat aquam manibus, per eum significabat fratribus, & quisnam esset canticum incepturus,& quisnam facturus lectionem sedentibus,& quis chorum ducturus. Hæc autem faciebat his duabus de causis,& sibi quidem prouidens,vt assiduè vigilaret:& illis,vt regulam spiritalis officij seruarent citra vllam reprehensionem. Sed noctu hæc quidem illi magno erant præcepta Ecclesiastica: interdiu autem ad eum accedentes,qui erant ex spiritu ei geniti filij,eum seorsum interrogabant propter cogitationem, quæ eis afferebat molestiam. Apertè autem ea suadebat, quæ pertinebant ad eorum vtilitatem, non sermone solum docens, sed etiam vitâ ea, quæ dicebantur, confirmans. Quo quidem tempore erat,quod fiebat,non procul à miraculo. Nam [f] vir ille,qui externam ne gustauerat quidem sapientiam,& in libris gentilium ne linguam quidem exercuerat, tanta verborum copia faciebat admonitiones,vt nullus eorum, qui in his libris consenuerant, & arte dicendi linguam satis acuerant, facilè possent cum eo contendere. Docebat itaque non ex humana sapientia,sed ex gratia boni spiritus, qui ad eum veluti dixerat: Ecce dedi verba mea in os tuum,sicut olim Hieremiæ sapienti: ex seipso quidem multa dicens,eaque elegantia: multa autem etiam ex dictis Apostolicis. Maximè autem crebro recordans salutarium constitutionum & sermonum, qui instruunt ad exercitationem,[g] Magni, inquam,Basilij: cuius etiam vitam imitans, & eius orationis magno captus amore, studebat animam quidem illius moribus,linguam autem eius ornare eloquentiâ. Certè per ipsam quoque proferebat ea, quæ sunt rerum illius pulcherrima,meditando assumens, & conseruans memoria, quæ possent prompti animi studium inijcere vel socordioribus. Bonum autem fuerit illorum ipsorum quoque meminisse verborum,quæ memoria tenere curæ erat Theodosio. XXXIV

[f] Singularis eius copia in adhortando.

Ierem.1.

[g] Constitutiones monasticæ Basilij Magni.

[h] Eius exhortationes ad fratres.

Rogo,[h] fratres, per charitatem Domini nostri IESV CHRISTI, qui dedit seipsum pro peccatis nostris,agrediamur aliquando curam gerere nostrarum animarum:dolore afficiamur ob vanitatem vitæ nostræ præteritæ. Decertemus pro futuris ad gloriam DEI & filij sui. Ne remaneamus in hac socordia & mollitie, præsens quidem semper ocium admittentes,in crastinum autem diem & perendinum, principium operum differentes:Ne si comprehensi fuerimus ab eo,qui nostras animas decipit, nequaquam instructi opibus, excludamur à thalamo gaudij: frustra autem & incassum defleamus, despectui malè habitum vitæ tempus lugentes, tunc quando nihil iuuabit eos, qui agent pœnitentiam: Nunc est tempus acceptabile, nunc est dies salutis. Hoc est tempus pœnitentiæ, illud remunerationis: Hoc est tempus operandi, illud verò dandæ mercedis: Hoc est tolerantiæ, illud consolationis. Nunc DEVS est adiutor eorum, qui conuertuntur à mala via. Tunc erit terribilis, & qui decipi non poterit, examinator rerum, & verborum, & cogitationum. Nunc fruimur patientia: tunc iustum cognoscemus iudicium, quando resurrexerimus, alij quidem ad æternum supplicium, alij autem ad vitam æternam, & recipiet vnusquisque congruenter suæ o- XXXV

2. Cor 6.

Ioann 5.

suæ operationi. In quod tempus Christo obedire differimus, qui vocauit nos ad regnum suum cœleste? Non expergiscemur? Non nos reuocabimus à vita consueta, ad perfectionem Euangelij? Quomodo oculis apprehendemus illum terribilem & insignem diem Domini, in quo eos quidem, qui dextræ Domini per bonas appropinquant actiones, excipiet regnum Domini: eos verò, qui ad sinistram sunt abiecti, propterea quod à bonis deserti sint operibus, absondet gehenna ignis, & tenebræ æternæ, & stridor dentium? Nos[a] autem dicimus quidem nos cupere regnum cœlorum: ea autem non curamus, quibus id possimus assequi, sed pro præcepto Domini nullum laborem suscipientes, in vnitate mentis existimamus nos esse æquales honores consecuturos ijs, qui vsque ad mortem resistunt contra peccatum. *Matth. 25.*

[a] Aduertãt hæc qui solam fidem iactitant.

XXXVI. Deinde cùm hucusque perfecisset orationem, nonnunquam ea etiam, quæ sua erant, addebat, & quæ excitabant ad obedientiam, & parabant ad tolerantiam, & vnibant ad concordiam. Addebat autem sua, non vt quispiam se iactans & glorians: sed qui seipsum ostenderet eadem sentire: & simul ea quidem, quæ iam dicta sunt à veteribus, propter breuitatem verò, vel sententiæ magnitudinem, vulgi captum excedunt, ipse suis additamentis reddens apertiora, manifestaque & clara reddens omnibus. Atque sic quidem vtebatur sacer Theodosius ea, quæ ad docendũ comparabatur, oratione: ea verò, qua traduntur dogmata, quomodo se habebat? & quis erat eius in ijs sermo & zelus? Anne de hoc quidem est scisciandum, vtpotè quòd res omnes loquantur quauis voce apertiùs, & eius zelum pro pietate prædicent? Illud autem est potiùs diligenter quærẽdum, quænam lingua sit erudita & facunda, vt possit rectè explicare illius linguæ trophæa. Nam[b] is quidem in alijs quidem omnibus erat mansuetissimus & promptissimus, vt honestè potiùs vinceretur, quàm non laudabiliter vinceret. Vbi autem erat in pietate & vera religione periculum, erat illic stabili & forti sententia Theodosius, & nullius cedebat obiectioni: vt qui cerneretur acri & inuicto animo, ignis comburens, aut securis scindens, aut romphæa pugnatoris, vt dicam quæ diuinæ sunt scripturæ. Eius autem, quod dico, argumenta sunt multa quidem alia, mihi autem sufficiet vnum reducere in memoriam.

[b] Zelus pro pietate & religione.

XXXVII. Tvlit[c] aliquando nostrum quoque tempus Imperatorem, qui priùs quidem fuerat, quantum apparebat, paradisus voluptatis: postremo autem rebus fuit cognitus campus destructionis, & vnus scilicet ex ijs pastoribus, qui sui gregis oues dispergant & perdunt, & eos turbida potant subuersione. Et vt reliqua illius prætermittam, hoc quidem accipiet, quod post nos sequetur, tempus. Neque enim par est, vt id mandetur obliuioni propter eos, quorum est scelus insigne: qui, vt dicit Isaias, concipiunt *laborem, & pariunt iniquitatem. Heu[d] mihi, impius, siue ab alijs ad hoc motus, siue huc sceleratum fœtum ex se produxerit: (Stultus enim, inquit, stulta loquetur, & cor eius vana cogitabit) Patrum, qui Niceæ fuerunt, sacra dogmata, tanquam montem Sion & turrim fortitudinis scilicet aggreditur, illa quidem volens abrogari, valere autem sententiam[e] Acephalorum, quam à ratione alienam, & verè ἀκέφαλον, hoc est, carentem capite, iure quis dixerit. Potentiæ autem admiscet improbitatem, vt hac quidem deciperet, illa verò effectum redderet quod contendebat: vt neque vis, si esset immixta & persuasione minimè contemperata, molesta videri possit, & planè violenta, vt quæ robur accepisset ex sola occasione. Neque rursus persuadere, si impotens sit, sit imbecillum, & quod possit pauca & apud paucos efficere. Hinc alios quidem ex Episcopis adoriebatur minis & exilijs, alios autem honoribus & assentationibus: & nonnunquam etiam corrumpere pecunia, & suum malum aliorum quoq; efficere, & morbum communicare contendebat, mutabilis non minùs quàm Proteus, vt Græci dicunt, & non minus mente, quam ille adspectu varius. Postremò[f] autem hanc quoque magnam turrim aggreditur. Machinæ autem erant aurum, idque non paucum, vt posset contemni, sed quod redibat ad summam triginta librarum: eratque donum non nudè & apertè donum, nè non acciperetur, vt quod suspicionem pareret auaritiæ: sed id quoque occultabat prætextus speciosus & valdè probabilis, nempè pauperes, & quæ erant necessaria ad vsus fratrum ægrotantium. His[g] virum conabatur ingenuum redigere in seruitutem. Et si bonum existimas & gratum piorum animis id, quod à te, ô vir egregie innouatur, ego illi dixerim, cur non ab eo ipso finis trahi amatores, & propria vinci pulchritudine eos qui sunt pulchri amatores: sed id pecunijs ornas & muneribus, quod solet fieri turpibus & deformibus, vt quæ sint, aliena ornamenta & artificia?

[c] Anastasiũ Imp Intelligit. *Esaiæ 59.* * *dolorem legit Bar.*

[d] De Anastasio Imp loquitur. *Esaiæ 32.*

[e] Acephali hæretici.

[f] Auro oppugnatur vir sanctus ab Anastasio anno 511 vt notat Bar.

[g] Verba hęc sunt authoris inuehentis in Anastasium.

XXXVIII. Cvm ergo cognouisset ille magnus id, quod fiebat ab illa pusilla & abiecta anima, temerè aduersus se comparari, erat, vt vulgo dicitur, aquila in nubibus: vt qui nec posset capi nec vinci, sed reuera potiùs eam capit, qui simulabat. Nam[h] aurum quidem non repellit, nè fortè videretur temerè suspicari, & offensionis aliquam præberet occasionem: sed duplici damno afficit aduersarium: simul quidem priuans pecunijs, cùm esset alioqui auarus: & simùl etiam spem vanam & inanem ostendens, qua ducebatur, & quæ scopo nihil habebat consequens. Sed quem leonem existimabat se iam habere in pedicis, eum cum in se concitâsset vehementissimè, præclare ostendit, vt est in prouerbio, capream inijsse pugnam aduersus leonem. Nam cùm iam tempus aduenisset, & ille ab eo petijsset confessionem, & adessent qui ea de causa missi fuerant, hîc mihi considera eius animi virtutem & fortitudinem. Nam cùm omnes simul congregâsset ciues solitudinis, & dixisset esse tempus, vt finem acciperet dictum illud Propheticum, quod iubet mitem fieri pugnatorẽ, & eos instruxisset ad suscipienda pro pietate certamina, se ostendit esse ducem, se militem, se virum strenuum & fortem, & primum in omnibus, & cum Imperatore per literas est congressus. Et lubentissimè quidem meminissem illarum ipsarum probationum, quibus Theodosius apertas nugas esse ostendit ea, quæ ex propositis videbantur esse validissima: sed propter prolixitatem, & ea spectans, de quibus agitur in præsentia: multis enim manibus opus esset & libris: solùm meminero eius dicendi libertatis, qua vsus est in fine. Sic enim paucis ostendetur, quam esset homo liber, & qui nequaquàm deijci deprimive poterat. Sic autem habent ea, quæ scripta sunt.

[h] Egregiè eludit artem hæretici Imperatoris.

XXXIX. Cvm[i] hæc duo sint nobis proposita, ô Imperator, vel turpiter & illiberaliter viuere consentiendo Acephalis, vel honestè mori sequendo recta Patrum dogmata: scito mortem à nobis esse præferendam. Tantum enim abest, vt hæc noua sequamur dogmata, vt non solùm in loco mansuri simus, præcedentes Patrum leges sequentes: sed eos etiam, qui præter hæc alia tueri sustinuerint, piè abdicabimus, & subijciemus anathemati: sed nec vllum ex Acephalis ordinatum, per vim suscipiemus. Absit vt hoc fiat, ô rex Christe: & si tale quid contigerit, veritatis Deum præsidem testantes, vel potiùs illum ipsum, qui nunc ab ipsis maledictis & blasphemijs appetitur, vsque ad sanguinem resistemus: & quomodo pro patria, ita pro recta fide lubenter animas profundemus, etiamsi ipsa sancta loca igni perdenda visuri sumus. Quid enim opus est solo nomine, quando ipsa sacra reuera afficiuntur contumelia? Nos ergò[k] nequaquàm admittemus aliquid sentire, tantum abest vt dicere, quod discrepet à sanctis & œcumenicis concilijs. Ex quibus primum quidem ornatur trecentis decem & octo Patribus, qui cum aduersus Arrium in sancto Spiritu Niceæ[l] conuenissent, anathemati miserum subijciunt, & à corpore abscindunt Ecclesiastico, alienantem à patris essentia eum, qui est natura filius, & introducentem dogmata aliena à recta fide. Secundum[m] autem impulsu diuino congregatum aduersum Macedonium, qui ipse quoque sceleratè loquebatur aduersus bonum spiritum, eum abdicat. Tertium[n] autem aduersus prophanam & execrandam linguam Nestorij, qui ipse quoque absurda erat locutus aduersus Christi carnis susceptæ consilium, pulchrè Ephesi conuenit. Post hæc, quod fuit etiam[o] Chalcedone sexcentorum & triginta diuinorũ Patrum: qui cum ét ea dixissent, quæ conueniebant prioribus, & quæ illi dixerant, adhuc accuratius exposuissent, infelicem & execrandum Eutychem vna cum Nestorio abscindunt à corpore Ecclesiæ, & fidem confirmant

[i] Epistola eius ad Imperatorem.

[k] Quatuor Concilia Oecumenica.

[l] Nicenum.

[m] Constantinopolitanum

[n] Ephesin.

[o] Chalcedonense.

[a] En quam constanter vir sanctus Conciliorum decretis censuerit inhærendum.

confirmant Apostolicam:& quicunque non ita sentiebat, decernunt esse alienum ab Ecclesia. Aduersus [a] hæc & ignis accendatur,& ensis acuatur,& mors quoque nobis acerba adferatur: imò verò, si fieri possit, pro vna innumerabiles, nos verò nunquàm prodemus veram religionem,neq; ea,quæ rectè placuerunt Patribus, ea abrogando probro afficiemus,testes sint eorum sudores,quos pro fide susceperunt, & multæ dimicationes:sed ea manebunt firma & immobilia,& apud nos, & apud eos, quos fas est & Deum & nos sequi.Pax autem Dei,quæ superat omnem mentem: sit custos & dux tuæ potentiæ.

[b] Epistola Imperatoris ad illum

CVM hanc Imperator accepisset epistolam, mittens & vim afferre, & conari persuadere, se potius submittens, XL. aggressus est se de ijs excusare, quorum accusabatur, & sic composuit epistolam: Huius innouationis, ô homo Dei, nos non sumus authores. Testem [b] confidenter inuocamus, qui omnia cernit, Dei oculum: sed ab illis oritur hic motus,quos plus, quàm alij, oportebat hæc honorare silentio. Nunc autem cupientes singuli primi videri & dicendi facultate & dignitate, seipsos feriunt, & nos ad se inuicem attrahunt. Quid nos ergo aliud oportet facere, quàm dum ij mouentur, nos non simul moueri, sed quietem amplecti: vt sic persuadere possimus eis, qui hîc mouere statuerint,dimissa tali contentione,vnà nobiscum quiescere? Omnino enim tuam non latet pietatem,quòd quidam monachi & clerici, qui rectam fidei sibi vindicant sententiam hæc mouere scandala,seipsos, vt diximus,studentes ostendere primas obtinere partes in harum rerum cognitione :& quòd mysterium & fidem in ore suo circumferant. Quæ quidem cum non possint comprehendi ab hominibus, nihil aliud quam illos mendaces ostendunt & sycophantas. Ex quo etiam proficiscitur magna Dei in nos indignatio, eò quod existimamus mysterium non esse mysterium, nec ex sola fide consistere, sed ex absurdis nugis: & condemnamus eos,qui nos docuerunt Deum fide & mysterio colere, Vos ergò nunc quoque oportet, si vnquam, orare pro Ecclesia, vt nos benignis oculis adspiciat, & pacem suis conciliet Ecclesijs,quæ tam malè sunt diuisæ propter studia ipsorum Præsulum. Quæ autem à vobis missæ sunt eulogiæ,nobis admodum lubenter ostensa sunt:nostrum autem quale sit institutum, annunciabunt pij monachi,qui à vobis missi sunt.Et hoc quidem modo se habuit epistola.

[*] *Imperator legit Baron.*

SED qui hæc quidem scripserat,[*] Imperatorem, & tunc de furore paululum remiserat, & bellum, quod aduer- XLI. sus rectam opinionem, vel suum potius caput gerebat, repressérat:non multo interiecto spatio,grauis subit pœnitentia: & perindè ac si eum pœniteret, quòd omnino parùm esse pius statuisset, & se facilitatis nimiæ condemnaret,ad priora est reuersus. Difficile enim est, vt est in prouerbio, asinum confricantem auertere. Rursus [c] ergò edicta aduersus pietatem, rursusque egregius martyr citra sanguinem: siquidem consideranda est voluntas, & non rerum exitus. Nam cum omnes essent plane consilij inopes & dubij quid agerent: & alij quidem blasphemiam defenderent, alij autem vererentur vel solummodo contradicere: fortasse autem etiam hac in re communi Patri, dicendi libertate cederent, & veluti ducis signum expectarent: tunc tunc euadit manifestum, qualis etiam senectus, qñ zelo confirmatur, se fortiter & iuueniliter gerit aduersus ea, quæ pro bono & honesto suscipiuntur pericula. Contemptis enim illis scriptis & decretis, minisque innumerabilibus, turbaque quæ Imperatorem & Deum ex æquo reuerebatur, militibusque qui eos obseruarent, qui essent tale quid dicturi: Illis omnibus contemptis, tanquàm vanis strepitibus, & dicens non esse suum, sed puerorum talia horrere tonitrua, leonis suscipiens imperium, cum Dei templum esset ingressus, & suggestum conscendisset, in quo solent legere Sacerdotes, manu populo significans silentium. Si quis [d], inquit, quatuor sanctas synodos non tanti esse existimat,quanti quatuor Euangelia,sit anathema. Hæc cum dixisset, & tanquàm angelus populum adduxisset in admirationem, & vocem omnibus ademisset præ miraculi magnitudine,per silentium procedit per medium eorum tanquam dormientium, & existimantium se in somnis videre,non autem verè,id quod fiebat. Et fuit hoc quidem viri stratagema,ex quo dictas quoque sanctas synodos,in sacris diptychis collocare statuerunt.

[c] Constantia Theodosij.

[d] Eccè quãta sit quatuor Conciliorum generalium authoritas, quæ etiam D. Gregor. vt quatuor Euangelia amplectitur.

CVM post hæc autem nihil esset cunctatus, & nec parum quidem substitisset, obijt ciuitates quæ erant circum- XLII. circa, discipulos & alios suos sectatores ex solitudine, veluti quidam dux exercitus, eos qui sub se erant, inducens. primus canos, primus etiam ostendens promptum animi studium. Omnes obiens, factus omnia omnibus, certiores reddens eos qui dubitabant: adhuc confirmans eos,qui erant stabiles: eos excitans,qui erant socordiores: eorum qui erant prompto & alacri animi studio, augens diligentiam: addens animum ijs, qui extimescebant: adhortans eos, qui decertabant: terrens aduersarios, quòd tam esset magno ac generoso animo, vt ad eum non pateret aditus: medicinæ celeritate omnem morbum præueniens, docens omnes, quòd Dei verbum esset quidem idem simul Deus & homo, vna autem hypostasis siue persona, vtrumque eorum habens natura, diuinitatem scilicet & humanitatem. Ad ea autem,quæ dicta sunt,probanda adduxit illam sanctam synodum [*] œcumenicam,quæ ipsa quoque de Christo sic agit, & ea ratione effugit declinationes hæreticorum, quæ fiunt in vtranque partem. Nam eo, inquit, quòd vnam confiteatur personam, repellit impiam Nestorij hæresim: eo autem, quòd non neget duas naturas, Eutychetis & Dioscori magis impiam exturbat hæresim: neque similiter, vt Nestorius, Christum vnum diuidens in duos filios & hypostases: neque similiter ac Eutyches & Dioscorus & etiam Seuerus, in vnam confundens naturam, vnius scilicet Christi diuinitatem & humanitatem. Nam plus quam par sit, habet vnusquisque eorum: vnus quidem fugiens diuisionem, alter verò contractionem: ille quidem ad hoc, vt duos diceret filios: alij verò, vt nè vnum quidem propriè filium faterentur, miserè exciderunt. Nam [e] Nestorio quidem, quoniam vtique timebat confusionem, venit in mentem, vt diceret habitudine solùm & dignitate seu authoritate factam esse diuinitatis vnionem humanitati: adeò vt cum naturis duas quoque valde impiè defenderet hypostases, & duos introduceret filios: vnum quidem Deum, genitum ex patre seorsum & separatim: alterum verò, qui ex sancta Virgine, per gratiam solum ei tribuens dignitatem adoptionis.

[*] Chalcedonensem intelligit.

[e] Error Nestorij.

[f] Eutychetis, Dioscori & Seueri.

EVTYCHES [f] autem & Dioscorus, & etiam Seuerus, qui se eis nuper adiunxit, & impietatis elegit esse parti- XLIII. ceps, vt qui vellent absurdissimam Nestorij tollere diuisionem, malum malo medicantur: & ipsi quoque rursus stultè audent introducere confusionem, vnam & eandem nominantes naturam diuinitatis & humanitatis, & ad passionem, quantum ad eos attinebat, non verentes deducere impatibilem diuinitatem. Si enim eorum sententia vna est Christi natura, is autem est reuera Deus & homo: fuit ergo diuinitas mortis quoque particeps. Sed scelerata his ora obstruantur, & mali malè cum suis pereant dogmatibus. Eos autem increpet beatus quoque Petrus, Christo passo pro nobis carne, dicens, sed non etiam diuinitate. Nam etsi quod attinet ad essentiam, vnita erat Christi diuinitas carni patienti, non fuit tamen ipsa socia passionis. Nam quomodò esset? est enim diuinitas omnino impatibilis. Rectè ergò & securè prædicatum est ab hac sancta synodo, duas naturas diuinitatis & humanitatis, inconfusè, immutabiliter, citra diuisionem, in vna honorari persona: eundem ante secula quidem genitum ex patre, quod attinet quidem ad diuinitatem: in extremis autem rursus temporibus natum ex sancta Virgine, recentiori lege humanitatis: patri & matri similem essentia, eundem sine patre & sine matre: vt qui illud quidem pulchrè esse cognoscatur ex ea, quæ infernè fuit, generatione: hoc verò ex ea, que supernè, vnigenitum, & primogenitum. Illud quidem, quod attinet ad naturam diuinitatis: neque enim, quod ad eam attinet, est ei frater: hoc verò, quod attinet ad essentiam humanitatis. Multi enim post eum fuerunt, à patre in filios adoptati per baptisma.

1. Pet. 4.

HAC

XLIV Hæc[a] ergò & his similia docens ille lingua libera,& quam acuerat confidenter loquendi audacia:quoniam Imperatorem ad iram magis prouocauerat, ab eo perpetuo damnatur exilio: ab eo, inquam, qui iam ineuitabilem suam exterminationem, & quæ hinc erat futura, venientem ignorabat migrationem. Et ideo ipse quidem à vita tunc præsente,hic autem vir diuinus liberatur statim ab exilio, & vehemens ille fluctus sedatur ecclesiis, nutu eius planè facit iudicium ijs,quibus fit iniuria,& diuiniore decreto.Et qui in eam quidem prædonũ instar impetum fecerant, quod facturi erant,ipsi passi sunt:& testa, vt est in prouerbio, conuersa, damnati sunt exilio. Qui autem expulsi fuerant è suis sedibus, in eas gloriosè sunt restituti, & gregi suo vnusquisque redditus est mirabiliter. Sic ille conseruatus, non ijs solùm,qui aderant & spectabant certamina,sed ijs etiam, qui omnino longè erant remoti, fuit admonitio & zelus ad virtutem. Nam cùm de eo intellexissent, & qui veteris Romæ sedem pulchrè tenebat, (is autem erat Agapitus)& qui Antiochenam sedem regebat Ephraim, ipsi quoque literis rectam fidem prædicabant. In quibus multa quoque sunt ad laudem huius beati composita, quæ non minorem afferebant gloriam ijs,qui scripserant, quàm ei qui laudabatur: quod non ad gratiam,sed planè ad veritatem fieret laudatio. Quoniam autem difficile est, recensere omnia eius certamina pro fide orthodoxa, oportet illud in summa dicere, quod ipsi quoque cum Propheta inimicos Christi odisse mirabiliter inerat:maximè autem ostendebat se auersari Origenem, qui existimauit suum in hoc ponendum studium, vt diuinæ Apostolorum prædicationi nugas contexeret gentilium, & luderet in rebus minimè ludicris.

[a] Ab Imperatore damnatur exilio

[b] Anastasio mortuo, restituitur à Iustino Imp. anno 518.

[c] Restituũtur etiam alij. *Psalm.* 138. Auersatur Origenem.

XLV. Sed tempus est transeundi ad ea, quæ deinceps sequuntur, & huius viri miraculis piorum ac religiosorum auribus gratificandi. Nam cùm Imperator impius edicta in omnes partes misisset, vt omnes, per cognationem, inquam, & sodalitatem, in eundem locum conuenirent: congregatus quidem est hic quoquè sacer cœtus, senum qui erant in solitudine, insignis canities, circa locum qui dicitur Hieratheon, cum communi patre & filiorum amante. Est autem hoc, locus cathedræ: quod fama est excitasse Constantinum, magnum inter Imperatores: in quo mos est, qui perpetuo seruatur, vt[c] crux veneranda quotannis exaltetur. Quædam autem mulier, quæ morbo laborabat in mamilla:cancrum eum solent nominare medici: Ea autem cùm iam longo tempore ab eo premeretur,& à nulla quidem abstinuerat medicina: ex ea autem nullum adiumentum ceperat, nisi quòd in Deo magis sperabat, quòd humana desperaret remedia.Ea cùm ingressa esset per Angelicam,quæ dicitur, portam, tristis stetit propè chorum, qui erat circa ipsos:& ad vnum ex ijs(is erat religiosissimus Isidorus) adspiciens, qui postremo præfuit sancto Sucelauræ monasterio,cùm & figura & adspectu & lachrymarum fluxu significâsset dolorem, qui eam vehementer cruciabat, & deinde propiùs eum accessisset, (neque enim sinebat dolor eam seruare illum pudorem, qui decet mulieres) rogauit an cum sacra hac multitudine magnus quoque esset Theodosius, & qualis is esset adspectu. Viri enim fama ad eam satis peruenerat. Is autem cum didicisset causam, propter quam eum quærebat, & simul morbum vidisset, & quàm vel solo adspectu esset molestus, auertens oculos ab acerbo spectaculo:deinde etiam sciens, quòd illius fuerit,& eius qui est in eo spiritus,hæc potenti soluere medicamento gratiæ:quoniam nec ipse erat ignarus illius in Christo virtutis,mulieri medicum ostendit digito,& signis eum accuratè describit.

[c] Crux quòt annis exaltatur.

XLVI Illa vero sensim & sine vllo strepitu accedit, eum valde sitiens,& in animo habens illam, quæ laborabat profluuio sanguinis. Deinde [f] cum propè esset,mamillam sensim aperuit, fecitque vt cucullam attingeret, & rursus sicut illa suffuratur curationem, & à magnis doloribus citra laborem inuenit solutionem. Simul enim ac pannum attigit, eius dolor recessit:perinde ac si tenebræ aliquæ solutæ essent aduentu luminis, aut fœnum ignis irruptione.Ille[g] autem (nullo enim modo poterat ignorare, quòd ea tam pulchrè & ex fide fuerat suffurata) protinus est conuersus, & cùm vidisset mulierẽ,soluit timorem, qui eam inuaserat,in magnum gaudium curationis: Esto dicens bono animo ô filia. Meus enim dixit Dominus: Fides tua te saluum fecit. Dominus Isidorus confestim currens ad mulierem,(cupiebat enim oculos quoque suos pascere adspectu miraculi) cùm ad eam peruenisset, & curiosius adspexisset, videt mamillam planè sanam, & omnis morbi adeò expertem, vt nec cicatrix, nec vllum in eo esset impressum vestigium grauis, quod paulò ante fuerat,vlceris.Ita Deus aperit illam, quæ latet, virtutem, & eos, qui illius solùm oculis volunt manifesta fieri, quæ ab eis rectè geruntur, non sinit abscondi, nec relinquit in angulo:nec vt prædicentur, eis solũmodo reseruat in futurum;sed eos quoque,qui hîc sunt abditi, producit in lucem, & prædicat: & eos, qui sunt sæpè obscuri & inglorij,claros facit & illustres, & fedère facit cum populo potentum. Verumenimuerò hoc quidem est eiusmodi. Oportet autem alia quoque persequi.

Matth 9.

[f] Etiam prisci monachi cucullã vtebantur.

[g] Insigne miraculum *Matth.9.*

XLVII Postquam enim tyrannum quidem falx mortis abstulit, patribus autem certè successit id, cuius studio tenebantur,& vnusquisque ad suum redierat monasterium, modò quidem ibat Bethleem hic vir præclarus: modò cum orâsset,reuertebatur. Magnum autem laborem itineris recreans,diuertit ad Martianum. Cum[h] autem venissent ad amplexus,& se inuicem spiritali impertijssent osculo, cum eo anima quoque congrediente, primum quidem fuit eis apposita mensa sermonum,quibus præclarè suos pascebant animos,se oblectantes sanctorum eloquijs,& senũm narrationibus,cum quibus intercedebat eis morum cognatio. Cùm[i] autem tempus inuitaret, vt meminissent etiam alimenti corporis, non aderat quidem frumentum,vt panis apponeretur: lentem autem discipulis iussit coquere Martianus. Et illa quidem fuit apposita sine pane. Cùm autem cognouisset magnus Theodosius tam apertam inopiam, qui egens erat,fuit diues in inopia,ipse que magnopere studebat, vt lautiori conuiuio exciperentur hospites. Iussit ergò discipulo, vt è pera proferret panes, quos parauerat ad viaticum. Et illi quidem producti sunt & appositi. Ij verò propter charitatem,quæ lætificat,non minùs lautum celebrárunt conuiuium ex ijs,quę erant necessaria,quàm si prolati essent cibi superflui.

[h] Mensa sermonum rũ optimorũ.

[i] Nota laudatitias sanctorum patrum.

XLVIII Vt solet autem fieri,sermones quoque admiscentur conuiuio, & complures ex ijs lepidi & iucundi. Hilariter autem diuinus cum rogabat Martianus, dicens: Noli ægrè ferre tanta fame laborans hospitium, nec conqueri quod panem vobis non apposuerimus, cùm frumentum nobis admodum turpiter defecerit. Cùm hoc dixisset, admirabilis Theodosius defixis oculis in barbam Martiani, vidit granum frumenti, quòd nescio vnde ceciderat, & illinc sustulit hilari,& cauta dextera,& dixit:Eccè frumentum. Quomodo autem dicitis vos egere frumento? Et hoc quidem ab eo dictum vel etiam factum fuerat lepidè & iucundè.Ille[k] autem cùm granum, tanquam egregiam aliquam & præstantem sementem, supinis manibus accepisset, id ponit in horreo frumenti, credens eam sine labore multum fructus allaturam, & esse superaturam agricolarum industriam. Id autem ei accidit longè ampliùs & copiosius, quàm sperabat. Nam cum sequenti die esset horrei ostium aperturus (ô arcana tua Domine miracula) videt quæ intus erant plena fructibus:qui reuera prouenerant absque agricultura, aut potiùs cum agricultura soliùs orationis. Cùm ergò nihil esset in eo cunctatus Martianus, statim mittit vnum ex suis discipulis ad magnum Theodosium, ei significans mirum & ineffabilem rei euentum, & simul ad admirabilis spectaculi societatem eum vocans. Postquàm ergò is quoque venit,ostium quidem erat parum apertum, frumentum autem à se ipso extrudebatur, cum non posset horreum capere multitudinem,& sic ex eo per multum foras effundebatur. Hoc est prioribus quoque simile,& miraculo de panibus nihil dissimile, quod olim meus effecit Christus. Nam vna omnino est vtrisque operatio: nisi quod illic quidem ipse erat præsens & administrans: hîc autem suo famulo vtens ministro miraculi, sicut priùs quoque Apostolis.Post hoc autem oportet illius quoque meminisse.

[k] Nota eximium miraculum

Mat. 14. 15.

[a] Matronæ ditissimæ & religiosæ filius mirè seruatus.

MVLIER[a] quædam, cui insignis patria erat Alexandria, ingentibus autem abundabat opibus: dicatur id etiam XLIX
quod erat in ea multò melius, & dignius quod committatur auribus, nempe quod & diues erat bonis moribus, & curam gerebat vitæ piæ ac religiosæ. Ea cùm accepisset filium, (erat autem hic ei vnigenitus, & solus in se rectè seruans semina generis) ventitabat ad monasterium, & adducebat eum ad pedes magni Theodosij. Puer verò etiam antequam adduceretur à matre, vbi procul vidit Theodosium, protinus illum esse exclamauit, qui eum super puteum sustinens conseruauit. Rogata autem mulier, quidnam sibi vellent ea, quæ dicebantur à puero, dicebat eum quidem lusisse vnà cum æqualibus: cùm autem ludo esset intentus, & non præuideret, quæ erant in pedibus, deiectum fuisse in puteum, eumque profundissimum. Et qui aderant quidem, immaturam & acerbam mortem pueri deflebant. Nemo enim erat, qui non existimaret puerum fuisse statim ab aqua suffocatum. Quid enim ex ea re poterant aliud suspicari? Deindè etiam se humanè gerentes, seipsos statim demittunt in puteum: non vt eum acciperent antequàm moreretur: (Quomodo enim eius esse posset vel spes minima?) sed vt antequàm corrumperetur, eius corpus attraherent, matri donum calamitatis, & acerbum oculis spectaculum, & stimulum doloris, tanquàm ex naufragio conseruatum, simul & fugiendum & desiderandum matris oculis. Postquam autem descenderunt, & cùm inuenerunt sedentem super aquas, & nec tantillum quidem madefactum, sed qui sustinebatur veluti ab aliquo solido, ore aperto manebant, mirabantur, dubitabant, nesciebant quidnam cogitarent de eo, quod cernebant. Sed cùm eum ex aquis extraxissent, & non absq; diuina prouidentia rem factam fuisse iudicâssent, eum rogabant: is dixit, quendam adstitisse monachum, tali habitu, amictu & formâ præditum: dicens omnia insignia, quæ erant patris Theodosij longè simillima. Et huius, inquit, mihi manus causæ sunt, nè in aquis interierim, quæ me rectè sustinebant, & efficiebant vt essem aquis superior.

HÆC mater & narrabat & adijciebat: Ego, inquit, cum ex illo tempore filium accepissem, vrbes obeo & vicos L
& montes & præcipitia, labores subiens, multos quidem, sed non iniucundos, vt liceret mihi incidere in eius seruatorem. Nunc[b] autem cum eminus eum agnouisset filius, mihi quoque matri dedit vt agnoscerem: & eum apertè prædicat libera lingua, & quæ suspicionem omnem superat & mendacium, meque gaudio repletam & admiratione, & veluti quodam diuino furore percitam, non siuit quiescere. Hæc cum dixisset ad opus quoque accessit, vt quæ protinus ad genua patris aduolueretur, & illius poplites ambabus prensaret manibus, & complecteretur labris simul, & animo, calidas in eo lachrymas effundens: & seruatorem, & vitæ authorem, non solum filij, sed suæ quoque magnum vocans Theodosium: reuera enim ei fuisse futuram deinceps vitam non vitalem, aut vel ipsa morte longè amariorem, si tam intempestiuè, inquit, & miserè ei filius interijsset.

[b] Is agnoscit S Theodosium, à quo fuit seruatus.

[c] Mulier post crebros abortus saluam edit prolē.

POTEST autem oratio quoq; aliquid aliud dicere, simile præcedenti. Nam[c] quædam alia mulier, quæ in partu LI
quotannis grauiter laborabat, & nec ex eo aliquam capiebat vtilitatem. Priusquam enim infans editus esset in lucem, è vita excesserat, & labores luctus, & mors partum excipiebat. Hæc ergo quæ sic & multos pariebat filios, & erat orba filijs, cum iam longo tempore eo malo esset vexata, vix tandem inuenit mali medicamentum: & cum ad sanctum confugisset, eique affectionem suam dixisset & calamitatem, lachrymis potius quàm verbis virum orat vehementer, vt malum ei sisteret, ne amplius progrederetur. Sistetur autem, inquit, non aliter, quàm solo tuo nomine, si permiseris id quod nascetur, sic vocari. Et hoc erit, inquit, mihi & solutio calamitatis, & filio causa vitæ. Hæc cùm petijsset, & annuentem magnum nacta esset Theodosium, & quod deinde natum est, Theodosium nominâsset, vehementi quoque fide dignam inuenit mercedem. Non ampliùs enim partus labores ei peperêre lachrymas, sed apertè lætitiæ occasionem, cum eum, qui inter viuos erat primogenitus, Theodosium adhuc videret superstitem, & complentem chorum monachorum eius, qui illum genuerat secundum spiritum: & orationis fructum potiùs, quàm alui, conspici ex operibus: quandoquidem hæc quidem morientium, illa verò viuentis mater fuit, & ideò adductus est ad monasterium ab ea, quæ genuit, & vicissim Deo est redditus: vt sicut præsentem, ita etiam manentem vitam consequeretur. Multa alia eiusmodi posset quispiam illius recensere.

Item alia.

QVÆDAM itaque alia mulier, profecto quidem ex ciuitate Bethleem, quæ similiter in partu laborabat, æquè LII.
autem infelix erat eius euentus, & in pariendo grauiter affligebatur, & in magnū vocabatur periculum, eandem quoque impetrat à magno Theodosio, eodem medicamento vsa ad curationem, & filio suo eodem, quo ille, vocato nomine. Quem non solùm vidit grandem, & qui iam ad virilem ætatem peruenerat: sed manuum quoque artificio præstantem, & qui fuit ædificator optimus sui temporis. Sunt admirabilia, quæ dicta sunt: sed quæ restant, sunt ijs longè admirabiliora.

CVM bruchus aliquando & locusta terras depopularentur, ineuitabilibus senectutis vinculis vinctus magnus LIII.
Theodosius, & qui nec liberis quidem pedibus vti poterat, saluti multorum postponens omnia, ita vt erat affectus pedibus, & baculo more senum supplens quod sibi deerat, viam peragit: vt sic magis Deum quoque traheret ad misericordiam, vt qui adspecturus esset necessitatem eius profectionis. Discipulis ergò manus sustinentibus, & omnibus modis eius ingressum adiuuantibus, peruenit ad locum eius innixus, vbi[d] bruchorum & locustarū multitudo ingens, agros non minùs quàm hostes, populabatur & deuastabat. Cùm ergò sanctus illic staret, & manus sustulisset Deo supplices, & deindè horum bruchorum & locustarum vnum in manus sumpsisset: & partim quidem cum vilissimis & breuissimis animalibus, tanquam cum conseruis, disseruisset: partim autem iussisset, vt labori pauperum & agriculturæ parcerent: hoc enim vobis, inquit, communis quoque præcipit Dominus. Cumque cum eis ita placidè locutus esset, tanquam cum animatis, ea quæ dicta fuerant, consecutum est miraculum. Tantum enim examen deinceps mansit in regione, & nec transiuit alio, nec damnum dedit ijs locis, in quibus versabatur: sed veluti fædere inito cum agris de cætero circumuolabat quidem, & arrodebat spinas: amicitia autem & pax ei intercedebat cum fructibus, & ab eis omnino abstinebat.

[d] Bruchos & locustas ne noceāt, coerçet.

SED hæc quidem per se: alia autem rectè quoque gessit per alios. Nam cum alias flagellum simile terram premeret, & videbatur fore, vt mox ei vico incumberet, ex quo & vicini omnes parabant comeatum, & qui multis benigne communicabat ea, quibus opus habebant: cùm vas quoddam implêsset[e] oleo, & hoc inuocatione diuina sanctificâsset, id mittit in vicum: & cùm viris tradidisset fidelibus & pijs, hoc solùm suffecit, vt esset tanti mali solutio. Tunc enim repente de medio sublatum est id, quod lædebat, & vicus conseruatus est illæsus. LIV.

[e] Oleo benedicto arcet noxia animantia. *Matth. 6.*

VESTIMENTIS aliquando fuit opus fratribus: & illi quidem ei exhibebant molestiam, vt aliquid præberet ad LV.
emendum: quoniam si velle & commiserari tolleretur, nihil erat: Sed tamen confidens veridicæ Domini promissioni, ea tunc apud eos est vsus, dicens: Nolite esse soliciti de crastino. Sequenti autem die effectum sunt consecuta ea, quæ promissa fuerant. Protinus enim quidam alicundè aduenies, centum dedit aureos: qui quidem dati, ad vsum vestimentorum seruierunt fratribus.

[f] Mulier atrocis conuicij in sanctum, diras luit pœnas.

IVLIANVS quidam, qui ab ineunte quidem ætate ventitauit ad magnum Theodosium, postea autem fuit ipse LVI.
quoque cognitus Pastor optimus, Ecclesiæq;, quæ est in Bostra, fuit ei credita administratio. Is ergò de ipso quoq; hæc narrabat, quòd cum fuissent in ciuitate Bostrenorum: semper enim magnus Theodosius eum habebat socium vitæ ex Christo agēdæ, volebatq; cum eo philosophari, & esse socius solitudinis. Cùm ergò fuissent in dicta ciuitate, [f] primum quidem

quidem mulier quædam insignis & vitio nobilis, cùm sanctum dixisset planum & impostorem, in oculis eorum dedit pœnas, intemperantis linguæ acerrimum subiens supplicium, cùm graui morte eius erupisset anima. Deinde autem, inquit, nos quidem ciuitate egressi, proficiscebamur ad Apostolorum templum, quod est propinquum. Monachi autem quidam ex monasterio propinquorum, qui morbo Seueri laborabant, cùm nos vidissent accedentes, lignum quod conuocat ad ecclesiam, pulsabant ante horam consuetam, & synaxim significabant fratribus. Magnus autem Theodosius, intellectis insidijs, cum diuino zelo accẽsus esset eius animus, verbis Domini opportunè est vsus: & eos, qui ipsi insultabant, iustè est vltus, lapidem non esse mansurum supra lapidem in eo loco, ipse quoque minatus. Porrò autem minas consecutus est effectus. Breue tempus intercessit, & quædam Agarenorum multitudo, nocturna facta incursione, illud quidem igni mandant monasterium, & diripiunt etiam quæcunque illic erant: & abducunt captiuos monachos, & nunc proponitur locus, acerbum oculis spectaculum, qui non magis meretur videri, quàm deflei. Sed hæc quidem narratio apertè est disciplinæ & castigationis. Alteram autem, quæ est planè gratiæ particeps & vtilitatis, vult addere oratio. *Luc. 18.*

LVI. Dvx Romani exercitus, (mos est autem eum vocare Comitem Orientis) nomine *Cericus, in bello audax, in Deum autem pius. Is iam incursionem facturus contra Persas, existimauit oportere se primum currere *Hierosolyma, & illinc aduersus hostes assumere auxilium. Cùm autem statuisset in transitu ire ad hominem Dei: eum enim valde trahebat illius fama, & virtutis illecebræ: dum abiret, & multa alia licuit ei audire ex sacra illa lingua, & hoc inter cætera, Nè, quomodo diuinus Dauid, in arcu speraret, nec poneret salutem in gladio: sed nec in multorum hominum confideret millibus: vnum autem sciret adiutorem, vim inexpugnabilem, cui est facile, vt vnus mille persequatur, & decem millia profligentur à duobus. Hæc cum Comiti sanctus disseruisset, ita fuit ille captus ab eius admonitionibus, & ita flagrare cœpit eius desiderio & ardenti fide, vt ipsum cilicium, quo magnus ille interius induebatur, loco cuiusuis alterius rei arma peteret, quibus se conseruaret. Quod [a] quidem cum accepisset, & induisset, & consueta aggressus esset certamina, paulò pòst victor redijt, cùm & animi & manus præclara ostendisset facinora, & digna quæ commemorentur.

*al Kericus siue Cyriacus.

* Hierosolymam legit Bar. *Psalm. 43.*

[a] En quanti fit cilicium sancti viri.

LVII. Cvm rebus ergò fortiter in bello gestis, insignis & clarus esset reuersus, nequaquàm ingratus fuit in benefactorem; neque vt multi, qui postquam sunt consecuti, obliuiscuntur beneficij: sed se similem conseruans in omnibus, rursus venit ad sanctũ cum vehementi cordis exultatione, & gratias agens, & ei vniuersam adscribens victoriam. Dicebat enim: Illo [b] ipso tempore pugnæ, mihi quidem cum pro thorace tuum induissem cilicium, veniebat in mẽtem confidere, & in hostes irruere. Cùm autem manus conseruissemus, magnæ exoriebantur tenebræ, tanquàm in densa caligine: & ab alijs quidem omnibus ea etiam, quæ propè erant, cerni non poterant: ego autem te solum mihi videbar videre me præcedentem, & manu significantem, & admonentem, vt has quidem prælij partes dimitterem, in has autem pugnarem: & te ducem equum agere, donec conspectus terribilis & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto efficerem, vt se conijcerent in pedes, & turpem fugam lubenter eligerent. Et hæc quidem ille, qui etiam dignus est habitus diuina hac apparitione.

[b] Obserua victoriam admirandam.

LVIII. Non [c] ad illum autem solùm, sed etiam ad alios magnus Theodosius, ad multos quidem inter nauigandum, ad multos autem in faciendo itinere, & ad alios quidem, qui cum furenti mari & vi ventorum colluctabantur, ad alios autem qui in ora ferarum inciderant, & ad alios quidem in somnis, ad alios autem videntibus reuera eorum oculis accedens, liberauit à periculis. Non hominibus autem solùm adeò acris fuit adiutor, sed bonæ huius quoque animæ benignitatem vel in bruta animantia, parata est ostendere oratio. Viatori enim aliqñ asinum deducenti, sæuus leo occurrit, qui viatorem quidem neglexit, in asinum autem irruit. Atque viatorem quidem, vt accidit ijs malis, quæ præter spem eueniunt, stupor inuasit & metus: temporis autem velocitas effecit, vt vnum solùm inueniret medicamentum ad ferendam opem, nempe nomen sancti Theodosij. Quod quidem cum dixisset, statim cessauit & ira feræ, & repressus est vehemens eius impetus.

[c] Nota quã multis adhuc, in corpore positus appareat.

LIX. Iam verò qualis fuit in futurorum præscientia? Oportet enim paucis quæcunque sunt illius ostendere, & veluti eorum gustum præbere vt sit etiam manifestum omnibus, quòd quomodo nullius ex ijs, quæ ex virtute geruntur, ita nec charismatum seu gratuitorum donorum fuit expers. Iussit aliquando, vt præter solitam horam pulsaretur lignum: nondum enim erat hora secunda diei: & præcepit, vt fratribus significaret synaxim. Illi autem conuenerunt quidem: neque enim poterant contradicere, vt qui optimè didicissent obedientiam. Cùm autem fuissent congregati, rogabant cur nam conuenissent ante tempus. Ille verò (ô puram animam: ô oculum, qui procul omnia adspicis) flebiliter lugens & miserabiliter. Orandum est, inquit, ô patres, orandum est. Video [d] enim iram Domini, quæ iam mouetur aduersus Orientem. Hæc ille quidem dixit. Illi autem tunc quidem neque videbant aliquid, neque vnà cum eo dolorem accipiebant: quoniam non ijsdem, quibus ille intuebantur oculis. Sexto autem aut septimo die, postquàm prædixerat auditum est, [e] Antiochiam fuisse magno terræ motu euersam, illo tempore, quo iam prædixerat ille magnus: totque ornamenta, tantamque cecidisse speciem & pulchritudinem, & in vilem puluerem redactam iacere ciuitatem: quæ neque tanto casu dignas consecuta est lachrymas, neque luctum, qui exæquaretur calamitati. Atque talis quidem fuit eius præscientia. Res autem multas præclarè ab eo gestas, præcedens ostendit oratio.

[d] Claret spiritu Prophetiæ.

[e] Antiochia corruit anno 525.

LX. Oportet autem hoc quoque addere, ad quantam humilitatis altitudinem peruenerit. Contendebant, & depugnabant inter se aliquando duo ex fratribus. Is autem suadebat, vt componerent inimicitias, & odium commutarent amicitia, quæ decet omnem Christianum, multo autem magis monachos. Quoniam [f] autem dicens non persuadebat, videbat autem illorum esse maiores inimicitias, quàm vt suis verbis placari possent: fit supplex protinus pastor ouium: magister, discipulorum: pater, filiorum: & illorum bonum postulabat ipse, tanquam proprium beneficium: eorumque morbum, & vulnus medicus rogabat vt sanaret. Rogabat autem non leuiter, nec contemptim, sed magnoperè & vehementer, sed magnam moderationem afferens & humilitatem. Se enim humi deijciens iacebat, aperta figura humilitatis mollire se credens duritiem inimicitiarum: nec priùs destitit rogare, quàm eorum odium mollierit, & eos, qui à se inuicem malè erant diuisi, amicitiæ vinculis colligârit.

[f] Nota eximiam humilitatem.

LXI. Segregavit aliquẽ ex fratribus, iustè se gerens, cum iusto scilicet coniuncta clementia: videbat enim morbum egere tali medicamento. Ille verò bona malis commutans, simul & ordinem transilijt, & eandem rursus intulit pœnam ei, qui nihil habebat simile, perinde ac si quis iuberet sanos ea tolerare, quæ tolerant ægroti: adeò vt sit manifestum, fratrem quoque alio morbo laborare grauiori, nempe impudentia. Quid [g] ergo magnus Theodosius moderatione & humilitate valde excelsus & cœlestis? Pœnam quidẽ suscipit, tanquàm quæ rectè fuerit imposita, & vt quæ in ipso locum habeat: neque prius diuinis communicauit sacramẽtis, donec ipse, qui ligauit, induxit ipse quoque solutionem. Erat enim Moysis euidenter imitator, terribilis quidem & inexorabilis ijs, qui in Deum peccabant: valdè autem mitis & mansuetus ijs, qui ipsũm offendebant: adeò vt nec veniret in contemptum propterea, quòd esset mitis & mansuetus: nec grauis ac molestus propter nimiam austeritatem, & vt qui solùm corporibus imperaret, non animis. Voco enim, quod ex metu quidem solùm est imperium, imperium corporum: id autem quod desiderium quoque habet contemperatum, etiam animorum.

[g] En, vt etiam iniustè excommunicatus nõ contemserit.

[a] Virtutes Patrum vt in se expressa.

NON[a] solùm autem Moysis, sed etiam cuiusuis alterius in virtute excellentiam imitabatur: vtpotè Abrahæ, quòd LXIII.
Deo pareret in omnibus, & omnia propter illum contemneret: non solummodo pecuniam aut patriam, aut familiares & cognatos, sed ipsam quoque naturam & vitam. Iis enim, qui genere attinebant, non Deum solum, sed eos etiam, qui ex Deo viuebant, putabat esse præferendos, & eos magis attrahebat ad cognationem, pp virtutis rationem & studij & voluntatis, quæ in idem confertur. Isaac in spiritales Patres vsque ad mortem obedientiam, & eius corporis gratum & acceptum sacrificium: Iacob perfectam sinceritatem & libertatem ab omni probitate. Huius autem sunt fidei digni testes, qui cum eo consuetudinis & familiaritatis fecêre periculum. Ioannis solitudinem & inediam: Petri, cum exacta fide vehementiam & ardorem: Pauli, pro eo quod est honestum, perpetuam actionem, afflictionem & diligentiam: & quòd propemodum vniuersum orbem terræ, sicut ille, partim quidem pedibus, partim verò sermonibus, partim verò fama peruaserit: & vt semel dicam, quomodo quis pictor præstantissimus, qui præstantissimos virtutis colores vndique collegit & rectè miscuit, is veluti quoddam exemplar suam vitam, laudatu quàm imitatu faciliorem, proposuit virtutis studiosis.

NEQVE verò Iob admirabilis erat extra chorum eorum, qui sumpti sunt ad imitandum; sed eius etiam tolerantiam, semper quidem, in fine aût apertiùs est imitatus. Nam cum iam esset è vita humana excessurus, & pro ijs, quos tulit, laboribus mercedes & remunerationes, quas sperauit, accepturus, postremò eum inuadit morbus diuturnus, & propemodum ne iuueni quidem & florenti corpori tolerabilis, nedum tanta senectute confecto, & quam virtutis causa susceperat, afflictione. Ea de causa & toto * animo iacebat in lecto, cum inexpugnabilibus colluctans doloribus, & talibus dilatatus afflictionibus. Tunc [b] enim attractam habês ilium pellem, vt dicitur, vmbræ simulacrum effectus, adeò vt nihil ei præter ossa relinqueretur: nihil tamen molle, nihil illiberale, nihil indignum aut fecit, aut est locutus eo spiritu, qui tali vitæ conuenit. Quin etiam cum quidam senex intensam ac vehementem vim morbi aspexisset, & ei dixisset, Roga Deum, fortè enim malum sic sistetur: non amico nec benigno, vt solebat, eum adspectu intuens: Nè tu mihi, inquit, ô pater, quidquam de eo dixeris. Nam cum me sæpè tales subijssent cogitationes, arbitratus has esse potiùs maligni insidias, quàm consilium, eas toto studio repuli: vt qui illud apud me reputauerim, quod præsentis quidem vitæ bonorum satis magnum fructum ceperimus, vt qui gloriam scilicet & nomen simus consecuti. Oportet ergò omnino affligi, & mala perpeti, & aliquam habere partem, quæ digna sit ea, quæ est illic consolatione: ne nobis quoque meritò illud dicatur, quod diuiti dictum est: Percepisti bona tua in vita tua. His auditis, se abscondit senex: & nec habebat quidem omninò quod sancto responderet. LXIV.

vel anno

[b] Eius inuicta patientia.

Luc 16.

CÆTERVM illius patientiæ & tolerantiæ multa quidem sunt alia quoque signa: testes autem sunt ij quoque, qui in tempore infirmitatis ei inseruiêre, quod nihil exanime operationibus à morbo fuerit ei surreptum, nec in amore diuinorum eloquiorum ipse omnino seipso visus sit inferior aut frigidior. Est [c] autem hoc quoque signum vehementis illius rerum diuinarum meditationis. Nam etsi illius oculus somnum sæpe gustauit, vtpote flexus ab ea, quæ omnia vincit, natura: at eius quidem certè labra faciebant, quod consueuerant. Quo circa etiam interim, dum à somno surgeret, canticum ad Deum comprehendebat labris: adeò vt quod dicit diuinus Dauid, in eo impleretur: Et noctu canticum eius est apud me. Porrò [d] autem multa quoque dicunt eum in morte diuinâsse, multa autem etiam prædixisse de futuris, per spiritum qui in ipso cohabitabat. Nam cum eum circumsistens totus cœtus fraternitatis, specie quidem illum, reuera autem seipsum vnusquisque deflebat, vt qui talem patrem amitteret, qui eos in Christo genuit, ex Pauli sententia, quique carnalium Patrum viscera longè vincebat sua in illos affectione, & cum quo vna maluissent deficere, si fieri potuisset, quàm eum videre excedentem. LXV.

[c] Etiam dormiens orat.

Psalm. 41.

[d] Moriens multa prædicit.

IS autem cum eos satis esset adhortatus, vt in loco permanerent, & vt ingruentes tentationes ad finem vsque fortiter ferrent, & vt eis obedirent, qui post ipsum præfuturi essent monasterio, & prædixisset omnia, quæ erant euentura, dat eis illud signum, quod finem essent acceptura ea, quæ dicta sunt. Si enim post meum, inquit, decessum videritis mihi gregem augeri, & quo magis tempus processerit, tanto se maiorem cuadere & meliorem, tunc dico vos de alijs quoque bonam spem oportere concipere. Quod si non sint hæc hoc modo se habitura, clarum est, fore vt nec reliqua finem sint acceptura. Quæ [e] quidem an euenerint, sicut ille prædixit, & finem acceperint, ipsa ante alia testantur, quæ videntur, magnitudo quidem ædificiorum monasterij, & multitudo eorum, qui inhabitât, & eorum virtus eiusmodi, vt cum eis nemo possit contendere. Viuam autem illius post mortem quoq; gloriam, & quanta ei fuerit apud Deum fiducia, quinam alij apertius ostenderint, quàm oculi quidem cæcorum, pedes vero claudorum & manus eorum, qui erant manci ante illius preces: ex quibus illæ quidem vt mouerentur, hi verò vt currerent, oculi autem vt viderent, per eum acceperunt: & antè hæc ipse loculus reliquiarum, qui vnguenti fons esse cognoscitur? LXVI.

[e] Cœnobiũ eius & structuris & monachis auctum.

SED hic quidem oratio, quæ nos portat tanquàm fluentum aliquod, admonet me, vt in eius morte ampliùs immorer, & tractem quemadmodum excesserit, & ea etiam, quæ post ipsam sunt consecuta, apertiùs eloquar. Postquàm enim vidit magnus illam appropinquare, & sciuit futurum, vt post tres dies ad communem patrem & cœlestem transmitteret: cum tres solos Episcopos accersijsset, perinde ac de re aliqua communi cum eis tractaturus: turbam enim & tumultus vitabat ille maximè: & simul etiam, vt dierum numerum per ipsos ostenderet, quòd scilicet plusquàm tres non viueret: Cùm eos ergò accersijsset, salutat lætus tristes, lachrymantes non lachrymans, animo anxios ipse hilaris, sicut etiam erat consentaneum. Nam illi quidem priuabantur eo, qui desiderabatur: Hic verò deducebatur ad eum, quem magis desiderabat, & illi quidem se patre priuari ægrè ferebant, hic verò proficiscebatur ad Patris tabernacula. Hic quidem videbat finem eorum, quæ ei afferebant molestiam: illi verò ducebant illius mortem esse rerum molestarum principium. Deindè cum manus sustulisset ad orandum, & labra sensim mouisset, ita vt ijs, qui adstabant, relinqueret cogitandum, quòd extremi ad Deum excessus verba loqueretur, & post orationem eas decorè pectori imposuisset, generosam illam & verè dæmonibus terribilem & inexpugnabilem animam commendat in manus Dei, cùm omnes annos vixisset centum & quinque, & paulò ampliùs: Deus autem eius mortem statim honorat diuino miraculo. Hoc autem fuit. LXVII.

[f] Moritur vir sanctus 105. annorum. Baronius eum adhuc vixisse refert tẽporibus Agapeti Rom. Pont. qui Anno 535. pontificatum adijt.

VIR [f] quidam nomine Stephanus, genere Alexandrinus, qui iam longo tempore vexabatur à maligno spiritu: & Magnum quidem prius rogârat Theodosium, vt eum curaret, & ideo vsque ad extremum eius spiritum permansérat, non autem impetrauerat, quodam diuiniori omnino consilio, vtpotè quod post vinculi solutionem, & beati Patris dimissionem, maligni quoque spiritus reseruaretur dimissio. Hic ergo cum fuisset prope lectum, qui corpus ferebat iam mortuum: tunc enim erat sanæ & compositæ mentis, quod maiorem quoque ei dolorem afferebat, vt qui posset considerare, in qualem incidisset infelix calamitatem, & quòd quam solam habebat spem liberationis, ea quoque sit priuatus, mansurus sit autem perpetuo hanc grauem sustinens tyrannidem, & ferens motum dæmonis, secretos illos impetus, furorem horribilem, & quæ dici nequit, agitationem, casusque miserabiles, qui ex eis oriuntur, & inenarrabilem apud homines ignominiam. Hæc cum animo versaret, & rectè intelligeret, quòd nulla spes de cætero, & nulla ab eis relicta esset liberatio, graui dolore cor ei feriebatur, igne viscera incendebantur, grauissimo luctu anima tenebatur: quid non dicens, quid non faciens miserabile? capillos acerbè vellens, pectus valde feriens, fronte misere solum pulsans, longum & acutum eiulans, pedes rigans lachrymis, eum qui iacebat, tanquam mortuum alloquẽs: LXIIX.

Qui

Qui solus erat spes, solus seruator recedit, reliquit nos deditos dæmoni. Quodnam hoc est refugium: Quænam est adhuc expectatio? Nunc ensi melius est sua sponte incumbere: nunc ignem, nunc mare ingredi, & sic dæmonis insultus effugere.

LXIX. Hæc defleus infelix, se in lectum deiecerat, amplectebatur reliquias: malebat vna cum eo sepeliri, quam lucem adspicere, tali tyranno seruiēs. Quid [a] ergò Deus rerum admirabilium? Mouet quidem dæmon interim, dum flet, hominem, & cum eum humi deiecisset, & totum ipsum in oculis omnium dilacerasset, vt vel sic inuoluntarium significaret recessum, quamque hominibus infestus, & quanto in eos cieatur furore, eum relinquit: aut potius ipse exturbatur, motus flagello diuiniore. Sic ergò ei & viuo, & post mortem cessit terra, & cœlum, & mare, & aër, & dæmones. Terra quidem à feris, cœlum verò à siccitate, mare autem à periculis, aër verò à locusta & brucho, dæmones autem à plagis homines liberantes: & nihil fuit, quod non deinceps eius testaretur virtutem apud Deum fiduciam.

LXX. Cvm autem fama repentè in omnē locum peruasisset, quòd & magnus Theodosius ad suum dominum iam excessisset, & magnum de dæmoniaco miraculum esset à non paucis auditione acceptum, Petrus [b] ille magnus, qui tunc Apostolicam sedem tenebat Hierosolymis, ille, inquam, Petrus, cuius magna quidem fuit fama, famam autem superabat virtus: accedit cum multis alijs episcopis ad sepeliendas reliquias. Vndique autem concurrebat, & multitudo monachorum simul, & eorum qui simul Promiscuè versantur cum alijs. Omnes autem multum ponebant studij, vt & partem aliquam attingerent, aut sanctorum illius capillorum, aut sacrę vestis, aut certè vt vel solùm appropinquarent, & beatum illum vultum viderent: & de eo tanta certabatur contentione, vt nè diu quidem permitteretur sepelire reliquias, sed melius existimaretur prætermittere iusta quæ fiunt mortuis. Deinde [c] verò tandē permittēte multitudine, honorificè simul & splendidè illud venerandum & cœlis dignum corpus terræ mandatur & contegitur: non vt quod oporteret quidem abdi & latēre, sed quod seruabatur potius pijs, tanquam opes, & thesaurus: Ad gloriam Domini nostri Christi, simul cum Patre & sancto Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Dæmonia eus ad eius corpus examine liberatur.

[b] Petrus Episcopus Hierosolymorum.

[c] Ecce quibus encomiis sancti viri corpus celebret.

† Est sermō 40. inter sermones eiusdem lib. 3.

VITA S. ARCADII MARTYRIS, PER DIVVM ZENONEM EPISCOPVM VERONENSEM †CONSCRIPTA, NVNC DEMVM locis non paucis emendata & aucta quam cum Veronensi exemplari anno 1586. excuso contulimus, & diuersas lectiones margini adiecimus.

12. IANV: * Annalibus mandamus, in agone, &c. * Erit. * Hæc vsq; ad, cum in vno &c. desiderantur in Verona: * Veterani odij assertor. [c] Sæua persecutio * mundo refecerat rogum. * varijs. * cultum: * incestæ. * Christi panis mentibus posit. * sacrilegij. * funestum. [1] Arcadius primo latitat. Matt. 10. * Ecce in eius. * festinat Dei famulum. * noxiæ mentis. [g] Prodit in publicum. * Statim beatus. * voluntariæ praui-tatis. * miscuisset. [h] Egregia constantia. Phili 1 * accēdam: quamuis. * Hæc vsq;

I. Dvm beati Arcadij martyris gesta, fratres charissimi, cœlestis triumphi honore sublimia, fidei annalibus recēsenda mandamus, in agone immortalis laudis Christianus semper ardor animatur, * fit geminum de religiositate commercium, cùm ad cœleste præmium populus accenditur, & de martyris meritis non sileatur. Sed quis illustris martyrij palmiferam tot trophæis coronam competenti valeat sermone disserere, * cum in spiritali palæstra multiplex luceat sui numerositate victoria, cum in vno corpore tot martyria videantur esse, quot membra.

II. Armaverat diabolus satellites suos in Dei populū, veterano odio desertor antiquus, & totam familiam Christi impastæ feritatis grassatione turbabat. Indixerat [d] in homine Deo bellū, & infaustæ superstitionis busto in nefas cōscium toto * mundo funereum fecerat rogum. Scatebat per tecta culminum publicum scelus, nec fuerat locus, in quo non erat pro religione sacrilegium. Cogebatur Christi populus * vanis superstitionibus interesse, atque in * cultus nefandi ritus, nunc aut libamina * incesta profundere, aut ornatas sertis victimas trahere, aut grauia nidoribus thura succendere, aut inter fumidos ignes pallenti aruina funesto sanguine prolitare, vt illicita administratione ministerij * Christianis mentibus Deus posset expelli.

III. Sed dum bellum duri certaminis geritur, & familia Domini cœlo spectante probatur, Arcadius beatissimus martyr, huius inopinati * nuncij horrore perculsus, paululum distulit pugnam iam debitus ad coronam. Nam posteaquàm turbati vrbem funesta conuentione cognouit, ac singulos quosque ad * funebre illud spectaculum trahi, contemptis vniuersis facultatibus suis, amputatis radicibus seculi, delitescens, secessionis se commendauit vmbraculo: vtrumque Christiano [e] explicans voto, vt & non longius videretur à prælio, & secedendo Euangelicæ iussionis animaretur exemplo.

IV. * Ecce itaque in eius hospicium, velut in hostilem prædam, grassantium satellitum præceps irruit manus, sperans occupatione festina Dei famulum posse deprehendi. Quem beati propinquus martyris, qui in eius fortè degebat habitaculo, absentem esse assiduis vocibus inclamabat. Hunc verò profitentem, ad nefandam custodiam * noxiè mancipes rapuerunt. Quem oblatum sibi, iubet crudelissimus rector acri obseruatione detineri. Ad futuræ gloriæ testimonium, tale beatus Arcadius debiti martyrij quodammodo sequestrauerat pignus, in quo nec Christum relinqueret, nec propinquum. * Statim [f] itaq; beatissimus martyr se latere non passus est, se vltro offerens iudici, moram suam * voluntariæ oblationis præiudicijs excusauit. Cui cùm prouinciæ rector, pristinę eius fugæ veniam sub pactione promitteret, si se vel serò nefandis superstitionibus * immiscuisset, talibus in eum sanctissimus martyr vocibus exilijt.

V. Qvidē (inquit) vanissime omnium iudicum? putasne, aut de lucis istius incongruis vsuris, aut de propere mortis subitis damnis familiam Dei posse terreri, cùm sciamus Apostolica fide esse perscriptum, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum? Excogita quibus potes supplicijs tormenta grauiora: maioribus te furoris stimulis * accende: cuiusuis cruciatus exerce molem: * nos à Deo non poteris separare.

VI. * Statim igitur crudelissimus rector, viperei veneni felle commotus, * iubet noua & inusitata animaduersione pœnārum, nec vsuali in reos lege, * carnificum manus in martyris membra sæuire. * Viluerunt vngulæ, inutiles ictus visi sunt plumbatarum, stetit contemptus eculeus, crebri fustium imbres, maioris pœnę contemplatione neglecti sunt.

VII. Excogitavr [h] nouum stupendumq; supplicium, quo se in homine vincere crederet Deum. * iubet sanctissimum martyrem furoris sui conscijs tradi: quibus nihil aliud imperat mandatorum, nisi vt non præpropero discessu martyris spiritus migraret ad cœlum. Expectet, inquit, mortem suam, & per membra distentus, proprij corporis laniatione viuum cadauer adspiciat. Incidantur (ait) ab articulis manus, à cruribus pedes. * O insane hominum, fraudauit te furor tuus: Adhuc erat in victima Domini, quod posset offerre. Amputandam linguam mandare nescisti, quæ in collucta tione martyrij prior solet Domino confiteri. Ductus est tandem beatus Arcadius ad exoptatum iustis orationibus locum. Et intuens cœlū, stetit Deo spectante securus. Parauerat extensa futuris ictibus colla, nudauerat gladijs venientibus iugulum, putauerat se feralem iudicis amentiam citæ mortis sorte satiare, dum subitò manus iubetur extendere, ac super cespitem nudus proiectus in faciem, pedum extrema nudare. Ecce inter ipsa supplicia vacare non sinitur, sed orationis instar per carnificis tormenta meditatur.

* nos ideo non potes superare. * Statim iudex viperij. * iubet non visitata. * carnifices in mar. * cessauerunt. [1] Nota immanitatem sæui iudicis Incidantur, ait, &c. * desiderantur in Veron. * deest hic quod in Veron. est. Vtuum se cadauer inspiciat. Cui beatus Arcadius ait: O insane &c.

EREXERAT securim percussor insanus,& signans oculis vulneribus lineam,feralis ictus assidua contemplatione vibrabat:Hæserant confessionis suæ glutino intrepidæ martyris manus,nec saliens digiti futuræ mortis exitio palpitabant. Tanta[a] fuit in martyris deuotione constantia, vt omni corpore paratus veniret ad gloriam. Mox[a] itaq; vt deorum vulneribus corpus carnifex vidit, statim cadentis securis *ictu nervorum connexa dissoluit,& cunctas compage discussâ iuncturas corporis rupit:exilierunt *sectæ manus,* & redeunte in se venarum meatu,paululùm stupore fugitiuo,rursus in se riuos sanguinis,ruens vnda cruoris effudit.De hinc poplitibus surisque porrectis,à germana coniunctione naturæ,gladio sæui latronis plantarum limes inciditur, & obsequio pedum corpus martyris viduatur. VIII.

NVMERENT martyria, qui possunt numerare supplicia:& in vno corpore quantum diabolus publicatus est furere, tantum cognoscatur Dominus triumphasse.Sed durat inter hæc martyris spiritus,& morarum numerositate seruatus perstat viuus,parte sui corporis iam sepultus:*remoratur in luce detentus, cuius membris iam plenus est tumulus. IX.

O dignus glorioſi exitus finis.Ascensurus altitudinem cœli, corporis sui impedimenta præmittit,& exequias funeris sui ipse præcedit.Cui hæc est comparanda confessio? Machabæorum iungẽda est numero, Eleazari est adæquanda proposito,comparanda consilio. Archadius beatissimus martyr adhuc demoratur in seculo, & iam martyr recitatur in cœlo,* vt sit nomen Domini benedictum,qui regnat in secula seculorum, Amen. X.

[a] Horrendum in modum sanctus martyr excruciatur

*ictus.

*insectæ.

*& venarum in se paululum stupore rursus in se riuus sanguinis ruens. De hinc. &c.

*Desunt hæc in Veronens. vsque. O dignus.

2 Mach. 7.

1 Mach 6.

*desunt hæc in Veronens.

DE S. BENEDICTO † ANGLO, ABBATE MONASTERII SS. PETRI ET PAVLI, HOMILIA PARTIM HISTORICA

ANN. 607.

Venerabilis Bedæ presbyteri. Extat Tomo 7. Operum eius in Homilijs hyemalibus de Sanctis.

In illo tempore, dixit Simon Petrus ad Iesum:Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te,&c.Matthæi 19.

AVDIENS à Domino Petrus, quia diues difficilè intraret in regnum cœlorum, sciensque se cum suis condiscipulis ad integrum mundi fallentis spreuisse delicias, voluit agnoscere, quid vel ipsi,vel cæteri mundi contemptores,pro maiore mentis virtute, maioris præmij sperare deberent, & respondens Domino,ait: Eccè nos reliquimus omnia,& secuti sumus te. Vbi solerter intuendum, quòd non solùm se omnia reliquisse,sed & Dominum sequi gloriatur:quia stultum profecto est,iuxta Platonem & Diogenem, & quosdam alios philosophos,vitæ quidem huius diuitias calcare,& hæc non pro æterna adipiscenda vita, sed pro inani agere mortalium laude captanda:stultum,præsentes labores vltrò,absque spe futurę subire quietis & pacis.Perfectus autem ille est,qui abiens vendit omnia quæ habet,& dat pauperibus,ac veniens sequitur Christum. Habebit enim thesaurum non deficientem in cœlis.Vndè benè interroganti Petro,dixit talibus Iesus. I. 12. I. N V.

AMEN dico vobis,quòd vos,qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. In [b] hac quippe vita pro eius nomine laborantes, in alia præmium sperare docuit:id est, in regeneratione , cum videlicet in vitam immortalem fuerimus resurgendo regenerati , qui in vitam caducam mortaliter eramus geniti. Et iusta prorsus retributio, vt qui hic pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo glorificati, iudices singulariter cum eo humanæ conuersationis assideant: & quia à sequendis vestigijs eius nulla ratione poterant auelli. Nemo autem putet duodecim tantum Apostolos,quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, tunc esse iudicaturos:sicut nec duodecim solæ sunt tribus Israel iudicandæ.Alioquin tribus Leui,quæ tertiadecima est, iniudicata recedit:& Paulus,qui tertiusdecimus est Apostolus,quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est,iudicandi sorte priuabitur, cùm ipse dicat, Nescitis quoniam angelos iudicabimus,quanto magis sæcularia? II.

SCIENDVM[c] namque est , omnes qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia , & secuti sunt Christum,iudices cum eo venturos,sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum.Quia enim duodenario sæpè numero solet in scripturis vniuersitas designari , per duodecim sedes Apostolorum , omnium numerositas iudicantium: & per duodecim tribus Israel, vniuersitas eorũ,qui iudicandi sunt ostenditur.Vndè [d] notandum,quòd duo sunt ordines electorum in iudicio futuri: vnus iudicantium cum Domino, de quibus hoc loco memorat , qui reliquerunt omnia,& secuti sunt illum. Alius iudicandorum à Domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt , sed de ijs tamen , quæ habebant , quotidianas dare eleemosynas Christi pauperibus curabant. Vnde & aduituri sunt in iudicio: Venite benedicti patris mei,possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, & cætera , quorum in superioribus huius lectionis Dominus meminit, cùm principe quodam interrogante, quid boni faciendo vitam possideret æternam. Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata.Non homicidium facies,non furtum , non falsum testimonium dices; vel honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum. III.

ERGO qui mandata Dei seruat, ad vitam ingreditur æternam:qui autem non solùm mandat seruata , verùm etiam consilium Domini, quod pro contemnendis diuitijs mundi & luxibus tribuit, sequitur, non tantum vitam ipse percipiet,sed etiam de vita aliorum cum Domino iudicabit. Atque ita fit, vt in iudicio, vt diximus, duo sint ordines bonorum.Sed & reproborum duos ibi futuros ordines,Domino narrante,comperimus: vnum eorum,qui Christianæ fidei mysteriis initiati,opera fidei exercere contemnunt,quibus in iudicio testatur:Discedite à me maledicti in ignem æternum,qui præparatus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim,& non dedistis mihi manducare,&c. Alterum eorum, qui fidem & mysteria Christi vel nunquàm susceperê, vel susceptam per apostasiam deseruêre,de quibus ait: Qui autem non credit,iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Qui quoniam nec verbotenus Christum colere voluerunt , nec verba saltem eius , quibus coarguantur in iudicio , merentur audire : sed adhoc tantum veniunt in iudicium, vt cum eis, qui iudicantur,peccatoribus, in damnationem mittantur æternam. Verum his cum timore & pauore debito pauliſper commemoratis , ad lætissima potiùs Domini & Saluatoris nostri promissa conuertamus auditum. Videamus quæ tantæ gratia pietatis , non æternæ tantummodo vitæ præmia suis sequacibus , sed & præsentis munera pollicetur eximia. IV. V.

ET omnis , inquit, qui reliquerit domum , vel fratres, aut sorores,aut patrem aut matrem, aut vxorem,aut filios, aut agros propter nomen meum , centuplum accipiet , & vitam æternam possidebit. Qui enim terrenis affectibus siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quo plùs in eius amorem profecerit,eo plures inueniet, qui se interno suscipere affectu , & suis gaudeant sustentare substantijs: eius nimirùm professionis vitæque consortes, qui se pro Christo pauperem factum suis domibus agrisque suscipere, & maiori prorsus quàm vxor , parens, frater aut filius carnalis deuotione charitatis refouere delectentur. Centuplum namque , quod ait , non numerum amantium in Christo,& seruientium pro Christo fidelibus,sed vniuersitatem perfectionemque qua per charitatem inuicem seruiunt,ostendit.

[b] Labores huius vitæ, præmium habent in cœlis. *Act* 1. 1. *Cor.* 6.

[c] Cũ Christo qui sint iudicaturi.

[d] 12 sedes Apostolorum, & 12. tribus Israel. *Matth.* 25. *Matth* 19. *Exod.* 20.

[e] Centuplũ à Christo promissum

Matth. 25.

Ioan. 3.

CVIVS

VI. CVIVS rei & in nobis ipsis, fratres charissimi, sæpè exemplum sumpsimus, cum alicubi pro rerum necessitate digredientes, cuncta nobis monasteriorum habitacula, quasi propria patere cognouimus, cunctos in nostrum obsequium synceriſſima deuotione pronos adspeximus: & maximè in beatæ memoriæ patre nostro beato [a] Benedicto, cuius hodie venerandam assumptionis diem debita solennitate recolimus, totum lectionis huius tenorem videmus perfectissimè compleri. Derelictis enim omnibus, secutus est Christum, quando spretis ijs, quæ in ministerio regali acquisierat, vel acquirere valebat, cùm esset nobilis natu, ad beatorum Apostolorum limina peregrinaturus, aduolauit: vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam viuendi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium. Ibi [b] ergò eruditus in Christo, illis in partibus attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis: ibidem totum vitæ suæ tempus erat exacturus, si non Apostolica domini Papæ prohiberet authoritas: qui eum propter ducendum in Britanniam sanctæ recordationis Archiepiscopum Theodorum, in patriam redire præcepit.

[a] Historiola S Benedicti Angli.

[b] S Benedictus fit Romæ monachus.

VII. NEC longo pòst tempore etiam reges seculi, cognito virtutum eius studio, locum ei construendi monasterij, non ab aliqua minorum personarum oblatum, sed de suis proprijs donatum dare curabant. Quem [c] ille acceptum, mox perfectissimè iuxta regularem disciplinam interius exteriusque constituit, non pro suo captu decreta nobis statuens, sed antiquorum statuta certissima monasteriorum, quæ peregrè didicerat, sibi suisque obseruanda proponens. Nec cuilibet vestrum, fratres, graue debet videri, si nota loquamur, sed delectabile potius æstimare, quia vera loquimur, quando patris nostri spiritalia gesta narramus, cui manifesto miraculo Dominus, quod fidelibus suis promisit, adimpleuit: quia omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam.

[c] Constituit monasteria in Anglia.

VIII. RELIQVIT quippe cognatos, quando patriam deseruit: accepit verò centuplum, quia non solùm à cunctis in hac terra, pro virtutũ industria merita veneratione habitus est, sed & in Gallia atque italia, Romę atque in maris insulis, ab omnibus qui eum nôsse potuerunt, dilectus: adeò vt ipse Papa Apostolicus ad profectum monasterij huius, quod illum nuper fundâsse gaudebat, Ioannem illi [d] Abbatem atque archicantorem Romanæ Ecclesiæ, sicut charitas vestra bene meminit, in Britaniam Roma deducendum præstaret, per quem idem monasterium morem canendi ac ministrandi canonicum, iuxta ritum sanctæ Romanæ atque Apostolicæ Ecclesiæ perciperet. Reliquit domos, & agros quos habuerat, pro Christo, de quo agrum semper virentis paradisi, & domum non manufactam, sed æternam in cælis accipere sperabat. Reliquit vxores & filios, non quidẽ vxorem acceptam, & filios ex carne natos: sed vxorem prorsus accipere, ex qua filios habere posset, castitatis amore contempsit, malens ad illa centum quadraginta quatuor millia electorum pertinere, qui cantant canticum nouum ante sedem Dei & agni, quod nemo potest dicere, nisi illi: Hi enim sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & sequuntur agnum quocunque abierit. Et accepit centuplum, quando non in his solummodo, sed & in * marinis eum partibus plurimi in domos suas recipere viantem, suorum fructibus agrorum reficere desiderabant, quando * patronum per plures illi, quando viri Deo deuoti pro animi constantis excellentia, non minori quàm coniugibus aut parentibus proprijs dilectionis instantia seruiebant.

[d] Agathonẽ intelligit, qui anno 678. Pontificatum obtinuit.

Apoc. 14.

* *transmarinis legendum videtur for* * *vt patrono.*

IX. ACCEPIT centuplum domos & agros, quando hæc, in quibus monasteria construeret, adeptus est. Vxorem namque dimittere pro Christo: & in hoc centuplum accipere est: quia animarum centuplum, maius esset tunc meritum charitatis inter continentes propter fructum spiritus, quàm inter lasciuientes quondam propter desiderium carnis: filios, quos carnaliter habere despexit, cẽtuplum accipere meruit spiritales. Centenarius quippe numerus, vt sæpè dictum est, perfectionem figurate significat. Nos namque sumus filij eius, quos in hanc monachiam demum pius prouisor induxit: nos sumus filij eius, si inter virtutum eius imitando tenemus, si non à temita regulari, quam docuit torpendo deflectimus. Meminimus namque fratres, qui illum nôsse potuimus, dicere crebro auditu, quos post obitum illius in nostræ fraternitatis consortium pietas superna congregauit, quia quãdiu sospes erat corpore, pro gloria S. Dei Ecclesiæ, & maximè pro huius monasterij pace, honore & quiete semper laborare perstabat: toties mare transijt, nunquam, vt est consuetudinis quibusdam, vacuus & inutilis redijt: sed [f] nunc librorum copiam sanctorum, nunc reliquiarum beatorum martyrum Christi munus venerabile detulit, nunc architectos Ecclesiæ fabricandæ, nunc vitrifactores ad fenestras eius decorandas ac muniendas, nunc cantandi, & in Ecclesia per totum annum ministrandi secum magistros adduxit, nunc epistolam priuilegij à domino Papa missam, qua nostra libertas ab omni extrinseca incursione tutaretur, apportauit, nunc [g] picturas sanctarum historiarum, quæ non ad ornatum solummodò Ecclesiæ, verum etiam ad instructionem intuentium proponerent, aduexit, videlicet, vt qui literarum lectione non possent, opera Domini & Saluatoris nostri per ipsarum contuitum discerent imaginum.

[f] Multis bonis auxit monasterium.

[g] Vide vsum sacrarum imaginum.

X. QVI in his & huiusmodi rebus ideò tam plura laborare studuit, nè nobis sic laborandi remaneret necessitas: ideò toties transmarina loca adijt, vt nos omnibus scientiæ salutaris dapibus abundantes, intra monasterij claustra quiescere, & cum secura libertate Christo seruire queamus. Qui etiam cum corporis infirmitate corriperetur, premeturque acerbius, semper interim debitas gratiarum actiones, de monasteriorum, quas didicerat, doceratque, regulis seruandis, semper de ecclesiasticis obseruationibus, quas per omnes ciuitates, & maximè Romæ viderat, semper de locis sanctis, quæ se lustrâsse iuuenem meminit, loqui & iterare, delectabile habebat. Sic [h] longis virtutum studijs exercitatus, longo insuper anno semper infirmitatis martyrio excoctus, post centupla gratiæ præsentis munera ad vitam transiuit æternam.

[h] Feliciter exit ex hac vita anno 703 teste Bar.

XI. VNDE necesse est, fratres charissimi, vt tanquam boni filij, & tanto parente digni, exempla ac præcepta illius in omnibus seruare curemus, neque vlla nos à vestigijs tanti ductoris sequendis animæ vel carnis illecebra reuocet: quatenus & ipsi, qui carnales affectus substantiamque reliquimus terrenam, qui vxores ducere ac filios procreare, angelicæ conuersationis amore fastidiuimus, augente spiritalium virtutum merito, & in præsenti centuplum accipere de societate sanctorum, & in seculo venturo vitam possidere mereamur æternam: Præstante gratia Redemptoris nostri, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM SS. MARTYRVM HERMYLI ET STRATONICI, EX SIMEONE *Metaphraste.*

AN. 306.

I. IMPIO imperante [i] Licinio, & magnum adhibente studium, vt idola honorarentur sacris & sacrificijs, impendebat mors grauis omnibus Christianis, ciuitatesque propter ipsos indagabantur, & regiones vicique & agri curiosè perquirebantur: & quicunque Christianum vnum deferebat ad Imperatorem, videbatur is esse ei beneuolus, & dignus maximis honoribus. Quocirca & ipse, & quicunque ei suberant, hac in re magna vtebantur diligentia: cum ille quidem varijs dijs, hi verò Imperatori gratificarentur impio & scelerato. Ad hunc ergò Licinium aliquando in sublimi sedentem tribunali, accedit quidam ex ordine militari, diuinum deferens martyrem: Est, dicens, vir quidam Hermylus nomine, qui ordinem obtinet diaconi: qui diu quidem abhinc obseruat & colit ritus Christianorum: deos autem & te subsannat, & nihili

13. IANV.

[i] Persecutio atrox sub Licinio anno 316.

[a] Hermylus comprehenditur.

& nihil facit ô Imperator. Hæc [a] cum audijſſet Licinius, non diſtulit nec protelauit: ſed ijs, qui aderant, ſtatim iuſſit, vt eum vbicunque eſſet comprehenderent, & ad tribunal adducerent. Atque illi quidem cùm in omni loco ſcrutati eſſent, & eum alicubi orantem, & ſanctas manus tollentem comprehendiſſent, ei ſignificant iuſſum Imperatoris. Is verò ſtatim alacer alacres eſt ſecutus, nihil ignauum nec molle adſpectu præ ſe ferens, quibus ex rebus manifeſta fit animæ affectio: ſed gaudens potius, & magna repletus lætitia, quòd eſt propter Chriſtum paſſurus.

II. [b] Eius præclara confeſſio.

Ille verò, Reſponde, inquit, & apertè ſignifica, an te Chriſtianum fateris eſſe, ſicut audiuimus. Hic [b] verò, Non ſolùm hoc, inquit, cum præclara ſententia & voce confiteor: ſed etiam, quòd Deo, qui ſub viſum non cadit, ſum conſecratus: & ei aſſiſto, vt qui illius factus ſim Diaconus. Imperator autem volens ſe oſtendere vrbanum, & valdè ingenioſum. Ergo te, inquit, dijs diaconum, hoc eſt, miniſtrum exhibe. Martyr autem in riſum vertens eius promptum & verſatile reſponſum: Videris, inquit, mihi eſſe ſurdus ô Imperator, aut etiam ſtultum agere. Dixi tibi me miniſtrare Deo, qui non cadit ſub adſpectum: Non autem horum, qui videntur, aut potiùs nè vident quidem, eſſe Diaconum, quos ipſe, vt qui falleris, perinde ac deos colis: cum ſint lapides & ligna omnino inanima, & ſurda opera manûs humanæ, & quæ ijs, qui ſapiunt, ſunt potiùs ridenda quàm adoranda. Non tulit Imperator dicendi libertatem, ſed ſtatim quibuſdam inſtrumentis æneis, ad ſumendum ſupplicium confectis, iubet genas quidem verberari martyris, præconem autem hæc proclamare: Nè ſis lingua nimium profuſus, ô Hermyle: honora Imperatorem, dijs ſacrifica, & libera-

[c] Irridet Tyrannum

[d] Magna eius in ſupplicijs libertas.

re à ſupplicio. Is [d] autem, etiamſi ſic verberaretur, perindè ac ſi nihil ſubiret moleſtum, contra Tyranno etiam exprobrabat imbecillitatem, vt qui dubij perplexique eſſet animi, & planè victus: & ideò non ſecus ac ij, qui ſunt puſilli & abiecti animi, ex ira inferret ſupplicium. Deindè etiam clariore voce vtens: Plagas, inquit, quæ nunquam deſinunt, & diuinas manus experieris, quòd eo qui te fecit, relicto, ſurdis & mutis dijs attendis, & quod eſt grauiùs, aliorum veluti ſaluti inuidens contendis ad eundem trahere interitum.

III. [e] Traditur in carcerem.

Postquam [e] autem viſum eſt Imperatori ſufficere ſupplicium, & ita aliquid remiſit de nimia acerbitate, tradit martyrem carceri, & tres dies iuſſit in eo manere. Fortaſſe, dicens, ducetur pœnitentia vanę ſuę pertinaciæ. Martyr itaque abiens in carcerem, pſallebat: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi caro. Iam autem ingrediens cuſtodiam. Qui paſcis Iſrael, dicebat, attende, qui deducis tanquam ouem Ioſeph: Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare, & veni ad nos ſeruandos. Sed ſic quidem Martyr, & ſic quæ erant grauia & moleſta, propter Chriſtum pati voluit. Chriſtus autem quomodo ſe habuit? Num famulum contempſit? Num illo patiente, neglexit ipſe conſolationem? Et quomodo fuerit hoc noſtri Dei, benignitatiſque & clementiæ, quæ omnem ſuperat cogitationem? Non ergò defecit opem ferens, ſed etiam incitauit ad animi fortitudinem, & ad eum Angelum mittit conſolatorem, dicentem: Hermyle, [f] eſto bono animo, & noli timere: loquere, & noli tacere. Decerta, & noli timere. Mox enim vinces tyranni machinas & deſuper feres præclaram coronam martyrij. Sic Deus armat potiùs aduerſus tyrannum, qui non apparet. Sic accingit virtute, & docet quidem manus ad bellum, dat arcum autem æneum: Ponit brachia & clypeum ſalutis.

Pſal. 117. *Pſal.* 79.

[f] Angelus eum confortat. *Pſal.* 17.

IV. [g] Conſtantia eius.

Post tertium certè diem, cùm tribunal aſcendiſſet Licinius, protinùs diuino adducto Hermylo, Num modo, inquit, ſtatuiſti dijs ſacrificare, & ab imminentibus terroribus, miniſque & periculis liberari? An adhuc, inquit, ferris per præcipitium, & eadem rurſus tè cepit amentia? Ad [g] hæc fortiter admodum Chriſti miles, & pro dignitate eius, qui illum armauerat: Semel, inquit, dixi tibi, ô Imperator, & oportet contentum prioribus, de eijſdem non mouere ampliùs. Eſt enim mihi Deus in cœlis, cui ſoli viuo, & cui mox meipſum hoſtiam offerre propero: & à quo ſpero maximum venturum auxilium. Videam ergo, inquit Imperator, an is, qui cœlos habitat, ſatis tibi afferet auxilij. Statimque iuſſit, & viri ſex raptim, quod iuſſi fuerant, exequentes, viri manibus robuſti, immites & crudeles animo, cædem & furorem ſpirantes, cum humi martyrem extẽdiſſent, virgis cædebant crudeliſſimè. Atq; [h] illi quidem ſic faciebant, mortali regi ſeruientes. Martyr autem perindè ac ſi nihil haberet commune cum carne, quæ ſic patiebatur, neque dolorum vllum ſenſum caperet, quietè perſeuerabat in oratione, & Deo attendebat. Hæc autem erat oratio.

[h] Cæditur virgis.

V. Domine Deus meus, qui propter me ſub Pontio Pilato flagella & plagas tolerâſti, ipſe me rurſus propter te patientem confirma, vt poſſim curſum præſentem perficere, vt cum ſocius fuero perpeſſionis, dignus quoque ſim, qui ſplendoris efficiar ſocius. Et [i] talis quidem fuit eius oratio, vox autem protinus audita eſt deſuper, dicens: Amẽ, Amen Hermyle, poſt tres dies liberaberis à præſentibus moleſtijs: Præclaras autem & magnificas accipies præſentium laborum remunerationes. Et vox quidem martyri magnam attulit audaciam & animi fortitudinem: lictoribus autem magnum incuſſit timorem: omneſque repentè in terram procidentes, tremebant & trepidabant, adeò vt nec ipſe Imperator, nec vlli alij fuerint immunes ab animi perturbatione, ſed omnes ex æquo moti fuerint: etiamſi ille præ impietate cæcutiens & grauiſſimè furẽs, noluerit intelligere vt benè ageret: nec vitium eſt auerſatus, vt dicam cum diuino Dauide, nec vllam eius, qui hæc faciebat miracula, vel minimam acceperit notitiam: ſed in carcerem rurſus obſcurum & tenebricoſum luciſque expertem tradidit martyrem.

[i] Cœlitus confirmatur. *Pſal* 35.

VI. [k] Reducitur in carcerẽ. [l] Stratonicus clàm Chriſtianus *Pſal.* 26.

Sed mentem adhibere oportet orationi, & Dei ſapientiæ arcanum intelligere. Hinc enim proficiſcitur id, quod eſt orationis iucundiſſimum, & eſt athletæ coniuncturum commilitonem. Is enim, cui in cuſtodiam fuerat ſanctus creditus, & qui curam gerebat cæteris, erat ei valde amicus & familiaris. Quis [l] hic eſt? Stratonicus ille ſapiens, qui videbatur quidem eadem ſentire quæ amicus, & eſſe in religione eiuſdem ſententiæ: nondum aũt audebat pietatem libere profiteri. Neq; Ioſeph occultam ſuperauerat diſciplinã: ſe amici tamen miſereri, & eius ægrè ferre cruciatus, oſtendit multorum oculis. Sed de Stratonico quidem in præſentia dicere differamus, ea enim perſequitur oratio, quæ ad diuinum pertinent Hermylum, nec patitur eorum abrumpi conſequentiam. Martyri ergò Hermylo ingredienti carcerem, hæc opportunè canebantur & prudenter: Dominus illuminatio mea & Saluator meus: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dum appropinquant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me & inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſus me caſtra, non timebit cor meum. Si inſurgat aduerſus me bellum, in hoc ego ſperabo. Sic [m] dixit. & ſtatim dux mirabilis deſuper in ipſum erumpit ad confirmandum id, quod canebatur: & vox rurſus illinc eſt audita, iubens athletam bono eſſe animo: & pſalmum ſimiliter confirmans, & ſicut erat ei pollicitus, poſt tertium diem finem eſſe venturum.

[m] Iterum diuinitus animatur

VII. Sequenti autem die cùm procedendum eſſe ſignificâſſet Licinius, & præſediſſet in tribunali, proclamari iuſſit per præconem, vt duceretur Hermylus. Ille verò læto animo, ductus eſt, lætis oculis, & cor habens plenum lætitia: externus enim adſpectus hoc apertè ſignificauit. Subridens autem & caput mouens Licinius, & veluti ſanctum apertè ludificans. Age, inquit, quàm tibi conducibilis fuit illa obſcura cuſtodia? Quomodo hoc, quod interceſſit, ſpatium tibi reuera attulit aliquam ſententiæ mutationem, & perſuaſit iuſſis cedere Imperatoris, & dijs reddere ea, quæ debentur, an adhuc nobis opus erit tormentis aduerſus tantam tui cordis duritiem? Martyr autem. Mihi quidem, inquit, tetrum illud & tenebricoſum domicilium magnam lucem conciliauit: & nunc mea verſatur anima in tranquillitate, & voluptate, & inexplicabili illuminatione, quæ futuri mihi ſpem bonam porrigit. Ego autem valdè miror, quemadmodum quæ in te habitant tenebræ, nullam ſuſcipiunt mutationem: ſed ſemper profundæ & concretæ inſident tuis animæ oculis, quæ nequaquam ſinunt adſpicere veritatem. Cùm tam apertè impietatem Imperatori exprobraſſet,

Licinius

Licinius illi vehementer & cum magna respondens acerbitate: Nihil aliud, inquit, vt videtur, didicisti, nisi solummodo appetere contumelijs: quod quidem est linguæ intemperantia, & animæ audacia, & vt semel dicam amentia. Sed tamen responde, & dic apertè: Dijs ne sacrificabis, & nobis cedes sic imperantibus, an te vti oportet vt mereris? Christi autem martyr Hermylus: Habes, inquit, responsa ô Imperator, & nihil ex ijs à nobis amplius audieris: fac deinceps quod velis, & exequere ea quæ statueris.

VIII. His [a] ita percitus Licinius, iubet eum porrectum supinum virgis figura triangulis in ventre verberari. Et erat quidem hoc graue tormentum, & corporibus humanis minimè tolerandum. Anguli enim virgarum, non secus ac quidam enses, carnes vehementer tangebant. Sed athletæ, etiam cùm verberaretur tam immisericorditer, vnum erat solatium, nempè Christum fixis oculis adspicere. Vnum [b] benignum medicamentum preces quas ad illum fundebat, quibus plagis iucundè adspergebat, dicens: Domine, ad adiuuandum me festina. Ille verò cito ei adfuit, & faciens vt ferret dolores facilius, & annuncians eius consummationem. Imperator igitur, vt qui esset irritatus eò quod non parêret, & egregiam illam athletæ pro pietate constantiam, existimaret esse suæ contemptum potentiæ, manebat adhuc puniens, & vi eum esse persuasurum arbitrans. Quocirca iussit eius ventrem perfodi aquilarum vnguibus, donec suis, inquit, oculis sua videat intestina. Propter quæ dixit martyr: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Sicut ex adipe & pinguedine repleta est anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Et hæc quidem sic. Quæ autem sunt deinceps consecuta, quomodo?

[a] Crudele martyris supplicium.

[b] Preces, medicina dolorum.

Psal. 83.

Psalm. 62.

IX. In [c] animo quidem habebat tyrannus eum rursus dare in custodiam, vt eum rursus puniret acerbius. Egregius autem Stratonicus (iam enim postulat oratio, vt ad finem deducam promissum) cùm vidissent Hermylum sic patientem, nec ei posset omnino opem ferre, faciebat id quod poterat: amici miserabatur, & acerbum dolorem capiebat, vultusque eius conciderat, & ex eius oculis guttatim profluebant lachrymæ. Quo factum est, vt cum sic se haberet, non potuerit latere: sed cum quidam ex commilitonibus eum tristem vidissent & mœrentem, & causam rei deprehendissent, ad Imperatorem accedentes, Stratonicus, inquiunt, ô Imperator, Stratonicus custos carceris, aperte ostendit se erroris & Christianismi societatem habere cum Hermylo. Videtur enim eius misereri, & eius causa in animo magnum dolorem concipere. Ille verò cùm statim accersiuisset [d] Stratonicum, rogauit an esset amicus Hermyli. Discipulus autem veritatis, minimè est mentitus, nec sustinuit ignauam & pusilli abiectique animi pietatem apud se occultare. Sed tempus esse arbitratus, vt hæc Dei ociosa cognitio prodiret ad opus, & magnum sibi pararet fructum per confessionem, se esse amicum Hermyli, & Christianum protinus est confessus, & eos qui colunt simulacra, magnæ condemnat ignorationis. Timeo enim, inquit, ego solum Deum, qui fecit cœlum & terram.

[c] Stratonicus multũ dolet eius cruciatu.

[d] Stratonicus libere Christum profitetur.

X. Ad hæc mouetur Imperator, & iubet eum grauissimum subire supplicium. Id autem erat, vt ex illis virgis plagas nudo toto corpore acciperet: atque eousque, donec ipsa vox eum deficeret. Et sic quidem Licinius. Martyr autem etsi esset tot malis implicatus, amicum fixis adspiciebat oculis, & eum vocabat, eoq; vtebatur ad Christum intercessore, dicens: Hermyle, ora pro me Christum, vt cum erga ipsum firmam ac stabilem seruauero confessionem, possim facile superare tyranni insidias. Interim autem ipsum quoque ludificabatur Licinium, cæcis ijs sacrificare prohibens, & veri Dei vindictæ ei terrorem incutiens, in cuius manus incidere, verè terribilem habet, & ineuitabilem perfectumq; interitum. Licinius autem cum vidisset sanctum Stratonicum satis saucium, parsit eum amplius punire: non quod humana mens & clemens animus eum moueret ad misericordiam, sed vt ei locum daret pœnitentiæ, cum eum prius tormento terruisset. Et [f] ideò eum in præsentia tradidit in custodiam. Ille verò etsi esset in custodia, Iesum ducebat suam esse consolationem, & cum eo per preces colloquebatur: Domine, dicens, nè memineris nostrarum antiquarum iniquitatum. Fer opem nobis, Deus seruator noster: propter gloriam nominis tui: & simul vox diuina est consecuta, dicés: Cursum consummauistis, fidem seruastis. De cætero est vobis reposita corona iustitiæ, quàm cras accipietis.

[e] Flagellatur atrocissimè.

[f] Ducitur in carcerem.

Psal. 78.

XI. Cvm autem iam esset dies, adductum Hermylum rursus interrogauit Licinius, an dijs sacrificaret. Ille autem: Eadem quæ prius, inquit, ô Imperator, do tibi nunc responsa. Quamobrem, vre, puni, scinde, fac quicquid tuo insederit animo. Didici enim non timere ab ijs, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Hæc cum audiuisset Imperator, & desperasset fore omnino, vt sanctum in aliam traduceret sententiam, eum suspendit in ligno, & iubet eum vehementer scindi. Sed [g] etsi eius carnes tam acerbe scinderentur, non ignorabat vndenam esset salus iustorum, nempè quòd à Domino, & quod est eorum defensor in tempore afflictionis. Et ideò esto mihi adiutor Domine, & redemptor, dicebat assiduè, & perindè ac si videretur aliquem desuper audire dicentem. Noli timere: sum enim tecum, & Deus tuus ego sum. Veritus ergò Licinius, & ex auditione veluti conturbatus, ex ligno deducit martyrem, & eum condemnat, vt in Istro fluuio intereat, iubens vt in eum iaceretur: stultus fortasse arbitratus, quòd sic passus Hermylus omnino interiret, & nec venerabilis quidem eius corporis futura esset inuentio. Ad ipsum autem adducto Stratonico, visus est suggerere & admonere ea, quæ essent vtilia. Crede, inquit, mihi ô miser, crede, & dijs velis sacrificare, nè tu eadem quoque patiaris, quæ amicus, & ambo subeatis eandem pœnam inobedientiæ. Respondens autem Stratonicus. Reuera, inquit, miser fuerim, si tibi parens, cum ille sit mortuus propter Christum, ipse velim viuere. Licinius autè, Quid ergò? Vis mori cum Hermylo? Maximè [h] quidem, inquit diuin⁹ Stratonicus. Etenim, inquit, si oportet amicos communes habere calamitates, oportet omnino eos quoque bonis frui communiter. Quid autem nobis fuerit iucundius aut preciosius, quàm pati propter Christum? Propter quæ cùm desperasset Imperator fieri posse, vt persuaderet Stratonico, similem quoque in eum fert sententiam, & eodem fine vtrumque condemnat: quos etiam reuerà par finis excepit, communisque beatitudo & exultatio.

[g] Hermili corpus scinditur.

Psal. 30.

[h] Constantia inuicta Stratonici.

XII. Ad mortem itaque ducebantur martyres, dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas: qui quidem est hymnus conueniens ijs, qui sunt bonum aliquod consecuturi: non eorum, qui deducuntur ad mortem, aut ad aliquam aliam causam tristitiæ. Postquam [i] autem iam peruenissent ad fluuium, in rete iniecti ab ijs, quibus hoc datum erat negotium, transmittuntur in profundum. Cùm suscepisset autem fluuius corpora sanctorum, & quanto oportuit fluento esset sanctificatus, ea rursus tradit manibus fidelium: vt qui talem, vt arbitror, thesaurum apud se diutius abdere non sustinuisset, & tanti boni iactura afficere Christianos, cum prima eorum non apparuisset bonitas. Tertio ergò die postea, visa sunt corpora martyrum: in quæ cum incidissent quidam viri pij, & quorum erat officium venerari corpora sanctorum, & ea optantibus manibus piè ac religiosè suscepissent, & sacros hymnos cecinissent, & quæcunque mos est [k] Christianis, peregissent: in quodam loco, qui octodecim stadijs abest à ciuitate Singedone, ea simul deponunt, vt eis essent omnia communia, & amica: in Christum confessio, in carcere habitatio, in flumine demersio, supernæ gloriæ consecutio, in vno loco corporum depositio: gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor & adoratio, nunc & in secula seculorum,

Amen.

[i] Mergũtur in flumen martyres.

Luc. 2.

[k] Nota hic Ecclesiasticos in funetibus ritus.

SANCTO-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

An. 852. SANCTORVM GVMESINDI PRESBYTERI, ET SERVIDEI MONACHI MARTYRIVM, CORDVBÆ IN HISPANIA PASSORUM Anno Domini 852. ex S. Eulogij martyris libro secundo Memorialis Sanctorum, cap. 9.

13. IANV. Gumesindus.

SANCTVS Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum vtroque parente puer adhuc paruulus Cordubam veniens, votiuo genitorum affectu per sacrum clericatus ordinem, cœlesti asscriptus militiæ, apud basilicam sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius & Martialis martyres præsentialibus corporum suorum fauillis quiescunt, pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Vbi post aliquod tempus in sancto diaconij ministerio consecratus, demum cuiusdam Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ sacerdos adolescens præficitur. Inde ad vrbem descendens, cum beato [a] SeruoDei monacho, qui tum in supradicto sanctuario adhuc iuuenis cum Paulo presbytero reclusus manebat, principibus & iudicibus ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere, Idibus Ianuarij, Era octingentesima nonagesima. Quorum [b] corpora furtim à Christianis sublata, in basilica sancti Christophori martyris, quæ est vltra amnem in parte meridiana, religioso cultu extant recondita.

[a] seruideus

[b] Est annus Christi 852.

An. 340. VITA S. HILARII. PICTAVORVM EPISCOPI AVTORE FORTVNATO, TVNC ADHVC PRESBYTERO, pòst Patauiensi Episcopo, qui claruit circa annum Christi 570.

13. IANV.

DOMINO sancto, & meritis beatissimo patri, Pascentio Papæ Fortunatus. Religiosi pectoris studio solicitante commonitus, Papa beatissime, diuinis in actibus cùm sacri conuersatione ppositi iugiter exercitaris intentus, & intendis exercitandus: vt facile sit perspicuum, ad culturam Ecclesiasticæ disciplinæ & fuisse te genitum, & esse prouectum, cum irrefragabiliter veteris dispositionis catholici dogmatis fundamenta custos obseruas, & ad ædificationem plebis amantissimæ, veluti bonus instructor, adijciendo aliquid, culmen fabricę continuare festinas, non sine timore diuino. Cuius operis amore prquentus, me dignatus es perurgere, quô de actibus sacratissimi viri Hilarij confessoris, qui te [c] ab ipsis cunabulis ante sua vestigia, quasi peculiarem vernulam familiariter enutriuit, vt impensi muneris vel verba rependerem, & si non plenè, vel quædam ex parte complexa perstringerem: quatenus dum gregis auribus vox quodammodo & vita pastoris antiquissimi resonaret, & ille probaret ministerium, & ipse tuum non celares affectum. Sed cùm mei ingenij breuitatem mensuro, adeò beati Hilarij immensitatem fortem cognosco, vt penè mihi videatur æquale, tam istud posse dicere, quàm digito cælum tangere: præsertim quòd etiam beati (vt audio) Hieronymi torrens illud eloquium recusauerit attentare, qui huic materiei se se imparem eatenus iudicauerit, vt taceret. Ego verò, cui nullius scientiæ irrigua fluenta succurrunt: quem vix stillicidij pauperis attenuata gutta perfundit, nihil proprio de fonte respirans: qua temeritate inter ingentia flumina, Euphratem beati Hilarij, & Nilum Hieronymi, siccos velim cursus extendere, cùm de illo etiam doctissimi viri quicquid dicere potuerunt, minus est quàm meretur? Et cùm virum sanctissimum consultus mihi sit mirari quam loqui, æquabilius fuerat hæc beato Ambrosio de fratre scribenda mandare, cui verba virtutibus coniuncta florebant. Tamen etsi cum mea verecundia vobis quidem obedientiam, & illi impendo, de quo non dignè loquor, fortasse iniuriam: sed concedi per veniam credimus, quod deuotione peccatur. Et ne protracta pagina fastidium potiùs generet, quàm prouocet auditorem, nunc de eius vita proponamus.

[c] Pascẽtius à S. Hilario enutritus.

I. IGITVR beatus Hilarius Pictauorum vrbis Episcopus, regionis Aquitaniæ partibus oriundus fuit. Quæ [d] ab Oceano Britannico ferè millibus nonaginta seiungitur: apud Gallicanas verò familias lampade nobilitatis non obscurus, imò magis præ cæteris gratia [e] generositatis, nitore pectoris addito ornatus, quasi refulgens lucifer inter astra processit. Cuius à cunabulis tantæ sapientiæ primitiua lactabatur infantia, vt iam tunc potuisset intelligi, Christum in suis causis pro obtinendâ victoria, necessarium sibi iussisse militem propagari. Denique [f] coniugem habens & filiam, ita plenitudine Domini venerabiles animos Ecclesiasticæ regulæ tradidit informandos, vt adhuc in laicali proposito constitutus, diuino nutu pontificis gratiam possideret: ita seipsum propria disciplina coercebat intentus, quasi futuram speciem indicans, vt irreprehensibilis in templo Christi præpararetur sacerdos. Nam [g] quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quemquam, qui se à Iudæis vel hæreticis cibo suspendat: adeò vir sanctissimus hostes catholicæ religionis abhorruit, vt non dicam conuiuium, sed neque salutatio fuerit cum his prætereunti communis. Vitabat hæc Dauidico suffultus exemplo, nè cum hæreticis mensam participando, fieret illi in scandalum. O quam perfectissimum laicum, cuius imitatores ipsi etiam esse desiderant sacerdotes: qui non fuit aliud viuere, nisi Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere. Cuius sequaces, currunt ad gloriam: diuertentes, ad pœnam: credenti, succedunt præmia: recusanti, tormenta. Qui omnes de piæ religionis opere commonens, nunc alios de confessione inæstimabilis sanctæ Trinitatis informans, nunc reliquos promissione regni cœlestis inuitans, non cessabat in plebem verba veritatis, fructu fidei redundantia seminare. Quo cognito de S. Hilario, quoniam tantum lumen, & si voluisset, latere non potuit: quippe necessarium, vt alienas tenebras in lucem tranferret: concordante fauore populi, aut potiùs Dei spiritu proclamante, vir olim mysterijs deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est. Crescebat [h] in eo quotidie opinio, famulatrix virtutum: nec erat fama eius contenta circumiectas tantum Gallias illustrare, sed exteras nationes & regiones implebat, meritorum gratia percurrente, idque actum est, vt in toto orbe velociter beati Pontificis gloria militaret.

[d] Patria.

[e] Genus.

[f] Coniunx & filia Hilarij.

[g] Hęreticos quam sit auersa us adhuc laicus. *Psalm 67.*

[h] Eligitur in Episcopum.

II. IGITVR Constantij Imperatoris tempore, cum [i] Arriana hæresis, venenata de radice, [*] flore toxico pullularet, tunc sanctissimus timore nudus, fidei feruore vestitus, quasi signifer belligerator per medias acies inter hostiles fremitus, inter hæreticos gladios se ingerebat, Christi charitate securus: nihil de sua morte formidans, illud solùm metuebat, nè præiudicium religioni, quod absit, illatum præualeret. Hinc à Valente & Vrsacio Episcopis, qui praua credulitate Ecclesiam Dei turbare pertinaciter insistebant, Imperatori persuasum est, vt virum eruditissimum, de quo loquimur, & Dionysium Mediolanensem, & Eusebium Vercellensem exilio condemnaret. Nihil [k] enim poterat ante insuperabilem sancti Hilarij facundiam hæreticus obtinere: sperabat enim hostis fidei, aliquas se nebulas splendori catholico posse prætendere, si retrusus exilio, vir talis à certamine defuisset: quoniam si quis peruersus voluit cum illo confligere, ac si mutus & claudus, nec verba poterat proferre, nec responsionibus curreie: sed quasi natans in pelago, ante fluctum eius eloquentiæ mergebatur. Itaque in Phrygiam Asiæ regionem missus exilio, ad augmentum virtutis gratias egit: quia quantum pro nomine Christi longius discedebat de solo proprio, tantum merebatur fieri vicinior cœlo. Qui [l] dum ad locum peruenisset optabilẽ, nobis tacendũ non est, quod illi diuinitus concessum est. Nam eo tem; ore,

[*] *al. floris toxicis.*

[i] Arrianorũ validissimus oppugnator est

[k] Hæreticorum versutia

[l] Condemnatur exilio a synodo Bytertensi.

tempore, sancto sibi spiritu reuelante, cognouit, quòd beatissimam Abram filiam suam, quam cum matre Pictauis reliquerat, quidam iuuenis nobilissimus, prædiues, pulcherrimus, coniugij vinculo sibi quæreret adnectendam. Sed ipse interuentu orationis assiduæ, cælestem illi sponsum sine contaminatione prouiderat, Mox [a] opportunitate reperta, manu propria subscriptam filiæ direxit epistolam, sufficienti sale conditam, & velut aromaticis vnguentis infusam, quæ tenetur Pictauis pro munere conseruata: indicans ei, quòd talem sponsũ pater anxius prouidisset, cuius nobilitas cælos ascenderet, pulchritudo rosarum & lilij comparationẽ præcederet, oculi gemmarum lumine luminarent, vestis candorem niuis opprimeret, ornamenta inæstimabili fulgore vernarent, diuitiæ intra se regna concluderent: eius sapientia incomprehensibilis emanaret, dulcedo faui mella postponeret, pudicitia incontaminata persisteret, odor suauitate fragraret, thesauri sine defectione constarẽt. Addit ergò monitis, vt filia nulli se prius à matre diuisa coniũgeret, quàm vt patrem expectaret sibi pollicitum, & sponsum pariter cum promissione venturum. Quod Abra dulciter excipiens, & quasi sponsum futurum in epistola patris amplectens, admonitionem secuta est, nulli se in coniugio resoluens. Sed qualiter ad illum sponsum peruenerit, locus in sequenti seruatur.

[a] Epistola illius ad filiam Abrã, quã habes operibus eius, anno 1605 Parisiis excusis, præfixam, & vitæ Hilarij subnexã.

III. Interea cum [b] toto orbe Arianæ hæresis peruersitas pullularet, dato generaliter Imperatoris edicto, iussum est, vt omnes orientales episcopi apud Seleuciam Isauriæ oppidum conuenirent, disceptaturi quid sentirent de fidei veritate. Tunc inter reliquos, quarto iam exilij anno, de Phrygia sanctus Hilarius in prædicto loco data si pergendi euectione, ad synodum venire compellitur. Qui quoddam castellum dum adisset, die Dominico ingressus est templũ: moxq; Florentia puella gentilis, irrumpens multitudinem populi, voce magna seruum Dei illuc aduenisse testata est: & ad pedes eius accurrens, non cessauit petere, nisi signum crucis ab ipso sibi fieri fideliter impetrâsset. Quam Florentius pater secutus & cuncta familia, in nomine Domini meruerunt pariter baptizari. Quæ Florentia, relictis parentibus, vestigijs eius inhærens, vsq; Pictauos perducta est. Patrem verò se habere, non à quo generata est, sed per quẽ regenerata est, prædicabat. Cumq; [c] Seleuciam peruenisset, magno fauore à cunctis exceptus est, eô quod diuina misericordia tam prudentissimum virum, & singulari eruditione compertum, in spectaculum mundi produxerit, vbi erat de fide censendum. Hinc post examinationem agnitis hostibus & oppressis, decretis in scripto conditis, prospera gerens synodi ad Imperatorem dirigitur legatio: cum qua perrexit sanctus Hilarius, quanuis ei non fuisset iniunctum, metuẽs nè adhuc contra religionis dogmata respiraret damnata perfidia.

[b] Synodus apud Seleuciam anno 359. Vide Seuer. Sulp. l. 2.

[c] Hilarius venit Seleuciam ad Synodum.

IV. Sed [d] differere longum est, qualiter in Ariminensi synodo composita mentione, aliud ex alio referens, fraus hæretica serpentino lapsu subrepserit, & quomodò postea legatis Seleucensibus per Imperatoris impietatem ipsa est illata calumnia. Quod tamen Athleta Christi beatus Hilarius agnoscens, grauiter doletapud Ariminum diaboli præualuisse mendacium: intantum, vt orientales partes simili composito prauitatis fuco inficeret. Imperatori [e] autem tribus libellis oblatis, preces effudit, vt in eius conspectu collectis aduersarijs, esset ei contra hæreticos disceptandi de religione licentia, nè veritatem falsitas obnubilaret, nè iniquitas æquitati præualeret, nè Imperator Deo resisteret, nè Trinitatis fidei, iniquitatis perfidia rebellaret. Vndè Valens & Vrsatius, conscientiæ reatu perterriti: quoniam si daretur facultas certandi, mox [f] se recognoscebant Hilarij contentione prosterni, solicitant Imperatoris animum, iam magna ex parte captiuum, vt ipsum Dei virum ad Gallias redire perurgeret, dicentes, illo præsente hæretica non posse machinamenta proficere. Quo [g] obtentu, ad Gallias compulsus reuertitur, putans amplius se pati exilium, quòd illuc perturbationem Ecclesiæ relinquebat, termino disceptationis non consecuto. O beatum Pontificem, qui in summo discrimine, inimico etiã sibi iudice, adijt tribunal Imperij, sine timore torquẽti. Verè totis visceribus diligebat Christi regnum, qui non formidabat in principatu Constantium. Nam quòd se pro Domino sic ingerebat aperto periculo, optabat martyrium, si non deesset percussor: & tamen animus sumpsit gloriam, etsi tempus non intulit pœnam. Sed hũc ipsum diuino nutu seruatum testificor pro correctione multorum. Nam [h] penè totum mundum graui errore confusum, factis sæpius in Gallia synodis, per Hilarium fuisse ad viam veritatis adductũ, confitetur lingua multorum. Quid autem interest, vel sibi pro æterna vita factum fuisse martyrem, vel amplius vixisse, reliqui nè perirent? Igitur sanctissimam animam etsi gladius persecutoris non abstulit, ipse tamen palmam martyrij non amisit. Itaq; [i] dum regrederetur Hilarius ad propria, tunc beatus Martinus, æquè meritorum lumine non absconsus, qui ab eodem sancto Hilario exorcista est postea constitutus, cognito aductu eius, Romam festinanter occurrit. Quem cùm iam præterisse cognosceret, est vsq; ad Gallias prosecutus. Neque enim Martinus, qui adhuc catechumenus Christum chlamyde sua rectum videre meruit, illi deuotus occurreret, nisi per omnia mysterijs plenum in eo spiritum præuidisset. Nec mirum, si ille, qui Deum prius vidit in paupere, postea illum habitare cognosceret in doctore.

[d] vt habet S. Hieron. in Cat scrip. Eccl anno 356. & in Phrygiam relegatur, vt notat Bar.

[e] Cõstantio Imp. tres libellos pro defensione fidei offert anno 360.

[f] Nota artes hæreticorũ.

[g] Hilarius ab exilio ex inspirato relaxatur anno 360.

[h] Crebræ in Gallia synodi. Vide Seuerum lib. 2. Histor.

[i] S. Martinus prædicatur.

V. Illvd etiam nobis non conuenit tam nobile præterire miraculum. Nam cum circa Gallinariam insulam propinquaret, relatione agnouit vicinorum, ibidem ingentia serpentium volumina sine numero peruagari: & ob hoc quanuis illis hæc insula videretur vicina, propter inaccessibilem tamen locum longiùs illis videbatur esse, quàm Aphrica. Quo audito, vir Dei sentiens sibi de bestiali pugna venire victoriam, in nomine Domini, præcedente crucis auxilio, descendit in insulam, eoq; viso, serpentes in fugam conuersi sunt, non tolerantes eius adspectum. Tunc [k] baculum figens in terram, quasi metam, quousq; deberent excurrere, virtutis potentia designauit, nec amplius libertas est illis occupare, quod vetuit: & tanquàm hæc insula non sit terra, sed pelagus, qui dum semper illam partem verentur attingere, facilius est illis mare transire, quàm vocem. O immutabilem terminum, de sermone plantatum. Apparet, quantum est melior Adam secundus antiquo. Ille serpenti paruit: iste seruos habet, qui possunt serpentibus imperare. Ille per bestiam de sede paradisi proiectus est, iste de suis cubilibus serpentes exclusit. Deposuit anguis antiquum mendacium, qui didicit implere mandatum. O Hilarij dulce medicamentum & meritum, ante quem sine mora venena fugata sunt: addidit terram hominibus, quia in loco beluæ incolæ transmigrant. Sed reuertamur ad ordinem.

[k] Fugat serpentes ex insula S. Hilarius.

Gen. 3.

VI. Cvm [l] de exilio regressus, introiuit Pictauis, summo fauore plaudebant omnes pariter, eo quod ecclesia recepisset Pontificem, grex pastorẽ: & ac si omnes cum ipso tunc rediissent ad patriam, ità sine illo se exules fuisse deflebant. Itaq; beatum Martinum in vico Tegiaco nomine dum præcepisset consistere, virtute diuina meruit ibi beatus [m] Martinus mortuum suscitare. Deindè post aliquot dies infans sine baptismi regeneratione defunctus est, duplici morte damnatus: præsentem amiserat lucem, & pœna futuri seculi non carebat. Tunc mater extincti, quæ iam mater non erat, dum filium non habebat, prouoluta ad pedes sancti Hilarij, præcedentibus lachrymis, nati sui corpus effudit, exclamans: Martinus adhuc incipiens, catechumenum mortuum reuocauit: tu pontifex redde, rogo, filium aut mihi, aut baptismo. Qui populi pater agnoscaris, vt ego mater vocer, quæso obtineas. Sic illa plus lachrymis petente, quàm verbis, cõmotus pietate vir Dei & spectante populo, ad consueta arma recurrens, in terram prosternitur. Mox [n] paulatim defuncti pallor in ruborem conuertitur, frigida membra reuocato spiritu intepescũt, oculorum apertis ianuis palpebræ, peregrinum lumen agnoscunt: vox adducto aëre de pectoris domicilio conflata profertur, gressus suis vestigijs rediuiuus extenditur, in anterioris fundamẽti statum tota fabrica renouatur. Quid plura? Tandiu iacuit sacerdos in puluere, donec pariter surgerent, senex de oratione, infans de morte, Eccè vita laudabilis, quæ de alterius corpore necem precibus fugauit: spoliauit tartarum, spem habens in Christo. Mors ibi iura non tenuit, vbi Hilarius vim orationis ingessit. Sed tanta res non potest nostris verbis plus ornari, quàm ipsius meritis. Nunc verò memorandum est, quod suprà prætermisimus, qualiter miracula reliqua hoc subiecto miraculo cumulauit.

[l] Pictauorũ summa grãtulatione excipitur.

[m] S. Martinus mortuum excitat.

[n] S. Hilarius itidem suscitat mortuum.

DENIQVE cum beatissimam Abram filiam suam, ad quam de exilio destinauit epistolam, incolumem inuenisset, alloquitur eam, quomodò dulcedo poterat patris, & facundia oratoris. Quid dicam? Alloquitur illam Hilarius, cuius eloquentiæ post ipsum, comparare aliquem vix audemus, nisi qui fuerit spiritu diuino, vt ille, repletus: tentat eius animum, si vellet attingere sponsum, quem patris gratia prouiderat. Tunc libenter ac desideranter, vt celeriter ei iungeretur, optabat. Quam voluntatem pius pater agnoscens, intentus orationibus, non cessauit, donec sine dolore: sine contagio, se præsente, de mundi ludibrio migraret ad Christum: quam proprijs manibus, vt decuit, venerandæ tradidit sepulturæ. O funeris [a] gloria, quæ melior habetur quàm vita: quia quod terræ subripuit, in cœlum transmisit. Verè, vt ego considero, plùs fuit, quàm resuscitari, sic mori. Certa enim salus est, non contaminari peccatis. Quanti cuperent, rebus cum vita traditis, talem transitum comparare, si mercatorem forsitan inuenirent? Quid distat inter viuificati infantis, & filiæ mortificatæ mysterium, nisi quod illum resuscitauit ad baptismum, hanc prædestinauit ad regnum? & quod in illo adhuc spes peccandi restabat, hæc immaculata finierat? Quod [b] cũ vidisset mater beatæ Abræ, à pontifice postulat, vt & ipsa, si mereretur, erepta de mundi crimine, cum filia præsentaretur ad regnũ. Cuius vota considerans, assidua oratione & ipsam ante se transmisit ad gloriam. Quis æstimaturus est, talem virum ita dilexisse Dominum, coniugis & filiæ affectu contempto? Tamen in hoc magis illas amasse cognoscitur, cùm per ipsũ lumini perpetuo transferuntur. VII.

[a] Filiæ mortem tui precibus obtinet

[b] Itidemcõiugis quondam suæ.

QVIS vero abundantiam rigantis ingenij contendat euoluere, aut eius verba verbis valeat exæquare? Qualiter illæ indiuisæ Trinitatis libros stylo tumente contexuit, aut scripta Dauidici carminis sermone cothurnato per singula reserauit? Quàm fuit in discretione prouidus, in tractatu profundus, per literaturam eloquens, per virtutem mirabilis, in complexionibus multiplex, in resolutione subtilis, astutus, iuxta prophetam: imò prudens, iuxta Domini vocem, vt serpens, columbæ simplicis gratiam non amittens. Ipse conditi sal ingenij, fons loquendi, thesaurus scientiæ, lux doctrinæ, defensor Ecclesiæ, hostium oppugnator. Cuius dicta qui legit, non credit dicere, sed tonare. Hoc fuit vltra homines sapere, tam cautè de religione censere. Sed qui vult ipsum agnoscere, eius exilia memoret, merita respiciat volumina relegat, dicta perpendat, signa quotidiana percenseat. Qui dũ superstes fuit in hoc seculo, aut scripsit Ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcauit hæretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia: quæ, volente Domino, vsq; in hodiernum diem eius orationibus perseuerant. Sed mea lingua non sufficit singula de Spiritu sancto, qui per eum operatus & locutus est, sicut illi dignum est, proferre. Det mihi pius veniam, quia multa præteriui, qui vix pauca conscripsi. Ita beatissimi Hilarij de præsenti seculo vita, Valente & Valentiniano regnantibus, cum gloria migrauit ad Christum, terra plorante, cælo gaudente, Amen. VIII.

Matth. 10

[*] Abit è vita Quo vero anno mortuus sit est incertum: eum ad annum 369. peruenisse ex Auxentij libello probat Baron.

DOMINO [c] sancto, & meritis beatissimo patri, Pascentio Papæ, & in Christo florigera perenniter charitate vernantibus Ecclesiæ Pictauensis habitatoribus, Fortunatus. Cùm veteres & infidelium conditores voluminum, eloquentiæ suæ pompam cunctis ostendere, causa prouocauerit opinionis inflatæ: dum inter regum vota seu funera, id est, prospera vel aduersa confuso vocis ordine, quodammodò nisi sunt, cantare pariter & plorare: vt hi qui dixerunt, vel de quibus locuti sunt, saltem in libris viuerent, & si vacuis actibus inaniter defecissent: cur ego melioris spei solicitatus instinctu, patiar reticere summi confessoris viuentia merita & victorias, non sine, quod absit, vindictæ cælestis incursu: cũ vix debita soluerẽ, si de B. Hilarij indeficientis lampadis splendore, infatigabili voce, die continuata cũ nocte pariter decantarẽ? Qua verò vel irretitus insciti a, vel impulsus offensa, in ea voluntate sub graui torpore persisterem, vt cùm illi plurimo decepti tractatu, de resoluta vmbrarum imagine nonnulla conficerent, & in puluerẽ redacta cadaueta, falsis quasi laudibus animarent: ego de sanctis permanentibus, & quod est felicius, in regno Christi quotidiè florentibus, nihil referrẽ: præsertim vbi diuersa diuersarum partium videtur esse causa mercedum: quòd gentiles fructum laboris sui, inani tantum fauore voluerunt consistere: nos autem oporteat in beatorum virorum intercessione plantare? Quibus hic si verba soluimus, illic gaudia comparamus. Idcircò reddat illi nobilis lingua præconium, à quo priùs pectora hunc conceperunt affectum. Nam bonis eius apertè creditur inuideri, si quæ de illo cognouimus, silentio videantur abscondi. IX.

[c] Beatorum intercessio ambienda.

[c] Miracula S. Hilarij.

MERITO itaque cum cæteris & me de se loqui compellit, qui etiam mutos, vt loquantur, absoluit. Sed quàm plura superstes in corpore fecerit, vel quanta operatus sit, postquam æterna in requie, plaudentibus angelis, ad Christum victor de mundi certamine transmigrauit, & si non potui, annorum vetustate subripiente, contingere: attamen vel quæ præsenti tempore miracula misericors præbuit, cupio indigenti memoriæ non fraudare: vt quisquis hæc fideli, sicut condecet, auditu perceperit, & præterita se cognoscere gaudeat, & similia fieri virtute confessoris in futuro confidat. X.

IGITVR [e] Probianus cum dubio iam vitæ penderet in fine, & spem conualescendæ infantiæ mors inuida parẽtibus subripere festinaret: nec paruuli funus acerbum considerans, nec desideria ingemiscentis senectutis spectans, auida quicquid inuenit extra sortem cuncta concludens, sola tamen intercessione beati Hilarij restiterat moribundo salutis occasio. Quem Franco suus genitor, & Periculosa mater, quæ magis conuerso nomine, filij periclitabatur in nece, iam quasi defuncti præmeditantes exequias, cum ingenti fletu in confessoris tabernaculum detulerunt. [f] Tunc sanctus Hilarius ab authore suo secretæ artis exhibens medicinam, consuetus dispendio funeris reddere compendia sanitatis: subitò membrorum fluentem fabricam, verbo operante erexit, & in statum pristinum, tanquàm si nihil in ea fuisset solutum, reformauit: Moxq; parentum lachrymas, lætitiæ mole superueniente, siccauit, gemitus voto succedente præclusit: vbi iam per dolorem non erat, sed per gaudia, quod plorarent. Quas pœnas, quæ tormenta mors ipsa tunc pertulit, quando illud, quod credebat inuadere, sic amisit? Profectò quando alterum victrix ferire non potuit, sese ipsam victa percussit. Qui [g] tamẽ Probianus posteà apicem promeruit obtinere Pontificis, vsq; in hodiernum diẽ ad luminaria sui medici, singulis annis vitæ debitor tributa persoluit. XI.

[e] S. Hilarius sanat puerum moribundum.

[g] Probianus Episcopus.

ILLVD quoq; nobis est tam singulare miraculum, pro gloria collatoris, ad memoriam populi reuocandum. Nam cum à Cadurcis venissent duo homines, lepræ maculis immutati, spẽ suæ salutis in sancti intercessione fundantes, de puluere, qui ab eius sepulcro abstergebatur, sua lauantes capita, & membra reliqua perungentes: tam diù sibi talẽ curam fideliter impenderunt, donec infirmitatis ipsius vlcerosa varietas de corpore, quod captiuauerat, captiua migraret: vt decepta suis solatijs, colorem, quem inuaserat, inuiolatum relinqueret, & quam secum attulerat, turpitudinis speciem non teneret. Post innumerabilia itaq; vulnera, membris omnibus instaurata est cutis vna. Vultus ille diuturna deletus sorde, sua cœpit in ambobus repingi imagine, nec agnosci potuit, qualis fuerat per infirmitatem. Per fidelissimum nanq; puluerис lauacrum. Pictauis illis purificus Iordanis inuentus est, & non ipsi ad fluuium, sed ipsis fluuius hîc occurrit: ex quo tam prædicabilis patuit miseratio Confessoris, quod & laborem eis longinqui itineris abstulit, & salutis vota porrexit. O quàm inæstimabilium claruerunt documenta virtutum, vbi sepulchri immunditiæ, mundauerunt maculas lepræ. Cuius hoc facere cura potuisset artificis, qui de tali puluere, ferret beneficia medicinæ? Ex quibus Castorius diaconus: & Crispus, subdiaconus institutus, ad eius obsequium vsque in finem suum, per quem sanati sunt, adhæserunt. Et merito illius elegerunt sustinere iuga Domini, à quo à pœna liberi sunt effecti. XII.

[h] Leprosi duo curantur puluere sepulchri S. Hilarij.

QVÆ-

III. QVÆDAM[a] puella in hanc vitam veniens, dexteram mortuam traxerat; natura formante, debilem manum in speciem globi collegerant neruorum fila contracta: fluxa suo stamine digitorum tela marcebant. Tunc occurrens, ad beatissimi sepulturam, intercessione eius viuacibus est officijs ordinata: Paulatim mobilis vigor articulos stupentes & ab vtero, viua redijt de sepulcro. Eccè quam larga remuneratoris est pietas, vt quæ natura non genuit, hic membra suppleret.

[a] Aliud miraculum.

IV. NEC[b] illud quidem præterire conuenit, quod cæco post vota felici successit. Nam cum ad beati Martini limina pro recipiendo lumine intentus properaret, in sancti Hilarij præteriens templum ingressus est. Quo dum vigilias officio solito Cleri celebrarent, manè facto, apertis oculis, ipse diem cœpit alijs nunciare, qui semper egebat audire. Apud quem vna semper nox erat, tenebras illa nocte purgauit. Qui nunquam viderat ornamenta diei, cœpit illi nouus sol nasci. Tunc illi fabricata sunt omnia, quando eorum meruit videre facturam, & vt ità dicam, quodammodò illi post sè mundus est natus, cùm factus est agnitus. Cæcus ad beati Martini Ecclesiam festinabat accedere iste hunc in suo templo dignatus est illuminare. Quanta micat gratia donatoris, qui præuenit desideria supplicantis?

[b] Cæco redditur oculorum lumen.

V. QVID[c] dignum etiam referam de tam regali mysterio, quod ab ipso est in regem collatũ? Denique Clodoueus rex dum contra hæreticam gentem pugnaturus, armatas haberet acies, media nocte meruit de basilica beati viri lumen super se veniens adspicere, admonitus vt festinanter, sed non sine venerabilis loci oratione, aduersus hostes conflicturus descenderet. Quod ille diligenter obseruans, & orationi occurrens, tanta prosperitate, altero pro se pugnaturo, processit ad bellum, vt intra horam diei tertiam, vltra humana vota sortiretur à Domino victoriam. Vbi multitudo occisorum cadauerum tanta iacuit in loco, vt collis ipse ob hoc visus sit se erexisse in altum. Eccè terribiliter formidanda prodigia, & delectabiliter amplectenda miracula. Parum illi fuit pro solatio regis, signum ostendere luminis, nisi apertè monitus addidisset & voce. Simile quoddam contigit Israëliticæ gentis tempore huius causa virtutis. Nam ibi columna ignis populum præcesserat: hic figura lampadis admonebat. Vellem nosse, cur fuerit tanti ardoris secretum mysterium, & tam manifestè prolatum. Sed quantum ipso inspirante, videor agnoscere, non tacebo. Contra hæreticas acies, sicut olim in corpore, non cessauit spiritu dimicare. Quanta fuit illi semper pro cultu catholicæ religionis auiditas, cum in requie posito, adhuc solicitudinis non desit vbertas? Nam qui tunc in synodo ad confundendum hostem verba fidelia protulit, hic in campo nunc arma tractauit.

[c] Clodonei regis visio & victoria.

Exod. 13.

VI. MVLIER[d] in vico Tonaciaco, dum aquam ad opus suum deportaret die Dominico, (non est meum nosse, quo præuenta peccato) manu attracta est, venarum arefacto discursu. Tũc reuelatione commonita est, vt ad sancti limina, si vellet salua fieri, properaret. Quo illa fidens nuntio, tanquàm cum ipso sanitatis suæ præuiatore, læta præcucurrit. Et dum in Ecclesia psalleretur, similiter in absolutione, die Dominico, quo præcesserat pœna, secuta sunt gaudia. Eccè consuetudinem patroni singularis amabilem, qui vt inueniat cui præstet, & causas exquirit. O beate Hilari, omniũ corde, ore, voce canende: Cuius tam larga benignitas, non solum se alicui non abscondit, sed vltrò ingerit. Veniamus ad alios venerandi fructus miraculi.

[d] Mulieris manus contracta sanatur.

VII. QVÆDAM[e] paralytica, annis adulta puella, non merito, sine vitæ viuebat officijs. Cui in funus extincti corporis tantum superstes anima palpitabat, & in toto cadauere lumina quasi sola vigebant: velut mortua in se membra vigilantes oculi custodiebant, Non lingua torpens intra palati cameram, volubilis excurrebat, nec imo ducta de pectore, vox collata poterat per verba disponi: nõ manus, cùm soluta languesceret, naturæ debita seruitia dissoluebat: neq; pes instabilis, membrorum ruinas sustinebat. Adhuc totius corporis infabricata massa torpebat. Quæ[f] in eius solennitatis die, intra Ecclesiam posita, cum ingenti fauore, spectantibus omnibus, est erecta: sicq; in vnius debilis corpore miracula plura compleuit: Attenuata genuum vestigia roborauit, linguam rigentẽ flexibilitate vocis & facilitate aptauit, ad vsum lanificij debiles quondam palmas armauit, lineamenta viscerum, gratia pij muneris animauit. Aliquandò igitur vetus infans in verba prorupit, & quod est conspicuum, voce prima lactis alimenta quæsiuit. Ergò vt talis cibus inter omnes poscereturquid aliud datur intelligi, nisi quando sanata est, tunc prius credidisset se nasci?

[e] Puella paralysi liberatur.

[f] S. Hilarij solennitas.

VIII. NEC illud tam fidele mysterium obliuione noxia subtrahatur. Itaque cum duo negociatores ad beati Basilicam occurrissent, habentes formam ceræ quasi socialiter in commune, quidam ex his alloquitur alterum, vt eam, etsi tam paruam rem, tamen tanto confessori vel libenter offerrent. Sed incassum sua verba in animo socij nolentis expendit. Ipse tamen cum collega suo in oratione prosternitur, ceram illam occultè antè tremendi sepulcri cancellos exponit. Mox[g] ad omnem æqualitatem ceræ ipsius forma se diuisit, & parte illius fidelis oblatoris accepta, pars altera, videntibus plurimis, voluendo vsq; ad alios cancellos, nutu diuino cum omni contumelia est repulsa: quasi nollet sanctus inuadere, quod alter illi deuotus non obtulit: & quoniam semper abhorruit, quod ex fide non venit: tam certus in iudicio, quàm misericors est in voto. O quàm incorruptibilis arbiter claret: cautior est iste in examinatione iudicij, quàm in electione florum illa, quæ ceram casta producit. Tunc itaq; ille, qui offerre noluit, admissi criminis se teste confusus & immensi pudoris reatu perculsus, postquàm vidit sibi à radice suæ conscientiæ tantæ turpitudinis opprobria pullulâsse, & in faciem suam occultæ cogitationis facinora reuelata adspexit: considerauit, ingemuit & defleuit: vt saltem lachrymarum fonte rigante dilueret, quod corde delinquente fœdauit. Qui posteâ maiora obtulit dona exactus, ceræ iudicio castigante.

[g] Repellitur munus nolentis offerre.

IX. ITEM[h] cum iuxta consuetudinem, quadam nocte cereus illuminatus fuisset, casu super sepulcrum eius, qui intercessione sua mortuos viuificat, ardẽs corruit: ita vt super mafortè, quo cecidit, sine læsione aliqua perarderet. Nam inquantum fuit cerei longitudo, cera iacens inuẽta est, papyro consumpta: tanquàm si confinium cera ipsa fecisset inter ignem & pallium, vt ab ipsa inueniretur defendi, per quam potuisset exuri. Attendit beneficium, vt obediret præcepto. Quam semper scit subindè consumere, hic ceram ignis expauit: quam ad ardendi auxilium sumpserat, ipsa ei visa est repugnare. Sed inter hæc illud potius admonet, vt dicatur. In virtute confessoris, quas deducit cera flammas, extinxit; & conuerso ordine illud, à quo vorari potuit, præfocauit. Diuersæ species suam visæ sunt naturam mutâsse. Nè quid enim hîc incendia lederent, pallium pro marmore, cera fuit pro flumine. Sed quantum est apud illum cerei lumẽ extinguere, qui cæcorum lumẽ accendit? aut cum ad alterius cadaueris sepulturam oculorum ignẽ redintegrat, quàm facilè credimus de sepulcro proprio vt flammas expellat? Vellem adhuc insatiatus sacratissimi viri miracula quasi peculiariter decantare: sed vereor, nè vndè meam cupio deuotionem ostendere, auditoris animum, fastidio nascente, videar obturare. Da mihi piè veniam de textûs huius paruitate: da casui culpam, de quo exiguum dicerem, si libros implerem: nè dum hominis cupio vitare fastidia, videar incurrere confessoris offensam. Sed præsumo plurima de te minùs dicere, vt de te legere populum breuitas plus inuitet.

[h] Ignis nihil lædit operimentum sepulcri eius.

S. Hilarij vitam breuiter conscripsit S. Hieronymus in Catal. Scrip. Eccl. & Io. Gillotius Commentationem vitæ ipsius ex eius scriptis, & aliorum virorum doctissimorum contexuit, quæ operibus eiusdem Hilarij præfixa inuenies editionis Parisinæ anni 1605. Meminit & eius Greg. Turonens. in lib. de gloria Confessor. c. 2.

DE TRANSLATIONE SANCTI HILARII EPISCOPI, B. PETRI DAMIANI SERMO 150. FLORVIT IS CIRCA annum Domini 1040.

14. IANV. [a] Ecce quomodo prisci patres sanctorum reliquias honorabant. [b] S. Hilarius Tredelino apparet.

GAVDEAMVS & exultemus, dilectissimi, dum ad recolenda beati Hilarij sublimia merita soléniter conuenimus. Ipsa quippe nos insignis vocabuli dignitas prouocat, vt mens nostra spirituali lætitia affecta plausibiliter hilarescat. Nihilominus [a] & hoc dignum est, vt dum glebam corporis eius tenuemque puluisculum tanto præferri apud homines honore conspicimus, quantum gloriæ pondus in cælestibus possideat, vbi verus & incomparabilis honor est, mens nostra perpendat. Sed libet iam translationis huius historiam succinctè transcurrere nulli deinceps de præclara solennitatis huius origine prorsùs expediat dubitare. I.

PORRO [b] autem dum Confessor Christi Tredelinus beati Hilarij monasterium, quod in Pictauensi suburbio situm est laudabiliter regeret, ibiq; sanctæ conuersationis insignibus disciplinis & præclara morũ honestate polleret, beatus Hilarius illi per visionem manifestus apparuit, & inter alia nonnulla hoc illi quadam viuacis imperij authoritate mandauit, vt videlicet ipse, simul & Pictauensis Episcopus ad Regem Francorum, qui tunc rerum moderabatur habenis, incunctanter accederent, & sumptus impendia, quibus ampliari & augustius fieri monasterium posset fiducialiter postularent. Quibus verbis insuper addidit, vt instaurato nouiter monasterio, locum sibi sanctus Abbas congruum prouideret, in quo corpus eius, facta translatione, reconderent. Quos nimirum felicis oraculi legatione perfunctos, Rex clementer ac benignè susceptt, eisq; magnifica regiæ liberalitatis munera contulit. II.

[c] S. Hilarij monasterium è fundamentis instauratur

A [c] fundamentis ergò monasterium per latomos ac cæmentarios denuò constituentes, & pollucibiliter instaurantes ministri Domini tandiù cœptis indefessi laboribus institerunt, donec non modo surgentis structuræ machinam ad consummationem vsque perducerent, sed etiam vtrinque parietes, hoc est, intus & extrinsecus radiantis musiui decore vestirent. In quo videlicet opere, vbi regij muneris summa defecit, Episcopus ex Ecclesiasticis facultatibus supplere quod deerat non cessauit. Tandem itaque monasterio, non modo consummatæ fabricæ structura perfecto, verum etiam sacerdotalis officij benedictionibus dedicato, mox demoliti sunt tumulum, in quo sanctum fuerat corpus humatũ. Constituto igitur die, in quo sancta membra transferrẽt, præcedente nocte dum Episcopus, simul & Abbas in vigilijs & orationibus iugiter pernoctarẽt repentè conspiciunt, quod beati Angeli de tumulo, qui iam terebratus fuerat, sanctum corpus educunt, & in locum, qui sibi præparatus fuerat, proprijs manibus inferunt. His [d] itaque peractis, beatus Hilarius sanctum Tridelinum per visionem admonuit, vt Scotigenam quendam sibi cognatione propinquum in cœnobij regimine substitueret, ipse verò ad Gallinariam insulam in honorem eiusdem beati Hilarij ædificaturus ecclesiam properaret. Qui [e] beati sacerdotis imperio mox humiliter paruit, & non solùm illud, quod iussum fuerat, sed & alia quatuor monasteria in eius honorem construxit. Quanquàm beati Tridelini vita, in qua hæc referri perhiberur historia, in manus nostras nequaquàm deuenerit. Sed quod hic scriptum est, indicio fraternæ relationis innotuit. III.

[d] S. Hilarij corpus Angelico ministerio in id transfertur.

[e] Alia quatuor monasteria sibi extruũtur.

HÆC igitur huius sacræ solennitatis est causa: Hæc veneranda celebritatis hodiernæ materia, vt in translatione sacri corporis meritò gaudeat plebs deuota fidelium, cui dependit exequias exetcitus Angelorum. Porrò autem ex occasione venerandæ translationis huius, & cætera beati viri gesta nobis in memoriam redeunt, vt quæ longis antè temporibus sunt peracta, vestris nunc reducta conspectibus quodammodo recentia videantur & noua. Mox [f] enim vt disputare de venerabilis viri gestis incipimus, protinus occurrit memoriæ, quã impenetrabilis Ecclesiæ murus hæreticorum telis obstiterit, quàm insuperabilis præliator peruersum Arrianorum dogma gratia catholicæ veritatis obtriuerit. Nec illud vacat, quòd cum aduersùs hæreticorum perfidiam pugnaturus, Seleuciam Isauriæ oppidum peteret, puella gentilis diuinitus edocta, tanti sacerdotis denunciauit aduentum, atque ideò cum patre Florentio, totaq; familia diuini baptismatis meruit susciperе sacramentum. Nec [g] illud excidit insigne miraculum, quòd in Gallinaria insula immanium serpentium venenata rabies virtutem tam præclari Pontificis ferre non potuit, sed tanquàm fulmineo fragore perterrita, vilis etiam baculi metam, quam ipse præfixerat, transcendere non præsumpsit. Sed & illud memoriæ consequenter occurrit, quòd idem egregius Pontifex [h] puerum sine gratia regenerationis extinctum, non modò matri resuscitatum & incolumem reddidit, sed & veræ fidei rudimentis instructum sanctæ Ecclesiæ filijs aggregauit. IV.

[f] S. Hilarius impenetrabilis murus

[g] Serpentibus imperat.

[h] Suscitat mortuum.

HÆC igitur, & alia multa virtutum eius insignia nobis ex occasione venerandæ huius translationis occurrunt, quæ nos ad amorem Dei & deuotionem præclari huius sacerdotis accendunt. Planè cum multorum translationes iustorum sancta veneretur Ecclesia, quæ diligentiâ procuratæ sunt hominum, quanto deuotionis studio hæc est solenniter recolenda, quæ facta est manibus Angelorum? Sed quid est, quòd Moysi corpus ipse per se Dominus sepeliuit, & tamen sepulcrum eius hominibus innotescere noluit? beati verò Hilarij corpus non modò coram hominibus per Angelos transtulit, sed & tanti honoris gloriam ad totius Ecclesiæ reuerentiam sublimauit? De Moyse quippè scriptum est: Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino: & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit Homo sepulcrum eius vsque in præsentem diem. Quid est ergò, quòd ille nescitur, iste verò quotidiè cum tanta gloria Christianæ deuotionis inuisitur? Quid [i] est, inquam, quòd Moyses ab hominum notitia remouetur, nisi vt tollatur occasio, nè qui tam Deo charus & familiaris extitisse cognoscitur, diuinus honor illi ab Israëliticæ plebis perfidia præbeatur? Reliquorum verò sanctorum corpora non celantur, vt dum Christianæ deuotionis frequentantur accessu, & per illos fiant rutilantia signa virtutum, & istis accrescat felicium cumulus meritorum. Præterea nonnulli fideles idcircò post mortem tumulis editioribus includuntur, vt sui memoriam viuentibus ingerant, quatenùs eis impendere pietatis opera non omittant. Hinc est quòd sepultura vocatur ex more memoria, scilicet vt per eam memorentur viui, & percipiant refrigerium mortui. V.

Deut. 34. Ibidem.

[i] Cur Moysi corpus abscondatur, sanctorum verò corpora reuelentur.

SED quid est, quòd nonnulli sanctorum tantoperè studuerunt suis prouidere sepulchra corporibus? Abraham nempe quadringentis argenti siclis à filijs Heth speluncam duplicem comparat. Iacob & Ioseph ad eandem speluncam totum iam animi desiderium tẽdunt, & corpora sua post obitum illò perferẽda deposcunt. Quid [k] ergò est, quòd sancti Patriarchæ, qui sepulcrum & cinerem esse perspicuè perhibent, qui certè corpora & corporalia quæque cælestium contemplatione dispiciunt, in Chananæorum terra corpora sua quiescere tanto desiderio concupiscunt? Cur illum præ cæteris mundi partibus quieti suæ præuident locum, nisi quòd humanæ salutis authorem illic nouerant de suo semine nasciturum? Hinc est, quòd Iacob filium suum Ioseph obsecrat, dicens: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum sub fœmore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condasque in sepulchro VI.

Gen 25. Gen 49 & 50

Cur Patriarchæ voluerint sepeliri in terra Chananæorum.

maio-

maiorum. Cur autem ad confirmandę sponsionis indicium, Iacob manum filij supponi suis femoribus petiit, nisi quia illum, qui summa veritas est, de proprio semine propagandum esse cognouit? Illis igitur terræ finibus Beati viri iam medullitus aggliscebant, quam per spiritũ iam cernebant Saluatoris vestigijs atteri, quam in interioribus oculis iam videbant precioso Dominici corporis sanguine purpurari, vt illic eorum corpora suam expectarẽt resurrectionem, vbi resurrecturum esse cognoscebant ipsum beatæ resurrectionis authorem.

VII. Ad hunc & nos, dilectissimi, perspicuam nostræ mentis aciem dirigamus. Ad hunc dum pedum progressione non possumus, æstuantis desiderij festinatione tendamus, & dum sanctorum quorumlibet reliquijs dignæ deuotionis reuerentiam exhibemus, ad illud vnum & singulare corpus nostræ mentis dirigamus obtutum, quod in paternæ maiestatis gloria credimus ineffabiliter sublimatum. Illa[a] nimirum est terra cui tunc beati Patriarchæ atq; Prophetæ suspirabant, lacte scilicet & melle mananti. Lac siquidem de carnis vberibus profluit, mel verò de superioribus venit. Et quia substantia Domini corporis ex Virginis visceribus prodijt, diuinitas autem ex paterna maiestate descendit, rectè corpus Saluatoris terra dicitur repromissionis. Quæ nimirum terra lacte simul ac melle fluere dicitur, quia in Redemptoris nostri corpore, & substantia veræ, & dulcedo est ineffabilis deitatis. In ipso enim (sicut Apostolus ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et alibi: Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi. Ad hanc viuentium terram ille nos dignetur inducere qui terræ nostræ mortalia nõ dedignatus est tolerare, quatenus sic ibi lacte & melle vescamur, vt Saluatoris nostri præsentia, & melliflua diuinitatis eius dulcedine satiemur: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

[a] Cur Christi corpus terra promissionis dicatur.

Colos. 2.
2. Cor. 3.

VITA S. REMIGII XV. REMORVM ARCHIEPISCOPI, SCRIPTA AB HINCMARO, ÆQVE RHEMENSI ARCHIEPISCOPO,

Claruit is circa annum Domini 850.

AN. 478.

Hincmarvs[b] nomine, non merito, episcopus, ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus ac comministris nostris, huius sanctæ Rhemensis ecclesiæ filijs.

XIII. IAN.

[b] Estq; hic natalis eius dies. 1. Octobris translationis eius festum agitur.

Sicvt à senibus, & iam ætatis prouectæ viris religiosis, qui de tempore Tilpini vrbis huius præsulis adhuc viuebant, quando in seruitiũ istius sanctæ ecclesiæ, authore Deo, fui electus atq; prouectus, & posteà per aliquot annos vixerunt, fideli relatione didici, à suis Maioribus audierunt narrari, eos vidisse librum maximæ quantitatis, manu antiquaria conscriptum, de ortu ac vita ac virtutibus atq; obitu beati Remigij, sanctissimi patroni nostri. Qui hac occasione deperijt: quoniam Ægidius, post beatum Remigium quartus istius ciuitatis episcopus, quendam virum religiosum, Fortunatum[c] nomine, metricis versibus insignem, qui à multis potentibus & honorabilibus, in his Gallicis & Belgicis regionibus, per diuersa loca tunc vitæ ac scientiæ suæ merito inuitabatur: petijt de eodem libro, cothurno Gallicano dictato, aperto sermone aliqua miracula, quæ in populo recitarentur, excipere: quatenus ea sine tædio audire & mente recondere, atq; per ea amorem & honorem atq; deuotionem Dei & ipsius protectoris, sui idem populus excitari valeret. Quod & in eadem excerptione lector potest aduertere: vbi scriptum est: Studeamus pauca differere, plurima præterire. Et cum ipsa excerptio cæpit lectione in populo frequentari, & à multis propter breuitatis suæ facilitatem transcribi, ipse magnus codex à negligentibus negligentius cœpit haberi: vsque dum[d] Caroli principis tempore, quando propter discordiam & contentionem de principatu, inter eum & Ragenfridum, frequentia ac ciuilia, immò plus quàm ciuilia, quia intestina & parricidalia bella in Germanicis & Belgicis ac Gallicanis prouincijs religio Christianitatis penè fuit abolita: ita vt episcopis in paucis locis residuis, episcopia laicis donata, & per eos rebus diuisa extiterint: adeò vt Milo quidam, tonsura clericus, moribus, actu, habitu irreligiosus laicus, episcopia Rhemorum ac Treuirorum vsurpans insimul, per quadraginta circiter annos pessundederit. Cuius[e] infelici tempore, de ista Rhemensi ecclesia non solum preciosa quæquæ ablata fuerunt, sed & ecclesiæ atque domus religiosorum destructæ, & res ab episcopio fuêre diuisæ. Illi quoque pauci, qui erant residui, clerici negotio victum quærebant, & denarios, quos mercimonio conquirebant, in chartis & librorum foljs interdum ligabant. Sicque præfatus liber cum alijs partim stillicidio putrefactus, partim à soricibus corrosus, partim foliorum abscissione diuisus, in tantum deperijt, vt pauca & dispersa indè folia reperta fuerint, Cum verò tempore Pipini regis, prædicti Caroli principis filij, reuelatio ostensa Eucherio, Aurelianensis ciuitatis episcopo, de damnatione æterna eiusdem Caroli, qui res ecclesiarum diuiserat, fuit: idem Pipinus, sicut & aliarum ecclesiarum episcopijs, huic Rhemensi episcopio partem de rebus ecclesiasticis reddidit, & Tilpinum in hac vrbe Rhemorum episcopum ordinari consensit. Hoc enim in hac ecclesia Rhemensi nouissimo seculi tempore de libro memorato, sed & de alijs accidit, quod antiquo tempore de authenticis scripturis euenisse sanctus Ioannes Chrysostomus in Homilia 9. Euangelij secundum Matthæum, memorat, dicens: Multa enim ex propheticis periêre monimentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Iudæi, nec desides modò, sed & impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt profanè. Et de prophanitate quidem tali Ieremias refert. De negligentia verò in quarto Regum libro legimus, quomodò post multum temporis vix Deuteronomij sit volumen repertum, defossum quodam in loco ac penè deletum. Sed & plura de scripturis in his, quæ habemus, memorata legimus, quæ non habemus: sicut est liber iustorum, qui commemoratur in libris Regum: & sicut est liber bellorum Domini, cuius in libro Numerorum mentio est: neq; carmina Salomonis, neque disputationes eius sapientissimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque iumentorum & volucrum, reptilium & piscium: vel quod in libro: Verba dierum, dicitur: Reliqua verò operum Salomon priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis: in visione quoque. Addo Videntis contra Ieroboam filium Nabath, & multa huiusmodi volumina, quæ scriptura quidem fuisse probat, sed hodiè constat non esse. Vastata nanque à Chaldæis Iudæa, vt in patrum literis legimus, etiam bibliotheca, antiquitus congregata, inter alias prouinciæ opes, hostili est igne consumpta: ex qua pauci, qui nunc in sancta scriptura continentur, libri postmodum Esdræ pontificis & prophetæ sunt industria restaurati. Vnde scriptum est de eo: Ascendit Esdras de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi. Velox videlicet, quia promptiores literarum figuras, quàm eatenus Hebræi habebant, reperit. Et in epistola regis Persarum: Artaxerxes rex regum, Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem.

[c] Fortunati laus.

[d] Carolum Martellum dicit.

[e] Rhemẽsis ecclesia valdè afflicta.

Ierem. 36.
4. Reg. 22.
2. Reg. 1.
Nom. 21.
3. Reg. 4.
2. Paral. 9.
1. Esd. 7.
Ibidem.

Qvocontra & nos, multis alijs perditis, plura in quibusdam historijs & diuersis pitaciolis, ac vsitata relatione à præcedentibus relicta posteris, de ortu & vita, seu virtutibus & obitu domini & sanctissimi patris ac protectoris nostri Remigij habemus, quæ in memorata excerptione non continentur. Vnde bonis vestris desideriis placuit, vt illa mea seruitus ad ignorantium & subsequentium notitiam in vnum colligeret. Quòd & iam diù fecissem, nisi me spes vana deluderet, quibusdam dicentibus, quia in illo, & in illo loco magnum librum de virtutibus & vita ipsius domini & patroni nostri reperire valerem. Ad quæ mittens, quæ mihi promissa fuerunt, penitus falla inueni. Nunc autem,

tem,opitulante Domino,qui in se confidenti,& opera sua, qui mirabilis est & gloriosus iu sanctis suis, volenti loqui
Psal 67. promittit: Aperi,inquiens,os tuum,& ego adimplebo illud:meritis ipsius sancti Francorum [a] Apostoli & patroni,ve
Psal 80. strisq; adiutus orationibus,aggrediar quæ diù distuli, à progenitoribus & ortu eius incipiens, & sic tam ea, quæ in his
[a] Remigius Francorum Apostolus. storijs à Maioribus editis,de illo inueni,quàm & illa, quæ in diuersis scedulis dispersa reperi: verùm & illa in serie digerens,quæ vulgata relatione percepi: quia vt longè antè nos dictum est,& etiam in sanctis scripturis, sed & in euangelica veritate comperitur:vera est lex historiæ,simpliciter ea,quæ fama vulgante colliguntur, ad instructionem posteritatis literis commẽdare. In quibus omnibus lectorem diuersitas styli non perturbet:quoniam ea,quæ de historiis Maiorum adsumam,& ea,quæ in antiquis schedulis reperiam,ità vt inuenta fuerint,ponam.

Illa verò,quæ ex antiquis vulgata relatione percepi, & quæ ad instructionem legentium vel audientium addam,vel eorum verba,de quorum dictis mutuabor,ponere procurabo, vel meo sermone dictabo: volens quiddam debiti mei obsequij in laude,qua non indiget,offerendo,ipsi benefactori meo retribuere pro omnibus,quæ indigno mihi gratis potiùs tribuit,quàm meritis vllis retribuit. Deniq; in descriptionibus virtutum eius ordinem, quo per illum eas Dominus dignatus est operari,seruare non potero:sed sicut eas vel scripto vel auditu accepi,describam. Sic enim saluo altiore propheticæ inspirationis munere, diuino allatæ mysterio, & psalmos sanctus Hieronymus dicit in ordine digestos,non sicut fuerunt editi,sed sicut ab Esdra diuersis tẽporibus fuerunt inuenti. Verũtamen prout notitiam tẽporum inuenero,vel ordini gesta congruere videro,ea digerere procurabo. In his autẽ, quæ descriptis virtutũ miraculis,à Domino per beatissimum patronum nostrum operata sunt,ad exhortationẽ legentium siue audientium,
[b] In li. Dial. pro modulo intellectus mei, de catholicorum dictis subiungere studebo:vestigia beati Gregorij, licèt non valeam, prosequi moliar. Qui [b] describens sanctorum actus,prauorumq; casus,exhortatione indè assumpta,secundum sapiẽtiam sibi à Deo datam,multa necessaria & vtilia legentibus ac audiẽtibus interposuit. Verum & non ab re agere à quoquam videri puto,si ea,quæ de ortu,& actu,atq; obitu domini & patroni ac protectoris nostri in schedulis, vetustate propè deletis,inuenta sunt,reparo,& de abditis ad lucem reduco:& ea, quæ veterum certa relatione cognoui, literis commẽdare procuro:cum,sicuti præmisi,sancti Esdræ pontificis studio sacras scripturas,desidia, & prophanitate impiorum Iudæorum abolitas,noscamus fuisse restauratas.& non solùm euangelicam & apostolicam historiam, ab euangelistis sacratissimè conditam,sed & plurimorum sanctorum gesta plurimos Ecclesiæ magistros, ad instructionem multorum,& etiam historiographos agones secularium,ad posterorum memoriam descripsisse,gentiles quoquè poëtas sua figmenta grandisonis pompare modis,studuisse legamus.

Post vindictam scelerum, quæ facta est à Domino cæde Galliarum, prosequente Wandalorum crudelitate, I.
misericordiam cœli distillarunt:cum ad mitigandam,gentis Francorum barbarica ferocitate superuenturam,diuinæ animaduersionis propter iniquitates perseuerantes vltionem, mundo præsulem à Deo prædestinatum, Remigium pontificem hoc ordine protulerunt.

[c] Montanus monachus insignis. Erat [c] quidam venerabilis,ac dignus professione & nomine,Montanus monachus,in reclusione solitariam vitam II.
ducens,ieiunijs,vigilijs,atq; orationibus continuè vacans, necnon cæterarum virtutum insignibus adeò diuinitati se commendabilem reddens,vt angelicis sæpè frueretur alloquijs,& frequenter cælestibus visionibus ac reuelationibus
[d] Vide Flodoard. c. 10. li. 1. hist. 1. Remens. interesset. Is[d] ergò cùm peruigil in oratione pro pace sanctæ ecclesiæ,quæ multis ac diuersis afflictionibus apud Gallia rum & Belgicarum prouincias vexabatur,Dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret, nocte quadam plus solito orationem protelans, vsque lucis crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum lassitudine ac fragilitate carnis compellente,paululum membra sopori dedisset,subitò per diuinam gratiam angelorum choris & animarum cœtibus, beatissimorum hominum iam cum Deo regnantium, & immortalitatem adhuc corporum expe-
[e] Eius ecstasis. ctantium,spiritibus interfuit,& familiarissimum cœpit audire colloquium. Inter [e] cætera igitur, quæ in conuentu illo cælico audiuit, etiam illi sancti Spiritus, humanæ salutis auidi, queritari cœperunt de Gallicanæ deiectione ecclesiæ, & quid facto ad talia opus esset,crebro versare sermone,dicentes,quia tempus esset miserendi eius. Duplicia enim receperat pro omnibus peccatis suis, quanquam fæx eius non sit exinanita. His ita inter se conferentibus subitò vox adfuit,à superioribus atq; secretioribus adytis saluberrimè atq; suauissimè intonans,quæ & præsentium solaretur spirituum mœstitiam,& quod futurum erat,gratulabunda promulgaret sententiâ, ità dicendo: Dominus prospexit de
Psal. 101. excelso sancto suo,Dominus de cœlo in terram adspexit,vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum:vt annuncietur nomen eius in gentibus, in conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant ei. Cili-
[f] Ciliniæ laus. nia [f] in vtero concipiens,filium pariet nomine Remigium, cui à me saluandus populus committetur. Beata siquidem Cilinia,intenta pijs operibus,licet corpore teneretur in mundo,mente conuersabatur in cœlo. Quæ in flore iuuen-
[g] Principius suessionum Episcopus. tutis pepererat de vnico viro suo Æmylio [g] Principium,Suessionum ciuitatis posteà sanctum episcopum, & fratrem eius,patrem beati Lupi episcopi eiusdem Principij successoris,qui vsq; ad vltima glorioſi Remigij tempora sacerdotio est functus,sicq; defunctus.

[h] Vide Flodoard. ibid. Vir [h] autem ille venerabilis,inter illius temporis innumera pericula,tanta consolatione accepta,Ciliniæ diui- IV.
num oraculum,gratia Dei perceptum,innotuit. At illa dixit ad Montanum:Quomodò fieri potest, vt anus lactem filium,cum mihi à tẽporibus diù transactis muliebria defecerint,& vir meus Æmylius vetulus sit,ac in æuoso eius corpore frigidus extet circũ præcordia sanguis,& voluptatis opera in eo penitus emarcuerint? erãt n. ambo genere nobiles,& gratia inter suos nominatissimi. Et quia liberorum parentes processerant in diebus multis, effœti, & carne iam infœcundi, coniugale commercium non quærebant, nec eis spes vltra vel appetitus generandi sobolem inerat. Cui beatus Montanus respondit:Scias,quia cum ablactaueris puerum Remigium, de lacte tuo perunges oculos meos, & recipiam lumen. Nam vt merita illi accrescerent,sicuti & sancto Tobiæ, iuxta diuinum sermonem, vt iustus iustificetur adhuc, idem beatus Montanus lumen corporalium oculorum amiserat. Tandem credentibus parentibus verbis
Tob. 2. Apoc. 22. viri Dei,fit gaudium,quòd talem susceptur esset prolem, in cuius conceptione non foret ardor explendæ libidinis, sed amor generandæ iuxta diuinum præsagium sobolis. Concipitur ergò futurus Christi põtifex,& Christi adminiculante misericordia,mater beatissima,quem auspice Deo concepit,feliciter filium genuit, cui Remigij,secundum Do-
[i] Montanus recipit visum. mini dictum,in baptismate nomẽ imponi fecit. Et [i] ablactatus sicut suus prænũciat prædixerat, lacte matris oculos sui
Psal. 50. vatis,matre obstetricante,perungens,lumen illi gratia diuina restituit. Nec incredibile videri debet,si puer iste, antequam per ætatem corporis sciret vocare patrem & matrem suam, virtutes mutiere diuino operatus est: qui etsi vt homo in iniquitatibus conceptus est,contra morem tamen humanæ conditionis, non in delictis eum præuaricationis, sed in gratia remissionis,mater sua peperit. Neq; enim dubitandum est, quia Spiritus sanctus, qui eum talem futurum prædixit,& cuius munere conceptus fuit,etiam à peccatis absoluit Constat quippe veridica patrum sententia,quia lege non constringitur Spiritus sancti donum. Et propterea qui Cornelium ac domum eius ante perceptionem baptis-
Act 10. mi sua gratia consecrauit,ipse vtiq; beatum Remigium,non solum antè baptismum, sed etiam ante natiuitatem eiusdem gratiæ munere perfudit. Ortus est autem ex anu & vetulo diù sterilibus per repromissionẽ,vt Isaac & Ioannes, vir
Gen 17. Luc 1. iste,sanctus,antequàm natus, nomine designatus,antequàm mundo cognitus, in pago Laudunensi, alto parentum sanguine:vt monstraretur in ortu,qualis futurus erat in actu.

Sin-

IV. SINGVLARIS autem meriti indicium datur, quoties hominibus à Deo vel imponitur nomen, vel mutatur. Sic Abram, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham est vocatus. Sic Iacob, quia Deum vidit, Israel appellari meruit. Sic Iosias rex, ob eximiæ virtutis culmen, nominatus à Deo est multo antè quàm natus. Sic Iohannes, eo quod diuina sibi gratia adminiculante, plùs esse meruit, quàm propheta, & quod nemo inter natos mulierum maior illo surrexit: & Petrus à firmitate & stabilitate petræ sumpsit cognomen. Et qui ante Saulus, posteà nominatus est Paulus, quoniam legis zelo contra Christum erectus, ab eo, quem in membris suis persequebatur, de cælo in terram prostratus, apud se factus est Paulus, id est, paruus, modicus & humilis: demùm gratiæ Dei magnus defensor, & vas electionis effectus, atque totius est Ecclesiæ magister & prædicator egregius. Et filij Zebedæi, eo quod verbum Dei terribiliter mundo peccanti intonuerunt, filiorum tonitrui assumpserunt cognomen. Et Dominus ac redemptor noster, Iesus, id est, Saluator est cognominatus antè, quàm carne natus, eo quod saluum facturus esset populum suum à peccatis eorum. Ita ergò & beatus Remigius ab eo, quod Ecclesiam sibi credendam, inter fluctiuagos mundi recturus esset anfractus, Remigij cognomen à Deo assecutus est. Seruorum namque Dei proprium est, à Deo nominatim sciri. Vnde vni eorum vtero, noui te, & in vētre matris tuæ sanctificaui te. Ieremias enim ab idolorum cultu populum reuocaturus, in ventre sanctificatur: Iohannes populum suo illuminaturus alloquio, in vtero materno propheticam susceptit gratiam: & beatus Remigius gentem Francorum à tenebris ignorantiæ ad lucem perducturus Euangelij, itidem diuina donatus est gratia, vt quod perfecturus erat ministerio, cum participibus suis pari clarescceret munere: & qui, vt dictum est, Ecclesiam Dei, speciali autem cura Rhemorum ciuitatem atque prouinciam, remigio alarum sanctarum, scilicet verbo & exemplo, meritis & orationibus erat Dei prædestinatione recturus, & perfecto certamine, spiritu cœlestia regna peti turus, angelorum vtique subuectus auxilio, Remigius est iure Dei præceptione vocatus.

Gen. 17. Genes. 32. 3 Reg. 13. Luca 1. Matth. 11. Matth. 16. Actor. 13. Actor. 9. Marci 3. Matth. 1. Exod. 33. Ierem. 1. Luca 1.

V. NEC [a] illud silendum est, quia in chartis recenti tempore post illius obitum, sed & post plura annorum curricula factis, de rebus Rhemensi Ecclesiæ traditis, Remedium fuisse nominatum legimus. Quod qui merita & acta illius attendit, congruè hoc eum nomine appellatum fuisse intelligit. Qui mitigator furoris Domini, in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, & magnificatus à Domino in conspectu regum, in verbis suis, sicut in sequentibus ostendemus, monstra, videlicet paganos feroces, placauit. Meritò igitur eum Remedium fuisse nominatum in baptismate credemus, nisi in emendationibus gestis illum oraculo diuino per sanctum Montanum, Remigium vocari debere, cognosceremus. Sed & in versibus metricis ab ipso compositis, & iussione illius in quodam vase ab eo consecrato sculptis, ita legimus:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Carmina S. Remigij.

Quod vas vsque ad nostra tempora perdurauit, donec fusum, in redemptionem datum est Christianorum, vt à ministris diaboli Nortmannis redimeret precium argenti calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis calicis, Christi videlicet passionis.

[a] Remigius, aliàs Remedius dictus. Flodoard. ibidem.

VI. TRADITVR [b] autem à parentibus scholæ literis imbuendus, in breui coæuis, & etiam natu maioribus suis doctrina excellētior est effectus. Studebat quoq; [c] teneros annos morum maturitate vincere, & beneuolentiam cordis, charitatis melle condire, turbas frequētium populorū vitare, & vt præconem suum feciſse didicerat, vita solitaria in reclusione Domino seruire: qui locus in castro Lauduno hactenùs designatur, & venerabiliter colitur. In qua reclusione [d] secundis successibus certatim sanctæ conuersationis studijs iustus adolescens Domino militauit. Et cùm ad viginti & duos ætatis suæ annos peruenit, defuncto * Bennadio Archiepiscopo in hac vrbe Rhemensi, omnium generaliter votis ad pōtificij culmen raptus fuisse dignoscitur potiùs, quàm electus. Fit ergò concursus populi, diuersi quidem sexus, conditionis ac dignitatis, nec non & ætatis: sed vnius atque eiusdem sententiæ cuncti hunc verè Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamabant. Vir autem [e] beatissimus his angustijs depressus, nimijs afficiebatur angoribus: quia nec fugæ locus vsquam patebat, nec populo, vt ab intentione cœpta resipiscceret, vllo modo satisfacere poterat. Diuinæ namque erat voluntatis, vt qui omnium saluti prospecturus erat, omnium acclamationibus eligeretur: & qui vnitati fidei cum iam fidelibus, & futuris fidelibus erat prouisurus, vnione cuncti populi ad sedem eueheretur sacerdotalis honoris. Sanctissimus quidem vir cùm his acclamationibus se vrgeri conspiceret, de infirmitatis & ætatis sue tempore conqueri cœpit, & quia Ecclesiasticus ordo infirmam ætatem ad hanc non reciperet dignitatem, voce publica fatebatur. Timebat enim, nè immatura ætas inimici versutijs impugnata, aliquid contraheret siniſtri. Sed diuina gratia, & vocem populorum constantissimè in ipsius perdurare fecit electione, & sanctum virum ab antiqui hostis protexit malignitate. Et cùm populi acclamaret frequentia, & sanctissimus vir magna reniteretur constantia, placuit omnipotenti Deo ei manifestissimis monstrare indicijs, quod ipse de eo haberet iudicium.

[b] Traditur literis. Flodoard. ibidem.
[c] Puer degit solitarius.
[d] Adolescēs rapitur ad pontificatū anno 471: teste Bar. Vide Flod. lib. 1. c. 11.
[e] *al. Bēnagio. Bar. Gennadio legit.*

VII. ETENIM [f] cùm modo prædicto reniti conaretur, videntibus cunctis qui aderant, descendit subitò radius noui luminis super ipsius viri sancti verticem, ac si ipse sol de cœlo motus, super eum ceciderit: & quia illuminandarum lux parabatur animarum, ipse quoque, cùm ad hoc opus adsciscceretur, lumine debuit declarari visibili. Ipse namque erat lucerna, quæ non sub modio curæ corporeæ, sed super candelabrum purissimæ ac Deo dilectæ conuersationis erat ponenda: quatenùs his, qui in domo sanctæ Ecclesiæ futuri erant, lumen optimæ institutionis præberet.

PLACVIT [g] etiam omnipotentiæ diuinæ, huic miraculo aliud addere, ad ostensionem meritorum beatissimi viri. Etenim radio supradicto se illustrante, sensit capiti suo vnguinis sacri infusum liquorem, quo totum eius delibutum est caput. Et meritò: vt qui oleum spirituale populis, quo eorum quidem capita visibili, mentes autem prædicatione, sancto Spiritu in se loquente, vncturus erat chrismate inuisibili, id est, gratia eiusdem Spiritus sancti, ipse quoque priùs tali vnctione insigniretur. Acceptis autem talibus ac tantis auspicijs, diuinis timuit contraire statutis. Neque enim tutum illi videri poterat, tot signis præcurrentibus, diuinæ contradicere iussioni, præsertim cùm luce & vnctione sancti Spiritus, quæ oleo visibili designatur, interius illustratus atque perunctus, vt & S. Esaias, admittendum se in diuinum ministerium, debere se potius offerre, quàm excusare, didicerit.

[f] Eius electio diuinitus approbatur.
[g] Diuinitus vngitur

VIII. POSTHABITA [h] ergò omni dubitatione, atque ancipiti submota sententia, vnanimitate Episcoporum Rhemensis prouinciæ, infulis induitur sacerdotalibus, benedictione consecratur episcopali, atque in sede præsulatus collocatur huius ciuitatis Rhemorum. Vbi statim sic apparuit aptus & deuotus, tanquam si officio, ad quod nouiter ascēderat, iugiter præfuisset. Fuit itaque in [i] eleemosynis largus, in vigilijs sedulus, in oratione deuotus, in humanitate profusus, in doctrina præcipuus, in charitate perfectus, in sermone paratus, in conuersatione sanctissimus. Synceritatem mentis, vultus sui serenitate monstrabat: & pietatem elementissimi cordis, ostendebat in lenitate sermonis. Quicquid ad salutem posset pertinere æternam, non minùs implebat beatissimus opere, quam sermonis prædicatione docebat. O virum, per omnia Deo dignum. Eminebat in ipso habitu, animi pulchritudo: in specie exterioris hominis, ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat irreuerentibus terribilis aspectu, reuerendus incessu, metuendus

[h] Consecratur in Episcopum. Flodoardus ibidem.
[i] Eius virtutes.

Flodoard. ibid.

dus seueritate, venerandus benignitate. Censuram auctoritatis, temparabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quidem minabatur frontis austeritas, sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes, Petrus apparebat in vultu: erga delinquentes, Paulus in spiritu: ac sic conueniente in vno diuersitate gratiarum, illius pietatis, huius erat æmulator districtionis: ita vt cùm præsentiam eius quisquam vix sustineret, absentiam ferre non posset. Internorum autem bonorum suorum formas ac species, sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare: Quas sicut ille studuit excolere, ita & laborauit occulere: & cùm hæc vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia [a] hæc est natura iustitiæ, vt quantò studiosiùs abscondi optat, tantò clariùs innotescat, & occultatio ipsa prædicatio sit: per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium, veluti ciuitas super verticem montis exposita, nec iam lucerna poterat latere sub modio. Glorioſa illa anima aperuit latentes in se diuitias cœlestium munerum, & de armario suauolentium virtutum, aromata sanctificationis, & gratiarum suarum supra omnem hanc Ecclesiam effudit. Neglector quietis, refuga voluptatis, [b] appetitor laboris, patiens obiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Sic in se excoluit diuersas gratiarum virtutes, vt vix pauci tenerent singulas, quomodo ille impleuit vniuersas. Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu. Nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi vt aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuatis ieiunijs ossa studebat de persecutore inimico, longo triumphare martyrio; pro cibo ac potu hoc secum incessanter ruminans: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerũt in Deum viuum. Defecit in salutare tuum anima mea. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Et consolando se dicebat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & DEVS meus. Satiabor, dum manifestabitur gloria eius.

[a] Iustitiæ indoles.

[b] Nota eximia ornamenta.

Psalm. 41. *Psalm* 83. *Psalm.* 118. *Psalm.* 62. *Psalm.* 41. *Ibidem.* *Psalm.* 16.

Nam quia specie sui conditoris, ad quam anhelabat, necdùm satiabatur, continuis suspirijs atque gemitibus, diurnis atque nocturnis lachrymis illum desiderans, pio luctu ad superna gaudia subleuata, flendo se anima sancta pascebat: & intùs quidem doloris sui gemitum tolerabat, sed eo refectionis pabulum percipiebat, quo hîc vis amoris per lachrymas emanabat. Præter vitam auidè nihil esuriebat, præter iustitiam nihil delectabiliter sitiebat. Præsentia tanquam inania atque transacta, absente spiritu non videbat, & in futuro reposita quasi oculis subdita concupiscebat. Et verè felix terra, quæ talem genuit, ac de alumno nobis patronum, de homine angelum ac doctorem nobis emisit. Benè igitur & congruè, secundùm prophetam, de illo dicamus: In memoria æterna erit iustus. Dignè enim in memoria veritatis hominum, qui ad gaudia transiit angelorum. Qui ideò gratiam Dei glorificatus inuenit, quia mundi gloriam, adiutus Dei gratia, non quæsiuit. Qui gubernaculum fidei viriliter tenens, ancoram spei tranquilla iam in statione composuit. Qui contra impetum diaboli, scutum Dei ita infatigabiliter tenuit, vt ad victoriam perueniret. Habemus in eo [c] medicum è cœlo, cum quo sanctitas, imò ipse sanctitatis author ciuitatem nostram intrauit. Quantis cæcis, à via veritatis errantibus, visum quo Christus videtur, aperuit? in quantorum auribus, sermonibus cœlestium mandatorum, precioſum infudit auditum? Quantos intrinsecùs vulneratos, angelici oris arte & orationis virtute curauit? quantorum animas, peccatis iam in corpore defunctas, ad emendationem tanquam ad lucem vocando resuscitauit? Docebat quotidiè filios suos, ne res alienas concupiscerent, ne eis coniuges extraneæ pulchræ essent, ne peccati venenum per adspectum animam penetraret. De quantorum cordibus ille, quos iniquitas & impietas possidebat, fugauit luxuriam, remouit iram, restrinxit inuidiam, reuocando illuc fidem & castitatem, atque misericordiam? Quantos vir ille Apostolicus pœnitentiæ medicamentis à peccatorum morte resuscitauit, custos animarum, cupiditates resecans, iram comprimens, malitias extirpans? His magis vir ille temporibus necessarius fuerat, quibus tanta iniquitas sumptis quotidie, deficiente iustitia, viribus, conualescit. Et quidem ille in hac peregrinatione seculi solo corpore constitutus, cogitatione tamen in illa æterna patria conuersatus est. Qui huic mundo crucifixus ac mortuus, quicquid laborauit, de hac vita ad illam transtulit, & de sinistra semper transmisit ad dexteram, atque in cœlo suos reposuit sudores. Et inter hæc omnia intendebat [d] vir beatus iactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia excelsa latère: adeò vt non solùm corda hominum, beluina feritate crudelia, ad mansuetudinem Christi domaret fidelis seruus eius, & prudens, sciens conseruis eius dare in tempore tritici mensuram, id est, pro captu audientium mensurate & opportunè diuini verbi pabula ministrare: verùm etiam aues, vt innocentia & potestas primi Adæ, antequam peccaret, cui omnia irrationalia subiecta fuerunt, vt scriptura demonstrat, in isto sancto viro per secũdum Adam, Dominum nostrum Iesum Christum, reformata intelligerentur.

[c] Beneficia p S. Remig hominibus præstita diuitus.

[d] Iactãtiam deuitat.

Genes. 1. *Psalm.* 8.

XI. CVM enim inter domesticos suos contingebat illum secretius habere conuiuium, & delectaretur in hilaritate charorum, descendebant ad eum intrepidi passeres, & in manu eius, mensæ reliquias colligebant. Discedebant alij saturi, accedebant alij saturandi. Sic mansuescebat feritas auium, in operatione virtutum. Delectatio namque illius talis erat in hilaritate charorum, sicut de beato Iob legimus, quoniam non cadebat lux vultus eius in terram: quia nimirum in tanta grauitate vultum tenere consueuerat, vt nunquam contemptibili lætitia resolueretur: sed quotiescunq; hilariorem se præsentibus exhibebat, certa semper hoc causa vtilitatis eorum faceret. Ita & hic sanctus, religiosa grauitate discretus in omnibus, non vanitatis iactantia hæc vel dissolutione agebat: sed vt Dei ostenderetur collata sibi gratia, & ad eius amorem & fidem, qui mirabilis in Sanctis suis, seruos suos multis modis consolari, ac mirificare dignatur, suorũ corda excitarentur, & illius seruituti se propensiùs manciparent. Sed & non sine consideratione videtur pretereundum, cur iste sanctus in iocunditate charorum, ampliùs in mansuetudine ac pastione passerum, quam aliarum auiũ delectabatur. Et vt primò dicamus simpliciter, solent homines alias aues domesticas habere in domibus suis, passeres autem, licèt in tectis, sicut legimus, & videntes scimus, soleant habitare, humana gaudentes vicinitate, intra domos tamen suas domesticos habere non solent. Vnde constat, quia si aues, quæ in domibus domesticæ haberi solent, in manu pasceret, pro nullo haberetur miraculo, nec esset, vnde conuiuantibus iocunditio proueniret. In domum quoq; secretiorem alijs auibus, quæ intra cubicula domesticæ haberi non solent, nisi passeribus, qui in tectis, humana vicinitate gaudentes, habitare solent, ad hanc seruo Dei diuinam collatam gratiam demonstrandam, facultas non erat conueniendi.

Iob. 29.

XII. SED si altiùs aliquid in hoc sancti Dei facto perscrutari volumus, intelligere possumus, quia nullæ aues tã sæpè in scripturis commendãtur, sicut passer, colũba & turtur. Columba quippe & turtur, quæ gemitus pro cantu edere solẽt, quia luctus Sanctorum in præsenti seculo, & superna desideria per secretas orationum lachrymas, & * cantus Ecclesiæ publicos designet. Passer [e] verò auis corpore parua, sed maxima sagacitate solicita, quæ nec facilè laqueis irretitur, nec per ingluuiem ventris, escarum ambitione decipitur. Hæc propter infirmitatem suam, ne aut ipsa à suo insidiatore capiatur, aut fœtus eius serpentinis deuorentur insidiis, ad domorum festigia celsa concurrit. Huic meritò prudens & humilis quisque comparatur, qui diabolicæ calliditatis fraudes fugiens, vigiliis & orationibus, ac pœnitentiæ lachrymis intra sanctæ Ecclesiæ septa se munire festinat. Redemptor etiam & Saluator noster se passerem dignatus est designari, Psalmista teste, qui dicit: Etenim passer inuenit sibi domum. Iam quippè passer domum sibi inuenit, quia æterni cœli

* *Ita legendũ videtur: nũ dictio erat oblitterata.*

[e] Passer mystice *Psalm.* 83.

cœli habitaculum noster Redemptor intrauit: vbi factus est sicut passer solitarius in tecto, quia solus inter mortuos liber, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, vt sit & vocetur filius Dei. Hic est verus Deus, & vita æterna. Ad quem in hac peregrinatione positi anima cuiusq; fidelis suspirans, sic iocundatur, dum per fidem rectam, & sancta desideria ac per bona opera, in cœlorum regno mansionem suam sentit esse præparatam: sicut passer in foramine parietis exultat, id est, etiam veraciter fidelis in foramine maceriæ, scilicet in vnitate Ecclesiæ, quæ de perforato in cruce Christi latere, lauacro rigatur & poculo, à maligni spiritus & membrorum eius malignitate protectus, exultat: & qui ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri natus, sed sanguine Iesu filij Dei de potestate tenebrarum redemptus, & ex aqua & spiritu, quo idem Dominus Deus noster ex gloriosa semper virgine Maria Domina nostra est natus, & ipse à virgine matre Ecclesia immaculato diuini fontis vtero est renatus, ac Christo incorporatus, gaudio inenarrabili & exultatione

Psalm 101. Heb. 1.

Ioan. 3.

xiii. exultat.

Svnt[a] & alia, quæ de hoc beati Francorum Apostoli facto (Signa enim apostolatus eius, Franci sunt, sicut in processu monstrabimus) ad nostræ vtilitatis augmentum considerantes trahere possumus, comparantes illud actioni Iohannis Apostoli. Fertur enim relatione maiorum, [b] quia cum B. Iohanni Apostolo auis, quæ perdix vocatur, viua & sana à quodam oblata fuisset, cœpit eam leni manu demulcendo tractare. Quod videns quidam adolescentium, ad coæuos suos ridendo dixit: Videte quomodo ille senex cum auicula, sicut & puer, ludit. Beatus verò Apostolus ista per spiritum cognoscens, vocauit ad se iuuenem; interrogans quid manu teneret. Cui iuuenis, Arcum, inquit. Et Beatus Iohannes: Quod habet officium illud, quod in manu tenes? Et iuuenis: Sagittamus, inquit, inde bestias, siue aues, vel alia quæq;. Et beatus Iohannes, Quomodo, inquit, vel quali ordine? Et iuuenis curuato arcu tetẽdit illum, & tensum in manu tenuit. Sed cum B. Iohannes nihil ei subsecutus loquendo fuit, post aliquod spatium iuuenis arcum distendit. Cui B. Iohannes, Cur, inquit, arcum distendisti? Ad quem iuuenis: Quia si diutiùs [c] tensus teneretur, infirmiùs tela iactaret. Et ad hæc sanctus Apostolus: Sic & humana fragilitas, si semper in rigore contemplationis persistat, & sibi non condescendat, minùs necessariò valida contemplationis penna subleuatur. Quod pia prouisione conditoris & saluatoris nostri agitur, vt per collatam gratiam crescamus in profectu virtutum, & per infirmitatis nostræ cognitionem, discamus humilitatis custodire virtutem. Quo facto & sermone audientibus magnam instructionis ædificationem & præsentibus contulit, & futuris seque sequentibus dereliquit. Sic & de hoc beati Remigij facto maximam instructionis ædificationem, & in charorum chara dilectione, & in fragilitatis nostræ discreta condescensione, nobis valemus assumere, vt ille passeribus subministrans, qui non serunt, neque congregant in horrea: sed Deus pascit illos, alijs saturatis, alios saturandos suscepit, nos qui res & facultates, vel cognationis successione, vel fidelium collatione suscepimus, fratribus, qui non præparauerunt sibi, (quia hilarem datorem diligit Deus) cum gaudio bona, quæ possumus, ministrantes, alios quibus bona ministremus, adsciscimus: plùs gaudentes de bono opere, quàm de bona possessione vt

[a] Remigius Francorum apostolus.

[b] Similia Cassianus habet Collatione 24. cap 21.

[c] Admittẽda nõnunquã animi tela. xatio.

2. Cor. 9.

Matth. 25.

xiv. & Deus colletetur bono operi nostro, qui operarijs pietatis se in iudicio dicturum prædixit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Accidit autem quodam tempore, cùm pastorali solertia ex more parochias circuiret, vt si negligẽter aliquid in diuinis cultibus ageretur, fidelis Christi seruus agnosceret, & vt bonus agricola, quæ inculta erant, ad bonæ operationis fructus proferendos excoleret, vt ad vicum, cui vocabulum est * Calmaciacus, perueniret. Vbi dum quidam cæcus, per interualla temporum occultantis se dæmonis inuasione possessus, ab eo opẽ misericordiæ postulasset, quoniam ante ipsius sancti viri præsentiam occultari non potuit, (erat enim illius generis, de quo Dominus in Euangelio dicit, quod non ejicitur, nisi in oratione & ieiunio) cœpit, qua dudùm captus fuerat, dæmonis [d] infestatione idem cæcus corporis vexatione torqueri. Tunc beatus Remigius in oratione, qua semper animo ad Dominum intendebat, corpore, quod ieiunijs, & bonorum operum exercitio incessanter afficiebat, se humiliter ad terram prostrauit, statimque lumen pristinum cæci oculis reddidit, & ab eo pestem immũdi spiritus effugauit, & ne vltra eum vexare præsumeret, in nomine Christi præcepit, opemque victus petitam pauperi tribuit. O ineffabilis gratia pietatis, à quo dum sola substantia petitur, triplex remedium obtinetur. Victu pauit egenum, munerauit visu cæcatum, reddidit libertati captiuum. Atque ita contigit per hoc insigne miraculum sanctæ Trinitatis mysterium, vt cùm apparuit vnus in paupe-

Flodoard. l. 1. hist. Rhemens. c. 11.

* Calmiciacus.

Marti 9.

[d] Cæci dæmoniaci curatio.

xv. re, Trinitas se ostenderet in salute.

Qvi[e] ergò tentationibus, siue occultis in mente, siue apertis in corpore, antiqui hostis sentit se infestatione vrgeri, opem intercessionis eius obnixè deposcat: & si fideliter petierit, ab infestatione immundi spiritus se ipsius meritis & orationibus à Dei gratia liberari non dubitet. Qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam vitam nequaquam diligendo conspicit, & quo gressum operis porrigat, nescit: lumen intelligentiæ ac contemplationis, atque necessariam cordis compunctionem, per intercessionem eius apud Domini pietatem expostulet, nihil hæsitans, quia pro certo accipiet. Qui paupertate [f] spiritualis victus atque vestitus, fidei videlicet, spei & charitatis, ac cæterarum virtutum se arctari cognoscit: vel etiam temporalibus necessitatibus ac tribulationibus sentit affligi, eius intercessionum solatia gemitibus & lachrymis expetat, & quod pauper, cæcus atque dæmoniosus per illum obtinuit, se solatio consolationum obtinere confidat. Verùm si ad primas rogantis lachrymas Dominus precibus huius intercessoris nostri respondere, id est, erranti sospitatem mentis dare, vel opem ferre necessitatem patienti distulerit: nec sic quidem à petendo, quærendo, pulsando, desistendum est, neque impetrandi subeunda desperatio: sed tanta potiùs perseuerandum instantia, tam obstinato frequentandus est, cum intercessionibus huius protectoris & adiutoris nostri, clamore Saluator, donec & ipse de cœlis Domino pro supplicatore suo supplicet: sicque fiet, vt si mentem ab intentione proposita non mutauerit precator, nequaquam fructu piæ petitionis fraudetur. Sed & si pro sua fragilitate quis, seu pro alijs interuenerit, desiderati potietur effectu: nisi fortè petentem cor in petitione reprehenderit, cùm resistere se præceptis eius meminit: quia dignum profectò est, vt ab eius beneficijs sit quisque extraneus, cuius nimirùm iussionibus non vult esse subiectus. Qua in re hoc est salubre remedium, vt cùm se mens [g] ex memoria culpæ reprehendit, hoc priùs in oratione defleat, quòd errauit: quatenus erroris macula cum fletibus tegitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Curandum est etiam, ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exultat: ne, dum plorata iterum culpa committitur, in conspectu iusti iudicis ipsa etiam lamenta leuientur, & cor iterum præterita in petitione reprehendant. Grauiter namque vnusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo vel audiendo respicit, quæ viuendo contempsit: & inde dubitatione confusus, se ad orandum Deum conuertit. Vnde Iohannis voce dicitur: Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus ab eo, accipiemus. Ac si diceret: Si id quod præcipit, facimus: id quod petimus, obtinemus. Valdè namque apud Deum vtraque hæc sibi necessariò congruit, vt & oratione [h] operatio, & operatione oratio fulciatur. Hinc etenim Ieremias ait: Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum: Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Vias etenim nostras scrutari, est, cogitationum interna discutere. Cor verò cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat,

[e] Intercessio sanctorum quam efficax.

[f] Virtutes, victus & vestitus animi

[g] Oranti Deum quid agendum.

1. Ioan. 5.

[h] Oratio & operatio.

Thren 3.

cor

cor leuat, sed manus non leuat. Quisquis verò operatur, & non orat: manus leuat, & cor non leuat. Iuxta Iohannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm sibi vitæ prauitas nulla contradicit.

[a] Vigilantia pastoralis.

ERAT [a] enim hic præsul beatissimus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in interiorum solicitudine non relinquens. Cùm ergò circumiens parochiam solicitudine pastorali, transiret per condumam episcopij villæ, cuius vocabulum est Tudiniacus, adspexit messores messem secantes: accessitque ad eos, cum verbo prædicationis exhortatus est eos, dando cibum & potum in consolationem laboris. Et dum hæc agerentur, accidit, sobrinam illius, nomine Celsam, Deo sacratam, proindè transire, & villam suæ proprietatis, nomine Celtum, adire. Quæ cùm cognouit sanctum Remigium iuxta transitûs sui viam esse, venit ad eum, & benignè, vt par erat, ab illo susceptа, petijt eundem virum sanctum, vt vnà cum illa domum suam, quò ibat, dignaretur adire. Idem vir sanctus, vt erat præstabilis super iustis petitionibus, ipsius sobrinæ suæ postulationi præbuit assensum. Et cùm pariter ad domum peruenissent, & inter sè familiaria & spiritalia haberent colloquia, venit minister ipsius Celsæ, ad auriculam eius, dicens, quod villicus eius vinum, quod in eadem villa fuerat, venditum iam habebat, excepta paruula quantitate, quam pro saluando vasculo reseruauit. Cuius vultum sanctus Remigius videns rubore perfusum, interrogauit quid ei suus minister in auriculam dixerit. Quæ illi promptè respondit, quoniam non tantum pro eo de ipso nuncio verecundabatur, quantum pro eis, qui cum eo aduenerant. Cognita verò causa, beatus Remigius hilari vultu consolatus est eam, dicens: Pro hac re, filia, noli contristari: dabit enim inde Dominus largitate pietatis suæ solitam consolationem, qui per prophetam suum se timentibus nihil deesse promisit. Et dixit eidem sobrinæ suæ, audientibus illis qui aderant, vt alia illa curaret: Ipse autem vellet interim hortum & viridarium, atque domos illius circumire, & videre, qualiter illa maneret. Et sic de industria priùs alia circumiens, peruenit vsque ad cellarij ostium. Et interroganti, quid in illo tecto haberetur, respondit minister, cellarium esse. Idem autem vir sanctus dixit, se illuc introire velle. Cui cùm nemo auderet contradicere, interrogauit cellarium, si haberet in aliquo de ipsis vasculis vel aliquid vini. Et designato vasculo, in quo aliquid vini remansérat, dixit. Claude ostium, & sta de ista parte, vsque dum ego ad te reuertor. Et pergens ad alteram frontem vasculi, [b] quæ erat iuxta parietem, fecit crucem super idem vasculum, quod erat nō modicæ quantitatis: & genua flectens ad orationem, orauit diutiùs: & cœpit vinum per foramen superius, per quod eidem vasculo infusum fuerat, adeò redundare, vt super pauimentum ipsius domus largiter inundaret. Et viro sancto adhuc decumbente in oratione, cellarius timore perculsus exclamauit, dicens: In nomine Christi, quis vnquam talo vidit? Quod cùm audiuit sanctus Remigius, surrexit ab oratione, & præcepit illi, vt nemini hoc indicaret, sed diceret dominæ suæ ministris, impetratum vinum se habere, vnde ministrare valerent. Sanctus verò Domini rediens ad præfatam sobrinam suam, consolatus est eam, dicens: Filia, noli contristari, sed spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius. Habes nunc vinum: lætemur & exultemus in Domino. Quod factum cùm ipsa & homines eius per cellarium cognouissent, quia, vt scriptum est, opera Domini narrare honorificum est, dixit ad eum sobrina sua: Nunc cognoui, sancte pater, quia diuina inspiratione ad hanc domum hodie te vocaui: propterea de hac villa te & ecclesiam tuam perpetuò hæredem esse faciam. Et præsentialiter ipsam illam ad Rhemensem Ecclesiam tradidit, & eidem sancto præsuli inde chartam & vestituram secundùm morem legalem fecit.

XVI.

Psalm. 38.

[b] Crucis signum edit, & orat, vinumq; abūdat in vase penè vacuo

Psalm. 36. Tob. 12.

XVII.

MIRAMVR, quia iuxta verbum Elisei, paruo olei liquore magna vasa infusa, oleo fuêre repleta. Miremur, quia benedictione & oratione Domini & patris, ac patroni nostri Remigij, vas non modicæ quantitatis, de paruo liquore, quod in eo erat, vinum superfusum etiam in pauimentum cellarij redundauit. Et nos qui carnis * voluntatibus debriati, alios etiam peccare facientes, peccatis inebriauimus, & ad peccandum nostro vel exemplo, vel verbo illeximus, euacuati à Christo, vasa donis spiritualibus vacua, si ad memoriam huius beati Pontificis à fundo cordium nostrorum, venenum iniquitatum nostrarum, quod delectabiliter, vt vinum, nos ingurgitādo bibimus, per puram confessionem [c] cum contritione & cordis rugitu euomuerimus, euacuantes nos felle peccatorum, quo repleti sumus, & lachrymis nos eluerimus, leuantes corda nostra cum puris manibus sine ira & disceptatione ad Deum, meritis eius & precibus obtinere nos posse credamus, vt repleamur abundante gratia Dei, & fiat in nobis fons vitæ, ac in eius lumine videamus lumen.

4. Reg. 4 *for. * voluptatibus.*

[c] Confessio peccatorū.

TVNC ad iustitiam credentes corde, & ad salutem confitentes ore, quia in patre totus est filius, & in verbo totus pater: in patre simul & filio totus est sanctus Spiritus: à patre simul & filio totus idem procedit Spiritus sanctus. Quod in futuro specie videbimus, quando secundùm promissionem suam Dominus noster Iesus Christus nobis palàm de patre annunciabit: quia per patefactam [d] tunc maiestatis suæ speciem, & quomodo ipse gignenti non impar oriatur, & quomodo vtriusque spiritus vtrique coæternus procedat, ostendet. Apertè namque tunc videbimus, quomodo hoc, quod oriendo est, ei de quo oritur, subsequens non est: quomodo is, qui processione producitur, à proferentibus non præitur. Apertè tunc videbimus, quomodo vnum indiuisibiliter tria sunt, & indiuisibiliter tria vnum. Credamus igitur & confiteamur sanctam & inseparabilem Trinitatem, patrem & filium, & Spiritum sanctum, coæternam & consubstantialem, ac coæqualem sibimet esse, vnius diuinitatis, essentiæ, omnipotentiæ, gloriæ, magnitudinis, maiestatis, & quicquid ad se, id est, substantialiter dicitur: relatiuæ autem [e] tres personas, patrem & filium, & Spiritum sanctum, & quod inseparabilis naturæ vnitas, non possit separabiles habere personas. Quod & in hoc ostenditur, personas non posse diuidi in Trinitate, quia cuiuslibet personæ nomen, semper ad alteram respicit personam. Si patrem dicis, filium ostendis. Si filium nominas, patrem prædicas. Si Spiritum sanctum appellas, patris & filij esse spiritum necesse est intelligas. Et hoc regulariter sit tenendum, quod omnia naturæ nomina vel essentiæ, sicut in vna persona singulariter, sic etiam in tribus semper singulari numero sit dicendum, & in Deo nihil secundùm accidens sit dicendum, quia nihil in eo mutabile est. Et qualis ac quantus sit pater, talis ac tantus sit filius, talis ac tantus sit Spiritus sanctus: nec aliquod maius sit, tres simul dictæ personæ, quàm singula quæque persona: quia eadem magnitudo est in vnaquaque persona semel dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.

[d] Summaria explicatio fidei Christianæ.

Ioan. 16.

[e] Personæ inseparabiles.

XVIII.

VNA verò tantùm ex eadem sancta Trinitate persona filij, per quem omnia facta sunt, operatione Spiritus sancti ex immaculata carne perpetuæ virginis Mariæ, nostræ carnis substantiam, animatam nostræ naturæ anima rationali & intellectuali, de incomprehensibili nobis virtutis suæ opere, totum scilicet hominem, vt totum saluaret hominē, assumpsit in vnitate personæ diuinitatis suæ. Natiuitas enim Domini secūdùm carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendit, siue quod solus ab inuiolata Virgine sine concupiscentia est conceptus & natus, siue quod ita visceribus matris est editus, vt fœcunditas pareret, & virginitas permaneret: non alteriùs tamen naturæ erat eius caro, quàm nostra est, nec alia illi, quàm cæteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat aduersum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs. Verus homo vero vnitus est Deo, sed secundùm existentem priùs animam deductus è cœlo, nec secundùm carnem creatus ex nihilo. Eandem generis in verbi diuinitate personam, & tenens communem nobis in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei homi-numq; mediator, nisi idem Deus idemq; homo, in vtroque & vnus esset, & verus. Quam seruilem formam, à solo filio

[f] Sola filij persona incarnata.

XIX.

Dei

Dei ſuſceptam, tota ſancta Trinitas, cuius vna eſt volũtas & operatio, in vterò glorioſæ ac ſemper virginis Mariæ fecit, ſicut euangelizauit ei Archangelus : Spiritus ſanctus, inquiens, ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Quæ tota ſancta Trinitas, ſcilicet Deus pater, nuncupatione altiſſimi deſignatus: & eius virtus & ſapientia, quæ ædificauit ſibi domum, vnigenitus videlicet filius, ipſe author operis, ipſe opus authoris, cooperante Spiritu ſancto, eiuſdem Saluatoris noſtri [a] humanitatem, corpus nimirùm, & animam, condidit in viſceribus virginis, quæ facta eſt ancilla hominis, per diuinitatem: & mater verbi per carnem. Non autem priùs in vtero Virginis caro concepta eſt, & poſtmodùm diuinitas venit in carnem, ſed mox verbum: venit in vterum, mox verbum, ſeruata propriæ veritate naturæ, factum eſt caro. Et perfectus homo, id eſt, in veritate carnis & animæ rationalis, natus eſt per vterum Virginis filius Dei, vnctus oleo lætitiæ, id eſt, dono Spiritus ſancti, præ conſortibus ſuis, ſcilicet præ cæteris hominibus. Nos priùs homines peccatores efficimur, & poſtmodùm per vnctionem ſancti Spiritus ſanctificamur: ipſe autem exiſtens Deus ante ſecula, per Spiritum ſanctum in vtero Virginis homo conceptus eſt in fine ſeculorum. Ibi ab eodem ſpiritu vnctus eſt, vbi conceptus, nec ante cõceptus, & poſtmodùm vnctus eſt: ſed hoc ipſum de ſpiritu ſancto & carne Virginis concipi, à Spiritu ſancto vngi fuit. In quo complacuit inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, id eſt, ſubſtantialiter: quia verbum per omnipotẽtiam ſuam, voluit hũc perfectum hominem, quem aſſumpſit, hoc fieri ex tempore, quod ipſe ſemper fuit ſine tempore, id eſt, proprium filiũ Dei: vt non poſſint [b] dici duo filij Dei, alius ante tempora genitus, & alius factus ex tempore, ne quaternitas (quod abſit) pro incarnatione ipſius in S. Trinitate dicatur : quoniam Deus, Dei filius humanam aſſumpſit naturam, non perſonam, in æternam ſuſcipiens perſonam diuinitatis, temporalem humanitatis ſubſtantiam. Homo tranſiuit in Deum, non vertibilitate naturæ, ſed propter diuinæ vnitatem perſonæ. Nam ſicut in ſancta Trinitate alia eſt perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti : ſed non aliud eſt pater, aliud filius, aliud Spiritus ſanctus: ita in Dei filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, aliud eſt diuinitas, aliud anima, aliud corpus: ſed non alia eſt perſona diuinitatis, & alia humanitatis, ſed vna eademq; perſona. Ideò non ſunt duo Chriſti, nec duo filij: ſed vnus Chriſtus, & vnus filius, Deus & homo, iuxta Euangeliſtam, plenus gratia: quia plenitudo humanitatis, anima & corpus, aſſumpta eſt in verbo in vnitate perſonæ ſuæ diuinitatis. Plenus veritate, quia in plenitudine humanitatis inhabitat plenitudo diuinitatis: quem beata virgo Maria, ſalua integritate ſui corporis, Deum & hominem, vnicum filium edidit, quemadmodum ſalua virginitate concepit, creatorem corporum & animarum humanarum, quæ ab eodem opifice ſuo Deo incorporantur, & priuſquam ſuis inſpirentur corporibus, non fuerunt. Sed quia per primi hominis præuaricationem, tota humani generis propago eſt vitiata, nemo poteſt à conditione veteris hominis liberari, niſi per ſacramentum baptiſmatis Chriſti, in quo nulla eſt diſcretio renatorum : quia quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore, omnes in vnam parit gratia mater infantiam, dicente Apoſtolo: Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus & Græcus, non eſt ſeruus, neq; liber, non eſt maſculus, neq; fœmina: omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Cuius humanitatem in nulla proprietate operum, quæ naturas in eo diſtinguunt, diuinitas diſſeruit, poſtquam eam aſſumpſit, nec in ipſa etiam paſſione, quamuis ipſa diuinitas impaſſibilis ſemper in ſua permanet natura.

[a] Humanitas Chriſti opus totius Trinitatis. *Pſal.* 44. *Pſal.* 44.

[b] Chriſtus Deus & homo, nõ alius vnus Dei filius.

Luca 1. *Prou.* 9. *Coloſſ.* 2. *Ioan.* 1. *Galat.* 3.

XX. Et quoniam Iohannes Baptiſta eidem Domino noſtro Ieſu Chriſto ſingulariter ac ſine menſura datam ſpiritus largitatem, dixit, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat, cuius anima & caro, cum verbo vnus eſt Chriſtus, & vnicus filius, anima eius plenam in ſe diuinitatis habuit ſemper, & habet notitiam, cum qua naturaliter vnam creditur habere perſonam. Ipſe eſt enim, qui dat ſanctis ſpiritum, ipſe eſt, qui accipit: æqualis patri ſecundùm diuinitatem, minor patre ſecundùm humanitatem. Et quia potens eſt ad menſuram dare, ideò non debuit ad mẽſuram accipere. In forma enim Dei manens, ſpiritum dat: formam ſerui accipiens, ſpiritum accepit. Ipſum enim, quem ad menſuram dat, totum accepit. Idem [c] ſacerdos & ſacrificium, veniens ad nos offerre pro nobis, quod aſſumpſit ex nobis, vt auferret à nobis, quod inuenit in nobis, id eſt, peccatum, mediator Dei & hominum, habens cum patre eandem diuinitatis naturam, & humanitatis eandem cum matre ſubſtantiam. Habens ex nobis vſque ad mortem, noſtræ iniquitatis pœnam, habens incommutabilem de Deo patre iuſtitiam. Propter noſtram iniquitatem temporaliter mortuus, propter iuſtitiam ſuam & ipſe ſemper viuus. Qui Dominus & rex gloriæ crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute ſua. Idem Deus, qui in cruce homo factus pependit, & in ſepulchro idem Deus homo factus iacuit: ſed in ſepulchro ſecundùm ſolam carnem idem Deus iacuit, & in infernum ſecundùm ſolam animam deſcendit, & reſurrexit tertia die carne: quia peccatum non fecit, à quo reſurgeret anima. Ipſe Deus & homo aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram patris, venturus iudicare viuos & mortuos. Quicquid enim in Chriſto factum eſſe legitur, ab vno Chriſto, & ab vno Dei filio geſtum eſt. Hæc verò perſonaliter totus Chriſtus dignatus eſt agere. Ipſe quippe ſuas paſſiones inuenitur operatus, qui nihil habuit, quod pateretur inuitus. Cuius anima tantæ ſanctitatis & iuſtificationis eſt, vt omnes in ſe credentium animæ, per eam ſanctificari & iuſtificari queant. Et caro tantæ munditiæ & libertatis eſt à peccato, vt omnes in ſe confidentium carnes, diuina in eo operante gratia, purgari & liberari poſſint: quia ſanguis, qui de eadem carne lancea militis vulnerata fluxerat, pretium eſt ſalutis humanæ. Per cuius effuſionem extincta eſt flamma illa paradiſi cuſtodia, & via fidelibus aperta eſt ad lignum vitæ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum viuentium. Cuius ligni ſapientiſſimus Salomon, cùm de laude ſapientiæ multa dixiſſet, recordatus eſt, ita dicẽs: Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Et paulò pòſt: Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. Lignum vitæ eſt his, qui apprehẽderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Quem ſcilicet Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam videns Ioannes Baptiſta & præcurſor ſuus venientem ad ſe, populis, quibus diù illum prædicauerat, digito demonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. Eccè agnus Dei, eccè innocens, & ab omni peccato immunis, vtpotè qui os quidem de oſſibus Adam, & carnem de carne Adam, ſed nullam peccatrice de carne traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccatum mundi, ecce qui iuſtus inter peccatores, mitis inter impios, hoc eſt, quaſi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores & impios iuſtificandi habet poteſtatem.

[c] Chriſtus ſacerdos & ſacrificium. *Pſalm.* 23. 1. *Cor.* 13. *Ioan.* 19. *Prouer.* 3. *Ibidem.* *Ioann.* 1.

XXI. Qvomodo autem peccatum mundi tollat, quo ordine iuſtificet impios, Apoſtolus Petrus oſtendit, qui ait: Non corruptibilibus argento vel auro redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti. Et in Apocalypſi Iohannes Apoſtolus: Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non ſolùm autem lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit in cruce pro nobis, vel quando quiſque noſtrum in myſterium ſacroſanctæ paſſionis illius baptiſmi aquis ablutus eſt: verùm etiam quotidiè tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis noſtris quotidianis in ſanguine ſuo, [d] cùm eiuſdem beatæ paſſionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura, in ſacramentum carnis & ſanguinis eis, ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur: ſicque corpus & ſanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem ſuam funditur & occiditur, ſed fidelium ore ſumitur in ſalutem. Cuius rectè figuram agnus in lege paſchalis oſtendit, qui ſemel populum de Ægyptiaca ſeruitute liberans, in memoriam eiuſdem liberationis per omnes annos immolatione ſua populum eundem ſanctificare ſolebat, donec veniret ipſe, cui talis hoſtia teſtimonium dabat. Oblatuſque patri pro nobis in hoſtiam odoremque ſuauitatis, myſterium ſuæ paſſionis, ablato agno, in creaturam panis viniq; transferret, ſacerdos factus in æternum, ſecũdùm ordinem Melchiſedech, qui per proprium

[d] Tranſſubſtãtiatio in Euchariſtia ſacramẽto. *Exod.* 12. 1. *Pet.* 1. *Apocal.* 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Heb. 5 & 6. prium ſanguinem ſemel introiuit in ſancta, æterna redemptione inuenta. Quia verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, eibus ſempiternus ſanctorum angelorum, vnde viuunt ſupernæ virtutes, caro factum eſt, id eſt, idem Dei verbum, quod erat apud Deum, homo factus eſt, ſicut dictum eſt, & ſemper credendum atque dicendum eſt. Quo authore & redemptore, nunc in cœlo viuunt cibo ſempiterno beatorum ſpiritus, ac perpetuò omnis viuet Eccleſia ſanctorum. Et nos vera [a] eius carne de cruce paſcimur, & ſanguine vero ac viuo, qui de latere eius in cruce manauit, potamur: qui manducatus & potatus, integer perſeuerat & viuus, quia ſurrexit occiſus. Et in hac myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ, hoc impartitur, hoc ſumitur: vt accipientes virtutem cœleſtis cibi, in carnem eius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus, & in quo crucifixi, cui commortui, & conſepulti, & conreſuſcitati, ipſum per omnia carne & ſpiritu geſtemus. Nam aliter in ſancta Eccleſia, quæ corpus eius eſt, nec rata ſacerdotia, nec vera ſunt ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ, verus nos pontifex reconciliet, & verus immaculati agni ſanguis emundet. Qui licèt in patris dextera ſit conſtitutus, in eadem tamen carne, quam aſſumpſit ex Virgine, ſacramentum propitiationis exequitur, dicente Apoſtolo: Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom. 8.*

[a] Vera caro, ver⁹ ſanguis in Euchariſtia.

XXII. HVIVS ſiquidem fidei gratia repletos, & in ea vſque ad exceſſum vitæ perſeuerantes, poſcamus nos iſtius patris noſtri meritis ac precibus multiplicari, à fructu frumenti, & vini & olei Dei, id eſt, doctrina ſancta, ſapientia ſuperna, diuinæ gratiæ miſericordia, vt inebriati ab vbertate domus eius, ac pinguedine, videlicet gratia ſancti ſpiritus, qua repletur Catholica Eccleſia, quæ eſt domus & corpus eius, flumina de ventre noſtro fluant aquæ viuæ, de mentibus ſcilicet noſtris ſpirituales doctrinæ, quæ ſunt animæ vita: & quos per baptiſmum ab omnibus mundauit ſordibus peccatorum, per lachrymas pœnitentiæ, à cunctis ablutos facinoribus, in vitæ conſeruet munditia, & ad vitam mundos perducat æternam.

XXIII. QVIA [b] humani generis aduerſarius non deſiſtit oſtendere nocendo malignitatis ſuæ potentiam, immiſſione ſua ſurgentibus ſubitò flammarum globis, hanc ciuitatem Rhemorum ſuccendit. Et nimia vaſtatione oborta, iam partem ferè tertiam fauillis extantibus, concrematio peracta conſumpſerat, & quod reſiduum erat, victrix flamma lambebat. Cuius rei nuncius cùm ad beatiſſimi Remigij antiſtitis peruenisſet auditum, ilicò ad orationem in baſilica beati Nicaſij vrbis huius pontificis & martyris (nam ibi tunc morabatur) ſe proſtrauit: & ſurgens ab oratione, ſuſpiciens in cœlum, ingemuit & dixit: Deus Deus meus, adeſto voci meæ. Et concito curſu per gradus, ante ipſam Eccleſiam petris compoſitos, egreſſus, ciuitatem petijt. In quibus petris, ac ſi ſuper molle lutum impreſſa eius fuerunt veſtigia, quæ hodieq; ibi ad memoriam diuini miraculi demonſtrantur. Et ſic celeri velocitate cucurrit, atque ſe igni oppoſuit. Statimque vt extenſa [c] dextra cotra ignem, cum inuocatione Chriſti nominis ſignum ſanctæ crucis fecit, totum illud incendium, velut quodam reatu cognito, fracta & conciſa, atque in ſeſe reliſa virtute, cœpit ante viri Dei præſentiam fugere. Quod vir Dei ſemper inſequebatur, & inter ignem, & ea, quæ adhuc erant reſidua, cum ſigno ſanctæ crucis & inuocatione Chriſti ſe opponebat. Sicque totum flammarum globum, ante ſe fugientem, per patentem portam (ſic enim tunc temporis vocabatur, quia portis alijs clauſis ob ciuitatis cuſtodiam, pro exeuntium & introeuntium commoditate in die patebat) diuina potentia expulit, & alia porta ad hoc officium deputata, præfatam portam clauſit, & vt nunquam ab aliquo aperiretur, cum interminatione vindictæ, qui illam præſumeret aperire, prohibuit: ſicut & Ioſue imprecatus eſt vltionem de eo, qui muros Hiericho, Dei virtute deiectos, denuò reſtauraret. Poſt quoſdam verò annos, ciuis quidam nomen Fercintus, ſecus illam portam manens, pertuſum in maceria, qua eadem porta obſtructa fuerat, fecit, per quem ſimum ſuæ cortis ejceret. Quem mox tanta eſt vindicta ſecuta, vt non homo, non pecus clade ſuperueniente in eadem domo remanſerit. In quo miraculo omnibus gratia Dei declarauit, quod vir Dei plenus fide, plus igne diuini amoris caluit, qui ſæuitiam tantæ indignationis meritis ſanctis euicit, expulit & extinxit. In eo enim, quia in ſilicibus eius fuerunt impreſſa veſtigia, & beati Petri in elemento inſtabili ſoliti greſſus iuſſione Domini extiterunt, licet diuerſo modo, non tamen diuerſa fide ac gratia, operationem Chriſti conſpicimus. Nam & in veris hiſtorijs legimus, quia in ſancta ciuitate Ieruſalem ſeruatur lapis duriſſimus, in quo monſtrantur pia redemptoris veſtigia, quando ante Pilatum iudicem ſtetit, cuius cordi ſaxo duriori, exigentibus culpis, eius verba imprimi nequiuerunt.

[b] Incēdium Rhēmorum Flodoard. ibidem.

[c] Signo crucis ꝓfligat incendium.

Ioſu. 6. *Matth. 14.* *Ioan. 21.*

XXIV. ET ſilicibus impreſſis veſtigijs ſerui ſui Remigij, contra malitiam diaboli, cuius membrum Pilatus extitit, pugnaturi, dignatus eſt demonſtrare, quia dedit ei, ſicut diſcipulis ſuis in carnis præſentia dixerat, poteſtatem calcandi ſupra omnem virtutem inimici. Verùm & in hoc facto gratia ſuæ potentiæ voluit demonſtrare, quàm ſpecioſi ſunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: per quem auferebat à duris corde, & ablaturus erat ab infidelibus Francis corda lapidea, & dabat pertinacibus atque daturus erat infidelibus corda mollia, ad recipienda diuini verbi ſemina, vt per patientiam referrent fructum in tempore ſuo. Sed & per ſe Dominus, qui perforato in cruce latere ſuo ædificauit Eccleſiam, profundens aquam & ſanguinem, quibus eadem Eccleſia lauacro rigatur & poculo: & per hunc ſeruum ſuum, cui regendam ſuam commiſit Eccleſiam, impreſſis in petra veſtigijs, quando robuſtiora ſaxis veſtigia, & molliora veſtigijs ſaxa oſtenſa ſunt: demonſtrare figuraliter voluit, quod de eadem Eccleſia per Moyſen figurata locutione prædixit: Ferrum & æs calceamentum eius. Calceamentum quippe in ſcriptura ſancta, munimen prædicationis accipitur, ſicut ſcriptum eſt: Calceati pedes in prædicatione Euangelij pacis. Quia ergò per ferrum virtus, per æs autem perſeuerantia exprimitur, ferrum & æs calceamentum eius dicitur, dum prædicatio illius acumine ſimul & conſtantia munitur. Per ferrum enim, mala aduerſantia penetrat: per æs autem, bona quæ propoſuit, longanimiter ſeruat. In eo quod inter ignem, & ab incendio necdum tacta ſtans, cum ſigno crucis, & inuocatione Chriſti nominis iſte vir ſanctus, qui cum ſuis collegijs dicere poterat, Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, ſe tranſgredi flammas prohibuit, Dei miraculum fuit repreſentatum, quando Aaron pontifex, vt iram Domini placaret, thuribulum cum incenſo odorifero ſumpſit, atque inter mortuos & viuentes ſtetit. Cuius meritis & precibus poſtulemus in nobis extingui flammas vitiorum, noſq; liberari ab igne perpetuo intolerabilium tormentorum. Deo eo, quod præfatus ciuis contra vetitum beati Remigij, quod ille clauſerat, aperire præſumpſit, & vltione non caruit: nos quoque pertimeſcamus ſanctorum verba & præceptiones paruipendere: quia Deo in ſe loquente, ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit eorum ſermo, qui tranſit.

Luca 10. *Eſa 52.* *Deut. 33.* *Epheſ. 6.* *2. Cor. 2.* *Num 16.*

Flodoard. ibidem.

XXV. QVÆDAM puella ab vrbe Toloſa, præclaris orta natalibus, ab infantia maligni ſpiritus tenebatur obſidione captiua. Quam cùm tenero amore diligerent pijſſimi genitores, ad ſancti Petri ſepulcrum in Romanam vrbem cum plurima multitudine & multa deuotione duxerunt. In ijſdem [d] namque partibus erat tunc vir vitæ venerabilis, gratia & nomine Benedictus, plurimis effulgens virtutibus. Cuius famam audientes ipſius puellæ parentes, ad eundem Dei ſeruum illam perduxerunt. Qui multis ieiunijs & orationibus pro ipſius emendatione ab infeſtiſſimo dæmone laborans, Domini potentiam ſtuduit exorare. Quam cùm nulla potuiſſet interceſſione curare, nec ab ipſa callidi dæmonis virus valuiſſet expellere, multis ac validiſſimis exorciſmis adiuratus, hoc reſponſum antiquus hoſtis reddidit, diuini nominis obteſtatione conſtrictus, quod nūquam alterius de eodem habitaculo, niſi huius beatiſſimi Remig. antiſtitis orationi-

[d] Erroris hic Hincmarus à Baro tō. 6 Anna. arguitur, quod ꝑ Benedicto puellæ patre homine prēdiuite in Prouincia, hanc de S. Bened. hiſtoriā cōtexuerit, ꝓbatq; id ex teſtam. S. Remi. q; apud Briſſ. in Formul. habetur, & apud Flod. in hiſt. Rhemē. li 1. c. 18. vide Bar. an. 507.

orationibus posset expelli. Tunc parentes eius cum ipsius viri Dei Benedicti literis hanc Rhemorum ciuitatem adire cœperũt. Et quoniam apud Alaricum regem Gotthorum, qui in Tolosana ciuitate sedem suam constituit,& vnà cum regno Gotthico magnam partem Galliarum sibi obtinuit, prædictæ puellæ parentes valdè honorati, ac familiares,&, vt ferebatur,carne propinqui eius erant, cum literis ac legatis ipsius ad beatum Remigium pro emundatione sæpedictæ puellæ ab antiquo hoste,in hanc vrbem, illam secum vinctam adducentes, venerunt, vt Christi per eum virtutem agnoscerent in purgatione sobolis, quam præscierant confessione latronis. Beatus autem Remigius cùm diuturna reluctatione se non esse ad tantum opus dignum assereret, & consueta patientia repugnaret, precibus est populi supplicantis euictus, vt orationem pro ea funderet, & parentum lachrymis condoleret. Tunc meritis [a] sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, vt iniquus prędo, per quod ingressus fuerat, discederet,& Christi famulam relaxaret. Itaq; cum nimio vomitu & obscœno fœtore per os, quo intrauit, egressus est. Sed paulò pòst discedente pontifice, sub ipsius tamẽ horæ spatio, dum nimio labore fessa nutaret, vitæ calore decepta, spiritum salutis amisit. Iteratis ergò precibus supplicantium turba recurrit ad medicum. Vir autem sanctus se accusat potiùs perpetrasse, quàm sanitatis præmium indulsisse:& extitisse homicidij reum, non contulisse remedium. Ad basilicam igitur S. Ioannis Baptistæ, vbi corpus iacebat exanime, populi obtentus deprecatione, regreditur, ibiq́ue S. Remigius cum lachrymis ad pauimenta sanctorum in oratione prosternitur, & reliquos, vt ita facerent, adhortatur. Et effuso lachrymarum [b] imbre, consurgens suscitauit mortuam, quàm priùs sanauit ægrotam. Apprehendens namque manum eius, dixit: Puella, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge. Quæ mox cum integra incolumitate, sicut ipsa posteà fatebatur, ab ipsis inferni claustris surrexit,& ad propria feliciter remeauit.

[a] Curat dæmoniacam.

[b] Excitat mortuam.

XXVI. POTEST enim fragilitate carnis exutus,& choris angelicis sociatus, plebem suam & quemlibet cum fide petentem, de casu cuiuslibet periculi imminentis, meritis & precibus suis eripere, & quemcunque à malis ad bona conuersum, de cuiuscunque peccati morte resuscitare, sed & de futura perpetua morte liberare, qui adhuc in ergastulo corruptibilis carnis positus, vitam mortuæ valuit restaurare. Propterea quoniam [c] duæ mortes sunt in vnoquoque nostrũm, vna videlicet animæ per peccatum, & altera corporis propter peccatum ad pœnam peccati: quia mors est animæ, quãdo Deus eam deserit ob magnitudinem peccatorum:& mors est corporis, quando ab anima deseritur: & duæ [d] sunt resurrectiones, nunc animæ in Ecclesia per filium verbum Dei, quando per gratiam eius resurgit à morte iniquitatis:& hæc est prima resurrectio, quam qui habet,& in secunda, quæ est corporis, feliciter resurget in vitam æternam, per verbum DEI carne factum filium hominis, qui potestatem accepit iudicium facere: quod iudicium in fine erit seculi:& ibi non erit resurrectio animarum, sed corporum. Petamus igitur corde contrito, cum lachrymis, bonis operibus suffragantibus, per huius patroni nostri intercessionem nos resuscitari à morte animę in præsenti vita, vt viuamus in Christo: & vt resurgentes corpore in fine seculi, æternaliter viuamus cum Christo: credentes firmiter, nos per eius intercessionem hoc apud Domini misericordiam obtinere posse, si fideliter petierimus: qui in curatione priùs à dæmone, & pòst in resurrectione corporis à morte præfatæ puellæ, certissimum pignus de meritis eius accepimus.

[c] Duæ mortes.

[d] Duplex resurrectio. *Ioann 5.*

XXVII. HABEAMVS seduli ante mentis oculos horam exitus nostri de corpore: præueniamus faciem Domini in confessione peccatorum nostrorum,& lachrymis ac bonis operibus: indulgentes his, qui in nos peccauerunt, vt indulgentiam peccatorum nostrorum obtinere possimus apud Domini misericordiam: & non negligamus bona, quæ nunc agere possumus: quia exuti corporibus, postea nec mala nec bona agere poterimus, sed pro his, quæ in isto seculo egim⁹, condignam remunerationem in illo seculo accipiemus ab eo, qui, vt scriptum est, reddet vnicuique secundùm opera sua. Nam vt taceamus de Apostolis, martyribus, confessoribus, & cæteris arctioris ac perfectioris vitæ viris, qui mox corruptione carnis soluti, cœlos penetrant, & quem in sua cognouêre carne mortalem, iam in natura diuinitatis Patri & Spiritui sancto videre possunt æqualem: quorum vnus, certaminum suorum conscius, non dubitauit de seipso testari, Cupio dissolui, & esse cum Christo: sunt plures in Ecclesia iusti, qui post carnis solutionem, continuò in beata paradisi requie suscipiuntur, expectantes [e] in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant & appareant ante faciem Dei. At verò nonnulli propter bona quidem opera ad electorum sortem præordinati, sed propter aliqua mala, quibus polluti de corpore exiêrunt, post mortem seuerè castigandi, excipiuntur [f] flammis ignis Purgatorij: & vel vsque ad diem iudicij, longa huius examinatione, à vitiorum sorde mundantur: vel certè priùs amicorum fidelium precibus, eleemosynis, ieiunijs, fletibus & hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, & ipsi ad beatorum perueniunt requiem. Vndè pensandum est, quod tutior via sit, vt bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat, dum viuit, ipse per se. Beatiùs quippè est, liberum exire, quam post vincula libertatẽ quærere.

Philip. 1.

[e] Sãcti mox euolant in cœlum.

[f] Ignis Purgatorius.

XXIX. DENIQVE cùm quidam ægrotus familiæ non ignobilis, necdum baptizatus, se à sancto postularet Remigio visitari,& iam velut in vltimo spiritu positus, credere se fateretur, & baptizari deposceret, ægroto abrenunciante,& benedicto fonte, sanctus Remigius à presbytero loci illius exorcizatum oleum & chrisma quæsiuit. Qui simplex oleum se habere, sed oleum exorcizatum & chrisma in ampullis, in quibus fuerat, iam penitùs defecisse respondit. Sanctus autem [g] Remigius ipsas ampullas sibi afferri præcepit: quas vacuas super altare misit,& se in orationem prostrauit. Surgens autem ab oratione, ampullam, in qua breuis habebatur olei exorcizati: & alteram ampullam, in qua breuis continebatur sacri chrismatis, plenas inuenit. Sicque infirmum, qui antè abrenunciauerat, post abrenunciationem oleo exorcizato perunxit: demumq́; baptizatum, secundùm traditionem [h] Ecclesiasticam, chrismate sacro liniuit. Qui mox animæ sanitate recepta, etiam corporis incolumitatem promeruit. Quem, fratres charissimi, quem imitatum atque secutum in hoc miraculo beatum Remigium debemus aduertere, nisi eum, qui in nuptijs, ad quas venire,& eas sua præsentia dignatus est significare, hydrias vacuas aqua impleri præcepit, & eandem aquam nutu suo in vinum conuertit? Et quidem Dominus potuit implere vacuas hydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creauit ex nihilo: sed maluit de aqua hydrias impleri, & de ipsa aqua facere vinum: vt ministrorum obsequio hydriæ aqua replerentur,& benedictionis suæ nutu aqua verteretur in vinum: vt patenter ostenderet, quia sicut omnia fecit ex nihilo, ita & naturas rerum sanctificatione sua mutat, vt ipse volet. Et beatus Remigius, seruus & amicus sponsi Ecclesiæ, credentem per diuina mysteria, socians eidem corpori eius verbis solennibus poterat simplex oleum exorcizare, & sanctum chrisma, sicut & fontem sacrare: sed maluit, vt Dominus singulatim de sacramentis sanctificatis ampullas, in quibus fuerãt, benedictionis suæ potentiam repleret, & se fidelem in verbis suis, quibus dixerat: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, ad confirmandam fidem neophyti credentis obsequio famuli sui, ostenderet. Certum est, quoniam qui in exordio creationis, creaturis singulis benedixit, & eas semper ipsa benedictione in vsus hominum crescere, & multiplicari fecit: & de creaturis panis & vini aqua mixti, sed & olei, secundùm suam traditionem, ad inuocationem sacerdotis semper bona creat: non faciendo, quod iam erant: sed sacrosancta mysteria faciendo existere, quod nõdum erant, corpus videlicet [i] & sanguinem suum,& chrisma salutis æternæ: idem ampullas singulas oleo repleuit,& ad inuocationem sacerdotis sui, sanctificationis benedictionem singulatim infudit.

[g] Precibus impetrat sacrũ chrisma.

[h] Nota hîc Ecclesiasticam traditionem. *Ioan. 2.*

Ioan. 16. Genes 1.

[i] Transsubstantiatio.

XXX. CVM gentis [k] Francorũ, vt historiæ produnt, de Troia ciuitate, impugnantibus & expugnantibus Græcis, pars cum Ænea in Italiam perrexit: pars eorum, videlicet duodecim millia in finitimas Pannoniæ partes secus Mæotides paludes peruenerunt, ibique ciuitatem aduenientes ædificauerunt, quam ob suam memoriam Sicambriam vocauerunt:

[k] Vide lib 1. Pauli Æmylij de gest s Frãcorum.

runt: in qua multis annis habitauerunt, & in gentem magnam vsq; ad tempora Valentiniani Imperatoris creuerunt. Et ita sub principibus crinitis, iuxta morem gentis subindè succedentibus, per Thuringiam regionem Germaniæ à castello Dispargo, in quo diù habitauerunt, ad Belgicæ prouinciæ Tornacum atque Cameracum ciuitates aggressi sunt. Ideoque vsque ad Sommam fluuium partem Belgicæ prouinciæ occupauerunt, vbi plurimis temporibus degerunt sub Clodoueo & Meroueo rege vtili, à cuius nomine celeberrimo, Franci vocati sunt Merouingi: sicut à Valentiniano Imperatore Attica lingua vocati sunt Franci, hoc est, feroces. Cui Meroueo in principatum successit Childericus, qui de

Aemylius Bissinam vocat.

* Basina regina Thuringorum habuit filium Clodoueum, qui fuit rex magnus super omnes ante se reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius. In illis diebus vel temporibus ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, quam Coloniam vocauerunt, & Treuirorum ciuitatem super Mosellam, quæ ab Hunnis antea diruta & afflicta fuerat, succendẽtes ceperunt. In illo tempore in his partibus circa Rhenum vsque Ligerim fluuium habitabant Romani, quorum princeps erat Ægidius. Vltra Ligerim autem dominabantur Gotthi, quorum princeps erat Alaricus. Burgundiones quoque Arriani, vt & Gotthi, habitabant iuxta Rhodanum fluuium vsque ad ciuitatem Lugdunum, & ei confines vrbes, quorum princeps erat Gundebaldus. Eo tempore mortuus est Ægidius, & successit in principatum Romanorum, qui habitabant in Gallijs, filius eius Syagrius. Mortuo autem Childerico, qui Aurelianum & Andegauos ciuitates cum suo exercitu Francico occupauit atque vastauit, Clodoueus filius eius sagaciter Francorum regnum suscepit. Anno quinto, Clodoueo regnante, Syagrius filius Ægydij dux Romanorũ, qui in Gallijs habitabant, in Suessionis ciuitate, quam pater eius tenuerat, residebat: super quem Clodoueus cum hoste aduenit atque deuicit: quẽmq; ab Alarico, apud quem in Tolosa, fugiens Clodoueum, aliquandiù habitauit, sibi transmissum recepit, & occidi præcepit, & omnia, quæ illius erant, suæ potestati subegit.

Flod. lib. 1. c. 13. histor. Rhemens.

[a] Etiã Ethnici Franci reuerebãtur S. Remigiũ.

Eo tempore multæ Ecclesiæ à Clodouei exercitu deprædatæ sunt. Erant autem, sicut & rex illorum, fanatici & pagani. Attamen audientes [a] miracula, quæ fiebant per B. Remigium, reuerebantur eum: & licèt pagani, diligebant illum, in quo lux cœlestis gratiæ omnibus resplendebat: & rex illorum libenter illum audiebat, & audito eo, multa faciebat, & à multis nequitiis se cohibebat. Erat enim sanctus Remigius vir sapiens atque sanctissimus, egregius rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eijciens, omniumque infirmitatum languoribus medelam præbens. xxx.

[b] Clodouei humanitas Flodoard. ibid.

Transitvm [b] autem rex faciens seeus ciuitatem Rhemorum per viam, quæ vsque hodie, propter Barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur: noluit eandem ciuitatem introire, ne ab exercitu suo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem & conscientia ipsius, pars quædam indisciplinatorum, quoniam non erat potestas temporalis inhabitantium, quæ eis resisteret, eandem ciuitatem intrauit, & quædam ornamenta atque sacra vasa indè rapientes, vt prædones solent, absportauerunt. Inter quæ vrceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis rapientes tulerũt. Sanctus autem Remigius missos suos ad regem Clodoueum direxit, deprecans, vt si aliud de sacris vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illum vrceum missis suis reddere iuberet. Hæc audiens rex, ait ad missos ecclesiasticos: Sequimini nos vsque Suessionum ciuitatem, quia ibi cuncta, quæ acquisita sunt, diuidenda erunt. Cumque ille vrceus mihi in partem obuenerit, quæ Episcopus postulat, adimplebo. Veniens autem Suessionum ciuitatem, cunctam prædam, quæ absportata vel acquisita fuit, rogat afferri in medium. Cumque omnia fuissent in præsentiam regis allata, dixit: Rogo vos, ô fortissimi pugnatores, vt mihi dare vrceum istum non negetis. Hoc rege dicente, Franci illi, qui bono animo fuerunt, aiunt: Omnia, gloriose rex, quæ cernis, tua sunt, & nos tuo dominio sumus subiecti. Quod tibi bonum videtur, hoc fac: nullus enim tuæ potestati resistere audet. Cumq; hæc [c] illi benignè dixissent, vnus Francus leuis, cum vociferatione eleuata bipenni, quæ alio nomine vocatur Francisca, percussit vrceum illum, dicens: Tu nihil hinc accipies rex, nisi quod tibi sors vera donauerit. Obstupefactis omnibus, rex iniuriam suam patienter sufferens, acceptum vrceum nuntio Ecclesiastico reddidit, seruans iram in corde absconsam. Transacto anno Clodoueus rex, vt omnium armorum nitorem videret, omnem exercitũ iussit cum armorum apparatu venire secundùm morem in campum Martium. Sic enim conuentum illum vocabant à Marte, quem pagani deum belli credebant, à quo & Martium mensem, & tertiam feriam, diem Martis appellauerunt: Quem conuentum posteriores Franci Maij campum, quando reges ad bella solent procedere, vocari instituerunt. Verùm vbi rex cunctum exercitum circumiuit, venit ad hominem illum, qui vrceum preterito anno cum bipenne percusserat, & ait ad eum: Nullus hic tam inculta & sordida habet arma, sicut tu: quia neq; clypeus, neq; lancea, neq; bipennis est vtilis. Accepit autem rex Franciscam eius, quæ vocatur bipennis, & proiecit in terram. Cùm autem ille se inclinâsset eam recolligere, rex statim eleuata manu Franciscam suam in caput eius defixit, & ait: Sicut [d] tu in Suessionum ciuitate superiori anno in vrceo isto fecisti, sic & facio tibi. Mortuoque illo, exercitum rex de ipso campo iussit ad propria in pace discedere. Grandis pauor & timor pro hac re in Francorum populo surrexit. xxxi.

[c] Militis cuiusdam temer. tas.

[d] Nota supplicium hominis sacrilegi. Flod. ibid.

Clodovevs decimo anno regni sui, commoto exercitu, sibi Thuringiam prouinciam subiugauit. Inde * Gũdebaldi regis Burgundionum neptim, filiam videlicet fratris sui Chilperici, quem gladio interfecerat, nomine Crotildem, pulchram satis puellam & verè Christianissimam, intercedente Aureliano consiliario, ac legatario suo, nutu diuino in coniugem sumpsit, sicut lector in suo loco plenius legere potest. In diebus illis dilatauit rex [e] Clodoueus regnum suum vsque Sequanam: sequenti tempore vsq; fluuium Ligerim occupauit. Accepitque Aurelianus castrum Milidunense, quod & in ducatum obtinuit. xxxii.

* Gũdebaldi.

[e] Clodoueo Crotildem ducit vxorẽ anno 494. Vide Aimõ de reb gest. Franc. li 1 c. 21 Gregor. Turon. de gest. Franc. l 2. c. 28. 29.

Concepit deniq; ac peperit filium Crotildis. Quem cùm sacro baptismate consecrari vellet, rex non acquiescebat ei. Necdum enim credebat in Dominum Deum cœli. Regina autem quotidie illi prædicabat eum: at ille nolebat eam audire. Interea regina parat filium ad baptismum, ornat Ecclesiam velis atq; cortinis, vt regis cor ad credendũ compungeret. Baptizatus est puer, quem Ingomirum vocauit, quique [f] in Albis decessit. Vnde rex nimis contristatus, reputabat reginæ, increpando dicens ad eam: Quia si in nomine meorum deorum puer dedicatus fuisset, vtiq; incolumis diù vixisset. Quia verò in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere non potuit. Regina verò dicebat: Deo gratias ago, qui me nõ duxit indignam, vt de vtero meo primogenitum in regno suo recipere dignatus sit. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo. Postea verò genuit filium alium, quem in Baptismo [g] Clodomirum vocauit. Et hic cùm ægrotare cœpit, dixit rex: Non potest aliud, nisi de isto sic fiat, quomodo fuit de fratre eius, vt baptizatus in nomine Christi vestri, citò moriatur. Sed orante regina, & Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat regi prædicare, vt Deum verum coleret, & idola, quæ colebat, vana relinqueret: sed nullo modo animum eius ad credendum poterat commouere, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Suenosq; moueret, in quo compulsus est Deum confiteri, quem antea negauerat. xxxiii.

[f] Nota. In Alb s.

[g] Clodomirus nascitur

[h] Ann. 499 Vide Greg Tur. de gest Franc. lib. 2. c. 10. Flod. ibid.

Factvm [h] est autem, bellantibus inter se, Francis videlicet & Alemannis atque Sueuis, vt [i] Clodouei exercitus nimis corrueret. Aurelianus consiliarius eius intuens regem, ait: Domine mi rex, crede modò Deum cœli, quem domina mea regina prædicat, & dabit tibi ipse rex regum, & Deus cœli atque terræ victoriam. Ille verò eleuatis in cœlum oculis, commotus in lachrymas, ait: Iesu Christe, quem Crotildis regina mea prædicat esse filium Dei viui, qui subuenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adiutorium deuotus postulo: vt si mihi victoriam super xxxiv.

[i] Clodouei ad Christũ preces.

hos

hos hostes dederis, & expertus fuero virtutem illam, quam de te populi prædicant, credam tibi, & in nomine tuo baptizabor. Inuocaui enim deos meos, &, vt experior, elongati sunt ab auxilio meo. Vnde credo eos nulla potestate esse præditos, qui sibi credentibus non succurrunt. Te Deum verum inuoco, & in te credere desidero: tantùm vt liberer ab aduersarijs meis. Cumque hæc orans clamaret, Alemanni in fugam versi, terga dederunt: & videntes regem suum interfectum, Clodouei potestati se subdunt, dicentes: Parce, precamur, Domine rex, nè pereat plus populus: iam tui sumus. Tunc iussit rex imminentem plagam cessare, & Alemannos cepit, ipsosq; ad terram eorum sub iugo tributario constituit. Sicq; facta victoria, reuersus est in Franciam ad reginam suam, & narrauit ei, qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno 15. Clodoueo regnante.

[a] Victoriâ Clodouei.

XXXV. TVNC regina, vt impleretur dictum Apostoli, Saluatur vir infidelis per mulierem fidelem: vocauit sanctum Remigium, vrbis huius Rhemensis antistitem, deprecans eum, vt regi salutis viam prædicaret. Quem sanctus sacerdos per multam salutaris vitæ doctrinam ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait: Libenter te audiam beatissime pater: sed vnum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult deos suos relinquere. Vadam autem adhortari eos iuxta verbum tuum. Et veniens rex ad populum, cœpit hortari eos, vt Deum, qui eis victoriam dederat, crederent, quoniam dij eorum in tribulatione sua nihil eis prodesse potuerunt. Acclamauerunt autem omnes, præcurrente misericordia & potentia Dei: Mortales [b] deos relinquimus, gloriose rex, & verum Deum immortalem, quem Remigius prædicat, credere parati sumus. Nunciantur hæc sancto Remigio. Ille quoque gaudio magno repletus, regem & populum, qualiter diabolo, & operibus ac pompis eius abrenunciare, & in Deum credere deberent, apertis & breuibus verbis instruxit. Et quia dies sancti paschæ imminebat, ieiunium secundùm Christianorum consuetudinem eis indixit.

1. Cor. 7. Flodoard. ibid.

[b] Franci crédunt. Vidè Greg. Turō. degest. Fráco. lib 1. c. 31.

XXXVI. DIE verò passionis Dominicæ, quem parasceuen vsus Ecclesiasticus vocat, pridie scilicet antequam baptismi gratiam rex & populus eius percepturi erant, cùm sanctus Remigius, & venerabilis coniunx regis Crotildis, pro regis & populi eius salute in oratione pernoctarent, Episcopus ante altare sanctæ Mariæ multas effundens lachrymas, & regina in oratorio sancti Petri, iuxta domum regiam: expleta oratione, pontifex ad ostium regij cubiculi pulsaturus accessit: vt videlicet per alta silentia noctis alijs curis regi absoluto, liberiùs posset committere sacra mysteria verbi. Quē ostijs apertis cubicularij regis reuerenter suscipiunt, & cum honore debito vsque ad penetralia regis introducunt. Sed & rex alacriter ei obuiam prosiliuit, eumque amplexus, cum ipso & venerabili coniuge in oratorium beatissimi Petri principis Apostolorum, quod, vt diximus, cubiculo regis contiguum erat, processit. Cumque illi tres, pontifex [c] scilicet, & rex, atque regina, dispositis sedilibus consedissent, circumstantibus quibusdam clericis, qui cum pontifice venerant, & familiaribus regis atque reginæ, & sanctus præsul regem monitis instrueret salutaribus, ac euangelicis disciplinis imbueret: ad confirmandam veræ fidei prædicationem, per sanctum depromptam pontificem, etiam visibiliter ostendere Dominus voluit, quod cunctis fidelibus promisit: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: Repentè namque lux tam copiosa, totam repleuit Ecclesiam, vt claritatem solis euinceret: & cum luce vox pariter audita: Pax vobis: ego sum. Nolite timere, manete in dilectione mea. Et post hæc verba lux, quæ aduenerat, recessit, & incredibilis suauitatis odor in eadem domo remansit: vt patenter ostenderetur, illuc authorem lucis & pacis, atque suauitatis venisse. Quem nemo eorum, qui aderant, præter Episcopum, propter fulgorem luminis timore perculsi, intueri valuerunt: tantaque claritatis gloria pontificem sanctum perfudit, vt splendor ex eo procedens, plùs conspicuam domum, in qua sedebant, reddiderit, quam lucernarum lumina ibidem lucentia.

Flod ibid.

[c] S. Remigii ad regem oratio contra chistica. *Matth. 18.* Lux. Vox. Odor.

XXXVII. REX [d] itaque & regina pedibus sancti se prosternunt sacerdotis, & cum magno pauore ac gemitu consolationem eius requirunt, & quid sibi ad vtilitatem atque salutem pertinens esset agendum, cum magna expetunt deuotione, parati audire, & opere complere, quæ à sancto pontifice discerent. Nam lumen, quod eos exterius perfudit, etiam interius illuminauit, & ad quærendum salubre consilium incitauit. Delectabantur namque in verbis illis, quæ audierāt, licèt exterriti essent de luminis claritate. At verò vir sanctus, sancta repletus sapientia, cœpit eos instruere, hanc esse visionis diuinæ atque angelicæ consuetudinem, vt in aduentu suo terreant corda mortalium, sed subsequenti consolatione demulceant præcedentem timorem: instruens eos ex authoritate sanctarum scripturarum, quomodo singulis, quibus apparuerant, & in primordio apparitionis incusserint videntibus se timorem, sed post per gratiam consolationis, gratissimam eorum cordibus præbuêre lætitiæ hilaritatem. Cumque vir sanctus de talibus eos sufficienter instruxisset, prophetico repletus spiritu, cuncta quæ eis vel semini eorum euentura erant, prædixit: qualiter scilicet successura eorum posteritas regnum esset nobilissimè propagatura atq; gubernatura, & sanctam Ecclesiam sublimatura, omniq́ue Romana dignitate regnoque potitura, & victorias cōtra aliarum gentium incursus adeptura: nisi fortè à bono degenerantes, viam veritatis reliquerint, & diuersos vitiorum fuerint secuti anfractus: quibus negligi Ecclesiastica solet disciplina, & quibus Deus offenditur: ac per hoc regna solent subuerti, atque de gente in gentem transferri. Quod de Moyse scriptum legimus, quia splendida facta est facies eius, dum respiceret in eum Dominus: hoc & in beatum Remigium luce splendida illustratum, factum fuisse audiuimus: quoniam sicut Moyses legislator populi veteris erat à Domino constitutus: ita & B. Remigius euangelicæ gratiæ lator populo, in proximo per fontem baptismatis innouando, extitit munere Christi electus.

[d] Nota reuerentiam. Flodoard. ibid.

Exod 34. 2. Cor. 3.

XXXVIII. INTEREA eundi via ad baptisterium à domo regia præparatur, velis ac cortinis depictis ex vtraque parte protenditur, & desuper adumbratur, plateæ sternuntur, Ecclesiæ componitur baptisterium, balsamo & cæteris odoramātis conspergitur: talemq́ue gratiam Dominus subministrabat in populo, vt existimarent se paradisi odoribus refoueri. Sicq; præcedentibus [e] sacrosanctis Euangelijs, & crucibus cum hymnis & canticis spiritualibus atque litaniis, sanctorumq; nominibus acclamatis, sanctus pontifex manum tenens regis, à domo regia pergit ad baptisterium, subsequēte regina & populo. Dum autem simul pergerent, rex interrogauit episcopum, dicens: Patrone, est hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui Episcopus: Non est hoc (inquit) illud regnum, sed initium viæ, per quam venitur ad illud. Cùm verò peruenissent ad baptisterium, clericus, qui chrisma deferebat, à populo est interceptus, vt ad fontem venire nequiuerit. Sanctificato autem fonte, nutu diuino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram vlli non patebat egressus Ecclesiæ, vel ingressus, sanctus pontifex oculis ac manibus protensis in cœlum, cœpit tacitè orare cum lachrymis. Et ecce [f] subitò columba niue candidior attulit in rostro ampullulam, chrismate sancto repletam, cuius odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes qui aderant, inæstimabili suauitate repleti sunt. Accipiente autem sancto pontifice illam ampullulam, species columbæ disparuit. De quo chrismate fudit venerandus Episcopus in fontem sacratum.

Flodoard. ibid.

[e] Cruces & litaniæ, &c.

[f] Chrisma cælitus adfertur.

XXXIX. VISO [g] autem rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis & operibus eius, petiit se à sancto pontifice baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum salutiferum, in quo delendi erant lepræ veteris morbi, sordētesq; antiquæ peccatorum maculæ diluendæ, diuino muneri obsequente beato Remigio, in quo apostolica doctrina, & virtutum gratia alter repræsentari videbatur Syluester. Ingresso autem in fontem vitalem Clodoueo, sanctus Episcopus dixit ore facundo: Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorâsti: præceptis salutaribus

[g] Abrenunciatio regis. Flodoard. ibid.

illum instituens, humili deuotione venerari Ecclesias, ad cultum religionis ædificatas, vt Deum adoraret in eis, quas rigida profanitate incendere consueuerat: & idola, quæ in asylis suis pro Deo adorare solebat, fidei ardore succensus, deijciendo incendere. Cuius sapientia [a] miranda est in breuitate sermonum, quibus discretionem ostendit inter illam adorationem & seruitutem, quam sæpè à sanctis viris honore venerationis & amore obsequij, angelis & hominibus exhibitam legimus, & illam adorationem & seruitutem, quam cultu diuinitati debito, Deo soli iuxta præceptum ipsius, non autem vlli creaturæ exhibendam sanctæ scripturæ lectione cognoscimus. Et sic post confessionem orthodoxæ fidei, ad interrogationem sancti pontificis secundùm Ecclesiasticum morem, [b] baptizatus est trina mersione in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso pontifice de sancto fonte, [c] perunctus es sacro chrismate, cum signo sanctæ crucis Domini nostri Iesu Christi. Baptizatur autem de exercitu eius tria millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus. Baptizantur sorores eius Albofledis & Landehildis, & factum est gaudiũ magnum in illa die angelis sanctis in cœlo, & hominibus deuotis in terra. Multi deniq; Francorum exercitus, necdum ad fidem conuersi, cum Raganario vltra Sommam fluuium aliquandiù degerunt, donec Christi gratia [d] cooperante, glorioſis potitus victorijs, eundem Raganarium, flagitijs turpitudinum inseruientem, vinctum à Francis, sibi traditum rex Ludouicus occidit, & omnem Francorum populum per B. Remigium ad fidem conuerti & baptizari obtinuit.

[a] Adoratio duplex. *Deut. 6. Matth. 4.*

[b] Rex baptizatur

[c] Vngitur chrismate.

[d] Clodoueũ alij annotârunt in baptism dictũ esse Ludouicum.

De miraculo siquidem, quod Dominus dignatus est ostendere per columbæ speciem in allatione chrismatis, sicut & de alijs, rata est Catholicorum patrum sequenda sententia, qua dicitur: Diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. XL.

Baptizatvs [e] autem rex cum gente integra, plurimas possessiones per diuersas prouincias sancto Remigio tam ipse, quam Franci potentes dederunt: quas ipse per diuersas Ecclesias tradidit, nè Franci eum rerum temporalium cupidum esse, & ob id ad Christianitatem eos vocâsse putarent, & fidem Christi, ac sanctum sacerdotium vilipenderẽt. XLI.

[e] Donationes à Clod. S Remigio factæ Flod lib. 1. cap 14 hist Rhemens

De quibus rebus in Orientalibus Franciæ partibus, petentibus traditoribus, portionem quandam episcopio Rhemensi adiunxit: & de his, quæ in Rhemensi prouincia illi fuerunt traditæ, non modicam partem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in castro Lauduni clauati Rhemensis parochiæ, vbi nutritus fuerat, tradidit: ibique Genebaldum, virum carne nobilem, & tam in scripturis sanctis, quàm & in secularibus literis eruditum, qui relicta coniuge, nepte scilicet ipsius B. Remigij, vitam religiosam expetierat, Episcopum ordinauit, & parochiam ipsius comitatus Laudunensis præfato castro subiecit. Qui Genebaldus plus quam necesse fuerat, de anteacta vita & gradus sublimitate confidens, cùm debuerit cogitare, quia nec Dauid sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt: incautè suam vxorem, quam relinquens mutauerat in sororem, quasi pro instructione salutari, frequentiùs se visitare permisit, oblitus scripturæ, dicentis: Lapides excauant aquæ, & alluuione terra consumitur, & rupis transfertur de loco suo. Vnde contigit, vt crebræ visitationes, & blanda ac frequentia mulieris colloquia, durum contra luxuriæ mollitiem cor Episcopi emollirent, & quasi rupem saxeam de loco suæ sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint, & item contra scripturam, dicentem: Quis alligabit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburentur? admota igni palea, id est, muliebris carnis materia, libidinis ignem suasione diabolica, quasi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammas erupit, & concumbente eo cum eadem, quondam vxore sua, mulier concepit: & post partum mandauit Episcopo, filium se peperisse. Genebaldus verò confusus & dolens, nuncio dixit: Quia latrocinio, vt lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso generatus est, rectè vocabitur Latro. Sic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio indè procederet, si se à solita visitatione fœmina illa subtraheret, cœpit vt antea domum frequẽtare episcopi. Sicque factum est, vt recta hominibus culpa, & in cordibus tam episcopi quàm fœminæ rectus luxuriæ ardor, quoniam, vt notum est, quo magis tegitur, rectus magis æstuat ignis: contra culpam compunctus episcopus, post fletũ ad culpam redijt, & oblitus est quod plãxerat, cùm extinguere noluit, quod per desiderium ardebat. Iterauit peccatum, quod egerat. Concepitque iterum mulier, & missò nuncio, mandauit Episcopo se fœminam peperisse: quàm iussit nominari Vulpeculam. Quod, cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes & significationes in scripturis ipsius animalis cognoscit, quas ad dolos ac versutias deceptoris diaboli, & ad carnis petulantis illecebras & anfractus retulit, facilè satis aduertit. Tandem Domino, qui beatum Petrum respexit, & negationem amarissimè fleuit, illum respiciente, Genebaldus in se reuersus, ad sanctum Remigium misit, petens vt Laudunum veniret: quia tales causæ ibi emerserant, quas per se diffinire non posset. Beatus autem Remigius, sicut Genebaldus petijt. Laudunum peruenit. Et susceptus cum debita reuerentia, ac secreta cubiculi petens, Genebaldum interrogauit, pro qua causa illum vocauerit. Genebaldus verò cum maximo fletu & eiulatu volens tollere stolam de collo suo, & procidere ad pedes sancti Remigij, cum magna virtute à beato Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutiùs ambo fleuerunt (intellexerat enim B. Remigius Genebaldum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere) vix singultibus & lachrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit, quæ commiserat. Quem S. Remigius videns contritum & penè desperatum, blandè consolatus est, dicens: Non tantum doleo de admisso à te crimine, quantum quod sic malè sentis de Domini bonitate, cui secundum Euangelicam veritatem, non est impossibile omne verbum. Ipse de nihilo cuncta fecit, primumq; parentem, in quo omnes peccauerunt, gratia saluum fecit: nullumque peccantem ad se reuersum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Quatriduanum etiam fœtentem Lazarum, lachrymis sororum, quę significant solicitas ac flebiles pœnitentium cogitationes, compatiendo, fleuit, & à mortuis suscitauit, suscitatum conuiuio suo admisit. Mulieris etiam ipsius, quę fuerat in ciuitate peccatrix, manib. iniquitate polluris, sanctissimos pedes suos is, qui super angelorum omnium verticem ad patris dexteram considet, attrectari non renuit. Nunquam vlli quantiscunque vel qualibuscunque peccatis mortuo, seu mole ac scelerum enormitate sepulto, gratiam resuscitationis à peccatis denegat. Dignè pœnitentem, atque peccata sua deflentem, per ianuam reconciliationis communioni altaris sacrosancti restituit. XLII.

Matth. 26.

Luca 1.

Ioan. 11.

Ioan 12. Luca 7.

Et vt erat doctissimus, ac orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctæ scripturæ & exempla [g] pœnitentium in vnum colligens, ad animandum eum illi proposuit, & exhortato pœnitentiam indixit. Factaque mansiuncula cum lecto in modum sepulchri, & paruissimis fenestellis, ac oratorio, quæ hodieq; manent secus Ecclesiam sancti Iuliani, Genebaldum in ea recluſit, & clerum ac parochiæ ipsius populum per septem annos, vt & propriam parochiã gubernauit, & vnam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebrauit. In qua recluſione pœnitentiæ, quantæ contritionis & continentiæ idem Genebaldus fuerit, diuina misericordia demonstrauit. XLIII.

Flodoard. ibid.

[g] Nota pœnitentiam tanti viri.

Septimo siquidem anno in vigilia cœnæ Domini, cùm idem Genebaldus in oratione pernoctaret: & seipsum defleret, quoniam is, qui ad hoc ordinatus fuerat, vt in illa die pœnitentes Deo reconciliaret, ipse suis criminibus exigentibus, nec inter pœnitentes in Ecclesia merebatur consistere: circa mediam noctem angelus Domini cum magna venit luce ad eum in oratorium, vbi pronus iacebat, & ait ad eum: Genebalde, exauditæ sunt pro te orationes patris tui Remigij: Suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum. Surge, & hinc egredere, facque ministerij episcopalis officium, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. Genebaldus autem nimio terrore perculsus, respondere nil potuit. Tunc angelus Domini confortans eum, & ne timeret, hortatus est, sed gauderet in misericordia Domini sibi collata. Qui animatus, dixit ad angelum: Non possum hinc egredi, quia dominus & XLIV.

Flodoard. ibid.

pater

pater meus Remigius clauem huius ostij secum habet, quod & sigillo suo signauit. Et angelus ad eum : Vt non dubites, inquit, me à Domino missum, sicut patet tibi cœlum, sic & ostium istud patebit. Et statim[a] saluo sigillo ac sera, ostium illud apertum est. Tunc Genebaldus in modum crucis se iactans in limine, dixit: etiamsi ipse Dominus Iesus Christus dignatus fuerit ad me venire peccatorem, hinc non egrediar, donec ille venerit, qui me in eius nomine in ista reclusione constituit. Et statim angelus Domini discessit ab eo.

[a] O eximiũ cordis contriti exemplum.

LXV. Beatus quoque Remigius in crypta, quæ retrò sedem erat Ecclesiæ sanctæ Mariæ Rhemis, pernoctabat in oratione, & quasi dormiens, in excessum est raptus: Et vidit angelum assistentem sibi, qui ei omnia, sicut dicta & gesta fuerant, narrauit, & iussit vt quantocyus Laudunum peteret, & Genebaldum sedi episcopali restitueret, & coram se ministerium episcopale agere persuaderet. Mox sanctus Remigius, nihil dubitans, cum summa celeritate Laudunum petijt, & in limine ostij, saluo sigillo & sera reserati, Genebaldum iacentem reperit: quem extensis brachijs cum gaudio & lachymis laudans Domini misericordiam eleuauit, eumque sedi & officio episcopali, veluti angelus Domini præceperat, restituere maturauit, & Rhemos cum gaudio repedauit. Genebaldus[b] itaque in sanctitate & iustitia postea omnes dies vitæ suæ gratia Dei peregit, prædicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus.

Flod. ibid. Cryptã hãc postea Herineus præsul in honorẽ S. Remigij cõsecrauit, vt habet Flodoard. lib. 1. c. 14.

[b] S. Geneb. restituitur sedi suæ, & in pace moritur, Latronem filium successorẽ habens, vt scribit Flodoar. lib. 1. c. 14. histor. Rhemens. Flod ibid.

LXVI. Lvdovicvs Rex sedem suam in Suessionum ciuitate, vnde Syagrium expulerat, constituens, delectabatur præsentia & colloquio beati Remigij. Sed quia villas, quas sibi Rex & Franci in Pagis, Suessonico videlicet & Laudunensi, dederunt, vt supra dictum est, episcopio Laudunẽsi, & alijs casis Dei donauerat, non habebat in vicinitate ipsius ciuitatis Suessionum, nisi vnam villulam, quæ sancto Nicasio data fuerat. Vnde[c] suadente religiosissima regina, & pertentibus locorum incolis, qui multiplicibus xenijs erant grauati, vt quod Regi debebãt, ecclesiæ Rhemensi persoluerent, rex sancto Remigio concessit, vt quantum circumiret, dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines, quæ manifestissimè patent, pergens, signa sui itineris misit. In quo fine quidam homo habens molendinum, repulit sanctum Remigium, ne intra illos fines ipsum molendinum concluderet. Quem B. Remigius blandè alloquens dixit : Amice, non sit tibi molestum, vt simul habeamus hoc molendinum. Ille autem reiecit eum. Et statim rota molendini verti in inuersum cœpit. Idem autem homo clamauit post beatum Remigium, dicens: Serue Dei, veni, & habeamus simul hoc molendinum. Cui sanctus Remigius: Nec mihi, nec tibi. Et sic talis fossa in eodem loco deuenit, vt extunc & nunc vsq; in perpetuum molendinum ibi esse non potuerit. Et quia repulsus est à quibusdam hominibus, ne sylualam quandam intra terminos suos concluderet, dixit vt nec folium vnquam de ipsa sylua intra terminos suos, cùm esset contigua, euolaret, nec fustis versus illos terminos inde caderet. Quod & obseruatum est, quandiu illa sylua mansit. Abinde quoque procedens, venit ad villam, nomine Cauiniacum. Quam concludere intra fines illos volens, ab hominibus eiusdem villæ reiectus est. Tum ille hilari vultu modò reiectus, modò repropinquans, signa per suum iter misit, sicut loca demonstrant, per quæ reiectus, & per quæ propinquans perrexit. Tandem reiectus, dixit illis: Semper laborate, & egestatem sustinete: sicut hodieque manentis sententiæ verborum illius virtus ostendit. Surgente interea rege à somno meridiano, reuersus est ad eum sanctus Remigius, & omnia, quæ ambitus circumitionis illius continuit, ei præcepto suæ auctoritatis rex donauit: quæ vsque hodie Rhemensis Ecclesia, quarum rerum capita sunt Iudiacus & * Ociliacus, iure quieto possidet.

Flod. ibid. Liberalitas regis erga S. Remigium.

* *Codiciac*

LXVII. Legimvs in sacra & antiqua historia, sanctum Dauid montes Gelboë maledixisse, vt nec ros nec pluuia veniret super eos, neq; essent agri primitiarum. Habemus sanctum Remigium ore prophetico maledixisse insensibilibus creaturis, vt possessores earum, sterilitatis damno in vindicta retributionis ferirentur.

2. *Reg.* 1.

LXVIII. Evlogivs[d] quidam vir præpotens, conuictus apud Regem Ludouicum de crimine regiæ maiestatis, cùm se purgare non posset, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, & ad intercessionem beati Remigij confugium fecit. Cui sanctus Remigius, & vitam & rerum suarum apud regem obtinuit possessionem. Idem autem recompensationis gratia sancto Remigio Sparnacum villam suam in proprietatem dare voluit. Sanctus autem Remigius retributionem temporalem pro intercessionis suæ beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundię confessione addictus, quia contra natales suos vita donari per alterius indulgentiam meruit, in seculari habitu stare non voluit, sanctus Remigius ei dixit, vt si perfectus esse vellet, venderet omnia sua, & daret pauperibus, & sequeretur Christum. Et sic de thesauro ecclesiastico taxatum pretium, quinque scilicet millia argenti libras, Eulogio dedit, & eandem villam in possessionem ecclesiæ comparauit: bonum exemplum omnibus episcopis, tam suo tempore in carne viuentibus, quàm post eum in ordine succedentibus derelinquens: vt pauperibus, aut viduis, aut pupillis, vel pro his, qui ad misericordiam Ecclesiæ confugiunt, qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes, in exilio aut in insulis damnantur, aut certè quamcunque sententiam suscipiunt, iuxta sacros canones subuenientes, vel quæcunque agentes bona, pro temporali retributione non faciant: sed iuxta Dominicam vocem, Gratis accepistis, gratis date: quod Dei gratia, id est, gratis data acceperunt, gratis etiam, id est, sine retributione temporali proximis largiantur. Vnde benè, cùm virum iustum describeret, propheta ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim[e] dixit, munere tantùm: sed adiunxit, Ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio, est subiectio indebitè impensa: Munus à manu, pecunia: Munus à lingua, fauor. Qui ergò sacros ordines tribuit, vel quodcunque bonum, vnde retributionem à Deo sibi in futuro seculo reddi cupit, tunc ab omni munere manum excutit, quando in diuinis rebus non solùm vllam pecuniam, sed etiam gratiam non requirit.

[d] S. Remig. Eulogium seruat. Flod. ibid.

Matth. 19.

Matth. 10.

Esa. 33.

[e] S. Gregor. Papa Hom. 4 in Euangelia.

LXIX. Partem etiam maximam syluæ in Vosago precio comparauit, & mansioniles ibidem constituit, qui ab aquis, super quibus constituti sunt, Cossa & Gleni vocantur: homineſque in eisdem mansionilibus de vicina episcopij villa, quæ Berna dicitur, à Francis sibi data, manere disposuit, vt picem annuatim religiosis locis ecclesiæ Rhemensis administrarent: quibus & Pensam dedit, quæ vsque hodiè ab incolis ipsorum locorum habetur, cum qua debitum suum exoluunt. Ipsius quoque comparationis suæ fines per gyrum adeò exterminauit, vt & omnibus videntibus pateat ipsa exterminatio, & à progenie in progenies hactenus ipsæ exterminationes, ab eo factæ, nomine tenus vocitentur, ac designentur. In quibus exterminationibus quodam loco in fuste cauo manu sua petram misit, quam omnes, qui volunt manum in cauerna, in qua petra posita est, ponere, possunt & ipsam petram voluere, & eam à cauerna nullo ingenio valent extrahere. Post quædam verò tempora quidam inuidens,[f] quòd multi ad laudem sancti Remigij hoc prò religione tenebant, manu ipsam petram de cauerna extrahere voluit. Quod non valens, securi ipsum pertusum ampliare tentauit: & eleuante eo securim, vt fustem percuteret, dextera manus illius exaruit, & oculorum lumen amisit: & qui famam sancti Remigij extinguere voluit, laudis venerationem adauxit. In hac solicitudine, quam sanctus Remigius de pice locis religiosis Rhemensis Ecclesiæ, suo vel successorum suorum tempore consulturus fategit, rectoribus Ecclesiæ patenter ostendit, quia internorum solicitudinem non relinquentes, externorum prouidentiam non debent minuere: ne aut exterioribus dediti, ab intimis corruant: aut solis interioribus occupati, quæ foris debent, proximis non impendant. Sed sic sibimet ad spiritualia vacent, vt exteriorum administrationem non relinquant: ne, cùm curate corporalia iam funditus negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrant: & si eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, neque eos libenter audiant. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud eius animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat, quãdo in audientis pectore

[f] Inuidiæ grauis vindicta.

pietas prædicantis rigat. Vnde rectorem necesse est, vt interiora possit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora prouidere. Hanc pastorum solicitudinem Paulus excitat, dicens: Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quæ beati Remigij solicitudo quantum Domino placuerit, miraculo ostenso in eo, qui eius bonis operibus inuidebat, euidenter ostendit.

1. Tim. 5.

Flod. cap 15. lib. 1. histor. Remens.

LVDOVICVS rex cum Dei benedictione per sanctum Remigium accepta, de victoria sibi ab eo prædicta securus, & in mandatis accipiens, vt tam diu ad dimicandum pergeret, quam diù illi benedictum vinum, sibi ab eo datum, in quotidiano vsu potatum sufficeret: iter arripuit cõtra Gundebaldum & Godeglisum fratrem eius, commoto exercitu maximo: & [a] Burgundiones cum ingenti multitudine venerunt contra eum super Oscharam fluuium secus castrum, quod Diuion dicitur: ibique inter se atrociter confligentes, Gundebaldus ac Godeglisus cum Burgundionibus terga verterunt, & vix fuga lapsi euaserunt. Ludouico, vt solebat, existente victore, Gundebaldus se in Auinione reclusit, & per Aredium consiliarium suum pacem à Ludouico expetijt. Ludouicus verò, ablatis thesauris, cum præda maxima & Francorum exercitu ad propria est reuersus. Et mittens legatum nomine Paternum, virum industrium, ad Alaricum regem Gotthorum, de amicitiæ inter eos conditione mandauit. Alaricus verò cùm per Paternum vellet Ludouicum decipere, à Paterno exploratis, quæ circa eum erant, & thesauris eius ingenio subarratis, illusus est. L.

[a] Prælium cũ Burgundionibus.

Flodoard. ibid.

IN diebus illis rex Ludouicus cùm venisset Parisios, vbi sedem suam constituit, ait ad reginam, & ad populum suum: Satis mihi molestum est, quod Gotthi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, & eijciamus eos de terra ipsa, nostrisque ditionibus, quia valdè bona est, eam subijciamus, habentes iustitiam aduersus Alaricum, ad quem pro amicitiæ conditione legatum direximus, per quem nos decipere voluit. Placuit hoc consilium proceribus Francorum. Tunc per consilium reginæ suæ fecit Ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli in Parisiorum ciuitate, & per cõsilium beati Remigij in Aureliano ciuitate Episcoporum [b] synodum conuocauit: in quo conuentu multa vtilia constituta fuêre. Rex quoque deuotissimus, pergens contra Alaricum Arriænum, benedictionem petijt à sancto Remigio. Cui & benedictionem dedit, & victoriam in verbo Christi spopondit: deditque illi plenum vas, quod vulgaris consuetudo flasconem appellat, de vino quod benedixit: sicut & fecerat, quando post baptismum contra Gundebaldum perrexerat, præcipiens illi, vt tam longè ad bellum procederet, quam diu illi & suis, quibus indè dare vellet, illud vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit ergò inde rex, ac regalis familia, [c] & numerosa turba populi, & exinde vberrimè satiantur: & vas vini detrimentum non patitur, sed benedictione Dei, per sanctum Remigium indita, more fontis inundatione repletur. Mouit autem rex cunctum exercitum suum de populo Francorum, versus Pictauos ciuitatem: ibi enim tunc Alaricus rex Gotthorum commorabatur: & sic per pagum Turonicum pergens, [d] & reuerentiam sancto Martino atque B. Hilario exhibens, sicut locis suis lector inueniet, cum Alarico rege [e] Gotthorum in campo Moglorinse super fluuium Glinno, milliario decimo ab vrbe Pictauorum, bellum conseruit. Illisq; inter se compugnantibus, Gotthi cum rege suo nimis collisi, terga verterunt. Ludouicus, sicut solebat, victor extitit. LI.

[b] Synodus Aurelianẽs. anno 507.

[c] Insigne miraculũ.

[d] Nota reuerentiam erga sanctos.

[e] Æmilius habet, In cãpis Vogladensibus

CVMq; [f] Alaricum interficeret, duo Gotthi cum cõsis eum ex aduerso in latere feriunt: sed propter loricam, qua indutus erat, lædere nequiuerunt. Magis autem lorica fidei indutum Dominus per orationem S. Remigij, patris & patroni sui, adiuuit eum. Patrata siquidem victoria, & multis ciuitatibus suæ ditioni subiugatis, vsque Tolosam perrexit: & thesauros Alarici accipiens, per Engolisinam ciuitatem, cuius muri ante conspectum eius corruerunt, interfectis Gotthis Arrianis, qui ibi erant, cum gloriosa victoria de multis ciuitatibus, ad propria redijt. LII.

[f] Alarici cædes an. 507. teste Baron.

[g] Anno 508. Ludouicus Consul salutatur.

Per idem [g] tempus ab Anastasio Imperatore codicillos Ludouicus rex pro consulatu accepit. Cum quibus codicillis etiam illi Anastasius coronam auream cum gemmis & tunicam [h] blatteam misit: & ab ea die consul & augustus est appellatus. Sed & Hormisda Romanæ Sedis pontifex sancto Remigio, antiquæ metropolis episcopo, quæ tunc tẽporis habebat sub se duodecim ciuitates & totidem Episcopos eisdem præsidentes, vices suas in regno Ludouici regis, nuper cum integra gente ad fidem conuersi per sanctam eius prædicationem, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, commisit hoc modo. LIII.

[h] Blattã pro purpura ponit Sidon. Vide Greg. Turon. hist Franc. l. 2. c. 38 Flodoar. vt supra.

DILECTISSIMO fratri Remigio [i] Hormisda. Suscipiẽtes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit indicio corporali cum spiritualibus officijs incolumitas subnixa: congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quãdo id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnoxiùs imperamus, vt in prouincijs tanta longinquitate disiunctis, [k] & Apostolicæ sedis vigorem, & patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Ludouici, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis conse crãsti, saluis priuilegijs, quæ metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti authoritate committimus: augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutius vniuersa seruari: gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, & decreta [l] sanctissimis definita concilijs, ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reuerentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas, nefasque præscriptum est: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum, quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vniuersale poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres euocante conueniant: & si quos eorum specialis negocij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce: discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem [m] illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ authoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt & noster animus officij charitate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. LIV.

[i] Nota de Pontificis auctoritatem.

[k] Concilio-rum decreta seruãda.

[l] Nota Rõ.

HVIVS sancti [n] Hormisdæ pontificatûs tempore, sæpe fatus Ludouicus rex gloriosus coronam auream cũ gemmis, quæ regnum appellari solet, beato Petro, sancto Remigio suggerente, direxit. Hic beatus Hormisda Papa misit Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem in legatione Germanum Capuanum Episcopum, cuius animam vidit ab angelis in cœlum deferri sanctus Benedictus, qui pro curatione puellæ dæmoniacæ ad beatum Remigium literas suas direxit. LV.

[n] Nota de corona Põtificis.

POST hæc omnia mortuus est [o] Ludouicus rex in pace, & sepultus est in basilica S. Petri Apostoli, quam ipse & regina sua ædificauerunt. Mortuus est autem anno quinto, postquã cum Alarico rege Gotthorum pugnauit. Regnauit quoque simul annis triginta. Et eodem momento, quo mortuus est Ludouicus Parisiis, reuelante Spiritu S. beatus Remigius, cùm esset Rhemis, defunctum fuisse cognouit, & sibi assistentibus indicauit. His ita gestis, filius [p] Clodomiri, filij Ludouici regis, nomine Clodoaldus, interfectis fratribus suis, quos vnà cum eo post patris obitum Crotildis regina nutriebat, in clericum se totõdit, & processu temporis, vitæ ac religionis suæ merito, partem hæreditatis à patruis LVI.

[o] Ludouici regis mors anno 514. ex supputatione Baronij

[p] Clotarius hoc occidit.

patruis regibus obtinuit: de qua Duziacum villam in pago Mosomagensi, cum appendicijs suis, sancto Remigio & Rhemensi Ecclesiæ tradidit, & villam Riuiliacum in pago Biturico sancto Dionysio delegauit. Villam quoque Nouiantum in pago Parisiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, matri Ecclesiæ Parisiensis ciuitatis, vbi presbyter extitit ordinatus, donauit: In qua villa, plenus virtutibus, migrans ad Dominum, in Ecclesia, quam ipse ædificauerat, corpore fuit in pace sepultus.

LVII. Cvm Episcopi demùm Galliæ ac Belgicæ prouinciarum, causa [a] fidei ad Synodum conuenerunt, beatum Remigium [b] vndecunq; doctissimum, & in scripturis sanctis eruditissimum, ac in Ecclesiasticis dogmatibus exercitatum, ad idem concilium venire petierunt. Cui synodo Arrianus quidam hæreticus, acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus, & indè nimis elatus, intererat. Ingrediente autem sancto Remigio Episcoporum concilium, à multitudine fratrum expectantium, assurgentibus omnibus, reuerenter sicut angelus Dei suscipitur. Superbus autem hæreticus, & malè de viro Dei sentiens, dedignatus est ei assurgere. Qui protinus, cùm sanctus Remigius ante eum transijt, ita obmutuit, vt nec verbum quidem vllum effari potuerit. Expectantibus autem omnibus, vt post allocutionem sancti Remigij [c] hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui: sed ad vestigia sancti Remigij pronus cadens, nutibus veniam petijt. Cui sanctus Remigius dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi, veri filij Dei viui, si ita de eo rectè sentis, loquere, & de illo, sicut catholica credit Ecclesia, crede & confitere. Ad cuius vocem ante superbus hæreticus, humilis iam & catholicus, catholicam fidem de sancta & inseparabili Trinitate, & de Christi incarnatione catholicè confessus est, & in eadem confessionis suæ fide se permansurum professus est. Sicque anima per infidelitatem perdito, & corporali voce propter superbiam condemnato, virtute diuina sanctus Remigius & animæ & corporis reddidit sanitatem: cunctis, qui aderant, seu hæc audituri erant, sacerdotibus patenter ostendens, de male sentiendo peccante in Christum, qui per humanitatem proximus & frater nobis fieri dignatus est, quomodò erga peccantes in se, vel in Ecclesiam, atq; rebelles, & erga post recognoscentes & pœnitentes debeant agere.

[a] Synodus Rhemis celebratur vt habet Bar.
[b] Eruditio eximia S. Remigij. Flodoard. ibid.
[c] Hæreticus obmutescit

LIIX. Senescente autem sancto Remigio, & Dei spiritu sibi reuelante, quoniam abundantiam ipsius anni secutura esset [d] fames: secutus sancti Ioseph prouidentiam, de annona, quæ in villis Episcopij nata fuerat, vel quam ab alijs cõparauerat, aceruos, quos metas dicimus, fecit, vt populo, fame postmodum laboraturo, inde subuenire valeret. Vnde & in villa, quæ Celtas dicitur, plures metas fieri iussit. Ipsi autem homines Celtenses, semper rebelles & seditiosi fuerunt. Qui quadam die Dominica inebriati, cœperunt inter se dicere: Quid ille Iubilæus (sic enim appellabatur propter ætatis prolixitatem sanctus Remigius) facere vellet de illis metis, quas congregauerat? an ciuitatem inde facere vellet? quia sicut turres per muros ciuitatis, ita per circuitum cortis, metæ habebantur. Et suadente diabolo, se mutuò adhortati sunt, vt focum in eas mitterent. Quo cùm sancto Remigio in propinqua villa, quæ Basilicæ cortis dicitur, consistenti, celeri nuntio est delatum, ascendit equum, vt ad tantam præsumptionem compescendum ad Celtum veniret. Quò cùm peruenit, iam ipsæ metæ ardebant. Beatus autem Remigius & ætate & vespertino frigore, sicut in autumno solet fieri, frigidus, de equo descendit, & à longè se calefacere cœpit, tranquillo corde & ore dicens: Semper bonus est focus, si non super potest. Veruntamen omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & fœminæ gutturnosæ sint. Quòd ita completum est. Nam [e] vsque ad tempora Caroli Magni Imperatoris, qui eosdem homines de Celto, quoniam Vicedominum in eadem villa morte crudelissima occiderunt, exterminauit, & authoribus interfectis, consentientes per diuersas prouincias dispergi, atque perpetuo exilio condemnari fecit, & de cæteris villis Episcopij Rhemensis eandem villam restaurari præcepit: ita viri & fœminæ multati permanserunt, sicut sancti viri sententia promulgauit. Quosdam etiam de eorum progenie, qui tunc fuga lapsi, cùm alij dispergebantur, remanserunt, & ad eandem villam redierunt, nos hanc vindictæ sustinentes sententiam vidimus, sicut & Giezi cum domo sua, maledictione Elisei, lepra mulctatus est.

[d] Flodoard. cap. 17 lib. 2. hist Remēs.
[d] Fami futuræ prospicit S. Remig.
[e] Vltio diuina in homines impios.
4 Reg. 5.

LIX. Apte quidem sententia viri Dei, spiritu eius repleti, quo sicut præsentes vidit, ita posteros eorum rebelles ac seditiosos præuidit: vindictam huiusmodi præsumptores non solùm in se, verùm & in genere contraxerunt: vt sicut peccato primi parentis, per traducem seminis, cuncti ex eo geniti peccatum eius, & mortem corporis pro peccato illatam traxerunt, ita & genitalibus eorum præsumptorum generati, vindictam illatam generantibus sustinerent. Et quia in fœmineo sexu non erat, vbi vindicta similis in membris similibus monstraretur: sicut per guttur primæ matris gustus illicitus transiens, ad præuaricatricis sobolem deriuauit culpam, sic & ad genitas de hac stirpe propagaretur ignominiosa hæreditas: veluti per Moysen Domino dicitur: Qui reddis iniquitatem patrum filijs ac nepotibus.

Exod. 34.

LX. Post præmissas autem & alias multas virtutes, quas Dominus per hunc sanctum suum operari dignatus est, gemitus & suspiria illius exaudiens, quibus dicebat: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei: &, Satiabor, dum manifestabitur gloria tua: reuelauit ei Dominus, consolans eum, imminere diem obitûs sui: Qua de re, secundùm sanctos canones, testamentum rerum suarum condidit, ad hæreditatem illam festinans, de qua Propheta dicit: Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem. Sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini: quia electi Dei postquam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hæreditatem. Sic sanctus Remigius terrenam derelinquens hæreditatem, accepit æternam: quia oliua fructifera per lucida misericordiæ opera extitit in domo, videlicet Ecclesia Dei. Vndè sperauit iure in misericordia Dei sui, vèraciter dicens: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: quia sicut corpus satiatur pane, ita de lachrymis reficitur anima, quoniam exindè sperat remissionem peccatorum habere. Dies verò & nox, pro sæculi diuersitate ponuntur: quia siue in prosperis rebus, siue in aduersis, desiderij sui lachrymas Deum desiderans anima fundit, sciens scriptũ: Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Ante lucem quippe surgere, est, priùs quàm claritas æternæ lucis & retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sedendum ergo prius est, vt post rectè surgamus: quia quisquis nunc se sponte humiliat, hunc sequens gloria exaltat. Manducat autem panem doloris: qui gemit in hac peregrinatione, & cœlesti desiderio ad æternam anhelat patriam. Condito siquidem testamento, & dispositis omnibus, quia, vt scriptum est, verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferentem purgat, vt fructum plus afferat: oculorum [f] corporalium lumine aliquamdiu est priuatus, quatenus mētis oculis intentius quæ superna sunt, ad quæ toto desiderio anhelabat, contemplari valeret. Studebat autem in suæ probationis tentatione semper gratias agere, hymnis Dei & laudibus diebus ac noctibus vacans, ac fideli mente intelligens, quoniam qui humiliter flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Quod & in eo Dominus in præsenti volens ostendere, quasi pignus æternæ lucis antequàm decederet, visum [g] ei restituit: Vndè, sicut & de amissione luminis, nomen Dñi benedixit. Et non post longum spatium sciens adesse diem sui transitûs, per Missarũ celebrationem ac sacræ cõmunionis largitionem, valefaciens & dans pacem filijs suis, postquã per viginti & duos annos in clericali ordine: in Episcopatu verò 74. continentissimè ac religiosissimè fidelis seruus & prudens Domino ministrauit, nonagesimo sexto [h] ætatis suæ anno, Idibus Ianuarij, sancti certaminis cursu consummato fide seruata, cum multiplici bonorum operum fructu & animarum lucro, vt diu desiderauit, anima cœlos penetrans

Ioan. 15.
[f] S. Remig. fit cæcus.
[g] Recipit visum.
[h] Moritur: quo autem an. & quanto tempore

sederit, vide Bar. an. 541. vbi erroris arguit Hincmarum, quod 74 annos Episcopatus S. Remigij constituat, eumq; conuincit ex actis Concilij Aruernensis, celebratum est an. 541 vbi nono loco subscriptus recenseatur Flauius Remensis Episc. quem adhuc antecessit Romanus, primus S. Remigij successor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

netrans, terræ corpus reddidit: accipiens ſtolam albam, animæ ſcilicet beatitudinem ſempiternam, donec in reſurrectione alteram accipiat ſtolam, beatam videlicet vnà cum anima reſumpta glorificandi corporis immortalitatem.

Flodoard. ibid. BEATVS igitur athleta Dei, confeſſor officio, martyr quoque ſtudio, inuictus certamine, palmam quærens ſanguine. LXI. Quem quia diu cõtigit in corpore viuere, neceſſe fuit etiam longiora carnis & diaboli, & prauorum hominum tentamenta tolerare. Quia enim, adiuuante ſe Domino, virtutem patientiæ fortiter ſeruare contendit, & in pace Eccleſiæ vixit, & tamen martyrij palmam tenuit. Conſummato ergo feliciter curſu, ad ſanctorum Apoſtolorum ac martyrum conſortium, confeſſor Domini precioſus Remigius poſt mortem corporis glorioſè peruenit, ſicut atteſtatur Apoſtolica illi gratia collata, gens videlicet Frãccia, ad fidem Chriſti per eum conuerſa, & baptiſmi gratia conſecrata: martyrij palma, longanimitas patientiæ in longæuitate ipſius vitæ: confeſſionis gloria, orthodoxæ fidei prædicatio, & virtutum tam in vita ipſius corporis, quàm & poſt obitum præclara oſtenſio.

Flodoard. ibid. † Crucis huius inſcriptionẽ habes apud Flodoardum lib. 1. c. 17. [a] Feretrum immobile. [b] Tandem mouetur feretrum. CÆTERVM cùm funus ſanctiſſimum deferretur ad ſepulturam verſus Eccleſiam SS. martyrum Timothei & LXII. Apollinaris, ſecus Eccleſiam ſancti Chriſtophori martyris, in loco, vbi ex tunc & nunc † crux eſt poſita, & vbi multa miracula Deus poſtea pro S. Remigio oſtendit: ita [a] feretrum eſt aggrauatum, vt nullo modo quocunque ingenio, vel à quantiſcunque hominibus poſſet moueri. Et ſtupentibus omnibus, & petentibus Dei omnipotentiam, vt dignaretur oſtendere, in quo loco eiuſdem ſancti ſui corpus vellet reponi: deſignauerunt ad baſilicam præfatorum martyrum, & feretrum moueri non potuit. Propoſuerunt, vt ferretur ad Eccleſiam ſancti Nicaſij, & moueri non potuit. Propoſuerunt, vt ferretur ad Eccleſiam ſanctorum Sixti & Sinicij, & nec ſic moueri potuit. Tandem coacti, quoniam parua eccleſiola erat in honore beati martyris Chriſtophori, ſed nullum corpus nominati ſancti in ea iacebat, & in qua eiq́ue circumiacentibus atrijs ex antiquo erat cœmeterium Rhemenſis Eccleſiæ: petiẽrunt vt Dominus declararet, ſi in eadem eccleſiola vellet illud corpus ſanctiſſimũ poni. Et ſic [b] tanta facilitate motum eſt feretrum, vt nullum onus portantes ſentirent: Sepultum eſt autem illud venerabile corpus in eadem eccleſiola, vbi altare eſt in honore ſanctæ Genofeuæ, quæ familiariſſima extitit beato Remigio. Quod manifeſtum eſt actum fuiſſe diuina diſpoſitione, atque ipſius voluntate, vt ſicut res ſuo nomine adquiſitæ, iuxta ſacras leges epiſcopio Eccleſiæ Rhemenſis erant vnitæ: ita & quæ ipſius meritis erant de cætero acquirendæ, Rhemenſi Eccleſiæ, in cuius iaceret territorio, vnirentur.

Vide Greg Turon. de glor. cõfeſs. c. 79 Bar. anno 565. Pſal. 4. POST cuius obitum cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ deuaſtaret, & omnes Rhemenſis prouinciæ LXIII incolæ huius cladis terrerentur auditu, concurrit Rhemenſium populus ad ſancti ſepulchrum, congruum huius cauſæ flagitare remedium. Accenſis quoque cereis, lychniſque non paucis, hymnis pſalmiſque cæleſtibus per totam excubat noctem. Manè autem facto, quid adhuc precatui deſit, in tractatu rimatur. Repererunt etenim, reuelante Deo, qui ſanctum ſuum mirificari voluit apud homines, quem apud ſe mirificatum habebat, qualiter oratione præmiſſa, adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula munirentur. Aſſumpta igitur palla de beati ſepulchro, componunt eam in modum feretri: accenſisque [c] ſuper cruces cereis atque ſuper ceroferarijs, dant voces in canticis: circumeunt vrbem cum vicis, nec prætereunt vllum hoſpitium, quod non hac circumitione concludant. Quid plura? Non poſt multos dies, fines huius ciuitatis Rhemenſis lues aggreditur memorata. Veruntamen vſque ad eum locum accedens, quo beati pignus acceſſit, ac ſi [d] conſtitutum cerneret terminum, intrò ingredi vllo modo non eſt auſa: ſed etiam quæ in principio peruaſerat, huius virtutis repulſu reliquit. Qui beatiſſimus Pontifex, & in vita corporis, & poſt obitum, ſicut infirmis ſanitatum gratiam reddidit, ſic & in peruaſores ſæpiſſimè vltor extitit.

[c] Nota populi deuotionem.

[d] Eius deuotionis effectus.

Flodoard ex Greg. Turonenſ lib 1. hiſt. Rhemenſi c. 21. ERAT enim haud procul à baſilica campus tellure fœcundus (Tales enim incolæ olcas vocant) & hic datus ſanLXIV cti baſilicæ fuerat. Quem vnus è ciuibus peruadit, deſpiciens hominem, qui eum ſancto loco contulerat. Qui cùm ab Epiſcopo ac loci præpoſito crebrò conuentus fuiſſet, vt quæ iniuſtè peruaſerat, redderet: parùipendens verba, quæ audiebat, pertinaci direpta defenſabat intentione. Denique cauſa extitit, & non deuotio, vt properaret ad ſancti baſilicam. Arguitur iterùm à loci præpoſito pro peruaſione campi, ſed nihil dignum ratione reſpondit. Explicitisque negotijs, aſcenſo equo ad domum redire diſponit: ſed obſtat niſui eius ſacerdotis iniuria. Nam fauciatus à ſanguine, diruit in terram. Obligatur lingua, [e] quæ locuta fuerat campum tollere: clauduntur oculi, qui concupierant: manus contrahuntur, quæ rapuerant.

[e] Nota cæleſtem in ſacrilegum vltionem. TVNC balbutiens, & vix ſermonem explicare valens, ait: Deſerte me ad baſilicam ſancti, & quantumcunque LXV. ſuper me auri eſt, ad ſepulcrum eius proiicite: Peccaui enim, auferendo res eius. Adſpiciens autem dator campi hunc cum muneribus deferri, ait: Ne accipias, quæſo, ſancte Dei, munera eius, quæ nunquam cupidè accipere conſueuiſti. Ne ſis, deprecor, adiutor eius, qui inflammante concupiſcentia, rerum tuarum nequam poſſeſſor extitit. Nec diſtulit ſanctus audire vocem pauperis ſui. Nam homo ille licet iuſſiſſet dari munera, oſtendit ſanctus Domini, ſe illa non acceptâſſe. Vnde rediens peruaſor domum, amiſit ſpiritum, recepitque Eccleſia res ſuas.

[f] De tranſlatione S. Remigij. Flodoard. lib 1. hiſt. Rauen. c. 20 [g] Corpus moueri nõ poteſt. SEPVLTO ſiquidem, vt prædiximus, corpore [f] beati Remigij in Eccleſia ſancti Chriſtophori, cùm multa & ſtuLXVI penda miracula in eadem Eccleſia per merita eius, Domini gratia fierent, ampliata & exaltata eſt ipſa Eccleſia. Et facta crypta retro altare, in quam transferretur corpus ſanctiſſimum, effoſſum eſt de loco, in quo erat, vt in foſſam, factam in memorata crypta, deponeretur, ſed [g] nullo modo moueri potuit. Superueniente autem nocte, & pernoctantibus fratribus in hymnis & canticis, multis accenſis luminaribus, circa mediam noctem ſopor in omnes irruit. Et euigilantibus eis, Calendis Octobris cum ſanctiſſimo corpore ſepulchrum inuentum eſt, angelicis manibus poſitum, in foſſa cryptę, retro altare factę. Tantaque euigilantes odoris ſuauitate repleti ſunt omnes, qui adfuerunt, vt humana lingua hoc effari non valeat: & ſic per totam diem & in craſtinum ipſe odor in eadem Eccleſia perſeuerauerit. Ipſaque die tranſlationis eius, cum diuinis laudibus ſumptæ ſunt reliquiæ à corpore illius, de capillis videlicet eius, & caſula ac tunica ipſius: & inuolutum eſt corpus illius integrum, ſed exiccatum de brandeo rubeo.

Flodoard. ibid. [h] Pipinus rex flagellatur à S. Remigio. PROCESSV denique temporis Pipinus rex, Caroli magni pater, volens Epiſcopij Laudunenſis villam, quæ Ani- LXVII ſiacus dicitur, accipere quaſi ſub cenſu, ſicut & alias quaſdam fecerat, venit in ea manere. Vbi cùm dormiret, venit ad eum ſanctus Remigius, dicens: Tu quid hîc facis? Quare intrâſti in hanc villam, quam mihi te deuotior homo dedit, quamque ego Eccleſiæ Dominæ meæ ſanctæ Dei genetricis donaui? Et [h] flagellauit eum ſatis duriter, ita vt liuores poſtea in corpore eius parérent. Et cùm diſparuit beatus Remigius, Pipinus ſurrexit, ac valida correptus febre, quantocyus ab ipſa villa receſſit. De qua febre non paruo tempore laborauit. Et deinceps princeps regni, vſque ad moderna tempora, ibi non manſit, ſicut nec in Codiciaco vel Iuliaco, niſi Ludouicus rex Germaniæ, quando ſuper fratrem ſuum Carolum regnum eius inuaſit, in Iuliaco manſit, & in die craſtina, turpiter ante ipſum fratrem fugiens vix euaſit.

Flodoard ibid. NOSTRA ætate colonus quidam villæ Rhemenſis Epiſcopij, quæ Plumbea Fontana dicitur, manebat iuxta fiſLXVIII. cum regium, qui Roſetus vocatur, & nec peculium, nec meſſem, vel pratum propter fiſcalinorum infeſtationem quietè habere valebat. Vndè ſæpè iuſtitiam apud regios miniſteriales petijt, quam obtinere non potuit. Tandem inuenit ſibi ſalubre conſilium. Nam coxit panes & carnes, & accepit ceruiſiam in vaſculis, prout potuit. Quæ omnia in vaſe, quod vulgo benna dicitur, collocauit, & carro ſuperpoſuit: ſicq; iunctis bubus, candelam in manu habens, ad baſilicam ſancti Remigij properauit. Quò perueniens, de pane & carne ac ceruiſia matricularios pauit, candelam ad ſe-

ad sepulchrum sancti posuit,& eius auxilium contra opprimentes se fiscalinos expetijt. Puluerem quoq; de pauimento Ecclesiæ, quantum valuit,collegit,& in panno ligauit,& in prædictam bennam misit, & desuper linteum,sicut supra corpus mortui affectari solet,composuit,& cum carro suo ad propria remeauit.Quicunq; autem [a] de obuiantibus cum interrogabant, quid in illo carro duceret, respondit se S.Remigium ducere. Et admirabantur omnes in dicto & facto illius,putantes illum esse amentem. Perueniens autem [b] cum eodem carro in pratum suum, in eo pastores pascentes diuersi generis animalia de fisco Roseto inuenit: & inuocato sancto Remigio, vt eum contra oppressores suos adiuuaret, cœperunt boues & vaccæ cum maximis mugitibus inuicem se cornibus impetere, hirci hircos, capræ capras cornibus impugnare, porci cum porcis confligere, verueces cum veruecibus se collidere, pastores se fustibus & pugnis mutuò percutere. Et leuato maximo turbine,pastores eiulantes,animalia secundùm genus suum cum maximo sonitu & strepitu ita cœperunt versus Rosetum fugere, ac si maxima multitudo insequentium eos cum flagellis persequeretur. Quod videntes & audientes fiscalini,nimio terrore perculsi, non putauerunt se vel vna hota viuere posse. Vnde correcti à præsumptione sua, ab afflictione pauperis sancti Remigij adeò cessauerunt,vt postmodùm idem pauper homo pacificè & sine inquietudine possideret sua. Et quoniam iuxta fluuium Saram in loco lutoso manebat,maximam molestiam in suis habitaculis à serpentibus sustinebat. Qui accipiens [c] puluerem, quem de pauimento Ecclesiæ sancti Remigij colligens secum detulit, per sua habitacula sparsit, & postea serpens eis in locis, in quibus puluis sparsus fuerat,non apparuit. Quibus ostensis miraculis,certo indicio colligere possumus, quia si non hæsitantes in fide, in tribulationibus nostris auxilium S.Remigij ex corde petierimus,& ab angelorum satanæ, qui in serpente matrem humani generis allocutus deceperat, infestationibus,& à prauorum hominum improbitatibus, eius meritis & intercessionibus liberabimur.

[a] Nota piã rusticã simplicitatem.

[b] Vide cœlestem animaduersionem.

[c] Nota lector miraculum ex puluere. *Genes. 3.*

LXIX. Tempore Ludouici Imperatoris,duo fratres Franci forestarij eius,inuaserunt partem de sylua, quam in saltu Vosagi, vt supra ostendimus, sanctus Remigius in vita sua precio comparauerat, intra fines eius, dicentes quod plùs pertineret ipsa sylua ad fiscum Imperatoris, quàm ad partem sancti Remigij. Contradicentibus autem hominibus de potestate Remensis Ecclesiæ,vnus eorum altercando venit ad porcos suos, quos in eandem syluam ad pastionem miserat,inter quos lupum inuenit. Quem,[d] ascendens equum,velociter est insecutus. Et volens eum percutere,equo expauescente collisit caput ad vnum fustem de ipsa sylua,ita vt cerebrum illius in terram defluxerit: & mortuus est. Frater verò eius concitè pergens in partem alteram,peruenit a d quandam petram,& dixit: Omnibus notum sit, quia vsq; ad hãc petram est ista sylua Imperatoris. Et cùm percuteret eandem petram dolatoria,quam in manu portabat, exiliêrunt ab illa particulæ in oculis eius,& excæcatus est.Sicq; ambo receperunt mercedem præsumptionis &mendacij sui.

Flodoard. ibid.

[d] Pœna vsurpãtium res ecclesiasticas.

LXX. Qvidam vir nobilis de territorio Niuernensi,obtentis reliquijs B.Remigij, oratorium in eius honore in proprietate sua ædificauit:vbi Dominus multas virtutes per merita ipsius sancti sui ostendit.Cum autem defuncto Ludouico Imperatore,Aquitani gentilitia mobilitate absque iugo principis,prout quisque poterat,se efferre, & ad inuicem pugnare,ac per contiguos pagos debacchari cœperunt,pauperes homines substantiolas suas in Ecclesijs reponere studuerunt.Vnde confusi opinione virtutum,quæ ibi fiebant,ad saluandum sua in eodem oratorio quique poterant,certatim reposuerant.Audientes autem prędones idem oratorium multis plurimorum opibus refertum,aggressi sunt eas diripere.Quorum vnus obseratum [e] ostium pede percussit,vt seram effringeret, & mox eidem ostio pes eius adhæsit,& resupinus præsumptor in terram cecidit. Quod videntes alij,aufugerunt. Ipse autem miser cruciatu cogente,cum maximo eiulatu cœpit culpam suam fateri,& cum lachrymis amarissimis profiteri,quod si Deus per merita S.Remigij pedem illius ab ipso compede solueret, nunquam vlterius de ipsa vel de alia Ecclesia quicquam tolleret, vel tolli,quantum in ipso esset,vllo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella,& alia,quæ potuit,ad eandem Ecclesiam donauit: sicq; post confessionem & lachrymas atque professionem & votum, pes eius ab ostio,cui inhæserat, est solutus. Veruntamen postea de ipso arido pede claudus remansit,vsque dum computrescente crure ac fœmore,post diutinum laborem mortuus fuit.

Flodoard. ibid.

[e] Nota vltionem diuinam.

LXXI. Qvando tres fratres reges, Clotarius, Ludouicus, & Carolus,regnum post patris sui obitum inter se diuiserunt,episcopium Rhemense, quod tenebat Folco presbyter, Carolus inter homines suos diuisit, villam Iuliacum Richuuino in beneficium dedit. Cùm autem vxor illius,nomine Berta,in cubiculo villæ ipsius iaceret, venit,ad eam sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad iacendum.Alterius meriti & officij debet esse,qui hanc villam habere,& in hoc cubiculo iacere debet. Surge quantocyus, & hinc abscede. Quod illa paruipendit,putans se visum inane videre. Altera vice venit ad eam sanctus Remigius,& dixit ei: Cur hinc non abscessisti,sicut tibi præcepi? Vide ne ampliùs te hîc inueniam. Quod illa vt priùs,pro nihilo duxit. Tertiò,vt venit ad eam S.Remigius, dixit: Nonne iam semel & secundò tibi præcepi, vt hic abscederes? Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscedes. Et percussit illam virga,quam tenebat in manu. Quæ toto corpore in maximum tumorem [f] conuerso, quod vidit,viro suo Richuuino & alijs quam plurimis dixit, & per aliquantos dies seueriſſimè cruciata, vitam finiuit. Cuius corpus vir eius in Ecclesiam sancti Remigij deportari,eamq; ibidem sepeliri fecit. Mirantur quidam, quod cum vindicta mortali illam de prædicta villa expulit,& corpus eius in Ecclesia sua sepeliendum recepit. Quod nemo mirabitur,si perpenderit,[g] qua intentione sancti vindictas in delinquentes exerunt: Videlicet vt si se recognouerint, hîc recipiant, quod merentur,ne post mortem æternis supplicijs crucientur,sicut in libro Regum legimus de propheta illo, qui inobediens ori Domini extitit,& à leone percussus interijt:& post vltionem perceptam,à leone corpus illius intactum permãsit. Si autem hic se non correxerint, in quos vindictæ procedunt, vt alij de flagellis eorum emedentur, & metuentes corrigantur,sicut scriptum est: Mulctato pestilente,sapientior erit paruulus. Causantur etiam aliqui, quoniam S.Remigius nunc in rerum suarum inuasores, & familiæ suæ oppressores non vindicat, sicut præcedentibus temporibus egerat,vsurpantes Psalmi versum: Signa,inquiunt,non videmus,iam non est propheta, & nos non cognoscet ampliùs. Sed non hinc causandum, verùm dolendum atque timendum est, quia impletur nostris,quod prædictum est antiquis temporibus.Scriptum est enim in Apocalypsi: Factus est sol vt saccus cilicinus.In extremo quippe nostro tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur: quia fulgens vita prædicantium, ante reproborum oculos aspera & despecta probatur,& sanctorum miracula per contemptum peccantibus,iusto iudicio subtrahuntur, sicut scriptum est: Ne quando conuertantur,& sanem eos:quatenus plenius obruantur supplicijs, qui nunc gaudent etiam in delictis. Veruntamen hic sanctus imitator Domini sui, qui non omnia vindicat, vt eius ostendatur patientia: nec omnia inulta dimittit,vt eius probetur prouidentia:licet non tam frequenter exerat in pernicioſos vindictam,non vsquequaque inulta nostris temporibus deserit præsumptorum piacula.

[f] Aliud horrendum.

[g] Cur sancti sese vlciscãtur. 3 *Reg.* 13. *Prou.* 21. *Psal.* 73. *Apoc.* 6. *Esaiæ* 6.

LXXII. Nam [h] Blithgarius quidam nuper mansum de thesauro Ecclesiæ in villa Tenoilo precio apud Bernardum custodem obtinuit,vnde famulos sancti Remigij cum flagellis eiecit.Conclamantibus autem eis sanctum Remigium,vt eos adiuuaret, idem Blithgarius cum irrisione illis respondit: Modò patebit, qualiter vos sanctus Remigius adiuuabit. Videte quomodo in adiutorium vestrum venit. Et inter hæc verba cum maximo clamore ingemuit, & incredibiliter inflando intumuit, sicque medius crepuit, & mortuus est. Quibus auditis, diuinam in nobis vindictam pertimescentes, blasphemiam in Deum & sanctos eius magnopere caueamus, studentes ne ecclesiasticam familiam crude-

[h] Cõtigisse hoc, tempore Hincmari prælulis vitæ huius scriptoris, refert Flod. loco citato.

crudeliter tractemus,& ne contra mala proximi,pertrahamur ad retributionem mali, vel ad liuorem odij:nè per tentamenta diaboli,ad delectationem vel consẽsum peccandi:ne contra flagella summi opificis, proruamus in excessum murmurationis.Licet enim non fiant nobis tam frequentia ac reuerenda per hunc seruum suum miracula,tamen certi esse debemus:quia non subtrahit ciuitati suæ ac nobis ciuibus suis continua intercessionis suæ auxilia,sicut de Ieremia legimus.Hic est,inquit,fratrum amator,& populi Israel:hic est,qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate Ieruſalem.

2 Mach 14.

[a] De secunda S. Remigij translatione ab Hincmaro facta. Vide Flodoard. li.1. cap 21. hist.Rhem. & lib.3. c 9.

ANNO[a] incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo secundo, nuper adhuc ampliata ipsa Ecclesia,cum de loco cryptæprioris,sepulcrũ vnà cum beati Remigij corpore translatum est in cryptam, maiori & pulcriori opere factam,ipsum corpus sanctissimum,sicut & in anteriori translatione, ab Episcopis Rhemorum diœcesis integrum inuentum est, & brandeo rubeo inuolutum. Et cùm de ipso sepulcro in locello argenteo est transpositum pars de ipso brandeo cum sudario quod fuerat super caput eius,assumpta in scriniolo eburneo,secus altare sanctæ Mariæ in ciuitate honore debito veneratur.Locellus autem argenteus,cum corpore ipsius sancti,sepulcro marmoreo, in quo ante iacuerat,superpositum fuit,& reliquiæ,quæ ad caput illius extra sepulchrum repertæ fuerant,in sepulcro,in quo iacuerat,à præfatis Episcopis fuerunt positæ Cal.Octob.Quo Calendarum die & altera eius translatio ante plures annos fuerat celebrata. Cum autẽ sanctissimum corpus eius de sepulcro in prædictum locellum argenteum translatum fuit.Rado tunc subdiaconus Ecclesiæ Suessonicæ,qui cũ episcopo suo Rothado illuc conuenerat, iam per annum integrum dolore dentium adeò die noctuq; vexabatur,vt sensum præ nimio dolore metueret perdere.Qui,dum Episcopi in[b] compositione sancti corporis intenderent,maxillam in qua dolore vexabatut,loco in quo corpus sanctũ iacuerat,apposuit:& mox ab ipso dolore liberatus,deinceps dẽtium dolorem non sensit, sicut post vigintiquinq; annos idem referre curauit.Et ipso die in quodam oratorio,vbi memoria beati Remigij colitur, in pago Ribuario, duo contracti sanati fuerunt. Ex[c] tempore quidem primæ ac secundæ translationis,sicuti & ante, multæ & insignes virtutes in eodem loco per ipsius sancti merita ex diuersis infirmitatibus sunt operatæ. Quas quidem habemus descriptas, sed hîc propter pluralitatem,& quia sæpius ibidem ostenduntur,omisimus ponere.

LXXI-II.

[b] Miraculũ.

[c] Item aliud.

QVIA ex digestis virtutibus abuntandissimè claret,quàm insigni illum Dominus gloria & honore dignatus sit coronare,& vt erat in conspectu eius,mirabilem hominibus demonstrare:de quibus, fratres charissimi, breui epilogo quædam commemoremus:vt contemplemur,qualiter hic beatissimus patronus ac protector noster,sanctorum,tam veteris,quam noui Testamẽti,patrum spiritu,scilicet diuersitate operationũ, vnius eiusdemq; spiritus à diuersis accepta, viuens in corpore plenus fuerit,& post obitũ consors miraculis claruit. In eo nanq; quod cælitus prænunciatus, & ex nomine designatus extitit,repræsentatos nobis Isaac patriarcham & Iohannem Baptistam videmus:In eo, quòd sanctificatus necdùm natus,& ab adolescentia in reclusione,populi deuitauit præsentiam, item Ieremiam & Iohannem Baptistam:In eo,quòd ab Episcopis prouinciæ Rhemensis & clero ac populo electus, & signis super eum diuinitus ostensis est ordinatus episcopus, Matthiam, qui ab apostolis & cæteris fidelibus electus & oblatus Domino, diuina est sorte ordinatus Apostolus:In eo, quod inter amarissimos huius seculi fluctus, meritorum atq; virtutum,orationum ac prædicationum remigio sanctam ecclesiam ad portum æternæ lucis gubernauit, Noe, qui arcam, præsignantem ecclesiam,in diluuio erexit. In eo, quòd splendida facta est eius facies de præsentia Christi, Moysen. In eo, quòd inter flammas & residua,quæ necdum ignis vorauerat,stetit,& incendium se transire prohibuit, Aaron. In eo, quod rebus insensibilibus maledicens, cultores earum damnauit sterilitate, Dauid.In eo, quòd tria millia virorum, prædicatione sua conuersorum,vigilia sancti Paschæ baptizauit,& puellam à morte resuscitauit, beatum Petrum qui in sancta Pentecoste totidem millia Iudæorum ad fidem conuertit,& baptizari fecit, & Dorcam à morte resuscitauit. In eo,quôd ferocissimos Barbaros à feritate sua mitigauit,& Rhemis ad baptizandum concluſit, quibus post sacrum baptisma panem cæli & spiritualem potum dedit,Eliseum,qui hostes venientes in Samaria concluſit, quibus cibum & potum dari præcepit.In eo,quòd paruissimos liquores superabundari fecit,Eliam,& item Eliseum.In eo,quòd regi Lodouico prædixit prophetico spiritu,quæ sibi suisq; posteris erant ventura,Esaiam,qui regi Ezechiæ, quæ illi suisq; erant futura,prædixit.In eo,qud longè positus corpore,præsens spiritu,obitum regis cognouit, itidem Eliseum, cuius cor præsens erat,quando Naman in occursum Giezi de curru suo descendit.In eo,quòd reuelante sibi sancto Spiritu famẽ futuram prænoscens,prouidentiam quomodo laboraturo fame populo subueniret,adhibuit,Ioseph.In eo, quòd vt iustus iustificaretur adhuc,corporaliũ lumen oculorũ aliquandiù amisit,& postea visũ recepit, Tobiam. Sed & quia vitis veræ palmes fructum ferens,purgatus est,quô fructum plus afferret, cum oculorũ mentis lumine, quod non amiserat,lumen corporalium oculorũ,quod aliquandiù amiserat,in tentatione patiens & laudes referens, post tentationem aũt probatus,lumine corporaliũ oculorum recepto,vt in amissione,Dominum benedixit, Iob considerauimus:qui patiens in tentatione, nomẽ Domini benedixit,& post tentationem probatus,duplicia sua possedit. In eo, quòd die sui recessus cognito,per Missarum celebrationem suis valefecit ac obijt, beatum Iohannem Apostolum & Euangelistam.In eo,quòd palla sepulcri cladem inguinariam restrinxit ac repulit, egregium Paulũ, cuius sudario ac semicinctijs sanabãtur agroti.In eo,quod zelo iustitiæ & viuens in corpore, & post obitum in delinquentes vindictas exercuit,item Moysen,Phineen,Iosue & Eliam,Petrum Simonis Magi,Ananiæ & Sapphiræ percussorem,& Paulum Elymæ magi excæcatorem.In eo,quod sanctissimum corpus eius prius in designata nutu diuino Ecclesia sepultum,& postea angelico ministerio de loco ad locum est deportatum, Abacuc Prophetam, qui manu angeli de Iudæa super lacum Babylonis est deportatus,indeq; in Iudæam reuectus:& Moysen qui à Domino,angelico vtiq; ministerio, fuit sepultus:cuius sepulcrum sicut nemo vsq; in præsens nouit, ita cuiusmodi ordine sepulcrum istius sancti translatum fuerit,nemo cognoscit.

LXXIV

Gen 17. Luc 1. Ierem 1. Luc 1. Act 1. Gen 7 Exod.34. Num 16. 2.Reg.1. Act 2.& 9. 4.Reg.6. 3 Reg.17 4 Reg 4. 4 Reg 20. 4.Reg 5. Genes.41. Tob.2 & 11. Iob 1 & 42. Act 19 Act 5. & 13. Dan.14. Deut. 34.

VERSVS INSCRIPTI SEPVLCHRO S. REMIGII.

HIC famulus Hincmar Domini,sacra membra locauit
Dulcis Remigij,ductus amore pio.
Qui priùs est sanctus,mundo quàm matre creatus,
Et magnus dictus cælitus ore Dei.
Bis denos binosq;,gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul bis septem manserat annis
Istius vrbis honor,præsul,& orbis amor.
Vitam defunctis reddens,quoq; lumina cæcis.
Egerat & viuens plurima mira satis.

Nam

Nam domuit fera corda, animo pius, ore profusus,
Sicambra gentis regia sceptra sacrans.
Nonagintа quidem sex cùm compleuerat annos,
Splendida lux nostras deseruit tenebras.
Idus iam plenas cùm Ianus mensis haberet,
Emeritus miles præmia digna capit.
Isdem Hincmarus prius hac in sede Sacerdos
Post triginta loco constitit & numero:
Cui sextus decimus sub hac radiante lucerna
Remigio Remis munia cara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
Pastoris curam, hac recolenda patrans.
Octingenteno quinquagenoq; secundo,
Quo Deus est anno virgine natus homo:
Tertius & Carolus regni componeret actus,
October primam cum daret atq; diem.
Ac tercentenus octauus tangeret annus,
Hic iustus Domini quo petit astra poli.
Tercentum fuerant tres & deni quater anni,
Quo vitæ Francos gurgite lauit ouans.
Ipsius is precibus cælesti in sede locetur,
Quem terris coluit verus amator. Amen.

LXXVI. Accidit[a] autem postea, peccatorum meritis exigentibus, vt Dominicę Incarnationis anno DCCCLXXXII. Carlomanno regnante, prædicto Domino Hincmaro Archiepiscopo satagente, transferretur venerabile pignus corporis huius sacratissimi patris & domini nostri Remigij, propter infestationem paganorum, ad villam ipsius iam supra taxatam, nomine Sparnacum, quia ciuitas Remorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. Cuius obtentu totius tunc pagi, ad quem delatum munus hoc habetur amantissimum, prouisa probatur salus à peruasione Barbarorum, vel incursu prædonum. Post Hincmari deniq; pontificis obitum, desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum ad Orbacense perducitur monasterium. Hic quoq; beatissimi huius patroni nostri suffragijs omnis commoditas aeris circumquaque degentibus attribuitur incolis, cum insolita fertilitate telluris.

[a] Aliç S. Remigij trãslationes ex Flodoar. li. 1. hist. Rhemens. c. 21. Vide Aim. lib. 5. ca. 61. Flod. li. 3. c. 30 hist. Rhẽ.

LXXVII. Post[c] decessum verò sæpedicti Præsulis Hincmari, cum pontificatus subijsset honorem Fulco, sui primo præsulatus anno referre decreuit alma beatissimi patris nostri ossa. Quod vbi aggreditur, perueniẽte iam eo cum Coepiscopis & cleri plurimis ad locum, vbi pignus seruabatur pretiosum, cum esset magna cœli serenitas, sed feruens admodum siccitas, subitò se tantus effudit imber, vt totius huius superficiem terræ videretur vbertim irrigasse. In crastinum verò, dum sacra referre promouent munera, cuncta clara, cuncta iocunda, cuncta mundanæ speciei redduntur amœna. Prosperoq; progressu, confluentibus vndiq; populis, ad vicum deueniunt Calmiciacum, in quo nonnulla pater hic eximius, adhuc carne septus, virtutum dinoscitur exhibuisse magnalia. Hîc membra veneranda in Ecclesia deponentes eius nomine dedicata, noctis quiete fessa leuant corpora.

[b] S. Remigius Sparnacum transfertur.
[c] Inde ad Orbacẽse monasterium.
[d] Hincmar. obiit anno 882 post cuius decessũ Fulco S. Remigium referre decernit.

LXXVIII. Post requiei subsidium, iam terras Solis illustrante iubare, voces vndique Deum benedicentium concrepant, atque laudantium, quòd eis pastorem, patronum, ac protectorem redderet corporaliter proprium, quẽ semper apud diuinam clementiam intercessorem, & assiduum se habere confidant aduocatum. Præfatus interea Præsul cœlestium sacramẽtis mysteriorũ ritè celebratis, imminentis iuga cum laudibus scandit montis, comitantibus vndiq; secus populorum stipatus cateruis. Hic vbi pro populi delictis, & iræ mitigatione cœlestis ad Dominum fudisset orationem, paululumq; processissent, adhuc clarificare Christus, mirificare, atq; glorificare disponens hunc beatissimum patrem nostrum in terris, quem magnificare cum Angelis elegerat in cœlis, quanti sit apud se meriti concurrenti propalare decernit multitudini.

LXXIX. Accedit[d] itaq; mulier cœca, nomine Doda, manu sibi gressus regentis innixa, quæ mox vt dominus adpropetrat, visum sibi restitui coram omnibus impetrat. Quod Præsul audiens, hymnum laudis Dei cum populo, magno repletus gaudio, concelebrat. Necdum finierant odas exultatione cœlum replentes: & ecce frustratus quidam multis gressu diebus cum integra procedit incolumitate lætabundus.

[e] Mitacula p intercessionẽ S. Remigij in via patrata.

LXXX. Transiere cum laudibus inde pahlisper: & mulier quædã manuum potita sanitate succedit. Duplicant ergo, triplicantq; comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quiq; mirabilium magnitudine, tãtisper à tanta deliberant secedere sanctitatis sublimitate. Nec[e] vox reciproca laudantium defecerat ab ore, dũ puer quidam, Grimoldus nomine, diu lumine priuatus, os quoq; miserabiliter à rectitudinis loco distortus, inuisaq; deformitate turbatus, à parentibus obuiam delatus, pristinum quem dudum amiserat visum est consequutus, & in propriam sanctissimi patris huius opitulatione mirabiliter est effigiẽ restitutus, Interiecto[f] velut vnius horæ spatio, puer alius à contractione corporis eiusdem patroni suffragijs feliciter est erectus. Cohors igitur deuota melodijs Dauidica nequaquam sufficiens reboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudum voces, eliciente gaudio lachrymis ora rigare profusis, & suspiria, singultuq; formare pro canticis. Concurrentium quoq; nimia stipatio plebium, sacri muneris gerulum deosculari gestientium loculum, importunitate valida vehentium cœpit figere gressum. Mirorum siquidem, quæ gerebantur, percrebrescebat opinio: certatimq; tam sani, quàm diuersis calamitatibus attriti, properare studebant, cupientes intueri magnalia quæ Dominus omnipotens in Sancti sui clarificatione multiplicare proposuerat. Pro magno namq; sibi damno quisq; reputabat, immo delictum deputabat, non modò si non procederet, verùm si postremus accederet. Approperantes autem ciues obuiam, dum grata deferri cernunt munera, terræ se prosternentes, soli deosculantur terga. Suspicientesque, vbi contemplantur loculum pretiosæ diuini diadematis gemmæ baiulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt: obsecrantes ne amplius eiusdem patris affici censeantur absentia; quin perpetua mereantur gratulari præsentia. Pater interea beatissimus filiorum deuotioni prælaris fauens nutibus, addit adhuc diuinis plebem suam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dum clerus cum sacerdotibus psalmis, hymnis, & canticis intonant spiritualibus, populus etiam iubilationis immensæ reboat vocibus, vt mirabilem Deum in Sanctis suis iucundioribus adhuc præconarentur anim s, pristinam multitudo languentium sospitatem manifestè cõspicitur recuperare, leuatis pluribus varia peste corporibus. Adeoq; per singula pene momenta cœlestia pandebantur miracula, vt ad hæc locorum vel temporum vix enumeranda censeri valerent interstitia.

[f] Gtimoal. puer visum recipit.
[g] Aliud miraculum
[h] Populi deuotio erga S. Remig.

XCI. Tvnc[h] igitur Osanna quædam mulier, cum admiratione gaudentium, celeri meruit prosperitate recipere visum: & post pusillũ [i]claudus quidã felici munere consequitur gressum. Deodata quædã patefactis auriũ ianuis adipiscitur auditum.

[i] Osanna visum recipit. Alia mirac.

auditum. Quidam nomine Teuto desiderabili potitur illuminationis dono. Item quædam mulier eodem gauisa lætatur beneficio Similiter Ansoldus quoq; lumine, quod nimio flagrabat assequi desiderio, fido ceu credidit animo, patris huius pijssimo perfruitur suffragio. Quidam Gerbertus paralysis est à dissolutione sanatus. Quidam quoq; alius eiusdem muneris exultat hîc largitate perfunctus.

LXX-XI. CVMOVE certatim quiq; studio piæ deuotionis obuiam studerent occurrere, ac non modo benigni cordis intẽtionem, quinetiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuiq; facultas suppetebat, afferrent, mulier quædam pauperc̃ula de ciuitate proparans in occursum, manu cereum ferebat, qui accensus nunquam fuerat. [a] Mirabile dictu subitò cælitus nutu diuino cereus in manu gerenris est illuminatus. Ipsum quoq; dum per totam defert illa viam, Dei confitendo miraculum: nequaquam superni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignora patris in stationis propriæ perferrentur domum: Sicq; à Pontifice solennia celebrarentur Missarum. Tunc fœmina cereum lumine flagrantem mirabili basilicæ tradit custodi, qui ob supernæ gratiæ quod contigerat gaudium, luminaria quæcunq; per Ecclesiam videbantur ardere mandat extingui, lumineq; diuinitus hoc dato rursus accẽdi: huius vero partem cerei cælo dati miraculi decernit in testimonium reseruari.

[a] Cereus diuinitus accenditur.

LXX-XII. ROTGARDIS [b] quædã fœmina de pago Castricio gradiẽdi carens officio pristinæ gaudet cum incolumitatis dono: vt quæ plaustro deuehẽte fuerat adducta, proprijs postmodum pedibus remeare valeret ad sua. Prꝛterea mulier quædam secum paruulam sex annorum fere defert filiam, nomine Vvlfidẽ, quæ dum quadam die cum coæuis luderet, ab aliqua transeunte fortè muliere percussa fuerat in capite. quo ictu læsa, ita vt eius retro reflexũ inhærere ceruici videretur occipitium, nec in aliam caput reclinare partem valeret: cibi vero nullam nisi liquidam sumere sustentationẽ posset: quæ integrum sub tali ferme labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligens tenero, deq; salutis ipsius sollicita recuperatione, studuit obuiam deducere, du··q; cominus ob densitatem multitudinis non valet accedere, procurat aliquantulum vulgus antecedere. Mox in via, per quam iter erat agendum, sese prosternẽs simul cum sobole, fulta valida fide, prece ad Deum deuota dirigit mẽte. Necdũ ab oratione cessarat: & ecce ipsius cæpit vociferari filia, quam genitrix, vt maternis consoletur blanditijs surgens, intuita, caput eius ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeasse. Tunc nimia hilaritate repleta, sed & de prolis sanitate confisa, perlustrans vulneris locum, cernit sanguine madidum, neruosq; diù contractos ac si funes extẽdi productos. Sic accepta misericordiæ quam quęsierat benedictione, domum læta cum gratiarum reuertitur actione.

[b] Alia S. Remigij miracula.

LXX-XIII. HAC igitur dignitate clarificationis, & rerum gestarum admiratione cohors stipata, votoq; gratulationis, arreptum toto feruoris iter annisu cum canticis hymnisq; percurrere satagebat. Præcesserat equidem Præsul; sed reuersus cleri comitantibus choris preciosissimum proprijs thesaurum sumit humeris; & sic ad ipsius propriam beatissimi domum patris cum magna perfert gloria iubilationis. Ast vbi peruenitur in Ecclesiam, quæ competere visa sunt rite dispositis, inchoata iam victimæ spiritalis immolatione, mulier quædam de pago Trecassino [c] membrorum omnium agitatione mulctata, veniens coram altari ruit in pauimento: ibiq; miserabiliter diù vexata, huius pijssimi consolatoris miseratione surgit incolumis effecta. Quæ super euẽtu tantæ consulta calamitatis, necem se propriæ confitetur perpetrasse matris. Missarum deniq; solennibus ex more peractis, sua quiq; repetunt reuersuri mature in crastinum, ad hoc tutelæ suę prꝛsidium inciuitatem perferẽdum. Mane [d] iam facto, dum ad condictum studiosè contẽditur, Erluidis quædam mulier, haud procul ab vrbe degẽs, ad tantæ processionis spectaculũ disponebat exire, quatenus optatæ sospitatis vti mereretur munere, quæ quia iam per quinquẽnium languore pressa partẽ corporis dextram prꝛmortuam, peneq; gestabat inutilem, nisu quo poterat accedere, & ad visẽdum sacri muneris huius loculum sese molitur promouere. Cumq; tali conamine iam fere medium peragrasset itineris huius spatium, non valens vltra procedere, graui corruit confecta labore. Meditatur domum redire: sed nequit hoc vllatenus adimplere, quæ postquam hac aliquandiù nutans iacuit hæsitatione: demum resumpto moliminis ausu temptat an valeat adhuc aliquantulum propinquare. Moxq; diuina miserante clemẽtia vigor ægris additur nisibus: viribusq; cum salubritate receptis, libera festinans celeritate, nimiaq; tripudians hilaritate, quò decreuerat ægrota se trahere, agili cœpit incessu gaudens approperare. Infirmitatis etiam suæ solamẽ manu ferens baculum, iter peragit destinatum: non vt eius amplius egeret auxilio: sed vt id in huius datæ sibi sanitatis responderet testimonio. Peruenienq; quò desiderauerat, laudabunda deuotas interuẽtori suo rependit gratias. Hicq; prꝛlatum dimittẽs bacillum, priscæ calamitatis suę solatium, alacris iam, nec opis huius indiga, repetit iter emẽsum, referens læta quæsitum diuinæ consolationis suffragium.

[c] Trecassina quædã dam ãem brorum agitatione curatur.

[d] Erluidis quæ quinquennio decubuerat, dum ad capiam S. Remigij pergit, sanitati restituitur.

LXX-XIV. ADVENIENS [e] itaq; Pontifex cleri magnatumq; stipatus agmine, victima salutis oblata, vestibus albis indutus, cum choris psallẽtium, gratissimum deducit ad mœnia ciuitatis thesaurum. Illis autem feliciter eò progredientibus, & gratanter ad destinarum locum tendentibus, omnipotens Deus in huius charissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abundè dignatus est effundere: vt vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa pene momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nam tantam Dominus hîc operatus est hac die miraculorum magnitudinẽ: vt viri quatuor, fœminæ verò nouẽ visum, viri quoq; duo gressum recipere mererẽtur. Cum huius itaq; prælatæ gratulationis admiratione in ciuitatem ad Ecclesiam Dei genitricis prosperrima peruenitur exultatione. Sicque [f] lucerna hæc lucens & ardẽs æternaliter in altaris sistitur crepidine. Dum Præsul igitur ad sacrandum viuifici munus accedit mysterij, quis tam ferreum pectus, tam lapideum cor gessit, qui non gemitus ederet, pectus tunderet, lacrymas funderet, dum tam stupẽda diuinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam cælitus hic ea die profusam! Nemo reuera qui valeat expedire sermone, quot ægrotantes sanati, quot tituban tes erecti, quot ipsa die diuersis hîc sunt cladibus absoluti.

[e] Corpus S. Remigij in vrbem infertur.

[f] In Ecclesia B. Mariæ virg repo nitur.

LXX-XV. POST expleta mysticorum discedẽtes sacra maturabant quiq; repetere sua. Sed [g] inter abscedẽdum minax oriri teritatio: nubes teterrimæ, terribileq; consurgere, truculenta polum caligine claudere, micare fulgura, concrepare tonitrua, grandoq; solum verberare cœpit non minima, quo terrore percussi rediere plurimi, clementiam deprecantes altissimi, quatenus huius intercessione patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem incusserat, immutari, nubium clarescere tenebrositas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, cunctaq; sedari cœpit ac dissipari tempestas, & ex truci conuersa in exoptabilem pluuiam grandine, telluris vbertim superficies, quæ nimio solis exusta feruebat ardore, perfusa fœcundo salubriter refouetur humore. Sicq; manifestè dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio salutis immutata subsidio. Deniq; benignissimi patris huius solatio totius diræ pestis nostris videtur finibus eliminata corruptio: salubris aër, pluuia data congruens: timor etiam, qui regnum peruaserat, hostilis in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

[g] Tẽpestas meritis S. Remigij sedatur.

LXX-XVI. HAC eadem præfata scilicet illationis sacri corporis in vrbem die, tingui feruida iam solis Oceano rota petente, quidam Niuolus [h] nomine: de villa quæ vocatur Dominica, Rhemorum montis in latere sita, surdus & mutus, manibus quoq; per annos nouem debilis, ac pedibus, qualicunq; per totam diem valuit conamine, ab ipsius surgẽtis auroræ lumine, per quinq; fermè passuum repens milia, vix ad ipsius ædis sepulcri limina quasi decima tandẽ peruenit hora qui dum veniens sacrum corpus ibidem non adesse comperisset, templiq; fores seris diligenter obfirmatis clausas perspiceret, cadens in faciem super terram, quadam prꝛsumptionis importunitate, sanctitatis aures clandestino cœpit clamore

[h] Niuolus manibus & pedibus no uem annis debilis, ad S. Remigiũ repens, curatur.

more pulsare, tam magno se conquerens labore fatigatum, nec sibi fore permissum videre saltem loculum sacri pignoris baiulum, qui tamen eius sibi posse subuenire celsum nequaquam diffideret præsidium. Talia denique dum tacita secum volutat mente, salutis vigor ipsius per membra quæque sensim cœpit irrepere, priscasque stupet simul omnium se vires sensuum recuperare. Cumq; rumor operationis huiusce quibusdam nunciantibus aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrunt, admiranda Dei magnalia lætantes aspiciunt, ouanter hominem ad locum venerandi sepulcri perducunt, campanas pulsant, lætabundis Deo laudes vocibus intonant. Huius miraculi permoti fama quamplurimi, domum petunt Ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei, videtes vt audierant diuinorum signa virtutum, manibus gratanter in cœlum porrectis benedicunt Dominum. Quod diuæ benignitatis miraculum valdè tũc profuisse dignoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deseri tanto querebantur patrono. quibus tamen speciaLXXXVII. liter se non deesse, tali pietatis patratæ declarauit indicio.

In Ecclesia [a] quoq; beatæ Dei genitricis, vbi venerabile patris huius seruabatur pignus, nonnulli diuersis ægroti sunt interim curati languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdenaco; mulier etiam quædam dicta Teutberga; item mulier altera nomine Guntildis, huius patrocinio patris visum recipere meruerunt. alia quædam quoque mulier vnius oculi visum in eadem domo recuperauit amissum. Quædam præterea puella [b] cognomine Flotgildis, ex villa, quæ vocatur Caucella, secus Libram riuulum sita, quatuor circiter ætatis annos gerens, lubricando prolapsa vtrunque sibi genu debilitauerat: ita clauda facta, vt omninò, nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere. quã parentes eius, quamuis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diuersas deferre Sanctorum curauerunt Ecclesias. Ast vbi iam per duodecim ferè annorum spacium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium doloris posset inuenire; comperiens de relatione sacri corporis, operumq; miraculis, quo valuit nisu repere cœpit; nec se carpẽto permittit imponi, sed tractu prout valet illud agere gestit iter. Ad templum verò perueniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fusis Domini clemẽtiam votis pro sui flagitat liberatione, sed & proprijs tertur pauimenta lacrymis humectasse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuò precibus incumberet, diuina sibi gratia superueniente, vim medicinæ vix valens ferre, magnis cœpit vocibus strepere, & eiulatus acerbos edere: sicq; nodis neruorum resolutis, omniumq; poplitum contractione relaxata, vnius horæ fermè spatio, viribus exhausta iacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de graui euigilans somno, vbi supernum sibi sentit obuenisse beneficium, pignoris almi petit loculum, cuius gratia sibi contigisse non hæsitabat remediũ. Dehinc gratias hîc agens, ibidemque degere gratifica decernens, & precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidiè libaminis offert oblationes.

[a] Alia miracula.

[b] Flotgildis clauda curatur.

LXXXVIII. Fvit autem Remis in præfata Dei genitricis Ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigij, dum præmemoratus Antistes dominus Fulco præsulatus fungitur officio: scil. vsq; ad Episcopatum venerabilis [c] Heriueri Archiepiscopi, qui cessante Normannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem supernum propria sepulturæ ipsius referre decreuit intra mœnia, quòd dum conuocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare dominus eius non distulit clarificationem suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi cõfluentis stiparetur caterua, postquam sunt vrbem egressi, quidam claudus & ariditate neruorum poplitumq; contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens per terram se tantummodo trahebat, vt poterat. vbi secus vrbem veniens iter ad Sancti basilicam inchoasset intendere, diuina tactus potentia, compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem erectum, gradientem, collataq; sibi prosperitate gaudentem. In eo verò loco, vbi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna, cruce præfixa glorificationis huius continens monimenta. Sed & tam prius creberrimè, quàm postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis eius sepulcri decoratur Ecclesia, quæ nequaquam literis habentur comprehensa. sunt namque multimoda.

[c] Heriuens Archiepisc. anno 900 Fulconi succedit.

Testamentum à S. Remigio conditum, habet Flodoard. in hist. Rheinensi lib. 1. c. 18. & Brisson. in formulis. Vitam eius, ijsdem pene verbis, paraphrastice paucis hinc inde additis, descriptam, reperies apud eundem Flodoardum lib. 1. c. 10. & sequentibus.

ENCOMIVM EIVSDEM S. REMIGII, PER HINCMARVM ARCHIEPISCOPVM RHEMENSEM.

I. Ideamvs etiam quomodo hic B. pater & pastor noster benedictionibus sibi à legislatore Deo datis, ipsius auxilio in seculi huius conualle lachrymarum ascensiones in corde suo disposuit, & de virtute in virtutem gratia Dei prouectus excreuit, vsquequò eum, quem semper desiderauit spiritu, facie ad faciem videre promeruit. Idem namque Dominus in Euãgelio dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quod quasi exponens Apostolus, dicit: Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Quia in illa æternæ [d] beatitudinis vita non dispari, vnusquisque iuxta dispar meritum locum disparem percipit, sed eiusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi quantum perceperit, sufficit. Et catholica doctrina didicimus, quia distinctæ conuersationes hominum singulorum agminum cælestium ordinibus congruunt, & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputantur.

Psal. 83. Ioan. 14. 1 Cor. 15

[d] In æterna beatitudin. quisque secundũ meritũ mercedẽ accipiet.

II. Nam sunt plerique, qui parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua piè annunciare fratribus non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et B. Remigius, licèt multiplex scientia Dei dono in eo esset, vt fidelis seruus & prudens, conseruis suis in tempore mẽsuram tritici, id est, pro captu audientium ministrauit, & secutus Apostolum, prius barbaris lac potum dedit non escam. Et teste Malachia, quia sacerdos angelus Domini est. Vnde & [e] sanctus Remigius sacerdos magnus Angelorum consortium meruit.

[e] Hominũ ministeria, cum Angelicis comparat officijs. *Luc 12. 1 Cor 3. Malach 2.*

III. Et sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere referti, sacramentorum cælestium summa & capere præualent, & nunciare. Quò ergò isti, nisi inter [f] Archangelorum numerum deputantur? Et B. Remigius sapientiam loquens inter perfectos, quando malè sentientem hæreticum de vero Dei filio in Synodo Catholicorum Episcoporum conuertit, in Archangelorum numero meruit deputari.

[f] S. Remig. Angelorum consortium meruit.

IV. Et sunt nonnulli, qui mira faciunt: signa valenter operantur. Quò igitur isti, nisi ad [g] supernarum virtutum & numerum, & sortem congruunt? Et beatus Remigius, & in corpore positus, & post obitum, vt supra ostendimus, mira fecit: signa valenter operatus est: ad supernarum igitur virtutum sortem & numerum congruit.

[g] Item Archangelorũ [h] Item supernarum virtutum.

V. Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis & vi acceptæ potestatis eiiciunt. Quò itaque isti meritum suum, nisi inter [h] potestatum cælestium numerum, sortiuntur? Et sanctus Remigius virtute orationis & vi acceptæ potestatis, vt suprà ostendimus, de obsessis corporibus malignos spiritus effugauit. Ergò inter potestatum cælestium numerum sortem accepit.

Supra in eius vita 13. Ian. [i] Itẽ cælest. Potestatuũ.

VI. Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt. Cumq; & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principatur. Quò ergò isti sortem suam, nisi inter principatuum numeros accepe-runt? Et B. [i] Remigius, huius Rhemorum ciuitatis Archiepisc. sanctis fratribus Vedasto scil. à se ordinato in Atrebato, Medardo in Viromandis, Lupo Suessonis, Genebaldo in Lauduno, [k] & reliquis in subiectis sibi ciuitatibus electis fratribus principatus, sortem suam inter principatuum numeros accepit.

[k] Episcopi à B. Remig. ordinati [l] Itẽ cælest. Principat.

S Et

ET sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitijs, omnibusque desiderijs dominantur, vt ipso iure munditiæ VII.
Exod. 7. Dei inter homines vocentur. Vnde & ad Mosen dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis. Quò ergò isti,[a] quorum
[a] Hæc omnia supra in eius vita 13. Ian. comparatione cæteri homines, vt ita dixerim, serui sunt, nisi inter numeros dominationum currunt? Et B. Remigius
cunctis vitijs omnibusq; desiderijs in semetipso dominatus, iure munditiæ solus faciem Christi videre potuit, quando ad eum, & ad Regem Ludouicum ac Reginam, cæterosque adstantes in oratorio S. Petri, vt supra est demonstratum, aduenit, & vt seruo sibi subiecto baptizando Regi potestatiuè præcepit, dicens: Depone colla Sicamber: & [b] Pipinum Regem, villam Anisiacum de ecclesia Laudensi auferre molientem, flagellauit. Inter Principatuum ergò numeros sortem suam accepit.
[b] Itē cælest. Principat.

ET sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum se solicita intentione discutiunt, diuino VIII.
timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare rectè & alios possint. Quorum profectò mentibus dum diuina contemplatio præstò est, in his velut in throno suo Dominus præsidens aliorum facta examinat, &
[c] De lapsu Genebaldi Episcopi habetur ibid. 13. Ianuar. cuncta mirabiliter de sede sua dispensat. Quid ergò isti, nisi throni sui conditoris sunt, [c] vel quò, nisi ad supernarum sedium numeros adscribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerunque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi iudicantur. Quod & per S. Remigium actum fuisse legimus, quando electum Dei Genebaldum Episcopum de suis infirmis actibus iudicauit, & post iudicium cordi suo Domino præsidente, ipsius iussione in ordine episcopatûs illum restituit. Constat igitur beatum [d] Remigium ad supernarum sedium numerum esse adscriptum.
[d] Item supnorũ Thronorum.

ET sunt nõnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubim iure nominentur. Quia enim Che- IX.
Rom. 13. rubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo docente didicimus, quia plenitudo legis charitas: omnes qui Dei & proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et qui ea, quæ superiùs de eo lecta sunt, solicita mente intendit, quàm plenus [e] charitate fuerit, patenter intelligit. Quantaque scientia repletus extiterit, dictis & factis suis, & testimonio sancti Papæ Hormisdæ, ex præmissis aduertit. Igitur S. Remigius meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros percipere studuit.
[e] S Remig plenus charitate & scientia, ideo cõsortium Cherubim meruit.

ET sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amoris facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelãt, X.
nil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur. Terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt. Amando ardent, loquendo & alios accendunt. Et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergò istos nisi Seraphim dixerim? Quorum cor in ignem conuersum, lucet & vrit: Quia & mentium oculos ad superna illuminant, & compungendo in fletibus, vitiorum rubiginem purgant. Quia ergò ad amorem sui cõditoris inflammati sunt, quò nisi inter Seraphim numerum
Psalm. 41. sortem suæ vocationis acceperunt? Qualiter autem B. Remigius [f] in amorem sui conditoris arserit, loquendo & alios
[f] S. Remig. ardens in Dei amore inter Seraphim locũ sortitur. accenderit, gens integra Francorum, cum Rege ad catholicam fidem prædicatione illius conuersa, testatur. Qualiter verò terrena quæque abiecerit, cuncta temporalia mente transcenderit, solo æternitatis amore pastus ad amorem sui conditoris inflammatus extiterit, fidem faciunt verba, quibus conditoris desiderio succensus, penè cõtinuè ore, semper autem corde dicebat: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, satiabor dum manifestabitur gloria eius. Inter Seraphim ergò numerum sortem suæ vocationis accepit. Cum quibus sancta eiusdem viri Apostolici anima vnà cum suis consortibus in cœlesti lætatur gloria.

SED tunc [g] nimirum multò perfectiùs idem & sui comparticipes lætabuntur, cùm recepta carne immortali, re- XI.
[g] Perfectius gaudebunt iusti post resurrectionẽ assumpto corpore. ceptis in eadem beatitudine conseruis suis & fratribus cunctis, quos adhuc in terris certare conspiciunt, nõ habebunt vltrà quò intuitum cogitationis suæ foras vel ad modicum mittant, habentes secum intus Deum, de cuius visione superna gaudeant. Vbi illud primum & maximum Domini mandatum integrum perficietur, ad cuius perfectionem in hac vita iusti pro suis quique viribus accinguntur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima
Matth. 22. Marci 12. tua, & in tota mente tua, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Quia quo viciniùs præsentem Domini vultum cernunt, eo se ardentiùs eius dilectioni totos impendunt, quò proximos suos omnes esse electos, ac Deo dilectos agnoscunt. Quò corda illorum non minus quàm sua, sincero amore referta respiciunt, eo illos ipsi non minùs quàm seipsos
[h] Sancti in cælo p nobis viuentibus orant. amare delectantur. Nam pro fideliter laborantibus in huius vitæ agone [h] sancti Deo orant, eisque compatiuntur. Sed & pro eis, vt suprà dictum est, qui propter bona quidem opera ad electorum sortem sunt præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exeunt, post mortem castigandi pro qualitate operum, pœnis excipiuntur, & purgati,[i] ad beatorum perueniũt requiem. Pro his verò, qui iam corporibus exuti sunt æternis supplicijs traditi, quamuis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, iam authoris suæ iustitiæ coniuncti, tanta rectitudine constringuntur: ipsi quippe iudici concordant, cui inhærent: & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt, quia tanto illos à se vident extraneos, quanto & ab eo, quem diligunt, authore suo conspiciunt repulsos: & erecti iam per
[i] Ecce Purgatorium.

[k] Cur reprobis iustos, & cõtra iustis reprobos in suis pœnis intueri concessum sit iustitiam iudicij, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. Verùm & ante retributionem [k] extremi iudicij, iniusti in requie quosdam iustos adspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti verò in tormentis semper intuentes iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia mala conspiciunt, quæ misericorditer euaserũt. Tantoq; maiores ereptori suo gratias referunt, quantò vident in alijs quid ipsi perpeti, si essent relicti, potuerint. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscabit adspecta pœna reproborum: quia [l] vbi iam compassio miseriæ non erit, minuere proculdubiò beatorum lætitiam non valebit. Et quamuis eis sua gaudia ad perfruendum plene sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper adspiciunt.
[l] Sancti ex facie Dei omnia, quæ in creaturis aguntur, vident. Quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.

SICVT igitur audita sanctorum gloria, audita reproborum miseria, auditis huius sanctissimi patroni nostri me- XII.
ritis, auditis beneficijs, quæ in miraculorum patratione ac sanitatum largitione, credentes & deuoti homines ipsius patrocinijs [m] per donum gratiæ meruerunt, vt nobis talia eius intercessione impertiri desideramus, ita & auditis vltionum vindictis, quæ peccantes ac rebelles, ipsius meritis per retributionem iustitiæ sustinuerunt, in peccatis, &
[m] Debet Sãctorum glo ria ad iustitiam nos animare, malorum verò pœna a peccatis arcere. quod adhuc est grauius, in peccatorum pertinacia rebelles persistere timeamus, ne similibus aut grauioribus supplicijs obruamur, si tantis ac talibus exemplis cognitis, nec beneficijs ad benè agendum prouocamur, nec territi vindictis à malis nos cohibemus. Flagellorum enim vindictæ nobis illatæ, si nos à peccando reuocant, & ad pœnitentiam prouocant, & post pœnitentiam nos crimina non remaculant, finis sunt nostrorum præcedentium peccatorum. Sin aliter, sunt initium sequentium tormentorum. Cognoscentes ergò hunc patronum ac protectorem nostrum esse vnum de illis, de quibus scriptum est, Hi sequuntur agnum quocunque ierit: timeamus in conspectu Dei & in oculis
Apoc. 14 eius peccare: peccantes autem, [n] non erubescamus peccata nostra, quæ nouit, Deo, & illi corde contrito & humiliato,
[n] S. Remig. virgo. per lachrymas confiteri, & indulgentiam cum dignis pœnitentiæ fructibus postulare. Nemo aliqua suorum numerositate vel enormitate scelerum confusus, de salute impetranda diffidat, & barathrum desperationis incidat, iuxta
Prou. 18. illud Salomonis: Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Habemus enim confitentes peccata
1. Ioh. 1: nostra, & petentes veniam, de interpretanda indulgentia ancoram fidei ac spei, per Ioannem Apostolum nobis depromptam. Si confiteamur, inquit, peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra.

Et quia

Et[a] quia sine peccato in hac vita esse non possumus, prima salutis spes est confessio, ne quisquam se iustum putet, & ante oculos Dei erigat ceruicem: deinde dilectio, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Pulchrè autem vtrumque Apostolus simul nobis insinuat, quòd & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus de Deo indulgentiam cùm rogamus. Ideò [b] & fidelem dixit Dominum ad remittēda peccata, fidem pollicitationis suæ seruantem: quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paterna misericordia promisit & veniam secuturam. Iustum quoque eum asseuerat, quia veræ confessioni iustè dimittit. Peccata [c] nostra præterita in baptismatis perceptione nobis donata sunt, attamen pòst baptisma multa commisimus, sed lauari iterùm baptismatis aqua non possumus Quia ergò & pòst baptisma inquinauimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam, & [d] quasi quotidiano Iordanis baptismate lachrymis conscientiam nostræ compunctionis ab omni vitiorum subripientium contagione purgemus, iuxta eum qui dicit: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Vndè [e] rectè Iordanis riuus iudicij interpretatur. Quia nimirùm electi quique quo solicitiùs suam conscientiam discutiendo examinant, eo latiores ex intimo cordis fonte lachrymarum fluuios fundunt. Et quia minùs perfectos se esse deprehendunt, sordes suæ fragilitatis vndis pœnitentiæ diluunt, & paruulos cogitatus suos ad petram, videlicet Christum allidunt, omnesq; sensus mentis ac corporis petra spiritalis exercitùs circumcidere studeant, Petra, inquit, erat Christus. Cuius fide, spe & charitate non solùm in baptismate, sed & in omni prorsus actione deuota purificantur corda bonorū. In [f] quo pietatis exercitio, si nos viderit hìc Dñs & patronus noster fideliter laborare, data intercessionis manu, cursum nostrum iuuabit, qualiter ad portum æternæ salutis peruenire possimus. Legit n. in lumine incircumscripto cum beatiss. spiritibus gloriæ conditoris sui assistens, quia libenter obliuiscitur omnipotens Deus quod nocentes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. In die quippè baptismatis, omnibus nos antiqui hostis operibus, atq; omnibus pompis abrenunciare promisimus, sed quod promisimus minimè seruamus. Ad [g] exercenda praua opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsi sumus. Inquinati ergò post aquam salutis, renascamur ex lachrymis. Apud misericordem namq; iudicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur etiam postquàm mentitur. Quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod errauimus, abscondit.

[a] Confessio est prima salutis spes: secunda, Dilectio. 1 *Petri* 4.
[b] Tertia, oratio.
[c] Omnia peccata Baptismate diluuntur.
[d] Similiter baptismo pœnitentiq
[e] Iordanis riuus iudicij dicitur.
[f] Remigius fidelis apud Dominum pro nobis intercessor.
[g] Misericordis Dei in pœnitentes clementia.

Psal 6.

2. *Cor.* 12.

XIII. Cæterum nemo fidelium de huius patroni nostri meritorum in cœlis virtute dubitet, cui adhuc mortali carne in terra degenti Dominus potestatem dedit ligandi & absoluendi, mortuos suscitandi, omnem languorem & omnem infirmitatem curandi. Ad [h] cuius corporis sepulchrum, sicut multis indicijs frequenter est demonstratum, viuētes ægri veniunt & sanantur. Periuri veniunt, & à dæmonio vexantur. Dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodò ergò vivit illic, vbi viuit, si in tot miraculis viuit hìc, vbi corpus eius mortuum iacet? Hunc ergò in causa nostri examinis quam cum districto Iudice habemus, patronum faciamus. Hunc in die tanti terroris illius, defensorem adhibeamus. Certè si apud quenquam magnum iudicem causa quælibet nostra esset die crastina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, aliquem patronum quæreremus, magnisque precibus ageremus, vt apud tantum iudicem nobis defensor veniret. Ecce districtus Iudex Christus venturus est, tanti [i] illius Angelorum Archangelorumq; concilij terror adhibetur. In illo conuentu causa nostra discutitur, & tamen nos patronum modò quem præstò habemus, non quærimus, quem tunc defensorem habeamus. Adest defensor noster B. Remigius, rogari vult, atq;, vt ita dixerim, quærit vt quæratur. Hunc ergò adiutorem nostræ orationis quæramus, vt tunc protectorem nostri reatûs inueniamus. Quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat. Vnde [k] & tam longo tempore cōminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos & misericordia eius refoueat, vt nullo modo negligentes reddat. Sic peccata nostra perturbent, vt mens in desperationem non proruat. Quia etsi præsumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum regnum citiùs adepturi sumus, istius patris & patroni nostri meritis & Deo dignis orationibus. Curramus ergò velocissimis fidei pedibus, extensis mentium manibus, ad protectionem illius, atque ad sacratissimum corpus eius fletibus insistamus. Promereri nos veniam eius intercedentibus meritis deprecemur, vt quia nostris non possumus, eius meritis apud Dominum veniam impetremus. Et qui velamen bonorum operum, quo peccata nostra tegamus, non habemus; eius meritis & intercessionibus, puris confessionibus & profusis lachrymis, ante eius sanctam memoriam procidentes nostra crimina diluamus, & bonis operibus abstergamus. Sed & vbicumque in adiutorium nostræ salutis fideliter eum inuocauerimus, non deerit ab exaudatione, inhærens [l] Christo, sicut & alia eminentiora membra ipsius qui vbiq; præsens est maiestate, quique dum districtus iudex sustinet, & adhuc manum non exerit in percussione, dum à retributione vltionis intimæ, esse quædam temporis securitas indicetur, debemus malum quod sequitur, flammarum scilicet pœnas æternas, intolerabiles atq; continuas pensare, pensantes gemere, gementes vitare, ea quæ commisimus peccata indesinenter adspicere, adspicientes flere, flentes abstergere. Crimina [m] in quibus delectabiliter diù iacuimus, non perfunctoriè, sed quotidiè atque si fieri potest continuè amarissimis lachrymis studeamus abluere, eleëmosynis abstergere, sacris hostijs expiare. Hæc est pacis petendæ nostra legatio, quæ Regem ad discutiendum & iudicandum nos venientem placat. Nulla nos prosperitatis transitoriæ lætitia dissoluat, nec mentis nostræ oculos ea quæ sunt transitoria obstruant, ne cæcos ad ignem ducant.

[h] Ad eius sepulchrum multa fiunt miracula.
[i] Arguit nostrum tepore author
[k] Vult Deus rogari, vt parcat.
[l] Christus Deus vbiq; præsens maiestate.
[m] Attende quibus exercitijs sint expianda peccata.

XIV. Cvrandvm [n] quoque magnoperè nobis est, & cum magnis quotidiè fletibus cogitandum, quàm sæuus, quàm terribilis sua in nos opera requirens in die exitûs nostri princeps huius mundi veniet, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo inuenire nil potuit? Quid ita nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti aduersario & multa sua in nobis inuenienti dicemus, nisi solùm quod nobis est certum refugium, solida spes: quoniam à peccatis quæ post baptismum commisimus, lachrymis abluti, per confessionem [o] & dignos pœnitentiæ fructus expiati, & meritis ac orationibus sanctorum Christo reconciliati, atque per acceptionem corporis & sanguinis eius, in fide recta permanentes, vnum cum illo facti sumus ipsi incorporati, in quo princeps huius mundi & suum aliquid requisiuit & inuenire minimè potuit? Quoniam solus est inter mortuos liber, à quo nos & à peccati iam seruitio veraci libertate soluimur, quia ei qui verè liber est, per [p] corporis & sanguinis eius acceptionem vnimur. Sicut n. verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria Virgine natus est Iesus, Dei filius est, non quemadmodum alij homines per gratiam, sed natura filius ex substantia patris: ita vera est caro & verus est sanguis eius, quæ ad manducandum & potandum in mysterio sumimus, sicut ipse testatur. Et [q] nos qui verè sub mysterio carnem & sanguinem corporis sui sumimus, per ea naturaliter vnum cum illo efficimur. In quibus manet post consecrationem similitudo panis & vini, ne quidam sit horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis. De naturali enim in nobis Christi veritate, ipse ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis eius non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta, id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Est ergò in nobis ipse per carnem, & sumus in eo dum secum hoc quod nos sumus in Deum est. Quoniam [r] aūt in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis eius simus, ipse testatur, dicens: Et hic mundus me iam non videt: vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis, quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis: vt cùm ille in patre per naturam diuinitatis est, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursum in nobis per sacramentorum

[n] Diabolus, quod suum est, in Christo quęsiuit
[o] Digni sunt pœnitentiæ fructus faciendi. *Psal* 87.
[p] Vnimur cum Christo, per sacræ Eucharistiæ susceptionem.
[q] Nota lector quæ hìc dicūtur de S. Eucharistia.
[r] Probat Author nos cū Deo vniri per S Eucharistiam. *Ioan* 14.

Ioan. 6.

Ioan 6. ineſſe myſterium creditur. Quàm aũt naturalis in nobis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnẽ meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim qui in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, eius tantum in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectæ autem huius vnitatis ſacramentum, ipſe docet, dicens: Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo per patrem, & qui manducauerit me, id eſt carnem meam, & ipſe viuet per me. Viuit [a] ergo per patrem, & quo modo viuit per patrem, eodem modo nos per carnem eius viuimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur, vt id de quo agitur ſecundum propoſitum exemplum aſſequatur.

Ibidem.
[a] Chriſtus per Patrem, & nos per Chriſtum viuimus.

Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quòd in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, quia viuit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum viuimus, id eſt naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe patrem, habeat cum viuat ipſe per patrem? Per [b] patrem autem viuit, dum natiuitas non alienam intulit diuerſamque naturam, dum quod eſt & ab eo eſt, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ diſſimilitudinem ſeparatur, dum in ſe per natiuitatem habet patrem in virtute naturæ, cui veraciter vnimur per incarnationis ſuæ myſterium. Quod quotidie in catholica celebratur Eccleſia, ſicut præfiguratum legitur in ſacra hiſtoria. Venit Elias ad Iordanem, & exutus pallio ſuo percuſſit aquas ac diuiſit. Venit [c] Dominus ad fluuium mortis, quo genus humanum mergi conſueuerat, & exuens ſe ad tempus habitu carnis quem ſumpſerat, mortem moriendo percuſſit, ac vitæ nobis iter reſurgendo patefecit. Rectè etenim per Iordanem fluxus noſtræ mortalitatis ac defectus exprimitur, quia & Iordanis [d] Latinè deſcẽſus eorum dicitur, & ipſe fluuius in mare mortuum influens, laudabiles ſuas ibi perdit aquas. Tranſit autem Elias diuiſo Iordane per ſiccum, tranſit & Eliſeus: quia reſurgens à mortuis Saluator, fidelibus quoque ſuis ſpem reſurgẽdi tribuit. Tranſito [e] Iordane Elias, dedit optionem Eliſeo poſtulandi quæ vellet: Et Dominus impleta reſurrectionis gloria, plenius diſcipulorum ſenſibus inſeruit, quod & antea promiſit: quia quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Petijt Eliſeus [f] vt fieret ſpiritus Eliæ duplex in ſe, & edocti à Domino diſcipuli promiſſam ſpiritus gratiam accipere deſiderabant, qua non vni tantum genti Iudææ, quam ipſe præſens in carne docuit, ſed & cunctis per orbem nationibus prædicare ſufficerent. An non duplicem ſpiritus ſui gtatiam pollicebatur, cum ait. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet? XV.

[b] Chriſtus propter carnis diſſimilitudinem à Patre ſeparatur.
4. Reg 2.
[c] Pallium Eliæ figura corporis Chriſti.
[d] Iordanis q̃d deſignet
[e] Quid tranſitus *Ioan 13 & 15*
[f] Quid duplex ſpiritus Eliſei. *Ioan 14.*

Sermocinantibvs Elia & Eliſeo, ſubito currus & equi ignei rapuerunt Eliam, quaſi vſque in cœlum: Qui [g] profecto currus & equi, Angelicæ ſunt iutelligendæ Virtutes. De quibus ſcriptum eſt: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in illis. & iterum: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Horum namque Elias ſubſidio, vtpote homo purus, quo à terra tolli poſſet agebat. Et Dominus cum Apoſtolis loquens, ſubito videntib us illis eleuatus eſt, & ſi non Angelico fultus auxilio, Angelico tamen comitatus obſequio. Vereque eſt aſſumptus in cœlum, Angelis quoque idipſum atteſtantibus, qui illis dixerunt: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet. Subleuatus ad cœlum Elias, dimiſit Eliſeo [h] pallium quo erat indutus. Aſcendens in cœlum Dominus, ſacramenta humanitatis aſſumptæ diſcipulis, immo Eccleſiæ quibus ſanctificaretur in virtute dilectionis, ac calefieret, reliquit. Aſſumens Eliſeus pallium Eliæ, percuſſit eo aquas [i] Iordanis, & vbi inuocauit Deum Eliæ, diuiſæ ſunt, & tranſijt. Aſſumpſerunt Apoſtoli, aſſumpſit inſtituta per eos omnis Eccleſia, ſacramenta ſui redemptoris. Quibus ſpiritaliter erudita, abluta, & conſecrata, ipſa quoque inuocato nomine Dei patris, impetum mortis ſuperare, eiuſque obſtaculo contempto, ad vitam tranſire didicit ſempiternam, iuxta quod Dominus in Euangelio dicit, inquiens: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quoniam [k] qui credens in Chriſtum, paſſionis ſuæ ſacramenta credendo, confitendo, ſinceriter imitando, fideliter ſumit, ſaluatur in perpetuum ab omni morte quam peccando in anima pariter & carne contraxit, & non ſolum perditionem euadet pœnarum, ſed & vitam percipiet ſempiternam. XVI.

[g] Quid currus & equi. *Pſal. 67. Pſal. 103. Marci vlt. Actor 1.*
[h] Quid pallium Eliæo relictum.
[i] Quid percuſſio aquarum Iordanis. *Ioan. 3.*
[k] Attende virtutem ſacramentorum Eccleſiæ.

Ad quam beatæ & glorioſæ ſemper Virginis & genitricis ſuæ Mariæ Dominæ noſtræ, aciſtius patroni noſtri beati Remigij meritis & interceſſionibus, in fide recta & bonis operibus nos perſeuerantes, & per acceptionem corporis & ſanguinis [l] ſui vnum ſecum effectos perducere dignetur, & per eadem humilitatis eius ſacramenta vſque ad contemplandam diuinitatis eiuſdem gloriam, quam ipſe fidelibus ſeruis ſuis fideli pietate pollicetur, dicens: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Meipſum manifeſtabo, inquit, id eſt, non qualem me omnes conſpicere, qualem etiam inuidi crucifigere, ſed qualem in decore ſuo Regem ſæculorum ſoli videre poſſunt oculi mundi ſanctorum: talem me ad rependendam vicem dilectionis, his qui me diligunt, oſtendam. Pertingere faciat Chriſtus Ieſus Deus & Dominus, cõditor & redemptor, atq; ab omni morte ac corruptione ſaluator noſter, in qua cum Deo Patre, Spiritu ſancto coæternus & conſubſtantialis ac coæqualis, viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. XVII.

[l] Sumentes dignè corpus & ſanguinẽ Chriſti, vnum cũ eo fiunt. *Ioan. 14. Eſaiæ 33.*

AN. 1110. VITA GODEFRIDI COMITIS CAPPENBERGENSIS, NECDVM QVOD SCIAM INTER SANCTOS RELATI, AVCTORE QVODAM monacho Præmonſtratenſe eius coæuo anonymo quam ex MSS. in lucem reuocauit R.P. Nicolaus Serarius ſocietatis Ieſu Presbyter.

13. Ian. *Iſaiæ 63.* *Pſal 115.* *Deuter. 16.*

Inæstimabilem beneficiorum Dei magnitudinem humani pectoris angustias excedentẽ Propheta ſanctus conſiderans, quodam loco compunctus ait: Miſerationum Domini recordabor, laudem dicam ei ſuper omnibus, quæ retribuit nobis. Alius item Propheta ſupernæ donationis infinitas in ſe diuitias obſtupeſcens nec dignas gratiarum actiones apud ſe inuenire ſufficiens: Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vnde nos quoque auctori omnium de tot donis ac bonis ſuis ingrati eſſe metuentes, diuina quædam aggredimur commẽdare magnalia, nobis quidem, hoc eſt, noſtræ profeſſionis filijs ſpecialius exhibita, generaliter vero piorum omnium vtilitati non mediocriter profutura. Verum non ſublimitate ſermonis ſed in Spiritus Sancti cooperante gratia, humili ac ſimplici eloquio dicenda dicemus, quippe qui nemus in domo Domini plantare legali decreto prohibemur. Solummodo res diuinitus geſtas memoriæ mãdare intendimus, nulliq; meliori ac doctiori hæc eadem diligentius tractaturo præiudicamus. Vnde nec æmulorum dentes luridos formidare debemus. Oculum enim columbinum vt ait quidam ſanctorũ, gratanter ſuſcipit pulcherrima ac modeſtiſſima charitas, dentem vero caninum vel euitat cautiſſima humilitas, vel retũdit ſolidiſſima veritas. Enim vero noſtrã imprimis arguimus negligentẽ, inertiam, & inertem negligentiã, quod hactenus de Beato viro Godefrido Comite Capenbergenſis Cœnobij hoc eſt, loci noſtri fundatore, in laudem quippiam dicere negleximus, qui tñ tanti viri meritis & induſtria, vt parum dicã; omnibus hodie bonis repleti ſumus. Non n. ſatis eloquor, quid de hoc viro parturiat cor meum, dum attendo & perpendo ſanctiſs. conuerſationis eius inſignia, tanti viri tam voluntariam paupertatem, tam humilem ſimplicitatem ac ſimplicem humilitatem, tam felicem deniq; omnium ipſius conſummationem. Et [m] ecce ter beatus iſte Comes verus, quia verum Regem comitatus, & perſeueranter imitatus eſt, ipſe inquam in perenni tripudiat gloria, nobiſcum I.

[m] Ambr ſer. 89. Comes Imperatoris

cum autem memoria eius cum benedictione perseuerat in sæcula. Memoria enim illius, vt scriptum est, in compositione odoris facta, opus pigmentarij manet in sæculum sæculi quasi mel, & vt Musica in conuiuio vini. Conabimur itaque de hoc Sancto aliqua locuturi, & gratas compendij metas non excedere, & ea quæ sub oculis fratrum nostrorum acta vel dicta sunt, pijs ac timoratis auribus explanare.

debet comes Christi esse desiderare. Eccles 49.

I. TEMPORIBVS [a] glorioſi Henrici, qui huius nominis quintus Romanum administrauit imperium, fuit in Westphaliæ prouincia electus ac dilectus Dei Godefridus, qui nobilissimis ac regiæ stirpis ortus parentibus, in timore Domini, Comitatus agebat officium, pater eius Godefridus, [b] mater Beatrix dicebatur. Hic vero reuerendissimus atq; inter Dei amicos computari dignissimus, auum habuit Hermannum Comitem, qui vt maiorum celeberrima relatione cognouimus, cum esset eleemosynator præcipuus, misericordię operibus intentus, à tumultu militaris insolentię quietissimus, adhuc viuens huiusmodi miraculum operatus est.

[a] De comitatu eius.

[b] *Parentes Comitis Godefridi.*

II. COECVS [c] quidam in illius degebat eleemosyna, qui die quadam ostensum sibi diuinitus asserebat, quod visum recepturus esset, si aquam, de qua manus Comes [d] ablueret, oculis admouisset. A quam igitur tulit, oculis adhibuit, protinus vidit. Ad sepulchrum vero eius hodieque nonnulla ostensarum virtutum demonstrantur indicia, quæ oculis meis vidi, quæque illic in testimonium reliquerunt hi, qui sanitate recuperata sospites inde reuersi sunt. Huius itaque tanti viri nepos Godefridus noster, ab ipsis iam adolescentiæ primordijs cœpit Deo deuotus existere, & scintillante in se flamma inspirationis diuinę, omni sęculari dignitati, vniuersæq; suæ facultati satagebat renuntiare. Fuit enim vir mansuetissimus, suauitate venerabilis, benignitate laudabilis, oculis stellantibus mirum in modum gratiosus, facundus eloquio, prudens in consilio, militiæ quidem exercitio strenuus, sed Regi supremo militare, nudamq; crucem Christi nudus baiulare inardescens quantocyus.

[c] De cæco illuminato.

[d] *Auus Comitis Godefridi admodum pius.*

III. INTERIM [e] vero si quando militari apparatu, seu bellico procinctu, personæ suæ necessitate detentus fuit, se ab omni circum manentium iniuria vel infestatione cohibuit. Cum autem interdum discursantes milites prædari, & aliena vt assolet, vsurpare conspiceret, attestante quodam familiari eius tunc ministro, postmodum autem fratre nostro, [f] manus ad cœlum expandit, lachrymas fudit, hisq; verbis omnipotentiam Saluatoris exorauit dicens: Domine Iesu Christe tuæ bonitatis altitudinem tuam imploro, vt me de medio iniquitatis huius eripias, & in die illo paratum & immaculatum inueniri præcipias. Scio enim arbiter iustissime, quod in meum redundat caput, quicquid à meis delinquitur, omnisque dissimulationis meæ negligentia, tuâ merito districtione punietur. Cuius petitionis fructu quemadmodum priuatus non fuerit, (nec enim Dominus priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia,) subsequentium [g] rerum tam fidelis quam mirabilis declarabit historia. Igitur dum habitaret in castro quod Capenberg [h] dicitur, loco nimirum spectabili, situque ipso admodum salubri & delectabili, de loco eodem quod diuino quandoque mancipandus esset seruitio, diuersis fidelissimarum visionum ostensionibus reuelatum est à Domino.

[e] Godetridus quam innocens fuerit.

[f] *Præclarum Ducibus & Capitaneis exemplum. Psalm. 83.*

[g] *Vide infra caput. 23.*

[h] Capenberg est arx Westphaliæ.

IV. PRESBYTER [i] enim quidam Wiemannus nomine in visu noctis aspexit quasi columnam auream in Capenberg exsurgere, atque ipsius cœli fastigia penetrare. Quo visu diuinæ laudationis claritudinem illic exercendam frequenter intellexit, & astantibus quod futurum erat, verissime longè ante prænunciauit. Vnus præterea ex amicis felicissimi Comitis, Egebertus nomine, cum esset in itinere proficiscens ad Comitem, noctu vidit Capenberg vrbem fore niue candidiorem, quæ vsque ad alta nubium sublimiter conscendens, ipsum cæli cacumen vertice pulsare videbatur.

[i] Visiones quę de loco factæ sunt.

V. QVID referam de patrui illius filia, quæ Gerbergis [k] nuncupata, Monasterienſis cœnobij extitit Abbatissa? Hæc ergo multa religione venerabilis cum beatum virum vnicè diligeret, & tam pro ipso, quam pro subditis frequentium orationum excubaret peruigilio: quodam tempore somno parumper arrepto, vidit sibi iuuenem vultu sydereo renitentem, & verba hæc sæpius eius in auribus iterantem: Locus Capenbergensis habitationis, quam idoneus foret conuentui Spiritualis congregationis! Quod illa iocundissimè audiens (iam enim diu idipsum concupierat) cum Beato viro retulisset, ille prudenter atque humiliter in hūc modum respondit: Neptis dilectissima, potens est Dominus Deus hoc pro suo velle ordinare, nam ego id per me nequaquam sufficio adimplere. Et reuera diuina hoc prouidentia iuxta verbum eius consequenter adimpleuit, nec beatum virum sui cordis tam pio fraudauit desiderio. Apparuit enim in Westphalia sub ipso ferè tempore eximium quoddam iubar Ecclesiæ, memorabilis ille Dei præco Norbertus, [l] vir nimirum admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ, summæ continentiæ, informator ac propagator religionis Canonicæ, seruorum Christi aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus veræ pœnitentiæ prædicator, ac per omnia illius propheticæ iussionis executor, qua dicitur: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. De huius porro vitæ sanctitate, Archiepiscopatus dignitate, sancti quoque transitus fœlicitate, si quis ad plenum dicere voluerit, singularis profecto libri ad hoc solum instituti, magnitudine opus erit. Tanti ergo prædicatoris cum circumquaque fragraret opinio, vir beatus vna cum germano fratre venerabili Domino Ottone sitienter præconem salutis adijt, verbum exhortationis deuotus accepit, actumque est Deo miserante, vti etiam præfatus Otto sensim atque gradatim sæculum calcare inciperet, idemque sanctitatis propositum, quod in beato fratre suo iam dudum eminebat, arriperet. Quid multis immorer? Vterque paulo post, mutato sæculari habitu, tonsuram religionis cum habitu sacræ professionis assumpsit: vterque sub regula beati Augustini, ac sub obedientia memorati fratris Norberti, Domino militare deuouit.

[k] Visio Gerbergæ de Cappenberg.

[l] *S. Norbertus.* Eius vitam habes 6. Iunij. *Matth. 3. Isai. 40.*

VI. VIR [n] Deo dignus Godefridus coniugem suam Friderici Comitis filiam, sacrum sumere velamen adhortationibus pijs ac salutaribus effecit. Ipse quoque cum esset maior natu cum vnanimi fratris consensu castrum ipsum Capenberg, & omnia sua Deo fideliter offerens, in die beatæ Petronillæ Virginis vsibus ea pauperum Christi delegauit, tria videlicet exstruens cœnobia, hoc est Capenberg, * Varlar, * Elofstad, quæ singula prædijs suis copiosè locupletans, eadem sub memorati Patris Norberti ordinauit prouidentia.

[n] Qualiter omnia reliquerit.

* Vorlar, est in Westphalia prope Cosfeldiā.

* Elofstadium est in Wederauia à numero vndenario dictum rectè Elffstat, alias Ilmestat.

VII. PLACVIT itaque Spiritui sancto, qui in præcone [o] veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit inquam ei, vt in prænotatis cœnobijs fratres regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, vti regulam eandem aliquanto districtius, quam eatenus vsitatum fuerat, obseruarent, esu scilicet adipis & carnium abstinendo, austeriore quoque habitu, pœnitentiæ rigorem exhibendo. Nam & amicus sponsi Ioannes non exquisitis, imo naturalibus & syluestribus cibis pastus est, & ab ipso Saluatore coram turbis ad eremum confluentibus, de vestitus asperitate laudatus est. Et ecce hic ordo noster, diuinâ prosequente clementiâ, longè lateque protenditur, &, vt vere confidimus, multo latius in futurum protendetur: Vnde nec ambigere præsumimus; quin sancto dictante Spiritu, & inchoatus fuerit, & diuinæ ordinationis nutu promulgatus. Nunquid enim non vineam istam in brachio excelso ipse Dominus, dux itineris transtulit de Ægypto? Nonne ipse gentes, hoc est, prædones, & iniquos huius loci habitatores eiecit à conspectu nostro? Radices vineæ huius ipse plantauit, quæ iam vsque ad mare, immo & vltra mare palmites suos, opitulatione dexteræ cœlestis, extendit. Vereamur ergo id quod sequitur in psalmo, videlicet, ne singularis ferus, hoc est, antiquus noster aduersarius, vineam hanc dextera Dei plantatam exterminet. Quod vtique idem exterminator, quo pacto, nisi quorundam cœnobiorum nostrorum scissurâ & singularitate magis efficere solet? Contra orandus est vineæ plantator atque mundator, vti palmites suos dignantes excolat, in-

[o] Veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit inquam ei, vt in prænotatis cœnobijs fratres regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, vti regulam eandem aliquanto districtius, quam eatenus vsitatum fuerat, obseruarent, esu scilicet adipis & carnium abstinendo, austeriore quoque habitu, pœnitentiæ rigorem exhibendo. Nam & amicus sponsi Ioannes non exquisitis, imo naturalibus & syluestribus cibis pastus est, & ab ipso Saluatore coram turbis ad eremum confluentibus, de vestitus asperitate laudatus est. Et ecce hic ordo noster, diuinâ prosequente clementiâ, longè lateque protenditur, &, vt vere confidimus, multo latius in futurum protendetur: Vnde nec ambigere præsumimus; quin sancto dictante Spiritu, & inchoatus fuerit, & diuinæ ordinationis nutu promulgatus. Nunquid enim non vineam istam in brachio excelso ipse Dominus, dux itineris transtulit de Ægypto? Nonne ipse gentes, hoc est, prædones, & iniquos huius loci habitatores eiecit à conspectu nostro? Radices vineæ huius ipse plantauit, quæ iam vsque ad mare, immo & vltra mare palmites suos, opitulatione dexteræ cœlestis, extendit. Vereamur ergo id quod sequitur in psalmo, videlicet, ne singularis ferus, hoc est, antiquus noster aduersarius, vineam hanc dextera Dei plantatam exterminet. Quod vtique idem exterminator, quo pacto, nisi quorundam cœnobiorum nostrorum scissurâ & singularitate magis efficere solet? Contra orandus est vineæ plantator atque mundator, vti palmites suos dignantes excolat, in-

De regularium fratrum proposito. *Mat 3 & 11. Psalm. 79. ibid.*

censa igni & suffossa ab increpatione sui vultus perire concedat; vineam tenellam ac nouellam in abundantia suæ benedictionis quandoque perficiat.

[a] Norbetti visio de loco Capenberg.

IPSE autem præfatus pater Norbertus [a] præ cæteris Capenbergense cœnobium affectuosius diligebat, de quo etiam loco, quod non silebo, in conuentu fratrum aliquando residens asserebat; Fratres, inquit, charissimi, cum aliquando non longè hinc positus essem, vidi certissimè super locum hunc descendentem Spiritum sanctum. Contemplabar quoque alio tempore magnæ claritatis lumen in circuitu loci huius exortum atque diffusum. Proinde dilectissimi glorificate Deum nostrum, quia hic profecto est mons sanctificationis illius, mons, inquam, est, quem acquisiuit dextera eius. Hæc ego in eodem fratrum conuentu positus audiui, ne quis fortè perfidia nubilosus, perspicuè derogare præsumat veritati. Audiui nihilominus eundem orthodoxæ veritatis assertorem in communi Capitulo hæc, quæ sequuntur, prosequentem: Scio, [b] inquit, vnum ex professionis nostræ fratribus, cui de regula nostra studiosius indaganti non quidem suis meritis, imo confratrum suorum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui auream regulam à latere suo dextro prolatam illi porrexit, seque ipsum luculento ei sermone intimauit dicens: Quem vides, Augustinus ego sum Hipponēsis Episcopus. Ecce habes regulam quam ego conscripsi, sub qua si benè militauerint confratres tui, filij mei, securi Christo astabunt in extremi terrore iudicij. Et quidem ista humiliter tanquam de alio prosecutus est. nos tamē ipsum fuisse, cui hoc reuelatum est, indubitanter aduertimus. VIII.

[b] Alia reuelatio quam habuit de regula S. Augustini.

SED & duo illius magnalia, quæ in hoc gesta sunt loco, dignum non arbitror præterire silentio. Quodam [c] tempore famem Westphaliæ affaturam, & ipsos etiam fratres parumper castigaturam id Spiritu prædixit, quæ iuxta viri Dei præscientiam adeo grauis euenit, vt plerosque dira inediæ calamitas extingueret. Accidit ergo die quadam fratribus ad refectionem ituris, cum hospitibus ac pauperibus erogarent, quicquid sibi abstinendo subtraherent, vt panis deesset alimonia, ita vt etiam vnde fieret, inueniri non posset. Cumque vir Dei sæpius intimasset quod scriptum est. Non affliget Dominus fame animam iusti, ecce subito per fideles suos Dominus tantam panis abundantiam transmisit, quod fratres & sufficienter refecti sunt & aduenientibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa nunquam fratribus defecerunt opportuna subsidia. IX.

[c] S. Norbertus famem Westphaliæ prædicit.

Prouerb. 10.

TEMPORE item alio cum vir sanctus quendam vellet ex fratribus pro causa Monasterij [d] destinare, inueniens illum valida prostratum febre, iniunxit ei causam obedientiæ in virtute Christi, solo verbo vsus imperij: Vade, inquit, & reuertere, iamq; amplius noli febricitare. Statim ergo frater recuperatis viribus perfecit quantocyus, quod à patre sancto fuerat iussus. Ita viri Dei sermo & causam obtinuit, & morbum diutinum repente fugauit. X.

[d] Febres verbo fugat

IN prædicto quoque loco frater [e] erat laudabilis, cui amicus fidelissimus, pro cuius defuncti anima multis inuigilauerat precibus, nocte quadam astitit, eique familiari colloquio dixit: Frater [f] mi, gratias tibi ago, quod hactenus etiam cum cæteri amici vel affines immemores essent mei, tu nostri memoriam nullatenus omisisti. Et nunc adhortor, vt stabilis & immobilis in tuo persistas proposito, nec de ordine vestro, tanquam alium potiorem inuenturus, fluctues animo, quia nimirum salubriorem, animæque tuæ commodiorem tibi demonstrare non valeo. Nam & huc veni nuntiare tuæ charitati, quod orationes confratrum tuorum quotidie recitantur super altare aureum, quod est ante oculos Domini. Hortor quoque, ne vnquam obedientiæ [g] subterfugias imperium. Nulla enim virtute, coram Deo, sublimius ac fructuosius consequeris meritum. Ait propheta, quod lingua canum Dei sit ex inimicis ab ipso. Conuersi [h] enim ex inimicis Iudæis multi facti sunt, & hodie fiunt lingua canum, pro domo Domini contra inimicos latrantes. Et quasi quæreres, vnde tantum bonum, respondet, ab ipso, hoc est, à gratia eius, non à seipsis. Hoc diximus propter gratiam, quam operatus est Deus in fratre in tempore nostro Hebræo, qui post multos errorum circuitus, Dei munere præuentus, cœpit ardenti desiderio fidem Christianam inquirere. Disputabat ergo cum Christianis, conferens de lege ac prophetis, cui cum dicerent ex verbis Apostoli, quod velamen maneret super cor eius, cogitabat, hoc non melius tolli, quàm signaculo crucis: cœpitque signare se, occultè tamen propter metum Iudæorum; Et quia Iudæi signa petunt, ieiunijs & orationibus intentus cœpit efflagitare signum à Domino, quo posset aduertere, si Dei gratiam percipere mereretur. Quod cum obnixius ageret, ecce videt se Christi throno assistentem, & crucem auream super humerum Dominicum refulgentem, cernensque quosdam ex Iudæis prope astare. Nonne, inquit, recognoscetis ipsum hunc esse, de quo Isaias loquitur: Et factus est principatus super humerum eius? Talique signo iam plenè conuersus satagebat aliquos etiam suorum de Iudaica liberare perfidia, & veniens Mogontiam [i] in domum cognatorum, germanum suum admodum paruulum manu apprehensum de medio Iudæorum callidè foras ciuitatem tentabat educere. Sed operante maligno per planteas gyrando vna cum puero cœpit errare, ita vt portam quam egrederetur, inuenire non posset. Cumque nimis in ambulando gyrouagus vexaretur, intelligens demum ex maligno hunc fieri errorem, crucis vexillo frontem armauit, & mox apertis oculis portam inueniens lætabundus aufugit. Sicque secum erepto puero in breui de hinc baptismi gratiam percepit cum illo, ac prosequente cœlesti dono, simul cum eodem non longè post, nostræ militiæ societati adunatus est. Sed hæc hactenus. Iā deinceps ad beatum Comitem reflectamus articulum, & qualiter serpens antiquus virtutes eius videns & inuidens per satellites suos, illi obuiare tentauerit, iam nunc adducamus in medium. XI.

[e] Fratris cuiusdam visio.

[f] *Oratio pro defuncto.*

Apocal 8.

[g] *Obedientia Psalm 67.*

[h] *Iudæorum conuersio.*

2. Cor 3. Matth. 3. Ioann. 19.

Isai. 9.

[i] *lib. 5 rerum Mogunt. Arch. 25. pag. 813.*

VBI primum sancti viri religiositas innotuit, Fridericus [k] Comes prophanus & Antichristianus, potius quam Christianus, auaritiæ facibus accensus infremuit, fallaciæ commenta exquisiuit, dicens filiam suam arte circumuentam, hæreditatis quoque debitæ portionem fraudulenta illi seductione sublatam. Qua occasione diuersis Beatum virum affecit iniurijs, multis vexauit contumelijs, cum ille tamen expeditissimam de omnibus redderet rationem, & impudentem eius vesaniam, prout dignum erat, confidenter argueret. Veruntamen infelix ille non quiescens, & plus aloes quam mellis habens, cum aliquando suorum concione vallatus, complura genero minaretur, multis astantium tamen, ob tanti viri reuerentiam, lachrymas continere non valentibus, vir Dei conscientiæ vallo munitus, quo grassanti vesaniæ aspirare fas non erat, omnem furoris illius impetum securus irridebat. Vocatoque demum vno ex familiaribus suis ait: Forte infelix iste me captiuare disponit: tu vero patri Norberto dicito, quatenus etiamsi incarceratus fuero, ne quem pro mei absolutione laborem vel exiguum impendat. Ego enim pro lege Dei mei non solum incarcerari, sed etiam in carcere mori vtinam condignus inueniar. Ego in carcere Deum meum deprecabor, in carcere misericordiam & miserationes eius alacriter præstolabor. Opto [l] siquidem, vt quemadmodum scopa vsu detrita nouissimè flammis injicitur, sic corpus meum Christi exhaustum seruitio, tribulationis demum igne consumetur. Ecce quanta beati viri constantia, omnia quidem pro Christo perpeti decernebat, sed pius Dominus nostris eum adhuc profectibus reseruabat. XII.

[k] De persecutione Friderici Comitis Arensbergij.

[l] *Fortissimo Christi militedigna vox.*

FRIDERICVS [m] prętereà inexplebili stimulante auaritia, (Quid enim nō mortalia pectora cogit auri sacra fames) castrum Capenberg obsidere, ipsumque patrem Norbertum pro muris suspendere minitans, (nam quis metus aut pudor est vnquam properantis auari?) eo vsque mala malis adijciens: iram sibi thesaurizauit, donec altissimus, qui patiens est redditor, condigna illū animaduersione percussit, quē & vnus è fratribus ante denunciatū eius interitū à leone horrendo transglutiri per visum agnouit. Sed nec sic serpens ille, vno licet succiso capite, à veneno suæ conquieuit inuidiæ, sancto quidē viro tribulatione & dolorem exluscitans, sed in his quanquā inuitus maiorē illi virtutis occasionem subministrans. XIII.

[m] De interitu Friderici Comitis Arnsbergēsis.

miniſtrans. Hæc enim eſt inſcrutabilis abyſſus iudiciorum Dei, quæ diabolum cum membris ſuis electorum cogit deſeruire profectui, cuius profundum & B. Apoſtolus intuebatur cum diceret: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Sola enim eſt diuina vis, cui & mala bona ſunt, dum eis competenter vtendo, ne quid in regno eius temeritati liceat, bona alicuius effectum elicit, quod in ſequentibus luce clarius elucebit. *Rom. 8.*

XIV. MATRONAM [a] igitur, quæ ſacrum velamen aſſumpſerat, Franco quidam ſceleſtus diabolico rapuit inſtinctu, qui beato viro inermi forte obuianti, tantamq; illius nequitiam piè perſequenti, cum armatus & elatus diceret: Tu ne ille es, qui detrimentis meis operam dare perhiberis? Vir ſanctus quemadmodum ſcriptum eſt, in timore Domini fiducia fortitudinis; Et iuſtus quaſi leo confidens abſq; terrore erit, conſtantiſſimè reſpondit: Ego detrimentis tuis nequaquã inuigilo, quin potiùs hoſtis antiqui dentibus, cuius mancipium factus es, te ſummè eruere deſidero. Cumq; ille væſaniens gladium arriperet, dicam, dicam (magnus ab integro ſæclorum vt nouerit ordo) dicam quomodo vir Dei tanquã ad victimam agnus ductus, ſine voce aſtitit, ceruicem protinus tetendit; ſed nutu diuino conterritus ille ferire nõ præualuit. Nunquid ergò hunc virum Chriſti martyrem non dixerim, qui non ſolùm animo, ſed & iugulo præparato, tam incunctanter ſe ingerebat martyrio? Quis hunc athletam ſeparet à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Deniq; raptam ſuam varijs laborum anfractibus requiſitam, cellulæ demum reſtituit, & [b] raptor ille morte peſſima, quæ peccatorum eſt propria, non longè poſt lanceâ perfoſſus interijt.

[a] Vxorẽ Godefridi Comitis velo iam ſancto velatam rapit Franco quidam.

Prou. 14 & 28.

Eccl. 4.

Rom. 8.

[b] Franconis mors.

XV. QVID [c] autem de nonnullis inſenſatis miniſterialibus, & ſeruis etiam infimis referam, qui multis illum pulſauere conuicijs, dicentes eum amentem factum, ſequi falſarium & impoſtorem illum Norbertum, tam ſublimem huius mundi gloriam ſtultè deſerere, ſequi deſolatos, & quaſi acephalos relinquere? Verum inter omnia hæc athleta noſter dum omnes excipit aſſultus, permanet eiuſdem patientia fortis ad omnes telorum nimbos, reddit & has contra venerando pectore voces: Si diligeretis, inquit, me, gauderetis vtique, quia ad Deum meum tendo, quia naufragium ſeculi huius præterire deſidero, quia creatori meo proximari concupiſco.

[c] Probra q̃ ſuſtinuerit Godefrid⁹.

Ioan 10.

XVI. IN die verò Aſſumptionis beatiſs. Virginis MARIÆ, quæ ſumma nobis eſt ſolemnitas, quando & huius loci ambitus ab Antiſtite cõſecratus eſt, quis digne commemoret, quales [d] tentationum impetus, quantos impulſionũ fluctus euicerit, alijs eum hinc trahentibus, alijs inde retrahentibus, ac mira improbitate ſuggerentibus, ne tantæ honeſtatis, tantæq; ſpectabilitatis caſtrum deſereret, cum & ipſe Antiſtes carnem ſapiens, & cor in terra trahens alterius ei mãſionis concambium repromitteret. Sed Chriſti miles inuictiſſimus, & vere ſuper Chriſtum fundatus, inter imbres & flumina tot quoq; ventorum flamina immobili perſiſtens tolerantiâ, nec terrore teri potuit, nec turbine frangi. Fortis enim eſt vt mors dilectio, & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Nihil ſeruo Dei de multiplicis poſſeſſionis ſuæ complacebat ſpecie, quia ſola pretioſæ margaritæ, hoc eſt, charitatis diuinæ claritas fulgebat in mente. Miniſteriales centum & quinq;, præter alias donationes glorioſas, cum ſufficientiſſimis poſſeſſionibus Monaſterienſi Eccleſiæ donauit, præter eos, quos Eccleſiæ Colonienſi, alijsq; locis, prout ipſi orauêre, contradidit.

An. 1112.

[d] Eius conſtantia.

XVII. TANDEM [e] ergo compoſitis rerum morumq; ſecundis in commune bonis, poſtquam à concuſſione dura reſpirare datum eſt illi; clauſtroq; fouere pacificos ſenſus, & in otia ſoluere curas, quantum purgatiſſimis moribus enituerit, Deum teſtor, quod humani ſermonis inopia nullatenus explicabit.

[e] Qualiter in cœnobio vixerit.

XIIX. STVDEBAT [f] primum in omnibus ſui deſpectum appetere, indigna quælibet atq; extrema ſeruitia non abhorrere, oblatam ſibi à fratribus venerationem humillimè declinare. Alto enim corde retinuit, quod à Magiſtro humilitatis accepit dicente: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.

[f] De humilitate eius. *Matth. 11.*

XIX. VERBVM [g] Dei audiens ſeu orationem Domino fundens, vberrimis profluebat lachrymis, quæ ſatis in illo declarabat ardorem ac deuotionem internæ puritatis. Qua de re vnus quoq; ſeniorum teſtabatur dicens: De hoc viro ſancto illud ego frequentius videns admiratus ſum, quod cum vna nobiſcum ad communem diſcumberet refectionem, non modo mira ciborum pollebat abſtinentia, verum etiam tam vberrimis atque creberrimis lachrymarum rigabatur fluentis, vt ſtupens hæc intra me reputarem. Deus bone, quid in hoc agitur homine beatiſſimo? quæ putas horum ratio gemituum? quæ tantarum cauſa eſt lachrymarum? Num ex nimia ſpiritualis lætitiæ ſe conficit abundantiâ, gratias nimirum agens, & amantiſſima conſideratione perpendens diuina, quæ hoc loco ipſe in perpetuum ordinauit miniſteria, quæq; iam nunc adeo videt in ſui feruere præſentia? Num inquam pro his magnificis Dei beneficijs in tantum gratulatur, vt à lachrymis tam affluentibus temperare non valeat? An verò potiùs tam immenſo, tam impatienti, tam inconſolabili rapitur æternorum deſiderio bonorum, vt illius intuitu, terrenorumq; faſtidio nil omninò ei niſi flere libeat? Vtriuſq; profectò cauſæ ſalubris & laudanda religioſitas, vtriuſq; compunctionis beata taliq; Dei ſeruo condigna ſublimitas. Hæc ſenior noſter, quæ aſſiduè oculis ſuis intuitus eſt, veraci ac fideli mihi teſtimonio proſecutus eſt.

[g] De compunctione ipſius.

XX. SEMEN [h] præterea verbi diuini fœcundo corde percepit, tantaq; ac tam crebra exhortationis gratia diffuſa erat in labijs eius, vt pater Norbertus de ipſo gratulatorie dixiſſe perhibeatur: Poſtquàm ego in prædicationis curſu laſſatus defecero, Godefridum filium meum ſuſcitabo more ceruorum, qui cum ſe venatorum inſtantiâ ſupra vires laſſari perſenſerint, alios pro ſe ceruos exagitandos ſuſcitare memorantur. Proinde vel vnum ex dictis eius, quod à fratribus didici memorabile, piæ menti non ingratum erit aduertere. Cum fratres exhortaretur nõ curare labia iniqua, & detrahentium inepta mendacia, quia imperitos tantum falſus honor iuuat, & mendax infamia terret, Mendacium, inquit, diù non ſubſiſtere valet, veritas autem ſtabilis perſeuerat & ſolida. Mendacium enim in præcipiti ſedet equo, veritas autem in aſino. Et recta planè ſimilitudo, veritatem ſedere in aſino, quia Dominus meus qui ait: Ego ſum veritas, in aſino ſedere dignatus eſt.

[h] De prædicandi eius & exhortandi gratia.

Ioan 14.

Matth. 21.

XXI. CORPVS [i] etiam ſuum & Apoſtolico caſtigabat exemplo, aperenni frangebat ieiunio, ſciensq;, quod

Summa quies nil velle ſuper quam poſtulat vſus
Debitus, vt ſimplex alimonia, veſtis & vna
*Infirmos * tegat, ac recreet mediocriter artus,*

modicis omnino contentus erat, aquam frequentiùs bibens, & pane ſolo excepto, vix aliud quippiam alimentorum ſumpſit.

[i] De corporis caſtigatione. *1. Corinth. 9.*

* *MS. curat, tegat, &c.*

XXII. CVM [k] autem fratres quidam tepidi de rigore ordinis relaxando illi ſuggererent, vir ſanctus Dei Spiritu plenus hac ſimilitudine reſpondit: Qui magnum fluuium nauigio tranſmeare proponunt, longè ſuperius à deſtinata ripa nauigare incipiunt, quia violentiâ retorquentur inceſſabili, & velint nolint, cum fluuio quodammodo deſcendere compelluntur: Ita & nos fratres, qui hoc mare magnum & ſpacioſum manibus pertranſire contendimus, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, adiungere aſcenſum, noſtrum roboremus propoſitum, quia humanæ torpor negligentiæ ſemper in deſcenſu eſt: & vereor plurimùm, ne in futurum ordo noſter deſcendendo vel prolabendo nimium, (quia qui modica ſpernit paulatim defluit) ad temporis priſtini relabatur decurſum.

[k] De tepore vitęq; remiſſione cauenda. *Pſal. 105. Eccl. 19.*

XXIII. QVODAM [l] tempore cum ciues Monaſterienſ. aduerſus Comitem noſtrum, ſeculari adhuc habitu detentum iurgia cõcitarent, & bella mouerent, vnus ex miniſtris eius cũ ſuis complicibus, in viciniã illam excurrens, p̃dam congregauit copio-

[l] De ſumma eius in bello abſtinentia & iuſtitia.

copiosam,animalia quoque multa,quæ diripuerat,stante in porta Comite,tanquam gloriabundus adduxit. Cumque vir pius æquitatis amicus,inquirens quid hoc esset, rem didicisset ex ordine, continuò sancta indignatione permotus, ministris astantibus, [a] Ite, inquit, dicite praedoni iniquo, ne nostros vnquam præsumat adire conspectus,donec eis, quos impiè læsit,satisfaciat,omnibus quæ rapuit ad integrum restitutis.Si enim homines ciuitatis illius ad præsens nobis, prout forte sumus digni, aduersantur,nunquid ob hoc præsumptor iste villanos & innocentes quosque, nostri sub nominis vmbra, deprædabitur ? Ad hoc ille perterritus, & nil tunc minus auditurum sese arbitratus quantociùs discessit,ex rapina nil sibi retinere præsumens sua cuique multâ cum solicitudine,resignauit. Itaque cum in Godefrido multa stupeamus mirifica, ea plus mirari solemus, quæ in seculari dignitate bona executus est.

[a] Perinsigne militis Deũ timentis dictum,factum.

Inter [b] cætera cœlestis gratiæ dona, eximia quoq; in viro Dei necdum seculi rebus exuto abundabat compassio, nec leprosos, aut quamlibet infimæ conditionis ægrotos despexit, adeò vt stupentibus ministris,pauperrimo cuidam apud se languenti pius atq; humillimus visitator assideret. De sordidissimo eius vasculo vnà bibere non exhorruit,per omnia infirmanti se contemperans, &, iuxta Apostolicam eruditionem, ita subueniens, quemadmodum sibi vellet subueniri, si eadem vel simili ægritudine laboraret. XXIV.

[b] De misericordia eius in miseros, & comitate in viles & abiectos. 1. *Corinth 9.*

Illvd [c] quoque de hoc liberalissimo Dei seruo nequaquam tegam silentio, quòd gladio adhuc accinctus, dum iret ad visitandum Varlarense cœnobium cum famulo suo Giselberto,quem postea conuersum vidimus,occurrit mendicus eleëmosynam petens. Mox vir misericordissimus nullatenus ferens vacuum abire pauperem,Giselberto ait:Remansit oro quicquam in loculis? Respondit ille,etiam Domine,da inquit pauperi. Quo facto,rursus quæri iussit, si quid adhuc foret residuum,iterum ergo datum est pauperi. Sed nec sic quieuit sancti viri larga benignitas quousq, tertio quoque totum quod remanserat,pauperi donaretur.Ita Trinitatis Deificæ verus confessor & cultor,sine trino munere inopem præterire nequaquam passus est. Famulo quoque suo dixit: Demus quæso egenis quidquid valuerimus, quatenus DEI nostri bonitas nouellam plantationem fratrum nostrorum in Capenberg & Varlare confirmare dignetur. XXV.

[c] Liberalitas eius in pauperes.

Cvivs germanus Otto, quod prætereundum non est, cum esset apud Elofstat, illis in partibus diuinæ seruitutis cultum dono Dei ampliauit. Manegoldus enim vir nobilis & potens, cuius erant castra duo, Hagen & Wirberg, ab aduersarijs suis vna cum filio interemptus est. Remansit [d] autem totius possessionis hæres vnica filia nomine Aurelia. Quam multis vxorem petentibus (erat enim satis elegantis formæ) venit Otto, & dato ei perpetuæ castitatis consilio, noctu eam non sine vitæ periculo,voluntariam abduxit.Deindè pontificali & regali auctoritate subnixus multis & varijs exegit laboribus,quòd simul cum Aurelia hæreditas tota diuinis ministerijs mancipata est. Castrum igitur Hagen ipse deleuit incendio,in altero autem fratrum & sororum hodie viget religio. XXVI.

[d] Otto Aureliæ,Manegoldi filiæ castitatem suadet eam quæ abducit. *Sup § 14.*

Qvantæ verò puritatis, quantæq; simplicitatis deuotione Godefridus cuncta reliquerit, & ex responso ipsius, quo Eucruuino satisfecit,plenissimè declaratum est. Ea namq; tempestate,qua raptam à Francone matronam laboriosè requisiuit, [e] fama, quæ tam praui fictiq; tenax, quam nuncia veri est,mox vndiq; percrebuit,Comitem Godefridum pœnitudine ductum,suam recepisse coniugem,fratresq; omnes de castro,quod iam religiosi occupauerant, cum iniuria perturbasse. Talibus figmentis ad Mosam vsque diuulgatis, venit de finibus illis Eucruuinus, nostri Henrici germanus,eundem Henricum secum sperans abcessurum: & salutato Comite, cum benignè susceptus foret, causam aduentus sui requisitus,exponebat dicens: Veni Domine fratrem meum qui apud vos conuersus est,quem & vnicè diligo, pristinæ reuocare professioni, quia iam pridem vos, receptis omnibus,vniuersos fratres expellere cœpisse,longè lateq; nuntiatur. Tunc vir Dei alacri vultu respondit: Quid ergò ? Nonne tuis,amice,oculis in præsentiarum comprobas,ficta esse omnia? Miror quidem valdè tantæ impudentiæ figmenta. Qua enim temeritatis audaciâ mihi ea vsurparem,quorum hodie nulla proprietas omninò mihi residua est, quæq; Dei solius sunt attributa seruitio ? Scis tu, Deus meus,quòd etiam si filios nutriendos ex fœmina illa suscepissem, stipem potiùs necessitatis nostræ ostiatim mendicando,paruulosq; in ceruice mea gestando conquirerem,quam eorum quippiam,quæ Dei sunt atq; seruorum eius, aliquatenus temerare auderem. Hæc audientes qui aderant,tantam tanti viri sinceritatem,altissimamq; paupertatem vsquequaq; non sine fletu mirati sunt. XXVII.

[e] Infamiæ notam sibi inustam qui repulerit. *Virg. Æneid.*

Tempore quo maximè Friderici Comitis aduersus virum Dei feruebat persecutio, quemadmodum ab eodem furore suo vel ad modicum tyranni refracta fuerit immanitas, occultare non debeo. Accidit vt illis diebus apud Traiectum fieret,præsente ac iubente Imperatore Henrico, [f] Comitum,Marchionum,aliorum conuentus nobilium, vbi & ipsum contigit adesse Fridericum. Dum ergo tractatis nonnullis Imperij negotijs seorsim in secretario suo resideret Imperator,confidentes forinsecus Principes,vt assolet,multa inter se vario sermone ferebant. Cum ecce vnus Sueuorum Princeps bene Christianus, dissimulans omnino se,quis esset Fridericus,agnoscere,cœpit illum facetissima vrbanitate, in illius senatus audientia, confutare, hoc modo Godefridi nostri,eiusq; fratris conuersionem inducens: Paulum, inquit, ô heroes & commilitones dignamini aduertere. Auditum est, & celebri sermone vulgatum in finibus nostris memorabile gratiæ Dei miraculum,quod videlicet Capenbergenses Comites duo,diuina inspiratione cõpuncti,omnia sua Domino Deo nostro reddidere, ita vt omnis hæreditas ipsorum in obsequium pauperum Christi, Deo iugiter seruientium cedat in perpetuum.Felices nimirum viri multumq; beati,quibus à Domino tantæ virtutis est collata ingenuitas,tamq; sublimis propositi feliciter est consummata voluntas,qui nostris diebus vniuersis Christi fidelibus magnificum sanctitatis ac voluntariæ paupertatis largiti sunt exemplum, seipsos quoq; non dubitantes humiliter in eorundem Dei pauperum aggregare consortium. Sed ecce, ô nefas,quidam in vicinia illa filius diaboli Fridericus nomine de Arnesberg tantæ sanctitatis bonum, vt fama est, præpedire nititur,atque nubilo cæcatus auaritiæ in ipsum Deum,quod nullus ambigit Christianus,infelicia bella machinatur. Ego verò si Deo nostro hic pessimus mortalium aliquando prædo pualuerit, minus libenter ipsi Deo me deinceps seruiturũ profiteor,qui tantã nominis sui iniuriam propulsare noluerit. Nec tamen desperare queo,in conflictu isto,Dei futuram esse victoriam. Inter hæc autem irrisoria Principis verba,infelix ille grauissima confusione deiectus huc illucq; vultum declinabat, loquentis aspectum ferre non sustinens, nec in tali conuentu præ conscientiæ impietate,vel mutire præsumens. XXVIII

[f] Fridericus Comes Arensbergensis viro sancto bellum molienti, quomodo in principum conuentu reprehensus fuerit.

Hoc tamen compertum nobis & certum est, quod post conuentum illum regressus domum, aliquantum cœpit agere mitiùs, missoq; nuntio, virum Dei magna cum lenitate deprecatus est, vt dignaretur Arnesberg ad suum venire colloquium. Hic sperans eum de animæ suæ remedio quippiam tractaturum,paucis fidelium suorum assumptis in Assumptione beatæ Mariæ Virginis confidenter venit ad locum. Vbi [g] dum captiuos,compeditos,& incarceratos plerosq; reperisset (semper enim homo crudelissimus habebat,quos in catenis maceratos affligeret) super his, more suo, viscerali flexus clementiâ,primo omnium pro his rogaturus accessit. Verum ad omnes supplicationum blanditias ille velut pelagi rupes immota resistebat,non tantæ solemnitatis gratiam, non tanti viri reuerentiam, non deniq; lamentabilem captiuorum miseriam dignatus aduertere. XXIX.

[g] Godefridus apud eum, pro redemptione captiuorũ intercedit.

Qvid [h] autem mirum si eo tempore homo sæuissimus nullum pietatis admisit remedium, qui & ipsâ mortis suæ horâ nullius preces, nullius consilium admittens,nec vnum quidem ex captiuis relaxare voluit. Mortuus est impius tam tetri, vt aiunt, putoris molestiâ, vt matrona quæ illi assidebat, ipsa etiam post paululùm expiraret, & percussione XXX.

[h] Friderici comitis dura mors.

tyranni

tyranni gratulantes captiui; tunc demum absoluti sunt, frustra tamen, quia ex eis nonnulli diuturno carceris squalore infirmati spiritum in breui reddiderunt.

XXXI. Dolente [a] autem Godefrido, causam sibi pro qua vocatus esset, non aperiri, assumptum eum circumducere cœpit Fridericus, murorum ædificia, vel cæteram supellectilis suæ varietatem ostentando, cum tamen vir sanctus omnia hæc irrideret, & cuidam suorum, qui idipsum mihi attestatus est, innuens, hæc auribus eius instillaret: Existimat hic homo, me huiusmodi vanitatibus oblectari, sed ego hac vice velut ex necessitate morem ei gerere compellor, cum tamen pro cunctis eius, quas ostentat diuitijs, putris calami precium non commutarem. Paucis deinde illum exhortatus, omnis protinus dilationis impatiens, festinauit ad reditum. Semper enim seculi tumultus molestissimè ferebat, paradisum æstimans claustrale silentium, & dilectæ sibi solitudinis quietem omnibus Crœsi superponens diuitijs.

[a] Ostentatas contemnit opes Godefridus.

XXXII. Post [b] hæc verò, cum persecutoris sui cognouisset interitum, veræ compassionis affectu, memor clementiæ, immemor malitiæ lachrymas fudit, per Spiritum in se habitantem, sciens ad quæ vel quanta supplicia talis anima iusto Dei raperetur iudicio. Venerunt quoque sub idem tempus nonnulli ex ministris eius dicentes: Ecce Domine, qualis & quam ampla vobis obuenisset hæreditas, si huius mundi gloriam, quam possidere valebatis, non vltro placuisset abijcere. Quos ille indignantis vultu reuerberans: Quid est, ait, quod pro magno iactatis? Nunquid non omnia relicturus eram, quemadmodum & iste moriendo reliquit? Ecce interijt, nec iam sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius. Scis tu Domine Deus, quod etiam si sic futurum præuidissem, nequaquam ob hoc tamen conuersionis distulissem gratiam, nisi fortè ad amplius dilatandam laudationis tuæ seruitutem. Quid porro magnum feci ea relinquendo, quæ ipsa naturæ conditione mecum permanere non poterant? Nonne

Omnia quæ tempus peragit, quæq; exitus aufert,
Vilia sunt breuitate sui?

Respondete quæso. Num si vobis opulentissimam ciuitatem vna siliqua comparare daretur, siliquam illam tam lucroso commercio eligeretis subtrahere, plus diligendo siliquam, quam ciuitatem amplissimam? Ad quod illi cum respondentes dicerent: hoc factu stultissimum: Longè, inquit, stolidior, longeq; vesanior est, qui quamlibet amplam huius mundi substantiam pro regno cœlesti commutare dissimulat. Quis gloriabitur, imò quis meritò de hoc remunerari postulabit, si auctori suo restituat, quod ab ipso accepit? Et tamen pius Dominus, etiam in huiusmodi, nobis occasionem salutis constituit, quod sola nimirum dignatione fit eius inexhaustæ bonitatis.

[b] De aduersarij morte dolet, plurisq; faciendа sempiterna quam terrena docet.

XXXIII. Novi [c] prætercà vnum è fratribus magnæ sanctitatis & grauitatis virum, qui mihi secum de Godefridi meritis conferenti, hoc sermone respondit: Eia frater, quis est hodie mortalium, qui merita sanctitatis eius ad plenum æstimare sufficiat? Ego tanti miraculi exhibitionem per sacram illius præsentiam præsens expertus sum, vt longè inferius reputarem si vel cæco mihi visum, vel claudo gressum, seu etiam surdo restauraret auditum. Solo n. intuitu, sacriq; vultus eius efficaciâ quotidiè infestum à me repellebatur dæmonium. His auditis obstupui fateor, & hæc referenti: Per illum, inquam, te obtestor, qui est vera charitas, ne huius tam fructuosæ, tamque diuinæ rei me fraudes notitia. Tum ille: Eo inquit, anno quo primum mutato habitu monasterium petij, multis me tædijs hostis antiquus, multisque tentationum aculeis incessanter aggressus est, ita vt ipsum dæmonem scapulis meis quodammodo insidentem, & intolerabiliter me ab omni operis deuotione retardantem, continua vexatione sentirem. Hunc ego dæmonem aliquando vehementius insistentem, cum pro posse reluctans, in oratione coram altari sancto prostratus, diuinum inuocarem auxilium, Dominus mihi etiam visibilem ostendit, habitu deformem, vultuque teterrimum. Quotiescunque igitur sic affligebat, currebam [d] & inquirebam sancti viri præsentiam, & continuò eo viso, quasi quodam rore perfundebar, moxque fugam dæmonis, & mirabile tam corporis quam spiritus sentiebam refrigerium. Quod si præsentem fortè videre non valebam, sed tantummodò solam vocem ipsius audire merebar, confestim non dissimili consolationis gratia refrigeratus sum, adeò vt nullatenus ambigere possem, talia in eo operari præsentissimam Spiritus sancti efficaciam. Quo Spiritu ille illustratus, meas quoq; me tacente cognouit angustias, & velut omnia in se mea expertus incommoda, congruam quoque consolationis vocem formabat dicens: Frater mi, consolare, viriliter age, & quoties in tantum affligeris, vt ne vnam quidem orationem coram Domino fundere præualeas, sustine tempus miserendi eius, atq; in spe futuræ consolationis Dei respira, certissimè sciendo, quia iuxta Prophetæ veridicam vocem: si abiecit; & miserebitur secundùm mitudinem miserationum suarum. Ita me dulcissimo sermone, & mellitâ Dei melle linguâ refouebat, sicq; annum ferè continuum agonizabam, & quocunque die virum Dei casu aliquo videre vel audire non merui, grauissimâ vt præfatus sum, dæmonis infestatione conterebar. Hæc ego dicta vel acta sancti fratris nostri nequaquam passus sum tegi silentio, quatenus pia omnis cognoscat anima, quanta in Godefrido nostro reposita fuerit supernæ gratiæ magnitudo.

[c] De ipsius contra dæmonũ molestias efficacitate.

[d] Sanctorũ aspectus & auditus salutaris.

Thre. 3.

XXXIV. Oportebat [e] quodam tempore hunc Dei seruum adhuc ferentem gladium, cum fratrum ita popposcisset vtilitas, ad Imperatoris Henrici cognati sui venire colloquium. Erat autem Capellanus eius Eppo, qui postmodum tanti viri exemplo conuersus est, cui tamen interim non valdè fuerunt accepta conuersionis Domini sui principia. Hunc ergò cum paucissimis famulis assumens, dum iter aggredi tentaret, ille ausus est dicere: Qualiter, ô Domine, tuum Imperator aduentum excipiet? quali putas vultu te egenum aspiciet, & pauperem habitu, vel crine deformem? absq; solita militum frequentia modo ad se venientem? Cui vir Dei placidissimè respondit: Hoc, frater, Deo nostro totum committo, in cuius manu cor Regis est, & quocunque voluerit, inclinabit illud. Cum ergò venisset ad palatium, Imperator licet varijs occupatus negotijs, cum videns reiectis omnibus à longe cucurrit in amplexus eius, exclamans atque dicens: O cognate dilectissime, Deo nostro immensas gratias ago, quod te videre hodie merui. Nec enim hac die talem ac tantum, tamque mihi præcipuum virum me visurum æstimaui. Ita miro susceptum amore, magno quoq; eum honore detinebat, & præ cæteris, ad Capellani ruborem, familiarius habitum, demum non absque affectuoso mœrore dimisit in pace.

[e] Henrico Imperatori quam acceptus Godefridus.

Prouerb. 21.

XXXV. Antistes [f] quoque porro Monasterienſis, cum suggerentibus plurimis, castrum Capenberg, ne in partem seruorum Christi cederet, obtinere niteretur, plurimaque loca beato viro in concambium cunctis acclamantibus offerret, ipse super petram verè fundatus constantissimè resistebat ita respondens Episcopo: Frustra, Pater, vniuersi conantur, quicunque terroribus vel blandimentis propositum nostrum * de loci huius mutatione Dei dono inspiratum, impedire laborant, quia nullâ feram ratione, vt, me superstite, deinceps in hoc loco mundanę vanitati seruiatur, quin potiùs id, elaborare necesse est, vt vbi hactenus licentiosa militum grassabatur incursio, illic amodo cœlestis obsequij succedat assiduitas, sufficiunt enim præteriti dispendia temporis ad stultorum voluntatem consummandam, qui ambulauerunt, vt scriptum est, in luxurijs & desiderijs suis. Mihi credite, etiamsi quadruplo tantum possessionum recompensantes offerretis, nunquam castrum hoc vlterius sæculi negotijs occupari consentirem. Tanta beati viri cõstantia, taliq; responsionum strenuitate confutati, nil Antistes, nil cæteri omnes vltra super hac re tentare præsumpserunt. Sed & tyrannus, quem sæpè iam diximus, tremendum verborum eius fulmen expertus est, cum foret ex illis vnus vir iste, de quibus legimus, quod si quis eos nocere voluerit, ignis de ore ipsorum egrediens, deuorabit inimicos eorum.

[f] Cõstantia eius in dicanda Deo arce sua Capenberg

* *MS. ab hoc.*

[g] Sancta loci metamorphosis. vt Rom 6. v. 19.

Ps. 4.

Apocal. 11.

DVM

[a] Ignea eius in reprehendendo peccatores vis.

DVM [a] n. ingenitæ libertatis memor Godefridus, contra se Leuiatan, mundi despectu, suscitaret, mox conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit furor, indignati sunt habitatores Chanaan, quorũ p̃cipuus Fridericus auaritiæ flãma succensus (halitus quippe diaboli prunas ardere facit) possessionib. Comitis, filiæ occasione, inhiabat, instabat, exercitum aduersus Comitẽ ductabat, crebrò placitabat, impietate pro pietate vtebatur. Cõdicta igitur die in magnæ multitudinis frequentia, collatis multis hinc inde sermonibus, demũ vir Dei innocentiæ puritate cõspicuus atq; liberrimus, huiusmodi fulminea S. Spiritus iacula in illum cõtorsit dicẽs: Eia, miser homo, q̃d tantopere infimis & caducis reb. æstuas? Quid finitimis inhias cõempto limite, agellis? Nunquid tu solus habitabis in medio terræ? Nunquid mundum vorabis vniuersum? Esto; Et quid tibi proficit, si totum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? Tu quidem filiæ nobis occasionem adducis, verum vniuersi nouimus, quantus te insatiabilis auaritiæ obsideat morbus, qui, mundo teste, nec defuncti fratris tui filiæ pepercisti, sed eadem auaritia væsaniens, captiuitatis eam iniurijs affecisti. Inter hæc verba mirabili confidentia, multorum cum stupore, mentum illius apprehensum concutiens adiecit etiam hæc: Ecce [b] facies tua iam iamq́ marcere incipit, ecce caro vultus tui iam contabescit, velis, nolis, iam tempus imminet, quo resoluêris in puluerem, & redigetur in lutum ceruix tua. Princeps, & vnus ex huius sæculi primis, ore vulgari nominaris: Sed timendum æstimo ne in futuro sæculo non inter primos, verum nec inter nouissimos ac despectissimos computari merearis. Tunc ille irridens cum timore respondit: Vos quidem, ô Domine, * non tam à Deo Dei Spiritu repleti estis, quin ego fieri queam saluus æque vt vos, & vester ille seruus seductor Norbertus. Ita ergò ignis vt dixi de spirituali cœlo descendens, veritatis inimicum vrebat atque consumebat, cruciabat non illuminabat. Nec multo post infelix ille mortuus est, & respirauit mundus tali peste liberatus. Nam [c] & fratres vniuersos nunc minitando, nunc militari manu terminis eorum proximando, tantis aliquando terroribus concusserat, vt vnanimiter vnâ cum Godefrido ac patre Norberto facta inuicem confessione, tanquam oues occisionis ceruices pararent, & portis vltro apertis, martyrium indubitanter atque alacriter expectarent. Sed Dominus qui seruos suos, quos per vasa iniquitatis probat, de tentationibus nouit eripere, iniquos verò in diem iudicij cruciandos reseruare, egressum eius, insaniam ac superbiam sua potentia irridens circulum in naribus, & frænum in labijs eius posuit, & per viam qua venerat, omni quidem labore frustratum, sed voluntate non immutatum redire coëgit. Et ille quidem præfatis Christi pauperibus, tanquam Saul malum Dauid quærebat cunctis diebus; Veruntamen Dominus non tradidit illos in manus eius, istos per tribulationes examinans, illius verò malitiam mirè tolerando contemnens.

[b] Friderico comiti mortem prædicit.
* *MS. nondum à Deo.*
[c] Friderici comitis crudelitas.
2. *Petri* 2. *Iob* 40. 1. *Reg.* 18. & *seqq.*

XXXVI. *Exod.* 15

CVM [d] autem in medio fratrum positus Godefridus, vitâ refulgeret angelicâ, fratres eum vniuersi prout dignum erat, honorabant, & pristino dignitatis nomine Comitem interdum nuncupabant. Sed ille cuius exemplo humilitatis, vitam quisque suam dispicere cogebatur, hoc [e] honoris vocabulum vehementer expauendo refugit, fratribusque dixit: Per charitatem Christi vos obtestor dilectissimi, ne me seruum omnium vestrum deinceps vnquam tali vocabulo contristetis. Sub hoc enim nomine me in multis excessisse profiteor: meos quoque sub huius auctoritate nominis plurimum deliquisse, dolens & gemens recognosco. Sed minimum est hoc humilitatis indicium, cum aliquando etiam, quod ad confutandam superbiam nostram silere non possum, se cloacarium domus nostræ humilima seu extrema seruitute deiectus exhibuit.

XXXVII

[d] Comitis nomen refugit Godefridus; & eius humilitas.
[e] De pia ministeriorũ humilitate S. Ephrem Paræneſi 2 to. 2 S. Bonau. ad innom de instit S. Frãc. & exempla Gallicani, Pãmachij, Fabiolæ apud S. Hier. & alios.

PORRO [f] charitatis & eleëmosynæ tantus amor eum deuinxerat, vt ipse domum hospitalem, quæ hodie cernitur, per se construeret, per se quoque inibi pauperum pedes, dominicæ institutionis minister & custos, frequenter abluêret, ac nummos distribuendo singulis misericordiæ opus impenderet, paternum circa eos affectum gerens per omnia, ita vt cum beato Iob veraciter loqueretur affectu: Pater eram pauperum, & cor viduæ consolatus sum. Item: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mecum creuit miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Dispersit enim omnia & dedit pauperibus, vt iustitia eius maneat in sæculum sæculi, & cornu eius exaltetur in gloria.

XXXVIII

Ioan 13. *Iob.* 29. *ibid.* 31. *Psal* 111

[f] Hospitale erigit, in quo pauperibus famulatur.

EVANGELICI etiam præcepti non segnis imitator, [g] inimicos innocentiæ puritate diligebat, omnesq́; obtrectatorum iniurias formissimus patientiæ custos magnanima æquanimitate sufferebat. Rocolo quoque verbum bonum, quod à quodam familiarium nostrorum, qui oprimè nouerat sanctum virum in hunc modum lætus accepit: Verè, inquit frater, quid ampliùs tibi dicam? Vir de quo agis, fundatus erat supra firmam petram.

XXXIX *Matt* 5.

[g] Eius erga inimicos charitas.

QVIS [h] ordo fidelium ampliora his virtutibus expetat miracula, cum hæc ipsa sint tam admirandæ sanctitatis insignia? illa nimirum sunt diuinæ operationis prodigia, quæ cum reprobis non possunt haberi communia, & de quibus Propheta gratulatur dicens: Tu es Deus qui facis mirabilia.

XL. *Matt* 7.

[h] Cassianus coll. 12. c. 12.

VERVM [i] præter has, aliasque spiritalis gratiæ dotes, quas profectò mortale non capit ingenium, nec digne promit eloquium, vir sanctus mirabili atque inæstimabili ad Christum transeundi flagrabat desiderio, ac inenarrabilibus anhelabat suspirijs, propter quod & Dominus properauit educere illum de medio iniquitatis. Nam & frequenter, socijs in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse [k] quêadmodum in exequijs mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua composuit supinus dicens clamore intimo, gemituq́; vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus, ô si ad hanc horam aptare ac præparare me digneris Domine Deus meus.

XLI. *Psal* 72.

[i] Præternæ vitæ desiderio mortem anhelat.
[k] Hoc & in Lectulo suo imitari sæpè vtiliter potest quilibet.

DENIQVE [l] vt summi etiam Patriarchæ non deesset obedientia, dictum est illi à patre Norberto: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Ad quod sine mora, implendum obedientissime paruit, iamq́; discessurus vna cum venerabili Domino Ottone fratre suo: Ecce inquit frater mi, si quid hactenus residuum fuit, quod non perfecta renunciatione calcauimus, iam funditus in nomine Christi deseramus, nihilq́; vltra proprium retinentes ad iter obedientiæ alacriter propetemus. Venit [m] ergò ad locum verè, iuxta nomen suum, à Domino præmonstratum, electum ac prædestinatum, vbi & origo nostri ordinis cœpit, vbi cum fratre acolytus ordinatus est, ibiq́; quamplurimos angelicæ suæ conuersationis exemplis roborauit.

XLII. *Gen.* 12.

[l] Peregrinatur & ordines suscipit.
[m] Vnde Præmonstratensis ordo.

POST [n] annum verò reuocatus ad patrem Norbertum iam Archiepiscopum Magdeburgensem, cum sæculi pompam vel strepitum sancti viri egrè ferret aspectus, Domino electum suum remunerare disponente, lenta cœpit pulsari ægritudine, acceptaq́; benedictione patris Norberti, ad *Elofstadense declinauit cœnobium, vbi hoc ordine post non multos dies migrauit.

XLIII.

[n] Elfenstadij ægrotare incipit.
**Elfenstadense.*

CVM [o] languoris molestia sensim per dies ingraueſceret, aderat ei deuota solicitudine germanus eius Otto cum nonnullis fratribus, quibus ipse transitum suum iam iamq́, desiderare perhibebat. Cumq́; astantium vnus diceret: Absit Domine. Nequaquam nos desolatos relinquetis, nobis adhuc perneceſſarius eſtis: vir beatus velut indignantis vultu respondit: Eia frater, quid est quod loqueris? Vt quid oro pœnitentiæ habitum suscepimus, vt quid etiam pro Christo tota die mortificari contendimus, si non per labores hos quantocyus ad Christum emigrari cõcupiscimus? Optandum mihi est via breuiori pergere, atq; ad conspectum vultus Christi, quem semper optaui, maturius peruenire. Ad hæc dicta cum germanus eius graui se mœrore conficeret, consolans eum beatus ait: Idcircò, mi frater vniuersa propter Deum abdicauimus, quia nos ad huius horæ necessitatem peruenturos, hoc est, morituros, certissime nouerimus, præoptantes atq; satagentes, ne huius nos procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergò hanc à corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem, gaudentes & gratias agentes quod de labore ad requiem, de misse-

XLIV.

[o] Quæ ad moriendũ pijs consolatio, pœneq́; illecebra sit, ostẽdit Godefridus.

miseria ad beatitudinem transmigramus. Nec enim poterimus operum nostrorum retributionem desideratam percipere, nisi contigerit, hinc per mortis gustum exire. Quia verò initium est retributionis in obitu securitas mentis, videres illum nihil hæsitantem, nihil pauitantem, quinimò vehementer exultantem, ita vt liquidò in hoc sancto recognosceres, quod fidelis seruus vicinæ mortis tempus agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Vigilantem enim illum inuenit Dominus, castimoniæ zona præcinctum, & lucernas exemplorum lucis gestantem in manibus. *Luca 12.*

XLVI. DEINDE [a] cũ sacri olei fuisset liquore inunctus, pacis osculum fratrib. dedit vniuersis, ita dicens: Ego quidé fratres gratia ordinis ac zelo diuini honoris, quosdã vehemẽtius quandoq; allocutus sum. Vnde si quẽ vestrũ offendi, quęso, ne dedigneturignoscere His dictis, nõ sermone responsum, sed fletib. pariterq; cõtristatis omnib. paulo post fratri sic locut[o] est: Frater mi, audio vocẽ dicentẽ; Exite obuiam ei. Et facto item interuallo, cum frater q ei sedulus assidebat, ab eo inquireret, quid spei haberet, vir sanctus latino sermone respondit: Magnam spem habeo. Iam enim pro toto mundo paulo diutiùs in hoc nollem morari exilio. Post hæc, paululùm conquieuit, apertisque mentis oculis cum ingenti subito exultatione dicebat: Beneueniunt nuncij Domini creatoris mei Quo dicto debitum creatori reddidit Spiritum atq; [b] Idibus Ianuar quo die baptismum Christi sancta recolit Ecclesia, beata illa anima carne soluta, æternæ regenerationis induit candidatum anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXVI. ætatis autem suæ fermè XXX. migrauit ad Christum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. [a] Sacro oleo inungitur. *Matth 25.* [b] 13 Ianuarii 1126 moritur. Vide Bar. hoc anno.

XLVII. PORRO [c] Gerbergis Abbatissa, de qua præfati sumus, vnice sanctum virum diligens, sæpius eum discedentem contestata fuerat, vti vel viuus, vel mortuus in breuieam visitaret. Cum ecce illi, in ipso transitu, apparuit miro decore redimitus, aureoq; diademate coronatus. Quem illa, transitum eius ignorans, cum requireret dicens: Quid est dilectissime, quod sic coronatus incedis? Ille respondit: Noueris me modo sine dilationis interstitio, sine vllo grauis examinationis periculo, ad summi Regis migrasse palatium, ideoq; tanquam Regis filium beata immortalitate coronatum. Quod ne aliquatenus dubites, ecce scripturam in diademate meo digestam agnosce. Respondit & attendit, atq; hoc modo digestum inuenit: Induit me Dominus vestimẽto salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, & tanquã sponsam decorauit me corona. Tum illa non ignorans quod scriptum est: Gloria & honore coronasti eum. Item Posuisti Domine supet caput eius coronam de lapide pretioso, diuinum aduertit fideliter oraculum, statimq;, nobis adhuc ignorantibus, Missas pro eo celebrari fecit, cum ecce frater eius post ferme dies decem veniens, felicem illius transitum hora eadem, qua nepti apparuit, completum, omnibus denunciauit. [c] Apparet Gerbergæ in magna gloria. Supr. c 5. *Isaiæ 61.* *Psalm. 8.* *Psalm 20.*

XLVIII. POST excessum sancti viri plurima sanitatum beneficia per illum Dominus operatus est, quæ nobis quidem, ad quos vix famæ tenuis perlabitur aura, nec omnia comperta sunt, nec facilè à quoquam sigillatim enumerari possunt. Quo tamen ex pluribus operæ pretium reor attingere. Est locus, in quo sanctimonialium cohabitat multitudo *Eltene nuncupatus, vbi vna ex sanctimonialibus acerrimo dentium [d] dolore laborabat. Cumq; ingraueſcente per singulos dies incommodo nihil obtinere posset remedij, turbata mens consilium denuo inuenit. Misit enim Dominus in mentem eius beati viri memoriam, quem adhuc viuentem bene norum habebat, & morte obita de virtutibus eius præclara multa compererat. Hinc toto cordis affectu cœpit implorare, quatenus suis apud Deum precibus tanto subueniret dolori Mira res. Vbi cõpleta est piè credentis & de S. viro præsumentis oratio, dolor omnis aufugit continuò. * Elcene. [d] Dolore dentium liberat quandam.

XLIX. EODEM quoque doloris periculo quidam ex nostris, qui sancto adhuc viuenti familiaris extiterat, permultum vexatus & infirmatus est. Dictum est illi & consultum, vti ad brachij minuendum sanguinem phlebotonum *poscere, quod agens, nihil omnino salutis consecutus est. Nouissime cum edidicisset prędictum sanctimonialis remedium, cœpit & ipse nostrum fideliter inuocare patronum. Fecit hoc, & mox curatus est. Hic Dei famulus Spiritu nobiscum est gaudens cum Apostolo, & videns ordinem nostrum ac firmamentum fidei, quæ est in Christo. Cum *etiam è fratribus vnus ad hymnos matutinos processurus celerius surrexisset, paululùm [e] forte resedit in lectulo, &, repentino sopore concidentibus eius oculis, egressa est processio. Moxq; vir Dei clarus astitit dormitanti, & vocans eum ex nomine: Frater mi, ait, surge quantocyus, quia chorum iam ingreditur conuentus. Ad cuius ilicò vocem surrexit, & citato gradu fratres procedentes consecutus est. Alium idẽ. * MS. poneret. * MS. enim. [e] Compellit surgere somnolentum vir sanctus

L. ANNO [f] Dominicæ Incarnationis M.C.XLVIII indictione XI. præsidente sedi Apostolicæ Papa Eugenio, regnante glorioso Dei cultore Conrado, & de peregrinatione sancti sepulchri redeunte, vt fratrum Capenbergensium satisfaceret desiderio, venerabilis Dominus Otto, Elosstad profectus est, conuocatisq; fratribus dixit, se memorabilis Godefridi germani sui ossa Capenberg transferre, iam tandem oportere. Hoc enim, inquit, dum extremum hic spiritum ageret, à me toto postulauit affectu, quod & hactenus mea neglectum desidia, nunc demum oportunum est, vt sine dilatione gratanter adimpleatur. Ilico contristati omnes, æqualis omnium tremor ac perturbatio; vna singulorum voluntas, eademq; sententia, nunquam se tanti fundatoris, ac domini sui fraudandos præsentia, vel patrocinio carituros. Istum aiunt, locum desolare veniſtis, vos qui patronum ipsius hinc auferre contenditis, quod si vllatenus præsumptum fuerit, omnes nos à maiore ad minorem, de hoc cœnobio in præsentiarum effugatis. Nobis enim ablatus, & nobis per diuinæ gratiæ ordinationem donatus est. Quod ergo Deus nobis concessit, homo qualiter auferre præsumit? Ad hæc venerabilis Otto respondit cum suis: Poteramus quidem, fratres mei, vos Apostolicæ sedis literis ad huius rei necessitatem etiam inuitos compellere, poteramus liberius & audacius quodammodo vobiscum agere, si non magis optaremus omnia consummari, vestræ vniuersitatis assensione concordi. Iam siquidem diximus, quod hoc viuus expetiuit, quia cœnobium Capenbergense præ cæteris diligebat, sed & ego quod differi non valeo, id me promtius executurum iamiam migraturo coram fratribus pollicitus sum. Illi è contrario, vt supra, sed discessuros iactitant, nec id vllius vnquam terrore potestatis elaborandum, vt huic in tanto loci sui detrimento, consensus vnanimitatem adhibeant. Et cum infinita surgeret altercatio, venerabilis Otto magno curarum fluctuans æstu, nunc huc, nunc illuc celerem diuidit animum, in partesq; rapit varias, perq; omnia versat. Nouissime vocatis maioribus hæc alternanti potior sententia visa est, & ipsorum consilio ad hoc deflecti consensit, vt reliquias illas partirentur, quatenus & illius, & nostri cœnobij perpetuæ stabilitatis & pacis forent tuitio. [f] De reliquiarum eius parte Capenbergam translata.

LI. DENIQVE cum idipsum ægrè permissum fuisset, atq; ipso die transitus eius, memorabiles reliquiæ cum magni frequentia concursus, de minori ad maiorem transferrentur Ecclesiam, hoc quod eiusdem cœnobij fratres diuinitùs accidisse mihi fideliter attestati sunt, ad Christi gloriam reticere non debeo. Matrona enim quædam amplæ satis familiæ Matthia nomine, quæ eatenus febribus vrebatur, nec ab aliquo curari poterat, per [g] eius medici omnipotentiam, qui per suæ humanitatis præsentiam socerum Simonis à febribus liberauit, ad Godefridi reliquias repente sanata est. Vnde ipsa quoq; nõ ingrata deinceps ad sacram eius tumbam [h] præ cæteris attentius excubabat, & sanctas reliquias in defossis orationum suarum frequentabat muneribus. [g] Ilmestadij ad eius reliquias curatur febris [h] In choro Ilmstadiensis monasterij, ante sũmum altare, tumba hæc est.

LII. POST [i] hæc, pridiè Idus Februarij, portio reliquiarum, quæ nobis obuenerat, à fratribus nostris, cum summæ deuotionis alacritate suscepta est, ita vt in die illo, nouo quodam & mirabili gratulationis tripudio fratrum nostrorũ perfusa vniuersitas sit, & quodammodo nobis illuxerit *Iubilæus*, qui est annus iubilationis plenus. Nam sicut legimus, [i] Capenbergensium lætitia ob aduentũ reliquiarum B. Godefridi.

Leu. 25. Deut. 15

Iubilæus adest (annus remissionis) *proprij distractio ruris,*
Antiquo donatur hero: seruire coactos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Libertas amissa petit, mala debita laxat
Creditor, & limen patriæ vetus aspicit exul:

Ita nimirum & nostra societas in huius patroni aduentu, velut antiquæ seruitutis mœrore proiecto, nouæ libertatis & exultationis gratia donata est, sentiens per eum vberiorem diuini respectus benedictionem consecutam.

LII. [a] An 1149. B Godefridi corpus tumulatur *Genes 39.*

DEINDE [a] anno sequenti, sextodecimo Calendas Octobris, sacra ossa, multis astantibus, in sanctuario nono venerabiliter ab Antistite Monasterienſi Wernero reposita sunt, ex quo nimirum tempore ipsa rerum experientia cognouimus, quod superni muneris abundantia intus & foris, magis magisque cumulati sumus, ita vt historiæ illius recordari possimus, qua dicitur: Benedixitq; Dominus domui principis militum, & multiplicauit tam in ædibus, quã in agris, cunctam eius substantiam propter Ioseph. Nos itaq; quemadmodum ille Princeps exercitus, huic nostro Ioseph votis assiduis domum delegemus gubernandam, creditis illi omnibus, quia profecto nostra omnia sub meritorum eius manu perpetuo benedicenda & promouenda indubitanter confidimus.

LIII. [b] Genealogia Godefridi * Vel Vnezam. De hoc supra c. 1. & 2 * M.S. Pariturus. [c] Eckerici perfidia.

PORRO [b] de antiquis possessoribus Capenbergensis castri, qui de Magni Caroli & Widekindi Regis progenie per * Imezam quæ Xantis quieſcit (quia, vt aiunt, sororis suæ filiam, Carolus tanquam pacis obsidem Widekindi filio dedit vxorem, & à cuius posteris curtem Wisde obtinemus) descendisse traduntur, quorum hodieq; in multis excellens claret magnanimitas. Vnum hinc Hermannum Comitem vna cum deuotissima eius coninge Gerberge de Huneburg Dei cultorem præcipuum necessariò inducimus, cuius stirpem ingenium ad nos vsq; pertingentem silentio præterire pro gratiæ Christi commendatione non debemus. Deus enim omnipotens, cuius dispositio in sui ordinatione falli non potest, in huius filijs hæreditatem *partituris, magnam suæ bonitatis ostendit euidentiam, dum omnibus nefariæ factionis traditione circumscriptis, vel vnum internecioni subtrahendo futurorum vtilitati reseruare dignatus est. Eckericus [c] enim quidam potens & nobilis, cùm eisdem filijs dominis suis fidele iurasset dominium, cœpit denuo illis nil minus opinantibus, clandestinis machinationibus aduersari, quærés quibus eos dolis extingueret, quorum dominio integram fidelitatem & ore firmauerat, & beneficijs obligatus debebat. Dispositis tandem insidiarum latibulis, eos velut ipsius causæ in [d] Lunensi placito suffragaturos, humiliter imò fraudulenter euocauit. Sed nutu diuino tertius qui & iunior erat, pridiè pedem sauciatus, proficisci nullatenus assensus est. Quid multa? Veniunt ad fraudis opertum, & ex medio nemoris, quod hactenus de cæde ipsa trahit vocabulum [e] Greuenlo, prosilientibus hinc inde militibus, bini cum duobus fidelissimis famulis interempti sunt. Pro quo scelere non longe post homicida perfidus, capite truncatus, & sursum versis pedibus ignominiosè suspensus est. Solus Godefridus, hoc n. nomen erat superstitis, domi, vt diximus, residēs, euasit, de quo noster Godefrid. ortus & nũcupatus, regionis Westphalię lumẽ effulsit.

[d] Luna opidum à Capenberg miliari vno disitum. [e] An hodie Greuenbrock?

LIV. [f] Godefridus & Otto Comites Capenbergenses castra Creinekke & Hilderadehusen, Friderico Sueuorũ Duci vendunt. [g] S Ioannis Apostoli reliquias recipiunt, non ex venditione aut pacto (sacra enim vendere canones vetant) sed ex donatione; quod ex verbis textꝰ colligitur, dũ dicitur, comitẽ potius maluisse centum marcis carere, quam tanto priuari thesauro: qui licet inuitè easdem traderet, recusare tamen ob præstitum ipsi à suprad. dictis comitibus beneficium, non fuit ausus.

PRÆTEREA factum est vt Comites Capenbergenses [f] Godefridus & Otto relictis omnibus Christi se iugo subijcerent, & habentes iuxta Sueuiam castra duo Creinekke & Hilderadehusen, ministerialesq; plurimos, & ad duo circiter millia mansos, his quoq; omnibus, sicut & cæteris quantocyus exui festinarent. Proinde Fridericus Sueuorum Dux oportunitatem nactus hos Comites adijt, flagitans, cognationis gratia (nam ipsius, horumq; Comitum auiæ sorores fuerunt) vti memoratas possessiones ab eius manu non elongarent, quia licet dignè appreciari non sufficeret, libens tamẽ aliquantum precij ad illorum offerret arbitrium. Cui tanquam cognato suo illustres viri plurimum benevolentiæ impenderunt, deditq; solummodo marcas quingentas, & pro marcis centum, reliquias [g] Ioannis Apostoli, satis pertinaciter asseuerans, huius quantitatem pecuniæ, quàm tantæ gratiæ thesaurum, se dare maluisse. Has igitur memorabiles reliquias venerabilis Otto, præcipuus Ioannis dilector nostræ lætabundus inuexit Ecclesiæ, atq; in capite reposuit deaurato, quibus & multo caritatis affectu reditus ad luminaria continua delegauit, & dimidiam ad minus argẽti marcam emendis fratrum piscibus, sed & ripa Rheni dimidiam vini carratam, ad festiue celebrandam eiusdem Apostoli assumptionem deputauit. Similiter quoq; in festo illius ad portam Latinam. Hæc itaq; de patrono nostro tantisper libuit annotare, quatenus cùm de thesauri huius veritate non ambigitur, amplior cunctis fiducia ferueniorq; deuotio in beati Apostoli laudibus excitetur.

LV. [h] B Godefridi stemma. [i] An hodie Ritberg? [k] Hinc apparet ista superiori Godefridi Comitis vitæ aliunde attexta. Vide caput 30. vitæ S. Norberti 6. Iunij.

PATER Comitum Godefridi & Ottonis, Godefridꝰ vocabatur, mater eorum Beatrix. Pater [h] eorũ de Westphalia oriundus fuit, mater verò de Sueuia. Defuncto Godef. patre eorũ, Beatrix maritũ accepit Henricũ Comitẽ de [i] Ryetbeke fratrem videl. Friderici Comitis antiqui de Arnesberg. Iam dictus Comes Henricus procreauit de Beatrice Comitissa filiam nomine Eileke, quam Eilekam vxorem duxit Comes Eigelmarus de Aldenburg, qui ex eadem Eileka filios genuit Henricum & Christianum Comites, & Ottonem fratrem eorum & Eilekam matrem Comitis Simonis de Tytneburg. Compunctus [k] est paupertatis spiritu Comes quidem Westphaliæ potentissimus Godefridus nomine, qui accessit ad beatum Norbertum, eò quod de ipso multa audisset. Sed cum adhuc maiora vidisset, omne consilium suum & voluntatem ei aperuit, & qui se totum iam Deo vouerat interiùs, sine mora de omnibus relinquendis, & amplectenda paupertate voluntaria perdocetur exterius. Erat quippè diues, potens in armis, vtpote homo iuuenis, in prædijs multis, seruis & ancillis locupletatus, quibus mox omnib. relictis se & sua omnia Deo per manus hominis Dei disponenda contradidit eo tenore, vt propriæ domus, id est, castri Capenbergensis transmutaret fastigia, vt vbi regnauerat vitiorum execratio, virtutum ibi locum faceret diuinæ benedictionis cõsecratio. Quid faceret iuuenis certamẽ fortissimum bellaturus? Erat enim illi vxor, & [l] frater eo iunior, qui per omnem modum quodcunq; disposuerat facere, cõtradicebat. Obstabant [m] & homines fœdati, serui, ancillæ ministeriales. Contraibat Comes Fridericus pater vxoris suæ, ac eleëmosynam quam fecerat, filiæ suæ dotem esse dicebat. Quid dicam? Manus eius contra hos omnes, & manus horum oĩm contra eum. Geritur bellum non armis materialibus, sed fide, non contentione, sed ratione, nõ armatorũ turbis, sed Angelor. suffragio spe cælesti galeatũ, & superna loricatũ virtute. Vicit tandem humilis importunitas, q̃ oportunè plantauerat, & perfecta humilitas. Vicit quidẽ, quia [n] & vxor cõsensit, & frater leonino furore deposito, agninam mansuetudinẽ assumpsit, & religionis habitũ, quem ipsum Comitẽ velle nouerãt, vterq; suscepit. Gauisus pater Norbert. gauisus est & ipse Comes, & redditis omnib. Cæsari, quæ Cæsaris erãt, & quæ Dei, Deo retentis, tres [o] proprijs allodijs ordinante patre Norberto constructis, in quibus fratribus positis, & religione ordinata, cum Dei seruitium eleganter impleretur, nõ defuit tentatio, & malignorum spirituum persecutio. Nam [p] Fridericus pater vxoris Comitis, ambitioni suæ indulgens, eo quod castrũ Capenbergense dominatum tenuerat Westphaliæ, prætendens dotem esse filiæ suæ, cõminatus est fratribus, q̃ nisi citius recederent ab eo, cunctos interficeret. Aliquoties etiam cum equitatu suo illuc vsq; accedebat, patri Norberto cõminans, q̃ si ipsum teneret, cum asino suo eum suspenderet, & æqua lance probaret, quis eorum ponderosior esset. Tam superbæ locutioni qui aderant nobiles contradicebant, & pro hoc verbo iram Dei super eum venturam comminati sunt. Nam vltra etiam Rhenum pluris habebatur, nec ferre poterant, si à quoquam ei detraheretur. Fratres ergo Capenbergenses in arcto siti propter manum potentis & iniqui, miserunt ad patrem suum vt subueniret, pariterq; superbi hominis arrogantia verba nunciantes. Tunc collectis virib. fidei & spei ad illum qui dixit: Confidite, ego vici mundũ, se totum cõtulit, & publice pnunciauit, se cũ asino suo terrã illius

Mat. 12.

Ioan. 16.

[l] B Godefridi instituto omnes repugnant. [m] Feudati seu feudatarij. [n] Vxorem & fratrem ad religionis habitum suscipiendum inducit. [o] Tria monasteria constituit. [p] Fridericum Comitem Arnsbergensem patitur aduersarium.

illius ingressurum,& copiam sui se daturum. Quid multa? Quamuis iter longum esset,tamen asinum suum mutare noluit,sed transito Rheno, terram illius intrauit, nec longe post,ille pacis inimicus interijt. Sic iste inermis de immani tyranno triumphum accepit, pacatisque omnibus,in tribus, vt diximus, Ecclesijs, de eodem allodio seruitium Dei omni tempore agendum ordinauit,in quibus fratrum & sororum vsque hodie viget consecratio, & in cultu diuino floret honesta religio.

Clara Godefridi Comitis Capenbergensis mentio habetur in vita S. Norberdi Præmonstratensis institutoris,quam habes 6.Iunij.

VITA S. FELICIS NOLANI CONFESSORIS AVTHORE VENERABILI BEDA PRESBYTERO.

AN. 300.

FElicissimum beati Felicis triumphum,quem in Nola Campaniæ ciuitate, Domino adiuuante,promeruit,Paulinus eiusdem ciuitatis Episcopus versibus hexametris pulcherrimè ac plenissimè descripsit; qui quia metricis potius, quàm simplicibus habiles sunt lectoribus,placuit nobis,ob plurimorum vtilitatem, eandem S. Confessoris historiam planioribus dilucidare sermonibus,eiusque imitari industriam, qui martyrium beati Cassiani de metrico opere Prudentij, in commune apertumque omnibus eloquium transtulit. 14. IANVI

I. IGITVR[a] Felix natus est in Nola quidem Campaniæ,sed patre Syro,nomine Hermia,qui de Oriente Nolam veniens,ibidemque quasi indigena inhabitans, genuit filium Felicem: eique defunctus reliquit hæreditatem substantiæ locupletis, cui tamen ipse promissæ in cœlestibus hæreditatis dona præposuit. Habuit autem & fratrem cognomine sui patris, id est, [b] Hermiam, cum quo patrimonium diuideret terrenum. Qui longè à Felicis moribus agens, atque ideo felicitate indignus perpetua effectus est. Nam terrena solummodo bona diligere studuit, & Cæsaris potius, quàm Christi,esse miles elegit. At contra Felix, nominis sui mysterium factis exequens, mox à puero se diuino famulatui subiecit, & crescẽte gratia virtutum, primò Lectoris officium in Ecclesia suscepit, ac post ad Exorcistæ gradum prouectus, immundos ex obsessis corporibus spiritus eijcere cœpit. Cumque in hoc ministerio virtutibus clarus extitisset, non mora,condignum meritis [c] Presbyterij gradum subijt:nec minor gradu,mente & opere remansit, sicut etiam aduenientes tentationum turbo probauit.

Vita S. Felicis.

[a] Patria & pater Felicis.

[b] Hermias frater eius.

[c] Felix fit presbyter.

II. NAM tempore eodem exorta infidelium persecutio, graui Ecclesiam certamine pulsauit: nec tamen portæ mortis,portas filiæ Sion, vt non nunciarent laudem sui creatoris,auertere potuerunt. Cumque magistri authoresque perfidiæ primum suæ vesaniæ conflictum contra ipsos veritatis ac fidei Dominicæ magistros intendissent, primosque episcopos vel presbyteros ecclesiarum,ad terrorem minorum,aut morti tradere, aut ad negandam fidem cogere conspirassent:factum est,vt ministri erroris & infesti furoris, Nolam quoque peruenientes, Episcopum vrbis illius, nomine Maximum[d],virum doctrina,pietate,atq; ætate venerabilem,ad tormenta quærerent. Quod ille animaduertens,memor Domini præcepti, quo dictum est: cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam: petit ad tempus secessum loci remotioris,relicto ad tuitionem ciuitatis Felice presbytero, quem Filij loco complectebatur,atque hæredem suæ sedis accipere desiderabat. At persecutores vbi Episcopum inuenire nequiuerunt,nihil morati, manus in Felicem mittere contendunt,eumque primum quasi maximam post Episcopum vrbis arcem, à constantia famosæ suæ virtutis deijcere,vel blandiendo promissis,vel pœnis terrendo satagunt. Comprehensus [e] ergò Felix ab aduersarijs furentibus,sed ipse multum de interna [f] Spiritus sancti consolatione confisus,mittitur in carcerem tenebrosum: vbi manus simul & collum ferrea vincula stringunt,neruo pedes arctantur. Fragmenta quoque testarum subter eum sternebantur,nè inter horrorem & frigora longæ noctis ligatus, vel somnum vel requiem capere aliquam continuo horum acumine compunctus, sineretur.

[d] Maximus Nolæ episcopus. *Matth.10.*

[e] Felix comprehenditur.

[f] Mittitur in carcerẽ.

III. INTEREA[g] Episcopus, qui ad montium latibula hostem fugiendo secesserat, & ipse non minore martyrium passione gerebat, quam si ferro vinctus, aut testis superpositus, vel flammis esset vrendus. Vrebat namque animum illius cura maxima sui gregis,vrebat & corpus fames, vnà cũ gelidæ rigore hyemis: qui inter spineta sine tecto & alimẽto iacens,noctem vna cum die peruigil, solicitis continuabat in precibus. Nec difficile membra senilia, & longis exhausta ieiunijs, tanta vis malorum comprimens, vel ad mortem vsque coegit. Sed vt superna pietas apertissimè, quanta suî cura vir ille dignus esset ostenderet,mittitur è cœlo angelus, qui beatum Felicem confessorem vinculis exemptum,ad quærendum recreandumque ac domi reuocandum antistitem ocyus venire præciperet. Erant [h] autem plures eodem in carcere clausi:sed angelus adueniens,soli Felici,qui pietatis gratia vinctus erat, apparuit,luce splendens coruisca, & ipsam quoque domum gratia lucis adimplens: cuius voce simul & luce Felix motus intremuit, ac primum quidem se somnij imagine illudi putauit. Angelus surgere illum,& se sequi exeundo præcepit. Qui stupens ad imperium iubentis tausabatur se exire non posse,quia & vinculis,& claustro carceris,& custodum diligentia teneretur.

[g] Episcopi afflictio.

[h] Angelus felicẽ vinculis absoluit.

IV. PORRO angelus iterata voce surgere illum properè, nihil obstantibus vinculis, iussit, & dicto citius catenæ de manibus & collo eius,compedesq; cecidêre de pedibus. Eduxit autem illum foras miro rerum ordine, aperta sibi quidem ianua carceris,sed cæteris clausa:ita vt per ipsos custodes, quibus claudebatur,ignaros rerũ iter ageret, ipso angelo instar columnæ Mosaicæ, & ducatum Felici & lumen, vsque dum hostium manus euaderet, præsentiæ suæ fulgore præbente. Vt autem peruenit beatus Felix confessor ad locum deserti, quo episcopus secesserat, inuenit eum ægra suspiria tenui flatu trahentem. Et [i] quidem gauisus, quòd eum viuentem inuenerit: contristatus verò est multum, quod inuentum morti proximum vidit. Itaque complexatus & osculatus est patrem,cœpitque tentare,si fortè crebro anhelitu sui oris,& sui fotu corporis aliquid caloris posset gelidis eius artubus aufferre. Cùm verò diu laborans, neque clamando, neque tangendo aliquid sensus vitalis in eius posset vel animo excitare vel corpore, sed neque ignem aut alimentum in proximo,quo eum rigentem ac tabescentem recrearet: tandem inuento salubri consilio, flectit genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, suppliciter obsecrans, vt ipse cœlitus eum iuuaret, quô ministerium pietatis, quod iussus erat,erga patrem suum explere valeret. Nec mora: exauditus vidit pẽdentem vicinis in sentibus vuam, & illius esse munus agnouit,qui naturarum conditor atque author omnium, & aquam de petra produxit arida,& ipsam cùm voluit in vinum conuertit. Lætatusque multum hoc munere diuinæ pietatis, tulit racemum, atque ad os Episcopi morientis admouit. Sed quia ille strictis dentibus instar mortui, vtpote omni sensu & cordis & animæ carens, oblatum sibi gustum prorsus accipere nesciebat: tandem sanctus presbyter Felix, felici manuum suarum luctamine aperuit arida eius labia,& sic ori eius,resoluta vua,quantum potuit succi salutaris infudit. Quo [k] gustato,mox pater sensum & animæ recepit & corporis:aperiuntur deinde oculi,linguaque, quæ siccis hærebat faucibus,ad loquendum soluta est. Et vbi plenè reuiuiscens,Felicem esse, qui ad se quærendum venisset,agnouit paterna illum pietate complexus,& quare tam sero veniret,conquestus est. Vbi,inquiens,tam diu demoratus es fili? Nam te iam dudum Dominus ad me venturum promiserat.

[i] Felicis erga episcopum charitas.

Num.20. Ioan.2.

[k] Episcopus penè exanimis redit ad se.

V. VIDES autem, quia & si fragilitate victus corporis, ad horam cessi,solidam tamen animi fidelis constantiam seruaui,sicut etiam loci huius,ad quem successi,status indicat. Poteram quidem ad vicum aliquem, siue aliam vrbem,vbi ab ho-

ab hostibus essem tutus, intrare, si mihi vilis fides, & cara hæc vita fuisset. Nunc autem cuncta hominum refugia declinans, ad deserta verò montium confugiens, diuinæ tantum me gratiæ tuitionique credidi, vt videlicet me ipse quocunque modo vel ordine vellet, aut in hac vita conseruaret, aut in futuram transferret. Neque verò me spes, quæ in Deum erat, fefellit, sicut tuo manifestè probatur aduentu, per quē ab ipso, vt ita dixerim, limine mortis sum reuocatus ad vitam. Vndè, nate mi, complere festinus cœptum pietatis opus curato, & impositum me humeris tuis, domum reportare satage. Quibus [a] dictis, Felix celerrimè quod iubebatur expleuit, reuectumque humeris antistitem, suam ad domum retulit, quam vnica seruabat anus.

[a] Portatur à Felice domum.

INTANTVM autem antistes venerabilis à mundi erat rebus alienatus, vt illi de omni turba domus & summa census, anus vna supereset. Pulsatis ergo foribus, hanc suscitauit Felix, surgentique ac ianuam aperienti dedit & commendauit Episcopum. Tunc Episcopus pro impenso sibi officio pietatis, beato Felici debitam gratiarum retulit actionem, & imposita capiti eius dextera, paterna illum benedictione donauit. Qui [b] egressus indè, paucis diebus & ipse in domo sua, donec persecutionis turbo cessaret, delituit. Quod dum fieret, deseruit latebram, & lætantibus de suo aduentu ciuibus, sese lætum reddidit, ac per omnia digrediens, solabatur & confortabat verbo exhortationis animos singulorum, qui acerbitate præmissæ tempestatis non modicum fuerant conturbati. Nec solùm verò verbo, sed & suo illos docebat exemplo & prospera mundi & aduersa despicere, sola æternæ patriæ gaudia quærere, solam superni iudicis iram formidare. Rursum [c] mota persecutione, quæritur Felix, veniuntque hostes vsque ad habitaculum eius, illum ocyus rapere ac morti tradere sitientes: qui tum fortè ab ædibus suis absens, in medio ciuitatis cum amicis consistebat, & more sibi solito verbum fidei circumstantibus turbis prædicabat. Quem eo loci esse audientes aduersarij, mox strictis gladijs accurrunt: sed peruenientes ad eum, mutato diuina prouisione aut vultu ipsius, aut corde illorum nequaquam eum, quem optimè nouerant, agnoscere valebant. Interrogantibus [d] ergò ipsum, vbi esset felix, intellexit vir prudentissimus diuinitus [d] actum esse, ne eum agnoscerent, ridensque inquirentibus: Nescio, inquit, Felicem, quem quæritis: nec prorsus fefellit, nemo enim seipsum facie nouit. Qui statim relinquentes eum, diuerterunt aliò, & quos fortè obuios habebant, interrogabant vbi esset Felix: è quibus vnus, prorsus causæ ignarus, & furere eos credens, cœpit obiurgare eos dementiæ, qui præsentem non possent agnoscere eum, cum quo loquebantur: pariterque eis quò discederet ille, quem quærebant, ostendit. Qui grauius furentes, statim vestigia beati Felicis insequuntur. At ille, appropinquantibus eis, admonitus tumultu præcurrentis ciuitatis, & clamoribus attoniti aduentu hostium vulgi, secessit locum in secretiorem, qui nil quidem munimenti firmioris habens, semiruti tantum muri erat fragmine præseptus. Sed mox vt virum Dei recepit, miro eum diuinæ manus est opere tutatus. Repentino [e] enim rudere concreuit ibidem agger, qui eundē locum præcluderet, sed & aranea diuino nutu, cui omnis creatura deseruit, confestim nutantes ipso in loco telas suspendit. Quò cùm peruenissent, obstupuerunt hostes, & presso gradu loquebantur mutuò, dicentes: Nonne stultum est nos huc hominem quærendo ingredi, cùm liquido apparet neminem hîc præisse? quia si quisquam intrasset, nequaquam hîc aranearum fila integra remanerent, quæ etiam muscæ perrumpentes minimæ, nonnunquam scindere solent. Constat ergo quia qui huc secessisse Felicem dixit, astu fecit, vt nos ab eius inuentione longius abstraheret. Ergò recedamus, ac omittamus hîc hominis latebras scrutari, vbi ipsa loci facies neminem intrasse præmonstrat. Sic delusi, discedunt properè, frementes, & non minus, quàm in Felicem, rabida mente frendentes in eum, qui se in loca talia suis dolis induxerat.

[b] Felix latitat in domo sua.

[c] Noua persecutio.

[d] Felicem non agnoscunt persecutores.

[e] Nota miraculum.

VI.

VBI multa claruit sapientia pij conditoris ac protectoris nostri. Certè nonnunquam muri vrbium altissimi, ac munitissimi, ciues suos obsidentibus aduersarijs produnt magis, quàm liberant: & humilem Christus famulum suum à persequentibus armatis hostib. tremulis aranearū cassibus, nè inueniri, vel capi posset, abscondit. Verè vt venerabilis pater Paulinus de his loquens, ait; vbicunq; Christus adest nobis, & aranea murus fiet: at cui Christus abest, & murus aranea fiet. Discesserunt ergò, incūbente iam vespera, hostes, & Felix, illis abeuntib. liberius alias petit latebras, gaudens de adiutorio diuinæ protectionis, secumque decantans: Nam etsi ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Die autem facto, secessit in locum, inter ipsa ædificiorum tecta secretiorem, vbi sex mensibus continuis ab hominum quidem notitia omnium segregatus, sed diuinæ gratiæ præsentia fruitus, manebat absconditus, videlicet iuxta vocem Psalmistæ, in abscondito vultus eius à conturbatione hominum: qui etiam miro illum atque hominibus inusitato ordine tanto temporis spatio pauit.

[f] Si Christus pro nobis, quis contra nos. *Psalm 22.*

Psalm. 30.

VII.

MANEBAT namque in vicinis ædibus quædam mulier Deo deuota, cuius ministerio nescientis scienter ipse, qui est totius scientiæ fons & origo, Dominus vtebatur. Coquebat [g] enim panes mulier, coquebat alias escas in cibaria domus suæ, & facta in excessu mentis, eo loco inferebat has, vbi Felix confessor latebat, ibique sumendas illi ponebat, ita vt neque huc se intrâsse neque redîsse vnquam scire posset: sed præparatas escas domi se posuisse credens, ita semper abibat, ponendæ memor, & mox positæ immemor escæ. Et sic beatum Felicem ferunt sex, vt dixi, mensibus in ijsdem latebris obscuri & angusti tecti mansisse, ab humana quidem societate seiunctum, sed nunquam ciuium supernorum præsentia desertum: & parco nimirum victu, sed cœlitus ministrato, vitam duxisse felicem: quo tempore perhibetur etiam diuinæ collocutionis dono sæpius dignus fuisse habitus. Erat autem ijsdem, in quibus morabatur, habitaculis, cisterna vetus, de qua ipse in primis pauperem potum hauriebat: sed hæc cum nimio ætatis esset siccata calore, non tamen beato confessori, vndè viueret, defuit. Etenim pius conditor ac prouisor salutis nostræ, qui quondam sicco aëre cætero, vnum solummodo vellus pluuia cœlesti perfudit: ipse suo confessori silenti prorsus ac sereno aëre, prout opus habebat, occulti roris gratiam, qua sitiens recrearetur, ministrauit.

[g] Insigne miraculum

Iudic. 6. Item aliud.

VIII.

COMPLETO aūt hoc tempore, admonitus est oraculo diuino procedere de latebris, eò quòd iam persecutionis turbo pertransisset. Qui vt repentinus apparuit in publico, gratissimè ab omnibus, quasi à paradyso veniens, susceptus est. Cœpit autem ex tempore fidem confirmare omnium, quæ ætas tempestatis erat non minimum conuulsa. Interea Deo dilectus antistes Maximus, longa prouectus ætate, diem clausit vltimum: nec mora. Felix in episcopatu omnium iudicio eligitur, qui & confessor existens invictissimus, & doctor suauissimus, quæq; bona ore docebat, ipse cuncta opere complesset. Verum [h] Felix, vt etiam humilitatis quantam in corde haberet sublimitatem, insinuaret, verecunda se voce, nè hunc gradum susciperе deberet, excusauit, dicens compresbyterum suum Quintum, multo dignius honorem præfati gradus posse subire, eò quòd is septem diebus ante, quàm ipse, ad ordinem presbyterij fuisset promotus. Quod ita, vt postulabat, expletum est, susceptumque episcopatus officium ita idem Quintus administrauit, vt humiliter beatissimo confessori submissus, illum pro se sermonem ad populum facere iuberet, & ipse plebem officio, Felix doctrina regeret.

IX.

[h] S. Felix recusat Episcopatum.

Qui [i] videlicet Felix, cum constantia confessionis & virtute humilitatis, etiam summus voluntariæ paupertatis amator extitit. Possederat namque ex paterna hæreditate prædia multa, domosque ac diuitias plurimas, sed tēpore persecutionis proscriptus, cuncta amiserat. At verò pace Ecclesijs reddita, cum posset iura sua repetere, nequaquam vltra volebat: sed amicis suadentibus, vt debita sibi iura reciperet, quæ recepta cum fœnore magnæ mercedis despergere ac dare pauperibus posset, nullatenus id facere consentiens, forti sententia suggestiones eorum repellebat, dicens: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Absit enim, vt res, quas causa confessionis perdidi, repetam;

X.

[i] Amator voluntariæ paupertatis.

1. Cor 6.

petam: absit, vt terrenas opes, quas cœlestium bonorum contemplatione semel contempsi, quasi hæc minùs sola sufficiant, vlla ratione reposcam: quin potiùs pauper spiritu sequar Iesum, quò opulentius regni cœlorum dona percipiam: nec diffidendum quin ille, qui me & vinculis tenebrisque diri carceris eripuit, & ab hominibus secretum tanto tempore pauit, etiam cætero vitæ meæ spacio iactantem in se cogitatum meum enutriet. Hunc retinens animum, beatus confessor, tria tantùm iugera ruris modici, & hæc conducta, & vnum hortulum proprij iuris, vnde viueret, habuit. Sed & vtraq; ne vno quidem famulo adiutus, propria manu coluit: fructum autem eiusdem suæ messis vel horti adultum, cum pauperibus semper communicare gaudebat. Eandem [a] autem & in habitu parsimoniam vir beatissimus sectabatur, ita vt simplici tantum vestimento, & quod nunquam vel sibi sufficeret, esset contentus: si quid verò supersset, pauperibus erogaret: & si fortè aliundè contingeret, vt geminum haberet indumentum, mox nudum meliore refouit.

[a] Eius vestitus.

XI. TALI ergò viuens pietate, vir & nomine & merito Felix, plenus dierum atque operum bonorum defunctus est, ac viam patrum secutus, æterna est receptus in gloria: sicut etiam signa, quę in Ecclesia, in qua sepultus est, sunt facta perplura, testantur. Erat [b] enim quidam rusticus, pauper rebus, sed fide integer: qui angustam pauperiem duorum solummodo boum possessione sustentabat, vel ipse videlicet his vtens, vel vicinis vtendos pacta mercede commodans: quos cum multa inops cura diligeret atque seruaret, quadam nocte furto ablatos perdidit. At mane facto cum eos furatos certissimè comperisset, amissa omni spe suæ quæsitionis vel inuentionis, petit rapido cursu Ecclesiam sancti Felicis: ibidemque adueniens, ante fores domus sanctæ prosternitur, fixoque in terram vultu, implorat & obserat sanctum Felicem reddere sibi boues, quos perdiderat, testatus multum cum lachrymis, nunquam se indè, nisi boues receperit, exiturum. Quod cum die toto voce quidem rustica, sed fidelissima mente fecisset, superueniente vespera electus est violentia turbæ, & sacris propulsatus ab ædibus, venit ad suam domum, nec omittit continuis in lamentis noctem ducere peruigilem. Verùm quia omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur: & sicut Psalmista ait, desiderium pauperum exaudiuit Dominus: medio noctis tempore, cum cæteris hominibus quiescentibus, ac rebus omnibus quietis, ipse solus, excitante se suo dolore ac paupertate peruigil iaceret, mirum dictu, contigit venire subito ad eius ostium boues, quos quærebat: diuino videlicet nutu, & prędonibus erepti, & ad domum domini per loca auia inter tenebras noctis erroresque reuocati, pulsantesque cornibus ostia eius, in quo manebat, tugurij, iam sese adenisse signabant. Sed ille multum tremens, non iam boues suos, sed fures sibi rursus adesse credens, diutius fores aperire tardauit, donec ijdem boues, quasi causam tardantis domini intelligentes, per mugitus quoque emissos, se esse, qui ad ostia domestica pulsarent, demonstrarent. Receptis autem bubus, rusticus non rusticè, sed doctè ac fideliter agens, festinauit primo mane debitas redditori suo gratias rependere. Assumens enim secum boues, venit ad Ecclesiam sancti Felicis, omnibus & illo iter facientibus, & ibidem perueniens, beneficia, quæ à sancto percepisset, lætabunda voce replicans & ostendens. Et [c] quia multum plorans, vel inquirendo suos boues, vel in recipiendo præ gaudio oculorum quoque aciem non minimum læserat, & huius detrimenti solatium à beato Felice quærens accepit: sicque domum redijt, duplici gratiæ cœlestis munere lætatus.

[b] Miraculum post obitum S. Felicis.

Luc. 11. Psalm. 9.

[c] Aliud miraculum.

XII. CVMQVE in honorem eiusdem beati confessoris augustior Ecclesia ædificaretur, erant in proximo ipsius Ecclesiæ duo rustica ædificia, importuna situ, simul & deformia visu, quæ omne decus Ecclesiæ non parum sua obscuritate fœdebant. Volens [d] autem venerabilis ac Deo dilectus antistes Paulinus tolli hæc ædificia, & emundari loca, in quibus sita erant, postulabat eos, ad quorum possessionem pertinebant, hanc beato Felici præbere reuerentiam, vt ad illustrandum decorandumque locum Ecclesiæ eius, priuata sua tecta paterentur auferri. At illi preces eius rustica obstinatione spernentes, magis se animas dare, quàm suas possessiones relinquere posse dicebant. Cumque Episcopum tæderet rusticos rixa vincere, victi sunt potentia manus diuinæ. Nam nocte quadam quiescentibus cunctis, subitus ignis ex vna cellarum earundem exoriens, vicina paulatim ædificia petere cœpit, ita vt magis magisque suis incrementis adauctus, & propè & longè posita habitacula cuncta consumpturus esse videretur. Tunc tantis excitati fragoribus & globis ignium, ciues accurrerunt, vt vel incendium, si possent, omnes aquam fundendo, restinguerent, vel de suis singuli domibus quæcunque possent igni præripientes auferrent. Cumque se nil valere posse conspicerent, cœperunt quærere diuinum, vbi humanum cessabat, auxilium. Aduolant ergo, duce episcopo, ad Ecclesiam sancti Felicis, flectuntque genua, supernæ auxilia protectionis implorantes, diuertuntque inde ad Ecclesiam beatorum Apostolorum, quæ continua erat Ecclesiæ beati Felicis, & inde per intercessionem Apostolicam cœlestis præsidij dona flagitantes. Vbi [e] postquam oratum est, redijt domum Episcopus, sumptamque de ligno Dominicæ crucis non grandem astulam, misit in medium incendij furentis: statimque immensa illa volumina flammarum, quæ tanta virorum manus aquas spargendo extinguere nequiuerat, ipse lignum addendo restrinxit. Tanta etenim sanctæ crucis erat virtus, vt sese natura relinqueret, & ignis, qui omnia solet ligna vorare, ipse ligno Dominicæ passionis velut exustus absumeretur. Vbi verò tempestas tanta sopita est, & mane redeunte, ciues dira noctis opera considerare venerunt, credentes se non parua tantis incendijs damna esse perpessos, inuentum est nihil prorsus exustum, nisi quod debebat exuri. Ex illis etenim domibus duabus, de quibus prædiximus, quas & homines consumere atque auferre dispossuerunt, vnam flammis absumptam videbant. Quo facto, multum erubuit rusticus ille, qui sua tecta contra decorem sanctorum ædificiorum stolida obstinatione defenderat, cernens se inuitum nulla mercede perdidisse, quæ in gratiam sanctorum sponte nolebat amittere. Et mox ipse, quod igni superfuerat de suis ædibus, propria cœpit manu abolere, quatenus ocyus omnis circa Ecclesiam beati confessoris locus congrua sanctis claritate ac luce redderetur insignis. Ablata autem omni ruderum fœditate ac sordium earundem, perstabat beatus antistes Paulinus Ecclesiam, quàm cœperat, ad perfectum deducere: cuius ædificium omne tribus annis perfecit, & in [f] picturis, atque omni ornatu suo debito fine concluſit: in qua felicissima beati Felicis vita & passio in æternum memorabilis celebratur: qui die quartadecima mensis Ianuarij, consummato cursu certaminis glorioſi, percepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Explicit liber de vita & confessione S. Felicis, quem ego famulus Christi Beda, de metrico opere B. Episcopi Paulini, simplici sermone transtuli.

[d] S. Paulinus Episcopus.

[e] Nota vim particulæ crucis Christi.

[f] Nota de picturis templi.

Habes Homeliam S. Gregorij Papæ in Natali eius die, quæ est 13. in Euang.

T 3 NILI

NILI MONACHI, DE INTEREMPTIONE SANCTORVM † PATRVM, QVI ERANT IN SINA ET RHAITI REGIONE, ex Simeone Metaphraste.

AN. 499. † Trigutaocto monacho numero fuisse habet Martyrologium Rom.

CVM post incursionem Barbarorum errarem ego, veni in Pharan. Quidam autem ex ijs, qui aderant, cùm audijssent me laudare vitam eremiticam, ipsi quoque ex se multa adijciebant encomia, dicentes eam esse plenam tranquillitate, liberam ab omni perturbatione: vt quæ animæ statum, quæ in ijs, quæ non videntur, philosophatur silentio & quiete amplificet, & per hæc, via progredientem ducit prope Dei cognitionem: quam quidem esse extremum expetendorum, [b] & extremam beatitudinem, omnes qui fuerunt à sæculo sapientes, tanquam vna lingua & vno animo opinantur. Cùm lachrymantibus autem defixisque oculis eos attenderem, & miserabiliter admodum eiulâssem: sedebam enim valde conturbatus propter eas quæ mihi acciderant, molestias, ipsoque vultu manifestè annunciabam meam calamitatem. 14 IANVA. I.

[a] Eremiticæ vitæ commendatio.

[b] Summum bonum.

POSTQVAM illi hæc viderunt, adhuc fortasse volentes producere seriem orationis, cum à recta paululum declinâssent, & simul in orbem circumsedissent, & deinde paululum siluissent, rursus loqui aggredientes, diligenter & cum quadam commiseratione me rogârunt causam, cur sic essem perturbatus. Vbi autem ad eorum rogatum fleui adhuc lamentabilius: maiorem enim mihi commouit animi perturbationem interrogatio eorum, quæ acciderant, & rursus coëgit cogitatione res tanquam præsentes intueri: illi rursus statim: Nunquid, dixerunt, ô senex, eorum quæ à nobis dicta sunt, aliquid fuit tibi causa doloris? an errorem nostræ deflens sententiæ, nos dicere falsum deprehendisti? Non paruam enim intrinsecus tristitiam ostendit & ipse adspectus, & lachrymæ oculorum. Sed sic illi quidem: Ego autem eis dixi: II.

OPATRES & fratres, quid vobis primùm dicam? Ad quid autem respondebo, cum iam nubes mœroris, menti meæ offundat tenebras? Nam sum quidem ipse quoque vestræ, vt videtis, sententiæ. Solitudinis [c] autem sciens quanta sit vtilitas, eam olim sum admiratus: & cum propter eius desiderium statuissem omnia relinquere, domum, patriam, cognationem, amicos, consanguineos, facultates, totum illi me dedidi: sed ea mihi eum perdidit, qui erat omnium charissimus, & solum, vt videre licet, reliquit, desertum ab omni consolatione: & propterea eam non finit omnino laudare animi perturbatio, cùm desiderij veluti tyrannidem vicerit graue malum, quod accidit. Sed [d] ô stultitiam, progressus sum ad philosophandum, relicta filij lamentatione, & mihi inuenit ocium cogitatio, quæ nunc quoque nihil aliud suscepit cogitandum, præter cædem Theodosij. Mihi enim perpetuo eius remanet simulachrum, aliâs aliter visione apprehendens, varijs modis factam fuisse interemptionem, & flebilem vocem mihi audire videor: & eum ob ictum humi se temere volutantem adspicio, illa mente apprehendens, quæ par erat præsentem eum visu didicisse: Hei mihi, miserande fili, etiamsi adhuc vixisses, esses mortuus: O acerbam seruitutem, etiamsi mortem effugisses: O insepultam sepulturam, si barbaricus ensis te confecisset. Quid seruitutem lamentabor? Quid mortem deflebo? Nam si viuis superstes, (quod non finit, vt existimem, probabilitas: quando enim non fuit manus barbarica prompta ad occidendum, inseruiens iræ, quæ semper sitit humanum sanguinem?) quis est tuus vitæ status? flagella omnino quotidiana, & iussa plane inhumana, minæque citra veniam, & violentia. His [e] quoque accedunt opera grauissima, quæ tuas vires excedunt: & custodia, quæ caueri non potest: & libertas, quæ omnino est à spe aliena: imò verò metus quoq; mortis quotidianus, qui propè habet ensem, eo enim scit barbarus metiri suam iram, vt qui non loris, nec viminibus vti solet ad verbera, sed paruis & magnis delictis vnam pœnam imponat, mortem: quando etiam absque peccato, aut ebrietate debacchans, aut temerario cedens impetui & in consideratæ appetitioni, facilè aliorum ludere interitum didicit consuetudine. III.

[c] Nilus dat solitudini.

[d] Plangit Theodosij cædem.

[e] Immanis crudelitas barbarorũ.

SIN autem es mortuus, vbinam accepisti occisionem corporis? vndenam processerunt fluenta tui sanguinis? Quomodo palpitâsti atro cruore conspersus, & miseris pedibus mortiferam saltans saltationem? Quomodo supplex fuisti ei, qui te interimebat, barbaro, eius sæuitiã volens emollire miserabilibus gestibus? Nã alter alterius vocẽ minimè intelligebatis: in qua quis aptè & concinnè componens precationem, iratam animam sæpè flectit ad misericordiam. Quisnam locus tuum cepit corpus? Quænam feræ tuum corpus dilaniarunt? Quenam aues repletæ fuerunt tuis carnibus? Quodnam sidus oriens vidit tui ventris mysteria, & adspexit tua effusa viscera? Quidnam feros ferarum vicit dentes, vt quod vel fuerit reliquum satietati, aut propter duritiem manserit non confectum? quod quidem aprico est soli expositum, & propter solitudinem, sepulturam minimè est consecutum. Si quis hoc allatum mihi dedisset, aut me duxisset & iuxta id statuisset haberem saltem aliquam paruam doloris cõsolationem, tanquam viuum & sitiens relictum membrum alloquens, seu os, seu caro, seu pilus esset id, quod visum fuisset. Nam quorum in calamitatibus moderatæ sunt res aduersæ, habent magnum vt in malis commodum: & se reuerà secunda quadam explent voluptate, dum eos, qui ad ipsos attinent in morbo diu curant, & videndi satietatem tempore accipiunt, eisque assident, dum deficiunt & agunt animam, & extrema verba audiunt, eosque dum efferuntur, sequuntur, & sepulcro vident extremum impositum signaculum. Quæ quidem omnia ei, qui uget, magnam afferunt consolationem: deductio, inquam, & sepultura, & amicorum commiseratio, leuantia animi ægritudinem. IV.

EGO autem quonam horum consolabor dolorem, qui nec sciam quidem quomodo sit mortuus, neque mortui habeam simulacrum visione expressum, quale esset in fine? Quorum enim adspectus memoriæ non mandauit figuras, eorum sunt formæ instabiles & minimè terminatæ, & aliâs aliter expressæ, & simulacrorum varietatibus deceptam cruciantes cogitationem. O malorum incertitudinem: O dubiam & inopem calamitatem! Nescio quid primùm deflea m, quid conquerar, ignoro: mortuum lugebo, an viuum? victum, an omnino sublatum de medio? acerbam tolerantem seruitutem, an qui cædem subierit miserabilẽ? Captiuus [f] enim, est obnoxius & subiect[9] omni contumeliæ, pœnisque ac supplicijs vel inuitus submittitur, vtpotè quòd sit in eius domini potestate, quàm velit ferre sententiam. O qui mihi in hodiernum vsque diem fuisti omnium, quæ erant in vita, socius, & solus captiuus seruitutis fecisti periculum. Fuisti socius longæ peregrinationis, sensisti mecum ærumnas in terra aliena, fuisti in solitudine particeps afflictionis. Isaac in ijs, quæ patri videbantur, imitatus es obedientiam. Quomodo ergò nunc solus subijsti extremam calamitatem, & solus exantlas mala captiuitatis? Cur ergo propter clementiam ensis euasi periculum? Cur non me alijs quoque mortuis adiecit crudelis dextera? Sed mihi partum est, vt mala fortasse maiora experiar: & quod meæ breui inuidere tur liberationi, vt modò longum de te luctum sentirem. Sed magna quidem animi ægritudo hæc mihi præbet dicenda. Quoniam autem vos quoque video mecum tangi misericordia, & non aliter esse affectos, quàm ipse, qui est passus: eius autem, quod dico, signum est & intensa auditio, & continui luctus, omnia mea vobis singulatim, vt se habent, narrabo: & maximè, si vos ad me audiendum breue ocium accommodauerit is, & nulla res necessaria vos vocet ad propria. Nam ipsi quoq; scitis grauem esse narrationem, si distrahatur animus, atque adeò tædium præbere & molestiam. V.

[f] Captiuorum infelix conditio.

Gen 22.

HAEC cùm ex illo audiuissent, & vultu & voce ostendẽtes se ægrè ferre quod rogasset. Quod aliud, dixerunt, est ocium præstabilius, quàm curare cor excruciatum, & exinanire dolorem animæ, quæ molestia afficitur? Leuatur enim VI.

[g] Doloris lenimentũ.

anima

anima ægritudine, cum narratione eorum, quæ sunt molesta, veluti exinanitur animi ægritudo, non secus ac nubes aliqua, à qua distillant guttæ pluuiæ, vtpotè quòd caligo paulatim expurgatur: sicut rursus feritur silentio, perindè ac si pius aliud humidum inflammaret, & in vulnere saliret & palpitaret, & nesciret quonam modo posset ingredi & exinaniri. Visi sunt itaque dicere probabilia. Cum illi certè sic dixissent, ego sic promissum exequi incipio, sic dicens:

VII. MIHI misero ô amici, fuerè duo filij: & hic, qui mihi modo fuit luctuum occasio: & alter qui remansit apud matrem. Post hos susceptos, dissolui cum mea vxore consuetudinem, siue ad successionem generis, siue ad curam gerendam senectutis, arbitratus hos sufficere. Me autem traxit quoddam vehemens desiderium, vt huc venirem, eramque toto animo erectus ad quietem & silentium, neque aliud poteram animo cogitare aut aspicere, præter hoc. Quando enim cuiusliber rei desiderium animum inuaserit, ab omnibus rebus per vim abstrahit, etiam à rebus bonis, & in quas est studium conferendum: & fert ad id quod desideratur, propter nullum laborem aut defatigationem desistēs ab appetitione. Cùm ergo iuberet mihi, vt peregrinarer: nec liceret repugnare sic iubenti tyrannicè, accepi filios: erāt autem paruuli & planè infantes, & adduco ad matrem: & vnum quidem ei trado, alterum autem apud me detineo: & dixi quod constitueram, & constanter asserui fore, vt nequaquam ab hac traducerer sententia.

VIII. ILLA[a] autem prius quoque erudita minimè contradicere, & tunc meum videns vultum rogari minimè ferentem, vim non ferens, sed nec omnino valens continere lachrymas, permittit vt peregrinarer, potius cedens necessitati, quam voluntate consentiens. Cum enim videret firmum ac stabile iudicium, & apud te consideraret dolorem separationis, eo neglecto, quod sibi esse posset molestum, id spectabat, quod mihi futurum esset gratum: malens vinci in ijs, in quibus etiamsi vellet, non poterat vincere. Scitis autem omnino, quanta res sit diiunctio eorum, qui fuerunt vniti coniunctione legitimi matrimonij, & qui facti sunt corpus vnum, arcano eius, qui coniunxit, consilio. Non minus enim in his molesta est separatio, quàm si corpus secaret gladius. Ego autem virtutem sum admiratus cupiditatis, quando vidi eam vicisse & naturam, & diuturnum habitum. Quanta enim esset coniectabam ex eo, quòd vincula soluit insolubilia, quæ sola mors nouit soluere, quæ propterea quòd desit sensus, efficiat vt careatur molestia. Sēsus autem viuis vehementiorem, atque adeo intolerabilem immittit dolorem, vt qui & consuetudinem reuocat in memoriam, & naturalem affectionem, cuius ego, propter maioris boni desiderium, nullam ducebam rationem, vt qui magis proposito festinarem ad secessum. Ea me fecit amatorem huius quietis & silentij, & deduxit ad eam, quæ desiderabatur, solitudinem: effecitque, vt diu iucundè viuerem, magna fruens tranquillitate, & secundo vento ad scopum tenderem: donec procella, quæ nescio vndè & quomodo spirauit, illam inuexit tempestatem, quæ sanctorum corporum vexauit cateruas innumerabiles, etiamsi non profundo obruit. Solum enim contriuit, neque tamen eos vllo damno affecit eorum, quę exportabantur. Nam cum totum onus mercium in se recepissent gubernatores, & portam ad cælum erexissent, ijs, quæ solutæ erant, tabulis relictis prædonibus, ad Dei portum appulerunt.

[a] Potiùs speciali Spiritus sancti instinctu, post matrimonium per carnalem copulā consummatum, potuit sanctus religionem ingredi, vxore id concedēte inuita, quā ex iure communi.

IX. ILLI autem rursus excipientes: Et quonam modo, dixerunt, ô frater, fuerunt sancti interempti? & quomodo, qui Deo seruiebant citra reprehensionem, traditi sunt impijs & scelestis hominibus, & fuerunt dexteræ ludibrium barbaricæ: & cessauit virtus prouidentiæ in tali actu silens, neque insultum prohibere aggrediens, neque rursus impudentes ferire cæcitate: aut etiam iniquas exiccans dexteras, quæ aduersus pios extollebantur, qualia beatis viris sæpè facta esse narrant scripturæ? Babylonij enim, aiebant, qui aduersus Ezechiam aliquando iniustè bellum mouerunt, reuersi sunt re infecta: & nec potuerunt iniuriam facere ijs, quos populabantur, & præterea amiserunt multos ex suis copijs, vt qui omnes cum toto fuerint exercitu sopiti, exiguus autem virorum numerus manè fuerint inuenti, erant enim interemptorum centum & octoginta quinque millia. Quomodo autem fuerint interempti, aut quis interemerit, non poterāt omnino dicere: sed in vna nocte vnius angeli opera fuit tanta cædes facta per silentium, & iacebant omnes, existimabanturque potius dormire, quam esse mortui: vt qui nec ictum haberent gladij, animæque eis simul totæ ablatæ fuerant, verè mortui, & nullum habentes vestigium occisionis: & diu dubium fecerunt id, quod acciderat. Proximum enim pungebat vnusquisque à somno excitans: vocabat, & mutus manebat: scrutabatur corpus, & non erat sauciū: in naribus quærebat spiritum, & non inueniebatur in loco, in quo quærebatur, donec soli mane illucescens, ostendit quid accidisset, colore eorum, qui interempti fuerant, ostendens signa mortis.

4. Reg. 19. Esaiæ. 37.

X. ET rursus qui Eliseum inuaserant Assyrij, & sanctum quærebant ad cædem, & qui Lot obsidebant Sodomitæ, ab angelis in domo percussi sunt cæcitate in irrisionem, & ludibrium dati ijs, quos quærebant, quoniam eos omnino volebant afficere iniuria. Nam hi quidem solutis membris, contrectando quærebant ostium: illi autem nesciebant, quonam tenderent, fortè propè habentes eum, qui quærebatur: sed eis non permittebatur ad eum accedere. Atque vnum quidem inermem tanta hostium captiua sequebatur multitudo, quæ fossis & præcipitijs facile poterat deleri, si is, qui ducebat, voluisset: quæ tunc demum fuit salua, quando visum recepit prophetæ prouidentia, & potuit videre viam, quæ eos ad sua ferebat. Neque verò hæc solum, sed etiam cùm propheta aliquando regem impium argueret iniquitatis, quoniam à ratione aliena ira motus, armauerat dexteram ad illius cædem, sic nutu Dei mansit dextera omnino sublata & plane immobilis, perinde ac si esset statuæ potius, quàm hominis: non aliam ob causam, nisi vt prophetæ corpus maneret illæsum. Quomodo ergò, qui nuper morte fuêre affecti, mortui sunt circa auxilium: & eorum, qui interemerunt, animus rem facile confecit, cum nihil graue vlla ex parte occurrisset?

4. Reg. 8. Gen. 19.

3. Reg. 13.

XI. EGO[b] autem rursus loqui aggrediens. Sed quid vobis opus est, inquam, rationes mouere prouidentiæ? Quis est autem idoneus ad comprehendendum arcana Dei iudicia, vt in tanta rerum difficultate ius ostendat Domini dispensationis? Imbecilla enim est humana ratiocinatio ad ea perscrutanda, & decidit superata, propterea quod non pateat via comprehensioni: vt quæ non inueniat causam rationi consentaneam, quam accomodet ijs quæ fiunt. Multa enim sæpe eiusmodi facta sunt: & finem acceperunt malorum insidiæ: cum interim iustitia silentio præterierit vltionem eorum, quæ fuerūt perpetrata: quandoquidem omnino tempus iudicij expectat talium rerum inquisitionem. Quomodo enim Abelem, cui Deus dedit testimonium pietatis, inuidia motus interemit Cain, qui primus parentes affecit tristitia, cùm nunquam vidissent mortuum, nec omnino mortis fecissent periculum? Quomodo ergò is absque supplicio præterierit, qui Deum sic ad iram prouocauit ob primam cædem perpetratam, & in noua creatione minuit genus, quòd modo cœperat crescere: & neque eius, vt fratris, est misertus, qui ortus & educationis ei fuerat socius, & in tanta terræ amplitudine conuersaturus, erat vnà cum parentibus, & eis ablaturus molestiam solitudinis? Quomodo autem Nabuthen lapidibus obrui iniquè se gerens iussit Iezabel, quòd ei non cessisset possessione vineæ? Quomodo autem vna Doëg rhomphæa ceciderunt sexcenti & triginta sex sacerdotes: aut rursus infinita iustorum multitudo de medio sublata fuit in Hierusalem, ferisque & volucribus exedenda est exposita? Quorum etiam Psalmographus contexens lamentationes. Posuerunt, inquit, morticina seruorum tuorum escas volucribus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Quomodo autem prophetarum quoque sunt mortui & Apostolorum chori violentis & iniquis manibus? fecti, occisi, lapidibus obruti: qui non solum nihil morte dignum fecerant, sed multi quoq; ex ijs beneficio affecerant eos, qui interemerunt? Mitto enim dicere de ætate infantiū, qui mala non fuerant experti, quemadmodum alij quidē iussu Pharaonis in fluuij aqua fuerunt suffocati, alij verò iussu Herodis gladio crudeliter perierunt: qui

[b] Iudicia Dei temerè non sunt discutiēda.

3. Reg. 1. 1. Reg. 22.

Psalm. 78.

Exod. 1. Matth. 2.

prius quàm quæ erant vitæ iucunda gustâssent, mortalis doloris fecêre periculum, nè omnino lateret educatus is rex, quem suspicabatur.

XII. ET in his quidem omnibus quieuit Iudex relinquens impunè ferri, & citra vllum impedimentum particidarum insolentiam. Diem enim iudicij posuit terminum remunerandi ea, quæ facta fuerint. Et ideò interea est patiens, vt qui legum transgressionem & vitæ actæ rationem in illud tempus reseruet. Sed hæc quidem nec sunt præsentis temporis, nec meæ dicendi facultatis, vt dixi antea, & magno tempore & cognitione indigent, vt ea diuinæ iustitiæ, vt par est, exæquentur. Quæ aût vrgent, vt eloquar id quod mihi accidit, ea iam dicam: & fortasse leuius me habebo, dolore parum remisso. Non tero enim memoriam illius, quod re ipsa vidi: vt qui nescio, quomodò illius rei fecerim periculum, cuius nè recordationem quidem possum facile sustinere: propemodum autem ipsis quoque succenseo oculis, qui mihi causæ fuerunt figurarum, ad quas dum cogor adspicere, habeo dolorem perpetuo pungentem, & noctu quidem in somnijs, interdiu autem vexantem cogitationibus. Neque enim me dormientem cura omnino remittit: neque sinit dormire absque solicitudine: sed tunc quoque me quædam conturbat visio eorum, quæ facta sunt, & ostendunt simulacra recenter occisum & palpitantem: & veluti propter casum recentem rursus dolorem renouant. Necesse est ergò, cùm consequentia hoc postulet orationis, narrare prius vitam sanctorum, qui erant in illis locis, & exponere vitam barbarorum, qui inuaserunt: vt concinnè compactum, vt par est, sit corpus historiæ, nullo prætermisso ex ijs, quæ debeant cognosci à studiosis.

[a] Homines feri & barbari.

XIII. ATQVE gens quidem, quæ dicta est, habitat solitudinem, quæ ab [a] Arabia vsque ad Ægyptum rubro mari & Iordane hinc inde terminis distenditur, quæ non artem, non mercaturam, non agriculturam vnquam exercet: sed solùm habet gladium, quo sibi victum suppediret. Aut enim feras venantes solitudinis, viuunt vescentes carnibus: aut prædas agentes de ijs, qui incidunt in eas vias, quas insident, quæ sunt ad vsum necessaria, sibi quomodocunque comparant. Quando autem eis vtraque defuerint, & rerum necessariarum laborârint inopia, tunc iumentis (sunt autem ea cameli dromades) pro cibo vtuntur, beluinam & sanguinariam vitam omnino eligentes. Per cognationes enim aut per contubernia ipsi vnum occidentes, & modico ignis calore carnium mollientes duritiem, vt solum cedant eorum dentibus, ita, vt semel dicam, aluntur instar canum, Deum non cognoscentes, nec qui intelligentia apprehenditur, nec qui fuerit fabricatus manibus: astrum autem adorantes matutinum, & orienti ei sacrificantes ea, quæ meliora iudicant ex spolijs, quando ex incursione, quæ fit pro prædis agendis, ad eos peruenerit aliquid aptum ad occisionem: Pueros [b] autem offerre, est eis magnum studium, qui præstant & specie, & vigore ætatis. In quibusdam autem congestis lapidibus eos manè sacrificant. Quod quidem, ô amici, me valdè conturbat & angit, nè fortè forma pueri habens aliquid, quod sceleratos moueret & alliceret ad impium cultum de morte faciendum, ad id quod videbatur, visa fuerit vtilis: & castæ corpus animæ ab impuris oblatum, sit hostia sæuis & qui cæde delectantur dæmonibus. Quamobrem qui hæc offerunt sacrificia, nulla solent moueri misericordia puerorum qui occiduntur, & si omnia faciant, etiamsi rogantes lamententur vel Sirenum vocibus. Quod [c] si quando eas ad sacrificium tale corpus defuerit, camelum colore album & minimè vitiosum, in genua inclinantes, ter circumeunt, iacentem cum tota populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò & circuitionem & canticum, quod ab eis in astrum factum est, aut ex regibus quispiam, aut ex sacerdotibus, qui sunt senectute venerabiles. Qui post tertiam circuitionem, cum nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, stricto ense valdè percutit eundem, & primus magno studio gustat sanguinem: & sic reliqui cum gladijs accurrentes, aliqui quidem aliquam paruam pellis partem excindunt cum pilis: alij autem quodlibet rapientes, ex carnibus abscindunt: alij autem vsque ad viscera procedunt & intestina, nullam hostiæ partem relinquentes non confectam, quæ possit deindè videri à sole apparente: neque enim abstinent ab ossibus & medullis, perseuerantia vincentes fortitudinem, & tandem diuturnitate superantes repugnantiam. Atque hic quidem est barbarorum ritus vitæ & religionis: & sic viuentes in solitudine, loca locis commutant, illic castra metantes, vbi iumentis luxuriantia inuenerint pascua & aquam copiosam.

[b] Horrenda illorum sacrificia.

[c] Ritus planè barbari.

XIV. QVI autem vitam solitariam exercent & quietam, cum pauca quædam loca elegerint solitudinis, vbi possint necessitatem corporis vtcunque recreare aquę abundantia: alij quidem fixis tuguriis, alij verò absconsi in antris & speluncis, sic viuunt virtutem persequentes. Et pauci quidem nôrunt alimentum ex frumento, nempe quicunque sterilem solitudinem possunt cogere studio & diligentia, vt producat frumentum: qui paruo quodam ligone parùm terræ, eiusque malæ, operantur, & quantum cogit vsus ad viuendum cum egestate. Multi [d] autem vescuntur crudis oleribus & baccis, mensam minimè artificiosam, & nullis condimentis instructam amplectentes, eorum qui obsonia condiũt, & panem conficiunt, curiositatem multum valere iubentes: nè si in curando corpore multum temporis ponerent, negligentes essent in eo, in quo oportet perseuerare: sed pura mente colerent, nec carnium crapula grauatam habentes cogitationem, neque [e] ciborum varietate ventris voluptati blandientes. Ij enim non solum renunciârunt omni qualitati iucundorum: sed etiam, propter redundantem quandam abstinentiam, rursus quoque ad quantitatem, suam extendunt contentionem: tantum sumentes ex rebus necessarijs, quantum sufficiat ad viuendum, & nè qui viuunt, violenta morte interempti, priuentur mercede rerum bonarum & honestarum operationis. Propterea [f] alij quidem cibum capiunt die Dominico, totos septem dies ieiuni permanentes. Alij verò tempus dimidiant, bis in hebdomada alimenta recordantes. Alij verò post vnam diem. Et hi quidem omnes per hoc studium abstinentiæ ostendunt se id diligere, quod nullius indiget, & propemodum se contendere cum vita angelorum: seruiunt tamen legibus naturæ, & flectuntur corporis necessitatib us, sed vix tandem, quando senserint suas vires defatigari magnis virtutis laboribus.

[d] Crudis oleribus & baccis vescuntur eremitæ.

[e] Abstinent à pane & à carnibus.

[f] Mira eremitarum abstinentia

XV. IN his nummus Cæsaris nec ad auditionem quidem vsque est cognitus. Nam neque venditionem sciunt, nec emptionem. Vnusquisque enim vnicuique gratis præbet id, quod est ei opus: gratis vicissim accipiens id, quod sibi deest. Olerum autem & baccarũ fructus, & rarus panis, est in se inuicem liberalitas, quę ex eo, quod adest, ostendit signa charitatis, & animi munificentiam vel in his paruis donis abundè indicat. Sed nec inuidia, quæ bona opera maximè sequi est solita, illic vnquam locum habuit: nec eum, qui bonis minus abundabat, eius qui magis resplendebat, excellentia incitauit ad inuidiam. Sicut nec hunc aduersus illum extulit arrogantia, ad glorioſam de se persuasionem seducens, vt res rectè ab eo gestæ, magnos ei facerent spiritus. Qui [g] enim virtute præstabat, non proprijs laboribus, sed Dei virtuti adscribens vniuersum, poterat se moderatè gerere: vt qui sibi persuaderet, non se esse rerum bonarum & honestarum per se opificem: sed esse instrumentum gratiæ, quæ in ipso operatur. Et qui rursus in his erat inferior, fortè propter imbecillitatem corporis, vel lubens seipsum demittebat, humilemq; reddebat, animi socordiæ, non naturæ imbecillitati, defectum attribuens. Sic ergo alius alio, & omnes omnibus sunt moderatiores, non in magnifica de se persuasione, & in ingentibus spiritibus, sed in copijs virtutis studentes excellere. Ideo enim fugientes terram, quæ habitatur, incolunt solitudinem, non hominibus, sed Deo ea, quæ à se rectè geruntur, volentes ostendere: à quo etiam eorum, quæ rectè gerunt, sperant remunerationem. Hominibus enim manifestas reddere, quæ ex Deo fiunt, actiones simul promptum perdit animi studium & mercedem: illud quidem emolliens arrogantia, hanc verò minuens laudibus, quæ proficiscuntur ab hominibus. Qui enim ob ea, quæ facit, quærit humanam gloriam, accepta quam quærebat mercede, ab ea quæ est, excidit, vt qui superatus sit ab humana gloria, & ideo vera priuatur.

[g] Nota insignem & humilitatẽ & modestiam.

FACIVNT

XVI. FACIVNT[a] autem suas habitationes non sibi inuicem propinquas, sed satis procul distantes: vt qui viginti & eo amplius stadia absint, alius ab alio: non propter odium, (quomodo enim, qui sic inter se affecti sunt, vt dictum est?) sed in magna quiete & silentio volentes mores instituere ac formare ad id, quod Deo placet, & studentes cum Deo indiuisam habere consuetudinem. Quod quidem vt in turba ac tumultu rectè fiat, aut est difficile, aut nec omnino quidem potest fieri. Diebus[b] autem Dominicis ad vnam veniunt Ecclesiam, & inter se conueniunt post vnam hebdomadam: nè rursus perfecta separatio disrumpat vinculum concordiæ, paulatim inducens obliuionem suorum inter se officiorum. Solet enim quæ est nimis intensa, solitudo mores efficere ingratos, & agrestes, qui longa consuetudine discunt charitatis societatem & communionem. Diuinis itaque communicant sacramentis, & se inuicem excipiunt conuiuio exercitationis eorum, quæ conuenit eloquiorum, & se inuicem instruunt adhortationibus, quæ ad mores pertinent.

[a] Viuunt solitarij.

[b] Dominicis diebus conueniũt.

XVII. HIS enim maximè opus habet vita studiosa virtutis aduersus certamina, aduersariorum latẽtes artes publicãs: nè ijs capiatur aliquis, qui ignorat erroris insidias. Quibus enim non adsunt rerum materiæ & imagines, ijs ociosum quidem est peccatum ad operationem. Quibus autem bellum in mente consistit, hîc mors est vt plurimum facilis & incerta ijs, qui cernunt quæ sunt intrinsecus: vt quæ constet in assensione voluntatis, quæ caret testibus: & ideò imperitos, & qui *adductam nunc primum adgrediuntur, pulchrè instituentes qui ad certamen rectè sunt instituti, per abstinentiam quidẽ fortiter cõsulunt resistere vitio gulæ. Nam[c] qui ciborum se dedidit voluptati, facile prosternitur ab eo, quod est sub ventre, vitio, eò quòd à minore vincatur, maiorem casum pollicens. Et hæc quidem, vt diximus, suadent ijs, qui sunt adhuc recentiores, ij, qui iam sunt prouecti, & longo tempore & exercitatione consecuti sunt satis magnam earum rerum experientiam. Sibi[d] autem & inter se inuicem prohibent perfectiores vanam simul gloriam & superbiam, iubentes ea cauere non secus ac petras, quæ latent in mari propè portum: vt quę post multum laborem nauigationis, ferunt ad extremum & graue periculum eos, qui in maximis vitiorum fluctibus, & tempestate immundarum cogitationum, nauem nequaquam fregerunt. Multi enim, qui nequaquam fracti fuerant insultibus tentationum, sed totum cursum illæsi confecerunt, cum sæpe post victoriam confidissent habitui eorum, quæ rectè gesserant, aut in eos, qui se videbantur negligentius gerere, se erexissent, ceciderunt casu valde lachrymabili. Nam priuat quidem fortasse vana gloria ijs mercedibus, quæ dantur propter laborem, & facit operationem ijs qui laborant, inutilem. Est autem cum damno erogantia ac superbia, & nouit magnum conciliare periculum, vt quæ Deum inficietur esse honestarum rerum cooperatorem, & rerum rectè gestarum sibi adscribat potestatem. Atque de illis quidem sic dicit Propheta: Qui congregat mercedes, congregat in dolium perforatum: vt quæ nondum injciantur, & iam effluant, quæ non diu maneant in dolio, sed mox è dolio prætercurrant. Talis est enim vana gloria, habet interitum, qui cum lucro concurrit: vt quæ in ipso opere deleat id, quod ex eo redit. Dicit autem de alijs is, qui scripsit Prouerbia: Dominus, inquit, superbis resistit, infensum hostem exhibens eum, qui fuit contemptus ijs, qui contempserunt. Et ideo animo cogitantes ciues illius solitudinis, Moysem, inquam, & Eliam, magno studio contendunt exercere illorum à fastu & arrogantia alienationem: æquum esse arbitrantes, vt quorum incolunt regionem, eorum quoque imitentur virtutem: Neq; enim Moysem extulit ad arrogantiam magnitudo imperij: neque enim Eliam tumefecit miraculum sacrificij. Manserunt autem semper seruantes eundem statum in omni tempore, & non cum rerum mutationibus suos vna mutantes spiritus. Moyses quidem Ægyptiorum fugiens insidias, dum pasceret oues Iethro, fuit spectator admirabilis illius visionis: vt qui tunc didicerit rubi fruticem esse edaci igne potentiorem, & in media flamma viride germen florere viderit. In hoc monte legislator, tunc quidem solius Iudaicæ, nunc autem omnium gentium constituitur, cùm per naturæ cognationem in totum genus gratia peruaserit. Fulserunt enim super candelabrum positæ vitæ degendæ leges, etiamsi fuerunt aliquando absconsæ sub modio dictionis, antequam aperirentur. Porrò autem inclytus quoque Elias huc venit fugiens Iezabel: & cùm in hac terra dormijsset, experrectus inuenit panem subcinericium & vas aquæ. Hanc ille habitauit speluncam, ouilla veste corpus indutus, antiquo suorum Maiorum indumento: & sic vidit Deum in aura tenui, vocem audiuit decernentem ea, quæ visa fuerant. Est autem hoc postremum & primum indicium virorum fortitudinis. Illam per totam vitam habitant solitudinem, quàm Israelitæ cum solum transijssent, murmurârunt, cum parato è cœlo diuino alerentur nutrimento, & de mensa conquerentes illi, quadraginta dies non tulerunt absentiam eius, qui illis præerat. Neque verò statuerunt ita, vt oportet, liberum suum administrare arbitrium: sed statim defecerunt, ad impietatem libertate abutentes. Ij toto tempore philosophantur in solitudine, egentes rebus necessarijs: & sunt sibi magistri pietatis. Sed quid opus est plura dicere?

*luctam, legendum videtur.

[c] Gula cauenda.

[d] Item vana gloria.

Agg. 1.

Iacob. 4.
1. Pet. 5.

3. Reg. 18.

Exod. 3.
Exod. 20. &c.
3 Reg. 19.

Exod. 32.

XIIX. IIS sic affectis, & sic Deum colentibus, repente insperata veluti procella, eis alicundè phalanx ingruit barbarica, & summo mane cùm paulò antè desijssent hymnos canere, pios inuaserunt impij. Ego[e] autem tunc quoque illic aderam cum filio: à sancto enim monte descenderam, visitaturus sanctos, qui erant in rubo, quod iam diù antè facere consueueram: & statim instar canum rabidorum irruentes, inconditis vocibus & nihil significantibus aerem repleuerunt, & rapuerunt quæcunque hyeme sanctis parata erant ad cibum. Frigunt enim illi ex fructibus, quicunque sunt vtiles, & possunt omnino permanere: & eis consolantur naturæ necessitatem. Cum ergò nosipsos eos fecissent afferre, educunt omnes ex Ecclesia: & cum exuissent centonibus, nudos ad occidendum per seriem ordinant eos, qui ætate præstabant. Deinde verò circũsistentes, stringunt enses: & cum oculos ira replessent, & ardentem adspectum oblique quodammodo circumagerent, & sancti loci Sacerdoti iussissent primum collum porrigere, inferunt, non ambo (duo enim erant circa eum) sed alius post alium, vtrinque enses in eius tergum infligentes, cum is neque præ dolore eiulasset, neque vultum auertisset, & nec vel paruum doloris ostendisset vestigium: sed se tantum signâsset, & oris susurro dixisset, Benedictus Dominus. Atque peruasit quidem vnus ictus à dorso vsque ad maxillam, cùm per aurem transijsset: alter vero ab humero peruenit ad mammillam. Et sic vir diuinus sensim conuersus honestè ac decorè cecidit, nihil nec interfectionis, nec nuditatis, quod turpe esset, ostendens. In eius autem corpore florebat quædam gratia, & nuditatis tegebat deformitatem. Hoc autem vesperè & rebus & verbis propemodum prædixerat vir ille admirabilis, eos, qui in cœna aderant, benignius quàm consuêsset alloquens, & dicens: Quid enim scimus, an rursus ante mortem nos simul congregatura sit mensa & conuiuium? Deinde post illum capiunt & interimunt eum, qui vnà cum sene habitabat: qui ipse quoque erat & senex tempore, & satis afflictus laboribus exercitationis: & rursus puerum, qui eis ministrabat. Hic autem fuit modus interfectionis.

[e] Barbari monachos sanctos trucidant ann. 19. Anastasij Imp. indictione 2. vt ex Actis S. Ioannis Silentiarij, & Euthymij Abbatis colligit Baronius, in Notis Martyrologij Rom. qui fuit annus Christi 509. Cedrenus eam cędem ad annum 10. eiusdem Imp. refert.

XIX. IVBEBAT vnus ex barbaris colligere aliquem ex ijs, qui erant effusi, fructibus. Ille autem vt placebat ei qui iusserat, diligenter terræ assidens, sinum relaxabat, manibus attrahens ea, quæ erant appositа: vt ei qui iusserat, videretur aptus ad ministerium, & ideò vita ea concederetur. Sed nihil profuit: neque sic barbaricam emollit impudentiam. Alius[f] enim, qui ponè stabat, ensem è vagina clam strinxit. Ille verò siue eum trahi sensisset, siue etiam cædem habuisset alioqui suspectam, tanquam perterritus vultum parumper circumagit. Qui autem adstabat, eum terruit & clamore barbarico, & contortis oculis Et sic quidem cum is rectum ensem in iugulum defixisset, magnis viribus eum ab hepate abegit ad thoracem. Ille verò, priusquam is reuelleretur, iacebat mortuus, vt qui vel timore perijsset, aut propter tertitudinem & opportunitatem vulneris non peruenisset ad mortis cognitionem: quæ à vasis corporis citò exemit

[f] Non flectitur barbarica crudelitas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[a] Quidam monachi fmuntur abscedere.

animam,& eam tepente liberauit à vinculis, à quibus vix recedit, vt quæ sit colligata violentis nexibus creatoris. Reliquos [a] autem nos,nescio quanam re impulsi,abigunt,gestu manus fugere permittentes. In ea autem cruentos adhuc enses gestabant.Et alij quidem currebant per conualles, festinantes ad montem peruenire. Eis enim ad illum non patebat aditus,propterea quod Deus super ipsum stetisset: & populo aliquando respondisset.

XX. Ego autem ore aperto planè hæseram obstupefactus,vt quem retineret inopia consilij,& ab adolescentis victus essem visceribus, & nec omnino poteram recedere, nec volebam omnino conseruari: vt qui constrictus essem firmo naturæ vinculo,donec puer annuens oculis, & vt recederem,heu mihi significans, vix persuasit, vt abirem. Et pedes quidem anterius processerunt, & eos nescio quomodo sequebatur corpus, quod ferebatur, cor autem nolebat recedere,vultum ad puerum assiduè conuertens, & iactum oculorum ad se minimè valens congregare,qui non ad iter aggrediendum erat attentus,sed ad tergum conuertebatur miserabiliter. Perrexi itaque ego quoque ad montem, sequès eos qui præcedebant,& è specula contemplabar infelicem puerum, qui adducebatur, qui ipse quoque non liberè circumspiciebat, sed clandestina ad me conuersione furtim fallebat eos, qui abducebant. Tale enim est naturæ vinculum.Non [b] soluitur separatione corporum,sed intenditur vehementius,cum hoc quoque in brutis animantibus similiter fieri cernere liceat.Et vacca quidem,quæ abducitur,miserabiliter mugit, & frequenter,assiduè conuersa ad vitulum,qui est abstractus, & habitu oculorum indicans doloris magnitudinem. Quin etiam equus priuatus eo, qui vnà pascebatur:quoniam caret sermone,hinnitu dolorem significat,amicum frequenter reuocans.

[b] Vinculum naturæ.

XXI. Ego autem cum nescio quomodo peruenissem ad montis cacumen, etsi non haberem mentem, quæ vna cum corpore ambularet, volens videre filium veluti è specula, non poteram amplius adspicere, vt qui propter longum interuallum absconsus esset à meis oculis. Restabat itaque mihi deinceps perplexus & anceps animus: & à me ad Deum verba fiebant,& filium deflente captiuum, & sanctos interemptos vehementer deplorante: O beati, dicebam, & ter beati,vbi tandem nunc sunt labores vestræ abstinentiæ? Vbi sunt perpessiones tolerantiæ?Multorum ne vtique certaminum coronam accepistis? Hæc ne sunt vobis reposita præmia longæ decertationis? Num iustitiæ est vanus cursus? Num temere suscipitur pro virtute perpessio? Quod vos interficiẽdos absque auxilio reliquit prouidentia:nec iustitia restitit interimẽtibus, sed vires habuit manus iniqua aduersus sancta corpora,& gloriatur vitium se aduersus pietatem victoria esse potitum,omnino fremens,& gestiens tanquam aduersus superatam veritatem. Quomodo veterem flam-

Num 16. mam non nunc quoque accendit rubus? Quomodo non sceleratos exussit incendio? Quomodo autem non eos dehiscens terra accepit,vt cum aliàs simul cum tabernaculis & cognationibus totam Core deuorauit synagogam:Quomodo autem Sinai montis siluerunt prodigiosi terrores,tonitruum sonitu,& tristitia caliginis,& innumerabilibus fulgu-

Exod.19. rum coruscationibus impios non terrefacientes? Sed otiosa fuit vltrix potentia, nec eos, qui iniuriam faciebant,fulminibus & procellis rectè puniens:neque eos valida manu liberans, quibus fiebat iniuria: vt cum ipsi postremò docti experientia vim animaduertissent miraculorum, cognoscerent robur admirabile virtutis inexpugnabilis. Sed in ipso tubo & in monte,in quo fuit lata lex,ceciderunt pij absque vllo auxilio, perinde ac hostiæ expertes rationis.

Exod 14. Iosu.10. XXII. Vbinam tandem fuit potentia, quæ in mari submersit Ægyptios, & profundum eis effecit sepulchrum? Vbi autem, quæ grandinis percussit lapidibus alienigenas, qui bellum gerebant aduersus Israëlitas, & sine sanguine & labore victoriam dedit suo populo, & quæ rursus aliquando eis terrorem incussit: cùm aggrederentur terram sanctam,

Iudic 7. & eos inter se conuertit ad pugnam, nescientes, vt qui versarentur in tenebris, se alterum alterum occidere, & non posse suos qui interficiebantur, agnoscere? Vbinam tandem suum occultauit auxilium, non protegens eos, quibus parabantur insidiæ? sed sæuorum quidem leonum iram aduersus eos, qui ipsis obiecti fuerant, & ignis inexpugnabilem refrenauit potentiam,efficiens vt eos reuererentur, & ostendens eos esse pietate claros:horum aũt quomodo dubiam fecit virtutem, eos relinquens omni defectos auxilio, & efficiens vt omnino existimarentur indigni auxilio?Sed

Dan. 3. hæc quidem dicere nos fortasse persuasit animi ægritudo & dolor,& ab eo, quod erat decens, nos exturbauit. Danda est autem venia dolori,qui persuadet ei,cui ægrè est,multa loqui præter animi sentẽtiam,victo fortasse à rerum aduersarum magnitudine.Nam iustos quoque sæpè diuinum reliquit auxilium, eos tradens Tyrannis varijs tormentis cruciandos,& impia morte afficiendos:vt eorum, qui decertabant, virtutis ostenderetur spectata probitas, & eorum fides tanquàm fax resplẽderet,de fiducia nihil remittens vsq; ad mortem, sed totam esse vanam Tyrannorum insaniam patiendo arguens.Nam ij quoque,qui nunc remanserunt sancti, à solitudine minimè volunt recedere, ei,quæ promiscue & indifferenter in vrbibus agitur, vitæ mortem præferentes. Quod ipsum quoque visum est ijs,qui sunt interem-

[c] Mors animæ peccatum.

pti, vt potius morerentur, quàm sustinerent vitium, quod versatur in ea parte orbis, quæ habitatur. Sciebant [c] enim mortem animæ,esse morte corporis grauiorem:& eam,quæ est in peccato,apertè esse magis periculosam ea,quæ affertur gladio:quoniam hæc quidem habet paruum,& qui est ad tempus tantum, dolorem: illa verò longum supplicium, & quod nunquam desinit.Et ego quidem hæc dixi.

XXIII. Barbari autem cùm multos alios interemissent,& depopulati essent in solitudine, satis magnam viam confecerunt:& cum die iam inclinato prębuisset nobis nox de cætero potestatem ambulandi sine metu,de monte descendentes, conuersi sumus ad sepelienda corpora. Et alios quidem inuenimus diu ante mortuos: sanctum autem Theo-

Iob.1. dulum adhuc spirantem, & qui posset vtcunque loqui. Ei itaque assidentes, & quæ acciderant deflentes, pernoctauimus: rogante nos sene,nè hæc nobis viderentur aliena. Satanæ enim esse morem, eos qui tententur, à Deo expetere. Quàm multos Iob filios interemit,alios quidem igne,aliosverò ense,alios aũt euersa domo perdẽs?Sed nè vos,inquit,

Iob 42. ea quæ fiunt,conturbent.Scit enim agonotheta, quo iudicio trahat athletas aduersario:vt qui præclara præmia & brauia proposuerit ijs,qui plagas æquo animo accipiunt,eaque talia, qualia ostendit magnus Iob, qui omnia accepit du-

1.Cor.2. plicia,quæ iam visa fuerant perijsse,vel potius longe maiora,& quæ citra vllam excedunt comparationem. Quæ enim oculus non vidit,&auris non audiuit,& in cor hominis non ascenderunt,ea Deus parauit ijs,qui pro ipso decertârunt, & pietatis præmijs suam vitam gloriosè coronârunt. Sic enim Deum decebat munificum superare labores remunerationibus,& coronis superare certamina, & illa præbere athletis, quæ neque sperabantur, neque expectabantur ab ijs,

[d] Nota quod vita æterna, quæ retribuitur fidelibus, est merces & gratia.

qui ea quæ dantur accipiunt, vt & reddat mercedem quæ debetur, & gratam efficiat remunerationem, propter insignem honorem.Hæc dixit,& præsentes salutauit osculo, quam diu loqui & linguam mouere ei virtus præbuit. Mortuum autem nos multis lachrymis prosecuti,terræ cum alijs mandauimus: & cùm tenebræ adhuc incertum ad vos facerent aditum,huc venire potuimus.

Ex ijs autem, qui fuerunt interempti,duo quidem vocabantur Paulus & Ioannes.Presbyter autem,Theodulus. XXIV. Mortui autem sunt consummati septimo die post Theophania,qui est quartusdecimus mensis Ianuarij.Omnino enim viris pijs ac religiosis ipsa quoque temporis & nominum cognitio digna est magno studio, qui memoriæ sanctorum volunt esse participes. Interempti verò sunt quoque alij multis ante temporibus, quorum ipsorum quoque commemorationem,propter viæ longitudinem, & eorum qui congregantur multitudinem, eodem die peragunt.

[e] Vnus effugit manus barbarorũ.

Nobis [e] hæc adhuc loquentibus, nunciatur quidam saluus euasisse è castris: & paulò post ad nos accedit, timoris XXV. vestigijs nondum ex oculis depositis: nec animi perturbationem adhuc valens reprimere: & magno adhuc cursu & animi angore anhelans & conturbatus, perindè ac si propè essent, & futurum esse vt assequerentur ij, qui persequebantur.

bantur. Deinde rogatus, quomodo effugisset: Me, aiebat, & tuum filium in cœna loquentes denunciabant fore, vt diluculo altro sacrificarent, aramque excitarunt, & ligna apposuerunt, ignorantibus nobis, cur hæc fierent. Mihi autem hæc dixit clanculum vnus ex concaptiuis, qui eorum vocem intelligebat. Ego autem illi significaui consilium barbarorum, & quod nisi nobis fuga salutem pepererimus, non nobis viuis mane sol illuxisceret. Ille autem veritus nè comprehenderetur, remansit, dicens: Quod Deo visum fuerit, vbicunque sit, non effugiet aliquis, etiamsi lateat in adytis. Ego autem in tenebris, cùm vidissem omnes somno grauatos, (torpefecerat enim eos nimia ebrietas) humi pronus primum serpens, nè, si quis vigilaret, me recta corporis vmbra proderet: deinde à castris parum remotus, cursu ad hunc scopum contendi, timoris pennis portatus velociter, quæ apud illos statuta erat, cædem vel me ratus fuga euasurum, vel si etiam comprehenderer, constituta morte me nihil grauius passurum esse raticionatus, & alioqui certo malo præferens spem incertam. Quod enim, si manerem, non licebat omnino effugere periculum, verisimile erat posse me euadere, si pedum auxilio meam salutem credidissem. Accepi enim, multos sæpe à pedibus plus esse auxilij consecutos, quàm a plurimis defensoribus. Ecce ergò me mea non fefellit opinio, sed eis, quibus post Deum credidi, sum seruatus, & adsum apud vos, vt videtis, nullo malo affectus.

XVI. MEIS autem oculis adhuc insidet metus crudelitatis barbarorum, & eorum facta scelerata me in stuporem adducunt, & impleor horrore, propter ea quæ ab eis facta sunt. Cum [a] dominum enim meum, vna cum Prætore munus obeuntem reipublicæ, & ad vos reuertentem offendissent in solitudine, ad se abduxerunt cum omnibus eorum facultatibus: & alium quidem, qui restiterat, cum famulis membratim discerpunt: meum autem vna cum filio (erat autem is valde iuuenis) sequentem abduxerũt. Sole autem iam appropinquante horizonti occasûs, fingunt tabernacula, vbi eos vespera apprehenderat: & cum ex nostris spolijs magnum fecissent conuiuium, eum & filium adhibent conuiuam, iubentes eum bono esse animo, & nihil extimescere. Saluus enim, aiebant, & illæsus domum reuerteris cum filio, cùm sufficiant alij, vt sint duarum animarum precium redemptionis: & videbantur paulò post impletui promissum, permittendo vt ad sua redirent: aquam autem portari, & ad viaticum panes afferri iubebant, ad hoc vt commentum videretur probabile: vt spes vitæ ex viatico apud eos fraudem haberet fide dignam, dolusque barbaricus & scena, videretur esse vera cura, quæ eorũ gereretur. Duos [b] aũt ephebos iuuenes, procurantes scilicet, vt eis esset iter securum, vnà emittunt, qui eos deducerent. Quibus iusserunt clanculum, vt cum essent aliquantulum remoti à castris, eos concideret. Cùm eos ergò circumstitissent, qui eo modo, quo dictum est, deducebant, ilicò ij, qui esse videbantur seruatores, & si alij inuasissent, eorum, vt par erat, propugnatores, ij ipsi fiunt præter spem occisores: & mactant quidem filium ante patrem, vt videndo mortem sui filij, & suæ mortis faciendo periculum, ei dolorem conduplicarent. Protinus autem illum quoque multis interimunt vulneribus, eorum infidelitatem & insidias magna voce detestem. Audiui enim alterum quidem flentem miserabiliter, alterum verò valde clamantem, & ad vnumquemq; ictum grauiter eiulantem, & veluti laboribus cõcedentem, vt plagas dimetirentur. Atque ipse quidem bonis promissis fidedeceptus, miserabilem passus est interitum. Oportebat enim ipsum ex aliorum malis sua diuinare, quod scilicet mors quidem minimè vitari posset, esset autem poti[o] toleranter ferenda cùm expectaretur. Malum enim quod venit prẽter expectationem, omnino perturbat cum aduenerit. Quod [c] autem est expectatum, cùm ad id experiendum paratam inuenerit rationem, existimatur leuius, vt quod iam sit meditatum, & effecerit, vt eius aduentus nequaquam sit nouus & alienus.

[a] Nota barbaricam ferocitatẽ.

[b] Mira fraus barbarorũ.

[c] Iacula prò uisa minus feriunt.

XVII. VESPERE enim in cœna, in qua eum præbibendo inuitabant poculis & benignis verbis, volentes ludere ludum sibi consuetum & gratum, (erat autem id, quod ad delectationem agebatur, hominis cædes) mittunt ad eum calicem, vt *bibat vni ex filiis suis, cùm alterum paulò ante mactâssent. Ille autem vix quidem accepit inuitus, vt cuius appetitus esset metu mortu[o] ante corpus. Accepit tamen metuens. Bibens enim, significabat se necessitate adductum id facere, vt qui violentis ostenderet sonis, id à se fieri præter animi sententiam. Non enim quietè fauces permeabat potus, sed in genis quodammodo restagnans, ad mentum veluti ad vallem aliquam asperam, cum maximo sonitu deuorationis vix peruasit thoracem. Cum sic ergo tandem per vim potum accepisset, mittunt, qui eum interficeret. Erat [d] autem is iuuenis. Nam eis quoque cædes committunt, ab ineunte ætate prouocãtes eos ad crudelitatem. Ille autem ob ebrietatem bacchico furore percitus, ad tam inhumanum opus magno contendit studio, quam ex actione capiebat voluptatem, risu indicans: & ad iacentem accedens, primum quidem eum ferit in colli vertebris, & cum propter ossium duritiem parum scidisset, protinus illinc quidem tollit ensem: per iacentis autem latus eum transadigit. Deinde [e] cùm rursus in prima vertebrę sectione certius & opportunius percussisset, reuertitur exiliens, manu ensem in aẽre quatiens. Puer verò præ dolore diu quidem palpitauit & subsultauit, & eiulans volutatus est in sanguine. Tandem autem cùm in spiram conuolutus, caput inclinasset ad ventrem, & pedes ad eum contraxisset, vt qui vellet erigi, illa conuersione ad prunas appositas se deuoluit. Cùm verò maiorem, vt est consentaneum, ex igne sensisset dolorem, rursus quidem pedibus & manibus, necessario instar piscis subsiliebat, assiduè erigens partem quæ torrebatur. Cùm verò non posset amplius sibi ipsi opem ferre, vtpotè quod vna cum sanguine excretæ essent vires, rogo liquefactus interijt, duobus simul affectus supplicijs, nempe ensis & ignis.

*for. *prabibas.

[d] Iuuenes exercentur ad cædes faciendas.

[e] Crudel. sima pueri cædes.

XVIII. DIE autem sequenti postquam hoc fecissent, ambulantes in solitudine, non recta via, sed aberrante, locaque aspera & difficilia, modo hic, modo illic obeuntes, altosque & arduos montes circumeuntes, & per non tritas & confragosas & propemodum inuias valles pedibus ingredientes, longo remotum spatio vident locum paulatim herbescentem. & cum ex viriditate coniectâssent esse locum aptum ad diuersandum, aut etiam existimâssent illic aliquos habitare monachos, scopum suum eo conuertunt, tanquam à mari ad portum iter iumentis dirigentes. Cùm autem venissent, vident locum, qui nihil erat deterior, quàm putârant, nec falsa visione eorum spem fefellerat. Nam & erat aqua in eo copiosa: & ante quã gustaretur, sua visum delectabat puritate. Ori autem allata, paruam arguebat esse visus delectationem, si conferretur cum voluptate gustus: eratque fœnum aptum ad pascendum animalibus. Cùm ergò camelos exoneràssent, illos quidem libere dimittunt ad pascendum: ipsi autem statim currunt ad aquam, eam bibentes, se adspergentes, lauantes, & nescientes, vt semel dicam, quomodo vterentur, illa liberali & profusa aquæ abundantia.

XIX. DVM autem ad eam choros ducerent, & fontem laudibus celebrarent, vident in latere montis quoddam paruum domunculæ vestigium, omnesque vno spiritu eò currunt, cursu alius alium superare contendentes, & cum appropinquassent, circumfusi sunt speluncæ. Ea [f] autem erat in ostio paucis extructa lapidibus, ne, si esset nimis magnus hiatus, feris facilem præberet ingressum. Deinde cùm intrò accurrissent pauci & singuli, (non capiebat enim multos) virum educunt specie & habitu venerandum: eumque ducebant trahentes, nihil omnino conturbatum, & qui neque expalluerit, neque illiberale aut triste aliquid ostenderit, aut locutus sit: & cùm eum supra quandam petram posuissent, lapidibus (non enim habebant enses) interficiunt scelerati, ridentes & sua voce pæana decantantes. Deinde rursus parum progressi, alterum comprehendunt adolescentem, pallidum, macilentum, & qui adspectu aperta præ se ferebat vestigia abstinentiæ: & ipsum similiter lapidibus interficiunt, multas voces emittentem, quibus agebat gratias, & fatentem se eis debere, quòd qui virtutem sequebatur, è vita eduxissent. Dicebat enim, se non parum timere finis incertitudinem, nè mentis fortis lapsus, aut quædam externa nececeſſitas liberæ animi voluntatis mutaret constantiam

[f] Cædes venerandi eremitæ.

Item alterius.

ſtantiam : vt quæ vel eſſet perſuaſa aut coacta alia ſentire, quàm quæ apud Deum ſunt certa & extra controuerſiam.

NON multum illinc proceſſerant: & ecce apparet locus quidam herbidus, & multis comatus arboribus: & rurſus quàm maxima potuerunt barbari celeritate ad ipſum cucurrerunt. Cùm [a] autem appropinquâſſent, in paruâ quandam incidunt domunculam, in qua exercebatur adoleſcens, cuius magnus & excelſus animus, exiſtimatus eſt vel ab ipſis barbaris dignus admiratione. Neque enim his oſtendere latentia quædam monaſteria, & ea ratione mortem effugere, ſuſtinuit. Hoc enim ei polliciti erant barbari. Sed neque in hoc, vt exiret è domo, neque vt omnino tunicam exueret, obediuit: indicare quidem eos, qui poterant latêre, dicens proditionem: omnino autem obedire, quicquid per vim cogeretur, puſilli & abiecti dicebat eſſe animi. Ijs enim, qui exercentur, dicit oportere adeſſe magnum & excelſum animum, & non fas eſſe cedere aut metui, aut minis, etiamſi id videatur magnum habere periculum. Conſuetudo enim fit via ad maiora. & timiditas, quę ſemel didicit dominari, iubet etiam magna bona contemnere, atq; adeò ipſam etiam pietatem poſtremo prodere, quando metus malorum timiditate confectum, animum inuenerit. XXX.

[a] Adoleſcẽtis eremitæ inſignis conſtantia

SI enim nunc, inquit, facilè prodidero liberum mei animi arbitrium, timens nè breui moriar: quomodo ſi proponantur ſupplicia, & minæ intententur tormentorum, ad impietatẽ non facile transfugiam, cùm doloris vacuitatem aſſueuerim vtili præponere? Quocirca cùm vobis planè denegetur ea, quæ ſperatis, conſequi, nè cunctemini ea, quæ vultis, facere. Neque enim loca, in quibus viri pij habitant, etſi ſciam, indicabo: ſed nec extra oſtium vobis iubentibus egrediar, neq; veſtem exuã, vt me quis adhuc ſentientem, & mei liberi arbitrij compotem, cernat nudũ, & contueatur corpus, quod in hodiernum vſque diem meis non eſt conſpectum oculis. Poſt [b] mortem autem in me non ſentientem faciat deinceps vnuſquiſque quod velit. Eorum enim qui faciunt, crudelitatis, ſed non eius qui patitur, animi eſt ea reprehenſio. Intus enim moriar indutus, vt conſtitui, neque faciam quidquam præter ſententiam, meipſum prodens vt mancipium: & in hac cauea, in qua decertaui, potius interficiar: & erit mihi ſepulchrum hæc domuncula, quæ prius virtutis ſudores, & ſtrenuitatis ac probitatis nũc accepit ſanguinem. Sic eum libere loquentem cùm non tuliſſent ſcelerati, ſed aduerſus generoſum eius animum eſſent acerrimè commoti, tot eum plagis interficiunt, quot potuit eius corpus capere. Vnuſquiſque [c] enim volens ſuam iram in eum re ipſa oſtendere, non exiſtimabat priorum enſes ſufficere ad vindictam, niſi cum ipſe quoque ſuum gladium ſua manu tinxiſſet, ſic indignationem ſuam poſſet conſolari. Cùm plures itaque mortuum quàm viuum illum magni & excelſi animi virum iam fauciâſſent, ita receſſerunt, animis ægrè ferentes, quod non ad maius ſupplicium eis ſuffeciſſet corpuſculum. XXXI.

[b] Item pudicitia admirabilis

[c] Cædes atrociſſima.

POST autem tres nobis occurrunt, ingredientes per ſolitudinem, qui adhuc feruentem eorum iram paululum ſedârunt: vt qui eorum in illum furoris defectus ſuppleuerint. Quomodo enim agreſtes feræ, aut canes venatici, ſi oſtenſa ſolùm fuerit præda, & euaſerit, ad maiorem prouocantur inſaniam, quòd eam non fuerint conſecuti, & quod rurſus inciderit, maiori ſtudio perſequuntur, ſecunda cautione priori medentes ludibrio: ita ad eos, qui apparuerant, currentes, cædem ſpirantes ſcelerati, cùm enſes ſtrinxiſſent priuſquam appropinquarent, cum tanta in ipſos proceſſerunt crudelitate, cum quanta ſi ipſum accepiſſent, qui eos irritauerat. Cùm [d] autem nondum enſes in vaginas miſiſſent, ſed nudos manu tenerent, calidoque & exhalanti ſanguine inquinatos, in eo loco, in quo ambulabant, vident poſita duo monaſteria, non ex aduerſo quidem itineris, ſed ex obliquo ad alteram manum. Erat autem, quod inter ſe inuicem quidem iter cedebat, ſpatium, triginta ſtadia: inter eumverò locum, in quo eramus quindecim: vnumquodque tanquam à centro ad circuli lineas, quæ ſunt in circumferentia, pari menſura diſtantia. Diuiſi itaque proceſſerunt, dimidia pars ad vtrumque eorum, tota præda quam collegerant, in regione relicta cum iumentis. Et eos quidem, qui erant ad auſtrum, quomodo interfecerint, aut quoſnam, nequaquam cognoui. Ex ijs autem, qui erant ad clima boreale, poſtquam iam prope acceſſiſſent illum, qui ex multo curſu tela in pharetris ſonantia ſenſerat, & fugere cæperat, ipſi arcus intendẽtes multis iaculis transfixerũt. Deinde [e] cum ipſum, qui pronus ceciderat, cõprehendiſſent, non ſinunt eum mori cum ijs ſolis, quæ prius acceperat, vulneribus: cùm tot haberet plagas, quæ ad id ſufficerent: ſed cùm adhuc ſpirantem & animam agentem ſupinum conuertiſſent, ſtatim diſſecant à pube ad thoracem: reſpirantia autem per diſſectionem viſcera, & lateribus circumfuſa, contis vtrinque conturbabant, donec ea quoque dilacerauerint, priuſquam recederent. XXXII.

[d] Aliorum tium trucidatio.

[e] Item alterius.

POST hæc autem ego quidem aufugi, vt prius dixi: filio autem tuo quidnam factum ſit, neſcio. Nam eum quidem viuum reliqui: ſed qui de vita nequaquam bonam ſpem conceperat propter mortem, de qua ſuſurratum fuerat. Cùm hæc ego audiuiſſem, & nocturnam haberem viſionem in auribus reſonantem. (In ſomnis enim legebam epiſtolam, quæ ab aliquo ex familiaribus nuper mihi data fuerat. Quæ quidem priuſquam explicaretur, ita habebat inplicatura: Domino meo poſt Deum & patri, beatus Theodolus) quonam modo oportebat meam tunc affectam eſſe animam, ô fratres, ſi modo adhuc habebam animam? Cor mihi deſiderabatur, viſcera diuellebantur, vires diſſoluebantur: ſudor, vt ſemel dicam, diſtillabat totis membris, cùm audiuiſſem nuncium ſomnio conuenire, qui mihi non amplius faciebat dubiam aut ancipitem mortis ſuſpicionem: ſed potius confirmatam duobus teſtimonijs, ſomnio, inquam, & ſignificationibus eius, qui fuerat conſeruatus. Quid deinde ſequitur? Cùm ipſa vox iam mihi eſſet extincta, neque flebam, neque poteram lamentari, ſed ad eum ſolum fixis adſpiciebam oculis, donec quædam mulier ex ijs, qui illic erant, cuius etiam filius ab eis fuerat interfectus, (Is autem erat, quem quæ præceſſit oratio, ſignificauit fuiſſe inſignem, propter magnum excelſumq; animum) me recreauit, & vt me à vehemẽti dolore colligerem, effecit. Poſtquam enim [f] illa intellexit interfectum eſſe filium, & aduerſus eos qui interemerant, ſtrenuè decertâſſe, actione ipſa quoque in eum ſuam oſtendit cognationem, vt quæ vera ac germana eius mater apparuerit: & cùm ſe ſplendida veſte protinus induiſſet, & ad lætitiam totum mutâſſet habitum, manus in cœlum extendit, & ad Deum Seruatorem tales voces emiſit. XXXIII.

[f] Exemplũ admirandę in fœmina conſtantię

TIBI Domine commendaui filium, & eſt mihi ſalus nunc & vſque in ſecula. Tibi credidi adoleſcentem, & mihi fuit cuſtoditus verè ſaluus & inuulneratus. Non enim quod ſit mortuus, neque quomodo vitam finierit, reputo, ſed conſidero, quòd omnis peccati effugit periculum. Non quod corpus ſit ſauciatum, & mortem acerbam ſuſtinuit: ſed quòd puram animam & nulli reprehenſioni affinem illinc tulit, & ſpiritum immaculatum tuis commendauit manibus. Ego cædes, brauia numero: ego plagas, tot eſſe coronas cenſeo. Atque vtinam tuum corpus plures plagas cepiſſet, ô fili, vt tibi ex eo plures accederent mercedes. Hinc quòd te conceperim, reddidiſti mercedem. Hinc me remunerat⁹ es propter dolores, quos ego ſenſi in partu. Hinc mihi dediſti honorem propter educationem. Quid ergo: Non me quoque es acceptarus participem præmiorum? Communis enim fuit labor vtriſque. Tu decertaſti, & ego ſum quoque tibi particeps certaminis. Tu certâſti, & ego tuo gratulor certamini. Tu iræ reſtitiſti barbaricæ: ego autem reſiſto naturæ tyrannidis. Tu mortem videlicet contempſiſti: ego autem viſcera deſpicio: Tu cædis dolorem tuliſti tolerabiliter: ego cum mihi lanientur viſcera, fero tormenta. Mea, quæ ſunt tuis æqualia, & non inferiora, tu vincis acerbitate doloris: ego autem ſupero longitudine temporis. Nam etſi tibi valde magnum dolorem mors attulerit, vna tamen hora mors præterijt. Ego verò longum traho dolorem, & eum moderatè fero, philoſophans & certo ſciens te apud Deum vita viuere, in quam nullus cadit interitus, credo fore, vt mea illic curetur ſenectus, quando mihi quouis modo confractum fuerit hoc vas teſtaceum, & ad id, quod illic eſt, æuum profecta fuero. Beata ego in matribus, quæ XXXIV.

Deo

Deo talem exhibuerim athletam. Rursus quoque ego beata: verè confido enim fore vt deinceps glorier, cum tu in Christum fueris resolutus, & vna cum eo futurus sis perpetuò, & deliciarum, quæ nunquam desinunt, sis particeps.

XXV. Hæc ego audiens, erubescebam quod tam molliter & tam pusillo animo ferrem casum pueri, & mihi esset minor virtus animi, quàm fœminæ, & eorum qui aderant, me mouebat verecundia. Deindè illam quidē admirabar: meipsum autem irridebam, vt qui egregiè illius mulieris verba acciperem, perinde ac mei fugillationes: & illius moderationem, meam iudicarem insaniam. Nam cum existimâssem me iure posse cum Deo conqueri propter ea, quæ passus fueram: tunc rectè cognoui me esse passum, quòd mulieris exemplo didicissem, esse cuiusuis mali insultum tolerabilem. Visum est autem consilio eorum, qui Pharan incolebant, postquam audijssent, quæ renunciata fuerant, non præterire silentio, id quod ausi fuerant, sed hoc significare regi Barbarorum. Et ad eum quidem mittūt duos ex ijs, qui apud ipsos vocantur [a] Hemerodromi, accusantes quod inita infregissent fœdera. Sūt aūt adolescentes, ephœbis paulò ætate maiores barbæ propemodum primum emittentes lanuginem, qui his rebus inseruiunt, & nihil fuerunt præter arcus telaque & iacula & silices: hæc enim eis in via sunt ad vitam vtilia: illa quidē venationem, hi verò ignē præbentes ad coquendū: lignorum enim & stipularū est eis vtique magna in omni loco copia, cū nullus, quæ nascebantur, secaret in solitudine.

[a] Hemerodromi.

XXVI. Cvm [b] ij autem illam viam cōficerent, nos egressi sumus ad efferēda corpora, & cum accessissemus, inuenimus eos, qui quinque ante diebus interempti fuerant, nihil passos ex ijs, quæ verisimile erat passurum esse mortuū, qui vno ante die esset mortuus: non male olentes, non putrefactos, & nihil læsos ab ijs, quibus innatum est vt perdant, à carniuoris, inquam, auibus, aut feris agrestibus. Tanto autem ante tempore eos fuisse interfectos, dixit filius Megadonis: hoc enim erat nomen Senatori, qui à Barbaris fuerat interemptus. Erat verò, qui occisus erat in Bethrābe quidem, Proclus: Hypatius [c] autem, qui in Geth: Isaac verò, qui in monasterio Salaël. Macarius autem & Marcus, qui fuerunt occisi in ea, quæ est extrinsecus, solitudine. Beiamin verò in ea, quæ est extra Eliam. Eusebius autem in Thola, & Elias in Aze. Porrò autem ipsorum quoque duorum alterum inuenimus, qui multa vulnera habebat lethalia: sed adhuc viuebat & spirabat. Quem quidem cum portassemus, in cella deposuimus, conuersi ad sepulturam aliorum corporum. Cum autem ad ipsum redijssemus, viuum quidem non amplius offendimus: apud hydriam autem inuenimus iacentem iam mortuum. Nam cùm omnino siti laborâsset propter inflammationem vulnerum, postquam bibit, cecidit pronus in genua, in hoc habitu eum mortuum relinquente anima. Cumque ei vt cæteris iusta fecissemus, egressi sumus, vt sciremus quidnam significaretur à principe Barbarorum.

[b] Corpora sanctorum extincta prorsus illæsa.

[c] Nomina occisorum.

XXVII. Iam autem nobis Pharan ingredientibus, aderant, qui missi fuerant, ab eo afferentes literas, quæ & pacem confirmabant, & ad se venire iubebant eos, qui affecti fuerant iniuria: & maximè eos, qui attinebant ad captiuos adhuc viuentes. Quod [d] si quis etiam vellet sumere pœnas de ijs, qui occcisi fuerant, dicebat se esse paratum dare authores ad suppliciū. Quinetiam se profitebatur omnia daturum spolia ijs, ex quibus prædæ actæ fuerant. Nolebat enim soluere leges pacis, vt qui lubenter esset cum eis confœderatus, propterea quod ex ijs vtique accepisset solatiū: agnoscebat.n. eis non paruum afferre emolumentum, quod cum eis intercedebat commercium, vt qui in suæ egestatis necessitatibus apertè adiuuarentur eorum abundantia. Cùm dona itaque parâssent, & legatos constituissent tanquam ad renouandam pacem, qui iam dissoluta fuerat, die sequenti & ipsos emittunt, & nos qui bona vtique spe eramus venturi. Octauo autem die ambulantes (duodecim enim diebus iter conficiebatur) aquæ penuria laborauimus, magnaque nos sitis vrgebat necessitas: morsque deinceps sperabatur, quæ semper assidet inopiæ. Dicebant autem vtique propè esse fontem ij, qui locorum habebant experientiam: idque multos solabatur laborantes, futuri expectatione, quæ malo præsenti medetur. Currebant itaque multi ante multitudinem, properantes inuenire illud quod quærebatur, & desiderantes eo securè frui, cuius laborabant inopia, alius alio conuersi, prout vnumquenque ducebat spes assequendi. Deinde etiam oculis considerantes, firmo fixoque obtutu procul intuebantur, oculorum lumine tanquam lucerna id, quod latebat, indagantes. Ibam autem ego quoque, paulatim sequens eos, qui præcurrebant, vt alij quidem fortasse dixerint, qui præ senectutis imbecillitate non possem eos assequi, qui magis valebant viribus: vt ego autem dico, qui nollem nimium in ordinato pede facere iniuriam honestati & grauitati morum. Adhuc enim valebam viribus, necessitate ad id quod vrgebat, magis animi impetum impellente, quàm natura ei insitum fuerat.

[d] Princeps Barbarorum paratus est vlcisci necem sanctorum virorum.

XXIX. Ex aduerso autem mei itineris erat fons positus: latebat autem in medio cuiusdam collis. Ijs itaque, qui ex vtraque eius parte despergebantur, semper relictis, pergebam in medio eius, quæ hîc aut illic futura erat inuentionis, coniectans me non procul abfuturum. Cùm verò me paululum inclinâssem, quando accessi ad dorsum collis, & primus vidi fontem, & barbaros multos ei circumfusos: & cùm sic immanes incidissem hostes, neq; conturbatus sum eo quod acciderat præter expectationem, neque magno fui timore affectus. Sed cùm essem medius inter timorem & gaudium, de eo quod euenerat, me tali solabar consideratione. Aut enim, dicebam, me apud ipsos inuenturum filium, & prompto & alacri animo cum ipso seruiturum, seruitutis molestiam leuans voluptate adspectus: aut omnino esse interimendum, & sic esse liberandum à graui, quæ me premebat, molestia. Sed ij quidem exilientes, ad me permixtim accurrerunt: cumque me comprehendissent, qui tanquam mutus stabam, vtpote cogitabundus, inhumanè trahebant. Qui autem ad inquirendam aquam mecum missi fuerant, cùm se vidissent ab ipsis nondum fuisse conspectos, sensim conuersi, clam statim rediêrunt, pronos non secus ac serpentes se per terram trahentes, & sic se fuga subripientes. Ego verò etsi ab eis vincerer, traherer, conuellerer. (Quid enim non graue patiebar?) eorum quidem neque vllam ducebam rationem, neque vllum sensum accipiebam: sed tota mente versabar in inquirendo filio, illumque oculis scrutabar, in omnem partem circumspiciens, sicubi viderem eum, qui desiderabatur.

XXX. Cvm [e] hæc autem fierent, non multum tempus præterijt, & ecce ex nostris copijs aderant viri bellicosi. Qui cum super tumulum sublimes apparuissent, magnam perturbationem attulerunt barbaris. Postquam enim clamore significārunt aduentum, nullus fuit qui in loco manserit: nudus autem totus locus repente ostendebatur, qui paulò antè plenus erat corporibus. Saluti enim consulere festinans fugiebat vnusquisq;, secum nihil valens accipere: tantusque timor eorum, qui apparuerant, ex tanta securitate eis irruit, vt nec ad persequentes quidem se omnino conuerterint, dubitantes nè comprehenderentur: putarent autem se habere, qui retrò semper sequerentur, & qui strictos haberent gladios, & verberarent aliquos, & multos de medio sustulissent, & suam perturbationem esse existimarent aduentum aduersariorum: donec longum fugæ spatium eis concessit, vt respirarent, præbens facultatem circumspiciendi, & videndi eos qui persequebantur. Efficit [f] enim metus, vt quæ sunt continentia, putentur semper maiora, & plura visione apprehendantur, quàm rei habeat veritas, plus quàm capere possint eorum vires, res veluti augente timiditate. Atque illi quidem sic soli fugiebant, illic relictis omnibus, quæ habebant, impedimentis. Qui autem accesserant, cum ex ijs, quæ inuenerant, magnam accepissent vtilitatem, illic reliquum diei transegerunt. Deindè cùm sequenti die cœpissemus ambulare, & quatuor dierum iter confecissemus, in castra peruenimus. Cumque significatum esset aduenisse legatos, ij vocati sunt, vt conuenirent [g] Amanem: hoc enim erat nomen Regi Barbarorum. Ad quem cùm attulissent munera, benignum responsum nacti sunt, & acceperunt propè illum tabernaculum, benigneque & comiter ab eo sunt tractati: donec diligens & accurata perscrutatio omnia manifesta reddidit, quæ ad illam iam factam pertinebant incursionem. Atque illa quidem ab eis breui peracta sunt tempore.

[e] Barbari vertuntur in fugam.

[f] Effectus timoris.

[g] Amanes, rex Barbarorum:

Mihi

MIHI autem cor vehementer palpitabat, & ad nuncium suspenso animo erigebar: omnis autem sonus cuiuslibet XXXIX
rei, mihi videbatur susurrare famam eius, de quo eram solicitus: erantq; aures paratæ vocum sonis, & mens attendebat eos tanquam nuncios: spectans quisnam esset mihi renunciaturus aut vitam, aut mortem filij. Quando autem veniebant non admodum læto vultu, mœstum significari nuncium eorum tristitia coniectans: Non opus est, aiebam, vt loquamini. Calamitatem enim visus nobis renunciat, & etiam ante linguam clamat animi motus, quod dicendum erat sermone, gestu prius eloquens. Non fallar ergo orationibus, neque decipiar verbis compositis ad persuadendum, non enim attendam sermones, qui possunt omnino figurari ad probabilitatem, cùm in ipso vultu videam animi perturbationem. Hoc [a] est enim aperta illius imago, vt quod exprimat internam eius affectionem, non secus ac speculum. Neque enim potest ille vultus lætitiam ostendere, qui concidit mœrore, & plenus est tristitia. Aut ergo citra fictionem dicite verum mihi roganti, aut scitote vos hoc vestris iam dixisse vultibus, sicut etiam dixi antea. Quid enim prodest verbis paululum consolari eum, qui cruciatur: postea autem maiori afficere molestia, quando quod angit, verum deprehensum fuerit?

[a] Vultus, animi imago.

CVM itaque iureiurando frequenter affirmâssent, non esse mortuum Theodolum, viuere autem venundatum XLI.
cuidam in ciuitate [b] Eluza, consulebant vt irem in ciuitatem: dicebant enim me illic inuenturum filium. Sed nè sic quidem dolorem vel modicè curârunt. Quid tum enim, cogitabam, si viuit, & maior quidem metus mortis est dissolutus: seruit autem venundatus, & nè mecum viuat, est prohibitus? Non [c] facit enim omnino puram voluptatem necessitas, quæ impedit appetitionem liberi arbitrij, & animi libertatem retinet aliena voluntate. Postea tamen profectus sum ad eam, quæ mihi significata fuerat, ciuitatem, cum duobus, quos mihi dederant, viæ ducibus. In via autem quidam nobis occurrit adolescens, qui sequebatur animalia, quæ portabant onera. Is autem me prius viderat in castris, & quæ ad me pertinebant omnia, accuratè didicerat. Is cum fuisset Eluzæ, & quæ de filio meo dicebantur, audijsset, quòd scilicet captiuus adductus esset à barbaris, ei de me significauit: acceptisque literis, veniens afferebat tanquam bonum nuncium. Cùm autem me vidisset eminus, cœpit accedere subridens: & ego quoque, cum virum agnouissem: vbi verò prope fuimus, ipse quidem me læto vultu alloquitur, & dexteram extendens, eam ponè diuertit, & volam manus applicans humero, epistolam summis digitis extrahit ex pharetra, & eam mihi reddit, filium meum nuncians viuere, & hortans vt essem bono animo, & non perinde, ac si esset seruus, spem haberem bonis vacuam. Nam is, qui emit, inquit, est sacerdos Christi sacramentorum: & filius cœpit quidem ipse quoque esse in ordine sacro, vt cui sint credita prima munera ædituorum: magnam autè mox futuri profectus spem ostendit, vt qui breui tempore magnam virtutis dederit periclitationem, & morum bonitate effecerit, vt hoc omnes statuerent. Ego autem, vt qui essem & inops & domo carens, eum benignis verbis sum prosecutus, & ei bona multa sum precatus: quoniam nihil habebam, quo hominis bonum honorarem ministerium: vniuersum autem permisi Dei prouidentiæ, & pro inexpectata lætitia ei cum lachrymis egi gratias, qui mihi, vt erat verisimile, cœpisset soluere ingentem calamitatem, & veterem reddere prosperitatem.

[b] Eluza ciuitas.
[c] Liberum arbitrium.

POSTQVAM [d] autem veni in ciuitatem, primum quidem sanctum templum quæsiui, tanquam causam bono- XLII.
rum, & ei eum, quem par erat, honorem tribui, solum rigans lachrymis, & implens Dei ædem vocibus lamẽtationum; & illinc deductus, veni in domum, in qua manebat filius, multis præcedentibus & mei aduentus felicem nuncium significare studentibus. Nouerant enim omnes ex fama, quæ præcesserat, me esse, qui vulgo iactabar, patrem pueri, qui apud ipsos fuerat venundatus: nec vllus erat, qui non vultu signa gaudij præ se ferret. Vnusquisque autem cùm tanquam suum vidisset, de quo omnis spes perierat, hilari vultu exiliẽtes, se mei animi affectioni consentire ostendebant. Postquam autem ianuæ appropinquauimus, cùm eum vocâssent, & me venire dixissent, ducunt salutaturum. Cùm nos verò alter alterum ego & ille vidissemus, neque lætari, neq; admirari primum cœpimus, sed ambo potius lamentari, vultus lacrymis inquinantes, & similiter vestes, quæ tegebant pectora. Et ille quidem accurrit non admodum cognoscens: eram enim in capillis & veste sordidatus, ita vt non possem facile cognosci. Ijs tamen qui renunciauerant, vt videtur, potius credens quàm oculis, venit passis manibus, vt mihi vehementi animi impetu circumfundendus. Ego autem etsi multi essent circa eum, ipsum agnoui protinus, vt qui adhuc eandem haberet vultus figuram, quæ assidua eius meditatione apertè erat meæ impressa memoriæ: & cum non potuissem continere gaudium, mihi repentè dissolutum fuit robur corporis: & cum cecidissem, hianti ore humi iacebam, existimatus à nonnullis esse mortuus. Diuturno enim mœrore, nisi quod respirabam & videbam, à mortuo nihil omnino differebam. Cùm me autem comprehendisset & esset complexus, qui defecerat, animum vix mihi restituit, fecitque vt cognoscerem quis essem & vbi essem, & queminam meis cernerem oculis. Eum ergò vicissim complexus, eisdem excepi nexibus, insatiabiliter diuturnum explens desiderium.

[d] Obserua Christianũ morem primo templum adeundi in itinere.

DEINDE ad loquendum conuersus, ego me excusabam, & persuadere volebam me fuisse authorem omnium, XLIII
quæ senserat, malorum: vt qui eum eduxissem extra patriam, & eum fecissem incolere regionem, quæ continẽter diripitur: & verè erat ita, vt dicebam. Quando enim vnquam eam, quæ genuerat, incolens, aliquid deprecandum sensisset, cùm ex omni parte in pace ageret, & nullum haberet eiusmodi metum insidiarum? Valeant, qui, quæ sunt in fatis, opinantur esse ineuitabilia, & ex fato ijs, qui patiuntur, imponunt necessitatem. Post hæc rogabam, vt mihi narraret quæ ei acciderant eo tempore, quo fuit apud barbaros. Neque enim amplius molesta erat enunciatio, cùm præterijsset iam periclitatio. Nam quomodo post morbum sanitas, & curatio post vulnera lætificat, & non afficit molestia: ita etiam rerum tristium narratio post liberationem, vel maximam habet voluptatem, quantum prius dolorem habuit experientia.

IPSE autem cùm grauem è profundo gemitum edidisset. Quid iuuat, inquit, ô pater, eorum quæ sunt molesta, XLIV
reminisci: Solet enim officere recordatio, vt eius, qui passus est, recrudescant vulnera, etiamsi creditorum aures fortè demulcet, alienis alioqui malis delectationem afferens. Sed quoniam scio fore, vt nequaquam cesses, donec ea, quæ desideras, tibi scire licuerit: admirabilem enim euentum meæ salutis, vis efficere argumentum glorificationis, [e] quomodo soles de rebus omnibus Deo agere gratias, audi, magni animi virtute tuos implens spiritus, nè ad asperos & difficiles casus eorum, quæ euenerunt, ipse quoque miserabiliter fractus paternis visceribus, me quoque flectas ad luctũ & lacrymas, & eiulatibus lamentationis confundas orationem: vtpotè quod luctus sæpè vocem interrumpat, & non sinat quempiam ea, quæ vult, lingua narrare libera. Atque magnam quidem actus partem omnino vobis apertè narrauit post fugam filius * Medagonis. Illa ergo rursus referre, simul & superuacaneum fuerit, & molestum. Quæ autem post fugam illius euenerunt, necesse est, quoniam tu hoc mihi iubes, dicere.

[e] De rebus omnibus Deo gratias agere.
* *Megadonis*

VISVM [f] fuerat barbaris, vt dixit (omnino enim dixit ille) nos mactare: & quæ pertinent ad sacrificia, iam vesperè XLV.
parata erant omnia, ara, ensis, libamen, phiala & thus. Summo ergò mane certa erat mors, nisi Deus erat prohibiturus, sicut certè prohibuit. Postquam autem ille, cum me suam non celauisset fugam, aufugit & propter longum viæ spatium, & quod incerta esset persecutio, dubium est, an eum possem assequi, quod non solum tempus (erat enim vespera) vsque ad mane, esset sufficiens terminus ei, qui fugeret, sed etiam itineris incertitudo faciebat, vt nescirem quonam modo possem eum persequi. Quis enim est tam egregius simul inuestigator, & tam bona cõiectura præditus, vt in tanta latitudine solitudinis, itineris inueniat vestigia? est enim tota aspera & lacunosa, & quæ nullum omnino ostendat

[f] Narrat Theodulus quid de ipso barbari deliberauerant.

vestigium

vestigium quod acceperit. Cùm hæc ita se haberent, ego pronus iacebam, vultum quidem humi defigens, propter angustias autem afflictionis mentem sursum erigens, & sic Deum vniuersorum sensim & apud me rogans, vtpote quod nihil ex ijs, quæ ad hanc vitam pertinent, ad nullam rem vtilem me posset deducere & attrahere, propter celerem necessitatem: sed efficeret, vt essem potius sobrius & vigilans, & soli Deo mentem adhiberem, & à spe in eum, pendérem:

XLVI. QVOCIRCA dicebam: O Domine[a] & Deus, qui solus es opifex vniuersæ, quæ cernitur, & quæ mente intelligitur, creaturæ: habes in manu tua corda eorum, quæ es fabricatus, & conuertis sæpè ad misericordiam, ferociam impetus alieni à ratione, quando volueris iusto & rationi consentaneo iudicio, eos qui tuæ potestatis sententia morti traduntur, conseruare: qui sedas itas ferarum agrestium, quæ prosiliunt ad humana corpora deuoranda. Qui vim ignis hebetasti, & solo nutu tuo pueros tuos illæsos conseruasti, & eorum pilos & colorem arcana tua & admirabili potentia flamma reddidisti potentiora: tu me quoque serua rex Christe, qui nulla spe nitor auxilii, qui mox inimicorum iudicio sum vita priuandus, qui (vt est verisimile) iam sum mortuus: & ne permittas ô Domine, vt meus sanguis sit libamen dæmonibus, neque mearum carnium nidore lætificentur mali spiritus. Statuerunt me astro sacrificare matutino, quod cognomen accepit ex vitio libidinis. Sed ne permittas Domine, vt corpus meum, quod in hodiernum vsque diē castum est conseruatum, sit hostia dæmonis, qui cognomen accepit ab intemperantia. Muta autem cor ferinum ferarum verè immanium ad clementiam & mansuetudinem, qui mutâsti iram in Esther inflāmatam Assueri Regis Mediæ, & eius immitem animum conuertisti ad misericordiam. Serua animam, quæ tibi seruire proposuit. Redde me patri seni & tuo famulo, filium rudem malorum, & qui, quod ad propositum attinet, sum pius Dei cultor futurus. Non enim propter metum periculi hanc nunc incipio confessionem, vt videatur promissum rependi pro salute. Certaminis enim necessitatem anticipaui libera mea cogitatione. Ostende fidem esse ad salutem pedibus perniciorem, & tuā spem esse quauis fugaturiorem. Effugit mortem is, qui mecum erat manè sacrificandus, & fuga sibi salutem peperit. Ego autem manſi, expectans quod tibi videretur, & sum in manibus inimicorum, tuo confidens auxilio. Ille suis pedibus, ego tuæ credidi potentiæ. Ne sit diuina expectatio ad salutem infirmior spe corporis. Conseruatus est ille, qui tenebris vsus est ad fugam, & rectè quidem sit conseruatus. Ad me iam peruenit lux diei. Tu deinceps me conserua tua sapientia, qui viuis lucem largiris ad tua exequenda præcepta.

[a] Precatio eius ad Deū

Dan. 3.

Esther 15.

XLVII. ME sic orantem cum acerbis lachrymis, manè insomnem occupauit. Cumque respexissem, vidi iam luciferum prodeuntem ex horizonte. Surgens autem ab eo loco, in quo iacebam, sedi, manus meas complicans genibus, & faciem super ea inclinans, sinum implebam lachrymis: & rursus corde clamabam ad eum, qui me poterat eximere, intensa vi spiritus: Mirifica, dicens, mecum Domine tuam misericordiam, qui solus habes vitæ & mortis potestatem, sicut mirificasti cum Sanctis, qui olim constituti fuerunt in necessitate, & liberati fuerunt ab omni afflictione: vt nos habeamus fiduciam te inuocandi, & confitendi, fore vt liberemur ab ijs, in quibus sumus malis, cùm illos habeamus tui exemplar auxilij. Tu redemisti Isaac, qui iacebat ad ipsam aram occisionis, & patrem, qui tincturus erat ensem sanguine, sono vocis retraxisti. Tu Ioseph eripuisti à fratrum dextera, quæ cædem moliebatur: & rursus cùm ei paratæ fuissent insidiæ, ab iniustis liberasti vinculis & custodia, & post longum luctum patri reddidisti regnantem. Tu huius patrem Iacob redemisti à necessitatibus, cui frater similiter inuidebat, seruans in Mesopotamia. Vbi etiam custodiisti Mosem, qui Ægyptiacam fugiebat tyrannidem. Tu cùm duos pueros mortuos oratione prophetica è lecto fecisses surgere, præbuisti viduis matribus. Tu ipse, ô Domine, in quem non cadit muratio, qui hæc diuina virtute fecisti admirabilia: Tu quoque me nunc exaudi, & largire viuum patri eum, qui te altissimum suum duxit esse refugium, & solue luctum, qui superat omnem consolationem: & da ijs, qui norunt nomen tuum, vt admirentur vim tuæ potentiæ, ô rex maximè celebrande.

Gen. 22
Gen. 37.
Gen. 41. 46.
Gen. 28.
Exod. 2.
3. Reg. 16. & 4. Reg. 4.

XLIX. CVM ego autem in his essem, surgunt repleti tumultu, vtpote quod sacrificij tempus præteriisset: iam enim sol lucebat super terram: & cùm non inuenissent alterum, neque scirent, quidnā eo factum esset, me interrogarunt. Postquam autem respondi, me nescire, cùm essem apud eos, siluerunt, & neque minari sunt, neque ostenderunt vlla signa iracundiæ. Tunc quietus ac compositus fuit mihi spiritus, & Deo benedixi, qui non despexerat meā humilis orationem. Me autem deinceps subiit audacia & fiducia, cùm Deus omninò hæc mihi concessisset: cumque iuberent vt nefariis vescerer, contradixi: & luderem cum mulieribus, non parui imperantibus, donec venimus propè terrām, quæ habitatur. Tunc enim cùm nescio, quid communiter consultassent, introducunt in vicum, qui dicitur Subaita, & ijs qui illic erant, significāt se me velle vendere. Cùm autem nihil agerent, sed re infecta sæpè reuersi essent, vtpotè quòd nullus vellet dare plus quàm duos aureos, tandem vbi eduxissent, & vt[b] mos illis erat, nudum ante vicum statuissent, ensem collo meo imponunt, si nullus me emat, dicentes se me statim interfecturos. Ego autem ijs, qui ad emendum veniebant, supplex eram, manus extendens, vt darent quantum petebant barbari, & ne viderētur parci, cùm pretium darent humani sanguinis, dicens me esse precium propediem redditurum, & ei qui emisset, lubenter, si vellet, esse seruiturum, confitens eum esse dominum etiam post redditum precium, qui meam vitam emisset. Quidam itaque mei misertus clamantis & lachrymantis, vix tandem me emit! & ex eo hic, vt vides emptus sum, vt multa dicam breuiter. Video enim te perturbatum, & non longè abesse à lachrymis, & esse planctu confusurum gaudium. Hæc quidem sum passus, pater, & passus, fui liberatus. Te autem deinceps Deum glorificare conuenit pro mea hac inopinata, & quæ præter ipem & expectationem reddita est, salute.

[b] Vide morem barbaricum.

L. SED tu quidem, dixi, ô fili, innumerabilia tolerasti pericula, & multas sustinuisti mortes expectatione, etiamsi Dei gratia eius effugeris periclitationem. Idem enim est, mortem verè sperare, & eam discere experientia: mitto dicere, quòd etiam grauiorem. Non enim tantum affert dolorem dissectio, quantum quæ eam præcedit expectatio, quæ sensum doloris longo quodam metu extendit, & facit vt verè maneat, quæ sperātur, molestia. Ego autem in tempore illius afflictionis os meum ad Dominum aperui, & continentiæ & alterius malorum perpessionis professus sum austeram seruitutem, si te viuum solummodò reciperem: & audiui[c] vocem dicentem: Stabiliet Dominus, stabiliet verbum quod egressum fuit ex ore tuo. Non oportet autem, ô fili, transgredi professionem, nec eum fallere, qui diuino respōso confirmauit promissum.

[c] Votum sub cōditione.

CVM sic bonum finem votum acceperit, ego quoque ô pater, inquit puer, tecum prompto & alacri animo laborem suscipiam, & promissi ero socius, quandoquidem fui gratiæ quoque particeps, & beneficii maximum percepi fructum. Nam tu quidem luctum, ego autem mortis euasi periculum: cùm etiam vniuersum à Deo in tuam gratiam factum sit. Si enim Iepthe, qui pro consequenda in bello victoria votum fecit, inseruiit filia, sui cæde & sacrificio, dans seipsam futuram hostiam propter conseruandam patris existimationem: quisnam ego fuerim, si non velox & præcurrens sim debiti paterni exolutor? idque cùm sim Deo redditurus debitum, qui scit exolutionem rursus secunda rependere gratia: & quod redditur debitum, non accipit tanquam debitum: sed hoc accipit fœnori, & se confitetur debere exolutionem in remunerationem grati animi debitoris: qui semper quidem profundit gratias, & se semper scribit esse debitorem ijs, qui fœnori accipiunt beneficia: & eorum omninò redditionem, reputat liberalitatem & magnificentiam: vt & semper incipiat benefacere, & tanquam debitor referat gratias. Quamobrem cùm me in exoluendo promptum socium habeas pater, incipe reddere. Omninò autem Deus,[d] qui nostras nouit vires, conuenienter eis exiget debitum:

Iudic. 11.

[d] Nō exigit De⁹ labores supra vires.

bitum: nec maiores postulabit labores, quàm possit robur præstare, naturæ sciens imbecillitatem. Ego autem his quoque verbis sum precatus: Os, ô fili, detur exire ad opus, & in rebus conspici: vt & promissum suum finem accipiat, sicq; votum efficax, & merces consequatur labores. Hoc est enim finis & terminus vniuersi operis, quod fit ex Deo, vt obsignentur actiones remunerationibus, & certamini coronæ ferant testimonium: quandoquidem quæ digna datur merces, solet esse argumentum, quod sit opus probatum, & sunt præmia certum testimonium decertationis. Sed hæc quidem sic habent.

[a] Humanitas Episc.

EORVM autem, qui illic erant, verè pius[a] & religiosus Episcopus cùm nos diu curasset, & à priori afflictione nos non parum recreasset, rogabat vt nos apud eum maneremus, benigneque pollicebatur, se nostri curam habiturum in omnibus. Ne videretur autem vim afferre, quòd reputaret pretium datum pro filio, nec nimis iure domini exigere vt maneremus, permisit vt faceremus quicquid videretur ex nostra animi sententia: in hoc solo in nos exercens tyrannidem, quòd sacri ordinis iugum vel inuitis nobis imposuerit. Nos enim reputantes onus ministerij, ægrè ferentes deflebamus, vt quod nostris esset viribus superius, & vix solis sanctis conueniret, quod ad vitæ gerendæ rationem attinet. Nam illis quoque visum est graue,[b] & vocati, confessi sunt dignitatem esse maiorem, quàm vt eis conueniret: & Deo contradicebant, producentes suam indignitatem, & recusabant ordinationem, causantes imbecillitatem, etsi omnibus, qui nunc sunt, essent ad munus aptiores, & ex rerum honestarum exercitatione maiorem in colēdo possent habere ad Dominum fiduciam. Ille autem dicebat, munus conuenire laboribus, & certaminis perpessionibus dabat mercedem, vt putabat, dignitatem. Volens autem discedere, & domum proficisci, liberali viatico prosecutus, vtpotè quod longa esset via, & vt Dei gratia nos comitaretur, precatus, quæ deinceps nobis pacē conciliaret, sic dimisit: cùm nec de dominio se arroganter iactasset, vt aliquis fortasse alius, eius, quem emerat, authoritatem prædicans: sed etiam quod videbatur fuisse infortunium, leuasset multa consolatione: & opinionem insolentiæ, vitasset moderatione. Mihi autem hîc desinat oratio, vbi rerum grauium cessauit periclitatio, quæ Dei gratia post multam afflictionem, lætioris vitæ præbuit principium: Qua detur nobis omnibus frui & nunc, & in futuro seculo, virtute & bonitate sanctę & consubstantialis Trinitatis. Amen. LI.

[b] Sancti viri vt se sacerdotio indignos putarint.

AN. 360.

VITA S. IVLIANI COGNOMENTO SABÆ ANACHORETÆ, A THEODORETO CYRI EPISCOPO IN PHILOTHEO conscripta cap. 2. interprete Gentiano Herueto

14. IAN.

IVLIANVS, quem cognomine Sabam honorantes nominabant incolæ, γερσβύτην autem, id est, senem, Græcâ voce hoc nomen significat, in regione, quæ olim quidem Parthorum, nunc autem nominatur Ostrænorum, fixit ad exercitationem monasticam tugurium. Ea autem patet ad Occidentem quidem vsque ad ripam fluuii, est autem ei nomen Euphrates: ad orientem autem Solem habet limitem Romani impij. Assyria enim excipit Persas, cùm Persici regni sit finis occidentalis, quam qui postea sunt secuti, nominarunt Adiabenem. In hac gente multæ quidem sunt vrbes magnæ & populosæ; regionis autem plurimùm quidem habitatur, plurimum autem est inhabitabile & desertum. Ad extrema huius solitudinis cùm hic vir diuinus peruenisset, & antrum non manufactum, neque benè ac pulchrè effossum, inuenisset, sed quod posset exiguum aliquod tegumentum præbere ijs, qui ad ipsum confugiebant, locum lubenter habitauit, auro & argento fulgentibus regiis id existimans esse magnificentius. I.

[c] Iuliani victus, panis hordeaceus, sal & aqua.

IN eo autem degebat, in hebdomada [c] semel cibum capiens: cibus autem erat panis hordeaceus, isque furfuraceus; obsonium autem, sales; potus autem suauissimus, per se natiuum aquæ fluentum, idque non satietate dimensum, sed vsu demissi prius sibi definitum. Erant autem ei deliciæ opiparumque & lautissimum epulum, Dauidicorum [d] hymnorum decantatio, & assidua cum Deo conuersatio. & cùm eis frueretur insatiabiliter, eorum nunquam voluit capere satietatem; sed semper quidem implebatur, semper autem clamabat: Quam dulcia gutturi meo eloquia tua: super mel & fauum ori meo. Rursus enim audiuit beatum Dauidem dicentem: Iudicia Domini vera, iustificata in idipsum; desiderabilia super aurum & lapidem precio sum multum, & dulciora super mel & fauum. Rursus autem audiuit eum dicentem: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursus: Lætetur cor quærentium Dominum. Et: Lætifica cor meum, vt timeat nomen tuum. Et: Gustate & videte, quam benignus est Dominus. Et: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Et: Adhæsit anima mea post te, & eius qui hæc dixit, amorem in se transtulit. II.

[d] Hymnorū Dauidicor. fructus. Psal 118. Ps. 18 & 36. Psal. 104. Psal. 33. Psal. 41.

HAC enim de causa magnus quoque Dauid hæc canens docuit, vt multos socios, & in Deo amando riuales constitueret. Neque verò spe falsus est; sed & hunc virum diuinum, & alios innumerabiles diuino amore sauciauit. Hic enim tanto amoris igne fuit incensus, vt inebriaretur desiderio, & nihil videret ex terrenis: solum autem dilectum & noctu somniaret, & interdiu visione apprehenderet. Hanc summam eius philosophiam cùm multi didicissent, alii quidem qui propius habitabant, alii verò qui remotius. Allata enim fama [e] percurrebat in omnes partes, accurrebant supplicantes, vt essent palæstræ participes, & ei tanquam exercitationis magistro & pædotribæ parentes, viuerent in posterum. Non solum enim aues venantur canentes, & ad se eas euocātes, quæ sunt eiusdem generis, & subiectis laqueis implicantes; sed etiam homines venantur eos, qui sunt eiusdem naturæ, alij quidem ad exitium, alii verò ad salutem. Sic congregati quidem citò fuêre decem, deinde duplo & triplo plures. III.

[e] Congregātur ad Iulia. multi q eandē cum eo sequantur exercitationem.

EOS autem cùm tot essent, accipiebat illud antrum: à sene enim didicerant negligere curam corporis: vescebantur autem ipsi quoque similiter atque pædotriba, hordeaceo pane sale condito. Aliquo autem pòst tempore, & olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, & muriæ quantum satis erat miscentes, id habebant obsonium, qui opus habebant curatione. His autem oleribus humida habitacula sunt maximè infesta; solent enim sua natura eis ingenerare situm & putrefactionem: cùm huic ergò obsonio id accidisset, (erat enim antrum vndiquaque valdè humidum) supplicārunt seni sodales, vt sibi paruam aliquam domunculam liceret extruere, quæ sufficeret obsonii vasis accipiendis. Ille a primò quidē postulatum minimè admittebat: tandem autem persuasus, (à magno enim Paulo didicerat non quærere, quæ sua sunt, sed aliquid concedere, & se accommodare humilibus) dedit quidē domunculæ breuem quādam & exiguam mensuram, abiit autem procul ab antro, solitas oblaturus Deo supplicationes. Solitus enim erat sæpè [f] quidem quinquaginta stadia, nonnunquam autem etiam bis totidem in desertum proficiscēs, & se ab omni humana consuetudine separans, & ad seipsum rediens, per se cum Deo congredi ac conuersari, & diuinam illam & ineffabilem speculari pulchritudinem. IV.

1. Cor. 13.

[f] Supplicationes fundit lōgè remotus ab humana cō suetudine.

HOC otium cùm sumpsissent, qui vt ab illo cura eorum gereretur, digni erant habiti, vsui quidem iusta symmetria respondentem, sed maiorem, quam iussi fuerant, extruxêre domunculam. Decimo autem die, veluti quidam Moyses reuersus à monte, & ab ea, quæ verbis explicari nequit contemplatione, cùm vidisset maius factum, quam volebat ædificium, Vereor, inquit, ô viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cælestia: atqui hæc quidem sunt ad tempus, & quæ nobis parumper conuenient, cælestia autem sunt æterna, & quæ nullum possunt finem capere. V.

Et hæc

Et hæc quidem dixit, chorum docens ea, quæ sunt perfectiora; tolerauit tamen, cùm vocem audijsset Apostolicam: Non quæro quod mihi est vtile, sed quod multis, vt seruentur. 1 Cor. 10.

VI. Illos quoque docuit, [a] intus quidem communem Deo offerre hymnodiam, post auroram autem duos simul exire in solitudinem: & vnum quidem flexis genibus offerre eam, quæ Domino debetur adorationem, alterum verò stantem Dauidicos psalmos canere quindecim. Deinde operis facta commutatione, alterum quidem surgentem canere, alterum verò humi procumbentem, adorare, & id à manè vsque ad crepusculum assiduè faciebant. Ante occasum autem solis, in antro paululum quiescentes, hi quidem hinc, illi verò illinc, omnes verò vndiquaque in antrum conueniebant, & hymnos vespertinos simul Domino offerebant. Solebat autem ipse quoque senex vnum aliquem ex insignioribus assumere socium officij. [a] Quis ritus precationū

VII. Sequebatur autem eum frequentiùs vir quidam genere quidem Persa, forma autem corporis magnus & admirabilis, forma verò corporis magis admirabilem possidebat animam. Erat autem ei nomen [b] Iacobus, qui etiam post illius mortem in omni quidem virtute resplenduit. Fuit autem insignis & illustris, nō ijs solis, quæ illic erant, sed etiam ijs, quæ erant in Syria philosophiæ gymnasijs seu monasterijs, in quibus etiam vitam finijt, cùm vixisset, vt fertur, centum & quatuor annos. Is cùm esset magno seni ad solitudinem viæ comes, sequebatur eminus. Non sinebat enim magister [c] eum propiùs accedere, ne occasio differendi ex eo sumeretur; sermo autem abstraheret mentem à Dei contemplatione. Sequens autem, in via vidit draconem maximum; deinde eum contemplatus, non est quidem ausus progredi: cùm sæpè autem eum præ metu voluisset declinare, rursus confirmauit animum. Deinde cùm inclinatus accepisset lapidem; & eum proiecisset, vidit draconem in eodem statu manentem nō posse se omnino mouere. Cùm autem eum intellexisset esse mortuum, existimauit esse opus senis mortem beluæ. [b] Iaco. Persa tādem monachus: est hic alius à Iacob. Persa cognomento Interciso martyre, de quo 27. Nouembr. in Menolog. [c] Iulian eū eminus seq iubet, ne colloquendo à Deo distrahatur.

VIII. Confecto autem itinere, & hymnorum completo officio, postquam venit tempus quietis, & sedens senex, ei quoque iussit, vt corpus quieti parumper traderet, primùm quidem sedebat tacitus: cùm autem senex sermonem quēdam leniter subridens aggressus est, rogauit Iacobus, vt ei aperiret id quod ignorabat. Cùm is autem permisisset rogare, Vidi, inquit, in via maximum draconem iacentem, & primum quidem timui, illum viuere existimans; postquam autem eum aspexi mortuum, securus iter sum ingressus. dic mihi, inquit, ô pater, quis eum interfecit? Tu enim præcedebas: nullus autem alius hāc præterijt. Senex autem, Cessa, inquit, de ijs curiosè percontari, quæ ijs qui sciscitantur, non possunt vllam afferre vtilitatem. Verùm nihilo secius instabat Iacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentans celare, non ferens autem amicum diutiùs angere: Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras: præcipio autem, [d] vt me viuo nullus alius hoc à te resciscat, quod dicendum est, hæc enim sunt celanda, quæ ad arrogantiam & fastum sæpe excitant: sed si ego hinc excessero, & ab eiusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quo minus dicas & narres vim diuinæ gratiæ. Scias ergò, inquit magnus Iulianus, quòd me iter ingredientem illa inuasit belua, osque aperuit me cupiens deuorare: ego autem [e] Iesum appellans, & digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem excussi timorem: ex templo autem vidi humi cecidisse beluam; & communi laudato Seruatore, perrexi vlteriùs. Sic finita narratione ad antrum est profectus. [d] Miraculū celari postulat Iulian. [e] Signo crucis Iesum inuocans draconem interficit.

IX. Aliquando autem adolescens, [f] nobili quidem loco natus, sed molliter educatus, maiorem autem ostendens promptitudinem & animi alacritatem, quàm vires ferre possent, supplex petijt à sene, vt esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non eius quidem, quam omnes obibant quotidie, sed longissimæ, & quā sæpè erat octo & decem diebus peregrinandum. Is autem erat celeberrimus ille Asterius. Cùm autem diuinus senex prohiberet iuuenem, & aridam aquaque carentem diceret esse solitudinem, instabat adolescens, obsecrans, vt hoc ei donum concederet. Victus autem precibus cessit senex; ille verò sequebatur, primò quidem alacriter. Cùm autem [g] primus & secundus & tertius dies præterijsset, & à radijs solis exureretur (erat enim æstas, vigente autem æstate est vtique flamma solis ardentior) siti perpetuò laborabat. Et primum quidem eum morbum aperire pudebat, memoria reputans ea, quæ sibi prædicta fuerant à magistro. Tandem autem victus & planè omnino deficiens, orauit senem, vt sui misereretur. Is autem cùm quæ ei prædixerat, reuocasset in memoriam, iussit eum reuerti. Cùm autem diceret adolescens nec se scire viam, quæ ducit ad antrum, nec si sciret, ire posse, cùm sint vires siti consumptæ: misertus homo diuinus casus adolescentis, & ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis orauit Dominum, & calidis lacrymis solum irrigauit, & viam salutis petijt adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum, qui ipsum timent, & eorum exaudit orationem, stillas lacrymarum, quæ puluerem attigerant, [h] effecit fontem aquarum, & sic fluento repletum adolescentem iussit abire protinus. [f] Asterius adolescens senē Iulian. conuenit ꝓ vitæ instituto. [g] Probatur Asterius, siti extremè laborans. [h] Fōs lacrymis Iuliani orantis erūpens in solatium Asterij.

X. Fons autem mansit vsque in hodiernum diem, Mosaicæ diuini senis orationi ferens testimonium. Quomodo n. ille olim, cùm sterilem illam petram virga percussisset, effecit, vt produceret exundantes aquas fluuiatiles, vt satiaret multa illa hominum millia siti confecta: ita hic cùm arenam illam aridissimam irrigasset lacrymis, fecit vt fontana emanarent fluenta; non vt multarum myriadum, sed vt vnius adolescentis afferret siti remedium. A diuina enim gratia animâ illuminatus, apertè præuidit futuram adolescentis perfectionem. Is enim multis post temporibus à diuina prouocatus [i] gratia, vt alios quoque multos ad eandem exerceret gratiam, in locis quæ sunt circa * Gendarum (est autem is vicus maximus sub Antiochia) palæstram fixit monasticam, & multos quidem etiam alios ad se traxit athletas philosophiæ. [i] Asteri° exercet monasticam. * *Al. Gidarum.*

XI. Traxit autem [k] magnum quoque Acacium, insignem inquam illum & fama clarum, qui fuit quidem egregius in vita monastica, emisit autem splendidos virtutis radios, vt qui sit dignus habitus, qui fieret pontifex, & Berhœam pascendam est sortitus. Cùm quinquaginta autem & octo annis ei fuisset cura gregis credita, non reliquit quidem formam vitæ monasticæ, monasticam autem & ciuilem simul temperauit virtutem: & illius quidem sumens exactam perfectionem, huius autem œconomiam ac dispensationem, in vnum coegit ea, quæ erant inter se disiuncta. Sed huius virtutis & venator & exercitator fuit ille [l] Asterius, qui magni illius senis tanto semper tenebatur amore, vt sæpè quidem bis in anno, sæpè etiam ter ad eum proficisceretur. Veniens autem solebat caricas afferre sodalibus, onerās tria vel quatuor iumenta. Duos autem [m] medimnos colligens, vt qui seni toto anno sufficerent, id onus suis imponebat humeris, se magistri iumentum & vocans & præstans. Portabat autem id onus, non decem vel viginti stadijs, sed septem dierum iter conficiens. [k] Acacium post Beroeæ episcopū ad ascēticam attraxit. De hoc Acacio Theod. l. 4 hist c. 25 Sozō li 7. c. 25 Niceph. l. 115. c. 25. & lib 12 c. 47. [l] Aster. senē Iulian. aliquoties inuisit cum munusculis [m] Medimn. est mensura aridorū, vt frumenti, hordei, & ēmilium.

XII. Cvm eum autem aliquando vidisset senex ferentem humeris sarcinam caricarum, ægrè ferens, dixit hæc sibi non esse exhibēda alimenta: non esse enim iustum, vt ille quidem tantum subiret laborem, ipse verò delicatè eius frueretur sudoribus. Cùm is autem iurasset se non esse onus à suis humeris depositurum, nisi assensus esset senex, se allati cibi futurum participem. Faciam, inquit senex, quod iubetur, modò tu quamprimum deponas canistrū. Nam in hoc quoq; imitabatur primum Apostolorum, qui cùm voluisset Dominus lauare eius pedes, prius quidem negauit, apertè affirmans id non esse futurum. Postquam autem audiuit fore, vt abrumperetur à Domini communione, nisi hoc concederet, orauit vt præter pedes, manus quoq; & caput lauaret. Ita etiam egregius Ioannes iussus tingere Seruatorem, prius quidem & suam confessus est seruitutem, & ostendit Dominum. Posteà autem iussum est executus, non se asperè gerens, sed parens Domino. Ita etiam hic quoque vir diuinus, grauabatur quidem alio laborante ipse frui alimento; sed postquam vidit ardentissimam clientis animi alacritatem, præposuit suæ voluntati illius ministerium. Ioh. 13.

FORTE autem aliquis ex ijs, qui ex aliorum reprehensione magnam capiunt voluptatem, & ea quę sunt honesta, XIII.
solùm didicerunt irridere, dixerit hanc[a] narrationem non esse dignam, quæ commemoretur. Ego autem alijs huius
viri miraculis hoc quoque adieci, non solùm magnorum virorum volens in eum pietatem ostendere, sed etiam morũ
eius suauitatem & moderationem declarare, existimans conducibile. Nam cum tanta esset & tali virtute, ne leuissimo
quidem honore seipsum dignum esse censebat, sed eum repellebat, vt qui ad se nequaquam pertineret: rursus autem
eum sustinebat, vt qui eos qui faciebant, afficeret beneficio.

[a] Cur ista narret, quæ tamen videantur leuia

AVFVGIENS autem[b] (nam vt qui omnibus euasisset manifestus, ad se trahebat per famam eorum, quæ sunt bona XIV.
& honesta amatores) venit in montem Sinæum cum paucis ex paulò familiaribus: non oppidum ingrediens, non vi-
cum, sed iter per inuiam iniens solitudinem. Ferebat autem humeris alimentum quoque necessarium, panem inquã,
& salem, lagenam & cyathum ligneum, & spongiam fune alligatam: vt si quando aquam inuenissent profundiorem,
exhaurirent quidem spongia, expressam autem in cyathum ebiberent. Cùm itaq; iter multorum dierum confecissent,
ad[c] montem optatum perueniunt: & cùm suum Dominum adorassent, illic longum tempus perpetuò transegerunt,
loci solitudinem & animæ quietem maximam existimantes voluptatem. Cùm autem in illa petra, sub qua latẽs Moy-
ses prophetarum princeps, dignus est habitus, qui Deum videret, sicut videri poterat, ecclesiam extruxisset, & diuinã
aram consecrasset, quæ etiam mansit vsque in hodiernum diem, in suam reuersus est palæstram.

[b] Iulian. frequentiã visitantium & honorẽ fugiẽs, in mõtẽ Sinæum concedit.

[c] In rupe Sinai, Moysis latibulo, Ecclesiam extruit, & aliã consecrat.

CVM autem eius, cui erat quidem idem quod ipsi nomen, sed impij Imperatoris minas intellexisset (pios enim se XV.
funditus perditurum minatus, profectus erat in Persas, & qui eadem, quæ ipse, sentiebant, abominandum illum red-
itum inhiantes exspectabant) tunc Deo orationem magno studio & vehementi desiderio offerens, & eandem ad de-
cimum vsque diem extendens,[d] audiuit vocem dicentem, execrandum illum & fœtidum porcum de medio esse sub-
latum: sed neque accepto fine orationis, confestim finiit orationem, sed mutauit petitionem in hymni decantationẽ,
gratias agens Seruatori suorum, clementique & potenti hosti alienorum. Longissimo enim tempore fuit clemens &
lenis in impium: sed cùm eius lenitas & patientia sceleratum ad maiorem exercuisset rabiem, opportunè intulit suppli-
cium. Cùm autem implesset orationem, & ad suos esset conuersus, planum fuit, eum esse læto & trãquillo animo: ani-
mi enim alacritas vultum ostendebat hilarem. Cùm autem qui cum eo versabantur, nouum admirati essent spectacu-
lum, (nam cùm semper tristi aspectu videretur, tunc visus est subridere) & cùm causam rogassent lætitiæ, Præsens tem-
pus, inquit, ô fratres, est gaudij, cessauit enim impius, vt est vox Isaiæ, & audacium inceptorum meritas dedit pœnas; Isa. 24.
& qui tyrannidem exercuit in Deum, qui fecit & seruauit, ab eius qui illius parebat imperio, dextera iure est cæsus. Ideò
lætor cùm videam ecclesias, quæ ab eo sunt oppugnatæ exultantes, & cernam sceleratum ab ijs, quos colebat dæmo-
nibus, nihil auxilij consecutum. Huius ergò impij cædis talem habuit præscientiam.

[d] Mors apostatæ Iuliani significatur diuinitus Iuliano asceteæ. Vide Niceph lib. 10 cap 35. Theod li. 3. hist. cap 19. Bar. an. 363.

Cùm autem[e] Valens, qui post illum accepit habenas Romani Imperij, relicta veritate euangelicorum dogma- XVI.
tum, erroris Arij accepisset imposturam, tunc exorta est maior procella aduersus Ecclesiam; cùm gubernatores quidẽ
vndique expellerentur, prædones autem quidam & hostes in eorum locum sufficerentur. Ne autem totam illam in
præsentia recenseam tragœdiam, alia nunc prætermittam, vnius autem solummodò faciam mentionem, quod apertè
ostendit diuini Spiritus gratiam in hoc sene florentem. Ab Antiochena quidem ecclesia eiectus erat magnus Mele-
tius, quæ à Deo vniuersorum pascenda ei credita fuerat: à diuinis autem templis eiecti fuerant cum populo, qui erat
eiusdem cum eis sententię, quicunque in clerum cooptati, Trinitatis diuinam vnam colebant essentiam. Et nunc qui-
dem in aliquem specum montis venientes, sacros illic cœtus celebrabant; nunc autem ripam fluminis faciebant ora
torium, aliquando autem bellicum gymnasium, quod situm est ante portam Septentrionalem. Non permittebant e-
nim, qui bellum gerebant, in vno loco pios consistere. Iactarant autem alumni mendacij,[f] & rumorem in illa ciuitate
sparserant, quòd magnus, hic inquam senex, eorum quæ ipsi tenebant religionis dogmatum amplecteretur commu-
nionem. Hoc pios maximè angebat, ne fama rudiores & simpliciores decipiens, eos hæreticorum implicaret laqueis.

[e] Ecclesiæ persecutio sub Valente: De huius persecutione vide Theod. l. 4. hist. c. 22

[f] Hæretici Iulianũ de suæ hæresis cõmunione infamant. Vide Theo. lib. 4 hist. c. 25. & Baron. anno 370.

SED diuini & beati viri, Flauianus & Diodorus, qui digni erant habiti, vt essent sacrifici, & præessent piorum po- XVII.
pulo, & Aphraates, [g] cuius per se vitam vobis, si Deus concesserit, adijciam, persuadent magno illi Acacio, cuius feci-
mus mentionem, vt viæ acciperet comitem suum quidem magistrum, sancti autem senis discipulum, insignem illum
Asterium, curreret autem ad communem pietatis splendorem, & euangelicæ doctrinæ sustentaculum, & persuaderet,
vt relinqueret quidem illam in solitudine versandi rationem, veniret autem vt ferret auxilium rot millibus, quæ frau-
de interibant, & rore sui aduentus flammam extingueret Arianam. Cucurrit diuinus Acacius, & sumpto, vt iussus erat,
magno[h] Asterio, accessit ad maximum lumen ecclesiæ: & cùm eum salutasset, Dic mihi, inquit, ô pater, quanam de
causa totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cùm is autem respondisset: Et corpore, & anima, vitaque, & omni-
bus, quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior: conor autem, quoad eius à me fieri potest, illi à sorde nudũ
offerre ministerium, & ei perpetuò placere. Ostẽdam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quàm nunc ser-
uies: idque dicam, non sola vtens ratiocinatione, sed vt qui ab eius doctrina didicerim. Cùm enim Petrum aliquando
rogasset, an eum plus quam alii amaret, & didicisset id quod sciebat vel ante Petri vocem. Tu enim, inquit, nosti Do-
mine, quòd amo te; ostendit[i] ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pasce oues meas, & pasce
agnos meos. Hoc quoque tibi, ô pater, est faciendum: periculum enim est, ne oues à lupis intereant; eas autem valdè
amat, qui à te valdè amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cùm fiunt, eis qui amantur, grata sunt. Et
alioqui non paruum est periculum, multorumque & magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati potueris ne-
gligere, tacitus præterire, veritatem quidem grauiter oppugnari, eos autem, qui ei adhærent, captari: ad eos autem ve-
nandos esse escam tui nominis appellationem. Te enim habere socium suæ impietatis, gloriantur & iactant præsides
Arij abominationis.

[g] Aphraatis vitam habes infra 7. Apr

[h] Acac. Iulianum ad hæreticis resistẽdum excitat. Iohan 21.

[i] Cura animarum in communi periculo ẽt eremitas spectat.

HOC cùm primùm audiisset senex, quietem[k] quidem iubens valere ad tempus, neque ciuitatis strepitus, quòd XIIX.
eis non esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. Cùm autem duorum vel trium dierum iter confecisset in soli-
tudine, noctu venit in quoddam prædium: quædam autem diues muliercula, cùm sacrum illum chorum audiisset ve-
nire, cucurrit vt perciperet eorum benedictionem; & ad eorum pedes puoluta, rogabat vt sua domus esset eorum di-
uersorium. Concessit senex, idq; cum plus quàm quadraginta annis à tali fuisset spectaculo separatus. Cùm autem ad-
mirabilis illa mulier esset in sacris illis viris ministrando occupata, puer septẽ annos natus, cuius solius erat mater, quæ
[l] hospitalitatem Saræ est æmulata, esset autem vesperum & tenebræ, cecidit in puteum. Cùm autem ex eo, vt est cõsen-
taneum, exortus esset tumultus, mater autem sensisset, iubet quidem omnes quiescere: puteo autem operculo impo-
sito, instabat ministerio. Mensa autem viris diuinis apposita, diuinus senex iussit vocari puerum mulieris, & accipere
[m] benedictionem. Cùm autem admirabilis mulier diceret eum malè habere, perstitit iubere, vt is duceretur. Postquã
autem ei quod accidisset, significauit mulier, mensam quidem relinquit senex, accurrens autem ad puteum, cùm au-
ferri quidem operculum, afferri autem lucem iussisset, videt puerum sedentem super aquæ superficiem, & aquam ma-
nu pueriliter pulsantem, & qui reputatus fuerat interitus, eum ludum putantem: & cùm quosdam[n] funes alligassent,
& eos demisissent, puerum extraxerunt: & statim accurrit puer ad pedes senis, dicens se eum vidisse in aquis ipsum fe-
rentem, & ne mergeretur prohibentem. Hanc hospitalitatis mercedem recepit mulier à beato sene.

[k] Iulianus Antiochiã ꝓficiscitur ad cõfutandos hæreticos.

[l] Mater hospitalitati intenta filii in puteum lapsum patienter fert.

[m] Mos vetus benedicẽdi pueros.

[n] Puer Iuliameritis illæsus seruatur

ET vt

XIX. Et vt alia prætermittam, quæ facta sunt in itinere, veneruut quidem Antiochiam; omnes autem vndique concurrebant, Dei hominem videre cupientes, & morbi sui medicinam vnusquisq; accipere desiderãs: habitabat [a] autem in speluncis, quæ erant in latere montis: vbi diuinum quoque Apostolum Paulum, & habitasse dicunt, & latuisse. Sed statim vt scirent omnes eum esse hominem, eum inuadit febris vehementissima. Cùm autem videret magnus Acacius multitudinem eorum, qui simul erant congregati, & eam, quæ acciderat, ægrè ferret ægritudinem (existimabat enim, fore ij qui conuenerant, perturbarentur, si viri morbum rescisserent, à cuius manu se inuenturos sperabant medicinã;) Noli angi animo, inquit senex: si est enim necessaria sanitas, eam statim dabit Dominus. Statim ergò post [b] hæc verba ad preces conuersus, & vt solebat, & genua & frontem solo admouens, rogauit vt assequeretur sanitatem, si ex ea reditura sit aliqua vtilitas ad eos, qui conuenerant. Nondum finierat preces, & repentè multus sudor profluens extinxit flammam febris.

[a] Diuertit Iulianus ad B. Pauli latibula apud Antiochiã.

[b] Iulianus febri correptus eã prece pellit.

XX. Cvm illic autem liberasset multos à morbis omnis generis, profectus est ad conuentum piorum. Transeunte autem eo per portas regiæ, [c] mendicus quidam, qui clunibus vtebatur pro pedibus, & per terram trahebatur, cùm manũ extendisset, & eius pallium tetigisset, fide quidem morbum exegit, exiliens autem ostendit se æquè currere atque ante morbum: idem faciens, quod claudus, quem Petrus & Ioannes suscitãrunt. Hoc cùm factum esset, confluxit totus populus ciuitatis: eratque bellicum gymnasium plenum ijs, qui concurrebant. Pudore autem [d] afficiebantur calumniatores, & mendacij artifices, læto autem & tranquillo animo erant alumni veritatis. Ex hinc in domos suas trahebant lumen veritatis, ij qui opus habebant, vt curarentur. Vir autem quidam, cui fuerat maximus mandatus magistratus, eius que fidei commissus erat clauus Orientis, ad eum misit rogans, vt ad se veniret, & à morbo vigente liberaret. Ille verò accessit nihil cunctatus, & communi Domino fusis precibus verbo [e] soluit ægritudinem, & iussit, vt Deo ageret gratias.

Act. 3.

[c] Mendicus debilis pedibus restituitur pallij eius tactu.

[d] Iuliani præsentia confunduntur aduersarij.

[e] Præfectũ seu Comitẽ Orientis sanat.

XXI. Cvm hæc & talia fecisset, statuit deinceps reuerti ad suæ exercitationis monasticæ tugurium. Cùm per *Cyrum autem iter faceret, (distat autem hæc ciuitas duorum dierum itinere ab Antiochia) diuertit quidem in ædem præclari martyris Dionysij: qui illic autem vero Dei cultui & rectæ religioni præerant, cõuenientes supplicarunt, vt sibi opem ferret exitium præuisum exspectantibus. Dicebant enim, Austerium [f] qui in sophistica & falsa disserendi arte fuerat educatus, & se in hæreticorum ecclesiam iniecerat, & episcopale munus erat assecutus, falsum acriter defendere, & improbo vti artificio aduersus veritatem: & veremur, inquiebant, ne facundia veluti quadam esca falsum contegens, & nexus syllogismorum tanquam quædam retia extendens, capiat multos ex simplicioribus: ea enim de causa fuit ab aduersarijs accersitus. Senex autem, Estote, inquit, bono animo, & Deo nobiscum supplicate, orationem & corporis afflictionem precibus adiungentes. His Deum sic rogantibus, vno die ante diem festum ac celebrem, quo verba erat facturus falsi defensor & hostis veritatis, is diuinitus immissam accepit plagam, & cùm vno tantum die ægrotasset, ex-

* *Al. Gyrrhum, vel Cyrrhum.*

[f] Asteri[o] hæreticorum episcopus, dialectica & eloquentia abutitur ad hæresim.

Luc. 12. 'cessit [g] è viuis, illam vt est probabile, vocem audiens: Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam; quæ autem parasti

Nah. 4. retia & laqueos, ijs tu implicaberis, & non alij. Hæc Balaam quoque acciderunt, qui ipse quoque aduersus Dei populum accersitus, cùm impia quædam Balaac aduersus ipsum consuluisset, eius dedit pœnas, vt qui ab Israëlitica dextera fuerit cæsus. Igitur hic quoque cùm in Dei populum quasdam callidas excogitasset sententias, per Deum populi vita

[g] Austerius diuina plaga moritur.

XXII. fuit priuatus. Hanc autem salutem Cyrus est consecuta per huius orationem.

Hæc autem quę narraui, mihi diuinum caput, ille [h] magnus tradidit Acacius, qui pulchrè sciebat omnia, quæ ab ipso facta fuerant. Cùm ergò illinc esset profectus, & ad suos sodales reuersus, & vnà cum eis non paruo tempore esset versatus, ad vitam senij & molestiæ expertem valdè promptè & alacriter transijt, vt qui in mortali naturà meditatus esset impatibilitatem, expectaret autem corporis immortalitatem. Ego autẽ hîc [i] de eo sistens orationem, transibo ad alium: rogans sanctos, qui in hanc ingrediuntur narrationem, per suam intercessionem mihi supernam conciliare beneuolentiam.

[h] Vnde hæc Theodoretus didicerit.

[i] Auctor sanctorum intercessionẽ expoſcit.

AN. 460.

VITA ET INSTITVTIO P. N. IOHANNIS CALYBITÆ, HOC EST, QVI SVB TVGVRIO HABITABAT: APVD *Simeonem Metaphrasten.*

I. Viri iusti & perfecti vitam, honestè, purè, & cum virtute actam, vobis qui concordes in hunc locum cõuenistis, narrare in animo habeo. Vixit enim ille temporibus nostris. Qui cùm huius vitæ negocia singulari sapientia, & in Christum fide ac pietate contempsisset, cælestia bona consecutus est. Res ipsa, cuiusmodi sit, narratione hac explicabitur. 15. IAN.

II. Fvit in vrbe Roma vir quidam [k] valdè dives, & dignitate illa præditus, qua ij sunt, qui exercitus ducunt. Nomen viro illi erat Eutropius: eius autem coniunx, Theodora vocabatur. Is habuit tres filios, è quibus duo quibus magistratibus ab ipso occupati erant. Qui verò natu erat minor, Iohannes appellabatur. Eum ad literas discendas pater magistro tradidit. Itaque cùm primas eruditionis literas didicisset ad Rhetoricos & Philosophicos libros congnoscendos se traduxit. Cùm verò [l] duodecimum annum ageret, & omnia ferè perfectè didicisset, eo quòd boni & elegantis ingenij esset puer, cumque Christi fidem seruaret, præter cætera, sanctis ecclesijs vacabat, neque horam vnam à libris discedebat, ita vt Grammatici homines adolescentuli perseuerantiam obstupescerent. Quodam autem die Abbas quidam è superioribus partibus ex venerabili eorum monasterio, qui vocantur Acœmeti, [m] eo quòd nunquam cubare soliti sunt, cùm votum feciſſet, vt Hierosolymam proficisceretur, venit in eam domum, in qua Iohannes docebatur, & eos qui illam habitabant, exorauit, vt apud ipsos diuersari posset. Eius viri habitum, & exercitationis institutionem, cùm beatus Iohãnes vidisset, à sancto Spiritu inflammatus, cœpit ab eo quærere, vndenam esset, quò iret, & quænam foret exercitationis ratio, quam monasterium illud, è quo discesserat, teneret. Monachus igitur ille à puero interrogatus, omnem vitam & exercitationis regulam enarrauit. Patefecit autem & res suas, quod scilicet deuotionis causa Hierosolymam proficisceretur, vt illic Deum oraret, & sancta loca veneraretur, ac rursus in sanctum monasterium, è quo discesserat, rediret.

[k] Iohannis Calybicæ parentes & patria.

[l] Felicitas ingenij eius

[m] Monachi Acœmeti.

III. Hæc [n] cùm Iohannes audiuisset, manu apprehendit monachum illum, & seorsum duxit, ac iureiurando valdè horribili eum adstrinxit, vt postquam iter illud perfeciſſet, ad eum rediret, vt secum vnà ipsum ad sanctum illud monasterium duceret. Tunc dicebat illi beatus Iohannes: Audi, quæso, mi Abba, & mei commiseratio te tangat. nam parentes mei, cùm me præter cæteros fratres, & alios omnes domesticos diligant, & eruditionis ac doctrinæ literis plurimis me instituendum curent, cogitant ad magnum aliquem dignitatis gradum me extollere. Vt enim dicit dominus & pater meus, vult me prouehere ad dignitatem aliquam, quæ maior sit, quàm gradus ille est, quem Tribuni militares obtinent. Post hæc omnino me nuptijs copulare in animo habet. Sed ego partim in sanctam ecclesiam veniens, partim ex ijs, quæ legi, & mecum ipse cogitaui, res omnes, quæ in hac vita sunt, vanas esse cognoui, & illum solum saluum esse, qui huius vitæ rebus contemptis, constanter in isto vestro habitu Christo seruit. Quamobrem à te supplex

[n] Peregrinatio ad Hierosolymam religionis ergò.

peto,domine,vt me ducas,& in illo ſancto monaſterio connumeres. Hæc cùm audiuiſſet monachus ille,iureiurando ſe rediturum promiſit,& eum ſecum vnà in monaſterium ducturum.

[a] Futur' monachus Euangeliũ lectitat, vt ei conueniẽter viuat.

CVM ita igitur inter ſe conueniſſent,vterque in ſuam viam abijt.Cùm verò monachus [a] ille diſceſſiſſet,hæc ſecũ B.Iohannes dicebat : Intereà hoc primum faciam: à meis parentibus ſanctum Euangeliorum librum petam,ex quo Chriſti traditiones ediſcam,& quomodo poſſim ea facere, quæ Chriſto grata ſunt. Itaque parentes adiens,Non poſſum,inquit,præ pudore in gymnaſium ire,cùm omnes,qui mecum vnà literas diſcunt,poſtquam res illas expedierint, quæ in gymnaſio exercentur,ſecum habeant Euangelia,& ſedentes ea legant:at ego talis ſum,quaſi vnus ex ijs,qui parentes non habent,cùm Euangelijs caream. Itaque ſupplex à vobis peto,domini mei, vt mihi quoque iubeatis Euangelium dari,quô & ipſe illud in manibus meis habens ediſcam. Hæc cùm eius mater audiuiſſet, valdè lætata eſt, quòd eius filius tanto diſcendi ſtudio teneretur: & cum viro collocuta,Age, inquit,domine mi:cura,vt talis Euangeliorum liber conſcribatur,& filio noſtro detur, qui non ſolùm literarum figuris,& his,quæ intus ſcripta habuerit,deſiderium filio commoueat, ſed etiam ipſius conglutinatione & exteriori ſpecie ita pulcher ſit,vt eius deſiderium magis excitet. Statim verò eius pater iuſſit aurificem vocari, eique dixit, vt tantum pecuniæ ſumeret, quantum ſatis eſſet ad Euangeliorum librum filio conglutinandum. Aurifex igitur [b] cùm quingenta numiſmata,& pretioſos lapillos ac margaritas ſumpſiſſet,librum Iohanni conglutinauit. Cum verò Euangelium ipſe Iohannes accepiſſet, & in manibus teneret, ſtudiosè illud didicit,expectans quoad monachus, de quo ſupra dictum eſt,reuerteretur. I.

[b] Magni pretij codex ei datur à patre.

INTERVALLO temporis monachus ille reuerſus eſt,quemadmodum ſe facturum promiſerat. Quem cùm vidiſſet Iohannes,valdè gauiſus eſt,& occurrens animo admodum læto,eum amplexus,his verbis affatus eſt: Domine mi, parentum meorum affectum,& nimiam ipſorum in me beneuolentiam nemo ſcit,vt ego ipſe.Noui enim matrem meã præcipuè talem in me eſſe,vt ſi quid huiuſmodi præſenſerit, lachrymis ſuis propoſiti mei curſum impediat. Itaque te precor,vt tacite diſcedamus,ne quis id ſciat,quod facimus. Tum monachus: Faciamus,inquit,fili,quod vis:votis enim tuis Deus ſatisfaciet. Itaque Iohannes ſecum ducens monachum illum,ad fluminis ripam acceſſit, & nauclero quodam inuento,ait : Rogamus te, frater, vt liceat nobis nauigium tuum conducere, quo ad eorum monaſterium, qui Acœmeti vocantur,nos vehas. Quibus ille : Ego, inquit, propterea hîc ſedeo, vt onus aliquod capiam,& nauigium meum impleam, centumque nummi ſint ipſius merces. Tunc Iohannes dixit: Expecta,frater,vſque ad tertium diem, & à me nauigium conducetur.Cùm ita inter ſe conueniſſent,diſceſſerunt. Tuncque Iohannes dixit monacho: Multa erit merces, qua nauigium hoc conducitur : illud autem conſilium valdè placet,vt rationem ineamus:qua parentes diſceſſum meum non impediant. Ibo igitur,& aliqua ficta excuſatione à parentibus meis petam,vt mihi pecuniam largiantur: ea verò nauigium conducemus. Tum monachus: Vade fili: Dominus dirigat omne tuum conſilium bonum. II.

VENIT igitur Iohannes,& matri ſuæ dixit: Mater mea domina, quæ ab initio ita me educaſti, vt paucæ admodũ matres filios ſuos educârunt, & propter ſummam tuam in me beneuolentiam, quicquid ipſe optaui,mihi præſtitiſti: vnum eſt,quod præterea ego à te ac patre meo peto,idque veſtræ gloriæ cauſa exopto. Ad hæc mater: Pete,inquit,fili, quicquid vis. Tum Iohannes:Mater mea domina,omnes pueri,qui ſunt in gymnaſio,non ſemel tantum atque iterũ, ſed ſæpius me in conuiuium vocârunt: ego cùm illos ſimiliter accipere non valeam, in gymnaſium ire non poſſum: ita pudore multo perfundor. At illa: Expecta,fili,hodiernum diem,& ego patri tuo pſuadebo,vt tibi det pecuniam,qua inuitare poſſis,quoſcunque velis.Hæc dixit mater,& abſente filio,ſingula viro ſuo narrauit,quæ à Iohanne acceperat. III.

[c] Dantur etiam céctum aurei.

Cui vir:Demus,inquit,illi centum [c] aureos nummos, & puerum, qui eum cuſtodiat & obſeruet,ne quo modo adoleſcens procliuior euadat, & in ſordidum ac turpem aliquem vſum pecuniam conferat atque conſumat.Placuit vtrique conſilium illud. Cùm igitur Iohannem accerſiuiſſent,dederunt illi pecuniam,& puerum cuſtodem. Iohannes verò, acceptis centum illis aureis nummis,ea re valdè gaudens, ad monachum venit vnà cum puero illo, & ait:Mi domine, hic homo meus eſt: ipſe tecum hic manebit:ego verò ad ſocios meos adibo,vt ab ipſis audiam certum diem,quo illos in conuiuium acceptурus ſim. Abijt igitur,& ſecum habens pecuniam,nauigij dominum adijt, ac dixit: Rogo te,frater,vt mihi & monacho tantum nauigium loces. Cui nauigij dominus: Dixi,inquit,tibi multa mercede nauigium cõduci:quòd ſi expectetis,vos vnà cum reliquis oneribus accipiam. Tuncilli Iohannes: Accipe à me [d] mercedem tuam, modò nos ſaluos peruehas.hoc cum dixiſſet,centum nummos aureos ei numerauit:Quos cum daret:Rogo,inquit,te frater,vt cælum ipſum benè inſpicias,cumq; is ventus flare incipiat,qui ad nos vehẽdos idoneus eſſe poſſit,tunc in nauigio tuo ſtans,noſipſos nutu voces:ſuſpectos enim habemus quoſdam homines,& fuga vti volumus. Tum ille centũ aureis nummis acceptis,valdè lætatus, dixit: Vade,domine mi,& ſecurus eſto,quod vos incolumes perueham. Abiit igitur Iohannes,& monacho rem narrauit clàm puero ilo,quem pater cuſtodem appoſuerat. IV.

[d] Illis conducit nauigium.

POST aliquod temporis interuallum,Iohannes monacho,& puero dixit: Eamus ad fluminis ripam, eo quod intra duos dies futurum eſt, vt ego ſodales meos in conuiuium accipiam , vnde boni alicuius piſcis obſonio indigemus. Cùm igitur eò veniſſent , Dei voluntate factum eſt, vt ventus nauigationi accommodatus flare cœperit. Itaque nauclerus è nauigio ipſo crebris nutibus illos vocabat. Cùm verò puerum ipſum,ſi ibi maneret,latére non poſſent,ei dixerunt: Abi puer in gymnaſium,& vide,quid adoleſcentes illi faciant,& redi huc, vbi nos inuenies. Abiit [e] puer. Iohannes verò & monachus nauigium conſcenderunt , & illinc nauigantes , ad ſanctum illud monaſterium incolumes vecti ſunt. Narrauit autem monachus ille fratribus totum id,quòd verum erat,& quanta eſſet pueri fides. Quem cùm Archimandrita inſpexiſſet:Nimium,inquit,adoleſcens es,ô fili:nobis autem mos eſt , vt qui monaſticam vitam profiteri velit, quadraginta dies apud monaſterium maneat, & cum exercitationis noſtræ regulam conſideraverit, ita tondeatur.Ad hæc Iohannes:Obteſtor te per puriſſimam Trinitatem,vt hodie me tondas, [f] quoniam iſto angelico habitu indui vehementer cupio ac ſtudeo. Tunc Archimandrita puero illi benedixit,cumque eum totondiſſet,habitu induit. Ipſe verò multo ſtudio & animi alacritate,exercitationi monaſticæ vacabat, Deum ipſum nocte & die precans. Manſit autem annis ſex in monaſterio illo , & omnibus qui illic erant , exemplo fuit, quo pacto humilitatem exercere,ac Deum ipſum orare deberent.Talem autem [g] cõtinentiam ſibi præſcripſit, vt nihil aliud guſtaret,niſi precioſum Chriſti corpus & ſanguinem,ita vt Archimandrita ille miraretur, ac diceret : Tu quidem adhuc puer multum laboris tibi ipſe impoſuiſti: itaque corpus tuum imbecillius efficitur,quàm vt diuinæ gloriæ miniſterio ſufficere poſſit: Continẽtia enim,ieiunium,& vigiliæ multæ ipſum corrumpunt. V.

[e] Clã fugit è patria.

[f] Tondetur, & habitu monaſtico induitur.

[g] Mira eius abſtinẽtia.

IAM [h] verò bonarum rerum hoſtis diabolus , cùm adoleſcentis illius ſtudium multum,& ſancti propoſiti curſum intentum videret , vehementer contra illum furere cœpit. In quem cùm acerbiſſimè affectus eſſet,& generoſam eius mentem & cogitationes ſuperare,& à Chriſti ſpe remouere non poſſet,talem mœrorem,& tantum parentum deſiderium in eius adoleſcentis mentem iniecit, vt nocte & die de illis cogitaret , & antè oculos haberet , quanto comitatu ac ſeruorum miniſterio parentes vterentur : denique omnem vitæ huius fallaciam ac vanitatem propoſitam habebat. Itaque multis ieiunijs, vigiliis, & nimio parentum deſiderio factum eſt, vt eius corpus non caro,ſed inſtar vmbræ tenue videretur.Archimandrita verò cùm adoleſcentem ita extenuatum atque afflictum vidiſſet, vt iamiam è viuis exceſſurus putaretur:An nõ tibi dixi, inquit, fili Ioannes,Deum ipſum hoc tantum à ſeruis ſuis poſtulare,vt eum p VI.

[h] Tentatur immodico parentum deſiderio. VII.

viribus VIII.

viribus colant? Tu verò supra vires tuas ista exercitatione vtens, teipsum nimis extenuatum & gracilem reddidisti. Ad hæc Iohannes: Scito, pater, non ieiunijs me domari, sed peccata mea impedimentum mihi afferre. Multis enim ab hinc diebus bonarum rerum inimicus diabolus cor meum conturbauit, & parentum ac videndæ familiæ meæ desiderium animo meo suggessit: neque perditus hic hostis illud videt, quòd, Deo meo volente, & vestris precibus mihi opitulantibus, quamuis ad videndos parentes meos profectus fuero, ipsum tamen conculcabo, & eius conatum imbecillum atque inanem esse ostendam. Tum illi Archimandrita: Nónne, inquit, fili, tibi dixi, cùm primùm monastica professione initiari voluisti, nostræ huius exercitationis certamen magnum, & laborem multum esse? Hæc cùm dixisset, & adolescentis causa lachrymatus esset, ei benedixit.

IX. Postero autem die Iohannes Archimandritam adijt, cumque ad eius pedes se abiecisset ipsum rogauit, 'nè sibi succenseret, sed pro se Deum precaretur, & concederet abire, & parentes videre, eaque ratione diabolum, Domino adiuuante, conculcare. Archimandrita cùm omnes fratres, qui erant in monasterio illo, congregâsset, & attentis precibus pro adolescente illo Deum orauisset, cum gemitu & lachrymis: Vade, inquit, fili, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & tecum vnà venientem habeas Dominum Iesum Christum, qui te ducat in via ista, prout ipse vult. Iohannes verò cùm è terra surrexisset, fratres omnes obeundo, genibus flexis, petijt à singulis, vt extensis manibus illi benedicerent: & ita eos salutans, Salui estote, inquit, omnes patres & fratres: salua esto laudabilis & sancta societas, quæ me bene susceptisti: ego omnino vestro tecto indignus sum.

X. Cvm igitur à sanctis illis patribus Deo commendatus esset, exijt è [a] monasterio illo, & ab eius ianua longius progressus, se conuertens, & sanctum monasterium adspiciens, tristem atque acerbum gemitum emisit, & flexis genibus, Deum ipsum sic orauit, vt eius lachrymæ in terram defluxerint: atque ita finitimam illam regionem salutauit, & lachrymas non intermittens, discessit, iterque suum fecit. Cùm verò dimidium itineris confecisset, vidit inopem quendam hominem lacera veste indutum, cui dixit: Salue, frater, & viæ omnes. An placet, vt vnà iter faciamus? Maximè, inquit ille, gratum mihi hoc est. Cùm verò vnà iter facerent, Iohannes ait: Video te, frater, vestem tam laceram habere, vt illam ferre non possis: te igitur rogo, vt veste ista te exuas, & meam capias: ego autem tua me induam. Cumque ad locum quendam venissent, vicissim se salutantes, singuli viam suam aggressi sunt. Cùm verò Iohannes eò venisset, vndè [b] parentum suorum ædem è regione prospiciebat, seipsum in terram deiecit, & Deum ita precabatur: Domine Iesu Christe, nè derelinquas me. Cumque ad multam noctem parentum suorum ianuam adijsset, rursus in terram prostratus ac lugens, Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe, en parentum meorum domus, quam mihi ostendisti: sed nè à gratia tua decidam, da mihi, quæso, vt superato diabolo, hoc in loco benè moriens, non amplius tentationem aliquam patiar. Mansit itaque illic tota nocte illa.

[a] Abscedit à monasterio cum bona venia præfecti.

[b] Venit ad ædes parentum.

XI. Vt verò dies illuxit, atrij fores patefactæ sunt, vt solebant, eò quòd eius parentes paulò pòst egressuri essent. Exijt autem familiæ Præfectus, qui cùm ipsum lacera veste indutum vidisset: Quis, inquit, tu es, & vndenam, & quare cùm talis sis, huc accedere ausus es? Discede isthinc, quoniam domini mei egressuri sunt. Tum Iohannes: Quæso, domine, vt misericordia me prosequaris: sum enim homo pauper. Sine igitur me in hoc angulo manere, (nihil enim mali facio) atque huius rei mercedem à Deo ipso expecta, si me pauperem ad huius atrij fores manere permittas. Permisit ille, & abijt. Exierunt autem eius parentes in atrium. Quos cùm Iohannes vidisset, totus lachrymis repletus est, ac secum dixit: En diabole, [c] & parentes meos, Deo ita volente, adspexi, & sagittas tuas ardentes contemno, Christi ope adiutus. Ac rursus dixit, Domine Iesu Christe, ne derelinquas me. Et manebat in illo angulo. Cœpit autem eius pater è mensa sua cibum illi mittere, dicens: Huius pauperis patientia multa est: quippè qui in tantis pluuijs, & multa glacie tam patienter ac fortiter in hoc atrio commoratur. Potest Deus ipse per hominem hunc nobis salutem afferre. Omninò enim propterea huc missus fuit homo iste, vt & nos per illum salutem assequamur. Exiens autem domo quodam die mater illius, cùm eum ita abiectum vidisset, indignans substitit, quòd tanquam horrendum aliquid videre sibi visa esset, & ad pueros suos conuersa: Auferte, inquit, isthinc hominem istum, quòd non possum, illo sic iacente, transire. Statim igitur serui hominem illum vi pertraxerunt. Cùm verò aliquantulùm à foribus illis longè abesset, manebat illic, neque aliquò discedebat. Egredienti autem aliquando familiæ Præfecto: Rogo te, inquit Iohannes, vt quemadmodum initiò misericordia me prosecutus es, ita & nunc paruum aliquod tugurium mihi construas, vt à glacie defendi possim, neque à vestra domina vnquam videar. Hæc [d] cùm ille audiuisset, nihil moratus, paruum quoddam tugurium ei composuit: in quo manebat, Deum orans. Ei autem pater quotidie cibum mittebat. Verùm quæ à patre mittebãtur, pauperib. ipse distribuebat, ex eis non edens, neq; bibens, ita vt oẽs pauperes ad eum currerẽt, & ab illo nutrirẽtur. Itaq; eius corpus sic extenuatũ erat, vt ossium cõpages numerari possent: tanta cõtinentia se afflixerat.

[c] Moratur in angulo quodam patientissimè

[d] Item in tugurio.

XII. Tertio autem pòst anno, cùm benignus Deus multum eius laborem adspexisset, eumque virtutis exercitatione perfectum vidisset, apparuit [e] ipsi & dixit: Salue Iohannes, qui reuerà hoc nomine appellaris: eo enim, quod fecisti, te illi Iohanni, qui virgo fuit, similem ostendisti: nam cùm omnia dereliqueris, me secutus es. Tuæ igitur exercitationis tempus, & laborum tuorum certamen completum est. Post tres dies ad me venies, ad illam iustorum hominum requiem. Experrectus autem Iohannes, flere cœpit, & Deum ita precari: Ago tibi gratias, Domine Deus, quòd me indignum hominem illa iustorum requie dignum facere velis: sed memento, quæso, & parentum meorum, & ipsos misericordia prosequere, illorum peccata non reputans, sed delens, quoniam solus tu clemens es & misericors. Cumque has preces compleuisset, prædictum familiæ Præfectum ad se accersitum, sic affatus est: Quemadmodum ab initio vsque ad hanc horam misericordia me prosecutus es, ita, quæso, & nunc facias. Vnum est, quod à te peto, vt meis verbis dominæ vestræ significetur. At ille: Agè, inquit, dic, si quid vis. Tum Iohannes: Eas igitur, & illi hæc dicas: Pauperille, quem ad fores iacentem expellere iussisti, per me à te petit, nè superbo animo pauperem inopẽ despicias, Iesum Christum Dominum respiciens, sed patienter digneris ad eum accedere, quippe qui habet quædam tibi dicere. Abijt ille, & dominæ suæ nunciauit, quæ à Iohanne acceperat. Tum illa: Num, inquit, aliquid est, quod pauper iste mihi habeat dicere, quæ non possum ad eum accedere, neque ipsum adspicere? Virum autem suum adijt, & ipsi hæc significauit. Cui ille dixit: Abi vxor mea, & pauperem nè despicias: pauperes enim Deus elegit. At illa adhuc iter suum differebat. Rursus Iohannes ad eam misit, qui eius verbis diceret: Pòst tres dies ego moriar: at tu si huc venire, & me videre nolueris, postremò teipsam pœnitebit. Illa cùm de eius morte audiuisset, exijt, & pueris suis præcepit, vt pauperem illum ad se ferrent.

[e] Christus ei appa.ret.

XIII. Ille verò cùm esset contectus, agnosci non poterat, sed hæc dixit: Merces tua, ô domina, completa est, sicut Dominus dixit in Euangelijs suis, quo loco ait: Quæcunque feceritis vni ex istis fratribus meis minimis, & mihi feciſtis. Ego verò, vt pauper & nihil habens, benedictionem quandam tibi volo derelinquere: sed iureiurando promittas velim, te facturam quæ dixero, & ità benedictionem accipias. Iurauit illa se obseruaturam quæ audiret. Tum ille: Per eum, inquit, ipsum te obtestor, per quem & tu iurâsti, nè iubeas me alia veste tectum sepeliri, nisi hac ipsa, quam nunc habeo: & in hoc ipso loco, vbi tugurium meum est, facias [f] me humari: quoniam neque alijs vestibus, neq; nobiliore aliquo loco ego dignus sum. Hæc cùm dixisset, illi Euangelium tradidit, ac dixit: Hoc tibi in hac vita propugnaculum, & illius futuri æui bonum tam tibi, quàm domino meo viro tuo sit viaticum. Illa cùm Euãgelium accepisset, vndique

Matth. 25.

[f] Vide sancti viri humilitatem.

dique illud versans, ait: Simile Euangelium hoc illi est, quod olim dominus meus filio nostro dedit. Cucurrit igitur, & viro suo librum ostendit. Quem cùm ille agnouisset: Verè, inquit, Euangelium aliud hoc est, & non illud. Sed vndenam ipse hoc habuit? Par est illum interrogare, vbinam sit filius noster Iohannes. Cùm igitur ad ipsum venissent, dixerunt: Obtestamur te per purissimam Trinitatem, vt nobis verè dicas, vndenam Euangelium hoc habueris, & vbi sit filius noster Iohannes. Ille cùm lachrymarum vim ferre non posset: Ego, inquit, sum Iohannes filius vester: ego sum [a] multarum lachrymarum vobis causa. Euangelium hoc illud est, quod vos mihi dedistis. Sed Christum meum desiderans, suaue illius iugum portaui. Hæc cùm parentes audiuissent, ad filij collum se abiecerunt, & ab hora prima vsq; ad sextam ita fleuerunt, vt omnes, qui vrbem habitabant, vnà cum illis filium agnitum fleuerint.

[a] Confitetur parentibus quis sit

Vt verò eius recta & sancta institutio, nulla vitæ huius perturbatione macularetur, illius Spiritûs, quem lo- XIV.
quẽtem in se habebat, ope adiutus, animam [b] suam Deo reddidit. At eius mater oblita quod iurauerat, laceratis vestibus illum exuit, & aureis induit: quibus cùm ille indutus esset, repentè mater paralytica effecta est. Cùm verò eius pater verba illius memoria repeteret: Seruetur, inquit, quod sancti nostri filij voluntas postulauit. Cùm igitur aureis vestibus eum exuissent, laceris illis induerunt, quas antea habere solitus fuerat. Quo facto, statim eius mater sanata est. Illius autem sancti viri reliquias in tugurio illo parentes condiderunt, & sacram [c] ædem illic ei construxerunt, omniaq, bona sua sacro illi templo dedicârunt. Cumque multas pecunias in peregrinorum ministerium contulissent, in pace diem suum obiêrunt. Hæc fuit Iohannis institutio, hæc vita, & sanctæ ipsius exercitationis ratio. Hic, inquam, cùm diabolum conculcâsset, supernæ vocationis brauio dignus effectus est, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria sit & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[b] Excedit è vita.

[c] Boni parentes sancto filio tẽplum cõstituunt, omniaque sua bona illi dedicant, eius reliquijs ibidem collocatis.

VITA S. MAVRI ABBATIS, PER FAVSTVM EIVS CONDISCIPVLVM SCRIPTA.

An. 540.

15. Ian. FAvstvs, famulorum Christi famulus, omnibus monachis, qui sunt in Oriente & Occidente, Meridie & Septentrione, & fidem, quæ secundùm pietatem est, vnà nobiscum in Deo retinent, gratia, misericordia, pax & propitiatio à Deo patre omnipotente, conditore omnium: & ab Iesu Christo vnico filio eius, Domino, Redemptore ac Saluatore nostro: atque à Spiritu sancto, illuminatore & viuificatore animarum nostrarum. PROLOG.

[d] Faustus puer septennis fit monachus. *Philip.* 2.

Cvm à parentibus meis omnipotentis Dei seruitio nutriendus, secundùm [d] regularis normam institutionis, septennis beato Benedicto in eius sanctissimo cœnobio, quod idem totius sanctitatis vir in Cassino ædificauerat castro, traditus fuissem iuxta miserentis Dei voluntatem, qua & velle & operari in nobis perficit pro bona voluntate, gratuita nos & omnipotentissima miseratione vt velimus præueniens, ac misericordissima gratia, nè frustra bona, quæ inspirare dignatur, aggredi conemur, subsequens: quin magis, vt recta in illum fide credentes, atque in bonitate & simplicitate cordis de illo sentientes, pro his, quæ ipse tribuit & immittit, præmia nos æternorum ab eo recipere speremus gaudiorum, si tamen propositi nostri & fidei rigorem ad fidem vsque firmum ac inconuulsum seruemus: Postquam, vt ipsi superno placuit opifici, annos puerilis ætatis emensus sum, & vti iam liberæ facultatis cœpi permissione, ex integro me pro viribus & scire, monasticæ mancipaui obseruationi: adeò vt nè momento quidem à visione beatissimi ac sanctissimi Benedicti dissiungi vllo modo vellem, sed semper eius Deo placita, & hominibus imitanda instrui doctrina, ac radiantibus ædificari exemplis, ardentissimo desiderabam amore.

[e] Multis modis probari solent monachi. 1. *Timoth.* 2.

Cernens [e] itaque beatissimus Pater me per omnia saluti propriæ, & regulari institutioni operam dare, multis sæpissimè argumentationibus propositum animi mei nisus est experiri, etiam de his, quæ ipse homini impossibilia ac importabilia esse sciebat. Sed vbi per gratiam omnipotentis Dei, qui omnes homines vult saluos fieri, me paratissimum atque promptissimum ad omne, quicquid illud erat, aggrediendum ac tentandum, siue etiam perferendum esse peruidit, ilicò specialiùs præ cæteris obsequiorum meorum vti seruitijs cœpit, meque arcanis quibusque, & nulli penè ab eo, vt asserebat, antè prorsus creditis, paterno affectu instruere, ac contra tentantia præmunire vitia. Vndè factum est, vt cum beatissimo Mauro discipulo suo, qui ab eo religiosissimè nutritus & eruditus fuerat, quique vitæ merito & perfectione virtutum magistri cooperator extiterat, me ad partes dirigeret Galliarum, quô illi aliquod solatium mea præberet cohabitatio (ego quippe ex prioribus, qui ab eo educati primi fuerant, solus superstes eram tyronibus) Gratia siquidẽ fundandæ cœnobialis religionis, ad tam longinquas exterasq; ab eò transmissus est regiones.

Psalm. 138.

Denique diuinitatis maiestas omnipotentissima, quæ omnia circumplectens & penetrans, intelligit cogitationes à longè, & nouit omnia nouissima & antiqua, & omnes vias singulorum præuider: cùm eidem sanctissimo patri, suum monasterium in loco, superius iam dicto, ab ipso constructum, occulto suo iudicio destruendum euertendumque [f] prodidisset, & vir Domini incõsolabili pro hoc afflictione fletus indesinenter afficeretur, reuelatio illum cœlestis tali releuare ac cõfortare est dignata oraculo: Noli, ait, probatissime ac electissime Deo Benedicte, pro his, q̃ huic euentura didicisti loco, mœstum vllo modo getere animum, quoniam quod semel præfixum atque decretum est inscrutabili summæ Deitatis consilio, intransibile atque irreuocabile, sine dubio patrabitur, solis tibi tuo merito cunctorum concessis habitantium animabus. Sed aderit omnipotentis quam nuperrimè diuina propitiatio & consolatio, quæ & locum hunc in pristinum, immò in ampliorem, quàm nunc videtur, tuis nihilominus meritis restituet gradum, & alijs perindè nationibus huius lumen religiositatis de hoc eodem irradiabit loco. Pro quo vt interpellatus, vel potius efflagitatus fueris, extemplò quos probabiliores in huius grege sanctæ habes congregationis, quò deposceris mittere maturato, sciens procul dubiò, quoniam laborum eorum fructus vberrimus, & tibi ad cumulum recipiendorum augmentabitur præmiorum, & illos ad habitationem perennis introducet beatitudinis.

[f] Diuinitùs reuelatur S. Benedicto destructio monasterij sui.

Hoc ergò sanctissimus Deoq; charissimus pater certior factus responso, mox vt legatione Cenomanici antistitis conuentus & exhortatus est, continuò summæ religionis virum euocans Maurum, cum consilio totius congregationis, legatis eum ipsius assignauit præsulis, dans illi socios & cooperatores, Simplicium, & Antonium, ac Constantinianum: me quoque laboris eorum & peregrinationis, non dico operum perfectorum, comitem deputans. Ego itaque cùm longè post transitum egregij confessoris Christi Benedicti magistri nostri, operum mirabilium patratoris sepulto iam beatissimo Mauro, & duobus comitibus nostris, Constantiniano scilicet & Antonio, ad nostrum monasterium vltimam iam penè agens ætatem, vnà cum Simplicio, iuxta mandatum beati Mauri fuissem egressus, compulsus ab omnibus fratribus congregationis Cassinensis cœnobij, de quo profecti fueramus, & præcipuè à religiosissimo viro, ac cum honore nominando Theodoro, qui tertius post sanctæ memoriæ Valentinianum prolixiori tempore Lateranensis [g] congregationem rexit monasterij, historiam de vita & conuersatione, siue etiam de profectione eiusdem beatissimi Mauri, necnon etiam de constructione cœnobij, quod, Deo se iuuante, strenuè atque comptissimè ædificauit, quin & de miraculis, quæ per illum Dominus ad laudem & gloriam nominis sui operari dignatus est, quæ & nos ipsi coram positi, oculis nostris inspeximus, altius & ab ipsa eius repetens natiuitate, scribere sum aggressus, ad omnium ædificationem monachorum. De veritate porrò gestarum rerum & narrationis, neminem ambigere suadeo, quia

[g] Monasterium Lateranense.

multo

multo melius esse de toto silere scio, quàm aliquid mendosum effictumque narrare. Deniq; [a] hoc opusculum beatissimo Papæ Bonifacio ostendi. Quod ipse sanctissimus Pontifex approbans, laude dignum duxit, suaq; sancta authoritate roborauit.

[a] Historia hæc à summo Pontifice approbata.

DEPRECOR autem eos, qui hoc ad legendum sumpserit, nè rustico incultoque conscripta stylo fastidiant, sed potius veniam mihi tribuant: qui quamuis imperitus existerem, ac nullius prærogatiua literariæ artis, qua inniti valerem, esse instructus, ea tamen, quæ per seruum suum Dominus operari voluit, & quibus ipse interfui, silentio non sum passus abscondi: præsertim cùm ad hæc exaranda, quoquo modo possem, tam fraterna charitate & deprecatione, quàm non paruipendendo sanctorum virorum sim prouocatus imperio.

I. BEATISSIMVS igitur [b] Maurus, clarissimo senatorum genere, patre Eutychio, matre verò Iulia exortus, duodennis [c] sanctissimo Benedicto, omnipotenti Deo sub regulari nutriendus institutione à parentibus est traditus. Qui cùm adhuc iunior bonis polleret moribus, sicut etiam ipsi vidimus, & frequenter experti sumus, magistri cœpit adiutor existere, ac eius miraculorum cooperator esse. Hunc sanctissimus Benedictus præ omnibus semper charius dilexit & instruxit, atque ita in omnipotentis Dei informauit seruitio, vt nemini post ipsum in cœnobiali sacrosancta obseruatione fuerit secundus. Quis enim vnquam austerius corpus proprium ieiunijs, abstinentia ac vigilijs, squaloribus quoq; & nimijs edomuit frigoribus? Frequenter [d] enim eum vidimus in diebus sanctæ Quadragesimæ nec tunica, nec cuculla, nisi solùmodò sacco vti cilicino, & duabus tantummodò vicibus in hebdomada paruissimum potiùs prægustare, quàm sumere cibum. Iste [e] quippe mos in omni vita sanctissimo fuit Benedicto: cuius ille exemplo prouocatus, afflictione perualida carnem macerabat, inquantum illi eiusdem patris sui permittebat licentia. Nam reliquo totius anni tempore, sub monachali tunica, sempet asperrimo à scapulis vsque ad renes induebatur trogulo, eiusdem subtegminis in stratu, super aggestum calcis & sabuli, tantummodò excepto Quadragesimali tempore, vsus est cilicio. Tunc [f] enim, inquantùm poterat, solicitè satagebat, non iacendo, sed potius stando, vel cùm nimia eum lassitudo compulisset, sedendo somnum capere. Nemo [g] illum vnquam vidit de lectulo cum cæteris surgere fratribus, sed semper nocturnos vigilando præuenire hymnos attentius procurabat, plerumque quinquagenos, sæpè etiam centenos psalmos: nonnunquam verò totum ex ordine Psalterium ante nocturnalem consummans synaxim, excepris duntaxat horarum spatijs, quibus orationum, lachrymarum, ac creberrimorum profundebat preces singultuum. Silentio [h] verò ac lectioni ita assiduè vacabat, vt pro hoc etiam ipsi sanctissimo Benedicto admirabilis haberetur.

[b] Eutychius pater S. Mauri parentes.
[c] Duodenis traditur monasterio anno 523. vti ex veteri chron Casinensi, refert Leo Ostiensis, consentiente Baron. to. 7 Annal. vide S Greg. Dialog. l. 2. c. 3.
[d] Nota vestem & abstinentiam sancti viri.
[e] Item S. Benedicti.
[f] Item stratum & somnum.
[g] Item vigilias & preces.
[h] Silentium & lectionē.

II. His ergò alijsque, quas enumerare longissimum est, eo succrescente virtutibus, sanctissimus de illo Benedictus plerumque in conuentu fratrum, suppresso eius nomine, quasi de alio loquebatur, iunioribus & negligentioribus illum proponens sequendum. Vidimus, aiebat, nostra ætate quendam strenuissimæ nobilitatis iuuenem, infra annos adolescentiæ, ita omnis monasticæ religionis subitò arripuisse perfectionem, vt alicui ex prioribus similis, imò æqualis per omnia dignissimè iudicetur. Sed licet hæc beatissimus, Deoque dilectissimus Maurus, ac nonnulli ex fratribus, de eo sanctissimi ore Benedicti proferri scirent, nunquam tamen ille pro hoc, vitio succubuit [i] iactantiæ, ardua semper, & sanctiora appetens, ac toto conamine de virtute in virtutem proficere studens.

[i] Humilitas S. Mauri.

III. DVM quodam tempore sanctissimus Benedictus, à quodam nobilissimo secundùm seculi dignitatem viro, exoratus fuisset, vt ad domum eius dignaretur per semetipsum accedere, quò vxorem eius & filium, quem nuper enixa fuerat, à dæmonio, quò grauissimè pariter vexabantur, suis sanctis meritis & orationibus liberaret, & sanctus Domini pro eo, quòd ei familiaris pro aliquibus operibus, ab eo religiosè gestis, existeret, ire non distulisset: beatissimus Maurus, qui tunc in monasterio nostro, imperio sanctissimi Patris nostri, præpositi ac totius cœnobij procuratoris & administratoris post ipsum fungebatur officio, cum fratribus ad fruges colligendas, longiusculè à monasterio est egressus: A quo opere dum ad sextam refectionis horam cum eisdem fratribus rediret, antequam ad portam ventum fuisset monasterij, claudum quendam & mutum puerulum inuenit in itinere. Cumque pater & mater pueri, eius pedibus prouoluti, & cum clamore valido & lachrymis terribile nomen Dei obtestantes, vt filium suum eis sanum redderet, genua eius firmissimè vtrisque constringentes manibus, precarentur, refugit pauore nimio tale attentare miraculum, se peccatorem esse, nec talis vllo modo operis effectorem vociferans posse fieri: maximè, inquit, cùm hæc sanctorum Apostolorum sint opera, aliorumque perfectorum, qui eorum exempla credendo & imitando sectantur.

IV. Nos ergò hæc ab eo dici audientes, simul & perfectissimam Deoq; acceptissimam ad talia peragenda eius vitam & meritū sufficere cognoscentes, iuncti parentibus pueri, pro restitutione ægroti eum rogare cœpimus. At ille, vt erat pijssimus, lachrymis perfusus, atque in oratione prostratus, postquam diutissimè orauit, [k] stolam cum qua eodem anno, iubente Benedicto, beato magistro suo, ordinatus ad ministerium fuerat Leuiticum, & quam iuxta morem, gratia sanctitatis primo indesinenter ferebat anno, de sanctissimo collo suo protulit, & super caput infirmi, crucis signum faciens, posuit, & ad cœlum oculos erigens, dixit: Domine Iesu Christe, qui discipulis tuis polliceri dignatus es, dicens: Amen dico vobis, quia omnia quæcumque orantes petieritis, credite, quia accipietis, & venient vobis: ostende etiam nunc, quia nos serui tui, exigui licet & peccatores, in te & in verbis tuis sanctis, prout ipse largiri digneris, eandem fidem habemus, Et [l] hæc dicens: ait ad debilem: In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis sanctissimi adiutus meritis magistri, sta sanus & incolumis super pedes tuos rectus. Et continuò sospitati redditus, cœpit rectissimè ante nos pergere, ac Dominum voce exultationis & laudis benedicere, dicens: Benedictus Deus creator omnium, qui me redintegrare dignatus est meritis sanctissimi serui sui Benedicti, per beatissimum discipulum eius Maurum.

[k] Nota ℣ hic de stola dicitur. *Marci 11.*
[l] Curat claudum & mutum puerū.

V. PERFECTISSIMVS ergo Benedictus, cùm reuersus ad monasterium, sanatis, pro quibus ierat, fuisset, nobisque narrantibus & laudantibus Dominum, ea quæ contigerant, comperissent, in magna deinceps admiratione ac veneratione beatissimum Maurum habere cœpit: nec iam loco discipuli censebat æstimandum, quem ita Deo proximum iam videbat effectum. Per idem tempus legati ad nostrum aduenerunt monasterium, missi à beatissimo [m] Bertigramno, Cenomanicæ ciuitatis Episcopo. Nam idem sanctissimus Pontifex, audita fama sanctitatis eximij Patris nostri, Flodegarium Archidiaconum, & Harderadum Vicedominum suum, strenuissimos scilicet atque clarissimos viros à latere suo cum magnis xenijs ad eundem Patrem nostrum transmisit, omnibus eum exorans precibus, vt illi perfectissimos dirigeret fratres, qui monasterium illi secundùm regularis ordinem obseruationis in fundo Ecclesiæ, quam regebat, ædificare deberent. Perfectissimus verò Pater noster, iuxta rationem & reuelationem, quæ in præfatione huius operis à nobis pleniter est exposita, quanquam finem dierum suorum iamiamq; sciret imminere, secundùm quod Spiritu sancto didicerat reuelante legatis supradicti Antistitis tam beatissimum [n] Maurum, quàm nos quatuor, quorum nomina procemio inseruimus, assignauit, præcipiens nobis, vt non minus ipsi beatissimo Mauro, quem nobis magistrum constituebat, quàm ei eatenus, in omnibus pareremus.

[m] Bertigrānus Cenomanensis Episcopus.
[n] Maurus mittitur in Gallias anno 20. postquam ordinem subijt, vt habet Baron. in Mar

VI. IAM verò quis dignè explicet, quantus mœror, quantusque luctus totam sanctissimam nostram subitò corripuit congregationem? Quia enim sanctus pater eis iam obitûs sui reserauerat diem, spes & consolatio totius congregationis in beatissimo Mauro pendebat, illum se patrem, illum se gaudentis post eius transitum habere rectorem. Sanctis-

tyrolog. qui est annus 543. secundum eundem Baron.

[a] Oratio S. Benedicti ad fratres. 1. *Corint.* 13.

Sanctissimus autem [a] pater noster tantis fletibus & suspirijs motus, omnem euocans congregationem, talem ad eos protulit orationem: Si tristandum, dilectissimi fratres ac filij, pro tali esset negotio, mihi magis, quàm vobis hinc esset mœrendum, qui quantum ad præsens, magnis videor destitui solatijs. Sed quia dicente Apostolo, Charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modo ea indigere cognoscimus, nec nostra tantùm, quàm aliorum, quærere. Quapropter vos amoris paterni solicitudine à fletibus & mœrore temperare deposcimus, quia potens est Deus meliores nobis post huius depositionē corporis, huic sanctæ immittere congregationi, quorum meritis & exemplis longè præstantiùs, quàm nostris, ædificemini. Sed & illud summoperè nobis est procurandum, ne versutia antiqui hostis, vndè alijs salus acquiritur, indè nobis tristitiæ malo detrimentum in aliquo ingeratur. Nos etenim, quos vnitatis semel in sancta charitate iunxit concordia, nunquam vel longissima diuident terrarum spatia: quoniam semper interioris hominis adspectu, qui renouatur secundùm imaginem eius, qui creauit eum, nos quoad vixerimus tempore, inuicem intuebimur. Vos autem fratres charissimi, quos ad opus Domini constituendum ad illas dirigimus partes, viriliter agite, & confortetur cor vestrum in sancto proposito & religione: proculdubiò scientes, quia quanto austeriora, causa salutis aliorum, in huius via sæculi pertuleritis, tanto maiora à Deo recipietis cœlestium gaudia præmiorū. Nec [b] vos vllo modo resolutio huius nostri mœstificet corpusculi, quoniam præsentior vobis, carnis deposito onere, ero, vestrique, Dei per gratiam, cooperator existam assiduus.

[b] Nota lector.

[c] Regula S. Benedicti.

Et hæc dicens, dans osculum nobis, prosecutusque nos cum omni congregatione vsque ad ostium monasterij, osculatis rursum nobis, ac benedictione super nos tradita, dedit sanctissimo discipulo Mauro [c] librum regulæ, quem ipse sanctus manu sua scripserat, proferrique iussit pondus libræ panis, & vasculum æneum, vini heminam capiens, & ita nos siuit abire: dans mandatum missis supradicti Præsulis ad eum Pontificem, vt sua vice paterno affectu nos suscipiens tractaret, ac nobis aptum locum ædificandum, sicut pollicebatur, cœnobium traderet.

VII.

[*] *Euchelia.*

[d] Preces nocturnæ.

Igitvr nos quinta Epiphaniorum sabbathi iter arripientes, primam mansionem in possessione nostri monasterij in villa, quæ [*] Euchæia nuncupatur, habuimus. Quò aduenientes, honorificè satis à duobus fratribus nostris, Probo videlicet & Aquino, suscepti sumus, quos sanctus pater noster huius rei gratia pridiè illuc direxerat. Ea nocte celebrantibus [d] nobis nocturnale officium, aduenerunt illuc duo nihilominus ex fratribus nostris, Honoratus beatæ recordationis vir, ac Felicissimus egregiæ indolis adolescens, consobrinus sancti Mauri, missi à sanctissimo Patre nostro Benedicto. Quos vt vidimus, gaudio non modico gauisi sumus, certum tenentes apud nos, aliquid magni de parte eiusdem Patris nostri nos ab eis vel audituros, vel percepturos. Nec nostra frustrati sumus æstimatione. Nam vt completis hymnis matutinalibus in vnum conuenimus, Honoratus monachus magnifica à pectore suo beato Mauro protulit munera, capsulam scilicet eburneam, & paginulam Epistolæ, breuia quidem continentem verba, sed amore prophetiæ, & sanctæ charitate dilectionis grauida satis ac desiderabilia, quæ idem sanctissimus Benedictus ipsi deportari antequā de loco egrederemur, perniciter iusserat. Siquidem tres portiunculas ligni salutiferæ Crucis, [e] & reliquias, sanctæ Dei genitricis, sanctique Michaëlis Archangeli, ex pallio lo sanctæ scilicet eius memoriæ, Stephani quoq; protomartyris, ac beati confessoris Christi Martini, in ipsa posuerat capsula.

[e] Non temerè vir sanctus suis mittit reliquias.

VIII.

[f] Nota vim sanctarum reliquiarū

[g] Prophetia S. Benedicti

Textvs verò epistolæ, quam & consepelire sibi amore Patris sui beatus iussit Maurus hæc continebat: Accipe, dilectissime, [f] extrema institutoris tui dona, quæ & longum nostrum testentur amorem, & tibi ac commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicenorum decursionem annorum, ex quo monasterialem adisti perfectionem, in [g] gaudium Domini tui es introducendus, vt nobis Dominus hosterno die, postquam à nobis digressus es, ostendere est dignatus. Prædico etiam tibi, moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos pro his, quæ & Deo ordinante perficientur, & quæ inimicus humani generis molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordis Dei vobis deerit, sed potiùs, differendo licèt, ac desiderium animi vestri in longum experiendo, aliorsum quàm sperauimus, aptissimam dignabitur largiri mansionem. Iamque valeas fælix in profectione, fælicior futurus in peruentione. His beatus Maurus recitatis, & abundantissimè pro his, quæ & merebatur, & præmonebatur, hilaris effectus, ad Patris Benedicti præsentiam eosdem cum gratiarum actione remittit fratres, adolescenti iam dicto Felicissimo, quinquies siue septies perfectiori normæ religionis operam dare inculcans.

IX.

Porro nos cœptum iter carpentes, quinquagesimoquinto die Vercellas aduenimus. Quo in loco dum biduo ab ipsius ciuitatis clericis detenti fuissemus, qui nos plenissima receperant charitate, prophetia sanctissimi Patris nostri impleri iam in nobis cœpit. Supradictus n. Harderadus per gradus cuiusdā altissimæ ac mirificæ turris deambulās, ac impediente satana deorsum præceps ruens, ita totō corpore debilis, immò penè exanimis, ad nostrum non aliter, quàm in linteo, deportatus est diuersorium, vt omnes de eius vita desperare cogeremur. Quæ res grauissimam nobis, & præcipuè Flodegario Archidiacono, tristitiam intulit. Nam quatuordecim dies ibi morati sumus, in quibus irremediabili ac deteriori semper idem vir attritus est dolore, adeò vt dextera scapula eius cum brachio & manu, inflatione nimia intumesceret, & medicus iam ad secandum eum solicitè inquireretur. Illucescente ergò crepusculo tertiædecimæ dici, quo ibidem aduenieramus, Flodegarius nullo modo se ferre posse vt secaretur, affirmans: oratorium, in quo beatus Maurus orationi vacabat, concitus irrupit, pedesque eius vtraque constringens manu, ac lachrymis vbertim perfundens, osculaque figens frequentiā, deprecari eum & obtestari cœpit, vt suis precibus infirmo subueniret, opem sui adiutorij illi ferendo, nec sineret eum ferro sectionis, & igne vstionis, acerbissimo cruciatu tormentari, quem sciebat eius interuentu facilè posse saluari.

X.

[h] In modū crucis prostratus erat

[i] Ecce quanta virtutis est gloriosum lignū viuificę crucis.

Beatvs verò Maurus tam miseratione infirmi, quàm profusione deprecantis lachrymarum, quamque etiam itineris retardatione ad fletum vsque permotus, antè altare in orationem se dedit, & diutissimè orationem precibus, suspirijs ac singultibus aures vicinæ sibi supernæ pietatis pulsans, cùm à loco, quo [h] in modum crucis prostratus iacuerat, surrexisset, accipiens desuper altare capsulam reliquiarum, quam illi beatus magister suus direxerat, assumptis etiam nobis, ad lectum pergit ægroti. Ibique rursum oratione præmissa, salutiferum retegit lignum, & de eo à scapula vsque ad vngulas manuum ex omni parte signum crucis faciens, dixit: Deus omnium conditor creaturarum, qui ad restaurationem humani generis vnicum filium suum, operante Spiritu sancto, ex Maria semper virgine incarnari cōstituit, qui per hoc sacrosanctum ac glorioſum viuificæ crucis lignum, vulneribus & languoribus animarum nostrarum, nos redimendo, subuenire dignatus est, ipse te [i] per virtutem vitalis ligni huius ad pristinam reducere dignetur sanitatem. Hæc cùm beatus orâsset Maurus, continuò per tria loca omnis excoctio sanguinis, qua brachium totum intumuerat, vehementer decurrere cœpit. Erat autem ipse Harderadus nobilis quidem secundùm sæculi dignitatem, sed nobilior, prout sæculari possibile erat, in omni religione.

XI.

Flodegarivs deniquè viso tanto miraculo, nullo modo se à fletibus præ gaudio poterat temperare, Deum assidua magnificans collaudatione, & sanctissimum patrem nostrum Benedictum frequentissima extollens veneratione, qui tales habere ac nutrire dignus fuerit discipulos, per quos talia Domino operari sit placitum. Fit continuò concursus totius suburbani populi, fælicem se vnusquisque fore existimans, si beatum Maurum vel videre contigisset. Ipse verò non suam, sed patris, qui in cœlis est, semper gloriam quærens, adspectus se videre quærentium fugiebat, dicens:

Hoc

Hoc quod per lignum redemptionis nostræ diuina perficere voluit maiestas, redemptori magis omnium est asscribendum, quàm homini: quanquam sanctissimi patris nostri Benedicti merita, vt id efficeretur, obtinuisse, nulli dubiũ esse possit. Ægerigitur noster penè iam incolumis effectus, beatum deprecatus est Maurum, vt sequenti etiam die ab ipsa non egrederemur vrbe, quousq; ille per omnes orationis domos, quæ ibidem constructæ erant, vota piæ laudationis & sacrificium veræ confessionis, pro reddita sibi persoluere Domino posset sospitate. Quod beatus libẽtissimè annuit Maurus: valdè enim eum diligebat, pro eo maximè, quia religionem ordinis nostri ab eo præferri videbat.

XIII. QVINTODECIMO demùm die vrbem illam relinquentes, ac dispositum iter accelerare festinantes, cùm iuga alpium media ferè transiremus die, famulus noster, nomine Sergius, de equo, cui insederat, super immane sinistrorsus cadens saxum, pedem sibi concitè resurgere volens, ita atterens extorsit, vt ossa omnia in vnum coadunata, non iam speciem pedis, sed similitudinem alicuius præfigurarent teretis. Qui nimio affectus cruciatu, [a] cùm frequenter vitali quasi carere videretur flatu, beatissimus Maurus ad eum accedens, sinistraque manu collisum eius apprehendens pedem, & dextera super eum signum crucis faciens, ait: In nomine Dei omnipotentis, qui sua virtute soluit compeditos, surge sanus, & prouide ministerium obsequii seruorum Dei, ad quod peragendum à beatissimo patre nostro nobis es assignatus. Qui ilicò sanissimus effectus, gaudium nobis lætitiamque suscitauit non modicam.

[a] Signo crucis manu impresso, collisum pedem Sergii Maurus sanat.

XIV. EXINDE cùm Ecclesiam preciosorum martyrum Christi Mauritij & sociorum eius gratia orationis omnes simul fuissemus ingressi, cæcus quidam ex matris vtero, pro foribus eiusdem basilicæ sedens, & ab intrantibus ac egredientibus quotidianum mendicando victum deposcens, comperit à sociis itineris nostri illic Maurum aduenisse discipulum sanctissimi Benedicti, cuius fama sanctitatis iam vbique percrebuerat. Cumque oratione completa ostium basilicæ egressi fuissemus, cæcus idem in pauimento toto prostratus corpore, deprecari & obtestari beatum Maurum cœpit, dicens: Adiuro te Maure serue Dei per hos preciosissimos Thebææ legionis martyres, & per venerabile magistri tui nomen Benedicti, vt sanctis tuis precibus oculorum mihi lumen conferri obtineas à Domino. Sanctus ergò Domini hoc audito, parumper figens gradum substitit, eumque de pauimento surgere præcepit. Cumque stetisset ante illum, interrogauit eum, dicens: Dic mihi homo, quantũ temporis iam emensum est, ex quo hæc sancta sanctorum adisti limina? Qui respondit, dicens: Vndecimus penè iam elabitur annus. Et sanctus Domini ad hæc ait: Nunquid si voluissent hi sanctissimi, ac Deo charissimi martyres, qui corpora sua sancta pro Christo gladiatoribus perimenda exposuerunt, vt animas pro ipso ponerent, lumen oculorum tibi à Domino dari impetrare non potuissent? Istos itaque attentius exorando deprecare, quorum magis hæc, quàm nostra sunt opera, & quorum ipsi non minus cæteris [b] indigemus suffragijs. Et hæc dicens, cœpit abire. Cæcus verò quædam horrenda & pauenda vociferando inclamare sacramenta non intermittebat, vsquequo sanctus vir, nobis etiam compellentibus, fedibus oculorum eius, quibus eatenus lucicomi solis non splenderat claritas, lachrymis madefactis, dexteræ manus suæ impressit digitos, cæloq; aliquantisper intendens, ac super eos [c] signum nostræ redemptionis edens: Dominus, ait, & Saluator noster Iesus Christus, qui est vera lux, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ipse te per inuocationem sui nominis, & merita horum beatorum sanctorum, ac magistri nostri Benedicti, illuminare dignetur, vt videns mira opera altissimi, quibus distinguere mundanæ voluit formam creationis, ipsum conditorem horum ac restauratorem nostrum voce exultationis, & opere veræ credulitatis collaudes.

[b] Sãctorum suffragiis indigemus.

[c] Signũ nostræ redemptionis edit in oculos.

XV. HÆc cùm orasset sanctus vir, [d] statim sanguis vbertim ob oculis eius defluere cœpit, & continuò clarissimis luminibus sphæram solis respectans, hymnum trium puerorum ex ordine decantare clara voce cœpit. Vocabatur autem vir ipse Linus: qui, vt ab ipso comperimus, tam psalterium, quàm omnia & diurna & nocturna audiendo didicerat officia. Habitatores autem loci illius, videntes tale miraculum per B. Maurum celebratum, simul in vnum conglobati, deprecabantur eum, vt benedictionem suam super eos daret. Quibus ipse hac tantum respondit voce: Benedicat vobis Dominus Deus vester, qui habitat in Sion, vt videatis bona eius, quæ sunt in Hierusalem, omnibus diebus vitæ vestræ. Deditq; mandatum illi, qui illuminatus fuerat, vt nunquam iam ab ipsa ecclesia discederet, sed iugiter ibi Domino ac sanctis martyribus deseruiret. Quod ipse postea deuotissimè impleuit. Cùm enim post transitum b. Mauri ad nostrum reuerteremur monasterium, clericatus eum functum officio in ipsa inuenimus ecclesia, & decrepitam iam agentem senectutem.

[d] Cæcus videt.

XVI. INDE igitur egressi, cœptum iter exequi attentius conabamur. Cumque nocte quadam iuxta ecclesiam sanctæ Deigenitricis & semper virginis Mariæ, iam in locis hospitaremur virentibus, & mulier quædam vidua Remeia nomine, quæ in contigua nobis manebat domo, filium suum iam adolescentem, quem ex defuncto nuper viro suo susceperat, quique iam vltimum trahens flatum, vicinam in lecto iacens operiebatur mortem, insomnem plangendo & eiulando duceret noctem, vir Domini Maurus more sibi solito, nobis quiescentibus, ipsam ecclesiam, vota Domino precum ac supplicationum vt redderet, ingressus est. Cum verò iam vigilia propinquaret matutina, & mulier nec momento quidem à plangoribus & eiulatibus cessaret, vir Domini tenerrimè motus ad pietatem, se cum lachrymis Domino prostrauit, & vt miseræ mulierculæ misereri dignaretur, filium suum illi restituendo incolumem, precabatur. Cumque ab oratione surrexit, cellulam, in qua dormiebamus, latenter introiens, Simplicium monachum cautè tetigit, annuens illi, vt cautius surgens se sequeretur. Ille autem mox eum in Ecclesiam sequutus, attonitus quid ei vellet iubere, expectabat. Sanctus verò Domini accedens ad illum, ait: Doloribus huius infelicis mulieris animus meus nimia compatitur teneritudine. Quapropter plena fide ad lectulum simul accedamus iacentis: forsitan recuperabit illum superna dignatio. Veniens ergò ante stratum penè iam exanimis cadaueris beatus Maurus vnà cum Simplicio, ait: Christus Dominus & Saluator noster, vnica spes & consolatio dolorem patientibus & perferentibus, qui misericordia motus super viduam, filium eius extra portam elatum, intuentibus populorum exuscitauit turbis, eadem nunc pietate, & huic adesse dignetur mulieri, filium eius restituendo incolumem. Et hæc dicens, abscessit. Ille verò, qui duobus iam diebus sine sensu & voce iacuerat, matrem suam vocare ac consolari cœpit, dicens: Noli mater flere, quia lachrymis cuiusdam serui Dei, quas fudit tuo compatiens dolori, vitæ ac sanitati ab ipsis Auerni faucibus redditus sum. Cui cùm illa diceret, Ecce [e] in hac nostra basilica cum aliis eiusdem habitus viris matutinos decantat hymnos: ille ac si nihil incommodi pertulisset, de lecto continuò surgens, ecclesiam intrauit, & absque hæsitatione sanctissimum adiit Maurum, vociferans & dicens: Verè tu idem ipse es, qui me tuis lachrymis & meritis à tribunali, de quo tristem exceperam sententiam, qua iam incendiosis deputatus eram locis, ad superos reuocasti. Fama huius facti totam continuò repleuit regionem. Ruunt præcipites nobis obuiam viri cum mulieribus, senes cum iunioribus, laudes Domino vndique concrepantes, qui taliter mirificat sanctos suos. Vocabatur autem idem adolescens Eligius, qui postea (vt nobis relatum fuit) in monasterio Lirinensi monachus est effectus.

Luca 7.

[e] Ecce hora matutin. in obseruatione etiam apud antiquos.

XVII. NOS itaque cùm iam appropinquante solennitate [f] Paschali, quotidiè profectionem accelerarẽmus, eo die, quo Dominica celebratur cœna, in pagum deuenimus Antisiodorensem. Audiens autem beatus Maurus opinionem sancti Romani monachi, qui beatissimo patri nostro Benedicto in initio adiutor & cooperator extitit, vt in historia vitæ eius plenissimè inuenitur, quique per reuelationem Gallias petens, cœnobiolum in eodem pago, in loco, qui Fons rogi nuncupatur, ædificabat, petiit duces itineris nostri, vt eò diuertentes, ibidem sacrosanctũ Pascha celebraremus.

[f] Paschalis solennitas.

Hoc

Hoc autem beatus Maurus maximè idcircò expetebat, quia & sequenti die transitum sanctissimi magistri nostri complendum esse sciebat, & colloquio beati Romani monachi desiderabiliter frui cupiebat. Ductores verò itineris nostri, petitionibus viri Dei libenter annuentes, concito gressu illuc tendere festinârunt.

[a] Parasceue, eius solẽne officium.

VIII. Die itaque [a] parasceue hora illuc sexta peruenientes, deuotissimè à beato Romano susceptí sumus. Cumque omnes nos, qui cum beato Mauro pergebamus, ad ea, quæ opus ad diem festum erant, præparanda vel emenda occupati essemus, ipsi sanctissimi viri dulcia inuicem perennis vitæ ferebant colloquia. Et cùm iam vespertina hora post solenne officium, quod specialiter, vtpotè annuatim, eo celebratur die, appropinquaret, vir Dei sanctus Maurus beato Romano dixit: Crastina die beatissimus Pater noster Benedictus, terreno depositio corporis onere, cœlestem gaudens & hilaris scandet ad patriam. Quod audiens sanctus Romanus, ilicò in lachrymas resolutus, flere inconsolabiliter cœpit. Quem beatus Maurus consolari cupiens, aiebat: Gaudere potiùs, quàm flere ideò debemus, quia & patronum magnum præmittimus, & [b] præsentiorem eum nunc, quam si carne viueret, sumus habituri. Hæc tamen dicens, nec ipse à fletu se poterat cohibere. Noctem [c] verò illam, quæ duodecimo Calendarum Aprilis habebatur, & qua sacratissimum vigiliarum Paschæ illucescebat sabbathum, tam beatissimus Maurus ac nos, qui cum eo ibamus, quàm sanctus Romanus cum aliquibus discipulis suis, ieiuni peruigilem duximus vnusquisque nostrûm secretò apud se, vt in illis diebus in Ecclesia Romana mos erat, psalmos & orationum preces deuotè pro exitu eiusdem patris nostri Deo dilectissimi Benedicti consummantes.

[b] Nota de sanctorum præsentia

[c] Mendum in hunc locum actorũ S. Mauri irrepsisse docet Bar. tom. 7. ad an. 543. quod obitum S. Benedicti auctor constituat, cum contigit celebrari Pascha 12. Kal. April. quod ex tabulis astronomicis non inuenitur accidere potuisse nisi anno 603. cum ex Dialogis S. Gregorij constet, eum longè ante illa tempora obijsse, fueritque 603. annus vltimus S. Gregorij, qui 4. Pontificatus sui anno, anno scilicet 593. libros Dialogorum, in quorũ secundo, vitam & obitum S. Benedicti recenset, scripsit. Vide Bar.

IX. Cvm verò transacta iam hora quasi tertia ipsius sacratissimæ diei, beatissimus Maurus in Ecclesia consideret, vt transitum eius, qualicunque eueniret hora, orando & psallendo præmunire, longè licet positus, satagaret, seque pauimento in orationem dedisset, raptus spiritu, subitò se transpositum in loco, de quo egressi fueramus, vidit, conspexitque viam pallijs stratam, ac innumeris cornscam lampadibus, recto Orientis tramite, ab eius cella in cœlum vsq; tendentem. In qua etiam [d] visione duos congregationis nostræ fratres socios habuit, cum quibus simul eandem visionem conspexit. Itaque cùm viam, quam cernebant, mirarentur attentius, venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Quod illi se nescire professi sunt. Quibus ille ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Hanc visionem vnus ex illis duobus fratribus nostris, qui eam simul cum beato Mauro viderunt, in nostro morabatur cœnobio: alter verò, vt [e] beatus Gregorius scripsit, longius positus vidit.

[d] Visio S. Mauri.

[e] In vita S. Benedicti.

X. Mox verò vt beatus ad se reuersus est Maurus, ocyus sanctum Romanum ac nos euocans, cuncta quæ viderat, lucidè nobis per ordinem retulit. Diem illam, & sequentem Dominicam, qua specialiter resurrectionis Dominicæ celebratur dies, solennem & celebrem cum omni gaudio ac lætitia peregimus. Secunda autem feria festiuitatis ipsius, antequam proficisci cœpissemus, sanctus Romanus beato Mauro dixit: Si absque animæ periculo locum hunc deserere potuissem, melius tecum, amantissime frater, cuperem habitare, quam alicubi finem vitæ terminare. Sed quia & hos deserere periculosum est, & vltimus mihi iamiamque imminet dies, perge felix, quò mitteris, ac prosperè felici vtere sorte: Deus autem omnipotens semper sit tecum, & cum fratribus, qui tecum pergunt, & recto itinere perducat vos ad veram repromissionis terram, quã omnibus electis suis polliceri est dignatus: vbi præparauit eis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, nisi in illorum, qui terrena omnia amore eius proterentes, ac desiderio cælestium abdicantes, dicere cùm Apostolo valent: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.

1. Corinth. 2.

Ibidem.

XI. Ex eo loco recto calle Aurelianis cùm venissemus, grauissimus ductor itineris nostri mœror inuasit. Audierunt siquidem, certis deferentibus nuncijs, beatum Bertigramnum Episcopum iam migrasse ad Dominum, aliumq; in loco eius iam substitutum pontificem. Hoc autem cùm beato Mauro ac nobis intimassent, magno tædio deficere cœpimus, nescientes quid facere deberemus. Sed beatus Maurus, memor prophetiæ sanctissimi patris nostri, qua nos cum difficultate licèt, aptum locum inuenturos esse prædixit, deiectos animos blandis consolationibus ac promissionibus roborabat, dicens: Nolite, fratres dilectissimi, in præsenti afflictione animos ita tristitiæ subdere: quoniam & Deus tribulationem patientibus eos releuando, præoccurrere consueuit, & precibus beatissimi patris nostri adiuuabimur, qui se nobis semper præsentem & cooperatorem adesse pollicitus est. Nam & Abraham Patriarcha imperio Dei egressus de domo & de cognatione sua, terram peregrinationis suæ postea in posteris accepit in hæreditatem. Itaque & nos nostræ congaudentes peregrinationi, expectemus, vt deuotissimi serui, consolationem Domini, & per omnia vestigia patris nostri sanctissimi Benedicti imitari satagamus, qui relicta domo & rebus patrijs, & ad vltimum nutricem suam occultè fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à [f] Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos & primos Apostolos vnquam fuerit secundus: sed potius, Deo se iuuante, tot sanctorum extiterit fundator cœnobiorum, tantaq; Domino acquisiërit millia perfectorum monachorum.

Genes. 12.

[f] Excellẽtia S. Benedicti

XII. Hac itaq; exhortatione beati Mauri aliquo modo confortati, tractare simul cum ductoribus nostris cœpimus, quid potissimum nobis esset agendum. Tunc nobilissimus vir Harderadus cùm ad latus beati resideret Mauri, ita exorsus, talia proferre cœpit: Dignum mihi atque conueniens, pater sancte, ac religiosi fratres, esse videtur, vt nos, qui legatione huius rei functi sumus, propter quam tot ac tanta perlustrantes terrarum spatia, laborem hunc iussu nostri pontificis assumpsimus, istum nouum atque incognitum nobis adeamus antistitem, & causam itineris nostri notam illi ex ordine facientes, voluntatem eius super tali negotio rescire valeamus: simul etiam & nostri solicitudinem apud eum gerere nos oportet. Tu verò pater venerande cum fratribus, quos tecum habes, nostrũ ad vos hîc expectare reditum debes, qui infra octo, vt reor, consummabitur dies. Etenim si ille hoc, quod beatus decessor suus implere cupiebat, facere renuerit: alia procul dubiò reperietur via, quô id, ad quod missi estis, cum superno auditorio perficere valeatis, nè frustra tanti laborem itineris assumpsisse videamini.

[g] S. Maurus cum socijs suis hæret Aureliæ.

XIII. His dictis, aptissimam [g] mansionem nobis in eadem vrbe iuxta Ecclesiam beati Petri Apostoli assignauerunt, deputatis ad custodiam nostri, quos honoratiores in suo habebant famulatu: simul præcipientes eis, vt non minus obsequijs tam beati Mauri ac nostris, quàm illorum solicitè inuigilarent. Hæc itaq; honorificè cùm ordinâssent, cum benedictione sancti Mauri profecti sunt. Cumque Cenomanis venissent, & Episcopo nuntiati fuissent, honorificè ab eo susceptí sunt, atq; in proprijs restituti officijs, amplificaris sibi etiam ab eodem præsule priorum possessionum honoribus. Sed cùm causam legationis suæ ei narrâssent, ac quid ipse super hac re vellet, inquirerẽt, respondit se proprijs magis, quàm aliorum, velle insistere cœptis, nè super alienum videretur ædificare fundamentum: præsertim, inquit, cùm incumbat nobis nunc ordinatio ac dispositio tam propriorum negotiorum, quàm & Ecclesiarum peruigil solicitudo. Hoc autem agebatur secundùm dispositionem occulti consilij Dei, qui locum, quem beati Mauri magisterio, atque institutione doctrinæ regularis sublimandum esse decreuerat, nullo modo obtentu alterius differri vel ad modicum volebat loci. Siquidem locus ille, qui à beato Bertigramno ad construendum cœnobium prouisus ac delegatus fuerat, non admodum aptus vel congruus regulari erat religioni, vt nobis nostri dicebant ductores: nam ex ipso nomine, quo Rumpiacus vocabatur, deformis à nobis & scabrosus æstimabatur. Harderadus proindè certissimè compe-

comperiens, quod [a] Domnolus Episcopus nihil de hac rè facere vellet, lætissimus effectus, licentiam ab eo ad nos reuertendi petijt. Qua sibi concessa, nepotem suum strenuæ iuuentutis virum, nomine Hademarum, beato transmisit Mauro, mandans illi, vt nullo modo mœstum gereret animum, sed quantocyùs posset cum omnibus, quos cum eo dimiserat, ad Andegauensem ire festinaret regionem, quò ille nobis se occurrere per nuncium designauerat. Cùm itaque tam beatus Maurus, quàm & nos omnes, qui cum eo remanseramus, alacriores tali effecti nuncio fuissemus, decimo die, postquam Aurelianis ciuitatem fueramus ingressi, iter arripientes, tendere quò iussi fueramus, summoperè certabamus. Quinto tandem die ad locum, qui Restis nuncupatur, peruenientes, honorabilem virum Harderadum, & vxorem eius ac filios, aduentum nostrum iam per biduum ibi præstolantes, inuenimus. Qui cum honorificè nos recepissent, post abundantissimam, quam nobis præparauerant, refectionem, supradictus vir Harderadus cum coniuge sua, Cæcilia nomine, secretiorem expetens locum, adscito beato Mauro, omnia illi, quæ cum suo inuenerat Episcopo, per ordinem nunciauit. Et cùm beatus ei diceret Maurus: Quid nobis nunc agendum vir illustrissime, vel potius eligendum esse decernis? Ille amabiliter, vt vir iucundissimi erat vultûs, respondit:

[a] Domnolus Episcopus Cenomanensis.

XXIV. Est mihi consobrinus, nomine [b] Florus, magnis tam in his, quàm in alijs regionibus possessionibus pollens, qui primus inter primos totius regni Francorum proceres, decentissimè omnia iussus à Rege palatina disponit moderamina. Hic itaque ab ineunte ætate in sæculari licet habitu constitutus, omnipotenti Deo solicitè placere studuit semper. Cui ex amissa coniuge, quam vt acciperet, inuitum eum tam rex, quàm nostri coëgere parentes, vnus tantummodò supersest filius, qui si alicubi perfectos in hac religione posset inuenire viros, in sua propria possessione, quæ ei de paterna euenit hæreditate, monasterium construere desiderat, filiumq; suum ibidem Deo offerre cupit: ac sic demùm relictis omnibus, quæ sunt huius mundi, negotijs, Deo in eodem seruire, liber ex omnibus, optat cœnobio. Ad hunc ergò missum nostrum directum habeo, qui illi aduentus vestri causam pleniter enarrare valeat, vel si in deliberatione animi sui perseuerat, explorare. Nos tamen, si placet, vsquedùm aut ipse, aut ille, quem ei direximus, reuertatur, locum ipsum, de quo loquimur, inspicere & considerare habeamus. Hoc beatus Maurus audiens, gaudio gauisus est magno, & statim altera die cum eodem honorabili viro pergit ad considerandum locum.

[b] Flori insignis viri encomion.

XXV. Eo tempore [c] Theodebertus rex nobiliter regni Francorum apicem gubernabat. Cui supradictus clarissimus vir Florus ita familiaris & charissimus in omnibus erat, vt quicquid in omni ditione eius facere vellet, absque alicuius contradictione permissus à rege obtineret. Qui cùm relatu nuntij, quem ei Harderadus direxerat, tam beatum Maurum, quàm & nos cognouisset aduenisse, & quia Cenomanicus antistes nos recipere noluisset: ilicò accedens ad regem, causam ei aduentûs nostri pleniter narrauit, ac voluntatem suam, quam de ædificando cœnobio habebat, ei aperuit, petijtq; ab eo, vt nos ei permissu susciperet mereretur, quatenùs ei monasterium, sicut desiderabat, cõstrueremus. Cui [d] Theodebertus rex respondit, dicens: Non ita nobis hactenùs seruisti, vt aliquid tibi negare, aut contradicere possimus, vndè perge quantocyùs, & nostra comitatus gratia, ac roboratus authoritate, eosdè sanctissimos viros omni susci pe reuerentia, peragens cum eis desiderium, quod animo tuo superna inspirauit dignatio, simulque deprecare illos, vt pro nobis ac liberis nostris, populoque totius regni, à Deo nobis collati, ipsius assiduè exorare dignentur misericordiam: Paratissimos enim nos atque promptissimos in omni suo inuenient obtequio, si formam huius religionis ita ab eis obseruari compererimus, sicut iam fama vulgante, ab eorum magistro arduè satis eam traditam audiuimus. Tuum verò erit, artifices illuc ad operandum, vbicunque eos in omni nostra inueneris potestate, adducere & adunare, vt opus ipsum celeriùs possit expleri: nec nostra, iuxta voluntatem & consilium tuum, regia loco illi deerit largitas, si aptè eum constructum, & conuenienter perspexerimus ordinatum.

[c] Theodebertus Francorum rex.

[d] Eius erga sanctos monachos beneuolentia

XXVI. Talibvs ac tantis regis promissionibus nobilissimus vir Florus roboratus, concitus ad prædium possessionis suæ, quod Glannafolium dicebatur, aduenit. Cuius aduentu Harderadus audito, cum beato Mauro antè fores portarum in eius pergit occursum. Videns verò Florus beatum [e] Maurum humillimo monachali indutum habitu stantem, de equo, cuius tergo insiderat, perniciter desiliuit, ac tertiò antequàm ei appropinquaret, toto corpore in terram se prosternens, cùm ab eo humiliter receptus, ac modestè, vt didicerat, eleuatus fuisset, diutiùs se inuicem complexantes, ac alterutrum constringentes, lachrymas quoque præ gaudio inuicem effundentes, immorati sunt. Tunc deindè prædictus vir, osculatis nobis omnibus, apprehendens iterùm dexterã beati Mauri manum, & strictim eam exosculans, ait ad illum: Bene te venisse gaudemus serue Dei excelsi, & discipule sancti viri Benedicti, cuius honor & nomen, quod in sancta emeruit seruitute, penè iam omni sæculo innotuit: & benedictum nomen Domini glorioſum, qui te ac commilitones tuos, istos reuerendos viros, ad adiutorium nobis in istam misit prouinciam. Et hæc dicens, ducebat eum ad domum, præcedente nos Harderado, & filijs eius.

[e] Nota reuerentiam viri erga S. Maurum.

XXVII. Die verò alia cùm post matutinale officium in vnum conuenissemus, aperuit beato Mauro voluntatem suam, quam de constructione cœnobij habebat, simul & referens regis promissionem ac deprecationem, qua eum & pro se ac filijs, omniq; populo Dominum attentius implorare expetebat. Tunc beatus Maurus ait ad illum: Obseruatio ordinis nostri summam depoſcit quietem & securitatem. Quapropter si nobilitati generositatis tuæ videtur non esse contrarium, primùm omnium res, quas Deo, eiusque famulis tradere pro remedio, vt asseris, animæ tuæ desideras, simul perlustrantes inspicere debemus. Indè verò facto testamento, te tradente nobis coram testibus, recipere eas conuenit in nostram dominationem. Cui cùm assensum suum Florus præbuisset, ascensis equis post diem tertium, inspectis omnibus, ad supradictum reuersi sunt locum.

XXVIII. Tvnc clarissimus vir Florus scripto, iuxta consilium beati Mauri, testamento, tradidit ei omnia, & de suo iure in eius delegauit potestatem atq; dominium. Obtulit etiam ipso die Domino filium suum, nomine Bertulfum, [f] puerulum octo circiter annorum, nutriendum & instituendum doctrina & magisterio beatissimi Mauri, sicut & ipse à sanctissimo magistro suo Benedicto educatus in omni nostra fuerat obseruatione. Post cuius oblationem ait beato Mauro: In hoc sanctissime vir, & te, & qui tecum sunt, certos tam de hoc loco, quàm de rebus ibi à me collatis esse conuenit, cùm & filium meum seruitutem Deo per vestrum obtulerim magisterium: & meipsum, si vita comes Deo propitio fuerit, opusq; perfectum, relictis omnibus, quæ sunt huius mundi, in hoc eodem diuinis mancipandum seruitijs polliceor loco. Congregatis [g] igitur plurimis artificibus & operarijs, iactisque fundamentis, opus cœptum quotidiè certatim accelerabant. Sed quia paruus deorsùm super ripã fluminis erat locus (ex vna enim parte obiectu montis, ex altera verò Ligeris alueo angustabatur) in deuexo ipsius montis latere fabrica omnis ædificari cœpta est. Primùm ibi vnam non admodum magnam ædificauerunt orationis domum, quam beatus Maurus in honorem sancti Martini confessoris Christi consecrari fecit: In qua etiam Dei dispositione, & sua electione eum sepeliuimus. Nam sicut sanctissimus Benedictus in oratorio eiusdem beatissimi Martini, in quo destructa ara Apollinis, eius memoriam posuerat, se sepeliri iusserat: sic perfectissimus eius discipulus, nè vel in sepultura ab eius videretur discrepare qualitate, in domo eiusdem orationis se præcepit tumulari.

[f] Puerulus octênis offertur religioni.

[g] Constituitur monasterium S. Mauri.

XXIX. Prædictvs denique vir Florus, cùm Theodeberti Regis in omni regno summam obtineret potestatem, ac vice Comitis in Andegauensi eo tempore fungeretur pago, peritissimos vndique illuc conuenire fecit artifices, tam lignarios, quàm cæmentarios, quàm etiam in alijs doctos artibus. Cumque die quadam cum beato Mauro operarios

inſpiciens reſideret,& vir Domini lectioni econtra operam daret,ac interdum ea, quæ legebat,ipſi Floro exponeret: quidam Clericus, qui cæmentariæ arti præerat, & quem idem Florus de palatio regis ob hoc adduxerat, de altiſſimis gradibus, in quibus operarij ſtantes, altius iam porrectam ædificabant maceriam, retrorſum corruens,ſuper deportatum illuc montem lapidum cecidit.Cumque eum omnes mortuum crederent,ac de ſola eius ſepultura tractarent, pro eo maximè,quia per omnes corporis meatus ſanguis vndatim profluens egrederetur,vir Dei cum Floro aduenit, eumque continuò ad oſtium Eccleſiæ beati Martini deportari fecit. Cumque omnes abſceſſiſſent, ipſe in terram ſe ante altare [a] orationi dedit. Qua completa,egrediens & ſuper colliſa membra ſignum crucis faciens, ait: In eius nomine, qui corpus hominis de limo terræ formauit,& ſpiraculum vitæ ei inſpirauit, ſurge ſanus Langiſce,& perfice opus tuum quod cœperas. At ille ſtatim velut à ſomno ſurgens, mirari cœpit, quando illuc aduenisſet. Sanctus verò Domini ad eum ait: Non tuis huc pedibus, ſed aliorum delatus es manibus. Sed perge quantocyùs,ne fortè tua abſentia opus intermittatur. Illo itaque egreſſo,Florus,qui in parte cum Simplicio monacho ſtans, cuncta quæ vir Dei egerat,vidit,concito curſu aduenies,ſeque ad pedes eius proijciens,clamare cœpit: Verè diſcipulus es, ſancte Maure,beati Benedicti, de quo talia narrare frequenter audiuimus. Ex [b] illo die idem Florus, ita eum in maxima habuit admiratione, vt nunquam propius ei accedere auderet.

[a] Oratione & ſigno cruc cis Maurus colliſum ſanum reddit

[b] Nota reuerentiam.

ITAQVE cùm clericus, qui ſanatus fuerat, ad opus ſuum fuiſſet reuerſus, quidam ex operarijs beato Mauro detrahere cœperunt, dicentes eum non religionis obtentu, ſed gratia cupiditatis, quò honoratior in alijs eſſet regionibus, ſuum reliquiſſe monaſterium, & tam longinquas adîſſe terras, & hæc quæ faciebat, non virtute Dei,ſed potius quibuſdam obtinere præcantaminibus. Cùm [c] ergò hæc inter ſe ſermocinarentur,malignus ſpiritus tres ex illis ſubitò inuaſit,& ita grauiſſima vexatione atterere cœpit,vt vni ex illis,nomine Flodegiſo,animâ extorqueret. Quod vbi vir Domini, quid euenisſet, agnouit, vehementer flere cœpit: iterumque oratorium beati Martini ingreſſus,attentius Dominum tam pro his qui torquebantur, quàm & pro illo,qui mortuos fuerat, deprecabatur. Et cùm per tres continuas horas [d] orationi incubuiſſet, ad eos qui vexabantur, & ſe inuicem dentibus lacerabant, acceſſit,& ſignum crucis tertiò contra eos faciens, dixit: Filius Dei vnigenitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui diſcipulis ſuis poteſtatem dedit calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones terræ, & ſuper omnem virtutem inimici,ipſe vos abſoluat ab hac dæmoniaca vexatione. Et cùm adhuc dentibus frenderent, puluereque ſe conſpergerent, vir Dei propiùs accedens, digitos vtriuſque manûs illis in ora miſit. Spiritus verò immundi,fœtida relinquentes veſtigia, ventris egeſtione fugati ſunt. XXX.

[c] Pœna detrahêtium miraculo.

[d] Et hâc oratione & ſigno crucis dæmones expellit. *Luca 10.*

IVSSIT deindè vir Domini corpus defuncti tolli,& in porticum Eccleſiæ deferri. Noctem illam ieiunus totam duxit inſomnem, aſſiduis Dominum exorans gemitibus,vt animam in corpus defuncti reddere dignaretur, nè diutiùs de ea diabolus, qui illam extorſerat,triumpharet. Manè autem primo Simplicium preſbyterum adſciſcens, [e] vt ſacrificium noſtræ redemptionis pro eadem Deo anima offerret, imperauit. Quod dum ille deuotiſſimè conſummaſſet, cum ipſo Simplicio vir Domini ad locum, in quo mortuus iacebat, accedens ait: Domine Ieſu Chriſte, qui quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitâſti, & ad preces ſerui tui Eliæ, filium viduæ vitæ reſtituiſti: adeſto & nunc nobis famulis tuis, & redde in hoc defuncti corpore animam, quam, te permittente, hoſtis humani generis cruciando de eo effugauit. Et cùm hæc dixiſſet, continuò corpus defuncti totum concuſſum eſt. Ilicoque conſurgens, ab eo mandatum accepit, vt ſi viuere vellet, quamdiu in hac vita eſſet, in locum ipſum iam non introiret. Hoc autem ſanctus pro ſola imperauit humilitate, nè ſcilicet pro tali facto plauſum & fauorem hominum quærere, ac delectari videretur. XXXI.

[e] Sacrificiũ Miſſæ pro defuncto *Ioan.11. 3.Reg.17.*

IGITVR octauo anno,poſtquam ibidem aduenieramus,[f] monaſterium omne ſatis conuenienter in omni conſtructione conſummatum,atque ab Epiſcopis prouinciæ ipſius dedicatum eſt. Regebat autem per idem tempus Andegauenſem Eccleſiam vir ſanctiſſimus Eutropius. Porrò in ipſo monaſterio, Eccleſiæ quatuor ædificatæ ſunt. Quarum maior, in qua fratres tam ad diurnum, quàm ad nocturnum conueniebant officium, conſecrata eſt in honore beati Petri Apoſtolorum principis. Secunda (vt dictum iam ſuperius eſt) in honore beati Martini. Tertia verò, quæ & minor erat cæteris, in veneratione ſancti Seuerini. Quarta autem, quæ in modum turris quadrifidæ, in ingreſſu monaſterij altiſſimè ædificata eſt,benedicta fuit in honore ſancti archangeli Michaëlis.His itaque expletis,prædictus vir Florus non immemor promiſſionis, quam Deo vouerat,pergens ad Theodebertum regem,licentiam ab eo expetijt,vt ei regularem liceret ſuſcipere habitum,& peccata ſua,quæ plurima in ſeculari contraxerat conuerſatione, ieiunijs & orationibus,cæterisq; ſpiritus fructibus redimere. Quam cùm ei rex negare nequiuiſſet,triſtis licet & mœrens, pro eo quòd ab eo ſperari nollet,permiſit illi, quæ depoſcebat,implere, eumq; aliquantis diebus ſecum in palatio retinens, de virtutibus, quas per beatum Maurum fieri audiebat, interrogare cœpit,vel qualiter ipſe cum diſcipulis ſuis in ſancta viueret religione, ſeu quantus iam frattum numerus ibi adunatus eſſet. Quæ cùm illi oîa Florus enarrâſſet, prout ea certiſſimè ſciebat,rex dixit illi: Si placere hoc ipſi Dei ſeruo ſcirem, multum tam eum, quàm locum illum, videre cuperem, eumque noſtro regio honorare munere. Cui Florus reſpondit: Quæratur primùm, ſi veſtræ placet celſitudini, ſuper hoc viri DEI voluntas: & tunc demûm,ſicut ipſe ordinauerit,ea quæ vultis,implere poteritis. XXXII

[f] Monaſterium ab epiſcopis dedicatur.

DIMITTENS ergò rex eum, cùm in eius oſculis diutius immoratus fuiſſet, dixit ad illum: Quæ cum viro Dei de noſtra ad locum illum inueneris profectione,citiùs nobis remandare ſatage. Multùm enim vellem,ſi poſſibile eſſet, die [g] quo capitis comam depoſueris,ibi præſens adeſſe. Veniens ergo ad monaſterium cum multis optimatibus ac nobilibus viris,qui eum de palatio regis fuerant ſecuti,viro Dei voluntatem regis aperuit. Qui cùm ei reſpondiſſet,nil loco officere,ſed potius in meliorationem eius, ipſius ad eum aduentum, quantum ipſe intelligere cœperat, proficere, certum diem regi Florus,quo ad monaſterium venire deberet,mandauit. Quò cùm veniſſet,& magnificè,vt regiam decebat ſublimitatem, à beato Mauro,& congregatione,cuius ſanctiſſimus grex iam quadragenarium exceſſerat numerum,ſuſceptus fuiſſet,poſt orationem in conuentum fratrum pergens,regiamq; dignitatem paruipendens,beato ſe Mauro ac congregationi, regali indutus purpura, humiliter proſtrauit, & vt pro illo Dominum exorare dignarentur, lachrymis perfuſus precabatur. Cumque [h] vir Dei à pauimento eum eleuâſſet,rex ait ad eum: Celebre nomen magiſtri veſtri Benedicti ad noſtram olim delatum fuerat notitiam: cuius ſanctitatis & virtutis opera inſignia,quæ de illo audiuimus, per vos quotidiè fieri,gaudio non modico lætamur. XXXIII

[g] Quicunq; monachus fiebat,comã capitis deponebat.



TVNC rex beatum Maurum petijt, vt fratres eum in ſuam recipere dignarentur ſocietatem, & nomen eius inter ſua nomina ſcribere: Filiumque ſuum Theobaldum ſancto viro ac fratribus commendabat attentius,præcipiens ipſi, vt ſemper deuotus erga locum illum eſſet,ac in omnibus ſanctæ illi congregationi adiutor & defenſor exiſteret. Interrogauitque virum Dei,quinam fratres eſſent,qui venerant cum illo. Cui cùm nos digito ille deſignâſſet, in parte nos ſtare præcipiens, intuebatur attentius,nomen vniuſcuiuſque ab eo ſciſcitans. Quæ cùm didiciſſet,oſculatus eſt nos, deindè omnem congregationem. Videns autem Bertulfum adoleſcentem inter reliquos fratres ſtantem,interrogabat quis eſſet.Cui beatus Maurus cùm hunc eſſe Flori filium indicaſſet,vocans eum ad ſe rex,atq; ad pectus ſuum amplexando ſtringens, beato Mauro eum attentius, amore patris eius,commendare cœpit, & vt chariſſimè ab eo nutriretur,depoſcere. XXXIV

INDE

XXV. INDE[a] cùm omnia habitacula monachorum circumiens perlustrâsset, ac conuenienter constructa esse laudâsset, ingressus iterum Ecclesiam sancti Petri, dedit ad ipsum locum fiscum regium, qui Boscus vocatur, cum omnibus villis & reditibus, qui ad eum pertinebant. Vocatisque Ansebaldum, qui scriptoribus testamentorum præerat, præcepit ei, vt, antequam de ipso monasterio egrederetur, testamentum de eisdem scriberet rebus, ac de annulo eius regali firmaret more: concessitque beato Mauro, vt si quid ex illo die apud eum obtinere vellet, ipsumq; ei adire placuisset, liberam haberet facultatem introeundi, quocunque eum sciret. Posuit quoque super altare beati Petri pallium pretiosissimum, & [b] crucem auream cum lapidibus valdè pretiosis.

[a] Rex liberaliter donat monasterio fiscum regium.

[b] Item Crucem auream.

XXXVI FLORVS autem accedens ad regem, deprecatus est eum, vt præceptum regiæ dignitatis facere iuberet super testamentum, quod ipse de proprijs rebus, quas loco illi tradiderat, scribere rogauerat. Quod rex libentissimè annuit. Tunc in conspectu regis allata sunt munera non modica in auro & argento, gemmis quoque & diuersarum vestium multiplicitate, quæ idem vir eo die Domino & sanctis eius obtulit. Dimisit etiam viginti ex seruis suis liberos, prius eos ditans magnis donis. Deindè veniens ad sacrosanctum altare, adstante beato Mauro & omni cõgregatione, rege quoque ex altera parte cum populi numerositate, quæ cum illo venerat, ac cingulum militiæ, quo eatenus vsus fuerat, deponens, super altare misit. Cui, iubente viro Dei, rex [c] primus post eum de coma capitis eius totondit, deindè quicunque ex optimatibus eius voluit. Rex verò præ gaudio lachrymas fundebat congaudens deuotioni animi eius: vocansque ad se nepotem ipsius Flori, nomine Ladramnum, dedit per sceptrum regale, quod manu gestabat, quæcunque Florus patruus eius ex regali possederat dono.

[c] Flori tondetur caput

XXXVII POST hæc sanctus Domini deprecatus est regem, vt domum, quæ hospitibus suscipiendis aptissimè omni compendio ac decore constructa fuerat, intrare dignaretur. Quam cum ingressus fuisset rex, antequam vir Dei pedibus eius toto corpore prostratus fuisset, ab eo cum nimio eleuatus pauore, ac inquisitus quid vellet, respondit, dicens: Hæc est petitio, qua vestram vice omnium seruorum Dei, qui in hoc degunt cœnobio, exposco sublimitatem, vt veniat rex cum seruis suis, & alimenta cibi ac potûs, quæ ei deuotione & seruitute sunt præparata monachorum, percipiat cum gratiarum actione. Quod cùm rex renuere cœpisset, seque, nè id fieret, humiliter vellet excusare, vnus ex consiliarijs eius, vir sapientissimus, nomine Ebbo, dixit ei: Perpendere te domine mi rex conuenit, quorũ deprecatione istam sumere deposceris refectionem: si enim hi, qui ita Deo, sicut tua conspicit celsitudo, deseruiunt, tua aliquo modo tristes effecti fuerint contradictione, Deum propitium habere non poteris. Quod Rex audiens, ilicò quod petebatur annuens impleuit. Cumq; abundantissimè cum suis omnibus, qui cum eo venerant, refectus fuisset, antequam egredi à monasterio cœpisset, Florum amantissimum sibi virum ad se adduci præcepit. Qui cùm ei monachali iam indutus habitu, adductus fuisset, rex vsq; ad suffusionẽ vultûs lachrymis permotus, ait illi: Gratias [d] omnipotenti Deo pro tuâ reformis conuersione: sed tibi solicitè procurandum, ac summoperè peruigilandum est, vt sicut in seculari constitutus habitu, strenuè semper ac nobiliter absq; dedecore conuersatus es: ita nunc quoq; in hac sanctissima, quam expetisti, religione, sine reprehensione Deo semper placere satagens, proficias quotidie de virtute in virtutem, quousque Deum deorum in Sion felici cernere possis exultatione. His dictis, diutius in osculis eius immoratus, ac [e] benedictione, quam expetierat, beati Mauri roboratus, Andegauis ipso die reuersus est.

[d] Obseruà hanc regis adhortationem.

[e] Rex à S. Mauro benedictionẽ expetit.

XXXIX BEATVS verò Maurus altera die ad inuisendum recipiendumq; fiscum, quem idem rex ad ipsum contulerat monasterium, est egressus. Cumq; per biduum ibi commoratus fuisset, paralyticus quidam, qui in eadem villa per septem iam annos toto corpore destitutus, in lecto absq; sensu iacebat, ei deportatus atque oblatus est. Super [f] quem cùm vir DEI benedictionem suam dedisset, ita sanus effectus est, ac si nihil vnquam mali de ipsa pertulisset destitutione. Indè reuersus ad monasterium, solicitè more magistri sui singulorum secum habitantium mores & vitam perscrutans, ac verbum vitæ publicè & priuatim ei annuncians, atque antiqui hostis versutissimas & multiplices insidias detegens, proficere eos ad meliora quotidiè hortabatur. A secundo siquidem aduentûs nostri ad eundem locum anno, [g] nobiles ad eum viri conuenire vndique cœperant, ac se in omnipotentis Dei seruitio tradentes, eius cohabitationem expetere: nonnulli verò filios suos Deo per eius magisterium instituendos offerre. Vnde factum est, vt vigesimo sexto anno fundationis ipsius cœnobij, congregatio [h] centum quadraginta fratrum illic adunata esset. Qui numerus tunc à beato Mauro scriptus, & authoritate tam eius, quàm totius congregationis præfixus atque statutus est: vt nemo deinceps existeret qui hunc numerum vel excedere, vel minuere vnquam in ipsius congregatione cœnobij ausus fuisset: quoniam eæ res, quæ ibi tum delegatæ erant, tanto fratrum numero in his, quæ necessaria erant, sufficiebant: & si amplior esset numerus, occasionem patiendæ necessitatis fortè inferre potuisset.

[f] Paralyticus curatur

[g] Nobiles confluunt ad vitam monasticã.

[h] 140 monachi.

XXXIX SED vt ad id redeam, vndè digressus sum, cùm prædictus Florus annis duodecim, mensibus tribus, ac diebus totidem sanctissimè, vt nobiliorem decebat, nobilissimus in omni vixisset religione, duodecimo Calendarum Septembrium feliciter migrans ad Dominum, diem clausit vltimum. Filius verò eius Bertulfus quàm perfectus in omni sacrosancta fuerit obseruatione, sequens lectio demonstrabit.

XL. THEODEBERTVS igitur rex, cùm quatuordecim annis strenuè ac nobiliter Francorum gubernâsset regnum, Theobaldo filio suo sedem regni post se dereliquit. Qui iuxta patris sui imperium, non minus quoad vixit tempore, tam beatum Maurum, quàm nostram dilexit congregationem. Hic itaque Patris sui sequens vestigia, qui nobiliter locum congregationis huius, cùm ibidem, ordine, quo supra inseruimus, aduenisset, honorauit: cùm & ipse post mortem patris beatum Maurum, ac ipsum locum aliquando veniisset inuisere, contulit & ipse nihilominus ibidem, vt magnificentia regia dignum erat, testamentaria authoritate villas duas: quarum vna vocabatur villa Fabrensis, altera verò Vosda. Sed & hic cùm paruo tempore regni apicem honorificè cum pace obtinuisset, immatura præuentus morte, Clotario principatûs dimisit monarchiam. Qui [i] Clotarius, audita fama beati Mauri, frequenter eum ad se euocans, eius sapientissimis vtebatur consilijs. Denique cùm aliquando beatus Maurus duos ex fratribus pro aliquibus necessitatibus ad eum transmisisset, ac ipse begnissimè omnia, pro quibus ierant, annuisset, inquirere ab eis solicitè cœpit, quid vel qualia reges decessores sui nostro contulissent loco. Quæ cùm ab eis resciisset, ait: Et nostra, Deo propitio, largitas ipsi non deerit loco, præsertim cùm & ampliorem illis tam regni quàm diuitiarum obtinemus potestatem, & bona operandi à Domino perceperimus voluntatem.

[i] Clotarius solus regnat anno 562.

XLI. HVIVS temporibus dum beatus Maurus villas ac prædia, monasterij curam gerendo & disponendo, circuiret, quadam die in possessione monasterij, cui Gaudiacus nomen est, ingressus refrigerandi gratia, secretiorem locum petijt. Quo cùm sederet, & cum duobus monachis, qui cum eo venerant, psalmos decantaret, nunciatur illi, Ansegarium archidiaconum Ecclesiæ Andegauensis stare pro foribus, & cum eo colloqui desiderare. Cumque vir Dei vt ingrederetur iussisset, & ille ea, pro quibus venerat, perorâsset, vir Domini sanctus Maurus Simplicium vocans monachum, ait illi: Virum hunc, qui nobis pro sua reuerentia & affabilitate dudum familiaris effectus est, poculo charitatis potare, ac vino sanctæ dilectionis inebriare, vt spiritales, spiritaliter debemus. Cui cùm Simplicius dixisset: Non est quicquam vini nobis, nisi tantummodò in vno paruissimo vasculo, quod ad sellam pendere consueuit: sanctus Domini Maurus dixit illi: Defer illud huc. Cumq; allatum fuisset, adiecit: Panem etiam huc deferte. Et cùm coram eo panem quoque attulissent, [k] signum Crucis contra paruissimum vasculum faciens, dixit: Potens est Deus, qui mensam populo

[k] Signo crucis S. Mau-

rus vinum parui vasculi mirè auget. 4. Reg. 4.

populo suo in eremo parauit, & aquam in abundantia de petra produxit, etiam nobis seruis suis de hoc paruulo vasculo sufficienter vini ministrare affluentiam. Mirum dictu, penè & incredibile facto, opus est sequutum. Cùm enim sexaginta & eo amplius homines ibi adessent, qui tribus vicibus de ipso biberunt vasculo, ità plenum semper repertũ est, ac si intactum post primam permansisset impletionem. Hoc miraculum nobis Simplicius, cùm ad monasterium cum ipso B. Mauro reuersus enarrâsset, Elisæo eum similem decreuimus æstimandum, qui paucis de cibarijs plurimos in longum pauit artifices. Ex eo loco cùm ad monasterium reuerteretur, obuium habuit in media via quendam virum plebeium, cui cancri vlcus superius occupans labrum, tam nasum, quàm maiorem genarum absumpserat partem. Cuius [a] calamitatem vir Domini miseratus, decontra signo Crucis edito, pristinæ eum restituit sanitati.

[a] Miraculum.

XLII.

Per idem tempus Clotarius Andegauis veniens, viro Dei ad monasterium se ire velle mandauit. Cui cùm à viro Dei vt veniret, remandatum fuisset, paucis secum assumptis, ire perrexit. Cumq; venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum [b] regium, qui Blazon nuncupatur. Villam etiam, quæ Longus campus dicitur, authoritate regia ibi delegauit. Quem etiam beatus Maurus deprecatus est, vt regali edicto firmare dignaretur, quatenus congregationi loci illius electionem propriam per succedentia liceret habere tempora. Quòd cùm præcepto regiæ potestatis iuxta petitionem viri Dei [c] rex libenter annuisset, comitatus eius benedictione, profectus est.

[b] Vide regiã liberalitatẽ in monasterium.

[c] Rex à B Mauro benedicitur.

XLIII

Ex eo tempore beatus Maurus non facilè lam de monasterio egredi vspiam volebat: sed ordinatis Præpositis, ac reliquis administratoribus, ipse soli Deo, orationi quotidiè ac lectioni vacans, feruentiùs multo quàm cœperat, deseruire in sancto procurabat proposito. Cumq; gregi suo de die in diem incrementa sanctæ religionis in melius augmentari conspiciens, omnipotenti Deo labijs exultationis sacrificium offerret deuotissimæ laudationis, trigesimooctauo à fundatione ipsius monasterij anno, cùm & ad perfectam iam venisset ætatem, & iuxta prophetiam beatissimi magistri sui, qui post consummatam trinam vicenorum annorum decursionem, mercedem operum suorum à Domino ei recompensandam esse prædixerat, finem vitæ suæ iam propinquare cognosceret, ædificata sibi domuncula iuxta beati Martini Ecclesiam, remotiorem delegit vitam sumere. Sed quia grex sanctæ congregationis sine rectore, qui super eum solicitè intenderet, esse non poterat, conuocans omnem cõgregationem de substituendo sibi Abbate solicitè pertractabat. Cumq; omnis cõgregatio cœnobij hoc in eius posuisset deliberatione, vtpotè qui omnes melius, quàm se vnusquisq; eorum cognosceret, ipse pater sanctissimus [d] Bertulfum, nobilissimum ac perfectissimum in omni religione virum, quem ipse sanctissimè edocuerat, ad tale onus suscipiendum idoneum esse iudicauit. Cui cùm omnis congregatio in tali electione assensum præbuisset, ipse pater sanctissimus in loco eum sessionis suæ sedere constituens, ac singula ei, in quibus tanti gregis curam gerere deberet, paterno insinuans amore, intra domum, quæ ei, vt diximus, propè Ecclesiam sancti Martini constructa fuerat, se recepit, duobus tantũmodò ad sibi cohabitandum & seruiendum, ipsius congregationis electis fratribus, Primo scilicet, atque Aniano. Nobis enim, qui cum eo veneramus, Bertulfo, quem Abbatem constituerat, solicitè adesse ac inuigilare præcepit, nè fortè in aliquo à rectitudine regularis tramitis deuiaret.

[d] Bertulfũ sibi successorem accipit S. Maurus.

XLIV

Cvmqve duos ac dimidium taliter in contritione spiritûs & corporis maceratione complêsset annos, quadam nocte cum more sibi solito Ecclesiam beati Martini intrare vellet, & vota precum ac lachrymarum Domino persoluere, [e] diabolus magna obsequentium constipatus caterua, ab ingressu eum prohibuit basilicæ, dicens: Eia Maure, qui nos à proprijs deturbare speras sedibus, tam longissimas tibiq; hactenus incognitas adisti regiones, nunc videndo ac experiendo nostræ perferes immissionis destituendissimam populationem. Ego enim, prout libuerit, strages diuersarum mortium inferendo, de tuis nunc debacchans triumphabo, ita vix aliqui de tanta istic adunita remanere videantur congregatione. Cui cùm vir Domini respondisset: Increpet Dominus in te satan & in verbis tuis, quibus mendax es & pater tuus: statim inimicus velut fumus euanescens, strepitum immanissimum ac terrificum dedit, ita vt etiam ipsi viro Dei monasterium omne funditus contremuisse fuerit visum. Quo sonitu fratres expergefacti, ingentiq; pauore perculsi, stratis ilicò exilientes, signa pulsare cœperunt, ac synaxim cantare nocturnam.

[e] Diabol⁹ S. Mauro insultat.

[f] Fugit cum ingenti str .

XLV.

Interea cùm vir Dei, nimia afflictione ac tædio pro his, quæ audierat, mœrens, ingressus Ecclesiam beati Martini, Domi xum precaretur, quô illi certius ea, quæ malignus spiritus ei dixerat, reuelare dignaretur: [f] angelus Domini ei continuò, candidissimo amictus habitu adstans, dixit: Quid, dilectissima Deo anima, tanto mœrore pro his, quæ à Deo agi dispositа sunt, afficeris? Nam diabolus, licet totius caput obtineat mendacij, multa tamen conijciendo, de ijs præcipuè quæ frequenter est expertus, prænoscit. Vndè scias eum non sua voluntate, sed imperio Dei ea quæ tibi prodidit, referâsse: nam aliquo modo verum est, quod audisti. Pars enim huius congregationis maxima, infra breue tempus colligetur ad Dominum, vt ab ipso præfixum atque præordinatum est. Sed non propter hoc ipse, vt asseruit, de aliquo istorum vel ad modicum triumphabit: Tuis enim admonitionibus & exhortationibus instructi, paratus vnusquisq;, vocationis suæ diem expectabit gaudens. Quos cùm omnes moderno obeuntes tempore præmiseris felix, vt promeruisti, felicior subsequeris.

[f] Angelus Domini S. Maurum consolatur.

XLVI

His dictis, visio angeli adstantis & colloquentis ablata est. Sanctus autem Domini facto manè, omni congregationi cuncta, quæ viderat, per ordinẽ enarrauit. Deindè paterna erga eos vsus solicitudine, taliter illos allocutus est: De his, quæ serui Dñm velle congnouerint, si aliquo modo tristari cœperint, voluntati Dñi contraire ipsa sua videntur tristitia. Et ideò quia ipse mortalibus terminũ finiendæ istius posuit vitæ, qui præteriri à nullo natorum valet: sed ex eo quo primis hominibus mortem minatus est, ira eius in hoc irreuocabili permanet sententia: nos, quibus quo voluit ordine dies huius vitæ in proximo finiendos esse patefecit, maculas commissorum facinorum lachrymis pœnitẽtiæ, & maceratione tergamus corporis: & sicut propheta admonet, scrutantes solicitè vias operis nostri, præueniamus faciem Domini in confessione, vt atria supernæ ciuitatis in hymnis valeamus intrare confessionum, eiusq; claritatẽ cum sanctis omnibus reuelata facie perpetuò contemplari digni inueniamur. Et quia, dilectissimi fratres, nunc tempus adesse cognouimus, vt incipiat iudicium de domo Domini, iudicia eius quæ aliquando quidem occulta, nunquam tamen sunt iniusta, reuerenter, vt seruos boni Domini decet, suscipientes ac perferentes, sursum erectis adoremus cordibus, summoperè procurantes, nè qua minus perfecta nos accuset actio, ac attentius inuigilantes, nè calcaneo nostro tentator insidians, muscipula nos deceptionis in via hac, qua iam vndecima ingredimur hora, illaqueare possit.

Thren. 3. Psalm. 94.

[h] Permulti fratres intra menses 5. moriuntur.

[i] S. Maurus exit è corpore anno 584. vt habet Baron. tom 7.

XLVII.

Hac exhortatione & admonitione sancti viri ita omnis congregatio ad horam vltimam liberè expectandam, præparare sese cœpit, vt omnes, qui illo tempore ab hac vita de ipso loco migrauerunt, cælestem ascendisse ad patriam nulli dubium sit. Factum est autem, vt infra quinque menses, centum & sexdecim ibi morerentur fratres, nec plus de tanto grege, quàm viginti quatuor remanerent monachi. Inter quos etiam tunc Antonium & Constantinianum comites & socios nostros sepeliuimus. Expleto autem tanto numero, eo tempore, in eodem loco mortuorum, dolor lateris grauiter beatum inuasit Maurum. Qui languore ingraescente, quadragesimo primo aduentus sui ad eundem locum anno octauo decimo Calendarum Februariarũ die, ante altare beati Martini, super cilicium stratus sui decubans, cùm exitum suum viuificorum munisset perceptione sacramentorum, adstantibus qui relicti fuerant discipulis, migrauit feliciter ad Dominum, sepultusque est in eadem basilica ad dexteram partem altaris. In quo loco meritis & orationibus eius, multa magnifica & admiranda operatur Deus ad laudem & gloriam nominis sui.

Post

XLIIX. POST obitum denique ipsius sancti viri, cùm ego vnà cum Simplicio, sicut ipse nobis ipso die depositionis suæ præceperat, ad nostrum decreuissem reuerti monasterium, vir Domini [a] Bertulfus nos obtestando deprecatus est, nè illum quoad viueret, desereremus tempore. Quē cum offendere pro sua sanctitate ausi non fuissemus, per biennium, quo superuixit, cum illo morati sumus. Quo defuncto, cum Florianus totius religionis vir, ac filius ductoris nostri Harderadi, qui à beato Mauro nutritus fuerat, ei in monasterij regimine successisset, ac nos multis precibus retinere voluisset, reuersi ad vos, ô sanctissimi Patres, Deo gubernante sumus: atque hæc vestris obsecundantes imperijs, de vitâ & conuersatione seu virtutibus beati Mauri, imperito licet sermone, conscripsimus. Dies autem vitæ B. Mauri ita supputantur. Oblatus est Deo ac traditus beato Benedicto, cùm duodecim esset annorum: Habitauit cum eo viginti annis: Commoratus est in monasterio suo, quod ipse ædificauit, annis quadraginta, diebus quatuordecim. Qui simul fiunt anni septuaginta & duo, dies quatuordecim. Per omnia benedictus Deus, qui regnat in sæcula, Amen.

[a] Bertulfus moritur.

De inuentione & translatione S. Mauri, vide Bar. ad annum 845.

VITA S. BONITI [b] ARVERNORVM EPISCOPI, SCRIPTA AB EIVS AEQVALI AD BEATISSIMOS PATRES ADELPHIVM ET EVCHERIVM, illis ita iubentibus. *Qui autem historiæ huius author est, nomen quidem suppressit suum, sed in prologo testatur, quandoquidem Illidy & Galli Aruernorum episcoporum & confessorum luculento stylo vita esset exarata, doluisse Adelphium & Eucherium Boniti vitam non exta e. Ea verò in gratiam lectoris nunc demùm paraphrasticòs reddita est per F. Laurentium Surium.*

AN. 700.

[b] Fuit S. Bonitus 41. Aruernorum Episcopus, vt ex tabulis eorundē Præsulum notat Bar.

I. RIGINEM [c] traxit Bonitus ex inclyta Aruernorum stirpe: patre Theodato, matre Syagria, qui ad Romanos Senatores suos referrent natales. Prius autem quàm in hanc esset lucem editus, Sacerdos quidam, Fregio nomine, fertur ad eius parentum veniſſe ædes, atque à genitrice illius cum magno acceptus gaudio, & pro more rogatus, vt ipsi benè precaretur, his verbis esse vsus: Tu mihi benedic Dei sacer ac venerabilis Domine: Quæ verba tacitè secum expendens Syagria, tandem ex sacerdote percontatur, quid illa sibi vellent. Tum [d] Fregio: Non equidem, vt tù putas, à te petij benedictionē, sed ab illo, quē gestas in vtero: quippe quem diuinitus video ad summū vocari sacerdotium. Illa his exhilarata: Quæso te pater, inquit, vt tuis precibus eueniat, quod dicis. Postea vbi natus puer adoleuit, in Aruernorum vrbe traditur literis imbuendus, subindè etiam iuri ciuili dat operam: facileque cæteros condiscipulos ipsi coætaneos eruditione antecedit. Porrò [e] eius parente defuncto, non absque Dei voluntate & prouidentia, in regis aulam & ministerium se contulit: cui cùm in primis charus esset, ab eo pincernarū princeps institutus est: nec multò post à regis manu accepto annuloi, illud est officij adeptus, quod Referendarijs, vt vocant, attribuitur. Quo ille quidem tam accuratè & splendidè functus est, vt & principi & cunctis proceribus gratus atque præcipuè charus haberetur. Erat autem eleganti corporis forma, sed mente pulchrior, & castitate conspicuus. Nec multū interesset temporis, cùm illi à rege magnu delatus est honor & gratia. Eo autem rege defuncto, apud eius quoque successorem in tanta fuit gratia, vt [f] præfecturam Massilienſem primæ prouinciæ illi demandarit: vbi sanè causas ipsi commissas ea ratione pertractauit, vt non tam iudex, quàm sacerdos esse videretur. Neque enim, vt more illic comparatum erat, homines venundari, aut exilio mulctari, vel captiuos detineri vnquam iussit: sed potius, si quos reperire posset venditos, vti semper consueuerat, redimere atque ad sua remittere studuit. Inter hæc autem vacabat ieiunijs, vt iam non vni, sed plurimis summo sacerdotio dignus videretur. Erat sermone lenis, inter discordes mansuetus, pacisque conciliandæ studiosus.

[c] Genus Boniti.

[d] Fregionis vaticinium.

[e] Post studia literarum venit ad aulam.

[f] Fit præfectus Massiliæ

II. PER idem tempus eius germanus frater Auitus Pontifex, vir & humanioribus & sacris literis instructus, & omnibus diuinis officijs præpotens, quindecim ferè aut eò ampliùs annuis præclarè Aruernēsem gubernauit Ecclesiam: tandemque correptus morbo, cùm extremum cerneret aduentare vitæ suæ diem, consentiente ipsi Ecclesia, Bonitum virum Dei cumprimis idoneum successorem, sedisque suæ dignissimum iudicauit sacerdotem. Missa [g] autem ab illo ad regem legatio est, vt is sub Theodorico rege [h] Pipinus, magister equitum, curam palatij & regni gerens, cuncta ferè pro suo moderabatur arbitratu. Non defuit hac in re consensus regis, Domino illius cor permouente, qui Ecclesiæ suæ opportunum pastorem, & aduersus immanis beluæ rabiem defensorem parabat. Reuersis itaque legatis cum gaudio, vir Dei Bonitus summa omnium voluntate, lætitia & fauore, in cathedra est collocatus. Ille verò susceptо episcopatu, cùm esset vir prudens, non honorem, sed onus impositum sibi arbitrabatur. Itaque non ocio se dedit, sed cursûs sui auxit laborem, ieiunijs, orationi, vigilijs incumbens: lectioni quoque & silentio atque remotioris loci solitudini, idque Quadragesimæ præsertim tempore, ità studens, vt non modò episcopus dignissimus, sed etiam monasticæ vitæ professor iure dici posset. Ieiunabat biduo, triduoque, interdum verò etiam quatriduo eum mansisse ieiunum comperimus.

[g] Designatur Aruernorum antistes

[h] Is Pipinus fuit Caroli Martelli pater.

III. QVODAM tempore cùm nimio æstu populum suum defatigari cerneret, maximè quòd etiam magna flumina calor vehemens torreret: timens nè ciuitati suæ periculum crearetur, tanquam pastor bonus ab omnipotenti Deo remedium poposcit: simul admonens suos, vt ad Ecclesiam omnes conuenirent, & instar Niniuitarum pro viribus quisque biduano aut triduano se ieiunio afficerent, Deique misericordiam suppliciter postularent: si qui verò id non possent, in pane & aqua, vel saltem ad Solis occasum vsque cum cordis contritione ieiunarent. Non est autem vir sanctus suo fraudatus desiderio. Cùm enim [i] iuxta morem crux è templo sacerdotis manu efferretur, & beatissimi Leuitæ ac martyris Laurentij Ecclesiam essemus ingressi, peractis à sancto Episcopo, quæ ad Dei pertinent ministerium, repentè Austro flante densissimæ nubes cœlum omne operuërunt, eademque nocte tanta vis imbrium è nubibus se effudit in terram, vt postera luce ægrè potuerit vir Dei cum plebe indè procedere. Cumque tantas conficiendi itineris difficultates sibi obiectas videret, sacerdotum ipsi adstantium fidem explorare volens, Quid vobis, inquit, videtur? Cernitis nimirum, quàm sit præ imbre difficilis egressus. Quibusdam autem respondentibus, satius esse citra laborem intra templi ambitum psalmodiæ & hymnorum modulationi immorari, quàm ea pluuiæ tempestate madefieri: vir Dei ad Bobonem virum reuerentissimum & [k] Magnicolensis monasterij abbatem conuersus, Tu quidem, inquit, nobis quid sentias, depromere nè graueris. Tum ille, vt semper erat solitus, reuerentissimè atque constantissimè sic respondit: Quandoquidem Dominus etiam immerentibus nobis tantam impendit misericordiam, æquum est, nos in cœptis non modò persistere, sed susceptos etiam cumulare habores. Hoc responso exhilaratus vir sanctissimus, quòd rectè consuluisset, tam per seipsum, quàm eundem Abbatem magis magisq; plebem adhortatus est, vt inchoato operi perseueranter insisterēt. Ipse verò pro more suo, [l] quatriduano se ieiunio afficiens, in oratione pernoctabat, idq; tāta cum humilitate, vt posset ei aptari illud Psalmographi: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: & si quis rei ignarus, in templum esset ingressus, episcopum minimè crederet illic adesse, & quidam etiam in psallentis pedes impingerent.

[i] Processionum vsus antiquissimus.

[k] Magnilocensi monasterium.

[l] Quatriduo ieiunat *Psal 83.*

IV. LACHRYMARVM [m] tanta ei gratia aderat in diuinis officijs, vt capitis tegmen ex earum infusione madere quadam sui parte videretur. Peregrinos lætissimus excipiebat conuiuio, nec, iuxta Apostolicam admonitionem, pauperi præpo-

[m] Gratia lachrymarū. *Iacobi 2.*

præponebat diuitem, sed sordidis indudum vestibus, annulos gestanti anteferebat: nec quenquam omninò mendicum, quantum quidem in ipso erat, à se vacuum discedere patiebatur. Sacerdotes & fratres feruenter amabat in Domino, eisq; crebrò [a] sacrorum canonum decreta proponebat, adhortans, vt castè & dignè Deo viuerent. Curabat etiam, vt presbyteri idonei ad populum sacras haberent conciones, eumq; docerent & formidare gehennæ supplicia, & ad cælestem patriam adspirare. Interim verò maiori inflammatus feruore spiritûs, timens nè propter sacerdotium à germano fratre, vt suprà dictum est, ipsi delatum, graue quandoque apud Dominum iudicium experiretur, cupiensque sanctorum Apostolorum insistere vestigijs, qui relicto patre cum retibus & naui, Dominum Iesum secuti sunt: adijt quendam celeberrimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, vt cum illo communicato consilio, animi sui propositum posset explere. Cumque ad eius monasterium peruenisset, cum ingenti gaudio atque officiosissimè à fratribus susceptus est. Deinde perductus ad Tillonem hominem Dei, post longa colloquia ad id deuoluti sunt, quod cum illo tractare constituerat sanctus Episcopus. Ambo igitur facta inquisitione, & sancto inflammati spiritu, Nihil, inquiunt, melius, quàm quod temerè contra sanctorum Canonum instituta vsurpatum est, abdicando reijcere. Nec immemor sanctus Episcopus euangelicæ illius sententiæ: Omnis qui reliquerit domum, aut agros, & cuncta quæ possidet, propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit: apud se planè deliberauit, non modò sedem, sed & patriam & parentes spontè exulando deserere: quod quidem vt ab illo gestum sit, suo loco referemus, nunc paucis annotanda sunt miracula, quæ illo in loco Dominus efficere dignatus est.

[a] Sacri canones.

Matth. 4.

Matth 10.

RESVRRECTIONIS Dominicæ illucescente die, rogârunt illum fratres, vt Missarum solennia apud illos perageret. Cùm igitur ex more ad aram manus aqua ablueret, & venerabilis pater Adelphius, tunc adhuc Leuita, sed postmodum antè dicti Bobonis viri Dei in Magnilocensis monasterij regimine successor, id temporis ad altare viro Dei assistens, Diaconi fungeretur officio: quidam fratet non commoda affectus valetudine, Audemarus nomine, petijt à Leuita, vt [b] aquam, qua sacerdos Domini manus abluerat, ipsi potandam præberet. Qua hausta, ilicò se sensit pristinæ redditum incolumitati, seditque lætus ad mensam cum fratribus. Alium quoque eiusdem monasterij fratrem, Natholenum nomine, eadem aqua vtentem, quamplurimi asseuerant febribus ardoribus leuatum. Et hæc quidem, quæ supra commemorauimus, ex venerabilis patris Adelphij relatione didicimus, cæteraque nostro studio in his paginis exarata, illo rogante & approbante conscripsimus. V.

[b] Vis aquæ, qua manus abluerat.

CVM autem ex illo monasterio sacerdos Domini ad sua remearet, quidam in itinere claudus, quo poterat conatu à tergo illum subsequens, his vocibus compellabat: Expecta Domine, expecta. At vir Dei illius calamitatis misertus, paululùm substitit, nescius, quid sibi vellet homo. Claudus autem, Quæso, inquit, Domine, vt impositione manus tuæ sanes hunc morbum meum. Ille verò subridens, Non quidem recuso, inquit, facere quod petis: sed perindè ex meo contactu es salutem consecuturus, ac si bos te pede attingat. His dictis, locum [c] morbidum signo Crucis munit, & æger sospes mox & incolumis discedit. Hæc autem, quæ iam diximus, vir fidelissimus, sancti Episcopi cubicularius, Donno nomine, se vidisse testatus est: Bonitus quoque vir industrius, & in antedicta Ecclesia sacrarij custos atq; presbyter curiosius postea inquirens, comperit hominem illum Dei gratia illo incommodo liberatum. VI.

[c] Claudum sanat.

ALIO die cùm vir Dei iter ageret, duo [d] dæmoniaci obuiam illi venere, obsecrantes eum, vt ipsis, confirmandi eos gratia, manus imponeret. Ille autem ignarus dæmoniacæ occupationis, qua tenebantur, orans & manus eius imponens, cœpto perrexit itinere. Porrò qui cum illo erant, post tergum respectantes, atque accuratiùs rem explorantes, vident illos, misso sanguine, à dæmonum infestatione absolutos. VII.

[d] Item duos dæmoniacos.

PER idem tempus fama viri Dei intantùm iam increbrescente, vt non in vicinas duntaxat vrbes, sed etiam ad mare vsque in insulam Britannorum sese diffunderet, mulier quædam in eadem insula, Blada nomine, quæ iam pridem vtroque orbata lumine, & manuum ac pedum officio destituta fuerat, cùm die quadam peregrini gentis suæ in eius domum hospitij causa diuertissent, eamque tam malè affectam cernerent, ab eis his verbis appellata est: O mulier, si nostris dictis fidem accommodes, & Boniti Aruernorum Episcopi intercessionem apud Deum ambias, nos sine vlla ambiguitate credimus, sanctum virum posse hisce tuis incommodis mederi. Illa verò huiusce modi exhilarata sermonibus, educi sese in locum remotiorem iussit: ibique orationi incumbens, simul vt è terra surrexit, & oculorum lumẽ, & membrorum aliorum se sensit recepisse integram sanitatem. Tum [e] illa ob viri Dei merita hæc sibi beneficia diuinitùs contigisse intelligens, relicto proprio solo, relictis parentibus suis, ad beatum virum properauit: cumque iuxta vrbem Aruernorum iam peregrina incederet, virum Dei præter omnem expectationem, ad Rubiacense monasterium, tum visendi, tum consulendi causa euntem, obuium habuit. Situm illud monasterium est intra montes, haud procul ab vrbe, patetque ad illud aditus ab Oriente. Videns autẽ illum mulier, humili & submissa voce eum compellat, seq; peregrinam & eius fama permotam eò aduenisse dicit. At vir sanctus vt eam aliundè eò accessisse animaduertit, paululùm substitit, & quid sibi vellet perquisiuit. Tum illa ex ordine aduentus sui causam explicat, eumque apud præpotentem Deum salutis suæ authorem proclamat. Episcopus verò eius fidem & deuotionem miratus, iussit eam secum ad monasterium abire, ipsiusque monasterij matri, suaque nepti eam in cœtu virginum commendauit: vbi illa quidem aliquandiu morata est, sed post discessum beati viri, in Britanniam reuersa est. VIII.

[e] Præclarũ in cæca miraculum.

EA tempestate sanctus Episcopus virum Dei [f] Nodobertum cum primis excellentem & industrium, genere nobilem, ingenio valdè perspicacem, obsecrauit, vt ipsi successor, & plebi ipsi commissæ rector, patriæque defensor esse vellet. Missi autem sunt ad regem legati idonei, qui illud negotium agerent, puta, Cantinus archidiaconus, & aliquot eius comites benè digni. Illi vbi ad virum Dei, re confecta, sunt regressi, cum magno omnium fauore Nodobertum sua in cathedra reposuit. IX.

[f] Nodobertũ sibi substituit.

INDE [g] verò ad Magnilocense profectus cœnobium, in sanctæ religionis habitu, sicut semper optauerat, illic aliquandiu permansit. Locus autem ille tam est ab hominum consuetudine remotus, tamque ad vacandum veræ philosophiæ accommodatus videtur, vt omnes eum sui nominis vindicem affirment. Nam vndiquaque collium præsidio munitus & nemoribus amœnis est obsitus, amneque rigante herbæ comantes germinant, & contra cœnobij hortulum prata viridi facie læta patescunt: quem largum ab Austro aditum triplici itinere portæ communiunt. Sole autem suos spargente radios, sanctorum martyrum aulæ splendescunt. Insignis emicat beatissimæ semperque Virginis Mariæ turris, cæteris celsior, Apostolorum quoque ædes fulget eximiè, sanctorum nitentaræ, columnæ prisco sculptæ more sese subrigunt, miroque artificio cameræ ligna cælata visuntur: pluraque illic habentur alia, locum omnem mirificè exornantia. Vndè tibi gratias agimus omnipotens pater, quem cum filio & Spiritu sancto vnius substantiæ confitemur. Hunc autem locum iampridem Genesius nobilissimus Pontifex in solo proprio voluit esse monasterium, eique patrem proposuit venerabilem virum Euodium: qua tempestate [h] hæresis Nouatiana, siue incuria, siue ignorantia quorundam, in Aruernorum irrepsit vrbem, impurum quoque Iouiniani dogma illic extitit. Contra quas hæreses in eodem Magnilocensi monasterio edita extat Epistola, quam fortassis operæpretium fuerit quandoque in lucem proferre. Vt enim ex parte iam cernimus, ante aduentum immanissimi illius Antichristi, multas oportebit hæreses emergere. Nã quod de duabus gentibus Gog & Magog illum antecessuris scripta diuina pronunciant, B. Hieron. non ita vult accipi, tanq; hæ speciales q̃dam gentes futuræ sint: sed per Gog, hæreticorũ principes: per Magog, eosq; illorũ susce- X.

[g] Fit monachus.

[h] Hæresis Nouati & Iouiniani apud Aruernos.

Apocal. 20

In 38. c Ezechielis.

susceperè doctrinam, vult intelligi. Sicut autem catholicis & benè fidelibus ad summam quandoque cedet gloriam inuicta in fide constantia, ita illi, qui hæresibus se sinunt deprauari, in æterna æstuantis gehennæ supplicia protrudentur. Sed his obiter insertis, ad narrationis ordinem reuertamur.

XI. Cvm Dei sacerdos aliquantisper illic demoratus fuisset, relictis patria & parentibus, rebusque omnibus per monasteria & ecclesias distributis, Romam iter intendit, sacra Apostolorum visitaturus limina, & pauperem Christum sectaturus. Relicto igitur Aruernorum solo, Lugdunum peruenit, solitisque insistens pietatis operibus, Lugdunensem Pontificem, & Burgundionum principem adijt, illosque ad pacem & concordiam reuocauit. Hærebat interim ad tempus aliquod in monasterio, quòd Barbaræ Insulam vocant, quædamque illic memorabilia atque iucunda miracula effecit. Nam die quodam proficiscente illo per Ararim fluuium, qui cum illo erant, mœsti inter se conferebant, quòd pro illo die nihil escarum ipsis suppeteret. Quòd & vir sanctus audiuit, diffidentiam illorum arguens: Si fidem, inquit, haberetis, non difficile esset præpotenti Deo citra moram vllam nobis præbere res ad victum necessarias. Necdum ille sermonem absoluerat,[a] & ecce è flumine piscis in nauim præter omnium expectationem insiliens, illo die sufficiens eis exhibuit alimentum. Quadam etiam nocte cùm ad nocturnas vigilias surrexisset, lumen in ea basilica, vbi solitus erat sacris incumbere vigilijs, extinctum est.

[a] Miraculû haud vulgare.

Eius autem ministro ignem quærente, vnde lampadem rursus accenderet, nec tamen inueniente, sacerdos Domini ad lampadem accedens, lumen restituit: atque ita omnibus, qui illi aderant, lætitia perfusis, vnà cum illis ad Dei cultum pertinẽtia peregit. Et hæc quidem audiuisse se testatus est reuerendus Abbas Arnoldus, qui hoc in itinere sancti viri comes fuit.

XII. Alio quodam tempore pueri sancti pontificis piscatum iuere, & tota die omni frustrati spe sua, nihil capere potuerunt. Itaque ad monasterium reuertentes, obuiam sibi conspiciunt venerabilem Abbatem Adelphium, cuius est iam ante habita mentio, quique id temporis virum Dei ex deuotione hactenus erat comitatus, eiusque se ministerio tradiderat. Is ergò ait ad illos: Cur adeò mœsti reuertimini, nec quicquam vobiscum adfertis? Respondentibus illis, se nullum omninò piscem comprehendere potuisse, ille rursus ait ad eos: Ite ad fluuium, & in fide beati viri mittite rete. Credo enim per eius merita mœrorem vestrum, præstante omnipotente Deo, in gaudium mutatum iri. Obtemperant illi continuò, & ad flumen pernici cursu reuertuntur: [b] missoq; in aquam reti, piscem attrahunt, eumque cum ingenti gaudio deferunt ad episcopum.

[b] Miraculũ.

XIII. Postea vbi ad Agaunense monasterium vir Dei peruenit, sanctorum [c] implorauit patrocinium: frarrum quoq; orationibus se commendans, non paruam illis contulit eleëmosynam. Id verò non ibi duntaxat, sed vbicunque toto illo itinere sacrum aliquod reperisset monasterium, ita præstitit. Denique in Italiam ingressus, à rege Longobardorum & deuotè & amanter acceptus est: qui cum viri Dei colloquijs frueretur, audit ad se referri, vrbem ab exercitu obsideri. At ille mox exiliens, iubet suos arma capessere, secumque contra hostes dimicaturos, esse paratos ad pugnam. Conuersus autem humiliter ad virum Dei: Quæso te pater, inquit, vt pro me Domino preces offeras. Nam mihi res est cum hostibus meis. Liceat mihi tua intercessione ex illis palmam referre. Mox inde vrbem egressus, prælium cum hostibus iniit. Adeò vero partibus [d] Ariperti (ita enim ille rex Longobardarum vocabatur) fauit victoria, vt multis cæsis atque prostratis, rege quoque in inguine vulnerato & capto, cum magno tripudio ad virum Dei redierit, eiq; pro precum illius suffragijs gratias agens, denuò se eius orationibus commendarit multa cum humilitate, & in regno suo res necessarias illi præberi curauerit.

[c] Implorat sanctorum patrocinia.

[d] Is regnauit circa annum Christi 706.

XIV. Inde autem profectus vir Dei, vbi ad maris litora accessit, nauem conscendit: feruescente autem mari, cum fluctus tumescentes quibusdam comitibus mortis terrorem incuterent, maximè quòd aliæ naues iam dissectæ essent, ita vt vix pauci mortales litus possent attingere: blandè suos consolari cœpit. At illi nihilominus partim mortis metu in naui se pronos prosternebant, partim res, quas intulerant, pro exoneranda naui in mare iactabant. Sed oppositus se vir Dei, Nolite, inquiens, istuc facere: præstat has res vel nobis egentibus, vel pauperibus conseruare: simul autem ad cœlum attollens oculos, & tacitus imbrem lachrymarum effundens, pro salute omnium Dominum obsecrauit. Eodem autem temporis puncto, vndarum impulsu nauis à litore longius protracta est. Ita ergò [e] Romam tandem perueniens, & sanctorum Apostolorum martyrumque loca circumquaque perlustrans, eorum sibi patrocinium atque suffragium supplici & inæstimabili deuotione popposcit. Ad extremum non paucos captiuos redimens, secum reduxit.

[e] Sacrã Romæ loca inuisit.

XV. Cvm autem ex Vrbe discessisset, & Clusinam peruenisset, cæca quædam mulier ab eius ministris petijt, vt aquã, qua eius essent lotæ manus, sibi darent, quô illa suos remedij causa posset oculos abluere. Et illi quidem eius precibus cupiebant satisfacere: sed ecce vir Dei aquam, qua erat ablutus, in terram effundi iubet, ita vt vix guttam inde suffurari possent. At eam ipsam tamen mulieri porrigentes, hortabantur, vt in basilica S. Petri, quæ in vrbe illa erat, postera nocte cum ea aqua vigilaret, atque manè inde oculos cum fide, sicut petierat, contingeret. Credimus enim, aiebant, id tibi salutem allaturum. Abijt mulier, & vt iussa erat, faciens, [f] lucem optatissimam sanis iam oculis adspexit. Itaque ad comites viri Dei cum multa annona venit, gratam se exhibere volens reddita sanitate, & Deum pro sancti viri meritis laudans ac benedicens. Porrò sanctus episcopus videns illius erga peregrinos beneuolentiam ac liberalitatem, eius deuotionem probauit, suaque eam benedictione impertiuit: qua percepta, mulier ad suas ædes abijt. Nemo enim ex viri Dei comitibus miraculum, quod illo ignorante contigerat, ei ausus fuit indicare. Cùm autem multa infirmorum turba eum vbique prosequeretur, ille vbicunque poterat, in hospitiolum sese abdidit, iactantiæ virus summoperè deuitans: ægros [g] autem oleo, quod ex beati Petri sepulcro pro benedictione assumi iusserat, vngi mandauit. Mox autem percepta salute, cum Dei laudibus illi ad propria discedebant. O beatum sancti viri commercium. Dedit terrena, & recipit cælestia, pauper rebus, sed virtutibus locuples.

[f] Cęca videt miro modo

[g] Ægros oleo iubet vngi.

XVI. Per id tempus nihil iam illi supererat, quod posset pro eleëmosyna elargiri, adeoq; iuxta Euangelium sese expoliârat, vt ne duas quidem, quibus posset indui, tunicas haberet: liceretq; ei dicere cum beatissimo Apostolo: Argentum & aurum non est mihi, sed interim diuinis diues virtutibus, curationis beneficium multis impendebat. En quod à Saluatore in Euangelio promittitur: Qui reliquerit omnia propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Cẽtuplum accepit, qui in sanctitate & diuina charitate firmus atque fundatus, ad perfectionis culmen ascendit, vt posset dicere cum Apost. Nostra autem conuersatio in cælis est: non sicut plerique solent interpretari, eum qui reliquerit omnia, etiam in hoc seculo centuplum recepturum in honoribus aut rebus terrenis, & postea vitam habiturum æternam. Neque tamen id ita dictum quis putet, quasi ignorem etiam sanctos viros in hoc seculo ad honores & dignitates esse prouectos. At illi id non arbitrantur retributionis præmium, sed officium & dispensationẽ: quemadmodum neque hic sanctus Domini sacerdos, qui multa pro Christi amore reliquerat, terrenum aliquid postea vel expetijt, vel obtinuit: sed centuplum accepit, quandoquidem perfectionis gratiam adeptus est, vitamq; modò sempiternam possidet cum beatis omnib. in gloria patriæ cælestis. Post hæc autem [h] vir Dei Lugdunum reuersus, quatuor annis illic permansit, in sanctis operibus iugiter perseuerans.

Luc. 10.
Act. 5.
Matth. 19.
Philip. 3.

[h] Diu hæret Lugduni.

XVII. Cvm autem obitus sui diem ex diuina reuelatione iam impendére cognosceret, cum successore suo, & quidẽ æmulo,

mulo, pacem fecit: neque post multos dies lecto decumbens, podagræ molestia increscente, ad extrema perductus est.

[a] Domino spiritum reddit.

Adspirans autem ad cælestia, antequàm [a] Domino redderet spiritum, fenestram cellulæ, in qua quiescebat, iussit patefieri, & solito oculos lachrymarum imbre perfundens, psalmum, qui ea hora iuxta morem canendus erat, inchoauit, atque in Domino feliciter obdormiens, cælorum arcana penetrauit, in omnem æternitatem eorum consortio fruiturus, quorum vitam & mores expressit in terris.

[b] Paralytic⁹ sanatur.

XIIX. Porro cùm ex more ad sepeliendum alijs deducentibus, [b] quidam paralyticus accessit, atque ex sacri corporis præsentia integram sibi sensit corporis reformatam sanitatem. O virum beatum, qui eximia Dei ornatus gratia, & hic præclara nobis ad imitandum virtutis reliquit exempla, & illic apud Deum pro culpis nostris perpetuum præstat patrocinium. Reliquit in terris omnia, vt tanquam nihil habens, in Christo omnia possideret. Luxit in hac vita temporaria, vt sempiterna cum angelis lætitia perfrueretur. Parentum nobilium aliorumque sodalium adspectu & consuetudine, pro Christi amore sibi ipsi vltrò interdixit, vt in beatorum omnium iucundissimam sodalitatem recipi mereretur. Hîc ad tempus voluntariam complexus paupertatem & inopiam, & in ipsa egestate laudans nomen Domini, deinceps & hîc & illic dives est: hîc coruscans miraculis & virtutum signis, illic immortali affectus gloria. Hunc sibi proponant imitãdum proceres, ad huius exempla se componant Christi sacerdotes. Huius beati viri mortificationem spontaneam, & frugalitatem atque parsimoniam, etsi fortassis imitari non possumus, omnes tamẽ suspiciamus, & cum lachrymis ad memoriam reuocemus. Mirentur alij sanè in eo virtutes & signa, quæ per eum Dominus dignatus est ostendere: ego quidem nihil tam puto admiratione dignum, quàm eius [c] longanimitatem & inuictam constantiam atq; patientiam: maximè cùm Dominus noster Iesus Christus suos discipulos à se discere iubeat, vt sint mites & humiles corde. Atque vtinam hanc gratiam suis ille nobis precibus apud Dominum impetret, & quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur.

[c] Magna patientia Boniti. *Matth. 11.*

XIX. Iam verò in Lugdunensi territorio sacris beati viri ossibus in arca conditis, illius successor Nodobertus præsul, eius vel exilij, vel erga se beneuolentiæ contemplatione permotus, legatos ad beatissimum virum [d] Godinum Lugduni Episcopum misit, qui sacrum corpus repeterent. Legati postquam mandata sua exposuerunt, tale ab Episcopo responsum tulêre: Mihi sacrum beati viri corpus à Deo commendatum est: non patior me meosq; tanto munere priuari. Illi igitur non sine magno animi dolore passi repulsam, ad suum antistitem redeunt, & quid Lugdunensis pontifex responderit, exponunt. Quos ille blandè consolans, Et mihi, inquit, eadem nocte, qua vos Lugdunum estis ingressi, vir Domini per visum apparuit, veste, qua aliquando vti solebat, indutus, meque his compellauit verbis: Quid agis frater Nodoberte? Putasne idoneam te tui gregis curam gerere? hisque subiunxit: Noli meam modo interpellare quietem. Nam vbi mihi redire visum fuerit, ego id significabo. Ex his ergò verbis certior factus fui, vos nullum petitionis vestræ effectum esse consecuturos.

[d] Godinus Lugduni Episcopus.

XX. Postea verò iam ad Aruernensem episcopatum promoto venerabili viro Proculo, dignum ille suo munere suscepit opus. Nam B. Mauritij ædem cernens omni ex parte deformem, quædam etiam illius diruta, miro modo non solum in priorem illam restituit statum, sed etiam ad eius splendorem non parum adiecit: Simul etiam cum clero & populo communicato consilio, denuò mittendos decreuit, qui B. Boniti corpus repeterent, vt eius præsentia [e] vrbs muniretur, & S. Mauritij templum magis etiam nobilitaretur. Eodem autem tempore cuidam sanctus pontifex in eadem S. Mauricij ecclesia in somnis apparuit, dicens: Vade, & dic confratri meo Proculo Episcopo: Hoc atque hoc in loco (simul indicans, qua via esset sacrum corpus eius inferendum in templum) ita fe gerat. Quibus auditis nihil iam hæsitans Proculus antistes, ad sancti Boniti reliquias repetendas dignos ablegauit presbyteros, puta reuerendum Adelphium, monasterij Magnilocensis abbatem, Eualdum Volnicensis cœnobij patrem, Moderatum Teclatensis monasterij rectorem, vnà cum reliquis sacerdotibus & monachis, quos tali exequendo negotio idoneos est arbitratus.

[e] Vrbes muniũtur sanctorum reliquiis.

[f] Fulcoald. Lugdunen. Episcopus.

Qui vt ad [f] Fulcoaldum, virum industrium, tum temporis Lugdunensem Episcopum peruenêre, eique sui aduentus causas exposuêre, ille ait: Diuinam imploremus voluntatem, cui nemo potest resistere: & si ille vestris precibus propitius fauet & annuit, ego sanè vobis reluctari non potero. Hoc vbi nostris resp̃sum est redditum, & indicto ieiunio, sanctorum circumquaque ecclesias audiêre, illisque intercessoribus à Deo, vt voti sui compotes fierent, cum magna cordis contritione obsecrârunt: veriti scilicet haud parum, ne spe frustrati sua, casso labore ad sua vacui redirent. Die illo ita transacto, optabamus in illo monasterio, vbi sancti viri corpus quiescebat, nocturnas celebrare vigilias, sed id monasterij mater non sinebat, ne aditum quidem nobis ad illud patefaciens. Itaque habito consilio statuimus in ecclesia beati protomartyris Stephani vigilias agere. Vnde cum admodum manè in vrbem essemus ingressi, præter spem duo ad nos ab episcopo missi sunt, qui nobis plus satis optatum attulêre nuntium, licere nobis sine mora reliquias sancti episcopi leuare è tumulo. Eam enim esse Dei voluntatem, literis allatis nobis indicârunt. Vbi igitur ad sacrum corpus peruentum est, & reuerendus Domini sacerdos Adelphius ad altare [h] sacrificium offerret, coram omnibus duo edita sunt, nequaquam silentio tegenda, miracula. Nam cùm eiusdem vrbis sacerdotes cum clero & cantu, ex more crucis prælato vexillo, aduenissent, adeò mox ecclesia contremuit, vt à summo vertice vsque ad fulcra parietum planè collapsura videretur. Ea autem basilica coniuncta erat templo S. Petri Apostoli, in qua vir Domini quiescebat. Itaque dubium non est, sanctum antistitem, cum alijs sanctis illuc aduenientem, se indicasse fauere ciuibus suis, atque hoc miraculo alios deterrere voluisse, ne illis se præberent difficiles & refractarios: id quod magis etiam sequens declarabit miraculum.

[g] Ambigunt legati sanctorum suffragia.

[h] Duo miracula.

[i] Paralytica curatur.

XXI. Quædam enim Deo dicata puella, [i] paralysi vexata, reptando cunctis videntibus ad viri Dei sepulcrum peruenit: quæ somno oppressa, ab vno ex nostris, vt citò surgeret, admonita est. Quæ è somno surgens, mox suis constitit pedibus, membrorumque, quo fuerat destituta, officium sibi sensit restitutum, ad matremque monasterij regressa, sic locuta est: Ego vidi beatum antistitem, meq; ille hunc in modum suæ voluntatis indicia perferre iussit: Vade, inquit, & dic Abbatissæ Didæ, vt partem tegminis, quo caput meum opertum est, sibi retineat. Quæ id citcò [k] vir sanctus dixit, vt & illa & cæteri omnes luculenter agnoscerent, velle ipsum ad propriam reduci vrbem, & plebem, quam viuens reliquerat, suarum reliquiarum aduentu consolari. Atque hæc res magnam nostris attulit sacras leuandi reliquias fiduciã: moxque omnes nostrarum partium studiosi, magna nobis præbuêre adminicula & solatia, donec Aruernorum fumus fines ingressi.

[k] Reliquiæ sanctorum solatia viuentium.

XXII. In illo autem itinere quàm multi ægri ad illud sacrum corpus, tanquam ad probatissimi medici scholam, confluxerint, dici vix queat. Et reuera bonus ille medicus, qui cùm sit naturaliter bonus, nec potest vnquam non esse bonus, tales habet discipulos, qui non modò in corpore degentes, sed etiam iam exuti corpore, & corporum & animarũ morbis medicinam facere nouerunt. Multi vero in eodem itinere curati sunt, [l] qui tamen nostram effugerunt notitiã. Vt enim viuus erat solitus, ita & nunc defunctus efficit miracula. Nam si quis sanitatem, sancti viri meritis ipsi collatam, alijs indicare velit, mox in pristinam relabitur ægritudinem. Et ego quidem, quæ vel oculis conspexi meis, vel à fide dignis viris accepi, refero. Sed quid opus est multis immorari? Cui enim pauca non sufficiunt, illi nec multa satisfacient. Certè cùm humeris sacræ reliquiæ gestarentur, vbicunque illæ depositæ fuêre, mox vexillum crucis apparuit, & rarò accidit, vt non illic sacræ ædes ædificarentur.

[l] Nota sancti viri humilitatem.

Porro

XXIII. PORRO vbi ſumus [a] Aruernorum ſolum ingreſſi, permulti accurrêre nobiles ſexus vtriuſque, qui ſuis humeris cum multa & deuotione & alacritate ſanctas reliquias deportandas exciperent: eratque inter eos pia altercatio, quis vel prior, vel celebrior eo in officio ſuum ſtudium declararet. Et vt propius ad vrbem ventum eſt, magis magiſque ſuæ ad virum ſanctum confluebant ouiculæ, & plerique præ nimio gaudio flentes, ita dicebant: Recognoſce Domine vrbem, quam reliquiſti, gregem tibi commiſſum tua interceſſione defende. At poſtquàm ſacræ reliquiæ ad oppidum acceſsêre, dici non poteſt, quanta cum deuotione & apparatu epiſcopus ei proceſſerit obuiam. Nam ex vtroque latere tanta erat Cleri & populi multitudo, vt aut exercitum collectum, aut nundinas celebrari facilè crederes. Procedebat epiſcopus Sanctorum pignora humeris deferens, idque tam accuratè & reuerenter, vt ſe corporaliter venienti ſancto ſacerdoti occurrere putaret. Inde cùm ſacræ reliquiæ ab eodem epiſcopo ad ædem ſancti Mauritij deportarentur, in ipſo templi aditu claudus quidam, nomine Valdinus, iacens, ſancti epiſcopi in eccleſiam inferendi præſtolabatur aduentum: moxque vt viri Dei corpus ſuper eum pertranſijt, ſanus [b] effectus, in hunc vſque eiuſdem eccleſiæ corpus permanet.

[a] Eius reliquię omnificentiſſimè excipiuntur.

[b] Claudus ſanatur.

XXIV. CONDITA autem ſunt oſſa beati viri iuxta altare beatorum Petri & Pauli, atque Andreæ Apoſtolorum, quorum reliquias ille curârat ex Vrbe adferri, & magna cum deuotione locum illum conſecrârat. Dignum autem erat, vt quorum flagrabat amore, ſancti Spiritus igne accenſus, eorum etiam ſacræ aræ eius monumentum coniungeretur. Porrò beati viri monumentum auro & argento mirificè ornatum eſt, ad quod etiam multa ægrotis & malè affectis diuinitus conferuntur beneficia: è quibus vnum in præſens commemoraſſe ſufficiat.

XXV. CÆCVS quidam ex [c] Burgundionum prouincia, Ceronius nomine, ad viri Dei acceſſit ſepulcrum, ſibiq; lumen teſtitui petijt: & ecce nobis cernentibus, viſum recepit: neque ille duntaxat, ſed etiam quotquot præterea ex ea prouincia morbidi aduenerunt, incolumes ſunt regreſſi.

[c] Cæcus viſum recuperat.

XXVI. SANCTVS [d] Aruernorum antiſtes Bonitus, cùm ſe totum contuliſſet ad perfectè amandum Chriſtum, & eius ſanctiſſimam genitricem, quodam tempore cum turbis ingreſſus templum S. Michaëlis, in angulum ſe abdidit. Peractis myſterijs, alijs abſcedentibus, ille in ſuo permanſit latibulo. Et cuſtodes quidem more ſuo circumſpexerunt, num quis adeſſet: ſed nutu Dei factum eſt, vt ad eius latebram non pertingerent. Obſeratis inde foribus, ſanctus vir tanto liberius, quanto ſecretius, coram Domino effudit animam ſuam, talisque ei prolixè oranti [e] viſio oblata eſt: Repentè è cælo inſonuit vox tanquam ſuauis melodiæ, & micantibus luminaribus vir ſanctus quaſi multitudinem quandam conſpexit eò aduentantium. Ingreſſa autem in templum eſt virgo mater Maria cum cãdidiſſimo angelorum & ſanctorum hominum cœtu, tanquam regina circumſtante exercitu. Cantabant autem omnes illi laudes Chriſto & matri eius: atque ipſa etiam ſanctiſſima virgo in laudibus filij ſui vocem exercebat ſuam. Procedebant autem per medium templi chorum, cumque ventum eſſet ad altare, quæſitum eſt à ſanctis nonnullis, quiſnam Miſſam celebraret. Tum virgo beata, Ecce, inquit, adeſt hic Bonitus præſul verè bonus, & benè dignus, cui hoc muneris demandetur. Audiens hoc ille, extimuit, ſeque ſubducere conabatur: cui ſanè lapis ceſſit, [f] in quo hodieque eius rei apparent veſtigia. Tandem quæſitus & inuentus, ad illum beatiſſimum conuentum perductus eſt, ſanctisque miniſtrantibus, veſtibus ſacris indutus eſt, & diuinæ aræ applicatus. Conſummato autem ea, [g] qua par erat, ratione ſancto illo opere, beatiſſima virgo, valefaciens dilecto ſuo, pro munere cæleſtem illi veſtem largita eſt. Res eſt nota ſatis, & apud Aruernenſes celebris, maximè in ipſo Aruernorum vrbe, vbi vſque in præſentem diem populis illa veſtis oſtenditur: cuius quidem materia & textura à nullo mortalium poteſt dignoſci. Eſt autem candoris eximij, miræque tum lenitatis, tum leuitatis. Alius deinde ad eam euectus cathedram, ſed non eadem morum honeſtate præditus, ſe quoque par beneficium conſecuturum arbitrabatur, ſi in illa S. Michaëlis æde quieſceret. Venit igitur procax & temerarius, ingreſſuſque in illam ſobrietatis officinam benè ebrius, mox graui correptus ſopore obdormiuit. Interim verò non exarſit in illum impudentem furor Domini, ſed ſine flagellis eum dimittens, procul à ſanctificationis ſuæ domo iuſſit exportari. Nam facto mane, in ædibus ſuis, adeoq; in ipſo lecto ſuo ſe inuenit iacentem. Inde progreſſus ad famulos ſuos, confeſſus eſt mentis ſuæ maleſanam arrogantiam, nec tacuit, quàm eſſet ignominiosè repulſus. Itaque iam ſummiſſius ac modeſtius de ſe ſentiens, didicit in cordis ſimplicitate quærere Deum.

[d] Aliud miraculum.

[e] Viſio S. Boniti.

[f] Miraculũ inſigne.

[g] Veſtẽ mirificã B. Virgo S. Bonito largitur.

GESTA S. MARCELLI PAPÆ, QVÆ IN ANTIQVISSIMIS MARTYROLOGIIS CITANTVR, GRAVITER ET *fideliter conſcripta, vt docti viri cenſent, à Romanæ Eccleſiæ Notarijs.*

AN. 300.

I. EMPORE illo, quo Maximianus rediit de partibus Aphricæ ad Vrbem Romam, volens placere Diocletiano Auguſto, vt in nomine eius thermas ædificaret, cœpit ob inuidiam Chriſtianorum, omnes milites ſiue Romanos, ſiue alterius gentis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare. In ipſo tempore erat vir Chriſtianus, nomine [i] Thraſon, vir potens, & facultatibus locuples, & vita fidelis. Hic cùm vidiſſet affligi Chriſtianos fatigatione & labore, de ſua facultate ſanctis martyribus alimoniam & victum miniſtrabat per viros Chriſtianos, Siſinnium, Cyriacum, Smaragdum & Largum. Hoc audiens beatus * Marcellus, vrbis Romæ Epiſcopus, gaudio repletus eſt: cumque ab illis ad ſe accerſitis, rem omnem didiciſſet, inito conſilio, conſecrauit Siſinnium & Cyriacum diaconos Eccleſiæ Romanæ. Factum eſt autem, vt vna nocte, dum deferrent humeris ſuis ſanctis martyribus victum, quem Thraſon miniſtrabat, tenti ſint à militibus paganis, & perducti ad Tribunum Spurium. Suſcipiens autem eos tribunus, retruſit in cuſtodiam publicam. Poſt diem verò tertium nuntiauit Maximiano Auguſto. Qui iuſſit, vt ſub cuſtodia foderent arenam, & humeris ſuis portarent vſque ad locum, vbi thermæ ædificabantur. Erat autem vir ſenex inter eos nomine Saturninus, qui iam ſenectute maceratus fuerat, & cœperũt eum ad portandum iuuare. Hoc cùm fieri viderent cuſtodes, quia Siſinnius & Cyriacus diaconi & ſuas & aliorum ſarcinas cum adiutorio Chriſti portarent, mirati ſunt, & nuntiauerũt tribuno Spurio. Qui etiam nuntiauit Maximiano Auguſto, dicens, quòd cum hymnis & laudibus Dei & omni veneratione Chriſto gloriam redderent.

16. IAN. Paſſus eſt, nõ ſub Maximian. ſed ſub Maxentio, vt not. Baron.

[i] Thraſon alit ſanctos martyres.

* *Marcellin. legẽdum putat Baron.* Nã ſub Maximia Herculeo, Marcellinũ Põtificem non Marcellum vbi priora præfuiſſe Romanæ Eccleſiæ docet idem Baron. anno 298. quo anno erectæ ſunt Thermæ Diocletianæ Romæ. Vide eundem Baron. anno 303. acta Marcellini, poſteriora Marcelli Rom. Pontif eſſe.

II. EODEM tempore [k] miſit Maximianus Auguſtus, & iuſſit ſibi Siſinnium præſentari. Qui cùm præſentatus fuiſſet, dixit ad eum Maximianus: Quis vocaris? Reſpondit: Ego peccator, ſeruus ſeruorum Domini noſtri Ieſu Chriſti, Siſinnius vocor. Maximianus Auguſtus dixit: quæ carmina ſunt vobis? Reſpondit Siſinnius diaconus, dicens: Si cognoſceres, quæ ſunt carmina fidelium, ſcires creatorem tuum. Reſpondit Maximianus, dicens: Et quis eſt creator, niſi inuictus Hercules? Reſpondit Siſinnius diaconus: Nobis turpe eſt vel nominare, vel audire illum. Maximianus dixit: Vnum tibi è duobus elige feſtinus: Aut ſacrifica deo Herculi, [l] aut carnes tuas ignibus cremabo. Siſinnius diaconus dixit: Ego quidem ſemper hoc optaui, ſi tamen meritus fuero, vt coronam deſideratam accipiam. Iratus Maximianus Augu-

[k] Ann. 303. Siſinnius ſiſtitur Maximiano.

[l] Siſinnii fortitudo.

Augustus, tradidit eum Laodicio præfecto. Qui retrusit eum in custodia Mamertini,& fuit ibi in custodia diebus septendecim.

POST hos dies iussit Laodicius præfectus adspectibus suis Sisinnium præsentari. Qui cùm præsentatus fuisset ab Aproniano Commétariensi,subitò lux de cœlo facta est,& vox de luce exijt,dicens: Venite ad me benedicti patris mei,percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Tunc Apronianus tremefactus,[a] cecidit ad pedes Sisinnij diaconi,dicẽs: Adiuro te per Christum,quem confiteris,ne tardes me baptizare,& facias me tecum pertingere ad coronam.Eadem hora allata est aqua,& catechizauit eum,& benedixit fontem, & deposuit eum nudum in peluim,dicens ei:Credis in Deum patrem & filium,& spiritum sanctum? Et ille respondit: Credo. Et Sisinnius diaconus dixit ei: Illuminet te Christus. Et eleuauit eum de pelui, & duxit eum ad sanctum Marcellum Episcopum,[b] qui eum chrismate consignauit,& post hæc altare consecrauit. Tunc participati sunt omnes corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi. III.

Matth.25.

[a] Apronian. credit in Christum.

[b] Chrismate cõsignatur.

EODEM die post meridiem iussit sibi Laodicius præsentari Sisinnium diaconum. Veniens autem cum Sisinnio Apronianus Commentariensis iam baptizatus,cœpit clamare & dicere: Quid vos coarctat diabolus in Dei seruos tãta mala exercere? Præfectus autem dixit Aproniano: Quomodo video,& tu Christianus effectus es. Respondit Apronianus: Væ mihi infelici, qui perdidi dies meos. Præfectus dixit: Verè modò perdes dies tuos,& iussit eum capitalem subire sententiam,dicens: Si hic extinctus non fuerit,multi per eum peribunt. Qui ductus in viam Salariam,[c] milliario secundo capite truncatus est sub die quarto Nonarum Februariarum. IV.

[c] Aproniani cædes.

TVNC iussit retrudi in custodiam Saturninum senem,& Sisinnium diaconum,dicens: Si non immolauerint dijs, diuersis eos pœnis interficiam. Cumque essent in custodia,veniebant ad eos multi gentiles,& baptizabantur cum omni fiducia. Audiens hoc Laodicius præfectus,iussit sibi tribunal parari in Vrbe in * Tellure. Et post dies quadraginta duos, misit & exhibuit Saturninum & Sisinnium. Qui vincti catenis,adducti sunt in conspectu Laodicij nudis pedib⁹. Quibus dixit Laodicius: Quid est? [d] Deposuistis vanam superstitionem,& adoratis deos,quos Imperatores adorant? Respondit Sisinnius diaconus: Nos *peccatores adoramus Dominum Iesum Christum,filium Dei. Nam dæmonibus & lapidibus nunquam humiliamur. Laodicius dixit: Deferatur tripoda,& thurificent maiestatibus. Saturninus dixit: Conterat Dominus deos gentium. Et continuò soluta est tripoda ærea velut lutum. Quod videntes duo milites [e] Papias & Maurus,cœperunt clamare & dicere: Verè Deus est Dominus Iesus Christus,quem colunt Sisinnius & Saturninus. V.

** Tellude. Bar.*

[d] Quæst. de Sisinnio & Saturnino.

** Al. precatores.*

[e] Papias & Maurus milites credũt

IRATVS itaque Laodicius,iussit eos in eculeo leuari. Et cum traherentur neruis, fustibus & scorpionibus cæsi sunt. Illi autem clamabant,dicentes: Gloria tibi Domine Iesu Christe,quia meruimus socij fieri seruorum tuorum. Tunc Papias & Maurus clamabant,dicentes: Vt quid vos coarctat diabolus in seruos Dei ista exercere? Iratus Laodicius, iussit ora eorum lapidibus contundi, & retrudi in carcerem, Saturnino autem & Sisinnio flammas ad latera poni. Et cùm in eculeo pendentes, vultu alacri gratias Deo agerent, iussit eos capitalem subire sententiam. Et depositi de eculeo,ducti sunt in viam [f] Numentanam milliario secundo ab vrbe, & ibi capite truncati sunt. Eorum autem corpora collegit Thrason cum Iohanne presbytero, & sepeliuit in prædio suo via Salaria tertio Calendarum Decembr. VI.

[f] Anno 303. Sisinnius & Saturninus decollãtur. Vide Baro. hoc anno.

POST dies verò duodecim, iussit Laodicius præfectus Papiam & Mauruin milites, qui baptizati fuerant à beato Marcello Episcopo,sibi præsentari in circo Flamineo. Quos cum vidisset,dixit ad eos: Nunc cognoui,quod & vos Christiani estis. Papias dixit: Verè Christiani Dixit ad eos Laodicius: Deponite vanam fallaciam,& adorate deos,quos principes adorant. Respondit Maurus,& dixit: Adorent eos, qui desperauerunt de animabus suis, vt in æternum pereant. Laodicius præfectus dixit: Modò vos desperatis de animabus vestris, si non sacrificatis dijs immortalibus. Audite & facite quæ dico,& viuite. Respondit Papias: Sacrifica tu,& viue in tormentis æternalibus. Tunc iussit eos sterni in terram,& fustibus cædi. Et cum diu cæderentur, nulla vox ex eis audita est,nisi tantum, Christe adiuua nos seruos tuos. Tunc iussit eos leuari de terra, [g] & plumbatis cædi. Et cùm diu cæderentur, emiserunt spiritum. Quorum corpora collegit noctu Iohannes Presbyter, & sepeliuit in via Numantana sub die quarto Calendarum Februariarum, ad *Lymphas beati Petri, vbi baptizabat. Post dies autem multos narrauit omnia Laodicius præfectus Augustis Diocletiano & Maximiano de militibus,& de sanctis,quos interfecerat: & gauisi sunt Diocletianus & Maximianus Augusti. Deindè post paucos dies [h] nunciatum est Diocletiano Augusto,quòd filia eius Artemia à dæmonio vexaretur. Vnde grandi afflictione contristatus est,& die præsenti noluit comedere cibum. Et dum multo tempore esset in custodia B. Cyriacus, & iam de eo obliuio esset facta, multi Christiani pergebant ad eum in custodiam, & cæci illuminabantur, atque infirmi salui fiebant à languoribus suis Interea cœpit vrgeri Artemia Diocletiani filia à dæmonio. Hoc cùm nũtiatum fuisset Diocletiano Augusto, intrauit ad eam in cubiculum: & ecce ipse dæmon clamare cœpit per Artemiam præsente Diocletiano: Nisi venerit Cyriacus diaconus, non exeo. Confestim autem misit Diocletianus ad eum in custodiam, vbi erat inclusus & constrictus cum Largo & Smaragdo, & eiecit eum de custodia. Et cùm præsentatus ei fuisset, rogabat eum, vt intraret ad filiam eius. VII.

[g] Papias & Maurus plumbantur Vide Bar ann. 303. Militare suppliciũ esse fustib⁹ cædi, auctor est Polyb de trib Pol. de hoc supplicio plura Bar. 29 Ian in notis ad Martyr. Rõ.

Nym-pha.

[h] Quod hic vacillare, de Artemia virgine Diocletiani filia, vsque ad Acta & exitum Marcelli Papæ refertur, additamentum existimat Baronius, aitque in multis fido nec vllam mentionem fieri Artemiæ virg & mart in tabulis Ecclesiasticis, aut apud alios scriptores: tu consule Bar. ad an. 303.

CVMQVE intrâsset ad eam Cyriacus, dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi, vt exeas ab ea. Dæmon autem respondit per os Artemiæ,dicens: Si vis vt exeam,da mihi vas,vbi ingrediar. Dicit ei Cyriacus: Si potes,ecce corpus meum ingredere. Respondit diabolus: In vas tuum non possum ingredi, quia vndique clausum & signatum est. Dicit ei Cyriacus: In nomine Domini nostri Iesu Christi crucifixi,exi,vt fiat vas mundum superuenienti Spiritui sancto. Et dixit ad Artemiam: Filia,crede in Deum patrem omnipotentem,& in Iesum Christum filium eius vnicum,Dominum nostrum. At ille exclamauit,dicens: O Cyriace,si hinc me eiicis,in Perside m te faciam venire. Dicit ei Cyriacus: In nomine Domini nostri Iesu Christi,exi. Tunc exclamauit Artemia,dicens: Per ipsum nomen te coniuro,vt me baptizes: quia video de longè Dominum,quem tu prædicas beate Cyriace. Et tenentes manum eius beatus Largus & Smaragdus,leuauerunt eam. Altera autem die secundùm [i] consuetudinem catechizauit eam,& allatam aquam benedixit sanctus Cyriacus,& baptizauit eam præsente matre sua Serena Augusta. Ab eodem die semper dicebat Serena filiæ suæ, vt fideliter amaret religionem Christianam Post menses verò decem & annos duos,explicata fabrica thermarum cum gloria, [k] cœpit Diocletianus Augustus benè habere Cyriacum diaconum, & donauit ei domum,& præcepit,vt securus viueret in vrbe Roma,faciente Serena vxore sua. VIII.

[f] Artemia fit Christiana.

[i] S. Cyriac. securè degit Romæ.

POST paucum verò [l] tempus venit legatio à Rege Persarum ad Diocletianum Augustum,vt Cyriacum diacõnem ad eum dirigeret: quia filia eius à dæmonio vexabatur. Diocletianus verò videns tantam supplicationem Saporis Regis Persarum,præcepit vxori suæ Serenæ,vt rogaret ad se venire Cyriacum diaconem. Et cùm venisset Cyriacus ad Serenam Augustam, dixit ei legationem Saporis regis Persarum, sicut dixerat ei Diocletianus Augustus maritus suus. Dixit ei Cyriacus diaconus: Cum auxilio Domini mei Iesu Christi Saluatoris, vadam securus. Itaque Serena Augusta Christia- IX.

[l] Historia hæc de sapore Rege & eius baptismo, ac filia liberata à dæmone, non satis arridet Baronio, quem vide tomo 3. ad annum 309.

Christianissima dedit ei vehicula, vel necessaria quæque in naui,& cum Largo & Smaragdo perrexit vsque in Persidem: milites verò cum veredis ibant. Beatus autem Cyriacus cum baculo suo pergens,iugiter psallebat Domino, vsquedum peruenirent ad Saporem Regem Persarum. Cumque præsentati fuissent regi Cyriacus diaconus, & Largus & Smaragdus,dixit ad eos: Quis ex vobis dicitur Cyriacus diaconus? Et vt cognouit,quis esset diaconus,adorauit eum, rogauitque vt introiret in cubiculum ad filiam eius,nomine Iobiam. Eadem horaexclamauit diabolus ex ore puellæ, & dixit ad Cyriacum:Quid est Cyriace:Respondit Cyriacus:In nomine Domini mei Iesu Christi præcipio tibi immũde spiritus,exi,& iam vltra non reuertaris in eam. Respondit diabolus:Fatigatus es. Respondit Cyriacus:Ego huc veni in nomine Domini mei Iesu Christi,cuius auxilio non sum fatigatus,sed in omnibus gubernatus. Dicit ei diabolus: Tamen ego te perduxi,ad quod volui. Cyriacus autem diaconus cum vidisset puellam fatigari,proiecit se in pauimẽtum,orans & flens & dicens:Imperat tibi Dominus meus Iesus Christus,quem confessus es, vt exeas. Respondit diabolus:Da mihi vas,quod ingrediar.Sanctus Cyriacus dixit:Dominus Iesus Christus,Deus de Deo, imperat tibi vt exeas.Et ecce cum vlulatu magno exiens,clamabat in aëre,dicens:O nomen terribile, quod me coarctat exire.Et ab eadem hora salua facta est Iobia.Tunc beatus [a]Cyriacus dixit ei:Filia,crede in filium Dei,& semper sana eris. Respondit Iobia:Ego Credo in Dominum Iesum Christum,quem prædicas. Et fecit eam catechumenam more solito, & catechizauit eam, & allata aqua,deposuit eam nudam in concham argenteam: & benedixit aquam,& dixit ei:Iobia,credis in Patrem & Filium & Spiritum S.Respondit:Credo. Et dixit ei:Credis carnis resurrectionem?Respondit:Credo: Et leuata de concha,cœpit dicere [b]Iobia:Verè Dñs Iesus Christus,quẽ prædicat B.Cyriacus,ipse est Deus.Eadem hora omnes affines eius baptizati sunt, &ipse rex baptizatus est, & alij promiscui sexus, numero quadringenti & viginti. Tunc rex multa dona vel pecunias obtulit B. Cyriaco. Cui sanctus Cyriacus dixit: Nos gratiam Domini nostri Iesu Christi precio non offerimus,sed fide æstimamus. Et nihil accepit:sed tantum pane & aqua cum Largo & Smaragdo vsus est.

[a] Cyriacus expellit Dæmonem à filia regis Persarum.
[b] Iobia baptizatur,& pater eius, &c.

X. Post dies autem quadragintaquinque ascendentes nauim, cum commendationibus epistolarum reuersi sunt Romam.Quem cum grandi honore suscepit Diocletianus Augustus cum vxore sua & filia:& cœpit habitare cum Largo & Smaragdo in domo, quam ei donauerat Diocletianus iuxta thermas Diocletianas. Hinc post menses duos ambulauit [c]Diocletianus Augustus ad Dalmatiam: ibiq; ægritudine fatigatus,per testamentũ fecit cohæredes filios suos, & mortuus est.Hoc audiens filius eius Maximianus Augustus, præcepit vt Christiani, vbicunque inuenti fuissent,punirentur. Et zelo ductus propter sororem suam Artemiam, misit & tenuit Cyriacum diaconum,posuitq; in custodia, & præcepit,vt in die processionis suæ, ad exemplum Christianorum, Cyriacus nudus & catenis obligatus ante rhedã eius traheretur. Veniens autem in die processionis suæ Marcellus episcopus, obtulit se Maximiano Augusto, dicens ei:Pietati tuæ suggero,seruos Dei,qui orant pro regno tuo, & pro Rep.quare trucidas? Tunc iratus Maximian. Augustus, præcepit vt fustibus cæderetur & expelleretur ab Vrbe Marcellus episcopus.Et Carpasio vicario mandauit in hæc verba:Audi Carpasi:Cyriacum sacrilegum,qui carminibus & incãtationibus magicis suadet hominibus Christum confiteri,diuersis pœnis afflige,si non libamina diis obtulerit.

[c] Diocletianus moritur.

XI. Mittens autem Carpasius vicarius ad custodiam, adduxit Cyriacum diaconum, Largum, Smaragdum,& Crescentianum,& iussit eos in Tellure præsentari.Quibus & dixit:Quare non obauditis præceptis principum, & offertis libamina dijs immortalibus? Respondit Cyriacus cum Largo, Smaragdo & Crescentiano: Nos Domino Iesu Christo libamina offerimus.Carpasius vicarius dixit:Quod vobis iubetur,facite. Senectus tua alba facta est Cyriace, sed modo eam iuuenem faciam. Et iussit [d]picẽ liquari:& cùm liquata fuisset,præcepit vt in caput beati Cyriaci diaconi funderetur.Ille autem clamabat,dicens:Gloria tibi Domine,qui nos seruos tuos dignatus es cælestis regni portas facere introire.Dicit & alijs Carpasius:Num sacrificatis,aut peribitis sicut perfidus Cyriacus? Dixerunt: Nos peccatores Domino Iesu Christo nosmetipsos sacrificium offerimus.Tunc Carpasius vicarius adduxit in conspectum suum eculeum,& iussit suspendi in eo Crescentianum,in conspectu Cyriaci,Largi,& Smaragdi. Et cùm diù traheretur neruis,& fustibus & vnguibus raderetur,voce magna clamauit, dicens: Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui nos ad gratiam tuam dignatus es euocare. Carpasius dixit:Date flammas ad latera eius.Et cùm [e]diu incendio constrictus vreretur,emisit spiritum. Cuius corpus iussit iactari ante cliuum vrsi, in platea ante templum Palladis. Ipsa nocte venit Ioannes presbyter, & collegit corpus eius, & sepeliuit in cœmeterio Priscillæ, in arenario via Salaria,octauo Calend. Decembris.

[d] Pix liquida funditur in caput S. Cyriaci.
[e] Crescentianus reddit animã.

XII. Post mortem autem Crescentiani, retrusit in custodiam Largum & Smaragdum & Cyriacum. Post dies verò quatuor resedit in eodem loco in Tellure,& præcepit sibi præsentari Cyriacum diaconem,cui sic dixit: Quare dies senectutis tuæ cum tormentis ad inferos deducis? Cyriacus respondit: Ego semper pro Christo mori optaui. Dicit ei Carpasius: Sacrifica dijs immortalibus,& viues.Cyriacus respondit: Sacrificent eis,qui non cognouerunt creatorem suum Dominum nostrum Iesum Christum. Tunc iussit eum in catasta extendi,& attrahi neruis,& fustibus cædi.Cyriacus autem clamabat,dicens: Miserere mihi peccatori Domine Iesu Christe. Eodem die nunciauit Carpasius vicarius Maximiniano Augusto omnia,quæ exercuerat in sanctos Dei. Iratus ergò Maximianus,iussit omnes vinctos, qui erant in custodia, vnà cum [f]Cyriaco capite truncari.Et data sententia,ducti sunt cum Cyriaco diacono promiscui sexûs viginti & vnus, & decollati sunt via Salaria intra thermas Salustij foràs muros. Quorum corpora collegit nocte Iohannes presbyter, & sepeliuit alios in eadem via: sanctum verò Cyriacum collegit, & commendauit sub die xvij. Calend.Aprilis. Ipso tempore Maximinianus interfecit sororem suam [g]Artemiam. Post dies autem octo, veniens Marcellus Episcopus cum Lucina matrona Christianissima, condiuit corpora sanctorum cum aromatibus & linteaminibus,& imposuit noctù in pauone cum eunuchis suis: & sustulit indè,vbi commendata fuerant,& transtulit cum sancto Cyriaco in prædium suum via Ostiensi, milliario ab vrbe Roma septimo, vbi requiescunt in sarcophagis lapideis, quos manu sua recondidit beata Lucina in pace, vj.Idus Augusti.

[f] Cyriacus capite plectitur cum alijs 21.
[g] Artemia necatur.

XIII. Eodem tempore beata Lucina fecit donationem de facultate sua & ex omnibus quæ habuit, Ecclesiæ Catholicæ. Hoc audiens Maximianus Augustus,indignatus proscriptione eam damnauit.Illa autem rogauit sanctum Marcellum Episcopum, vt domum eius Ecclesiam consecraret. Quod cum omni deuotione fecit Marcellus Episcopus: At vbi frequenter in eadem domo [h]Missas celebrâsset in media ciuitate via Latina, & audiret hoc Maximianus Augustus, iratus præcepit, vt in eadem Ecclesia [i]plancæ sternerentur ad animalia stabulanda,& eundem Marcellum Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica. Vbi etiam post multos annos seruiendo emisit spiritum, septimodecimo Calend. Februarij. Cuius [k]corpus rapuit Iohannes presbyter noctù cum beata Lucina, & condiuit cum aromatibus,& sepeliuit in cœmeterio Priscillæ via Salaria,non longè ab vrbe Roma,milliario tertio,vbi requiescit in pace.

[h] Nota de Missarũ celebratione.
[i] Plancas appellat Festa tabulas planas.
[k] Marcelli Papæ felix obitus anno 309.

XIV. Eodem tempore Maximianus Augustus præcepit ad se venire Carpasium, & interrogauit eum de discussione & nece sanctorum.Et cùm vidisset Carpasius placatum sibi Maximianum,petijt ab eo domum B.Cyriaci. Qui confestim quod petebatur, ei concessit. Et cùm introîsset in eandem domum, quam donauerat B.Cyriaco Diocletianus Augu-

Nota hic de tempore, quo Marcellus damnatus est in catabulum, pro Maximino, Maxentium reponendum, vt notat Bar. an. memorato.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Augustus, inuenit locum, vbi sanctus Cyriacus fontem ædificauit, quem consecrauit beatus Marcellus episcopus, vbi frequenter baptizabat sanctus Cyriacus venientes ad fidem. Tunc [a] Carpasius vicarius paganus crudelissimus, cùm in eadem domo inuenisset baptisterium, fecit in loco eodem balneum, quasi ad deridendam legem Christianorum. Vbi frequenter meretrices & scenici lauacra sibi exhibebant, turpi lucro gaudentes in loco sanctificato. Et cùm frequenter ista fierent ab impijs & sceleratis, quadam die cùm se lauissent, & exhiberent sibi epulas, exeunte Carpasio de balneo cum multis sceleratis, decem & nouem cum Carpasio vicario subitò ceciderunt, & mortui sunt. Ab eodem die clauserunt balneum, & factus est timor magnus in eadem regione vsque in hodiernum diem. Sanctorum verò corpora, hoc est, Cyriaci, Largi, Smaragdi, Crescentiani, Mamiæ & Iulianæ, sepulta sunt in via Ostiensi milliario ab vrbe Roma plus minus octauo: vbi orationes eorum florent nunc & semper, & quousque mundus iste voluitur, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

[a] Vltio diuina in Carpasium & alios apphanos.

AN. 400.

SERMO S. HILARII EPISCOPI ARELATENSIS, DE VITA ET MORTE BEATISSIMI HONORATI, Patris præcipui monachorum Lirinensium, & Episcopi Arelatensis.

16. IAN. * memoriis. * & dignitatis.

AGNOSCITIS, dilectissimi, diem publicis fidelium *mœroribus consecratum: Qui mihi quandiu caducos vitæ huius dies Dominus indulserit, semper quidem acerbitatibus grauis, plenus tamen consolatoria laude adueniet. Hodie enim ille sanctæ recordationis, ecclesiæ huius Antistes, virtute, sacerdotio, nomine Honoratus, corpore exutus, quicquid ad clausulam elocutionis adiecero, absurdum poterit iudicari: Si enim dixero, Ad astra migrauit: ille etiam dum in terris moraretur, inter splendidissima regni Dei astra numeratus est: Addam, Christo adstat? Quando autem ei in vita sua ille non adstitit, cui omnis vita illam Eliæ vocem habuit: Viuit Dominus, cui adsto hodie? Dicam, Terrena deseruit, cuius, vt Apostolus ait, conuersatio semper in cœlis fuit? Similiter itaque, quantum certò animus meus habet, quicquid de tali viro dicendum occurrerit, ipsa sui magnitudine congruo exitu caret: Compugnant mœroribus gaudia: Talem reminisci, dulce est: Tali carere, supplicium. I.

3. Reg. 18. Philip. 3.

DVPLEX itaque materia me prouocat: illic me laudum suarum gratia ad sermonem trahit, hinc ad singultus retrahunt damna communia. Ignoscite itaque, si diripientibus sibi duobus his affectibus mentem meam, oris mei officium, tanquam duobus dominis famulatum congruum negat. Quicquid recordatio in laudis partibus suggerit, totum hoc sibi inter damna numerans dolor vendicat. Quanquam, etsi adesset mihi serenitas mentis, & famulatu idoneo menti lingua seruiret, num abundantius laus eius proferri sermonibus meis poterat, quàm in vestris sensibus manet? Nemo est, vt puto, cui non illius viri gratia maior occurrat, quàm possit opulentissima cuiuslibet proferre facundia. Quia ergò, vt Scriptura loquitur, iustorum memoria cum laudibus semper est, [b] nec potest quisquam meritorum illustrium viros nō cum laude memorare: proferam, vt facultas datur, aliqua ex his, quæ de illo dilectionis vestræ corda meditantur. Adiuuabunt vtique sensus vestri conatus meos, & quod sermone meo expediri difficile est, vestra sibi pectora proprijs cogitationibus eloquentur. II.

Prou. 10.

[b] Viri illustrium meritorum.

Eccl. 11.

SCRIPTVRA quodam loco continet: Sapientia in exitu canitur, hoc est dicere: Sapientis conuersatio in conuersationis fine laudatur. Vnde & in alio loco: Ne laudes, inquit, hominem in vita sua. & iterum: Ante mortem ne laudaueris quenquam, tanquam diceret: Lauda post mortem: in viuentis enim laudibus, & laudato, locus vanæ exultationis offertur, & laudatori maximè nota assentationis affigitur. Multis autem modis [c] vtile est laudare defunctum: primùm, quia dum abest, cui gratificari laudatione possimus, necesse est, vt ad largitorem gratiæ Deum laus tota referatur: deinde, quia sola virtutis admiratio residet, vbi suspicio assentationis aufertur. Defuncti itaque laus in sancta fidelium congregatione prolata, plena est ædificationis, vacua iactantiæ: merita quoque eius, qui laudatur, in hoc accrescunt, quia plures sua laude proficiunt. Nec verebor, ne nimis forsitan fauorabiliter de meo loqui credar: quia præterquam quòd nihil non inferius dici suis virtutibus potest, nemo est qui non illum suum computet, suum senserit, suumque crediderit, Non tamen ego ingenij fiducia, neque fretus eloquio ad attingendam tanti viri vitam manum mitto: quam si quis priscæ eloquentiæ author attingeret, non solùm facundia non ornaret, sed victus materiæ mole succumberet. Vester me amor prouocat, vester affectus de illo loquendi fiduciam subministrat. Animabitur ipsius, vt credimus, merito sermo, quanuis *tepentis ingenij, & quod iacet verbis, eleuabitur rebus, & effusa in illum charitate vestrorum pectorum condietur. III.

[c] Laudare defunctos.

* repentis.

EST illud notum omnibus oratoriæ disciplinæ, quorum laudandam receperint vitam, patriam prius & originem prædicare: vt quod in proprijs virtutibus deest, in patrum gloria præcessisse videatur. Nos autem in Christo vnum sumus omnes, & fastigium est nobililitatis, inter [d] filios Dei cōputari: nec addere nobis quicquam ad dignitatem terrenæ origenis decus, nisi contemptus sui potest. Nemo est in cælestibus glorioſior, quàm qui repudiato parentum stemmate, elegit sola Christi paternitate censeri. Prætermitto itaque commemorare auita illius seculārium honorum insignia, & quod concupiscibile, ac penè summum mundus habet, vsque ad consulatus prouectam familiæ suæ nobilitatem, maiore generositate pectoris fastiditam, nec placuisse illum sibi de superuacuis suorum honoribus, qui pro amore veritatis iam non suos optabat. Ad illud potius meus sermo festinat, quia fide baptismum se in adolescentiæ annis proprio concupierit arbitratu, quàm maturo consilio sanus mortem expauerit, qui eam ante baptismum in adolescentiæ annis proprio concupierit arbitratu, quàm maturo consilio sanus mortem expauerit, qui eam ante baptismū vita carituram esse perspexerat: Qua siti vitam suam desiderauerit vitali fonte renouari, quàm dulcis ei infantia, quàm modesta pueritia, quàm grauis adolescentia fuerit, quàm omnes etiam ætatum gradus, gratia semper & virtute transcenderit, maiorque se semper inuentus sit, vt prorsus diuino quodam pædagogio educatum putes. Eruditur sine aliqua suorum instantia, seruat, iuuante Deo, baptismum præter vllam hominum solicitudinem, &, quod his maius est, recenti [e] adhuc & illibato nitore fontis, sine admonitore conuertitur: sine admonitore dixi? & vbi est illud, quòd patria obstabat? quòd obluctabatur pater? quòd propinquitas tota renitebatur? Intrauerat enim gratia sua omnium sensus, & cùm eum sibi Christus assumeret, certatim in suis omnibus mundus tenebat: alios dulcedo ipsius obligauerat, alios collegij blandimenta deuinxerant, alios in varijs iuuenum exercitijs admiratio secularium virtutum tenebat. Quot illi vitæ prioris gratiæ fuerant, tot à conuersione vinculis retrahebatur. Commune quoddam familiæ decus præripi omnes timebant: Et verè quis vnquam illum habitus non quasi proprius accepit: quos aliquando amictus non ornauit? Itaque velut splendidissimam gemmam, & commune omnium decus eripi sibi simul patria, simul familiares, simul parentes putabant. Neque enim immutanda hæc omnia, & reformanda in melius, vt vidimus, sed quasi moritura esse credebant. IV.

[d] Sūma nobilitas, in filiis Dei numerari.

[e] Expetit baptismū adolescens Honoratus.

[f] A baptismo dat se vitæ religiosæ.

ET inde illud erat, quòd quia omnia, quæ adorsus erat, strenuè eum pater agere perspexerat, à baptismate, quandiu po- V.

diu potuit, auertit: timens, ne totus simul, sicut consecutum est, religionis amore raperetur. Inualuit tamen desiderium & amor Christi, & baptismum, discussis patris dissimulationibus, pueritia fidelis inuasit: ita enim adhuc se [a] catechumenus inter prima fidei rudimenta formauerat, lasciuiam pro reuerentia accipiendi quandoque baptismatis respuens, clericos vt patres honorans, & puerili interdum censu pauperem iuuans, quicquid habere adhuc illa ætas, & plus vtique pro nouitate habendi amare poterat, miseratione prodigus offerebat, iam tunc in paruo præmeditãs cuncta contemnere, & sua simul vniuersa largiri. His itaque & talibus exercitijs ad baptismum se fides catechumeni robusta proripuit: hinc iam prouidus [b] pater, & teneræ pietatis suspicione solicitus, varijs eum oblectationibus prouocare, studijs iuuentutis illicere, diuersis voluptatibus mundi irretire, & quasi in collegium cum filio adolescente iuuenescere: venatibus, ludorumq; varietatibus occupari, & tota ad subiugandam illam ætatem, seculi huius dulcedine armari. Nec immeritò eum secularis pater sibi à Christo præripi timebat, quem inter reliquos ornatissimos iuuenes velut vnicum complectebatur.

[a] Catechũ. adhuc, viuit admodum piè.

[b] Parẽs eum nititur mũdi vanitatibus implicare.

VI. VERVM illi maior inter hæc omnia erat custodiendi baptismatis cura: fastidiebat adolescens, quo grandæuus oblectabatur pater, tali se semper adhortatione compellans: Delectat hæc vita, [c] sed decipit: alia in ecclesiis præcepta recitantur, alia ibi in auribus meis mandata sonuerunt: illic modestia, continentia, & pudor traditur, hîc effrænata luxuria nutritur: ibi pietas viget, hîc exercitatio corporalis: illic ad æternum Christus inuitat, hîc diabolus ad temporale solicitat: Omne quod in mundo est, vanitas est, & concupiscentia oculorum: & mundus transit, & concupiscentia eius: Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum. Festinemus ergò erui ab his laqueis, [d] dum adhuc minùs tenemur: difficilè diù illigata soluuntur: facilius est tenera euellere, quàm robusta succidere: In monte saluam fac animam tuam, ne fortè apprehendant te malæ cogitationes: citò serpit voluptatis venenũ. Seruanda est Christo per Christi gratiam sumpta libertas: alij aurum, argentumque mirentur: dominantur, vt video, metalla dominantibus. Alij prædia atque mancipia non sine animi sui captiuitate possideant, & honorem diuinæ in se imaginis premant: Mihi satis est, mancipium non esse vitiorum: mihi salus, gaudium: mihi coniunx, sapientia: mihi in virtutibus voluptas: mihi Christus thesaurus sit. Qui pensabit gaudia caduca melioribus: dabit & in hac vita studijs disciplinæ me oblectari & ornari, & inter hæc dignum fieri cælestibus regnis.

[c] Ille omnia contemnit. *1 Ioan. 2.*

[d] Alludit ad id, quod est Gen. 19.

VII. NEC longas talis meditatio moras pertulit, sed ilicò in flamma conuersionis nutrita huiusmodi fomentis scintilla prorupit. Iugum Dominicæ [e] seruitutis subdita ceruice suscipiens, iugum libertatis excussit, intelligens summum esse captiuitatis genus licentiam iuuentutis. Rediguntur ad breues capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis vestium splẽdor, ceruicis lacteæ decus pallijs rigentibus occupatur, transit lætitia in grauitatem: membrorum vigor, animi vigore mutatur: virtus corporis, in virtutem spiritus migrat, pallescit ieiunio speciosa facies, & priùs succi plena, fit plena grauitatis. Et quid plura? ita repentè totus alius ex alio ostenditur, vt non aliter genitor ipsius, quàm orbatus filio pater lamentaretur. Et verè plena mortificatio corporis, sed vita illic spiritus erat. Tota hinc parentum persecutio insinuatur, & suscitatur: tunc solùm & primùm patri contumax fuit, cùm Dei patris filius esse contendit, ordinata iam tunc in Deo, sicut Salomon præcepit, charitate. Ita enim Propheta memoratus sub Dei voce pronuntiat: Ordinate in me charitatem. Ordinauit planè eam ille, & sub charitatis dispositione, perspexit primò Deum, tum proximum diligenduni. Condemnari itaque se senectus patris, ætatis illius conuersatione credebat: occurrit, renititur, comminatur: nec tamen vllo horum pueritia Deo freta, concutitur.

[e] Summum seruitutis genus, licẽtia iuuentutis.

Cant. 2.

VIII. ADSISTIT [f] tyroni suo Dominus consolator, nec distulit vnum ei ex germanis in collegium suscitare: qui exemplo ipsius ad conuersionem vocatus, & senior iuniorem secutus, in ipso breui quo vixit tempore, sicut collegio illum, ita etiam virtute comitatus est. Hinc iam inter illos [g] certamina grata propositi, cuius mens ad pietatem mollior, cuius cibus durior, cuius sermo blandior, cuius amictus asperior: Quis loqui rarius, quis orare crebrius posset, quem minus detineret lectus, quem magis lectio: quem minus moueret inuidia, quem magis misericordia: Quis daret promptius, quòd sibi detraxisset, quis libentius hospiti stratum c.lici, [h] & ceruical illud consueti lapidis offerret. Quis peregrinum promptius antè eleëmosynæ dispensationem lachrymis foueret, & affectu priùs Christum, quàm aduenam conuiuio pasceret: cui in ore rarior mundus, cui frequẽtior Christus. Quis in illa sublimitate virtutum sibimetipsi minor videretur, & quo magis meritò ascenderet, eo magis compunctione descenderet. Priuatus quidam tunc iam in conuersatione eorum episcopatus gerebatur. Mentior, nisi plurimi episcoporum didicêre ab illis, dum excipiuntur, excipere: nam si qui rigorem illum propositi non expauerunt, plus illinc humanitatis animo, quàm refectionis corpore secum tulerunt. Ornabant itaque omnem patriam, & quantum apud animos multorum manet, custodiebantur aliorum ab illis corpora, aliorum spiritus: prout quisque indigens erat aut vẽstimentis, aut doctrina, aut sumptibus, vestiebantur, instruebantur, alebantur. Nullus illuc peregrinationis labore defessus, [i] non tanquam ad patriam & patrimonij sui rura peruenit. Nullus illinc ad vlteriora discedens, non tanquam iterum à domo sua pedem mouit, & iterum sibi relinquere ciues suos visus est, iterum propinquos.

[f] Frater S. Honorati eius exemplo conuertitur

[g] Certamen virtutum

[h] Lapidi ceruicali.

[i] Magnum hospitalitatis studium.

IX. INTEREA amor in illos omnium crescebat, multiplicabatur, disseminabatur, & fama in vlteriora quæque ferebatur: Totaque iam erga illos patria, obsequijs & amore ac honore certabat: peruenire illis ad ignobilitatem & paupertatem non licebat. Quanto magis eorum vita abscondebatur, [k] tanto magis fama emicabat, & alter alterum laudi obiicere, & gloriæ exponere, & ad vnum communem virtutum apicem referre. Sed dum vnusquisque sub vmbra alterius obscurari volebat, tanquam repercussa claritas vtrinque radiabat. Iam quæ illorum grauitas, quàm senilis maturitas, quàm rata fœminarum visitatio, etiam proximarum, & quæ inter tot virtutes totius vanitas fuga, quàm blanda consolatio, & quàm solicita custodia erga eorum salutem, qui se eorum doctrinæ mancipauerant? Angelica ab illis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in virtute Dei. Pauebant interea illi gloriam suam, & odorem bonæ conuersationis longè lateque diffusum, licet ad Dei laudem referrẽt, sibi tamen vanitatis periculum inferre metuebant: Percepisse se in vita sua mercedem suam reputabant: humanam conuersationem & gratiam fastidientes, eremi amore flagrabant.

[k] Crescit fama eorum, dum latere cupiunt.

[l] Dolent se ab aliis laudari.

X. INITO itaque consilio, & quodammodo passi honoris sui persecutionem, ad peregrina contendunt. Iterum patria consurgit, iterum propinqui reluctantur: Spoliari sese hoc simul lumine metuunt omnes. Quod illic, Iesu bone, certamen fidei atque amoris fuit? qui tunc consiliorum, qui precum, qui lachrymarum ambitus? quis non illic sibi officium propinqui vendicauit? aut cuius lachrymæ, non cum lachrymis patris certauerunt? Amittere enim se omnis patria in iuuenibus illis patres sentiebat: & vere erat in illis senectus, non annis cana, sed gratijs: non cariosa artubus, sed moribus vetusta. O quanta, Domine, dispensatio procurationis tuæ, qui lampadas tuas, fidei igne fulgentes, non loco fixas stare pateris, sed præfers eas illuminationi diuersorum locorum, inspirans migrandi voluntatem, & fugiendi gloriam: quæ vtique multiplicanda erat ipso per susceptam peregrinationem virtutis augmento. Diripitur itaque dudum quidem vario misericordiarum [m] opere vexata, adhuc tamen larga substantia, & æqualiter ad patrimonium propinquus atque extraneus auxionator admittitur. Ita nullus in lucris duntaxat parentum respectus est, ac si rem non suam vendant.

[m] Distrahũtur res & facul-

tates suas. [a] Dant pauperibus. *Gen. 12.*

Possessio quæ pauperibus, ex quo ab ipsis fuerat possessa, seruierat, [a] pauperibus nunc distribuenda distrahitur. Excepit patria effusam misericordiam, & fletibus effusis repensat.

[b] Caprasiũ sibi patrem adsciscunt.

EXEVNTES de terra, & de domo, & de cognatione sua, exemplo pares, verè Abrahæ filij demonstrãtur. Ne quid tamen iuuenili ausu temerè ab ipsis inceptum putaretur, assumunt senem perfectæ consummatæque grauitatis, quem semper in Christo patrem computantes, patrem nominârunt, [b] sanctum Caprasium, angelica adhuc in insulis conuersatione degentem. Cuius quanquam dilectio vestra nomen hactenus ignorauerit, & adhuc nesciat vitam, amicis eum suis Christus annumerat: hunc tanquam ordinatorem in Domino atque custodem suæ ætatis assumunt, quos iam custodes sibi plurima iuuentus elegerat. Quæritur ergo peregrinationis latebra, fugitur fama virtutis: at vbicunque itur, ibi alia, velint nolint, fama pariebatur. Felices terræ, & portus beati, quos cælestem patriam sitiens peregrinus illustrat. Alij Orientis oras, & quæcunque alia plena sanctis loca, accipiendi exempli gratia, accedunt: hi quicquid adeunt, exemplis bonis suscitant. Spargitur vbique substantia, & in omni accessu eorum bonus Christi odor fragrat: experunt litora, quibus barbara esset etiam illa, quæ plurima in ipsis erat, Romana eloquentia. Longum est præcurrere, quem ab illis profectum vnusquisque locus traxerit, quam salubritatem Ecclesiis, sine vllo clericatûs actu inuexerint, quot magistris magistri in silentio fuerint. Illud commemorâsse sufficiat, intrepidè ab illis pro Christi desiderio, maris reuma toleratum, squallorem ac sterilitatem Achaici litoris expetitam, & tam delicatè, tam molliter educatos, contra tãtas aquarum & aurarum varietates decertâsse. Quòd quam graue, quàm intolerabile illi teneritudini fuerit, excessus illic germani sui beatissimi in Christo viri Venantij, & infirmitatis suæ, suorumque protestabantur. Iam quid in illo funere Metona aut extulisse se, aut percepisse crediderit, multiplicibus psallentium indicauit agminibus: hinc Hebræus, hinc Græcus, hinc Latinus exultant: Iudæus ipse Christum respuens, fidelem Christi seruum admiratur. Astra ipsa ferentes chori pulsant, &, vt credimus, cum humanis vocibus angelici chori concinunt: fideli famulo suo Christus occurrit: Euge Venanti, serue bone & fidelis: & dum audis, Intra in gaudium Domini tui, memento nostrî, quos adhuc seculi gaudia impugnant. Accipiunt finem carnis animæque certamina, sumit principium vitæ perennis gloria. XI.

[a] Venantius frater S. Honorati Metonæ decedit. *Matth. 25.*

[d] S. Honor. redit in Italiam.

Hinc iam vobis Honoratum vestrum Christus reducit, & occulta manu salubritatem regressus sui temperat. Nã quicquid præterfluens tangit, illuminat: huius Italia benedici gaudet introitu, hunc Tuscia veneratur, complectitur, & blandissimas per sacerdotes suos moras nectit. Porrò Dei prouidentia nobis prospiciens, cuncta disrumpit, & quem è patria eremi desideria prouocârant, hunc in eremum huic vrbi propinquam, Christus inuitat. Vacantem itaque insulam ob nimietatem squalloris, & inaccessam venenatorũ animalium metu, Alpino haud longe iugo subditam petijt, XII.

[e] Leontinus episcopus.

præter secreti opportunitatem, sancti ac beatissimi in Christo viri [e] Leontij episcopi oblectatus vicinia, & charitate constrictus, plurimis à nouo ausu retrahere illum conantibus. Nam circumiecti accolæ terribilem illam vastitatem ferebant, & suis illum occupare finibus fidei ambitione certabant. Verum ille humanæ conuersationis impatiens, & circumcidi à mundo, vel obiectu freti concupiscens, illud corde & ore gestabat, nunc sibi, nunc suis proferens: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et in Euangelijs Christi ad discipulos facta promissionem: Ecce dedi potestatem calcandi super serpentes & scorpiones. Ingreditur [f] itaq; impauidus, & pauorem cæterorum securitate sua discutit. Fugit horror solitudinis, cedit turba serpentium. At quæ non tenebræ illud lumen refugerunt? quæ non illi medicamẽto venena cesserunt? Inauditum verè illud, & planè inter [g] miracula ac merita illius mirandum reor, quòd tam frequens, vt vidimus, in illis ariditatibus serpentium occursus, marinis præsertim æstibus excitatus, nulli vnquam non solum periculo, sed nec pauori fuit.

Psalm. 90. Luc. 10.

[f] S. Honoratus ingreditur in Lirinensem insulam.

[g] Insigne miraculũ.

QVID longiùs morer? Cooperante, vt ita dicam, Christo, omni quæ priùs deterruerat aduersitate superata, Honoratus vester castra illic quædam Dei collocat, & qui locus dudum homines à sua commoratione repulerat, angelicis illustratur officijs: Illuminatur latibulum, dum ibi lumen occultur: Cedit ignoti priùs exilij obscuritas, voluntarij exulis claritati. *Quis ergò mendacio illud conferat? Quocunque Honoratus accesserit, adesse illic etiam honorem necesse est. Hîc primùm illigatur, diù euitans, clericatûs officio: hîc refugam suum sacerdotalis insula nectit: & qui venire ad dignitatem detrectauerat, ad ipsum dignitas venit. Apparuit [h] illic presbyter, non duplici tantùm, sed multiplici honore dignissimus, coram quo nullam sacerdotij distantiam, nullum nominis priuilegium episcopatus agnosceret. Nemo vnquam episcoporum sibi tantum vsurpauit, vt se presbyteri illius collegam computaret. Verùm ille tam integram in sacerdotio monachi humilitatem conseruabat, quàm plenè monachus sacerdotij merita possederat. Industria *illic sua sufficiens electis Dei Ecclesiæ templum excitatur, apta [i] monachorum habitaculis tecta consurgunt, negatæ à sæculis aquæ largiter fluunt, in vno ortu suo duo veteris testamenti miracula præ se ferentes. Nam cùm è saxo erumperent, in media maris amaritudine dulces profluebant. Certatim iam illuc omnis regio quærentes Deum dirigebat: Honoratum expetijt, quisquis Christum desiderauit: & planè Christum, quisquis Honoratum experijt, inuenit. Ille enim illic totus vigebat, pectus eius, quasi præcelsam arcem, & splendidissimum templum insederat: illic castitas, fides, sapientia & virtus habitauit: Ibi iustitia fulsit & veritas. Itaque velut vlnis effusis, * protensisq; brachijs, in amplexum suum cẽs, hoc est, in amorẽ Christi inuitabat: Omnes vndiq; ad illum certatim confluebant. XIII.

Quid ergo emendatio illa.

[h] Initiatur sacerdotio.

*ilicò.

[i] Construitur Lirinense monasterium.

*patentibusq;.

ETENIM quæ adhuc terra, quæ natio in [k] monasterio illius ciues suos non habet? quam ille barbariem non mitigauit? quoties de immanibus belluis quàm mitis fecit columbas? quàm amaros interdum mores Christi dulcedine asperfit? & quorum prauitas sibimetipsis prius pœnalis fuerat, eorum postmodum gratia oblectamento omnibus erat: degustata deinde boni suauitate, non potuerunt non magis odisse quod fuerant. Nam velut educti in nouam lucem, antiquum illum diù insidentium errorum carcerem detestabantur. Pulsa est per exhortationes ipsius varia pestis animorum: amaritudo, asperitas, rabies locum dabant libertati, quam Christus obtulerat, & delectabat requies post longam & grauem Pharaonicam seruitutem. Stupenda [l] & admirabilis permutatio: non Circéo, vt aiunt, poculo ex hominibus feras, sed ex feris homines, Christi verbum tanquam dulcissimum poculum, Honorato ministrante faciebat. Quid enim non extunderet illa instantia cum alacritate coniuncta? Aut qui lapides non in Abrahæ filios verterentur, vbi tanta erat in expoliendis mentibus officina virtutum? Quòd si minus hominem ad salutem suam viuidis exhortationibus permoueret, Deum oratione constringeret. Omnium ille passiones, suas credidit, & tanquã suas fleuit: profectus laboresque omnium, suos computauit, sciens gaudere cum gaudentibus, flere cum fletibus, simul & vitia & virtutes omnium, in meriti sui cumulum transferebat. Sicut enim virtus ad virtutem excitat, ita miseratio miseris impensa, fructificat. Metet enim in singulis plus, quàm sibi * singuli, singulorum enim salus vnam illi gloriam instruit. Impiger, festinus, infatigabilis perseuérat: prout cuiusque naturam, moresque perspexerat, hunc secretò, illum palàm: hunc seuerus, illum blandus aggreditur, & ad castigandi immutationem, ipsam plerumque faciem castigationis immutat. Inde illud erat, quòd non facilè quenquam tantum vel amari vidimus, vel timeri. Ita enim duos hos affectus suî, in vnoquoque suorum collocabat, vt & amor suus delicti metum, & timor disciplinæ amorem introduceret. XIV.

[k] Monachos suos præclarè instituit.

[l] Depravatos multorum mores egregiè corrigit.

*singulo.

INCREDIBILE est, quantæ illi curæ fuerit, ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio secularis vrgeret: Quàm facilè perspexerit, quid quenq; vetaret, tãquam singulorum mentes mẽte gestaret? Quanta [m] præterea pietatis dispensatione prouiderit, ne quem nimius labor grauaret, ne quis nimia quiete torperet: Ipsos, si dici potest, singulorum somnos XV.

[m] Insignis eius moderatio.

pio

pio pensauit affectu: valentes corpore, à desidia semper excutiens: feruentes spiritu, cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium stomachos instinctu, credo, Dei nouerat: verè seruus omnium factus propter Christum Iesum. Mirandum est, quomodò [a] vnus tot simul officia compleuerit, tam varia præsertim infirmitate vexatus: fortissimos quosque & recenti adhuc conuersatione prævalidos, in ieiunijs vigilijsque, impar viribus, pari lege comitatus est. Infirmos ipse infirmior visitauit: Refrigeria animarum simul prouidit & corporum, & ne quid cuiquam minus fuisset impensum, animo semper recurrebat: hic alget, hic ægrotat: illi hic labor grauis est, huic hæc esca non conuenit: ille ab alio læsus est: graue quòd hic intulit, nec minùs graue, quòd hic sensit iniurias: Orandi instantia opus est, vt offensi gratiam hic consequatur, & hic sibi illatam contumeliam aut leuem, aut nullam computet: hic autem se grauissimam intulisse suspiret. Hæc illius [b] iugis opera, iugis intentio erat, leuigare omnibus iugum Christi, & quicquid diabolus iniecisset, auertere: discusso culparum nubilo, virtutum serena reuocare, amorem Christi & proximorum amando inserere, & mentes omnium, tanquam pectus suum excolere, innouare gaudia, & ad Christi semper desiderium tanquam primo conuersionis die inardescere.

[a] Magna vitæ eius seueritas.

[b] Quæ illius cura perpetua.

XVI. Hinc [c] illud erat, quòd omnis congregatio illa, diuinæ cupida seruitutis, ad nomen ipsius ex diuersis terrarum partibus collecta, tam moribus quàm linguis dissona, in amore illius conspirabat: Omnes dominum, omnes patrem vocabant, in illo sibi patriam, propinquos & omnia simul reddita computantes. Didicerant omnes, ipso sibi compatiente, dolores illius, suos computare, vt non immeritò egregius, & in Christo beatissimus vir [d] Saluianus presbyter, charorum ipsius vnus, in scriptis suis dixerit, quòd sicut cœli faciem pro sua sol aut obscuritate, aut serenitate mutaret: ita congregatio illa cœlum sitiens, & cœlestibus studijs mancipata, ab ipso vel nubila, vel serenitatem mentium quasi à peculiari in Christo sole susciperet, ipso quoque & afflicto afflictaretur, & respirante reualesceret. Hinc illa erat, & adhuc orationibus eius permanet diffusa in monasterio ipsius sancti Spiritus gratia, tanti doctoris & exemplo & admonitione firmata, in varijs charismatum donis, in humilitate & mansuetudine, & in charitate non ficta, & vna capitis gloria, in diuersitate membrorum.

[c] Monachi eius omnes mirè eum amant.

[d] Saluiani præclarum de eo testimonium.

XVII. Magna [e] illi inter hæc omnia erga aduenas & hospites cura. Quis enim illum aliquando præteriret? quis non quamlibet prosperam nauigationem, & quantumlibet secundos ventos, pro tanti viri desiderio, commodi sui contemptor, abrupit? Aut si insulam tenere non licuit, violentum secundæ nauigationis obsequium, acerbissimam tempestatem computauit? Nemo illuc non festinus accessit, nemo illic moras suas sensit, nemo illinc non securissimus soluit, prosequente ipso amore vota illorum. Et tunc primùm agnitis, tanquàm dudum suis, enitentes in squallore eremi delicias conspectu suo ministrabat, cum tanto omnes gaudio & alacritate susciens, tanquam expectasset. Aderat præterea munificenti animo par substantia, pari fide ministrata. Nam qui libenter audierat, Vende omnia tua, & da pauperibus: & veni, sequere me: huic libentissimè vnusquisque, si quid munificentiæ animo deuouerat, dispensandum ingerebat: securus illi sua committens, cuius in relinquendis omnibus secutus fuerat exemplum. Hinc ad eum frequens ille ex diuersarum regionum vastitate concursus: & verè is ille erat, qui non vt parcus dispensator aut timidus, respectu sibi creditæ & crescentis quotidiè congregationis aliqua tribueret, plura seruaret: sed quid quotidiè in alieno non faceret, quod in suo semel fecerat? hoc est, nihil sibi, nihil suis, præter præsentium dierum victum & vestimentum reseruaret. Exhausta est aliquando dispensationis substantia, fides nunquam.

[e] Magnum eius erga peregrinos studium.

Matth. 19.

XIIX. Quadam enim vice, cùm [f] vnum iam ex multis millibus aureum nummum proflua ad munificentiam arcâ retineret, hunc etiam ipsum in multarum rerum defectu constantissimè pauperi prætereunti dedit, & mihi atque alijs adstantibus dixit: Certum est iam appropinquare qui deferat, si iam non habet munificentia nostra quod proferat. Vix trium aut quatuor horarum spatium, die fluente transierat, & continuò qui verbis suis fidem faceret, occurrit. O felix munificentia, cui fides ministrauit: ô felix fides, cui munificentia nunquam moram fecit! Et verè quantum fides sua suppetebat, dispensare sua tantùm manu non occurrit: Plurimos [g] multis locis probatissimos viros habuit, quorum semper manibus, quod sibi deferebatur, expenderet. Sic vnius dispensatoris gratia dispensatores multos habebat, & fides sua, quasi communis quidam fons, & dantibus & accipientibus plurimis profluebat. Nullius penè angustiæ ad ipsum peruenerunt, quæ non vltra ipsum protenderentur, aut non in ipso metam reperirent. Hinc iam certatim ad illum, vt putabat, aut certè vt optabat, latentem vndiq; literarum officia perlata sunt: Quibus ille quàm nouis affectibus variata reddebat, quàm grauia, quàm blanda, quàm dulcia? Vndè pulcherrimè splendidus mundo, splendidior Christo, æmulus virtutis eius, beatus [h] Eucherius, cùm in eremo in tabulis, vt assoler, cera illitis in proxima ab ipso degens insula literas eius suscepisset, Mel, inquit, suum ceris reddidisti. Quis itaque non beatum se, beatam domum, beata scrinia sua credidit, in paruo ex ore ipsius munere, magna benedictione ditatus? Et sanè tantum in scriptis illius salis, tantum dulcedinis erat, vt non scrinijs aut armarijs, sed arca pectoris condi mererentur. Indè est, quòd plurimi ea inscripta mentibus ferunt, & libentissimè ad testimonium amoris ipsius proferunt. Denique quis vnquàm tantos sibi amicos præsentibus illigauit officijs, quantos ille qui se diligerent, & auidissimè desiderarent, habuit ignotos?

[f] Eximia eius liberalitas & fiducia in Deum.

[g] Multos habet dispensatores.

[h] Is Eucherius fuit Episcopus Lugdunensis.

XIX. Interea ego dum multimodam eius in omnes gratiam memoro, in me infinitam curam prætermitto, cùm ipsius vtique mihi cura non minus in Christo salutis attulerit, quàm amor inter vos ornamenti & honoris reliquit. Meî enim [i] gratia, quod ad meritum eius, & iudicium meum pertinet, patriam quam fastidierat, non dedignatur accedere, nec refugit laborem tanti itineris, suis præcipuè multis iamdudũ infirmitatibus grauẽ: Venit, meque in illis iam annis nimis amicum seculo, & contumacem Deo, vt seductor, & verax, ad amorem Christi blanda manu tentat. Longum est intromittere illam in exhortationibus ingenij sui violentiam, quibus cùm iam ante propositum acerrimos sibimetipsi ad conuersionem stimulos admouere potuisset, haustis diu sapientiæ fontibus multipliciter diffundebatur: sed cùm parùm in aures nostras pietatis illius verba descenderent, ad solita orationis præsidia conuertitur, & affectûs sui clamor repulsus duritia mea, pijssimas Dei vsque ad misericordiam pulsauit & penetrauit aures. Et verè obluctanti mihi, & per secularem illam nimis periculosam consuetudinem, obstinationem interdum meam sacramento obstringenti, prophetico (vt ita dicam) spiritu ante iam præmiserat, Hoc (inquiens) quod mihi tu non præstas, Deus præstabit. Et ô, quàm diu mollire duritiam meam nixus est imbre lachrymarum? quàm pijs mecum pro salute mea amplexibus osculisque certauit? Ad præsens tamen, vt ille ait, vici pessimam victoriam. Exagitandum me illinc & edomandum dextera Dei suscepit: illi enim me oratione tradiderat. Qui tunc in corde meo fluctus, quæ tempestates diuersarum, & inter se compugnantium voluntatum excitatæ sunt? Quoties sibi [k] in animo meo velle & nolle successit? Et quid plura? Absente illo, partes in me suas Christus exequitur, & post biduum orationibus illius per misericordiam Dei mea contumacia subiugatur: fugauerat n. somnium cogitatio, & inuitante me pio Domino, totus emigrauit mundus cum voluptatibus suis mundus adstabat: Quid expetendum, quid relinquendum suaderet animus mecum meus, tanquam collatis apud amicum tractatibus ventilabat. Gratias tibi, bone Iesu, gratias tibi, qui dirupisti vincula mea, famuli tui Honorati pia supplicatione permotus, & iniecisti mihi vincula amoris tui, quibus si tenear, nunquam peccati vincula recalescent. Occurro itaque [l] subditus, qui superbus abscesseram, & omni contradictione deposita, nouus precator accedo. Sic sic sancti oratio fugitiuos suos reducit, sic contumaces subiugat, sic expugnat rebelles.

[i] Hilarij lucrandi gratia quæ fecerit.

[k] Quas in animo suo pugnas sentit Hilarius, illi nõ acquiescẽs.

[l] Tandẽ obtemperat eius adhortationibus.

XX. IAM quibus ille tunc lachrymis ariditatem meam irrorauit? quàm pio fletu me quoque traxit in lachrymas? Tali me humilitate & blandimento, tanquam si ipse à me exciperetur, excepit: ablata est ilicò causa remorandi: Tum primùm illam patriam, quam fugiendam dudum crediderat, agnouit. Educit me secum suam prædam: gaudet, triumphat, exultat. Eremo me iam *tamen exemplo suo secreti cupidum festinat includere. Alit primùm lacte, & postmodum cibo. Potat me profluo illo, qui in se erat, cælestis fonte sapientiæ. Atque vtinam tantum angustia spiritûs mei recepisset, quantum ille studebat infundere: præparâsset me profectò vobis, & desiderio vestro dignum dedisset, & successorem sibi idoneum nescius erudîsset. Iam verò profluia illius in omnes charitas, quod sine inuidia dixerim, quantum in me adiecerat, & leue illud Christi iugum quantum mihi leuius blandimentis suis fecerat? Quoties mentem meam, quoties animum, quoties linguam nominabat? Quàm impatiens absentiæ? quàm semper indignissimi conspectûs mei cupidus erat? Quid de his omnibus dicam, nisi propheticum illud, quòd Dominus retribuat pro me?

*for. tum.

XXI. INTEREA ego, dilectissimi, strictim contingens potius cuncta, quàm referens, de solertissimo pastore vestro ea, quæ alijs potiùs quàm vobis erant nota, refricaui. Sacerdotium quippe illius in Ecclesia hac nomine auctum vidimus: sanctimonia verò & actibus iam priùs summum. Sed [a] vndè illud, quæso, quòd tam è longinquo, tam ignotus expetitur? Quis illam absentis, nec priùs visi gratiam vestris pectoribus affixit? quis illud desiderium suscitauit, vt orbatis ijs, quibus à Domino apud eremum indultus erat, vobis nasceretur? Ille vtique, qui cuncta dispensat: ille, qui eum & patriæ suæ quamdiù congruum videbat, indulsit, & per maria & per terras ad vtilitatem videntium, hanc tantam cultoris sui gratiam circumegit. In summa verò ex illo breui, quo vobis indultus est tempore, facilè metiri datur, quid plus de illo in his, quid minus dixero. Vidistis enim dilectissimi, illam solicitudinis vigilantiam, illud disciplinæ studium, illas pietatis lachrymas, illam iugem ac perpetuam mentis serenitatem, cuius testimonium vultus immutabilis erat. Audîstis [b] quoque os illud congruens vitæ, in quo erat consentanea puritati pectoris, sermonis luculentia. Vidistis illam latitudinem charitatis, quæ tanta in illo fuit, vt non immeritò de illo sanctus, cuius proximam sententiam proposui, dixerit: Quòd si arbitrio hominum charitas exprimenda esset, Honorati potissimum pingi vultu debere videretur. Quis itaque illum vnquam sufficienter vidisse sibi visus est? Cui non loco omnium affectuum fuit? Quis ita blandimentum cum seueritate coniunxit? Quis ita mixtam lætitiæ disciplinam propinauit? Quem non cum ipsius gaudio, qui corrigebatur, correxit? Quando lætitia eius quicquam lasciuiæ redolens? Quando tristitia non salubris? Quando gemitus, nisi de peccati alieni mœrore descendens? Quis eum non *auctiorem inuenit, quàm priùs viderat? Semper in summitate virtutum positus, semper quò crescere posset, inuenit.

[a] Expetunt Arelatenses Honoratũ Episcopum an. 410 Patroclo eorũ Episcopo interempto Vide Prosperum in chron. & Baron. anno mem.

[b] Mira vultus eius cõstantia.

*altiorem.

XXII. IAM [c] verò sub exhortatione ipsius quis anxius non dolorem suum spreuit? Quis feris moribus, non insaniam suam execratus est? Quis arrogans, non plùs quàm omnes, superbiam suam ipse abominatus est? Quis lasciuus luxuriam non detestatus? Et quid plura? Omnibus omnia, vt Apostolus ait, factus, communis omnium medicina erat. Nullam [d] penè gratiam non in se tam plenam habuit, vt ipsam specialiter excolere & possidere tanquàm vnicam putaretur. In nullo vitæ ordine non ita viguit, vt ipsi specialiter aptus videretur. Deniq; vt primum sanctæ huius Ecclesiæ regimen accepit, prima ei cura [e] concordiæ fuit, & præcipuus labor fraternitatem, calentibus adhuc de assumendo episcopatu studijs, dissidentem mutuo amore connectere. Tanquam probatus Israëlis agitator probè nouerat, non facilè quicquam discordantibus immorari. Studebat præterea amore potius regere, quàm terrore dominari: vt voluntaria magis, quàm coacta correctio hunc quoq; subactis adijceret ornatum, ne ad officium suum compulsi putarentur. Confestim itaque exclusa discordia, illi, quæ virtutum omnium mater, charitati locum præbuit. Floruit igitur [f] sub illo Christi Ecclesia, sicut monasterium ante floruerat: creuit gratijs, decreuit metallis. Ingressa videlicet disciplina, tanquam domum suam domina, mamona iniquitatis exclusit, & quæ otiose diù congesta fuerant, dignis tandem vsibus deputauit: dudum defunctis thesauros suos misit: iterumque qui obtulerant, oblationum suarum refrigeria senserunt. Hoc solum quod ministerio sufficiens erat, reseruauit: sed si exegisset vsus, nec ministerio, vt reor, pepercisset. Alieni temporis vota dispensationem suam fecit.

[c] Vis & efficacia exhortationum eius.

1. *Corinth* 9.

[d] Abundat cœlestibus charismatis

[e] Studium concordiæ.

[f] Liberaliter distribuit pecunias cõgestas ab alijs.

XXIII OPERARI etiam inter extrema non destitit: multos in lectulo suo verbi dispensatione ditauit. Sed quamdiù illum lectulus tenuit, cui etiam superare vicinas morti lassitudines iam in consuetudinem venerat? Vltimum, doloribus iam reluctantibus, Epiphaniorum die in Ecclesia sermonem habuit, nescius vnquam, colluctante cum infirmitatibus fide, dolori magis corporis, quàm [g] spiritûs feruori acquiescere, seruiuit desiderijs vestris super vires suas. Non illum siquidem aliqua extrinsecus superueniens ægritudo, non subitus febrium æstus absorbuit: sed diù dilata infirmitas, nimio dudum propositi rigore contracta, & adhuc remissioni parùm acquiescendo ingrauescens, octauo eum vel nono die à solennitate prædicta paulatim extenuando confecit. Vix quatriduò tamen nobis suam in officijs charitatis debitis præsentiam denegauit, timens vtique, ne suos vicinia transitus sui contristaret. Nulli vnquam grauis inter grauissimas ægritudines fuit: nulli, vt assolet, vllum infirmitates eius horrorem intulerunt. Et quidem hoc ordine illud sancti spiritûs receptaculum conquieuit.

[g] Insignis feruor spiritûs eius.

XXIV CÆTERVM impollutæ illius [h] mentis vigorem incredibile est quàm integrum vsque in extrema seruauerit: Ac primum semper vberrimè suos consolatus est, ac nihil magis timuit, quàm ne diutina nos desperatione conficeret, intelligens penè faciliùs ferri extrema, quam dubia. Abstersit semper sermone condito circumstantium lachrymas: quas tamen quò magis abstergit, irritat. Inde grauiorem suo, dolorem nostrum computabat. Non facilè quisquam tam forti pectore inter quælibet aspera, & diù tolerata, nec optauit aliquando mortem, nec expauit. Nam is, quem viuere inter quælibet grauia in Christi seruitute nõ piguit, ad nouam vitam per communem illam nouæ vitæ ianuam transire non timuit. Præmeditata enim illi vltima omnium necessitas, non repentina aduenerat. Itaq; sub ipso iam finis [i] adspectu, tanquam emigraret, tanquam valediceret, ne quid imperfectum derelinqueret, ne quid minùs plenè quàm proposuerat, ordinaret: interrogaret singulos nostrum, & ad suggerendum, si quid memoriam suam subterfugisset, hortari: omnia interim subscriptione firmare, & parcentes nos fatigationi suæ, ad omnia quæ agenda erant, cogere: cogere autem blando illo, sicut semper, imperio. Quadam autem vice, cùm comprimere lachrymarum mearum tempestatẽ, & abrumpere riuos fletuum laboraret, Quid, inquit, fles ineuitabilem humani generis necessitatem? Imparatum ergò te inuenire meus transitus debuit, cùm me non inuenerit imparatum? Cumque ego impedita singultibus vtcunque poteram verbis ipsius verba subnecterem, quòd iam non destitutionem eius dolerem, quippe qui mihi orationum suarum [k] patrocinia nunquam defutura confiderem, quin & post transitum suum validiora præsumerem: vno me dolorum suorum vulnere, & difficilium inter extrema luctaminum grauiter affligi. Et quid ego, inquit, minimus omnium fero ad ea, quæ sanctorũ plurimi in supremis suis acerbissima pertulerunt? & cõmemoratis aliquot, adiecit, φ credo alicubi legerat: Magni, [l] inquit, viri multa patiuntur, & vt alios pati doceant, nati sunt in exemplum.

[h] Mentis eius vigor.

[i] Sub mortem quam fuerit religiosè solicitus.

[k] Patrocinia sanctor.

[l] Magni viri multa patiuntur.

CONFLVENTIBVS autem ad se potestatibus, præfecto, & præfectorijs viris, quàm feruentia sub mortali iam frigore mandata deprompsit, ab ipso exitu suo sumẽs acerrimum exhortationis exordium? & dignum planè erat, vt qui vitæ semper exempla præbuerat, etiam mortem suam in exemplum [m] aduocaret: Videtis, inquit, quàm fragile habitamus hospitium: Quantumlibet vinculo ascẽderimus, illinc morte detraheremur: ab hac necessitate neminẽ honores, neminem diuitiæ liberant: hæc iustis & iniustis, hæc potentibus humilibusque communis est. Magnas Christo debemus

[m] Oratio eius ad præfectum, &c.

mus gratias, qui morte & resurrectione propria, mortem nostram spe resurrectionis animauit, æternam vitam offerens, discusso æternæ mortis horrore. Sic ergò vitam agite, nè vitæ extrema timeatis, & hoc, quod mortem appellamus, quasi commigrationem expectetis. Mors pœna non est, si non ad supplicia deducit. Dura quidem est carnis animæque diuisio: sed multo durius in gehennæ flammis erit carnis animæque consortium, nisi in omni vita generositatem suam spiritus recognoscens, [a] bellum corpori, & corporalibus vitijs certamen indixerit: & felici discretus à carnis colluuione diuortio, æternæ paci impollutam seruet vtramque substantiam, illic feliciter copulandam, vbi exultabunt sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus, hoc est in corporibus, tanquam in receptaculis suis, cum ea quæ iustitiæ dedicauerant membra, socialia tanquam consueta hospitia recognoscent. Hoc itaque agite: hanc vobis Honoratus vester hæreditatem relinquit, supremo halitu suo ad hæreditatem vos regni cœlestis inuitat. Nullus nimium mundi [b] huius amore teneatur: optimum est, vt voluntate fastidias, quo te vides necessitate cariturum. Nemo opibus *defluat, nullus pecuniæ deseruiat, neminem diuitiarum pompa corrumpat: Sceleus est, [c] precium salutis in materiam perditionis assumere, & illo capi quenque, quo redimi potest. Plùs interea vultu, plus oculis emicante in cœlum sensu monebat. Impar est quidem ignito sermoni eius, sermo referentis, sed non minus imparia spiritui suo verba erant morientis. Tali itaque exhortatione, & insolito quodam motu oratione perfusa, inusitatum quoddam munus benedictionis impendit.

[a] Bellū perpetuum carni & vitijs indicendū. *Psalm. 149.*

[b] Præclara sententia.

*diffluat.

[c] Opes, si benevtatis, precium salutis sunt.

XXVI. Deficiente membrorum ministerio, noua semper mentis gratia pullulabat. Ordinatis itaque omnibus, (neque enim multa in actibus suis minus plena restabāt) cùm omnes charos suos mente percurreret, quantos nominatim proferre lassitudo non vetuit, missa per eos qui adstabant salutatione ditauit: Mihi verò in aurem, Excusa, inquit. Sic sancto illi fieri non potuisse quod voluit, cognoui. Magna & admiranda solertia, inter graues illas mortis angustias prouidisse, nè cuius tristitiam non, quantum in se erat, abstergeret, nè quid certè inexcusatum relinqueret. Quid illud, quæso, quòd cùm omnes suos, quos ad hanc vrbem amor suus traxerat, vtique inter peregrina desereret, nullum vlli reditum, nullam societatem commendauit, non loca viuendi certa distribuit, tanquàm verè præscius, nullam suorum dispersionem futuram, nisi eorum, qui iam & se superstite animi diffinitione migrâssent? Et verè nō facilè quenquam à societate nostra abesse nouimus, nisi quem abfuturum ipse præmonuit: qui aut chariorem conspectu suo patriam, aut grauiorem sensu disciplinam. Interea [d] grauior illum somnus vrgebat: quem cùm interdum pauidi interpellaremus, Miror, inquit, in tam graui mea lassitudine, post tam longa insomnia, quæ præcesserunt, grauem vobis meum somnum videri. Et cùm suspectis omnibus sedere eum in vltimo prohiberemus, ioculari, vt erat solitus, blandimento, & consuetudinaria mentis serenitate, respondit, quòd molestos nos in hac solicitudinis parte pateretur. Ita penè antè vita eius, quàm dulcedo consumpta est.

[d] Sub mortem graui somno premitur.

XXVII. Somno deindè vltimo exceptus, in mortis [e] quietem dormiens transijt, sine vllo, vt sese habent extrema, luctamine, nullas difficiles obitūs moras sensit. Angelicis choris anima illa sancta, generosa, sincera, & ab omni contactu mundi incontaminata suscipitur. Multorum [f] interea varijs visionibus somnus incutitur, quarum tamen vna omnium facies erat, quòd scilicet sancto illi occurrerent officia sanctorum. Et verè ilicò in eodem mediæ noctis puncto Ecclesiam in occursum sancti corporis conuentus compleuit, vt non nisi angelicis nuncijs suscitatus putaretur. Relinquitur vegetatum semper spiritu, plenum [g] gratiæ corpus exanime: integrum siquidem vultūs decorem facies omnibus grata seruabat. Probè vos ista nōstis, & multo plenius vos vobis, quàm sermo sufficit is: qui animorum meditatione describitis. Neque vllus non magno sibi damno affici visus est, si conspectu corporis ipsius caruit, si non vt quenque aut reuerentia, aut amor suaserat, osculum aut ori, aut quibuscunque membris ipsius impressit, aut feretro, in quo sanctum illud corpus, magna fidei ambitione vestitum, maiore postmodum sepulchro admouetur penè nudatum. Nec enim pepercit sanctitatis amictu eius pallijs fides, quæ pretiosissimi muneris loco habuit, aliquam de velaminibus [h] illius fimbriam decerpsisse. Certauit in exequijs illius vester affectus: refecistis in funere suo latentem adhuc inter vos peregrinationem meam: pauistis me tam effusa in ipsum animi charitate. Quem enim illo die sua tecta tenuerunt? Aut quem non tanquam peculiari luctu obrutum basilicæ huic mœnia vrbis huius dederunt? Pro magno munere habitum est, lecticæ manum admouisse, aut ceruicem subiecisse. Vidistis non sine gloria vestra, gloriam eius. Nam & illa [i] exequiarum religio, fidei deuotio erat, & tam lætum erat habuisse talem, quàm graue, talem amisisse: nec parùm fiduciæ dat sepulchri sui gratia: nam cuius hîc ossa condidimus, in cœlo vtiq; [k] patrocinia *præmisimus. Prælata tunc ante feretrum ipsius aromata & incensum vidimus: sed maiora de vestris mentibus Deus in tanto erga tantum pastorem affectu vestro odoramenta suscepit. Exultauit in gloria illius Dei gloria, & in dissonis diuersarum linguarum choris amor consonus.

[e] Suauiter & feliciter obdormit in Domino

[f] Multorū visiones de illo.

[g] Corpus eius exanime plenum gratia.

[h] Auidissimè decerpuntur fimbriæ velaminū eius.

[i] Exequiarum eius mira religio.

[k] Patrocinia Sāctor.

*præsumimus.

XXIX. Prius [l] Dominus, qui stimulando animos vestros ad electionem paruitatis meæ dedit, nè à sepulchro illius longè abessem, illud etiam vobis orantibus dabit, nè à vijs illius longè recedam: sed vt quicquid illum egisse cognouero, id sine expostulatione aliqua aut disceptatione factorum agere festinem. Vobis enim me, vt video, iam tunc per illum Deus genuit: vobis, licet indignum præparauit: vobis ille me nescientem tanto labore quæsiuit: vobis tam propensa solicitudine & cura vtcunque erudiuit, quærens in me fidei sicut sanguinis sui venam: vobis me tanto labore per literas, tanto per excursum suum ambitu ab insula, cui me, derelictis episcopatūs eius principijs, secreti amore reddideram, non audeo dicere nescientes, fortasse præscius amouere satagebat, vt mihi iuxta sepulchri sui sedem in amore vestro patriam collocaret. Sed quid agimus, quòd immaturum me maturo excessu tradidit? Non est nostrum, secretum æterni regis in vllo vel leuiter culpare iudicio. Non facilè sentiretis, quantum amisissetis boni, si redintegratum vobis bonum vestrum fuisset. O magna [m] & inclyta, Honorate, tua gloria: non indiguit meritum tuum signis probari. Ipsa enim conuersatio tua plena virtutibus & admirationis nouitate præcelsa, perpetuum quoddam signum minstrauit. Multam quidem tibi diuinitùs signorum speciem indultam nouimus, quicunque propiùs assistebamus: sed in his tu minimam partem tuam computabas, maiusque tibi gaudium erat, quòd merita & virtutes tuas Christus scriberet, quàm quòd signa homines notarent. Et tamen quod maius signum virtutis esse potest, quàm signa fugere, & occultare virtutes? Et verè [n] tam familiaris quodammodo oratio tua Christi auribus erat, vt efficacissimis precibus impetratum putem, nè virtutem tuam signa clamarent. Habet & pax martyres suos: Christi [o] enim perpetuus, quàm diu in corpore moratus es, testis fuisti. Illud enim stupendum quondam adolescentiæ tuæ robur, perpetuò abstinentiæ rigore tenuatum, & in illam quam vidimus, adspectūs licet decore seruato, exilitatem redactum, crux vtique quotidiana consumpsit: quam tamen sine vlla semper notabili superstitione seruâsti, omnes semper nimietates, & cognatū nimietatibus gloriæ fugiens appetitū. Nunq̄ [p] in tuo ore, nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas: nunquam in corde, nisi horum omnium fons Christus habitauit. Qui tibi, & per te plurimis charitatis, gaudij, pacis, longanimitatis, bonitatis, benignitatis, fidei, modestiæ, continentiæ fructus ministrauit exuberantes in multiplicem copiam, & multorum salutem & gaudia: vt non immeritò illi cantaueris: Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: Cui semper omne conuersationis tuæ bonum ascripsisti, illud assiduè tibi ac tuis ingerens: Quid enim habes, quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Sed hoc magis tuum erat vitæ tuæ bonum, quò magis tuum negabas.

[l] In cius locum substitutus Hilarius.

[m] Vita eius sanctissima, perpetui instar miraculi fuit.

[n] Quanta ei cum Christo familiaritas.

[o] Fuit martyr Christi perpetuus.

[p] Fructus spiritūs.

Psalm 118.

1. *Corinth.* 3.

In te commune omnium Deum desiderantium solamen fuit. Quidam gloriantur in huius vitæ prosperis: tu e- XXIX.
contra in DEO exultare suadebas, resonantem affectum tuum voce blandæ modulationis immurmurans: Lætetur
Psal 104. cor quærentium Dominum. Nulla tibi maior, quam in orationibus & psalmis voluptas. Tuis in tantum medullis
Christus insederat, vt interdum, quod expertus loquor, membris tuis placido sopore deuinctis illum etiam in somnis
[a] Etiam dormiens, sæpe exhortationis & orationis verba fudit officio solito tua lingua resonaret. Sæpè [a] dormiés sanissimæ exhortationis, sæpè orationis affectu officiosissimo verba fudisti. Agebatur quippe in lectulo corporis requies mentis in Christo. Et quidem, prout quique affuimus, experti sumus: tu verò vnica semper omnium requies, quàm alacer sæpè referebas somnia, non aliquid præsagientia, neque aliqua in futurum anxietate solicita, sed inquietis animæ desiderijs excitata, martyrium scilicet, quod semper meditatione [b] gestabas, credo, interdum alludente & prouocante cupiditatem tuam Domino, tanquam excitata in fidem tuam
[b] Quam fuerit martyrii cupidus. persecutione peragebas. Et verè puto neminem diffiteri, tibi ad martyrium tempus, non animum, defuisse. Quotidiana siquidem in sinceriſsimis tractatibus confessione patris & filij & spiritus sancti testis fuisti: nec facilè tam exertè, tam lucidè quisquam de diuinitatis trinitate disseruit, cùm eam in personis distingueres, & gloriæ æternitate ac maiestate sociares. Memento itaque amice Dei, memento iugiter nostri: Deo incoinquinatus assistis, canés illud canticum
Apoc 14. nouum, & sequens agnum quocunque vadit. Tuilli pedissequus, tu pro nobis patronus, orationum nostrarum interpres acceptabilis, & fortis assertor. Profusas ad sepulcrum tuum alumni gregis preces perfer: Impetra, vt conspiratione communi Sacerdos & populus, quæ iussisti, quæ docuisti, aliquatenus obtinere mereatur: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui te in gloriam suam assumpsit, atque cum patre suo sanctoq; spiritu, viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. HONORATI ARELATENSIS EPISCOPI, A DICTA CIVITATE AD MONASTERIUM LIRINENSE, ex MSS. vetusti codicis eiusdem Monasterij: contigit autem anno humanæ salutis 1391. Romano Pontifice Bonifacio IX. Rege verò Francorum Carolo VI.

An. 1391. Habetur in Chronolo. Insulæ Lirinen. Vincē. Baralli.

20. Ian. POST longum temporis lapsum ab obitu sanctissimi Patris nostri Honorati, qui fuit circa annum Do- I.
mini 430. cupientes clerus & populus Arelatensis ciuitatis, ipsum quem dum superas ageret auras, summa benignitate, sanctitate, omnigenaque doctrina refertum deuotè coluerant, etiam vita functum, venerabiliter ab ipsis venerari, inito consilio, Ecclesiam ad laudem Dei ac Deiparæ Virginis Mariæ, beatissimique [c] confessoris Honorati, iuxta sepulchrum eius, quod erat in cœmiterio Elisij campi, quod
[c] S. Honorato Arelati basilica cō struitur. vulgò nunc dicitur Aliscamps, sub eorundem titulo fundare statuunt: quam honorifica satis lapidum congerie perfecerunt, quæ postmodum ruinam passa, [d] restaurata fuit tempore Kauilani Episcopi Arelatensis, vt constat ex eiusdem epistola, ad Episcopos & Christi fideles data, pro refectione eiusdem Ecclesiæ, in qua sic habetur præter alia: Notum ergò omnibus facimus, quod extra muros vrbis Arelatensis, in campis qui vulgariter dicuntur Elisij ecclesia fundata
[d] Destructa restauratur. est, quæ sancti Honorati censetur, quam præcessores nostri viris religiosis sancti Victoris Massalienſis contulerunt, vt
[e] Reliquiæ eiusdem. sancta sanctis obu enirent. Ibi beati [e] Honorati corpus locello suo repositum est. Ibi viri disertissimi Hilarij prædictæ ciuitatis Episcopi reliquiæ sepultæ fouentur. Ibi Beatorum Pontificum Aurelij, Concordij, Eonij, Virgilij, Rothlandi, & aliorum pōtificum beatissima membra loca prædicta sanctificant, vt beati Genesij martyris, & Dorotheæ virginis & martyris, & aliorum æquè sanctissimorum corpora illic collocata sunt.

Cvi Ecclesiæ post alios præfuit quidam honestæ vitæ religiosus vir, monachus & prior monasterij Garegobiæ, II.
qui cum penè omnem prouinciam bellicis turbinibus conspiceret agitari: & hostili impetu, repentinis insultibus, ciuitates, oppida locaque Deo dicata, prophanæ cupidæque prædæ exponi, anxius ne bellicus furor inualesceret, & repente à prædonibus martialibusque viris, quibus nulla fides pietasque manet, Ecclesia ipsa prophanaretur, & corpus beati Honorati furtiuis raptibus tolleretur, perpendens iniquum esse sanctum dare canibus, &
[f] Corpus S. Honorati ad monasterium Garegobiæ trāsportatur. margaritas mittere ante porcos, assumptis cum DEI timore venerabilis corporis Lipsanis, [f] ad suum præfatum monasterium Garegobiæ conseruandis deuotè transportauit, quo in loco aliquibus annorum curriculis asseruata fuère.

Disponente autem clementia diuina, vt sacra Insula Lirinensis suum aliquando benignum in gremio fo- III
ueret patronum & fundatorem, accidit, quod cùm idem prior fœdere consanguinitatis foret sacristæ Lirinensi coniunctus, eiusdemque laris, disposuit illum inuisere, & custodiam dicti corporis beati Honorati penes se esse reserare: qui gressus suos Lirinam versus dirigens, sacristæ propinquo suo, secretum aperuit, promittens si in congregationem monachorum Lirinensium ascriberetur ipsum corpus beati Honorati conuentui assignaret Lirinensi custodiendum: quo per ipsum sacristam domino Abbati Lirinensi, Iohanni scilicet Turnaforti, ex monacho & Abbate S. Pontij de Nicea, ac monachis delato, lubenti animo se eius petitioni assentire, & in monachium recipere, si dicta factis compensaret promiserunt. Spopondit ille, associatoque sibi consanguineo suo sacrista, & quodam alio honesto mo-
[g] Inde ad Lirinēsem Insulam. nacho de conuentu [g] Lirinensi, arrepto itinere, monasterio prædicto Garegobiæ appulerunt, perpauciſque ibidem diebus demoratis, vna Sabbatorum diluculo exurgentes, assumpto corpore beati Honorati, viæ in nomine Domini se commiserunt, suosque iuges, & festinos Lirinensium Insulam versus direxerunt gressus.

Cvmqve vna iter agerent, & ille monachus Lirinensis, in suæ secreto ambigeret fluctuaretque mentis, IV.
an verè corpus beati Honorati existeret, quod efferebant, minusque [h] credulus cœpit in via subter podii Moisi-
[h] Incredulipœna. honi castrum, membrorum, maximè crurium doloribus ac artuum contractione, miserè vexari: vnde tam aduerso & repentino casu conturbati comites, pro aliquo impendendo auxilio ægroto, ad prædictum castrum mittere parant: sed interim languidus suæ incredulitatem mentis pandit, & facti pœnitens, suffragium beati implorat Honorati, dicens: O alme Confessor Honorate sanctissime, cuius vita virtutibus ornata refulsit, & vitali in præsenti æuo fruens spiritu, semper Christo adhæsisti, à quo tuis sanctissimis precibus languidis & variis infirmitatibus detentis, incolumitatem impetrasti: obnixè obsecro, vt si hæc ossa, quæ gerimus, tui existunt beatissimi corporis, pro me indigno famulo tuo apud eum, qui te tantis meritis dotare dignatus est, intercedere digneris, vt ab hac infirmitate liberari merear, vt per conualescentiam sospitatis, hæc tui verè existere ossa corporis agnoscere, & veram translationem pandere, in Ecclesiaque Dei laudum præconia promere va-
[i] Ad S. Honorati inuocationem curatur. leam. Perfectaque oratione incolumis effectus Deo, qui meritis sui Confessoris [i] Honorati ipsum sanauerat, gratias referens, reliquum itineris cum socijs perfecit. Peruentis autem ad Canoarum castri portum, instructo remige perbreui freto enauigato, sacræ insulæ Lirinensis litora carpunt, tunc Abbas cum omni simul congregatione cum solenni pompa & canticis laudum, eis obuiam venerabiliter processerunt, susceptisque ipsius corporis beati

Hono-

Honorati artubus in iubilo & voce exultationis, pro tanto accepto munere immensas Deo gratias persoluunt. Aperientesque loculum in quo beata ossa includebantur, Albaranum verbis sequentibus inscriptum inueniunt, scilicet, Reliquiæ & corpus beatissimi Honorati Arelatensis Archiepiscopi. Tum pro maiori veritaris[a] certitudine, partem ossis crucis, quam antea in præfato monasterio habebant, reliquæ parti à qua absumpta fuerat aptantes, ita statim perfectè coniuncta est, vt nulla prorsus appareret fractura, ac si nunquam diuulsa fuisset, ex quo verè reliquias, & ossa glorioſi confessoris Honorati esse, manifestum fuit, quæ quidem cùm quanta potuerunt maiori reuerentia in cœnobium & intra arcem turris, in Capella sanctæ Crucis honorifice collocarunt. Anno Domini 1391. tertio Calend Februarij. Ad laudem & gloriam DOMINI nostri IESV CHRISTI, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, AMEN.

[a] Certissimum indicium corporis S. Honorati.

De S. Honorij Translatione plura offendes apud Vincentium Barallum in Chronologia sanctorum insulæ Lirinensis.

VITA S. FVRSEI, CVIVS PRÆCLARE ET PROLIXE MEMINIT BEDA VENERABILIS LIBRO TERTIO, CAP. XIX.

AN. 650.

Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum: vbi etiam multa ad verbum ex hac recitat vita. Extat in egregijs MSS. codicibus.

16. IAN.

I. FVIT vir vitæ venerabilis, Furseus nomine: nobilis quidem genere, sed nobilior fide: seculi dignitate inter suos clarus, & in diuinorum gratia munerum præcipuus. Huius viri infantia, claris quibusdam miraculorum præsagijs apparentibus pollebat. Summis etiam sacerdotibus per diuinam prouidentiam commissus, sacris literis & monasticis erudiebatur disciplinis. Crescente[b] verò ætate, gratia prouidentiæ erga illum bonorum affectuum quotidiè crescebat. Erat forma præcipuus, corpore castus, mente deuotus, affabilis colloquio, amabilis adspectu, prudentia præditus, temperantia clarus, in interna fortitudine firmus, censura iustitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, charitate solicitus, & ita eum decor sapientiæ adornabat, vt secundùm Apostolum sermo illius semper in gratia sale esset conditus. Bonorum ergò operum gratia plenus, patriam parentesque relinquens, sacræ scripturæ studijs aliquot vacabat annis: instructusque, monasterium[c] in quodam construxit loco, vbi vndiq; religiosis confluentibus ad eum viris, aliquos etiam parentum suorum pia solicitudine euocare curauit.

[b] S. Fursei egregiæ virtutes & dotes. *Coloss. 4.*

[c] Condit monasterium.

II. HAC ex causa dum patriam parentesque visitare properaret, vt inter illos sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquijs, quadam die corporis ægrotantis molestia corripitur, ac deindè ad paternam, amicis suggerentibus, commigrauit domum. Ille verò malè habens, superque alterius manum innitens, quò volebat, perrexit: & haud longè à domo vespertinalem exorsus psalmodiam, & orationi intentus, tenebris subitò circundatus sterit. Nec enim pedes mouere infirmatus valebat, sed quasi iam mortuus, ad proximam deportatus est casam. Et cùm se tenebrarum caligine circundari vidisset, quatuor manus desuper ad se extensas conspexit, quæ tenentes illum per brachia, niueis subuolabant pennis. Manus[d] quippe sub pennis erant, quæ illum ex vtraque parte sustinebant, & quasi per caliginem angelica cernebat corpora. Altius verò perueniens, mirifico splendentes fulgore, facies sanctorum cernebat angelorum: vel, vt certius dicam, claritatem eximiæ lucis ex ipsis angelicis intuebatur conspectibus, nec aliquid corporeum, nisi luminis claritatem potuit videre. Tertium quoque angelum, armatum scuto candido, & fulgureo gladio, claritate præcipuum se præcedere conspexit. Hi tres cœlicolæ, splendentes pari fulgore, miræ suauitatis dulcedinem alarum sonitu, carminum modulamine, conspectûs pulchritudine, illius animæ inferebant. Canebant autem vno incipiente: Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Eratque in carmine eleuatio, & ad finem positio. Audiebat quoque aliud quasi ignotum canticum multorum millium angelorum, vnde pauca vix poterat intelligere: hoc est, Exierunt autem obuiam Christo. Facies verò omnium, in quantum intelligere potuit, erat lucida, angelorumque parem similitudinem videbat: quanuis propter claritatem luminis, perspicuè distinctionem corporeæ non posset videre formæ.

[d] Visio mirabilis.

Psalm. 83.

III. TVNC vnus ex supernis agminibus armatum præcedentem angelum iussit ad corpus venerandum reducere virum, suamque secum deferre debere solicitudinem. Protinùs ergò sancti obedientes angeli, quò venerant, iter repedârunt. Tunc primò vir sanctus se[e] corpore exutum cognoscens, à sanctis comitibus, quò se deferant, inquirit: sanctusque angelus à dextris consistens, dixit eum oportere proprium corpus suscipere, quoadusque debitam reportaret solicitudinem. Tuncque vir sanctus tædio affectus separandi à societate angelica, dixit se ab eis separari noluisse. Angelus verò Domini sanctus respondit: Ad te, completa prædicta solicitudine, suscipiendum reuertemur, cantabantque dimidium versiculum, Videbitur Deus deorum in Sion. Tunc autem qualiter anima corpus intrauerit, huius carminis suauitate lætificata, intelligere non potuit. Tuncque in pullorum cantu, rosei coloris vultu perfusus, in momento temporis, angelicis cessantibus carminibus, audiuit verba admirantium plangentiumque, qui vestimenta superposita remouentes, denudauerunt faciem eius. Tunc vir Domini circumstantibus dixit: Quid, stupentes, sonos inquietos emittitis? At illi respondentes, omnem rei referebant ei ordinem, qualiter vespertinali hora transisset, & quomodo vsque ad gallorum cantus corpus exanime in medio seruâssent. At ille sedens, angelicamque claritatem ac dulcedinem mente reuoluens, de quali solicitudine admonitus fuisset, partractans, mœstus iam erat, quòd non haberet ibidem sapientem hominem, cui ea, quæ viderat, clarè exponere potuisset, ne reuertentibus angelis, eum inuenirent imparatum: petijtq; & accepit sacri corporis & sanguinis communionem, vixitq; infirmus ipso die & altero.

[e] Anima ei corpori restituitur. *Psalm. 83.*

[f] Rursus mira ei offertur visio.

IV. MEDIA verò nocte tertia feria, parentibus & cognatis, multisque[f] vicinis illustrem virum visitantibus, tenebris irruentibus, pedes eius frigore ingrauati duruerunt, manibusque in oratione extensis, lætus excepit mortem. Recordabatur enim iucundissimæ visionis, quam per eadem signa viderat antea: decidensque in lectum, quasi somno grauatus, audiuit horribiles magnæ multitudinis voces, clamantium atque illum exire compellentium: apertisque oculis, nullum nisi tres supradictos sanctos vidit angelos, duos vtroque latere positos, tertium verò armatum ad suum stetisse caput. Mirumque in modum humanis conspectibus ac vocibus priuatus, sanctos angelos vidit, ac illorum cantica cum omni suauitatis dulcedine audiebat. Tunc angelus Domini, qui à dextris eius erat, consolans eum, dixit: Noli timere, defensionem habens. Leuantibusque eum angelis, nihil tecti aut domûs adspiciens, vlulatusque & clamores dæmoniorum transiens, audiuit vnum ex illis dicentem: Antecedamus, ante faciemque illius bella commoueamus.

V. TVNC vidit nigram nubem, à sinistra parte crispantem, ante faciem illius bellicam aciem constituentem. Corpora dæmonum, in quantùm animæ illius apparere poterant, plena deformitate & nigredine erant, collo extento, macie squalentia, ac omni horrore plena, capite in similitudinem cacabi intumescente. Quando verò volabant, vel quando pugnabant, nullam corporis formam, nisi horribilem & volaticam vmbram videre poterat. Sed quis prudentium

tium lectorum ignorat, hæc etiam de immundis spiritibus ad terrorem videntis animæ fieri? Et facies eorum nunquã potuit videre propter horrorem tenebrarum, sicut nec sanctorum angelorum propter nimiam claritatem. Bellicantia verò [a] dæmonia ignitas sagittas iactabant contra illos, sed angelico scuto omnia tela nequissimi extinguebantur. Cadebant verò aduersarij antè conspectum pugnantis angeli, qui quasi rationem posuit cum eis, dicens: Nolite tardare iter nostrum, quia hic homo non est particeps perditionis vestræ: contradicente aduersario ac blasphemante, iniustum esse Deo, hominem peccatoribus consentientem, nihil damnationis habere, cùm scriptum sit: Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Pugnante [b] verò angelo, existimabat vir sanctus, clamorem pugnæ & vociferantium dæmoniorum in omni terra audiri.

[a] Dæmones cum angelo pugnant

Rom.1.

Nota improbas dæmonum accusationes.

CVMQVE victus satanas, sicut contritus coluber, caput releuâsset venenosum, dixit: Ocioſos sermones sæpè protulit, non debere eum illæsum vita perfrui beata. Sanctus angelus dixit: Nisi principalia protuleritis crimina, propter minima non peribit. Accusator antiquus dixit: Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Sanctus angelus respondens, ait: Vbi se vindicauit, vel cui iniuriam fecit? Diabolus dixit: Non est scriptum, Si vindicetis: sed, Si non remiseritis de cordibus vestris. Sanctus angelus excusans, dixit: Indulgentiam in corde habuit, sed consuetudine humana continuit. Diabolus respondit: Sicut accepit malum ex consuetudine, ita accipiet vindictam à superno iudice. Sanctus angelus dixit: Iudicemur antè Deum. Ter victus inimicus, vipera restaurat venena, dicens: Si iustus est Deus, hic homo nõ intrabit in regnum cœlorũ. Scriptũ est enim: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc verbum minimè impleuit. Sanctus angelus dixit: Iudicemur ante Dominum. Præliante sancto angelo, contriti sunt aduersarij. VI.

Matth.6.

Matth.8.

Ibidem.

TVNC sanctus angelus, qui à dextris eius erat, dixit: Respice mundum. Tunc vir sanctus respexit, & vidit vallem tenebrosam sub se in imo positam, & vidit [c] quatuor ignes ibidem in aëre, aliquibus spatijs à se distantes. Dixitque rursum sanctus angelus: Qui sunt hi ignes? Vir Domini se nescire respondit. Cui angelus sanctus dixit: Hi sunt quatuor ignes, qui mundum succendunt, postquam in baptismo homini omnia peccata dimittuntur, per confessionem & abrenuntiationem diabolo, & operibus eius & pompis. Vnus est mendacij, cùm hoc, quod in baptismo abrenuntiare satanæ & omnibus operibus eius promiserunt, minimè implent. Alter cupiditatis, cùm mundi diuitias amori cœlestium præponunt. Tertius dissensionis, cùm animos proximorum etiam in superuacuis rebus offendere non formidant. Quartus impietatis, cùm infirmiores spoliare & eis fraudem facere pro nihilo ducunt. Ignis verò crescens in maius, effectus est vnus, & illi appropinquabat: timensque ignem minacem, sancto angelo secum loquenti ait: Ignis mihi appropinquat. Cui respondit angelus: Quod non accendisti, non ardebit in te. Licet enim terribilis sit & grandis iste ignis, tamen secundùm merita operum singulos examinat: quia vniuscuiusque cupiditas in isto igne ardebit. Sicut enim corpus ardet per illicitam voluptatem, ita & anima ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit sanctum angelum præcedentem ignem, flammamque diuidere in duos muros vtroque latere: & duo sancti angeli erant vtroque latere, ab igne qui defendebant eum. VII.

[b] Quatuor ignes, mũdum inflammantes.

VIDIT quoque quatuor dæmonia immunda, per ignem volantia, bellum horribile in medio ignis construentia. Et dixit vnus ex illis: Seruus, qui scit voluntatem domini sui, & non facit digna, plagis vapulabit multis. Sanctus angelus respondit: Quid enim iste de voluntate Domini sui non adimpleuit? Satanas respondit: Dona iniquorum recepit. Sanctus angelus respondit: Credidit enim quod vnusquisque eorum egisset pœnitentiam. Diabolus dixit: Antè debuit probare pœnitentiæ perseuerantiam, & sic fructus suscipere. Munera enim excæcant oculos sapientium, & peruertunt verba iustorum. Sanctus angelus respondit: Iudicemur antè Dominum. Fallax diabolus succumbens, in blasphemias contra authorem erupit, dicens: Vsque nunc æstimauimus Deum esse veracem. Sanctus angelus respondit: Quid enim aliud est? Procacissimus dæmon dixit: Quia omne delictum, quod non purgatur super terram, in cœlo esse vindicandum promisit, per Esaiam prophetam clamans: Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Hic homo non purgauit delicta sua in terra, nec vindictam hîc recipit, vbi est ergò iustitia Dei? Sanctus angelus increpans in eos, dixit: Nolite blasphemare, dum nescitis occulta Dei iudicia. Diabolus respondit: Quid enim hîc occultum? Sanctus angelus dixit: Quandiu speratur pœnitentia, comitatur hominem diuina misericordia. Satanas respondit: Sed nullus tamen hîc est locus pœnitentiæ. Angelus respondit: Profunditatem mysteriorum Dei ignoratis: fortassè etenim erit. Diabolus dixit: Discedamus ergò, dum iudicandi ratio non est. VIII.

Luc.12.

Deut.16.

Esa.1.

ALIVS verò satellitum eius dixit: Adhuc restat illi angusta porta, per quam nisi pauci non intrant: ibi illum superare poterimus: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Sãctus angelus respondit: Vir iste in proximos suos operatus est bona. Aduersarius respondit: Non sufficit operari bona, nisi etiam sicut semetipsum proximum dilexerit. Sanctus angelus respondit: Fructus dilectionis, est bona operari: quia Deus reddet vnicuique secundum opera sua. Improbus dæmon dixit: Sed quia verbum Dei diligendo non impleuit, damnandus est. Pugnante turba nefanda, sancti angeli victores fuêre. Victus sex vicibus diabolus, more suo in blasphemiam erupit, dicens: Si Deus iniquus non est, & si mendacium, & verborum illius transgressio ei displicet, vir iste pœnarum expers non erit. Promisit enim seculo abrenuntiare, & è contrario seculum dilexit, contra Apostoli præceptum, dicentis: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Virum ergo hunc nec propriæ sponsionis sermo, nec Apostoli prohibuit sententia. Sanctus angelus respondit: Non sibi soli ea, quæ sunt sæculi, sed omnibus indigentibus dispensanda dilexit. Nefandissimus diabolus dixit: Qualicunque modo diligatur, contra præceptum diuinum est, & contra sponsionem Christianitatis in baptismo. Victis aduersarijs, angelis vincentibus, rursus diabolus ad callidas conuertitur accusationes, dicens: Scriptum est, Nisi annuntiaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius requiram de manu tua. Hic non annuntiauit dignè peccantibus pœnitentiam. Sanctus angelus respondit: De hoc enim tempore scriptum est: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est. Quãdo enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris loqui præpeditur, dum videt quòd audita prædicatio despicitur. Accusator antiquus respondit: Ille tamen vsque ad passionem annuntiare debet, nec consentire, nec tacere. IX.

Rom.2.

1.Ioan 2.

Ezech.3.

Amos 5.

IN omni verò contradictione dæmonum præualida nimis extitit pugna, donec iudice Domino triumphantibus eius angelis, contritis deuictisque aduersarijs, immensa claritate vir sanctus circunfulsus est, sanctorumque angelorum choris concinentibus: Nullus [d] labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur, quæ lætitia simul & dulcedine completur. Tunc sursum adspiciens, vidit immensa agmina, eximia claritate fulgentia, angelorum præcedentium, sanctorumq, hominum aduolantia, quasi alis immensæ coruscationis circundantia eum, omnemque formidinem ignis ac deformium spirituum terrores procul abijcientia. Conspicit verò duos venerabiles viros illius prouinciæ, in qua ipse vir Domini Furseus notus erat: quos videns obîsse credebat. Hos præsules cunctorum memoria vsque ad nostra tempora celebrat: propiusque ad se accedentes vidit, ac familiariter propria dicentes nomina: qui vocabantur [e] Boëanus & Meldanus: & loqui cum eo cœperunt. Tunc adspiciebat magnam cœli serenitatem, & duos angelos proximam cœli iucunditatem repetentes, quasi per ostium intrantes æthereum, ac repentè circa illos magnitudinem claritatis, & quasi per quatuor choros cantantium multitudines angelorum ac dicentium: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Tunc anima illius dulcedinem supernæ modulationis X.

[d] Sententia memorabilis.

[e] Boëanus & Meldanus Episcopi cum eo loquuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tionis ac ſonitum ineffabilis lætitiæ intra cœlum ſonantis intendente, circumfuderunt eam agmina angelorum, ſtantia à dextris eius, de quibus vnus ait: Scis vbi agitur hæc lætitia & gaudium? Illo reſpondente ſe neſcire, ſanctus angelus reſpondit: Apud ſupernum conuentum, vndè & nos ſumus. Tunc mens omnem laborem tribulationis obliuiſcens, immenſa complebatur lætitia: quia ſuperna audiens carmina clarius & modulatius reſonare, pro ſe ſola decantari computabat, admiransque ait: Magnum eſt gaudium hæc auſcultare carmina. Cui dixit angelus Domini: Hoc auditu nos pro miniſterio diſpenſationis humanæ ſæpè priuamur, & quod nos annunciando laboramus, dæmonia humana corrumpendo corda diſſipant.

XI. RVRSVMQVE angelus Domini beato viro, ad carmina cœleſtia audienda intento, loquitur: In hoc cœleſti regno nulla vnquam triſtitia, niſi de hominum perditione fieri poteſt. Tunc prædictos ſacerdotes cum ingenti claritate à ſecreto cœli procedere, angelica forma radiantes, & ad ſe venire conſpicit, ac ſibi ad ſæculum redire præcipiunt. At ille tacens, & huius nuntij triſtitia ſtupefactus, in momento reuerſus eſt, ſanctis angelis eum reportantibus: præfati verò viri venerabiles ſpatium poſcunt cum eo loquendi, & dicunt: Quid times? Vnius diei iter eſt, quo laboraturus es. Prædicans ergò, omnibus annuntia, quia in proximo eſt vindicta. Beato autem Furſeo interrogante de mundi fine, aiunt finem creaturæ etiam tunc non eſſe, quamuis in proximo ſit: ſed famis & mortalitatis plagis humanum genus eſſe vexandum: quod etiam ſigno Solis, cùm radios ſuos præterito anno abſcondiſſet, in modum lunæ iugiter ſplendente ſignificatum eſt. Duo verò genera ſunt [a] famis: vnum in abundantia ſapientiæ intelligendi verbum Domini, & non implenti: aliud verò, tenacia mentis in abundantia diuitiarum: ſed de vna radice amaritudinis generantur. Sicut enim auarus non impletur pecunia, quia auaritiæ amaritudo non ſentit dulcedinem de perceptis bonis, inhiando ad ea, quæ illicita ſunt: ſic etiam ſermonis Domini dulcedinem, malitiæ amaritudine occupatæ & detentæ non ſentiunt animæ. Mortalitas verò propter Dei patientiam, modicum quidem detenta eſt: ſed quicunque hæc ſigna videt, vel monita ſanctæ ſcripturæ deſpicit, ſi non egerit pœnitentiam, mors illius proxima eſt.

[a] Famis duo genera.

XII. ET quamuis omnibus diuina monita contemnentibus ſuperni iudicis ira iamiam immineat, maximè tamen ſuper doctores Eccleſiæ ac principes furor illius iratus eſt: quia pereunt animæ fidelium per huius mundi illecebroſa vitia, per ſuggeſtionem militantis diaboli, per negligentiam Doctorum, per mala exempla prauorum principum. Doctores namque, prophetarum libros conſiderantes, intelligant, & quale ſit hoc tempus, cognoſcant. Viri namque diuidij operis ſunt: quia [b] per omnipotentis Dei miſericordiam alij largitatis gratiam ſunt adepti, ſed carnis incontinentia ſunt lubrici: Alij verò corpore quidem ſunt caſti, ſed auaritiæ æſtibus ſunt cupidi. Alij quoque habent gratiam lenitatis, ſed rancore animi ſunt puſillanimes. Alij autem non recordando iniurias ſuas, citò ignoſcunt: ſed minus cor cautè cuſtodiendo, citiusque iraſcendo, rixas prouocant. Alij quod Deus ſingulis largiendo donauit, in hoc illi, quaſi proprio labore acquirentes, gloriantur. Alij verò dum qui impugnabant, eos deuicerunt, corde vigili & bonorum operum econtra inſtantia eos vincere omittunt. Sunt quoque nonnulli, qui ſpiritualibus vitijs impugnantur: ſed his omiſſis, corpus in abſtinentia affligunt, Verbi gratia: Nocturnas illuſiones pati, magnum crimen exiſtimant: ſuperbiam verò, quæ angelos de ſupernis deiecit, pro nihilo computant: auaritiam, quæ primum hominem de paradiſi expulit amœnitate, non execrantur, nec inuidiam, per quam parricida Cain fratrem ſuum Abel interfecit: Falſum quoque teſtimonium, per quod Saluator damnatus eſt, aut blaſphemiam non execrantur: non conſiderant, quales vel quantæ vindictæ ſuper eos, qui talia egerint, venturæ ſunt. Multi enim cibis, quos Deus ad percipiendum cum gratiarum actione creauit, abſtinentes hæc nefanda quaſi licita ſumunt: hoc eſt, ſuperbiam, auaritiam, inuidiam, falſum teſtimonium, blaſphemiam: per quæ detrahendo, quaſi carnes proximi cum ſanguine illius comedunt: & quæ leuiora ſunt in Dei iudicio, grauiora iudicant: grauia verò, leuiora putant. Omnis ergò doctor ſingulis [c] vitijs congrua debet opponere medicamenta. Nam qui hæc vitia leuiora eſſe aut gula aut fornicatione exiſtimat, animarum inimicus potius, quàm doctor iudicandus eſt.

[b] Bona ſua qui vitijs corrumpãt.

Geneſ. 4.

[c] Vitia contrarijs curanda virtutibus.

XIII. CVRATIO ergò ſuperbiæ, eſt increpatio coram omnibus, humiliatioque crebra in luto & cinere. Auaritiæ verò medicamentum, eſt largitatis diſpenſatio in vniuerſos per beneuolentiam & benignitatem. Medicinam autem facit falſo teſti, humiliter confiteri ei, in quem falſa congeſſit verba, & ab eo indulgentiam ſupplicare. Blaſphemiæ quoq; malum, medicamento ſanatur per humilitatem ſubiectionis, & per linguæ ab omni inutili locutione refrænationem, atque per orationis inſtantiam. Contraria enim vitia, contrarijs virtutibus curantur. Nec ſatis eſt corpus affligere, ſi animæ à malitia & nequitia non curantur. Principes ergò & doctores Eccleſiæ Chriſti, animas fidelium ad pœnitentiæ lamentum poſt culpas prouocent, & eas ſpiritali paſtu doctrinæ, ac ſacri corporis & ſanguinis participatione ſolit

processeris, ad animarum salutem, non ad huius mundi inhianda lucra, animum intentum adhibeto. Sed & si quis sibi prima hora diei dona contulerit, & ante vesperum pœnituerit, sicut libens suscepisti, ita hilaris ei restitue. Nullam quoque patrimonio custodiam, nullam curis huius seculi intenti cordis diligentiam adhibeas: sed omnibus aduersantibus vel cõtrarijs, puri pectoris indulgentia, bona pro malis rependas, pro inimicis summum supplica Deum. Qui enim cordis lenitatem contrarijs & sibi resistentibus illæsam seruauerit, omnium ferarum & bestiarum ferocitatem in mansuetudinem conuertit. Nullum enim [a] boni operis sacrificium sic Deo acceptabile est & probatum, quàm patientissimi cordis contra omnes iniurias lenitatis mansuetudo, pro qua omnia aduersa ac damna, quasi lucra & prospera, spe futuræ remunerationis lætus, Domino iuuante, suscipit.

[a] Deo gratissimum boni operis sacrificium.

DVO enim humanæ animæ inimici esse probantur, diabolus & mundus: & vnusquisque eorum vicissim alterius dilectionem insinuat, vt per hoc, quòd anima mundi huius illecebris substernitur, ab aduersario uincta & possessa teneatur. Vade ergò, terræ huius Hyberniæ principibus verbum Dei annuntians, vt relicta iniquitate, per pœnitentiã ad salutem perueniant animarum. Tum deinde excellentioribus sanctæ Ecclesiæ sacerdotibus hæc ipsa annuntia, quòd omnipotens Deus zelotes est, si plus amant seculum, quàm ipsum. Negligentes enim animarum vtilitates, lucris huius seculi deseruiunt, & ad mortem seram prædicant pœnitentiam: & tunc eorum dona suscipientes, ignem de illorum tormentis perferunt. XV.

HIS dictis supernum illud angelorum cœlo receptum est agmen, beatoque Furseo cum tribus angelis solis ad terram reuersuro, maximus appropinquabat ignis. Sed angelus Domini, sicut ante, medium diuidens, findebat ignẽ, virumque vnum ex igne prosilientem vidit, dæmonibus illum proijcientibus: qui veniens super humerum eius, maxillam maxillæ eius impressit. Cognoscebat autem virum, quia ei vestimentum proprium moriens perdonauit, humerunque eius ac maxillam incendens, ab angelo sancto in ignem, vndè exijt proiectus est. Angelo autem, qui à sinistris volabat, inter beatum virum & ignem stante, dexter illum virum angelus in flammas proiecit. Tunc diabolus antiquas repetens fallacias, dixit: Nolite repellere, quem ante suscepit: & sicut eius bona suscepit, sic de pœnis eius particeps esse debet. Angelus Domini respondit: Non propter auaritiam, sed propter animam eius liberandam suscepit. Cessauitque ignis. Tunc dixit angelus Domini: Quod incendisti, hoc arsit in te. Si enim huius viri, in peccatis suis mortui, vestimenta non suscepisses, nec pœnæ illius in corpore tuo arderent. XVI.

PRÆDICA ergò omnibus, quòd [b] pœnitentia agenda est & à sacerdote suscipienda vsque in extremam horam: sed tamen nisi pœnituerit, nihil substantiæ eius suscipiendum, nec corpus eius in sancto sepeliendum est loco. Viuo tamen prædicetur acrius, quatenus cor illius amaritudo compunctionis tangat, tangensque purget, omnibusq; pristinis renuncians iniquitatibus, eleëmosynas vbertim pauperibus distribuat. Nihil tamen exindè à sacerdote ei prædicante suscipiatur, sed iuxta sepulchrum eius bona illius pauperibus diuidantur, nè in aliquo iniquitatis illius particeps sit. His atque alijs sanctæ exhortationis sermonibus instructus, super tectum Ecclesiæ inter sanctos constitit angelos, suumque corpus considerans, nec parietes domûs, nec turbam lugentium, nec ipsa corporis indumenta videre potuit: iubeturque ab angelo proprium cognoscere & resumere corpus. [b] Pœnitentia agenda. XVII.

TVNC ille quasi ignotum cadauer timens, noluit illuc appropinquare. Cui respondit angelus: Noli timere hoc suscipere corpus, quod sine vlla repugnatione infirmitatis vel vitiorum expugnantium, quamuis inualidum, sanum tamen habere poteris. Concupiscentias enim illicitas in hac tribulatione superâsti, vt vetera contra te non præualeant. Tunc [c] vidit pectus illius corporis aperiri. Dixitque ei angelus: Reuiuiscens corpus tuum, aqua fontis superfundatur, & nullum dolorem, nisi tantùm concremationis, sentire poteris: Benefacientemque te omnem gressum tuum vsque in finem videbimus, & sic te lætum beneque operantem suscipiemus. Exurgens autem vir sanctus quasi ex profunda mortis quiete, conspiciensque parentum multitudinem vel vicinorum, siue etiam clericorum, ingemiscensque magnitudinem humanæ stultitiæ, arduumque & difficilem transitum admirans, magnitudinem quoq; remunerationis peruenientibus ad beatas sedes, singulis per ordinem annuntiabat: cumque viua superfusus esset aqua, incendium inter scapulas illius, quod de iniquo sumpsit viro, & in facie eius apparuit, mirumque in modum quod anima sola sustinuit, in carne demonstrabatur. Egressus indè, verbum Dei prædicabat, & ea, quæ viderat vel audierat, omnibus populis Scotorum annuntiabat. [c] Reducitur anima Fursei ad corpus. XIIX.

ERAT verò in illo [d] incomparabilis gratia, nihil terrenum vsquam petente, omnipotentique Deo se tribuente: Prælatis & subditis æqualibus & minoribus, magnatibus & regibus timendo: humilibus & contemptoribus seculi imitando, omnibus bonis amabili, iniquis & peccatoribus terribili, diuinisque virtutibus claro. Ex obsessis corporibus dæmonia fugabat, & pauperes recreabat. Dumque vnius anni spatio Hyberniæ insulæ populos per doctrinæ studium circumire studuisset, instabat dies anniuersarius, quo visionem à corpore sublatus viderat, memorans semper vnius diei iter sibi fuisse iniunctum. Multis denique sapientibus ac religiosis eum comitantibus viris, eadem nocte molestia corporali correptus est, in soloque tantùm pectusculo vita palpitante, vidit [e] angelum Domini ea, quæ ad opus prædicationis sunt congrua, sibi annunciantem, & vnius diei iter exponentem, ac duodecim annos in opere prædicationis completurum prædicentem: quod & ita factum est. Completis verò annis decem, omnibus sine personarum acceptione verbum Domini annuntiãs, & irruentium populorum multitudines non ferens, aliquantorum etiam animos inuidia stimulante contra se commotos esse deprehendens, relictis omnibus, quæ habere videbatur, paucis cum fratribus ad insulam quandam paruulam in mare profectus est, atque exindè non multum post de Hybernia peregrina litora petens, per Britannias in [f] Saxoniam transuectus est: vbi honorificatus à Sigeberto rege & susceptus, verbo Domini Barbarorum mitigabat cor. [d] Incomparabilis in Furseo gratia. [e] Angelum videt. [f] Hanc Saxoniam, vocat Beda prouinciam Orientalium Anglorum. XX.

COMPLETIS verò duodecim annis, quos angelus prædixerat sanctus, quadam infirmitate correptus, angelica fruitur visione: vbi etiam de prædicationis instantia admonitus, nullum viuendi finem audiuit: tertiumq; diem peregit tacendo, euangelicum præceptum admonens: Vigilate & orate: quia nescitis diem neque horam. Quod vir Deo plenus intelligens, locum monasterij à prædicto rege sibi traditum accelerauit construere. Quod monasterium in quodam castro constructum, syluarum & maris vicinitate amœnum, rex gentis illius [g] Anna, ac nobiles quique tectis & muneribus adornârunt. His ritè gestis, vir sanctus ab omni seculi, atque ipsius monasterij cura alienare se cupiens, cum sapientibus fratribus hoc tractauit. Habuit enim secum reuerentissimos & spiritales viros, qui exemplo tanti viri, & in monasterij probatione, & in diuersis laboribus viæ, ad humilitatis & charitatis gratiam profecerant, inter quos etiam germanos proprios habuit, Foillanum, sanctum admodum virum, cui etiam sancti monasterij & animarum dereliquit curam: alterum verò Vltanum, diuturna monasterij probatione ad eremitalem vitam instructum, multis iam annis ab eodem electam: qui derelictis omnibus curis & rebus, nudus ad fratrem suum, qui iam theorica pascebatur vita, solus profectus est. Labori hi duo quotidiano & orationibus continuis deseruientes, annum integrum ibidem philosophabantur. Tunc quibusdam causis ingruentibus, à populo & rege altioris ingenij ad consilium vocatus, immò etiam compulsus, desideratum sibi eremi dereliquit locum, omniaque animo peruigil tractans, ac turbatam esse prouinciam gentilium incursione prospiciens, nec ibi diuturnum monasterialem ordinem perpensans, ad Galliarum [h] litora dimissus, ordinatis omnibus, causa visendi Romam nauigauit: ibique à Francorum rege Clodouco [g] Anna, rex Orientalium Anglor. [h] Furseus in Gallijs condit monasterium. XXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

doueo & Patritio Erchenaldo honorificè susceptus, monasterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, construxit. At non multo post fratribus ordinatis, cum rege & Patrocinio iter agens, infirmitate corripitur. Ibiq́ue illo diu iacente, & virorum nobilium, vel ipsius reuerentissimi regis visitatione frequentato, ab [a] ore illius sermonis gratiam & condimentum vitæ assumebant æternæ. Et sic præsentia relinquens, ad æterna migrauit regna. Corpus verò illius ab illustri viro Erchenaldo Patritio retentum causa Ecclesiæ, quam sibi magno opere construxerat, in villa, cui Perona vocabulum est, ponitur. Et quia ipsius Ecclesiæ dedicatio intra triginta parabatur dies, in quodam loco in porticum interim corpus sanctum summa cum diligentia custoditur, ac post tot dies ita illæsum inuenitur, ac si eadem hora de hac luce fuisset egressus. Reuerenter [b] ergò iuxta morem propè altare reconditur, ibiq́ue annis ferè quatuor demoratur. Constructa verò ad orientalem partem altaris domuncula, ibi post tot annos immaculatum corpus à reuerentissimis subuectum Episcopis Eligio & Autberto, transfertur sine vlla putredine. Vbi etiam recta fide petentibus, merita illius clarescunt diuinis virtutibus, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Obitus S. Fursei.

[b] Corpus eius post 4. annos adhuc incorruptum.

PASSIO BEATORVM MARTYRVM BERARDI, PETRI, ACCVRSII, ADIVTI ET OTTONIS, *discipulorum beatissimi Patris Francisci.*

AN. 1200

I. SANCTORVM martyrum Berardi, Petri, Accursij, Adiuti & Ottonis festiua gaudia nobis, fratres charissimi, celebrantibus ipsorum quoq; ordinem martyrij breuis sermo perstringat: vt quò illi per lucis vitæq; contemptum, terrena quæque calcauerunt, eò mens nostra ad sublimiorem virtutum palmam se erigat. Beatus namque Franciscus, Minorum pater & fundator inclytus, cùm diuina cerneret reuelatione se & suos pro aliorum salute vocatos, etiam impiæ Mahometicæ legis obseruatores pro posse deducere ad lucem fidei cupiebat. Vndè anno à sua conuersione vndecimo multis cum periculis iter aggressus, vt [c] Sultani adiret præsentiam, ad Miramolini regnum præsentes destinauit sanctos, vt ipse Orientis, illi Occidentis populis Mahometicis salubre Christi prædicantes Euangelium, quasi totum ad Christum conuerterent mundum. Hos autem potissimè pater beatus diuinitùs reuelatos elegit, in quibus diuina virtus, rerum gestarum gloria, & splendidissimis actionibus illustrata clarebat. Quibus vt itineris laborem cum obedientiæ meritò susciperent, fratrem Vitalem, virum vtique omni sanctitate & discretione præcipuum, in prælatum præfecit.

16. IAN.

[c] S. Francis. cus proficiscitur ad Sultanum.

II. AT illi omnem spem & cogitatum in Dominum iacientes, & beati Patris pijs sermonibus & orationibus confortati, iter aggressi, tandem in Aragoniam peruenerunt. Vbi pater eorum Vitalis, diutini languoris morbo præuentus, diuina putans voluntate suum iter impediri, cæteros abire permisit. Haud multò post interiecto tempore, Colimbriam Portugaliæ regni vrbem [d] deuenientes, ad reginam Oracham nomine se contulerunt. Apud quam per aliquot dies commorati, ipsius precibus deuotissimis victi, vt ipsius vitæ terminum demonstraret, suppliciter Dominum rogauerunt. Factumq́ue est, vt primò martyrij sui ordinem, & deferendas suas Colimbriam reliquias, ac ab ea honorificè suscipiendas, & post vitæ ipsius exitum reuelarent: quod & rei demonstrauit euentus. Siquidem post eorum sacra ossa, ab eadem regina in monasterio sanctæ Crucis de Colimbria condita, paucis euolutis diebus, matutinali horaiuxta sanctorum vaticinium, deuota regina debitum humanæ carnis exoluit. Hora verò eadem Petrus, ordinis Canonicorum monasterij sacrista, & [e] reginæ confessor, vir omni sanctitate præclarus, præfatos quinque martyres indicibili claritate circundatos, & Minorum fratrum multitudinem numerosam matutinales Horas in ipso sanctæ Crucis templo decantantes vidit. intellexitq́ue quòd ibi conuenerant, vt exequiarum cultum debito honore præfatæ reginæ impenderent. Et miranti de reginæ transitu, vnus eorum dixit: De reginæ transitu nihil dubites nobis enim egredientibus, nuncius tibi aderit. Quod & statim factum est: vt in hoc vno simul appareret, quòd prælibati sancti sancti prophetiæ spiritu pleni fuerant, & præmonstrata visio authentica redderetur.

[d] Veniunt in Lusitaniam.

[e] Visio Petri reginæ Lusitaniæ confessarij.

III. IGITVR apostolici viri ab ipsa regina recedentes, Alanquearium ad Sanctiam, Sancij regis filiam, reginam vtique Deo deuotam, peruenerunt. At illa secularibus vestibus superindutos, quia aliter non erat ipsis transeundi facultas, Hispalim quæ nunc * Sibilia dicitur, transmisit. Vbi secularibus abiectis indumentis, ad [f] infidelium Mesquitam, vt prædicarent accesserunt. Impetu autem facto, repulsi & verberibus pluribus laniati, non à concepto spiritûs feruore deficientes, aulam ingressi, fidem Mahometicam damnantes, Christum coram rege prædicauerunt. Rex verò in furorem versus, eos decapitari præcepit. Filius autem regis naturali quadam pietate illis compatiens, paterni furoris ardore compresso, vt maturiùs in his ageretur obtinuit. At rex seniorum habito consilio, post publicam Christiani nominis exaltaturri, vbi primò retrusi sunt, prædicationem, post etiam squalidi carceris oppressionem, ad se vocatos, misericordiam pollicens, auertere nitebatur à Christo. Cui illi: Vtinam tibi rex misericordiam, quàm nobis præstare niteris, maturiori vsus consilio ipse tibi præstares. Age, quod malueris. Corpora eripere potes, sidera loca animas detinebunt. Stat nobis firma promissio, & pro præsenti morte immortalitatis dono fouebimur. Tunc rex eorum immobilem animum cernens, Marochium cum quibusdam Christianis destinauit.

* *Sibiglia.*

[f] Concionãtur ad Mahometanos

IV. INTER cæteros verò, qui Marochij morabantur Christianos, erat dominus Petrus Infans Portugaliæ regis frater, & regis Marochiorum ductor exercitûs. Hic siquidem in sua fratres recipiens domo, pio venerabatur affectu. At illi quod facturi venerant cogitantes, omni sublato timore, vbicunque collectos Saracenos videbant, Christum prædicabant. Contigit autem semel regem Miramolinum ipsos in legis suæ authorem conuitia iactantes audire. Qui nimio furore succensus, iussit cum impetu eos expelli, & ad Christianorum terras, datis à domino Petro Infante comitibus, deduci. Verùm illi martyrij desiderio flagrantes, dimissis in via comitibus, iterum Marochium reuertũtur. Quo audito, rex ira vehementer efferbuit, præcepitq́ue vt teterrimo carcere concluſi, fame sitiq́ue interficèrentur. Stant itaque beati vinculis innodati, & [g] diuina super infideles manus aggrauatur. Nam intensi vltrà, quàm humana patitur natura, calores & aëris intemperies sic infirmos affecit, vt iam clarè cernerent, quòd pro sanctis suis sit diuina vltio insecuta. Ex quo rex perterritus, à vinculis absolutos, illæsos abire permisit. Mirabile dictu: Cùm [h] per viginti dies fuerint sine aliquo corporali cibo carceribus inclusi, sola diuina virtute refecti, sic inuenti sunt fortes & alacres, vt meritò in stuporem conuerterent se videntes.

[g] Diuina vltio in Mahometanos

[h] 20. diebus manent ieiuni.

V. ITERVMQVE ad Christianorum plagas missi, relictis comitibus, secundò Marochium redierunt. Interim contrà sibi rebelles rex exercitum mittit, & dominus Petrus Infans secum fratres adducit. Redeuntes autem cum victoria Marochium Saraceni simul & Christiani, per [i] triduum aquam non reperientes, nimio sitis ardore cruciabantur. At Berardus, sanctę Trinitatis cultor, tanto compatiens hominum labori, oratione cum cæteris præuia, breui paxillo terram fodiens, aqua à Domino impetrata, iumentorum sitim extinguit & hominum. In ipso verò loco nec fons antè visus fuerat, nec pòst. Reuersi autem Marochium, seruabantur ne prædicarent: sed illi quadam sexta feria in publicum proruperunt. At iussu regis cuidam principi, qui aquæ miraculum viderat, decapitandi traditi sunt. Quos præcepit carceri mancipari. Ad locũ igitur carceris adducti, alapis à ministris & varijs sunt opprobrijs saturati. Post triduum verò

[i] Impetrant diuinitus aquam.

[a] Immanitèr flagellantur.

verò de carcere tracti, nudi & manibus post terga ligatis, durissimis[a] flagellis afflicti, tandem impio iudici sunt præsentati. At ille cernens eorum in fide constantiam nulla posse ratione mutari, iterum iussit durissimè tamdiù virgis & fustibus cædi, donec penè viscera apparerent & ossa. A ministris[b] etiam feruente oleo & aceto vulneribus infusis, per totam sequentem noctem super testas volutati sunt, & à pluribus sibi inuicem succedentibus acerbissimè afflicti. Nocte verò illa custodes magnam de cœlo lapsam lucem videntes, & præfatos sanctos cum innumerabili multitudine sublimari, putauerunt diuinitùs fuisse liberatos: sed in carcere inuentos, suis fecit rex tribunalibus præsentari.

[b] Horrédis afficiuntur pœnis.

VI. MINISTRI verò illos nudos trahentes, continuis flagris terga eorum & corpora nouiter flagellabant. Occurrit autem illis quidam princeps, Mahometicam suadens fidem. Otto verò illius persuasionem confutans, etiam in contemptum prophanæ legis in terram spuens, graui ab ipso alapa percussus est. At ille verborum Domini non immemor, alteram præbuit maxillam, dicens: Ignoscat tibi Deus, quia nescis quid facis. Ad[c] impij demum regis conspectum adductis, sic ad eos exorsus est: Estisne vos impij illi, qui fidem veram vituperantes, ad tantam etiam insaniam adducti estis, vt Dei nuncium blasphemetis? At illi: O rex, fidem veram minimè spernimus: tuam autem falsam, & eius iniquum conditorem, omninò abhorremus: pro vera autem & pati & mori parati sumus. Tunc rex eos delitijs & voluptatibus à Christiana veritate existimans posse reuocari, pecunias & formosarum mulierum, quæ aderant, delicias repromittit, si Mahometi perfidiam reciperent, aliàs suo gladio trucidandi. Sed viri Dei immobiles animo, conuersi ad regem: Sint tibi, inquiunt, mulieres & pecuniæ: nobis autem sit Iesus Christus. Adhibe vincula, carceres, ignes, tormenta & mortem: omnis nobis leuis est pœna, cùm de cœlesti gloria cogitamus.

Matth. 5.

[c] Dei nuntium vocat impurum Mahometē

[d] Trucidantur sancti viri, anno 1220.

VII. TVNC[d] rex tantam cernens in sanctis constantiam & immobile propositum, arrepto gladio, minister iniquitatis effectus, capita eorum per medium frontis amputauit. Et illi quidem optato iam potiti, post maximos persecutionem aculeos, post ingentissimas ærumnarum moles, æternæ vitæ adepti brauium, martyrij corona dotati sunt. Passi sunt verò beati martyres anno Domini 1220. decimoseptimo Calendas Februarij ante mortem beati Francisci anno sexto. Qui illorum vt audiuit martyrium, tanto gestiuit gaudio, tanta perfusus est lætitia, quòd facilè exprimi non posset. Corpora autem eorum iussu regis extra palatium proiecta à Saracenis ligatis pedibus extra vrbem varijs ludibrijs circa mœnia tracta, tandem penitus in partes conscissa, in campo relicta sunt, vt bestijs essent in cibum. Christiani verò nocte sequenti ad colligendas sacras reliquias exeuntes, lapidibus à Saracenis sunt repulsi. Sequenti verò die, quorundam consilio, ne[e] reliquiæ venerarentur à Christianis vt sanctæ, rex igni comburendas decreuit. Sed igne copioso accenso, cùm in eum Sanctorum corpora iactarentur, hinc inde flamma declinans reliquit intacta: imò (quod dictu mirabile est) cùm vnum de capitibus in ignem pluries proiectum esset, diuina faciente virtute, de igne semper exiliens, nec in capillis est læsum: & nunc cum pelle & capillis integrum demonstratur. Postea verò Saraceni precio sumpto, sanctorum Christi martyrum reliquias Christianis vendiderunt. Dominus autem Petrus Infans Capellano suo & quibusdam iuuenibus tradidit eas deficcandas, aromatibusque condiendas. Cùm autem quidam fornicarius eò vellet accedere, immobilis factus, in medio scalæ vt sibi succurreretur, exclamauit. Qui confessione præmissa de scala descendens, loquelam amisit, nec prius recuperauit, quàm voto facto, super pectus eius vnum de sanctorum capitibus positum est.

[e] Illustre miraculum.

[f] Nota hîc reuerenter habendas sanctorum reliquias.

VIII. SANCTORVM[f] autem reliquiæ dum sic exiccarentur, quodam appropinquante, vt eas solito more contingeret, sic in aëre cum vmbone sunt eleuatæ, vt non possent humano subsidio contingi. Qui stupefactus, & de fornicatione contritus & confessus, statim valuit de sublimi demissas reliquias contingere. Vnde factum est, vt in maiori reuerentia habitis, nonnulli à facinoribus abstinerent, ne deprehenderentur. Demum eorum capitibus cum carnibus in quadam theca argentea depositis, ossibus verò in alia, in sua capella collocatis, præfatus Petrus Infans anxiè sanctos precabatur, vt redeunti in Portugalliam aditus Christianis concederetur. Quorum meritis factum est, vt rex ei ad Portugalliam redeundi cum vniuersa familia licentiam daret, tametsi consultius illi fuisset, vt eum occideret. Ipse verò[g] reliquias super mulos positas, læto gradu insequens, liberè ac sine periculo de Saracenorum terra exiuit. In itinere autem positus ad quendam locum peruenit, vbi immani atrocitate leonibus auditis, non paruus cunctis terror ingeritur: sed sacris reliquijs interpositis, omnis profectò mugitus & timor abscessit. Inde solitaria & penitùs inuia loca peragrantes, quà sibi pergendum foret, ignorabant. Nec defuit diuina pietas humiliter supplicantibus, qui errantibus sanctorum meritis viæ ducatum præbuit. Siquidem iumentum, cui sacræ insidebant reliquiæ, Infans præire, & alios sequi iussit: nulloque ductore præcedente, Saracenorum insidias per inuia & aspera euadentes, ad Septam vrbem, vbi ad transfretandum parata erant nauigia, peruenerunt. Igitur naues conscendentes, cùm sequenti nocte sanctorum patrocinio, lumine de cœlo delapso, naufragiũ euasissent, Hispalim deuenerunt. Et vix ventis vela commiserant, cùm ecce regis nuncij vt eos captiuos reducerent, ad litus applicuerunt: sed his euasis, secundis ventis Colimbriam tandem appulerunt. Ad sacras autem reliquias suscipiendas regina Orocha & populus vniuersus cum iubilo exeuntes, in monasterio sanctæ Crucis Regularium Canonicorum, cum maximis, quæ longum foret narrare, solennijs sepeliêrunt: vbi multis coruscant miraculis. Ad[h] eorum enim mirificam inuocationem cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, leprosi mundantur, paralytici curantur, obsessi à dæmonibus liberantur, & varijs infirmitatibus detenti, desideratam obtinent sanitatem. Ex ipsis quoque reliquijs vsq; hodie liquor sanguineus & odoriferus manans, multis confert integram sanitatem.

[g] Reliquiæ eorum trãsferuntur.

[h] Miracula ad eorum sacras reliquias.

[i] Diuina vltio in Saracenos.

IX. NEC tacendum puto grauem super Saracenos[i] diuini iudicij vindictam. Nam ab eo anno, quo Sancti palmam meruêre perennem, omnium penè rerum sterilitas & sæua pestis per quinquennium sic in eos debacchata est, vt morbo incurabili inualescente, maxima pars gentis illius fuerit crudeli morte delata. Ipsius quoque impij regis brachium dextrum & dextrum latus totum vsque ad pedes, eo anno, quo sanctos interemerat, aridum sic factum est & siccum, vt nulli deinceps vsui fuerit. Horum sanctorũ felici audito martyrio & visis reliquijs, inclytus Christi confessor[k] Antonius, tunc quidem illius monasterij canonicus, fidei feruore succensus & amore martyrij, ad Ordinem se transtulit Minorum. Gaudeat igitur Ecclesia, cælestium militum illustrata natali. Gaudeat & sacra Minorum religio, sanctorum martyrum virtutibus laureata, & nouis micans sanctorum splendoribus, gratiarum Christo referat actiones, & sanctorum martyrum sectetur vestigia: ad laudem gloriam Domini nostri Iesu Christi.

[k] S. Anton. de Padua.

BVLLA SIXTI QVARTI PONTIFICIS MAXIMI, DE ILLORVM CANONIZATIONE: quæ etiam facit ad historiæ huius confirmandam veritatem.

[l] Canonizatur an 1481.

SIXTVS,[l] seruus seruorum Dei, vniuersis fratribus Ordinis Minorum, dilectis filijs vbicunque morantibus seu commoraturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm aliàs animo reuolueremus merita beatorum martyrum Berardi, Petri, Ottonis, Accursij & Adiuti, qui ex Ordine fratrum Minorum, sub quo & nos coaluimus, fuerunt: qui post multa tormenta sub rege Marochiorum pro Christo mortem subiêrunt, & martyrij palmam gloriosè promerentes, plurimis miraculis in ipsa morte & post claruerunt. Ex quo incensus beatus Antonius de Padua, ex Ordine Canonicorum Regularium, in quo tunc erat, ad Ordinẽ ipsum fratrum Minorum se legitur transtulisse: Concessimus ex Apostolica dignitate viuæ vocis oraculo, vt fratres prædicti Ordinis Minorum possent publicè & solenniter celebrare in suis Ecclesijs Missæ & Horarum officium de supra memoratis sanctis martyribus. Verùm cùm frequenter aduer-

aduersarius humani generis, nitatur bona & sancta opera perturbare, nè tam diuinum & pium opus posset aliquis in posterum impedire: tenore præsentium, ex certa nostra scientia, Authoritate Apostolica concedimus, quòd prædicti fratres MINORES vbique solenniter & publicè officium plurimorum martyrum pro ipsis Berardo, Petro, Accursio, Adiuto & Ottone, sub officio duplici maiori, ac etiam 16. Ianuarij, qua die ab hoc seculo per martyrium decesserunt, liberè ac cum sana & serena conscientia dicere & celebrare *: Inhibentes præfata Apostolica authoritate, nè quis huic nostræ concessioni audeat se opponere: non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Præterea quia difficile esset, præsens breue ad omnia loca deferri, volumus * vt illius transsumpti, alicuius publici notarij subscripto, & sigillo generalis dicti Ordinis, vel vicarij generalis fratrum Minorum de obseruantia, non immeritò ea prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, si idem præsens Breue originaliter ostenderetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 7. Augusti, Anno Domini 1481. Pontificatus nostri anno XI.

* *Deesse videtur, quean-, aut aliq; id eiusmodi.*

* *Legendũ apparet, vt illius trãssumpto, alicuius publici notarij manu subscripto.*

PASSIO SS. MARTYRVM SPEVSIPPI, ELEVSIPPI, ET MELEVSIPPI, PER NEONEM PRIMVM CONSCRIPTA: SED IN GRATIAM LECTORIS passim stylo mutata.

PROLOGVS Wanhaij.

SANCTO & à me pontificali apice præferendo [a] Cerannio Papæ Vvaribarius. *Præcipuis beatissimorum personis episcoporum assiduè coaquari meritis non desistis in omni conuersatione sacerdotali: sancta quotidie exornat religione festinans, diuinarum scripturarum legendi studio vniuersa dogmata peragrásti. Nunc sanctorum martyrum gesta, ad laudis tuæ cumulum, pro amore religionis congregare in vrbe Parisiaca deuotus intendis. Vnde sancto Eusebio Cæsareensi in æmulationis studio coæquãdus es, & pari gloriæ dono perpetualiter memorandus. Da veniam nostræ imperitiæ, quoniam te laudare tantum non sufficimus, quantum es cordis facundia succurrente præferendus. Gesta sanctorum geminorum, qui in suburbio Lingonicæ ciuitatis pretiosam adepti sunt consummationem martyrii, vel beatissimi Desiderii martyris & Antistitis ipsius ciuitatis sicut deuot onis studio imperastis, ita desiderantissima famulationis obedientia descripsisse cognoscatis.*

[a] Cerannius Parisiensis Episcopus circa annũ Christi 600

I. GLORIOSA martyrũ certamina studiosiùs referare Christo authore compellimur, pro cuius fidei amore susceptæ fuisse procul dubiò cõfitemur. Igitur sãcti tergemini fratres, [b] Speusippus, Eleusippus & Meleusippus cũ quantis ad martyrij dignitatẽ præmijs peruenerint, explicare potius, quam silentio præterire, rectæ rationi consentaneum est. Admirandum satis id est, & ad Dei omnipotentis prædestinationem multipliciter referendum. Ergo huius rei ordinẽ prosequentes, & gratiarum largitoris beneficia accuratè pensantes, rem totam à principio explicemus. Itaque sanctus [c] Polycarpus Smyrnæorum vrbis antistes, doctrina beatissimi Iohannis Apostoli & Euangelistæ perfectè instructus, Spiritu sancto repletus, fideli ducatu cupiens Christi militiam amplificare, per diuersas mundi partes suos dimisit discipulos Verbum Domini nostri Iesu Christi gentibus cum fiducia prædicaturos.

IANV. 17. [b] Tergemini fratres.

[c] Polycarpus mittit suos ad diuersa loca.

II. AVDIENS itaque crudeli limam denuò susceitatam persecutionem, & principem succesisse in regno, qui Galliarum prouincijs coram se suisque præsidibus Christianos diuersis interimeret supplicijs, generali etiam proposito apud omnes de illis trucidandis edicto: beatissimus Polycarpus sanctos Dei sacerdotes, Andochium, & Benignum, & Thyrsum, in Dei amore diffusos, ad certaminis agones festinos, ad suscipiendos pro Christi amore itinerum labores omnino deuotos, ad pericula maris adeunda non tardos, peregrinationes cupidè amplectentes, parentes pro religione Christi libenti animo relinquentes, pœnarum supplicia vel beatæ mortis passiones expetentes potius quàm timentes. Qui viri tres obedientes sanctis monitis, nauiculam ascendunt: sanctusque sanctis valedicens Polycarpus, hæc eis mandata dedit: Ite, [d] inquit, viri fortes, in fortitudine Christi fortiter dimicantes: per sanctam Christi confessionem plures commilitones acquirite, cum quibus de victoria triumphantes, nomen & dignitatis gloriam possitis adipisci sempiternam. Fructus laboris vestri multiplici opulentia cumulentur, iustorum paradisi sedes per vos de sanctarum animarum acquisitione eximiè lætentur. His & alijs multis eos prosequitur sanctus Polycarpus orationibus.

[d] Benè precatur ad Gallias eũtibus.

III. ILLI verò nauigantes feliciter, gubernatione diuina ad Massilienſiũ litora celeriùs peruenerunt. Egressique ad terras, DEI angelo præcedente, prosperum iter agentes * Eduam ciuitatem ingrediuntur: ibique DEI prouisione reperto Fausto, nobilissimæ familiæ viro, senatoria dignitate conspicuo, & prætorianis fascibus sublimi, gratissimè ab eodem hospitio sunt recepti. Quos cum perdidicisset esse presbyteros, suppliciter postulauit, vt amicos vel familiam suam per ablutionem baptismatis efficerent Christianam. Ille autem propter imminentem persecutionem Christum colebat occultè. Obtulit verò etiam & filium suum Symphorianum adolescentem, sanctorum prædicationibus diuinaque prędestinatione succesſuris temporibus præclarum martyrem futurum: sanctorumque cum tradens manibus, vt à sancto [e] Benigno baptizaretur, atque de sacro fontis lauacro à sancto susciperetur Andochio, attentiùs deprecatus est. Illi verò opus, ad quod venerant, alacriter peragentes, & tanti viri obtemperantes precibus, per baptismi gratiam voluntatis suæ desiderio in omnibus satisfecerunt. Post hæc cum idem Faustus causam aduentûs eorum ex mutua cum illis collatione diligentiùs explorasset, sororem nepotesque eius in memoriam pietas diuina reduxit, aitque ad illos: Est mihi germana soror, nomine Leonilla, illustris matrona, ciuis vrbis Lingonicæ, cui sunt nepotes ex filio tergemini fratres, vno partu simul editi, literis liberalibus eruditi, paterna tamen traditione adhuc gẽtili errore viuentes, quos desiderat Christi militiæ mancipare. Subuenite, sanctissimi sacerdotes, eius deuotioni, & nobilissimam nobilitate familiam, vt cœpistis.

[e] Baptizantur quidam à S Benigno.

IV. HIS dictis, sancti viri rem, cuius causa eò venerant, attentiùs pertractantes, inter se pariter constituunt, vt sanctus Benignus ad territorium Lingonicum illustrandum ex Dei sententia properaret: sancti verò Andochius & Thyrsus in Augustudunensi villa plurimos suis diuinis prædicationibus ad religionem Christianam traducentes, non post multum spatium sub * Aureliano principe felici sunt martyrio coronati. Sanctum autem Benignum iam dictus Faustus sorori suæ pro munere diuino, sicut erat, transmisit, quæ eum velut manna de cælo descendens, cum omni veneratione susceptt. Eodem die memorati nepotes eius in agro, cui Pasmasius nomen est, ad simulacrum deæ Nemensis ritu solito prophana sacrificia offerebant, & de superstitiosis libaminibus auiæ suæ reliquias reseruauerant. Quam inuitantes ad conuiuium, seruata protulerunt. Illa verò omnia proijciens canibus, respuit tanquam stercus.

* *Marco Aureliocorrigit Bar. in Martyrolog.*

V. TVNC accedens ad eos, coram Sancto Benigno, talia cœpit verba proferre: Chariſſimi nepotes [f], cognoscite Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verum & viuum esse, cui angeli & omnis creatura iustam exhibent seruitutem, qui mundum omnem constituit, omnemque rerum materiam libratam subita verbi dispositione composuit, cæli altitudinem eadem iussione extendit, terrarum spatia dilatauit, immensum abyssi pelagus congregari, & litoribus coarctari firma sententia ordinauit: pinxit cælum stellis, & duo luminaria præcipua constituens, vt omnia ab ipso facta, sua vicissitudine exornarent, vestitaque lumine cuncta detegerent, omninò decreuit. Mare omne piscium habitationi concessit: diuersis arboribus & herbis tellurem omnem vestiuit, cunctaque orbis animantia, qualiacunque demum ea sunt, sua voluntate creauit, postremò hominem ad imaginem & similitudinem suam formare dignatus est: quem ad hoc sapientiæ, scientiæ & intelligentiæ singulari dono locupletauit, vt tam immensæ fabricæ Dominum,

[f] Leonillæ ad suos nepotes oratio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

omniaque quæ patrauit, diligentiùs perquirat non per ignorantiæ desidiam postponat authorem: vt discernat bonũ à malo: vt simulacra hominum manibus facta ex diuersis metallis, sensu carentia, & omni vitali spiramine destituta, ad homines fallendos diabolica adinuentione efficta, non solùm nullo venerationis studio colat, verum etiam ceu immunda & omni abusione despecta defugiat. Illius enim peruersa adinuentio in hoc mundo idola figurauit, qui Adã primum hominem in paradiso constitutum, per præuaricationem decepit. Derelinquite ergo, dulcissimi nepotes, omnia idola dæmonibus cõsecrata, & creatorem omnium rerum [a] Dominum nostrum Iesum Christum, sine vlla ambiguitate confitemini. Hunc virũ sanctũ Benignum, quẽ stantẽ corã vobis cernitis, de longinqua regione ad vos pietate diuina fuisse credite transmissum. Attendite ad verba oris eius. Dei enim sunt præcepta, quæ de ipsius ore procedunt. Discite ab eo sanctam doctrinam, plus omni munere copiosam, & vestræ saluti præ omnibus opportunam.

[a] Hinc perspicuũ fit de quibus simulacris loquatur.

VI. Dvm hæc salubrrima monita cum sancto Benigno beata Leonilla suis nepotibus prædicaret, & in corda eorum iam inspirata gratia diuinitus conualesceret, miro pariter adstitérunt stupore defixi: & se inuicem intuentes, considerantesq; omnia, quæ eis dicta fuerant, conuersi ad auiam suam, vna voce dixerunt: Quare tantã & tã præcipuam rẽ tãdiù tectam silentio tenuisti? Cur nobis veritatis viam & lumen præclarum tantis temporibus occultãsti: Quibus illa blando sermone respondens, eleuansque oculos, & manus adcælum expandens, Deoque gratias agẽs, ait: Filius meus, pater vester in tanta cordis perseuerauit duritia, in tartaream iam sedem demersus, scelerum obumbratus caligine, omnis expers sapientiæ & intellectus, cæcatus peruersitatis consilio, vt Christum Deum nec crediderit, nec vnquam voluerit confiteri. Quid ergo prodesse illi poterat sermo diuinus, cuius interiora cordis incredulitatis malitia ad integrum possidebat, quique lumen verum, circunseptus idolorum caligine, videre non poterat? Ipse verò me fecit hactenus intra taciturnitatis silentium contineri, dum timui: nè sua inimica suasio faceret vos à recto tramite perpetuò deuiare. Voluntate autem Dei eo deficiente, omnia impedimenta sublata sunt. Ecce nunc tempus acceptabile. Aperite oculos cordis & corporis, cælum potius intuentes: idolorum inimicam vestræ saluti culturam, Domini nostri Iesu Christi repleti gratia, ab animis vestris radicitùs extirpate, vt possitis ad æterna gaudia peruenire. Post hæc cùm & alia multa Leonilla cum sancto Benigno nepotibus suis narrasset, vt credulitatis indicia diuina pietas in eisdem patefaceret, visiones, quas nocte præterita ita viderant, in memoriam reuocârunt.

VII. [b] Visio Speusippi. Primvs [b] Speusippus visionem suam narrauit, dicens: Videbam me in sinum auiæ meæ receptum, mammillæ suæ plenitudine, lactis abundantia satiari, quæ compellebat me etiam suis monitis, dicens: Speusippe, bibe lac salutiferũ magis, vt plus bibendo, melius possis summa virtutis constantia, in certamine positus contra aduersarios gloriosã promereri victoriam. Finita primæ visionis sententia, [c] Eleusippus ait: Credite & me huiuscemodi visionẽ vidisse. Vidi in cælo super sedem magnam sedentẽ, quasi ex electro & gemmis, maiestatis potentia radiantẽ: cuius splendor immẽsus meum obumbrabat adspectum, & ob stuporem nimium pauor cordis mei terruit intellectum. Tunc vultu sereno me vocans ad se, ait: Noli timere, coronam victoriæ promereberis. Tertio loco [d] Meleusippus visionem suam exposuit. Vidi & ego, nescio quem, regem magnum, satis singularia sceptra tenentem, qui nos tres pariter ad suam militiam prouocabat, præclaris balteis accingebat, magno nos pretio à captiuitatis vinculis redimebat, perpetua libertatis nostræ præmia literis aureis scribebat, donis nos indeficientibus simul remunerabat. Super his ad me exhortandum addidit, dicens: Meleusippe, vos tres fratres in meo palatio collocare decreui, & æternis præmijs pariter coronare. Auia vestra perpetim diebus ac noctibus pro vestra salute supplices preces effundit, vt recto tramite gradientes, liberati de tenebrosa caligine, verum lumen contemplari possitis, & de condemnatione mortis, ad vitam perueniatis perpetuam. Hæc & alia plurima adhortationum verba mihi rex, quem dixi, narrauit in visu. O quàm admiranda, quàm concordantia & vnius rei indicia designata, vel sempiterna memoria retinenda! In noctis tenebris adhuc positi, illuminati iam prædestinatione, ex pari gratia sancti gemini videre meruerunt visiones. His tribus pueris obtentu auiæ antè est Trinitas reuelata per gratiam, quàm plenam Christi perciperent disciplinam.

[c] Item Eleusippi.

[d] Item Meleusippi.

VIII. Vidervnt, obumbratis ex parte oculis, priùs Dominum Deum, quã per oris confessionem plenius cognoscerent Saluatorem. Pensantes denique sancti tergemini intra se de concordia visionum, prædicationibus sancti Benigni, ac beatæ Leonillæ orationibus incessanter instructi, cogitabant attentius, quid agere curarent: desiderantes vt detersa nube caliginis, purum claritatis lumen in visu lucidiùs visibiliter contemplarentur: & Deum viuum & verum sine vlla ambiguitate cognoscerent. Tunc dixerunt ad auiam suam: Indica nobis quid faciamus, vt prædicatio vestra, omnibus erroribus effugatis, nostrã possit proficere ad salutẽ. His dictis, cum sancto Benigno beata Leonilla exultans de sancta confessione nepotum suorum, & Deo gratias agens, dixit ad eos vnà cum sancto [e] Benigno: Custodite omnia mãdata diuina, & regem regum Christum Deum esse sine dubio credite. separati à nefandis idolis, vosmetipsos creatori vestro Deo offerte. [f] Docuit autem eos sanctus Benignus omnem sanctam doctrinam, & vt perfectos in fide Christi, confessionem credulitatis veram & manifestam per infusionem sancti Spiritus eos cognouit ad integrum recepisse, baptismatis ipsos gratia consecrauit. Deinde S. Benignus ad castrum Diuionem perrexit, vbi plures laboris sui fructus congregans, non post multum tempus pro multis meritis condignam martyrij coronam promeruit.

[e] Obserua hæc

[f] Tergemini fratres baptizãtur.

IX. Sancti verò tergemini fratres confirmati in omni fide Christi, seruis suis præceperunt, vt simulacrum Nemesis frangerent, duodecim fana, quæ in domo eorum constituta erant, funditus euerterent, ipsas etiã idolorum statuas, simul in fragmenta redactas, protinus dissiparent. Fecerũtque serui omnia, quæ à dominis fuerãt imperata. Interea fama velox cunctos ciuitatis Lingonicæ fines peruasit, tergeminos fratres, nepotes Leonillæ, illustribus ortos natalibus, ad Christi cultum deuotionis studio manifestissimè declinasse, & Iesu Christi omnipotentis Dei fiducia, deorũ simulacra pro nihilo habentes, & omni abusione despicientes, à fundamentis euerti iussisse. Crescit rumor immẽsus in populo, excitantur in iracundiam primates, iudices & sacerdotes idolorum, & nimio furore succensi, ad Dei pueros vndiq; conueniunt. Congregatique in vnum dixerunt primores ad eos: Quæ vos tam repentina inuasit temeritas? Quis vobis persuasit deorum nostrorum culturam relinquere, quam nostri vestriq; Maiores ab antiquis temporibus coluisse noscuntur? Itáne decretum principum cõuellitis? Christum, quem pro Deo adoratis, Iudæi morti adiudicatũ cruci affixerunt. Tunc sancti [g] tergemini repleti Spiritu sancto, dixerũt ad eos: O obcæcati corde, in profunda demersi caligine, perpetuis tenebris obumbrari, nimium pondere peccatorum depressi, pœnis indeficientibus, & morti perpetuæ addicti, antiqui hostis errore decepti, qui nos saxa & cætera metalla in humanas formas ab hominibus redacta adorare cõpellitis, quæ nullum vitæ spiraculum habent, quæ nihil sentiunt, prorsusque pro nihilo à stultis colũtur. Dominus noster Iesus Christus, ipse est Deus viuus & verus, cum patre & Spiritu sancto, vnus in Trinitate deitatis, & trinus in maiestatis vnitate credendus: Deus de Deo, lumen de lumine, splẽdor à splendore procedens, qui semper est, semperque fuit, semper etiam & sine fine manebit. Ipse fecit omnia, quæ in mundo sunt.

[g] Tergeminorum fratrum constantia.

X. Permoti sunt his auditis populi, primates, iudices ac sacerdotes, qui ad spectaculum venerant, nimia iracundia in Dei famulos. Exurgẽs autem * Quadratus ira repletus, Speusippum & Eleusippum pugno percussit in faciẽ Ipsi duo tantùm locuti fuerant. Condolens [h] Meleusippus exclamauit, dicens: Cur me istius beneficij, ictus, inquã, hu-ius cum fratribus meis non feciſti participem? In illos declarasti optabile passionis principium, me autem quasi incredulum cum tuis incredulis honorans, à sancto consortio exclusisti. Vnanimes in Christi confessione sumus, æqualiter

* *Quartus corrigit Barõ. in Martyrolog.*

[h] Vide egregiam S. Meleusippi virtutem.

liter per veſtram perfidiam de Chriſti remuneratione congratulamur. *Quadratus reſpondit: Hodie vos pro contemptu deorum noſtrorum diuerſis cruciatibus punire conſtituimus. Eleuſippus dixit: Quãto nobis maiora tormenta parabitis, tanto amplius nos de Dei gratia confirmatis. Palmatus dixit: Niſi linguas eorum radicitus amputemus, nõ ceſſabunt loqui in iniuriam noſtram, vel deorum noſtrorum. Speuſippus reſpondit: Si linguas noſtras crudelitas veſtra carnales abſciderit, in interioribus noſtris magnalia Dei narrabimus, & de ſancta in Chriſtum fide nunquam nos veſtra malitia ſeparabit. Iterum Palmatus & Hermogenes dixerunt: Infelices, vnanimiter ad mortis veſtræ interitum feſtinatis. Speuſippus reſpondit: [b] Mori pro Chriſto, glorioſum eſt: indè ad vitam celerius peruenimus æternam, vbi nulla triſtitia eſt, ſed gaudia, quæ nullo tempore finiuntur. Videntes autem eos Palmatus, *Quadratus & Hermogenes in Chriſti confeſſionis conſtantia perdurare, cogitabant attentius, quibus eos grauiſſimis tormentis excruciarẽt, & quo genere mortis propter metum eorum, qui aduenerãt, crudeliſſimè perimerent. Dum hæc diligetius pertractarẽt, beatam Leonillam, ad ſe accerſiri præcipiũt, ſi forſitan per eius blandimenta ſermonum & ſuaſiones reuocari poſſent ad ſimulacrorum culturam: ſicque Chriſti maieſtatem ac diuinitatem per omnia abnegarent. Cùm ergò beata Leonilla ad eos peruenisſet, dixerunt ei iudices: Perge ad nepotes tuos, & ſi eos ſeruare deſideras, & à pœnarum ſupplicijs mortiſque interitu liberare, ſuade eis, vt fana reſtituant, quæ deſtruxerunt, deoſque noſtros adorantes, conſueta ijs offerant ſacrificia.

*Quartus.

[b] Mori pro Chriſto, glorioſum eſt

*Quartus.

XI. Hæc & alia illis dicentibus, ait ad eos Leonilla: Ibo, & ſuadebo eis, quæ mihi ad eorum videbuntur pertinere ſalutem. Veniens denique beata Leonilla [b] ad nepotes ſuos, cum cognouiſſet eos in ſancta cõfeſſione perſeuerare, multa exultatione gauiſa eſt: & prębens ſingulis dulcia oſcula, lachrymanſque præ gaudio, & multas Deo omnipotenti preces effundens, Chriſtoque gratias agẽs, dixit illis: Nullus veſtræ ſtirpis nobilior, nullus ditior, nullus melior, nullus Deo gratior inuenitur. Omnem familiam veſtram præclara Chriſti confeſſione illuſtratis: in tenera ætate poſiti, cunctos Maiores generis veſtri ſapientia præceſſiſtis: theſaurum immenſum, nulloque pretio æſtimandum, per Chriſti militiam acquiſiſtis. Eſtote ergo in ſancta CHRISTI religione conſtantes, & perſeuerate fortiter. Nulla vos frãgat aduerſitas, nullæ minę, nulla tormentorum ſupplicia veſtros terreant animos, viriliter Chriſti fide armatos. Regna huius mundi, quæ videntur, & cum vita hac temporaria finiuntur, nihil ſunt. Regnum autem Dei inuiſibile & ſempiternum concupiſcere, perpetua eſt atque perfecta, & ſuper omnia opportuna ſapientiæ plenitudo. Per hos momentaneos labores & celeriter tranſituras pœnas ad æterna gaudia peruenietis.

[b] Leonilla ſuos confirmat nepotes.

XII. His dictis, vt vidit eos plenos gratia Chriſti in ſua ſtabilitate permanere, & datam Deo fidem præſtare fortiter, Chriſto illos cum integra deuotione commendans, diſceſſit ab eis. Interrogati autem à iudicibus, ſi vellent ipſis conſentire, & deorum ſuorum ſimulacra adorare, iubentur id publica voce confiteri. Sed cum illi pertinaci ſententia in Dei fide & amore perſiſterent, nec vlla ratione aſſenſum præberent parentibus, ligatis ſurſum manibus, pedibus verò deorſum, in arbore vna ſuſpenſi ſunt. [c] Tanta verò tormentorum adinuentione ſunt extenſi, vt penè putarentur ab ipſa membrorum compage ſeparari. Confortati tamen à Chriſto, & virtutis tolerantia interius diuinitus miniſtrata, in confeſſione & fide Chriſti viriliter permanebant. Et in ipſis tormentis, ſuſpenſus cum fratribus Meleuſippus iudicib⁹ inſultabat, dicens: Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus clauis cruci affixus, pro noſtra redemptione ſancto pependit in ligno, vnde ſignum crucis obtinere meruimus. Nos quoque tres eius famuli, in vno hoc ſtipite pendẽtes, pro eius nomine efficiamur martyres glorioſi. O beatum fructum ipſius arboris, quæ tres portauit martyres, Trinitatis nomini conſecratos! Videntes autem iudices eos confortari, non contriſtari in ſupplicijs, dixerunt ad eos: Non in hac arbore, ſicut vos velle dicitis, moriemini, ſed igne vltore peribitis. Meleuſippus iterum reſpondens, ait ad eos: Maior erit nobis beatitudinis augmentatio, ſi per ignem probati tranſierimus ad Deum, & de tenebris per hunc ignem perpetuam peruenerimus ad lucem. Tunc denique iudices propter metum, qui aderant, populorum, congregari iuſſerunt ligna, & cætera quæ ſolent igni fomenta præbere.

[c] Crudeliſſimè ſancti martyres cruciantur.

XIII. Ignis itaque copioſus accenditur, ligatis manibus & pedibus ſancti tergemini in [d] ignem præcipitantur. Affuit Chriſtus Saluator in medio, & diruptis vinculis, ſancti gloriabãtur in igne, nec vllum ex eis contingebant incendia. O beatum ignem! qui tantùm originale purgauit peccatum, & nullum ſanctorum membris de incendio intulit detrimentum. Adiuuit potius ignis ſanctos, per quem eis nocere voluit, at non potuit inimicus. Ignis interim ab incredulis acriùs accenditur, vt ſanctorum corpora ſine mora comburantur: ſed vertẽs illud diuina miſericordia in melius, indè ſanctis lumen inextinguibile præparauit. Flãmæ ardentes altiùs quidẽ eleuatæ ſunt, ſed Chriſti voluntati obſequẽtes, ſanctorum præcipuam gloriam oſtendebant, quæ in exitioſam à perſecutoribus ruinam erant præparatæ. Ignis ad ſanctorum membra conſumenda vires proprias habere non potuit, quoniam Dei potẽtia caloris æſtum ſuis ſanctis pro ſua benignitate temperauit. Viderũt impij & iniqui perſecutores inter immenſas flammas exultare ſanctos tergeminos, perſeuerare illæſos, quos putauerunt per tantum incendium, quod illis admouerant, ſubitò conſumptum iri. [e] Ambulãdi verò etiam in igne ſanctis tergeminis eſt à Chriſto data facultas, vt maior incredulis accederet, myſteria diuina inuidentibus, de confuſione triſtitia. Defecerũt itaque ligna, & omnia ignis fomenta: ſancti verò tergemini, deficientibus flammis, in medio ſtantes, perſecutorum malitiam irridebant, dicentes: Data nobis eſt, ſi volumus, de præſenti ad Chriſtum migrandi poteſtas: at ſi adhuc deliberamus veſtræ dementiæ viuentes in ſeculo inſultare, cõceſſum eſt: At verò melius nobis eſt, ad eius epulas feſtinare, vbi fœneratio non deficit largitoris.

[d] Indè in ignem iactãtur, ſed manent illæſi.

[e] Ambulant in igne.

XIV. Post ſopitum ergo ignem, cùm increduli ad ſanctos tergeminos propinquaſſent, nullas quanuis curioſi videre potuerunt in ſanctorum membris de incendio cicatrices. Sed vt maior non fieret deſiderantibus mora martyrij, & vt præparatas dudum, iam acciperent immarceſcibiles à Chriſto coronas, vident [f] choros angelorum ad ſe excipiendos antè oculos ipſorum ſtare paratos: Flectenteſq; genua in terra, in oratione proſtrati, felici euocatione Chriſti inuitati, ſancti ſimul emittentes ſpiritum, pariter emigraſſe noſcuntur ad cælos. Delata ſunt autem ſanctorum corpora ac ſepulta à deuotis ſecundo milliario ab vrbe Lingonica in vico, qui vocatur Vrbatum, vbi ſe duæ viæ maximæ coniungunt, & aliæ ante has à diuerſa parte ſubiunguntur, vt ibi & expedita voluntatis deuotione, & iter agentium opportunius ſubiuncta collectione, ſemper frequens aſſit populorum ad eorum limina orationis cauſa vndique concurſio. Ibi ſanè quicquid cum deuotione petitur, obtentu ſanctorum tergeminorum quotidiè, Deo largiente, præſtatur. Sanitatum ibidem ſuffragia per eoſdem ſedulè infirmantibus miniſtrantur, mœrentibus confortationis conſolatio ſine mora conceditur, & pręcipuus baſilicæ eorum ſemper additur cultus, & opum largitas in melius à deuotis quotidiè augetur. Illud etiam rationabiliter videtur annectendum, quod ad laudem ſanctorum tergeminorum augendam, vel cultum religionis dinoſcitur pertinere: quoniam per eorum ſanctam acquiſitionem numerus eſt martyrum, inſpirante Domino, augmentatus.

[f] Sãcti martyres ad cælos migrat.

XV. Videns denique Iouilla quędam mulier tam precioſam ſanctorum tergeminorum martyrij conſummationem, ſpreto maritali conſortio, paruuli & vnici filij dulcem derelinquens amplexum, inter incredulas turbas, adhuc in perſecutionis ardore commotas, veloci curſu properans, exclamauit, dicens: Et ego ancilla Chriſti ſum: Chriſtum Deum viuum & verum ſine vlla ambiguitate pronuncio, idola veſtra ignominioſa & vana omninò adorare deſpicio. His dictis, continuò comprehenſa, & propter metum circunſtantium populorum à capillis ſuſpenſa, multiſque afflicta ſupplicijs,

[g] Iouillæ egregia fortitudo & martyriũ.

[a] Item Leonillę.

plicijs, cùm Christum negare coacta nullatenus voluisset, vna cum beata Leonilla[a] auia sanctorum, ad locũ deducta martyrij, ad memoratum videlicet vicum Vrbatum, à persecutoribus cum eadem gladio est perempta.

[b] Ité Neonis

NEON[b] quoque, textor historiæ huius atque scriptor, tradẽs Turboni codicẽ, inter medias turmas persęcutorũ in XVI.
gressus, cupiens sanctorum tergeminorum militiæ beatissimæ sociari, Christi nomen confessus, tantis est patienter i-
[c] Item Turbonis. ctibus mactatus, vt vita temporali expoliatus, martyrij palma continuò meruerit coronari. [c] Turbon autem non post
*Marco Aurelio. multum tempus, doctrina beatissimorum tergeminorum perfectè instructus, à persecutoribus captus, & ipse est mar-
* Quarto. tyrij remuneratione locupletatus. Acta sunt hæc sub * Aureliano principe, Palmato, * Quadrato, & Hermogene præ-
sidibus, sub die xvj Calend. Februar. At inuentio sanctorum corporum tergeminorum, vel dedicatio ipsius basilicæ,
est colenda xiiij Calend. Octobr. regnante Domino nostro IESV Christo, cui est cum Deo patre & Spiritu Sancto,
honor, virtus & gloria in secula seculorum, Amen.*

Translationem horum SS. Martyrum inuenies in vita S. Annonis Episcopi Colonienſ lib. 1. c. 38. quam habes 4. Decemb.

AN. 300. # VITA S. ANTONII ABBATIS, AB ATHANASIO EPISCOPO ALEXANDRINO CONSCRIPTA, ET AB EVAGRIO PRESBYTERO, NON illo Pontico Origeniſta, ſed qui poſt præfuit Eccleſiæ Antiochenæ, vt notat Baronius, è Græco in Latinum translata.

17. IANV. # EVAGRII AD INNOCENTIVM PROLOGVS, QVEM HAC EDITIONE EX VITIS SS. PATRVM, A R. P. HERIBERTO ROSVVEYDO ELABORATIS, ADIECIMVS.

Presbyter Euagrius Innocentio charissimo filio in Domino salutem.

[d] Rosvveydus putat, hunc Innocentium fuisse socium Euagrii cuius meminit Hieronym. Epist. 41. ad Ruffin.

EX alia in aliam linguam[d] ad verbum expressa translatio, sensus operit, & veluti lætum gramen sata strangulat. Dum enim casibus & figuris seruit oratio, quod breui poterat indicari sermone, longo ambitu circumacta vix explicat. Hoc igitur ego vitans, vitam B. Antonij te petente, ita transposui, vt nihil desit ex sensu, cùm aliquid desit ex verbis. Alij syllabas aucupentur & litteras, tu quære sententiam.

S. ATHANASII EPISCOPI IN VITAM S. ANTONII Monachi præfatio.

ATHANASIVS episcopus ad peregrinos fratres. Optimum, Fratres, inijstis certamen, aut æquari Ægypti monachis, aut superare nitentes virtutis instantia. Et enim apud vos iam plurima sunt monasteria, monachorum quoque nomen est celebre, & hanc voluntatem iustè quisque mirabitur, orantibusque vobis optatum Deus tribuet effectum. Quoniam igitur exegistis à me, vt vobis scriberem de conuersatione beati Antonij, volentibus discere, quemadmodum cœperit, quidve fuerit ante sanctum propositum, qualem etiam habuerit terminum vitæ, & si vera sunt ea, quæ de ipso fama dispersit, vt ad eius æmulationem atque exemplum vos instituere possitis, magna cum lætitia suscepi vestræ charitatis imperium. Et enim mihi ingens lucrum est, atque vtilitas hoc ipsum, quod recordor Antonij, & vos cum admiratione audientes, scio eius propositum cupere sectari: perfecta est siquidem ad virtutem via, [e] Antoniũ scire, quis fuerit. Ergò, vt breuiter dicam: ex omnibus, quæ de eo referentium sermo iactauit, credite, & minima vos existimate audisse de maximis: quia non ambigo, nec eos omnia potuisse cognoscere, cùm & ego rogatus à vobis, quantacunque per epistolam significauero, non æqualia sim eius meritis narraturus. Sed & vos omnes hinc nauigantes studiosè percontamini, quô singulis quæ nôrunt referentibus, congrua dignaque tanti nominis relatio compleatur. Disponebam itaque post lectionem literarum vestrarum aliquos ad me monachos inuitare, & maximè eos, qui crebrò ad eum ire consueuerant, vt plenius aliquid addiscens, munera vobis maiora transmitterem. Sed quoniam & nauigationis tempora labebantur, & literarum portitor vehementissimè festinabat: ideò ea quæ & ipse noueram, ([f] frequenter enim eum visitaui) & quæ ab eo didici, qui ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo fecit, dilectioni vestræ indicare properaui: vtrobique curam veritatis habens, vt neque plus aliquis audiens, miraculorum congestionem non credat: nec rursum meritis eius inferiora cognoscens, non putet dignum esse miraculo pro tanti nominis viro.

[e] Perfecta est ad virtutem via, scire Antoniũ quis fuerit.

[f] Visitauit S Athanasius S Antonium anno 328 episcopatus fuit tertio, quãdo Ecclesias & monasteria Ægypti iniisit, vt notat Bar. hoc anno.

ANTONIVS nobilibus religiosisque parẽtibus[g] natus in Ægypto oriundus fuit, tanta suorum nutritus cura, vt ni- I.
hil aliud præter parentes, domumq; cognosceret. Et cùm iam puer esset, non se literis erudiri, non ineptis infantium iungi passus est fabulis: sed Dei desiderio flagrans, secundùm quod scriptum est, innocenter habitabat domi. Ad
[g] Sozom li. 1. c. 13. dicit eũ ex Coma pago qui propè Heracleã apud Arcadesest, oriundum. Psal. 100.

ecclesiam quoque cum parentibus sæpè conueniens, nec infantum lasciuias, nec puerorum negligentiam sectabatur:
[h] Sancta pueritia. Matth. 19.

sed [h] tantùm ea, quæ legebantur, auscultans, vtilitatem præceptorum vitæ institutione seruabat: non suis, vt solet illa ætas, pro varijs & delicatis cibis vnquam tædio fuit: non escæ mollioris blandimenta sectatus est, his solùm, quæ dabãtur, contentus, nihil amplius requisiuit.

POST mortem autem parentum, annorum circiter decem & octo, seu viginti, cum sorore admodum paruula de- II.
Actor 4.

relictus, & domus, & sororis honestam curam gerebat: Necdum verò sex fluxerant menses, quibus ad ecclesiam (vt so-
Matth. 19.

lebat) accurrens recordabatur, quomodò & Apostoli omnibus spretis, secuti fuissent Saluatorem, & multi, vt legitur in Actis Apostolorum, facultatibus suis venditis, precia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve aut quanta spes ijsdem reposita esset in cœlis. Talia secum voluens, intrauit ecclesiam: & accidit vt tunc legeretur euangelium, in quo dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcunq; habes & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Quo audito, quasi diuinitus huiusmodi antè memoriã concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperiũ: statimq; regressus, possessiones, quas habebat, [i] vendidit. * Erant autem ei trecẽtæ palmæ vberes, & valdè optimę, quas vicinis largitus est, nè in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cętèra verò, quæ in mobilibus possidebat, vniuersa vẽdidit: & aggregato non exiguo precio, indigentibus dedit: paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu, & ætate videbatur infirmior.

[i] Vendit possessiones suas.

* *Arura autem erant ei trecentæ vberes legit Rosvveydus ex MSS. Aud. & Cam. docetq; ex Horapolli l. 1. c. 5. aruram terræ mensuram esse apud Ægyptios centum complectens cubitos.*

Matth. 6.

RVRSVM autem ecclesiã ingressus, cùm audisset Dominum in Euangelio dicentẽ, Nolite cogitare de crastino, reli- III.
quam quoque portionem pauperibus distribuit, neq; se versari passus est domi: sed sorore fidelibus ac notis virginibus cõmendata, vt earũ nutriretur exemplo, ipse iã omnibus seculi vinculis liber, asperum atque arduum arripuit institutum. Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monasteria, neque omninò quisquam auiam solitudinem nouerat: sed quicunque in Christi seruituте sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur.
[k] Degit solitarius.

Erat igitur in agello vicino senex quidam vitam solitariam à prima sectatus ætate: hunc Antonius cum vidisset, æmulatus est ad bonum. [k] Et primò quidem incipiens, etiam ipse in locis paululum à villa remotioribus manebat: exindè autem si quem in hoc studio vigilantem compererat, procedens quærebat vt apis prudentissima, nec ad habitaculum

suum

suum antè remeabat, nisi eius quem cupiebat, frueretur adspectibus: & sic, tanquàm munere mellis accepto, abibat ad sua. Tali ibidem institutus exordio, cùm per dies singulos ità animum roboraret, vt nec opum paternarum, nec suorum meminisset affinium, omne etiam desiderium & solicitudinem erga id quod cœperat, exerceret, operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet: mercedem sanè operis sui, precio panis excepto, egentibus largiebatur. Orabat frequenter, quippè qui didicerat, quod oporteret sine intermissione Dominum orare. Auditioni etiam scripturarum ità studium commodabat, vt nihil ex eius animo laberetur: sed vniuersa Domini præcepta custodiens, memoriam [a] pro libris haberet. Sic suam vitam instituens, ab vniuersis fratribus puro diligebatur affectu, & omnibus, ad quos studio dicendi pergebat, obediens, proprias singulorum gratias hauriebat. Huius continentiam, iucunditatem illius sectabatur: istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam: istum ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur: alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat: omnium quoque vicariam erga se retinens charitatem, atque vniuersis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum vniuersa pertractãs, [b] omniũ in se bona nitebatur exprimere. Neque verò aduersum coęquos aliquando mouebatur, sed ea tantummodo flamma egregio viro erescebat in pectore, nè secundus cuiquam in prædictis operibus inueniretur. Et hoc ita faciebat, vt cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset. Nam & vicini & monachi ad quos sæpè veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant, indultisque naturæ vocabulis, quidam vt filium, alij * vt patrem diligebant.

2 Thess. 3. 1 Thess 5

[c] Socrat l 4 c. 8 dicit naturâ rerũ a Deo conditarũ ipsi libri instar fuisse.

[b] Aliorũ in se virtutes exprimit.

* *Fratrem habentgræcaexemplaria teste Rosweydo.*

IV. Dvm hæc gereret Antonius quibus omniũ in se prouocaret affectũ, inimicus nominis Christiani diabolus, impatiens ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis [c] eum aggressus est fraudibus. Et primò quidem tẽtans, si quo modo posset, ab arrepto eum instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam seculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimenta, postremò virtutis arduum finem, & maximum perueniendi laborem, necnon & corporis fragilitatem suggerebat, & ætatis spatia prolixa, prorsùs maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, volens eum à recto proposito reuocare. Postquàm autem diabolus orationibus eius ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersùm omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Et primum noctibus infesta multitudine, & horribili metu sonitûs eum exagitare conabatur. Per dies etiam tam apertis in eum telis irruebat, vt nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret: nam & ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eas oratu summouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore, hic fide, [d] vigilijs & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ: hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinam facile proponebat: hic æterna futuri iudicij tormenta considerans, illæsam animæ puritatem per tentamenta seruabat. Ista autem omnia ad confusionem diaboli fiebant. Qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente, vt miserrimus, deludebatur: & qui contra carnem & sanguinem sæuiebat, ab homine qui carnem portabat, elisus est. Adiuuabat enim seruum suum Dominus, qui nostri gratia carnem suscipiens, victoriam corpori contra diabolum largitus est, vt singulis ità certantibus, Apostolicum liceret proferre sermonem: Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Postremò cùm nec hoc argumento destruere posset Antonium draco teterrimus, & videret se semper ab eius cogitatibus repelli, secundum quod scriptum est, stridens dentibus, & vlulans, qualis est merito, talis apparebat & vultu: puer [e] horridus atque niger, ad eius se genua prouoluens, humana voce flebat, dicens: Multos seduxi, plurimos decepi: nunc autem vt à cæteris sanctis, ita & tuo sum labore superatus. Quem cum interrogaret Antonius quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda aduersùm omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc & spiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere disponentes fefelli? quot tenuiter incipientes, ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum, propter quem Propheta lapsos increpat, dicens: Spiritu fornicationis seducti estis: & reuera per me illi fuerant supplantati. Ego sum qui teipsum sæpè tentaui, & semper repulsus sum. Cùm hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, & largiore aduersus inimicum confortatus audacia, ait: Multùm ergo despicabilis, multumque cõtemptibilis es, nam & obscuritas tua & ætas, infirmarum signa sunt rerum: Nulla mihi iam de te cura est, Dominus mihi adiutor est, & ego exultabo super inimicos meos. Et statim aduocem cantantis phantasma, quod videbatur, euanuit.

[d] Vigiliis & ieiuniis scorpus omne vallabat.

Matth 8.

1 Cor 15

[e] Turpissima specie videt dæmonem.

Osee. 4.

Psal 117.

V. Hæc autem Antonij contra Diabolum fuit prima victoria, immò virtus in Antonio Saluatoris, qui peccatum in carne condemnauit, vt iustificatio legis, in nobis compleretur: quia non secundum carnem ambulamus, sed secundũ spiritum: Sed neque Antonio securitatem dedit hic vnus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecêre vires. Nam & iste, vt leo rugiens, quærebat aditum, per quem posset irrumpere: & ille scripturarum doctus eloquio, non ignorabat multas esse dæmonum captiones. Propter quod solerti proposito labore seruabat, considerans quia posset satanas in carnis colluctatione superatus, nouarum aduersus se artium machinas acriùs commouere. Idcircò magis ac magis subiugabat corpus suum, nè victor aliorum, in alijs vinceretur. Disponens igitur duriori se vitæ lege constringere, cum omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instantiam, sanctum toleranter ferebat laborem, & voluntariæ seruitutis longum in Dei opere studium, consuetudine in naturam vertebat.

Rom. 8.

1 Pet. 5.

[f] Inediæ vigilię, & orationes Antonii.

VI. Inediæ autem & [f] vigiliarum in tantum patiens erat, vt credulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post solis occasum: nõnunquam biduo, triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal, potumque aquæ perparuum, de carnibus verò & vino tacere melius puto, quàm quicquam dicere: quoniam nec apud plurimos quidem monachorum istiusmodi escæ in vsu haberentur. Quieti [g] autem membra concedens, iunco contexto atque cilicio vtebatur: nonnunquam etiam super nudam humum iacebat, vnguenta penitus repudians. Dicebat enim minimè posse ventium, & præcipuè iuuenum corpora roborari, si olei essent lenitate mollita: oportere verò asperos carni labores imperare, secundum Apostoli præceptum, dicentis: Quando infirmor, tunc fortior sum, & potens. Asserebatque sensum sic animi posse reuiuiscere, si corporis fuisset impetus fatigatus. Vndè nec temporum longitudine laborum merita pensabat, sed amore & famulatu spontaneo semper tanquam in principijs constitutus, ad profectum diuini metus desiderium concitabat: nouisque cupiens augeri præterita, supra memorati doctoris sermonum recordabatur, quod ait: Præterita obliuiscens & in futurum conualescens. Meminerat quoque Eliæ prophetæ, dicentis: Viuit Dominus, cui adsto hodiè ante ipsum, & differebat, cur Hodiè esset appositum, quia non computabat Elias præteritum tempus: sed tanquàm quotidiè in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratũ obedire voluntati eius.

[g] Lectus eius.

2 Cor. 12.

Philip. 2.

3 Reg 17.

VII. Igitvr sanctus Antonius secum reputans, oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere, ad sepulcra non longè à villa constituta secessit, vnide cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret. Et cùm in vna * marmoraria supradictus frater eum clausisset, solus ibidem morabatur: Metuens ergò diabolus, nè accessu tempotis eremum quoque habitari faceret, ita eum aggre-

* *Al. memoria, intelligit autem sepulcrum.*

[a] Atrocissimè verberatur à dæmonibus.

aggregatis satellitibus suis [a] varia cæde lacerauit, vt doloris magnitudo & motum auferret, & vocem. Nam & ipse postea referebat, vulnera fuisse tam grauia, vt vniuersa hominum tormenta superarent: sed Dei prouidentia, quæ nunquam in se sperantibus deest, conseruauit eum. Alio die is, quem supra diximus, frater aduenit, cibos deferens assuetos, atque eum iacentem in terra semimortuum, fractis foribus, inuenit. Quem impositum humeris, ad villulæ domicilium reportauit. Quo audito, ingens vicinorum atque affinium multitudo concurrens tristi in medio positi funeri debitum reddebat officium. Et iam media noctis parte transgressa, grauis peruigiles omnium oculos vicerat sopor: Antonius anima paululum redeunte, suspirans eleuauit caput: cæteris verò alta quiete prostratis, eum à quo delatus fuerat, vigilare conspexit, eumque nutu aduocans, obsecrauit, vt nullo penitus excitato, ad pristinum se referret habitaculum.

RELATVS ergò, iuxta consuetudinem solus iterum permanebat: & stare quidem propter recentes plagas non VIII.
poterat, orans verò prostratus, post orationem clara voce dicebat: Ecce ego hic sum Antonius: non fugio vestra certamina, etiam si maiora faciatis: nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatque dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se laniãs: Videtis, ait, quòd nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acriùs nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat: debet scire, quos prouocet. Dixit, & in adhortantis vocem audientium turba conserrit: quia innumeras diabolus habet artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria [b] dæmonum exindè turba se effunderet: nam & bestiarum, & serpentium formas induentes, omnem protinus locum repleuere phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, necnon & pardorum atque vrsorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo, occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus inhiabat: pardus discolor à tergo, tauhoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus, durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur: Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium: sed quoniam Domino vos eneruante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores: cùm hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quòd irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens aiebat: Si quid valetis, si vobis mei potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum: deuorate concessum: Si verò non potestis, cur frustrà nitimini? Signum [c] enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Multa contra sanctum Antonium minantes, fremebant dentibus suis, quod nullus eorum tentamẽta sequeretur effectus, sed maximè econtrario gigneretur illusio.

Psal. 26.

[b] Varia dæmonũ procacium terriculamẽta

[c] Signũ crucis & fides ad Dominũ murus inexpugnabilis.

NON oblitus Iesus colluctationis serui, eidem protector factus est. Denique cum eleuaret oculos, vidit desuper IX.
culmen aperiri, & deductis tenebris, radium ad se lucis influere. Post eius splendoris aduentum, nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplò deletus est. Ædificium quoque, quod paulo antè dissolutum fuerat, instauratum est. Ilicò præsentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem, quæ ei apparuerat, loquebatur, dicens: Vbi eras, bone Iesu? vbi eras? Quare non à principio affuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis exurgens, in tantum roboratus orabat, vt intelligeret se plus recepisse tunc virium, quàm antè perdiderat. Erat autem tunc Antonius annos natus triginta quinque.

EXINDE cùm voluntati promptæ merita religiosa succrescerent, vadens ad supradictum senẽ, precabatur, vt in X.
deserto pariter abirent. Causante illo senile æuum & rei nouitatem, [d] solus contendit ad montem, & eremi adhuc monachis ignotæ vitæ, rupto metu, viam conatus est pandere. Sed nec tunc cessauit infatigabilis aduersarius: nam impedire eius propositum volens, argenteum discum in itinere proiecit. Quo viso, Antonius callidi artificis [e] agnouit astutiam: stansque intrepidus, & discum toruis intuens oculis, doli authorem in phantasmate obiurgabat argenti, talia secum reputans: Vndè hîc in deserto discus? auium hoc iter est: nulla sunt vestigia commeantium: lapsus de sarcina, præ magnitudine latere non potuit: sed & qui perdiderat reuersus, ob solitudinem locorum inuenisset profectò, quod ruerat. Hoc artificium diabole tuum est: non impedies voluntatem meam: argentum tuum tecum sit in perditionem. Hæc illo dicente, discus, vt fumus à facie eius euanuit.

[d] Petit eremum.

[e] Insidiæ malignidę monis.

DEHINC non vt ante in phantasmate, sed ingentem auri massam in itinere conspexit. Verum hanc vtrùm diabolus XI.
simulauerit, an ad Antonium comprobandum, quia nec veris opibus inescaretur, virtus cælestis ostenderit, ignoratur: hoc tamen agnouimus, quia quod visum est, aurum fuit. At ille [f] magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem vsque perrexit: ibique flumine transuadato, inuenit castellum desertum, plenum ob tempus & solitudinem venenatorum animalium, in quo se constituens nouus hospes habitauit. Statim ad eius aduentum ingens turba serpentium, quasi persecutorem passa profugit. At ille obstructo lapidibus introitu, panes [g] mensium sex, vt Thebæis mos est, secum recondens: nam crebrò per annum incorrupti durare solent: necnon & exiguum habens aquæ solitarius perdurabat, nusquam indè procedens, nunquàm aliquem suscipiens: intantùm, vt cum bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet allòquium.

[f] Fugit auro conspecto

[g] Videtur per panes hos intelligere paximates seu buccellata quos vulgo panes bis coctos vocant.

MVLTIS igitur videndi eum desiderio, & studio requirendi ante ostium eius pernoctantibus, audiebantur vt XII.
vulgi voces aduersum [h] Antonium, tumultusque dicentium: Quid te nostris ingeris habitaculis? quid tibi & deserto? Abscede à finibus alienis: non potes hic habitare, non nostras insidias sustinere. Et primo quidem, qui foris erant, existimabant aliquos homines scalis positis introisse, ibique contendere. Postquàm autem per cauernam introspicientes nullum viderunt, dæmones intellexerunt contra eum contendere: & nimio metu perterriti, Antonij auxilium flagitabant. At ille ostio propinquans, ad consolandos fratres, nè timerent, atque vt indè recederent, precabatur: trepidantibusque asserebat à dæmonibus incuti metum: Signate vos, inquiens, & abite securi, ipsosque semetipsos finite deludere. Itaque illis reuertentibus, hic remanebat illæsus, nec vnquàm in certamine lassabatur. Accedentium autem augmentum profectuum, vel debilitas repugnantium, maximum eius contentioni leuamen addiderant, tum eius animo constantiam suggerebant. Rursusque ad eremum venientibus turbis, *quidam mortuum eum se existimauerant reperturos: ille psallebat intrinsecùs: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eam à facie eius: sicut deficit fumus, deficiant, vt liquescit cera à facie ignis, ita pereant peccatores à facie Dei. Et iterum: Omnes gentes circundederunt me, & in nomine Domini vindicaui in eis.

[h] Dæmones infestant Antonium

* *Qui iam.* *Psal.* 67 *Psal* 117.

* *Nec non & patiẽtiũ caterua se cõglomaret deestim Græco.*

SIC Antonius annis viginti solitariè transactis, atque ab hominum segregatus conspectibus, perdurauit. XII.
Cum ergò multorum, & propositum imitari cupientium, & notorum multitudo ad eum concurreret. *nec non & patientium, infinita se caterua conglomeraret, tandem pene iam per vim foribus cuulsis, quasi ex aliquo cælesti *aditu

* *Adito.*

conse-

consecratus apparuit. Obstupuerũt vniuersi, & oris gratiã, & corporis dignitatem, quòd nec per *inquietem intũ nuerat, nec ieiunijs dæmonumque certamine faciem eius pallor obsederat: sed e contrario quasi nihil temporis egisset, antiquus membrorum decor perseuerauerit. Porrò quanta miracula, quæ in illo animi puritas fuit? Nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est: nunquam recordatione peccati tristia ora contraxit, non magnis stupentium se elatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo, nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant: sed temperata mẽs æquali ad cũcta ferebatur examine. Plurimos igitur ab [a] immundis spiritibus, & infirmitatibus varijs Dei gratia per Antonium liberauit. Sermo eius sale conditus, consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens, nihil amori Christi anteponendum. Proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam & beneficia retexebat indulta, quod proprio filio suo non pepercerit Deus, sed pro nostra omniũ salute eum tradiderit. Nec mora, plura audientium corda ad humanarum rerum contemptum hæc eius suasit oratio, & habitandæ eremi istud eius exordium fuit.

* *Quietem.*

[a] Antonii miracula.

Rom 8.

XIV. Qvid sanè & Arsenoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. Nam cum fratres vellet inuisere, & riuulum fluminis Nili, qui crocodilis & multis eiusdem fluminis bestijs plenus erat, transuadare esset necesse, tam cum comitibus suis, transiuit illæsus, quam indè redibat incolumis. Rursusque in pristinis laboribus perseuerans, multos magisterio suo fratres confirmauit, ita [b] vt breui tempore plurima fierent monasteria: nouos, antiquosque monachos pro

[b] Vide Bar. an. 326.

XV. ætate vel tempore, paterno moderabatur affectu.

Qvadam autem die cum sanctus [c] Antonius congregatis fratribus rogaretur, vt eis institutoria largiretur præcepta, cum prophetica fiducia exaltans vocem, aiebat: Ad omnem quidem mandatorum disciplinam scripturas posse sufficere: sed & hoc optimum fore, si mutuis se inuicem Fratres sermonibus consolarentur. Et vos ergo, inquit, vt patri referte, quæ nostis: & ego, quæ per longam ætatem consecutus sum, quasi filijs indicabo. Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere: sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata, breuissima sint & parua. Ita exorsus, paululum siluit, & admiratus nimium Dei largitatem, tursùs adiecit, dicens: In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec maiora recipit ab emente, qui vendit. Promissio autem vitæ sempiternæ viliprecio comparatur, scriptum est enim: Dies vitæ nostræ, septuaginta anni: *si autem in potentatibus, octoginta anni: quicquid reliquum est, labor & dolor est. Quando ergo octoginta, aut centum, aut multos annos laborantes, in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro: sed pro annis prædictis omnium nobis seculorum regna tribuentur. Non terram hereditabimus, sed cælum: corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergò, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nemo, cum adspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, breuis ac parua est. Si ergò nec vniuerso orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare cælestibus, se vnusquisque consideret, & statim intelliget, paruis thesauris & parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit: nec tædere, quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam æream drachmam, ad drachmas centum aureas conquirendas: ita etiam qui totius orbis dominium derelinquit, centuplũ de melioribus præmijs in sublimi sede recipiet: Ad summum, illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare diuitias, cum lege mortis ab ipsis diuellamur inuiti, vt in libro Ecclesiastes scriptum est, *Quia nescit homo, quid sit post eum in labore suo. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? Cur non ad lucranda regna cælestia vltro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt: illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cælum: sapientiam scilicet, castitatem, iustitiam, virtutem, sensum peruigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes mansionem nobis in terra quietorum secundum Euangelium, præparabimus. Consideremus Domini esse nos famulos, & seruitutem debere ei, à quo creati sumus. Vt enim seruus præteriti gratia famulatus, præsens aut futurum non contemnit imperium, nec audet asserere, quòd ex labore transacto instantis operis habere debeat libertatem, sed iugi studio (vt in Euangelio scriptum est) eandem semper exhiber seruitutem, vt & domino placere possit, & metum lucretur, & verbera: sic & nos diuinis congruie parere præceptis, scientes quòd æquus ille retributor, in quo quenque inuenerit, in eo sit iudicaturus, quod prophetica per Ezechielem voce testatur. Nam & infelix Iudas, propter vnius noctis impietatem, omni præteriti temporis labore priuatus est. Idcircò tenendus est continuus instituti rigor, habentibus Deum auxiliatorem, sicut scriptum est. Quia omni proponenti bonum, Deus cooperatur. Ad inertiam autem calcandam, Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidiete stabatur: similiter & humanę nos conditionis vitam ancipitem retractantes, non peccabimus. Cum enim excitati à somno, ad vesperam nos peruenire dubitemus, & quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus aduentu, & vbique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus prouidentia gubernari: Hoc modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur: sed nec irascemur quidem aduersus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potius metu quotidiani recessus, & seiungendi corporis iugi meditatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis extinguetur incendium: inuicem nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes vltimæ retributionis aduentum: quia maior formido iudicij, & pœnarum timor horridus, simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam, quasi ex aliqua rupe, *sustentat. Ideoque precor, vt ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens, Lot imitetur vxorem, præsertim cum Dominus dixerit, nullum ponentem manum super aratrum, & respicientem retrorsum, dignum esse regno cælorum. Respicere autem retrorsum, nihil aliud est, quàm in eo pœnitere, quod cœperis, & mundanis rursus desiderijs obligari. Nolite, quæso, virtutis tanquam impossibile nomen pauere: nec peregrinum vobis, aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini inserta natura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantummodo expectat voluntatem. Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inaniumliterarum, quærant magistros, [d] nobis verònulla proficiscẽdi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede, terrarũ constituta sunt regna cælorũ. Vnde Dominus in Euangelio ait: Regnũ Dei intra vos est. Virtus, quæ in nobis est, mentem tantũ requirit humanam. Cui enim dubiũ est, quia naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecus sorde polluta, fons sit & origo omniũ virtutum? Bonam necesse est esse eam, quã creauit bonus creator. Quod si fortè cunctabimur, audiamus Iesum filium Naue, populo dicentem: Rectum facite cor vestrũ ad Dominum Deum Israel. Nec Ioannes dissonã tulit de virtute sententiã, prædicans: Rectas facite semitas eius: siquidem hoc est rectam esse animã, cum eius principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur: si naturam mutauerit, peruersa tunc dicitur: si conditio seruetur, virtus est. Animam nostram commendauit nobis Deus, seruemus depositum, quale accepimus. Nemo causari potest extrinsecus situm, quod in se nascitur: afferam suam, qui fecit agnoscat: opus suum inueniat, vt creauit. Sufficit nobis naturalis ornatus: nè deturpes, homo,*

Eccles 2.
Quia nescit &c. vsq; cur ergo, deest in MSS. & veteribus editionibus.
Ioan. 14.
Luc. 12.
Ezech 33
Rom. 8.
1. Cor. 15.
ἀνίστων. i. erigit.
Gen. 19.
Luc. 9.

[d] Ex hoc loco Flaccus Illyricus l. 4 Catal. test. verit. & hæreticiex eo, peregrinationes improbãt: eas Antonius non arguit: sed simpliciter ad salutẽ necessarias esse negat.

homo, quod tibi largitio diuina conceſſit. Opera Dei immutare velle, polluere eſt. Illud etiam ſolicitè prouidere debemus, vt tyrannicam iræ ſuperemus inſaniam: quia ſcriptum eſt, Iracundia viri iuſtitiam Dei non operatur. Et iterum: Deſiderium concupiſcens parit peccatum: quo perfecto, mors gignitur. Diuinæ vocis præceptum eſt, vt iugi cuſtodia tueamur animam noſtram: quia exercitatos ad ſupplantandum habemus inimicos, dæmones ſcilicet, contra quos nobis, ſecundùm Apoſtolicam conteſtationem, pugna ſine intermiſſione eſt. Ait enim: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principatus & poteſtates huius mundi, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Ingens eorum turba iſtum peruolat aërem: non procul à nobis hoſtium caterua diſcurrit. Et diuerſitatem quidem eorum non eſt meæ paruitatis exponere, ſed hanc maioribus concedo rationem. Quod autem in promptu eſt, & ignorare non expedit, dolos ſcilicet eorum aduerſus nos compoſitos, breuiter indicabo. Hoc primùm debemus mentibus affigere, nihil Deum feciſſe, quod malum eſt, nec ab eius inſtitutione dæmonum cœpiſſe principia. peruerſitas iſta non naturæ, ſed voluntatis eſt vitium. Boni etenim, vtpotè à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruêre de cœlis, ibique in cœni ſordibus volutati, gentilitatis impias conſtituêre culturas: & nunc de nobis torquentur inuidia, atque vniuerſa mala commouere non ceſſant, ne priſtinis eorum ſedibus ſuccedamus. [a] Diuerſa autem eorum & partita nequitia eſt. Quidam enim ad ſummum nocendi verticem peruenêre: alij ex comparatione peiorum, videntur eſſe leuiores: atque omnes pro poſſibilitate virium, diuerſa contra ſingulas cauſas ſumpsêre certamina. Idcircò neceſſarium eſt, donum ſpirituum diſcernendorum à Domino petere, vt poſſimus tam fraudes eorum, quàm ſtudia præuidentes, aduerſum diſparem pugnam vnum Dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto, docebat, dicens: Non enim eius ignoramus aſtutias. Ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his, quæ paſſi ſumus, mutuis nos inuicem inſtruere ſermonibus. Hoſtile illis contra omnes Chriſtianos, maximè verò contra monachos & virgines Chriſti, odium eſt. Eorum ſemitis laqueos tendunt, eorum mentes impijs atque obſcenis cogitationibus nituntur euertere: ſed nihil vobis in hoc terroris incutiant. Fidelium enim orationibus atque ieiunijs ad Dominum, ſtatim corruunt: nec tamen, ſi paululùm ceſſauerint, prorſus plenam putetis eſſe victoriam. Solent ſaucij grauiùs aſſurgere, & mutata arte pugnandi, cùm cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, aſſumentes nunc mulierum, nunc beſtiarum, nunc ſerpentium formas, necnon & ingentia quædam corpora, & vſque ad tectum domûs porrectum caput, infinitas ſpecies & militum cateruas. Quæ [b] omnia ad primum quoque crucis ſignum euaneſcunt. His quoque agnitis fallaciarum modis, incipiunt præſagire, & futurorum dierum euentus velle prædicere. Cumque in & his contempti fuerint, ipſum iam ſuæ nequitiæ principem, ac totius mali ſummitatem, ad ſubſidium ſui certaminis vocant.

[a] Diuerſa dæmonum nequitia.

[b] Nota vim ſigni crucis Chriſti.

CREBRO denique Antonius talem à ſe viſum diabolum aſſerebat, qualem & beatus Iob, Domino reuelante, XVI. cognouerat. Oculi eius ac ſi ſpecies luciferi: ex ore eius procedunt lampades incenſæ. Crines quoque incendijs ſparguntur, & ex naribus eius fumus egreditur, quaſi fornacis æſtuantis ardore carbonum. Halitus eius, vt pruna, flamma verò ex ore eius glomeratur. Cum huiuſmodi terroribus viſus eſt princeps dæmonum, inquit Antonius, & ingentia ſæpè, vt dixi, promittens, impietatis ſuæ definit lingua magniloqua, de qua Dominus triumphauit, ad Iob dicens: Arbitratur enim ferrum, vt paleas: æramentum, vt lignum putridum: maria, vt ſata eraſa: tartara profunda, tanquàm captiua æſtimabit: abyſſum, vt deambulatorium. Per prophetam quoque increpat, dicens: Perſequens comprehendam, & omnem orbem terrarum manu mea, vt nidum tenebo, & vt oua derelicta auferam. Sic iniquus funereas euomens voces, benè viuentiũ aliquos frequenter illaqueat, ſed nos nec eius pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus. fallit enim, nihilque verum ſemper promittit. Nam ſi non mendacia cuncta loqueretur, quomodò talia & tam infinita promittens, hamo crucis vt draco aduncatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus vt iumentum, & quaſi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omninò fidelium deuorare permittitur? Nunc miſerabilis vt paſſer, ad ludendum irretitus à Chriſto eſt, calcaneo Chriſtianorum ſubſtratus gemit. Ille, qui vniuerſa maria à ſe deleta, plaudebat, ille, qui orbem terrarum manu ſua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me aduerſum ſe prohibere non poteſt diſputantem. Contemnenda eſt, filioli, penitùs cum inanibus verbis ſuperba iactantia: fulgorque ille, qui lucere ſe ſimulat, non veri ſplendor eſt luminis, ſed quibus arſurus eſt, indicat flammas. Nam dicto citiùs recedens, ſuarum ſecum refert ſimulacra pœnarum. Solent etiam cum modulatione nonnunquàm apparentes pſallere. Proh nefas, adhæc & impuro ore ſacra ſcripturarum eloquia meditantur. Frequenter enim legentibus nobis, quaſi Echo ad extrema verba reſpondent. Dormientes quoque excitant ad orandum, vt totius noctis ſomnum eripiant: pleroſque etiam, dum ſe in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coercent, & priſtina, quibus conſcij ſunt, peccata imputant: ſed ſpernendæ ſunt eorum increpationes, & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoque fraudulenta ſuggeſtio. Ob id enim familiares nobis ſpecies aſſumunt, vt affinitate virtutum nocentes, facilius [c] virus interſerant, & innocentes quoſque per ſpeciem honeſtatis elidant. Impoſſibile poſteà, duruméque hoc ſtudium prædicantes, vt dum oneroſum eſſe videtur quod cœptum eſt, ex deſperatione tædium, & ex tædio ſuccedat ignauia. Idcircò Propheta miſſus à Domino, luctuoſa denuncians, ſublimi voce dicebat: Væ qui potat proximum ſuum ſubuerſione turbida. Huiuſmodi enim exhortamenta deprauatoria ſunt itineris, quod ducit ad cœlum. Idcircò cùm veniſſet Dominus ad terras, & vera de eo dæmones prædicarent, (verè enim dicebant, Tu es Chriſtus filius Dei viui) vociferantium ora claudebat, qui vinctas hominum linguas ſoluebat, ne [d] cum præconio veri, peruerſitatis venena miſcerent, & vt nos eius exemplo, etiam ſi profutura ſuaderent, in nullo his commodaremus aſſenſum: quia profectò non congruit, nos poſt libertatem à Domino conceſſam, & ſcripturarum præcepta vitalia, à diabolo viuendi capere exempla, qui ſuum deſerens ordinem, ſacrum Chriſti temerauit imperium. Propterea etiam Dominus eum de ſcripturis loquentem iubebat tacere, quia peccatori dicit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Omnia dæmones ſimulant, colloquuntur ſæpè cum fratribus, & eos ſæpè conturbant, ſæpè inconditos excitant ſonitus, manus apprehendunt, ſibilant, inſipienter cachinnant, vt vel in puncto peccati Chriſtianum pectus introeant. Cumque ab vniuerſis fuerint repulſi, ad extremum debilitatem ſuam lamentatione teſtantur. Et Dominus quidem quaſi Deus, & ſuæ conſcius maieſtatis, obmuteſcere his imperabat: nos autem veſtigijs ſanctorum inhærentes, eandem gradiamur viam, qui memoratas ſubtiliùs fallacias peruidentes, canebant: Cùm conſiſteret aduerſus me peccator, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Et iterùm: Ego verò tanquàm ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: Et factus ſum vt homo non audiens. Chriſtus ſilentium vt Dominus imperauit: nos diabolo nihil credamus, & vincimus. Si orare compellunt, ſi ieiunia ſuadent, non ex eorum nos monitis, ſed ex noſtra conſuetudine id agamus. Denique etiamſi irruentes mortem nobis intentare videantur, ridendi potiùs ſunt, quàm timendi: quia cùm ſint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. Equidem de iſtis iam tranſitoriè me dixiſſe memini, tamen eadem nunc explicanda ſunt latiùs, quia non mediocrem affert repetitio medelam. Aduenientе Domino, deſtructus eſt inimicus, & omne penitùs eius robur elanguit. Propter quod priſtinæ virtutis memor, quaſi tyrannus iam ſeneſcens, cùm ruiſſe ſe videat, in perniciem graſſatur humanam: nec tamen poteſt firmum Deo pectus, cogitationum & cæterarum arte fraudum peruer-

[c] Fallacia dæmonum.

[d] Nec vera dicenti dæmoni credendum.

Luc. 2. *Iacobi 1.* *Prou. 4.* *Epheſ. 6.*

Habac. 2. *Luc. 4.* *Pſal. 49.* *Pſal. 38.* *Pſal. 37.* *Iob. 41.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Eſaiæ 10.* *Iob. 40.*

2. Corinth. 2.

peruertere. Nam luce clarius est, cùm aduersarij nostri nec humana carne sint septi, vt causare valeant, idcircò nos à se non posse superari, quia clauso ostio interiore, intrare non valeant. Et reuera si fuissent hoc fragili corpore colligati, obserato introitu, ijsdem negaretut accessus. Cum autem (vt diximus) hoc impedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atque in omni licenter volitent aëre, manifestum est ob eneruationem eorum permanere Ecclesiæ corpus illæsum. Denique satellites impij cum principe suo diabolo, quem Saluator in Euangelio homicidam & patrem malitiæ ab initio fuisse firmat, nobis aduersum se dimicantibus fortiter nullo modo cessissent, si potestas eorum non fuisset ablata. Nam si mentior, cur nobis, satanas, parcis, qui vbique discurris? Cur qui nullo clauderis loco, aduersum te benè viuentium & disputantium non potes labefactare constantiam? Sed fortasse nos diligis, quos quotidiè conaris obruere: aut credibile est te esse bonitatis magistrum, & fauere magis optimis, quàm nocere? Et quid tam charum tibi esse potest, quã lędere, maximè eos, qui tuis sceleribus viriliter repugnẽt, secundũ quod scriptũ est, Quia abominatio est pietas peccatori? Quis tã fœcũdum ad malitiam possidet pectus? quis tam meditatas implere conatur insidias? Scimus te impurissimum cadauer, scimus quia idcircò viuimus Christiani, & contra te nobis est secura [a]congressio, quia infirmatus es à Domino. Ideò de tuis confoderis iaculis, quia minationem tuam non sequitur effectus: Quòd si fallimur, cur cum terrore simulato, cur magnitudine corporum nostram aggrederis fidem? Si voluntatem sequitur possibilitas, tantum tibi velle sufficiat. Is enim potentiæ mos est, non extranea fallaciæ adiumenta conquirere, sed sua virtute implere quod cupiat. At nunc dum theatrali mutatione formarum, quasi rudem infantiam scenica niteris simulatione deludere, exhaustas vires manifestiùs probas. Nunquidnam verus ille Angelus, cõtra Assyrios missus à Domino, aut populorum eguit societate, aut sonitus quæsiuit, aut plausus: & non potius tacitam exercens potestatem, centum octoginta quinque millia hostium sermone velociùs iuxta iubentis Domini prostrauit imperium? Vos ergò cum fragiles sitis viribus, perpetuus vos consequitur interitus.

[a] Imbecillitas satanæ.

Ecclesiast. 1.

4. Reg. 19.

XVII. At dicet aliquis: Cur diabolus egrediens, beati Iob omnem in ruinam impulit domum? cur eius opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subuertens, vnum numerosæ sobolis coaceruauit sepulcrum? cur ipsum ad extremum diri vulneris nouitate percussit? Qui hoc opponit, audiat è diuerso, non diabolum potuisse hoc, sed Dominum, à quo potestas aduersum nos dupliciter datur, vel ad gloriam, si probamur: vel ad pœnam, si delinquimus. Quin potius ex hoc animaduertat, ne contra vnum quidem hominem diabolum quicquam potuisse, si non potestatem accepisset à Domino. Nullus enim, quod suæ ditionis est, ab alio deprecatur. Sed quid Iob memoro, quem nec expetitũ potuit vincere? sed nec cõtra iumenta quidẽ eius, nec cõtra oues, nec contra sues, sine cõcessu Dei propriũ robur exercuit, sicut in Euangelio scriptum est: Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Quomodo igitur, qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei hominem, & tam charum conditori animal, suo valebunt iure peruertere? Magna, dilectissimi, aduersum [b] dæmones arma sunt, vita syncera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimescit satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga Christi amorem. Nouit deterrimus coluber, ex præcepto Domini sub iustorum se iacere vestigijs, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Si autem & diuinationem se habere simulantes, venturos fratres nunciauerint, & affuerint quos venire prædixerant, nec sic fides est commodanda mendacibus: ob id enim præcessere venientes, vt credulitas sibi pareretur ex nuncio, & postea adiutus ex credulitate fallaciæ. Verum in hoc nullũ Christiano debet esse miraculum, cum non tantùm, qui leuitate naturæ per cuncta discurrunt, valeant præuenire gradientes, sed homines quoque equorum velocitate præuectos, nuncient affuturos. Non enim ea quæ, nondum fieri cœpta sunt, referunt: quia Dominus solus conscius est futurorum: sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam apud ignaros vendicant de futuris notionem. Nam quantos nunc putatis velocitate pernice istum cœtum, nostrosque contra se sermones, ante relatum alicuius hic positi, longè manentibus indicare? Hoc quod dico, vobis perspicuum fieri potest exemplis. Si quis à Thebaide aut alicuius regionis oppido cœperit proficiscì, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, pernicitate memorata possunt prædicere venientem. Ità & de Nili inundatione solenni, cum multas in Æthiopia viderint pluuias, è quibus fluuius intumescens, vltra alueum effluere consueuit, præcurrentes ad Ægyptum, nunciant amnis aduentum. Hoc autem & homines, si illis celeritas esset tanta naturæ, facilè nunciarent, Vt enim speculator beati Dauid, ad verticem loci celsioris, ascẽdẽs prior, quã hi, qui in terra erãt, prospiciẽs veniẽtes, non quædam incerta de futuris, sed de his, qui venire cœperant, nunciabat: sic & dæmones, cura peruigili omnia considerantes, rapido cursu sibi inuicèm nunciant. Sed si fortè contigerit, vt Dei nutu ad finem cœpta non veniant: hoc est, si aut viator è media regrediatur via, aut suspensis nubibus, aquæ ad altum cæli cardinem deferantur, tunc decipientium vnà cum credentibus error aperitur. Hæc gentilitatis fuêre principia, his præsagorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula, quæ aduentu Domini nostri Iesu Christi, indicto sibi silentio, obmutuerunt, suosque perdidere captiuos. Quis (rogo) medicum ex obseruatione membrorum, cùm animæ æstuantis incendia, venarum pulsu, lenique digitorum attactu scrutatur, diuinam arbitratur habere notitiam? Quis gubernatorem, nauigationis suæ viam inter cæli sidera requirentem, maiestatis honore veneratur? Quis agricolam de aridis æstatis feruoribus, aut de hyemali aquarum largitate, vel frigore disputantem, non potius de experientia laudat, quàm Dei consecrat nomine? Verùm vt concedamus paulisper vera dæmones nunciare: respondete mihi, quis fructus est nôsse venientia? Nunquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nescius? In hoc vnusquisque sibi præparat seu tormenta, seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat. Nullus ob id nostrûm hanc arripuit vitam, vt habeat præscientiam futurorum, sed vt præceptis Domini obediens, amicus esse incipiat de seruo. Curandum est non præscire quæ veniunt, sed implere quæ iussa sunt: nec instituti boni hanc flagitare mercedem, cum magis debeamus victoriam contra diabolum ab auxiliatore Domino postulare. Sed si fortè aliquis hoc libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientem, si in ea perseuerauerit integritate, qua * renata est plus scire posse, quàm dæmones. Talis erat anima Elisæi, quæ alijs incognitas virtutes faciebat.

Iob. 1.

Iob. 2.

Matth. 8.

[b] Nota quid satan reformid t.

Luc. 10.

2. Reg. 18

Dæmonũ oracula qui aduentante Christo obmutuerint vide Euseb: lib. 5 de præparat. Euangel Suidam in Augusto Niceph lib. 1 c 17. Cedrẽ in Cõp hist.

** Nata.*

XVIII. Nunc iam cæteras vobis dæmonum explicabo fallacias. Solent nocte venientes angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerentiam, futura præmia polliceri. Quos cum videritis, tam vos, quàm domos vestras [c] crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui. Solent etiam varijs simulationibus membra torquere, & nostris procaciter offerre se visibus, vt mentem pauore, & corpus horrore concutiant: Sed & in hoc fides Deo tuta & immota, fugat eos quasi infirma ludibria. Non est autem difficilis bonorum spirituum malorumque discretio, quæ sic, Deo tribuente, panditur. [d] Sanctorum angelorum amabilis & tranquillus adspectus est, quia non contendunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum: verùm tacitè: leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciá pectoribus

[c] Crucis signaculum quã reformident dæmones.

[d] Boni à malis spiritibus vt queant internosci.

ctoribus infundunt: siquidem cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & placida, angelorum luce radiatur: tunc anima cœlestium præmiorum auiditate flagrans, effracto (si possit) humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his, quos videt, abire festinat ad cœlum. Horum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferant metum. Ità Gabriel, cùm Zachariæ loqueretur in templo, & angeli, cùm diuinum virginis partum pastoribus nunciarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, securis videntium se mentibus ostendentes, nè metuerent imperabant. Metus enim non tantum ex pauore animi, quantum ex magnarum rerum sæpè incutitur adspectu. Pessimorum verò vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum: è quibus confestim timor animæ, sensibus stupor incutitur, odium Christianorum, monachorum mœror tædiumque suorum recordatio, metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium: quia securitas animæ, præsentis maiestatis indicium est. Sic namque & Abraham Patriarcha videns Deum, gauisus est: & Iohannes cùm Mariam superuenisse sentiret, quæ in sacri ventris hospitio vniuersitatis gestabat parentem, exultauit necdùm natus in gaudium. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur, quoniam nec refouere nouit: vt Gabriel pauentem virginem, nè metuat, iubet: & sicuti pastores nuncio consolati sunt: quinimò pauorem duplicat, & vsque ad profundam impietatis foueam, vt sibi homines prosternantur, impellit. Exindè misera gentilitas, Dominicæ interdictionis ignara, falsò dæmones deos opinata est. Christianorum autem populos his fallacijs irretiri non passus est Dominus, qui diabolum in Euangelio, audacter sibi principatum omnium præsumentem, repulit, dicens: Vade satanas, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Horum verborum etiam nobis licentia est tributa, quia idcircò locutus est talia, vt similitudo tentamentorum, authoris nostri frangatur eloquijs.

Luce 1. 2.
Matth. 28.
Ioan 8.
Luce 1.
Ibidem.
Matth. 4. Deut. 6. & 10.

XIX. Illvd, mei quoque charissimi, admoneo, vt vitæ magis sit vobis, quàm signorum, solicitudo. Nullus ex vobis hæc faciens, aut ipse superbia intumescat, aut despiciat eos, qui facere non possunt. Conuersationem magis scrutamini singulorum: in hac vita & imitari vos quæ perfecta sunt, conuenit, & implere quæ desunt. Nam signa facere non est nostræ paruitatis, sed Domini potestatis, qui ad discipulos gloriantes in Euangelio ait: Ne gaudeatis quia dæmones vobis subiecti sunt, sed quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. Nominum enim in libro vitæ conscriptio, testimonium est virtutis & meriti: expulsio autem satanæ, largitio Saluatoris est. Vnde his, qui non in vitæ laboribus, sed in prodigijs exultabant, dicentibus: Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? respondebit Dominus: Amen dico vobis, Non noui vos: Discedite à me operarij iniquitatis. Non enim nouit Dominus vias impiorum. Hoc ergò magnoperè postulemus, vt donum spirituum discernendorum mereamur accipere: quò secundùm sententiam scripturarum, omni spiritui non credamus.

Luce 10.
Matth. 7.
1. Ioan. 4.

XX. Volveram quidem iam finire sermonem, & silentio premere, quæcunque meæ acciderant paruitati: sed ne putetis me frustrà commemorâsse, quæ euenire non possint, idcircò licèt insipiens fiam, (tamen Dominus, qui secretæ mentis est inspector, nouit non me causa iactantiæ, sed vestri gratia profectûs hoc facere) pauca replicabo de pluribus. Quotiès [a] me nimijs laudibus efferre conati sunt, cùm à me in nomine Domini maledicta reciperent? Quotiès augmenta Nili fluminis futura dixerunt, cùm à me audirent, Et hoc ad vestram quid pertinet curam? Quotiès minitantes vt milites armati, scorpionibus, equis, beluis & varijs serpentibus circundederunt me, & domum, in qua eram, repleuerunt, cùm ego econtrà psallerem: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur? & statim misericordia Christi fugabantur. Quodam autem tempore cum ingenti luce venientes, dixerunt: Venimus, Antoni, nostrum tibi præbere fulgorem. Et ego clausis oculis, quia lucem diaboli dedignabar adspicere, orabam: & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. Post menses autem paucos cùm coram me psallerent, & de scripturis sibimet sermocinarentur, ego tanquàm surdus non audiebam. Commouerunt aliquando monasterium meum, & ego mente immobili Dominum deprecabar. Sæpè strepitus, sæpè saltationes, sæpè sibilos ingesserunt, & me psallente, sonus eorum in voces flebiles vertebatur. Credite mihi, filioli, quod dicturus sum vobis: Vidi aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem & prouidentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid vis, vt à me tibi donetur, Antoni? At ego *sputum vi maxima in os eius ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatum ingessi: & statim ille procerus adspectu, inter medias manus exiliuit. Ieiunanti etiam mihi visus est vt monachus, & panes offerens, his sermonibus suadebat vt vescerer, & huic aliquid indulgerem corpusculo: Et tu, inquit, homo es, & humana fragilitate circundaris: labor paululùm conquiescat, nè ægritudo subrepat. Ilicò luridam faciem serpentis agnoui, & cùm ad consueta Christi munimenta confugerem, tanquàm per fenestram fumus laberetur, euanuit. Auri quoque decipulam mihi in deserto frequenter tetendit, quod ideò offerebat, vt aut visu irretiret me, aut tactu commacularet. Cùm vapularem autem, (nam [b] sæpè me à dæmonibus non denego verberatum) canebam: Nullus me separabit à charitate Christi. Ad cuius vocis auditum in se inuicem defurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio, qui ait: Vidi satanam quasi fulgur cadentem de cœlo. Hæc ego, filioli, Apostolici memor eloquij, in me transformaui, vt propositum vestrum nec dæmonum terror, nec aliqua lassitudo dissolueret. Sed quoniam ob vestram vtilitatem multa memorando insipiens factus sum, & huius rei vobis impertiri cupio notionem, quam veram esse nullus ambigat audientium. Pulsauit aliquando dæmon monasterij ostium: Egrediens video hominem enormi sublimitate, porrectum caput vsque ad cœlum. Cùm ab hoc, quisnam esset, inquirerem, ait: Ego sum satanas. Et ego, Quid, inquam, hîc quæris? respondit: Cur mihi frustrà imputant monachi? cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? Et ego: Iustè faciunt, tuis enim molestantur insidijs. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se inuicem conturbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo, Nónne legisti, Quia defecerunt inimici frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti? En nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatem: iam mihi nulla sunt arma: per omnes nationes cunctasque prouincias Christi personat nomen: solitudines ipsæ quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se, quæso tueantur, & me sine causa non lacerent. Tum ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam nouam & tam inauditam adscribo sententiam: nam cùm fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es cõfiteri. Verè enim [c] Iesus tuas funditus subruit vires, & honore nudatus angelico, volutaris in sordibus. Vixdùm verba compleueram, & ille sublimis, Saluatoris deletus est nominatione. Quæ ergò iam, ô filioli, poterit residere cunctatio? quæ trepidatio manebit vlteriùs? Quis nos eorum turbo poterit conuellere? Securæ sint animæ singulorum: non sibi fingat cogitatio vana discrimina: nõ aliquis timeat à diabolo sublatum, ad præcipitia se posse deferri. Pellatur omnis anxietas: Dñs enim, qui nostros prostrauit inimicos, manens, vt promisit, in nobis, à varijs nos satanæ muniuit incursibus. En ipse diabolus, qui huiusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Iam curæ Christianorũ & monachor. sit, ne per eorũ inertiam vires dæmonib. præbeantur. Nã quales nos & nostras repererint cogitaões, tales se nobis *põstare cõsueuerunt. Et si q̃ in pectorib. malę mentis & pauoris semẽ inuenerint, quasi latrones, q̃ deserta obtinent loca, cœptos cumu-

[a] S. Anto. vt à se dæmonum tentationes repulerit.
Psalm. 9.
[b] Sæpè eum dæmones verberârũt. *Luce 10.*
Psalm 9
[c] Christus satanæ contriuit vires.
Ioan. 14.
**immittere*

tumulant timores,& crudeliter imminentes,infelicem puniunt animam. Sin autem alacres fuerimus in Domino,& futurorum bonorum nos cupido fuccenderit,ſi ſemper omnia manibus Dei committamus,nullus[a] dæmonum ad expugnandum valebit accedere.magis enim cùm munita in Chriſto corda conſpexerint,confuſi reuertentur. ita & Iob firmatum in Domino diabolus refugit,& infeliciſſimum Iudam expoliatum fide,vinculis captiuitatis innexuit. Vna eſt ergo ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis, & animæ Dominum ſemper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum dolos,quaſi fumum expellens,perſequetur aduerſarios potius,quàm timebit. Non eſt enim inſcius ſatanas ignium futurorum,& æſtuantis gehennæ copioſa nouit incendia. Sed vt mea iam claudatur oratio, illud in fine commemoro. Cùm aliqua ſe vobis obtulerit viſio, audacter inquirite,quis ſit ille,& vnde venerit:ac ſine mora, ſi ſanctorum fuerit reuelatio,angelica conſolatione timor vertetur in gaudium. Si verò diaboli fuerit oblata tentatio,fidelis animæ percontationibus euaneſcet:quia maximum eſt ſecuritatis indicium, interrogare quiſnam ſit & vnde. Sic & Ieſus Nauæ filius auxiliatorem ſuum interrogando cognouit: nec Danielem percontantem latere potuit inimicus. Poſtquàm Antonius dicendi finem fecit,lætantibus cunctis, in alijs virtutis cupido exardeſcebat,in alijs infirma refouebatur fides,ex aliorum mentibus falſæ opiniones pellebantur,ex aliorum ſenſibus inanium terrorum pellebatur acceſſio:ſimulque vniuerſi cum iam dæmonum inſidias contemnerent,mirabantur in Antonio tantam gratiam ſpirituum diſcernendorum,quam,Domino tribuente,perceperat.

[a] Arma cõtra dæmones.

Ieſu 5.

XXI. ERANT igitur in monte [b] monaſteria,tanquàm tabernacula plena diuinis choris pſallentium,legentium,orãtium:tantumq; ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus ſermo eius afflauerat,vt futuræ ſpei auiditate ad charitatem mutuam,& miſericordias indigentibus exhibendas,iugi ſtudio laborarent: qui infinitam regionem quandam,& oppidum à mundana conuerſatione ſeiunctum,plenum pietatis & iuſtitiæ videbantur incolere.Quis tãtum monachorum agmen adſpiciens,quis virilem illum concordiæ cætum cernens,in quo nullus nocens, nulla detractio ſuſurronis,ſed multitudo abſtinentium,& certamen officiorum erat,non in hanc ſtatim erumperet vocem? Quam bonæ domus tuæ Iacob,tabernacula tua Iſrael!tanquã nemora obumbrantia,tãquàm paradiſus ſuper fluuios, tanquàm tabernacula,quæ fixa ſunt à Domino,tanquàm cedri Libani circa aquas.

[b] Encomion mõnaſteriorũ.

Num. 23.

XXII. DVM hæc ita geruntur,quibus indiès beatæ vitæ ſtudium ſuccreſceret,[c] Antonius manſionum in cælo poſitarũ recordans,& præſentis vitæ deſpiciens inanitatem,quaſi parua eſſent quæcunque iam geſſerat, ſeparatus à fratribus inſtituebatur. Cumque eum ſiue cibum,ſiue ſomnum indulgere corpuſculo,aut alias naturæ neceſſitates cogeret humana conditio,miro afficiebatur pudore,quòd tantam animi libertatem modici carnis termini coercerent. Nam frequenter cum fratribus ſedens,à cibo, qui fuerat appoſitus,memoria eſcæ ſpiritalis abſtrahebatur. Edebat tamen,vtpotè homo,ſæpè ſolus,ſæpè cum fratribus. Et cùm hæc mira (vt prædixi) ageret,cum confuſione tamen animæ adhibendam magnoperè corpori diligentiam perſuadebat,dicens, nec corpus eſſe penitùs enecandum,nè operatio contra voluntatem creatoris diſſolueretur:& ob id omne ſtudiũ animæ conferendum,nè vitijs ſuperata corporeis ad æternas inferni tenebras truderetur:quinimmò indultum ſibi in carne imperium vindicans, domicilium ſuum,vt Apoſtolus Paulus,ad tertium cælum ſubleuaret.Aſſerebatque hoc à Saluatore præceptum,in quo ait:Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ,quid manducetis,aut quid bibatis,nec corpori,quid veſtiamini: quia hæc gentes quærunt: veſter autem pater nouit,quòd indigetis his omnibus. Quærite ergò primum regnum Dei & iuſtitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis.

[c] S. Antonius vixit ſeparatim.

2. Cor 12. Matth. 6.

XXIII. HIS rebus itaque tranſactis, cùm perſecutio impijſſima Maximiani[d] furore veſano vaſtaret eccleſiam,ſanctis quoque martyribus Alexandriam perductis,relicto & ipſe monaſterio,ſecutus eſt futuras Chriſti victimas,dicẽs:Pergamus ad glorioſos fratrum triumphos,vt aut ipſi congrediamur,aut ſpectemus alios præliantes: Et[e] amore quidem iam martyr erat:ſed cum tradere ſe vltro nõ valens,adminiſtraret confeſſoribus in metallis vel in carceribus conſtitutis,magna cum libertate & cura intrantes ad iudicem exhortabatur,nè terrore impiorum ſubacti,Dominum negarent.Iamque ſententia coronatos exultans,quaſi ipſe viciſſet,vſq; ad locum felicis ſanguinis proſequebatur. Quãobrem commotus Iudex Antonij ſociorumque eius conſtantia,præcepit nullum penitùs monachorum aut obſeruare iudicium,aut in ciuitate verſari. Et cæteris quidem omnibus in illa die placuit abſcondi: Antonius autem impauidus,neglecto perſecutoris imperio,lauit ependyten[f] ſuam. Et alia die ſtans in quodam eminenti loco,candente præcinctus veſte,procedentem iudicem ſuo prouocabat adſpectu,flagrans cupiditate martyrij: oſtendebatque nobis,contemptorem pœnarum & mortis Chriſtiani animum perſeuerare debere,intantùm vt contriſtaretur,quia volenti pati pro nomine Chriſti,martyrium non dabatur. Sed Dominus,qui ſuo gregi parabat magiſtrum,ſeruauit Antonium:vt inſtitutio (ſicuti factum eſt) monachorum,non ſolùm oratione eius,ſed & conſpectibus firmaretur. Nunquàm tamen à ſanctorum confeſſorum veſtigijs ſeparatus eſt:quin anxia circa eos cura,& charitatis vinculis colligatus,magis carcerem patiebatur excluſus.Poſtquàm autem perſecutionis turbo defluxerat,& beato epiſcopo [g] Petro iam ob martyrij gloriam coronato,ad priſtinum monaſterium regreſſus,quotidianum fidei ac conſcientiæ martyriũ merebatur,acrioribus ſe ieiunijs [h] vigilijſque conficiens,veſtimento cilicino intrinſecus,deſuper pelliceo vtebatur: nunquàm corpus lauans,nunquàm à pedibus ſordes abluens,niſi cùm per aquas, neceſſitas tranſire compuliſſet. Nullus denique Antonij corpus nudum,antequam moreretur,vnquàm vidit.

[d] Antonius audus martyrii.

[e] Seruit officioſè martyribus.

[f] Epẽdytes, i. ſcapulare vel palliũ.

[g] Eius feſtũ agitur 26. Nouemb.

[h] Ieiunia, vigiliæ, veſtes Antonij

XXIV. QVODAM autem tempore,cùm ab omnium ſe remouiſſet oculis,& clauſo monaſterio neminem omninò ſuſciperet, Martinianus militum præpoſitus,cuius filia immundi ſpiritus infeſtationibus quatiebatur,pulſans oſtium, obſecrabat,vt ſuo pignori ſubueniret,& exiens,Dominum pro filia deprecaretur. Tum ille aperire quidem minimè voluit:proſpiciens verò deſupèr,ait:Homo,quid meum poſcis auxilium? mortalis & ego ſum, & tuæ ſocius fragilitatis:ſi autem credis in Chriſtum,cui deſeruio,vade,& ſecundùm fidem tuam ora Deum,& ſanabitur filia tua.[i] Confeſtim ille credens abijt,& inuocato Ieſu,filiam reduxit incolumen. Multa & alia mirabilia per eum Dominus operatus eſt,& meritò. Qui enim promiſit in Euangelio, Petite,& dabitur vobis,inuento,qui mereretur accipere,ſuam poteſtatem non negauit. Nam plures vexatorum ante monaſterium eius,clauſo introitu,dormientes,fuſis per eum ad Chriſtum precibus,purgabantur.Hæc illi multitudo veniẽtium,deſideratam ſolitudinem auferens,tædio fuit.Metuens itaque,ne ſignorum copioſa conceſſio aut ſuos animos extolleret,aut alios plùs de ſe,quàm videbant in ipſo,coget æſtimare,ad ſuperiorem Thebaidem pergere cogitauit,vbi nullus eum agnoſceret. Et à fratribus acceptis panibus,ſedebat ſuper fluminis ripam,tranſitum nauis obſeruans. Illo talia cogitante,vox ad eum deſupèr facta eſt,dicens: Antoni,quò pergis,& quarè? At ille intrepidè,quaſi conſuetã vocem loquentis agnoſceret,reſpondit: Quoniam non ſinunt me quieſcere populi,idcircò ad ſuperiorem Thebaidem ire optimum duxi,præcipuè quia & ea exigor,quæ virtutem meæ poſſibilitatis excedunt. Et vox ad illum ait:Si ad Thebaidem vadas,& ad *paſtoralia (vt cogitas) pergas,maiorem ac duplicem ſuſtinebis laborem.Si autem verè quieſcere cupis,vade nunc ad interius deſertum. Cumque Antonius diceret,Quis mihi locum auium poterit oſtendere? ignarus enim ſum locorum: confeſtim ei qui loquebatur,Saracenos indicauit,qui mercandi gratia ad Ægyptum venire conſueuerant. His apptopinquans Antonius? rogauit vt & ſe pariter adducerent in deſertum. Nullus obnixus eſt:ſed tanquam à Deo miſſum comitem ſuſcipientes,amplexi ſunt eius ſocietatem. Tribus autem diebus & noctibus itinere confecto,inuenit montem valdè excelſum,

[i] Dæmoniacaſanatur. *Matth.7.*

*Βυκολία, *Bucolia eſt locus certus in Ægypto, vel apud Alexãdriam iuxta mare ſub rupibus, vt ex vita S. Marci poſt Abdiam anonymoauctore probat Roſyweydus*

[a] Antonius ad monté se recipit

excelsum[a], ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur, & campus haud magnus totum ambiens montem, qui palmulis perpaucis, & his neglectis, consitus erat. Hunc Antonius locum, quasi à Deo sibi offerretur, amplexus est. Is enim erat, quem sibi ad fluminis ripam sedenti, qui loquebatur ostenderat. Et primò quidem accipiens à comitibus panes, solus remansit in monte, nullo alio cum eo conuersante. Quasi enim propriam domum agnoscens, habebat locum illum. Saraceni quoque videntes eius fiduciam, optato per eam transitu, panes eidem cum lætitia deferebant: nec nõ palmarum, licet mediocri, attamen aliquanto solatio refouebatur.

EXINDE cùm fratres agnito loco, tanquàm ad patrem filij, solicitè alimenta transmitterent, videns Antonius quòd ob suum refrigerium multis onerosus labor indiceretur, & parcens etiam in hoc monachis, rogauit vnum de aduenientibus, vt falculum sibi, bis [b] acutum, cum frumento deferret. Quibus allatis, circuiens montem, haud grandem culturæ aptum reperit locum, ad quem deriuata desuper aqua poterat influere: ibique seminauit, atque exinde annuum sibi panem elaborans, gaudebat, quòd sine cuiusquam molestia ex proprijs manibus viueret in deserto. Sed cùm rursus etiam illuc quidam venire cœpissent, misertus est lassitudini eorum, & olus in paruo terræ cespite coluit, vt post asperum iter aliquo venientes solatio refouerentur. Hoc fratrum refrigerium, & paruulam messem bestiæ, propter aquas illuc conuenientes, depastæ sunt, è quibus vnam apprehendens, dixit omnibus: Cur me læditis, nihil à me læsæ? Abite, [c] & in nomine Domini nè huc appropietis vlterius. Quis non credat post hanc denunciationem, quasi timentes, nunquàm illuc bestias appropinquasse? sic Antonio impenetrabil a montium & deserti interiora captanti, orationibus etiam dedito, introcuntes fratres magnis vix precibus extorserunt, vt oliuas, & legumen, & oleum, quod post menses aliquot ministrabant, dignaretur accipere, & senili modicum laxaret ætati. Proh quantas ibi conuersans expertus est luctas? Verè, secundùm quod scriptum est, non illi aduersus carnem & sanguinem fuisse colluctationem, sed aduersus principatus & potestates, ab his, qui ad eum veniebant, agnouimus. Illic enim tumultus & voces populi, armatorumque sonitus, prorsus plenum montem dæmonum multitudine se vidisse referebant, ipsum etiam quasi contra inimicos palàm resistentem, & fortiter colluctantem. Qui tamen & aduenientes suo refouebat hortatu, & flexis genibus, armis quoque orationum omnem [d] satanæ prosternebat exercitum. Admiratione planè dignum est, in tam immani solitudine vnum hominem nec dæmonum quotidianas expauisse congressiones, nec tantarum bestiarum, quadrupedum, siue reptilium diuersæ cessisse feritati. Iustè Dauid cecinit. Qui confidunt in Domino, sicut mõs Sion, non commouebitur in æternum. Immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem, & dæmones fugabat, & feras (sicut scriptum est) secum pacificabat. Sed & diabolus, vt supradictus propheta ait, obseruans eum, frendebat dentibus suis: Et ille Saluatoris auxilio ab vniuersis tutus perseuerabat insidijs. Quadam ergo nocte, cùm peruigil Antonius obsecraret Dominum, tantos in monasterium eius bestiarum greges coaceruauit, vt omnes eremi * beluas circum se adspiceret. Quæ cũ rictu oris morsum corpori minitarentur, intellexit hostis astutias, dixitque: Si aliqua à Domino in me vobis est tributa licentia, deuorate concessum: Sin autem dæmonum huc venistis impulsu, quantocyùs abite, quia Christi famulus sum: ita factum est, & ad iubentis vocem omnis beluarum multitudo, quasi maiestatis verbere cæderetur, aufugit.

[b] Per bis acutum, bipennem intelligit

[c] Verbo abigit bestias olus depascentes.

Ephes 6.

[d] Pugnat cũ dęmonibus

Psal 124.
Iob 3.
Psal. 36.

* *θαρας, hyænas.*

XXV.

NON multi post hæc fluxerant dies, & alia oritur cum eodem hoste certatio. Operante illo (nam semper, vt venientibus pro his, quæ sibi detulerant, aliquod munusculum rependeret, laborabat) traxit quandam sportellæ, quam texebat, * tritiam siue funiculum. Ad cuius motum exurgens: vidit bestiam pubetenùs [c] humanam faciem præferentem, quæ exinde in asinam finiebatur. Post cuius adspectum vexillum crucis in fronte sua pingens, hoc tantùm ait: Christi seruus sum: si ad me missa es, non fugio. Nullum in medio spatium, & statim informe prodigium quantocyus cum satellitum turba fugit & in medio cursu ruens extinctum est. Ista autem exposi mors atque enecati prodigij, dęmonum erat communis interitus: qui omni studio laborantes, Antonium à deserto deducere non valuerunt. Mirandis plùs miranda succedunt.

XXVI.

* *Triciam vel tricinã.*

[c] Mõstriosa bestia.

NON grande post ista tempus excesserat, & tantarum victoriarum homo, fratrum precibus vincitur. Ad monachis enim rogatus, vt eos dignaretur inuisere: vna cum his profectus est, impositis camelo aqua & panibus: quia nusquàm præter monasterij locum, ex quo hauserant, potabilis aqua per arentem viam reperiebatur. Verùm in medio itinere bibendi subsidia defecerunt: Ardor nimius, æstus intolerabilis, mortem cuncta minantur. Circumëunt, & quærunt saltem collectam pluuijs lacunam. nihil prorsus remedij, nihil occurrit penitus ad salutem. Camelus quasi periturus & ipse æstuans, dimittitur, æstuantis pectus exuritur, & sitis desperatione feruescit. Mouit senem fratrum commune discrimen, & vehementissimè contristatus ingemuit. Dehinc ad solita precum auxilia confugiens, paululùm ab eis secessit, ibique genibus flexis, supplices manus tetendit ad Dominum. Nec mora, & ad primas rogantis lachrymas, in orationis loco fons [g] ebulliens erupit: ibique extincta siti, & arentia membra refecta sunt, & plenis vtribus inuentum potant camelum. Ita enim casu euenerat, vt camelus errans per eremum: dum funiculum trahit, in quodam lapide eiusdem funiculi alligatione teneretur. Tandem confecto itinere, ad monachos, qui eum inuitauerant, peruenit. Tunc verò quasi Patri omnes obuiam occurrerunt, honorifico salutatu in oscula eius & amplexus certatim ruunt. Proposito feruenti gaudet Antonius, & lætantibus de aduentu suo cunctis, quasi xenia de monte portans spiritualia impartitur alimenta. Laudat veterum studia, hortatur nouorum. Sororem quoque iam vetulam virginem videns, & aliarum puellarum magistram, mira exultatione sustollitur. Exindè quasi diù abesset ab eremo, rursum festinauit ad montem.

[f] Fratres eorum victus precibus inuisit.

[g] Fons erumpit ad eius preces.

XXVII.

PLVRIMIS iam ad illum venientibus, cùm etiam vexati à dæmonibus malo necessitatis coacti, auderent deserta penetrare, quos ille consolans, & monachis in commune præcipiens, aiebat: Credite in Iesum fideliter, mentem à cogitationibus sordidis, carnem ab immunditijs seruate puram, & iuxta eloquia diuina: nè seducamini in saturitatem ventris: odite vanam gloriam: orate sæpissimè, psallite vesperè, manè, & meridiè, mandata scripturarum reuoluite: Recordamini gestorum, quæ sancti quique fecerunt, vt exempli memoria animam incitet ad virtutem, refrænet à vitijs. Suadebat etiam iugi meditatione retinendum Apostoli sermonem, quo ait: Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantùm autem super iracundiam solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum, ne peccatorum vnquam nostrorum aut in nocte luna, aut in die sol testes abscederent. Illius quoque admonebat præcepti memores esse, quo dicit in alijs: Dijudicate vosmetipsos, & probate, vt rationem diei noctisque facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: Sin autem nullus error decepisset, perseuerantes instarent potiùs incepto, quàm arrogantia tumidi aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent, iuxta supradicti doctoris eloquium, dicentis: Nolite iudicare ante tempus: magis debere eos Christo, cui soli occulta patent, reseruare iudicium: Multas esse (vt scriptum est) vias, quæ videntur hominibus iustæ, sed fines earum ad profundum respicere inferni: sæpè nostra non posse nos intelligere peccata, sæpè falli in ratione gestorum: aliud esse Dei cuncta cernentis iudicium, qui non ex superficie corporum, sed ex mentium iudicaret arcanis. Æquum autem esse nos nobis compati, & inuicem onera nostra portare, vt concesso examine Saluatori, proprias conscientias nosmetipsos dijudicantes intueremur. Nec non dicebat, magnam esse ad virtutem viam, si singuli vel obseruarent quid gererent, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent: Non enim posse aliquem peccare, cùm relaturus esset ad aliũ

XXIII.

a. Cor 13.

Ephes 4.

1. Cor 4.
Prou 14 & 16.

quæcun-

quæcunque peccâſſet,& ſubire pudorem in publicum turpia proferendi. Deniquè nullum peccantem coram alio audere peccare: etiam ſi peccet, tamen teſtem vitare peccati: mentiri magis & negare ei, & vetus delictum nouo inficiandi augeri delicto. Igitur, quaſi ſub oculis,aiebat,noſtris & cogitatu confundimur,& actu, ſi omnia referenda faciamus: multò autem magis, ſi peccata noſtra fideliter deſcribentes, digeramus in ordinem. Tunc verò annotatio delictorum,fratrum videbitur oculis: *timebimus peccati ceras conſcias,ipſi nos arguent apices: & quomodo meretricibus membra miſcentes,confunduntur ad præſentiam cæterorum,ita nos erubeſcemus ad literarum ſcripturas.Hæc agamus, hanc virtutis gradiamur viam, & corpora mentibus ſubiugantes, pernicioſas diaboli conteramus inſidias. Talibus ſermonum hortamentis & venientes ad ſe monachos incitabat ad ſtudium, & patientibus condolebat, pluresq; eorum Dominus per Antonium liberauit. Nunquam tamen aut de incolumitate curatorum eſt inflatus ad gloriam,aut contriſtatus de [a] obſeſſis adhuc corporibus, murmurauit. Magis autem eodem ſemper animo & vultu manens,gratias Deo referebat: ſuadens occupatis,vt correptionem,qua vexabantur, patienter ferrent: Non enim Antonij,aut cuiuſquam omninò hominum hanc eſſe medicinam, ſed Domini ſolius, qui conſueuit, & quibus vellet, & quo vellet tempore,dare ſanitatem. Ita conſolatione ſua,& vexatos æquanimiter ferre tentationem, & iam liberatos non ſibi,ſed Domino gratias referre docebat.

* *Si timebimus.*

[a] Multi curantur obſeſſi.

XXIX Fronto autem quidam vir [b] ex Palæſtinis, qui infeſtiſſimo dæmonio vexabatur,(nam & linguam eius laniabat dentibus,& oculorum nitebatur lumen extinguere) perrexit ad montem,rogauitque beatum ſenem,vt pro ſe Dominum rogaret. Orauit Antonius, dixitque ad eum: Vade, & curaberis. Illo incredulo ſibi,& violenter ibidem contra præceptum remoranti, eadem geminans Antonius, dixit ad eum: Hîc curari non poteris. Egredere, & calcata Ægypto,ſtatim te miſericordia Chriſti conſequetur. Tandem credidit, & profectus eſt, ac viſa Ægypto, ſecundum promiſſionem ſenis, quam ei Dominus oranti reuelauerat,infeſtatio ceſſauit inimici.

[b] Fronto dæmoniacus liberatur.

XXX. Virgo quædam,*quæ à Tripolitanæ regionis ciuitate*erat,inauditis ac flebilibus doloribus laborabat. Etenim narium purgamenta, oculorum lachrymæ,aurium putridus humor in terram cadens, confeſtim in vermes conuertebantur. Augebat calamitatem corpus paralyſi diſſolutum, oculos quoquè peruerſos contra naturam habens. Huius parentes cùm ad Antonium monachos ire didiciſſent, credentes in Domino, qui pertinacem ſanguinis fluxum in Euangelio tactu fimbriæ ſtare præceperat, rogauerunt, vt miſerabilem filiæ comitatum ſuſciperent. illis renitentibus eam vſque ad Antonium perducere, remanſêre parentes eius foris cum filia debili apud beatum confeſſorem & monachum [c] Paphnutium, qui effoſſo pro Chriſto oculo ſub Maximiano perſecutore, tali dehoneſtamento corporis plurimùm gloriabatur. Peruenerunt autem ad Antonium monachi: Cumque de puellæ morbo referre diſponerent, relationem eorum ſenis ſermo præuenit,& omnem debilitatis & itineris vſque ad ſanctum Paphnutium cauſam,quaſi ipſe interfuiſſet,expoſuit. Rogantibus autem monachis, vt parentibus cum filia permitteretur ingreſſus, non conceſſit,ſed ait: Ite,& inuenietis puellam,ſi non eſt mortua,curatam. Et adiecit: Nullus debet ad meam [d] humilitatem venire,quia largitio curationum non eſt humanæ miſeriæ, ſed Ieſu Chriſti miſericordiæ,qui vbique in ſe credentibus præſtare conſueuit auxilium. Quamobrem & illa, pro qua petitis,ſuis precibus liberata eſt: & cùm ad Dominum oratem ego,mihi præſcientia ſanitatis eius indulta eſt. Dixit, & verba eius puellæ incolumitas ſecuta eſt. Nam exeuntes foràs ad beatum Paphnutium, & filiam ſoſpitem, & parentes lætos repererunt.

* *Quæ de Buſiris Tripolitanæ regionis ciuitate ibidẽ erat,* al. deuenerat:* Eſt autem Buſiris ciuitas in Buſiritico Nomo, quam volunt eandem eſſe cum Thebis ſeu Dioſpoli, Ruffin. lib.

Mat. 9.

vt notat Rosvveydus n. 67 *in notis ad vitam S. Anton.* [c] *Paphnutius monachus & confeſſor, cuius feſtum agitur 4. Septemb. de quo* Socr. lib 1 c. 8 Theod. lib. 1. c. 7. Sozom. lib 1 c. 11 Niceph lib. 8 c 14 & 19. [d] Vide ſancti viri humilitatem.

XXXI. Non multos autem poſt illos dies cùm duobus fratribus euntibus ad Antonium aqua in itinere defeciſſet, & vno ſiti mortuo, alter iaceret in terra mortem expectans, Antonius ſedens in monte, celeriter ad ſe duos monachos vocat, qui fortè ibidem ſunt reperti, & feſtinatò præcepit, vt lagenam aquæ aſſumentes, inuaderent iter, quod ducit ad Ægyptum,dixitque: Vnus è fratribus huc aduenientibus modò migrauit ad Dominum: alter, ſi non ſuccurreritis,addetur: hoc enim mihi nunc oranti reuelatum eſt. Sic ait,& iuxta præceptum eius monachi feſtinantes,extinctum corpus inueniunt, terraque illud operientes, alterum refocillatum, ſuo iunxerunt comitatui: erat autem ſpatium itineris vnius diei. Fortaſsè hîc aliquis quærat,cur non antequam moreretur homo, Antonius dixerit. Incongruo prorſus Chriſtianis argumento vtitur: quia non Antonij, ſed Dei fuit iudicium, qui & te recedente, quam voluit, ſententiam tulit,& de ſitiente [e] reuelare dignatus eſt. Hoc tantùm in Antonio mirabile eſt, quòd in monte remotiſſimo ſedens,corde peruigili cuncta procul poſita, Domino indicante, cognoſceret.

[e] Multa cognoſcit ex diuina reuelatione.

XXXII. Alio rurſus tempore,cùm ſederet in monte, & oculos ſubitò tetendiſſet ad cælum,vidit neſcio quam animam, lætantibus in eius occurſum angelis,ad cælum pergere. Cuius ſpectaculi nouitate ſtupefactus, beatum dixit ſanctorum chorum, orauitque vt ſibi rei præſentis agnitio panderetur. Et ſtatim vox ad eum facta eſt, inquiens, iſtam eſſe Ammonis [f] monachi animam,qui Nitriæ morabatur. Erat Ammon vir grandæuus,qui perſeueranter à pueritia vſque ad ſenectutem in ſanctitate vixerat. Itinere quoquè dierum tredecim à Nitria, locus, in quo ſedebat Antonius,diuidebatur. Videntes ergò eum monachi admirantem, qui venerant, deprecati ſunt, vt cauſam hilaritatis ediceret. Quibus ait,modò Ammonem quieuiſſe, quem propter frequentem eius ad Antonium commeatum, & propter celebritatem indultorum ei à Domino ſignorum, optimè nouerant: de quibus etiam hoc vnum dicendum eſt. Neceſſe ei fuit aliquando flumen nomine Lycum, ſubitis aquis inundatum, tranſuadare, rogauitque Theodorum, qui cum ipſo erat,vt paululùm à ſuo ſepararetur adſpectu, ne nuditatem inuicem corporis vterq; conſpicerent. Receſſit Theodorus: nihilominus ille ſeipſum cùm vellet nudare, erubuit. Cogitantem autem eum in alteram ripam virtus [g] diuina tranſpoſuit. Rurſusque Theodorus cùm videret hoc, & ipſe Deo deuotus, tranſiens ad ſenem, mirari cœpit,quòd tam velociter fluuium tranſuadâſſet. Cumque nihil humoris in pedibus, nihil in veſtibus eius aquæ conſpiceret,rogauit eum, vt tam incredibilem tranſlationem quaſi filio pater exponeret. Nolente illo dicere,quæ acciderant,amplexus eſt pedes eius,iurauitque non ſe prius dimiſſurum, quàm ſibi id, quod celabat, referret. Videns ergò ſenex contentioſè vincere volentem fratrem, exegit viciſſim ab eo, vt nulli hoc antè ſuam mortem indicaret: atque ita confeſſus eſt, ſe ſubitò in alteram ripam fuiſſe tranſpoſitum, neque omninò vndis impreſſiſſe veſtigia, Dominici corporis hoc tantummodò priuilegium aſſerens, & eorum, quibus ipſe, vt Apoſtolo Petro, donauerit, vt aquarum leuitati humanum corpus inſiſteret. Hæc autem Theodorus promiſſo tempore poſt eius mortem retulit. Monachi verò,quibus dixerat Antonius de morte Ammonis,notauerunt diem, & venientibus de Nitria fratribus poſt dies triginta, ſciſcitantes repererunt illo die, illaque hora dormiſſe Ammonem, qua animam eius ferri ſenex viderat. Vtrique igitur puritatem mentis in Antonio mirati ſunt, quomodo rei tam longè geſtæ ſtatim ad eum fuiſſet perlata cognitio.

[f] Ammonis anima it in cælum. Sozom lib. 1. c. 4. Socr. lib 4. c. 8. Ruff lib. 2. c 28. Palla. c. 7 & 18 Ruffin. & Pallad ſup.

[g] Obſeruat pudicitiam & miraculum.

Matth. 14.

XXXIII Archelaus quoque comes cùm eum inueniſſet in exteriori monte,rogauit vt oraret pro [h] Polycratia * Publij filia,quæ in Laodicea erat, admirabili & Chriſto dedita virgine. Patiebatur enim peſſimos ſtomachi & lateris dolores,quos ieiunijs nimijs,vigilijsque contraxerat, & erat penitùs toto debilis corpore. Orauit Antonius,& diem,quo fuerat oratio facta,annotauit Archelaus. Redit Laodiceam,& inuenit virginem incolumem. Percontatus diem ſanitatis,reperit tempus medelæ cum annotatione congruere. Et omnes admirati ſunt, agnoſcentes eo tempore illam

[h] Polycratia virgo curatur

* *Publij filia deeſt in alijs mſſ. & græco textu, vt notat Rosvveydus n.* 74.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse à doloribus liberatam à Domino, quo orans Antonius pro ipsa bonitatem Saluatoris inuocauerat.

SÆPÈ etiam ad se venientium turbarum ante dies & menses, & causas prædixit, & tempora. Nam quosdam vi- XXXIV.
dendi eum tantùm desiderium, alios imbecillitas, nonnullos obsessa à dæmonibus corpora pertrahebant: nemo tamen vnquam vexationem aut detrimentum laboris itineris conquestus est: regrediebantur omnes spiritali cibo pleni. At ille præcipiebat, non suæ laudi hanc admirationem ab eis applicari debere, sed Domini, qui sui notionem hominibus pro capacitate mortalitatis indulserit.

QVODAM autem tempore cùm exîsset ad exteriora monasteria, & rogatus esset à fratribus, vt in naui quadam XXXV.
cum monachis proficiscentibus oraret, ascendit, & solus ex omnibus odorem sensit teterrimum: Asserebant cuncti piscium salsorum, & * caricarum in naui positarum hunc esse putorem. At ille alterius rei se fœtorem sentire affirmauit. Adhuc loquente illo, adolescens quidam possessus à [a] dæmone, qui præcedens iuxta carinam se nauis absconderat, repentè exclamauit. Quo statim per Antonium in nomine Domini nostri Iesu Christi curato, intellexêre vniuersi, illum diaboli fuisse putorem.

* Tarichorum, ita mss. & græcus textus: Erant autè tarichæ salsamenta, vnde Tarichopolæ salsamentarij, vt notat Rosvveydus in onomast.

ALIVS quoquè ad eum, vir inter suos nobilis, dæmoniosus adducitur, tanta oppressus insania, vt non sciret se XXXVI.
esse apud Antonium, nec non & corporis sui superflua comederet. Quamobrem rogatus senex ab his, qui eum adduxerant, vt pro illo Dominum oraret, intantùm iuuenis miseriæ condoluit, vt tota nocte peruigilans cum eo aduersus patientis insaniam laboraret: Sed cùm iam lucesceret, & obsessus, impetu in Antonium facto, vehementer eum impulisset, irasci cœperunt qui eum adduxerant, cur seni fecisset iniuriam. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuueni misero adscribere: furor iste obsidentis est, non obsessi. Idcircò autem in hanc prorupit dolens hostis audaciam, quia Dominus ad aridam regionem ire eum iussit: & expulsi satanæ indicium, iste aduersus me impetus fuit. Nulla post verba mora: adolescens [b] recepto sensu, & gratias agens Deo, & locum vbi esset, agnouit, & totum Antonium complexans, deosculatus est.

[a] Dæmonis fœtore solus sentit Antonius.

[b] Sanatur obsessus.

INNVMERA & alia istiusmodi signa sunt, quæ monachorum concordi sæpè relatione cognouimus. Verùm non XXX-
tantùm his adhibendus est stupor, quia multò plùs, quæ sequuntur, conditionem nostræ fragilitatis excedunt. Hora VII.
circiter nona, cùm ante cibum orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab angelis in sublime deferri. Prohibentibus transitum aëris [c] dæmonibus, cœperunt angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis verò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus, calumniosa angeli clauserunt ora, dicentes, non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita: si qua autem scirent ex eo tempore, quo esset factus monachus, & Deo se consecrâsset, licere proferri. Accusabant dæmones, multa procaciter mentientes, & cùm deessent probamenta fallacibus, liber Antonio conscensus aperitur. Et statim rediens in se in eo loco, quo orare cœperat, hoc se rursum vidit esse quod fuerat. Tunc verò oblitus escæ, ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit, reputans secum humanorum hostium multitudinem, & colluctationem tanti exercitus, & laboriosum per aërem iter ad cœlum, & hoc Apostoli dictum, quo ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principem potestatis huius aëris. Qui sciens aëreas potestates ob id semper tentare, luctari, contendere, ne nobis liber transitus esset ad cœlum, hortabatur monens, Assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo: vt nihil mali habens, quod de vobis dicere possit, inimicus confundatur. Nos autem Apostolici sermonis recordemur, dicentis: Sine in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit. Et Paulus quidem vsque ad tertium cœlum raptus est, ibiq; auditis verbis ineffabilibus desc, endit: Antonius autem vsq; ad aërem sublatus, post colluctationem liber apparuit.

[c] Antonius accusatur procaciter a dæmonibus.

Ephes. 6.

Ibidem. Tit. 2. 2. Corint. 12.

HABEBAT etiam istiusmodi donum: si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset, & eius secum inquireret notio- XXX-
nem, oranti ei à Domino reuelabatur, & erat, secundùm quod scriptum est, à Deo doctus. Deniq; cum à fratribus ha- IIX.
beretur iste tractatus, & ab eo sedulò scisciterentur, quemadmodum se post corporis sarcinam anima gereret, quiuè ei locus post exitum concederetur, proxima nocte vox desuper inclamitans nomen eius, ait: Antoni, exurge, exi & vide. Qui exurgens egressus est, sciebat enim, quibus respondere deberet. Et eleuatis ad cœlum [d] oculis, vidit quêdam longum atq; terribilem, caput vsq; ad nubes attollentem: vidit etiam pennatos quosdam volare cupientes ad cœlum, atq; illum extensis manibus prohibere transitum: è quibus alios apprehensos elidebat ad terram: alios frustra retinere contendens, dolebat super se ad cœlestia transuolare: & maximum gaudium mixtum mœrore, victi victoresq; tribuebant. Statimq; ad eum vox facta est, dicens: Animaduerte, quod vides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere, animarum esse conscensum, & diabolum prohibentem: qui & sibi retineret obnoxios, & sanctorum, quos decipere non poterat, cruciaretur volatu. His visionum exemplis incitatus, quotidiè ad meliora crescebat.

Ioan. 6. Esa. 54.

[d] Visio S Antoni. Vide Pall. d. hist. Lausiaca cap. 27.

NEQVE verò id, quod sibi reuelatum fuerat, causa iactantiæ fratribus indicabat: sed cum orans iugiter, Dei lau- XXX-
daret auxilium, interrogantibus compellebatur edicere: nec spirituales filios pura in Christo anima celare quicquam IX.
volebat, præsertim cum huiusmodi signorum relatio, & amorem ministraret proposito, & fructum laboris ostenderet. Nunquam ille aut ira subita concitatus, patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam. Nam omnes [e] clericos vsq; ad vltimum gradum ante se orare compellens, Episcopis quoque atq; presbyteris, quasi humilitatis discipulus, ad benedicendum se caput submittebat. Diacones verò, quia ad eum vtilitatis causa veniebant, cum pro adiutorio eorum eis præsentibus disputaret, ad orandum Dominum sibi præponebat, non erubescens & ipse discere. Nam & interrogabat eos frequenter, cum quibus erat, & si aliquid ab eis necessarium audierat, se fatebatur adiutum.

[e] Defert clero Antonius.

HABEBAT autem & in vultu magnam gratiam, & admirabile à Saluatore etiam hoc munus acceperat. Si quis XL
enim ignarus eius, inter multitudinem monachorum eum videre desiderâsset, nullo indicante, cæteris prætermissis, ad Antonium curebat, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat, se de cœlestibus cogitare, sicut scriptura ait: Corde lætante vultus floret, sed in mœrore continuò tristatur. Ita & Iacob agnouit Laban socerum suum insidias sibi machinantem, dicens ad filias eius: Non est facies patris vestri, sicut heri & nudiustertius. Sic Samuel agnouit Dauid, lætificatos enim habebat oculos, & dentes sicut lac candidos. Similiter agnoscebatur Antonius, quia semper eandem faciem inter prospera & aduersa retinens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur aduersis. Erat enim & in vultu amabilis, & in fidei puritate mirabilis.

Prouerb. 17. Genesis 31 1. Reg. 16.

NVNQVAM scismaticorum se miscuit communioni, antiquam [f] eorum sciens prauitatem atque transgressionem. XLI
Nunquam Manichæis aut alijs hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantùm ea, quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare, denuncians talium amicitias atque sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cum venissent quidam * Arrionitæ, reperit post eorum examinationem infelicissimam sectam, & fugauit eos de monte, dicens, multò serpentibus deteriores horum esse sermones. Mentientibus autem Arrianis aliquando, Antonium ita vt se credere, admiratus eorum audaciam, & iusti doloris ira commotus, rogatusque ab Episcopis atque vniuersis fratribus, Alexandriam descendit, ibiq; Arrionitas publico sermone condemnauit, vltimam hanc esse hæresim, & Præcursorem Antichristi affir-

[f] Hæreticos vitat & detestatur.

* Arionanitæ, ita mss. & græcus textus teste Rosvv. Vide Bar. an. 343.

[g] Antonius palam damnat Arrianos.

mans,

mans;prædicauitq; in populo filium Dei non facturam,non ex vllis extantibus, sed proprium & vnius cum Patre substantiæ:ne creatura potius,aut adoptio,aut appellatio videretur:impium esse dicens vel mente concipere,Erat,quando non erat,cum verbum Dei Deus, qui est semper,Patri sit coæternus: quia ex eo natus est Patre,qui semper est. Vnde aiebat: Cum Arrianis vobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes, Christiani estis: illi Verbum,id est,filium, qui ex Deo Patre est,creaturam docentes, nullo interuallo à gentibus separantur,qui seruiunt creaturæ potiùs, quàm creatori,qui est benedictus in secula. Ipsa (mihi credite) irascuntur elementa,& omnis contra Arrianum furorem, secundùm Apostoli dictum, ingemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum,per quem omnia,& in quo omnia facta sunt,videat aggregari. *Rom. 1.* *Rom. 8.*

XLII. Hæc tanti viri prædicatio exprimi non potest, quantùm ad fidem populos roborauerit. Lætabantur quippe hostilem & Christo inimicam hæresim anathematizari ab Ecclesiæ columna. Nulla tunc ætas,nullus sexus domi remansit. Taceo de Christianis. Pagani quoq;, & ipsi idolorum sacerdotes, ad Dominicum imperium conuolabant, dicentes: Precamur,vt videamus hominem Dei: quia hoc apud vniuersos conspicuum erat nomen Antonij. Ambiebant quoq; saltem fimbriam vestimenti eius attingere,multum sibi & tactum prodesse credentes. Quot tunc diabolica obsidione,& varijs[a] infirmitatibus liberati? quot simulacris erepta sunt spolia: quanti etiam ab errore gentilium retracti,nostro iuncti sunt gregi? Tanti certè, vt paucorum dierum spatio, ex idolorum superstitione conuersio, omnem per annum credentium vinceret turbam. Præterea cum irruentem multitudinem comites repellerent, æstimantes illi tædio conuentum populi fore,ille tranquillo animo dicebat: Nunquid hic cœtus,dæmonum maior est turbis? nunquid obsequentium multitudo,colluctatorum in monte nostrorum cateruis est numerosior? [a] Permulti ab eo curantur.

XLIII Accidit etiam,vt cum eum redeuntem circa portam prosequeremur, à tergo quædam mulier clamitaret, dicens: Expecta homo Dei,filia mea atrocissimo vexatur dæmonio: expecta,obsecro,expecta, ne & ego corruens inteream.Hoc audito,mirabilis senex à nobis admonitus,volens tamen&ipse,paululum substitit.Cumq; appropinquante muliere,puella iaceret exposa, orauit tacitus Dominum Iesum,& ad [b] comminationem eius statim spiritus impurus egressus est. Puella incolumis, populus in laudibus Dei,mater in gaudio fuit.Ipse autem lætabatur,quia ad desideratam solitudinem repedabat. Erat autem valdè sapiens, & hoc in se mirabile habebat,quia cum literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus erat. [b] Dæmonẽ eiicit.

XLIV Aliquando enim Philosophi duo gentiles venerunt ad eum,putantes Antonium[c] se posse decipere: erat verò in exteriori monte. Quos cum vidisset,paganos intellexit ex vultu: & procedens ad eos, per interpretem ita cœpit loqui: Quare tam longè ad stultum hominem sapientes se vexare voluerunt? Illis dicentibus,non esse illum stultum, sed & nimium sapientem,vigilanter respondit: Si ad stultum venistis,superfluus est labor vester: si autem putatis me sapientem esse,& sapientiam habere,bonum est: imitamini quod probatis,quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos venissem,vos imitarer: sed quia vos ad me,quasi ad sapientem venistis,estote,sicut ego sum,Christiani. Abscesserunt Philosophi, vtrunq; mirantes,& acumen ingenij, & dæmonum expulsiones. [c] Philosophi tentant Antonium.

XLV. Alios quoque similiter mundi sapientes, qui eum irridere cupiebant, quia literas ignoraret, tali disputatione colligauit,[d] dicens: Respondete mihi: quid prius,sensus,an literæ? & quid cuius exordium? sensus ex literis,an literæ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus,quòd sensus esset autor atque inuentor literarum,ait: Igitur cui sensus incolumis est,hic literas non requirit. Quis præsentium post hanc colluctationem non exclamauerit, cum obstupuerint & ipsi, qui victi sunt,tantam in imperito literarum, sagacitatem animi admirantes? Neque enim vt in solitudine & montibus versatus,atque omnem ibidem exigens vitam,agrestis & rudis erat: sed iucundus atq; affabilis,sermonem,secundùm Apostoli præceptum, diuino conditum sale proferebat,ita vt inuidia careret,& amore omnium potiretur. [d] Item alii. *Coloss 4.*

XLVI. Inter hæc,quasi parum esset bis gentilitatem fuisse superatam, & tertiò venerunt viri ad eum, omnis secularis prudentiæ nube cæcati,atq; vniuersis philosophiæ studijs artium suarum æstimatione doctissimi. Hi cum rationem ab eo exigerent fidei,quam in Christo habemus, & niterentur arguta sophismatum interrogatione de diuina cruce eum illudere,in silentium paululùm voce compressa, primùm eorum miseratus errorem est: deinde per interpretem, qui eius verba diligentissimè in Græcum solebat exprimere sermonem,ita exorsus est,dicens: Quid pulchrius est, quidue honestius,crucem colere,an adulteria,parricidium vel incestum his assignare,quos colitis? cum in altero sit contemptus mortis,insigne virtutum: in altero turpis religio,oscœnitatis magistra? Quid melius est dicere, quòd Dei Verbum manens vt erat,ob salutem nostram humanum corpus assumserit, vt societate mortalitatis nos eueheret ad cœlum,participesq; naturæ cœlestis efficeret: an, vt ipsi asseritis, diuinæ mentis haustum ad terrena veneranda caput submittere,& pecudum atque serpentum formis cœleste *nomen includere? Quo ore Christianorum credulitatem audetis irridere,dicentium Christum filium Dei,sine sui detrimento,& cœpisse esse quod non erat, & mansisse quod fuerat: cum ipsi animam de cœlestibus detrahentes,non tantùm hominum, sed & pecudum soleatis sepire corporibus? Christiana credulitas pro salute mundi Dominum suum venisse testatur: vos verò innatam animam prædicantes,vltrò citroq; transfertis Christiana fides,quæ omnipotentiam Dei clementiamq; veneratur,consequenter incarnationem dicit Deo fuisse possibilem: ita tamen, vt non euacuauerit dignatio dignitatem: vos qui ex splendidissimo Dei fonte manantem,turpiter decidisse iactatis, qui mutabilem atque conuertibilem eam post sui diminutionem audetis asserere,iam illam quoq; naturam,dominam seculorum,per animæ contumelias impia lingua temeratis. Imago enim,quæ secundum vos naturalem similitudinem sui retinet authoris, cui vna est, ex quo defluit, eademq; substantia,humilitates proprias & iniurias consequenter ad suam originem remittit. Igitur animaduertite,contumelias animarum ad patrem(vt appellatis)earum per vestram blasphemiam redundare. Crux Christi Domini nostri hîc nobis ingeritur. Rogo,quæ hæc est religionis obscœnitas? Nonnè potiùs est crucem attollere, aut alicuius generis mortem ab[g] iniquis hominibus illatam patienter sustinere, quàm Isidis plangere post Osirim vagos incertosq; discursus? Pudeat vos,quæso,insidiarum Typhonis,pudeat Saturni fugæ,& deuorationis crudelissimæ liberorum: Erubescite parricidium Iouis & incestum,erubescite raptum eius & coitum mulierum atq; puerorum. Ille, sicut vestri fingunt Poetæ,ad explendum immanissimæ libidinis furorem,molles dedit in amore vagitus: ille in Dianæ fluxit sinus, ipse amator & precium: ille modulatus ales Ledæos petiuit amplexus: ille in proprium sæuiens sexum, regium puerum ministris suibus polluit. Hæc vos creditis, hæc colitis, hæc sunt vestrorum ornamenta templorum. Æquo deprecor pro vestra salute,nostra dicta pensate iudicio. Cuncta, an nihil, in libris credenda sunt Christianis? Si nihil, nec crucis quoq;cui detrahitis,nomen agnoscetis. Si vniuersa credenda sunt,cur,cũ inijsdem libris Cruci resurrectio copuletur, passionem diuinam stolido laceratis eloquio, & non statim iungitis cæcorum visum, surdorum auditum, claudorum gressum,lepræ emundationem, seruiens ambulanti Deo suo mare, dæmonum fugas, resurrectionem mortuorum,& defunctorum ab inferis reditus? Hæc omnia scripturis diuinis, quas interpellatis,inserta sunr, & ijsdem voluminibus continentur præconia maiestatis & mortis. Quamobrem odio,quo imbuti estis,abiecto, inuenietis ilicò & Deum verum esse Iesum,& salutis humanæ gratia fragilem assumpsisse naturam. *Rursus alii,iique doctissimi quos Platonicos fuisse,qui aiebãt, animã esse diuinæ mentis manationem atq; substãtiam, Baronius autumat tom. 3. Annal. an. 328.* **Numen.* [f] Argute retorquet Philosophorũ de verbo incarnato irrisionem. [g] Perstringit falsorũ deorum flagitia & turpitudines.

XLVII Vestram tamen nobis, si non pudet,narrate religionem. Sed quas error infelix poterit referre culturas de tantã rerum fœditate atq; vecordia? nisi fortè (vt audio)fabulas asseratis deorum vestrorum, & obscœnitates,& crudelitates,

*al. Liberæ vaptũterrã; sem claudũ Vulcanũ.

tates:& vanitates, & mortes, tegentes eas allegoricis velaminibus: *Liberum vinum, terram Proserpinam, semiclaudum Vulcanum & debilem ignem, Iunonem aërem, Apollinem solem, Dianam Lunam, Neptunum maria, & libidinum Principem Iouem ætherem interpretantes. Nec post hanc excusationis procacitatẽ Deum, sed creaturas, contẽpto creatore, suscipitis. Quod si pulchritudo vos [a] elementorum ad suam traxit venerationem, modum fas erat custodire, & oportebat mirari tantum, nec colere, nè facturæ veneratio creatoris esset iniuria. Nam istiusmodi, quam vos sequimini, ratio est præpostera atque peruersa, & architecti honor migrauit ad domum, & medici scientia ad remedia confertur, omnium quoque artificum merita vel laudes ad opera transferuntur. Quid ad hæc dicitis, vt agnoscamus quæ sit Crucis ridiculæ vobis ignominiosa confessio?

[a] Elemẽto rummiranda pulchritudo, non colenda.

*Prædurũ &c. Tota hæc sententia deest Græcovsque adelementa vt notat Rosvveydus n.108.

Hac disputatione conuertentibus inter se philosophis oculos, simulque mussitantibus, subridens Antonius, rursum per interpretem ait: *Prædurum nanque cuncto videtur operi, quoties iusto vniuersæ rei tenore calcato, laboris merita factis magis quàm factoribus adstruuntur. Elementa quidem, vt memoraui, ex ipso conspectu suam comprobant seruitutem. Sed quoniam vos obseruatione dialectica necessaria, vt putatis, quæque colligitis, hoc quoquè artificio etiam nos nostram religionem compellitis affirmare. Respondete mihi: Cognitio Dei quemadmodum manifestius approbatur? per lectionem verborum, an per operationem fidei? Et quid antiquius est, operatio fidei, an disputatio [b] per argumenta procedens? Illis respondentibus firmiorem sermonibus operationem esse, & hanc liquidam de Deo cognitionem, benè eos & ipse dixisse consensit: quia operationem, quæ ex fide descendit, animi generat affectus, dialecticam verò ex artificio componentium sumpsisse oppositionis exordia. Cum ergò ait, operationem fidei animo insitam quis habuerit, superflua erit verborum compositio, per quam conceptam sensu nostro credulitatẽ tentatis euellere, & tamen sæpè vos vestras explicare intelligentias non valetis. Ita solidiora sunt mentis opera, quàm sophismatum fraudulenta conclusio. XLIIX

[b] Oppugnat Philosophos ratione dialectica,

Nos Christiani mysterium vitæ nostræ non in sapientia mundi habemus repositum, sed in virtute fidei, quæ nobis à Deo tributa per Christum est. Hanc orationis meæ veritatem, rerum, quæ geruntur quotidiè, ordo commendat: nobis imperitis, & literarum vestrarum ignaris, ad Dei cognitionem eius sola verba sufficiunt. Eccè nos tot gentilitatis gregibus abstracti, in vniuersum orbem quotidie propagamur: vobis verò post aduentum Domini nostri nodosæ sophismatis defecere versutiæ. Eccè nos simplicem Christi fidem docti, idolatriam debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ crucis aurata templa ceciderunt. Vos, si potestis, ostendite, qua contextione verborum gentilitatem Christo præponere suaseritis. Per omnes iam terras Deus Dei filius Christus est agnitus: nihil eloquentia sophismatum, nihil disputatio philosophiæ multitudini potest obesse credentium. Crucifixum nominamus, & vniuersi dæmones, quos vos vt deos colitis, rugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ crucis [c] signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? vbi Ægyptiorum incantationes? quo maiorum profecere carmina? Certè tunc vastata sunt omnia, cum de sua cruce mundo Christus intonuit. Nihilominus vos prætermissis debilitatorum cateruis, gloriosam Iesu mortem irridere conamini. Illud autem quale est, quod nunquam infestatione regali concussa gentilitas, immò verò seculo chara, & hominum præsidijs fulta iam corruit? Nos famuli Christi, quo plus premimur, eo magis assurgimus & floremus. Vestra simulacra, ornatis quondam septa parietibus, iam vetustate collapsa sunt: Christi verò doctrina, quæ vobis stultitia videtur & ludus, licet tyrannica persequentium principum tentamenta pertulerit, licet varijs sit incursata terroribus, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur. Quando tot simul in se conuenêre virtutes? continentia in matrimonio, virginitas in Ecclesia, floret martyrum pro Domino suo glorioſa constantia: quorum omnium crux Christi principium est. Cum interim vos, inter tãtos virtutũ choros, syllogismorum retia tenditis, & veram rerum lucem tenebrosis conamini argumentationibus obuoluere. Ecce nos, vt dixit doctor noster, non in gentili persuasione, sed in fide apertissima suademus, quæ verborum affirmationem præuenire consueuit. Adsunt quippe patientes, à dæmonibus vexati: quos cum in medium produxisset, verba repetiuit, dicens: Nũc vos collectionibus vestris, & quo vultis malefico carmine Deos vestros quos putatis, expellite: sin autem non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim crucifixi credulitatem maiestatis potentia prosequetur. Dixit, & inuocato nomine IESV, cum vitale [d] signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus, vna cum expulsis dæmonibus vana præsentium philosophorum confutata sapientia est. Expauerunt enim stupentes hominem, cui post tantum ingenium affluueret signorum diuina largitio. At ille vniuersa Christo, qui curauerat adscribens, vsus est affatu reciproco, & ait: Nolite me putare his sanitatem dedisse: Christus per seruos suos facit ista miracula. Credite & vos, & videbitis, quia deuota Deo fides, non eloquentiæ vanus tumor, talia signa mereatur: confugite ad Crucifixi legem, vosque eius imitamini famulos, & hoc scientiæ fine contenti, nulla deinceps secularis imprudentiæ argumenta quæratis. Hactenus Antonio dicente, miro philosophi stupore perculsi, cum honorifico salutatu ab eo recedentes, multùm eius sibi fatebantur profuisse conspectum. XLIX:

[c] Crucis signum pellit dæmones.

1. Cor. 1

[d] Signi Crucis miravis.

Hoc in eo viro mirabile est, vt [e] hominem in extremo mundi limite conditum, & fauor principum, & omnis celebraret aula regalis. Nam & Constantinus Augustus, & eius liberi Constans atque Constantius, talia cognoscentes, crebrò ad eum, quasi ad patrem, missis litteris obsecrabant, vt reciprocis eos scriptis hilararet. At ille eiusmodi manens, qualis & antè, quàm litteræ ad eum venirent, fuerat, nec salutatione principum mouebatur & tanquam non acceptis litteris, conuocatis monachis aiebat: Reges seculi ad nos miserunt epistolas: quæ hîc Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diuersa sit dignitas, attamen eadem nascendi, moriendique conditio est. Illa sunt omni veneratione percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripserit, quòd per filium suum proprijs Ecclesias ditauerit eloquijs. Quæ monachis est ratio cum epistolis Regum? Cur accipiam literas, quibus consueta nesciam reddere salutationis obsequia? Igitur rogatus ab vniuersis fratribus, vt Christianos reges suis literis refrigeraret, nè scilicet per silentium eius exasperarentur, ad susceptas Epistolas conuenientia rescripsit: Laudauit primum, quod Christum colerent: deinde salutaria persuasit, nè magnam putarent regiam potestatem, nè præsenti carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, & iudicandos à Christo obliuiscerentur. Ad postremum, clementiæ circa subiectos & iustitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atque vnum sempiternum esse regem omnium seculorum Iesum Christum epistolis testatus est. His principes susceptis, vehementissimè lætabantur. Sancta quoque apud cunctos Antonij flagrabat opinio, ità vt eius se filios cuperent nominari. Magna etenim cum aduenientibus affabilitas, omnium in se studium conuerterat. L.

[e] Antoniũ & Imperatores & aulici celebrant. vide Bar. an 328.

Postqvam ergo gentiles confutati, reges admoniti, fratres ab eo sũt consolatione releuati, ad interiorem montẽ, & ad rigorem solitum regressus est: ibique sæpè cum introeuntibus deambulans, ac residens stupebat, sicuti in Daniele scriptum est: & interiectis horarum spatijs, consequentia respondebat: vt intelligeretur aliqua reuelationis vidisse secreta. Nam in monte positus ea, quæ in Ægypto longè gerebantur, præuidens, Episcopo [f] Serapioni ibi constituto nauauit. Lamentabilis sequitur visio, & omni lachrymarum fonte plangenda. [g] Cum enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentè fixit oculos in cælũ, gemens atq; suspirans: & post aliquantũ spatiũ reuelationis inceptę, nimio LI

Dan. 8.

[f] Serapion hic fuit Thmueos antistes cõfessione celebris & scriptione, de quo Hieronym. de Scrip Eccles. c 99.

[g] Visio tristissima S. Antonii, quam vidit test. Baron. tom 3. Annal. anno 339 biennio antequã fieret. De hac visione etiam S. Chrysost. hom. 8. in Matt c. 2. Sozom. l. 6. c. 5.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nimio dolore contremuit,& ſtatim fixis genibus, ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementia ſua futurum ſcelus auerteret. Succedunt orationi lachrymæ, metus ingens inuadit præſentes: obſecrant, vt tantæ calamitatis exponeret viſionem. Singultus occupant vocem, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu ſermo gemitu interrumpitur. Vix tamen cũ vociferatione luctuoſa ait: Melius erat, ô filioli, impendens piaculũ cita morte lucrari. Sic incipiens, rurſum lachrymis vincitur, & inter ægra ſuſpiria tandem pectori commodans vocem, Magnum, inquit, quoddam, & vniuerſis ſeculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine ſubuertetur, & homines iumentis ſimiles, Chriſti ſancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circundatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia diſſipant. Hæc eſt cauſa gemituum meorum, quos audiſtis. Et facta eſt vox Domini, dicens: Abominabitur altare meum: nec mora, viſionem ſequitur effectus. Nam poſt annos duos ſæua Arrianorum erupit inſania. Tunc eccleſiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vaſorum: tunc pollutis ethnicorum manibus ſacra polluta ſunt miniſteria: tunc paganorum opificum præſidia, aduerſus Chriſtum comparata, * cum aſſumptione palmarum, quod idolatriæ apud Alexandriam inſigne eſt, ad Eccleſiam pergere compellebantur Chriſtiani, vt Arrianorum populi crederentur. Proh ſcelus, horret animus replicare quæ geſta ſunt. Virginum matronarumque ereptus pudor, ſanguis ouium Chriſti in Chriſti templo effuſus, veneranda reſperſit altaria: Baptiſterium pro voluntate gentilium pollutum eſt. Nihil defuit, viſionis veritatem monſtrauit effectus, quòd calcitrantium mulorum indiſciplinatio, Arrianorum eſſet impietas. Sed iſtam triſtitiam conſequentis reuelationis proſperitate conſolatus eſt, & ait: Nolite, filioli, mœrori vos penitus dare: vt enim iratus eſt Dominus, ſic rurſum miſerebitur, & ſuum citò eccleſia recuperabit ornatum, eoſque, qui in perſecutionibus fidem Domini ſeruauerint, ſolito videbitis fulgore relucentes. Reuertentur ad foueas ſuas ſerpentes, & religio longius propagabitur: tantũ videte, nè fidei veſtræ ſyncera Arrianâ labe ſordeſcat. Non Apoſtolorum, ſed dæmonum, & patris eorum diaboli iſta doctrina eſt: ob id per inſipientiam iumentorum, ſimilis pecudum eorum expreſſus eſt animus.

Anno ſcilicet 342. vt habet Barhocãno.

** Cum aſſumptione &c. vſq. ad Proh ſcelus, deeſt in Græco.*

LII. Hvcvsqve Antonius: Sed nos minimè conuenit diffidere, tam grande miraculum per hominem potuiſſe oſtẽdi. Saluatoris enim promiſſio eſt, ità dicentis: Si habueritis fidem vt granum ſinapis, dicetis huic monti. Transfer te, & transferetur, & nihil impoſſibile erit vobis. Et iterum: Amen amen dico vobis, omne quod petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, & accipietis. Ipſe enim ſuis diſcipulis, & vniuerſo credentium gregi nunc ſubiectionem dæmoniorum, nunc variarum infirmitatum pollicens curationem, aiebat: Gratis accepiſtis, gratis date. Nunquid ſuæ virtutis imperio curabat Antonius? nunquid ſuæ poſſibilitatis arbitrabatur eſſe quod fecerat? orationibus, non [a] præceptis, dæmones morbique ceſſerunt, & ad Chriſti Dei noſtri nominationem ſemper vniuerſa perfecta ſunt. Nemo ſapientum, ſanitatum admirationem adſcribebat Antonio, ſed Domino Ieſu, qui ſolitam erga creaturas ſuas exhibens beneuolentiam, nunc quoque per electum famulum ſuum indulgenter exercuit. Antonius tantum orabat, & ob vitæ eius merita, cuncta Dominus largiebatur.

Matth. 17. Ioan. 14.

Matth. 10.

[a] Sancti viri orando nõ imperando ſanant.

LIII. Sæpe autem & contra voluntatem ad exteriorem montem à fratribus perducebatur. Et cum iudices, qui ad interius [b] archiſterium propter aſperitatem itineris, & obſequentium multitudinem, & horridam ſolitudinem ire non poterant, precatiò quæſierunt, vt eius fruerentur adſpectibus, vt impetrare poſſent, quia moleſtiſſimè ferebat vexationem diſcurſuum: ipſos catenatos quos aut noxietas, aut vigor publicus conſtrinxerat, ad eum deſtinabant, ſcientes tales ab Antonio non poſſe contemni; quorum fletibus ſuperatus pertrahebatur ad exteriorem montem, agnoſcens laborem ſuum vtilem miſeris fore: ſuadebatque iudicibus, qui eum inuitauerant, vt in ſententia proferenda, & odio & gratiæ, Dei timorem anteponerent, nec ignorare eos debere, quod ſcriptum eſt: Quocunque iudicio iudicaueritis, in eo iudicabitur de vobis: attamen inter medios ſermones charæ ſibi ſolitudinis recordabatur. Poſt coactam itaque præſentiam, quam ducis preces, & quod verius eſt, miſerorum fletus extorſerat, poſt ſalutaria monita, poſt reorum commendationem, quorundam etiam abſolutionem, poſtulanti Duci, vt paulò largiùs eidem ſuam præſentiam indulgeret, ait non poſſe diutius ibidem morari, grato vſus exemplo, quod ſicuti piſces ab aqua extracti, mox in arenti terra morerentur, ita & monachos, cum ſecularibus retardantes, humanis ſtatim reſolui confabulationibus. Ob id ergo, inquit, conuenit vt piſces ad mare, ita nos ad montem feſtinemus, nè tardantibus nobis aliqua propoſiti ſuccedat obliuio. Pro tanta hominis ſapientia Dux miratus, iuſtam de eo tulit veramque ſententiam, dicens: Verè iſtum eſſe Dei famulum agnoſco, nec in ruſtico homine potuiſſe tantam aliquando ineſſe ſapientiam, niſi diuino amore regeretur.

Matth. 7.

[b] Per archiſterium intelligitur interior & princeps Antonii locus, in quo ipſe verſabatur vt notat Roſvveydus n 122.

LIV. Præterea [c] cùm * Balatius, qui ſub Neſtorio præfecto Alexandriæ dux Ægypti fuit, homo Arrianæ iniquitatis ſtudioſiſſimus fautor, ita Chriſti Eccleſiam perſequeretur, vt animo veſano virgines monachoſque nudatos verberaret in publico, ad eum [d] Antonius literas miſit, quarum iſta ſententia eſt: Video iram Dei venientem ſuper te: deſine perſequi Chriſtianos, nè te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum. Legit infelix [e] Epiſtolam & irriſit, atque in eam expuens, proiecit in terram, portitores quoque multis afficiens iniurijs, Antonio talia renũciari præcepit: Quoniam cura tibi tantopere monachorum eſt, etiam ad te mei vigoris tranſibit diſciplina. Sed confeſtim minitatorem oppreſſit ſupplicium, & poſt quinque dies os effrenatum vltio diuina compeſcuit. Egreditur enim ad primã manſionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum, cum ſupradicto Ægypti præfecto Neſtorio, vehuntur equis, quos inter omnes * Balatius, cuius erant, manſuetiſſimos nutrierat. Cum ergo pariter ſolito ſibimet equi alluderẽt, mitior, quo Neſtorius vehebatur, morſu repentino [f] Balatium * decuſſit in terram, ac ſic in eum inhians, femora eius lacerauit atque corroſit, vt ſtatim relatus ad ciuitatem, poſt tertium diem moreretur, vniuerſique agnoſcerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyus conſecutum, digno perſecutoris fine completo.

[c] Nota odium in monachos &c. *al.* **Blacius*

[d] Epiſtola Antonii ad Balatium Arrianum.

[e] Vide S Athan. in Ep. ad ſolit. vit. agentes. *al.* **Blacius*

[f] Balatii interitus. *al.* * *Blaciũ*

LV. *Cætervm ad ſe venientes mira cum modeſtia Antonius admonebat, vt oblita ſeculi dignitate, remotioris vitæ beatitudinem appeterent. Si qui autem maiori poteſtate premebantur, nec poterant obtinere iuſtitiam, ita eos obnixè defendebat, vt ipſe pro illis pati videretur iniuriam. Multis vtilis fuit præclari ſenis oratio: multi magni diuitijs, & altiori militiæ gradu derelicto, eius adhærere cupiebant curriculis. Et vt infinita breui ſermone comprehendam, bonum Ægypto [g] medicum Chriſtus indulſerat. Quis non triſtitiã apud Antonium mutauit in gaudium? Quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum non ad eius temperauit adſpectum? Quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abiecto, ſtatim & diuitum deſpexit opulentias, & in ſua lætatus eſt paupertate? Quis poſt laſſitudinẽ monachus, non eius iuuatus eſt hortatu? Quis adoleſcentiæ ætatis accenſus ardoribus, non ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? Quis vexatus à Diabolo, ſine medela redijt? Quis inimici cogitationibus diſtractus, cæca tempeſtate ſopita, ſereno non regreſſus eſt animo? Sciebat enim quo quiſque laboraret incommodo & ex vitæ meritis diſcretionem ſpirituum agnoſcens, adhibebat morborum, prout erant vulnera, ſanitatem. Vnde effectum eſt, vt poſt eius diſciplinam omnes diaboli panderentur inſidiæ. Multæ quoque deſponſatæ puellæ ad eius conſpectum ab ipſo penè thalamo recedentes, in Eccleſię matris gremio conſederunt. Quid plura? Totius [h] orbis homines ad eum confluebant, & vniuerſarum gentium varietas bellicoſiſſimum contra dæmones virum conſpicere geſtiebat. Nullus ſe fruſtra illuc veniſſe conqueſtus eſt: omnibus delectabile atque iucundum laboris commercium fuit. Fatigatio enim itineris emolumentum viatici reportabat, ſicut rei probauit effectus. Nam poſt reſolutionem eius, quaſi communi vul-

** Cæteros.*

[g] Bonus Ægypti medicus Antonius.

[h] Ex toto orbe ad eũ confluunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nere orbitatis excepto, proprium singuli parentem luxerunt.

LVI. Qvis autem finis vitæ eius fuerit, dignum est & me commemorare, & vos cum desiderio audire, quia & hoc imitabile in eo cunctis fuit. Iuxta consuetudinem ad visendos[a] fratres, qui in exteriori monte erant, venit, ibique à diuina prouidentia de sua morte condiscens, ita exorsus est: Vltimam, filioli, patris audite sententiam: non enim arbitror, quòd in hoc seculo iterum vos visuri simus. Cogit conditio naturæ, vt post centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Ita locutus audientium pectora contristauit: gemitus lachrymęque dicta mœrentia consecutæ sunt. Amplexabantur eum vniuersi, quasi iam de seculo recessurum. At ille tanquam aliena deserens, ad propriam patriam profecturus, magna cum lætitia præcipiebat, desidiam instituto non debere subrepere, sed tanquã quotidie morituros, vt antè prædixerat, à sordidis cogitationibus animam custodire, & omnem æmulationem ad sanctos quosque conuertere: ad [b] Meletianos verò, schismaticosque, ne prope quidem accedere. Scitis enim, aiebat, eorum antiquam peruersitatem: neque cum Arrianis communione iũgamini, quia impietas eorum iam omnibus manifesta est. His etiam illud addebat, nullum debere Christianum, cum seculi viderit potestates pro Arrianorum & Meletianorum pugnare nequitia, à Christi territum discedere veritate: mortalium illam esse defensionem, nec diu fallaęę permanere posse phantasiam. Quapropter, aiebat, custodienda est pia fides in Christo, & Patrum religiosa traditio, quam ex scripturarum lectione, & crebrò meæ paruitatis didicistis admonitu.

a Suprema S. Antonii ad fratres oratio.

b Vitandi hæretici Meletiani dicti a Meletio Ægypti Episcopo. vide Epiph. hæres. 68. Theodoret. l. 4 hæret fab c 10.

LVII. Finito sermone, fratres eum vehementissimè retardabant, glorioso patris cupientes termino decorari. Sed multas ob causas, quas & silentio demonstrabat, præcipue tamen ob præsumptam Ægypti consuetudinem, contradixit. Mos [c] etenim Ægyptijs est, nobilium & pręcipuè beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare, terra verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inueteratæ consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpe & Episcopos deprecatus est, vt populos Ecclesiastica consuetudine corrigerent, & laicos viros ac mulieres rigidius ipse conuenit, dicens: Nec licitum hoc esse, nec Deo placitum: quippe cum patriarcharum & Prophetarum sepulcra, quæ ad nos vsque perduãt, hæc facta conuincerent, Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in sepulcro positum, lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat dicens: Quid maius aut sanctius corpore potest esse Dominico, quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum, humo conditum esse scimus? Hæc ista persuasio multorum insitum euellit errorem, & repositis in terra cadauerihus, Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergò consuetudinem suprà dictam, nè eodem etiam circa se laberentur errore, celeriter valedicens monachis, qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit.

c Hunc Ægyptiis morem fuisse condendi mortuos meminit Cic. lib. 1. Tuscul. quæst Põp. Mela l. 1 c. 9 Ioan 19. Matth 27.

LVIII. Post menses autem paucos, cum non mediocre incommodum senilia membra turbasset, vocatis ad se [d] duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, quique etiam ei iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem filioli, secundum eloquia scripturarum, Patrum gradior viam, iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia: sed vos, ô viscera mea, admoneo, nè tanti temporis laborem repentè perdatis. Hodiè vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Varias dęmonum nôstis insidias, vidistis eorum & impetus feroces, & vires effœminatas: Iesum suspirate, & credulitatem nominis eius vestris figite mentibus, & à certa fide vniuersi dæmones fugabuntur. Mementote etiam admonitionum mearum, & incertæ conditionis vitam ancipitem quotidie pertractate, & cæleste vobis præmium sine cunctamine tribuetur. Scismaticorum quoque & [e] hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter prauam eorum voluntatẽ, & pertinax contra Christum bellum. In hoc autem magis estote soliciti, vt Domini præcepta seruetis, vt post mortem vestram sancti quique, quasi amicos & notos, in æterna vos recipiant tabernacula. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite: & si qua mei vobis cura, si quæ Patris memoria est, si mihi vicarium * repræsentatis affectum, nullus ad Ægyptum meas preferat reliquias, nè vano corpus honore seruetur, nè vituperati ritũs à me, vt nôstis, etiam circa me seruentur obsequia: huius enim rei gratia maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum: & illud quoq; senis vestri custodite mandatũ, vt nemo præter vestram dilectionem locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore, hoc corpusculum resurget incorruptum. Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio: Melotem & pallium tritum, cui superiaceo, [f] Athanasio Episcopo date, quod mihi nouũ ipse detulerat: Serapion [g] Episcopus aliam accipiat melotem: vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera meæ. Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti seculo vobiscum.

d Amatham & Macariũ intelligipu ta Rosvveydus velcer t Ilinacum, & Pelusiaũ de quibus in vita Hilarionis cap 15.

e Cauendi hæret ci.

* Rependatis, Rosvveydus, repræsentatis legit, habereque ait in Pandectis Florẽt. l. 19.

Tit. 1. de act empt & vend. l. 47. Lucius, & lib. 35. Tit. 1. ad SC. Trebell. l. 22. Mul er.

f Baronius ad an. 328. ait Athanasium tertio Episcopatus sui anno Ecclesiæ Ægypti visitasse. Antonioque duo pallia attulisse, quorum altero corpus S. Pauli primi Eremitæ inuoluerit: alterum idem Antonius moriens Athanasio iterum legauerit. g Serapion hic fuit ille Thmueos Antistes confessione celebris, vt notat Bar.

LIX. Verba finierat, & osculantibus se discipulis, extendens paululum pedes, mortem [h] lætus adspexit, ita vt ex hilaritate vultus eius, angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsẽtia nosceretur. Hos intuens, tanquam amicos videret, animam exhalauit, & additus est patribus, secundum ordinem scripturarum. Seruauerunt mandata discipuli, inuolutum, vt præceperat, corpus humo operientes: & nemo interim vsque ad hanc diem, præter eos, vbi sit conditum, nouit. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquam magna hæreditate ditatus, lætãter pertimentum recordatur imaginem sanctitatis.

h Moritur S. Antonius anno 101. ætatis, Liberii Papæ 7. Constãtii Imp. 22. Christi 358.

vt ex S Hieronymi Chron. astruit Bar sed inemendato eum vsum affirmat Rosvveydus in præludiis ad vitam S Antonii, quæ est lib. 1. vitæ Patrum. Emendatum enim Chronicon obitum Antonii 19 Constantii anno ponere, habet; qui est secundum eundem Bar. an 355.

LX. Hic Antonio vitæ terminus fuit, ista principia meritorum: quæ licet parciori, vt prædixi, sermone narrauerim, tamen ex his potestis aduertere, qualiter homo Dei à pueritia ad senectam vsque peruenerit: & quod omni semper dubitatione calcata, nec languori, nec longæuę quicquam ætati aliquando concesserit. Magis autem æqualitatem propositi tenens, nec vestimentum mutauit, nec pedes lauit, nec escam sectatus est molliorem: oculorum quoque aciem, & numerum dentium, licet paululum ob ætatem viderentur attriti, nec non & pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita & contra iura naturæ meritorum gratia custodiuit, vt lauatorum corporum, quæ balneis atque delitijs confouentur, hilarior eius caro videretur.

LXI. Hoc etiam fratres, quòd per omnes prouincias amor eius famaque volitauit, quem nec librorum [i] disseminatorũ oratio luculenta, nec mundanæ sapientiæ disputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congestio commendauit, cui omnium ore est adscribendum, nisi Christo, cuius hoc donum est? qui deuotos eius animos erga suam præuidens maiestatem, hominem alio penè orbe celatum, & inter tantas positum solitudines, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipsi etiam, quæ vrbium caput est, Romæ, vt in exordio promiserat, demonstrauit. Creatoris est ista bonignitas,

i Licet teste S. Athanas S Antonius l bros nequaquam scripserit, tamen confat eum ex munere plures scripsisse epistolas patria lingua, quarũ septẽ teste S. Hieron c. 18. de scrip. Eccl. in Græcũ trãslata sunt vt habet Bar. ad an. 358.

nignitas, qui famulos suos, licet nolentes, nobilitare consueuit, vt virtus possibilis, nec vltra humanam esse naturam, sanctorum doceatur exemplis, & ad beatæ vitæ imitationem, ex fructu laboris optimus quisque impellatur.

LXII. Hvnc itaque fratribus librum magnopere perlegere curate, vt agnita fideli vita sublimium monachorum, sciãt quòd Saluator noster Iesus Christus glorificantes se glorificat, & seruientibus sibimet non tantum regna cælorum, sed etiam hîc in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem: scilicet vt & ipsi fruantur laude meritorum, & cæteri eorum prouocentur exemplis. Si autem necessarium fuerit, & gentibus legite, vt vel sic agnoscãt, quia Dominus noster Iesus Christus, non solum est Deus Dei filius, sed etiam his, qui eum solicitè colunt, & in eum fideliter credunt, hanc dedit potestatem, vt dæmones, quos illi deos esse arbitrabantur, conculcent atque eijciant deceptores scilicet hominum, & totius corruptionis artifices.

EPILOGVS EVAGRII INTERPRETIS.

[a] Hunc epilogũ vti & prologum ex vitis Patrum ab Heri. Rosweydo recognitis hui⁹ editioni adiecimus, quanuis difficulter epilogus Euagrinomen tueri possit, si cũ prologo conferatur.

ITAQVE prudentes,[a] qui legere voluerint hanc scripturam, obsecramus, vt dent veniam, si Græci sermonis, vim exprimere non potuimus, transferentes eum in Latinam linguam, licet contra nostrum propositum hæc fecerimus. Sed non quasi inuidentes nolebamus facere, sed sufficienter scientes, quantam infirmitatem sustinet Græcus sermo translatus in Latinitatem: tamen maluimus Græcum sermonem hoc sustinere, quàm fraudem pati eos lucri deifici: qui quomodocũque interpretatum Græcum sermonem legere possint. Deus autem omnipotens, qui tãto viro cooperatus est ad facienda talia, & nobis cooperetur ad imitandum ipsum vel ex parte, vt in omnibus clarificetur nomen eius per magistrum & hortatorem, & redemptorem, & Saluatorem nostrum Iesum Dominum cum Spiritu sancto, cui est claritas & perpetua potestas in secula seculorum.

S. Antonii Corpus inuentum & translatum Alexandriam Beda, Vsuardus, Ado, & cæteri testantur: Sigibertus eandem translationem ad annum 529. Marianus Scotus post Cõsulatum Lampadii & Oresti qui est annus 531. Cuspinianus ad annũ 541 referũt, vt autor est Baron. in Martyrol. Vide Adonẽ in vita S. Desiderii Vien. Epis. ad 11. Feb. De S. Antonio plura habes in vita S. Pauli primi Eremitæ, quæ est 10 Ianuarii.

DE INVENTIONE SS. DIODORI, MARIANI, ET ALIORVM INNVMERABILIVM MARTYRVM HISTORIA, GRAVITER ET erudite ab Athanasio Bibliothecario eius temporis historico, vt indicat Baronius conscripta, circa annum Domini 880, tempore Caroli Crassi & Arnulphi Imperatorum. Habetur in vetustis MSS. codicibus.

AN. 886.

PRÆFATIO.

GLORIOSISSIMOS martyrum triumphos venerari, piæ deuotionis est, quatenus & eorum suffragijs muniri, & exemplis accendi vnusquisque fidelium studeat, qui Christi sanguine lotus, ad illam conscendere [b] Ierusalem festinat, vbi angelorum frequentia Deo gaudet assistere, vbi Cherubim & Seraphim nimio ardore intuendi ineffabilem claritatem diuinæ dulcedinis inflammescunt: vbi throni Apostolici inenarrabili fulgore coruscant, vbi martyrum legiones cum coronis exultant, vbi virginum chori byssino candore nitescunt, vbi diuersi sanctorum ordines indesinenter sine vlla tædij lassitudine cum tripudio iubilare gloriãtur: cui agnus ille immaculatus præsidet, qui æreas portas & ferreos vectes confregit inferni, qui crucis cuspide draconis illius antiqui, qui humanum genus absorbebat, perforauit maxillam, ac suo fulgore omni solis radio incomparabiliter splendidius eam illustrat: quem videre, gaudere est: cui assistere, regnare est: cuius conspectibus adstare, feliciter est viuere. Solennitas enim martyrum euidens exhortatio imitationis est: quam hi solummodò celebrare ritè censentur, qui eos imitari pro viribus satagunt, & eorum sequi vestigia delectantur. Ineffabilis enim pietas Dei nostri in suorum [c] martyrum triumpho, cum sit multiplicis bonitatis artificiosum nostræ saluti prospexit commodum: quatenus dum illos mundus conterit, nos erudiat. & cum eos cruciatus afficit, nos ab horrore perpetui cruciatus absoluat. Verũ quia, quantum oportet, dicere nequimus, à laude tamen Domini linguam compescere, & eius miracula tacere nullo modo debemus: quia licet secretum regis celare bonum sit, mirabilia tamen Domini & laudes eius prædicare laudabile est.

17. IANV.

[b] Cælestis Hierusalẽ.

[c] Martyrũ certamina quid nobis conferant. *Tobiæ 12.*

Iob 40

I. EO itaque tempore, quo beatus [d] Stephanus Romanæ præerat Ecclesiæ, qui beato Petro Apostolorum principi vicesimus quartus in Apostolica Sede successit, grauis persecutio in Christi fideles exarsit. Is cum plurimos quotidie persecutionibus Christianos affici conspiceret, & ipse ad subeundum pro Christi nomine martyrij agonem proximus esset, duos presbyteros, testimonio fidei probabiles, instituit, * Varinum videlicet & Armenium, qui sanctorum passiones, quos assiduè pati videbant, conscriberent, & per quatuor mundi climata diuulgarent ad instructionem fidelium, sanctorumque memoriam, & ad laudem illius, qui in sanctis suis mirabilis est, & eis post mortem fluctiuagi seculi coronam confert felicitatis perpetuæ. Quæ ergo tantorum virorum testimonio tunc facta didicimus, & nostris reuelata temporibus videmus, inuocato Domini Iesu saluatoris nostri nomine, aggrediamur ipso adiutore dicere:

[d] Stephanus hic VI. sed tab anno 885 vsq; ad 891.

* *Viridianum.*

Psal. 67.

II. TEMPORIBVS ergo Numeriani impijssimi Cæsaris, dum in Romana vrbe idolorum cultura à sacrilegis haberetur, in Christi cultores grauis persecutio exarsit impijssimi Cæsaris iussu. Beatus igitur [e] Chrysanthus & Daria virgo, plurimis iam martyrijs affecti, gratia Christi cum victoriæ coronam in omnibus consequerentur, eiusdem Imperatoris furia extra portam Romanæ vrbis via Salaria in arenario depositi, terra & lapidibus obrui iussi sunt viui. Cumque omnipotens Deus multa fidelibus præstaret eorum interuentionibus beneficia in loco eodem, euenit vt die natalis eorum infinita populi multitudo inibi conueniret, viri simul ac mulieres, pariter & infantes, & innuptæ puellæ & iuuenes. Hoc igitur cum fuisset Numeriani auribus intimatum, iussit vt in introitu cryptæ paries leuaretur. Quod cum fuisset impletum, montem qui cryptæ imminebat, super eos deiecit: & ita factum est, vt omnes pariter, dum diuina perciperent sacramenta, & [f] martyrum gloriam celebrarent, ipsi quoque ad gloriam martyrij pertingerent, inter quos erant Diodorus Presbyter, & Marianus Diaconus, & plurimi venerabiles clerici. Populi autem multitudinis numerum, & nomina vtriusque sexûs & ætatis ipse solus nouit, qui eos in cæleſtibus sedibus collocauit. O quantus angelorum exercitus adfuit, qui tot millia sanctarum animarum cum iubilo ad mœnia Ierusalem deportauit. O quanta in cælis exultatio, cum tot millia sanctorum vno Christus momento coronauit. O mira Apostolorum lætitia, cum eorum numero tot millia fidelium Deus simul adiunxit. Iubilent throni Apostolici, tantorum sacerdotum & clericorum conuentu. Gaudeant sancti martyres, tantorum virorum & iuuenum coronatorum contubernio. Lætentur virgines, tantarum innuptarum & matronarum consortio. Innocentes, plaudite (qui non loquentes, sed morientes confessi estis Christum, & induti stola gloriæ, agnum sequimini immaculatum) de tantorum puerorum collegio.

[e] Martyriũ Chrysãthi & Dariæ.

[f] Innumeri Christiani dũ martyrũ celebrant gloriam, necantur.

Diuersi sanctorum ordines, immensis laudibus Christo confitemini, qui vno momento vestris choris tantos præuidit martyrum addere socios.

Hic thesaurus in paradiso collocandus, iniquissimi Cæsaris perfidia montium ruina absconditus, per plura- III.
tuit tempora: & licet à plurimis sit exquisitus Pontificibus, à nullo tamen reperiri potuit. Sed omnipotens Deus, qui immutabilis perseuerans, mutabiliter dispensat tempora, suorum martyrum gloriam reuelare voluit suis fidelibus. Vnde sanctum [a]Stephanum suæ sanctæ præfecit Apostolicæ Ecclesiæ, cuius ad hoc inspirauit animum ardore mirabili, vt tantorum sanctorum quærere aggrederetur thesaurum, ruina obrutum. Hic igitur fossores aduocat, & benedictione munitos, vbi & qualiter fodere debeant, instruit. Reliquit fossas, quas prædecessores sui plurimi plures fecerãt, & ostendit eum locum, vbi fodere debeant, quem ei reuelatum diuino affamine non ambigimus. Incipiunt fossores terram egerere, sed plus omnibus ipse insistit Deo digno operi. Nam illi fodiunt manibus, hic Deum dignis orat precibus. Illi quærunt fodiendo, hic orando inuenit. Hoc quis ambigat diuina factum prouidentia? Circa primi namque Stephani martyris tempora, cum ipse Romanam gubernaret Ecclesiam, hæc in Christi martyribus persecutio exorta est, & sexto Stephano Romanæ præsidente Ecclesiæ, ipsorum facta est inuentio. Ille itaque martyrij coronatus est gloria, hic omnium virtutum redimitus est diademate. Circa illius tempora cætus sanctorum per diuersa tormenta ad cælorum gaudia angelicis choris aggregatus est, huius temporibus per eius sacræ doctrinæ documenta plurimi quotidie eruditi, ad virtutes conuertuntur à vitijs: Illius, inquam, exemplo plures coronam cõsecuti sunt martyrij: istius exemplo plures bonis operibus locupletati ad paradisi mœnia festinant, diuersis virtutibus adornati. Ab eo constituti sunt, qui sanctorum triumphos scribendo [b]innotescerent posteris: ab hoc statuti sunt, qui quæsitos & inuentos prodant venerationi fidelium.

[a] Stephanus Pontifex quærit eorum corpora.

[b] Innotescerent, pro facere innotescere

Invento igitur sacratissimo thesauro, nullis copijs coæquando, ipse prior accinctus cryptam ingreditur, & sti- IV
patus diuersis venerabilis sacerdotij gradibus, ac cœtu populi orthodoxæ fidei, Deo dignas laudes cum exultatione referens, inter ruinas & lapidum congeriem, proprijs cœpit manibus omni mũdo venerabiles margaritas legere de sãctorum corporibus, necessat suo sancto studio, donec omnia fragmina artuũ à ruinę segregaret cõgerie. Collectis itaque artubus per dies aliquot, propter maximam ruinæ montium congeriem, tãti [c]odoris nectar inerat loco, vt omnes reficeret qui aderant. Quamobrem fossores magis ac magis labori operam dare exardescebãt, lassitudinis & corporei alimenti immemores. Nocturno siquidem tempore angelicæ voces in crypta audiebantur, & psalmodiæ hymnizantium, tantusque splendor illam illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere. Peracto autem opere, idem sanctissimus Papa litaniam indixit, & congregato omni cœtu Cleri & populi Romanorum ciuium, discalceatis pedibus, cum lampadibus & crucibus, omnique apparatu ecclesiastico aduenies, in feretris cum psalmis & canticis spiritalibus, sanctorum [d]corpora introduxit in Vrbem: ipseque prior incedens, & feretrum proprijs gestans humeris, cum exultatione & iubilo, sub die decimosexto Calendarum Februariarum, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingẽtesimo octogesimo & sexto, Põtificatus verò sui anno primo, Imperij aũt Dn. [e]Caroli excellentissimi Augusti anno *quinto, Indictione quarta: quorũ in Lateranẽsi palatio aliquos apud ecclesiã, quã ipse idem iã ruinæ proximam, à fundamentis renouauerat, quæ ad [f]Apostolos dicitur: alios per diuersos Cardinales titulos condidit digna honorificentia: alios etiam circunquaque per diuersa largitus est monasteria, vbi plurimis hodieque coruscant miraculis, ad laudem & gloriam Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria in secula, Amen.

[c] Odor mirificus ex reliquiis.

[d] Stephanus 6 Papa sanctorum martyrum corporaan. 886. Romã transfert.

[e] Iest Carolus Crassus.

* Al: Sexto.

[f] Hanc ad Apostolos Ecclesiam Baron. Tom. 10. SS. Philippi & Iacobi Apostolorum. ex Anastasio Bibliothecario astruit.

Sanctorvm Diodori & Mariani, sociorumque suorum reuelationis tempore, quæ Deus dignatus est mira- V.
cula ostendere, operæ præcium dicere duxi. Erat igitur vir quidam illustris, genere & nomine Franco, quem Dominus Stephanus sanctissimus Papa fossoribus præesse instituit: vt & operi admoniti attentius insisterent, & de inuento cælesti thesauro, ipsius solicitudine vel quippiam fraudare nequirent, quo narrante sub protestatione diuina, didici quæ dico. Cum propter inæstimabilem scopulorum ruinam, sanctorum fragmina graui labore legerentur, per dies plurimos tanta inibi fragrantia inerat, ac si lapidum congeries in rosarum flores & liliorum inæstimabilem multitudinem verteretur. Hic prudentiori [g]consilio lampadem aqua plenam, desuper oleo modico misso vix ad crassitudinem vnius digiti, accendi in crypta præcepit, quatenus lumine locus non indigeret, qui tanto odore fragrabat. Accessa igitur lampas, continuis septem diebus ac noctibus semper arsit, vt nec oleum deficeret, nec eius flamma vllo ventorum flamine extingueretur, quibus indicijs manifestè datur intelligi, quanta gloria digni habeantur in cælis, quorũ fragmina artuum inter ruderum cœnum talibus virtutibus coruscant.

[g] Miraculũ insigne apud reliquias.

Prædictvs autem vir cum die quadam opportuno commodo aliquantum decreuisset abesse, quem fidelem VI.
sibi arbitrabatur, Adalfredum quendam sua vice, donec rediret, operi præfecit: sed hic sacerdotis cuiusdam, nomine Albini, exhortationibus suasus, de inenarrabili thesauro, sanctorum artuum partem quandam furatus est, non ob sãctitatis venerationem, sed prolucri venalis [h]amore, prout res gesta demonstrat. Hic redeunte domino, licentiam petijt propriam domum reuisendi, volens furtum, quod fecerat, suo domino nescíente, abscondere: sed domum veniens, scrinio furtum reposuit & celauit. Nocte autem eadẽ graui languore percussus, cœpit tremere, & toto corpore emortuo acerrimè vexari, & quantum poterat balbutire, reum se in sanctos clamabat, nullum cibum, nullumque potum appetens, somni nunquam sopore vel ad momentum quiescens. Cumq; per aliquot dies semiuiuus commissum lueret, & omnibus horis mortuus crederetur, tandem clamare cœpit seniorem ex nomine. Cui cum nunciatum fuisset, compassione motus, ad visitandum eum profectus est supra memoratus Franco. Venit igitur ad domum, in qua semiuiuus iacebat languidus. Quam cum ingressus fuisset idem Franco, mox vt eum æger conspexit, qui ab omnibus exanimis putabatur, sub celeritate surgens, prostrauit se ad pedes eius, & furtum, quod de sanctorum artubus persuasus fecerat, anxius prodidit. Cumque interrogaretur, an se conualescere posse speraret, ait: Ad hoc mihi aliquantæ induciæ concessæ sunt, & spatiolum vitæ præstitum, vt tuis reddam manibus, quod furari reus ausus sum. Nam [i]duos reuerendissimos viros in vestibus albis vultu terribili ad me venisse conspexi, & vt eorum corpora redderem, aut quomodo ea auderem contingere, acerrimè cœperunt exigere. Quod cum nimio terrore emortuus negare vellem, & eorum nunquam me corpora tetigisse assererem, his qui adstabant, dixerunt: Findite eum à vertice vsque ad pedes, & de occultis ipsius abditis ossa nostra abstrahite. At ij euaginato gladio imminentes, caput, gulam, pectus, ventrem & ilia findentes, hinc inde trahere me cœperunt: sola dorsi spina cum ceruice & occipitio scissa non est. Tenuerunt etiam cor, & stringentes illud, acerrimè me cruciabant. Quoties autem cor quantulumcunque relaxabant, anhelitus reddebatur, & respirare mihi modicum dabatur: quoties verò cor tenebatur, moriebar inter manus eorum, & de pectore meo ossa, quæ malesanus rapui, omnium gemmarum fulgore splendidiora, trahebantur: & ita per continuos hos septem dies punior, similiter & per noctes. Modò verò priori fissura vincta, retrò per occipitium, & ceruicem, & dorsi spinam findendus sum, quamobrem nullo modo me euasurum scio, quia ad hoc tantummodo relaxatus sum, vt hæc proderem, & quod furto rapui reddam. Hæc dicens, accessit ad arcellam, in qua sanctorum pignora absconderat, quam ita clausam reperit, vt nisi securi incisa, nullo modo aperiri posset. Quod ideo factum credo, nè vas, in quo sanctorum

[h] Vltio cælestis in furem reliquiarum.

[i] Non sinnt temerè cõtrectãdæ sacræ reliquiæ.

ctorum pignora celata fuerant, alio vsui deinceps habile aptaretur. Reddito igitur furto, & impetrata à seniore venia, cœpit cum lachrymis & graui gemitu coram ipsis pignoribus petere indulgentiam, & vt citissimè de domo eius deducerentur, obnixè popoſcit. Quæ cum educta essent, ille ad lectum redijt, continuo se findendum expectans. Sed omnipotentis Dei misericordia, qui in sanctis suis mirabilis est, & neminem perire, sed omnes vult saluos fieri, vltra eos, quibus ad puniendum datus fuerat, non vidit : sed ab ipsis venerabilissimis viris commonetur, vt hæc palam nuntiet, & vlterius de eorum corporibus nihil præsumat attingere. Post hæc ergo cœpit cibum quærere, qui continuos septem dies nullo alimento percepto, continuatim sub tanta angustia languerat, & post paucos dies pristinæ est sanitati redditus. Verum nè quis hæc me arbitretur fingere, in veritate fateor, ipso Francone sub protestatione Domini Iesu Cſiristi nominis narrante didici.

Psal. 67.
1. Tim. 2.

VITA. S. SVLPITII, COGNOMENTO PII, BITVRICENSIS ARCHIEPISCOPI, AB EIVS AEQVALI SCRIPTA OPTIMA fide, sed stylo rudi ac simplici. eaq; causa in Lectoris gratiam mutato per F. Laurentium Surium.

AN. 587.

I. RTVS est beatus [a]Sulpitius claris parentibus, inter ciues penè primarijs, & in castris regijs alitus. Idem autem ipse in ipso primæ ætatis flore, ruptis seculi laqueis, Christi militiam sic complexus est, vt in ea constanter perseuerare, immutabili animi proposito constitueret. Et erat sanè in illo adhuc valdè tenero ea religionis capessendæ cupido & feruor [b]spiritus, vt eius causa, si oblata fuisset, à persecutore occasio, vltro se supplicijs omnibus obiecturus videretur. Cœpit interim diuinarum sese tradere lectioni scripturarum, & in ijs, quæ ad fidei eruditionẽ pertinent, non segniter exercere: & vt ætatis feruescẽtis illicitas edomaret cupiditates, & in sapientiæ studijs quotidianos faceret progressus, sedulis ad eum orationibus & abstinentiæ laboribus incumbebat. Ita ille ab ipsis prope incunabulis adeò fuit disciplinæ Ecclesiasticæ studiosus & obseruans, vt permultos tum senes, tum iuuenes ad ipsum confluentes, & quæ nostræ religionis sunt, ab ipso percontantes, non solum ad fidem conuerteret, sed etiam perfectæ vitæ institutionibus imbueret. Aderat enim illi haud obscurè gratia Spiritus sancti, qua fretus innumeros ad sui in fide Dei imitationem permouebat. Præcepta euangelica & doctrinam Saluatoris ante omnia summo studio exequendam dicebat. Etsi autem iuuenis esset, attamen erat [c]cõtinentissimus, & hãc virtutem castitatis quasi fundamenti loco reponens, cæteras porrò superstruere perrexit virtutes. Itaque quod Dominus in Euangelio dicit, Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei, id ita ille complexus est, vt spretis nuptijs, virginitatis propositum obtinuerit.

IANV. 17.
[a] Eius genus.
[b] Feruor spiritus.
[c] Egregia continẽtia. *Matth. 19.*

II. QVANTVM autem eorum relatione didicimus, [d] qui ei ab ipsa pueritia ad nostra vsque tẽpora comites vel ministri fuere, in seculari adhuc habitu positus [c]magnam nauabat operam construendis monasterijs, basilicis à fundamento nouis ædificandis, dirutis verò instaurandis, ope & auxilio subleuandis miseris, in pauperes conferendis eleemosynis, in vincula coniectis non solum sermone & exhortatione, verùm etiam sua opera & officio ex carcerum squalore liberandis. Templum quoddam haud procul paterna eius domo aberat, ab hostibus vastatum & destructum. adeo vt nulla ibi cleri vel populi frequentia cerneretur. Eò se crebrò conferre solebat orandi causa, sed vt inanis gloriæ flatus vitaret, intempestæ noctis captans silentia, vestes clam assumebat, quibus ex more pœnitentes vtuntur, atque ita diuinis vacabat meditationibus, donec [e]reuertente sole, iterum seculari se habitu tegeret. Hæc eius pueritiæ fuere studia, & exercitia, quibus eius in DEVM animus accendebatur. Accidit autem, vt cum nocte quadam in eo templo cum duobus puerulis precibus insisteret, & delectaretur in Domino, duo teterrimi & immanes spiritus apprehensos pueros per vim extrahere niterentur. Sensit tandem à tergo clamantes & eiulantes pueros, conijcit oculos in illos nigerrimos spiritus sublata manu incipit [e] crucis exprimere signum, & ecce repentè illis disparentibus, pueri manent incolumes.

[d] Optima studia.
[e] Crucis signo depellit dæmones.

III. Ex illo verò tempore damnatus & inuidus satan machinas suas omnes admouit ad euertendum hominem Dei, & cuius mentem corrumpere non potuit, eum minis & terroribus phantasticis conatur in ruinam impellere : sed de hoc suo dicemus loco fusius. Interea cœpit coruscare [f] signis & miraculis, adeò vt in ipso etiam seculari habitu dæmones fugaret verbo, & ægros suis precibus curaret. Valde autem modis omnibus cauebat, ne quid sancto eius proposito, quod celatum volebat, humanus fauor & aura popularis gratiæ, detrimenti adferret, seque arrogantiæ vitio contaminaret. Cumque ea quæ diximus, ab eo fierent, & ipse operum atque virtutum splendor ceu tacita quadam prædicatione, pijs diuinę veritatis inferret lucem, impijs & obtrectatoribus perfidiæ tetiam caliginẽ offunderet: perindè vt olim apud Ægyptios tenebræ erant densæ & horribiles, quæ palpari possent, porrò apud filios Israël lux: perrexit omnipotens Deus magnificari in sancto suo, & cœptum virtutis opus magis magisque prouehere. Iam enim fama viri longè lateque diffusa, Austregisilus Bituricensis antistes à Theodorico principe obtinuit, vt liceret ipsi sancto Sulpitio docendi in ecclesia munus deferre: videbat enim doctrinæ gratia multos ad eum cõfluere. Annuit sine mora rex, vt tõsis capillis, in Clerum ille transiret. Itaque per gradus ad altiora promotus, etiam [g] Leuiticum est adeptus ministerium: seruiebatque in Ecclesia, & in dies maiori signorum copia illustrabatur. Suggerentibus autem quibusdam, Clotarius rex petijt ab Episcopo, vt pro sua & exercitus sui salute permitteret virum beatum in ipsius castris Abbatis fungi officio: cumque in eius & omnium, qui cum illo erant, sumptus ea essent collata, quæ in triduum sufficerent, illis dũtaxat seruatis, quæ ad vnius diei [h] expẽsas essent satis, reliqua egenis elargitus est. Quæ res malè habuit ipsius familiares, quòd metuerent victum necessarium defuturum. Ad quos vir sanctus: Oculos, inquit, vestros, filioli, ad Deum referte, eiusque regnũ & iustitiam primùm quærite, & omnia apponentur vobis. Recordamini illius propheticæ sentẽtiæ: Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Et eccè subitò ad virum Dei tanta annonæ copia à fidelibus hominibus transmissa est, vt non absurdè ea, quæ arrogarat, centuplicato fœnore, quemadmodum Dominus suis promisit discipulis, se recepisse citra iactantiam gloriaretur.

Exod. 10.
[g] Fit leuita.
[h] Magna in Deum fiducia. *Matth. 6.* *Psal. 33.* *Matth. 10.*

IV. AT non post multos dies, sæuissimo rex correptus morbo, ad extrema tendebat. Regina repentino luctu obruta, monilia abijcit, vestes lacerat, euellit capillos, genas discerpit, regemque haud aliter atque iam extinctum plorat. Turbatur omnis regia domus, iunguntur dominæ lachrymis planctus aulicorum : fit concursus omnium ad virum Dei, eius amplectuntur genua, infundunt lachrymis: obsecrant, vt pro salure regis, in supremo discrimine constituti, preces DEO offerat. Permotus vir sanctus, faciem lachrymis rigat, tundit pectus, alta trahit suspiria, producit vigilias, conficit se ieiunijs perpetuis, Deum precibus pulsat. Exactis inde diebus quinque, regis fit etiam deplotior salus. Tum verò orant aulici virum sanctum, vt desinat se inedia conficere, paulumque cibi accipiat. At ille, Non comedam, inquit, donec salutem principi obtineam à Christo, cui seruio. Illis contra asserentibus, principem iam penè exhalâsse spiritum, nec debere eum frustra se inedia tabefacere : Vir Domini respondit : Vbi septem dies ieiunus permansero, vnà cum principe sanitati restituto cibum capiam. Aduenit dies cunctis optatissima, implentur sancti

[a] Regē ſuis precibus redditincolumem.

ſancti ſacerdotis dicta, regi [a] ſalus repentè redditur, omnium ore ſacerdos prædicatur, & ad regis conuiuium honorificentiſſimè euocatur, fecerat enim hæc res charum omnibus & gratum. Hactenus ea diximus, quæ à Maioribus noſtris, ſancti viri æqualibus ſiue contemporaneis accepimus: nunc porrò ea commemoraturi ſumus, quæ partim ipſi vidimus, partim à noſtris condiſcipulis didicimus.

V. Cvm igitur eius virtutum floribus, ſignorumque gemmis & gratia multiplici, regis aula egregiè vernaret, odoriſque ſui fragrantia paſſim omnia compleſſet, accidit vt ſacer [b] epiſcopus, cuius antè meminimus, feliciter migraret ad Dominum. Vbi autem ad noui pontificis electionem ventum eſt, & è populo alij alium, vt ſolet fieri, nominarent: pars etiam quædam inſanioris vulgi, primoribus nonnullis conſentiret in cuiuſdam ſimoniacam electionem, regiſq; conſenſus, magna vi auri oblata, ad id impetratus eſſet: noſtri verò, quibus Saluator dicit, Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum: ab omnipotente Deo peterent beatum virum ſibi dari Epiſcopum, mitterentque ad regem paucis verbis comprehenſam legationis formulam, eamque per vnum ex ijs, de quibus dicitur, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, regijs auribus inſinuarent: tametſi rex tam copioſæ pecuniæ deſiderio nonnihil ineſcatus teneretur, at tamen eius coniunx, diuino amore ſuccenſa, admonebat eum, poſt tanti pontificis è vita exceſſum, eum iure meritoque illi ſubſtitui debere, qui & meritis & miraculorum ſignis, & virtutum ornamentis illi par eſſet: ſimul etiam ei in mentem reducebat, quod eius precibus paulò antè ab ipſis mortis ianuis ad vitam eſſet reuocatus. Itaque rex maturiori omnia iudicio perpendens, ſpretoque maleſuadæ cupiditatis conſilio, repudiatis malorum conſultorum perſuaſionibus, abſque vlla dilatione iuſſit impleri, quod diuina erat prouidentia conſtitutum. Ita vir ſanctus, Deo volente, primam obtinuit [c] Aquitaniæ ſedem, eodemque fauente & efficiente, vulgi inter ſe diſcrepantes animi in mutuam ſunt concordiam redacti, pontificemque Sulpitium pariter amore complexi ſunt.

[b] Auſtregiſilus Epiſcopus moritur.

Luc 12.

Matth. 5.

[c] S. Sulpitius fit Bituricenſis Epiſcopus

ſucceſſor Remigii non Auſtregiſili teſte Greg. Turon. lib. 6. hiſt Franc. c. 39 tēporibus Gunthramni regis Francor. anno 587. vt notat Bar. in Martyrolog. Rom. & Annal. an 595. licet contrarium aſtruant acta Auſtregiſili.

VI. Ille verò iam factus pontifex, non honori, ſed oneri ſuas ſuppoſuit ceruices. Denique omnibus omnia factus, non quæ ſua ſunt quæſiuit, ſed quæ aliorum, vt ſalui fierent. Vidiſſes ibi ſanctum ſacerdotem, velut lampadem [d] diuinitus accenſam, tradere ſe ieiunijs multis, immò perpetuis, & vigilijs propè continuis, adeò vt ſi naturæ neceſſitas ſomnum interdum exigeret, eū nō in molli ſtrato, quo nūquam vſus eſt, ſed humi, ſubſtrato cilicio & mattula, parcè caperet: Erat in eo inſignis vitæ puritas, & animi virtutes eximiæ: nec magnoperè curauit ſermonis phaleras, ſed cum eſſet tot clarus virtutum chariſmatis, & ſignorum quoque gloria illuſtris, diſſeminabat quotidiè verbum Dei per omnem regionem: breuiſque ſpatio tantum profecit apud populum, Iudaica perfidia contaminatum, vt quaſi nouam veritatis lucem ſibi adſpicere viderentur: cumque multa verbis, plura exemplis & factis doceret, nec imperaret alijs, quod non prius ipſe feciſſet: nullum ſanè non ſalutari expiatum lauacro, in ea vrbe Iudæum habitare permiſit. Orabat autem iugiter Dominum pro illorum conuerſione, docebatque eos per baptiſmum habere peccatorum veniam, nec ſine illo poſſe eos ſaluos fieri.

[d] Viuit in Epiſcopatu ſāctiſſimè.

VII. Ita factum eſt, vt eius ſermonibus permoti, [e] verique Solis iam illuſtrati radijs, planè obſtupeſcerent, & veterum errorum ducti pœnitentia, cum fideli confeſſione accederent, & à ſancto pontifice baptizarentur. Sic ille bellator egregius diuina fretus ope, prædam ex inimici faucibus eripuit, & ſuo reſtituit authori, pulſo ab animi penetralibus infidelitatis ſqualore. Ex ijs plerique in noſtra religione hodieque ſuperſtites degunt. iam verò ita cœpit in eo ſignorum gratia augeri, vt haud ſecus atque olim Apoſtoli, miraculis coruſcaret. Nam cum paulò ſupra dixerimus, dæmones eū verbo fugaſſe, & ægros curauiſſe precibus: iam Deus noſter hanc in eo gratiam ita cumulauit, vt proceſſu temporis etiam cæcis lumen, ſurdis auditum, mutis loquelam, vitam mortuis, mancis manuum, claudis pedum officia reſtituerit: pluraque alia, quæ nimis longum ſit explicare ſingulatim, mira effecerit: è quibus tamen volumus in præſens ſaltem pauca referre.

[e] Iudæos multos cō-uertit.

[f] Sanat e-linguem.

VIII. Gothaldvs quidam filium ſuum, annorum circiter decem, adeo ex [f] linguæ impedimento propè mutum, vt ſermo integer ab eius ore nunquam prodierit, ad pedes ſancti viri depoſuit, & filij morbum ſimul indicauit. At ille motus miſericordia, ſuſpirans ad cælum oculos manuſque ſuſtulit, Chriſtique clementiam plena fide cum lachrymis implorauit: deinde facta prece, in linguam pueri ſignum crucis impreſſit: moxque linguæ laxantur vincula, & in hunc vſque diem promptè expediteque loquitur.

IX. Eo tempore, quo dira fames prouincias omnes obtinuerat, puer quidam ex inedia ferè extinctus, ad ſancti pontificis genua aduoluitur, orans vt ſui velit miſereri. Reſpiciens ergò vir pius ad domus ſuæ Præfectum, Hunc, inquit, puerum ſummo ſtudio tibi noueris commendatum. Polliceturille ſe, quod erat iuſſus, diligenter curaturum. At interim varijs ille negotijs diſtractus, cœpit puerum habere negligentius. Ita frigore & inedia confectus, in fornacem ſe iactauit, cumque deficiente ſpiritu feſſa membra iam trahere non poſſet, exanimatus eſt. Inquirit deinde Epiſcopus de puero perluſtranſque loca omnia præfecti domus ſuæ, cum nulla de puero indicia reperiret, ab illo repoſcit commendatum. Ille ad eius ſe abijciens pedes, eum ſe perdidiſſe fatetur. Protinus vir Dei in ſuum ſe cubiculum recipit: humi proſtratus, vbertim lachrymatur, crebrò ſuſpirat, Dominum Ieſum obnixè rogat, vt reddat ipſi puerum. Intantum enim amiſſi pueri interitu cruciabatur, vt haud aliter coram Deo lugeret & plangeret, tanquam apud Chriſti tribunal de ipſius manibus anima pueri eſſet requirenda. Interea is, cui hoc ex officio incumbebat, ad fornacem inflammandam properat: viſoque puero, rigida membra trahere conatur, ſed ſentiens exanimem, beato pontifici renunciat. Tum ille rurſus in terram proſternitur, fundit preces, prolixè ſuſpirat. Deinde caput ſubrigens, iubet cadauer pueri calida aqua perfundi: preceſque ſine intermiſſione continuans, pectusque verberans, Dominum Ieſum interpellat. Et ecce ſenſim mouentur mēbra pueri, atque ad pedes orantis epiſcopi adrepit, ijſque contactis, priſtinas recuperat vires, creditūrque in preſentē vſq; diem ſupereſſe. Nam multo poſtea tēpore apud nos demoratus eſt.

[g] Extinctū ſuſcitat puerum.

X. Gvrges erat in Vitiſionenſium agello, adeò copioſus aquis, & quidem dæmonibus conſecratus, vt ſi quis qualibet ex cauſa in illum eſſet ingreſſus, illicò demergeretur, præfocatus à dæmone. Sed Dei benignitate contigit, vt illuc quandoque aduenire ſanctus Sulpitius: ad quem eius loci habitatores accedunt, ſupplices orant, vt ipſis velit opitulari, quandoquidem multos iam in eo gurgite & propinquos, & famulos amiſiſſent. Ille ſolita pietate iuſſit chriſma cum oleo & aqua parumper commiſceri, idque cum benedixiſſet, tradidit diſcipulo, præcipiens vt his Eliſei prophetæ verbis vteretur: Sanaui aquas has, & non erit in eis vltra mors, neque ſterilitas. Quod cum ita factum fuiſſet, confeſtim malignus [h] dæmon adeò loco pulſus, vt deinceps feliciter omnes illic egerint, & ſine periculo piſces frequentes in litus trahantur.

4 *Reg.* 2.

[h] Profligat dæmonem ab aquis.

XI. Brevi interiecto tempore, ruſticus quidam, ob æſtatis temperandos ardores, vltrò ſe in flumen miſit: ſed repētè dæmonis laqueis conſtrictus, necatur. Non longè aberat is locus ab ædibus baſilicæ, vbi in quadā exhedra vir Domini cum ſuis fratribus cibum ſumebat. Anus autem quędam eminus poſita vt vidit hominis interitum, manu innuit miniſtris, qui in ſancti Pontificis conſpectu adſtabant. Illi vnum è ſuis mittunt, qui ex muliere, quid ſibi velit, ſciſcitetur. Audit is à fœmina, quendam illic in aquis perijſſe. Euocat ergo ſocios, & res ad pontificis notitiam perfertur: qui extinctum

ctum corpus iubet ex aquis extrahi,& in nonam vsq; horam seruari. Peracto prandio, ad locum orationis se confert: & quidem mox pro voto obtinuit extincti [a] reditum ad superos: sed idcirco à sexta ad nonam,id est, tribus horis voluit differri,vt nulli posset ambiguum videri,hominem illum verè fuisse defunctum. Tandem ab oratione surgens, iubet ad se adduci cadauer:cui vt signum crucis impressit,cœperunt membra agitari,rursusque iubente antistite,illicò surgit homo incolumis,suisque pedibus abscedit.

[a] Alium defunctum vitæ restituit.

XII. Quidam ex optimatibus, Theodogesilus nomine, visendi gratia accessit ad sanctum Pontificem, qui ea qua solebat, humanitate & beneuolentia eum excepit:& quia hyems erat & ingens frigus, focus instruitur. Ministri nescio quibus alijs intenti rebus, non magnopere habebant ignis curam. Erumpit interim flamma vorax, & tectorum fastigia vastat: sequitur ædium concussio,& igne crescente, iam cuncta ruinam minantur. Omnes igitur animis consternantur,& [b] cum difficultate rei absterriti, non auderent tectum conscendere,cuncti in fugam vertuntur. At sacerdos Domini manum eleuat,opponit flammis signum crucis,& è vestigio,cunctis stupentibus,priusquam manum ille deponeret,adeò ignium globi extincti sunt,ac si densissimi imbres è cœlo delapsi essent.

[b] Signo crucis flammas extinguit.

XIII. Intra vibis mœnia quædam illustris matrona frumentis plenum habebat horreum grande. Intempesta nocte quidam furcifer clam in illud ignem conijcit,& subitò flammæ vndique erumpunt.Fit communis omnium luctus & tumultus. Porrò vir sanctus insolito tum [c] somno depressus, tandem ex discipulo, quid acciderit,cognoscit.Currit igitur festinus ad ignem,eumq; cum canticis spiritualibus circumit: certosq; cum baculo igni limites præscribit,quos non debeat prætergredi. Cum igitur omni ex parte vicinas contiguasq; ædes flammæ voraces attingerent, inde reiectæ & repulsæ,in seipsasq; reuersæ,& extinctæ sunt. Lætus vir Dei,pergit ad ecclesiam,matutinas preces & laudes Domino persoluturus.

[c] Item aliud sopit incendium.

XIV. In eadem vrbe vir sanctus monasterium Virginum magno studio construxerat, in quo Virginum & Continentium fœminarum agmen incluserat. Ibi cuiusdam negligentia ignis correpto pariete, in flammas se diffudit.Nox erat, & periculum etiam vicinis ædibus intentabatur, igne iam instar montis intumescente. Tum verò Dei sacerdos ouicularum suarum interpellatus precibus,ad locum festinat, contra immensæ altitudinis flammas [d] crucis signum obijcit: statimq; adfuit auxilium è cœlo in columbæ specie, in qua spiritus sanctus olim super Dominum baptizatum descendit: simulq; compressæ flammæ, non audent alias contingere domos. Hoc periculo liberatas ouiculas illas suas pius pastor salutaribus monitis instituit, eiusq; doctrina effectum est, vt apud illas hodieq; castitatis propositum enitescat, quæ dum diuinæ sapientiæ studio deditæ sunt,& mentes & corpora virginitati & integritati consecrant, seipsas sapientiæ vasa munda exhibentes,nec sponsi alicuius mortalis & corruptibilis, sed diuini verbi castissimos & immortales concubitus expetentes,vnde succedat posteritas nequaquam corruptioni obnoxia. Quanta etiam apud eas abstinentiæ,sobrietatis & honestatis studia & exempla præclarè emineant, nos pro dignitate explicare nequimus. Sed his obiter dictis, ad narrationem redeamus.

[d] Signo crucis rursus extinguit ignem. *Matth. 3.*

XV. Erat procul ab vrbe in loco,qui Auatra dicitur, arbor immanis, quam vir sanctus securibus iussit succidi. Ea cum iam laberetur,puerum sibi non prospicientem penè oppressisset. Sed vir sanctus extensa protinus manu, [e] signum crucis edidit contra cadentem arborem: qua modo admirabili in aliam se partem reflectente, puer præsentissimum mortis periculum illæsus euasit.

[e] Signi crucis virtus.

XVI. Cvm hunc in modum vir beatus,instar clarissimorum siderum,innumeris fulgeret miraculis, & omnes in Dominum Iesum crederent,totius boni inimicus [f] diabolus malignos quosdam viros, apta suæ nequitiæ organa, commouet ad infestandam intestinis bellis ecclesiam, eiusq; plebem, iam tranquilla pace fruentem. Incitat quendam Galliarum principem, admotis ei prauæ cupiditatis facibus,occultisq; persuasionibus, vt à Bituricensi clero & populo pecunias per scelus extorqueat. Misit illi quendam ex amicis & fautoribus suis, hominem duplici sibilantem ore,geminaq; lingua virus exitiale vibrantem,vt is populum iam dictum exagitet. At quia non deserit suos clementia Dei, præsertim vbi discrimen præsens imminet, cùm nefarius ille regiæ crudelitatis administer multitudinem illam Christianæ plebis, quæ semper libera fuisset, in seruitutem non ferendam redigere conaretur, omnes ad pastorem suum confugiunt,sublatisq; cum ingenti planctu & clamore vocibus, Pie pastor,inquiunt,fer opem gregi tuo,quem hucusque paterno fouisti affectu: ne patiaris commissos tuæ fidei perire: defende nos à lupo, qui rabido nos dente discerpit. His auditis, vir pius toto animo ad misericordiam commotus,indicit [g] omnibus ieiunium,agitq; cum principis nuntio, vt impiam desistat exequi iussionem. Sed cum ille superbia tumidus nihil hac ratione moueretur, spretisque sancti viri sermonibus, magis etiam insolesceret, ille se in cellulam recipit,humi abiicit, pectus crebris ictibus tundit, petit à præpotenti Deo, quod à præside obtinere non potuit: nec tamen inimicorum perniciem, sed conuersionem potius petit. Erat enim erga suos aduersarios mitis semper & pius. Interea quendam è suis solitarium virum,Ebregisilum nomine,qui cunctis abdicatis, propudiatoque mundo & operibus eius, vita & sermone cæteris excellentius ad viri Dei imitationem totum se composuerat: ad se accersit, mittitque ad regem, vt eius arguat crudelitatem,indicetque, nî vitam corrigat suam, repentinum illi impendere interitum. Is vbi ad regem venit, dixit quæ iussus erat: insuper etiam de perpetratis facinoribus eum admonuit, si fortè posset duci pœnitentia, flere admissas iniquitates,& vltrices æstuantis gehennæ flammas lachrymarum imbre extinguere. Non enim vult Deus mortem peccatoris,sed vt conuertatur & viuat. Rex vbi hæc audiuit,adeò totus est timore correptus & fractus, vt absque mora suam agnoscens culpam,in lachrymas erumperet: spretoque regali fastigio, ageret pœnitentiam,libenterque executioni mandaret,quæ per discipulum suum beatus antistes illi indicârat. Confestim igitur insolita illa abrogatur exactio,impia conscriptio aboletur, populo salus restituitur: & sicut post horribilem tempestatem sole iterum suo splendore terras illustrante,mortalium hilarescunt animi: ita pace ecclesijs reformata, sacerdotum gaudia cumulantur. Addidit verò hanc rex constitutionem, ne futuris temporibus aliquid eiusmodi attentaretur.

[f] Dæmon nititur eius pertuebare subditos.

[g] Indicit ieiunium contra vim.

Ezech. 33.

XVII. Porro ille vir crudelis,quem rex [h] negotij huius conficiendi causa ablegârat,cum nollet regi in melius mutato subscribere & assentiri, diuinitus percussus, cum ignominia vitam dignè perdidit, qua fruebatur indignè. Non enim potuit tanti facinoris administer impunè euadere. O verè beatum antistitem! qui aduersus hostiles inimicorum furores nunquam se vel armis vel manu defendit sua, sed ieiunijs & vigilijs continuis, & sub ara prostratus, feruentibus orationibus defensorem sibi atque ecclesiæ suæ Deum parabat. Ecquis verò vllis vnquam machinis aut infestationibus eum deijcere & debellare potuisset,qui auxiliante Christi dextera, semper tutus inuictusq; manebat?

[h] Multi ab eo conuersi

XVIII Per idem tempus cum vir Dei signis & omnigenis virtutibus mirificè esset ornatus, & in verbo Dei disseminando Apostolicam æmularetur simplicitatem, essetq; iam in omnibus perfectus Dei sacerdos & hostia, pauperum quoque curam solicitam gereret,& impositum sacerdotij munus strenuè exequeretur: ætate iam ingraueſcente, & in decrepitam propendente senectutem,cernens omnibus se non posse sufficere,& neque in rerum diuinarum sublimi meditatione atque sanctæ orationis studijs, vti optabat, iugiter permanere, neque eorum, qui quotidiè ad nostram religionem traducebantur, institutioni posse vires adferre necessarias,quæ quidem adeò illum solebant habere occupatum, vt vix horæ vnius spatio respirare permitteretur, dum à prima luce vsque in profundam vesperam, ab alijs semper ad alia auocaretur: hoc nimirum illi consultissimum fore visum est, vt vni ex primoribus regionis illius,

Vulfe-

[a] Adiungit sibi coadiutorē Matth. 20.

Philip 2.

Vulfelento nomine, viro iam exactè & accuratè instructo, partem [a] sui demandaret officij, diuiniq́ue verbi committeret ministerium. Iam verò quis dicendo consequi possit, qua humilitate, beneuolentia, charitate erga ministros suos & pauperes deinceps vsus sit? Semper enim illud Euangelicum & mundissimo ruminabat ore, & totis viribus exequi conabatur: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et quia mentis oculos semper habebat in Deum defixos, perpetuoq́ue contemplabatur Dominum nostrum Iesum Christum, propter nos hominem factum, id nos docere voluisse, vt vsque ad supremum spiritum aduersus peccatum decertemus: nam & ille non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, humiliauit seipsum, factus obediens vsq; ad mortem crucis: hac de causa labores omnes, mentisq́; & corporis cruciatus vltrò susceptit, ne fidei propositum peccati conscientia violaret.

XIX.

[b] Alia eius miracula.

Verùm si nos eius porrò virtutes mentisq́; inuictam constantiam commemorare velimus, nec præ sermonis inopia id poterimus, nec fidem dictis nostris habituri sunt, nisi qui suis ea oculis perspexerint. Malumus igitur quædam eius narrare miracula, quæ ab eo fecit tempore, quo sibi laborum suorum socium adiunxit. Quadam nocte [b] homo sceleſtus, sed inops, in penu beati viri se per vim ingessit, furtoq́; inde quædam auferre nitebatur. Sed cum celeriter inde vellet abscedere, omnem sibi exeundi copiam ablatam, & tanquam carcere vndiq; conclusum se vidit. Tota igitur nocte multum frustra desudans, qui facilem sibi aditum parauerat, exitum inuenire omninò non potest. Sole interim suos radios spargente, vir Dei vnum è custodibus ad se accitum, iubet adire cellam penariam, & si quem illic offenderet multa lassitudine defatigatum, & quasi nexibus quibusdam irretitum, eum inde educere. Abijt ille è vestigio, sociumq; sibi adiungens, hominem nequam in penario inuenit: cumq́; eum vellent ambo comprehendere, ille instar anguillæ ex eorum manibus mira lubricitate elabitur: sed cùm in flagranti facto deprehensum, turbisq́ue vndique vallatum se cerneret, malletq́; repentina morte perire, quàm acerbas flagitij pœnas luere, in puteum se dedit præcipitem, qui octoginta ferè erat cubitos altus, interim nihilominus in ipso puteo beati antistitis suffragia implorans. Mox igitur vir sanctus eò aduolat: puerum funibus ligatum, ad miserum illum demitti iubet, præcipiens vt diligenter apprehensum, secum faciat educi. Clamantibus verò cunctis, eius vitam iam planè esse deploratam, qui in tam profundam esset [c] putei voraginem demersus: vir sanctus pergit vrgere, vt puer ipsius iussa sine mora capessat. Descendit igitur famulus in puteum, signo ab Episcopo ipsi impresso munitus, cernitq́; incolumem, quem iam omnes extinctum arbitrabantur: iniectisq́ue illi funibus, sursum vnà secum attrahit. Accurrit ad huius rei spectaculum penè vniuersa ciuitas: fit vnus omnium plausus & gratulatio, miranturq́; sospitem, quem in tantam profunditatem per præceps collapsum, omni vitali spiritu prorsus destitutum existimauerant. At miser ille sui sceleris conscientia confusus, ad sancti pontificis se pedes prosternit, petit maleficij veniam. Ille verò pietatis visceribus affluens, ignoscit celeriter: addit etiam vitæ sustentandæ necessaria, crebroq́ue admonet, vt petere mâlit quàm rapere, & ex beneficio potius alieno quàm furto suo sibi parare vitæ subsidia. Discimus ex his sancti viri perfectam humilitatem, procliuem misericordiam, sanctam simplicitatem. Neq; minor in eo fuit patientia & longanimitas, vt sequentia declarabunt.

[c] In puteum altissimum insiliens, manet incolumis.

XX.

[d] Inobedientia castigatur.

Vnvs ex eius discipulis diaconus, copiam ab illo perijt ad patriam redeundi. At vir Dei, metuens ne ex occasione longinqui itineris in aliquod periculum incideret, noluit ei facere discedendi potestatem. Ille verò spiritu superbiæ agitatus, in ipsa nocte arrepto vehiculo, celeriter fugam arripit, nec tamen [d] cæcitate percussus, potest iter inceptum prosequi, sed tota nocte vltrò citroq́; se transferens, vbi terris lux reddita est, post multos frustra exantlatos labores, in eodem loco vnde primùm aufugerat, se cernit constitutum. Deniq; à sacerdote sanctissimo, quem nihil horum latuisse puto, veniam supplex petit, eiusq; adhærens genibus, totam rei gestæ seriem exponit. Vir pijssimus, nihil eius irritatus peruicacia, libenter ignoscit culpam agnoscenti

XXI.

[e] Infestationes dæmonum.

Mvltas vir Dei pertulit ab antiquo hoste [e] infestationes, & præ cæteris Christo ea tempestate militantibus, cum vniuerso exercito suo illi molestus fuit: id quod pauca è pluribus testabuntur, quæ huc sumus asscripturi. Iam ante dictum est, sanctum virum nocturnis vigilasse horis: & in preces peruigilem incubuisse. Cùm igitur nocte quadam in baptisterio psalmodiam absoluisset, paucis sibi adhibitis, ad beati Martini basilicam processit, vt quod noctis supererat, ibidem in precibus & laudibus Dei exigeret. Vt autem puer lucernam ferens ad basilicæ fores prope accessit, in formam auis horribilis & teterrimæ se transfigurat satan: primò nititur lucernam extinguere: mox in faciem oculosq́; beati antistitis cum magno impetu se ingerit, atq; hac & illac circunuolitans, ridiculis ambagibus ludens, identidem violentus in sanctum virum irruit. Cernens autem vir Dei, improbi malignas machinationes: Scio, inquit, quis sis: nec te finis latére cum, cui penè semper persecutorem nequissimum te exhibes. Deinde eleuata manu signum crucis [f] pingens, improbum illum repentè in fugam compulit, ita vt cum suis ludibrijs planè euanescceret.

[f] Signo crucis abigit dæmonem.

XXII.

Vnvs expueris, mente & moribus simplex, Ansulphus nomine, à sancto Episcopo ad locum quendam pro fratrum & pauperum victu necessario parando quandoq; missus est. Is postquam iussa perfecit, domum festinus redire contendit: & eccè obuiam illi venit sæuissimus dæmon cum grege suorum satellitum, exturbat eum è curru, & flagris pessimè mulctatum relinquit: quem fratres semiuiuum domum reportârunt. Sed cum ea res ad iniuriam sancti pontificis pertineret, nemo ei voluit, quid actum esset, indicare. Tandem diuinitùs edoctus (habebat enim etiam prophetiæ gratiam) animaduertit, ministrum continuis decem diebus ca cum mutumq́; permanere, membris omnibus iam præmortuis, itaq; obstructo compressis dentibus ore, vt nec aquæ gutta illi posset instillari. Exponit ergo fratribus rei gestæ seriem, non sine lachrymis ex pietate & commiseratione erga afflictum profluentibus: dolet sua causa ouiculã tam acerbis doloribus cruciari: simul autem humi se prosternit, & completa oratione surgens, iubet panis buccellam cũ vino offerri iam [g] prope animã exhalanti. Abeunt ministri, viq; ore illius patefacto, vinum ab Episcopo missum instillant: ille sibi redditur, vigoremq́; pristinum membra præmortua recuperant. Id verò nos ab illo ipso, cui id accidit, percepimus, & est etiam aliorum fide dignorum hominum testimonijs confirmatum.

[g] Curatur propè extinctus.

XXIII.

Non multò post iterum vir Dei post solis occasum in Ecclesiam cum paucis abijt, ibi pernoctaturus in precibus. Adest tortuosus serpens, tenui primùm sibilo lenes demulcet auras: deinde in ipsis tranquillæ noctis silentijs cum magno se impetu intra templi parietes infert: testudinem, aras, lucernas, cæteraq́; omnia adeò concutit, vt discipuli ecclesiam omnem è fundamentis euerti putarent: nimiumq́; pauidi, intermisso cantu, in terram se abijciunt, tanquam repentè perituri. At vir [h] beatus in diuinis canticis permansit intrepidus, floccipendens nequissimi serpentis præstigias, ira vt ne in prosperis quidem successibus constantior vnquam fuisse videretur. Tandem tota illa dæmonum turba in vnam se molem colligit, speransq́; atrociori sonitu & strepitu inuictam illius animi constantiam frangi posse, cum immenso tumultu coram sancto pontifice, pauimentum cædens, præceps collabitur, adeò vt discipuli illum in frusta discerptum existimarent. Et illi quidem diu mansêre attoniti, at eximius Christi sacerdos diuina in hostem tela vibrans, in canticis spiritalibus perpetim immorabatur: obiurgauitq́; postea discipulos, quòd omissis sacris hymnis, phantasticis inimici terroribus cessissent. Optabat sanè diabolus extinctum virum Dei, quippe quem videret tam præclarum esse ducem & pastorem populi Dei: & quia sine intermissione malitia bellum gerit aduersus virtutẽ, & seruos Christi totius boni æmulus satan persequitur, non sat habuit iniquus ille sanctũ Sulpitium infestâsse,

[h] Constãtia sancti viri in dæmonũ spernendis terriculamentis.

sed

sed etiam gregem ipsius curæ commissum, atroci furore sibi sumpsit oppugnandum & diuexandum: idque tam multis modis, vt illis commemorandis sufficere non possimus: vnum tamen eius malignitatis exemplum, quod in quendam sancti præsulis seruum sub multorum testimonio edidit, non volumus taciti præterire.

XXIV. QVIDAM[a] Leguntius, ex eorum numero, ad quos pertinet iugiter in templo laudes Deo canere, properabat ad ecclesiam, nocturnas illic vigilias celebraturus. Occurrit autem illi satan furibundus, volens eum ab opere pietatis retardare. Itaque multis eum verberibus affectum, penè exanimem reliquit. Manè facto, inuenitur homo prostratus humi, & omni penè sensuum officio destitutus. Forte id temporis procul vrbe aberat vir Dei. Vt est autem triduo post reuersus, eumque flagris laceratum & iam semiuiuum inuenit, iuxta eum se in terram deijcit, fortiterque ingemiscit. Deinde deducto eius ore, sacrificium (vt habet historiæ huius textus) in illud suis manibus infundit: mireque cunctis rei euentum sustinentibus, cùm eius manum sacerdos sanctus apprehendisset, mox adeò surrexit incolumis, ac si nihil illi incommodi antea accidisset.

[a] Diabolus cædit Legũtium.

XXV. NON multum intercessit temporis, & ecce rusticus quidam arrepta securi, nefario opere sanctissimum [b] Resurrectionis Dominicæ diem polluit, sed non est lenta Dei vindicta. Ilicò manus sacrilega aruit, cuteque & neruis tabescentibus, adhæsit manui securis. Sentiens miser plagam numinis, festinus abit ad virum Dei, ad eius se vestigia deprimit, opus temerè admissum manus arida prodit. At sanctus episcopus lugentem illum iubet ad ecclesiam secum ire. Ibi sub ara prostratus sacerdos Dei, preces iungit precibus, vt possit reo Christi conciliare misericordiam. Deindè more suo ad cellulam suam se confert, conspersusque cinere, cum lachrymis noctem in oratione transmittit: cumque manè debitas Deo persoluturus laudes, ad templum venisset, promiscuum cernit vulgus, hominem illum cum securi intuentem: at ipse pronum se abijcit ad obsecrandum pro illo Dominum. Tum vero miser ille non ferens doloris acerbitatẽ, immaniter vociferatur, vt locus ille concussus videri posset, cũctosque pauor immẽsus corriperet. Interim verò sacrilega manus restituitur: ossa, cutis, & nerui succos priores obtinent, securis inde miro resilit modo, fundit reus vberes lachrymas, peccatum confitetur, & absoluitur, domũque repetit suam, & corporis & animi nexibus expeditus. Ita mirum immensa Dei misericordia animæ morbis corporis afflictione medetur, conuenienter illi propheticæ sententiæ: Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.

[b] Pœnavio-lantis diem Dominicæ resurrectionis.

Psal 88.

XXVI. CVM autem dixerit in Euangelio Dominus: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: vsque adeò tandem fidei feruor in sancto viro excreuit, vt [c] si quis aquam, qua manus abluerat, clam subriperet, & cuiuscunque ægroti corpus ea contingeret, confestim morbi pellerentur: maximè verò tertianis & quartanis febribus vexati, admirabiliter pristinæ redderẽtur virium integritati. Et multa sanè ad extremum stupenda per eum Dominus miracula designauit, quæ fidem excedere viderentur, nisi essent conspecta oculis. Et quia iam cum Angelis potius in cælis, quàm cum hominibus in terris degere visus est, omnia huius mundi blandimenta & fallacias adeò protriuit & respuit, vt cum Apostolo diceret ex sententia: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Optabat enim cum eodem dissolui & esse cum Christo, nisi eorum causa adhuc vellet viuere, pro quorum salute etiam mori non dubitaret. Pompas huius seculi ceu stercus quoddam spreuit: aurum & argentum non alio quàm luti habuit loco. Coëgit etiam episcoporum concilia, in quibus crebrò illos admonere solebat, vt memores essent præcepti illius Domini Saluatoris, Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. atque secundum Apostolum, habentes, inquiebat, victum & quibus tegamur, his contenti simus. Et ipse quidem vir sanctus alijs se virtutis præbebat egregium exemplum, castigabatque corpus suum & in seruitutem redigebat, nè forte alijs prædicans, ipse reprobus efficeretur. Multo sanè tempore neque vasa argentea habere voluit, neque illis vsus est, contentus ligneis, fictilibus & marmoreis. Cumque alios ea doceret, quæ prius opere ipse implêsset, dubium non est ex sententia Saluatoris, quin magnus sit in regno cælorum: & quia crucifixit in seipso corpus proprium cum vitijs & concupiscentijs, nouum adeptus est, non moriendo corpore, sed carnem mortificando, martyrium.

[c] Nota.

Ioan 14.

Philip. 1.

Ibidem.

Matth 10.

1. Tim. 6.

1. Cor. 9.

Matth 5.

XXVII. CONSTRVXIT quoque vir sanctus ecclesias monasteria & cellas, innumerabiliumque clericorum ac monachorum pater effectus est. Multi [d] enim, immò quàm plurimi renunciantes rebus & facultatibus suis, eiusmodi se philosophiæ dedidêre, vt omnibus suis in egenorum vsus distributis, curisque huius vitæ procul abiectis, extra vrbem in hortulis vel exiguis agellis degerent: vel etiam, quod in Actibus Apostolorum de illis annotatum est, qui primi ex Iudæis in Dominum Iesum crediderunt, possessionibus prædijsque distractis, precia eorum ponerent ante pedes aliorum, vnde singulis diuidebatur, prout cuique opus erat. Atque ij [e] omnes spiritalibus disciplinis plenissimè instituebãtur, & studijs Christianæ philosophiæ, exemplo beati viri, adeò erant dediti, vt nonnulli etiam post triduum demum cibum caperent, non tam escæ desiderio, quàm vt naturæ necessitati satisfacerent. Plerique enim in diuinæ scripturæ altiori haurienda intellgentia, tanquam in ditissimis & lautissimis sumendis ferculis ita diuersabãtur, vt famem suam explere non possent, scripturasque contemplando, acriori desiderio inflammarentur: perpetuoque studio ita aduersus carnem decertarent, vt nulla ex parte eius libidini prauisque cupiditatibus indulgerent: porro animam sapientiæ & scientiæ dapibus magis magisque opimandam curarent. Eiusmodi autem filiorum studijs pater sanctus mirificè lætabatur. At cum iam optaret dissolui & esse cum Christo, non distulit pius Dominus fidelem seruum ad requiem tandem euocare.

[d] Multa condit loca sacra. *Act. 4.*

[e] Nota hãc abstinentiã

XXVIII. ADERAT iam beatæ consummationis diu optatum tempus: & quanuis graui senecta vires exhaustæ deficerent, attamen propè emortuum [f] corpus ipsum abstinentiæ onus confirmabat & roborabat: quodque natura non potuit, meritorum gratia concessit. Denique plenus iam dierum, multoque insignium meritorum splendore coruscans, terreno terræ relicto corpore, spiritu sublimes cælorum petit sedes. Tum verò, eius audito decessu, ex locis omnibus oppidi Bituricensis populus innumerabilis certatim accurrit: mœnia, atria, plateæ omnes complentur, idque adeo, vt nisi sancti pontificis preces intercessissent, pars maxima populi contrita pedibus, spiritum fuerit exhalatura. Erat autem omnium planctus immensus, dolor intolerabilis, tamque gementium tristis & lugubris vox, vt etiam saxea pectora in lachrymas soluerentur: atque haud scio, num tam adamantinum cuiquam possit inesse pectus, vt se illo loco à lachrymis continere valeret. Cumque esset omnium mœror inæstimabilis, Clerici præ nimijs singultibus hymnos canendos vix explere potuerunt. Inter ipsos singultus, hæc verba dolor immodicus extorquebat: Heu grex desolate, quid agis? En amisso pastore dispergeris: & quis te à rabidorum luporum dentibus tuebitur? Denique in obitu tuo omnes nos, ô pastor bone, interijsse quis ambigit?

[f] Moritur S. Sulpitius 16 Childeberti regis ãno vt auctor est Greg. Tur. hist. Fr. l 10. c. 26. qui est annus Christi 594. habuitq; successorem Eusiasium, vt habet Bar in Martyrolog.

XXIX. VENTVM tandem est ad basilicam, vbi nunc sacerdos eximius, extremum illum futuræ resurrectionis diem expectans, decenter admodum conditus iacet, quam quidem basilicam ipse iampridem summo studio construxerat. Vbi autem corpus illatum sepulcro est, plebs vniuersa non ferens optimi pastoris absentiam, humi prostrata, vltra humanum modum mugitus edebat tristissimos, ita vt ecclesiæ ministris copia non daretur officij persoluendi. Et illi quidem lugebant eum quasi absentem, quem tamen non amiserant, sed ante se præmiserant: nescientes planè aut certè non considerantes, quòd legatione pro illis apud Dominum functurus, ad cælos properârat, vt ibi precibus suis obtineret, quod illis hic petentibus impenderet. Sed neque vir sanctus se diu passus est tanquam absentem desiderari. Quos enim corpore reliquerat, spiritu mox inuisit, varijsque [g] morbis præsens adferendo remedium, se præsentem decla-

[g] Miracula post obitũ eius.

declarauit. Vndè factum est, vt quemadmodum in messe solent innumeræ segetes cumulatè inferri in horrea: ita ad Ecclesiam populorum turmæ ex vicinis vrbibus & vicis confluerent: & ipsa quidem basilica nisi aucta fuisset, morbidorum hominum multitudinem haudquaquam capere potuisset. Creuit eius rei fama, nec in propinquas modò diffundebatur ciuitates, sed etiam per regna terrarum mira celeritate peruasit. Quòd si Dominus me propitius adiuuare dignabitur, quãdoq; breui sermone explicare tentabo, quæ verè sanctus, triumphator egregius etiamnum efficit.

XXX. Et à Maioribus quidem nostris iam olim locus, vbi hæc fiunt, Nauis dictus est ob nauium stationem: quod mihi non sine quodam futurorum præsagio factum videtur. Huic enim nostræ Naui qui adhærent, per huius sæculi procellosum transeunt mare, & ad patriam claritatis æternæ, iam omnibus malis liberi, perferuntur. Hoc in loco tanquã portus quidam offertur omnibus contra imminentes tum visibilium, tum inuisibilium malorum procellas: ad quem liceat tutò confugere, & euadere sæculi fluctus & tempestates. Ibi per [a] intercessionẽ beati patris nostri æternus & inuisibilis medicus gratis confert malè habentibus medelam: & exules atque naufragi ad patriam reducuntur. Verùm cæteris interim prætermissis, de quibus aliàs me dicturum supra testatus sum, pauca hîc de lampade ad viri Dei sepulchrum pendente, referam: Fertur [b] ea semel à ministris oleo impleta, adeò postea sancto redundasse liquore, vt iugiter indè se effundat, eiusq; vnctione plerosq; varijs liberatos esse ægritudinibus.

[a] Sanctor. intercessio.

[b] Insigne miraculum

XXXI. Contigit [c] etiam quandoq; vespertino tempore, quod sine admiratione neq; dici, neq; audiri potest, vt Clero in Ecclesia diuinæ laudis cantica depromente, subitus quidam tanquam fulminis ictus, lampadis ellychnium percutiens, cunctis cernentibus miro quodam modo illud accenderet: nec vnquam deinceps lumen illud extinctum est, quamdiù fomenta ministrorum opera adhibentur Hucusq;, etsi nequaquam pro dignitate, de clarissimi viri rebus gestis dixisse in præsens sufficiat. Nos iam intra silentij portum recipere, & introrsus ad conscientiam redire maturamus: & quia virum sanctum ob vitæ excellentiam imitari non possumus, vt vobis apud Deum patronus esse velit, obnixè precamur: vt cuius natalitia celebramus, eius quoq; meritis adiuuemur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per infinita sæcula, Amen.

[c] Lampas cœlitùs accenditur.

An. 583.

VITA S. LEOBARDI, RECLVSI IN MAIORI MONASTERIO PROPE TVRONES, AVTHORE GREGORIO TVRONENSI EPIscopo, lib. de vitis Patrum, Cap. vltimo.

Ian. 18.

L. Ecclesia fidelis ædificatur, quotiescunq; Sanctorum gesta deuotissimè replicantur: & licet teneat maximum gaudium, quòd hi, qui ab initio ætatis religiosam vitam duxerunt, peruenire meruerunt ad perfectionis portum: tamen & de his, Domino iubente, lætatur, qui conuersi à sæculo, opus inchoatum valuerunt perducere, diuina opitulante misericordia, ad effectum. Igitur beatissimus [d] Leobardus Aruernici territorij indigena fuit: genere quidem non senatorio, ingenuo tamen: qui ab initio Deum in pectore tenens, cùm non floreret natalibus gloriosis, meritis præfulgebat. Hic [e] tempore debito cum reliquis pueris ad scholam missus, quempiam de psalmis memoriæ commendauit, & nescius se clericum esse futurum, iam ad Dominicum parabatur innocens ministerium. Sed cùm ad legitimam peruenisset ætatem, cogentibus iuxta consuetudinem humanam parentibus, vt arrham puellæ, quasi vxorem accepturus, daret, impellitur. Illo verò respuente, ait pater: Cur, dulcissime fili, voluntatem paternam respuis, nec te iungere vis connubio, vt semen excites nostro de genere, sæculis sequentibus profuturum? Cassa enim labore exercemur ad operandum, si possessor deerit ad fruendum. Quare implemus domum opibus, si de genere nostro non processerit, qui vtatur? Quid mancipia dato pretio nostris ditionibus subiugamus, si rursum alienis debent dominationibus subiacere? Obedire filios debere voci parentum, scripturæ testantur diuinæ: sed tu cum inobediens esse parentibus probaris, vide nè te cœlestibus eruere nequeas ab offensis. Hæc pater loquens, facilè tali ætatulæ persuasit, voluntati suæ non contraire. Deniq; dato sponsæ annulo, porrigit osculum, præbet calceamentum, celebrat sponsalium diem festum.

[d] Genus Leobardi.

[e] Adhibetur literis discendis.

Ephes. 6.

II. [f] Interea genitor genitrixq;, mortis somno sopiti, migrauerunt à sæculo, vitæ præsentis curriculo iam peracto. Hic verò, tempore luctûs expleto, oneratus donis nuptialibus, fratris pergit ad domum: quem in tantum reperit vino madidum, vt nec cognosceret, nec recipere vellet propria in domo germanum. Ille verò suspirans & lachrymans, secessit in partem: venitq; ad tugurium, in quo fœnum fuerat aggregatum, atq; ibi colligato præbens equo pabulum, decubuit super fœnum ad quiescendum. Expergefactus autem media nocte, surgit de stratu suo: erectisq; ad cœlum manibus, gratias agere cœpit omnipotenti Deo, quòd esset, quòd viueret, quòd aleretur donis eius, & alia multa huiusmodi prosecutus. Cumq, suspiria longa protraheret, atq; lachrymis crebris genas vbertim rigaret, Deus omnipotens, qui illos, quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, compunxit cor eius, vt relicto sæculo, manciparetur ad cultum diuinum. Tunc ille quasi iam sacerdos animæ suæ, prædicare sibi ipsi [g] exorsus est, dicens: Quid agis anima? quid in ambiguo suspensa teneris? Vanum est enim sæculum, vanæ sunt concupiscentiæ eius, vana gloria mundi, & ea, quæ in illo sunt, omnia vanitas. Melius est igitur relinquere eum, & sequi Dominum, quàm ad eius opera præbere consensum.

[f] Eius parẽtes mortui tur.

[g] Seipsum excitat ad mundi contemptum.

III. Hæc effatus, cum diem terris reddere lux diurna cœpisset, ascenso equo, cœpit ad hospitium suum reuerti. Cũque per viam iam alactis pergeret, vóluere intra se cœpit, quid ageret, quò abiret: dixitq;, Expetam Martini beatitumulum, vndè procedit virtus alma super infirmos, credo enim, quòd & mihi eius oratio iter referet ad Deum, qui deprecatus ipsum Dominum, mortuos reduxit à tartaro, & sic viam carpens, oratione comite, sancti Martini basilicam est ingressus. Circa quam paucis diebus commoratus, transito amne, ad cellulam maiori monasterio propinquam, de qua Alaricus quidam recesserat, deuotus accessit: ibiq; se, proprijs manibus membranam faciens, ad scribendum aptauit, atque, vt scripturas sanctas intelligeret, ac Dauidici carminis psalmos, qui dudum exciderant, memoria retineret, exercuit. Sicque diuinarum scripturarum lectionibus eruditus, cognouit verum esse quod ei Dominus prius inspirauit in corde. Sed ne hæc cuiquam fabulosa videantur, quæ retulimus, testor Deum, qui ab ipsius benedicti hæc ore cognoui.

IV. Is [h] verò interposito pauci temporis spatio, humilem se tantum præbuit, vt honoraretur ab omnibus: acceptoq; sarculo, cellulam, in quam ingressus fuerat, incidens lapidem ampliauit: in qua cellula delectabatur ieiunijs, oratione, silentio, lectione: nec vnquam à diuinis officijs & oratione cessabat. Scribebat interdum, vt se à cogitationibus noxijs discuteret. Interea verò vt se tentator manifestaret Dei seruis semper inimicum ac inuidum, cum quidam de sanctis monachis litem quandam cum vicinis habuisset, immisit ei cogitationem, vt relicta cellula illa, ad aliam transmigraret. Cumque ibi ad orationem solitam deuenissemus, dolum nobis veneni grassantis aperuit. Ego verò suspirans non minimo dolore, increpare hominem cœpi, asserens diaboli esse calliditatem, libros q; ei & vitas patrum, ac institutionem monachorum, vel quales, qui recluduntur, esse debeant, vel cum quali cautela monachos viuere o[portet]

[h] Vide sancti viri exercitia.

oporteat,abscedens ab eo,direxi. Quibus relictis,non solùm cogitationem prauam à se discussit, verum etiam tanto sensum acumine erudiuit,vt miraremur facundiam locutionis eius.Erat enim dulcis eloquio,blandus hortatu,eratq; ei solicitudo pro populis,inquisitio pro Regibus, oratio assidua pro omnibus ecclesiasticis Deum timentibus. Verumtamen nec sibi,vt quidam,demissis capillorum flagellis , aut barbæ demissione plaudebat : sed certo tempore capillum tondebat,& barbam. In qua cellula viginti & duos annos [a] in hoc opere degens , tanta Domini gratia confortatus est,vt pustulis malis saliua oris sui perunctis, vim veneni sæuientis opprimeret. Frigoriticis verò per poculum vini, charactere Crucis beatæ sanctificatum , frigus accedens , æstumque restrinxit,non immeritò discutiens incommodas febres ab alijs,qui in se extinxerat incentiua criminis noxialis.

[a] Potione vini Cruce signati morbum curat.

V. Quodam autem tempore cæcus ad eum veniens, ærumnas doloris sui humiliter deplorabat, ac deposcebat,vt tactu dextræ suæ sanctus lumina clausa palparet. Quod ille diutissimè renuens,tandem fletibus hominis victus,misericordia motus , cùm per triduum orationem pro eo fudisset ad Dominum, quarta die imponens manum super oculos eius,ait : Domine omnipotens,fili vnigenite Dei Patris, qui cum eo ac Spiritu sancto regnas in secula,qui homini à natiuitate cæco reddidisti [b] lucem beati oris sputo,tu redde & huic famulo tuo luminis visum, vt cognoscat, quia tu es Dominus omnipotens.Et hæc dicens , vt Crucem super oculos cæci depinxit , mox pulsis tenebris,lucem de præsenti restituit.Huius virtutis testimonio Eustachius Abbas adstipulator assistit.

Ioan. 19.

[b] Cæco lumen restituit.

VI. Deniqve [c] hic de labore lapidis submontani, quem assiduè cædebat, confractus,ieiunij austeritate confectus, oratione indesinenti debilitatus,cœpit paulatim corporis firmitate destitui. Quadam autem die,dum nimium fessus haberetur,nos aduocari præcepit. Ad quem accedentes,postquam funeris sui necessitatem defleuit, eulogias à nobis peccatoribus flagitauit. Quibus acceptis, hausto mero, ait : Tempus meum iam impletur,vt me Dominus ab huius corporis vinculis iubeat relaxari: sed adhuc paucis diebus erit spatium: veruntamen antè diem sanctum Paschæ vocãdus sum.O beatum virum,qui sic seruiuit creatori omnium , vt suum obitum reuelatione diuina cognosceret! Erat enim mensis decimus,quando hæc est effatus.Duodecimo autem mense cœpit iterum grauiter ægrotare. Aduenit dies Dominica,vocat ministrum suum,& ait: Præpara quiddam cibi, quod accipiam,quia valdè defessum me sentio. Illo autem respondente : Præstò est,Domine,ait ad eum:Egredere foras, & adspice,si iam celebratis solennibus,populus de Missis egreditur.Hoc autem dicebat,non quòd cibum capere vellet,sed transitus sui nullus testis adesset. Ille igitur egressus,[d] ac postmodum reuertens,cùm ingressus fuisset cellulam, inuenit virum Dei extensum corpore,clausis oculis spiritum exhalâsse. Vnde factum est manifestum,eum ab angelis susceptum , qui hominem adesse noluit suum ad transitum.Hæc cernens minister ille,eleuauit vocem in fletu, sicque concurrentibus reliquis fratribus,ablutus,ac vestimentis dignis indutus,in sepulcro,quod ipse sibi in antedicta cellula sculpserat, reconditus est. Quem in consortio sanctorum adscitum,nulli fidelium haberi reor incertum.

[c] Nota laborem , ieiunium, & orationem.

[d] Decedit è vita.

VITA S. LAVNOMARI ABBATIS ET CONFESSORIS, AB EIVS QVODAM ÆQVALI CONSCRIPTA, *sed per F. Laurentium Surium reddita paraphrasticos.*

An. 530.

I. Cvm Franci Gallias occupassent,abiectoque teterrimo dæmonum cultu, Christiana religione initiati essent , ea tempestate , qua Clotarius , filius magni illius Clodouei , qui primus ex regibus illius gentis in Christum credens , à beato Remigio Rhemorum Episcopo baptizatus est , regnum obtinuit, intra Galliam Lugdunensem [e] Launomarus apud Carnotenses parentibus est Christianissimis editus in hanc lucem.Qui cum etiamnum puerulus in paternis ædibus versaretur, demandata illi cura est pascendi pecoris,id quod sedulò fecit,instar Iacob aut alicuius è cæteris patriarchis. Interim verò pius puer iam bonæ spei præ se ferebat initia,virtutisque haud obscura argumenta:quandoquidem ex victu quotidiano,quem parentes illi suppeditabant, [f] liberaliter impertiebatur vel egenis , vel peregrinis , aut certè coætaneis pueris,in pascendo pecore occupatis: cumque necdum præceptorum Dei haberet notitiam, diuina in eo relucens gratia id illi contulit,vt in tenera ætate & puerili corpusculo pectus senile circumferret. Et quia ea, qua diximus, erga consodales pueros & inopes, ardebat dilectione,in ipsa pueritia iam cœpit se parsimoniæ studijs accommodare, vt illis posset benignè facere ac opitulari. Faciebat enim charitas , qua iam tum sic affluebat , vt pauperum iuuandorum pia quadam teneretur solicitudine , licet interim corpusculum illud suum [g] in tantilla ætate ieiunijs afflictaret,atque sibiipsi rigidus esset,& parcus. Sociis verò suis non se asperum , non incommodum , non durum & tetricum, sed sermone affabilem , moribus suauem,vultu iucundum & alacrem, beneuolentia & amore, pro eius & ætatis & facultatis captu,præstantissimum exhibebat. Euangelium quidem nondum didicerat , sed in corpore delicato crucis mortificationem perferre gestiebat , ad solis vsque occasum sæpe ieiunus permanens.

[e] Patria S. Launomari

[f] Pietas & liberalitas puerilis.

[g] Ieiuniis se macerat ad huc puer.

II. Sed cùm parentes in ipso primæ ætatis flore illum viderent corporis curam negligere, lubricæ voluptatis illecebras rigore abstinentiæ conterere, non sine stupore & admiratione cogitare cœperunt,vnde in illa tam imbecilla pueritia , tanta morum grauitas subitò extitisset : tacitè verò paulatimque pueri vitam & viuendi rationem explorantes, cùm illum mundi huius impuram colluuionem excelso animo fastidire & respuere viderẽt , eius profectus non solùm non retardare,sed longè potiùs vrgere voluerunt. Itaque in ipsa adhuc agentem pueritia [h] literarum studiis admouerunt,& cuidam vitæ venerabilis sacerdoti Cherimiro instituendum commendârunt : quiid temporis in Carnotensi vrbe degens, ob vitæ integritatem celebris habebatur. Is verò in suam curam susceptum puerum tenerè fouebat,sensimque tum ad literarum cognitionem , tum ad veræ sanctitatis studia incitabat. Sed diuina gratia,quæ membris pueri libus iam maturæ ætatis animum indiderat , egregiam quandam discendi industriam illi contulisse videbatur. Cernens autem presbyter ille, cum ætatis incremento simul in puero etiam religionis & pietatis crescere desiderium, animumque capessendæ doctrinæ magis magisq; fieri idoneum & opportunum , intra se lætabatur , bonæ spei permotus indicijs,sperans talem eum quandoque fore,per quem multorum posset salus promoueri : quod quidem non multò post reipsa comprobatum est.

[h] Adhibetur literis.

IV. Porro simul atque ad eam peruenit ætatem,qua iam posset sapere,vbi vocem Saluatoris Christi,& corporis & cordis auribus accepit , nihil à parentibus admonitus,sed diuina intus gratia instigatus,[i] omnibus suis renunciauit rebus & facultatibus, vt in illa beatæ viuentium terra portionem posset obtinere hæreditatis nunquam amittendæ. Neque deinde ad mundanos voluit redire strepitus,sciens dictum esse à Domino : Nemo mittens manum suam ad aratrum,& respiciens retrò,aptus est regno Dei: sed doctrinæ sacræ verborumq; cælestium pabula ardenti desiderio hauriens,illorum iugi meditatione adolescẽtis ætatis annos castis moribus ornabat. Eodem tempore diuini amoris flammis incensus,captandæ solitudinis magno feruebat desiderio : sed ad tempus animi propositum celans,cùm adhuc in Carnotensi vrbe degeret, [k] ad presbyteri gradum Dei benignitate promotus est : nec multum interceſſit temporis,

Matth 19.

[i] Relinquit omnia sua. *Luca 9.*

[k] Fit presb.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

[a] Item fratrum œconomus.

cùm à fratribus, apud quos versabatur, & cum quibus pariter ad cœlestia anhelabat, [a] rei familiaris dispensator est institutus. Quo in officio cunctam substantiam, omnemque penum solicitus curabat, sumináque prudentia & moderatione paternoque affectu cunctis fratribus ita subministrabat res necessarias, vt nec quicquam ex illis subtraheret, nec cuiquam prodigum se præberet. Erat iam longa spiritalium exercitiorum eruditioue firmatus, & sacerdotio suo ita studuit se gerere, vt dignum Deo ministerium exhiberet: Apostolico quoque doctus exemplo, ad primæ Ecclesiæ formam se componere nitebatur, de qua scriptum est: Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Deinde verò aliquot iam elapsis annis ab eo tempore, quo hoc ei fuerat munus delatum, cordis sui desiderium tamdiu celatum, Domino authore & cooperatore in opus contulit. Intempestæ enim noctis captans silentia, cunctisque alto pressis sopore, scipionem apprehendens, posthabito rerum temporalium curandarum officio, ad optatam se eremum, [b] contulit. Non defuissent illi, si priori in loco hærere voluisset, quibus se posset oblectare, sibiq; indulgere: sed sancto quodam impatientis erga Deum amoris zelo permotus, mundum spreuit cum vniuersis oblectamentis & voluptatibus eius, fortiterq; calcatis fluctibus illius, ab hominum se frequentia subduxit, vt angelico posset frui consortio per sublimem rerum cælestium contemplationem: quemadmodum Elias quondam propheta in illa deserti spelunca degens, cùm Dominum transeuntem vidisset, sensissetque spiritu grandi subuerti montes & petras conteri, & post spiritum commotionem, atque post commotionem ignem, nec tamen in his omnibus Dominum esse didicisset: tandem in sibilo auræ tenuis, id est, subtili contemplatione supra se eleuatus, raptim illum sentire potuit.

Actor. 4.

[b] Eremum petit.

3. Reg. 19.

IV. Locvs autem, in quem se vir sanctus recepit desiderio viuendi & vacandi soli Deo, procul ab vrbe fuit in abditissima solitudine syluæ illius, quæ Pacticus appellatur. Ibi tota animi intentione, & ab ipsis intimis cordis medullis Domino familiarius inhærebat. Constructit autem eodem in loco ex frondibus tuguriolum, & cùm nocte quadam diuinis hymnis & sanctæ meditationi insisteret, à latronibus diu laboriosissimè quæsitus est spe prædæ, quòd putarent eum apud se habere aliquam auri copiam: & tandem post longos totius noctis [c] errores, manè ab illis conspectus & inuentus est: nimioque timore eos corripiente, sic ab eis compellatus est, cùm ad eius pedes corruissent: Parce nobis, vir Dei, parce: facinus nostrum agnoscimus, veniamque precamur. At ille obstupefactus, Quid est, inquit, fratres, quid est, quod à me petitis? aut quæ vos ratio ad nos vsque accedere compulit? Tum illi, quid contra illum cogitassent, quid me moliti essent, ei confessi sunt. Quibus vir sanctus ita respondit: Et ego machinationes vestras, filij, non ignorabam. Misereatur vestri clemens & benignus Deus. Abscedite hinc cum bona pace, & tandem à vestris flagitijs animum reuocate. Facessant cædes & latrocinia, manus à rapinis ferientur, vt quandoque possitis diuinam experiri misericordiam. Mihi quidem nihil nummorum est: sed diuitiæ meæ, Christus est. His illi beati viri sermonibus ad meliora prouocati, ab illo recesserunt, & vix post triduum ad sua domicilia sunt reuersi. Cœpit autem sancti viri iam nomen celebrari, & ad eum frequentes [d] confluxêre, qui eius exemplis & institutionibus cuperent renouari secundùm animum & hominem interiorem, & spiritu mentis suæ, sicut dicit Apostolus, & induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est. Itaque breui tempore instar monasterij cœperunt in illa vasta solitudine habitacula construere, vbi sanè etiam multa [e] viri sancti miracula coruscârunt. Multi enim ad eius preces ab ægritudinibus corporum se sensêre liberatos: multi etiam interioris hominis, quòd longè præstantius est, sanitati sunt restituti, qui ad Dei castra se conferentes, dicerunt contra antiqui hostis tela ignita scutum fidei obijcere, & eius insidijs fortiter reluctari.

[c] Latronum errores.

[d] Multi ad eum confluunt.

Ephe. 4.

[e] Multis claret miraculis.

V. Qvodam die claudus illi oblatus est in ipsis monasterij foribus, idque ab illius ægri parente, qui ad eius genua se demittens, cum lachrymis dicebat: Homo Dei, miserere mei, & huic puero tuis precibus redde pristinam sanitatem: aut certè donec erit in viuis, tuo sumptu hic illi victus quotidianus ex officio misericordiæ subministretur. Ait autem ad illum vir Dei: Vnde mihi hæc virtus, vt tuo possim filio salutem restituere? Creatoris hoc opus est, non creaturæ. Interim verò potens est Deus, nec difficile illi est præstare fidei tuæ hoc quod petis. Sustine parumper, & vnà cum filio tuo accipe benedictionem: ac deinde recipere te licebit ad locum, vnde huc venisti. Itaque sancto viro Missæ sacrificium offerente, & sub ipso sacrificio pro pueri salute Dominum obsecrante, solenni peracta prece, fragmento panis benedicti (sic enim loquitur historiæ huius author) & patrem refecit, & [f] puerum debilem curauit, simulque ambos ad propria dimisit.

[f] Claudum sanat.

VI. Agebat quandoque sacerdos venerabilis cum monachis suis de sylua succidenda, vt posset aliquam efficere planitiem, capiendis seminibus aptam. Casu verò accidit, vt ostiarius clauem perderet oratorij. Abijt ergò vir Dei, ministro illius illum comitante, ad oratorium, vt ibi preces Domino offerret: & cùm non inueniret clauem, ante fores se prostrauit, & orationi aliquandiù incubuit. Mox illi [g] vltro patent ostia, ingressusq; oratorium, preces suas absoluit. Vt autem ab oratione surrexit, ministro præcepit, ne cuiquam in illius vita id quod viderat, indicaret: secutus exemplum Dei ac Domini sui, qui sua virtute sanitate donatis prohibuit, ne beneficij accepti authorem alicui proderent.

[g] Fores templi vltrò ei patent.

Mat. 8.

VII. Per idem tempus in monasterio viri Dei quiddam nõ absimile accidit. Cùm enim post frugum sectionem, manipuli in horrea condendi essent, necessitate compulsi monachi, ex viminibus confectæ machinæ segetes, quas messuerant, imposuêre, ignemque adhibuêre: qui paulatim vires capiens, omnibus in res alias intentis, nec quicquam de igne solicitis, subitò & fruges & domũ peruasit. Cernens isthuc vir Dei, totum se & animo & corpore contra ignis vim & impetum opponit: editoque [h] signo crucis, & fusis ad Dominum precibus, omnem nocendi vim ab igni extorsit, eumque iam sæuientem atque grassantem, haud secus atque imber largissimus extinxit. Porrò nocte proxima cum antè tempus ad orationem surrexisset, inter ipsas sacras vigilias inuidus satan virum sanctum infestare cœpit: & quia ab illa luce sempiterna, miser in æternas tenebras corruit, ter lampadis lumen tanquam lucis inimicus extinxit. Sed sensit militem Christi suis machinis & insidijs superari non posse. Nam quoties ille malignus lucem extinxit, non intermisit vir Dei officium suum: immò verò Dominum obnixè deprecans, [i] per veram atque sempiternam lucem, quæ Christus est, lampadem extinctam rursus accendit. Animaduertimus hinc, quam eximia fide noster hic confessor fuerit, cuius hodie natalitia deuotis mentibus excipimus: quippe cui diuinitus id collatum sit, vt quemadmodum sancti plerique per fidem vicerunt regna, ita & ipse per fidei firmitatem creaturis imperaret. Sic enim Dominus virtutum suos consueuit glorificare sanctos, qui ei toto corde famulantur, vt ipsius virtute freti, de illo possint gloriosissimè triumphare, qui olim in illis beatis sedibus facilè primam obtinuit, & præterea etiam pro voto exercere dominium vel imperium in creaturas. Ita nimirùm Launomarus, pater venerabilis, modò flammarum extinxit globos, modò extinctã crebrò lampadem rursum accendit: atque hunc in modum vtrobique ille spiritus tenebrarum pudefactus est, & vir beatus, qui iam vita & conuersatione erat eximius, etiam signorum potentia ostensus est venerabilis & admirandus. Quod vt possit etiam constare euidentius, aliud referam, quod posteriori tempore ab illo gestum est.

[h] Signum crucis opponit flãmis, & eas extinguit.

[i] Miraculũ.

Hebr. 11.

VIII. Vir quidam, Sicaptus nomine, genere nobilis, prædiorum ampla possessione valdè locuples, dæmone infestante miserè exagitabatur, adeò vt si vel telum, vel fustem posset apprehendere, mox vel in seipsum, vel in alios quoscunque obuios impetum faceret. Cumque diu hoc furore & vecordia fuisset debacchatus, & satanæ furiis atrocissimè agitatus, serui illum constrictum vinculis, ceruici etiam & collo iniectis catenis, ad viri Dei præsentiam frementem & vociferantem perducunt. Viso autem Dei homine, confestim furere & fremere cœpit, stridereque dentibus & ore, quoque vultu pallescere. Cernens hoc vir Dei, & antiqui serpentis machinamenta animaduertens, ingemuit, statimq; ad

visitata

vsitata sanctæ orationis præsidia confugit. Expletis au em precibus, miserum hominem consignans, [a] totum olei vn ctione perfudit, manusque illi imponens, malignum d monem abscedere coëgit; aitque ad viros, qui eum adduxerãt: Tollite ab illo pondera catenarum, & liberum abite si ite. potest enim Deus, cuius figmentum est & plasma, excludere ab illo satanam, miseramq; animam ex sæuissimi carnificis potestate liberare, vosque his leuare molestijs. Illicò sanus factus, sana mente horridos vultus & dẽtium fremitus: placidam mansuetudinem composuit: & quasi à graui mortis excitatus somno, dixit ad suos: Quid me hisce vexatis vinculis? soluite me, & abite ad ædes vestras. Ego verò aliquãtisper hîc hærebo apud hominem Dei, qui me curauit. Soluerunt igitur illum, & domum abierunt. Beatus autem Launomarus retinuit eum apud se, & hortabatur vt ieiunijs & orationibus daret operam. Libenter [b] ille sancti patris admonitioni paruit, ac deinde post dies aliquot sospes & incolumis se recepit ad suos. Eiusmodi autem pietatis officia non solùm hominibus ille tribuit, sed etiam feris ac brutis animantibus.

[a] Demoniacum oleo perfusum sanat.

[b] Arma aduersus satanam.

IX. AMBVLABAT quandoque in solitudine iuxtà monasterium suum, & secum nescio quid de scripturis ruminans, in occursum suum properantem conspicatus est ceruam, luporum infestam rabiem pennigero volatu effugere cupientem. Vt vidit autem lupos illos, misertus ceruæ, exclamauit: Cessate immanes & cruentæ bestiæ ab infestatione animantis huius, & ad deserta loca discedite, addiditque: En pessimum & crudele beluarum genus lupos istos, qui semper diripiendo & deuorando inhiant pecori, nec vnquam desinunt suam ingluuiem alienis explere carnibus, expressamque gerunt similitudinem illius lupi rapacissimi, quotidiè circumeuntis & quærentis, quos de Christi Ecclesia abstrahat, perdat & deuoret. Ad has viri Dei voces ilico [c] subsiterunt lupi, missaque ceruæ infectatione, in suas latebras aufugerunt. Cerua autem illud, quo venerat, iter repetere reformidans, liberatorem suum comitata est, præcessitque illum in oratorium: cumque eam vir sanctus blandè palpãsset manu sua, post duas ferè horas dimisit eam in solitudinem.

[1. Pet. 5.]

[c] Lupi fugiunt eo iubente.

X. ALIO tempore quidam Laudocramnus, stirpis nobilitate clarus, grauissima paralysis molestia adeò vexabatur, vt membra omnia vigore destituta, suum nollent officium facere. Itaque seruulorum manibus in lecticam impositus, ad hominem Dei perlatus est. Iacebat miser homo iam toto penè corpore prẽmortuus, nisi quòd solo pectore spiritum haurire videbatur. Eum vir sanctus [d] cruce consignat, & sacro perungit oleo. Vt autem illum manu sua attigit, repentè, sicut vir ille sub testificatione referre solebat, tanto tamq; acri algore à summo vertice vsque ad ima pedum correptus est, vt ipse apud se miraretur, quid sibi accidisset. Subito enim horrore totus concussus, nihil nisi præsentem mortem cogitabat, maximè cum vitalis calor omnis propè in illo extinctus esset. Deinde verò sensim calescẽtibus membris, celeriter paralysis profligata, salus ægro instaurata est, multosque postea superuixit annos. Denique cellæ illi, quam Carbonariam vocant, præfectus fuit, & ipse hoc miraculum diuulgauit.

[d] Cruce & sacro oleo pellit paralysim.

XI. POST annos aliquot, fama virtutum eius longè lateque iam increbrescente, vir sanctus humanas laudes & fauores refugiens, cupiensque nesciri & latere homines, illa relicta cellula, cum sociis suis ad alium commigrauit locum, quem iam olim alii construxerant & incoluerant, & nunc planè incultus, sentibusque & virgultis vastisque arborum frondibus obrutus visebatur. Id temporis in ea prouincia vir erat illustris, opulentus, & latissimorum fundorum dominus, nomine Ragnofointhus. Is vt conspexit Christi militem in eo, quem diximus, incondito & horrido loco aliquid moliri velle, quod futuris temporibus aliis quoque vtilitatem esset allaturum, explorata eius sanctitate, & indefesso in diuinis rebus studio ac labore, cœpit venerari illum & toto desiderio complecti: accensusque flamma amoris illius, quem in Dei homine comperit & arctiùs amplectebatur, locum hunc illi donauit, iusque suum omne in illum eiusque posteros transtulit, vt perpetuis temporibus illum occuparent, certis vndiquaq; descriptis accuratè limitibus: quemadmodum, si quis id nõsse velit, ex scriniis huius sancti cœnobii abundè doceri potest. Cœpit igitur eo in loco vir Dei ad laborem se accingere, Deoque iuuante illum repurgare, * Turbionis pristino permanente vocabulo: statuitque [e] ibi oratorium, instarque cœnobii cellulas ædificauit, in iis cum suis habitans. Factum hoc est anno secundo Chilperici regis, qui fuit filius Clotarii supradicti.

* *Corbionis.*

[e] Construit monasterũ anno 567. vt habet Bar.

XII. DIE quadam monachi venerandi patris vetustam quercum amputârunt, cessuram in structuram oratorii: Vbi autem hora cibi capiendi aduenit, vir Domini illos iussit abscedere: ipse verò cum suo ministro in opere permansit. Erat arbor illa loco importuno sita, vt à fratribus neque securi, neque dolabris aptari posset ad vsum ædificii. Itaque seruus Dei ad solitum præsidium recurrens, precibusque pulsans Dominum, illius virtute & ope fretus, arborem immensæ molis & roboris, quò illi collibitum fuit, transposuit. Ita vbi ab hominibus [f] non suppetebat adiutorium, non deerat fideli seruo manus auxiliatrix præpotentis Dei. Fertur autem ea arbor tantæ fuisse vastitatis, vt vix quadraginta viri illi deportandæ sufficerent. Præcepit autem vir sanctus ministro suo, vt venientibus fratribus diceret, à prætereuntibus allatam fuisse opem. In cunctis enim operibus suis valdè id studebat, vt hominum fugeret notitiam & spiritum vanitatis atque iactantiæ, admonebatque vt omnis laus vni Deo transcriberetur, cuius etiam reuerà totum esset, quicquid fecisset boni. Atque idcircò iure tu Domine Deus fideli seruo tuo requiem contulisti, in cælis repositam diligentibus te, qui ex virtute signorum nihil tribuit sibi, sed semper te admirabilem, te omnis gratiæ fontem & authorem prædicauit.

[f] Immanem quercũ precibus trãsfert.

XIII. FUIT post hæc vir quidam nobilis, Ermoaldus nomine, qui iam ad extrema perductus, mortis angoribus premebatur. Misit igitur ad virum Dei solidos quadraginta, obnixè rogans, vt ipsi iam in supremo constituto spiritu velit benignus opitulari, & suis apud Deum precibus efficere, vt spes obtinendæ sanitatis ipsi præstetur. Illam pecuniam vir sanctus prorsus recipere noluit: at tamen vrgente latore, tandem accepit illam quidem, sed ingressus in oratorium, fudit preces ad Deum, vt accepta foret in conspectu illius oblatio hominis: imponensque altari pecuniam, & multo studio singulos appendens solidos & manu reuersans, crebroque flectens genua & orãns Dominum, ad extremum non nisi vnum ex omnibus sibi retinuit solidum, quem per spiritum cognouit non rapina, sed iure partum esse. Reliquos autem restituens illi, qui eos attulerat, ait: Hæc pecunia [g] per iniquitatem conflata est, nec potest mutare sententiam Dei, nec vitæ spatia producere, nec peccatorum veniam impetrare, scriptum est enim: Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Hinc est illa prophetæ exprobratio: Sacrificate de fermento laudem. De fermento quippe laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Tu ergò frater celeriter annuncia domino tuo, vt pro animæ suæ salute sit solicitus, iniusteque aliis ablata restituat, noueritque hoc morbo vitam se amissurum temporariam. Nos verò, Christo propitio, bonis omnibus abundamus, nec quidquam nobis in Christum firmiter credentibus poterit deesse. Dominus tecum sit, fili: vade in pace. Ille his auditis, abiit ad dominum suum: quem tum quidem adhuc viuentem reperit, sed idem tamen, inualescente morbo, excessit è viuis.

[g] Pecuniam malè partã respuit. *Prou.* 15. *Amos* 4.

XIV. VENERVNT aliquando fures ad sancti patris cellam, ingressique nocte, quæ semper id genus maleficis hominibus amica est, bouem à præsepio abduxerunt. Id vbi ad monachorum notitiam maturè perlatum est, ad sanctum virum querelas detulerunt. Ille verò timens, nè ab accepto temporali incommodo animi eorum à suo statu nonnihil dimouerentur, & quadam impatientia perturbarentur, ait ad illos: Patientes estote, fratres, & propter iacturam rei caducæ, nolite Dei in vobis similitudinem corrumpere. Memores estote illius beati Iob, qui cùm res & facultates omnes repentè perdidisset, filiis quoque omnibus vno momento orbatus, atque insuper sæuissimo vulnere percussus esset, ita de

Iob.1. ita de illo scriptura loquitur: In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est: sed potiùs ait: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Neque igitur res prosperæ, si adsit copia eorum quæ ad vitam degendam sunt necessaria, nos debent animis extollere, nec dispendia terrena perturbare vel deijcere, vt possimus ad eius quandam accedere similitudinem, de quo Psalmographus dicit: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Interim verò [a] fures illi, qui bouem tulerant, magno labore tota illa nocte & sequenti die se miserè confecêre, nusquam valentes inuenire viam, per quam extra illam solitudinem se proriperent. Altera iam nox aderat, & immodica fatigatione exhausti, post tot exantlatos labores cernunt se illum in locum redactos, vnde bouem abstulerant: cumq; monachorum psallentium audirent voces, versi in stuporem, Quid, inquiunt, accidit nobis? En in eo iam consistimus loco, vnde hoc animal abegimus. Itaq; sua se spe frustratos, conatumq; improbum malè sibi cedere conspicati, statuunt secum restituere ablatum bouem.

Psalm.138.
[a] Fures non possunt ei bouem abigere.

XV. PORRO nocturnis expletis hymnis, vir sanctus pro consuetudine sua exijt, vt in circuitu lustraret Cellulam (ita enim vocatur ab illo, qui scripsit hanc vitam) Et ecce obuios se illi præbent infausti prædones, sceleq; suum & verbis confitentur, & manibus produnt: At [b] vir pius libenter illis culpam omnem condonauit, aitq; ad illos: Rectè facitis filij, quòd tandem post multos sudores crimen vestrum agnoscitis. De inceps, q̃so, ab huiusmodi maleficijs abstinete: & quia multos sanè tulistis labores, venite & cibum sumite, vt possitis celerius ad vestra redire. Cauete autem, ne vel monachi, vel pastores vos videant. Postea cùm illi iam abijssent, reddidit fratribus bouem, quem solicitè perquisierant: dissimulansq; se nôsse quæ gesta essent, non illis indicauit rem totam, sed quasi pastorum negligentia bos aberrâsset, dicebat se illum errabundum præ foribus offendisse: verùm post eius fælicem obitum minister eius, cuius fidei multa familiariter committebat, rei exposuit veritatem.

[b] Eius humanitas in fures.

XVI. QVÆDAM nobilis materfamilias, Vulphrada nomine, in adolescentia sua morbo grauissimo, membra omnia tabefaciente, adeò laborabat, vt vitalis calor in solo pectusculo palpitare videretur, atque, vt ipsa referre solebat, iam penè exanimis, non in pedes erigi. Ea igitur famulorum manibus, obtinendæ salutis causa, ad sanctum Dei hominem adducta est: qui [c] chrismate eam perungens, & signum ei crucis imprimens, sanam à se dimisit. Multis ea postea annis vixit in pace, & post venerandi patris decessum, eius cellulam suis muneribus præclare auxit & fouit. Dedit enim consentiente marito Cramnulpho, de prædio suo Lontuei villam & Britnogilum, ea mente ac desiderio, vt illic monachi & serui Dei collocarentur, qui laudes Domino cantarent: quod etiam ita factum est. Habuit enim Launomarus pater in ouium Christi regimine successorem Ragnobertum, virum modestissimum, qui ex eius collegio misit eò fratres benè idoneos, effecitq; vt supradictæ Vulphradæ eiusq; mariti votis fieret satis: qui etiam pro suo erga virum sanctissimum amore villam Togiam trans Ligerim sitam, alijs donis suis addidêre, vt per sancti viri intercessionem possent apud Deum obtinere peccatorum veniam & remedia sempiterna.

[c] Cruce & chrismate curat penè mortuam.

XVII. ET [d] ille quidem beatus pater, virtutibus & gratia locuples, gregem monachorum, quos Domino lucratus erat, in diuturna pace rexerat: sed ad alia iam mentis desiderio festinans, & de sua emigratione solicitus, hortabatur eos quotidiè, vt ad diuina exequenda mandata semper promptiores se exhiberent, nec inertiæ & ignauiæ dediti, à cœpto cursu se sinerent retardari: sed vigilarent omni tempore, vt digni haberentur fugere venturam iram extremæ damnationis, & stare antè filium hominis. Id genus sanctis exhortationibus inuicta animi constantia & paterna solicitudine, oues sibi creditas contra luporum insidias communire non non destitit.

[d] Adhortationes eius ad monachos. *Luc.21.*

XIIX. PER id tempus Ecclesiæ Carnotensis [e] præsul erat Malardus: qui comperta fama viri Dei, & eius meritis & sanctitati congratulans, optabat eius sanctis colloquijs crebrò frui. Eo nomine ab illo accersitus vir Dei, cùm etiam non ignoraret propinquum esse vitæ suæ terminum, iam grandæuus ad Carnotensem vrbem properauit: vbi aliquot moratus dies, febris molestâ exagitatione laborare cœpit. Audiens verò Episcopus eum graui teneri morbo, festinus venit ad illum, animiq; sui dolorem lachrymis prodens, Heu me, inquit, venerande pater & præcipuo affectu colende, cur amicum & in fide Christi socium inter huius mundi procellosi naufragia solum deseris? Magna mihi sanè erat ex te consolatio, ingens me obtinuit amor tuî, à quo me leuatum iri sperabam inter curarũ & solicitudinum irruentes fluctus ac tempestates, cuius iucundis & suauibus colloquijs me sentiebã ad cœlestia appetenda incitari & instaurari. Cui vir sanctus ita respondit: Cessa à lachrymis, pater beatissime, hæc est rerum conditio humanarum, hanc vitæ metam prætergredi nemo potest. Ego quidem lætissimo animo ineffabilem Dei mei misericordiam appello, vt ianuam pietatis suæ mihi velit patefacere, meamq; spem & expectationem certa promissionum suarum remuneratione solari. Quàm sunt enim dilecta tabernacula tua Domine virtutum, rex meus & Deus meus? Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum: quando veniam & apparebo ante faciem tuam Domine, spes & fortitudo mea, vita & salus mea? Quòd si verò etiam optio mihi detur, liceatq; hîc adhuc permanere, scîas reuerende pater, amarum esse hîc viuere, huiusq; regionis [f] clades & excidia videre, ciuium neces & cruciatus cernere, sacrorum locorum ab hostibus impendentes prophanationes intueri. Atq; hæc quidem omnia huic loco euentura sunt, & sola vexatio hostilisq; vastitas intellectum dabit auditui. Nam propter immania hominum facinora, Deo permittente, crudeles dominos patientur. Satius igitur est iam Domino reddere spiritum, quàm propinquam videre vastationem & populationem prouinciæ huius. Est autem certè dulcis illa mors, per quam ad immortalem gloriam nos peruenturos speramus. Tu verò homo Dei, ne timeas, non enim visurus es mala, quæ Dominus in terræ huius habitatores immissurus est. Ante enim, quàm vrbs hæc hostium obsidione prematur, tu militiæ tuæ cursum fæliciter absolues, & ad patres tuos adiungeris. Qui autem manserint superstites, totam hanc ciuitatem & loca adiacentia vastari videbunt. En egregium Christi confessorem, qui diuina plenus gratia, quo spiritu homini, argentum offerenti, iudicauit illud malè partum, ipsumq; moriturum: eodem, hostiles incursiones postea futuras, longè ante & præuidit, & prænuntiauit: Spiritus enim Christi sicut illi rei præteritæ notionem, ita etiam imminentium è longinquo calamitatum prænotionem contulit.

Psalm.83.
Psalm 41.
[f] Prædicit futuras clades.

[e] Malardus Episcopus Carnotẽsis.

XIX. POSTQVAM igitur Episcopo hæc locutus est, illeq; abijsset, vir sanctus [g] obitum suum, in Dei misericordia confidens, intrepidus expectabat: cumq; incrementis quotidianis aucta febris eius vires contereret, in eadem vrbe iam senex & plenus dierum, vita functus est, eiusq; spiritus ad cœnam nuptiarum agni vocatus, recumbit cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Bonum enim certamen, Christi miles inuicte, certâsti, Christum semper portâsti in corde & corpore tuo: iam frueris corona iustitiæ & gloria sempiterna. O te verè beatum Christi confessorem: cui ad patriam fælicissimè reuertenti cum palma victoriæ, lætissimi angelorum chori occurrunt. Dominus tecum erat: itaque securus hinc excessisti, & vsq; ad solium beatæ & indeficientis visionis penetrâsti. Illinc [h] nos perpetuis foue & adiuua patrocinijs, vt in hoc ouili, quod exemplis optimis illustrâsti, & virtutibus luculenter ornâsti, sit iugis pax, optata peccatorum remissio, & Christianæ pietatis atq; religionis perennis cultus & exercitatio: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

[g] Obit[a] sancti viri.

[h] Inuocat author S. Launomarum.

XX. ALIQVANTO post etiam vrbis eius Episcopus viam vniuersæ carnis ingressus est. Tum verò, vt erat prædictum à sancto viro, regionis populatio secuta est: cumq; barbari obsiderent vrbem, per occultos meatus aquam ad se ciues adducebant. Id vbi sensit hostis, eam aliò auertit. Itaq; aquæ penuria adacti, vltrò se dedidêre, hostili gladio prædæ futuri.

futuri. Obijt sanctus Launomarus 14. Calend. Februarij, & conditus est in basilica sancti Martini, vbi etiam sanctus Labianus eiusdem vrbis antistes humatus est.

DE SANCTO PONTIANO MARTYRE, EX LIBRIS PERANTIQVIS MSS. EX HAC HISTORIA PETITA SVNT, QVAE in antiquissimis Martyrologijs leguntur. Stylum aliquot locis nonnihil mutauimus in gratiam lectoris.

AN. 160.

I. IMPERIVS Antonini Imperatoris excitata est persecutio in Christianos, vt compellerentur idolis immolare. Insidiabantur autem infideles fidelibus, & Christianorum nomen haud secus, atq; inquinamentum quoddam, abominabantur. Porrò iubente Antonino Imperatore, Fabianus quidam ad vrbem Spoletanam profectus est, vt eius loci Christianos ad idolorum culturam adigeret. Is ergò cùm eò peruenisset, sedit pro tribunali, omnemq; ad se populum conuocari iussit. Qui cùm aduenisset, his verbis allocutus est: Pijssimus Imperator Antoninus ablegauit me ad hanc vrbem, vt, si quis eius præceptis nolit obtemperare, capitali sententia puniatur. Itaq; multi de populo ei consentientes, idolis sacrificârunt: multi verò in fide Domini nostri Iesu Christi permanentes, multas tolerauerunt afflictiones & tribulationes, vt animas suas Domino per martyrium consecrarent. Impius namq; iudex Fabianus Christianos multis modis persecutus est. 19. IAN.

II. ERAT tunc temporis quidam Pontianus nomine, in Dei timore firmus & stabilis, qui noluit idolis offerre sacrificium. Iussu igitur Fabiani à satellitibus eius [a] comprehensus est, & ad illius tribunal adductus. Cui sic ait Fabianus: Quis vocaris? Respondit Pontianus: A parentibus quidem meis nomen mihi Pontiani impositum est: sed ego aliud maius & præclarius habeo, nempè Christiani. Dixit ad eum Fabianus: Iuuenis benè nate, abijce animi tui incredulitatem. Error enim te inuasit, quo fit, vt derelinquas pijssimos deos nostros, & colas hominem, quem Iudæi persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem, & tandem cruci affixerunt, qui te adiuuare non valebit. Accede ergo, & adora misericordes deos, & noli seduci hominum maleficis artibus: quia Deus tuus, in quem tu credis, non poterit te liberare è manibus meis. At sanctus Pontianus in illum respiciens, ait: Non [b] poteris me seducere impuris sermonibus tuis. neque Imperator tuus me abstrahere valebit à Domino meo Iesu Christo, vt adorem idola surda & muta, quæ non possunt liberare cultores suos.

[a] Pontianus comprehenditur.

[b] Constantia martyris.

III. TVNC iratus Fabianus iudex, sanctum Pontianum vestibus nudatum, iussit [c] virgis cædi, nec cessari à verberibus, donec sanguis eius largiter in terram diffluueret. Cùm autem huic operi instarent ministri, sanctus Pontianus dixit iudici: Horribilis vultu, & abominabilis cum dijs tuis, non te pudet tui, cùm cernas me non sentire pœnas, quas mihi inferri voluisti? Credo enim in Dominum meum Iesum Christum, quòd ille te pudefaciet, quemadmodum solet confundere patrem tuum diabolum. Iratus Fabianus, præcepit vt super prunas nudis plantis ingredi cogeretur. At sanctus Pontianus [d] signum Christi in fronte sibi fecit, & super ardentes carbones nudis pedibus ambulauit, dicens ad iudicem: Ecce ego in nomine Domini mei Iesu Christi nudis plantis ardentes calco carbones: tu quoq;, si ausus es, mitte manum tuam in aquam calidam in nomine Iouis tui, & vide num te seruare possit illæsum. Tunc Fabianus ira inflammatus, iussit eum suspendi in eculeum. Vbi cùm à carnificibus [e] torqueretur, illi viribus destituti, clamare cœperunt: Væ nobis, quia nos maiori afficimur cruciatu, quàm iste. Manus nostræ iam elanguerunt, & vnci fracti sunt, nihilq; possumus efficere. Tum verò impius iudex præcepit, vt in ima carceris conijceretur. Venerunt autem ad eum omnes religiosi, confirmabantq; animum eius, vt in agone martyrij constantem se exhiberet.

[c] Virgis cæditur.

[d] Signum crucis sibi impr mit.

[e] Torquetur in eculeo.

IV. AVDIENS hoc impius Fabianus, iussit eum è carcere educi, & adduci in amphitheatrum, duosq; [f] leones sæuos in eum dimitti, vt ossa eius comminuerent. Bestijs autem corrixantibus, sanctus Pontianus ita Dominum orauit, Domine Iesu Christe salua me de ore leonum, vt enarrem nomen tuum fratribus meis. Et cùm orationem complêsset, venerunt ad eum leones rugientes, illoq; viso, adeò sunt mansuefacti, vt demissis ceruicibus beatum Pontianum adorarent. Quod cùm vidisset omnis populus, exclamauit voce magna, dicens: Verè magnus est Deus Christianorum: dimittatur sanctus Dei. At Fabianus cernens in populo seditionem oriri, iussit eum iterum in carcerem retrudi, & ibi duodecim dies sine cibo potuq; relinqui, vt fame confectus, spiritum exhalaret. Sed cùm ille in carcerem inclusus esset, circa noctis medium angelus Domini apparuit ei in imo carcere, cibum cœlestem adferens, eumq; confortans his verbis: Forti animo esto. Elapsis indè diebus duodecim, venerunt ministri vt tollerent corpus eius: putabant enim famis nimietate iam extinctum eum esse. Et ecce inueniunt illum psallentem atq; dicentem: In Domino confido: non timebo quid faciat mihi homo. Renunciauerunt ergò Fabiano, quòd nihil mali passus esset Pontianus. Præses ergò Fabianus è carcere produci eum mandat, plumboq; [g] liquefacto dorsum eius perfundi. Ministri, his auditis, æneum adferunt cacabum, plumbumq; feruenter liquefaciunt. Deindè annuntiant præsidi paratum esse supplicium: Tum ille iussit sanctum virum in lecto ferreo extendi, plumboq; feruente perfundi, vt perterritus pœnæ acerbitate, dijs sacrificaret. Itaq; ministri arrepto æneo cacabo, infunderunt plumbum in dorsum martyris: sed sicut enatat aqua in marmore, ita de eius dorso plumbum enatauit. dixitq; sanctus martyr ad Præsidem: Eccè Deus meus ex omnibus supplicijs tuis me eruit, & necdum erubescis? Fabianus respondit: Audi me Pontiane, & sacrifica dijs, & serua animam tuam. Sanctus Pontianus dixit: Obmutesce infælix, & noli auribus meis hanc iniuriam irrogare: quoniam dij tui dæmonia sunt surda & muta, quæ te non possunt adiuuare.

[f] Leones mansuescunt.

[g] Plumbo liquefacto perfunditur.

V. AVDIENS hæc Fabianus Iudex, ira feruescens, ita dixit: Contemptor deorum Pontianus, qui dijs sacrificare noluit, spiculatori tradatur, & caput eius amputetur. Quo dicto, adduxerunt eum vt decollaretur. Ille verò positis humi genibus, sanctas preces obtulit Domino, dicens: Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui me ad hanc horam perduxisti, vt per agonem passionis diabolum confunderem in tuo sancto nomine: & nunc Domine suscipe spiritum meum in pace. His dictis, percussit [h] eum spiculator, & sanctus martyr consummauit agonem suum decimonono Calendas Februarias. Porrò Christiani noctu abstulerunt corpus eius à ponte sanguinario, & sepeliêrunt eum in pace non longè à muro vrbis Spoletanæ, in fundo qui appellatur Lucianus. Sepultus verò est decimoquinto Calendas Februarij, dederuntq; omnes gloriam Deo, qui vincit inimicos, & coronat sanctos suos. Ipsi honor & gloria in sæcula, Amen.

[h] Capite plectitur.

AN. 1030

DE S. VVOLSTANO, (QVEM SCRIPTORES ALII VVLSTANVM, ET VLSTANVM VOCANT) VVIGORNIENSI EPISCOPO ET CONFESSORE: *cuius vitam scripsit Brauonius quidam, monachus VVigornienſis: quanquam ignoro vtrum hac ſit, vel eius vitæ potius quædam epitome.*

19. IAN. * *Regione Merciorum* ª VVolſtani parentes Eaſtanum & VVlfgeouã nominatos fuiſſe memorat Rogerus Houedẽ pitori parte Annal. Vide VVilhel. Malmesb. ibid.

AMABILIS Deo Wolſtanus * in prouincia Warcuicenſi [a] oriundus, & in monaſterio de Burgo literis & officijs eccleſiaſticis inſtructus, Miſſam morosè cantabat, aliasque orationes adijciens, ſolis fidelium oblationibus contentus erat. Hic virgo exiſtens, ſuperfluj potûs ſemper expers, eſui carnium indulſit: quibus tamen ſpernendis occaſio talis fuit. Die quadam cùm ad placitum quoddam exiturus, Miſſa celebrata cibum ſumere ſtatuit, appoſita igni auca, nidor aduſtæ carnis nares celebrantis oppleuit, odor mentem auocauit. Sed cùm diu reluctans, cogitationem auertere non poſſet, iuramentum ad ſacramenta, quæ tractabat, fecit, nullo ſe amplius pacto id genus cibi comeſturum. Completa verò Miſſa, ieiunus ad negotium diſceſſit. Seculo tandem relicto, in monaſterio Wigornienſi, in quo pater ſuus ſeruierat, [b] monachus effectus, per omnia penè loci officia gradiens, ad Prioratum aſcendit. Ieiunijs, vigilijs & orationibus iugiter indulſit: ſuper ſcamnum in Eccleſia, libro, in quo orabat, capiti ſuppoſito, dormire conſueuit. I.

[a] S. VVolſtanus Monachicum habitum ſuſcipit à Brichthego Eccleſiæ Epiſcopo, vt habet idem Rogerus ibid.

NOCTE autem quadam ante altare in Eccleſia orans, dæmonem ad luctam eum importunè prouocantem, quamuis paſſione fatigatus, illum ter complectens proſtrauit. Apparuit autem illi in forma ſeruientis cuiuſdam de curia, quem poſtmodum quoties VVolſtanus videret, expalluit, ad cætera ſemper timore vacuus: Affirmabat enim ſe neſcire, quid eſſet timor, qui pro fractura pontis equum nunquam deſcenderit; quin etiam in ſummitate fabricarum anguſtarum ſecurus incederet. Cùm matrona quædam pulcherrima, nobilis ac diues, in concupiſcentiam eius inſano amore ac illicito decepta, in tantum vexaretur, vt tentationi reſiſtere non valeret, deſiderium ſuum ei aperit, ſuſpirando rogat & orat, vt cubile ſuum, paululùm rigore poſtpoſito, ingredi dignaretur. Ille verò vocem funeſtam vlterius non ferens, ſermone loquentis interrupto, & [c] facto fronti crucis ſignaculo, dixit: Fuge fomes laſciuiæ, mortis filia, vas ſatanæ: alapamque mulierculæ tanto niſu impegit, quòd crepitus illiſæ palmæ circumquaque auditus fuit. Sicque alter Ioſeph muliebrem laſciuiam animo reſpuens, manu compeſcebat. II.

[c] Contẽnit mulierem nobilem, ad ſcelus inuitantem.

SOLEBAT autem ſedula deuotione omni Dominica populo verbum Dei prædicare: quem frater quidam increpans, ſolius aſſeruit eſſe pontificis prædicare: monacho ſilentium & clauſtrum competere. Cui ſanctus reſpondit: Verbum Dei non eſt alligatum, nihilque Deo gratius, quàm Chriſtum annunciare, populumque ab errore viæ ſuæ reuocare: ideoque ſe non omiſſurum. Nocte ſequente frater ille ad tribunal ignoti iudicis in viſione ductus, & cur ſeruum ſuum obiurgâſſet, redargutus, in pauimentum iuſſus eſt ſterni & cædi. Lachrymæ verò in maxillis, & liuores euidenter in ſcapulis euigilantis apparuerunt. Cuius calamitate motus vir Dei, benedictionem ei dedit, & ſtatim ſanitas ei redijt, omneque doloris veſtigium conquieuit. Cùm quidam de campanili præceps rueret, VVolſtanus eminus ſtans & intuens, condoluit, & ſignum [d] crucis oppoſuit: caſuſque ruentis corpus non ſolùm non attriuit, ſed nec animum frigente ſanguine, vt ſolet, hebetauit. Surrexit incolumis, ſuæ temeritati imputans, quòd cecidit: & VVolſtani ſanctitati, quòd euaſit. Tribus [f] in hebdomada diebus omnis cibi abſtinens, perpetuo linguam cohibuit ſilentio: reliquis tribus porros vel caules elixos & panem hordeaceum comedebat. III.

2. *Tim.* 2.

[d] Nota vim Crucis.

[e] Mira eius abſtinentia

[f] Eligitur Epiſcopus VVigornienſis anno 1062. teſte Bar. Quæ hic deerant de eius electione addita ſunt ex Rogerij Houedem. prioris parte annalium, qui ea ex eius vita vtique deſumpſit. Vide VVilhelm. Malmesb. lib. 4. * *al. VVolſino.*

POST aliquot annorum curricula, electo ad archiepiſcopatum Eboracenſis Eccleſiæ Aldredo [g] VVigornienſis Epiſcopo, fit vnanimis conſenſio, tam cleri, quam etiam totius plebis in eius electione, Rege videlicet Eadvvardo annuente, vt quem ſibi vellent præſulem eligerent. Contigit namque eo tempore, & Legatos Apoſtolicæ ſedis eius electioni intereſſe, Armenfredum ſcilicet Sedunenſem Epiſcopum, & alium, qui à Domino Papa Alexandro pro reſponſis eccleſiaſticis ad Regem Anglorum Eadvvardum miſſi, regio præcepto VVigorniæ per totam ferè Quadrageſimam degebant, exſpectantes reſponſum ſuæ legationis, vſq; ad curiam regalem proximi Paſchæ. Hi videntes dum ibi morarentur, eius laudabilem vitam, in eius electionem, non tantùm conſentiebant, imò tam clerum quam plebem maximè ad hanc inſtigabant, ſuaque authoritate electionem firmabant: Illo verò obſtinatiſſimè renuente, ſeque indignum acclamante, & cum ſacramento etiam affirmante, ſe multò libentius decollationi, quam tem altæ ordinationi ſuccumbere velle; cum ſæpè à viris religioſis ſuper hoc circumuentus ad conſentiendum minimè perſuaderi poſſet, tandem à viro Dei * VVlſio incluſo, qui tunc plus quadraginta annis ſolitariam vitam egiſſe noſcebatur, acriter pro inobedientia & obſtinatione correptus, diuino etiam oraculo territus conſentire cum maximo cordis dolore compulſus eſt, & Epiſcopatu ſuſcepto, Dominico die, quo ſanctæ Mariæ Natiuitas celebratur, conſecratus, vita & virtutibus clarus VVigornienſis Eccleſiæ præſul effulſit. IV.

[g] An. 1074. in Synodo de eius depoſitione agitur. Vide Bar. hoc an. [h] Lanfrancus hic erat Archiepiſcop. Cantuar. & Metropol. VVolſtani. * *onus puto legendum.* [k] Sanctis in cœlis conjuncti ſunt Deo.

CVM autem [h] VVilhelmus rex literaturæ inſufficientiam & ſermonis imperitiam prætendens, VVolſtanum officio priuare niteretur, conuocato concilio, iubet [i] Lanfrancus archiepiſcopus venerabilem virum baculum reſignare cum annulo. Vir autem Dei nec vultu mutatus nec animo, erexit ſe, & virgam paſtoralem manu tenens, dixit: Verè domine archiepiſcope, verè ſcio, quia nec hoc honore dignus ſum, nec huic aptus oneri, nec ſufficiens labori. Sciebam enim hoc, cùm me clerus eligeret, cùm Epiſcopi cogerent, cùm me dominus meus ad hoc officium inuitaret. Ipſe authoritate ſedis Apoſtolicæ in meos humeros hoc onus refudit, & per hunc baculum, me epiſcopali gradu inueſtiri præcepit. Nunc tu paſtoralem virgam exigis, quam non tradidiſti: officium adimis, quod non contulifti. Et ego quidem inſufficientiam meam non ignorans, & huic ſanctæ ſynodi ſententiæ cedens, reſignabo quidem baculum, ſed non tibi: ſed potius ei, cuius eum authoritate ſuſcepi. His dictis, accedens ad tumulum ſancti Eduardi, & ſtans ante ſepulchrum, dixit: Tu ſcis domine mi, quam inuitus hoc * opus ſuſceperim, quoties ſubterfugerim, quoties me, cùm quærerer, abſentauerim. Fateor, inſipiens factus ſum: ſed tu me coëgiſti. Nam licet non deeſſet fratrum electio, plebis petitio, epiſcoporum voluntas, gratia procerum: his tamen omnibus præponderabat tua authoritas, tua magis vrgebat voluntas. Et ecce nouus rex, noua lex, nouus pontifex, noua iura condunt, nouas ſententias promulgant. Te erroris arguunt, qui iuſſiſti: me præſumptionis, qui conſenſi. Et tunc quidem falli potuiſti, vt homo: ſed nunquid modò [k] coniunctus Deo? Non igitur illis, qui exigunt, quod non dederunt: qui cùm ſint homines, fallere poſſunt & falli: ſed tibi, qui dediſti, & iam deductus in ipſam veritatem, ignorantiæ vel erroris tenebras euaſiſti, tibi reſigno baculum, tibi curam eorum, quos mihi commendâſti, dimitto. Tibi ſecurè eos committo, cuius ego merita non ignoro. V.

HÆC [l] cùm dixiſſet, eleuata paululùm manu, in lapidem, quo ſanctum corpus tegebatur, baculum infixit, dicens: Accipe domine mi rex, & cui libuerit, trade illum. Et exutus pontificalibus, inter monachos ipſe iam monachus ſimplex reſedit. Admirabãtur omnes, cernentes virgam lapidi immerſam, & quaſi radicibus vteretur, non moueri. Cũq; baculum tentantes, nullâ ratione euellere poſſent, res defertur in ſynodum, & Gundulfus Roffenſis Eps à Lanfrãco miſſus VI.

[l] Insigne miraculum. [m] Gundulf. Roffenſis oẽp. ſcopus.

missus est ad sepulchrum: qui cum baculum nullatenus mouere valeret, Lanfrancus nouitate miraculi stupefactus, vnà cum episcopis & rege ad tumulum properans, facta oratione, manū frustra ad eruendum baculum apposuit. Exclamat rex, orat pontifex, & ad sanctum ait: Verè iustus Dominus, & cum simplicibus graditur, & cum humilibus sermo eius. Derisa est à nobis, frater, tua sancta simplicitas: sed eduxit quasi lumen iustitiam tuam. Errauit in te iudicium nostrum, & simplicitatem Deo gratam omnibus propalauit. Authoritate proinde, qua fungimur, imò diuino iudicio, quo conuincimur, curam, qua te inconsultius exuimus, iterùm tibi committimus & imponimus. Ille autem impossibilitatem suam, & onus supra vires prætendens, asserit in loco sancto ministrum sanctum statuendum. Victus tandem precum instantia, coram omnibus ad sepulchrum accessit, virgam manu tetigit, & mox manum eius secuta, ac si molli luto fuisset impressa, desilijt. Lanfrancus ergò ad pedes eius prouolutus, fatetur delictum, veniam implorat, dicens simplicitatem eius Deo acceptam & beneplacitam, qui sapientiam huius mundi stultam facit, vt fortia confundat, & gratiam infundat humilibus. *1. Corinth. 1.*

VII. MVLIEREM[a] quandam à dæmonio vexatam, per camporum deuia spiritûs impetu vagantem, sua benedictione valetudini pristinæ restituit, ac præcepit, vt non Wolstanum, sed Deum benediceret, virtutes amaret, pudicitiam non perderet, ne deterius ei aliquid contingeret. Mulier eius monita sequens, in sanctimoniali habitu placentem Deo vitam egit. Dæmoniacus[b] quidã, ferreis catenis posti alligatus, tanta vocum variarum confusione locutus est, vt ex vno ore quasi exercitum loqui crederes. Viso autem pontifice, totis intremiscens membris, stridebat dentibus: patulo rictu sputa euomens, magno hiatu obstrepere cœpit. Tanto incommodo sacerdos impalluit, & expansis in cœlum manibus, orauit, & infirmus statim conualuit. Leprosus[c] quidam visu horridus, carne maculosus, aqua lotionis manuum sancti viri in balneo posita se lauit, & pustularum continuò tumor resedit, mortiferum virus effluxit, omnisque caro in puerilem puritatem breui refloruit: & impetigine & scabie capitis abolita, cæsaries succrescentibus capillis reformatur. Gunnildis sanctimonialis, regis Haraldi filiæ, tumor infestus oculos inuasit, & moles palpebrarum visum obducens, massa carnea oppleuit. Suscepta verò episcopi sancti benedictione, deiectis & erectis palpebris, lucem serenam virgo consequitur.

[a] Sanat dæmoniacam

[b] Item dæmoniacum

[c] Leprosus mundatur.

VIII. ELSINVS regis Eduardi quondam minister, ad consecrandam ecclesiam episcopum precibus aduocauit. Erat autem in cœmeterio arbor nucea, patulis frondibus vmbrosa, quæ luxuriante ramorum amplitudine, luminibus officiebat Ecclesiæ. Solebat autem vir ille aleis & epulis sub eadem arbore vacare: & cùm iussisset eam episcopus abscindi, mâluit ecclesiam non dedicari, quàm arborem inde penitus deponi. Vir ergò sanctus maledictionis iaculum in arborem offensus intorsit, & illa quasi vulnerata, paulatim sterilescens, radicitùs exaruit, & fructu caruit. Exacerbatus inde dominus, eam abscindi iussit, & dixit: Nihil Wolstani maledictione amarius, nihil eius benedictione dulcius poterit inueniri.

IX. CVM quidam de Anglia versus Hyberniam nauigarent, mutata cœli clementia, flauit spiritus procellæ, inhorruit fragor ventorum, factaque est tempestas valida. Diruptis rudentibus & malo effracto, inuocato[d] sancti Wolstani suffragio, quidam in eius effigie apparens, armamenta consolidat, rudentes coaptat, & vt animos reuocatent exhortans, erigerent antennas, quia tranquillitatem daturus esset Dominus. Et confestim serenitate reddita, mare tranquillum efficitur.

[d] Absens inuocatur, & fit quod petitur.

X. VILIORIBVS indifferenter vtebatur pellibus, magis tamen agninis, frigus depellens. vnde & cuidam suggerenti, vt pelles saltem catinas admitteret, ait: Crede mihi, cantari non audiui, Catus Dei: sed Agnus Dei: ideò agno volo calefieri. Legebantur[e] ad mensam eius ædificationum libri, cunctis interim summum præstantibus silentium. Quiete verò epulis data, vt cælestem impartiret alimoniam, quibus ministrauerat corporalem, lectionem patria lingua exponebat. Cùm verò post prandium secundùm morem potus porrigeretur, ipse aquam puram, solo ministro conscio, sumere consueuit. Primis quidem annis meram hauriebat aquam: confectus senio, vino vel ceruisia mixta. Disciplinam[f] domûs suæ tam in laicis quàm in clericis seueriſſimè exercens, legem statuit, vt omnes tam Missæ quàm omnibus Horis interessent. Custodes ad hoc constituit, vt nullum impunè ridere sinerent: alioqui aut potu eo die caruit, aut palma ictum ferulæ excepit. Laicum nullum de suis quoquam misit, cui non preces septies in die dicendas iniungeret: hoc asserens, vt sicut clerici septem Horas, ita laici septem orationes Deo libarent. Si quis ante eum iuraret, statim ferulæ vindicta sequebatur. Indignè ferebat, si quis coram eo aliorum vitam roderet, vel carperet mores: quoniam hoc summæ malitiæ deputabat.

[e] Lectio ad mensam eius.

[f] Disciplina domûs eius

XI. NOCTIBVS[g] autem post modicum somnum surgens, psalterium dicebat, nonnunquam solus, ne aliorum quietem impediret: quandoque cum socio, quem cæteris vigilantiorem deprehendit. Et cùm somnolentiam cuiusdam fratris nutu nocte quadam argueret, & ille oscitabundus & inuitus resideret, cùm corpus quieti daret, magna vi per visum concussus, flagris cæsus, inconsultæ temeritatis pœnas pertulit. Dat postremò fidem, quòd nunquam vlterius virum Dei à bono opere impedire præsumeret. Missas duas ad minus quotidiè audire, & ipse tertiam cantare solebat. Ascenso equo, psalterium incipere, nec pausam, nisi ad finem, facere consueuit. Eius cubicularius præstò eleëmosynam deferebat, nulli egenti denegandam. Vbicunque iaceret, staret vel ambularet, semper in ore psalmus, semper in corde Christus. In singulis villis suis habebat ædiculas, in quibus se à manè post Missam inclusit, donec clericus pulsatione ostij, tempus prandij vel Horarum nuntiaret. Quando erat Wigorniæ, Missam maiorem loco hebdomadarij quotidiè ferè cantabat, à quo, vt dixit, officio pro episcopatu resignando noluit absolui. Collationi monachorum interfuit, & confessione dicta, & benedictione data, ad sua redijt.

[g] Eius nocturnæ preces.

XII. DVM quadam vice monachi sui ad maiorem ecclesiam migrarent, quam ipse construxerat, & videret ecclesiam antiquam destrui, quam sanctus Osvvaldus construxerat, lachrymas fudit: Super quo modestè redargutus, quòd potiùs gaudere deberet, quòd se superstite tantus honor ecclesiæ suæ accidisset, quòd multiplicatis monachis ædificia augerentur, dixit: Ego longè aliter intelligo, quòd nos peccatores & miseri opera[h] sanctorum destruimus, vt nobis laudem comparemus. Non nouerat illa ætas pompatica construere, sed sub qualicunque tecto seipsos Deo immolare, subiectosque ad exemplum attrahere. Nos econtra nitimur, vt curam animarum negligentes cumulemus lapides. Dum tempore quodam sanctus Wolstanus sermonem de pace faceret, & multi ad concordiam redirent, vnus inter eos nullo suasu, nec etiam episcopi rogatu, pro fratris nece homicidæ veniam petenti indulgere voluit. Huic in medium adducto, dixit episcopus: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Constat ergò, quòd pacifici, sunt filij Dei & beati: & discordantes, sunt miseri & filij diaboli. Illi igitur, cuius es, te committo, & trado carnem tuam satanæ. Statim[i] ille mancipium hostile effectus, dentibus stridere, spumas iacere, caput rotare cœpit. A Wolstano demum sanatus, cùm pacem adhuc repudiaret, iterùm & tertiò arreptus est, quousque ex corde iniuriam & offensam remitteret. *Ailvvinus quidam apud saltum Maluerniæ anachoreticè degens, desiderio Hierosolymitani itineris sæpiùs afflatus erat. Quod cùm Wolstano panderet, dissuadens episcopus, dixit: Desiste sodes *Ailvvine: crede mihi, mirareris, si scires quæ per te Deus facturus sit. Acquiescens ille, in loco illo ad numerum tricenarium monachos congregauit, & Maluerniæ monasterium fundauit.

[h] Nota sancti viri eximiam humilitatem. *Matth. 5.*

[i] Vltio terribilis in hominem ignoscere nolentem. ** Aldvvin* ** Aldvvine.*

QVIDAM

*Sevvlfus. QVIDAM nomine Feuolfus, dum ſæpius eadem peccata epiſcopo panderet, ait epiſcopus: Opportunitas, vt vi- XIII.
deo, latronem facit, ideò conſulo, vt monachus fias: & ſic vitiorum importunitate carebis. Cùm verò ille pro rigore ordinis hoc renueret. Vade, inquit, monachus fies, velis nolis. Tandem ille ſeneſcens, & apud Malmesbiri tonſuratus, quoties dictum Wolſtani menti ingeſſit, mitiùs ſe habuit.

DVM alumni ſui Nicolai caput palparet, qui iam iuuenis caluescere cœpit, ait ad eum: Puto fili, quòd citò caluus XIV.
Res mira. eris. Et ille: Quare pater non tenes crines meos? Cui epiſcopus, Crede fili, quandiu vixero, reſidui non deficient. Et factum eſt ita. Hebdomada namque illa, qua epiſcopus obijt, omnes capilli eius ita euanuerunt, vt quaſi nudam cutem relinquerent. Anno autem [a] Domini milleſimo ſexageſimoſeptimo, epiſcopatus ſui triceſimoquarto, ætatis ſuæ octogeſimoſeptimo, quartodecimo Calend. Februarij defunctus ſeculo, viuere cœpit in Chriſto. Annulus autem, quem in conſecratione acceperat, multis annis digito eius hærere non potuit, & crebro lapſus, nunquam amiſſus fuit. Quippe caro digitorum ita exinanita fuerat, vt vix pellicula oſſibus inhæreret. fertur enim ſæpius ipſum dixiſſe: Annulum, quē ſine ambitu ſuſcepi, inſeparabilem mihi in humum portabo. Poſt obitum eius quidam annulum digito ſubtrahere inuanum tentauerunt. ita enim pellis plena, protuberantes articuli, neruorum integritas reſtituta videbantur mortuo, quæ præ abſtinentia exinanita fuerant viuo. Elapſis autem poſt obitum eius annis centum, dum transferretur corpus eius, & in ſcrinio precioſo collocaretur, repertum eſt vnà cum veſtimentis pontificalibus integrum & incorruptum.

[a] Moritur ſanctus pō tifex. Thomas de Walſingha in Ypodigmate Neuſtriæ & Rogerus de Houedē in priori parte Annalium, eum obijſſe memorant anno 1095.

Miracula. INTER multa verò miracula pro famulo ſuo à Deo patrata, mulierem quinque annis incuruatam ac inclinatā, XV.
humiq́ue accliuem curauit, linguam pueri à nouerca abſciſſam reparauit, cæcos quinque illuminauit, dæmoniacos quinque ſanauit, mutis quatuor loquelam reddidit, mortuos tres reſuſcitauit, leproſos duos mundauit, & hydropicis duobus ſanitatem contulit. Infra triduum vice quadam triginta quinque variis morbis oppreſſi, ſalutem conſecuti, gratias Deo & ſancto eius referebant.

OCVLOS iuuenis cuiuſdam, ab æmulis effoſſos, & in campum proiectos, ſanauit. Non autem illi proprios reſti- XVI.
tuit, ſed nouas & modicas in foſſarum profunditate pupillas tāquam duas poſuit prunulas, & quas varias habuit à natura, nigras recepit ex gratia. De die autem in diem vſque ad quantitatem competentem creuerunt. Teſticuli eiuſdem iuuenis ab eiſdem æmulis à follibus ſuis eruti & præciſi, longiusque proiecti, eidem ſunt reſtituti, vulneraque omnia, diuerſis corporis locis accepta, in momento ſunt curata. Iuuenis iſte Thomas nomine, cùm pecuniam multam congregaſſet, quædam domina mutuo pecuniam ab eo recepit, & tandem ad fornicādum cum ipſa allexit. Qui tandem compunctus, cùm dignè pro commiſſo ſatisfeciſſet, illa cotemptam ſe dolens, & repulſam erubeſcens, quendam iniquum & malefactorem in maritum aſſumpſit, & ad ſupradictum opus nefarium eum inſtigauit.

Vitam S. Wulſtani præter alios etiam deſcribit Wilhelmus Malmes Burienſis lib. 4. cap. 1. de geſtis Pontificum Anglorum. Rogerus Houeden. priori parte annalium.

AN. 370. *Baſianū hunc vocat Baronius.

VITA B. BASIANI * LAVDENSIS ANTISTITIS ET CONFESSORIS, EX MOMBRITII Tomo primo.

19. IAN. SANCTORVM virtutes, quibus Deo opitulante contra carnis illecebras conſtanter dimicauêre, tempo- I.
raliter retexere, futurorum quoque memoriæ commendare, duobus modis mortalibus operæpretium eſſe credimus. Cùm enim inuictam eorum conſtantiam in præſenti fideliter recolimus, eos apud Deum noſtri memores eſſe non diffidimus Igitur beati Baſiani Laudenſis Antiſtitis & Confeſſoris conuerſationem ſacram, ac mores, quibus regni cœleſtis particeps fieri meruit, breuiter prout ipſe præſtiterit, perſtringere ſatagimus.

[b] Baſiani pueritia. BASIANVS [b] vir venerabilis vitæ, pueritiæ ſuæ tempore ſenectutem nec diuturnam, neque numero annorum II.
computatam moribus prætendens, à patre Sergio Syracuſanorum prouinciæ præfecto Romam, cùm eſſet annorum duodecim, [c] ob liberale literarum ſtudium directus eſt, vt ad plenum liberalibus imbutus documentis patre obeunte, pro eo præfecturam prudenter diſponere noſſet. Qui cum diſciplinam, cui incumbebat, vltra ætatis ſuæ modum mirabiliter perciperet, audito Chriſtianæ [d] religionis nomine, ad diuinam philoſophiam incredibili deſiderio ſe conabatur transferre, & clam famulantibus ſibi, quibus pater tanquam vnanimum cuſtodiendum tradiderat, aſſidue inueſtigabat, cui pectoris ſui arcanum ſecurius intimaret: ſed Dominus futurum militem ſuum nolens diutius ſalutiferæ militiæ ſuæ expertem, atque ignarum exiſtere, Gordiano preſbytero magnæ ſanctitatis viro, appetitum atque ſolicitudinem adoleſcentis Baſiani aperire tertiò in ſomnis dignatus eſt, qui maturius ſolito cubile proprium deſerens, cœpit publica vrbis exercitia quærere, ſi fortè valeat iuuenem conuenire, cuius mentionem ſibi voluit Dominus ante paululum facere; quem cum [f] rogando feſſus, tandem ſuperna pietate fauente inuenire meretur, diligenter ab eo percunctatur, vnde oriundus, quibus parentibus genitus, cuiuſue gratia vrbem incoleret; cui magnificæ indolis Baſianus cūcta per ordinem prudenter referens, ſeniori ſtuporem vehementer iniicit ſuper elegantia ſermonis: tunc verò ſenior honeſtis amplexibus eius aliquantiſper immoratus, domum ſuam hortando ſecum inuiſere eum compulit, vbi inſinuare non diſtulit, quid ſibi per viſum de eo tertiò maieſtas immenſa reuelauerit, & vt quærendo inſiſteret, non mediocriter admonuerit. Quibus relatis vterque Deo gratias laudeſque debitas ſuppliciter egêre, qui in quoquam pietatis affectum non ſinit perire, & in veritate accedentibus ad ſe, rectitudinis viam conſueuit miſericorditer reſerare.

[c] Romam mittitur ad ſtudia

[d] Chriſtian. religionis deſiderio exæſtuat.

[e] Gordiano preſbytero eius deſiderium diuinitus reuelatur.

[f] Ab eodem inuenitur.

ATHLETA autem à Deo electus, mox prouolutus ad venerandi ſenis veſtigia, toto conamine poſtulabat ſe ab eo III.
in Chriſto [g] catechizari, nec tanto myſterio tam multò ante optato ſe vlterius priuari pateretur, cuius ſaluberrimis obſecrationibus præfatus ſenior, vtpote diſpoſitionis diuinæ iam procul dubio conſcius, deuotiſſimè acquieuit, qui inſtructus vſque ad plenum, catechizatus in Chriſto, ita ſe ſacris obſeruationibus mancipare ſatagebat: primò frugalitatē colendo, vt [h] ſoliti ſtipendij tertia portione degeret, reliquis verò duabus indigentes alere ſummo opere gaudebat, adeoque virtutum gradibus proficere meruit, vt religioſum ſacricolam, quem pridem vt didaſcalum præceptoremq; coluerat, poſtmodum diſcipulum & æmulatorem haberet: deinde anni vnius exacto curriculo, tanquam miles acrioris pugnæ donatiuum intrepidus ſuſcipiens, baptiſmatis [i] gratiam à ſæpedicto ſeniore percepit, qui ſacro baptiſmatis fonte regeneratus, iuuenem formoſiſſimum ſolis ſpheræ in modum renitentem conſpexit aſſiſtere, ſibi quoque veſtē candidam, qua operiretur adminiſtrare: quem cum vir Domini Baſianus reuerenter perquireret quis eſſet, ob quam gratiam ſedem illam adierit, *& ſe iam pridem cælitus eſſe miſſum, vt ſacrum eius propoſitum proſperè diſponat, & quæque ſibi noxia procul ab eo abigat. His completis confeſtim ab eorum oculis elapſus eſt, tanta ſuauitatis fragrantia per mediam ferè horam ibi præſentes reficiens, vt carnis mole depoſita ſibi viderentur in cœleſtibus conuerſari.

[g] Catechizari petit.

[h] Eius vitæ ratio.

[i] Baptizatur, & iuuenē venuſtate cōſpicuū cernit ſibi veſtem cāidam porrigentem.

INTEREA [k] beati viri comites, quos eatenus tantùm latuerat myſterium, præter vnum maiorem natu, quem idē Domini

*f reſpondet ſe iam

[k] Comites eius de ſtrictiori eius vita inquirunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Domini famulus intimorum suorum socium adsciuerat, vicissim solicite sciscitabantur, quia dominus suus inauditâ parcitate, pernoctationibusque insolitis incessanter attenuaretur; Quibus maior natu, eiusque fidelissimus minister ista retulit; liberalis disciplina sibi studiose adhærentibus præstare consueuit, vt superfluis voluptatibus sepositis naturæ dominis contentos efficiat. Identidem in domino nostro cum se ad altiorem philosophiam confert, noueritis fieri. Illi verò recolentes, cum adhuc cunabulis foueretur,[a] cruces quas nunquam viderat, digito pulueri imprimebat, segetis quoque culmos ad earum instar diuinitus componebat, & à nutrice crebrò obiurgabatur; curiosius inuestigare non desinunt, donec in veritate comperiunt[b] regenerationis lauacrum recepisse. Quadam enim die, cum nocturnis excubijs nimium fatigatus se sopori dedisset, audiunt eum in eodem sopore sanctæ Trinitatis inuocare nomen, vt ad gloriam diligentibus se repromissam dignaretur se quoque dirigere. Cui vox superna subiecit: Gaude & lætare fidelissime fatelles Christi Basiane, quoniam deprecatio tua admissa est coram Domino, & sedes gratissima in cœlo tibi parata.

[a] Cruces quî infantulus formarit.

[b] Baptizatũ eum qui comites eius recognouerint.

V. His[c] auditis, clam beato viro, ministri eius vrbe prodeunt, vno duntaxat fideli secum relicto, patrique legationem molestissimam celeriter perferunt; cumque pater anxius apparatum instrueret, quo filium ab incepto, etsi non blandè, vel violenter reuocare posset. Contigit vt Domini Confessor beati Apostoli Ioannis[d] basilicam primo gallorum cantu ingrederetur, vbi obsecrationibus iuxta morem inseruiens, aspicit canitie veneranda patronum decoratum se monere. Noueris fidelissime Confessor Domini hanc sedem quam citiùs tibi mutandam, atq; Rauennam cum fido comite adeundum; tuæ perpetuæ saluti genitor tuus insidias moliri non desistit, vt à rectitudinis calle te vel inuitum auertere possit; idcircò diuinæ bonitatis clementia, famulantium sibi curam non deserens, me Apostolum ad te venire destinauit, ne præuento callidi hostis fraudibus, euadendi aditus negaretur tibi. Quibus relatis valedicens à sancto viro discessit. Tunc verò sæpissimè genu flectens obnixius Domino fundere preces non omisit, cuius ope & gratia imminens periculum se declinare cognouerat, cumque orandi interuallum paululùm faceret, accersito ministro fidelissimo Apostolicæ iussionis seriem insinuare non distulit; suæ quoque facultatis quicquid reliquum fuerat, egestate laborantibus erogari præcepit, vt caducorũ abiecta sarcina, brauium benè currentium expeditius perciperet.

[c] Basiani baptismum patri renunciant

[d] Basianus cœlitus de persecutione patentis monetur.

VI. Postera autem die ab vrbe procedens, prout ei iussum fuerat,[e] Rauennam ire perrexit. Qui cum vrbe ad quam intenderat trium dierum procul haberetur, intuitus[f] ceruam cum duobus hinnulis, quam venantium insidiæ adeò afflixerant, vt omnem liberationis respectum prorsus eriperent; mouit pietatis affectum in eam, eiusq; ac filiorum periculo condescendere benignè deliberans, præcepit ei in nomine Domini, vt se intrepida accederet; quæ mox, omni exata ferocitate, virum sanctum adijt, quam dum manu propria velut multo ante suetam leniret, ipsa illius pedes congratulans auidè lingere cœpit, tanquam salutis suæ viam per eum se habituram nosset: Hanc item venatores, laboris sui pretium sperantes, propè circumstant, paulisper hæsitantes quid significaret, ceruam modo sibi immitem, vni repentè viatori mitissimam extitisse. Tunc verò vnus, cæteris imprudentior, ait: O stolidissimi, quæ mentis vestræ statum vesania peruertit, vt prædam vobis oblatam suscipere moremini? Et hæc dicens de manibus hominis Dei conatur eandem violenter aufferre; ad quem Pater venerabilis; Non ego, inquit, sed numen cœleste tibi imperat, ne hanc pecudem aut aliusmodi fœtus lædere aut fatigare audeas: At ille, furore insano raptus, hominem[g] pium & misericordem arroganter impulit: sed punire vltio superna eiusdem arrogantiam continuò censuit; peruatius namque à dæmonio, diuque vexatus, vtroque lumine ademptо, vitalem suis adstantibus spiritum penè reddidit: Quo metu repulsi sanctissimis pedibus prostrati, lachrymis manantibus, veniam postulant, ne pro suis illicitis similia luant. Tunc ipse eos hinc procul remoueri, ipse verò ad locum vbi moribundus humi prostratus voluebatur, cum suo duntaxat comite accedens, totumque pronus vigorem ad Deum dirigens, huiusmodi sumit exordium: Deus vniuersitatis mirabilis conditor; Deus humanæ ruinæ pijssimus reparator, qui non perditionem morientium, sed præcipuè salute lætaris viuentium, indulge iacenti misero, quæ ignorans aduersus nomen tuum sanctum temerè commisit. Apprehensaque[h] dextera iacentis, inquit: Dæmon, qui te de cœlesti sede superbientem ad ima ruere compulit, sedem tartaream celeriter adeas, vbi te perpetuò puniendum non ignoras. Orationis quidem ordinem necdum transegerat, cum humanæ felicitatis * hominem breui possessùm, sed morte tenus concussum, tristis ac confusus deserit. Corpus verò, vti exanime, oculis etiam tunc cæcitate damnatis, immobile videbatur; sed sanctæ crucis signaculo à sancto viro cæcitate fugata, tanquam vinculis solutus, sancto iubente, sospes exsilijt, reuocatisque socijs incolumis restituitur; qui pariter tantæ virtutis stupore perterriti, Deo qui in sancto suo mirabilis videri voluit, almoq; Confessori gratias agentes, ad propria remeant, vbi ad honorẽ Dei & Confessoris sui vniuersis narrare gaudent quæ viderant. Interea ceruа quid sanctus ei mandaret adhuc sustinens, ad ipsius nutum lustra, quibus metus expulerat, cum fœtibus repetit. Ille autem viæ non immemor gradum quo tetenderat ipse dirigit, vbi vicinam B. Apollinaris[i] basilicæ sedem maluit ponere, quatenus remota ciuium frequentia Deo liberius valeat obtemperare.

[e] Rauennã proficiscitur

[f] Ceruam quam venatores prosequebãtur liberat.

[g] Dæmon, hominem sancto viro se opponentem, inuadit.

[h] Intercessione S. Basiani liberatur & visui restituitur.

* *inimicus, seu hostis, hic videtur deesse.*

[i] Ad basilicã S. Apollinaris sedem figit.

VII. Per idem tempus imperante Valeriano, cum iam sancti opinio celebris haberetur, Epistola Rauennatum præsidi, ciuibusque vniuersis ab eodem Imperatore dirigitur; quæ[k] Bithynium eiusdem ciuitatis iudicem, qui maiestatis reus dicebatur, iubebat capitalem subire sententiam, qui cum ibi in quo puniendus credebatur, vinctus teneretur, precem hanc fundere deliberauit. Famule Domini Basiane per gratiam, quam apud Deum obtinuisti, mihi præsens esto refugium. Mox dum spiculator summo conamine ictum intenderet, de manibus eius bipennis longè resiliuit. Quod præses ratus dolis spiculatoris fieri, alterum pro eo substituit, cui semel atque iterum viriliter tentanti idem contigit: Quo signo Præses perterritus præcepit eum fauente populo solui, & custodiæ mancipari donec relatio ad Imperatorem de eodem fieret. Cumque ad Imperatoris aures quod gestum fuerat non pòst multum pertingeret, iubet eum Valerianus de custodia produci, & noxæ qua reus tenebatur immunem exinde haberi. Qui facultatibus proprijs restitutus, mundanis negotijs renuntians, totum se Deo, eiusque fideli Basiano plenissimè deuouit. Per idem tempus cogente Clero ac populo per singulos ecclesiasticos gradus, ad sacerdotij[l] dignitatem promouetur; paulò pòst autem ministri eius cursu vitæ religiosæ expleto benè currentis palmam adeptus est; cuius die septimo depositionis, cum sanctus deuotissimè sacrificij munus, assistente[m] Bithynio pro eo offerret, vox cœlitus prolata: Is, inquit, iustorum amœnitate iam fruitur pro quo solicitus oras, quia quod fide percepit, opere exercere non recusauit. Quod vir Domini redemptionis nostræ hostiâ oblatâ, lætabundus Bithynio intimauit; ille quoq; se audîsse asserens ei cœpit congratulari.

[k] Bithynius Rauennatũ iudex, ad inuocationẽ S. Basiani mortis supplicium miraculosè euadit.

[l] S. Basianus fit Sacerdos.

[m] Ministrũ suum saluatum diuinitus percipit

VIII. Per idem tempus Laudensis populus pastore proprio destitutus rogationes publicas triduo indixerat, quatenus præsulem futurum Ecclesiæ suæ idoneum præsidere diuina pietas innotesceret. Quorum deuotioni, auditu benigne inclinato, Clemẽti[n] eiusdem Ecclesiæ venerabili presbytero, dum quieti artus committeret, postulata his verbis nuntiat: Basianum gemmis cœlestibus insignitum, vobis diuinitus præponendum scitote, qui suorum iam securus, pro aliorum excessibus rogare non desinit, multosque Rauennatum, apud quos Deo militat, honestis moribus informa- re satagit. Tunc Clemens reuelatione gauisus, accitis de Clero & populo religiosis, audita refert: protinus duos facundia & conuersatione pollentes eligunt, per quos ad virum Domini [o] legationem sacram confidenter referunt. Ipsi autem nocte, cuius diei sequenti sanctum conueniunt, nunciatum Patri per spiritum, à Liguriæ partibus geminos viros

[n] Episcop. cœlit. Laudensibus designatur.

[o] Legatio ei decernitur à Laudensibus.

viros Domino ſuggerente ſibi in craſtinum aduentare, quibus benignè ſuſceptis eorum ſermonibus adquieſcere non recuſaret. Cumq; ad eum percunctandum manè peruenirent, loquendi copia ab eo poſtulata legationis ſummam ſolenniter referunt, quibus Domini famulus adhæc inquit: Deus hominem immortalem condidit, vt mandatis eius curaret diligenter obſequi; poſtquam verò eorum negligens exſtitit, ſibi cunctisq; poſteris necem parauit: inconſequens ergò videtur, quod humana temeritas Dei audeat reniti voluntati, cum Apoſtolus dicat: non quod ego volo ago; ſed quod nolo facio. Nos itaq; recuſantes ambitum honoris, quãquam volentes pondus pro fratribus ſubeamus laboris. Poſtmodum in hoſpitium introducens, hortatur eos itinere nimium feſſos otioſe recreari: illi autem deſiderij ſui cõpotes, longiori quieti negantes indulgere, cum theſauro optato intempeſtæ hora noctis ad propria gaudent remeare.

Rom. 7.

[a] Paralytico vſum linguæ reſtituit.

Factum eſt autem cùm à populo Laudenſi deuotiſſimè ſuſciperetur, vt quidam clarus genere morbo [a] paralytico iam dudum ſermone priuatus, ad eum oſculandum accederet: cui poſt oſculum ita ſermo integer reſtituitur, vt à cunctis poſtmodum, quam ante perditum ſermonem expeditius, loqui videretur.

[b] Conſecratur Epiſcopus.

[c] In Epiſcopatu quomodo ſe geſſerit.

[d] SS. Apoſtolorum baſilicam conſtruit.

[e] Quid in cõſecratione eius contigerit.

IX. Post non multum verò temporis cum prouincialibus [b] Epiſcopis conuocatis, cum laude & honore Dei ad ſedem Pontificalem prouehitur; eo deinceps conſpectus humilior; quo gradus quem ſuſceperat inerat excelſior. Menſa verò [c] eius peregrinis & egenis præcipuè refectionem præſtabat, quibus ſemper adhibitis, cibos lautiores ipſe miniſtrare conſueuerat. Parcimoniæ quotidianæ, vt carnis delectationes ſuperfluas deprimeret, vſq; adeò inhærebat, vt naturæ quoq; conditionem tranſcendere crederetur. Vinum etiam aut alicuius ſaporem quo inebriari poſſet, niſi Dominicæ reſurrectionis die, vel præcipuis ſanctorum ſolennitatibus nunquam attingebat. Lectionibus ſacris aut deuotis obſecrationibus ſine ceſſatione incumbebat. Quodam autem tempore dum animo reuolueret quod Domino acceptabile munus præter ſolitum offerret; placuit ei in ſuburbio orientali, ad honorem & reuerentiam [d] Apoſtolorum oratorium condere; datisq; ſumptibus ad fabricam perficiendam, opus quod cœperat, non multum diſtulit conſummare. Ad cuius dedicationem beatiſſimum Ambroſium Mediolanenſem, & Fælicem Cumanum Pontificem venire perſuaſit. Cuius dedicationis idem Beatus Ambroſius in libro Epiſtolarum ſuarum meminiſſe non præterijt, factumq; eſt vt inter [e] conſecrandum dæmonis vox per os puellæ huiuſmodi audiretur. Quid viri Dei tam iniquum luctamen aduerſus me ſuſcepiſtis, vt tres contra me ſolum arma intoleranda pugnando præparatis? Nunquid parum vobis eſt, quia nobis nocendi ademiſtis vires, niſi etiam ab illis quos poſſidemus arcere conemini? quod ſi hinc me exire compelletis, adhibitis mecum duobus vel pluribus, aliam occupabo ſedem, ad quam non dabitur vobis facultas aſpirare. Tunc verò ſancti pariter proſtrati ſummæ pietatis opem certatim implorant, vt dæmone fugato præſentibus innoteſceret, magnitudinis ſuæ potentia. At [f] vbi conditionis humanæ aduerſarius virtutem inſuperabilem ſenſit adeſſe, diu diſcerpens atq; contorquens puellam, tandem confuſus ab ea compellitur exire. Protinus ſancti ab oratione ſurgentes, puellam parentibus incolumem committunt, hortanturq; vt Domino ſalutis ſuæ auctori gratias indeſinenter agant. Conſecrationis igitur myſterio ritè expleto, cum gratiarum actione vnanimiter menſam adeunt, vbi non modo eſcis corporis refici, verum etiam ſententias conferre multo magis appetunt ſacri eloquij. Die autem ſequenti cum reditus ſui licentiam peterent, obtinuit vir Domini Baſianus, vt interim pariter ieiunia ſoluerent: inde viciſſim vale dicentes ſedes adeunt proprias.

[f] Dæmon à puella ejicitur.

[g] Puerum à ſerpente ictum ad vitam reuocat.

X. Messis præterea tempore, dum quidam puerulus inter metentium manipulos deambularet, ſerpentis vulnere interijt. Qui cum in Eccleſiam Apoſtolorum, quam præſul Domini fundauerat deportaretur, factum eſt vt in eadem, ſicut crebrò ſolebat, omnipotenti laudes perſolueret, ſed pſallendi conſtantiam mentisq; deuotionem parentum plangor miſerandus omnimodò permutabat: Quos [g] Pater ſanctus, cum cæteris Eccleſiam exire præcipiens, ſolus iuxta defuncti corpuſculum ad orationem proſternitur, cumq; in oratione aliquamdiù perſiſteret, lachrymis pauimentum rigans, exanimati membra tertiò viſa ſunt concuti, deindè totum corpuſculum moueri: ſurgente verò Domini ſacerdote à loco in quo omnipotentis virtutem pro puero deuotè poſtulauerat, puer rediuiuus cum eo pariter ſurgens, primo ſermone tanquam nihil paſſus, matrem vocare cœpit: Quo audito parentes cæteriq; qui pro foribus manebant, inopinatæ lætitiæ moram nõ ſuſtinentes, Eccleſiam irruunt, virtutemq; Dei quam per ſacerdotem ſuum declarare voluit, admirari non ſufficiunt. Tunc vir Domini ſalutaria monita auribus populi, qui multus conuenerat, benignè inſerens hortatur, quatenus illius, & omnium virtutum auctori certent famulari, ad cuius nutum & imperium puer meruit viuificari. His itaq; alijsq; pluribus populus animatus in Chriſto, Deum inceſſanter magnificans cum puero vitæ reſtituto, exultanter recedit, atq; præſulem ſanctum, quem tanti miraculi efficacem cognouerat, prædicare non ceſſat.

[h] S. Ambroſij obitum prædicit.

[i] Eius funeralibus exequijs interest.

XI. Per idem tempus [h] B. Ambroſius longo corporis languore detentus, ſancto Baſiano cum eodem orante vidit Deum arridentem accedere ſibi, quod fratri fideliſſimo Baſiano imputandum protinùs intimare non diſtulit. Vir autem Domini Baſianus mente reuoluens, quod ab eo didicerat, manantibus lachrymis hominis Domini tranſitum innuere ſibi fideliter famulantibus prædixit; quod paulò pòſt * ſic ſpiritu diuino prædixerat, Mediolanenſis populus cum eodem dolendo contigiſſe probauit. Ipſe verò [i] beati funeris exequijs honeſtiſſimè depoſitis ſarcophago membra ſanctiſſima componens, Laudenſem repetit cathedram, vbi ſedulus ſancti virtutes & conuerſationem commendans, celebrare ſummoperè gaudebat: ſemper namq; in ore, ſemper in corde ſanctum virum geſtabat, memoria eius vel dormiendo ab eo nunquam recedebat. Frequenter enim dum aut lectione aut oratione feſſum ſe ſopori dediſſet, audiebatur velut ſecum præſentem ſermonem habere, & tam iucundæ viſioni pleniſſimè congratulari.

* *f. ſicut.*

[k] In lance doloſi diabolum in forma Ethiopis cõſpicit.

XII. Sequenti etiam tempore dum Mediolanum proficiſcens quatenus almi Confeſſoris eiuſdem ſuffragia appetenda poſtularet, factum eſt vt vrbem ingreſſus quendam doloſè librantem ſtateram, [k] Ethiopemq; paruulum in lance vna conſpiceret. Qui cùm ab eis qui ſecum aderant percunctaretur ſi idem eis patefieret, aiunt ſe nihil eiuſmodi vidiſſe, quod ſanctus videre meruerat. Tunc Domini Confeſſor eos benignè hortatur, vt diuinæ bonitatis clementiam, ſecum corde ſincero ſtudeant implorare, quemadmodum viſionis eiuſdem teſtes fideles dignarentur addere, qui magnificentiam eius vnanimiter non deſinant prædicare: precibus itaq; Deo oblatis, conceſſit cœleſtis pietas Clementi preſbyteto atq; Elbonio Diacono, idipſum quod Patri ſancto, videre conceſſerat; accerſitumq; libripendem diligenter interrogat quod pondus doloſum in ſtatera emptorem illuderet? illo autem inſtanter aſſerente, nihil eiuſmodi fuiſſe: narrat ei Pater ſanctus, quid ad correctionem & ſalutem eius, altiſſimus ſibi ſuisq; dignatus fuerit pandere. Confeſtim venditor genibus eius prouolutus, noxam qua puniendum eum ſanctus prædixerat, gemendo confitetur: cui Confeſſor; qui vt medelæ ſpiritalis peritus, ſalutiferum obtulit antidotum, præcipiens vt quicquid congeſtæ pecuniæ, vltra quod debitus vſus exigebat accumulauerat, indigentiam patientibus largiri feſtinaret: qui admonitione ſancta ad Deum conuerſus multis ſalutis ſuæ modum prædicare non deſtitit, eos conuerſatione atq; exemplo à prauitatibus prudenter reuocando, vt in quibus abundaſſet peccatum, ſuperabundaret & gratia, & qui hactenus vt infructuoſæ arbores igni traditi fuerant; poſtmodum fructus acceptabiles conditori ſuo referre digni haberentur. Multa de ſancti viri actibus almificis copia ad dicendum ſuppetit: ſed ne relatio productior legentibus tædium generaret, vel audientium fidem quodam modo infirmaret, maluimus de eodem ſuccinctum habere ſermonem. Minus enim enarrationis ſermo audientem onerat, qui prolixitatem vitans, rei geſtæ veritatem ad plenum notificat,

tificat, quam si per ambages eam producendo quasi fastiditam edisserat. Quocirca de B. sacerdote strictim quæ restant subdere oportunum sperauimus, à quo vires bene dicendi, si quid bŏni manauerit, tribui non diffidimus.

XII. Qvi cùm vitæ suæ cursum speciali præsagio consummari didicisset, religiosis astantibus de Clero nunciat dissolutionis suæ diem imminere; die verò septimo quo hæc prædixerat longuore nimio correptus, suis pro tanti pastoris desolatione miserabiliter lugentibus, talia monita dedit. Nolite filioli de meo turbari transitu, quoniam fidelis militaui principi, à quo militiæ præmium me suscepturum certissime noui: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, ipse restituet hæreditatem meam mihi. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear: neque vos præsenti consolatione prius priuabit, quam vos custodiendos susscepi. Hoc enim à Domino impetraui vt ipse vos custodiat, ne blandimentis suis mundus cum amatoribus suis incautos corrumpat; cumque carnis sarcinam deposuero in basilica Apostolorum quam ipse fundaui, membra corruptibilia principio suo, sicut mortalis conditio exigit, restituite: quoniam pios intercessores eos optaui, ac credidi me semper habere. Factum est autem vt vndecimo die de quo hoc prædixerat sancta anima, ortus funeri relinquens, ad cœlum exultantibus angelis deportaretur; sanctum verò corpus eius, sicut ipse præceperat in Ecclesia Apostolorum, cum digno exequiarum honore reconditum est, vbi interuentione ipsius multa beneficia præstantur, membraq; languoribus diuersis debilia pristinis vsibus reparantur, ad gloriam & honorem Iesu Christi Domini nostri, cui est æquus honor, laus & imperium, cum Patre & Spiritu S. in sæcula sæculorum, Amen.

Exitū suum è vita prædicit.

Suos ob discessum eius lugentes consolatur.

Excedit è vita.

Psal. 15.

XIII. Præterea fidelium auribus nequaquam onerosum videri arbitramur, si vnam ex pluribus virtutem, quas eiusdem sancti obtinentibus meritis, post transitum ipsius superna maiestas patere disposuit, memoralis inserere curemus. Nam per ea quæ inter mortales stupenda diuinitus geri contemplamur, incontemplabilem omnipotentem colimus, & indubitanter veneramur, eiusque iugo leui libentius supponi properantes, de promissionum suarum efficientia nullo nunquam tempore titubamus. Factum est ergò non multum pòst excessum B. sacerdotis vt quidam tauros habens geminos, quorum solo post Deum adiumento suam suorumq; vitam continuare disposuerat, eosque in eiusdem sancti annua solennitate pascentes deserens, oratorium in quo sanctissimum venerabatur corpus deuotissime petijt. Interea furaduersam gerens solicitudinem, vbi tauros absq; pastore errantes conspicit, totius boni suggestore inimico eos confidenter aggressus est abducere; Viri quoq; cuius fuerant, benignam deuotionem, ob damnum irrogatum sibi, grauiter lædere. Cumque sinceræ orationis ordine humiliter expleto tauros quos reliquerat inuisere prætatus Agricola satageret, neque eos quouis indicio reperire valeret, peragratis pascuis, in quibus spaciare consueuerant, eorumque locis contiguis, festinus ad sancti remeat tumulum, vbi genibus flexis noctem illam peruigilem transiens, velut commendatos oportune ab eo exigebat; dumque voce indeficienti eos sibi restitui postulat, furti minister sperans se rapinæ periculum iam declinasse, vtpotè laborioſi itineris supplicio, diutissimo quoque errore cælitus vexatus, ad fores Ecclesiæ laborioſi almi Confessoris intrepidus scelerisque securus peruenit: diuertens verò ad domum quam ei proximam conspexerat, rapinam quam se impunè adeptum credebat in ea locauit, referens se in foro venalium eam pretio comparasse: deinde artus nimium fessos, sopore paululùm recreans, ad eandem Ecclesiam sub prætextu honestatis tendere deliberauit: verum dum Basilicam qua se indignum exhibuerat, summo conamine ingredi tentaret: præcelso examine à liminibus repulsus, volui præ foribus velut amens terribiliter cœpit, neq; quiescendi licentiam meruit, donec diu voluendo sancto palàm assistentibus crebrò exclamaret: En tamen in domo proxima, en adsunt tauri; cumq; præsentes vicissim mirarentur, quid huiusmodi vox significaret: hic cuius fuerant, inter cæteros admirans, quæ ante fores cœlitus fieri videbat, ad vocem furis preces quas fideliter fuderat, ad effectum venisse cognouit, & à Domini Confessore impetrasse quod postulauerat: inde ad segetem in qua tauros absconditos esse didicerat, impiger cucurrit, eosq; inuentos inter septa propria reducere gaudet: postmodum Ecclesiam repetens, his quos stupentes reliquerat, magnalia Dei quæ per beatum Basianum patrare dignatus est, per ordinem narrat: præsens verò populus animaduersis quæ ab eo dicebantur, omnium virtutum auctori, nec non eius præclaro Confessori laudes propere celebrauere qui gloriam quam suis in cœlestibus contulit, per signa ingentia mortalibus destinat declarare: Latro quoq; patrata criminis tota animi contentione pœnitens, vt veniam mereretur certatim insistebat, de cuius spe atq; respectu confusus, Ecclesiæ aditum sibi obnoxium prohibitum, facilem consecutus est, in qua se reliquo vitæ suæ tempore Deo, eius etiam fideli Basiano famulari deuouit; pristinisq; prauitatibus, quibus se implicuerat superna opitulante clementia abrenunciare non distulit: quin etiam post conuersionem suam non sine suspiriis testari solebat, quoniam in ipsa nocte qua tauros subripuerat, aues teterrimas erroris sui præuias volitare viderit, quas oculorum suorum aciem certatim turbasse asserebat, neq; etiam à se discessisse, quousq; ante aras Virginis turrificæ inire cursum compelleret: In qua re superna dispensatio cautissime consideranda est, qui eosdem delinquenti tortores sæuissimos adhibet, quos nequitiæ suæ suasores habere studet: quibus verò amœnitatem aëriam præstat, ipsa eosdem vt eam mereantur diuinitus informat, quod nobis eo, cuius gesta retulimus, interueniente concedere dignetur, qui immutabilis manens, mutabilia disponit in sæcula sæculorum, Amen.

Gregorius Latro pro fure.

Agricola boues suos recipit.

Eius pœna.

XIV. Rexit Laudensem Ecclesiam triginta quinq; annos & viginti dies. Nonagesimo verò vitæ suæ anno humo quod suum fuerat, *polumq; gaudens adijt Honorij octauo ac Theodosij.

*reliquit, videtur deesse

An. 370.

VITA BREVIS SANCTISSIMI CONFESSORIS BASSIANI EPISCOPI LAVDIS POMPEIAE, EX HIERONYMI RVBEI VIRI DOctissimi Libro secundo historiæ Rauennatum.

I. Emporibvs Vrsi Archiepiscopi Rauennatis, natione Siculi, qui Liberio tertio (quem & Liuerium seu Oliuerium appellant) succesſit Bassianus Syracusanus eius affinis, Romæ cælitus monitus, ad Archiepiscopum Vrsum suum affinem aufugit: cum enim eum decennem pater, vt instrueretur studijs liberalibus, Romam misisset: ipse verò, Gordiano sacerdote instituente, Christianus [a] esset factus, Sergius pater qui deos impios venerabatur, re accepta, vehementer commotus, legatos misit, qui aut captum ad se adducerent, aut, si aliter fieri non posset, interficerent. Itaq; Bassianus [b] Rauennam se ad Vrsum Archiepiscopum affinem suum, contulit. Cum verò iam Rauenna quindecim passuum millia abesset, quo loco est Phycocle, vrbs peruetusta, ceruam cum duobus catulis, quam venatores fuerant persecuti, conspicatus, naturali motus misericordia, ad se in nomine Domini accedere eam iussit, quamobrem [c] cerua ad pedes iuuenis sancti prouoluta, eos lingebat Aduenientibus autem interea venatoribus, & assiduè ceruam præberi sibi flagitantibus, cum eorum vnus, viro sancto negante in eum irruens, abstrahere ceruam conaretur, eumq; impelleret: repente à dæmone ictus, cæcusq; factus, patium omninò abfuit, quin animam exhalaret Cæteri [d] ob id sibi metuentes, ad pedes sancti iuuenis proiecti, veniam postulabant. Verum eos Bassianus oratione benigna consolatus, Deumq; pro eo precatus quem dæmon arripuerat, cacodæmone abire iusso, statim incolumem socijs illum restituit, cerua [e] latibulum suum repetente. Ob hoc miraculum, vrbem Phycoclem, appellatam deinde Ceruiam ferunt.

19. Ian.

Fur agricolæ, dum in annua S. Bassiani solennitate corpus eius visitat, binos boues aufert.

[a] S. Bassianus fit Christianus.

[b] Fugit Rauennam ad Vrsum Archiepiscop.

[c] Liberat ceruam à morte.

[d] Item dæmoniacum.

[e] Ceruia vrbs vnde dicta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

VRSVS benignè atq; amanter Bassianum complexus, eò sic, vt delitescceret obsecrante, in templo satis exiguo & ignobili D. Apollinaris in classe illum constituit. Vbi maiores quotidiè progressus in via Domini faciens, enituit vel eo maximè prodigio, cùm mandauit Cæsar Bythimnium, vrbis Rauennæ iudicem maiestatis reum capite mulctari. Bassiani enim precibus apud Deum factum est, vt carnifice ictum in ceruicem Bythimnij intendente, ex eius manibus securis, nõ semèl modò, verùm bis aut ter desiluerit. Quamobrem territus Præses, saluum abire Bythimnium atq; integrum voluit. Tandem verò Bassianus ab Exuperantio Rauennatum Archiepiscopo, siue ab hoc Vrso vt alij arbitrantur, Laudis Pompeiæ Episcopus factus, 14. Calend. Febr. ad Christum migrauit. II.

An. 280. # GESTA BEATI SEBASTIANI CLARISSIMI MARTYRIS, GRAVISSIME CONSCRIPTA, E QVIBVS BEDA ET VSVARDVS MVLTA NON vno loco descripserunt, & in sua martyrologia transtulerunt: habenturq; in antiquis MSS. codicibus. Est autem passim nonnihil mutatus stylus, sed modestè per F. Laurent. Surium: quòd alioquin stylo elegantissima ex parte scripta sint.

Ian. 20. [a] S. Ambros. in Psal. 118. serm. 20. & alij tradunt eum patre Narbonẽsi, matre Mediolanense, natum Mediolan. teste Bar. ad an. 284

SEBASTIANVS [a] vir Christianissimus, Mediolani eruditus, ciuitate Narbonensi oriundus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ita charus erat in omnibus, vt principatum ei primæ cohortis traderent, & suo eum conspectui iuberent semper adstare. Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, in interuentu strenuus, in bonitate conspicuus, in vniuersa morum honestate præclarus. Hunc milites quasi patrem venerabantur, hunc vniuersi, qui præerant palatio, summo amoris studio complectebantur atq; colebant. Erat enim verus Dei cultor, & necesse erat, vt quem Deus larga perfuderat gratia, is ab omnibus amaretur. Et [b] quotidiè ille quidem sedulum Christo exhibebat officium, sed tamen dabat operam, vt id sacrilegis regibus esset incompertum: non passionis timore perterritus, nec patrimonij sui amore constrictus, sed ad hoc tantùm sub chlamyde terreni imperij, Christi militem tegebat absconditum, vt Christianorum animos, quos inter tormenta videbat deficere, confirmaret, & Deo redderet animas, quas diabolus conabatur auferre. Deniq; postquam multas martyrum mentes à timore passionis eripuit, & ad capessendam coronam perpetuæ vitæ incitauit, ipse quoq; quis esset aperuit, quia lumen latére in tenebris non potuit. I.

[b] Celat religionẽ suam

CLARISSIMIS igitur viris [c] Marcelliano & Marco, duobus geminis fratribus, pro Christi nomine in vinculis constitutis, quotidiè solatium exhibebat, & tam ipsis, quàm etiam seruis eorum, cum quibus tanti fuerant, salutaria fidei cõsilia ministrabat, vti fugitiua sæculi blandimenta respuerent, & momentaneos corporum cruciatus non timerent. Qui cùm saniissimis consolationibus acquiescerent, & verbera carnificum constanti animo perferrent, capite dãnati sunt: idq; hac conditione, vt si eo temporis puncto, quo gladio feriendi essent, sacrificare vellent, & parentibus & coniugibus & liberis & facultatibus suis redderentur. Erant enim non solùm, vt diximus, genere clarissimi viri, sed etiam facultatibus locupletes: patre Tranquillino, matre Martia progeniti, qui illos sequebantur cum vxoribus eorum & filijs, quos illi, vtpotè nepotes suos, ingenti sanè amore prosequebãtur. Vndè factum est, vt ab Agrestio Chromatio, vrbis Romæ præfecto, triginta dierum inducias impetrarent: quo temporis spatio ageretur cum illis, vt ad sacrificandum idolis accederent. II.

[c] Annõ 284. Marcum & Marcellianum martyres, qui apud Nicostratum Prefectum in vinculis asseruabantur, ad constantiã hortatur. Vide Bar. hoc an.

ACCEDENTES itaq; [d] amici eorum ad illos, ita eos compellare cœperunt: Vndè vobis tam dura mens, tamq; ferreum pectus, vt neq; patris canitie permoueamini, & matri iam decrepitæ nouos partûs dolores afferatis? Olim quidem illa partûs sui dolores his consolationibus superabat, quòd vno cruciatu duos filios pareret, & geminum patri filiorum affectum funderet: at nunc insanabilis dolor, pœna incurabilis, immedicabilis cruciatus, incomparabilis parturitio est, dum spes & gaudium eripitur, vita contemnitur, respuitur gloria, & proculcatis omnibus pietatis affectibus, mortis atrocitas appetitur potiùs quàm timetur. Obsecramus vos, ô amici charissimi, tandem hisce finem date calamitatibus, & vos patres esse dulcium filiorum vel admoniti mementote. Hæc & his similia amicis dicentibus, miseram se clamitans mater aduenit, solutisq; crinibus, canos suæ senectutis ostentans, in conspectu eorum vestem, qua tegebatur pectus, scidit, & cunctis lachrymantibus, ostendebat eis, laxis iam pellibus marcidas, quas suxerant mammas & blandimenta, quæ illis adhuc infantibus exhibuisset, multùm eiulans commemorabat, ita inquiens: III.

[d] Tentatio vehemens SS Martyrum à cognatis.

A matre. TV mihi semper plus blanditus es fili, & tu amplius verecundatus es. In illo imaginem meam peperi, in te paternos vultus effudi: tu patri vtilior, iste similior Heu me, heu me miseram: circumuallat me ex omni parte incomparabilis luctus, inaudita miseria & geminata orbitas, nullis penitus calamitatibus æquiparanda. Amitto filios ad mortẽ vltrò properantes: quos si mihi hostes auferrent, per medias sequerer acies bellatorum: si iudicia violenta concluderent, carcerem simul irrumperem moritura. Nouum hoc pereundi genus est, in quo carnifex rogatur vt feriat, vita optatur vt pereat, mors inuitatur vt veniat. Nouus hic luctus est, noua miseria, in qua natorum iuuentus sponte sua interit, & miseranda parentum senectus compellitur vt viuat. IV.

A patre. HÆC & his similia prosequente matre, infirmus pater & iam senio grauis, manibus seruulorum adducitur, qui cygnæum caput puluere conspergens, huiusmodi dabat voces ad cœlum: Ad mortem vltrò proficiscentibus filijs valedicturus aduenì, vt vniuersa, quæ à filijs sepulturæ meæ exhibenda paraueram, ego infælix filios sepulturus expendam. O filij mei, baculus senectutis, & geminum viscerum meorum lumen, nati fæliciter & prosperè educari excellentissimæ memoriæ & ingenij singularis, omniumq; liberalium peritia literarum imbuti, quæ ista repentè insania, vestra voluntate susceptа, mortis vos fecit esse amantes? quæ sanè vita præditis nunquam grata fuit, nunquam ne morituris quidem suî amorem attulit: ad quoscunq; autem peruadere potuit, violenter admissa est, nec mortalium quisquam sua eam voluntate excepit. Quòd si hanc nudus debitor, sub auaro fœneratore positus, nulla potest ratione diligere, imò non solùm non diligere, sed timere etiam illam conspicitur: qua ratione eam appetit, qui & bonis omnibus exuperat, nec vlli quicquam debet? Venite, quæso, huc iuuenes, & plorate iuuenes sua sponte pereuntes. Venite senes, & mecum meos plangite filios, quotquot vos paterna habere viscera sentitis. Huc accedite patres, & cauete, nè similia etiam vos patiamini. Deficite plorando oculi mei, & caliginem obducite, fundentes flumina lachrymarum, nè videam cædi gladio, quos dum virga leuis tangeret, tremui: dum mœrentes leuiter viderem, expaui. Dum hæc & eiusmodi senior pater ageret, en amborum quoq; coniuges cum liberis adueniunt, & eorum adspectibus offerentes infantulos, in has voces cum multo eiulatu prorumpunt: Quibus nos seruituras relinquitis? quibus coniugij nostri traditis charitatem? Qui, putatis, erunt horum infantium domini? qui vestrarum ædium auidissimi inuasores? qui vestræ occupatores familiæ? qui sibi diuisuri vernaculos, quos nutriuistis? Heu quàm ferreo, heu quàm impio crudelitatis genere parentes despicitis, amicos respuitis, vxores abijcitis, filios abdicatis, & vosipsos carnifici vltrò iugulandos exhibetis. Interea dum hæc dicuntur & fiunt, inter vxorum lachrymas & suspiria filiorum, cœperunt milites Christi mollescere, & animi dolore permoueri. V.

Memoria, ingenium, eruditio eorum,

A coniugibus & liberis.

Mollescunt animi martyrum.

HVIC autem spectaculo, vt antè diximus, intererat S. Sebastianus, vir per omnia Christianissimus, quem occulta- VI.

cultabat militaris habitus, & chlamydis vsus celabat: cumq; cerneret athletas Dei immenſo certaminis pondere fatigari, in medium eorum ſe inferens, ait: O fortiſſimi milites Chriſti, ô inſtructiſſimi diuini prælij bellatores, per eximiam animi virtutem fortiter peruenitis ad palmam, & nunc per miſera blandimenta coronam deponitis ſempiternam? Diſcat per vos nunc Chriſti militum fortitudo fidepotius armari, quàm ferro. Nolite victoriarum veſtrarum inſignia per mulierum blandimenta abijcere, & ſubiectas pedibus veſtris hoſtis deuicti ceruices, ad rediuiua iterum bella laxare: cuius quamuis ſæua contra vos extiterit & periniqua inſtantia, ſæuior tamen efficitur ira repetita. Erigite igitur à terrenis affectibus glorioſum veſtri certaminis trophęum, & nolite illud amittere ob fletus paruulorum. Iſti, quos plorantes attenditis, gauderent hodiè, ſi poſſent ſcire quæ nôſtis. Putant enim, quòd hæc vita ſit ſola, quæ vbi finem acceperit, nulla vitalis animæ, corpore deficiente, valeat portio remanere. Si enim ſcirent eſſe aliam vitam ignaram mortis, triſtitiæ neſciam, in qua regnat immortalitas, & perpetua gaudia commorantur, profectò vobiſcum ad illam feſtinarent pertingere: & hanc vitam pro nihilo putantes, illam appeterent, quæ in iugi exultatione permanet, & penitùs finiri non nouit. Hæc autem præſens vita fugaciſſima eſt, & vſqueadeò infida, vt nec ſui amatoribus fidem ſeruare potuerit vnquam. Ab ipſa enim mundi origine in ſe fidentes fefellit, omnes ſuî cupidos deluſit, cunctos de ſe præſumentes irriſit: & ita nullum omninò certum reddidit, vt omnibus probetur fuiſſe mentita.

Inſignis oratio S. Sebaſtiani.

Vitæ huius fallacia.

VII. Atqve vtinam ſolius mendacij culpæ eſſet obnoxia, & non per flagitia omnia ſuos cogeret peruagari amatores. Ipſa edacitatem ſuggerit voracibus, ebrietatem temulentis, naufragium pudoris adulteris, execrabilem peruerſitatem inceſtis: ipſa furem inſtigat vt capiat, iracundum vt ſæuiat, mendacem vt fallat. Ipſa inter coniuges diuortia ſeminat, inter amicos diſcordias, inter pacificos lites, inter iuſtos iniuſtitiam, inter fratres ſcandala. Ipſa iudicibus eripit iuſtitiam, caſtis pudicitiam, artificibus peritiam, moribus diſciplinam. Et vt immaniora, quæ ſuis amatoribus ingerit, crimina memoremus, ſi fratrem aliquando germanus frater occidit, ſi filius necauit patrem, ſi interemptus eſt ab amico amicus: cuius hæc inſtinctu perpetrata ſunt ſcelera, cuius intuitu, cuius vel ſpe vel fiducia hæc nefanda admiſſa ſunt facinora? An non præſentis huius vitæ amore ducti, dum hæc committunt, illamq; plus æquo diligunt, iniquo homines odio proſequuntur? Cur enim pirata iugulat nauigantem, cur latro viatorem interficit, diues opprimit pauperem, ſuperbus humilem, & nocens omnis quemcunq; poteſt, infeſtat innocentem? Certè hæc mala omnia illi deſignant, qui huic vitæ obſequi cupiunt, ſibiq; perſuadent, ſe eius in amore poſſe per longa temporum ſpatia durare. Non ergo alterius rei cauſa fiunt ſcelera, niſi vt infæliciſſimæ huic carnali vitæ à carnalibus inſeruiatur. Ipſa eſt, quæ eis crimina imperat, iubet facinora, ſuadet iniuſta: & poſteaquam omni eſt credulitate omniq; ſpurcitia ſaginata, ſeruientes ſibi tradit filiæ ſuæ morti ſempiternæ. Ex ipſa enim, & ex eius vtero nata eſt mors æterna, quando gulæ ſuæ & libidini & oculorum oblectamentis primi homines obſecuti ſunt: atq; ideo qui ad æternam capeſſendam vitam conditi erant, in hanc mortis regionem ſunt detruſi, atq; hinc porrò ad inferos deuoluti, nihil ſecum abſportantes.

Vitæ amor ſcelerum omnium incendium.

VIII. Hæc ergò vita eſt, quæ vos fallit, amici chariſſimi, vt amicos veſtros ad vitam euntes ſempiternam, iniuſto conſilio reuocetis. Hęc vos inſtigat, ô parentes ſanctiſſimi, vt filios veſtros proficiſcentes ad cœli comitatum, ad honorem incorruptibilem, ad amicitias Imperatoris æterni, ſtultiſſimis lamentationibus retrahatis. Hæc eſt, quæ vos ô caſtiſſimæ coniuges beatorum, ſub pietatis prætextu ad impietatem mentes martyrum fecit impellere, & mortem pro libertate illis adferre. Si enim conſenſiſſent perſuaſionibus veſtris, pauco quidem tempore vobiſcum eſſe poterant, at poſtea neceſſe eſſet illos à vobis ſeparari: & ita ſeparari, vt nonniſi inter tormenta perpetua mutuò vos iterum conſpiceretis, vbi edax flamma incredulorum animas deuorat, vbi dracones tartarei blaſphemorum labia comedunt, vbi ſerpentes morſibus ſuis incredulorum pectora lacerant: vbi vlulatus, gemitus & mugitus horrendus perſonat, confuſusq; clamor, quem vis tormentorum excitat, & incendij ardor intolerabilis extorquet. Hæc autem calamitas, quæ illic infideles excipiet, nullo vnquam termino definitur, nullo fine concluditur: ſed flammarum atrocium combuſtione miſeri illi corroduntur, & ad rediuiua incendia iterum qui aduſti fuerant, reparantur. Has igitur pœnas & hos ſinite euadere, & voſmetipſos ab illis eripere conamini: permittite interim hos ad coronam pertingere ipſis prępparatam. Nolite timere, non ſeparabuntur à vobis, ſed vadunt vobis præparare in cœlo ſidereas manſiones, in quibus vnà cum illis & cum filijs veſtris ſempiterna fælicitate perfruamini.

Pœnæ inferorum.

IX. Si ergò vos domus veſtræ ex lapidibus conſtructæ delectant, quanto magis illarum vos deber pulchritudo inuitare domorum, vbi ſunt triclinia auro puro radiantia, quæ ex gemmis & margaritis habent Zetas inſtructas? Ibi flos roſarum purpureus nunquam marceſcit, ibi nemora floribus amœna, perpetua viriditate vernant: illic prata ridentia melliſluis ſemper ſcatent riuis, illic croceis gramina floribus redolent, & albeſcentes campi odores ſpargunt ſuauiſſimos. Ibi auras vitales nares hauriunt, lumen illic perpes vmbræ neſcium: ibi ſerenitas ſine nubilo, & abſq; noctium alternis tenebris die oculi ſempiterno perfruuntur. Nulla ibi interpolatione abrumpuntur deliciæ, nulla prorſus ſolicitudine ſecuritas interturbatur. Mugitus, vlulatus, gemitus, lamenta, luctus procul illine abſunt: nihil vnquam fœdum, deforme, tetrum, horridum, ſordidum in illic degentium incurrit oculos. Pulchritudine in amœnitate nemorum, ſplendore in iucundo aëre, & omni elegantia ſine intermiſſione ſuauiſſimè oblectantur oculi: nec quicquam omninò, quod perturbet mentem, ingeritur auribus. Sonant ibi iugiter organa hymnos concrepantia, quos ad laudem regis immortalis angeli & archangeli concinunt. Amaritudo & fellea acerbitas ibi locum non habent, tonitrua nunquam illic audita, fulgura & coruſcationes nunquam viſæ. Cinnamomum illic virgulta gignunt, & in balſamum arbuſta proficiunt. Odor inæſtimabilis membra omnia mirè afficit, nec eſca in fæces mutatur. Sicut enim bono nuntio aures, & bono odore nares, & grato adſpectu oculi recreantur, & eiuſmodi oblectatio non poteſt ad malam ſtomachi concoctionem prorumpere: ita illius vitæ beatæ refectio melliflua, vniuſcuiuſq; palatum pro ſuo deſiderio afficiet: moxq; votis ſuis omnibus perfruetur anima, cunctis illi ad ea obſequentibus, & delectationibus omnibus paratiſſimus ſeruiet effectus.

Gaudia & fælicitas cæleſtis paradiſi.

X. Qvisqvis ergo in hac mortali vita concupiſcentijs & delectationibus ſuis bellum indixerit, necijs ſeſe permiſerit, illic à creatore ſuo integras conſequetur. Deus enim ita creauit hominem, vt viueret: porrò iuxta delectationis introitum mortem poſuit, vt quibus in hac vita libet viuere, & mortis timore abſolui, vitam aliam inquirant, & dum præter hanc mortalem, aliam eſſe didicerint, explorent num & illa poſſit ſenectute intercipi, aut morte finiri: cumq; immortalem eſſe cognouerint, inueſtigent itidem, vtrum poſſit illa æternitas vel honore iuſtos, vel iniuſtos pœna afficere, idq; vbi ſpeciatim didicerint, conſequenter inquirant, cur à creatore diuitiæ ſunt collatæ, ſi ex eius legis præſcripto ſunt contemnendæ: cur item quadrupedum, & volucrum atq; repentium tanta varietas ab illo condita ſit, ſi gulæ renunciandum eſt: cur deniq; ille naturalem illam corporibus indiderit delectationem, quæ ad libidinem incitat, ſi eius vſus non ſolùm culpæ reum facit, ſed etiam æternis tradit incendijs?

Voluptatũ contemptę quid præſtet.

XI. Si igitur quærat, cur à creatore diuitiæ ſint conceſſæ, ſi ſunt contemnendæ, ita reſpondemus: Diuitiæ à Deo conditæ, ſuos amatores hoc ferè pacto alloquuntur: Sic nos amate, vt nos à vobis nunquam ſeparemur, ſequi vos morientes non poſſumus, antecedere autem vos viuentes poſſumus, ſed ſi ipſi iubeatis. Auarus fœnerator & cupidus agricola exemplo vobis ſint. Ille aurum tradit homini, quod duplicatum recipiat: hic diuerſa terræ ſemina committit, vt, ſi poſſit fieri, quod ſimplum tradidit, centuplum referat. Debitor ergo creditori aurum reddet duplicatum, & terra ſemen

Diuitiæ cur collatæ à Deo.

men centuplex. Proh nefas, potest & debitor reddere fœneratori, & terra agricolæ: Deus verò diuitias suas, si eas à te accipiat, amplificatas & auctas restituere tibi non potest? Si roges, cur diuitias tibi dederit, si sint illi reddendæ: certè tradidit ille eas tibi, vt scias, quanta in eis requies, quanta voluptas, quantus luxus, quantæq; in eis possint esse delitiæ, vt his cognitis, si verè amas diuitias tuas, ipsi eas tradas custodiendas: quas si tu illi nolis credere, aut edacitas gulæ inuadit eas, aut luxuria libidinum mater tibi eas eripit, aut sine dubio, quod nôsti optimè, mors de improuiso aggrediens, ita tibi illas extorquet, vt tu illas deinceps nec habere, nec videre queas. Quæso te, si transires per medias acies barbarorum, & inuenires fortem virum qui te semper dilexisset, qui tibi crumenam pecunijs plenam donâsset, diceretq; tibi, Da mihi pecunias custodiendas, quas dedi tibi, quia hi barbari insidiantur, vt eas tibi auferant, quas cùm abstulerint, suis te gladijs laniabunt: an non pedibus eius aduolutus, rogares vt ipse eas reciperet, nihil ambigens, quòd & ampliora quàm acciperet redditurus, & te ab hostibus liberaturus?

Voluptates respuendæ. XII. RESTAT nunc, vt diuitijs vestris in tuto repositis, ad delitias veniamus: quas, qui habet aures audiendi, audiat eas dicentes sibi: Si verè amatores nostri estis, illi nos cômendate, qui nos vobis integras illibatasq; in illa regione restituat, in qua vobiscum iugiter manere possimus. In hac enim vita caduca si nos vobis obsequi volueritis, quasi hîc expensæ & exhaustæ, ibi vobis omninò negabimur. Dimittite nos interim seruire morituris: quia idcircò breuiati sunt dies mortalibus, vt immortalibus perpetuò famulemur. Sic enim propter electos breuiabuntur dies, vt seruitute nostra diù frui non possint iniusti. Seruimus interim festino cursu impijs, sceleratis & turpibus: at non sponte, sed propter eum qui nos subdidit: liberabimur tamen à seruitute corruptionis, & reuocabimur ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Omnis itaq; delectatio futuræ vitæ seruata, nequaquam perditur. Neq; enim repositi thesauri existimantur ab eo, qui eos absconderit in terris, interisse: sed magis tanto securius eos habere se confidit, quanto eos occultiùs & tutiùs collocârit. Sint ergò repositæ omnium delitiarum affluentiæ, vt non contingantur in hac vita quæ præterit: quia si hîc in vsu fuerint, in illa vita, quæ nunquam præterit, amittuntur. Esto, quòd vita hæc per centum tendatur annorum spatia: an non, vbi extremus aduenerit dies, statim videbitur quasi non fuisse, & tanquam hospitis, vnius diei apud nos manentis, vestigia reliquisse? Illa autem vita manet iugiter, perseuerat constanter: annisq; labentibus iuuenescit & pullulat, & indè renouationis sumit initium, vndè finis accipitur. O verè illum degenerem & omnis boni expertem, qui huius tam formosæ vitæ amore non capitur, qui timet hanc perituram perdere & illam accipere, quæ perire penitus non nouit: in qua deliciæ, delectationes, diuitiæ & gaudia sic semper inchoant, vt terminum ignorent: sic principium capiunt, vt finiri prorsus non queant. Nã qui huius tam præclaræ vitæ amator esse noluerit, non solùm hanc mortalem perdit, & illam sempiternam non inuenit: verùm etiam, vt dixi, à morte perpetua capitur & tenetur, in qua est iugis flamma, perseuérans tribulatio, & pœna indeficiens, in qua atroces spiritus commorantur, quorum brachia, capita draconum sunt: quorum oculi igneas ex se sagittas iaculantur: quorum dentes sicut elephantis præminent, & stimulant ad tormentum velut caudæ scorpionum: quorum voces ceu leonum fremitus sonant: quorum adspectus tremorem incutit, pariter & dolorem, & mortem. Atq; vtinam mors posset in his angustijs constitutis occurrere: sed, quod est acerbius, ad hoc viuitur, vt cruciatibus subdantur: ad hoc redintegrantur, vt exesa serpentum morsibus membra, iteratis subindè & iterum reparatis morsibus dilacerentur. Hæc est omnis causa certaminis, quæ pœnas martyrij quantumuis atroces, æquo docet animo tolerari debere.

Vitæ huius breuitas.

Dæmonũ truces species.

XIII. NOLITE ergo, ô amici, ô parentes, & ô coniuges venerandæ sanctorum, nolite à vita ad mortem, quos diligitis, reuocare, à gaudio ad luctũ deducere, à lumine ad tenebras trahere, & ab æterna requie ad pœnas sempiternas accersire. Hoc est enim cum diabolo quasi piscibus hamum tendere, & illicere ad exiguam hauriendam suauitatem, in qua intus lateat dirus cruciatus viscerum, & mors interiorum tormentis extorta. Est hoc planè æternarum compensationi deliciarum fugitiua gaudia anteponere, & pro paruo risu æterna lamenta adscisceré. Ad hoc profectò etiam in gladiatoribus, qui sevltrò neci offerunt, nemo est qui non damnet: qui vnius anni voluptates attendunt, nec considerant quis fructus ex illis delicijs oriatur. Postea enim cruciantur ictibus gladiorum, & alterna cæde intima viscera, scisso ventris tegmine, in conspectum proferunt populorum, vt pinguedo, quam inconsulta fagina attulerat, diabolo voranda offeratur. Hoc nimirùm maligni dæmonis consilio, quo gladiatores isthuc faciunt, martyres Dei ad vitam æternam proficiscentes reuocantur, quando, vt paucorum dierum vitam viuant, docentur perpetuos sibi conciliare cruciatus, & mortem æternam, quæ vel maximè metuenda est, non timere. Sed fortassis opponitur nobis, quam ob rem Christianus tormenta non metuat, & præsentis non terreatur pœna tortoris. Nimirùm idcircò non frangitur metu, ideò dolores non pertimescit, quia scit se perbreuis cruciatûs precio perpetuæ salutis & sanitatis gaudium emere, & per momentaneam tribulationem ad perennem fælicitatem & sempiternam lætitiam peruenire.

Gladiatorũ amentia.

Christiani cur pœnas contemnãt

XIV. SED si tamen omninò timendus est dolor, timendus est carnifex, timenda est noua & exquisita pœna tortoris: quæ magis metuenda, quæ horrenda & fugienda magis? Istâne, quæ hodie exardescit, & cras refrigescit: quæ sub vna hora inducitur, & sub hora vna excluditur: an illa potius, quæ nullo fine concluditur, nullo tempore extinguitur, nulla prorsus consumitur vetustate? Nam præsens dolor aut leuis est, & potest tolerari: aut grauis est, & citò glorioso certamini adfert finem. Ille autem pœnarum dolor, & cruciatus incendij, qui huius vitæ amatores manet, cum sit quouis tormentorum genere vehementior, nunquam finiendus aggreditur, & acrius subindè quàm inchoauerit, sæuit, & terminus sæuiendi nullus, nullus omninò finis occurrit: sed habens secum vniuersa suppliciorum genera, subindè renouatur vt sæuiat, augmentatur vt exurat, inflammatur vt duriùs excruciet. Ab hoc ergò interitu hortemur euadere quos amamus, & nosipsos ad euadendum fortiter præparemus: nec timeamus vna hora ferre dolorem in corpore, qui optamus æternum gaudere cum Christo. Permittamus animas nostras cum palma ex hoc egredi corpore, vt possimus pœnas æternas effugere, & ad possessiones fidereas, plenas delectationb⁹ peruenire. Lachrymas nostras mutemus in gaudium, nec quasi morituros plangamus, quos cum Christo credimus sine fine regnaturos. Congratulemur potius victoribus hostium, conculcata eorum ceruice, congaudeamus martyrij prætexta indutis, & cœli designatos consules gloriemur. En dies, in quo vincere se tyrannus existimabat: qui dum capit, captus est: dum tenet, vinctus est: dum torquet, tortus est: dum insultat, irrisus est: dum iugulat, occisus est. Nunc porrò in amorem martyrij etiam nostros excitemus affectus, vt illum, qui de nostra captiuitate voluit triumphum agere, fortiter capiamus, & quasi à graui somno expergefacti, aperiamus oculos animorum, vt videntes foueas, quas in nostrî perniciem inimicus aptauerat, nos quidem auxiliante Deo euadamus: & ipso diabolo cum satellitibus suis in ipsam, quam parauerat, foueam incidente, nos cum propheta dicamus: Foderunt ante faciem meam foueam, & ipsi inciderunt in eam.

Stultitia dæmonum.

Psalm 56.

Cœlesti luce perfunditur S. Sebastian.

XV. HÆC cùm beatus Sebastianus, indutus chlamyde, accinctus balteo, ex suo ore proferret, subitò per vnam ferè horam splendore nimio, de cœlo veniente perfusus est, & sub ipso splendore pallio candidissimo ab angelis septem clarissimis amictus: apparuitq; iuuenis iuxta eum, dans ei pacẽ, & dicens: Tu semper mecum eris. Hæc aũt gerebantur intra domum protoscriniarij (quẽ primiscrinium author vocat) nomine Nicostrati, apud quẽ custodiebãtur Marcellianus & Marcus: qui Nicostratus habebat vxorem nomine Zoën, quæ ante annos sex nimia morbi infestatione facta erat muta: facultatem tamen audiendi & intelligendi non solùm non amiserat, verùm etiam melius quàm priùs

Vide Bar. an. 284.

obtine-

obtinebat. Hæc itaque cùm intellexisset omnia, quæ beatus Sebastianus dixerat, & tantum lumen circa eum vidisset: cumque omnes tremefacti, miraculi stupore tenerentur, innuebat manu omnibus, quòd magno illis probro futurum esset, si tam euidenti assertioni non crederent. Deindè genibus eius aduoluta, rogare eum cœpit quibus potuit manuum indicijs. At beatus Sebastianus videns eam animi sensa linguæ expressione declarare non posse, causam eius silentij percontatus, didicit sermonis copiam nimia illi vi infirmitatis ereptam. Itaque dixit: Si ego verus Christi Iesu seruus sum, & vera sunt omnia, quæ ex ore meo hæc mulier adiuit & credidit, iubeat Dominus meus Iesus Christus, vt redeant ad eam officia labiorum: & aperiat os eius, qui aperuit os Zachariæ propheræ Domini. Et fecit crucem in os eius. Statim ergò ad hanc vocem sancti Sebastiani exclamauit mulier voce magna, dicens: Beatus es tu, & benedictus sermo oris tui, & beati, qui credunt per te Christo filio Dei viui. Ego enim [a] vidi oculis meis angelum ad te venientem è cælo, & librum ante oculos tuos tenentem, ex cuius lectione vniuersa sermonis tui oratio decurrebat. Benedicti ergò, qui omnibus, quæ locutus es, credunt: & maledicti, qui dubitauerint vel in vno verbo ex his omnibus, quæ audierunt: quoniam sicut aurora superueniens vniuersas noctis tenebras excludit, & omnium oculis lumen, quod nox cæca negauerat, reddit: ità lux sermonum tuorum omnem calignem omnemque ignorantiæ meæ cæcitatem extersit, & oculis rectè credentium serenum post noctis tenebras diem reddidit. A me autem non solùm incredulitatis tenebras expulit, verùm etiam sermonis mei ostium, sex annis ex infirmitate clausum, patefecit.

Luca 1.

a Muta loquitur, cruce signata.

XVI. Videns autem [b] Nicostratus vir eius tantam Christi virtutem in sua vxore declaratam, cœpit eius pedibus aduolui, petijtque veniam, quòd Imperatoris & prætoris iussu sanctos Dei Marcum & Marcellianum habuisset in vinculis: & auferens à manibus illorum ferreos nexus, genua eorum amplexus, rogare cœpit, vt dignarentur abscedere dicens, O quàm beatus essem, si pro vestra possem salute constringi: forsitan sanguinis mei effusione abluerentur peccata mea, vt mortem illam pœnarum æternarum euaderem, & ad illam vitam pertingerem, quam nobis Deus per os domini mei Sebastiani manifestare dignatus est. Cumque rogaret sanctos martyres, vt abscederent, dixerunt ei: Si tu fidei gloriam, quam nunquam habueras, accepisti, quomodò nos, quam semper ab infantia habuimus, relinquentes, tibi passionis nostræ calicem dabimus, quem tibi nos propinare possumus, dare non possumus? Diues enim in omnibus Christus est, & larga vbertatis suæ affluentia omnibus ad se venientibus meliora præstat quàm rogetur. Si ergò cùm essetis increduli, donatum vobis est lumen veritatis agnoscere: quanto magis credentibus vobis, omnia quæcunque poposceritis, donabuntur? Diuina enim clementia semper parata est votis omnibus gratis præstare, & cunctis gratiæ suæ dona eo magis multiplicat, quo mens eorum altioris fidei susceperit normam. Fides [c] igitur vestra à magisterio sumpsit exordium, & omnia quæ eruditio annosa vix confert, spatio vnius horæ vos cepistis. Nulla parentum memoria vos impedit credere, nullus erga teneræ ætatis filios reuocat nutritus affectus: contemnitis subitò, & semper amâstis & quæritis quod nunquam sciuistis. Per ignotas ingressi vias, repentè peruenistis ad Christum: & animo iam intrâstis cælum, qui nullum in terra solatium quæritis. O quàm incomparabilis præconij facinus, ô quàm imitabile virtutis exemplum. Nondum vos ad Christum sacri baptismatis vnda perduxit, nondum ad tyrocinij rudimenta, militaria saltem signa sumsistis: & iam pro vero rege arma corripitis, & eius milites, à vinculis ferreis soluentes, vosipsos intrepidos optatis pro occidendis morti offerre.

b Nicostratus credit in Christũ.

c Mira gratiæ vis.

XVII. Cum hæc audientes, omnes pariter lachrymis pœnitentiam præteritæ persuasionis ostenderent, Marcus ait: [d] Discite parentes Charissimi, & vester, ô coniuges, discat coniugalis affectus, aduersus pugnam diaboli & contra omnes carnalium desideriorum sagittas clypeum virtutis opponere, atque inter acies tyrannici exercitus hosti non cedere, dimicare, acriùs gradum figere, & ad regem fortiter peruenire. Insurgant quantum volunt, & sæuiant satellites dæmonum, & quibus volunt pœnis corpora nostra dilanient: corpus occidere possunt, sed animam vincere non possunt pro fidei veritate pugnantem. Gloriosiores faciunt milites vulnera, pro imperatore susceptа. Idcircò enim diabolus, tyrannidis suæ furore percitus, nunc sæuit, quòd præuidet perseuerantiæ nostræ trophæo se posse torqueri: & ideò tormenta infert, ne spes eius percat: mortem minatur, vt terreat: vitam promittit, vt eripiat, securitatem pollicetur, vt tollat: Hæc tota belli calliditas, hoc fraudis consilium, à supplicijs corpus eripere, & vitijs animum subiugare. Nos contra contendimus hosti non cedere, corpus contemnere, animæ subuenire. Cur enim fortissimi ducis milites miserrimis terga vertant, & in eo bello deficiant, in quo possunt esse victores? vel qua ratione mortem timeant, qui sciunt hanc hominis naturam esse, non pœnam? Cur, inquam, mori timeant, qui credunt hanc vitam falsam esse, & veram vitam inuenire non posse nisi eum, qui ab amore suo falsam hanc & caducam abijciat? quæ suis amatoribus non nisi peccata imperat, suadet facinora, ingerit crimina, atque hoc vnicè hortatur, vt de vita æterna ne cogitent quidem, futurumque Dei regnum desperent? Videamus, oro, quibus casibus subiaceat, quibus periculis seruiat ancilla: vt cùm didicerimus eam nec seipsam posse regere, seruitia nostra eius dominio subtrahentes, aliam cui meritò seruiendum sit, inquiramus. O quàm [f] multos eius amatores subitò grauis ruina oppressit, fulmen perculit & incendit, perdiderunt naufragia, Charybdis vorax absorbuit, gladius iugulauit? Et hanc miseri cum dolore amittentes vitam, illam penitùs inuenire non possunt. Ad illam enim vitam non pœna perducit, sed causa. Vno denique eodemque pœnarum genere, & innocentibus salus æterna confertur, & delinquentibus pœna irrogatur.

d Marci præclara adhortatio

e Cur sęuiat diabolus in pios.

f Fallacia vitæ huius.

XIIX. Hæc & his similia cùm Marcus persequeretur, cœperunt omnes, qui aderant, Deo gratias agere, fundentesque lachrymas, pœnitentiam præ se ferre, quòd charitati Dei carnis amorem prætulissent, atq; ab agone martyrij ausi fuissent animos reuocare sanctorum. Cumque omnes, [g] qui ad decipiendos sanctos venerant, vnanimiter crederent Christo, Nicostratus cum coniuge sua vrgebat, dicens: Non capiam cibum neque potum, nisi mysterium Christianæ religionis mihi fuerit traditum. Cui sanctus Sebastianus dixit: Muta dignitatem tuam, & incipe magis Christi esse protoscriniarius, quàm præfecti. Audi itaque consilium meum, & omnes quos carcer inclusit, & vincula tenent atque ergastula conficiunt, in vnum redige. Quod cùm feceris, antistitem sacræ legis adhibebo, vt cum omnibus, qui credere voluerint, mysteria sancta suscipias. Si enim diabolus Christo sanctos suos auferre conatus est & conatur: quanto magis nos pietatis argumento hos, quos diabolus iniustè lucratus est, curare debemus, & suo restituere creatori? Ad quæ Nicostratus ita respondit: Quomodò iniquis & criminosis possunt sancta committi? Sebastianus ait: Saluator noster propter peccatores suam dignatus est mundo exhibere præsentiam, ostenditque mysterium, per quod peccata & crimina omnia hominibus auferantur, & virtutes Domini conferantur. Inter initia igitur conuersionis tuæ hoc munus primum si tu Christo præstiteris, aderit tibi remunerationis eius præmium, corona martyrij, habens secum virtutum omnium immarcescibiles flores, æternæ vitæ gaudijs profuturos. His auditis, Nicostratus protoscriniarius abijt ad Claudium Commentariensem, iussitque vt reos omnes in vinculis detentos, ad domum suam adduceret, dicens Proxima sessione omnes discutiendi sunt, & volo, vt cum illis Christiani, qui apud me sunt, præstò sint, nè quisquam discussioni prætoriæ desit: Igitur cùm omnes ad domum protoscriniarij perducti adstarent catenarum nexibus vincti, hoc modo eos vir Dei Sebastianus alloquitur:

g Martyrũ cognati credunt Christum.

XIX. Crimina [h] diabolica si diuinis virtutibus cedent, reatus vester immunis à mortis supplicio, ad gaudia votiua reuocatur. Egit enim per suos satellites hostis iniustus, vt animos militum Christi, ad virtutum culmen erectos, euerteret: & in ipso perfectionis fastigio positos, in cœnũ conabatur demergere inferorum. Hac de causa incaluit animus,

h Sebastiani sermo ad vinctos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hostium dimicatione prouocatus, vt vos, quos iam lucratus fuerat inimicus, de eius captiuitate tollentes vestro creatori reddamus. Diabolus enim nec dominus vester, nec creator, nec pater esse dinoscitur: Deus autem, & pater, & Dominus, & conditor vester esse comprobatur. Itaque si hunc relinquentes, ad illum abijstis, qui vester est atrocissimus hostis, adeò vt ad mortis æternæ pœnas vos adducere, & ad hunc lethalem exitum impellere conatus sit: quanto magis ad eum redire iam debetis, qui vnicum filium suum passioni & morti tradidit, vt nos ab æternis pœnis & morte liberaret? Hæc & id genus alia dicente sancto Sebastiano, illi se cum lachrymis in terram prostranerunt, & flexis genibus cœperunt cordis mugitum edere, seque peccâsse & impiè egisse pœnitentiæ vocibus confiteri: atque amaras fundentes lachrymas, Christo se velle credere magnis clamoribus personabant. Tunc beatus Sebastianus iubet eos omnes à catenarum vinculis absolui.

XX. DEINDE abijt ad sanctum Polycarpum presbyterum, vbi ille persecutionis causa latitabat, & narrauit ei omnia quæ gesta erant. Quibus auditis, sanctus Polycarpus gratias egit Deo, & vnà cum eo venit ad domum Nicostrati protoscriniarij: vidensque turbas credentium, salutauit eos cum omni gaudio, dicens: Beati vos omnes, qui audîstis vocem Domini nostri Iesu Christi, dicentis: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est & onus meum leue. Itaque vobis fratres nostri, quos baptismatis vnda diluet, & consecrando Deo omnipotenti charissimos filios faciet, hanc ob causam, quòd à proposito suo sancto reuocare conati estis beatissimos milites Christi, opus erat pœnitentia, vt per ipsam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem quando ad tantam gloriam accessistis, vt etiam ad passionem, à qua alios reuocare voluistis, vosipsi desideretis gratis & libentibus animis properare: sciatis vos & obtinuisse veniam, & palmam esse adepturos. Vetus hoc artificium Christi est. Nam ille, qui vas electionis eius est, & quem voluit magistrum esse gentium, non solùm credentium animos à fidei proposito retrahebat, sed etiam volentes ad Christum accedere lapidibus obruebat. Atq; hunc ipsum nobis Dominus Apostolum donauit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex apostata fecit Apostolum, atque ex persecutore suæ ecclesiæ doctorem dedit. Idemque amator passionis effectus est, qui persecutionis author extiterat: & qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus gloriatus est. Qui ergo hanc in Apostolo suo virtutem tum exercuit, ille nunc quoque vos de inferorum penetralibus, & ex ipsis draconum faucibus captiuas animas vestras eripuit, vobisque à tenebris ad lucem remeantibus, æternæ vitæ ianuam patefecit.. Quia ergò dæmones omnes, qui filij tenebrarum sunt, contristantur, & omnes sancti Angeli, qui sunt lucis filij, gratulantur. accedat vnusquisque & det nomen suum, hodierna die vsque ad vesperum præcurrente ieiunio, vt festiuum baptismatis sacramentum opportunum tempus inueniat. Iustum est enim, vt luce mortali à mundo abscedente, ad nostras mentes lux immortalis accedat, & in huius seculi cœno volutatos, & cæcæ noctis caligine iacentes in loco tenebrarum, nos aqua sanctificationis ablutos sanctificet, qua mundati iam & synceritatem induti, alacres pergamus ad Christum.

Matth. 11. Oratio S. Polycarpi ad baptizandos.

S Paulus ex persecutore Apostolus.

XXI. HÆC & his consimilia pertexente sancto Polycarpo, omnes gauisi sunt, & vnusquisque nomen suum etiam prius, quàm interrogatus esset, festinabat offerre. Cumque hæc agerentur venit Claudius Commentariensis ad Nicostrati domum, dixitq; ei: Vehementer præfectura commota est, quòd personas reorum tuæ domûs custodiæ tradi iussisti: hac de causa suis te adspectibus iussit præfectus præsentari, tu videris quale illi interrogatus sis responsum redditurus. Ingressus itaque Nicostratus ad præfectum, cum interrogatus fuisset, cur eas personas, quas carceris claustra retinebant, suæ voluerit domûs mancipari custodiæ, respondit: Amplitudinis vestræ iussu Christianorum intra domum meam custodiendas suscepi personas: quibus vt terrorem passionis inuterem, reorum illos feci sociari personis, vt si iussioni vestræ, nostræque persuasioni sua sponte consentire nolint, saltem alieno experimento consentiant, metuantque nè similis eos pœna concludat. Libentissimè hæc audiens præfectus, dimisit eum à se, dicens: Magno te à parentibus eorum munere affici curabo, si per te illis filij incolumes fuerint restituti. Reuertens itaque ad domum suam Nicostratus cum Claudio Commentariensi, cæpit ei referre omnia, quemadmodum sanctus Sebastianus cùm sit amicus Imperatorum, sit etiam Christianissimus, & in eruditione diuina perfectus, & vt animos Christianorum sua exhortatione corroborârit, satisque idonea persuasione docuerit vitam hanc fugitiuam & imaginariam esse, ita vt vbi teneri putatur, abscedat: Narrauit præterea, quomodò veniens repentè lux è cælo, perlustrârit eum, vtque vxorem eius, quæ sex annis muta fuerat, loqui fecerit. Cùm hæc exponeret Nicostratus Claudio, corruit ad pedes Nicostrati Claudius, dicens: Ex amissa coniuge duos filios habeo, quorum alter hydropis morbo fatigatur, alter diuersis vulneribus opprimitur: rogo te, vt illum iubeas eos visitare. Non enim dubito, quin ille, qui potuit facere, vt post sex annos loqueretur vxor tua, efficere etiam possit, si voluerit, vt ad filios meos sanitas redeat. His dictis, proripuit se domum, fecitque inter manus adduci filios suos, & introducens eos in ædes, vbi sancti erant Dei, proiecit se ad pedes eorum, dicens: Nulla [a] penitus dubitationis signa in corde meo resident, sed toto pectore credens Christum, quem vos colitis, esse verum Deum, attuli huc duo pignora mea, nihil hæsitans, quin possint per vos à mortis periculo liberari. Dicunt ei omnes simul viri Dei: Omnes, quos hîc hodiè aliqua tenet infirmitas, mox vt Christiani fuerint facti, sanabuntur. Cumque clamaret Claudius, credere se & desiderare fieri Christianum, iussit sanctus Polycarpus presbyter, vt darent vniuersi nomina sua. Primus [b] itaque omnium dedit nomen suum Tranquillinus, pater Marcelliani & Marci Post hunc sex amici eorum, Ariston, Crescentianus, Eutychianus, Vrbanus, Vitalis, & Iustus. Et post hos Nicostratus cum fratre suo Castorio, & Claudius Commentariensis: & post hos filij Claudij, Felicissimus & Felix. Indè Martia, mater Marcelliani & Marci, & Symphorosa vxor Claudij, & Zoë Nicostrati coniunx. Post has familia omnis, quæ erat in domo Nicostrati, animæ promiscui sexûs & ætatis triginta tres. Postremò vincti omnes, è carceris squalore adducti, numero sexdecim.

Multi dant Christo nomina sua.

Nicostrat. adit præfectum.

Nota hic, cõsuetudine apud Romanos recepti fuisse, non solum publicis carcerib. reos includi: sed interdũ etiã maximorum crimi num reos, alicui ex senatorib. vel alterius ordinis Romanis ciuibus custodiẽdos tradi, prout docet Bar. in not. ad Martyrolo. Rom.

[a] Claudius Commẽtariens. credit. Bar anno vt supra.

XXII. IGITVR omnes isti, simul [c] animæ sexagintaquatuor, à sancto Polycarpo presbytero baptizati, & à sancto Sebastiano susceptisunt. Fœminarũ autem matres spirituales factæ sunt Beatrix & Lucina. Primos [d] itaq; Claudij filios, hydropicum vnum, & alterum vulneribus plenum, mox vt in nomine Trinitatis intinxit, ita sani de fonte leuati sunt, vt nec signum in eis alicuius morbi præteriti remanserit. Post hos autem infantulos Tranquillinus adductus est, adeò podagra & chiragra constrictus, vt vix, sicut supra dictum est, manibus portaretur. Hunc cùm exuerent indumentis, & ille intolerabili se diceret torqueri dolore, interrogauit eum Polycarpus presbyter, num ex toto crederet vnigenitum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, posse ipsi salutem conferre, & omnia condonare peccata. Si ita credis Tranquilline, inquit, ore proprio edicito. Tranquillinus respondit: Ego indulgentiam solam peccatis meis dari & desidero, & opto, & credo. Cæterùm si post baptismatis huius sanctificationem in doloribus permansero, non potero tamen de fide Christi vlterius dubitare. Probaui enim, & ex toto corde credens, in mente mea consensi, quòd filius Dei sit Dominus Iesus Christus, qui potest & animabus & corporibus salutem tribuere, & à morte perpetua ad vitam æternam reuocare. Hæc cùm dixisset voce magna, omnes sancti præ gaudio lachrymas fuderunt, rogantes Dominum, vt fidei eius fructus ostenderetur. Sanctus igitur Polycarpus confessor & presbyter, mox vt eum Chrismatis liniuit vnguento, interrogauit eum, si crederet in Patrem, & Filium & Spiritum sanctum. Statimque vt respondit, Credo, resolutæ sunt manus eius, quæ erant nodosæ: & genua simul, plantæque pedum eius ita sunt incolumes redditæ, vt

[b] Dãt sua nomina baptizandi.

[c] 64 baptizantur.

[d] Præclara miracula ex baptismo.

Chrismatis olim adhibitum in baptismo.

velut

velut paruulus renouatis pedibus suis in fontem descenderet, clamans ac dicens: Tu es Deus vnus & verus, quem miseriste mundus ignorat. Hoc itaque ordine suo baptizato, vniuersi, prout congruum erat, baptizati sunt, & per decem & sex dies, qui supererant dilationi quam meruerãt, in Dei laudibus perdurantes, ducebant dies & noctes in hymnis & canticis: & quasi fideles milites parabant animos suos ad dimicandum pro Christi nomine, in martyrio bellaturi, ita vt & mulieribus & infantulis amor ferueret martyrij, & inuicem se ad confessionem sancti nominis contra diabolicas acies communirent.

XXIII. DIEBVS itaque acceptæ dilationis expletis, Agrestius Chromatius, vrbis Romæ præfectus, ad se Trãquillinum, Marcelliani & Marci patrem, venire iubet: quem cùm de suorum sententia filiorum inquireret, Tranquillinus respõdit: Ad referendas beneficijs tuis gratias, nullus mei oris sermo sufficit. Nisi enim currentem sententiam frena vestri moderaminis tenuissent, & ego filios amisissem, & me patrem filij non haberent. Congratulantur mihi omnes, quos paternus tenet affectus, & pungit charitatis stimulus, etiam tua, ni fallor, mihi congaudet celsitudo, quando morituris vita collata est, anxijs lætitia reddita, solicitis securitas restituta. Tunc præfectus existimans filios eius suis velle idolis inclinare ceruices, ait: Venite ergo postero die, vt debita numinibus thura ponant filij tui, per quæ & tu filijs seruaris incolumis, & tibi illi condonentur. Audiens hæc Tranquillinus, dixit: Illustrissime virorum, si examinis tui erga me & filios meos libram æqua velis lance expendere, agnoscere poteris hoc Christianum vocabulum magnæ esse virtutis. Præfectus ait: Insanis Tranquilline. Tranquillinus respondit: Hucusque insaniam passus sum & animi & corporis: sed statim vt credidi CHRISTO, & animi mei & corporis recepi sanitatem. Præfectus dixit: Vt ego video, ad hoc inducias sceleratis filijs tuis dedi, vt non solũ tu illos ab errore non reduceres, sed illi te suis erroribus irretirent. Tranquillinus respondit: Per gloriam tuam, nomẽ ipsum erroris discute, & vide quæ opera erroris nomine appellanda sint. Præfectus dixit: Tu dic potius, & quæ opera nomen erroris competat.

Tranquillinus agit cũ præfecto. Nota hic, vt ex Cypriano docet Baron Præfectos etiam eos dictos, qui vicariã tantum gererent præfecturam, ne de historiæ veritate dubites, cũ Præfectum

Cetonium Varum, Cato secundum & Numeriano Coss. (quibus hæc gesta leguntur) apud Cuspin. & Cassiod inuenis. Vide Bar anno 284.

XXIV. TRANQVILLINVS respondit: Primus error est, viam vitæ relinquere: & per viam mortis ingredi. Præfectus dixit: Et quæ est mortis via? Tranquillinus respondit: Non tibi videtur via mortis esse, mortuis hominibus deitatis nomen imponere, & figuras eorum in lignis & lapidibus adorare? Præfectus ait: Ergò non sunt dij, quos nos colimus? Tranquillinus respondit: Certè pro dijs habendi non sunt, de quibus in publicis codicibus legitur, & quàm malè nati sint, & quàm iniquos, crudeles, sceleratos parentes habuerint, & quàm flagitiosè, iniustè, fraudulenter vixerint, & quàm denique miserabiliter mortui sint. Num antequàm Saturnus Cretensibus imperaret, & filiorum suorum vorare carnes, Deus in cælis non erat? An verò Creta insula suum habuit regem, & cæli non habebant Deum? Nimium pròfectò errant, qui putant Iouem filium eius ciére tonitrua, imperare fulminibus homuncionem, in quo malitia & libido regnabant. Quem non ille persecutus est, qui patri suo non pepercit? aut quibus sordibus pollutus non est, qui germanam sororem suam accepit vxorem? In foro, in plateis, in domibus & vbiuis locorum quotidie legitur iactare se sordidissima Iuno, quòd Iouis & soror & coniunx sit: rapti quoque Ganymedis turpissimus atque incestissimus honor abipsis Iouis cultoribus non negatur. Non igitur errare te credis, vir clarissime, qui tales colis, quales Romanæ leges pro ratione criminum iubent pœnis subdi: & relicto Deo omnipotente, qui in cælis regnat, lapidi dicis, Deus meus es tu: & ligno dicis, Adiuua me?

Insignis cõfutatio falsorum deorum.

XXV. PRÆFECTVS dixit: Posteaquàm cœpistis deos blasphemare, & à cultura eorum recedere, diuersis cladibus Romanus orbis opprimitur. Tranquillinus ait: Non ita se res habet. Nam si Liuij decades recenseas, inuenies illic dæmonibus sacrificantis vna die amplius quadraginta duo Romani exercitûs millia cecidisse: nec illud te fugit, vt Galli etiam Capitolium ferè occupârint, & omnem Romanam manum suis ludibrijs subiecerint. Multiplices fames, & inenarrabiles diuersasq; captiuitates, varias cædes Romana vrbs perpessa est antè, quàm homines vnum colerent Deum. Nunc verò quando inuisibilis & verus Deus cœpit à credentibus coli, aucta pace Romanum exultat imperium: sed interim tamen, quod peius est, Deus qui hoc præstat, non agnoscitur, & creaturæ adscribitur, quicquid à creatore præstatur. Præfectus dixit: Si ille colendus est, qui hominibus multa largitur commoda, nemo Sole iustius pro Deo habebitur: qui suo adspectu terræ viscera vegetat, vt semina suscepta parturiat, & genuinæ sobolis grana in culmen producat. idemque cunctis nostræ salutis vsibus & vtilitatibus, & lumen & instaurationem, & vigorem tribuit. Tranquillinus ait: Et in hoc quoque error est infinitus. Nam si quisquam hodie per seruum suum clientibus suis conferat quod rogatur, infinita stultitia est, si neglecto illo, qui præstitit, seruus honoretur, per quem præstitit. Et vt aliquam huius dicti adhibeamus similitudinem, num tibi nauibus alimenta aduehentibus gratiæ potius referendæ videntur, quàm regibus? Si igitur non nauibus, sed regibus annona apportata adscribitur: quanto magis vni Deo nostro gratiæ agendæ sunt, cuius nutu & elementa hæc nostris vsibus inseruiunt, & sol ipse quotidie terræ mariq́ue & occumbit & oritur? Præfectus ait: Si ergo vnus idemq́; inuisibilis est, quem colitis: Christum, quem Iudæi crucifixerunt, non colitis? Tranquillinus respondit: Rectè hæc inquireres, si credere constituisses. Incredulis autem vanum videtur omne, quod nolunt. Semel etenim in præceps lapsa voluntas mortalium, quicquid ipsa vituperat, ab alijs quoque vituperari vult: laudari item ab omnibus, quod ipsa probat: sed sapientes pro merito suo vnicuique rei aut vituperationem aut laudem adhibere nituntur.

Ethnicorũ in Christianos calumnia.

XXVI. PRÆFECTVS dixit: Ego de Christo vestro interrogo: Quod ergò hisce oculis non videtur, si id solum à vobis colitur, cur Christum colitis, qui & visus, & auditus, & interrogatus est, & omnia quæ humanæ fragilitati competunt, in eius passione leguntur esse completa? Tranquillinus respondit: Audi tu similitudinem, & intellige veritatem. Si hodie annulum tuum, gemma pretiosa insignitum, videas in cloaca aut sterquilinio volutari, & ad eum extrahendum mittas seruos tuos: illi autem non modo illum non queant apprehendere, sed & seipsos interea inquinent: postea verò tu ipse positis sericis, quibus indutus es vestibus, seruilem te tunicam induas, & descendens in cloacam, mittas manus tuas in stercus, vt annulum aureum vna cum gemma recuperes: an non illo recepto præ gaudio amicos tuos inuitabis ad epulas, & ob extractum è cloaca & sordibus annulum gemmamq́; lætaberis?

Elegans similitudo.

XXVII. PRÆFECTVS dixit: Cuius rei causa hanc adduxisti similitudinem? Tranquillinus respondit: Vt ostenderem tibi, vnum Deum inuisibilem nos colere. Præfectus dixit: Et quid sibi vult annulus, quid aurum, quid gemma in stercore volutata? Tranquillinus respondit: Aurum, corpus hominis: gemma verò, anima quæ in ipso inclusa est corpore. Corpus ergò & anima vnum hominem faciunt, sicut aurum & gemma vnum efficiunt annulum. Sed quemadmodum tibi pretiosus & charus est annulus, ita vel centuplo pretiosior est Christo anima hominis. Tu misisti seruos, vt annulum è sordibus leuarent, nec eum tamen vlla ratione extrahere potuerunt: ita & Deus misit prophetas suos de cælo, loquens ad eos, vt humanum genus è cœno huius mundi educerent: at nullo pacto, nulla id instantia facere potuerunt. Tu posuisti vestes aureas, & seruili sumpto habitu, descendisti in cloacam, manusque tuas misisti in sordes, vt annulum inde eriperes: sic & diuina Maiestas suo se splendore exuit, non tamen superna deserens, & induit se seruili nostri corporis indumento, atq; huc in cloacam huius mundi è cælo descendens, misit manus suas in sordes passionum nostrarum, & passionem, quæ nostris debebatur meritis, in se suscipiens, gloriæ nos suorum reddidit digitorum. Nam qui per incredulitatem volutabamur in squaloribus mundi, per fidem abluti à sordibus, diuinis sumus manibus,

Anima hominis Christo charissima.

vt ille tuus annulus, restituti. Interea verò, si qui serui tui, dum te in seruili cernerent habitu, suum negâssent dominum, an non iure vt rebelles occidi potuissent? Ita nimirum, qui negant Christum Dominum suum, propterea quòd à maiestate sua se exinaniuit, formam serui accipiens, haud quaquam poterunt æterni ignis pœnas euadere. Atque ideo nobis, qui in eum credimus, æterni fontis vnda subuenit, vt ignis sempiternus à fonte perenni vincatur, & infidelitatem fides superet.

PRÆFECTVS dixit: Vt video, non vt filios tuos ab hac intentione tolleres, poposcisse probaris inducias, sed vt has aniles fabulas ad nostra tribunalia meditatas adferres. Tranquillinus ait: Non meditantur discipuli Christi, quid in conspectu iudicum prosequantur. Sic enim præmonuit nos Dominus, dicens: Quando potestatibus huius mundi vos causa mei nominis trademini, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora diuinitus, quid dicatis. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Dei, qui loquitur in vobis. Non ergo meditando ego, sed credendo inueni creatorem meum: & qui earum podagrico & chiragrico dolore contractus & constrictus, mox vt in Christum credidi, instar pueruli omnium membrorum meorum recepi sanitatem. Constat ergò apud animum meum, illum me creâsse, qui me renouare dignatus est: & sicut mihi dedit restaurationem corporis, ita quoque animæ post hanc vitam se daturum promisit, si tamen non dubius vel timidus hominum terroribus frangar, sed in eius confessione perdurans, fidem integram, quam ille mihi præstitit inuenire, conseruem. Præfectus dixit: Ignoras Tranquilline, quàm atrox inuictissimorum principum in Christianos ira sæuiat: & ideo quasi securus, quod tibi videtur, prosequeris. Tranquillinus respondit: Irritatus timor est, quo plus humana timetur quàm diuina indignatio. Quæso te, si in medium canum latrantium veniremus, qui nos vano furore perciti morsibus appeterent, possent ne illi ex animis nostris tollere hoc ipsum, quòd homines sumus rationales, cum sint canes insani & nulla ratione præditi? Ita ergo etiam illi, qui nobis rectè credentibus irascuntur, sæuire quidem possunt & inferre iniusta supplicia, at nunquam tamen de cordibus nostris id auferre possunt quòd Dominum Iesum Christum & creatorem nostrum esse credimus, & redemptorem ac instauratorem nostri generis esse gaudemus. XXIIX.

Matth. 10.

TVNC præfectus iussit eum recipi à commentariensibus, dicens: Proxima te audiam sessione. Post hæc mittens clanculò, iussit eum nocte ad se adduci, & offerens ei immensum pondus auri, dixit: Indica mihi medicamentum, vndè tibi sanitas comparata est. [a] Tranquillinus ait: Scias grandem iram & furorem Dei illis impendere, qui gratiam eius vel vendi, vel emi debere existimant: Itaque si vis podagræ absolui dolore, crede Christum filium Dei esse, & liberaberis, & sicut me vides, ita quoque saluus eris. Ego quidem vix manibus deferebar, & vndecim annis per omnes neruorum iuncturas in corpore meo dolorum nodis constrictus, alienis manibus cibum ori meo admotum ægrè capiebam. Ilicò autem, vt Christum verum Deum esse credidi, salutis meæ gaudia recepi: & sum nunc incolumis, quia verum Saluatorem agnoui. Tunc præfectus misit eum, dicens: Adduc eum ad me, qui te sanum fecit, vt si mihi promiserit salutem, possim & ego fieri Christianus. Mox itaque Tranquillinus veniens ad sanctum Polycarpum presbyterum, dicta gestaque omnia illi enarrauit: ducensque illum in domum præfecti, occultè eum eius adspectibus præsentauit. Cui Præfectus ait: Licet grauis animaduersio principum Christianis infesta sit, tamen spe recuperandæ salutis offeram vobis, quicquid illud est, vsque ad dimidium bonorum patrimonij mei, si ab hac nodositate condylorum corporis mei membra fuerint soluta. At sanctus Polycarpus subridens, ait: Potens est Deus & Dominus Iesus Christus, & ignorantiæ tuæ veritatis valuas aperire, & ostendere tibi, quòd ipse sit corporis tui instaurator. Nam pecuniam qui vel offerunt, vel oblatam accipiunt, non solùm nullam dolentibus conferunt medicinam, sed etiam sibijpsis morbum insanabilem adducunt. XXIX.

[a] Trãquillinus nocte reuocatur ad præfectum.

DICIT ei Præfectus: Dic ergò mihi quid faciam, vt consequi valeam quod spero, Respondit Polycarpus. Si credideris ex toto corde tuo, vt credidit Tranquillinus, saluus eris. Dicit ei præfectus: Quo ordine debeam credere, explicato. Tunc [b] sanctus Polycarpus catechizauit eum, indixitque ei triduanum ieiunium: & accito ad se sancto Sebastiano, tribus diebus & noctibus cum eo ieiunauit: orabantque pariter cum lachrymis, vt fidem nominis sui in salutem volentis credere Dominus demonstraret. Igitur cùm dies tertia, quæ constituta erat, aduenisset, ad domum sustinentis Præfecti veniunt simul properantes, eamque ingressi, dixerunt: Pax fidei tuæ. At ille resalutauit eos officiosissimè, & hortatus iuxta se sedere, dixit: Ex ore Tranquillini egressa oratio, oculorum meorum assertione declaratur. Vidi enim hunc saniissimum, quem podagrico noueram dolore contractum, à quo genus medicamenti, vndè curatus esset, inquirens, tale ab eo responsum accepi: Dum fidem meam in idolis ponerem, debilis effectus, & nimia sum infirmitate contractus: at vbi vnum Deum in cælis didici ostensione Christianorum, abnegaui vniuersa, quæ sine causa colueram, & fidem animi mei Christo tradidi. Mox autem vt vnum & verum Deum in cælis regnare confessus sum, statim omnis, qua vndecim annis carueram, ad me reuersa est sanitas, & infirmitas omnis à me separata. Hæc ego audiui auribus, probaui oculis, corde credidi: superest, vt quod feciistis Tranquillino, etiam mihi præstetis, vt possim corporis recipere sanitatem. Polycarpus presbyter dixit: Si transeuntes dolores anima hominis non suffert, quid de illis doloribus actura est, quibus nullus vnquam accedet finis, nulla datur omnino successio? Nam hi dolores momentanei illorum dolorum quandam referunt imaginem: & quantum interest inter ignem viuum & pictum, tantum distat inter dolores quos nunc patitur corpus, & illos quos anima passura est, si ignara creatoris sui præsentis vitæ munus expleuerit. Age ergo nobiscum prius de illis doloribus, & esto, de illa pœna solicitus, quæ habet ignem semper ardentem, & vermem perpetuò rodentem. XXX.

[b] Præfectus fit catechumenus.

[c] Acerbitas pœnarum apud inferos.

TVNC Chromatius Vrbis [d] præfectus cum vnico filio suo Tiburtio dedit nomen suum, dicens: In hoc de fide mea certos vos esse conuenit, quòd etiam filium meum vnà mecum Christianum fieri exopto. Cui Sebastianus dixit: Vide nè sola recuperandæ sanitatis spe ductus, te Christianum cupias fieri: sed potius spe vitæ æternæ mentem tuam expurges ad intuendam veritatis rationem. Nisi enim agnoueris, quis sit creator tuus, non poteris salutem inuenire quam quæris. Chromatius dixit: Ergo rusticos & simpliciissimos homines non videmus esse Christianos, ita vt inter mille viros vix vnum reperias, qui sit vel dicendi arte instructus? Num hi omnes ad hanc veri inquisitionem pertingere potuerunt, cùm fierent Christiani? Sebastianus ait: Hoc responsum tuum affirmat nostræ partis assertio. Nam ab origine mundi cum ruricolis & pastoribus ouium Deus sermonem habuit, & in fine seculorum non elegit Grammaticos & Oratores, sed simplices & piscatores, eisque tradidit sui notitiam. Chromatius dixit: Cur ergo me dicis prius debere agnoscere, quis sit creator meus, quem nisi cognouerim, salutem inuenire non queam? Sebastianus respondit: Quia multos deos deasque coluisti: quos nisi à corde tuo excluseris, & imagines eorum confregeris, vnumque verum Deum cognoueris, vitam & salutem consequi non poteris. Chromatius dixit: Indica ergo mihi quis est vnus & verus Deus? XXXI.

[d] Chromatius Præfectus & eius filius dant nomina sua Bar. ibid.

SEBASTIANVS [e] ait: Si seruum tuum ad hauriendam aquam miseris, dum ad fontem venerit, adspicit prius, nè quæ sordes intus lateant in lagena, nec est ausus aquam in eam mittere, nisi mundatam à sordibus viderit. Nos igitur quo pacto veritatis fontem tibi trademus, nisi prius ab omni idolorum squalore & spurcitia te feceris alienum. Chromatius dixit: Et quo ordine ab his potero alienus effici? Sebastianus ait: Fac nobis potestatem idola omnia, quæ intra domum tuam inuenerimus, lapidea quidem confringendi, lignea comburendi, ærea, argentea & aurea conflandi, & XXXII.

[e] Pulchra similitudo.

precium

precium eorum pauperibus distribuendi. Chromatius dixit: Et cùm hæc feceritis, quis mihi inde fructus acceder? Sebastianus respondit: Omnium neruorum tuorum, quorum nodositate constringeris, mox consequeris sanitatem, & quasi nihil vnquam doloris senseris, ita pedibus currere incipies, & agnoscere quòd inimicos salutis tuæ deos dilexeris: tuum verò parentem hunc esse, qui te statim vt eum nosse & colere cœpisti, instaurarit & saluum restituerit. Chromatius dixit: Nolite vos ipsos ad hanc iniuriam deponere. Sed seruis meis præcipiam, vt ipsi vniuersa confringant. Sebastianus ait: Dubij, & timidi ac infideles si ea confregerint, inuenit facilè diabolus per quamcunque negligentiam eorum, occasionem lædendi eos: porro simul atque læsi fuerint, dicent infideles propterea læsos eos esse, quòd idola confregerint. Non potest se tueri contra ictus sagittarum, qui lorica munitus non est. Galea enim & scuto & hasta vtitur docta manus in prælio, vt ex armorum munimine sumat audaciam, quæ nescit terga vertere. Ita etiam illi, qui fidei scuto protecti sunt, & lorica tegminis Christi muniuntur, habentes galeam spei & salutis, tutò in certamen descendunt. Pugnant enim acerrimè, & fortiter vincunt, quia contra inuisibilem hostem die noctuque infatigabiliter præliantur, & sunt membris omnibus tecti, fideque potius armantur quàm ferro. Chromatius dixit: Fiat voluntas Dei & vestra.

XXIII. Tvnc sanctus Polycarpus presbyter & sanctus Sebastianus præcingentes se, orauerunt, & post orationem plusquam ducenta idola confringentes, gratias egerunt Deo. Post hęc accesserunt ad Chromatium dicentes ei: Confringentibus nobis idola, tu debuisti sanitatem recipere, nisi fortassis aliqua in animo tuo infidelitas inhæsit. Nos enim hoc apud nos indubitatum habemus, aut restare quippiam etiamnum, quod necdum fractum sit: aut si omnia fracta sint, aliquid hærere in animo tuo: quod nobis, quæsumus, euidentius manifesta. Tuncille ait: Habeo cubiculũ ex toto vitreũ, in quo omnis disciplina stellarũ ac mathesis mechanica est arte constructa, in cuius fabricam pater meus Tarquinius amplius ducenta auri pondera dinoscitur impendisse. Cui Sebastianus respondit: Si tu hoc integrum habere volueris, te ipsum integrum non habebis. Chromatius dixit: Quid enim? Mathesis ne aut ephemerides aliquo sacrificiorum ritu coluntur, in quibus mensium & annorum cursus certo numero per horarum spatia distinguuntur, & lunaris globi plenitudo vel diminutio, digitorum motu, rationis magisterio & calculi supputatione præuidentur? Polycarpus respondit: Illic signati sunt, quorum considerandorum ars inimica est Deo, cuius artis fallacis consultor atque cõciliator, diuinæ veritatis remedia nulla consequitur: illicque signa sunt leonis, & capricorni, & sagittarij, & scorpionis, & tauri. Illic pleraque dæmonum monstrosa figmenta, ex quibus illa ars Deo inuisa cognoscitur. Hæc enim qui non ita recusant, vt nonsolum ipsi ea non audiant, non colant, non credant, non teneant, verùm etiam nec illos amicos habere velint, qui his nugis suum occupant pectus, Christiani non sunt. Omnia enim hæc vana, ac deceptionis ministeria sunt: similitudo quædam veritatis in eis est, non ipsa veritas.

[a] Idola Præfecti confringuntur.

Chromativs dixit: Quid quòd nonnunquam futura prænuntiant? Sebastianus respondit: Hac[b] omnia esse vanissima & falsa, Christo reuelante, cognouimus, quæ tibi nunc manifestius aperiemus. Præcipe nunc venire ad te Matheseos doctorem, eique dicas illo tempore te asperis laborasse casibus, & inquiras quæ stellæ id tibi crearint mali. XXIV. Responsa eius procul dubio erunt talia, quod tempus illud à maligno Marte susceptum fuerit, aut Saturnus apostaticus regnarit, aut annus tuus ex diametro susceptus sit, aut climacterica tibi in centro sint nata, reditúsve fuerit cũ malo, aut inuisibilis denique, aut in stigmate, aut immobilis circa te extiterit cursus stellarum. Hęc & his similia cum dixerit, quædam verisimilia & rationi quasi consentanea, quibus ea probet, adferre conabitur. Tu verò etiam alium consulas mathematicum, cui easdem ipsas horas idemque tempus tibi bonis exuberasse rebus dicas. Illico sanè videbis etiam eum tibi rationabilia infinita proferre schemata, quibus doceat, illo tempore hæc tibi bona euenire debuisse. Circulum enim tenet ex omni parte collectum, in quo multiplices ac varias causas contemplatur, ex quibus occasionem capiat dicendi ea, quæ vult. Nam futura dum penitus præuidere non possunt, climactericas dicet, id est, naturæ incerta perfugia. Et enim coniecturis quibusdam[c] mendacissimæ artis suæ, hominibus propria vota pronuntiant, eaque confundunt per callidas verborum ambages: vt, si ab eis prædicta euenerint, sibi arrogent præscientiã: sin minus, ignauiam suam diuersis rerum necessitatibus excusare nituntur. Nam penitus, vt dixi, futura præuidere nequeunt.

[b] Contra Mathematicos validissimæ rationes.

[c] Mathematicorũ fallaces cõiecturæ.

Diversis enim temporibus nati, vno naufragio perierunt: & vna hora dici vel noctis exorti, alter ad mendici-XXV. tatem deponitur, alter ascendit ad regni gubernacula. In vno prælio innumerabilis multitudo prosternitur, & vno die, immò eadem puncti atomo duæ natæ si sint fœminæ, altera pudicissima, altera impudica euadit. Vtrisque igitur si stellæ meritum contulerunt, nec meretrix vituperanda est, nec casta laudanda. Certè legum latores & principes scitorum suorum præuaricatores puniunt: & ideò forum, ideò iudex, ideò iura, vt iusti rectè laudentur, & iniusti meritò puniantur. Sed nec hoc quidem otiosum existimes, quòd te ipsum necdum saluum conspicis. Nam si ex toto inimici humani generis superstitiones & cæremonias abijceres, in te ipso quod verum est didicisses. Audiens hæc Chromatius, dixit: Verus est Deus il e, qui vos tales probatur habere cultores. Nam omnis sermo vester ità rationibus affluit, vt & pecudũ mentes ad assentiendum permouere possit. Itaque ne saluti meæ impedimento sit, etiam hoc ipsum, quod ad ornatum domus meæ visus sum excepisse, prorsus dissipetur. Credo enim, & hæc fides mea est, quòd ijs omnibus, quæ lex Christiana abominatur ac prohibet, à me penitus segregatis, & præsentem salutem consequi mereat, & futuram. His auditis, filius eius Tiburtius dixit: Nulla patior ratione hoc opus præcipuum & incomparabile destrui: nè tamen paternæ saluti videar esse contrarius, adferantur duo clibani, & accensi ante ianuam cubiculi præparentur, vt vbi dissipatum ab eis fuerit, & pater meus non receperit sanitatem, ambo in singulos clibanos demergantur. Audiẽs hæc pater, prohibebat fieri: sanctiverò non solũ non metuebant intentatum exitium, verùm etiam præparari clibanos constanter hortabantur. Deindè accesserunt ad vniuersa idola crystallina & vitrea, & omne illud opus affabrè elaboratum confregerunt.

XXVI. Atque eccè repentè inter frangendum apparuit ante oculos Chromatij iuuenis, cuius facies flammeo radiabat adspectu, & dixit ei: Misit me Dominus Iesus Christus, in quem credidisti, vt omnium[d] membrorum tuorum recipias sanitatem. Ad hanc vocem sanissimus redditus, cœpit currere post iuuenem, vt eius pedes oscularetur. At ille dixit ei: Vide nè contingas me, quia nondum baptismatis sanctificatio te à sordibus abluit idolorum. Videns hæc[e] Tiburtius, aduoluitur pedibus sancti Polycarpi. Ipse autem Chromatius stringebat pedes sancti Sebastiani, & ambo vna voce clamabant: Vnus verus Deus Dominus Iesus Christus, omnipotentis Dei vnigenitus filius, quem prædicatis boni ministri eius. Tunc beatus Sebastianus dixit Chromatio: Sicut ipse nôsti, principatum primæ cohortis ago: sed vtrum sit militia hominis, nec scire velle iam olim decreui. Ad hoc tantum sub chlamyde latére volui, vt nutantium animos erigerem, & vacillantes confirmarem, nè pœnarum doloribus cederent, quos fides fecerat Christi bellatores. Tu autem amplissimæ potestatis apicem tenens, non potes teipsum vel à spectaculis subducere, vel à iudicandis negotijs absentare. Simulans igitur ægritudinem, postula tibi successorem, vt liber à mundi occupationibus, possis futuræ vitę rudimenta susc pere, & secunda natiuitate regeneratus, æterni parentis proles effici. Eodem itaque die misit ad amicos suos in palatio positos, per quos testimonialia scripta recipiens, tyrociniũ diuinæ militiæ antequam baptizaretur, susc pit. Quid hic ego commemorem, quàm plenissimæ fidei fuerit, quamque acri ingenio contra infideliũ assertiones constiterit? In ipso sanè initio, prius quàm sacrosancti fontis vnda esset perfusus, mentis eius fides euidenter enituit.

[d] Præfectus & animo & corpore sanus.

[e] Creatur iam Tiburtius.

Interro-

INTERROGATVS enim si crederet, respondit, Credo. Item interrogatus vtrum renunciaret omnibus idolis, re- XXXVII.
spondit: Abrenuntio. Rursus sacerdote interrogante, num renuntiaret peccatis omnibus, ille ait: Isthuc primùm in-
quirere debuisti, antequam has aulas regis cælorum intrarem. Nunc autem reinduam me baptizatus, vt prius omnib⁹
ignoscam, in quos commoto fui animo, vt debitoribus meis Chirographa restituam, & si cui quicquam vi abstuli, in-
tegrè reddendum curem. Tum quoque duæ mihi post vxoris obitum concubinæ fuêre, quas dotabo & maritis tra-
dam, & omni seruitutis nexu expeditas, ingenuas efficiam, atque ita tum priuatim, tum publicè actuum meorum no-
dos dissoluam, sicque demum promittam me renuntiaturum cunctis diaboli peccatis, & mundi voluptatibus. Dicit
ei Polycarpus presbyter: Beatiorem te cælestis vnda perfundet, quum ea, quæ arbitratu tuo te dicis esse facturum, tota
festinatione compleueris. Nam & [a] Quadragesimæ tempus ideo baptizandis iniungitur, vt omnibus illis diebus di-
cant renunciaturos se esse omnibus artibus inimici, mundique commercijs hi, qui verissimè volunt effici Christiani.
Tum Tiburtius iuuenis sapientissimus dixit: Pater, si tu tibi abdicandis negotijs tempus flagitas, ego qui adhuc susce-
pturus eram negotia fori, soli susciendorum voluntati renuntio: & qui futurus eram aduocatus ad agendas causas
mortalium, amplectar Christianissimum ad exercendas angelicas actiones, cum vnus esse cœpero ex eorum numero,
qui æternam percipiunt vitam, & efficiuntur causidici sanctitatis. Tum complexus est eum beatus Sebastianus, cumq;
eum baptizâsset sanctus Polycarpus, ipse pater susceptionis vel susceptor eius est factus.

[a] Quadragesimæ tempus.

IGITVR dum pauci admodum transacti essent dies, omnibus à Chromatio mundi negotijs ritè abrenunciatis, XXXVIII.
suscepit etiam ipse sancti [b] baptismatis nouitatem, & cum eo de familia eius promiscui sexus mille quadringenti serui,
quos omnes manumittens, donis egregijs instruxit, dicens, eos, qui Deum incipiunt habere patrem, seruos homi-
num esse non debere. Erat id temporis Papa vrbis Romæ Caius nomine, vir magnæ prudentiæ & eximiæ virtutis.
Imperantibus autem Carino & Diocletiano, primo remissior fuit in Christianos persecutio, quòd Carinus haberet
quosdam in amicitia, quos huius confessionis titulus decorabat. Porro occiso Carino ad *Margum, consulibus
Maximo & Aquilino tã immanis orta est persecutio, vt nulli quicquã vel vendere, vel emere liceret, nisi paruis quibus-
dam statuis, positis eo in loco, vbi emendi gratia conuentum esset, thura incenderet. Tum etiam circa insulas, vicos
& aquas positi erant compulsores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi qui idolis
libassent. Itaque ex S. Caij Pontificis consilio, Chromatius vir illustrissimus Christianos omnes in domum suam
recepit, cunctosque ita fouit, vt nullus omnino sacrificandi necessitati succumberet. Verùm quia tanta persecu-
tionis extitit vis, vt opinio Christianæ religionis ab eo susceptæ celari iam non posset, meruit ex sacro rescripto
Chromatius, vt medelæ gratia in Campano litore, vbi lati cæspitis erat dominus, demoraretur. Fecitque copiam
Christianis omnibus, cum ipso ire volentibus, eò commigrandi ad persecutionis rabiem declinandam. Tum
vero orta est pia contentio inter sanctos Polycarpum & Sebastianum, quis in vrbe remaneret, & quis iret cum Chro-
matio, qui tam multos ad se receperat Christianos. Quibus ita altercantibus, venerabilis Papa Caius dixit: Dum
ambo coronam passionis appetitis, populum Domini solatio destituitis. Vndè mihi videtur, vt tu frater Polycarpe,
qui & sacerdotij rectum tramitem tenes, & scientiæ Dei repletus es donis, proficiscaris simul ad confortandas cre-
dentium mentes, & animos dubios confirmandos. Quibus ille auditis, acquieuit, & blandum Papæ imperium æqua-
nimiter tulit. Venit itaque dies Dominica, in qua Caius pontifex agens quæ Dei sunt intra domum Chromatij, om-
nibus aggregatis, cunctos hac voce alloquitur: Dominus noster Iesus Christus præscius fragilitatis humanæ, duos
credentibus in se gradus constituit, [c] confessionis scilicet, & martyrij: vt qui martyrij pondus se non posse ferre veren-
tur, confessionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, ac pro eius nomine pugna-
turis, illorum soliciti curam gerant. Pergant itaque qui volunt, vnà cum filijs nostris Chromatio & Tiburtio, &
mecum in hac vrbe qui voluerint, remaneant. Non enim nos terrarum spatia diuidunt, quos Christi gratia nectit: nec
absentiam vestram sentiunt oculi nostri, quia interioris hominis vos intuemur adspectu. Hæc & his similia dicente
Papa Caio, exclamauit Tiburtius voce magna, dicens: Obsecro te parer, & [d] episcoporum Episcope, nè me patiaris
terga persequentibus dare. Mihi enim valdè iucundum est & optabile, pro vero Deo millies, si possim, occidi: tantùm
vt illius vitæ dignitatem apprehendam, quam nullus mihi successor eripiat, & cui nulla tempora finem imponant.
Tunc sanctus Caius, congaudens fidei eius, lachrymas fundebat, orabatque, vt omnes qui cum ipso remansissent,
certaminis victores existerent, triumphum martyrij assecuti.

[b] Præfectus cum 1400. seruis baptizatur. *Anno 285.*

Anno 286. sæua persecutio. Vide Bar. hoc anno.

**Margum.*

[c] Confessores & martyres.

[d] Papa, episcoporum episcopus.

REMANSERVNT autem cum venerabili Papa, Marcellianus & [e] Marcus, & pater eorum, vir clarissimus, Tran- XXXIX.
quillinus, itemque beatus Sebastianus, & iuuenis corpore pulcherrimus, sed pulchrior mente sanctus Tiburtius: tum
quoque Nicostratus protoscriniarius, cum fratre suo Castorio & coniuge Zoë, & Claudius etiam cum fratre suo Vi-
ctorino & filio Symphoriano, qui fuit ab hydropis morbo liberatus. Hi soli, [f] reliquis omnibus cum Chromatio pro-
ficiscentibus, in vrbe cum Caio pontifice remanserunt: qui Marcum & Marcellianum diaconij honore sanctifica-
uit Tranquillinum verò patrem eorum fecit presbyterum, & beatum Sebastianum, qui ad multorum profectum sub
specie militiæ latebat, Ecclesiæ defensorem constituit: cæteros verò, subdiaconos fecit. Sed quia tutus nullus inueni-
ri poterat locus ad latebram *confouendam, morabantur omnes apud Castulum quendam Christianum, [g] zetarium
palatij, qui eiusdem palatij altissimo loco commanebat. Ea verò mansio idcircò idonea visa est, quòd & Castulus ipse
cum omnibus suis Christianissimus esset, & lex de sacrificijs lata cùm vbique suo feruore sæuiret in illos, qui palatio
adhærebant, quia nec suspicio de illis esse poterat, minimè executioni dabatur. Morabantur ergo hi omnes, vt dixi-
mus, cum sancto Papa Caio apud Castulum, & diu noctuq; gemitibus, fletibus, ieiunijs & orationibus occupati, ora-
bant Dominum, vt digni haberentur tolerantia confessionis eius, & in numerum sanctorum martyrum admitti me-
rerentur. Ascendebant autem ad eos occultè religiosi viri & fœminæ, quippe qui à sanctis diuersas sanitatum gratias
impetrarent. Nam & cæcorum oculi illuminabantur eorum precibus, & salus reddebatur ægrotis, & de obsessis cor-
poribus dæmones pellebantur.

[e] Aliquot martyres Romæ permanent.

[f] Alii abeũt.

** confugiendum.*

[g] Zetarii dicebantur qui præerãt zetis: erat autem zeta teste Plin. l. 6 Epist. 5. locus capax vnius lecti cum duabus sellis, qui velis obductis & reductis modo adiicebantur cubiculo, modo auferebantur, ac proinde portatile quoddam cubiculum, vt Bar. tom. 2. annalium ad an. 286. notat.

INTEREA dum hæc gererentur, transiens beatus Tiburtius, occurrit homini, qui de alto lapsus fuerat, & caput XL.
membraque omnia ita quassauerat, vt parentes eius non nisi de sepultura illius cogitarent: quibus ille flentibus dixit:
Permitte me verbo vno illum alloqui: forsan recuperabit sanitatem. Cumq; [h] omnes dedissent spatium, accessit iuxta
eum, & dicta tractim oratione Dominica & symbolo super vulnera eius, adeò solidata sunt ossa eius, caputq; & visce-
ra omnia, adeoq; factus est incolumis, quasi nihil mali passus esset. Hoc facto, cœpit abire Tiburtius. Tenebant autem
illum parentes eius, dicentes: Veni, & habe eum seruum, & omnia bona nostra tibi trademus cum eo, quandoqui-
dem cùm esset nobis vnicus, tu eum nobis ex mortuo viuum reddidisti. Quibus beatus Tiburtius respondit: Si ea quæ
vobis dixero, feceritis, magni pendam mercedem sanitatis huius. Dicunt ei illi. Nosipsos si seruos habere voles, con-
tradicere non valebimus: immò verò optamus etiam, si ipse dignum iudicaueris. Tunc apprehensa illorum manu,
duxit

[h] Tiburtii insigne miraculum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duxit eos seorsum à turba,& indicauit eis virtutem nominis Christi : videnſque animos eorum firmos in timore Dei, perduxit eos ad Caium pontificem dicens ei: Venerabilis Papa ac diuinæ legis antiſtes,ecce quos per me hodie Chriſtus lucratus eſt,in quibus fides mea velut arbuſcula nouella primum prorupit in fructum. Tunc ſanctus Caius baptizauit iuuenem cum parentibus eius,gratias Deo referentem.

Zoëmartyrium: Numachiæ regionem nullam reperiri dicit Bar. ad an. 286. ſed Numachiam fuiſſe in regione decima quarta trãs Tyberim. Quod aut auctor

XLI. VERVM quia prolixi nimis operis eſt proſequi ea omnia,quæ per illos Chriſtus fecit,ijs omiſſis,quomodo ſinguli ad palmam martyrij peruenerint,explicemus. Itaque beatiſſima Zoë cum in Apoſtolorum natali ad confeſſionem ſancti Petri Apoſtoli oraret , ab inſidiantibus paganis arctata, ducitur ad patronum regionis Naumachiæ, & compellitur Martis paruæ ſtatuæ,quæ illic erat, thura incendere Cui illa reſpondit:Mulierem Marti ſacrificare compellis, vt oſtendas Martem veſtrum fœminam delectari. At verò ſi ille impudiciſſimæ Veneri potuit pudorem eripere, mihi certè,trophæum fidei in fronte geſtanti,nõ poterit præualere. Non enim ego contra eum luctor meis viribus,ſed Domini mei IESV Chriſti freta virtute;& vos & illum pariter contemno. Tunc patronus regionis miſit eam in cuſtodiam obſcuriſſimam,fecitque vt diebus quinque nec lumen videret,nec cibum potumque caperet: intentabat quoque illi minas famis & cæcitatis niſi dijs libaturam ſe promitteret. At qui eam clauſam tenebant , vocem illius audiebant, Deum interim laudantis & benedicentis.Cum autem ſex tranſiſſent dies , ſuggeſſerũt de ea Præfecto ſæuienti:qui iuſſit eam à collo & capillis in arbore excelſa ſuſpendi,& ſub ea fumum è ſterquilinio excitari.Statim ergovt ſuſpenſa eſt, in confeſſione Domini emiſit ſpiritum.Illi autem tollentes corpus eius,grandi alligatum ſaxo in Tiberim demerſerũt, dicentes,nè Chriſtiani corpus eius tollant,& faciant eam ſibi deam.

dicat de Patrono Numachiæ,id de nouo officio pro tempore intelligendum,quo ſcilicet de Chriſtianis inquireretur,vt putat Bar.

Tranquilini cædes.

LXII. EIVS igitur celebrato martyrio, apparuit illa in ſomnis beato Sebaſtiano,indicans ei ſuum pro Chriſto ſuſceptũ martyrium.Quod cùm Sebaſtianus alijs narraſſet,in has Trãquillinus voces prorupit : Fœminæ nos ad coronam præcedunt:vt quid viuimus?Et octaua Apoſtolorum die ad beati Pauli confeſſionem accedens, ſenſit etiam ipſe paganorum inſidias.& à populo lapidibus obrutus,mortuus eſt,& corpus eius in Tyberim iactatum eſt.

*al.Fabiũ.

NICOSTRATVS quoque & Caſtorius vnà cum Claudio & Victorino & Symphoriano,dum corpora ſanctorum perripas Tyberis quærunt,tenti ſunt,& ad Vrbis Præfectum Fabianum* perducti:qui eos hortabatur vt ſacrificarent, diebuſque decem minis & blanditijs cum illis agens , nihil prorſus mouere eos potuit. Suggeſſit igitur de illis Imperatoribus,qui iuſſerunt eos tertio torqueri:cumque nulla ratione tormentis cederent,lata ſententia eſt , vt in medium mare præcipites mitterentur. Immenſis itaque conſtricti ponderibus,pelagi fluctibus dati ſunt , vt in loco mũdo inter aquas coronam martyrij reportarent.Atque ita fidelibus infideles inſidiabantur,& iniquo furore eos perſequebãtur, adeò vt nec videre æquo eos poſſent animo,nec eorum ferre nomen.

Alii quinque torquentur.

Torquatus homo fraudulentus.

LXIII. INTEREA ſancto Caio epiſcopo Torquatus quidam ſe ſimulata fide ſociauit , dicens ſe eſſe Chriſtianum. Erat autem Apoſtata,& homo fraudulentus in omni ſermone,& callidus in omni commiſſo. Quid multa? Cùm à beato Tiburtio viro nobili,erudito & ſancto frequenter argueretur,quòd capillos ſuper apicem frontis, tonſoris arte componeret,quòd aſſiduè comeſſaretur,& ludendo pranderet,quòd fœminarum adſpectu delectaretur,quòd à ieiunijs& orationibus ſe ſubduceret,quòd ſomno deditus ,non intereſſet peruigil hymnos Deo noctù dicentibus: cùm propter hæc:inquam à beato Tiburtio acrius obiurgaretur,ſe eius monita ſimulat libenter accipere, egitque arte , vt orantem ſanctum Tiburtium infideles comprehenderent, in qua comprehenſione ſe quoque fecit teneri , & ſimul perduci ad ſecretarium iudicis ſequentis. Quò cùm perducti fuere, Fabianus præfectus dixit ad eum,qui ſe arte tradiderat: Quis dicetis?At ille reſpondit,Torquatus. Fabianus dixit : Quid profiteris? Torquatus dixit: Chriſtianus ſum. Fabianus ait: An ignoras iuſſiſſe inuictiſſimos principes,vt qui ſacrificare dijs nolint,diuerſis ſupplicijs macerentur? Torquatus ait. Hic magiſter meus eſt,& ipſe me ſemper docuit:quod eum videro facere,me quoque facere neceſſe eſt.Fabianus conuerſus ad Tiburtiũ,dixit: Audiſti quid Torquatus aſſerat? Quid ad hęc reſpondes? Tiburtius ait:Diu eſt,quòd Torquatus ſe Chriſtianum eſſe mentitur. Virtus enim ipſa ſancti nominis grauiter fert & moleſtè , ſuum nomen à non ſuis amatoribus vſurpari. Reuerà enim vir illuſtriſſime , hoc Chriſtianum nomen diuinæ virtutis eſt,ſectatorum ſcilicet Chriſti,qui verè philoſophati ſunt,qui ad obterendas libidines fortiter dimicarunt. Credisne vir illuſtriſſime, hunc eſſe Chriſtianum,qui in ſui lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit,qui tonſorem diligit,qui ſcapulis molliter geſtit,qui fluxum greſſum improbo niſu diſtendit,qui neglectis viris,fœminas curioſiùs intuetur? Nunquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſeruos ſuos. Verùm quando hic ſe imitaturum me aſſeruit, iam tu ipſe coràm eũ probabis eſſe mentitum.Nam qualis ſemper fuerit,nunc euidenter oſtendit.Fabianus dixit:Conſultius feceris,ſi ſalutituæ proſpiciens,principum decreta non ſpernas. Tiburtius ait : Ego verò ſaluti meæ melius non conſulo, quàm vt deos deaſque contemnens,vnum Dominum Ieſum Chriſtum Deum meum eſſe confitear. Torquatus dixit:Non ſolũ ipſe Chriſtianus crudelis eſt,verùm etiam decipit alios,perſuadens & docens deos omnes eſſe dæmones : ipſe autem cum ſocijs ſuis,cum quibus magicas artes exercet,die noctuque incantationibus occupatur. Tiburtius dixit:Falſus teſtis non erit impunitus. Hic,quem vides,vir illuſtriſſime,malitiæ ſuæ curis exæſtuans,nullam aliã ob cauſam Chriſtianis ſe adiunxit,niſi vt nobis Chriſtianum ſe fingeret,& alijs fideliſſimum mentiretur: At ego reprehendebam in eo Cyclopæam edacitatem,emergentem è vino putorem,& ſepultam diuini nominis ſanctitatem. Ebrius patiebatur ſitim & eſuriem vomens,nec vt Chriſtianus,ſed vt Antonianus quondam ille conuiuator, edebat,potabat, vomebat: & nunc Chriſtianos arguit,Chriſtianoſque accuſat,& in eos mitem iudicem incitans,gladium nolenti porrigit,vtque dæmonibus ceruices inclinemus,hortatur.

Obſeruat quos Chriſtus nolit habere ſeruos.

*Prou. 19.

Egregia Tiburtii conſtantia.

LXIV. VIDEMVS votum tuum,videmus cruenta conſilia,& ſcelerata arte verborum cõflata tui pectoris venena intuemur.Accingere ergo crudeliſſime,& vtere carnificis officio.Vindica tibi ipſius iudicis vocem,applica equuleos,ſuſpẽde Chriſtianos,damna,percute,incende:vniuerſa denique ſupplicia adhibe. Si exilium minaris , hoc philoſophantibus totus eſt mundus:ſi mortis ſupplicium,euadimus mundi carcerem : ſi ignes,maiora his incendia in cupiditatibus vincimus.Decerne quicquid libet: omnis nobis vilis eſt pœna,vbi pura comes eſt conſcientia.Fabianus dixit: Reſtitue te generi tuo,& hoc eſto,quodnatura dictauit.Nobiliter enim natus,ad eam deuolutus es fæcem,vt poſſis & ſuppliciũ & infamiam,& mortem perpeti Tiburtius dixit:O prudentiſſimum virorum,&Romanis iudicem conſtitutum.Quia meretricem Venerem, inceſtum Iouem , Mercurium fallacem & Saturnum filiorum occiſorem colere nolo , generi meo dedecori ſum,& infamiæ mihi notam inuro , & quia vnum verum Deum, qui in cælis regnat,adoro & veneror, ſupplicijs me macerandum minaris Non abnuimus,non renitimur:non negamus Chriſtum filium Dei ad hoc deſcẽdiſſe de cælo ad terras,vt à terris homo ad cælos poſſit aſcendere.Ideoque iſtas vanas effigies omnes , quas colitis ſine cauſa,proculcans pedibus meis,Deo me omnipotenti ſubiecí.

Tiburtii certamen.

LXV. TVNC Fabianus iuſſit ante pedes eius carbones ardẽtes effundi,& ait ad eum:Elige tibi vnum è duobus:aut thura his carbonibus impone ,aut pedibus ſuper eos nudis incede.Tiburtius itaque faciens crucis Chriſti ſignum, conſtãter ſuper eos nudis ingreſſus eſt plantis,dixitque præfecto:Depone infidelitatem,& diſce quia hic ſolus eſt Deus , quẽ confitemur creaturis omnibus dominari. Tu verò ſi potes , mitte manum in aquam calidam in nomine Iouis tui, & ſi poteſt

Vide fraudem apoſtatæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potest Iupiter deus tuus, faciat te non sentire ardorem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei Iesu Christi videtur, quod super flores roseos gradiar, quia creatura ipsa creatoris sui famulatur imperio. Fabianus dixit: Quis ignorat[a] arte magicam vos docuisse Christum vestrum? Tiburtius ait: Obmutesce infelix, & noli auribus meis has irrogare iniurias, vt audiam te rabido ore latrantem, vel nominare sanctum & mellifluum nomen. Tunc iratus Fabianus, hanc in eum dictauit sententiam: Blasphemator deorum, & reus atrocium iniuriarum, gladio animaduertatur. Ductus est igitur in viam Lauicanam, tertio ab Vrbe milliario, & effundens orationem ad Dominum, vno gladij ictu cæsus decessit, & in eodem loco apparente quodam Christiano sepultus est: quo in loco plurima semper beneficia præstat Christus ad laudem nominis sui vsque in præsentem diem.

[a] Inualuisse apud Gentiles opinionẽ, quod Christus magus fuerit, tradit Arnob l. 1. contra Gentes: libros quoque ea de facultate conscriptos ab illis dici eum suis tradidisse S. Augus. de consensu Euangelist. l. 1. c. 8. & 9 testatur.

[b] Castuli martyrium. [c] Item Marci & Marcelliani. Psal. 132.

Post hæc Torquatus egit, vt [b] Castulus palatij zetarius, sanctorum hospes, apprehenderetur: qui tertiò appẽ- XLVII.
sus, & tertiò auditus, cùm in Domini confessione perseueraret, missus est in foueam, demissáque super eum massa arenaria, etiam ipse cum palma martyrij migrauit ad Christum. Tenentur deindè [c] Marcellianus & Marcus, & ambobus ad stipitem ligatis, in pedes eorum claui acuti infixi sunt: dixitque ad eos Fabianus insanissimus iudex: Tandiu ita confixis stabitis plantis, donec dijs debitum reddatis officium. At illi ad vnum confixi lignum, psallebant dicentes: Eccè quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Ad quos Fabianus, Deponite, inquit, amentiam infelices & miseri, & liberate vos à tormentis imminentibus. Cui ambo respondẽrũt: Nunquam tam bene epulati sumus: quia modo cœpimus esse fixi in amore Christi. Vtinam nos sic esse permittas, quandiu huius corporis tegimur indumento. Cumque transisset vnus dies & nox, & illi in psalmis & hymnis perseuerarent, iussit ambos vbi stabant, lanceis per latera verberari, atque ita etiam ipsi cum martyrij gloria ad siderea regna migrarunt: sepulrique sunt via * Appia, milliario secundo ab Vrbe, in loco qui vocatur Ad arenas, quia cryptæ arenarum illic erant, ex quibus Vrbis mœnia struebantur.

* al: Ardeatina.

His igitur expletis, beatus Sebastianus conuentus est: & quia, vt diximus, videbatur sub chlamyde latere, cùm XLV-
Christi esset dignissimus miles, suggessit de eo præfectus Diocletiano Imperatori. Eum itaque ad se vocans Diocletia- III.
nus, ait illi: Ego te inter primos in palatio meo semper habui, & tu contra salutem meam in deorum iniuriam hactenus latuisti? Sebastianus dixit: Pro salute tua Christum semper colui, & pro statu orbis Romani illum, qui in cælis est, semper adoraui, considerans à lapidibus auxilium petere, insani esse & vani capitis. Tunc iratus Diocletianus, iussit eum duci in medium campum, & ligatum ibi, perindè vt signum, sagittis peti à sagittarijs. Posuerunt ergo [d] eum milites in medio campo, & hincindè iaculis adeò repleuerunt, vt instar hericij ex sagittarum densitate hirsutus videretur. Existimantes autem illum mortuum abierunt. Tunc relicta martyris Castuli Zetarij, nomine Irene, abijt noctù, vt corpus tolleret & sepeliret: & inueniens eum viuentem, per scalam excelsam adduxit eum in domum suam, vbi manebat, in palatium: vbi intra paucos dies [e] membrorum omnium integerrimam recuperauit sanitatem. Cumque Christiani omnes ad eum conuenirent, hortabantur eum abscedere. Ille autem oratione facta descẽdit, & stans super gradus * Heliogabali, venientibus Imperatoribus dixit: Iniquis surreptionibus animos imperij vestri templorum pontifices obsident, suggerentes de Christianis falsa commenta, tanquam illi sint Reip. aduersarij, cùm illorum orationibus Resp. in melius proficiat & crescat, non enim cessant pro imperio vestro & pro salute Romani exercitus orare. Cùm hæc & id genus alia diceret, Diocletianus ait: Túne es Sebastianus, quem nos dudum sagittis iusseramus interfici? Sebastianus dixit: Ad hoc me Dominus meus Iesus Christus * resuscitare dignatus est, vt conueniam & contester vos coram omni populo, iniusto iudicio persecutionem vestram in Christi famulos ebullire. Tunc iussit eum in hypodromum palatij duci, & tandiu fustibus cædi, donec exhalaret [f] spiritum. Tulerunt autem corpus eius noctù, & in cloacam maximam miserunt, dicentes, Ne fortè Christiani eum sibi martyrem faciant. Porrò beatus Sebastianus apparuit in somnis matronæ religiosæ, [g] Lucinæ nomine, dicens ei: In cloaca illa, quæ est iuxta Circum, quære, & ibi inuenies corpus meum pendens in vnco: quòd cum leuaueris, perduces ad Catacumbas, & sepelies me in initio cryptæ iuxta vestigia apostolorum. Itaque beata Lucina cum seruis suis media nocte abijt, & eleuans corpus eius, posuit in pilento suo: perductúque ad locum, vbi ille imperauerat, cum omni diligentia sepeliuit, perque dies triginta à sancto loco illo non recessit. Post aliquot autem annos, pace Ecclesiæ reddita, domum suam mutauit in ecclesiam, omnes opes suas pro Christianorum consolatione illi derelinquens, & ecclesiam earum hæredem instituens in Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

[d] Sebastiani insigne martyriũ. [e] Sagittis confectus, sanatur diuinitus. * al. Elagabli. * esse ruare. [f] Fustibus cæsus reddit spiritũ. [g] Alia est hæc Lucina ab illa cuius festum pridie, Kal Iulias agitur. De vnco ꝙ dicit notat ex Lamprid. Spartiano, Seneca & alijs: Bar. vnco consueuisse corpora damnatorum in cloacas trahi. Vide notas in Martyrol. die 19 Ian.

[h] Translatio reliquiarum S. Sebastiani ex veteribus Francorũ Annalibus, quam recitat Bar. ad an. 826.

Anno 826 Hilduinus Abbas S. Dionisij Martyris Romam mittens, ossa beatissimi Martyris [h] Sebastiani acce- XLIX.
pit, & ea apud Suessionem ciuitatem S. Medardi collocauit, vbi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerãt, iuxta S. Medardi tumulum iacerent, tanta signorum & prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum in omni genere sanitatum per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi [i] Martyris emicuit, vt à nullo mortalium eorũdem miraculorum, aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enuntiari: quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum nostrum Iesum Christum, pro quo passus est omnia quæ vult, per diuinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra subiecta est.

[i] Sigibertus & alii in annum 825 hanc translationem referunt.

Sed hæc translatio de parte tantum corporis intelligenda est vt astruit Baronius, idem attestante Adone Viennensi Episcopo eius seculi scriptore: Constat enim authoritate Anastasij Bibliothecarij qui hoc ipso seculo claruit à Gregorio IV. [k] *Pontifice Corpora Martyrum Sebastiani, Gregorij & Tiburtij ex cæmiterijs in quibus ante iacuerant ad Oratorium S. Gregorij Magni translata esse, quod item de reliqua corporis eius parte intellige. Vide Bar. ad an. 827.*

[k] Factus est hic Pontifex anno 817.

Vitam S. Sebastiani ex Metaphraste, habes tomo V. Lippomani & secundo Thesauri Concionatorum Thomæ de Trugillo.

MARTY-

MARTYRIVM S. MARTYRIS SEBASTIANI ET EIVS SOCIORVM, ZOES, * TRAGLINI, NICOSTRATI, CLAVDII, Castoris, Tiburtii, Castulli, Marcellini & Marci, Ex Simeone Metaphraste interprete Gentiano Herueto.

AN. 280.

*Tranquillini.

I. VM multis diuersis temporibus, aduersus Christum & aduersus illius assecl as insanierint, Diocletianus & [a] Maximianus, in malis par improbum, tantùm omnes alios superarunt in producenda in nos persecutione, vt nullum posteris locum reliquerint, quo eos in furore possent antecellere. Nam cum tyrannicum accepissent imperium, quod suffragabatur eorum amentiæ, & secure omnia auderent, contendebant partim quidem blanditijs, & verbis fallacibus, partim autem minis & plagis grauissimis, eos qui subiecti erant illorum imperio à Deo vero abducere, & ad impietatis ditionem traducere. Vbique itaque per suum principatum eos omnes comprehendentes qui Christianam tuebantur religionem, in custodias tradiderant & carceres, vt paulatim torti maiorem sensum caperent perpessionis: & pietatem quidem negantes, viderent hanc lucem; in non parentes autem mortis ferretur sententia.

20. IAN.

[a] Diocletiani & Maximiani Imp persecutio crudelis.

II. CVM hæc sic fierent quidam [b] Sebastianus, vir & genere clarus & gloria insignis, ortus Mediolani, Tyrãnis erat adeo venerãdus, quod videretur in omnib. vir spectatus & probatus, vt connumeraretur inter amicos fidissimos, & primas partes teneret in numero militari. Is cum didicisset veram fidei rationem, & vellet non solum seipsum, sed etiam alios ad Christum adducere per martyrium, conabatur quidem in principio latere & se celare: Non [i] quod timeret cruciatus; sed vt cum simulatione crederetur impius, esset re vera aliptes Christianis, & sic permultos induceret ad pietatem. Cum verò euasisset tempore omnibus manifestus, & postremus martyrij subijsset certamen, longè pulcherrimam assecutus est victoriam, quæ bona cœlestia ei conciliauit. Sed hæc quidem postea.

[b] S. Sebastianum Narbone oriundum, Mediolani verò educatum habet Bar. S. Ambrosius in Psal 118 Serm. 20 & alij patre Narbonensi, & matre Mediolanensi, natum Mediolani astruunt. [i] S Sebastianus cur latere voluerit.

III. TVNC autem quando sicut dictum est conabatur latere, & fingebat se ea honorare quæ Imperatores, accedens in carceres in quibus seruabantur quicunque erant capti ex Christianis, [c] pijs eos verbis adhortabatur ad susc ipienda certamina martyrij præsentem vitam cum futura comparans: & suadens hanc quidem contemnere vt fragilem & morti obnoxiam: illam autem solam intueri & omnia facere ne excideren t à bonis in quæ non cadit interitus. His verbis & multos quidem alios induxit, vt quæ sunt grauia & aspera ferrent vsque ad mortem, & non perderent pietatem: qui autem erant genere & opibus omnium clarissimi ij fuerunt Marcellinus [d] & Marcus, quorum pater quidem erat Tranquillinus, mater vero Marcia: non minus autem fuerunt vitæ instituto fratres quam corporibus. Quibus cum postquam diu fuissent inclusi in carcere, & plurima tormentorum genera pertulissent, & iam vltimam plagam gladij essent accepturi, & Chromatius præfectus vrbis eis dedisset spatium triginta dierum, iussit omnes accedere qui ad eos genere attinebant, & eis venire in conspectum, vt tempore & necessariorum suorum molliti eiulatibus, impietati concederent.

[c] Christianos captiuos adhortatur ad martyrium fortiter excipiẽdum.

[d] Marcellino & Marco martyribus triginta dies deliberationis prorogantur.

IV. CVM ergo hæc facta essent & omnes accessissent, pater quidem in conspectu filiorum suam deflebat orbitatem, dicens illa verba miserabilia. Quis [e] ô fili, erit mihi baculus senectutis? Quis me mortuum componet? Quis hoc miserum & abiectum corpus mandabit sepulturæ? Miseremini mei ô filij, quos genui, quos alui, quos ad hanc vsque ætatem produxi. Cur mortem amplectimini voluntariam? Cur ad obitum festinatis immaturum? Parcite formæ vestræ. Parcite iuuentuti. Ne me quidem despiciatis orbatum filijs: domum autem in qua estis educati, transeuntem ad alienos, & eos fortasse qui nobis sunt odio, vt quæ suos non habeat hæredes. Et pater quidem sic suam impleuit lamentationem. Ex alia verò parte mater comam vellens vnguibus, & è sinu porrigens vbera, partum, & lac, & alios labores quos in ijs alendis susceperat, reuocabat in memoriam: quid non dicens, quid non faciens ex iis quæ possunt mouere ad misericordiam? Post parentes autem rursus sequebantur vxores & chorus impuberum filiorum: illæ quidem enumeratis mala viduitatis; hi verò, quoniam nondum loqui poterant, intentis oculis intuentes parentes, orbitatem eis reducebant in memoriam, & alia quæ consentaneum est iis euenire, qui in hac ætate non curantur & defenduntur à parentibus. His accedebat turba æqualium & amicorum, quæ dicebat. Recordãmini pulchræ & iucundæ vitæ quam inter nos degebamus. Veniat vobis in mentem lux suauis, quam qui sunt experti, est omnino eis molestum ea priuari. Cùm hæc sic dicerentur, tota domus erat plena lamentationibus. adeò vt dicti Athletæ emitterent fontes lacrymarum, & discerperentur eorum viscera commiseratione. Quod quidem cum animaduertisset beatus Sebastianus [f] & timuisset ne misericordia emolliti proderent pietatem, stans in medio, & aperte ostendens omnibus se esse Christianum, neque enim existimabat oportere se celare, apud eos qui aderant verbis est vsus eiusmodi.

[e] Tentãtur à parentibus & amicis.

[f] Christianũ se palam profitetur S. Sebastianus.

V. Si stabilis [g] quidem & firma, ô vos, esset hæc vita, & in omne æuum extenderetur, videremini fortasse facere consentanea, ab his perpetiendis auertentes Athletas. Cum autem eorum quæ sunt præsentia, nihil sit firmum ac stabile, fluant vero ac ferantur omnia, & alia nos vita excipiat, quæ non est fluxa nec vnquam desinit: cur ad hæc attrahitis fortes & generosos Athletas, eis suadentes vt maneant in ijs quæ videntur, & ea quæ decidunt præferant ijs quæ manent? An nescitis quod pro Christo quidem pati conciliabit regnum cœlorum: eum autem negare & prodere certamen, facit vt qui sic cogitarunt ab eo excidant? Qui enim, inquit, me negauerit coram hominibus, ego quoque eum negabo coram Patre meo qui est in cœlis. Sed timetis ne sint omnino perituri & non amplius futuri qui vitam præsentem relinquerunt? Sed ego huius sum fideiussor: ego hunc vobis metum adimo. Hæc est enim summa & caput nostræ fidei: hoc persuadet vt terrena despiciamus, quod postquam hinc excesserimus, ad aliam sumus vitam transituri: in qua, conuenienter ijs quæ gesserit accipiet vnusquisque remunerationem: vbi [h] hi quoque habitantes & cum Christo lætantes recordabuntur & parentum & filiorum & vxorum, bona ijs postulantes, & suis ad Deum supplicationibus facilem eis vitam præbentes. Desinite ergo flere & Athletas emollire, & à prompto & alacri animi studio retardare. Non enim vos omnino relinquent, etiamsi hoc videatur: sed erunt [i] seruatores & custodes, nunc quidem ita aduentantes vt non cadant sub aspectum: post vitæ autem exitum, in æternas susc ipientes mansiones cum eis delectationis futuros participes. Et hæc quidem ad eos qui venerant. Orationem vero rursus conuertens ad fortes & generosos Athletas, dixit.

[g] Oratio eius ad parẽtes & qui venerant amicos. *Matth.* 10.

[h] Videt quod post mortẽ sanctorum animæ recipiũtur in cœlum, recordantur, patrocinium, &c pro eis Deum rogant & bona impetrant? [i] Sancti seruatores nostri sunt & custodes.

VI. Videtis [k] ô Christi milites callida maligni inuenta, per quæ conatur vos à vestra salute abducere? Quod enim per tormenta facere non potuit, hoc tentat efficere per vestros necessarios. Sed ne ignoretis vos eius consilia, scientes eum omnibus modis insidiari, & omnibus vos aggredi machinis, quo nunc quoque cum vidit vos venisse ad finem certaminum, & non ferens dedecus quod sit victus, postquam multa vobis mala intulit, studet post victoriam vos priuare præmiis, vt præter id quod ex acceptis plagis nihil essetis lucrifacturi, præterea Christum quoque amittatis. Hoc est enim illius opus, & grauia inferre, & eam quæ hinc accipitur vtilitatem intercidere iis qui laborant. Sed vos cum hæc sciatis, resistite fortiter insidiis aduersarii, neque parcite carnibus quæ paulò post sunt interituræ: neque metu vltimæ

[k] Conuertit orationem ad Martyres.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

plagæ (ea enim sola est in inimici potestate) prodite regnum cœlorum & gloriam in secula permanentem: quam magnum quidem est assequi & supremum bonorum; ab ea autem recedere est longè miserrimum. Hæc cum diceret beatus Sebastianus, & promptum & alacre animi studium confirmaret Christi Athletis, dicitur lucem eum circumfulsisse, & visum esse stantem prope eum iuuenem, & magno vestis splendore refulgentem, adeo vt omnes qui viderunt obstupuerint, & supernæ gratiæ hoc esse opus confessi fuerint, quæ testimonium ferebat eum dixisse veritatem. Hæc aliud quoque est consecutum dignum quod dicatur & memoriæ mandetur; quod quidem eos qui aderant maximè ad fidem adduxit: & persuasit vt solum Deum attenderent.

VII. Quædam enim mulier Zoe nomine coniux Nicostrati, qui ordinem obtinebat Primicerij, est autem hæc vna dignitas ex ijs quæ sunt sub Præfectura, cum in grauem morbum incidisset, non poterat quidem loqui neq; cordis motus explicare: intelligere verò & audire quæ dicebantur poterat citra vllum impedimentum. Ea mente agitans verba beati Sebastiani (custodiebantur enim sancti in eius domo) cum illa non posset lingua admirari vt quæ rectè dicta essent, oculis annuens omnibus, & manum quatiens ac sancti pedes tangens, propemodum [a] per muta facta vocem edebat, & tacens erat prædicatrix pietatis. Cum autem intellexisset vir ille diuinus non sine Dei numine moueri mulierem: & vellet ad agnitionem multos adducere per miraculum, iubet eam stare in medio: & Christo nomine inuocato, ei statim largitur vt loquatur. Quod quidem [b] vt vidisset Nicostratus, sanctos quidem laxauit è vinculis, petita autem ab eis venia quod in eos prius deliquisset, rogauit eos vt abirent procul à ciuitate. Illis vero preces eius non admittentibus, sed dicentibus se non esse suam profuturos nobilitatè, nec coronis martyrij alijs esse cessuros. Essem ille, inquit, re vera felix, si causa vestræ salutis athleticum certamen suscepissem: & meum sanguinem pro vobis effudissem, vt sordes malorum abluerem quas iam mihi inusit dæmonum ministerium. Sed si hoc, aiunt, vis consequi, necesse est vt hic prius congreges eos qui in diuersis seruantur carceribus & eos donum Deo offeras. deinde etiam venias ad finem quem desideras, vt hinc maiorem habeas fiduciam: vt qui non solùm ipse pro Christo sacrificeris, sed etiam totum populum ei per fidem concilies.

[a] Zoe muta à sancto restituitur.

[b] De Nicostrati conuersione.

VIII. Cùm hæc verba audisset Nicostratus, nihil cunctatus fecit quod iubebatur: & cum omnes qui erãt in vinculis duxisset in domum suam, admiscuit iis qui illic erant Christianis. Qui cum à beato Sebastiano didicissent [c] verbũ veritatis, ipsi quidẽ ieiunijs vacantes & precibus, præpurgabantur ad suscipiendum baptismum. Cũ autem Præfectus vrbis Chromatius audiuisset omnes reos à vinculis laxatos [d] versari in domo Nicostrati, dolore affectus iubet Claudio Cõmentariensi eum adducere magna celeritate. Qui cum fuisset adductus hæc ei dicit. Cur ô caput impium eos qui erant in carceribꝫ congregari fecisti domi tuæ. Ille verò volens interim eum decipere, sapienter sic respondit. Non tuam ô Iudex, despiciens potestatem, Quis enim tanta esset audacia? sed intendẽs Christianis maiorem metum supplicij, hoc sum aggressus: vt quæ eis imminebant tormenta videntes in aliis, extimescant, & parcant decretis Imperatorum. Eius itaq; ingenij solertiam admiratus Præfectus vrbis, fraudem. n. mundum intelligebat, iussit redire domum. Ille a. domũ reuertens simul cũ Claudio Cõmentariensi, narrauit ei pietatẽ beati Sebast. & ꝙ cum esset notus Imperatorib. & ei ab illis maxima haberetur fides, despexerit gloriam, & opes, & potentiã: & nunc versetur cũ Christianis, eos exhortans; & ei animum addens ad pietatem, & signis quæ sunt contra opinionem, & miraculis verbum confirmans veritatis.

[c] Eece quomodo etiã antiquitus adulti baptizandi ieiuniis & orationib. præpurgabãtur

[d] Chromatio Præfecto sistitur.

IX. Hæc cùm audiuisset [e] Claudius & esset consauciatus Christi desiderio cursim domum venit: & duob. acceptis filijs, ex quib. alter quidem conflictabatur cum graui morbo hydropis: alter autem erat totus vlcerosus & leprosus, accedit ad Nicostratum apud quẽ erant sancti: & cum cecidisset in terram, adorabat ipsos, confitens pietatem, & petens vt curarentur filij. Cùm ergo tota [f] domus esset plena viris & mulierib. qui verbum fidei susceperant, quidam Polycarpus vir pius, & presbyteratus dignitatem assecutus, stola sacerdotali indutus, peractis consuetis precibus, perficit oẽs diuino baptismate. Post ꝙ cum qui morbo laborabant sanitatem recuperassent, & se inuicem exhortarentur ad suscipienda fortiter certamina, quoniam præterfluxetat ꝙ ei datum fuerat tẽpus dilationis, Præfectus accersito Tranquillino patre Marcellini & Marci, nondum. n. sciebat illum religionem tenere Christianam eiecto cultu simulachrorũ, dicit ei. Adhuc ne [g] tui filij recusant ijs sacrificare contemnentes iussa Imperatorum? Ille verò dixit, respondens. Beati illi ꝙ sint in hac sententia, & ab errore liberati ipsam agnouerint veritatem: & vix me tandem ad eam deduxerint. Dixit Præfectus vrbis. Ergo tu quoq; re vera immutatus à mente discessisti, verbis credens fallacibus, & ad hãc infelicem traductus religionem? Dixit Tranquillinus. Eram ego quoque aliquando in hac sententia ô Iudex: & qui religionem sectabantur Christianam arbitrabar decipi, & non esse sanæ mentis. Postquam autem egregium conueni Sebastianũ, virum insignem, & qui est, vt scis, magno studio Impp. & ab ipso didici quam sit honesta & veneranda fides, & non vt nostra superstitio, sordida & odiosa, didici experientia quem Deum colere opotteat. Quem qui ignorant, si fas sit dicere, sunt propter errorem miserabiles: & eo magis quod sibi videantur esse sani, cum non sint sani sensibus. Dixit vrbis Præfectus. Dic quibusnam verbis credens aut factis es adeò mutatus, vt eum pro Deo habeas qui actus fuit in crucem, & alia passus est plena probro & dedecore. Dixit Tranquillinus. Si non iracunde, sed patienter & placide me audieris ô Iudex, ostendam tibi hunc crucifixum verum esse Deum, & Deum totius naturæ, tam quæ est aspectabilis, quàm quæ non cadit sub aspectum. Dixit Præfectus. Dic nobis libere & nihil reticens. Vt si res tui Dei bene se habeant, simus nos quoque socij tuæ religiouis.

[e] Claudius commentariensis credit in Christum.

[f] Credentium numerus augetur

[g] Tranquillini cum Chromatio Præfecto colloquium.

X. Dixit Tranquillinus. Quoniam est [h] mihi facta dicendi potestas à tua mansuetudine, audi paucis mysterium consilij & œconomiæ carnis susceptæ: & scies omnino, nisi velis lubẽs cœcutire ad veritatem, nullam aliam religionem carere errore præterquam solorum Christianorum. Hic Christus quem vos insectamini maledictis, cum esset Deus ab initio, in quem non cadit interitus, & qui mutari non potest, & alterari, & qui est semper cum Patre & Spiritu, & ipse omnia produxit. Primùm quidem Angelicas potestates cœlestes; deinde autem hunc mundum, & postremum inducens hominem: quem & manus suæ ornat effictione, & regem constituit eorum quæ sunt in terra: & cùm eum ad habitandum locasset in paradiso, dat ei mandatum, vt fruatur quidem omnib. quæ in eo sunt arboribus, ab vna autẽ sola abstineat, eum erudiens ad obedientiam, & maiora procurans per obseruationem: sed vnus cui obtigerat imperium in angelicos ordines, ad vitium impulsus, & diuina gloria, propter elationem, cum eo ordine cui imperabat, priuatur; non patiebatur hominem videre Deo esse coniunctum, & ad cœlum vnde ipse ceciderat euehi. Vnde etiam inuido in eum coniecto oculo, spe fallaci & eo modo quo ipse ceciderat, diuina eum gloria spoliat, & à loco qui ei datus fuerat ad habitãdum, & ab immortalitate efficit alienum. Neq; verò is deinde intermisit hominum naturam in mala sibi inuicem succedentia immittere, vt quæ à superna ope esset destituta: adeò vt hominem abduxerit à Deo qui eum creârat & formauerat: deduxerit verò ad sepulchra & manuum figmẽta: & effecerit vt res creata insurgeret aduersus creatorem. Hinc lex data est ad correctionem: & Prophetę opem ferunt Dei figmento: & cùm esset morbus immedicabilis, & ad deteriora extenderetur, ipse Patris Filius vnigenitus visus est in terra, & in omnib. est effectus similis nobis absq; peccato: & cum eum qui defecerat, & eos qui eius parent imperio, cùm corpore vicisset, quos vos Deos esse putatis, nos ad antiquam reduxit nobilitatem & rursus ascendit ad Patrem cum eo quod assumpserat: & veniet hac vita dissoluta: & congregabit omne figmentum, daturum rationem eorum quæ fecit bene vel male.

[h] Tranquillinus Chromatium in fide instruit

XI. Hæc sunt ô Iudex arcana œconomiæ. Propterea est & crux, & mors, & sepultura, quæ vos cùm Christo obijcitis, non

non animaduertitis vos per ea per quæ contemptui habetis, oste ndere eum esse colendum, & venerandum. Si enim passus est vt homo, resurrexit vt Deus etiamsi vos relictis ijs quæ sunt excelsiora, & quæ eum aperte Deum ostendunt, remaneatis in ijs quæ sunt humiliora, eius in homines benignitatem & œconomiam reputantes imbecillitatem, & neque opera admirabilia, quæ & tunc & nunc fiunt in eius nomine, vobis tandem persuaserunt intueri ad veritatem & agnoscere creatorem. An non vides qualis ego quoque euaserim ex confessione eius & baptismate qui prius eram membris dissolutus & vix poteram ingredi.

XII. POSTQVAM hæc audiuit Præfectus, tacuit aliquamdiu & cum quæ dicta fuerant animo agitasset & vidisset res verbis congruere, & veritatem religionis ex miraculis aperte didicisset, ijs qui aderant semotis, vocat Tranquillinum, & ei dicit. Video [a] frater esse magnam Christianorum religionem, & non esse alium Deum præter eum solum qui à vobis adoratur, Si ergo vis me quoque ad eum accedere, & esse tecum participem tuæ religionis, nunc quidem abi domum, secretum tenens consilium. Crastino autem die accipiens sanctos, quos dicis præesse collectis Christianis, duc ad me, adhibito studio ne quis eos videat. Nam ego quoque sum Christo per illos offerendus, relicto errore simulachrorum. Post hæc ergo dimisso consilio, cum in domum suam venisset Tranquillinus, & sanctis narrasset quemadmodum locutus fuisset cum Præfecto, & quemadmodum ei persuaserat vt religionem sequeretur Christianam, effecit vt omnes magna afficerentur lætitia. Cùm resciuissent eum, qui prius erat persecutor, futurum acrem Christianis Athletam. Quare cum nox illa fuisset consumpta in psalmis & hymnis, vbi dies aduenit, accipiens Tranquillinus sanctos Sebastianum & Polycarpum sicut ei iusserat Præfectus, abijt in domum suam. Quos cum vidisset ingressos, surrexit: & cùm pedes eorum tetegisset, rogauit vt salutem assequeretur, & liberaretur ab eo morbo quo laborabat: erat enim corpus eius totum tumefactum & mutilum: adeò vt ex hoc ei fieret tardus & torpidus motus. Cùm ij autem dixissent fore vt ei membra soluerentur si ex toto corde Deo crederet, hoc voce clarissima est confessus, abnegata impietate simulachrorum. Nec hoc solum: sed etiam cum ipsa dæmonum simulachra quę erant domi eius, sanctorum monitis ductus contriuisset & in puluerem comminuisset, ostendit sincerum opus fidei.

[a] Chromatius Præfectus fit Christianus.

XIII. Quo tempore fit etiam quiddam dignum quod dicatur & memoriæ mandetur. Tiburtius enim filius Chromatij adhuc dubitabat in fide, & cum vidisset alia quidem simulachra patris esse contrita; vnum adhuc esse reliquum opus admirabile in quo erat vniuersa astrologia & motus cœlestium, alia esse contrita ægreferens, hoc vltimum amplectebatur, & non prius id sinebat conteri, quam per ipsum accepisset sanctorum experientiam, & opere confirmatus fuisset ad pietatem, & cum curasset adferendos clibanos, & eis ignem substrauisset vt succenderentur, dicit sanctis. Hoc velim sciatis, quod hoc pulchro contrito opere, si sanitas quidem fuerit restituta patri meo sicut estis polliciti, ero ipsius quoque verus Christi discipulus, excussa dubitatione: sin autem eius morbus durauerit postquam id interierit, vos huic quod videtur supplicio subijciam tanquam deceptores. His verbis dictis, pater quidem prohibebat eum ad talem venire experientiam. Sancti verò lubenter accepta conditione, non enim diuinę virtuti poterant non credere, vrgebant iuuenem ad opus conterendum. Quod [b] cum factum esset lux statim circumfulsit Chromatium, & ei pulcher apparens adolescens, dixit ei. Beatus es quod Christo credidisti, qui nunc misit me ad te, vt dem tibi liberationem à morbo quo teneris. Quæ simulatq; dicta fuêre, dissoluta est membrorum mutilatio, & licebat videre eum qui prius vix ingrediebatur, tanquam ceruum tunc saltare. Propter quod fertur stupefactus Tiburtius protinus accurrisse, & sanctorum pedes tangentem, Deum verum confessum esse Christum, & rogasse vt ab eis assequeretur baptismum. Lętati autem sancti iuuenis mutatione, eique & patri dato tempore præstituto vt sordes [c] ex priore vita susceptas abluerent, diuino eos dignantur baptismo. Et post hæc Chromatius prætextu morbi, Præfecti verbis depositio magistratu (nondum enim volebat suam cognosci mutationem) & indigentibus suis dispersis facultatibus, & ijs qui iugum trahebãt seruitutis manumissis & liberatis, ijsque veluti quibusdam primitijs Deo oblatis, deinceps versabatur cum sanctis, discens fidei rationem: & ad pietatem adhuc magis confirmabatur.

[b] Sanitati restituitur & Tiburtius eius filius Christum confitetur.

[c] Vides quo modo baptismum iuxte præcedit priorum de

licto um pœnitentia? Non quidem quę est sacramentum, cum baptismus sit ianua sacramentorum, sed quæ est virtus.

XIV. SED ijs quidem res ita se habebant quamdiu Carinus administrauit Gallias qui Christianis mitiorem faciebat persecutionem, parcens amicis qui erant inter illos. Postquam autem ille quidem vitam finiit, pij verò nullum habebant qui eos defenderet, erupit in eos [d] grauior persecutio, & columnæ vbique erigebantur per totam ciuitatem, in plateis, in fontibus, in foris, in quibus eis quidem qui Dijs sacrificabant, concedebant & aquam sumere & alias res venales: eos autem qui non parebant, præter cætera mala, etiam vacui dimittebant manibus. Tunc ergo Chromatius vsus consilio illius, qui Romanam regebat ecclesiam, nomen ei erat Gaius, primum quidem domum ducens omnes Christianos, illos accipiebat bonis suis omnibus impertiens, neque sinebat eos è domo egredi, sed eos volebat intus sedere: hoc enim sciebat esse tutius propter imbecilliores. Sed quoniam non poterat fieri vt diu laterent, omnia enim deprehendebat acris persecutio, statuit proficisci in quendam montem, in quo illi erat prædiolum aptum & ad latendum, & ad fructus percipiendos, cum Christianis imbecillioribus: & illic effugere periculum. Et postquam hoc fuit statutum, & Christi populus fuit in duas partes diuisus, nempè in eam quæ manebat, & eam quæ volebat recedere, fuit inter beatum Sebastianum & Polycarpum [e] laudabilis controuersia, quæ tale habuit initium, & ex hoc mota est. Diuiso enim populo necesse erat eos quoque, vt qui soli aliis præessent, à se inuicem disiungi: & alterum quidem sequi eam partem, quæ abscedebat à ciuitate. alteram autem relinqui cum ea quæ manebat. Hi verò volentes ambo subire martyrium volebat vterque manere: & periculum existimabat non adire certamen. Sed hanc bonam litem componit Gaius in medium procedens & apud eos verbis vtens eiusmodi.

[d] Persecutio vehemens in Christianos concitatur.

[e] Controuersia laudabilis inter S. Sebastianum & Polycarpũ.

XV. SI vna [f] quidem ô beati via esset quæ ducit ad salutem, nec posset qui ab ea errasset consequi ea quæ desiderantur, recte haberet vos ita arcte tenere decertationem ne à salute excideretis. Sed cum hoc quoque largiatur via confessionis, quam scio esse tutiorem & minus periculosam, cur non omissa contentione, laudabili diuisione ceditis alter alteri? Non enim fas est quos Christo coniunxistis, eos relinquere sine pastore & absq; vestra curatione. Videtur autem mihi potius Polycarpum vnà ire cum abeuntibus vt qui sit & sacerdotio insignis, & ad eos ducendos sit idoneus & instituendos in pietate. Hæc cum beatus dixisset Gaius & omnes essent assensi ijs quę dicebantur, Tiburtius [g] filius Chromatij volebat non vnà cum patre recedere, sed manere in vrbe & accipere coronam martyrij, & cùm id concessisset Gaius propter magnam constantiam adolescentis, ille quidem deinceps erat vnà cum sanctis, diuino accensus desiderio, & propemodum ægreferens quod non citius mitteretur ad stadium decertationis. Beatus autem [h] Gaius, cum eos qui remanserant, ad proposita subeunda certamina prolixa confirmasset oratione: & Marcellum quidem & Marcum in ordinem Diaconorum, eorum autem patrem in presbyterorum retulisset, inclitum verò Sebastianum ecclesiæ defensorem constituisset, cum eis versabatur quotidie, vacantibus ieiunijs & orationibus, & Deum rogantibus vt fortiter se gererent in certaminibus & tormentis, & redimerentur corona martyrij. Et illi quidem in his erant. Quidam autem qui cum varijs morbis conflictabantur, clam ad eos accedentes, sani reuertebantur, & fiebant ab eis miracula; quæ erant contra opinionem, quorum alia quidem præmittam, vitans facietatem orationis. Vnius vero meminero quam potero breuissimè.

[f] Gaius cõtrouersiam cõcitatam dirimit.

[g] Tiburtij ardor in subeundo Martyrio.

[h] Gaius, Diaconos & Presbyteram ordinat.

XVI. DESCENDENS aliquando beatus Tiburtius è domo in qua erant sancti, incidit in foro in hominem qui ex alto ceciderat,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

[a] Tiburtius ex lapsu collisum, inuocato Christi nomine sospitati restituit, & nonnullos hoc miraculo conuertit.

tiderat, & è casu tam male se habebat, vt eius necessarij desperantes de salute, sepulchrum solum & iusta ei facienda curarent. Cum itaque [a] ei qui iacebat appropinquasset, & consuetas super eum preces fecisset, reddidit hominem sanum ijs qui ad eum attinebāt, adeò corroboratum inuocatione nominis Christi, vt nec ei quidem videretur tale quid omnino accidisse. Post curationem autem eius qui ceciderat, accersitis eius necessarijs Tiburtius dicit eis: Si vultis quoque esse effecteres rerum admirabilium, Christo credite, à quo ad me quoque profecta est hæc virtus miraculorum. Postquam verò vidit assentientes & parentes, eos ducens ad Gaium dicit ei. Suscipe hos venerande pater, quos hodie per me Christus lucrifecit. Ille autem postquam ij verbum fidei didicissent, diuino baptismate iniciatos, commiscuit alijs sanctis, propter hæc Deo agens gratias, qui facit admirabilia in omnibus inuocantibus ipsum. Sed iam tempus est narrandi decertationem, & quisnam finis vnicuique euenerit: quod quidem faciam alijs omissis.

[b] Zoes certamen.

BEATISSIMA [b] Zoë orans aliquando ad loculum Apost. Petri ab impijs comprehenditur. Et primum quidem adducta ad magistratum viciniæ, & tantum modo iubenti ei vt sacrificaret statuæ Martis quę illic stabat, cum verecunde respondisset: Eum Venus magis delectauerit quam ego, illa de cætero quidem mansit tacens & oculos humi defigens. Ille autem hoc dicto efferatus iussit eam seruari in carcere tutissimo, & neque lucem videre, neque cibos sumere. Deinde cum sex dies transegisset in hac afflictione, septimo transmittitur ad præfectum Flauianum. Qui cùm post multas interrogationes vidisset eam non posse persuaderi, iubet eam in aliqua alta arbore à capite suspensam, & multo fumo inferne suffumigatam, sic finire vitam. Et illa quidem sic migrat ad Christum desideratum. Crudeles autem paricidæ corpus eius acceperunt, & lapide ei appenso in Tyberim injciunt, existimantes fore vt sic non appareret, & non esset Christianis morborum medicamentum. XVII.

[c] Tranquillini certamen.

POSTQVAM verò beatæ Zoës martyrium fuit sanctis cognitum, id omnes adeò incitauit ad similem zelum, vt [c] Tranquillinus dixerit beato Sebastiano. Vides domine mi, quemadmodum fœminæ sexus imbecillitatem prompto & alacri animo corroborantes, coronas præripiunt. Quod simulatque dixisset domo egressus, & veniens ad loculum beati Apostoli Pauli orandi causa, repentè fuit comprehensus, & lapidibus obrutus iacitur in Tyberim. Huius corpus XVIII.

[d] Nicostrati Claudij & Castorij certamen.

[d] Nicostratus & Claudius simul cùm Castorio ad ripas quærentes vt mandarent sepulturæ, veniunt in manus eorum qui insidiabantur: & ducti ad Præfectum, adeò nec blandis verbis, nec minis nec vllis insultibus conuerti potuere, vt Præfectus admiratus significauerit hæc Imperatoribus, & ab eis acceperit sententiam in illos quæ sic habebat. Eos qui non parent edicto nostræ diuinitatis, & nolunt Dijs sacrificare, iubemus cùm ter fuerint examinati tormentis, marinis tandem tradi fluctibus, nisi castigati supplices, nostri imperij cesserint potestati. Hac ergo accepta sentētia, Præfectus, postquam multis eis illatis plagis vidit eos non credere nec inclinari, seruiens decretis Imperatorum, quæ ab illis lata fuerat, in sanctos pronunciat sententiam. Et illi quidem sic consummatiiaciuntur in mare.

[e] Curtuati fraudulentia.

CVRTVATVS autem vir quidam [e] re quidem vera impius, specie verò pius & se Christianum simulans, cùm se- XIX.
retulisset in numerum sanctorum, factis ipsis præbuit suspicionem. Nam & positura capillorum quæ paratelaboratior & nimis accurata, victusque nimis mollis & delicatus, & alia minimè honesta conuersatio, induxit eos qui videbant, vt id quod erat, fraudulentum hominem putarent & deceptorem. Non multum interfuit temporis, & cum vidisset beatum Tiburtium in quadam sacra æde orantem, & eum indicasset impijs, ipse quoque comprehenditur simul cum Tiburtio. Hoc enim ita volebat, vt neque Christianis videretur esse proditor, & cum satis per ludum simulasset, sic deprehenderetur. Cum itaq; Flauianus vtrumq; curasset sisti ad suum tribunal, dicit Curtuato. Num tu quoque pro Deo habes crucifixum? Cum is autem subridendo dixisset, se illum existimare Deum quem hic beatus, ostendens digito Tiburtium, ægreferens admirabilis adolescens tantam simulationem, & ira motus dicit ei. Ne te [f] ipsum decipias ô Curtuace, tentans latere in dolis. Nemo qui vescitur vnà cum meretricibus, & perseuerat in vini potione vsque ad ebrietatem, & alia facit impudenter, quorum vel solum meminisse abhorreo, potest esse Christi discipulus, & gloriari illius pro nobis perpessionibus. Putasne nos ignorare qualis sis, & quemadmodum mihi iucundissimam mortem sis machinatus, quæ me celerrimè liberabit ab hoc humili corpore, & cōiunget Christo quem desidero? Nam qui expectantur cruciatus & multiplicia tormenta, à me ridentur & habentur ludibrio. Neque enim timeo exilium, qui domum mea sponte demisi volentibus; non ignem, non flagella, non aliquid aliud ex asperis & terribilibus quorum mihi minæ intentantur. Redduntur enim hæc omnia imbecillia & debilia diuino auxilio.

[f] Eadem à Tiburtio restringitur.

[g] Tiburtij certamen.

DIXIT Flauianus. Has quidem [g] nugas mitte ô Tiburti, mihi autem parens, parce tuæ nobilitati & iuuentuti: & ne XX.
probrosissimam hanc mortem amplectaris. Ille vero respondens dixit. Non est, inquit, probrum ac dedecus ô Iudex, seruire vni Deo viuenti: sed dæmonib. & mortalib. hominibus qui honorantur ex vitijs: quos qui colunt sunt miserabiles & digni qui lugeantur; vt qui in ijs quæ adorant ignominia afficiantur, & sui erroris mercedem hinc accipiant: honor enim eorum qui adorantur, est contumelia eorum qui adorant: & peccare apud ipsos vocatur cultus. Tunc Præfectus ira feruens iussit afferri carbones: & dicit ei. Elige tibi alterum è duobus, vt vel Dijs sacrifices, vel super carbones nudis incedas pedibus. Beatus autem Tiburtius cum signum crucis impressisset, stetit supra ipsos & dixit Præfecto. Vide nunc in me quanta sit fidei potentia: & disce hunc solùm esse verum Deum quem ego colo; & efficere tandem Christianus excussis tenebris impietatis. Ille verò timens ne his miraculis multos induceret ad pietatem, iussit vt abduceretur procul à ciuitate & illi caput amputaretur. Et ille quidem inuenit hunc vitæ finem.

[h] Castulli Diætarij certamen.

[i] Item Marcellini & Marci. *Psal.* 132.

POST cum autem [h] Castullus Diætarius comprehensus, apud quem manebant sancti post Chromatij emigratio- XXI.
nem è ciuitate, & post multa tormenta proiectus in lacum, illic finit vitam. Præterea vero [i] Marcellinus & Marcus egregij veritatis Athletæ, comprehensi & pedes clauis confixi, iussi sunt à Iudice tandiu stare, donec Dijs tribuerint honorem qui eis debetur. Illi autem in hoc tormento adeo intolerabili, Ecce quam bonum & quam iucundum, & quæ deinceps sequuntur, dictitantes, eis postremo lanceis punctis lateribus, sicut Christus pro quo hæc patiebantur, emiserunt spiritum. Atque illi quidem omnes eo modo quem diximus consummati, hostiæ ab omni labe & reprehensione alienæ oblati sunt Domino.

[k] S. Sebastiani certamē.

SEBASTIANVS [k] autem longè generosissimus, vltimus ad supplicia reseruatus, ipse quoque glorioſe suscepit coro- XXII.
nam martyrij. Quem cum accersisset Diocletianus, & iussisset ad suum tribunal sisti, dixit ei. Non ego te ô Sebastiane in maximo honore habebam: & tibi imperium magis quam alijs credebam? Et nunc quî factum est, vt ad tantam sis pessundatus amentiam, vt contra tuam vitam & meam potentiam te petulanter & insolenter geras? Dixit Sebastianus. Tunc quidem ô Imperator cùm verum Deum ignorarem & essem implicatus errore simulachrorum inconsiderate tuis iussis seruiebam: Nunc vero cùm agnoui veritatem, & quem me Deum colere oporteat, despexi & diuitias & gloriam & alia quibus prius resplendebam, desiderans ea quæ manent & non perfluunt; quæ parata sunt ijs qui Christum diligunt. Est enim extremæ amentiæ Deos putare eos qui facti sunt ex lapidibus & alia quæ interit materia, & honorare opera manuum hominum quæ paulò post non erunt. His verbis ad iram motus Diocletianus iussit eum in medio campo tanquam scopum propositum multis sagittis peti. Quod cum factum esset, arbitrati satellites sanctum esse mortuum, eo dimisso recesserunt.

CÙM nox autem aduenisset, profecta coniux Diætarum in campum, vt eius corpus mandaret sepulturæ, & cùm XXIII.
eum

eum inuenisset adhuc vivum, deduxit domum, & intra breue tempus reddidit sanum. Hoc cum resciuissent quidam ex Christianis & ad eũ accessissent, obsecrabant vt abiret à ciuitate, ne si rursus apparuisset, pluribus tormentis afficeretur. Ille autem non modo se abdidit, sed etiam stans in alta quadam domo, se prætereuntibus ostendit Imperatoribus. Eum cùm vidisset Diocletianus & ad se accersiuisset, dicit ei. Non es tu Sebastianus, quem nos prius iussimus interfici sagittis? Sum, inquit, ô Imperator; & me suscitauit Dominus à mortuis, vt cognoscas eum esse Deum, qui fecit omnia: & non amplius colas impuros dæmones, quorum cum sonitu peribit memoria. Tunc is iussit sancto totum corpus clauis contundi ac configi, & sic eum è vita excedere.

XXIV. POSTQVAM ergo hic beatus migrauit ad Dominum, satellites quidem eius corpus noctu sustulerunt, & in quandam cloacam proiecerunt, cùm sic iussisset Tyrannus. Timebat enim ne si fuisset apud Christianos & faceret miracula, etiam post decessum multos abduceret à simulachris & persuaderet vt Deum colerent Sebastiani. Hic autem beatus in nocturna visione apparens mulieri cuidam claræ & piæ, ei nomen erat Lucina, dicit ei: Vade ad hunc locum: & accipe corpus meum & id sepeli in ea quæ dicitur Crypta, ad pedes Apostolorum. Illa verò cùm surrexisset & venisset in locum in quo erat cloaca, sustulit illinc corpus Martyris: & cùm in loco quem dixerat, ipsa deligenter & honorifice eum sepelijsset, ad sepulchrum permansit triginta dies, & cum fuisset tandem pax reddita ecclesijs, illa domum suam fecit sacrum monasterium: & quandiu quidem fuit ei vita superstes, largissima manu succurrebat egentibus. Quando autem è vita excessit, omnes suas facultates in testamento donauit Christianis. Ad gloriam Seruatoris nostri Iesu Christi gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Corpus eiꝰ in cloacam coniectum à Lucina educitur & sepelitur.

VITA S. MAVRI EPISCOPI CÆSENNATIS, AVTHORE PETRO DAMIANI, EPISCOPO OSTIENSI. AN. 640.

Præfatio. CVPIENTES aliquid scribere ad gloriam Dei nostri de beato Mauro Pontifice, sic auditorum desiderio satisfacere cupimus, vt iuxta digestæ relationis modum, veritati per omnia consulamus. Contemnendus quippe pincerna est, qui dum vini copiam iactat, fæcem quoque punienda temeritate propinat. Improbus opiparator est, qui tanta ambitione alijs conuiuium præparat, vt in semetipsum æstuantis famis incendium sæuire permittat. Temerarius nihilominus narrator est, qui dum laudum præconijs alios extollere nititur, ipse mergi in falsitatis barathrum non veretur. Nonnulli enim Deo se deferre existimant, si ad deferenda laudis eius insignia, falsitatis argumenta componant. Qui nimirum si egregij prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non sentirent. Ait enim Corinthijs: Si autem Christus non resurrexit, inanis ergò est prædicatio nostra, vana est fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit. Secundùm hæc ergò Apostolica verba falsus testis Dei meritò dicitur, qui indiscretè eum cupiens laudare, mentitur: & aduersus Deum proculdubiò perhibet testimonium, quisquis in eius laude peruersa molitur arte commentum. Propheta quoque terribiliter intonat, dicens: Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: nimirum manifestè declarans, quia sicut leuius est odire, quàm perdere: ita etiam tolerabilius est, iniquitatem ex infirmitate perficere, quàm ex studio mendacia fabricare. Hinc est quòd per Ieremiam de mendacibus dicitur: Docuerunt linguas suas loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt. Qui enim simplicem veritatem vltrò oblatam proferre poterant, satagunt vt mendacia cum labore confingant. Hîc si quis nos longæ præfationis fortè redarguat, atque id, quod in Machabæorum libro scriptum est, austerus censor opponat, Stultum est, inquiens, antè historiam profluere, in ipsa autem historia succingi: Hanc reddimus rationem, quia vbi materiæ abundantia suppetit, ipsa styli prolixitas prohibet in talibus immorari. Hîc autem, vbi de beati viri virtutibus pauca quæ scribi debeant, præstò sunt, vtilius arbitramur ad ædificationem audientium, ad quam omnis ecclesiastica intendit scriptura, in proœmio contra mendacium scribere, quàm pro narrationis inopia ipsam historiam mendaciorum finibus protelare. Igitur quæ de vita vel miraculis beati Mauri ad nostram notitiam peruenire potuerunt, secundùm quod iuxta quorundam monachorum non omninò contemptibilium, conijcere narrationem potuimus, fidelibus Christi fideliter intimamus.

20. IAN.

1 Cor. 15.

Falsus Dei testis, laudator eius mendax. Psal. 5.

Ierem. 9.

2. Mach. 2.

I. EO itaque tempore, cùm adhuc Romana Ecclesia spatiosius multo iura protenderet, & inter cætera Cæsennate etiam oppidum possideret, contigit vt eadem Cæsenna suo priuaretur Episcopo. Cumque Romanus Pontifex cerneret nepotem suum, beatum videl Maurum, virtutũ gradib. ad alta conscendere, & in sanctę cõuersationis studio non segniter vigilare, congruum duxit, vt talem virũ ad sacerdotalis officij apicem promoueret, quatenus lucerna Spiritus S. non sub modio delitesceret, sed super candelabrum posita, omnes qui in domo Dei sunt, sacræ doctrinæ radijs illustraret. Quid perplura? Tandem beatus Maurus Cæsennatis ecclesiæ cathedram, diuina prouidentia disponente, suscepit. Idcircò a. vel regis qui tũc imperabat, aut ipsius Apostolici præsulis hîc interponere nomina prætermisimus, quia cum ipsis, qui nobis reliqua dictant, hęc pariter ignoramus. Eorum namq; vocabula in antiquis quidem codicib. se vidisse commemorant, sed cùm ciuitas ante hęc flãmis fuisset exusta, monumenta quoq; perhibent simul fuisse consumpta. Cùm igitur vir Dei Maurus tam arduæ curæ sibi conspexisset onus impositum, sicut de B. Paulo legitur, nequaquam acquieuit carni & sanguini, sed cœpit se in diuinis obsequijs tanto vigilantiorem reddere quanto sibi nouerat & tot subditorum custodiam imminêre. Perpendens namque quia ars est artium, regimen animarum: congruum iudicabat, nec internorum curam, exteriorum occupatione minuere, nec rursus exteriorum prouidentiam, internorum solicitudine funditus declinare, nè videlicet aut exterioribus deditus, ab intimis omnino corrueret, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debebat proximis, negligentius exhiberet.

Cæsenna sub ditione Romanæ Ecclesiæ:

S. Maurus Cæsennæ præficitur Episcopus,

Galat. 1.

II. SÆPE nanq; nonnulli velut obliti, quòd fratrib. animarum causa prælati sunt, tãto cordis anniſu secularib. curis inseruiunt, ꝙ has, cùm adsunt, se agere exultant: ad has etiam cùm desunt, turbulentis cogitationũ æstib. anhelant. Cũq; ab his, cessante forsitan opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem nanq; decernunt, si actionib. deprimantur: laborem putant, si in terrenis negotijs non laborant. At contra nonnulli gregis quidẽ curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, vt rebus exteriorib. nullatenus occupẽtur. Qui cũ curare corporalia funditùs negligunt, subditorũ necessitatib. minimè occurrũt. Quorũ nimirũ ꝑdicatio plerunq; despicitur: quia dũ delinquentiũ facta corripiunt, sed tñ eis necessaria ꝑsentis vitę non tribuunt, nequaquã libenter audiuntur. Egẽtis etenim mentẽ doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud eius animum manus misericordię non commendat. Tunc a. verbi semen facilè germinat, quãdo hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Hæc a. idcircò de diuersis pastorum moribus loquimur, vt, quàm prudens, quàm moderata in B. Mauro fuerit discretio, demonstremus. Qui nimirum dum neque contemplatiuæ vitæ ocium sectando, actiuam omninò deseruit, neque per actiuæ latitudinem liberè discurrendo, à contemplatione recessit, vt ita dixerim, per auream viam cælestis regni celsitudinem penetrauit.

In quosdã nimiũ deditos externis occupationibus.

Magna B. Mauri moderatio.

III. DENIQVE dum in Episcopio suo degeret, & commissam sibi ecclesiã strenuè gubernaret, cœpit talẽ locum solicitamentis indagatione perquirere, vbi ad tempus & à secularium turba secedere, & soli Deo posset specialius adhærere: Domini sui nõ segnis imitator, qui per diem in vrbib. ꝑdicabat, noctu verò, in monte orationib. insistebat. Dumq; indies huius anxietatis magis ac magis cura succresceret, tandem adiecit oculũ ad breue quoddã promõtorium, quatuor ferè

Luc. 21.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtadijs ab exigua vrbe ſemotũ. Vocabatur a. ſaltus Spatiani, locus ſcil. nec præruptis cacuminib. ſublimis ad alta porrectus, nec omnino depreſſus in ima, ad arualẽ videbatur planitiem coæquatus. Sed ità erat congruo tenore in quodam meditullio cõſtitutus, vt & ſup ſe poſitis liberã viſendę totius penè diœceſis facultatẽ tribueret, ſe a. aſcendẽtes nequaquam excellentior decliuis proceſſib. fatigaret. Erat n. mõs ille nemoroſa diuerſarũ arborũ dẽſitate veſtitus. Hic itaq; mons beati viri adſpectib. placuit, ac ſi montẽ Oliueti adiacere vrbi Hieruſalẽ cerneret, atq; hunc Pſalmũ nõ immeritò cum Propheta concinere potuiſſet: Memor, inquit, ero tui Domine de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico: quem videlicet montem prius à Romano Pontifice, ſub cuius iure detinebatur, petijt: deindè cellulam ſibi illic cum exigua eccleſia fabricauit, vbi quadrageſimali tempore perſeuerans, ieiunijs & orationibus operam dabat. Et ſi quando de eccleſiaſticis negotiis furari poterat, ad eandem cellulam velut ad dulcium epularum conuiuium recurrebat. Illic deniq; fluentum diuinæ contemplationis mentis ſuæ faucib. hauriebat, vndè poſtmodum arentia proximorum pectora ſanctæ prædicationis poculo recreabat. Illo planè loco quaſi pro balneo vtebatur: ibi. n. curabat abluere, ſi quam ex ſecularium hominum collocutione, aut verbi aut cogitationis maculam contraxiſſet, & puluere mundanæ conuerſationis, ſine quo hæc humanæ mortalitatis via non carpitur, crebris illic lachrymarum fontib. expiabat. Ille igitur locus, qui ſancto viro in vita tam dilectus & familiaris extitit, poſt mortem quoq; eius ſepultura meruit inſigniri. Nam corpus eius in ſaxea arca reconditum, iuxta paruam baſilicam, quam ipſe conſtruxerat, eſt collocatum.

Pſal. 41.

Cõſtruit ſibi cellulam & ædiculã in colle.

In ea condi tum eſt corpus eius.

Hæc igitur ſunt, q̃ de vita beati viri ad noſtrã potuerunt peruenire notitiam non q̃ ſunt à noſtris relatorib. viſa, ſed ſuccedentiũ generationũ celebri memoria diuulgata. Quidam a antiquus admodùm ſenex, & corpore marceſcente iã tremulus, noſtris nuper tẽporib. extitit, q̃ ſe vidiſſe huius beati Mauri neporẽ. Conſtantiũ videl. nomine, Epiſcopũ Cęſennatis eccleſiæ teſtabatur. Sed quoniã de vita beati Mauri ea, quæ nobis audire contigit, ſtylo currẽte digeſſim⁹, nũc qualiter omnipotens Deus ad gloriã ſui nominis eius merita reuelauerit, breuiter explicemus. Eſt a. nunc celebre monaſteriũ in p̃dicto monte, in quo vir Dei orare conſueuerat, ad honorẽ beatę Dei genetricis & virginis conſtitutũ, vbi mons Mauri ex antiqua populi conſuetudine dicitur, quia locus ille non immeritò ſancti viri vocabulo decoratur. IV.

Mõs Mauri

Cùm igitur arca illa, vbi beati viri corpuſculum claudebatur, iuxta p̃fatam eccleſiã, terræ vndiq; creſcente cõgerie, deliteſceret, & vix ſaxi ipſius ſummitas ſolotenus emineret, contigit vt homo quidã cum litanijs adueniẽs, ſoluta caligæ ligula, repentè illic pedem poneret, & nil tale exiſtimans, ſecurè ligaret. Vincto igitur talo, cùm iam vellet abſcedere, pedem nullo modo potuit amouere. Cumq; diu conaretur, & omnia tentans, huc illucq; ſe verteret, pes nihilominus ſtabat immotus, & velut quibuſdã clauis ſaxo tenebatur affixus. Stabat miſer ignoti criminis reus, & qui ſibi corrigiam ligarè voluerat, ſemetipſum potius ſaxo ligaſſe dolebat. Volebat ſtare, ſed vna innixus planta, non poterat. Optabat iacere, ſed à ſuo pede corruere non valebat. Tandem repentino populi aduentante concurſu, alij malleis, alij ſecuribus geſtientes, partem lapidis præciderunt, & poſt multa vix hominem, de ſaxo exculpere potuerunt Mox lætantis turbæ clamor exoritur, mira Dei virtus attollitur, & beati Mauri tumulus dignus reuerentia indicatur. V.

Vide miraculum.

Tumulus ſancti viri innoteſcit.

Item prædicti cœnobij monachus, Tenzo videl. nomine, grandæuus iam & ipſa canitie venerãdus, cuius hoc relatione didicimus, aliud miraculũ retulit, q̃ nequaquam ſilentio præterimus. Aliquando ipſe prædictus frater acerrima vi febrium vrgebatur. Cumq; nulla medicinali cura, nullo prorſus humano ſtudio ad incolumitatis ſtatum redire potuiſſet, cuidam ſuæ materteræ, religioſæ videl. ſanctimoniali, nocturno ſilentio beatus Maurus apparuit, eiq; dixit: Si vis, inquit, nepotem tuum ex ea, q̃ patitur, ægritudine conualeſcere, denuncia ei, vt ſuper ſepulturam meam ſignum ſanctæ crucis infigat, omniq; anno ſolennitatem mihi celebrare deuoueat. Cumq; ille beati viri oraculũ, q̃ ſanctimoniali referente cognouit, gratanter impleret, mox ferream crucem ſuper tumulum fixit, deindè cõmotis viſcerib. præcipitanter euomuit, atq; ita protinus omnem ignei languoris moleſtiam velut ipſo vomitu egerente ꝓiecit. Iamq; priſtinę ſanitati integriter reſtitutus, dignas Saluatori Deo gratias retulit, & B. Mauri miraculum, quod in ſe expertus fuerat, ad gloriam nominis Dei multis indicare curauit. Iam igitur celebri vtriuſq; ſigni fama volitante per populum, cœperunt multi ad ſacras beati viri reliquias deuotè concurrere, pijſq; eius meritis ſuas animas attentius commendare. Nonnulli etiam diuerſis valetudinum incommoditatib. laborantes, dum vel detritam ſepulcralis marmoris limaturã biberent, vel beati confeſſoris miſericordiam fuſis tantũmodò precib. implorarent, ſani & incolumes ad propria ſunt reuerſi, quocunque fuiſſent vinculo ægritudinis obligati. Videres miſerabilium languidorum ſoluta cadauera alieno prius adminiculo ſuſtentante deferri, qui mox cũ magna exultatione atq; tripudio remeabant, ſaluti priſtinę reparati. VI.

Liberatur febricitans miro modo

Multi curantur morbidi.

Cvmq; tot miraculis coruſcantib. magis ac magis p̃clara B. Mauri fama crebreſceret, & virtutes, quas per eũ Dominus oſtendebat, non ſolũ contigua quæq;, ſed & remotiora locorũ ſpatia perſonarent, tandẽ conuocatis Epiſcopis vicinarũ vrbiũ, multiſq; populorũ turbis vndiq; confluentib. certatim arca illa, in qua beati viri patrocinia re cõduntur, effoditur, & terebrato pariete eccleſiæ, inter abſidã & altare cũ hymnis & laudib. ſumma diligẽtia collocatur: Proceſſu v. tẽporis eadẽ baſilica maior facta eſt, atq; vt inp̃ſentiarũ cernitur, feſtiuius decorata, vbi ad declaranda beati cõfeſſoris merita, multa fiunt vſq; in p̃ſentẽ diẽ, Domino operante, miracula. Ex quib. nos pauca pſtringimus, q̃ nimirũ hi, qui nobis referunt, ſe vidiſſe teſtãtur. Papa Gerbertus iuxta Cæſennam caſtra metatus erat, eiusq; oppidũ circunfuſi exercitũs obſidione vallabat. Tunc tẽporis ad B. Mauri tumulũ delatus eſt quidã ruſtic⁹, gemina morborũ paſſione depreſſus, contractus videl. ac cæcus: ſed poſtq̃ eſſet oratũ, & lux amiſſa ad oculos redijt, & rigida mẽbra fugatus languor abſoluit. Protinus videns ſe homo ſanitati tã mirabiliter redditũ, vtpote quas valebat gratias agens, beato ſe in eius ſeruũ ꝑpetuo iure contradidit, manſurũq; ſe in eius obſequio, donec aduiueret, deuotauit. Qui perceptę ſalutis munere penè per decennium fruens poſtmodum fragilitati carnis eneruiter ceſſit, vxoremq; ſibi non fauſto coniugio copulauit. Mox n. vt luxuriandi voluptate potitus eſt, oculorum lumen funditus perdidit, & quàm diu vixit, in eadẽ cæcitate pmanſit. Et certè dignum fuerat, vt qa iuri B. Mauri, cui ſe mãcipauerat, * libidinis iugo turpiter colla ſuppoſuit, dono, quo ab vno Domino fuerat ditatus, amitteret, & q interiores ſpontè inciderat, inuitus exteriores tenebras incurriſſet. VII.

Sanatur cõtractus, ideque cæcus.

Vide vltionem in voluptatẽ ſuam.

*Videtur deeſſe, * ſe ſubtrahes, aut aliquid ſimile.*

Alio quoq; tẽpore dæmoniaca quædã ad altare beati viri deducta eſt, q̃ tanto peſtifer ſpiritus furore repleuerat, vt eã ſibi quaſi organũ faciens, multa per os eius ſacrilega inſania ꝓferret, diras voces emitteret, & velut canis rabida crebris naubatib. elatraret. Triduo a. poſtquã illuc perducta eſt, vehementi quodam impetu ſanguinẽ vomuit, & ita malignum ſpiritum, à quo tenebatur, eiecit. Alia quædã mulier neceſſitati rei familiaris pluſquã deberet, intenta, in feſtiuitate S. Zophili triticum purgare non timuit: ſed dum beato Confeſſori digni honoris reuerentiam non exhibuit, digna animaduerſionis ſententiam non euaſit. Nam illicò diuino percuſſa iudicio, brachijs attractis obriguit, & eodem modo ac ſi capiſtrum adhuc ventilare videretur, tremere infeliciter cœpit. Hæc itaq; ante B. Mauri altare deducitur, & in p̃dicta ſolennitate nunquã ſe vlterius quippiã tale facturam inſtantiſſimè pollicetur. Mox largiſſima omnipotẽtis Dei miſericordia clementer adfuit, & ſtupida mulieris brachia ad libertatem proprij vigoris pleniter reformauit. Rurſus alia mulier profluuium ſanguinis patiebatur: quæ cum inſanabili plaga iugiter vexaretur, & hæc atq; illa tentans, nullum ſalutis potuiſſet inuenire remedium, tandem in extremis anguſtijs conſtituta, reperit neceſſitas ipſa conſiliũ. Nitido itaq; iuxta poſſibilitatem ſuam linteo B. Mauri mauſoleum cooperuit, & ita diuinitus liberata, omnem prorſus moleſtiam luridi languoris euaſit. Enimuerò cum Apoſtolus dicat, ſide mundans corda eorum, quia mundo corde, vtpotè, plena ſide beati viri tumulum tetigit, dignè promeruit à profluentis ſanguinis immunditia liberari. VIII.

Liberatur dæmoniaca

Punitur feſtum diem violans.

Sanatur.

Item alia morbida.

Act. 15.

Item

IX. ITEM alia mulier ita erat violétissimi languoris immanitate cõtorta, vt soluto naturę ordine, ora teneret post se, ceruicem faceret ante se. Quæ similiter super B. Mauri memoria linteũ posuit, & protinus sanitate recepta, quibusq; mẽbris ius suũ natura restituit, & ad tenendũ vigorẽ ꝓpriũ arteriarũ organa tẽperauit. Alia quoq; mulier, amisso lumine, de Aquitaniæ finib. deducta est, q̃ Gallicæ animositatis geniũ seruans, & ex more patrię verba violenter infringẽs, obstinatissimè testabatur, ꝙ nunquã indè recederet, nisi p B. Mauri merita lumen, ꝙ amiserat, recepisset Sicq; magno fidei feruore succensa, breue tugurioluũ iuxta ecclesiæ parietẽ cõpilauit, vt quodammodo potius habitaculum, q̃ præparare videretur hospitium. Cumq; per octo dies instantissimè fuisset oratũ, lumen ꝙ quærebat, diuina gratia largiente recepit, & dignas illuminatori suo Deo & Mauro eius famulo gratias retulit. Popiliẽsis diœcesis turba ad beati Arduini limina orationis causa tendebat, cumq; per oratorium B. Mauri transitum habuissent, contigit vt quædam ex illis fœmina, genu Abbatis ipsius monasterij humiliter osculata, commeandi licentiã peteret: Quæ vix vnius sagittæ emissione progressa, arrepta mox à dæmonio, in terram proijcitur, concutitur, volutatur, & multa conuitia aduersus eundem Abbatem inordinatè euomebat. Hæc itaque ante B. Mauri altare deducta, * multò post diuinæ virtutis est imperio liberata, ita vt redeuntibus socijs, iam sibimet reddita, simul cum eis sana & incolumis reuerteretur ad propria.

Rursus alia.

Cæcæ restituitur lumẽ.

* non multò legendũ puto.

X. Hæc igitur fratres charissimi de virtutibus, quas omnipotens Dominus per beatum confessorem suum Maurum operari dignatus est, pauca perscripsimus, vt ad glorificandam diuinæ maiestatis potentiam vestræ charitatis studium incitemus. Qui dum nobis adhuc in via positis miraculorum suorum dignatur exhibere virtutem, per hæc nos ad capessendam cælestis patriæ inuitat & prouocat hæreditatem, testante Psalmista, qui ait: Virtutem, inquit, operum suorum annuntiauit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium: quatenus dum ipsa sanctorum sepulcra tot miraculis radiare conspicimus, de immensa eorum gloria, qua iam cum Christo regnant, minimè dubitemus: vt despectis terrenis, illuc se noster animus iam per desiderium transferat, vbi se gaudere in perpetuum sperat: illuc se liberè spiritus dirigat, vbi Imperator cæli Christus cum supernæ curiæ senatoribus ineffabiliter regnat: Cui sit gloria & imperium cum coæterno Patre & sancto Spiritu per omnia secula seculorum, Amen.

Psal. 110.

VITA ET RES GESTÆ S. P. N. MAGNI ILLIVS EVTHYMII ABBATIS, QVI ALIVS EST AB ILLO EVTHYMIO MONACHO ÆGYptio Origenista, qui vixit tempore Arcadij Imperat. Authore Cyrillo monacho.

AN. 400.

I. CVIVSLIBET quidem rei exercitatio, ægrè absq; exemplo & difficiliter rectè geri potest: multò magis autem virtutis operatio, quo est difficilior & laboriosior, & perpetuo labore & tolerantia indiget. Idcircò multis quidem exemplis, multa autem eorum, quæ ab alijs in vita gesta sunt, historia opus est ijs, qui hãc vitam asperam ingredi constituerunt: quæ quidem & viam faciunt planiorem, nec sinunt eos defatigari, qui, quàm ea sit aspera & ardua, respiciunt. In ijs enim inuenies, quibusnam modis, monitis & præceptis, & quanam denique ratione res eis rectè successerit: quinetiam quasnam ipsi rursus consecuti sint & consequentur remunerationes, etiamsi eius hebes sit & obtusus animus, etiamsi ignauus & supinus: volet tamen aliquando excitari, & ad parem accendi æmulationem, & aggredi ad imitationem. Qualis quidem mihi videtur esse vita magni patris Euthymij, simul & iucundissima, & laboriosissima, & aptissima ad lætificandos & demulcendos eos, qui eam legerint, & ad rerum similium studium excitandos: adeò vt si quis eum voluerit imitari, is & viuus & mortuus fuerit clarissimus. De eius itaq; rebus incipiendum est mihi ab alto dicere, & eæ narrandæ sunt auribus, quàm fieri potest, maximè pijs.

20. IAN.

Sanctorum exempla quid conferant.

II. CÙM impius paulò ante Iulianus miserè cum imperio vitam quoque amisisset & deinde paulò post imperium delatum fuisset ad Valentem, bella difficilia propter acerbam Arrij communionem circunsistebant omni ex parte ecclesias: & cùm cessasset paganismus, Arrianismus admodum inualescebat, & apertè laborabant ecclesiæ. Erat autem Melitenæ, quæ est vrbs Armeniæ ad Euphratem, quidam nomine Paulus, cui vitæ consors erat coniunx nomine Dionysia, ambo clari & virtute & genere. Cùm esset verò sterilis & careret liberis, id ducebat non moderatum esse infortunium, neque parua dignum solicitudine: sed grauib. curis agitabatur, & doloribus lacerabatur: eiusque cor & viscera propter liberorum egestatem igne quodammodo accendebantur, vt quæ fructus ventris desideraret, quæ quidem res est pluribus mulieribus vel maximè optanda, & quę sit oculis iucundissima; & quæ potest eis afferre gloriam, & efficere, vt non sit humilis & abiectus earum obtutus, neque fiducia & libertate priuentur in maritorum oculis. Cùm sic ergò se haberet, & tali premeretur calamitate, ad propinquum diuini Polyeucti martyris templum veniens cum coniuge, (eum enim accepit voti quoque socium, quem necessariò habuerat antea tristitiæ) in eo perseuerârunt multis dieb. in oratione. Petebant autem, vt sibi soluerentur vincula sterilitatis: & rogabant, vt fructum ex se natum viderent. Noctu autem eis aliquando seorsum orantibus, diuina quædam apparet visio, dicens: Estote, estote bono animo. Dat enim vobis Deus filium, qui à bono & tranquillo animo, nempe euthymia, nomen accipiet, & eo dignos mores est habiturus. In illius autem ortu animi quoque tranquillitatem dat Deus suis ecclesijs.

Valentis imperium. Arrianismus grassatur.

Polieucti martyris templum.

III. ATQVE illi quidem cùm tempus signâssent visionis, propterea quòd esset admirabile spectaculum, domum rediêrunt: & se, quod natum fuerit, Deo esse dedicaturos professi sunt. Paulò post autem vteri quoque tumor conceptum confirmabat, & Dionysiæ animus implebatur lætitia. Deinde cùm eis natus esset puer quarto consulatu Gratiani, eum quidem congruenter visioni nominant Euthymium. Visionem autem res quoque est consecuta, & componi cœpit bellum aduersus Orthodoxos, & à difficili tempestate iam respirabant ecclesiæ: & vis illucescebat pietatis: & ad animi tranquillitatem res tristes eis conuertebantur. Nam cùm tempore Constantij ecclesias vexâsset persecutio, & tempore Iuliani Tyranni, vt iam priùs diximus, & Valentis, qui fuit Imperator Orientis, non minus quàm quadraginta annos Arriani ingentes efflâssent spiritus aduersus pietatem, Euthymio iam nato, cui à tranquillitate nomen est impositum, compositæ & sedatæ fuerunt res omnes tristes ecclesiarum. Valens enim, cùm nondum aduenisset quintus mẽsis post ortum Euthymij, exercitum ducens aduersus barbaros, qui securè vexabant & populabantur Thraciam, cæsis copijs, ipse quoque eas postea luit pœnas, quas eius merebatur impietas. Ad quendam enim vicum fugientem, qui erat circa Adrianopolim, incursiones facientes Barbari, eum turpiter capiunt, & vnà cum vico incendunt, hîc ignem, qui est ad tempus, accipientem, veluti proœmium ignis, qui ibi illic futurus.

Euthymius nascitur.

Ecclesiæ pax.

Valentis interitus anno 378 5. Idus Aug.

IV. TERTIÒ autem post anno, Paulus quidem Euthymij pater è vita excedit: Sola verò cum filio mater viduaque relicta, accedit ad fratrem Eudoxium, filium adducens: quem quidem Otreius, qui Melitenẽsi præerat Ecclesiæ, suum fecerat confessorem: & cùm ante eius genua posuisset puerum, vehementer orabat, lachrymas emittens ex oculis, & eas esse credens validum medicamentum persuasionis. Rogabat autem, vt & infantis & sui misereretur, & ad Otreium puerum adduceret, & ei pro patre dedicaret. Atque mater quidem videt suam petitionem sibi successisse ex sententia, & puer fuit dedicatus Otreio, & per eum Deo, sicut diu antè ab Anna Samuel. Cùm autem vidisset Otreius, non solùm adspexit, sed etiam animi profundũ simul subijt quasdã etiam eius paulò secretiores motiones, quoad eius fieri potuit, acutissimè coniectãs. Cùm verò de matris sterilitate audiuisset, & de diuina apparitione, & quemadmodũ opus precationis fuerat eius cõceptio, & ꝙ antequam nasceretur, parentes eũ Deo dedicauerant, fuit

1. *Reg.* 1.

futuri verus propheta: & re vera, inquit, requieſcet ſpiritus Dei ſuper hunc puerum. Deindè cùm eum baptizaſſet, & pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondiſſet, in gradum [a] Lectorum eum cooptat. Atque matrem quidem Dionyſiam, vt quæ diuinis vacaret aſſiduè, Diaconiſſam ordinat ſuæ eccleſiæ: cùm autem puerum adoptaſſet, non ſolùm ei fuit nutritor & pædagogus, ſed etiam pater & mater, quòd attinet ad affectionem: non eo nomine magis puero quàm ſibi gratificans, & talis pueri curam gerere cupiens.

[a] Euthymius fit lector.

Cùm itaque Euthymius ſic ab ineunte ætate Deo fuiſſet dedicatus, & in eccleſiaſticum catalogum cooptatus, I. ſtatim conſequenter Theodoſius ille Magnus [b] potitur imperio, & ſic vno & eodem tempore Deus admirabiliter & præter opinionem, tam ciuilibus rebus quàm Eccleſiæ pacem conciliat: illis quidem præbens Theodoſium, his verò largiens Euthymium, adeò vt in eis conſequenter res quoque conuenirent nominibus. Procedente autem tempore, cùm iam exceſſiſſet ex infantia, literarum [c] magiſtris eum tradit epiſcopus. Illi autem erant Acacius & Synodius, qui propter nobilitatem & prudentiam & moderationem clari erant in choro Lectorum, & in diuinis ſcripturis rectè exercitati, & neque externam neglexerant eruditionem: qui poſt multa propter Chriſtum ſuſcepta certamina, Melitenenſis eccleſiæ adminiſtrationi ſeorſum & ſuo tempore ambo præficiuntur: quorum multarum rerum geſtarum præclaris narrationibus in hodiernum vſque diem iucundiſſimè recreatur ciuitas Melitenenſis, vt quę & eccleſię præfecturæ, & animarum curæ verè conueniant. Puer itaque his traditus, cùm vberem doctrinæ ſementem in animi ſinus accepiſſet, breui fructûs plurimum & ſupra ætatem produxit. Nam in diuinis quidem verſabatur ſcripturis, ſtudioſeque ac diligenter eis dabat operam. Quando autem alicuius ex viris antiquis & diuinis virtutis eos inueniebat facere mentionem, eum venabatur Euthymius ſtudioſiſſimè & diligentiſſimè, ipſumque eius viri ſtatim tenebat deſiderium, & ad illius ſimilem accendebatur æmulationem. Talis eſt bona anima & honeſti ſtudioſa, ſi vel virtutis modicam acceperit occaſionem, nempe id quod nouacula ad corem, torris ad ignem, equus in campo, vt vulgò dicitur: adeò, vt omni tempore Euthymio opus adeſſet, cuius magno ſtudio tenebatur: nempè vt perlegeret libros diuinarum ſcripturarum, & vim eorum, quæ eis inſunt, mandaret memoriæ.

[b] Theodoſij imperiũ.

[c] Traditur literis Euthymius.

Porrò autem fuit etiam æmulator morum Acacij præceptoris, & eos imitabatur pro viribus: vt non ſolùm II. eius doctrinæ, ſed etiam factorum ſe eſſe oſtenderet diſcipulum: & quomodò ſermocinanti aures, ita etiam facienti pulchrè ac ſtudioſè oculos accommodaret: cibo [d] quidem vtens, non vario & compoſito & ſuperuacaneo, ſed minimè curioſo & neceſſario & ſimplici: lautas autem & magnificas delitias animæ apponebat in eloquijs ſpiritûs. Et diuinum quidem [e] Eccleſiaſticæ regulæ officium, attenta mente & cum cordis contritione præfinitis peragebat temporibus: non riſui & ſuſurris, ſicut multi, animum adhibens, ſed vt qui adſtaret ante oculos communis Domini & regis omnium, & coram cum eo loqueretur. Eo autem tempore, quod intercedebat, domi otium agens, non otioſo alicui ſermoni & vanæ meditationi erat intentus: ſed Dei legem diu noctuque meditabatur, & fructum ſuo tempore afferebat, ſicut arbores, quæ ſunt plantatæ iuxta aquas, vt habetur in pſalmis. Erat itaque tempus iræ & excandeſcentiæ: Ille autem [f] manſuetudinem producebat & charitatem. Aderat rurſus tempus gulæ & delitiarum: Illi autem fructus egregius erat continentia. Et inanis quidem gloriæ cogitationes, animi moderatione: multarum autem rerum cupiditatem, voluntaria paupertate vincebat. & ſic vnaquaque virtute contraria fundebat & profligabat vitia.

[d] Eius cibus

[e] Officium eccleſiaſticum vt perſoluerit.

Pſal. 1.

[f] Pugna cõtra vitia.

Cùm ſic autem fuiſſet educatus & inſtitutus, & proceſſiſſet per omnem graduum conſequentiam, ab eo qui VII. tunc erat epiſcopus Melitenes, inuitus, eum tradente virtute, ordinatur, & [g] eius fidei committitur cura monaſteriorum, quæ erant in ciuitate. Sed quoniam quietis & ſilentij eum ab ineunte ætate magnum tenebat deſiderium, veniebat aſſiduè ad diuini martyris Polyeucti monaſterium, & trigintatrium ſanctorum martyrum, & longiſſimo tempore in eo verſabatur. Porrò autem ab ipſa quoque ciuitate omninò ſecedebat, & honoratos dies ieiuniorum in monte propinquo tranſigebat: qui tunc quidem erat ſolitudo, & mons Aſſumptionis vocatus fuerat ab accolis. Nunc autem eſt monaſterium non citra admirationem, quod eſt ædificatum proximè ciuitatem. Cùm hæc ità ſe haberent, & ità diù ante erat quietis amator Euthymius, quod eius intus compoſitum & tranquillum indicabat animum: ratus curam monaſteriorum ei ad virtutem afferre impedimentum, fugæ ita, vt erat, ſe mandat, & clam ex vrbe egreſſus ætatis ſuæ anno viceſimonono, ad adoranda ſacra & veneranda loca [h] prompto & alacri animo vadit Hieroſolymam. Cùm autem conueniſſet patres, qui erant in ſolitudine, & didiciſſet inſtitutum vitæ vniuſcuiuſq;, euadit eius impetus acrior, & quodammodò pennis in altum tollitur: & ſimilis vitæ degendæ vehementiori punctus ſtimulo, illinc peruenit ad Pharam lauram, quæ ſex milliaribus diſtat Hieroſolymis. Et cùm [i] extra lauram inueniſſet quandam cellam, quæ erat valdè appoſita ad quietem & ſilentium, illic deceterò verſabatur, palmarum quidem ramos in ea texens, ſibi & egentibus ſuos labores communes efficiens: vt non ſolum neminem grauaret, ad aliorum manus non reſpiciens: ſed etiam Deum coleret, & cùm ipſe eſſet potius manus alijs, ab omni autem cura rerum terreſtrium animum liberâſſet, ſe ità comparat, vt omnino dependeat à ſpe futurorum bonorum.

[g] Cura monaſteriorũ ei committitur.

[h] It Hieroſolymam religionis ergõ.

[i] Degit in cella ſolus.

Erat autem quidam ex eius vicinis, nomine Theoctiſtus, qui eandem vitam quam ille, exercebat, & idem ſi- VIII. bi vendicabat inſtitutum. Amor verò rerum ſimilium, & laborum ſocietas, ita eos colligauit vinculo charitatis, & vſqueadeò ſunt inter ſe contemperati dilectione ſpiritûs, vt vterque eorum eſſet poſitus in anima alterius, & quæ alter eorum ſentiret, ea etiam cordi eſſent alteri. Cùm ergo eſſet tam fraternus inter eos conſenſus, in Catilæ ſolitudinem peruenerunt, octauo die [k] poſt feſtum luminum: ſeparati quidem ab omni humana conſuetudine: cum Deo autem ſolo verſantes per precationem, & totum tempus, quod intercedebat, tranſigentes in ſolitudine, donec aduenisset dies feſtus Palmarum. Tunc enim vterque reuertebatur in cellam, magnas virtutis afferentes diuitias, quas erant oblaturi Chriſto qui reſurrexerat, auro longè precioſiores, quod ei qui natus erat, Magi obtulerunt. Morum autem benignitate & ſimplicitate & inſigni humilitate magnus excellebat Euthymius: & ideo indies ei creſcebat ad Deum fiducia, & abundantiorem gratiam euocabat ſpiritus.

[k] Poſt feſtũ luminum, id eſt, Epiphaniarum *Matth.* 2.

Cùm autem quinque annos tranſegiſſet in Pharam, illinc recedit cum Theoctiſto, conſueto eis tempore ſeceſ- IX. ſus: & accedentes per ſolitudinem, ad præcipitem quendam & profundum torrentem, offendunt magnam quandam ſpeluncam ad boreale torrentis præcipitium, veluti tracti à quadam manu deducente. Ea ergo Dei cauſa lætati animis, & rati non hoc eis oſtendi ſine Dei numine, illic ſuam faciunt habitationem: quod quidem cùm eſſet prius ferarum refugium, ſacrum templum poſtea factum eſt & ſanctorum habitaculum. Atque diu quidem latuerunt in ſpelunca: nec vllus ad eos accedebat, nec aliquid eis impertiebat, quod eſſet ad vſum neceſſarium: ſed ſolis, quæ propè natæ erant, herbis [l], vt licebat, alebantur. Cùm autem celari illorum virtutem Deus non amplius ſuſtinuiſſet, (quomodò enim, cùm nec horti clauſi, nec fontis ſignati ad multos redeat vtilitas?) ſed vellet potius eos quoque eſſe alijs cauſam ſalutis, & copioſum aliquod bonum, & in commune vtile, hoc in eos vtitur conſilio & prouidentia.

[l] Mira res: ſolis tãùm herbis alebantur.

Quidam paſtores Lazari adducunt aliquando oues ad torrentem, & cùm obtutum in ſpeluncam immiſiſ- X. ſent, vident eos imminentes capiti Repentino autem & non ſolito territi ſpectaculo, ij quidem ſe protinus in pedes conijcientes, fugiebant: illi verò eis timorem dementes appoſitiſſimè, voce quàm potuerunt benigniſſima & leniſſima: Nè timeatis, ô fratres, dicebant, nè timeatis. Nam nos quoque ipſi ſumus homines, etiamſi propter peccata noſtra præſentem locum habitare conſtituimus. Tunc autem paſtores auſi ad eos aſcendere: & ingreſſi ſpelũcam, quam ipſi ha-

ipsi habitabant, cùm nihil inuenissent eorum, quæ sunt vtilia corpori, reuersi sunt valdè admirantes, & suis singula aperuerunt. Deindè verò non cessârunt de cæterò incolæ Lazarij eis ministrare, quæ sunt necessaria, Deo sic sapienter & benignè dispensante, vt ipsi quoque ea haberent, quibus opus habebant ad vsum corporis, & ijs, qui ea impertiebant, darent id quod est longè melius, nempe salutem animæ.

XI. Cùm autem de ijs quoque quæsijssent Pharę habitatores, & didicissent vbinam habitarent, assiduè ad eos ventitabant. Et primùm quidem duo ex fratribus ad eos accedentes, Marinus [a] & Lucas, non sunt ampliùs reuersi: sed à verbis eorum & virtute capti, tanquam ab aliquibus Sirenibus, se ipsis tradunt tanquam patribus, & animarum curatoribus. Quos cùm supinis manibus magnus excepisset Euthymius, exercitationis monasticæ institutum eos tam pulchrè docet, vt ijdem quoque tempore, quod est consequutum, in locis, quæ sunt circa vicum Metopa, clari extiterint, & monasteria construxerint: & magnum illum Theodosium, qui fuit princeps & author cœnobiorum, quæ sunt in solitudine, ad monasticam perduxerint perfectionem. Cùm talis fama Euthymij breui tempore in omnem partem peruaderet multi ad ipsum, tanquam ab aliquo vnguenti odore moti, quotidie confluebant: & rogabat vnusquisque eorum, vt cum ipso habitaret, & sub eo duce viueret, & animam componeret, & doceretur ea, quæ sunt spiritalia. Sed ille volens habere purum & immixtum bonum quietis ac silentij, omnem eorum, qui adueniebant, curam beato commisit Theoctisto. Ille autem, qui ei nunquam recusabat parére, protinus quidem mandatum accipit: omnia verò administrabat ex sententia Euthymij.

[a] Marinus & Lucas se adiungunt Euthymio.

XII. Deinde autem in loco quoque ad habitandum construendo occupabantur, & in animo habebant in spelunca constituere lauram, ad figuram Pharæ: sed quæ loco inerat asperitas, & quòd is esset propemodum inuius, non sinebat in eo aliquam constituere lauram: sed in ipso aditu præcipitij cœnobium [b] ædificant fratribus, & sibi speluncam transmutant in ecclesiam: in qua in quiete & silentio magnus assidens Euthymius, erat curator animarum, & earum, quas à vitijs accipiunt, plagarum, & vulnerum, à quibus sæpe malè afficiuntur, medicus peritissimus. Quotidie enim ad eum accedentibus fratribus, & ei cogitationes aperire non verentibus, dabat vnicuique conueniens malo medicamentum. Quæ quidem experientia & prudentia & egregia discernendi scientia apud se collegerat, adeò vt in eo propemodum impleretur illud diuini Hieremiæ: Probatorem te dedi populi mei: & dum tu probas, cognosces viam eorum. *Ierem. 6.*

[b] Construit cœnobium

XIII. Certe [c] sæpè etiam admonebat paternè, & communiter cum eis differebat, dicens oportere quidem eos, qui mundo renuntiant & ijs quę ad mundum pertinent, vbique curam gerere obedientię & humilitatis: & propriam non sequi voluntatem, & in votis semper habere mortem: & supplicium quidem perhorrescere, regnum autem cœlorum desiderare: & se omni tempore dédere laboribus, manuumque artificio & operationi: & maximè quidem, si is est iuuenis, & cuius appetitio & impetus moueatur ab ætate. Tunc enim oportet præter aliam eius custodiam, corpus quoque exercere multa afflictione, vt pareat rationi, & feruor flaccescat iuuentutis: & vt Pauli imitatores, & diuinarum eius legum simus adimpletores, non ocij crimen solummodò vitantes: siquidem ne alimento quidem eum dignum iudicat, qui est adeò hebes & negligens: Otiosus enim, inquit, nè comedat quidem: sed easdem quoque quas ille, manus habentes. Manus enim, inquit, hæ mihi suppeditârunt, & ijs qui erant mecum. Est enim absurdum, homines quidem, qui in mundo versantur, vxorem & filios & totam familiam alere labore suarum manuum, & annuum ab eis solui tributum: quinetiam suorum quoque laborum Deo dare primitias, & benefacere pro viribus: nos autem nè alios quidem impertiri fructu nostrarum manuum.

[c] Monachis quę sectanda. *2. Thess. 3. Act. 20.*

XIV. Porrò autem hæc quoque ex illius præceptis digna sunt, quæ mandentur memoriæ. Suadebat enim honestum amplecti silentium in templo [d] Domini, & in synaxi fratrum nihil omnino loqui, cùm sacra peraguntur mysteria: sed nec in cœnaculo ad cœnam collectis fratribus linguam laxare, sed in vtrisque manere in eodem silentio. Ei autem displicebat, quòd nonnulli ex fratribus, & maximè iuuenes, reliquis maius & publicum ostenderent ieiunium & communem soluerent fratrum regulam, suam sequendo voluntatem & legem. Neque enim ille bonum tuba cani, neque apertum esse ad publicum, sed quàm maximè fieri poterat, latére volebat. Et ideo dicebat eam esse optimam abstinentiam, quæ præuenit satietatem, & indigentibus adhuc nobis reprimit alimentum: quod quidem est propemodum minus alimenti sumere, quàm sit opus. Clàm [e] autem resistere carnis affectionibus, esse verò armis monachorum omni ex parte securè communitum. ea autem sunt, humanitas, moderatio, discretio, & quæ est ex Deo obedientia, & re vera virtus, quæ Deum imitatur. Atque tali quidem à suauissima illa lingua fratres quotidie fruebantur doctrina. Nobis autem iam deinceps incipit pergere oratio ad res veteris Terebonis: quæ omnes quidem, qui sunt seniores ex Patribus, mihi narrârunt: accuratiùs autem ille Terebon, qui fuit nepos huius veteris Terebonis, & præfuit tribui apud Saracenos, & in eis maximum nomen reliquit ad claritatem. Oportet autem ab alto ordiri principium narrationis, vt sic facilius possit à nobis perspici oratio.

[d] In templo non loquendum.

[e] Arma monachorum.

XV. Erat [f] apud Persas quidam Græcus, nomine Aspebetus, qui fuerat dux tribus Saracenorum. Cùm autem circa finem regis *Isdigerdis mota esset à Magis persecutio aduersus Christianos, illi ducentes hoc sibi esse magno studio contendendum, vt omnes venarentur Christianos, omnes quotquot erant tribuum apud se præfectos, quinetiam ipsum quoque Aspebetum, vt omnes vias diligenter custodirent, constituunt, vt nullus Christianus posset clanculum confugere ad imperium Romanorum. Is itaque [g] Aspebetus, videns tantam in Christianos incursionem & insaniam, & motus misericordia eorum calamitatis, non solùm non prohibuit quò minùs fugerent, sed eis quoque manum præbuit adiutricem. Qua de causa accusatus apud regem Isdigerdem, & illius veritus crudelitatem, acceptis protinus suis facultatibus, cognatione que & puero Terebone, transfugit ad Romanos. Quos cùm accepisset Anatolius, (is enim tunc erat vnus ex præfectis Orientis) eum collocat in Arabia, & quæ illic Romanis suberat, Saracenorum præfecturam tradit in manus Aspebeto: sic apertè ostendens synceram & omnis doli expertem fuisse eius acceptionem. Cùm is ergò sic ad Romanos accessisset, eius quidem filius Terebon, cùm esset adhuc impubes, atque adeò verè puer percussus erat flagello dæmonis, vt qui dexteram partem corporis ex dimidio haberet siccam mortuæque similem, & quæ minimè operari poterat. Hoc autem ei ità se habebat à capite vsque ad pedes, adeò vt cùm pater magnam partem facultatum consumpsisset in medicos Terebon, ex arte illorum nullum acceperit adiumentum.

[f] Christianorum persecutio apud Persas.

*al. Isdegerdis.

[g] Aspebeti humanitas.

XVI. Postquam [h] verò migrârunt in Arabiam, videt puer in somnis aliquid & ad visionem expergefactus, eam patri narrat. Ille autem cùm statim puerum accepisset, & multos ex ijs, qui eius imperio parebant, barbaris, venit ad speluncam huius Euthymij & Theoctisti. Nam vt eò veniret, præcipiebat quæ ei apparuerat visio. Atque fratres quidem cùm tantam vidissent multitudinem, inuasit animi angor & metus: neque sciebant, quidnam se fieret. Sed beatus Theoctistus cùm illum timorem eiecisset ex animo, audenti animo accedit ad barbaros, & rogat, cuiusnam rei opus eos huc adduxisset. Illi autem, Venimus, dixerunt, ad videndum Euthymium. Beatus verò Theoctistus, At ille, inquit, nunc quiescit & silet, & neque vsque ad sabbatum venit in alicuius conspectum, neque ad colloquium cum aliquo. Tunc Aspebetus manus accipiens, ostendit ei filium, qui erat semiaridus, & cuius pars dextera erat veluti mortua. Deinde etiam filio annuit supercilijs. Ille autem incipiens, rem omnem narrat ordine:

[h] Visione Terebon iubetur ire ad Euthymium.

Cùm

CVM ego, inquit, in Perſide hanc plagam accepiſſem, multis & medicinæ & magicæ artibus contritus, nihil amplius ex ijs fructus percepi, niſi quòd eas ſolùm damnaui, & in illis nequaquam poſſim magnam habere fiduciam. Deinde poſtquam in hanc Arabum venimus regionem, hîc quoque rurſus cum priori luctabar calamitate, & malis vexabar ſimilibus. Noctu autem apud me aliquando cogitans, & conſiderans an vſquam ab hoc morbo aliquam inuenirem liberationem: quoniam ab ijs, qui erant apud nos, nullam videbam mali curationem: ipſe ſic mecum colloquebar: O Terebon, vbi nunc ſunt, quæ apud Græcos & Perſas feruntur medicinę artes & magicę, & quæ ſunt in his nugæ, & quę earum vulgò iactatur vtilitas? Vbi ſunt autem præſtigiæ aſtrologorum & fabulæ noſtrarum ſuperſtitionum, & inutiles inuocationes? Sunt omnia re vera fraudes & riſus manifeſtus: quæ nihil, inquam, poſſunt efficere abſque vniuerſorum opifice & Domino. Cùm hæc ergò apud me dixiſſem, & diſſeruiſſem, Deum rogaui vehementiſſimè, & ab eo petij à morbo liberationem, & me ei viciſſim eſſe relaturum vitæ mutationem, & me Chriſtianum futurum ſum pollicitus. XVII.

INTEREA autem dum hæc fierent, & Deo hoc modo eſſem ſupplex, paulatim in ſomnum deductus, mihi XVIII.
[a] videbar videre quendam monachum, cui barba propendebat hiſpida, quique iam ſeneſcebat, & canis erat conſperſus, me rogantem quiſnam eſſet morbus, & ſciſcitantem quidnam mali nobis incubuiſſet. Cùm ego autem ei morbum oſtendiſſem, ille, Implebisne, inquit, quæcunque Deo es pollicitus? Deindè cùm ego rurſus promiſiſſem, me prompto & alacri animo omnia impleturum: Ego ſum, inquit, Euthymius, qui ad Orientalem ſolitudinem habito in torrente, qui eſt prope viam, quæ tendit verſus Hiericho, decem millibus diſtans Hieroſolymis. Si vis ergo inuenire mali ſolutionem, veni ad me, & te Deus per nos ſanabit. Hæc cùm in ſomnis vidiſſem, & eſſem excitatus, Patri ſtatim narraui, & ecce omnibus poſtpoſitis, vt iuſſit viſio, huc nunc venimus: reque valdè & enixè rogamus, vt nobis oſtendas eum, qui per viſionem nobis fuit indicatus, verè diuinum & admirabilem medicum.

[a] Viſio Terebonis.

HÆc cùm beatus audijſſet Theoctiſtus, & viſionem vt apertum Dei gratiæ indicium eſſet admiratus, Euthymio XIX.
interrumpit quietem ac ſilentium, & ei omnia recenſet ordine: pueri morbum, egeſtatem eius, qui illum eſſet curaturus, eius promiſſa, quæ fecit communi Domino, ſomnum illum, viſionem quæ apparuit: &, vt ſemel dicam, narrat ſingula. Ipſe autem cùm ſibi quoque perſuaſiſſet eam rem diuino quodam geri conſilio, ſtatim deſcendit ad barbaros: cumque vehementer oraſſet pro puero, & ei figuram [b] crucis impoſuiſſet, non aliquo opus habuit tempore, neque vt in oratione diutius perſeueraret: ſed eum valentem & omnino ſanum ſtatim efficit. Stupent barbari id quod factum fuerat, & citiùs quàm eius, qui laborabat, corpus, eorum quoque curantur animæ: vel potiùs animæ ſanitatem communiter accipiunt, & fiunt ſtatim fideles. Quocirca proni humi cadentes, rogant illam ſanctam animam, vt Chriſti obſignentur ſignaculo, & partem Chriſtianorum conſequantur & nomen.

[b] Oratione & ſigno crucis ſanatur Terebon.

NON erat omninò viri pij & Deum amantis, cunctari in rebus huiuſmodi. Neque ergò fuit Euthymio in his re- XX.
bus vlla cunctatio. Sed cùm vidiſſet eos corde potius quàm ore ſacrum baptiſma poſtulantes, iubet paruam piſcinam fieri in quodam angulo ſpeluncæ: quæ quidem conſiſtit vſque in hodiernum diem. Cumque dixiſſet preces, quæ dici conſueuerunt, & quæ lex in his poſtulat, feciſſet omnia, primùm [c] quidem baptizat Aſpebetum, eum Petrum nominans. Deinceps autem Marin, fratrem vxoris Aſpebeti, ambos claros genere, & inſignes diuitijs, vel diuitias potius ornantes prudentiâ & virtute, vel potiùs ipſis diuitijs vtentes pro cauſa & inſtrumento exercendæ virtutis. Deindè autè Terebonè, & poſt ipſum reliquos. Quos cùm quadraginta dies apud ſe detinuiſſet, & monuiſſet, pietatemq; ac religionem accuratè docuiſſet, & omnibus modis ea firma ac ſtabilia reddidiſſet, quæ pertinent ad ſalutem, eos dimittit in pace: ſed non ampliùs Agarenos, nec Iſmaelitas: ſed à Sarra oriundos, & certos hæredes promiſſionis per diuinum baptiſmum. Maris autem, qui fuit Terebonis auunculus, non ampliùs voluit retrò adſpicere, neque ampliùs omnino ſuſtinuit diſcedere à monaſterio. Sed cùm ei omnes conſecrâſſet facultates, & parui feciſſet quæcunque ſunt in mundo, nec generoſo & excelſo animo dignum eſſe duxiſſet deſiderium, quod in ea confertur, ſoli Deo adhæret, & per totam vitam ſub eo viuere ſtatuit, magno duce & præceptore vtens.

[c] Barbari baptizantur.

CÙM autem miraculum eſſet diſperſum per multas partes ſolitudinis, multi, qui morbis [d] laborabant & ægri- XXI.
tudinibus, ad diuinum Euthymium vndiquaque confluebant: & ſic ſine mercede, promptamque ac facilem colligentes curationem, læti reuertebantur. Quamobrem ſic breui per totam clarus euaſit ſolitudinem, vt nec eius quidem nomen tota caperet Palæſtina: ſed tranſiret etiam ad eas, quæ erant circuncirca, Præfecturas, & in eis valdè celebraretur. Quod alij quidem fortaſſe fuiſſet voluptati: Euthymio autem valdè veniebat in mentem ſuccenſere & ægrè ferre: non ſolùm quòd humanam auerſaretur gloriam, ſed etiam quòd prioris meminiſſet quietis & ſilentij, & quemadmodum in eo eſſet indiuulſus, & ab omni tumultu alienus. Et ideo ſtatuit ad Ruban ſecedere clanculum. Sed diuinus Theoctiſtus cùm eius rei, quam cogitabat, ſenſum neſcio quomodo accepiſſet, & hoc fratribus ſignificaſſet, & omnes congregat, & preces adhibet communes & vehementes, vt miſereatur eorum orbitatis: & non ſic deſpiciat gregem, quem ipſe conſtituit, qui poſt eius receſſum erat miſerè dilacerandus à communi hoſte omnium. Hæc dixit, & perſuaſit, nè in præſentia diſcederet, nec eos relinqueret.

[d] Multi curantur ægri

SED cùm poſteà eum vehementius inuaſiſſet amor quietis & ſilentij, nec ſciret quid ageret, quodam ſecum aſ- XXII.
ſumpto, cui nomen quidem erat Domitianus, qui erat quidem genere Melitenus, virtutis autem amator non negligens: vnà cum eo egreditur, cùm id nemo ſenſiſſet, & in ſolitudinem [e] Rubæ, quę vergit ad Auſtrum, venit iuxta mare mortuum: & deindè in altum quendam montem & remotum ab alijs montib. aſcendit, qui appellatur Marda, tranſmigrans in montes ſicut paſſer, vt ait diuinus Dauid, & arcus fugiens peccatorum. Quo quidem [f] in monte cùm inueniſſet puteum, & humi iacta ædificia, templumq; excitâſſet & erexiſſet altare, quæ quidem adhuc ſtant in hodiernum diem, in eo quidem verſatur aliquo tempore, ea quæ ſunt corpori neceſſaria, ex ijs, quæ ſunt illic, herbis comparans, & tanquam menſa ſplendida eis vtens. Deindè cùm eum quædam ſubijſſet cogitatio ingrediendi in ſolitudinem Ziphó, quæ eſt propè vicum Anſtobuliadem ad videndum, inquam, illas ſpeluncas, quæ olim Dauid acceperunt, cùm eum perſequeretur Saul, ei paret: cumque veniſſet, & locus ei placuiſſet, illic [g] conſtruxit monaſterium. Cauſam autem prætermittere, quæ fuit conſtruendi eius monaſterij, damnum fuerit pijs.

[e] Fugit in aliam eremum. *Pſal* 10.
[f] Degit in monte.
1 *Reg* 16.
[g] Conſtruit monaſterium.

CVIVSDAM in vico Ariſtobuliade grauiter laborabat filius, & à malo vexabatur ſpiritu. Cùm ſic autem la- XXIII.
boraret, & ab immani vexaretur dæmone, Euthymij nomen clara voce clamabat. Clamabat verò per ſe, non ſua ſponte, ſed is, qui tyrannidem in eum exercebat, apertè cogebatur. Videntes ergò parentes, & qui ad eum genere attinebant, eum ſic ſemper in lingua habere nomen Euthymij, & maximè quando ille execrandus eum inuaderet vehementius, quiſnam eſſet hic Euthymius, obeuntes interrogabant, & quemadmodum de eo aliquid ſcirent, maximè erant ſoliciti. Cùm in illo autem inquirendo non multum laboraſſent, (illius enim fama & nomine iam plenus erat orbis terrarum) audiunt eſſe inter Parabarichos & Ariſtobuliadem. Accipientes itaque puerum, ad eum ſtatim ruerunt. Vbi autem procul adhuc procedentibus ille adoleſcenti euadit manifeſtus, cùm veluti præſenſiſſet is, qui in eo habitabat [h] ſpiritus, boni ſpiritus operationem qui inhabitabat in Euthymio, fugam ſpectauit: non ſecùs atque timidi atque puſilli animi hoſtes, qui nec adhuc quidem ad eos accedentes armatos expectant milites, ſed excedunt antequàm manus conſerant. Adoleſcentem itaque cùm repentè torſiſſet & diſcerpſiſſet, euanuit. Oportebat enim malum malè

[h] Dæmon fugit ex obſeſſo.

malè facere,& furiosum & conturbatum suum discessum ostendere.Postquàm autem ille recessisset, cernebatur homo modestus & sanæ mentis: alterius,non illius,esse significans eam,quæ præcesserat, tempestatem & graues fluctus.

XXIV. Cùm breui autem miraculum totam peruasisset solitudinem,ex ipsa Aristobuliade & iis, qui circuncirca erant, vicis ad eum frequentes concurrunt,& [a] ei monasterium construunt: in quo etiam multi pij ac religiosi statuerunt permanere,Deo desuper eis suppeditante ea,quæ erant ad corporis vsum necessaria.Non solùm [b] autè eæ feræ, quę percipiuntur intelligentia,spiritus,inquam,maligni,ita erant ei subiecti: sed etiam eum his sensilibus, tam quæ sunt carniuora,quàm quę venenata,in solitudinibus conuersans,& cum eis habens consuetudinem, nullas vnquam ab illis sensit insidias,neque damnum vllum accepit.Neque verò his non esse credendum existimet aliquis,qui sciuerit quàm sit res inexpugnabilis virtus boni spiritus,& quæ potest omnia facilè facere miracula. Ei quod dico,fert testimonium mare,quod virga scinditur,& sol,qui solo iussu sistitur,& nè vlterius progrediatur arcetur: ignis, qui in rorem conuertitur,& quæcunque alia præter opinionem facta sunt miracula.

[a] Conditur monasteriũ
[b] Cum feris degit illæsus.

Exod.14. Iosue 10.

XXV. Fit autem aliud quoque in ea Ziphon solitudine,dignum & mente eius, qui fecit,Euthymij, & perfecta pietate. Nam cùm inuenissent quosdam,qui Manetis laborabant insania,& sui morbi semper aliquam faciebant accessionem: quod nullus accederet,qui esset ad morbum curãdum idoneus:cùm se dedisset visitationi eorum, qui tam malè laborabant, & se eis aptissimum præbuisset medicum, tanto eos aggressus est artificio, & vt à morbo discederent,idem est autem dicere hæresi, verissimè effecit, vt illius quoq; Patrem [c] Manetem apertè abdicarent, & claro subijcerent anathemati,& fierent ipsi pars Apostolicæ & orthodoxæ fidei. Postquam autem hîc quoq; rursus multos vidit confluentes, (ipsa enim solitudo erat circuncirca septa vicis, & qui erat apud ipsum thesaurus, vocabat amatores harum spiritalium & cælestium diuitiarum) rursus accipiens suum discipulum Domitianum, reuertitur [d] ad fratres & beatum Theoctistum,quod quidem non minus eorum desiderabatur oculis,quàm aquam æstate ijs, qui magna siti laborant. Cùm autem fuisset in quodam loco,qui est ad tertium lapidem remotus à cœnobio, & inuenisset eum rectè se habere,siue loci spectetur natura & positura,siue temperies,vt qui iucundissimo & serenissimo aëre perspiretur, & sit omni ex parte quietus & tranquillus: cum discipulo ille [e] paruam ingressus est speluncam,& in ea est versatus.

[c] Manichæos conuertit.
[d] Redit ad suum cœnobium.
[e] Versatur in spelunca

XXVI. Cùm diuinus autem Theoctistus illius didicisset aduentum, non se amplius continere potuit: sed ad eum proficiscitur,à vehementi motus desiderio.Cùm verò lubenter & vidisset & visus esset, & spiritaliter eum esset complexus, nolebat ab eo disiungi, amoris ineuitabilibus alligatus vinculis, & à non fallacibus Euthymij Sirenibus adstrictus. Rogabat ergò, vt ad cœnobium & fratres descenderet, & communem cum eis vitam ageret, & communiter se exerceret.Ille autem cùm quietis & silentij magno amore teneretur,in hoc quidem non annuit Theoctisto: sed pollicitus est se singulis Dominicis ad eum accessurum,& se quoque synaxi adfuturum. Cùm autem eius aduentus nescio quomodo fuisset significatus Aspebeto,qui fuit postea cognominatus Petrus, licebat statim videre congregatam Agarenorum multitudinem. Nam cùm ille multos eorum ex omni genere & omni ætate congregasset, vt qui ipse primus bonum gustâsset,& studeret vt illi quoque essent participes dulcedinis,accedit ad Euthymium. Ille autem, quòd eos adduxisset valdè lætatus,cùm & hilaribus eos vidisset oculis,& eis de more benè esset precatus, adducit ad fratres & monasterium. Deindè [f] cùm eos illic baptizasset & instituisset, & ex illo tempore septem dies cum eis esset versatus, cum multis habitare non sibi amplius ducebat tolerabile: sed quietis & silentij, sicut diximus, magno captus desiderio,ad consuetam rursus redit solitudinem.

[f] Agareni baptizantur.

XXVII. Cùm ergò Petrus eum vidisset & domo carentem, & inopem sedentem in solitudine, pro maximis beneficiis mediocrem vtique referens gratiam,ædificatoribus magna mercede accersitis,magnam cisternam,& quæ duo habebat ostia, fodit in horto, quæ in hodiernum vsque diem fossa remanet: & panis faciendi officinam apud cisternam ædificat, & tres cellas construit Euthymio. Inter eas autem excitat etiam oratorium, adeò vt nullius eorum, quæ ad vsum pertinebant,egeret Euthymius.Agarenorum verò multitudo, quæ, vt prius dixi, fuerat ab ipso baptizata, suauissimum fluentum semper bibere desiderans, quod quidem apertè erat lingua Euthymij, non amplius ne minimum quidem ab eo discedere sustinebat: sed vehementer contendebat, vt apud ipsum maneret, & delitias & aquam vitæ, nempe eius perciperet orationes. Ille autem [g] sibi conseruans indiuulsum bonum quietis & silentij, eos quidem non sinit hîc versari: sed cùm eos aliò duxisset, & eis templum & tabernacula circunscripsisset, (est autem locus inter duo monasteria) iubet vt ea extruant, prout se habet descriptionis figura & magnitudo,& in eis habitent. Quo quidem in loco cùm sibi & domos ædificâssent, & in eis deinceps perseuerâssent, assiduè magnus ventitabat Euthymius,& quemadmodum se haberent,semper visebat.Sciebat enim,quantum ex eo lucrifaceret: nec prius destitit hoc facere,donec illorum animas purgauit & exercuit,& effecit vt presbytero subessent & diaconis. Quamobrem illic lubenter manserunt non ij soli,qui fuerunt priores baptizati: sed etiam multi alij ex ijs, qui quotidie ad eum veniebant & baptizabantur.

[g] Ingens silentii & solitudinis studium.

XXVIII Cùm ergo vsque adeò multiplicarentur filij Agar, & ad veram traducerentur nobilitatem, & in diuersas excrescerent copias,mittit diuinus Euthymius ad Iuuenalem Patriarcham Hierosolymitanum, postulans vt eis ordinaretur Episcopus. Ille verò mittit ad eum Petrum: patrem Terebonis, vt qui esset idoneus præesse animabus, & deducere ad salutem.Petrus [h] ergò sic quidem primus ordinatur episcopus copiarum,quæ erant in Palæstina. Saracenorum autem multitudo,non secùs ac fluuiorum fluenta,affluebat perpetuò: & qui nunc accedebant,adijciebantur prioribus: & ij omnes signati baptismi signaculo,connumerabantur cum grege Christianorum.Sed de his quidem ea,quæ dicta sunt,sufficiunt Nobis autem deinceps eò conferenda est oratio,vndè ad hæc dicenda digressi sumus.

[h] Petrus fit episcopus Agarenorum.

XXIX. Non habebat magnus Euthymius in animo,nec cœnobium,nec omnino Lauram in illo loco construere. Propterea quando aliqui ad eum venerant,siue mundo renunciantes,siue aliqua afferentes, quæ ad vsum corporis essent necessaria,ab eo rursus transmittebantur ad beatum Theoctistum. Cùm autem iam supernè diuina sapienter statueret prouidentia, vt hæc habitaretur solitudo: vt quæ pulchrè sciret id, quod erat futurum: nempe quòd ea res esset futura multis causa salutis: ad eum accedunt quidam numero tres, fratres secundùm carnem: qui germina quidem erant Cappadociæ,educati autem in Syria, & in virtute & doctrina se illic exercuerant,Cosmas,Chrysippus,& Gabrielius.Is autem faciens vt consueuerat,nec eos etiam admisit,& ætatem causans iuuenilem, & mutuum naturæ desiderium, quòd etiam nouit vt plurimùm labefactare constantiam exercitationis, & maximè, quòd adhuc esset Gabrielius adolescens & imberbis. Eos ergò his de causis nolebat omnino admittere.Ea autem nocte [i] venit ad eum in somnis aliquis,mandans vt & fratres exciperet: Sunt enim,inquit, ab ipso Deo missi: & vt deinceps esset paratus accipere quemlibet accedentem & volentem. Manè ergò cùm pulchram illam accepisset fraternitatem & cognationem, vt ei iusserat visio, dicit Cosmæ: is enim erat primus ætate inter fratres: Sic ego quidem feci, vt mihi à Deo iussum fuerat,& vos hîc introduxi. Nunc autem par est, vt tu iuniorem ex fratribus Gabrielium intra cellam contineas, & nequaquam ei exire permittas. Est enim res valdè periculosa & insidiosa aliorum oculis muliebris adspectus,qui est adeò leuis & politus.Deindè nonnulla quoque ei aperuit ex iis quæ erant euentura: Non arbitror,dicens,te longo tempore hîc vitam acturum: sed tibi propediem committetur præfectura ecclesiæ,quæ est Scythopoli. Sed hæc quidem facta sunt propter eorum susceptionem.

[i] Tres fratres veniũt ad Euthymium,& fiunt monachi.

Post

[a] Item complures alii.

POST [a] eos autem seipsum permisit omnibus ingredi volentibus, & erat ad excipiendum deinceps paratissimus. XXX. Nam excipit quidem quendam Domnum, ex Antiochena quidem ciuitate profectum, patruelem verò Iohannis, qui illi præerat ecclesiæ. Suscipit autem tres quoque alios, fratres genere, patria Melitenos, consobrinos illius Synodij, qui cum Acacio nutriërat Euthymium. Erant autem eis nomina, Stephanus, Andreas, & Gaianus. Post eos verò Iohannem quoque ex Raitho Presbyterum, & Anatolium, & Thalassium. Deinceps autem Cyrionem quoq; quendam ex Tiberiade, qui ipse quoque erat presbyter templi, quòd Scythopoli martyri positum est Basilio. Cùm eos ergò suscepisset, Petrum adhortatûr Episcopum, vt eis paruas quasdam cellas construat, & eis templum scitè adornet: & sic breui illic Lauram [b] constituit, quæ ea, quæ est in Pharam, nihilo erat inferior. Deindè verò ipse quoque Iuuenalis Patriarcha cùm sanctum Passarionem, qui tunc erat Chorepiscopus, & Hesychium accepisset Presbyterum, accedit ad Lauram, & [c] templum, quod est illic, dedicat, cùm natus esset Euthymius duos & quinquaginta annos. Diaconos quoque ordinat Domitianum & Domnum, cùm iam in Presbyterorum sortem relati essent Iohannes & Cyrion. Propter hæc magnus gaudebat Euthymius, & animi tranquillitate plenam habebat animam: & maximè quòd Passarionem cum Patriarcha, & diuinum Hesychium, qui in reliquo eorum, qui se exercebant, choro erant insignes, in Laura degentes cerneret. Sed sanctus quidem Passarion, cùm nondum septimum mensem ab illo tempore transegisset, è viuis excedit in profunda senectute.

[b] Lauram condit.

[c] Templum dedicatur.

CÙM hic autem magnus & admirabilis Euthymius, & qui cum eo erant fratres, in illa Laura premerentur magna XXXI.
Psal.144. rerum necessariarum inopia, Dei prouidentia non abiecit curam suorum: & manus, quæ aperitur & implet omne animal benedictione, admirabili cura tunc quoque aperta est. Accidit enim, vt multitudo Armeniorum, quæ non erat pauciorum quàm quadringentorum numero, ad Iordanem à sancta ciuitate descendens, dextera de via declinaret, perinde ac aliquo eis iter præeunte, & ad Lauram illam accederet: hoc, vt arbitror, sapienter dispensante & administrante prouidentia, vt magna illius Patris virtus adhuc clarior euaderet. Quos cùm magnus ille illuc vidisset diuertisse, vt se à labore itineris aliquantisper recrearent, vocat Domitianum, cui ab eo fuerat credita illius Lauræ dispensatio, & iubet vt eis mensam apponat. Cùm is autem proferret egestatem, & respondisset se ne vnius quidem diei fratrum habere alimentum, ille eo fretus, qui viduæ copiosum suppeditauit nutrimentum propter abundantiam bonæ
3. Reg. 17. eius voluntatis, iubet Domitianum ire ad arcam panariam. Scies enim, inquit, quid sibi quidem volunt humanæ cogitationes, quid autem diuina possit gratia dispensare ac prouidere præter opinionem. Ille verò cùm statim cessisset & accessisset, (ô inexplicabilia tua Christe miracula) inuenit diuina quadam & sapiente prouidentia domum pane
[d] Panes diuinitus aucti. [d] adeò plenam, vt ne facile quidem esset parum aperire ostium, vt quòd prohiberetur propter eam, quæ intus erat, multitudinem.

Præclarum sanè miraculum. CÙM [e] ergò alios quoque fratres vocâsset, & vnà cum eis ostium euertisset, videt ea quæ erant intus, nempe XXXII. quandam, quæ narrari non potest, panum multitudinem, & magnam quoque vini & olei copiam, & omninò conuenientem Euthymij egregiæ in dando beneficentiæ. Hæc cùm vidisset Domitianus, & coniecisset id esse diuinæ gratiæ operationem, procidit ad pedes magni Euthymij, petens ab eo veniam, sordesque & parcitatem vehementi rependens pœnitentia. Ille autem cùm Domitiano benevolam & mentem & manum porrexisset, ô fili, inquit, Qui seminat
2. Cor 9. in benedictionibus, in benedictionibus quoque metet. Qui itaque accedentibus commune tectum præbent & salem, imprudentes sibi potius comparant copiosam suppeditationem: vt qui non tantum dent, quantum accipiunt. Quod quidem à vobis quoque est seruandum ô fratres, si Deo estis gratificaturi, & rerum necessariarum vobis benignè suppeditatam copiam consecuturi. Hinc constitit bonorum, vt dicitur, cumulus: cœpitque prospera & felix esse Laura, & eius amplificari multitudo: & deductus est fratrum numerus ad quinquaginta, & vnicuique eorum fuit ædificata [f] cella, & quotidiè sacra peragebantur mysteria.

[e] Missa quotidiana.

CÙM autem animo agitaret is, cui credita fuerat dispensatio, tantæ fratrum multitudini magno quoque opus so- XXXIII.
re ministerio, Lauræ quoque mulos parauit. Erat autem quidam in ea, genere Asianus, nomine Auxentius, qui erat aptus ad seruiendum mulis. Is cùm ab hoc OEconomo rogaretur, vt hoc subiret ministerium, differebat, & non obediebat. Cùm res verò esset necessaria & vtilis, Iohannem quoque secum accipiens & Cyrionem presbyteros OEconomus, rursus rogabat cum eis Auxentium. Cùm autem sic quoque minimè audiret, & iam aduenisset sabbatum, quo tempore licebat magnum conuenire Euthymium, omnia de Auxentio ei refert OEconomus. Et ille quidem fratrem statim accersit: suadet autem vt obediat, & nè sit vsqueadeò contumax & inobediens, & propriam sequens voluntatem, & quod est communiter fratribus vtile, recusans ministerium. Cùm is autem nec adhortationem, nec talem eius adspectum esset reueritus, sed sic quoque apertè recusaret, & quem non prætextum afferret, vt solam voluntatem in sua esse potestate ostenderet: & nunc quidem causaretur, se esse alienigenam, nec peritum sermonis illius regionis: Nunc autem carnis insidias & varias maligni artes: nè si fortè, inquit, me à vestris oculis remotum inuenerit, supplantet, & exerceat suæ opus malitiæ: & præterea, nè assuefactus curis & tumultibus, permaneam de cæterò discrepans & alienus à quiete & animi tranquillitate. Cùm hæc diceret, & animæ damnum, vt quod ad mouendum satis esset, proferret: magnus rursus Euthymius, Sed Deum, inquit, rogabimus ô fili, vt propter tuam obedientiam à nullo ex iis,
Matth.20. Ioan.5. quæ lædunt, capi possis. Eius enim vox est: Non veni ministrari, sed ministrare: &, Non facio voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris.

[f] Pœna inobedientis monachi.

CÙM ex his autem adhuc magis irritaretur Auxentius, & nequaquam cederet, grauius in eum inuehens diuinus XXXIV.
Euthymius, Nos quidem, ô fili, inquit, quod tibi ipsi quoque esse conducibile videbatur, consuluimus: tu autem in eadem manens inobedientia, mox scies, quisnam sit fructus [f] inobedientię. Eorum, quæ dicta sunt, nondum finem fecerat, & agitationem motumque corporis nescio vndenam passus Auxentius, miser in terram decidit, solis dignus lachrymis propter calamitatem. Qui verò aderant ex fratribus, fractis eorum animis ex eo, quòd is esset tam miserè affectus, rogabant Euthymium, supplicabant, obsecrabant, vt iacenti opem ferret, & qui satis graues pœnas luerat inobedientiæ. Is autem, vt erga adeò contumacem & inobedientem eis obediret, præstò fuit: & cùm suis accepisset manibus, adhuc tremebundum facit surgere Auxentium, & pendentem pœnas per omnia ferè membra corporis. Deindè
[g] Crucis signo sanatur. cùm etiam veluti quoddam medicamentum crucis [g] signum ei immisisset, soluit hominem ab ea affectione, & eum reddit sanum protinus. Cùm itaque ad se redisset Auxentius, & ei in mentem venisset inobedientia, & affectionem quoque intellexisset, quæ ei incubuerat, & non ignorâsset id esse opus solius inobedientiæ, maiores luebat pœnas à conscientia, & eum vehemens quædam subiit pœnitentia: certè ad pedes quoque procidit Euthymij, partim quidem petens veniam eorum, quæ fecerat, partim autem in futurum securitatem. Cùm is verò ei statim ignouisset (Nam qui
[h] Facit lubens, quod iubetur. *Esa. 28.* [h] vix tandem ad iram conuersus fuerat animus, quemadmodum non erat promptè cursurus ad commiserationem, & ei in futurum cauturus per orationem?) ille lubenter promptoque & alacri animo suscipit mulorum ministerium. Ità disciplina Domini, vt dicam cum diuina scriptura, & aures aperit, & planè adijcit intelligentiam: & qui deliquerat, priusquàm deprimeretur, humilisque redderetur, inobedientia, post humilitatem & disciplinam, acceptam, cognitus fuit promptus ac paratus ad obedientiam.

[i] Cyriacus

Hæc mihi narrauit [i] Cyriacus Anachoreta: ille, inquam, Cyriacus, qui ab ineunte quidem ætate tonsus fuerat in XXXV.
cœno-

cœnobio Euthymij: postquàm autem cum eius successorib 3s satis longo tempore esset versatus, & ab eis omnem eius exercitionem & vniuersum eius vitæ institutum accurat[a] didicisset, postèa in Laura veteris Sucæ septuaginta ferè totis annis se exercuit, omni virtute & honestæ vitæ rectè factis illustris. Illud autem ipse quoque mihi narrauit, quòd duo quidam ex fratribus, Maro & Clematius, asperam illam & difficilem in Laura agendo vitam defessi, inter se conuenerunt, vt illinc clanculum effugerent, & se noctù furtim subriperent. Hæc illi quidem inter se loquebantur, & apud se cogitabant. Sed qui secreta aperit, & ijs, qui sunt sibi dedicati, dicit per Esaiam: Non erit tibi amplius sol in lucem dici, neque ortus lunæ illuminabit tibi noctem: sed erit tibi Dominus lux æterna: ipse hoc quoque suo aperit famulo. Sic autem facit: Silenti enim ac quiescenti aliquando huic magno & admirabili Euthymio, visus [a] est malignus, Maroni & Clematio, tanquam sancti oculis subiectis, frænum injcere, & eos in laqueum trahere grauissimum. Is verò cùm statim conicciisset insidias, accersit fratres Maronem & Clematium, eis suadens, admonens, rogans, docens, differens, prolixam orationem habens de tolerantia, & quòd vbique opus sit diligenti custodia & cautione. Deindè eis etiam Adæ & Iobi exemplum adducens: ex quibus alter quidem in paradiso præceptum non seruauit, alter verò omne genus virtutis ostendit in sterquilinio. Neque hæc prætermittens, quòd oportet monachum non admittere cogitationes, quæ à maligno suggeruntur: siue illæ tristitiam, siue odium, siue iniustitiam, siue in alium locum migrationem subijciat: & nec ab initio ei omninò animum adhibere, sed ea tota manu repellere & reijcere, ne fortè nos imprudentes per insidias supplantet, & in casum præcipitet lachrymabilem. Si quis autem hîc fortè non possit virtutem exercere, ne existimet, si aliò transiuerit, id cuius studio tenetur, alibi posse facilius & rectius gerere. Non enim ex loci natura, sed ex libero nostri animi instituto boni fit operatio. Contra autem hoc est & periculosum monachis, & quod eos potest reddere imbecillos & virtutum carentes fructibus. Nam nec planta quidem potest ferre fructus, quæ assiduè transplantatur.

ab ineunte ætate monachus.

Esa. 60.

[a] Visio S. Euthymij.

Genes. 3. Iob 2.

XXXVI. A D [b] maiorem verò fidem eorum, quæ dixerat, eis quoque narrabat de quibusdam senibus Ægyptijs. Dicebat ergò, fuisse quendam fratrem in Ægypto, qui in quodam residebat cœnobio. Is cùm ad iram assiduè moueretur, efferebatur & conturbabatur, acerbitateque & indignatione os eius implebatur. Cùm eum autem quædam subijsset pœnitentia, quòd propter hanc iram & facilitatem ad perturbationem secum bellum gereret: & si quid boni iam ante acquisijsset, id quoque perderet: ei persuadet, vt recederet à cœnobio, & solus per se quietè viueret, vtpotè quòd solitudo ei multùm conduceret ad tranquillitatem, & ad vacuitatem perturbationis. Existimabat enim, quòd si nullus esset cui irasceretur, & in quem vti posset indignatione, omninò sensim extingueretur vehemens ille & qui citissimè accenditur ignis iracundiæ: futurusque esset deinceps mitis & mansuetus, & tranquillitate omni plenus & quiete. Cùm ille autem hæc apud se esset ratiocinatus, discessit deinceps à cœnobio, & solus vitam egit in quiete & silentio: & cùm aliquando propter vsum aliquem aqua implêsset poculum, & id humi aliquantisper voluisset deponere, arte quadam maligni id est euersum. Quod quidem cùm non semel, sed bis & ter deinceps factum esset & iratus est frater, & cùm ab iræ impetu victus esset statim ita vt habebat, humi deiecit poculum, & confregit: & sic ab inimico maiori & vehementiori habitus est ludibrio.

[b] Exemplũ iracundi monachi, & locum temerè mutantis.

XXXVII. A D hæc ridet quidem Clematius, vt cuius delectatus esset animus lepida narratione. Cùm id autem diuinus animaduertisset Euthymius, Nunquid, ait, tu quoque, frater, motus es à malo aliquo dæmone, quòd tam inuerecundè rides & tam impudenter, cùm oporteret potiùs deflere eum, qui illius admittit fluationem, si verum dicit, qui tunc noster est iudex futurus, Beatos quidem appellans, qui lugent, quoniam ipsi quoque, inquit, accipient consolationem: miseros autem eos qui rident, & sibi non adhibent animum? Et alioqui apertæ est insaniæ, & quòd disciplinæ sit ignarus, argumentum, si [c] monachus loquatur supra modum, aut ad quodlibet moueatur, aut etiam in loquendo nimis profusa vtatur licentia. Patres etiam vocant licentiam planè matrem omnium vitiorum. Cùm ille sic quidem increpasset Clematium, ingressus est in interiorem cellam: eum verò euestigiò persecuta est vltio, pronusque in terram cadens, agitabatur tremore & horrore. Domitianus autem cùm sic iacentem vidisset Clematium, & simul quidem Euthymij mansuetudinem & austeritatem esset admiratus, quòd scilicet in eo optimè essent contemperatæ: & simul etiam misericordia esset ductus eius, quod fratri acciderat, congregat aliquos ex patribus, qui pro eo essent intercessuri, & eos vnà cum Marone introducit ad Euthymium. Ille autem cùm & suapte natura esset propensus ad misericordiam, & illorum intercessionem minimè despiceret, vnà cum eis accedit ad iacentem Clematium, eiusque horrorem extinguit [d] signo crucis, & statim sistit tremorem, & præbet perfectam ab illa affectione liberationem, Attende tibi ipsi, dicitans, & noli contemnere patrum doctrinam & admonitionem: sed efficere totus oculus, sicut de Cherubim audiuimus, teipsum omni ex parte circumspiciens, vt qui semper transeas in medio laqueorum. Hæc cùm suasisset & suggessisset Clematio, & eius exemplo alios fecisset cautiores, eum dimittit in pace. Sed hoc quidem est eiusmodi, non minùs est autem id quoq;, quod deinceps sequitur: si non sit multò etiam maius & lepidius.

Matth. 5. Luc. 6.

[c] Loquacitas in monacho vitiosa.

[d] Signo crucis sistit tremorem Clematij.

XXXVIII. C V M magna & œcumenica Synodus Ephesi tunc primùm congregaretur, Synodius, qui cum Acacio fuerat magister huius magni Euthymij, cùm esset adhuc puer, postquam venisset in Palæstinam ad adoranda loca venerabilia, accedit etiam ad Lauram quinquagesimo & quarto anno ætatis magni Theodosij: partim quidem illum ipsum visurus Euthymium, partim autem suos quoq; consobrinos Stephanum, Andream & Gaianum salutaturus. Cùm autem vidisset Euthymium, ei quidem narrauit de valdè impia hæresi [e] Nestorij, qui impiè (ô iustitia & pudor sacerdotum!) paruo tempore præsedit Constantinopoli, & prophanis suis & corruptis dogmatibus totum ferè orbem terræ conturbauit. Exposuit verò ei quoque de Cyrillo Alexandrino, & Acacio Meliteno, quemadmodum acrem & vehementem zelum ostenderent pro fide orthodoxa: & quòd œcumenica Synodus esset mox Ephesi congreganda aduersus illum impium. His ergò sic dictis à Synodio, animo lætatus est Euthymius, cùm talia audiuisset de Acacio, ad quem ventitabat cùm esset puer, & à quo fuit institutus in literis. Deindè verò cùm ei valedixisset Synodius, discedit è Laura, assumens Stephanum consobrinum, & abit in sanctam ciuitatem, & persuadet ei, cui commissa fuerat Ecclesiæ administratio, vt Stephanum quoque cooptaret in numerum suorum diaconorum. Ille autem vnà cum eo ordinat etiam Cosmam Cappadocem, & vtrumq; refert in catalogum chori Diaconorum.

[e] Nestorij hæresis.

XXXIX. C V M autem iam vndique congregarentur Episcopi ad [f] Synodum, & illuc quoque mox conuenturi essent Episcopi Palæstinæ, iubet magnus Euthymius Petro Episcopo Saracenorum, vt accederet Cyrillo Alexandriæ & Acacio Miletenes Episcopis, & quæ eis viderentur, se quoque illis assentiri. Ille verò peracta Synodo reuersus ad Euthymium ei omnia singulatim exponit, quæ in ea euenerunt, & quonam processerint. Is autem cùm & alia didicisset ex ijs, quæ facta fuerant ab Episcopis Orientis, & quòd Iohannes, qui præerat Antiochiæ, cùm esset Orthodoxus, inductus esset, vt eadem sentiret quæ Nestorius, fuit graui tristitia cor eius sauciatum. Eodem modo affectus fuit etiam Domnus, illius consobrinus. Rogauit itaque Euthymium, vt ei permitteretur ire Antiochiam, vt auunculum suum, qui supplantatus fuerat, restitueret, & iam veluti iacentem erigeret. Ille autem cùm præuidisset non futurum illuc turum aduentum, sed ei potius inutilem & minimè conducibilem, Nequaquam, inquit, ô fili: non oportet te à Laura recedere. Neque enim ille tua opus habet præsentia. Sed etsi paululùm à recta fide declinauit, Deus tamen, qui nouit cor illius rectè se habere, ipse ipsum conuertet, & reducet ad id, quod benè erit. Et tu quoque ô fili, siquidem in quo vo-

[f] Synodus Ephesina cogitur anno 431.

catus es loco, in eo perpetuò manseris, proficies[a] & gloriam adipiscaris, veram, inquam, gloriam, & quæ ex Deo est, & quæ nunquam excidit. Sin autem his neglectis, & tolerantiæ contemptis cogitationibus, à Laura tentabis discedere, obtinebis quidem administrationem, quam tuus habet auunculus: sed eam rursus tibi auferent mali homines & præstigiatores, cùm ab illis prius seductus fueris ignoratione. Et hæc quidem, qui est in sanctis, Euthymius.

[a] Vides non debere monachum institutum suum deserere.

XL. Domnvs autem cum hæc mandata non multùm curâsset, proficiscitur Antiochiam, & nec vale quidem dixit sancto, & nec ei vllo modo suum significauit recessum. Cùm illic verò fuisset, omnia quæ ei prædicta fuerant, effectum sunt sortita: illeq; postea magna ductus pœnitentia, quòd non obedijsset, ad ipsum reuertitur, graui dolore visceribus cruciatus, & acerbè deplorans. Iuuenalis autem Stephanum quidem Melitenum ordinat Ismeniæ Episcopum: Cosmam verò Cappadocem refert in ordinem presbyterorum, & ei cruces tradit custodiendas. Hæc autem de eo relata sunt monacho Cyriaco à familiaribus eius & successoribus. Nobis autem Cyriacus omnia aperuit, quòd nemo eum vnquam viderit comedentem, nisi Sabbatho aut die Dominico, non cum aliquibus colloquentem, & nullo modo quempiam conuenientem, nisi fortè vsus aliquis postularet, vt eum conueniret: nunquam super latus cubantem, sed nunc quidem sedentem, & parum oculis conuenientem, nunc autem funem, qui ab aliquo angulo tecti cellæ dependebat, ambabus tenentem manibus, & sic somnum aliquem moderatè gustantem, illud fortè magni [b] Arsenij dicentem: Adesdum serue nequam. Affirmabat enim eum quoq; fuisse æmulatorem Arsenij: Arsenij, inquam, qui in patris quibusdam moribus educauit & instituit Archadium & Honorium Imperatores: & ideò patris appellatione à sanctis scilicet patribus, est appellatus: postea autem in solitudine Ægypti fuit insignis virtutibus.

[b] Arsenius Abbas.

XLI. Hvnc ergo diligenter admodum imitabatur [c] Euthymius, & ijs, qui ex Ægypto veniebant monachis, & de illius vitæ instituto aliquid referebant, animum libenter adhibebat, & suæ animæ quibusdam veluti tabulis bona illius curabat inscribere, illiusq; quietem & humilitatem & eius imitabatur silentium: præterea autem vestitus quoq; humilitatem, & ventris abstinentiam, vigilantemq; & attentum eius animum & sobrium, & illud, quod ab eo dicebatur, Arseni, cur egressus es? Compunctionem autem quomodo? Lachrymas, nocturnasq; vigilias, illumq; amorem solitudinis, & cum nullo conuersationem & præterea commiserationem, discernendi potestatem, in precatione alacritatem & constantiam, & eius in omnibus insignem fortitudinem? Num autem, cùm sic illius vitæ imitaretur institutum, non etiam fuit dignus illius charismatibus? Aut fuit quidem, sed non paribus? Nequaquam: sed etiam illum re vera superauit in aliquibus. Verumenimuerò alijs interim omissis, quemadmodum futura cognouit & prædixit, veridicè ostendemus.

[c] Euthymius in se exprimit virtutes Arsenij.

XLII. Evm videre valdè desiderabat [d] Anastasius, cuius fidei credita erat custodia sacrorum vasorum sanctæ resurrectionis, eratq; Chorepiscopus, fuitq; simul discipulus & imitator sancti Passarionis. Cùm ergò teneretur tanto eius videndi desiderio, Phido Ioppes Episcopo, & Cosmæ, cuius munus erat custodire cruces, illam pulchram communicat cupiditatem. Cumq; eos assumpsisset, quinetiam alium quoq; Phidum, Phidi Episcopi nepotem, (erat autem is adhuc ætate iuuenis, & in chorum Lectorum cooptatus, qui etiam Cyriaco hæc tradidit & narrauit) eum eis proficiscitur ad magnum Euthymium. Postquàm autem fuerunt iam propè Lauram: ab alijs quidem, cùm nondum peruenissent, ignorabantur: Euthymio verò arcano quodammodo eos aperuit spiritus. Cùm ergò statim vocâsset Lauræ œconomum Chrysippum, Sint, inquit, tibi parata, quæ sunt ad accipiendos hospites necessaria. Ecce enim simul cum fratre tuo ad nos venit etiam patriarcha. Cùm autem ipsi iam aduenissent, diuiniore quadam contemplatione magnus correptus [e] Euthymius, colloquebatur, & differebat cum Anastasio, tanquam cum Patriarcha Hierosolymorum. Atque qui aderant quidem omnes admirabantur: Chrysippus verò ipse quoq; obstupefactus, & ad aurem se inclinans Euthymij, Sed non est apud nos, inquit, Patriarcha ô venerande pater: Hic autem est sacrorum vasorum custos Anastasius. Vides quisnam sit eius vestitus? ostendens eius vestes, eæ autem erant splendidæ & sericeæ: quas quidem, inquit, non est fas Hierosolymorum Patriarcham induere. Cùm aliquo autem tempore se repressisset senex, & veluti ad se redijsset, Sed mihi crede, fili, inquit: Hunc vidi candida veste indutum, & quali decet indui Patriarcham, & existimo me non esse deceptum. Sed quod Deus præsciuit, id ad finem quoq; deducet. Sunt enim eius charismata minimè pœnitenda. Ille ergo hæc quidem dixit multis audientibus, & consecutus fuit rerum euentus.

[d] Anastasius custos sacrorum vasorũ

[e] Euthymius spiritu prophetico ventura indicat

XLIII. Terebon ille, qui erat genere Saracenus, cum vxore habitans sterili, non gignebat liberos, quod quidem planè efficiebat vitam ei minimè vitalem, eratq; causa doloris minimè tolerabilis. Accedit itaq; aliquando cum vxore ad admirabilem Euthymium, rogans, supplicans, quid non faciens ex ijs, quæ possunt mouere ad misericordiam, vt is ex natura solueretur defectus, & ei aperiretur matrix ad pariendum. Ille autè cùm ter eis iniecisset [f] signum crucis, & deindè lapideum illum ventrem tetigisset, Abite, inquit, læti in Domino. Is enim vobis concedit, vt cernamini patres trium filiorum. Illi verò in sermone, tanquam in re ipsa collocantes fiduciam, recesserunt pleni gaudio. Iam autem partûs quoq; tempus aduenerat, & primùm quidem parit Petrum quendam, patrem Terebonis, qui Euthymij familiaribus hæc verè & apertè narrauit. Cùm verò post hæc multum intercessisset temporis, veridicum Euthymij promissum alios quoq; duos fratres præbuit Tereboni.

[f] Vide crucis signi efficaciam.

XLIV Frater erat in Laura, Romanus genere, nomine [g] Æmilianus, qui bonam vitam exercebat, modestiamq; ac moderationem vel maximè ex ipsa amplectebatur adolescentia. Ei noctù aliquando, cùm esset dies Dominicus, inimicus ex carne bellum graue commouit. Cui cùm desperâsset se posse perpetuò resistere, cessit & succubuit cogitationibus. Cùm ita se haberet, & ab ea perturbatione animi obsideretur, manè fit obuius sancto, venienti ad synaxim. Ex eo autem quidam teter odor exibat, qui grauem illam animi perturbationem illi magno significabat. Cùm eum ergo diuinus esset odoratus Euthymius, & cognouisset insidias, increpat malum dæmonem, qui ei exhibebat molestiam. Et statim frater quidem humi iacebat, seipsum conuellens, lacerans & agitans, & spumam ore expuens. Ad eum autem multi quoq; conuenerunt monachi. Cùm itaq; lumen magnus iussisset afferri Euthymius, propterea q̃ esset locus obscurus & tenebrosus, Videte fratrem, ô patres, inquit eis, quemadmodum cùm ab ineunte ætate in virtute viueret, & temperantiæ curam ageret, nunc vexetur propterea, quòd parum cesserit impudicis carnis cogitationibus. Efficiamini ergo illo meliores, & ex supplicio illius lucrifaciatis. Cæterùm Deum, inquit, rogemus, vt is à talibus liberetur insidijs. Et ille quidem statim pro fratre est precatus. Locus autem fuit statim totus tetro odore plenus, veluti ardentis cuiusdam sulphuris, & tetrum illum odorem vox est consecuta: Ego sum, dicens, spiritus fornicationis, & deindè surrexit frater temperans & sanæ mentis, vt qui ex ipso tempore sit ipse factus, sicut diuinus Apostolus vas electionis.

[g] Æmilianus infestatur à fornicationis spiritu.

XLV. Circa illud autem tempus cùm [h] terra laboraret siccitate, propterea quòd non plueret, adeò vt esset quidem cœlum super caput, prout dictum est, æneum, terra autem subtus ferrea: & quæ erant in Laura cisternæ, essent intus aridæ & plenæ puluere: valdè afflictabantur fratres, & cum magno accedentes Theoctisto, magnum rogabant Euthymium, (sciebant enim, quanta eius esset apud Deum fiducia) vt cœlum per preces aperiret, & illinc aquam ad eos deportaret, qui siccitate mirandum in modum laborabant. Ille autè id non in animum inducebat, eam rem vocans Dei disciplinam & inflammationem inuectam propter peccata. Viæ enim tuæ, inquit diuinus Hieremias, & tua studia hæc tibi fecerunt, & propterea fortè ne me quidem exaudiet rogantem eius benignitatem. Nè ores enim, inquit, rursus

Deut. 28.

[h] Magna terræ siccitas.

Ierem. 4.

rursus idem Propheta, pro hoc populo, & nè roges pro eis, quoniam te non exaudiam. Et hæc quidem D. Euthymius, differens de eo Deum rogare, propter suam insignem modestiam. Cùm autem intenderetur flagellum, siccitasq; & pluuiæ inualescerent defectus, & deindè etiam vici, qui erant circumcirca, grauiori premerentur necessitate: quoniam erat dies octauus sanctorum Theophaniorum, & iam aduenerat dies præfinitus, quo is exibat in vastam solitudinem, innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo, cruces [a] habens in manibus, & Kyrie eleyson, id est, Domine miserere, de more, non ore solùm, sed labris quoq; cordis inuocans. Ille autem illorum flexus precibus, ad eos egreditur. Mihi quidem, dicens, ô filij nullâ est ad Deum fiducia, & eum liberè alloquendi audacia, vt qui sim peccator, & plus quàm vllus alius, eius opus habeam clementia: & maximè tali eius in nos iræ tempore, nimiæ fuerit meæ audaciæ, Deo preces offerre, qui, vt ait diuinus Esaias, dat panem afflictionis & aquam angustiæ: Qui aperiet, & non erit qui occludat: & claudet, & non erit qui aperiat. Peccata enim nostra inter ipsum & nos separant. Inquinauimus eius imaginem, templũ polluimus, seruiuimus libidinibus & varijs voluptatibus, inuidiæ & auaritiæ hæremus: ei exosi euasimus, dum alter alterum odimus. Verumenimuerò quoniam benignus & clemens est nobis Dominus, qui sola indiget occasione, & abundè protinus omnem effundit misericordiam, supplices ei procidamus, & eum vehementer oremus: & scio fore, vt nobis ignoscat, & quod suum est faciat, & nobis decernat irrigationem, & nostri paternam curam gerat. Est enim prope Dominus omnibus inuocantibus eum, inquit diuinus Dauid, in veritate. Eo autem adhuc loquente, illi veluti vna lingua & voce respondentes, Ipse, dixerunt, ora pro nobis ô pater. Voluntatem enim eorum, qui ipsum timent, facere nouit omninò Dominus.

Ierem. 7.

[a] Nota hîc antiquitatem litaniarum. *Esa. 30.* *Esa. 22.* *Esa 29.*

Psalm 44.

XLVI. CVM hæc & quæ sunt eiusmodi, non posset diuinus despicere Euthymius, & populo quidem præcepisset, vt intensè orarent, ipse autem assumpsisset ex monachis eos, qui erant præsentes, ingreditur cum ipsis oratorium: cumq; seipsum humi proiecisset, Deum [b] orabat cum lachrymis. Deus verò exaudijt orationem, statimq; audiebatur quidam sonus vehementis spiritûs, & aër implebatur nubibus, & erumpebãt tonitura, vehemensq; magno impetu cadebat pluuia, & affluentibus aquis, terra inebriabatur. Cũ ille ergò humo surrexisset, & se turbis ostendisset, Eccè, inquit, Dominus vestris precibus exauditis, visitauit terram sua visitatione, & eius sulcos inebriauit, & vt eam ditaret, multiplicauit. Benedicet autem coronam anni huius supra alios, & implebuntur quidem campi pinguetudine: pinguescent verò speciosa deserti, & valles multiplicabunt frumentum, & accingentur colles exultatione. Ille autem cùm hæc dixisset, dimittit multitudinem, mox verò secutus quoq; est euentus prædictionis, & terra lætata est, in suis visceribus germinans. Illa certè vehemens pluuia vsqueadeò deorsum cecidit, vt eum diù prohibuerit, quo minus secederet in solitudinem. Quid ergo? Hæcne sufficiunt ex bonis Euthymij? an pijs damnum animis afferemus, si bonorum illius factorum reliqua prætermiserimus? Sunt ergo illa quoq; narranda, quæ mihi Iohannes, silentiarius, inquam, & Episcopus, & Thalelæus presbyter (ij autem adhuc in Laura beati Sabæ se exercentes adsunt) tradiderunt.

[b] Precibus impetratur diuinitùs pluuia.

Psalm. 64.

XLVII. DICEBANT enim, quòd & multis alijs, & ipsi quoq; diuino patri Sabæ hic vir admirabilis fuit admirationi: quòd scilicet cùm tanta esset eius moderatio & lenitas, pro rectis Ecclesiæ dogmatibus tantum zelum attulerit, vt idem revera esset mitis & pugnator: & vt semel dicam, aduersus omnes quidem, qui non rectè sentiunt, magno erat & ardenti zelo: maximè autem [c] Manichæos, & eos qui nugas tuentur Origenis. Qui cùm multi tunc essent in locis, quæ sunt circa Cæsaream, & ad ipsum etiam venirent pietatis prætextu, erat tanquam leo aduersus vulpes, sermone inexpugnabilis, & qui sustineri non poterat: quæ ex diuinis scripturis sumebantur demonstrationibus, eos validè comprimens & suffocans: & vt ait Hieremias, vt ipsi ex gloriatione afficerentur pudore, efficiens, quæ apud eos fabulis iactatur, præexistentiam & restitutionem omnibus viribus euertens & deprimens. Quinetiam aduersus eos, qui Arrij & Sabelli laborabant insania, ingentis erat spiritûs, & eos, vt ait Propheta, perfecto persequebatur odio. Septuagesimo autem & quinto anno ætatis magni Euthymij, congregata fuit [d] Synodus Chalcedone, in quam omnes ferè totius orbis terrarum vndiq; conuenerunt Pontifices. Eos enim ad conueniendum vocabant, quæ Ephesi scilicet innouata fuerant, à Dioscoro, inquam, Alexandrino, quem simul cum ijs, qui illius tuebantur dogmata, è sacris eijciunt catalogis, & accuratum fidei decretum exposuerunt. Ei autem synodo insignis quoq; Euthymij discipuli intererant, Stephanus Iamneæ, & Iohannes Episcopus Saracenorum, cùm Petrus quidem iam è vita excessisset: qui eum autem secutus est Auxolaus, Dioscoro accessisset, & ideo magno, proh dolor, Euthymio inuisus vitam finijsset. Ij ergo, Stephanus scilicet & Iohannes, cùm Synodo interessent, quoniam fidei decretum iam erat mandatum literis, iter statim arripientes, quàm potuerunt celerrimè accedunt ad Euthymium. Quanam de causa? Volentes scire, an ipse quoq; consentiret ijs, quæ scripta fuerant. Non mediocriter enim eos terrebat id, quod Auxolao acciderat: neq; sciebant an assentirentur, an differrent, priusquam scirent illius sententiam. Postquam autem ille legisset, & quæ scripta erant, rectè se habere inuenisset, & concinere rectæ regulæ veritatis, peruasit repentè fama totam solitudinem, quòd magnus quoq; Euthymius sequatur Synodum Chalcedonensem.

[c] Manichæos & Origenistas auersatur Euthymius.

Psalm. 138.

[d] Synodus Chalcedonensis an. 451.

XLVIII. HOC autem omnes propemodum monachos ad eam attraxisset, nisi quidam [e] Theodosius, habitu quidem monachus, moribus verò præstigiator importunissimus, & mente corruptissimus, veniens in Palæstinam, cùm de dicta Synodo quædam improbè confinxisset, quòd euerteret quidem dogma rectæ fidei, introduceret autem vel potiùs reuocaret dogmata Nestorij, cepisset Eudociam, quæ tunc versabatur in Palæstina. Per ipsam autem induxit omnes monachos: & deindè etiam sedem Hierosolymitanam inuerecundè, ô iustitia, & impudenter inuadit, & cùm ex potestate accepisset facultatem, bellum gerit aduersus diuinos canones & leges: hincq; factum est, vt homines probi & moderati, à sedibus & sacris expellerentur, & nonnulli etiam ab eo interimerentur, & manus sceleratas Pontificum sanguine proh dolor pollueret: malefici autem & præstigiatores, & pestes, & carceribus potius digni quàm sedibus, sacrorum interpretes crearentur & sacerdotes, & apud hunc sceleratum & exitiosum hominem magnam assequerentur potentiam. Cùm verò ipse sic haberet omnes monachos à se pendentes, & eos duceret quò vellet, ij soli, qui erant magni sectatores Euthymij, fugiebant eius communionem, tanquam aliquod scelus & piaculum. Quoniam autem eum quoq; tentabat impius Theodosius, & ad se accersebat, illo ne ipsius quidem sermonem audire sustinente, rursus ad eum mittit legationem, Elpidium & Gerontium: quorum vnus quidem magni Passarionis, alter autem beatæ Melanes erat successor, rogantes vt si ad ipsum nollet venire, conuenirent tamen vterq; in locum aliquem, & de ijs, quæ vterq; haberet, inter se differerent. Ille verò ad hæc grauiter exclamans, Absit: inquit, vt aut iniustè fuso sanguini sacerdotum, aut hæresi communicem cum Theodosio. Illi autem, sed necesse est, inquiunt, vt tu communices Nestorio, quoniam & is duas tuetur naturas: quod quidem ne in hodiernum quidem diem ab aliquo accepimus, & eum secuta est Chalcedonensis Synodus.

[e] Theodos. pseudomonachus oppugnat Synodũ Chalcedonens.

Nota calumniam.

XLIX. MAGNVS autem respondens Euthymius, Quæ ab ea quidem Synodo sunt statuta, nondum, inquit, singulatim consideraui omnia: sed quod attinet ad decretum ab eis expositum, non possum ea, quæ illi visa sunt, reprehendere. Statuit [f] enim ipsa quoq; sequi sententiam trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui Niceæ conuenerunt: & suadet amplecti Synodum centum & quinquaginta patrum, qui congregati fuerunt Constantinopoli: & iubet eos sequi, qui Ephesi conuenerunt aduersus impium Nestorium. Cyrillum autem Alexandriæ Episcopum sibi adiungit, tanquam qui sit eiusdem sententiæ, & rectæ sententiæ fatetur esse magistrum. Deiparam sanctam virginem libera

[f] Quatuor primariæ Synodi vniuersales.

bera lingua nominat, & vnigenitum Dei filium ex ea natum esse asserit: sine tempore quidem & sine corpore ex patre, in tempore autem & secundùm carnem ex matre vnum CHRISTVM, qui à nobis inconfusè, immutabiliter, citra diuisionem in duabus naturis cognoscitur: & propter eos, qui audent quandam inducere diuisionem in inexplicabili & arcana vnione, quæ in hypostasi seu persona facta est in vtero: & eos, qui per conuersionem dicunt carnem factam esse Dei Verbum, & vnigeniti carnem asserunt esse eiusdem essentiæ cum diuinitate: & alioqui propter eos, qui non confitentur verbi factam esse carni vnionem in hypostasi, sed per confusionem & coalescentiam, & deinde etiam συνάϊσιν, hoc est, simul iunctam essentiam, impiè & prodigiosè affirmant, qui quidem diuinitatis & carnis dicunt vnam fuisse naturam, adeò vt si ea spectentur, quæ ab illis dicta sunt præter rationem, non possit seruari id, quod est Christi patibile, propter diuinitatis impatibilitatem: neq; id quod est impatibile, propter patibilitatem ipsius humanitatis. Conuenienter ergo instituto huius rectæ sententiæ, illud, In duabus naturis decreto additum est à Synodo: non tanquam seorsum & per partes Christum diuidens, sed eundem in vtroq; *confitens, & vtrunq; in eodẽ.

* continens habet Bar.

HÆc persequente Euthymio, laudabat quidem Elpidius, & fatebatur rectè habere, quæ dicta fuerant, etiamsi non recesserit à communione Theodosij, & statim ostendit mutationem: Gerontius autem manebat in eâdem sententia: & sic reuersi, minimè inter se consentientes, Theodosio responsa annuntiant. Cùm ille verò hęc audijsset, quoniam in Palæstina iam omnia obtinebat, maius studium adhibebat, vt eum in suam nassam traheret: magnoq; Euthymio assiduè tendebat laqueos, & eum inescabat, & quotidiè aliquos ad eum mittebat, qui bona scilicet suaderent & vtilia, nempè vt discederet ab ijs, quæ rectè & piè sibi visa fuerant: Theodosio autem assentiretur, & amplecteretur illius communionem. Ille verò, quòd ij quotidiè venirent, ægrè ferens, quid facit? Cùm qui sub ipso erant, omnes fratres conuocasset, & eis præcepisset, vt diligenter cauerent, vt nullo modo cederent, nec assentirentur malæ Theodosij sententiæ: sed potius ora obstruerent eorum, qui sic sentiunt, & pro viribus deducerent ad veritatem: nunc quoq; recedit in vastam solitudinem, cum effecisset, vt multi quoq; alij imitarentur secessum. Erat autem illic quidam magnus Anachoreta, qui nuper quidem venerat è Lycia, vocabatur verò Gerasimus: qui cum omne vitæ institutum, quod Monachos decet, in patria ostendisset, multos quoq; passus erat sudores aduersus spiritus nequitiæ. Is ergo cum pulchrè exerceretur in ea, quæ est ad Iordanem, solitudine, & sæpè dæmones percuteret, pulsatur ipse quoq;, vel potius supplantatur ab eorum improbitate, & abducitur ab hæreticis. Cum autem ab omnibus ferè Anachoretis audiret de Euthymio, ijsq;, quæ de eo sermone celebrabantur, aures haberet oppletas, aliquando ad eum venit in Ruban: cumq; eum eo diu esset versatus, & illius linguæ bibisset fluentum suauissimum, veluti quẽdam morbum euomit hæresim, & ad sanam fidem reuertitur, quòd deceptus esset, magna ductus pœnitentia, & cor vanis corruptum sermonibus, doloris stimulo castigans & puniens. Hunc autem ipsum alij quoq; cõsecuti sunt Anachoretæ, Petrus cognomine Gurnitis, & Marcus, & Iulon, & Syluanus: & ipsi quoq; Theodosij noxiam sectabantur communionem. L.

Theodosi⁹ impius venatur Euthymium.

Euthymius discedit in solitudinẽ.

Gerasimus Anachoreta post errorem redit ad sanam fidem.

CVM autem secundus post hæc annus interceSSisset, ex hominibus quidem excedit Theodosius: à Ruban verò ad Lauram redit magnus Euthymius, & aliquando quidem vno sabbathorum, ille quidem Deo ministrabat, & ei incruentum obtulit sacrificium: Domitianus autem adstabat ad dexteram cum mystico illo ventilabro, cum iam esset peragenda ter Sancti glorificatio, Terebonq; Saracenus, & Chrysippi frater Gabrielius, alter quidem propè, alter verò stans inter aram, (ô magnam Christe tuam in Euthymium gratiam) vident ignẽ, veluti in quodam diffusum linteo, desuper descendentem, quinetiam ipsum magnum Euthymium, & cum eo Domitianum intus complexum, sic circa ipsos permansisse ab initio ter Sancti vsq; ad completum sacrum ministerium. Terebonem autem ait metu correptum & exterritum ab ara recessisse, & non amplius audacter temerè esse ingressum adyta: sed in templi constitisse vestibulo cum magna in synaxi reuerentia, vt mihi postea narrauit Cyriacus Anachoreta, qui hæc audierat à Terebone & Gabrielio, qui viderant. Non hoc autem solum, sed hæc quoq; mihi retulit de Gabrielio, quòd esset quidem natura eunuchus, post viginti verò & quinq; annos accedebat tunc primum ad synaxim fratrum. Præterea hoc quoq; renuntiatum est à Patribus, à Deo datum esse Euthymio, vt internos animi motus ex extremo adspectu veluti per quoddam speculum intelligeret, & accuratè cognosceret, & cum quibusnam decertaret cogitationibus, & quasnam quidem superaret, à quibusnam autem maligni instinctu superaretur. LL

Incruentũ Missę sacrificium.

Euthymius videt secreta mẽtium.

AIVNT verò eum quoq; aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsum versabantur, quod sæpè videret terribilem Angelorum visionem, vnà secum Deo ministrantem & sacra contrectantẽ, & quod in Dominici corporis sumptione, aliquos quidem ex ijs qui accedebant, videret ab ipsa illuminari, aliquos autem veluti obscurari & morte affici, quicunq; scilicet erant indigni ea luce & splendore. Quamobrem non cessabat testificari fratribus, & illud Apostoli optimè admonere, vt vnusquisq; attendat & seipsum probet, & sic cum tremore sumat panem & calicẽ, cum benè sciat is, qui accedit, quod iudicium sibi comedit & bibit, qui ea indignè sumit. Propterea enim statim quoque, cum hoc primum offert sacerdos sacrificium, multitudinem veluti præmunit & iubet vt caueat, Sursum habeamus corda, eis acclamans: & cum ab illis promissum acceperit, sic audet deinceps offerre oblationem. Qua etiam perfecta, ille etiam rursus manus in cœlum tollens, & ostendens esse dispensatum pro nostra salute mysterium, clara voce sic dicit: Sancta sanctis, perindè ac si dixerit quispiam: Quandoquidem ego sum homo, æquè ac vos patibilis, ignorans quemadmodum vnusquisq; vixerit: propterea hoc antè apertè testificor, & hanc communem probationem vestræ suggero conscientiæ: Si quis captus fuit ab odio, & iniuriæ acceptæ recordatione: Si quis ab inuidia, aut ira, aut superbia: Si quis à maledicto, aut à turpi sermone, aut ab improba cupiditate, aut ab aliquo alio vitio fuit comprehensus, nè prius accedat, quàm per pœnitentiam à scelere fuerit expiatus. Hæc enim sancta, inquit, non prophanis, sed sanctis exhibentur. Quicunq; ergo vestræ confiditis conscientiæ, ad eum accedite, & illuminemini, & vestri vultus nequaquam pudore afficiantur. Sed nescio, quomodo dulcedo doctrinæ Euthymij me vel nolentem assumens, præcedentium abrupit consequentiam, & vt induceretur perturbatio, propemodum effecit. Necesse est ergo, vt vos narrationem reuocetis rursus in memoriam. LII.

1 Cor. 11.

AnteEucharistiæ sumptionem agenda pœnitentia,

Psal 33.

CAPTA ergo fuit, vt iam antè ostendimus, improbi Theodosij laqueis beata Eudocia, & à catholica communione seiuncta, & decæterò toto studio contendebat aduersus Orthodoxos. Induxit autem omnes quoq; monachos, qui habitabant in solitudine & in sancta ciuitate, & persuasit vt eadem, quæ illa, tuerentur & probarent. Postquam verò iustitia aggressa est Theodosium, & ille quidem procul abest, Iuuenalis autem suam sedem recipit, & ea dissoluuntur, quæ Ecclesijs afferebant molestiam, Valerij fratris & Olibrij generi sæpè mittuntur literæ ad Imperatricem Eudociam hac de causa, vt Eutychianistarum relicta communione, sequatur ea, quæ decreta fuerunt ab Ecclesia Catholica. Illa aũt primùm quidem cunctabatur, & differebat mutationem: neq; sciebat, quemadmodum dimitteret ea, quæ sibi visa fuerant. Postquam verò intellexisset suum † generum fuisse in Thracia interemptũ, filiamq; & eius filias esse in potestate hostium, & captiuos abduci Carthaginẽ: corde valdè sauciata, & rerum charissimarum amissione ea esse repensa arbitrata, inuenit calamitatẽ magistram eius quod rectè habet: Ipsa enim, inquit, tua disciplina me docebit: & ad rectam & veram fidem per illam deducta, statuit deinceps viris diuinis vacare, ab eis *instructa, & vtens ducibus ad salutem. Et ideò Anastasium Chorepiscop. cum quibusdam alijs, qui ei inseruiebant, mittit Antiochiam ad Simeonem κιονίτην, id est, in columna habitantẽ, qui erat multo altius sublatus virtute, quàm columna, & verè totius LIII.

†Valentiniano Imp. intellig. t. Genserico capta Roma id fecit anno 455

* al. instrui, & vti ducib.

orbis

orbis miraculum: ei scopum cordis per literas significans, roganſq; vt ab illo rursus acciperet, quænam sua esset sententia. Quidnam autem respondit? Scias, inquit, quòd malignus videns opes tuarum virtutum, expetiuit te vt cribraret sicut triticum, & per pestiferum illum Theodosium piam ac religiosam tuam corrupit animam. Sed esto bono animo. Non enim defecit fides tua. Mihi autem succurrit hoc valdè admirari, quòd cùm sit tibi fons propinquus, ipsum quidem despicis, procul verò quæris eandem aquam haurire. Habes autem diuinum Euthymium, cuius sequens doctrinam, non aberrabis à salute. Simeon monachus scribit Imperatrici

LIV. His auditis, non fuit negligens Eudocia, neq; supina in boni inquisitione Sed cùm statim de viro inquisijsset, & intellexisset ei esse prohibitum ad ciuitatem aliquam accedere, turrem in solitudine, quæ vergit ad Orientem, in altissimo ædificat promontorio, quod non plus quàm triginta stadia distat à Laura. Et illa quidem in eam ascendit, vt nullo prohibente, frueretur ad satietatem doctrina Euthymij. Statim autem mittit ad eum quærendum Cosmam crucis custodem, & qui à me superius dictus est, Anastasium Chorepiscopum. Ille autem cùm ardenti mandato æquè vehemens ad parendum studium attulissent, in Lauram quidem protinus perueniunt. Cùm verò accepissent eum non adesse, sed iam diu ante transijsse ad Ruban, ne sic quidem à cœpto destiterunt: sed cùm simul beatum accepissent Theoctistum, ad eum abeunt, & eum vehementer simul orant & obsecrant, & tandem persuadent, vt ad turrim veniat, vbi nunc est ædificatum Scholarij monasterium. Cùm eum autem vidisset Imperatrix Eudocia, non leuiter adspexit, sed vt qui æstate aquam sitit, & ad illius pedes præ gaudio procidens, Nunc cognoui, inquit, quòd Deus me visitauit. Ille autem cùm eam solita impertijsset benedictione, Sed oportet, inquit, ô filia, te tibi deinceps attendere, & in futurum diligenter cauere. Nam quoniam vel parum abducta fuisti vnà cum Theodosio, propterea tibi molesta euenerunt in rebus charissimis. Sed vt per totam vitam abstineas ab hac à ratione aliena contentione, oportet te præter tres sanctas & œcumenicas Synodos, nempè Nicenam, quæ conuenit aduersus Arrium, & Constantinopolitanam, quæ ipsa quoq; congregata fuit aduersus Macedonium, & Ephesinam prius aduersus Nestorium, accipere etiam decretum, quod fuit editum ab ea, quæ nunc fuit congregata Chalcedone: & cùm te separaris à communione Dioscori, Iuuenali Hierosolymitano Archiepiscopo omnino communicare, & cum eo omnino consentire. Eudocia ad se accersit Euthymiũ. Prosternitur ad pedes Euthymij.

LV. Cvm hæc quidem dixisset, & precatus esset pro Imperatrice, & deindè ei vale dixisset, recedit. Illa autem statim re ipsa est executa ea, quæ mandata fuerant: sanctamq; ingressa ciuitatem, Iuuenali & catholicæ communicat Ecclesiæ, magnamq; & frequentem inducit multitudinem Monachorum & laicorum, vt quæ sicut dissensionis, ita etiam communionis optimum fuit exemplum. Quorum fuit etiam vnus Archimandrita Elpidius. Nam Gerontius cùm in malo maluisset consenescere, non sibi solùm, sed multis quoq; alijs fuit causa interitûs. Cui viam similem & similiter ducentem ad exitium duo quidam ingressi sunt Elpidij conuentus Marcianus & Romanus, & constituit vterq; monasteria: Vnus quidem circa sanctam Bethleem, alter verò in vico Theocorum. Et beata quidem Eudocia accersit è Laura fratres custodis crucis, nempè Chrysippum & Gabrielium, & efficit vt ordinentur Presbyteri. Et Chrysippus quidem cum fuisset in presbyteratu insignis, reliquit scripta digna, quæ mandentur memoriæ. Gabrielio autem committit præfecturam monasterij Stephani protomartyris. Bassa autem pia & Dei amans, cum Andream fratrem Stephani & Iamneæ Episcopi è Laura accersiuisset, eum pastorem efficit & præfectum monasterij, quod ab ea fuerat ædificatum: ædificatum autem fuerat in nomine Menæ martyris. Redit ad Ecclesiam.

LVI. Octogesimo verò & secundo anno ætatis Euthymij, accedit beatus Sabas, cum adhuc esset iuuenis, & nec barbæ quidem primam haberet lanuginẽ, quæ genas contegeret, rogatq; vt sub eo maneret, & sub eo se in virtute exerceret. Ille autem primum quidem accipit, Domitiano verò tradit discipulo. Deindè cum eum accessisset, Non oportet ô fili, inquit, te, cum sis adeò iuuenis & imberbis, in Laura versari. Magis enim expedit, vt qui tales sunt, vitam degant in cœnobio. Cum hæc dixisset, per quendam ex fratribus eum transmittit ad beatum Theoctistum, dicens: Accipe adolescentem, & diligenter sub te simul exerceatur & educetur. Nam vt mihi videtur, in exercitationis instituto, & in rectis factis erit insignis. Atq; ille quidem hæc de Saba prædixit, prædictionem autem congruens quoq; consecutus est exitus Non est enim nunc, non est, non vrbs, non regio, non solitudo, in qua illius diuini viri res non celebrentur, & simul ei qui dicit, & ijs qui audiunt, voluptatem afferant. Quorum quidem non par est in transitu meminisse inter res gestas Euthymij: sed si Deo placuerit, de ijs opus integrum conscribemus, quandoquidem neq; pium est, neq; sanctum, gentilium quidem vitã apud externos columnis honorari & scriptis: nos autem tam præclara facta virtutis digna iudicare silentio, & æterna damnare obliuione. Oportet autem etiam de magno tractare Gerasimo, & quales ipse dederit regulas & formas ijs, qui sub ipso exercebantur, & veluti condimentum attexere narrationem, quæ magnam vtiq; habet vtilitatem. Sabas venit ad Euthymium.

LVII. Hic ergo magnus Gerasimus, qui Iordanis solitudinis ciuis fuit simul & patronus, cùm maximam illic Lauram, quæ non pauciores quàm septuaginta Anachoretas habebat, constituxisset, & præterea cœnobium in medio eius optimè collocasset, curabat vt, qui introducebantur quidem Monachi, manerent in cœnobio, & vitam monasticam exercerent: Qui autem crebris & longis se laboribus exercuerant, & ad perfectionis mensuras iam peruenerant, eos in ijs, quæ vocantur, cellis collocans, sub hac iubebat viuere regula, vt quinq; dies hebdomadæ vnusquisq; in sua cella sileret, nihil gustans quod esset esculentum, nisi panem & aquam & dactylos. Sabbatho autem & Dominica venientes in Ecclesiam, cùm participârint sanctificata, cocto vterentur in cœnobio, & sumerent parum vini. In cella verò nulli permittebatur aut ignem accendere, aut coctum gustare. Nihil autem possidere tantæ erat eis curæ, quantæ nihil aliud: & humilitate maximè ornabantur. Vnusquisq; verò laborem suarum manuum, qui per hebdomadam ab eis factus fuerat, sabbatho ferens in cœnobium, circa crepusculum Dominicæ, hebdomadæ sumptus rursus accipiens, panes, inquam, & dactylos & aquam in vase aliquo & palmas, rursus redibat in cellam. Erant autem adeò remoti ab omni solicitudine, & à negotijs humanis ita disiuncti, vt nihil haberẽt præter ea, quibus induebantur, adeò vt non esset secundus amictus. Stratum autem quid erat aliud, quàm storea? & quæ solent appellare centonium & embrymium, & vas fictile ad aquam: quod quidem simul sufficiebat ad potum & ad palmas irrigandas. Laura & cœnobium Gerasimi. Nota abstinẽtiam, &c. Item stratum.

LVIII Hæc lex autem eis est optimè tradita à Gerasimo, vt exeuntes cellas, dimitterent apertas, vt liceret ei, qui vellet, ingredi, & quod vellet, accipere ex illis vilibus & ad vsum necessarijs, nemine prohibente, quinetiam ipsi quoq; cernerentur viuentes Apostolicè, & esset eorum quoq;, qui habitabant in solitudine, eis consimiliter cor & anima vna: quandoquidem nemo ex ijs, quæ habebat, iudicabat esse aliquid proprium, sed omnia eis ex æquo esse communia. Porro autem hoc quoq; dicitur de Anachoretis, quòd cum quidam ad eum accessissent, & peterent vt sibi liceret aquam calefacere, & coctum sumere & ad lucernam legere, magnum respondentem Gerasimum, dixisse: Si sic vultis viuere, multò magis expedit, vt vos viuatis in cœnobio. Ego enim nequaquam permittam toto meæ vitæ tempore hoc fieri apud Anachoretas. Adeò vt cùm Hierichuntini audirent eorum, qui erant apud Gerasimum, esse adeò arctũ & omnis solatij expers vitæ institutum, esseq; admodum asperum & violentum, hanc sibi legem tulerint, vt Sabbatho & die Dominico ad eos abirent, & eis non modicam afferrent consolationem. Sed hoc quidem est laus Hierichuntinorum, & euidens argumentum animarum virtutis amantium. Act. 4.

LIX. Cvm autem multi ex ijs, qui sub hoc magno Gerasimo erant, decertatoribus, viderent multos mundanos cum

hoc proposito & scopo ad se venientes, tantum abest, vt eis gratus & iucundus esset eorum aduentus: vt nec eos quidē in regione omnino videre aut tolerare possent: sed potius, vt valdè læsuros, eos fugerent & declinarent. Illi enim pulchrè sciebant, perfectæ temperantiæ matrem esse [a] abstinentiam, vt quæ possit & turpes expellere cogitationes, & somni leuare grauitatem: Vt qui non solum verbis, sed etiam factis hoc à patre optimè didicissent. Hi enim illum dicebant tanti fecisse [b] abstinentiam, vt quadraginta ieiunij dies ieiunus transigeret, contentus sola sacramentorum participatione. Cū sic vixisset Gerasimus, & ijs, qui sub eo erant, fuisset exemplar virtutis & occasio salutis, communis aduenit finis * quinto mensis Martij, indictione tertia decima, in consulatu Zenonis Augusti secundo. Nobis aūt rursus redeundum est, vndè digressi sumus.

[a] Abstinētiæ vis.

[b] Mira abstinentia Gerasimi.

* *for. quarto*

LX. Cvm iam tunc Leo pius & Christi amans, Marciani successisset imperio, Timotheus quidem cognomine Ælurus, totam concutiebat & conturbabat [c] Alexandriam. Deinde autem cùm ipsum quoque patriarcham ciuitatis (ô iniquas & impias manus) in diuini baptismatis piscina interfecisset, sedem audacter & impudenter inuadit. Cum ergo in Ægypto omnia essent plena turba & tumultu, duo quidam Anachoretæ, quibus nomen erat Martyrius & Elias, vnus quidem Cappadox, alter verò Arabs, profecti ex montē Nitriæ, ad magnū illum veniunt Euthymium, & vnusquisq; eorum in cella separata apud ipsum longo tempore sunt versati: quos quidem hic vir diuinus amplectebatur lege amicitiæ, & assidue inuitabat ad collocutionem, & ad Cutilam & Rubam secessus & descensus, eos quoque similiter faciebat participes. Cum quibus & vnà cum Gerasimo & alijs deinceps Anachoretis, sanctæ illæ manus vnaquaque Dominica intemerata sumebant sacramenta. Præuidit autem magnus Euthymius perspicaci oculo animæ ea, quæ erant euentura Martyrio & Eliæ, nempe fore, vt Iacobi, qui clarus erat in choro Discipulorum, vnusquisque eorum sedis sit successor futurus.

[c] Proteri episcopi Alexandrini cades.

LXI. Post hæc verò Elias quidem cùm descendisset in Hierico, ædificat sibi cellam ante ciuitatem, quæ accessionibus ab eo factis paulatim dilatata, transmutata est in ea, quæ nunc cernuntur, monasteria. Martyrius autem speluncam quandam ad Occidentem, quæ quindecim stadijs distat à Laura, ingreditur: & cùm satis temporis in ea permansisset, magnum quoddam & insigne is illic quoque construit monasterium. Sequenti autem [d] anno Iuuenalis quidem Patriarcha * quarto decimo anno eius patriarchatus ex hac vita excedit. [e] Anastasius verò communi omnium suffragio ad sedem illius promouetur, de quo Euthymij fuerant prædictiones, & de eo veræ promissiones. Quarum is statim recordatus Pheidum, qui in Lauram cum ipso accesserat, & illis audiuerat prædictiones ordinat Diaconum, & rursus ad magnū illū mittit Euthymium vnà cum custode crucis, & prophetiæ significans euentum, & rogans vt sibi permitteretur ad eum descendere. Is autem dat hæc responsa: Ego quidem semper desidero vestram videre perfectionem, & sic lucrum consequi spiritale. Sed prior quidem vester aduentus erat ab omni turba remotus, & separatus ab omnibus negotijs. Nunc autem vestri [f] magistratus magnitudo dat vobis alium locum & ordinem, Deo ita volente. Quamobrem longe meam superat imbecillitatem vestra scilicet præsentia. Rogo ergò te nè amplius vexeris huc iter suscipiendo. Sin minus, ego quidem te venientem prompto & alacri animi studio accipiam, & deindè necesse erit, vt non possim alios amplius repellere, nec potero deinceps amplius hic versari, vt qui ab eorum, qui accedunt, tum opprimendus multitudine. Sed quę ad magnum quidem spectant Patriarcham, sic habent. Vult autem nunc oratio, vt reuertamur ad Terebonem.

[d] Iuuenalis episcopi mors

* *Vigesimo octauo.*

[e] Anastasius Thracia natus in episcopatu succedit anno 458.

[f] S. Euthymius non vult vt episcopus ipsū iuuet.

LXII. Hic ergo [g] Terebon præfectus Saracenorum, cùm aliqua de causa veniisset Bostras, & à quodam suo collega per calumniam esset accusatus, ab eo, cui commissa fuerat regionis administratio, comprehensus fuit & coniectus in carcerem, in quo habitare fuit longo, quod interceßit, tempore condemnatus. Cùm autem sycophantiæ actum, magnus cognouisset Euthymius, scribit ad Antipatrum, qui tunc regebat ecclesiam Bostrenorum, vnà cum litteris mittēs Gaianum fratrem Stephani episcopi Iamneæ, vt omnem adhiberent diligentiam, vt Terebon liberaretur à vinculis. Ille verò cum accepisset literas: & excepisset Gaianum, & liberasset quidem Terebonem ab omni accusatione, & sumptū, quo erat ei opus aditer conficiendum, ei suppeditasset, ad magnum mittit Euthymium: Gaianum autem, veluti quasdam scintillas virtutis Euthymij, statuit retinere, eumque Medaborum ordinat Episcopum.

[g] Terebon episcopus comprehenditur

LXIII. Beata autem Eudocia cùm quàm plurima templa Deo ædificasset, Gerontocomiaq; & Prochotrophia, & monasteria, quæ ne facilè quidem possunt numerari, piè construxisset, iussit in quodam ex ijs templis, quæ erant ab ea ædificata, quod est sacrum Petro principi Apostolorum, situm aūt est è regione Lauræ Euthymij, non distans minus quā viginti stadia, cisternam valde profundam simul & latam fodere gratia alicuius vsus necessarij. Cum autem aliquando venisset ad eam spectandam, videt Lauram Euthymij positam in media solitudine, & quemadmodum cellæ fratrum erant à se inuicem seiunctæ: & cùm illud scripturæ apud se cogitasset, Quàm pulchri sunt pedes Iacob, tabernacula Israël: & ex eo anima esset valdè cōpuncta, ad eum statim mittit Gabrielium, rogans vt sibi permitteretur ad eum accedere, & fruì illius sermone & doctrina, & simul etiam Lauræ, eique dare reditus, habebat in animo. Causa autem erat, vt fratribus daretur deinceps sufficiens necessariarum rerum suppeditatio. Ille verò eam sic prius compellat: Cùm tuus decessus sit in foribus, cur solicita es, ô filia, & distraheris circa plurima? Illa sint tibi solum parata, quæ pertinent ad excessum ex hac vita. Nostri autem nè memineris, quantum ad redditus & pecunias: sed communis Domini memineris, apud quem rogamus vt tu nostri potius recorderis.

Num. 24

[h] Eudocia multa condit templa, &c.

[i] Euthymi Eudociæ obitum prædicit.

LXIV. His illa auditis, his duabus affectionibus bifariam diuisum habuit animum, admiratione & animi ægritudine: illud quidem magni Euthymij tribuens præscientiæ, & quemadmodum quod ipsa de ipso animo agitabat, ille longo ante spatio intelligat: hoc autem propterea, quod ipsa à sua spe excidisset. Volebat enim ei pecunias reliquere & redditus, vt diximus. Hinc verò venit ad sanctam ciuitatem, & cum Anastasium accersiuisset Patriarcham, & ei exposuisset, quæ à diuino audijsset Euthymio, ea fecit, quæ illi priori cogitationi respondebant, & erant planè fraterna. Et primum quidem [k] Stephani Protomartyris Christi templum, quod nondum erat plenè constructum, dedicat quintodecimo mensis Ianuarij. Deinde cū ei etiam multum tribuisset reditum, & eius curam dedisset Gabrielio, neque alias quoque neglexit ecclesias, quæ ab ea ædificatæ fuerant: sed eas quoque valde diligenter obibat, & dedicans, & sufficientem redditum vnicuique attribuens. Cum quatuor autem menses iam præterijssent post dedicationem, ipsa quoque, humana [l] vita relicta, excedit ad Dominum

[k] Ecclesiæ S. Stephani dedicatio & reditus.

[l] Eudocia Imperatrix moritur anno 460. vt habet Baron.

LXV. Longo autem post tempore, cum esset Euthymius iam nonaginta annos natus, in grauem morbum incidit sanctus quoque Theoctistus: qui erat adeò morti vicinus, vt ipse quoque se mox esse decessurum significarit, vt cuius iam esset senectus profundissima, & humanorum esset plenus dierum. Cum ergò ad eum visendū magnus veniisset Euthymius, & adspexisset eum versari in magno periculo, statuit paucos aliquot dies cum eo manere, vt cum iam eius sancta ad Dominum excederet anima, ipse iusta corpori faceret, & ea omnia, quæ mos est, in eo impleret. Cum autē cognouisset Patriarcha apud Theoctistum assidere Euthymium, & id existimasset satis opportunam ad eum veniendi occasionem, cùm beatus Theoctistus iam ad Deum excessisset, tertio die Septembris ad eum accedit, & communiter ab eis facta reliquiarum sepultura, deindè & quæ erga [m] Euthymium vehemens iubebat desiderium, fecit Patriarcha, & cū sacras illas manus suauiter prehendisset, & eis esset circunfusus, & vehementer est amplexus. & inter amplexus dixit verba testantia desideriū: Iandiu ab hinc ego sanctas has manus desiderabam, & eccè Deus mihi impleuit desideriū.

[m] Anastasii patriarchæ studiū erga Euthimiū.

Sed

Sed rogo te venerande Pater, & valdè rogo, primùm quidem, vt Deum preceris, vt tuæ in me perpetuò conseruentur prædictiones: Deindè, vt ad me etiam assiduè scribas de ijs, quæ videntur, quæcunq; lex præcipit filio.

LXVI. Hæc cum Euthymio benignè admodum colloquebatur, & quæcunq; alia tempus postulabat, & post longum tempus cum eo congressio reuocabat in memoriam. Is verò eum solita illa sua moderatione, Hoc ego, respondit, potius peto à tua beatitudine, vt in tuis ad Deum intercessionibus & supplicationibus nostrî quoq; recorderis. Ille verò respondens: Nequaquam, inquit, ô pater, hanc tibi concedam petitionem. Hoc enim, inquit, rogo, vt à te primus accipiam. Pulchrè enim iam sum expertus diuinorum charismatum, quæ in te est, operationem & virtutem. Ille autem placidè admodum & leniter, Concede, inquit, venerande pater, & exorare, vt præsentis monasterij, mea & tua causa, & ipsorum etiam fratrum curam geras, eiq; vt par est, prouideas. Adhæc patriarcha, Cùm, inquit, adhuc sanctus esset superstes Theoctistus, tu huic præfuisti solitudini, eamq; effecisti ciuitatem insignem multitudine & virtute eorũ, qui inhabitant, & reddidisti veluti quandam aliam Christo Hierusalem, & nunc rursus cùm ille è vita migrauit, sua tibi relinquit. Ille ergo cùm hæc dixisset, & sancto vale fecisset, reuersus est ad suam habitationem. Magnus autem Euthymius, cùm Marin patruum Terebonis, ex virtute viuentem, & iam ætate prouectum, monasterij præfectum constituisset, reuertitur ipse quoq; in suam Lauram. Cùm ipse autem in monasterij præfectura duos annos vixisset, & deinde è vita migrasset, descendens rursus magnus Euthymius, sacrum quidem eius corpus in Theoctisti magna theca piè deponit: cuidam autem Longino, propter vitam laude digno, committit curam monasterij. S Euthymij humil. tas.

LXVII. STATIM autem post magni Theoctisti decessum, cùm Olympius Scythopolis Episcopus vitam reliquisset, Cosmas quidem custos crucis pro illo ordinatur Episcopus: Chrysippo autem custodis crucis committitur ministerium, & nec in eo excidit prædictio Euthymij. Sed beatus quidem Cosmas cùm totos triginta annos mansisset in eo munere, in secunda Palæstinæ prouincia magnis claruit pulchrisq; rebus ex virtute gestis. Chrysippus autem, qui erat illius quoq; frater, cùm duodecim annos obijsset munus custodiendæ crucis, scriptis relictis & numero multis, & propter ea quæ tractant, laude dignis, vita excedit. Horum verò frater Gabrielius, cùm fuisset, vt prius diximus, Presbyter & Præfectus viginti quatuor annos, ædificauit sibi breue quoddam monasterium in valle venerabilis templi ad Orientem, quod nominatum fuerat sanctæ Assumptionis. In quod quidem, ad imitationem beati Euthymij, post diuinorum Theophaniorum octauum diem secedens, in eo morabatur vsq; ad festum Palmarum. Cum autem esset studiosus, habuit ingenium quoq; ei opem ferens. Quo factum est, vt linguam exerceret & ad Græcorum sermonem & Romanorum & etiam Syrorum. Moritur verò octogesimo ætatis anno in monasterio, & fit illic viro sepulchrum, qui signis maximis est insignis. Atq; quæ ad Euthymij quidem pertinent discipulos, ea sunt huiusmodi, & fuit talis vniuscuiusq; decessus. Theophania & festũ Palmarum.

LXVIII. EGO autem ad ea, quæ consequuntur, eius rectè facta reuertor. Nam hæc quoq; mihi cum alijs Iohannes silentiarius & Episcopus, & Thalelæus Presbyter narrauerunt. Dicebant enim, quòd versantibus aliquando ipsis in solitudine, in eos incidens beatus Saba colloquebatur, dicens, quòd cùm adhuc esset in cœnobio, ascendisset post mortẽ Theoctisti simul cum Longino Præfecto ad magnum Euthymium. Cùm autem aliquot dies morati essent circa Ruban cum Martyrio & Elia, & vnà cum eis adesset sanctus Gerasimus: Quoniam, inquit, prompto & alacri animo videt magnus Euthymius me & Domitianum, vtroq; assumpto, transibat per interiorem solitudinem. Cibus autem nobis erant radices melagriorum. Deinde peruenimus ad quandam terram admodum incultam, siccamq; & omnino aquæ expertem. Ego autem, qui planè eram rudis & imperitus conuersationum, quæ fiunt in solitudine, vehementissima siti oppressus deficiebam animo, & nec pedes quidem habebam, qui possent itineri conficiendo sufficere. Conuersus verò, inquit, magnus Euthymius, cùm me sic iam deficientem & defessum adspexisset, mea causa est animo cõmotus: & cùm se paululùm à nobis seiunxisset, & ad terram prostrauisset, orabat, dicens: Domine, ad aquam in terra sitienti, fratris sitim consolans, & post preces surgens, apprehendit ligonem, quo herbarum excindentes radices, alimentum nobis comparabamus, & solum parum scindit, & statim aqua è terra scaturit, & bibere permittit. Cùm ergo bibisset, & sitim quæ eum premebat, depulisset, Deo egit gratias, qui præter opinionem per suos seruos talia facit miracula. S. Euthymi precibus aquâ impetrat à Deo.

LXIX. CVM ergò apud Deum tantam haberet Euthymius fiduciam, & tantam spiritûs gratiam è superis attraxisset, ne communis quidem mortis ei tempus est celatum, nec quæcunq; euentura erant in eius Laura, sicut diuini Patres de ijs mihi narrârunt. Dicunt enim, quòd octauo quidem die post festum luminum, quo solebat ad interiorem proficisci solitudinem, conuenerunt quidem ij qui erant ipsum deducturi, & quicunq; eius peregrinationis omnino volebant esse socij: inter quos erat etiam Martyrius & Elias. Cùm autem nihil parati inuenissent, neq; quod esset secessui conueniens, quinetiam eum omnino offendissent imparatum, rogârunt an non esset crâs profecturus. Ille verò, Tota, inquit, hebdomada ero vobiscum in Laura, & sabbathi media nocte à vobis separabor. Hoc autem dixit, prius significans se tunc esse moriturum. Tertio itaq; die, qui est postea consecutus, cùm aduenisset dies festus diuini Antonij, præcipit vt vigilent in templo per totam noctem: & nocturnis illis hymnis ab eo peractis, cùm assumpsisset Presbyteros in eo, quod Diaconicum appellatur, Nullas, inquit, ô fratres, vobiscum amplius peragam vigilias. Me enim iam vocat Deus à vita præsenti. Sed nunc quidem exite, & accersite mihi Domitianum: manè autem patrum veluti quidam cœtus conueniat. Manè ergo magno studio omnes ad eum conuenerunt, & cùm se parum retinuisset, ita eos cœpit alloqui. Festum luminum. Nox, Dies festus S. Antonij.

LXX. PATRES mei & fratres dilecti in Domino, & filij, ego quidam iam postremam viam meorum patrum ingredior. Vos autem oportet vestrum in me amorem in custodiendis præceptis ostendere: ex quibus præcipuè est charitas, quæ est vinculum virtutum perfectionis. Quod enim sal pani, hoc est charitas virtutibus. Nec sine ea fieri potest, vt se virtus rectè gerat: quandoquidem vniuersa virtus per charitatem & humilitatem firma & stabilis cognoscitur. Nam humilitas quidem nouit eum, qui ea vtitur, ad summum rectè factorum extollere: Charitas verò & firmiter continet, nec sinit, vt cadat ab illa altitudine. Est autem charitas maior humilitate: quod quidem manifestum est ex ipso exemplo Domini & opificis. Nam propter suam in nos charitatem seipsum sua sponte humiliauit, & factus est sicut nos. Oportet ergò ei perpetuò confiteri & hymnos offerre Nam hæc quidem omnes, vt semel dicam, homines honestum est exercere. Nos autem præ cæteris, & proprer pacta conuenta cum eo inita, & quòd ab omni perturbatione liberi, & à negotijs, quæ ad victum comparandum pertinent, minimè diuulsam & distractam vitam nostram agamus, & soli nobis ipsis seorsum attendamus. Et corpora & animas, ô fratres, semper castas conseruare oportet, & consueta in synaxi plorificatio, & quæ nobis desuper tradita est, regula conseruanda est à vobis omni diligentia. Eorum, qui affliguntur, cura est gerenda pro viribus. Qui ex fratribus colluctatur cum improbis cogitationibus, is semper à vobis confirmetur, & perpetua fruatur admonitione & doctrina & præceptione, ne imprudens paulatim supplantetur, & casu graui à diabolo prosternatur. Porro autem hoc quoq; vobis vltimum adijcio mandatum: Nunquam ijs, qui *adsunt, occludatur ianua: sed sit semper aperta cuiuis viatori, & ad excipiendum veluti paratissima. Quinetiam ipsum tectum sit vobis commune hospitibus atq; transeuntibus, & ea, quæ habetis, egentibus proponantur communia. Sic enim copiosam suppeditationem à superis consequemini. Suprema oratio Euthymij ad vsus. Humilitatis & charitatis encomium. *for. aduenient.

Hæc cùm eis mandasset, deindè etiam eos interrogauit, quemnam eis vellent imperare & præesse. Illi autem LXXI.
vno veluti consensu responderunt omnes, Domitianum Ille verò, At hoc, inquit, nequit fieri. Domitianus enim
[a] Prædicit morte Domitiani. non hîc longo[a] tempore post me manebit: sed cùm septimum solùm diem transegerit, sequenti me consequetur. Hoc
omnes, qui aderant, obstupefecit, cùm tam apertè & tam liberè dictum esset. Cùm de Domitiano itaque spem perdidissent, petunt quendam Eliam, œconomum inferioris monasterij, genere Hierichuntinum. Ad eum ergo protinus
conuersus magnus Euthymius: Ecce, inquit, omnes patres te sibi pastorem & præfectum eligunt Tu autem vide, vt tibi ipsi attêdas & toti gregi. Oportet verò te hoc quoq; scire ante alia, quod Deo visum sit, haud ita diu abhinc hãc Lauram fieri cœnobium. Deinceps autem & vbinam ædificari cœnobium, & quemadmodum construi oportet, & de hospitum exceptione, psalmodiaque & studio in regula adhibêdo præcepit Eliæ, & de nõ negligẽdis fratribus, & maximè ijs, qui improbis grauantur cogitationibus. Deindè verò hoc postremò dixit omnibus: Si inuenerim aliquam ad
Deum fiduciam, hanc primã petam à Deo gratiam, vt vobiscum & cũ vestris posteris sit semper simul spiritu in seculum.

[b] Obitus S. Euthymii. Hæc cum dixisset, dimisit quidem omnes præter Domitianum: & cum tres postea dies mansisset in diaconico, LXXII.
sabbato noctu dormit in pace, & ad eam quæ illic est, transit[b] beatitudinem, re vera senex & plenus dierum, vicesimo die mensis Ianuarij: in anno quidem à mundi creatione, conuenienter temporibus scriptis ab Hippolyto, qui fuit antiquus & ipsis notus Apostolis, & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone philosopho & confessore, quinquies millesimo quingentesimo & sexagesimo, Domini autem nostri Iesu Christi in carne aduentus quadringentesimo & sexagesimo quinto. Sciantur autem hæc quoque de Euthymio, quòd habitu quidem erat minimè fictus & mitissimus: adspectu autem teres & albus, valdeque lætus [c] & iucundus ad videndum, omnino canus propter ætatem, paulò breuior, densa
[c] Eius effigies barba & vsque ad zonam promissa, membris sanus & integer, vt cui non [d] digitus, nõ vnguis, non dens, non parua nec
[d] Mira res in tanta vitæ asperitate. magna pars abesset corporis. Atque natus fuit quidem, vt superius dictum est, ex reuelatione. Tres autem annos natus, Deo fuit consecratus, in principio scilicet magni Theodosij. Cum verò transijsset per oẽs ecclesiasticos ordines, venit Hierusalem circa viginti & nouem annos vitæ propriæ Cùm verò [e] sexaginta & octo annos transegisset in solitudine, nonagesimo quidem & nono anno suæ ætatis, decimo autem sexto Imperij Leonis, excedit è vita.

[e] Baron. in not. ad Martyrol. Rom. & Annal. 16 Imperii Leonis, annum 472 Christi, ex Fast. Onuphrij num. 1.

Cvm autem fama celeriter per omnem sparsa esset regionem, Monachorum & laicorum congregata est multitu- LXXIII
do, quæ non poterat facile numerari. Quin etiam Anastasius Patriarcha Hierosolymitanus, cùm simul assumpsisset examen Cleticorum & militum, accessit. Cum eo autem aderat Chrysippus & Gabrielius, & Diaconus quoq; Pheidus: Anachoretæ quoque, qui erant in solitudinibus, vndique conuenerunt: Quorum erat vnus quoque Gerasimus.
[f] Miracula. Omnes autem in stuporem adducebat cõtinuatio [f] miraculorum. Cùm ergo conuenisset multitudo propè innumerabilis, prohibebatur sacrum illud corpus à sepultura, cùm iam esset hora nona, donec milites, vt eis iussum fuerat à Patriarcha, repellunt multitudinem: & sic vix tandem datur aditus diuinis patribus, vt & corpori illi, quod tam strenuè decertauerat, & multa passum fuerat, iusta peragerent, & cum ijs, quos decet, hymnis in locupleti loculo deponeret. Atq;
[g] Honorifica admodum sepultura. dolor quidem Euthymij priuationis, multis erat causa lachrymarum: Martyrium aũt & Eliam longe tãgebat vehementius, & ij valdè lachrymabantur. Sed cum illos quidem consolatus esset Patriarcha per Chrysippum crucis custodem, & cum ijs, quibus opus erat, vsus esset admonitionibus, hortatus est vt frequentius ad eum accederent Cùm aũt reliquisset Pheidum in Laura Diaconum, ei ædificandi committit negotium: & cùm esset in sanctam reuersus ciuitatem, mittit opifices ad opus & materiam, vt beatæ illæ Euthymij reliquiæ in apto & conuenienti loco deponerentur.

Domitianvs verò, qui magni erat verè magnus & germanus discipulus, vt quis esset eius vitæ imitator accura- LXXIV.
tissimus, cùm plusquam quinquaginta annos sancto inseruijsset, à loco non recessit: sed permansit deinceps ad sextum vsque diem ab illo tempore, vt qui statuisset non esse sibi viuendum decæteri, nec ferendum esse, vt hanc lucem omnino adspiceret. Cum septimus autem iam dies aduenisset, ei lætus noctu apparet Euthymius, Veni huc, dicens, tibi paratam gloriam consecuturus Ecce enim, inquit, Deus tibi concessit, vt nos quoq; hic degamus cõmuniter. Hæc Domitianus annuntiat fratribus, cũ venisset ad synaxim. Sicq; ipse in gaudio & spe bonorũ futurorum è vita excedit.

[h] Obitus Domitiani. Diaconvs autem Pheidus, multis collectis operis, & magno adhibito studio, [i] spelunca[m], quæ in principio tenuit silentem diuinum Euthymium, pulcherrimam & maximam ædem efficit: cuius cùm medium attribuisset thecæ LXXV.
[i] Spelunca mutatur in templum. magni illius patris, ex vtraque parte elaborat thecas Presbyterorum, Præfectorum, & reliquorum sanctorum virorũ. Postquam autem perfecta iam fuissent omnia, tabulam, quæ erat sepulcro imponenda, & argenteum vrceum, & cancellos Patriarcha statim mittit Hierosolymis. Deindè ille ipse quoque descendit ad lauram, cumque sanctum illud beati viri corpus cum lampadibus & hymnis proprijs credidisset manibus, transfert [k] ad eam ædem, quã ipse recenter
[k] Transfertur corpus S. Euthymii. fuerat fabricatus, & in sacro suo deponit loculo, vt nunquam posset amplius aperiri, & nec vel vllæ paruæ possent illinc eius auferri reliquiæ. Cùm tabulam autem imposuisset, vrceum desuper quasi circa pectus defigit. Illa verò ab eo
[l] Miracula. tempore in hodiernum [l] vsque diem omne genus gratiæ dat ijs, qui ad eum accedunt fideliter. Atque cum sic quidem præclarè feciſſet reliquiarũ translationem VII. die Maij, adsumpto secum Martyrio & Elia, rursus reuertitur in sanctã ciuitatem, & eos ordinat Presbyteros, & refert in catalogum cleri sanctæ resurrectionis. Et hæc quidem sic habent.

Restat autem nunc, vt persequamur quanam de causa, & quemadmodum Euthymij Laura transmutata sit in LXXVI.
cœnobium. Necesse verò est orationem paulò altius repetere, vt sic apertam & dilucidam faciamus narrationem. Cũ vnus iam præterijsset annus post mortem magni Euthymij, [m] Leo ille magnus & Christi amans Imperator excedit è vita, relicto Leone suo nepote planè infante successore imperij Ei autem, cùm parum in imperio vixisset, succedit pater Zeno, sed ille quidem, cùm ex insidijs Basiliscus quidam inuasisset imperium, fugit in Isauriam. Cùm verò Basili-
[m] Anno 474. Leonẽ Mag. & Leonem Iuniorẽ Imperatores obiisse memorat Bar. An. tom. 6. scus occupasset imperium, facit [n] conciliabulum aduersus diuinam Synodum Chalcedonensem: quo quidem nitens pars eorum, qui erant schismatici in sancta ciuitate, cum sibi Gerõtium quendam præfecisset Archimandritam, multa innouat aduersus Ecclesiam: nec maiora ijs, quæ prius [o] ausus fuerat Theodosius. Quinto autem [o] anno postea moritur quidẽ Anastasius Patriarcha, iã incipiente mẽse Ianuario. Zeno verò reuersus ab exilio, viucit quidem Basiliscum, qui adhuc tenebat imperium: rursus autem recuperat imperium, quod amiserat. Et sedi quidem Hierosolymitanæ succedit Martyrius, de quo mihi superius sæpe facta est mentio, qui ad ipsum Imperatorem Zenonem & Acacium Episcopũ Constantinopolitanum scribit de schismaticis & illorum blasphemia & vitanda hæresi: & cùm Pheido Diacono de-
[n] Cõciliabuli cõ tra cõcilium Chalcedonense. disset literas, mandat ei quoque non pauca ore dicenda.

[o] An. 477 ex subputatione Baron. Ille autem cùm Ioppen peruenisset, & quoddam ascendisset nauigium, quod proficiscebatur in Corycium, vbi LXXVII.
fuit in ipso mari * Parathenico, in magnam incidens procellam & tempestatem, media nocte patitur naufragium. Cũ vii.
* al. Parthenico. verò iam demergeretur, nec se supra fluctus posset omnino tollere, sed propterea quod in medio mari esset, & quod nox esset obscura & incerta, periret, in quoddam lignum ex inopinato, vel potius quod Deus id dedisset, incidit: & cũ in quendam locum enatasset, & à tanta calamitate se paululum recreasset, venit ei in mentem admirabilis Euthy-
[p] Obserua de inuocatione SS. mius, & statim illius implorabat Pauxilium aduersus periculum, & ambas ei manus tendebat, & illius nomen sæpe inuocabat. Cũ sic ergò laboraret, ei alicundè magnus apparet Euthymius, per mare transiens, & securè in ipsis fluctibus inambulans. Quem cum repentè vidisset Pheidus, adductus est in admirationem. Eum autem ab animi angore & timore

more volens rursus statim liberare, ea qua prius quoq; solebat allocutione: Noli, inquit, timere. Ego sum Euthymius, Dei seruus. Scias non esse bonum hoc iter in conspectu Dei. Neq; enim afferet vtilitatem aliquam matri Ecclesiarum. Et ideò oportet te reuerti ad eum, qui te misit, & ei meo nomine iubere, nè sit solicitus de disiunctione schismaticorum: haud enim ita diu ab hinc, sed illo Pontificatum obtinente, futuram vnionem, & omnes, qui sunt Hierosolymis, futuros vnum gregem, & sub vno pastore. Te autem oportet venire ad meam Lauram, & fratrum quidem cellas diruere ab ipsis fundamentis, cœnobium verò ædificare illic, vbi meum ædificâsti cœmeterium. Nõ enim Lauram, sed cœnobium potius esse locum Deo placet. Hæc ille quidem mandat Pheido, & suo eum pallio induit. Ille autem reipsa, & non in somnis protinus raptus, non dissimili fortè modo ei, quo Abacuc, ita facilè & momento temporis statuitur in litore, & perindè ac si è somno surrexisset, ô diuinam prouidentiam, in sancta inuenitur ciuitate. Sic autem præter opinionem ix domo conseruatus, deponit quidem illud diuinum Euthymij pallium, quod tantum pelagus transuolare penna citius effecit & tutius, consueto autem induitur vestimento: illud verò (sed est attendendum: miraculo enim cognatum & consimile sequitur miraculum) à quadam veluti manu abreptum, euanescit & tollitur de medio. Cùm ad se ergo redijsset Pheidus, & quænam eum mala oppressissent considerâsset, vndæ, fluctus, nox, desperatio, & quæcunq; sunt mala tempestatis: deindè verò animo agitâsset repentinam huius inexpugnabilis calamitatis solutionem, magnumq; Euthymium, & quemadmodum cum iam esset defessus, & grauiter suffocaretur, ei apparet pedibus ingrediens in fluctibus, & veluti manum illam porrigens hilarem, vultumq; vnà & vocem, & mandans ea, quæ dicta sunt, & tandem imponens pallium, & tantum mare veluti alatum per aërem transmittens, & domi suæ reddens *insensiliter. Hæc cum apud se considerasset Pheidus, emisit illas voces cum magna admiratione: Nunc scio verum esse & germanum Dei seruum magnum Euthymium, ab eoq; missum, me liberâsse à calamitate.

Matrem ecclesiarum dicit Hierosolymitanã, quòd in de ortæ sint ecclesiæ.

Dan. 14.

Insigne miraculum

* *insensibiliter.*

LXXIX. Deinceps autem hæc quoq; matri narrauit. Illa verò eis aures lubenter accommodans, (amabat enim non solum filium, sed etiam Deum) & propterea tam eius, qui seruat, quàm eius qui seruatur, delectata narratione, & etiam lachrymas profundens ex oculis, consuluit filio omnia impleret. Deindè autem ad Patriarcham quoq; transiens, ei Pheidus renuntiauit omnia. Ille verò admiratus narrationem, quæ omnem rationem superat & opinionem: Reuera, inquit, Dei Propheta est magnus Euthymius, magnaq; est & quæ dici non potest apud illum fiducia. De ijs enim, quę Lauræ euentura essent, cum nos omnes essemus testes, prædixit iam in Christo consummandus. Hæc cum dixisset, ipso quoq; Pheido permittit, vt ædificet cœnobium, & concedit, vt ad id proficiscatur: simul professus, se quoq; omnibus viribus opus vnà esse aggressurum. Cum autem Pheidus magnam manum accepisset ministrorum & domus ædificatorum, & vnum ex mechanicis, descendit in Lauram, & cum ædificasset cœnobium, sepiq; & fossa esset complexus, vetus quidem templum attribuit fratribus ad cœnaculum: alterum autem templum saperius ædificat. Intra cœnobium verò excitat turrim, quæ esset apertè veluti propugnaculum totius solitudinis, & eam collocat in medio cœmeterio. Loci verò posituram, in qua hoc sacrum collocatum est cœnobium, & esse pulchram propter æqualitatem, & Monachis esse aptam ad exercitationem propter aëris maximè temperationem, oratione describam & ostendam, quantum potero.

Ædificatur cœnobium ex diuina reuelatione

LXXX. Est quidam collis admodùm breuis inter duas valles, quæ ex Oriente & Occidente simul paulatim coëunt, & ad Austrum inter se commiscentur. Ad Boream autem patet pulcherrima campi planities circiter tria stadia, quàm fieri potest optimè excogitata ad voluptatẽ & delectationem. Per eam autem mediam torrens perfluit, qui ex alto descendit ex colle, qui est ad Orientem, fitq; loco veluti quædam zona. In ipsa verò collis in planitiem inclinatione, & eorum elegãti mixtione & coniunctione, exurgit turris veluti quidam vertex & arx quædam: & turrim deinceps consequitur porta, quæ est versus planitiem, quæ cum voluptate transmittit eos, qui exeunt, veluti à quadam specula despicientes pulchra illa planitiei spectacula. Sed quid loci naturam recenseat aliquis, quemadmodum est quidem miris & fertilis: quali autem super caput est aëre contemperatus: & neq; maiore quàm opus sit calore, neq; frigore vtatur: sed cum ex ambobus fugerit ea, quæ molestiam afferunt, vniuscuiusq; præclarè tenet medium: & est frigidioribus quidem calidior: calidioribus autem rursus sensim frigidior, & consequenter valdè humidis siccior, & immoderatè siccis humidior, cùm ea, quæ vnicuiq; congruit, commoderatione.

Situs cœnobij.

LXXXI. Cvm ergo totum eiusmodi cœnobij ædificium simul & ornatus, non opus habuerit plus quàm tribus annis propter multas manus, vehemensq; & intensum ministerium, volebant quidem diuini Patres illud cum alio ornatu & artificio Ecclesiæ reddere & dedicare: eos autem arcebat rursus aquæ penuria. Nam in illa quidem solitudine pluit sola hyeme. Cum ea autem fuisset magna ex parte sicca & aquæ expers, eis aqua defecerat, maximè circa vernam conuersionem: nisi fortè in aliquibus concauis cisternarum consisterent aliquæ breues aquæ reliquiæ. Quod quidem eos valde reddebat animi dubios & perplexos, vt qui premerentur inexorabilibus naturæ necessitatibus. Significant certè præfectus Elias & Diaconus Pheidus Longino præfecto inferioris monasterij, & Paulo præfecto monasterio Martyrij, vt suis iumentis aquam curent ad eos transferendam ex Pharis. Sequenti autem nocte eis paratis ad iter, cum iam congregata essent iumenta, illa nocte apparet beato Eliæ magnus ille Euthymius, Quid hoc sibi vult, rogans, quod hodie iumenta congregetis? Cum is verò respondisset, Vt aquam afferamus ex Pharis: propterea quod ea nunc nobis omnino defecerit, increpauit illum, dicens: O vos modicæ fidei, quanam de causa Deum non rogauistis? Num is, qui ex prærupta petra inobedientem potauit populum, & aquam ex asini maxilla Samsoni aliquando fecit scaturire, non poterit vobis quoq; ad vsum suppeditare, si solum cum fide offeratis petitionem? Deindè eis etiam prohibuit iter ad Pharas, vt minimè necessarium. Aquâ enim vobis implebuntur vel maximæ cisternæ, si ne tres quidem horas expectaueritis.

Pluit hîc sola hyeme.

S. Euthymi apparet Eliæ.

Num. 20.

Iudic. 15.

LXXXII. Cvm ad hanc visionem è somno excitatus fuisset beatus Elias, & statim eam Pheido & reliquis annuntiasset, iumenta quidem à proposito soluit ministerio: cum nox autem iam transijsset, & sol quantam videt terram suis illustraret radijs, nubes nescio vnde aërem, qui erat super cœnobium, repentè complexa, protinus erupit in pluuiam. Et omnia quidem circumcirca simile adhuc puniebat flagellum siccitatis: ij autem soli, qui erant in cœnobio, præter opinionem aquam erant adepti, perinde ac si aliquis pluuiam circumscripsisset, & rursus vlterius non sineret progredi. Postquam autem & cisternæ fuerunt aqua plenæ, & non erat amplius opus imbribus qui è cœlo descendunt: dissipata est statim nubes, & vehemens imbrium procella rursus reducta fuit ad serenitatem. Cum verò miraculum breui totam peruasisset solitudinem, & peruenisset iam etiam ad ipsum Archiepiscopum Martyrium, descendens ille multis copijs ad cœnobium præclaram quidem egit synaxim & vigiliam cum multis lampadibus & suffitibus. Splendidam autem & magnificam facit dedicationem, deponens sub ara quasdam partes reliquiarum martyrum Tarachi, Probi & Andronici 7. mensis Maij. erat verò iam duodecimus annus post decessum Euthymij. Cum aliquod autem tempus transijsset, Diaconus quoq; Pheidus suscipit Episcopatum ciuitatis, Doron quæ vocatur.

Pluuia diuinitus data.

Nota antiquos ritus dedicationum.

LXXXIII. Sed cùm ego in hunc locum venerim, mihi venit in mentem, vt de schismaticis illud addam, quod mihi etiam dignum videtur, de quo dicatur: vt quæ in mari fuit diuini Euthymij prophetia, euidentius hinc ostendatur. Nam cũ iam quidem Patriarcha Martyrius, fidem tribuens Pheidi visioni admirabili, & ijs quæ in mari prædixit ille magnus, de his quidem schismaticis cessauit cogitare. Non multum aũt temporis interceſſit, & veluti ex diuiniore quadã visitatione

tatione Martianus, cuius paulo ante memini, omnes ipso conuocat in cœnobio, quod ab ipso constructum fuerat in sancta Bethleem, &, Quousque tandem, inquit, ô fratres & patres, contendimus corpus Ecclesiæ diuidere in partes, idque cum nec nobis quidem constet, quæ sit Dei voluntas, sed rem sic credamus proprijs cogitationibus? Est ergo nobis considerandum, nè fortè existimantibus recta via ingredi in auia contingat incidere. Sunt enim incertæ hominum cogitationes, sacra aiunt eloquia, & si videtur, sequentes illud Apostolicum, & veluti exemplo vtentes, iaciamus sortes in conspectu Episcoporum & Monachorum: & si sors quidem venerit ad Monachos, oportet omnino perseuerare in ijs, in quibus nunc manemus, & quæ nobis placent. Sin autem ad Episcopos, cum ipsis communicare. Cum hanc attulisset sententiam Marcianus, nullus erat ex iis, qui aderant, qui non laudaret. Iactam itaque sortem Monachi quidem eam habuerunt, omnes autem ei statim communicabant, tanquam ex Deo esse cognitam arbitrati, præter Gerontium solum & Romanum. & omnes seipsos præbent * ferentes vnioni [a] Ecclesiæ, eique deceterò germanam ac synceram faciunt communionem. Cum eos autem Patriarcha pulcrè non solum supinis, vt quis dixerit, manibus, sed etiam cordis sinibus excepisset, præclarum & celebre festum agit. Admodum enim pulcrè ciuitati exortum est bonum pacis, & lætatæ sunt plateæ Hierusalem, & per omnia Deus glorificabatur. Geruntius autem & Romanus, alter quidem cùm quadraginta quinque annos præfuisset beatæ Melanæ monasterijs, alter verò in Thecorum, vt supra diximus, regione monasterium construxisset, & deinde ex ipsis quoque turpiter fuissent expulsi propter eorum, quæ ipsis visa fuerant, impietatem, mali malè huc & illuc obeuntes recesserunt: Sed hæc quidem facta sunt temporibus Zenonis.

Sap 9. Act. 1.

*For. * feruentes.*

[a] Pax Ecclesiæ Hierosolymitanę reformata

SEQVENTIBVS verò annis, cùm Anastasius post ipsum accepisset imperium, incursionem autem fecissent [b] barbari, & magnam partem solitudinis vastassent & depopulati essent, euerterunt ipsa quoque Agarenorum tabernacula, quæ eis nuper magnus fixerat Euthymius. Deinde qui ex his quidem erant insigniores, alia sibi excitant in Martyrij Monachi monasterio, & templa erigunt. Barbari autem cum rursus eos essent aggressi, alios quidem interimunt, alios verò captiuos abducunt: aliquos autem in alios vicos compellunt, nempe eos, qui ex inopinato hoc periculo euasêre superiores, cum magna & grauissima fuisset hæc illic barbarorum incursio. Beatus autem Elias, qui Euthymij rectè præerat ouibus, cum triginta & octo totis annis administrasset præfecturam, multaque præclara & egregia in ea fecisset opera, & magnum sui amorem reliquisset fratribus, qui in eis viget vsque in hodiernum diem, ipse quoque feliciter excedit ad Dominum. Cum quidam autem Simeon Apamensis post illum accepisset administrationem, & in ea tres tantum annos vixisset, Stephanus Arabs genere ei succedit: qui cum mortuus esset, * ei frater Procopius sexcentos aureos ex bonis paternis tribuit monasterio.

[b] Irruptiones Barbatorum.

LXXIII.

*For. * eius.*

SVB eadem autem tempora Cæsarius quoque quidam Antiochenus, qui in ciuilibus magistratibus sæpe bonam erat assecutus existimationem, cùm ad sanctam venisset ciuitatem, & satis longum esset illic tempus moratus, incidit in quandam corpoream valdè grauem affectionem. Quoniam verò deerat manus, quæ eum curaret, & omnem superabat tolerantiam & amicorum consolationem, cùm non haberet quidnam deinceps faceret, confugit ad sepulcrum admirabilis [c] Euthymij, & quod ex illo fluebat oleum, sit statim ad liberandum hominem remedium, cum solum morbus fuit inunctus. Is autem referens gratias pro beneficio, pecunias sancti monasterio alias quidam iam præbuit splendidè ac magnificè, alias autem etiam quotannis præbiturum esse promisit. Domum verò reuertens, cùm ad Tripolitanum Episcopum accessisset, quomodo solet animus in rebus huiusmodi lubenter rerum meminisse grauiũ, quæ iam præterierunt, narrauit ei singula, quemadmodum malum quidem eum inuasisset, & manus medicorum & præsentia familiarium, illę quidem ad curationem, hæ verò ad consolationem nihil valebant: & quemadmodum omnibus desperatis, venerit ad sepulcrum Euthymij, & quemadmodum illic solum vnctus oleo, protinus & citius, quàm quis sperare atque adeò optare ausus fuerit, inuenit curationem.

[c] Oleum è sepulcro S. Euthymii sanat morbum.

LXXIV.

HÆC ille quidem singulatim narrabat Episcopo. Quidam autem Leontius, illius consobrinus, cùm esset ætate valdè iuuenis, contigisset verò eum interesse narrationi, animo protinus, vt audiuit, incitatus, & maius aliquid animo agitans, quàm pro ætate, cùm quæcunque sunt mundana condemnasset, à quibus vt plurimum facilè decipi & capi potest iuuentus, rectà venit in magni Euthymij monasterium, & vitam suscipit monasticam. Quem vtique, cum virtute euasisset insignis, accersens Stephanus Episcopus, et tradit curam monasterij, quod conditum fuit in honorem magni martyris [d] Leontij. Paulò post verò cùm sedis etiam reliquisset successorem, excedit è vita vicesimo secundo mensis Ianuarij, cùm annos viginti & vnum integros præfuisset cœnobio. Porrò autem Leontius quoque, huius consobrinus, Nilum quendam cœnobij presbyterum euntem Antiochiam, & ab eo hospitio exceptum, cum ex ijs quæ aderant, satis accepisset, Orestiadis ordinat Episcopum. Et hæc quidem ita se habent.

LXXV.

[d] Leontius valde iuuenis fit monachus.

REVERTENDVM est autem ad magni Euthymij monasterium, & quæ deinceps consequuntur, ea sunt addenda narrationi. Post Stephani Episcopi consummationem, Thomas, qui genus trahebat ex Apamea, cum id felix & florens accepisset, minuit & circuncidit. Quo autem tempore is administrationem tenebat monasterij, ad eum rursus venit Antiochenus Cæsarius & ab illo humanè & benignè acceptus, cum in eodem cum eo accubuisset conuiuio, deinde vt solet inter eos agitari essent sermones, & audijsset quod in Diaconico essent illius ligni partes, in quo Dominus illo suo admirabili consilio fuit crucifixus: petit ab eo, vt liceat sancta illa ligna adorare, & eorum exiguam aliquam partem accipere. Cùm ergo annuisset is, qui præerat monasterio, eadem quidam hora ei aperit ambas fores Diaconici, referat autem thecas rerum pretiosarum, aliquid ardentius faciens & amantius: & ingressus est Cæsarius cum ijs, qui erant circa ipsum. Cum autem [e] adorassent & complexi fuissent, aliquam quoque partem accipiunt illius salutaris & venerandi ligni. Deinde etiam ingressi interiorem cellam Diaconici, rursus conuertũtur ad se reficiendos.

LXXVI.

[e] Lignum S. Crucis adoratur.

THEODORVS autem Galata quidam, qui eis ministrabat, frequenter exiens per Diaconicum, & ad eos ingrediens, sacris illis thecis apertis, sexcentos illos surripit aureos, de quibus antè diximus, qui positi erant in tribus crumenis. Et Præfectus quidem Cæsario & suis mentem adhibens, non sensit quod factum erat. Manè autem surgens Theodorus, simulabat se irasci, & præferebat se valdè indignari, quod non liceret ei frui quiete & silentio. Quocirca recedit ex monasterio, specie quidem quod desideraret locum vacuum à tumultu: re vera autem, quod cuperet latére, & aurum abscondere. Dum ergò ad sanctam ciuitatem iter esset ingressus, vbi fuit ex aduerso monasterij Monachi Martyrij, & sensim sedens, & genubus crumenas imponens, aureos quinquaginta numero ex vna harum sumpsisset, ponit reliquos sub magno quodam lapide: & cum locum signasset, & sibi notum, quoad eius fieri posset, fecisset, rectà profectus est Hierosolyma: illinc verò Ioppen. Cum equos autem conduxisset, & arrham dedisset, reuertitur ad lapidem, sub quo latebat aurum: & cum iam prope fuisset, ([f] ô oculum qui omnia intueris, ô iustissima iudicia) videt quendam magnitudine maximum & adspectu terribilem serpentem, qui è lapide prorepserat, & erat veluti collocatus ad seruandos aureos, conari arcere eum à re aliena. Ille ergo timore affectus, tunc quidem vacuis manibus reuertitur Sequenti autem die rursus redit, & rursus inuenit terribilem illum auri custodem adeo diligenter vigilantem ad auri custodiam, vt ne liceret quidem omnino accedere ad lapidem: quin etiam cùm aggredi perrexisset, diu serpens ita est eum persecutus, vt satis habuerit illinc saluus recedere. Postridie autem venit rursus ad locum, & protinus aduolans quædam virtus aërea, cum veluti quandam clauam incussisset Theodoro, & certam ei plagam influxisset, illum quidem

LXXVII.

[f] Vide rẽ admirandam.

quidem euertit & propè [a] exanimatum humi deijcit. Quidam autem Lazariotæ cùm transeundo aduenissent,& tam miserè iacentem inuenissent,accipiunt & deferunt in Nosocomium,quod est in ciuitate.

[a] Nota diuinam vltionem in sacrilegum

LXXXVII. CVM illic autem diu iaceret,videt in somnis quendam senem eum acriter corripientem,& dicentem: Non aliter tibi licet surgere,nisi surreptas pecunias prius reddas Euthymij monasterio. Cum itaque exindè accersijsset eum, qui accipiendis præfectus erat ægrotis:& furtum confitetur,& dolum aperit,& causam,quæ tunc latebat,cur è monasterio recesserit,propalat & profert in lucem veritatis : & quemadmodum sub quodam lapide aurum deposuerit,& quemadmodum cum sæpè accessisset & conaretur tollere, primum quidem serpens & magnitudine, & adspectu terribilis,qui è lapide prorepserat,eum expulerit admirabiliter & propter opinionem : deinde autem quædam virtus, quæ alicunde aduolauit, eum sic affecerit. Hæc cum accepissent Præfectus Thomas & Leontius, statim ascendunt ad sanctam ciuitatem,& cum Theodotum in quodam vehiculo imposuissent,vt eis ostenderet locum,in quo aurum erat abditum: ipsum quidem inueniunt sub lapide positum,formidabilis autem illic custos (ô miraculum)nusquam aderat:vt qui veluti veris dominis thesauro cessisset. Atque illi quidem statim tollunt aureos, parum curantes eos,qui cõsumpti fuerant à Theodoto.Ipse autem nihil amplius mali sentiebat,& erat sano corpore.

παραδοξία.

LXXXVIII. ATQVE Thomam quidem,qui octo annos Euthymij præfuerat monasterio, vicesimo quinto mensis Martij,septuagesimo anno post discessum Euthymij,benignus & clemens Dominus hinc euocat. Leontius aũt post eum suscipit præfecturam monasterij,à quo [b] ego,qui hęc scriptis mandaui,referor in catalogum fratrum illius gregis.Quæ ergo de hoc diuino & admirabili Euthymio Patres mihi narrârunt,vt dicam sicut diuinus Dauid, non abscondi à filijs eorũ in generationem & generationem. Oportet autem omnino ea, quæ meo tempore facta sunt, non despicere, cum qui sunt affecti beneficio;sint adhuc superstites,& intersint ijs quæ geruntur,& sui intuitus vtantur testimonio: sed & in hodiernũ vsque diem ea,quæ sunt præter opinionem,fiant miracula quæ sunt eorum quæ præcesserunt,probatio & perfectum signaculum,quòd de illis nihil sit omnino dubitandum.

[b] Author historiæ huius fuit monachus.

LXXXIX. DECIMOSEXTO itaque anno,cum Monachorum suscepissem habitum, vehementiq́ue quietis ac silentij tenerer desiderio & habitandæ solitudinis,quærebam honestam alioqui occasionem,vt ea consequerer. Cum nullam autem aliam inuenirem,præ me tuli magno me teneri desiderio videndæ dedicationis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & petij vt illucire liceret:Dimissus autem à Præfecto, cum iam essem recessurus à Metropoli Scythopolitarum, mater hoc mihi dat mandatũ,vt nihil ex ijs,quæ pertinent ad animam,ex me facerem absque admonitione & consilio Iohannis silẽtiarij.Ne fortè inquit,statim ab initio imprudens irretiaris errore Origenistarum.Cum ergo venissem in sanctam ciuitatem,& sacra quidem loca [c] adorassem,in quibus Dominus propter nos moras traxit salutares, & cum diuinæ quoq; crucis lignum adorassem,deinde ad eum me confero.Is autem cum & mihi alia monita dedisset & consilia, tandẽ hoc quoque mihi præcipit: Si vis,inquit,saluus esse,vade ad magni Euthymij monasterium, & in eo habita. Hæc cum ego audiuissem,venio per solitudinem quàm citissimè ad Iordanem : & cum satis longum tempus cum ijs,qui illic erant, patribus essem versatus,in illius magni monasterium delatus, sum susceptus. Leontius autem erat, cui & suscipiendi cura,& monasterij præfectura fuerat credita.

[c] Nota adorationẽ.

XC. CVM illic ergo versarer,video ea æstate quendam genere Cilicem,habitu monachum,Paulum nomine,ex Martyrij monasterio profectum,quem malus quidem possidebat spiritus:ab ijs aũt,qui ad ipsum attinebant,adducebatur ad monumentum Euthymij. Cum positus ergo fuisset monachus ad thecã reliquiarum , apparens paulò post magnus Euthymius,media nocte fugat [d] dæmonem. Fuit autem hoc certum curationis testimonium. Nam cum ipsa nocte ascendisset Paulus ad horam nocturnæ psalmodiæ,fit vnus ex ijs, qui canebant:& nobis omnibus præsentibus,se fatetur fuisse à Deo curatum.Cùm autem quod factum fuerat, didicissent monachi Martyrij monasterij,veniunt vt eũ rursus reducerent in suũ monasteriũ. Sed ille cum vellet ostendere se esse grato animo,& apud se scriptam conseruaret gratiam,mansit deinceps in cœnobio,omnemque laborem & ministerium alacri animo vnà subijt cum fratribus.

[d] Dæmoniacus curatur ad sepulcrum S. Euthymii.

μανούθια.

XCI. CVM nos autem aliquando colligeremus alimentum in solitudine,id verò erat quod vulgo solet nominari Manuthia,in colligendo rogauimus Paulum,qui ipse quoque aderat,quidnam ei accidisset, & quanam de causa venisset in cœnobium,& quamnam curationem esset consecutus apud thecam reliquiarum. Ipse autem, vt qui iam esset nobis familiaris,& apud nos non posset quidquam fingere,omnia apertè recensét. Ego,inquit,cum mihi Diaconatûs mun⁹ esset creditum in monasterio Martyrij,nescio quomodo laboraui auaritia,& captus sum amore pecuniæ. Cum autem essem inops,& nescirem vnde vel mihi drachmam pararem,venit mihi in mentem ex sacris vasis aliqua surripere, & vnumquodque eorum precio vendere,& sic aliquo modo mihi parare possessiones. Cùm verò victus essem ab his improbis cogitationibus,& Dei timorem excussissem,surripio claues ex ara : & cum locum aperuissem,in quo erant reposita vasa sacra,ex ijs alia quidem mihi vsurpaui , alia autem alijs quoque contemptim distribui. Deindè cùm illo Diaconatûs munere functus essem , claues quidem reddo rursus ad aram referens. Cùm autem ad cœnam venissem cum quibusdam fratribus,& me vini potione exatiassem , in strato miser recumbo. Protinus vero omnis intemperantiæ cogitatio in meam diffunditur animam,perindè ac si omnes concurrissent. Ego autem , cuius animus erat adhuc corruptus à temulentia,me libenter tradidi his cogitationibus : quæ me assumptum sic affecerunt , vt viderer sentire fœminam,quæ vnà mecum esset,& vnà cum ea iacere. Protinus ergo ad me venit obscura quædam nubes &[e] caliginosa : ea autem erat sceleratus dæmon,qui me inuaserat:à quo victus tanquam ab aliquo hoste captus , mansi ab eo longo tempore cruciatus,& quid non graue patiens? Vbinam enim male faciendi satietatem hostis cœperit, quando hoc facere fuerit in eius potestate ? donec fratres mei ducti misericordia me tollunt,& ad sancti capsam adducunt: & statim perinde ac si resipuissem,& ad me essem reuersus, cum calidis orabam lachrymis,vt mei magnus miseretur [f] Euthymius,& me ab hac scelerati dæmonis liberaret contumelia : & vespere propter eam iacebam supplicans,& non intermittebam orare.

[e] Et hic habes vindictam cælestem in sacrilegum, [f] implorat S. Euthymium.

XCII. IAM autem circa mediam noctem videbar mihi versari in quodam loco diuino & admirabili,cuius posituram, pulchritudinem,gratiam optauerit quidem videre quispiam,sed verbis nequaquam poterit exprimere. Videbatur aũt mihi nigra quoque quædam cuculla & lana plena esse meo capiti imposita : ea autem lana (ô malorum depulsor Dei serue Euthymi)absit vt vllis alijs imponatur. Nam intrinsecus quidem pro lana,ornata erat spinis, ijsque non tolerabilibus vtique aut mediocribus,sed stylorum stimulis magnitudine longitudineq́ue similibus. Caput autem meum vallebat,& nec omnino quidem hiare sinebat aut respirare. Cum tali ergo malo premerer, lingua mihi videbar versare nomen [g] Euthymij,& eum orare .Ille aũt statim mihi apparet,multa luce circuncirca refulgens,pilis canus,gratuis adspectu,lætus oculis,statura breuis,promissa barba,nigra veste indutus,& virgam manu tenens,& quanam re,inquit,tibi opus est? Quid autem vis tibi faciam? Cum ego autem timide & subtremebunde respondissem,Miserere meæ calamitatis,& à graui me libera dæmone:ille verò austerius respondens.Sed estne tibi, inquit,persuasum ex ijs quæ fiunt,nihil Deum latere? Didicisti ex ijs quæ passus es,quantum malum sit , res ecclesiæ aut Dei potius despicere, & inconsideratè ac temere perfundere? Nam quomodo rerum [h] ecclesijs consecratarum gratia apertè transit ad Deum,ipse autem rursus scit ex alto præbere remunerationes : ita qui eis male vtuntur, non in alium , sed in illum ipsum sunt contumelioſi,& ei meritas luunt pœnas : Si enim olim Ananias cum vxore,cùm ex ijs quæ ipsi obtulerant,surripuissét tantas

[g] S. Euthymius ei apparuit.

[h] Notẽ hæc vsurpatores rerum ecclesiis consecratarũ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Act.5. tantas dederunt pœnas, vt ipsi vnà furto morerentur: quamnam veniam consequetur, qui ne alienæ quidem parcit oblationi? Verumenimuerò, inquit, si pactum conuentum feceris, te nõ amplius rebus sacris manus iniustas immissurum, nec te malas admittendo cogitationes, suauiter oblectaturum; te, inquit, consolabitur Deus, & te curabit. Est enim benignus & clemens, & non vult mortem peccatoris, vt diuina docent eloquia, sed vt ipse conuertatur & viuat. Propterea enim tibi mala euenerunt præsentia, quod cum tibi rerum sacrarum creditum esset ministerium, non tamen te ipsum Deo conseruasti fidelem: sed statim ad dolum respexisti, & furtum metens vt verè dicam, vbi non seminasti, & colligens vbi non dispersisti. Hinc proficiscitur, quæ fit ab ipso derelictio: hinc insultus carnis & intemperantia, & hic grauis dæmonum fluctus hinc in te inundauit.

Ezech.18. & 33.

Hæc cum ego audiuissem, ei polliceor me in posterum cautionem esse adhibiturum. Et tunc, inquit, cùm in sce- XCIII
leratum dæmonem infremuisset, & manu meam cucullam apprehendisset, vix, inquit, & vi eam aufert capiti, ea autẽ statim mutauit formam, & mihi in sancti manu breuis quidam videbatur Æthiops, habens oculos igni similes. Visa est autem ante eius quoque pedes defossa esse fossa profundissima: & illum quidem deiecit in fossam: ad me verò rursus conuersus, illud dicit, quod Christus paralytico: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare: sed attende tibi ipsi, nè quid contingat deterius. Ab ea autem liberatus affectione, ardentius Deo actis gratijs, ab illo tempore sum conseruatus, vsque in hodiernum diem nullo malo affectus. Hæc cum mihi Paulus narrauerit, ego omnibus communem adieci narrationem. Verumenimuerò nunc mihi rursus incitatur oratio ad rebus alijs pascendas vestras aures. Non finit enim cessare miraculorum continuatio, semper mãgis prouocans orationem, & vehementi semper studio contendens progredi ad anteriora, quæ sunt præstantiora atque iucundiora, veluti ipsa secum certans, & ea quæ præcesserunt ijs, quæ sequuntur, volens vincere.

Ioan 5.

Dvas enim cisternas, quas fama est ab initio fodisse Amorrhæos, distantes duobus stadijs à cœnobio, renouat XCIV
quidem cum adhuc esset super terram magnus Euthymius, vt iam ante declarauimus: & cum alterius ori imposuisset ostium, tribuit Lauræ adaquationem. Alteram autem ijs, qui ab ipso baptizati fuerant, Agarenis, certo concedit tempore. Cum sic ergo haberent cisternæ, & vna quidem Lauræ, altera verò attributa fuisset Agarenis, solitudinem illã, quæ erat alioqui arida, & propemodũ aquæ expers, pluuiæ inuaserat penuria. Qui Lauram itaque incolebãt, aquæ veriti inopiã, cisternæ quidẽ ostiũ clauis & vectibus cõmuniunt. Cũ verò Præfecti, qui Romano suberâr imperio, Aretha & Asuades, contra se inuicem arma & bellum suscepissent, per solitudinem sæpè dispersi [a]barbari, & pecunias diripiebant, & domos euertebant, & quæcunque alia in his rebus violenta solent & tyrannica contingere, faciebant. Cum nos autem aliquando sederemus ante aditum cœnobij, accedunt quidam duo barbari, cum eis verò aderat quoque Christianus quidam, Thalamas nomine, qui erat cognatus Agarenorum, qui fuerant olim baptizati ab Euthymio. Adducebant autem vnum ex sua multitudine barbarum, qui ipse quoque à quodam sæuo possidebatur dæmone. Cũ ergo accessissent, exposuit nobis causã Thalamas, nẽpè quod cũ aliquando [b]barbari veniissent ad Lauram, vt potarẽt suos camelos, & cisternæ impositum inuenissent ostium, hic quem possidet dæmon, paulò magis barbaricè commotus, graui quidem lapide illud confringit: eum autem statim vicissim longè grauius ferit dæmon, & deinceps iacebat tortus ac dilaceratus, & os habens spuma oppletum. Ego verò, inquit, accedens, & quòd ita se haberet barbarus animo fractus, vnà cum his viris eum tollo, & ad sancti capsam affero, vt vnde accepit calamitatem, illinc inueniat mali quoque medicamentum. Eiusdem enim est & castigare propter audaciam, & curare [c]rursus propter clementiam. Cum ergò ad loculum positus esset is, qui laborabat, & non multum deinceps tempus mansisset, curationem inuenit maiorem quàm petierat: non liberatus solum ab affectione, sed etiam diuiniore luce animum habens illuminatum, & nõ multis postea diebus baptizatus.

[a] Barbarorum incursio.

[b] Dæmon inuadit Barbarum.

[c] Curatur obsessus ad reliquias

[d] Ideobsessa.

Hvivs autem ipsius quoque Thalamæ sororis filia, immundi dæmonis dominatu tenebatur. Ea igitur à Laza- XCV.
rio (illic enim habitabat Thalamas) portata ad capsam [d] reliquiarum, nullum quidem aliud medicamentum applicatum, nisi huius loculi sanctificatio: dies autem non plures quàm tres, ad perfectam sufficiunt liberationem ab eo, qui opprimebat. Quid verò de filio dixeris Agareni Argobi? (hoc enim erat nomen patris.) Quem cum pascentem greges in solitudine, quidam execrandus inuasisset spiritus, non solum mente, sed adspectu & oculis quoque erat peruersis. Delatus autem ipse quoque ad capsam [e] reliquiarum, breui omnino erigitur, & omnia suo loco restituta habens, patri redditur. Multa quis posset alia eiusmodi recensere, atq; adeò inhumerabilia. Quãdã enim mulierem, quæ in vico Betabudison cum marito habitabat, meridie domi aliquando sedentem grauis inuadit dæmon: & totos quidem sex menses cum eo colluctabatur, & marito morte grauiorem vitam efficiebat. Cum itaque is eum casum ferret intolerabiliter, & nullam posset molestiæ inuenire consolationem, constituit ad magnum confugere Euthymium: & cum sic furore percitam accepisset coniugem, cum ea venit ad monasterium. Quoniam verò non licet introire mulieribus, assidebat in vestibulo, faciens quæ poterat, ieiunio vtens & oratione, & singulis vesperis bibens ex capsæ sanctificatione, cum oleo lucernæ. Tertia aũt consequenti nocte ei magnus apparens Euthymius ei dicit: Ecce [f] sana facta es; vade in domum tuã, statimque & morbus est dissolutus, & cessauit insania, & domũ mulier sana mente reuertitur. Ab illo aũt tempore, vtpote memor beneficij, quod à sancto acceperat, quotannis veniebat ad monasterium, ipsũque limen & solum, quod est ante ingressum, & pulueré ipsum cõplectens, osculabatur, fratresque inuitabat ad conuiuiũ, & quàm humanissimè poterat, accipiebat. Et hoc quidem est eiusmodi, & quod nulli priorum cedit magnitudine.

[e] Alii innumerisanantur.

[f] Ecce mirã curationẽ.

Illvd autem ipse quoque, qui subijt calamitatem, & ad sancti sepulcrum consecutus fuit curationem, cùm sit XCVI.
adhuc superstes in monasterio, & vnus ex ijs, qui in eo sunt Monachis, sua lingua & voce testificatur. Est enim quidam frater in monasterio, genere Galatha, nomine Procopius. Hic ergo Procopius cùm adhuc in ciuilibus versaretur tumultibus, occupatus fuit à malo dæmone, & eum habuit diu simul habitantem, & ea, quæ intus erant, opplentem strepitu, sicut ipse mihi narrauit. Postquam autem mundo relicto accessit ad monasterium: & à conuentu fratrum fuit acceptus, & [g] adorauit capsam reliquiarum, malus statim dæmon est conuictus tanquam lux à tenebris, & in apertum productus, & esse dæmoniacus cognitus est Procopius, omnia illa patiens, quæ sunt propria ijs, qui sic sunt affecti: vt qui crebrò disrũperetur, & humi prouolueretur: & vinctam præterea haberet linguam, & nec sineretur quidem loqui, vt consueuerat: quem ipsum quoque magnus curat Euthymius, & ab affectione simul & insania liberat, & à linguæ vinculis: sicut in hodiernum vsque diem ostenditur præsens in monasterio, non solum sanus & liber ab omni affectione, sed omni temperantia & tolerantia insignis, & in eo suaue Christi iugum trahens pro viribus.

[g] Adorauit pro veneratus est.

His consequens fuerit ea persequi, quæ illi Xenico euenerũt. Nobis enim aliquãdo sedẽtibus in ingressu monasterij XCVII.
& ligonem quendam in manu habentibus & purgantibus, aduenit hic cum magno tumultu, tanquã procella quædã à malo actus dæmone, & clara voce exclamãs: Quid mihi & tibi, Dei serue Euthymi? Quo me violenter trahis? Nõ exeo. Deinde eũ ante fores proijcit malus [h] dæmon, ceciditque casu ijs, qui videbant miserabili. Cùm ergo cum ianitore Babyla surrexissemus, & vix eum sustulissemus, ad reliquiarum capsam eum deducimus. Ille autem adhuc similes quoque voces vsurpabat, sic clamans: Cur me per vim diuellitis & distrahitis? Cur me ad meum hostem ducitis? Cur me ad eum vehementer trahitis, qui me semper incendit? O violentiam! Non ambulabo vobiscum, sed egrediar, & non manebo amplius. Postquam autem ad ipsum sancti sepulcrum cum Xenico multum defessi peruenimus, eum rursus

[h] Nota, dæmonem incendi a S. Euthymio.

rursus quoque dejcit dæmon: & cum totam illam noctem mutus omnino transegisset, manè surgit moderatus & sanæ mentis, ne minimas quidem habens priorum reliquias. Cùm itaque cum eo inijssemus conuiuium, inter cœnandũ eum interrogauimus, quidnam heri ei accidisset, & quemadmodum huc venisset, & quidnam clamaret. Ille verò dicebat se omnia ignorare, & neque quemadmodum huc venisset, neque quid clamaret, se omnino sciuisse. Hæc autem cũ sint eiusmodi, & quod ad miraculorum rationem attinet, nihil relinquunt, quod ea superet, ijs solis cedunt, quæ facta sunt in vico Betagabæorum, ad quæ nostra nunc conuertitur oratio.

XCIIX Erat enim quidam Presbyter in monasterio, ex eo vico ortus, nomine Achthabius, qui quadragintaquinque annos in eo peregerat, & Christi mandata se probè exequi ostenderat. Erat autem ei quoque quidam frater genere in vico Tagabæorum: qui quidem ad duodecimum lapidem distat à Gaza, nihil fratris similia aut cognata faciens, Romanus, (ita enim vocabatur) sed delicatè viuens & otiosè. Cùm verò ei quidam inuidisset facultates, ei per scelus parabat insidias, & eas conabatur auferre. Cùm autem à scopo aberrasset, & vehementiori inuidiæ stimulo esset consauciatus, venit Eleutheropolim, & aduersus eum quendam accipit præstigiatorem, alterius damnum miser magno comparans. Atque ille quidem vsus est ijs, quas sciebat, artibus: Romanus autem, vt qui nihil præuidisset eorum, quæ gerebãtur, in agro degebat; nihil omnino cauens ea, quæ per ipsum struebantur, maleficia, & laborans quoque veterno corporis, (vtpote quòd Deus eius magnam interrumperet socordiam, & eius animum ad studium reduceret & diligentiã, & ideo permisisset, vt aliquantum vinceretur à maligni insidijs, vt paulo post ostendent ea, quæ subiungentur) domũ refertur. Deinde cùm malum vehementius incubuisset, ille quidem iacebat hydropicus, & planè erat desperatus ab arte medicorum. Qui autem ad eum attinebant & amici, circunsidebant, vltimas separationis lachrymas propter eum emittentes.

XCIX Cvm hic ergo ita esset grauissimè affectus, & ipsam mortem expectaret, cùm vix & obscurè admodũ, vt vix cerni posset, oculos aperuisset, orat eos, qui aderant, vt paululum secederent: ipseque solus relictus, & ad parietem conuersus, sicut ille magnus aliquando Ezechias, in contritione cordis talia est precatus: Deus exercituum, qui dixisti, Quando conuersus ingemueris, tunc eris saluus: ipse respice super me, & ab hac, quæ me comprimit, necessitate & calamitate eripe. Interea autem cùm in mentem venisset, magnum vocabat [a] Euthymium aduersus hanc affectionem, & eum Deo offerebat intercessorem, & per ipsum rogabat vt liberaretur. Deindè cùm fuisset veluti in ecstasi, videt quendam vestitu monachum, pilis canum, adstantem & dicentem: Quid vis tibi faciam? Et ille quidem metu, inquit, & gaudio diuisus, interrogauit: Quis tu es Domine? Euthymius autem dixit: Quem ipse nuper vocasti: neque meum adspectum quidquam extimescas, sed videam quid patiaris, & quænam pars corporis acceperit calamitatẽ. Cum autem ostendisset ventrem, ipse coniunctos suos erigens digitos, & his vtens tanquam gladio, scindit id quod ventris intumuerat, & affectionem illam excernit, & diffundit, & ex ventre educit veluti quandam laminam ex stanno factam, quæ quosdam habebat characteres, eamque in mensa subijcit eius oculis. [b] Deinde cum manu cõiunxisset scissuram & inunxisset, integramque partem effecisset & sanam, deinceps ei tc tum actum refert: ex opibus exortam inuidiam, malefici conductionem, dæmonum inuocationem. Te autem ne sic quidem, inquit, vicissent hostis machinationes, nisi ipse ansam prębuisses. Ecce enim, quantum est tempus, ex quo nec ad ecclesiam venire curasti, nec ad intemerata accedere sacramenta: sed vixisti sine cura & solicitudine, quòd ad tuam quidem pertinebat animam? Quoniam ergò tui Deus motus est misericordia, deinceps attende tibijpsi, & nè tuæ salutis curam amplius negligas. Hæc vbi audijsset Romanus, & statim surrexit sanus, cùm tumor, qui erat in ventre, iam esset perspiratus: & conuocatis suis necessarijs, eis & sancti aduentum, nouamque illam & alienam per digitos dissectionem, & totam, vt semel dicam, renuntiauit visionem. Deindè verò ad nos quoque transijt, & præfecto monasterij, & fratri Achthabio, & nobis omnibus hæc narrauit. Eo autem die, quo factum miraculum, maximum in hodiernum vsque diem festum celebrat, & quotannis sancto agit gratias. Sed hoc quidem est huiusmodi.

4 *Reg.* 20

[a] Inuocat æger S. Euthymium.

[b] Ecce quãtam habẽt potestatem sancti post mortem.

C. Qvod autem iam dicere aggreditur oratio, vereor nè videatur multis incredibile, eiusque moribus & clementiæ non satis congruere, tantum ostendit ardorem & tam perfectum zelum in eos qui peierant. Est enim quidam vicus ad solẽ orientẽ, à Laura Pharanum distans decẽ stadia, qui ipse quoq; vocatur Pharan: qui quidem non cognomen, vt arbitror, accepit, sed ipse nomen potius Lauræ dedit. Vir autem quidã nomine Cyriacus ex eo ortus, pascebat gregẽ: & cùm gregem pasceret per illas solitudines, à quodam, qui erat ortus ex eodem vico, qui ipse quoque erat pauper, eius fidei creduntur oues aliæ decem numero, vt eas vnà cum suis pasceret. Cum autem aliquantum temporis interesslisset, redactus est pauper ad necessitatem adeò inexorabilem, vt cùm nihil haberet aliud, ad gregem statim respiceret, & necesse haberet eum vendere. Cùm verò mali esset animi, vt videtur, Cyriacus, & nec paruo quidem lucro præferret veritatem, octo solas reddebat, & tot se ab initio accepisse asserebat. Cùm is autem duas alias vltra eas peteret, inficiabatur Cyriacus, & res eis tendebat ad contentionem, & ambo inter se magnam agitabant seditionem. Quidam verò arbitri inter eos accepti, ei qui vellet iurare, detulêre iusiurandum, vt ea ratione inter eos componeretur controuersia. Cum autem statuisset iurare Cyriacus, pauper ab eo exigebat iusiurandum per capsam reliquiarum magni Euthymij: & iam fuerat eis quidem dies præstitutus, & per illam ipsam iuraturus vel potius peieraturus, descendebat cum paupere ad monasterium. Cùm verò ea via ingrederentur, quæ ab Hierusalem fert in Hiericho, & iam ab ipsis videretur monasterium, videns pauper [c] Cyriacum totum periurio deditum, & veluti in summa lingua habentem iusiurandum, & timore affectus, perindè ac si ipse esset iuraturus aut peieraturus, Age, inquit, frater, reuertamur. Nobis enim ad fidem faciendam sufficit vel sola ad iurandum propensio, nec oportet aliquid amplius adijcere. Hæc cum ille quidem dixisset, rogabat eum nè iuraret. Is autem non ferebat, sed nisi etiam periurium re ipsa perficeret, putabat se rem absurdam facere.

[c] Vide pauperis religionem & animum bonum.

CI. Postqvam ergò ingressus est monasterium, & graue illud perpetrauit aduersus capsam reliquiarum, & ad finẽ deduxit periurium: ille quidem, vt qui esset reuera insipiens, dixit in corde suo, Non est Deus: vel potius ipse Dei oblitus, existimabat fore vt eum quoque lateret. Et domum quidem tunc est reuersus, veluti quadam accessione stultè lætus lucro, quod fecerat ex periurio. Postridie autem ipse quidem in lecto iacebat vigilans circa mediam noctem: Ei verò videbatur, ostio domus sua spõte aperto accedere quidam senex Monachus cum quinque iunioribus, manu quidẽ dextera virgam [d] tenens, plurima autem luce totam domum illustrans, terribilique eum adspectu intuens, austera voce dicere: Quidnam ergò, ô stolide, ausus es aduersus capsam Euthymij? eum autem, cùm illi esset os obstrictum, & nihil inuenire posset, quo se excusaret, sed perindè ac surdus lingua esset impedita, ijs qui circa se erant, iussisse tradi puniendũ. Deindè cùm quatuor eũ distendissent, quinto virgam in manum tradidisse, & mandasse vt eum validè verberaret, vt non esset Dei contemptor, nec periurus, neque fraudator alienorum. Postquàm verò visus est habere satis plagarũ, cum manum repressisset adolescentis, eum apprehendit capillis, & ait: Num nosti, ô impie, esse Deum, qui hæc in terra iudicat? Ecce autem hac nocte à te animam petunt. Quæ verò improbè abstulisti, cuius erunt? Propterea autem hoc tibi intulit supplicium, vt ex eo euadant alij meliores, & id, quod ex periurio imminet, periculum fugiant, vel potius ipsum omnino iuramentum, & si vera sint dicturi.

Psa 13 & 52.

[d] Egregiè flagellatur periurus.

Hæc cum ille Cyriaco minatus esset & dixisset, statim recessit cum ijs, qui erant circa ipsum. Ipse autem & visione conturbatus, & alioqui cum ferre non posset dolores allatos ex plagis, voce vsus est acutiore, & vocauit eos, qui propè erant, & plagas ostendit, & periurium planè est confessus, & apud eos suam defleuit calamitatem. Deindè eos rogauit, vt ferretur ad sancti capsam: Fortè dicens, is qui has plagas inflixit intolerabiles, facilius curauerit, cum sit illius discipulus, cui est innatum benefacere potius, quam punire. Nam aduersus tales dolores medicorum manus vix suffecerint. Illi autem cum hæc audiuissent, & quàm graues etiam plagas accepisset spectassent, & ipsi quoque non leui essent metu affecti, eius tamen cedentes desiderio, eius exportandi sic rationem ineunt. Implent duos saccos palea, cumque eos cuidam asino ex transuerso rectè imposuissent, eum deindè imponunt medium, & ad monasterium & ad capsam deferunt. Qui cum omnia, quæ ei euenerant, nobis narrassent, & quas in tergo acceperat plagas ostendissent, tantum fratribus metum immittunt, vt nullus exhinc neque ipse sineret aliquem iurare per sancti capsam, neque quâtum in eis esset, alij iusiurandum deferret. Illi autem cum tunc apud nos diem vnum transegissent, cum vidissent Cyriacum vel tenui & imbecilla spe vitæ esse priuatum, & ad mortem spectare, cùm venter eius defluxisset, & os nè tantillum quidem posset vomitum reprimere, eum tollunt, & domum rursus referunt. Is verò cum illa vix nocte vixisset, mortuus est postridiè. CIL.

Orat se adduci ad reliquias S. Euthymii.

Ecce vltionem.

Illo autem tempore externus quoque quidam peregrinus, in monasterio hospitio acceptus, cum precandi gratia in templum accessisset, & quæ in eo erant, omnia esset contemplatus, media nocte sepulcrum sancti subiens, quæ supra id stabat χώνην argenteam, non illotis solum, vt dicitur, sed etiam prophanis reuera aufert manibus, noctuque clam à nemine conspectus egreditur. Ex ijs autem omnibus, qui erant in monasterio, nullus dolum deprehendit, sed ignorabatur id, quod factum fuerat. Manè verò, qui ianuæ præerat Procopius, qui etiam à sancto consecutus fuerat magnam prius curationem, ab aditu parum progressus, inuenit externum illum, (ô miraculum) quodam modo instar colũnæ affixum. Animo itaque perplexus, & nesciens quid ageret, aperit arcanum ianitori. Ille autem introducit quidem eum in monasterium: efficit verò, vt omnibus fratribus præsentibus fateatur miraculum. Narrabat autem aliquid nouum & prope non credendum. Dicebat enim, se circa mediam quidem noctem argenteam illam χώνην surripuisse: statim verò egressum esse cum bestijs monasterij, & noctù quidem deinceps celeri pede iter esse ingressum non minus quàm triginta stadia, nequaquam autem transijsse fines monasterij, sed diluculò ante ipsum fuisse inuentum tanquam vinctum, & qui nè minimum quidem moueri poterat. Furem enim quodammodo vinxerat id, quod furto surreptum fuerat, & faciebat manere eos, qui furtum sustinuerant. Nos omnes propter hæc obstupuimus, & hanc sancti magnam virtutem mirati sumus. Cum ergo sacram χώνην accepissemus, & viro (pauper enim erat) quòd satis erat viatici dedissemus, dimisimus eum domum discedere. CIII.

χώνη

Sacrilegus fur non potest aufugere.

Hæc sunt magni Patris Euthymij pauca ex multis, quæ & ipsi vidimus, & quæ auditione accepimus: vt nec vita, quam egit in carne, nec quæ post decessum facta sunt ab eo miracula, ignota sint posteris: quoniam vtraque inter se conueniunt, & pulchre inter se cohærent. Res enim eiusmodi factæ post mortem non possunt esse alterius, nisi eius, qui talem vitam ostendit super terram. Neque alius talem vitam egisset, nisi is, qui post mortem talibus est clarus miraculis. Ego enim, qui ipse quoque sum ab eo multas consecutus gratias, & multis ab eo beneficijs affectus in corpore & anima, cùm viderem eius capsam assiduè multis scatere miraculis, & apud me semper mirabar, & cogitabam, quomodo ad Deum tantam assecutus sit fiduciam, & incitabatur animus vehementi desiderio accuratè sciendi, quęnam fuisset eius vita: & quænam in virtute fuisset exercitatio, & vndenã ei tanta fuisset cum Deo familiaritas & coniunctio. Cum autem incidissem in multos ex patribus, qui erant in solitudine, qui partim quidè rectè audierant res Euthymij. partim autem cum ipso quoque beato Saba conuersati fuerant: quæcunque vnusquisque eorum de vtrouis eorum mihi narrauit, omnia quidem conscripsi accuratissimè, confusè tamen & inordinatè. CIV.

Vitam miracula, miracula vita cõmendat.

V. Synodus œcumenica.

Cvm procedente autem tempore postea congregata fuisset Constantinopoli quinta sancta Synodus, & Origenis & Nestorij dogmata fuissent ab ea percussa anathemate, & qui nouam Lauram tenuerant Origenistæ, illinc essent expulsi, & fideles & Orthodoxi patres rursus in eã migrassent, permittente mihi admirabili Iohanne Silentiario, eo, inquam, qui erat Episcopus, discedo à cœnobio, & ipse quoque versor in hac laura. Cum autem ad eam transissem, secutus paternas literas, quæ à me portabantur, vt componerem historiam beatorum Euthymij & Sabæ, duos quidem annos deinceps continuos quieui in Laura, & cœptum opus sum persecutus. Cùm verò nõ possem orationis facere principium, vt qui non sim in externa versatus eruditione, non cessabam lachrymari, & vehemẽtissimè rogare & precari. Iam autem cogitabamus desistere à cœpto adòò difficili, & quod nostris erat viribus superius. CV.

Cvm itaque essem aliquando animi dubius & perplexus, & sederem in solita cathedra, habens chartam in manu, & cogitabundus, circa secundam horam diei me somnus opprimit, & statim magnus Euthymius & diuinus Sabas apparent, vestiti ita vt consueuerant, & mihi videbar eos audire disserẽtes, venerando Saba primũ incipiente sermonẽ, & dicente magno Euthymio. Ecce Cyrillus quidem tuus manu quidem tenet chartam commentariorum: cum autem magnum adhibuerit studium & diligentiam, nondum potuit orationi ne principium quidem imponere. Cum autem dixisset Euthymius: Et quomodo hæc potuerit facere, si non eum superna adiuuerit gratia? Diuinus Sabas, At tu ei da gratiam sancte pater, respondens, inquit. Et simul diuinus Euthymius annuenti similis, cum manum suam in sinum immisisset, argenteam quandam mellis pyxidem illinc sumit, in qua cum scalpellum intinxisset, in os mihi ter immisit. Illius autem species quidem erat similis oleo, gustus verò (ô quæ illic sunt gratiæ) re vera explicari & verbis exprimi nó potest: & id quidem cum melle conferre esset plane eam rem afficere iniuria. Nam mihi etiam expergefacto propter voluptatem, quæ narrari non potest, eius adhuc in ore remanebant reliquiæ, & sic expletus diuina hac suauitate, præsens opus sum aggressus, in alio quoque opere conatus Sabæ res gestas scribere. Eorum autem intercessionibus magna ad auditores redeat vtilitas, in gloriã Patris & Filij & Spiritus sancti, vnius & inseparabilis Trinitatis, quam decet gloria, honos & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen. CVI.

Hic habes nomen authoris huius historię

Idem scripsit vitam Sabæ.

TRANSLATIONEM S. HONORATI ARELATENSIS EPISCOPI AB ARELATO ad monasterium Lirinense habes 16. Ianuarij subiunctam: vitæ S. Honorati.

20. IAN. AN. 300. *Est inter Epist S. Ambrosij 34. vltimæ editionis*

VITA S. VIRGINIS ET MARTYRIS AGNETIS, QVÆ TRIBVITVR, S. AMBROSIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

21. IANV. Tempore D. Ambrosij celebratur festum S. Agnetis

SERVVS Christi Ambrosius Virginibus sacris: Diem festum sacratissimæ virginis celebremus. Hinc psalmi resonent, indè concrepent lectiones. Hinc populorum turbę lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, & ad ædificationem virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit, quia solum vitæ dilexit autorem. Infantia quidem computatur in annis, sed erat senectus mentis immensa: corpore quidem iuuencula, sed animo cana: pulchra facie, sed pulchrior fide. I.

DVM

II. Dvm à scholis reuertitur,à præfecti [a] Vrbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisissẽt & inuenissẽt,cœpit offerre plurima,& plura promittere.Denique detulerat secum pretiosissima ornamẽta, quæ à beata Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est,vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo. Et putans eam maiora velle accipere ornamenta,omnium lapidum preciosorum secum detulit gloriam:& per seipsum,& amicos & notos,& affines cœpit aures virginis appellare,diuitias,domos,possessiones,familias,atque omnes mundi huius diuitias repromittere,si consensum suum eius coniugio non negaret.

[a] S. Agnes petitur a Præfecti filio.

III. Ad hæc beata [b] Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum:Discede à me fomes peccati,nutrimentum facinoris, pabulum mortis:discede à me,quia iam ab alio amatore præuenta sum,qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta,& annulo fidei suæ subarrauit me,longè te nobilior & genere,& dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dextram meam & collum meum cinxit lapidibus preciosis Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas,& circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta,& immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum,si ei perseuerauero,repromisit.Nõ ergo potero ad contumeliã prioris amatoris vel adspicere alium,& illum derelinquere,cum quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior,possibilitas fortior,adspectus pulchrior,amor suauior,& omni gratia elegantior.A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant.Iam mel & lac ex ore eius sucepi:iam amplexibus eius castis adstricta sum: iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas.Cuius mater virgo est,cuius pater fœminam nescit. Cui angeli seruiunt,cuius pulchritudinem sol & luna mirantur , cuius odore reuiuiscunt mortui, cuius tactu fouentur infirmi,cuius opes nunquam deficiunt,cuiusque diuitiæ non decrescunt.Ipsi soli seruo fidem.Ipsi me tota deuotione cõnitto.Quem cum amauero,casta sum:cum tetigero,munda sum:cùm accepero,virgo sum. Nec deerunt post nuptias filij,vbi partus sine dolore succedit,& fœcunditas quotidiana cumulatur.

[b] Nota cõstantiam tenerimæ virginis.

IV. Avdiens hæc insanus iuuenis,amore carpitur cęco,& inter angustias animi, anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur,& per alta suspiria amor medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inuenta à medicis, & eadem paterna voce,quæ fuerant iam dicta à filio,ad petitionem virginis reuoluuntur: Abnegat Agnes beatissima,& se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera violare.Cumque pater diceret,in fascibus præfecturæ se agere,& idcirco nõ sibi quenuis illustrissimum virum etiam posse præferri:cœpit tamen vehementissimè inquirere , quis esset sponsus, de cuius se Agnes potestate iactaret.Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia,& magicis artibus ita occupatam,vt dicat Christum suum sponsum.

V. Avdiens hæc præfectus,lætus efficitur,& missa apparitione, cum ingenti strepitu suis eam [c] tribunalibus præcipit sisti.Et primo quidem blandis eam sermonibus secretius prouocat,deinde terroribus pulsat.Sed virgo Christi nec blandimentis seducitur,nec terrore concutitur: sed eodem vultu , eodem animo perseuerans,& terrentem similiter, sicut blandientem,animo deridebat. Videns itaque Symphronius prefectus tantam in puella constantiam , parentes eius alloquitur.Et quia erant nobiles , & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequenti nanque die Agnen sibi præsentari iubet,& iterum iterumque repetens , replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. Cumque omnis sermo eius casso labore deficeret,sisti eam iterũ suis tribunalibus iussit:cui & dixit: Superstitio Christianorum,de quorum te magicis artibus iactas,nisi à te fuerit segregata,non poteris insanias abijcere pectoris, neque æquissimis consilijs præbere consensum. Vnde te ad venerandam deam Vestam properare necesse est, vt si perseuerantia virginitatis placet,eius die noctuque sacrificijs reuerendis insistas.

[c] S Agnes sistitur ad tribunal.

VI. Ad hæc beata [d] Agnes dixit.Si filium tuum,quanuis iniquo amore vexatum , tamen viuentem hominem recusaui,hominem vtique,qui est rationis capax,qui & audire,& videre, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cum bonis frui: Si ergò hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere, quomodo possum idola muta, & surda, & sine sensu,& sine anima colere,& ad iniuriam summi Dei,ceruicem meam vanis lapidibus inclinare? Audiens hæc Præfectus Symphronius,dixit: Cupio consultum infantiæ tuæ, & adhuc te Deos blasphemantem idcirco differo , quia annos tuos infra sensum adspicio. Noli ergo temetipsam ita despicere, vt motus deorum incurras. Beata Agnes dixit:Noli infantiam corporalem ita in me despicere, vt putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis,sed in sensibus inuenitur: & Deus omnipotens mentes magis comprobat,quàm ætates. Deos autem tuos,quorum motus me incurrere non vis ipsos irasci permitte:ipsi loquantur,ipsi hoc mihi præcipiant , ipsi iubeant se coli , ipsi iubeant se adorari. Verum quoniam ad hoc video te tendere,quod impetrare non poteris,quicquid tibi videtur,exerce. Symphronius præfectus dixit: Vnum tibi è duobus elige:cum virginibus deæ Vestæ sacrifica,aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanaris Et longè erunt à te Christiani,qui te ita magicis artibus imbuerunt,vt hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Vnde, vt dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad laudem generis tui,aut ad ignominiam natalium tuorum,eris publicæ abiectionis scortum.

[d] Sapienter Præfecto respondet.

VII. Tvnc beata [e] Agnes cum ingenti constantia dixit:Si scires quis est Deus meus , non ista ex ore tuo proferres. Vndè ego quia noui virtutem Domini mei Iesu Christi,secura contemno minas tuas, credens quod neque sacrificem idolis tuis,neque polluar sordibus alienis:Mecum enim habeo custodem corporis mei, angelum Domini. Nam vnigenitus Dei filius,quem ignoras,murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est nunquam dormiens , & defensor mihi est nunquam deficiens.Dij autem tui,aut ærei sunt,ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsus hominum: aut lapidei,ex quibus sternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat,sed in cælis: non in ære,aut aliquo metallo,sed in regno superno consistit.Tu autem & similes tui,nisi ab istorum cultu recesseritis,simul vos pœnæ concludent.Sicut enim illi igne conflati sunt,vt funderentur : sic colentes eos,perpetuo incendio conflabuntur:non vt fundantur,sed vt confundantur in æternum,& pereant.

[e] Contemnit minas iudicis:

VIII. Ad hæc insanus iudex iussit eam expoliari,& nudam ad [f] lupanar duci sub voce preconis,dicentis: Agnen sacrilegam virginem,dijs blasphemiam inferentem,scortum lupanaribus datam. Statim autem vt expoliata est, crine resoluto,tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur fimbrijs eorum,quàm vestibus tecta.Ingressa autem turpitudinis locum,[g] Angelum Domini ita præparatum inuenit , vt circundaret eam immenso lumine,ita vt nullus posset eam præ splendore respicere. Fulgebat enim tota cellula illa ,quasi radians sol in virtute sua: Et quanto quis curiosior oculis esse voluisset, tanto sibi visus aciem obtundebat. Cumque se in orationem Domino prostrauisset,apparuit ante oculos eius stola candidissima Et apprehendens eam [h] induit se,& dixit: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe,qui me in numero ancillarum tuarum computans,vestem hanc mihi largiri præcepisti.Ita nanq; ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum,& ita nimio candore conspicuum , vt nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum.

[f] Nudatur & virgo,& ad lupanar ducitur.
[g] Vide miraculum.
[h] Accipit cælitus vestem.

IX. Interea lupanar efficitur locus orationis: in quo omnis,qui fuisset ingressus, adoraret & veneraretur,dans honorem immenso lumini,& mundior egrederetur foras, quam fuerat intus ingressus.Cumque hæc agerentur,præfecti filius,qui author erat huius sceleris,venit ad locum cum sodalibus suis iuuenculis,insulturus puellæ,cũ quibus libidinis suæ se posse credebat ludibriũ exercere.Et ingressos ante se furentes pueros & turpiter sæuientes, cũ omni veneratione

ratione & ingenti admiratione egressos cœpit impotentes arguere, atque vanos, & molles ac miseros iudicare. Et irridens, locum, in quo virgo orabat, audacter ingressus est. Et videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo: sed irruens in ipsum [a] lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à diabolo, expirauit. Videntes autem socij eius, quòd moras intus faceret, putabãt obscœnis eum operibus occupari. Et ingressus est vnus ex inuenibus, qui ei familiarior erat, vt congratularetur insultationi eius: & mortuum eũ inueniens, exclamauit voce magna, dicens: Pijssimi Romani, succurrite. Magicis artibus ista meretrix præfecti filium interfecit.

[a] Præfecti filius à diabolo præfocatur.

Fit repente concursus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocentem, alij sacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium suum interisse, cum ingenti tumultu venit ad theatrum. Et ingressus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat: Crudelissima omnium fœminarum, ad filium meum voluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare? Et cum talia, atque alia huiusçemodi verba repeteret, & causas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille, cuius voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes, qui ad me ingressi sunt, sani sunt? Quia vniuersi dederunt honorem Deo, qui misit angelum suum, & induit me hoc indumento misericordiæ, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est & oblatum. Videntes ergo splendorem angelicum, adorabant omnes, & abscedebant illæsi. Hic autem impudens statim vt ingressus est, sæuire cœpit & fremere; cumque manum suam ad me contingendam aptaret, dedit eum angelus Domini in reprobam, quam cõspicis mortem. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit, quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum angelum, vt restituat mihi filium meum sanum. Cui beata [b] Agnes dixit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur à Domino, tamẽ quia tempus est, vt virtus Domini mei Iesu Christi manifestetur: egredimini omnes, vt solitam ei orationem offerã. Cũque vniuersi fuissent egressi, prosternens se in faciem planam, rogare cœpit Dominum, vt iuuenem suscitaret. Orãte autem illa, apparuit Angelus Domini, qui eleuauit eam flentem: & confortans animum eius, iuuenem suscitauit. Qui egressus foras, cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus [c] Deus in cælo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum. Nam omnia templa vana sunt: Dij qui coluntur, omnes vani sunt, & penitus nec sibi possunt, nec alijs aliquod auxilium exhibere.

X.

[b] Redit ad vitam precibus S. Virginis.

[c] Christum palam confitetur.

Ad hanc vocem omnes aruspices, & templorum pontifices conturbabantur, & fit per eos vehementior, quàm fuerat, seditio populorum. Atque omnes vna voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit. Sed veritus proscriptionem, si contra templorũ pontifices ageret, & Agnen contra suam sententiam defensaret: vicarium ad seditionem populi iudicem dereliquit. Ipse aũt tristis abscessit, quòd eam non potuit post resurrectionem filij sui liberare. Tunc vicarius, Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medio eam præcepit iactari [d] flãmarum. Quod cum fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flammæ, & hinc, atque illinc seditiosos populos exurebat: ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium. Eo magis non hoc virtutibus diuinis, sed maleficijs reputantes, dabant fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cælos. Tunc beata Agnes expandens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: [e] Omnipotens adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Iesu Christi, benedico te, quia per filium tuum vnigenitum, euasi manus hominum impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transiui. Ecce & nunc rore cælesti perfusus per Spiritũ sanctũ focus, iuxta me moritur, flãma diuiditur, & ardor incẽdij huius ad eos, à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te, pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi video: quod speraui, iã teneo: quod cõcupiui, complector. Te confiteor labijs & corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio viuum & verum Deum: qui cum Domino nostro Iesu Christo filio tuo, & cum Spiritu sancto viuis & regnas in cuncta secula seculorum, Amen.

[d] S. Agnes iactatur in ignem.

[e] Orat in mediis flãmis.

XI.

Cvmqve complesset orationem, ita omnis ignis [f] extinctus est, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aspasius, Vrbis Romæ vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur eius [g] gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu roseo sui sanguinis rubore perfusam, Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit. Parentes verò eius, nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus, & posuerunt illud in prædiolo suo, non longè ab Vrbe, in via, quæ dicitur Numentana. Vbi cum omnium turba Christianorum concurreret, insidias à paganis perpessi sunt: & videntes populum infidelium super se venientem armatum, omnes fugerunt. Aliquanti tamen lapidum ictibus læsi, euaserunt, Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, virgo sanctissima, licet catechumena, constanter intrepida stabat & immobilis, & his verbis exprobrabat eis: Superflui, miseri, caduci, atque atrocissimi, Deũ omnipotentem colentem occidistis, & percussione [h] lapidum homines innocentes iugulastis. Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis. & orans iuxta sepulcrum Agnes beatissimæ, emisit spiritum.

[f] Illustremiraculum.

[g] Gladio iugulatur S. Agnes.

[h] Emerentiana lapidatur.

XII.

Non dubium est quod in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitię dum confiteretur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique hora fit terræ motus vehementissimus: & cum nimia esset cæli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura & tonitrua extiterunt, vt pars maxima insani populi expiraret. Vnde factum est, vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulcra sanctorum, aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnes cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus sanctæ Emerentianę virginis, & sepelierunt illud in confinio beatissimæ virginis Agnes.

XIII.

Igitvr dum parentes beatæ [i] Agnes assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnen, simili veste fulgentem, & ad dextram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dũ viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte nè me quasi mortuam lugeatis: sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi. Et his dictis, pertransijt.

[i] Nota vigilias ad tumulum S. Agnetis.

XIV.

Hæc visio publicè ab omnibus, qui viderant, quotidie vulgabatur. Vndè factum est, vt post aliquãtos annos ad Cõstantiam, Constantini filiam, hoc factum ab his, qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes, nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis, venit ad tumulum martyris nocte: & licet pagana, tamen credula animi intẽtione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret repentina somni suauitate corripitur: & vidit per visum beatissimã Agnen, talia sibi monita præferentem: Constanter age [k] Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Saluatorem tuum: per quem modo consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris sanitatem. Ad hãc vocem Constantia euigilat sana, & sit sana, vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret.

[k] Cõstãtia ad tumulũ eius orans, sanatur.

XV.

Reversa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: Fit lætitia militantibus, atq; priuatis, & vniuersis audiẽtibus hæc. Infidelitas gentium cõfundebatur. & fides Dominica * lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat, vt basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent,

XVI.

* al. dilatabatur.

nissent, sanabantur, quacunq; fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsq; in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in virginitate: per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsq; in hodiernũ diem multæ virgines Romanæ Agnen beatissimam, quasi in corpore manentem, attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integræ perseuerant, credentes sine dubio, quòd perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant. Constantia virgo, multas ad sacra vela perducit.

XVII. Hæc ego Ambrosius seruus Christi, dum in voluminibus abditis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi: & ad ædificationem vestram, ô Virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritûs S. vt labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire, Amen.

DE EADEM S. AGNETE VIRGINE ET MARTYRE,

S. AMBROSIVS LIBRO PRIMO DE VIRGINIBVS.

I. NAtalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnes, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem vacuum laudis est? Deuotio supra ætatem, virtus supra naturam, vt mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quod indicauit quid esset futura. Habeo tamen vnde mihi subsidium comparem.

II. NOmen virginis titulus est pudoris. Appellabo martyrem. Prædicaui satis. Prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Facessant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox vna præconum est Hanc senes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur.

III. Hæc tredecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati: imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ toruos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi vulnera. S. Agnes 13. annorum martyrium patitur.

IV. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata: vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atq; in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusq; ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus. Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis.

V. NOn sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina virgo processit: non intorto crine caput corrupta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari pleriq; quod tam facile vitæ suæ prodiga, quam nundum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere vniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit deniq; vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod vltra naturam est, de auctore naturæ est.

VI. QVANTO terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blanditijs vt suaderet, quantorum vota vt sibi ad nuptias proueniret? At illa: Et hæc sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset: tremere percussoris dextram, pallere ora, alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis igitur in vna hostia duplex martyrium: pudoris & religionis. Et virgo permansit, & martyrium obtinuit.

Extat de hac sanctiss. Virgine Hymnus elegantissimus Prudentij quem ob vitandam prolixitatem huc non adscripsimus.

MARTYRIVM S. PATROCLI MARTYRIS, ELEGANTI STYLO IAM OLIM CONSCRIPTVM: QVOD NOS EX VETVSTO MS. CODICE DESCRIPSIMVS, QVI PLERISQ; LOCIS OB CHARACTERES PENÈ ABOLITOS DIFFICVLTER LEGI POTVIT. AN. 260.

I. GLoriosum pro patria mori, beatum in patria viuere, iucundum & delectabile est post bella benè gesta, pace demùm frui perpetua. Hoc sapientes mundi laudant, fortes desiderant, rerum gestarum scriptores magnificant. Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, qui in vnitate fidei & agnitionis filij Dei abnegat seipsum sibi, vt sequatur Christum. Hæc est namq; via salutis, veritas singularis, vita perennis, vt lux lucens in tenebris, quam abscondit Deus à sapientibus & prudentibus, & reuelauit eam paruulis, videlicet humilibus, quos testes suos esse voluit, incipientes ab Hierusalem, vt per mundi huius contemptibilia confunderentur fortia. Talibus enim, quia superbi sunt, resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Verè vtiq; sapientes, verè fortes erant, quibus viuere Christus, & mori pro Christo lucrum fuit. Verè nimirum beati sunt, qui sicimitatores Christi extiterant, vt quemadmodum sunt illi commortui, ita potestatem acciperent conregnandi. 21. IAN. *1. Cor 9.* *Matth. 11.* *Iacob 4.* *1. Pet. 5.*

II. Ex huiusmodi ergò coniuratis in Christi sacramenta militibus, Patroclus in magnificæ sanctitatis, velut quoddã luminare in mundo, in medio nationis prauæ & peruersæ, verbum vitæ continens effulsit Et quoniam lux fuit in Domino, fructum lucis ostendit in semetipso. Fructus enim lucis, vt ait Apostolus, est in omni bonitate, & iustitia, & veritate Hic in Trecassinæ vrbis territorio, ducentis fermè ab eadem vrbe passibus, relictam sibi à parentibus suis domũ & prædia satis ampla possedit. Nobiles enim erant, & rebus sæcularibus locupletes. Sed vir Dei generositatis suæ claritatem totam introrsus traxit: meditans animæ dignitate sic tantummodò seruari posse suam nobilitatem, si solùm supra se suum semper attenderet creatorem. Scripturæ sacræ studiosus lector, inuigilauit: ibi quicquid de fide catholica, quicquid de regula præceptorum Dei, quicquid de dulcedine promissionũ eius audierat, sicut ipsum Dominũ Deum delectabiliter amplexatus est. Non enim his solummodò aures corporis, sed multò magis aures cordis adhibuit. Verbum namq; Dei lucerna pedibus eius, & lumen fuit semitis eius: propterea odiuit omnem viam iniquitatis. Abstinentiæ & frugalitatis operibus ita deditus fuit, vt cibum potumq; modicum hora diei tantum vltima, sibi sumendum arbitraretur. Continentia siquidem in eo regnabat & castitas. Facultates verò suas velut non proprias, sed adhoc sibi solummodo creditas, indigentibus solicitè ministrauit. Singulorum necessitatibus iuxta vires succurrit, prodesse etiam vltra vires concupiuit. Proindè omnibus omnia factus est, secundum Apostolum, non quærens quid sibi vtile fuit, sed quid multis, vt salui fierent. Ita factum est, vt Christianis illius prouinciæ, dispensator cœlestis & pater ciuium diceretur. *Ephes. 5.* Patrocli opes. *Psalm 118.* Eius abstinentia. Continentia. *1. Corinth. 9.*

SIGNA etiam & mirabilia per eum frequentius facta sunt: ita vt dæmonia ab obsessis corporibus per virtutem spiritûs fugaret, & infirmis quibuslibet remedium sanitatis optatæ conferret: vt inuisibilis sapientia semetipsam in eo quasi in templo suo habitare per visibilia miracula demonstraret. Sic in pace Ecclesiæ degens, religiosam admodũ vitam duxit, fugitans gaudia sęculi, expectans regnum Dei. Orta autem persecutionis tempestate sub Aureliano principe, qui vicesimusnonus à Cæsare Augusto, Romano præsidebat imperio, cùm manifestare vellet iudex omnium, quæ essent consilia cordium, cœperunt vsquequaq; cultores peruersorum dogmatum vrgere plebem Christi ad sacrificia idolorum. Sed, sicut per Sapientem dictum est, simplicitas iustorum direxit eos, & supplantatio peruersorum vastauit illos. Nam frustratis insidijs inimici, perstiterant fortiter in agone castra Dei, illustriumq; virorum animi, per virtutem elabi ad gloriam nitebantur.

Prouerb. 11.

EODEM tempore Aurelianus, immanissimus Christiani nominis persecutor, de partibus vrbis Senonicæ, zelo feruens amaritudinis, Tricassin Galliarum oppidum veniebat, ibiq; audiens de vita, fide & gestis beati Patrocli, quomodo ex voluntate Dei sui Iesu Christi possessa negligeret, transitoria & momentanea cuncta despiceret, idola vana & nullo vsui apta clamaret, confestim eum diligentissimè inquiri fecit. Et cùm sibi præsentatus fuisset, ait illi: Audiui te perignorantiam falli, ita vt superstitiosam sectam inducere audeas, & ad deorum nostrorum iniuriam, quendam qui ab hominibus cæsus est alapis, adorandum esse contendas. Sanctus verò Patroclus insipienti eius propositioni nihil respondit. Aurelianus dixit: Cuius nominis, cuius vé religionis es? ille respondit: Patroclus vocor, & Christianus sum. Adoro Deum viuum & verum, qui in altis habitat, & humilia respicit, & omnia fecit antequã fiant. Aurelianus dixit: Inepta sunt & vana, quæ loqueris. Recede ergò ab hac stultitia tua, & adora deos nostros inuictissimos, à quibus ditari poteris & honorari. Patroclus respondit: Ego non noui alium Deum, nisi vnum, solum verum Deum, & quem ipse misit Iesum Christum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, visibilia & inuisibilia. Aurelianus dixit: Disputa, & proba vera esse quæ dicis. Patroclus respondit: Vera quidem & probabilia sunt, quæ ostendo: sed quia mendacium inualuit, veritas odium parit. Hanc tu, nisi credideris, nunquam intelliges. Verbis enim Domini nostri Iesu Christi interdicitur, nè sanctum detur canibus, nec ante porcos margaritæ mittantur. Tunc Aurelianus ira permotus, dixit: Nisi ad hoc mihi citò consenseris, vt sacrificium dijs omnipotentibus offeras, igni te consumendum tradam. Sanctus Patroclus ad hæc verba hilari vultu & læto corde respondit: Ego semper immolo sacrificium laudis Domino Deo meo. illic enim iter est, quo ostendat mihi salutare suum.

S. Patroclus sistitur Aureliano.

Esa. 7. *iuxta LXX.*

Matth. 7.

Psalm. 49.

IV.

AVRELIANVS non ferens diutiùs constantiam loquentis, sic erupit in vocem: Statis, & ministratis? Adhibete catenas ignitas & compedes, vt vinctis post tergum manibus & alligatis pedibus, mittatur rebellis iste in custodiam, donec pertractem, quomodo eum ad exemplum suî similium perdam. Sic sanctus vir & iam electus Domini martyr, strictus vinculis, traditus est Elegio vni de adstantibus ministris, qui custodiret eum vsq; in diem tertium. Sanctus verò Patroclus cùm esset in custodia, orauit Dominum, dicens: Fiat misericordia tua Domine, vt consoletur me, secundùm eloquium tuum seruo tuo. Sic enim lætabor & exultabo in misericordia tua Domine: quia respexisti humilitatem meam. Cumq; post diem tertium eductus fuisset in publicum, iudex dixit: Veni contemptor deorum nostrorum, redime te tandem aliquando, & sacrifica dijs. Beatus Patroclus respondit: Redimet Dominus animas sanctorum suorum, & non delinquent omnes qui sperant in eum. Tu verò miser & infælix es, qui non desideras ab æterna miseria liberari, & indignum te facis gratia & beneficio creatoris tui, thesaurizans tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij eius. Qui licet iam salutis dona refugias, nec pensare velis, quòd thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis: vellem tamen adhuc tibi aliquid largiri de thesauro Domini mei, quia te egenum & pauperem video. Aurelianus dixit: Quomodo pauperem me dicis, qui tam multis abundo diuitijs? Beatus Patroclus respondit: Habes quidem terrenas & citò perituras diuitias: pauper tamen es, nec teipsum habes: quia fidem Domini nostri Iesu Christi in arca cordis tui recludere noluisti. Ideoq; ipse cùm iudex venerit, te cum diabolo patre tuo, in æternum damnabit. Aurelianus dixit: Multas mihi per audaciam tuam iniurias infers, ita vt iam tui amplius non miserear. Sanctus autem Patroclus confortatus in Domino, dixit: Miserebitur meî Deus meus, cui seruio à iuuentute mea. Tu autem vanum & superstitiosum hunc honorem tuum, quo tumes, & temporalem atq; caducam gloriam, qua ab hominibus honoraris, in puncto temporis perdes. Et væ tibi, cùm veneris ad locum illum, vbi te sempiternus cum diabolo cruciatus expectat.

Traditur in custodiam.

Psalm. 118.

Psalm. 33.

Prou 21. *iuxta LXX.*

V.

AVRELIANVS dixit: Ego quid dicas, nescio: Tu autem, velis nolis, in potestate mea eris: nec est qui te eripiat de manibus meis. Beatus Patroclus respondit: Si corpus meum in potestate habes, animam meam certè lædere non poteris: quia eam in potestate nemo habet, nisi solus Dominus & creator meus, qui nobis hanc securitatem dedit, dicẽs: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Sed illum potiùs timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam. Aurelianus dixit: Habent potestatem dij nostri, qui vera nobis responsa canunt, & te adhuc viuere permiserunt. Sanctus Patroclus respondit: Qui sunt dij tui? Aurelianus dixit: Apollo optimus & verus deus, Iupiterq; summus deus, & Diana, quæ est mater deorum. Beatus Patroclus respondit: Apollo, quem dicis tuum esse deum, audiuimus à maioribus nostris, quòd Admeti regis pecora pauerit, ibiq; nõ solùm gregis detrimentum perpessus sit, sed etiam ipsa tela perdiderit. Et Iouem, quem adoras, hominem fuisse nequissimum, raptorem & adulterum, comperimus, qui cum vicinis suis seditiosus semper extitit, ipseq; nullius criminis expers, alios secum viuus æquè & mortuus ad scelera traxit. Et cùm ipse simul cum diabolo torqueatur in inferno, non cessat adhuc colligere condemnandos. Dianam namq;, quam dicis esse matrem deorum, quis nesciat esse dæmonium? O miseranda dementia hominum, qui vanitates has frustra colunt, quæ nec sibi, nec alijs prosunt. Aurelianus dixit: Magna patientia mentis meæ: iam diù retineor ad auscultandam audaciam tuam. Sed nunc nisi Apollinem, & Iouem, & Dianam matrem deorum adoraueris, diuersis hodie pœnis te interficiam. Sanctus Patroclus respondit: Execrabilis & quilibet peruersus latro, etsi innocentem aliquem occidere potest, corpus tamen eius deuorare non potest. Tu verò, qui corpus meum occidendum in potestate te habere iactitas, licet deuores illud, animæ tamen meæ nocere non poteris.

Luca 12.

Prosciditur falsos deos gentilium.

VI.

ET cùm hoc beatus Patroclus locutus fuisset, Aurelianus Cæsar, furore repletus, talem dedit sententiam: Patroclus obnoxius & detestabilis & reus maiestatis, qui nobis confusionem intulit, & deos nostros iniuriosè fœdauit, gladio feriatur, vt verbositatis eius nequitia conquiescat. Ducite iam illum in locum limosum & palustrem, ibiq; eum decollatum dimittite, nè saltem corpus eius in arido requiescat. Sic beatus Patroclus traditus carnificibus ad decollandum, exultans ibat cum eis ad ripam Sequanæ. Tunc vir sanctus orauit Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, ne patiaris corpusculum meum in hoc aquoso loco demergi: sed da gloriam nomini tuo, vt magnificetur in cõspectu inimicorum tuorum, nè vnquam dicant in gentibus, Vbi est Deus eorum? Exaudi Domine orationem meam, qui exaudisti Moysen & Aaron orantes pro populo tuo, & diuisisti mare rubrum, & eduxisti per siccum. Sic ergò Domine permitte mihi transire hoc flumen in nomine tuo. Eripe me de luto, vt nõ inhæream: libera me à persequentibus me. Et cùm orasset sanctus Patroclus, obscurati sunt oculi tenentis eum. Ille verò ingressus flumen, pertransijt, & illæsus exijt in aliam ripam, ita vt genua eius non tangerent aquam, quæ tamen rapax & inundans erat multum eodem tempore.

Sentẽtia in Patroclum.

Exodi 14.

Flumẽ transit illæsus.

VII.

pore. Cumq; egressus esset, pergebat in aridum locum, vbi erat mons idolorum, ita candans & laudans Dominum: Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberauit eos. Illi verò qui tenuerunt eum, obstupefacti propter metum Cæsaris, dicebant: Quàm magnus est Deus, quem adorat iste? Ecce quomodo liberauit eum. Alij autem dicebant: Non, sed phantasma fuit. Hoc modo altercabantur, & schisma erat inter eos. Illis verò ita contendentibus, adueniens quædam mulier seditiosa & ipsa gentilis, dixit: Hominem Christianum, quem quæritis, vidi nunc in monte vltra flumen, prostratum in terra, & sic orabat Dominum suum. *Psalm. 96.*

VIII. At illi, qui veloces habebant pedes ad effundendum sanguinem innocentem & iustum, cùm hoc audissent, statim perrexerunt ad eum. Et cùm peruenissent ad locum, vbi erat prostratus, inuenerunt eum orantem. Tunc vnus ex illis, qui erat prior, ait illi: Tu iam reus es, quia effugisti nos, & eccè es in manibus nostris, & non discedes à nobis, donèc moriaris, aut certè immoles dijs nostris. Beatus Patroclus respondit: Ego dæmones immundos nunquam adorabo, sed vnum verum Deum, qui est in cœlis. Carnifex dixit: Ergò Deus noster qualis est? Natus, an factus? Beatus Patroclus dixit: O errorem vanissimum, ò incredulitatem fallaciæ, ò sermonem superstitiosum. De Deo quomodo loquitur homo: Generationem eius quis enarrabit? Ipse dixit, & facta sunt: Ipse mandauit, & creata sunt, quæcunq; sant. Ipse misit pro redemptione generis humani filium suum Dominum Iesum Christum, qui pro nobis sanguinem suum fudit, vt nos de interitu & morte liberaret æterna. Tertia post hæc die resurrexit à mortuis: deindè videntibus discipulis suis, ascendit in cœlum, & misit illis promissum à se Spiritum S. Quod ipse docuit, hoc mundus rectè credit. Qui autem hoc non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Siuè ergò viuimus, siuè morimur, Domini sumus, & dignum est vt pro nomine eius nos patiamur. Quicunq; autem sacrificauerit dæmonibus, cum eisdem mergetur in ignem æternum. *Psalm 33. Psalm. 148. Rom. 14.*

IX. Loqvente hoc beato Patroclo, Elegius furore commotus, dixit: Stringantur pedes eius vinculis, & manus eius catenis, & sic prostratus in terram, gladio feriatur, quia tantas dijs nostris contumelias irrogauit. Tunc Patroclus genua flectens in terram, percussus est à carnifice. Qui dum percuteretur, dixit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. tu enim scis Domine, quòd propter nomen tuum has patior pœnas. Sic gladio percussus atq; decollatus est. Caput verò eius longè procecerunt à corpore, perfusum sanguine. Factum est autem hoc 12. Cal. Febr. 6. feria. Post passionem ergò hoc modò consummatam, carnifices redeuntes ad Cæsarem, corpus solùm sine custodia reliquerunt. Quod audientes duo senes, qui & ipsi eleëmosynam à sancto viro, dum adhuc viueret, expectabant, acceperunt corpus eius cum tremore & metu magno, & custodierunt illud vsq; ad vesperam. Eusebius autem, qui erat archipresbyter in eodem loco, cum Liberio diacono venit nocte sequenti, & accipiens corpus sancti viri, inuoluit illud in linteaminibus, & paucis accensis luminaribus, propter turbam gentilium, sepeliuit eum. Duo autem illi senes, vigilias ducebant ibi solennes ad memoriam martyris, dicentes: Quàm pretiosa est in conspectu Domini, mors sanctorum eius? Et alia multa per totam noctem, in laudem Domini & venerationem martyris concinebant. Post non multum temporis persecutio conquieuit. Nam ipse, qui hanc concitauerat, Imperator, dum iter faceret denso stipatus agmine, fulminis antè se vehementissimi terrorem sentiens, obstupuit: deindè præmisso hoc infausto omine, in eodem itinere à suis interemptus est: & qui paulò antè putabat se diuini nominis gloriam inter homines extinguere posse, nomen, familiam, vitam, ipsámq; salutis spem perdidit, quæ credentes in Christum, nec in morte relinquit. Tunc Eusebius ædificauit super corpus sancti viri, paruam parua facultate Ecclesiam, ibiq; iuxta corpus sanctum, sibi etiam sepulturam poposcerat affuturam, vt confessor Domini vicinus esse mereretur sanctissimo martyri. Ex illo tempore continua illic dignè petentibus præstantur beneficia, & optatæ sanitatis remedia. Martyr enim, qui pro testamento Dei vitam temporalem amisit, iam cum Domino sine tempore viuit. Cæditur gladio. Vigiliæ solennes ad Martyris memoriam

MARTYRIVM SS. FRVCTVOSI EPISCOPI, AVGVRII ET EVLOGII DIACONORVM: QVOD ETIAM LVCVLENTIS VERSIBVS CONSCRIPSIT Prudentius. Quædam ex hac historia ad verbum citat B. Augustinus in Sermone de natali horum martyrum. AN. 250.

I. In Dominico comprehensus est Fructuosus Episcopus, Augurius & Eulogius Diacones. Repositio autem Fructuoso Episcopo in cubiculo suo, direxerunt † beneficarij in domum eius, id est, Aurelius, Festucius, Velius, Polleneus, Donatus & Maximus. Qui cùm sensisset † pedibulum ipsorum, confestim surrexit, & prodijt ad eos vbi sedebant in solijs. Cui milites dixerunt: Veni, præses te accersit cum diaconibus tuis. Quibus Fructuosus Episcopus dixit: Eamus quò vultis: calceo me. Cui milites dixerunt: Calcea te ad animum tuum. Qui mox vt venerunt, recepti sunt in carcerem. Fructuosus autem certus & gaudens de corona Domini, ad quam vocatus erat, orabat sine cessatione. Erat aũt & fraternitas cum ipso refrigerans, vt illos in mente haberet. 21. Ian. † Beneficiarij apud Tertull. dicuntur qui vectigalia exigebant: sed interdum etiam exploratores. † Pedibulum, id est sonum virgæ: solebant enim lictores virga fores percutere.

II. Alia verò die baptizauit in carcere fratrem nostrum Rogatianum, & fecerunt in carcere dies sex, & producti sunt 12. Calend. Febr. feria 6. & audiri sunt. Æmilianus itaq; dixit: Fructuosum Episcopum, Augurium & Eulogium, meis conspectibus præsentate. Ex officio dictum est: Adsunt. Æmilianus Fructuoso Episcopo dixit: Audisti quid Imperatores præceperunt? Fructuosus Episcopus dixit: Nescio quid præceperunt. ego Christianus sum. Æmilianus dixit: Præceperunt deos coli. Fructuosus Episcopus dixit: Ego vnum Deum colo, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Æmilianus dixit: Scis esse deos? Fructuosus Episcopus dixit: Nescio. Æmilianus dixit: Scies postea. Fructuosus Episcopus respexit ad Dominum, & orare cœpit intra se. Æmilianus dixit: Qui audiuntur, qui timentur, qui adorantur, si dij nõ coluntur, nec Imperatorum vultus adorantur? Æmilianus Augurio Diacono dixit: Noli verba Fructuosi imitari. Augurius diaconus dixit: Ego Deum omnipotentem colo. Æmilianus Eulogio diacono dixit: Nunquid & tu Fructuosum colis? Eulogius diaconus dixit: Ego Fructuosum non colo, sed ipsum colo, quem & Fructuosus. Æmilianus Fructuoso Episcopo dixit: Episcopus es? Fructuosus Episcopus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti. Et iussit eos viuos ardere. Martyres sistuntur iudici.

III. Et cùm duceretur Fructuosus Episcopus cum diaconibus suis ad amphitheatrum, populus Fructuosum Episcopum dolere cœpit, quia magno eum amore prosequebantur non tantùm fratres, sed etiam ethnici. Talis enim erat, qualem Spiritus S. B Paulum Apostolum, vas electionis & doctorem gentium debere esse declarauit. Propter quod etiam fratres, qui sciebant illum ad tantam gloriam pergere, gaudebant potiùs, quàm dolebant. Cumq; multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum, vti permixtum poculum sumerent, ait: Nondum est hora soluendi ieiunij. Agebatur enim hora diei quarta. Siquidem in carcere quarta feria stationem solenniter celebrauerunt. igitur feria sexta lætus atq; securus festinabat, vti cum martyribus & prophetis in paradiso, quem Dominus præparauit amantibus se, persolueret stationem. Cumq; ad amphitheatrum peruenissent, statim ad eum accessit Augustialis nomine, lector eiusdem, flens & deprecans, vt eum discalcearet. Cui beatus martyr respondit: Missum fac, fili: ego me discalceo, fortis & gaudens & certus de Dominica promissione. Qui cùm se discalceasset, accessit ad eum commilito frater noster, nomine Fælix, & apprehendit dexteram eius, rogans vt sui meminisset. Cui Fructuosus Episcop. cunctis audientibus, clara voce respondit: In mente me habere necesse esse Ecclesiam Catholicam, ab Oriente vsq; ad Occidentem. Fructuosus Episcop. etiam ethnicis charus. 1 Timoth. 3. Tit. 1. Stationem solennè in carcere celebratã, Baron ieiuniũ explicat, ex sententia Tertul. Cassiani &c. cũ.

IGITVR in porta amphitheatri constitutus, cum iam propè esset, vt ingrederetur ad coronam immarcescibilem IV.
potius, quàm ad pœnam, obseruantibus licet ex officio beneficiarijs, quorum nomina supra memorata sunt, ita vt ipsi audirent fratres nostri, monente pariter ac loquente Spiritu sancto. Fructuosus martyr ait: Non deerit vobis pastor nec deficere poterit charitas & repromissio Domini tam hîc, quàm in futurum. Hoc enim quod videtis, vnius horæ videtur infirmitas. Consolatus igitur fraternitatem, ingressus est ad salutem: digni ipsi martyrio, [a] felices, qui sanctarum scripturarum fructus ex promissione senserunt similes Ananiæ, Azariæ & Misaëli: steteruntque, vt etiam in illis tribus diuina miracula cernerentur: sic quidem in igne iam constituti, vt pater non deesset, & filius subueniret, & Spiritus sanctus in medio ignis ambularet. Cumque exustæ fuissent fasciolæ, quibus manus eorum fuerant colligatæ, Fructuosus episcopus orationis diuinæ & solitæ consuetudinis memor, gaudēs positis genibus orabat, de resurrectione securus, in signoque trophæi constitutus, Dominum precabatur. Hîc solita Domini non defuêre magnalia, apertumque est cælum, videntibus Babylone & Migdonio fratribus. Ex familia autem Æmiliani præsidis, filia eius dominæ suæ carnali ostendebat Fructuosum episcopum cum diaconibus, adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant, permanentibus, in cælum [b] ascendentes coronatos. Cumque Æmilianum vocarent dicentes, Veni, & vide quos hodie damnasti, quemadmodum cælo & spei suæ restituti sunt: Æmilianus veniens, videre eos non fuit dignus.

[a] Ingrediũtur in rogũ sancti Martyres. *Dan. 3.*

[b] Animæ eorũ in cælos eunt.

TVNC igitur, velut derelicti sine pastore, tristes fratres solicitudinem sustinebant, non quod dolerent Fructuosum, sed potius desiderarent: Porro fidei & agonis memores, gaudentesque, superueniente nocte ad amphitheatrum cũ vino festinauerũt, vt semiusta corpora extinguerent. Quo facto, [c] cineres eorũ collecti sunt, & prout quisq; potuit sibi vendicauit. Sed nec in hoc Domini & Saluatoris nostri defuêre magnalia, vt credentibus fides augeretur, & paruulis ostenderetur exemplum. Oportebat enim Fructuosum martyrem, quod per misericordiam Dei docendo præmiserat in Domino & Saluatore nostro, in sua postea passione & resurrectione carnis comprobare. Igitur post passionẽ apparuit fratribus, & monuit vt quod vnusquisq; per charitatẽ de cinerib⁹ vsurpauerat, restituerẽt sine mora, vnoq; in loco simul condendos curarent, Æmiliano etiam, qui eos damnauerat, Fructuosus pariter cum diaconibus suis ostendit se in stolis repromissionis, increpãs pariter & [d] insultans, nihil illi profuisse, quod frustra exustos corpore in terram crederet redactum iri, quos cerneret glorioso. O beatos martyres, qui igne probati sunt vt aurum pretiosum, vestiti lorica fidei & galea salutis: qui coronati sunt diademate & corona immarcescibili, eò quòd diaboli caput calcauerunt. O beatos martyres, qui meruerunt dignam habitationem in cælis, ad dexteram stantes Christi, benedicentes Deum patrem & Iesum Christum filium eius. Suscepit autem Dominus martyres suos in pace per bonam confessionẽ, cui est honor & gloria in secula seculorum Amen. V.

[c] Colligũtur eorum cineres.

[d] Apparent præsidi, eiq; insultant.

Vitam eorundem Beatissimorum Martyrum carmine per Aurelium Prudentium virum consularem conscriptam habes in eius Peristephano.

AN. 830.

VITA ET PASSIO S. MEINRADI, EREMITÆ ET MARTYRIS.

21. IANV.

DICTVRO mihi venerabilis viri Meinradi Eremitæ & Martyris passionem & obitum, libet parumper reflectere stylum, atque quo tempore, vbi & vndè, quò vel cui traditus primum ad discendas literas, sub quo abbate monasticam vitam complexus sit, qualiter etiam à fratrum cõuentu discedens, singulare certamen eremi adierit, paucis præmittere. Temporibus Caroli glorioſissimi Imperatoris, qui primus inter Francos Cæsaris nomen accepit, prædictus vir in [e] Alemannia natus est in pago, quẽ ex villa Sulichgeue vocauit antiquitas. Parentes verò eius ex Alemannis fuerunt, morum nobilitate magis conspicui, quàm diuitijs perituris. Qui cùm iam eam attigisset ætatem, qua aptari posset literarum studijs, à patre ducitur ad insulam, quam veteres Sindles Augiam vocabant, in qua Sanctus Priminius construxit monasterium ordinis sancti Benedicti. Huc ergò [f] puer iam dictus à patre ductus, commendatur viro per omnia honestissimo Erlebaldo monacho: qui etiam prędicto puerulo propagine carnali affinis erat. Is cum infantulum bonæ indolis conspiceret, gratanter nutriendum suscepit, studiosè docuit, atque eousque imbuendo perduxit, vt sanctarum etiam scripturarum scientiam adeptus videretur. Nam puer à primæua ætate iocos atque errores, quibus tenerior ætas implicari solet, vitauit, mentemque occupauit meditandis illis, quæ magister docuerat. I.

[e] Meinradi patria.

[f] Institutio.

CVM autem vicesimumquintum ætatis annum attingeret, ad diaconatus officium, & non multo post ad gradũ presbyterij, faciente eodem magistro suo, sublimatus est, fuit autem tunc temporis, regnante Ludouico Cæsare, filio Caroli, in ipsa insula [g] Abbas, nomine Hatto, vir valdè doctrina & operibus bonis, morumque nobilitate spectabilis, qui & Basileensis ecclesiæ præsul extitit. Quo actuosæ vitæ negotia respuente, atque ad contemplatiuæ vitæ pulchritudinem se transferente, prædictus Erlebaldus, cum licentia Ludouici Imperatoris electus ab omnibus prædictæ insulæ fratribus præficitur, atque in abbatis officiũ substituitur. Qui hac potestate accepta, [h] Meinrado mox author & suasor fuit, vt regulæ iugum susciperet, normamque monasticæ vitæ sectaretur. Consensit ille salubri consilio, & professionẽ fecit, atque omni intentione studuit promissa seruare, promptus semper ad obediendum, in ieiunando strictus, in oratione assiduus, in misericordiæ operibus largus, & maximè in humilitate cunctis substratus. His dum polleret moribus, ab abbate mittitur ac cellulam quandam, ad iam dictum monasterium pertinentem, iuxta lacum Tigurinum sitã, quem interfluit Lindemacus fluuius, vt ibidem scholæ præesset, & talentum, quo ipse ditatus erat, ad lucradominica in plurimos dispergeret. Aliquantulum temporis fluxerat, eo in his detento. II.

[g] Hatto Abbas & Episcopus Basileensis.

[h] Meinradus fit Monachus Augiensis.

QVADAM verò die accepit secum nonnullos scholasticos, quos nutrierat, & prædictum lacum transnauigans, intrauit in eremum, quæ ipsius laci litori adiacet, & vsque ad alpes Apenninas tendit, atque ad villam Chama, causa piscationis & loca eremi intuendi. Perueniunt itaque ad fluuium quendam, qui in ipsam decurrit solitudinem: ibique vir beatus, ad piscandum occupatis comitibus, in consideratione solitudinis solus spatiabatur. Accensus enim erat nimium [i] amore solitariæ sedis. Qua consideratione dum mentem diu pasceret, rediit ad socios, inuenitque non parua præda piscium oneratos, quos taliter affatur: Gratias largitori, qui nos suis misericorditer ditauit donis. Iam filij si placet tempus est proprios inuisere lares. Regrediuntur itaque, & ad villam perueniunt, non longè à litore sitam. Ibi cuiusdam matronæ hospitium intrantes, paululum quieuerunt, reficientes se cibo & potu. Vir autem Dei cernens matronam timore Dei plenam, & ad obsequendum hospitibus promptissimam, ardorem sui animi occultum ei aperuit, his verbis incipiens: O chara Christo fœmina, si velles audire, secretum cordis mei tibi manifestarem: sed antequam id agam, posco, vt verba mea atque voluntatem occultes, quousque cernas, si possit opere compleri, quod credo me deuota mente concepisse. Habitatione huius eremi vltra omnes diuitias delector, cuperemque iam in ea collocare mãsiũculam meam, vt familiarius possem precibus vacare, si quempiam reperirem, qui necessaria corporis mihi ministrare ob Dei amorem vellet. Sed quia adhuc solatio hoc defraudor, posco interim occultari, quod cupio. Illa autem à Deo inspirata (vt credo) respondit: Secretum nulli, nolente te, reuelabo: noueris autem, si in cœpto persistere voles, me necessaria tibi propter Deum ministraturam, & quantum possum, tuo voto satisfacturam. Ille promissis gratias rependens, rediit ad cellam, vnde egressus fuerat, ibique ieiunijs & orationibus continuis à Deo popoſcit, vt si illi animi sui propositum non displiceret, illud sua ope confirmare dignaretur. III.

[i] Feruet amore vitæ solitariæ.

Tándem

TANDEM confortatus diuina inspiratione, reliquit cellam scholamq;, cui præerat, & reuisit hospitam suam, explorare volens, vtrum promissis stare vellet, nec ne. Quam vt in præbendo solatio promisso perdurare sensit, non longè ab ipsa villa, in qua eadem fœmina commanebat, in eremo sibi habitaculum construxit, atq; ibidem in ieiunijs & orationibus indefessus creatori seruiuit, necessaria præbente ei prædicta matrona, necnon & alijs religiosis viris. Ibi dum per septem annos superni regis militiam exegisset, multitudinem populi ad se venientis ferre non valens, mutauit locum, atq; à prædicti laci litore quatuor millibus distantem reperit inter montes planitiem, accessu valdè difficilem. Ibi adiuuantibus viris religiosis & maximè quadam abbatissa, Heilvviga nomine, necessaria voti sui construxit habitacula, atq; in eodem loco, q; reliquum erat vitæ peregit, maximis sese macerans ieiunijs, & quantũ humana fragilitas permisit, sine cessatione orans, atq; ea, quæ à fidelibus viris vel fœminis mittebantur, cuncta ad se venientibus benignè & comiter impartiens. Accidit autem inter hæc, vt quadam die, eo orante, tanta multitudo dæmonum circa illum vndiq; diffunderetur, vt nec ipsam lucem diei, illis tenebrarum ministris tetram caliginem offundentibus, cernere posset. Qui cùm minis terribilibus & horrore nimio eum fatigarent, in orationem prostratus, vt res poscebat, omni studio se pio Domino commendabat. Quod cùm diù ageretur, cernit ab Oriente lucem: Quam lucem secutus angelus, ad ipsum, vbi in oratione iacebat, in medio malignorum spirituum peruenit: magna authoritate agmini nefando præcepit vt discederent, nihilq; terroris & tentationis ei vltra inferre auderent. Discedentibus itaq; hostibus prædictus angelus postquam amanter eum consolatus est, abscessit, atque ab illo die (vt vir venerabilis referebat) nil, terroris vltra à malignis spiritibus sustinuit.

IV. Petit eremũ, & in eã sibi cõstruit domicium.

Dæmones ei infesti sunt, sed ab angelis repelluntur.

V. ACCIDIT etiam postea, vt quidam frater de monasterio illius eum visitationis gratia adiret. Quem benignè suscipiens cum socijs, qui cum illo venerant, eis cuncta, quæ hospites decebat, quantum facultas tulit, exhibuit. Cùm verò vespertinum tempus iam venisset, & sidera splendentia tuaderent somnos, refecerunt se dulcibus collationum colloquijs, atq; post Completorij, vt vocant, preces ierunt dormitum in loco quidem separato frater, qui venerat: seorsum etiam comites eius: necnon & ipse venerabilis vir in priuata mansiuncula. Paululùm autem corpusculum reficiens somno, vir Dei surgit, atq; assuetis incumbit peruigil precibus. Prædictus etiam frater, licet in strato conquiesceret, penè insomnem duxit noctem. Dum autem curiosè huc atq; illuc verteret oculos, cernit puerum vestibus albis ab ipso oratorij loco progredientem, miræ pulchritudinis, vt ei visum est, ætatis septem annorum, qui ingreditur ad virum Dei, & cum eo orante orabat, & varia cum eo miscebat colloquia: quæ licet prædictus frater audiret, sensum tamen eorum, quæ dicebantur, non percipiebat. Qui etiam puer ipsi fratri plenè vigilanti adstitit, atq; de quibusdam monuit, quæ omninò frater ille sibi, nè in publicum proferret, interdicta dicebat. Equidem breuitati studens, multa, quæ de eo miranda plurimorum narratio certa demonstrat, pertranseo.

VI. CVM autem in illa eremo vicesimum sextum ageret annum, seruiens Domino in ieiunijs & abstinentia rerum omnium mundi huius, illo inspirante, qui serpentem intrauit, & per os eius protoplastum decepit & de paradiso eiecit, duo scelerati homines causa occidendi eum ad cellam illius properârunt. Qui cùm venissent ad villam quandam, in Tigurini laci litore sitam, rogauerunt sibi monstrari, quæ pars peruia esset ad cellulam eius. Quod cùm monstratum eis fuisset, maturè per noctem surgentes, ingressi sunt monstratum sibi iter, agitante, qui eos impleuerat, teterrimo spiritu. Diù tamen erronei à recto tramite, ducente ad ipsam cellam, tandem vexati, quò volebant, peruenerunt, maxima iam parte diei elapsa. Ille verò, solitis orationibus incumbens, Missarum deuotè solennia libabat creatori. Priùs autem, quàm in ipsam cellam maligni illi intrâssent, (quorum vnus vocabatur Richardus, eratq; genere Alemãnus: alter verò Petrus, Rhetianorum natione procreatus) pulli, quos vir venerabilis eodem in loco nutrierat, eos in proximo venire conspicientes, quasi à vulpe insequente per eremum diffugerunt, clamore insolito & strepitu inaudito syluam, resultante echo, complentes, ita vt etiam ipsi latrones hac de re multum mirarentur & obstupescerent, atque ad prodigium hoc pertinere, propriæ mentis decernerent iudicio. Attamen à cœpto non distracti, aggrediuntur sacellum, in quo vir Dei, vt prædictum est, orationibus Deum sibi placabat profusis, corpusq; Dominicum, vt præscius futurorum, ad viaticum obitûs sui puro corde & deuota mente susceperat. Vt autẽ sensit adesse peremptores suos, non statim se eis præsentauit, sed modicum adhuc differens, clausum sacelli ostium non aperuit, vt aliquantisper in oratione adhuc demorari posset. Strenuè ergò orationem cõmpleuit, capsasq; singulas reliquiarũ manu suscipiens & deosculans, commendabat agonem suum Domino & sanctis, quorum reliquias complectebatur reuerenter. Hoc, qui aduenerant, maligni per foramen quoddam parietis eum agentem inspiciebant.

Genes. 3.

Latrones ad eum accedunt.

VII. IAMQVE athleta fortis. Deo confortante, pugnaturus egreditur, præsentiamq; suam non negat sicarijs illis. Ac primùm salutationis verba ad eos proferens, post intulit: O socij, cur iam serò venistis? Quare non maturâstis venire ad audiendam paruitatis meæ Missam, vt pro vobis communem Dominum deprecarer? Sed vel nunc intrate, posciturus, vt placabilẽ se vobis præstet Deus & sancti eius, ac postea reuertimini ad me, vt quod donante Deo vobis benedictionis præbere possum, eius amore impertiar: sicq; complete opus, ad quod agendum venistis. Intrantes igitur oratorium, non ad id, quod suadebantur, intenti, sed ad malum ad quod venerant perpetrandum, continuò regrediuntur ad eum. Quibus vir Dei cucullam & tunicam suam dedit, panem insuper ac potum addidit, dicens: Hæc de manibus meis percipite. Postquam verò compleueritis id, quod facere constituistis, potestis ex his quæ adsunt, per vos tollere, quod cupitis. Scio enim, quòd ad occidendum me intrâstis. Sed vnum à vobis exposco beneficium, vt dum præsentis vitæ cursum in me terminaueritis, cãdelas, quas inspicitis, quas etiam ad hoc ipsum formaui, vnam ad caput meum ardentem, & aliam ad pedes ponatis, & citò postea ab hoc loco discedatis, nè à superuenientibus, qui me visitare solent, constringamini, pœnas luituri sceleris vestri.

Præsciuit eos venisse ad ipsum occidendũ.

VIII. CONFESTIM igitur prædictus Richardus pollutis manibus beatum virum medium comprehendit, maceratumque ieiunijs corpusculum fortiter brachijs strinxit, socioq; minaciter iussit, vt sanctum fuste percuteret. Qui cùm diu eum feriendo circa latus & suras debilitâsset, sancto extendente palmas ad Deum, alter subintulit, dicens: O segnis, cur eum in caput non percutis, vt plagam mortalem accipiat? Quam si tu tardas inferre, ego citissimè illaturus sum. Confestimq; fuste apprehenso, ictum librabat in caput vehementissimè. Hoc modo vir sanctus semiuiuus in terrã corruit: & illi continuò in eum irruentes, guttur eius suffocant manibus, donèc exhalaret spiritum. Egrediente autẽ iam anima, in ipso tractu nouissimę adspirationis, tantæ suauitatis odor progrediens totũ cellulæ locũ haud aliter peruasit & cõpleuit, quàm si oĩm aromatum odoramenta ibi fragrarent. Postea verò nudauerunt eum veste, qua erat indutus, & portãtes eum, posuerunt in lectulo, in quo vir Dei quiescere solebat, & nudo imposuerunt pannum rudem, atq; etiam stramenta quædam, & vt viuens rogauerat, candelas sumpserunt, vnam ponentes ad caput, & cum alia currentes ad sacellum, lumen indè allaturi, quod in eodem oratorio iugiter ardebat. Regressi verò ad corpusculum defuncti, inuenerunt clarè ardentem candelam quam posuerant ad caput. Tantus autem eos continuò inuasit timor, vt nihil contingere de rebus ad altaris officia pertinentibus auderent. Vestes verò ac stramenta quædam lectuli eius rapientes festini eò properârunt, vndè regressi fuerant. Eis autem indè fugientibus, corui, qui more solito ad famulum Dei viuentem venire consueuerant, & annonam de manibus eius accipere, quasi vindicare cupientes extinctum, sequebantur latrones, vocibusq; grandisonis replebant syluas, & quàm proximè poterant, capitibus eorum aduolãtes, prode-

Vir sanctus à sceleftis latronibus interimitur an. 860.

Præclarum mitaculum

Flāmis cōburuntur eius percussores.

prodebant perpetratum facinus. Non multò post maligni illi comprehensi sunt,& quòd occultè perpetrauerant,patefactum est scelus,nolente Deo differri tantæ atrocitatis pœnam, quam in sanctum virum exercuerant. A iudicibus enim & populo Christiano sub comite Adelberto lata in eos sententia,viui incensi sunt. Candela autem, quam ad caput viri Dei posuerant,& quæ cælitus accensa est,ardebat vsq; ad stramenta, quæ imposita fuerant defuncto corpusculo.Quorum etiam partem ipse ignis inuasit,& peruenit vsq; ad mēbra defuncti. Quæ vbi attigit,sicut diuinitus accensus fuerat,ita Dei nutu extinctus est.Ilicò autem diffamatur cædes eius Qua comperta,venerabilis Abbas Walterus,& fratres ibi degentes,corpus viri Dei ex eremo auferentes, atq; ad monasterium Augiæ deferentes,ibi digno cōdiderunt cum honore. Passus est autem sanctus martyr 12.Cal.Febr.An.ab Incarnat.Dom.806.Ludouici regis an.4.

Trāsfertur corpus ad Augiam.

AN.560.

VITA S. EPIPHANII TICINENSIS EPISCOPI, EDITA AB ILLIVS SVCCESSORE B. EVODIO EPISCOPO, QVEM ALII ENNODIVM vocant, quæ est à R.P. Andræa Scotto soc. Iesu Presbytero edita.

21. IAN. Martyrol. Rom & Tabulæ Ticinenses.

QVAMVIS me vrgeat suscipiendi operis anceps necessitas,& è regione impositus sit,nec meo labore vacuus, nec maledicorum disceptatione tractatus: in quo gemina cautio dictionis, hinc vbertatem expectet ingenij, inde etiam lingua diuitibus narrandi frænos imponat: cùm ipsas eminētissimas,vt putantur,in sæculo vana inflatione personas; si quis ventoso nimium studuerit eleuare præconio,aut intra gestorum terminum inopia eloquij continere,vtrumq; apud eas iudicetur ingratum. In laudibus enim ipsis turpe est illa cudere, quæ nec ille, de quo narrantur agnoscat; sic iniuriosum,& dolore dignum putatur illud præterire silētio,quod relatio vera possit attollere. Etenim res bene gestæ veterum nostrorum *a* proferentis apud nos accipiunt facultate virtutem. Nam verè aut perit notitiæ,aut attenuatum transit ad posteros,quod explicandum pauper verborū vena susceperit: & *b* illa haud iusto liberalior laudatio tantum decerpit gloriæ, quantum falsitatis adiecerit. Fit verò plerumq; vt fide carens *c* annulus, muniat probe facta multorum,& sit vana narratio,quæ crescit ex mendacijs,intēpestiua,& mendica nimium, quæ non pertransit ad terminum. Quocirca vitam beatiss.Epiphanij Ticinensis antistitis narraturus, inuoco Spiritum S.testem actuum eius & comitem, vt ipsius auxilio gloriam sereniss imæ conscientiæ, quam eidem concessit, tradam chartis victuris in sæculo: vt exemplum præbitura virtutum, nunquam fama moriatur. In quo tamen opere, si me angustia non arctauerit eloquentiæ sub certa lege currentis,vt saltem cruda per ordinem digeram facta meritorum: nihil tamen de laboribus eius tam mediocre vel humile inueniam vt necessarijs illud bullis,vt pleriq; solent,viuidi sermonis amplificem. Testes etenim calentium citabo negotiorum,& trophæa illius adhuc fumantia,& exornata de manubijs diabolicæ nuditatis ostendam. Nemo enim sub notis præsentia pœnæ & nimium nota commemorat, nisi qui de veritate confidit; vt quos forsitan ficta dicturus, velut imprudentiæ meæ conscius euitarem,eorum auribus relegam illa quæ cognouit aspectus.

PRÆFATIO

a pro referentis.
b illa iusto liberior.
c cumulus minuat, vel fort. sine carens annulo

I. IGITVR præfatus vir insignis [a] Epiphanius,oriendo Ticinēsis * oppidi indigena fuit,patre *d* Mauro generatus,& matre Focaria editus; quæ sancti etiam Myrocletis Cōfessoris, & Episcopi tangebat prosapiam: hominibus ex liquido ingenuitatis fonte venientibus. Sed quid illorum retexam sanguinis prærogatiuam, quorum familiæ & nobilitatis caput est filius? Qui sub decessore suo viro integerrimo [b] Crispino Pontifice cœlestis militiæ tyrocinium sortitus, annorum ferè octo [c] lectoris Ecclesiastici suscipit officium signo antè cælitùs demonstrato. Nam dum esset in crepundiis lactantis infantiæ, fulsisse eius [d] cunabula superno lumine vidēre eum plurimi,vt futurā mentis claritatem,lustrans eum & præcedens fulgor ostenderet, secuturumq; splendorem in moribus iam tunc typica luce signaret. Notarum in scribendo compendia,& figuras varias, verborum multitudinem comprehendentes breui assecutus in *e* exceptione numero dedicatus *f* emicuit,cæpitq; iā talis excipere qualis posset sine bonorū oblocutione *g* ditare.Igitur processu temporis,& laboris ad sextum decimum ætatis annum diuino fauore perductus, cana cōsilia in annis puerilibus meditatur.Vernabat in illo præ cæteris mater bonorum operum Verecundia; ita famulabatur Antistiti libens, vt si quid operis gereretur ab altero,grauiter ferret,subreptum sibi fuisse seruitium. Accipiebat senes grauiter; iuuenes *h* cōmuniter; & coërcebat iam tunc facinorosos audacter.Erat primis subiectus,prioribus sancta iniungentibus obsecundās, æqualibus blandus atq; officiosus,sequentibus mira caritate communis,nulli se præferens. Cum religioso cursu per cœlestem tramitem omnibus *i* conueniret,laudationis amore vacuus,cum quotidie in eo laudanda adolescerent, cūque res gloria dignas per [k] honorum momenta consumeret,perire gloriæ fructum opinabatur,atq; mercedem,si præstitissent homines,quod soli Deo exhibebat absconditè.In summa:Apostolici memor oraculi,assentationes respuens in semetipso teste conscientia pro boni operis recognitione plaudebat.Illud verè *l* delibandum esse non abnuo,quod formositas in illo lucis corporeæ index animæ fuit: & tantum contra studium illius formæ decus emicuit, vt nec forti viro possit oppugnante *m* conuerti.

2. Cor. 10

* Blondus itaq; non rectè Aquileiensem facit.
[a] Epiphanij parentes
[b] Crispinus Ticinens. Episc. IV post Syrum, Pompeium & Iuuentū. Vide eundē Bern. Saccū lib. 6 c 8.
[c] Epiphan. fit Lector.
[d] Eius cunæ fulgent
d Marium vocat Bern. Saccus Ticinens. rerum lib. 7. c. 15.

e Exceptorū, i. Notarius vt vocat Leo PP. Ep. 11. ad Clerum & pop. C. P. *f enituit.* *g dictare.* *h comiter.* *i anteiret.* *k horarum momenta consummaret.* *l al. libandum.* *m subuerti.*

II. RIDEBANT genæ etiam cum animus mœstitudine torpuisset, nitida *n* semilabia commendabant dupliciter mella sermonum: nec non quocunq; vertisset oculos, serenitatem mentis nunciabat aspectus, frons *o* ceruleæ pulcritudinis,& cādoris illius,quæ solis passa radios colorē traxit ab æthere. nares in tanto naturaliter splēdore formatæ,vt illas nequiret imaginibus *p* correpræsentans pictor æmulari. manus teretes, plixi digiti, de quibus aliqd & alienigenæ gaudeant accipere: staturæ proceritas decens, quæ eminentiam secuturæ dignitatis præfiguraret in membris, nec tamen modum ornatissimæ prolixitatis excederet. Sed ne quis forsitan malicios us interpres intempestiuè positum iactet, in viro tantarum virtutum de lepore carnis factam esse mentionem; cum in illa veteri mandatorum cœlestium radice sit insitum *q* sacerdotem coram sagaci debere insinuatione lustrare; ne quid debile vel deforme, ne quid plus minusue esse contingat,neue *r* inclytam maculis cutem superficies fœda dedecoret,ne fractura manus aut [fractura] pedis,aut gibbus indignum altaribus reddat Antistitem,& clamet Doctor gentium & electionis vas hominem mundum ad eiusmodi debere officium peruenire.Quod non solum de animæ,sed etiam de corporis nitore creditur dixisse potissimū, qui deformem ac debilem à libaminibus suis mandat arceri.Inuenitur eos, qui multipliciter grati sunt, admittere libenter, præsertim in quo lucem membrorum animæ fulgor *s* eruperat, nec naturaliter illud terrenum decus aliquibus artificijs adiuuatur. Præstrictis ergò his,quæ oportuit non omitti, vt cui innotescerent opere; *t* nec immēsus præsentaretur & vultu. Transeam ad illa quæ de cultoribus Dei nostri non mediocriter laudanda fronte narrantur.Erat in eodem sermo ad doctrinam congruus,fabricatus ad blanditias,ad intercessiones: iam tunc artifex,ad corripiendos singulos auctoritate plenus,ad exhortandos quosq; necessario lepore dulcissimus.Vox sonora succo virilis elegantiæ condita,nec tamen agrestis ac rustica,nec infracta *u* gradanti à mascula soliditate deposita. Illum quicunque vidit, *x* tamen necdum dignitatum aliquod *y* liberè intrasset, omnia eum transijsse credidit,quæ sequebantur insignia. Talis iam ad octauum decimum annū ætatis suæ peruenit,in quo *z* infimo à Leuitis numero dedicatus,senum cætibus adiunctus est. Stupuerunt plurimi, sed externi,qui mores illius cum ætatis immaturitate iungebant; seram credebant dignitatem hanc reddi[illegible] esse,qui nouer[illegible]

n similal labia.
o cereæ pulchritudinis.
p corpora repræsentās Forma imperio digna in Epiphanio
q sacerdotū corpora.
r inolita.
s exsuperat
t vt immensus.
u gradatimque.
x ita necdū.
y limen.
z in secūdo. Epiphanius fit Subdiac.

At

IV. At ille venerabilis [a] Crispinus Episcopus, fauoris nescius, pertinaci tenens districtione censuram, & quæ nunquã nisi bona conscientia duxit ad gratiam, sic eum mulcebat *a* seribus, vt morderetur obtutu: & sub specie frontis rigidæ clandestinum circa discipulum nutriebat affectum, pascebaturq; alumni sui optabili conuersatione pater, & in omnibus eius actibus *b* occultis amœnabat. In quo tamen ille *c* subdiaconum ordine nihil amplius quam biennio commoratus, meritorum suorum saltibus euectus exiliuit. nec se diu intra angustias modici honoris anima est diues passa refrænari. Festinabat [b] ad Leuiticam dignitatem conscientia, quam nunquam vota præsumpserant. exigebat cõuersatio, quod desideria penitùs ignorabant, circa metas præfati honoris & terminum. Vnum eius opusculum *d* somnotenus libet attingere. *e* Somnians vocitatur ager, qui in eo loco situs est, in quo terrenum marginem, gulosus *f* pagam gurgitis morsus arrodit, & flexuose serpens fluuius largitur in compendio alterius, quod furatur ab altero, simulque fit *g* lucum finitum aliena calamitas. de huius prædij finibus antiqua cum clericis Burco quidam lite certabat, ad quod iurgium dirimendum senile nimis, & præterquam conijci possit annosum, adhuc puer iste dirigitur. Electus est enim qui & fortiter illatas intentiones exciperet, & maturitate consilij inferendas temperaret: attulit tamen quod solet omnium criminum mater, intentio. Nam processu sermonis, & scandali, ipse Burco, qui malitiæ suæ sordido lenocinaretur assensu, summum facinus sine aliquo timore commisit: Nam sanctum virum ita fuste percussit, vt sanguis protinus ebulliret. At ille paratissimus dextra repressit, nec vindictæ spe prouocatus *h* assorbuit, turbatũq; *i* protinus & attonitum percussorem blandissimo delinibat affatu. illico miseram se clamans, & orbatam filio ob atrocitatem facti Capraria, Burconis mater occurrit. Crederes eam circa funus pignoris sui illa, qua fugatur [k] esse consilium in carorum mortibus lamentatione iactari. Lambebat vestigia sanctissimi iuuenis eiulans mater, & parce clamabat illi, quem nunquam ad indignationem vis vlla compulerat. At ille supplicantem prohibebat, ne sibi inuidiam rogando concitaret, ne se non mercentem delati honoris *l* sarcini impediret. Turbata est repente ciuitas: omnium Christianorum in furorem versæ mentes. Burco ad exitium possidebatur, & in tanta hominum multitudine nemo placidus, nisi qui iniuriam *m* ferat passus inuentus est. Flebat egregius Pontifex de infirmitatibus suis & molestijs, gaudente discipulo. Nam ita satisfaciebat pro eo qui putabatur inimicus singulis, vt nec gloriam parcendo iactanter quæreret, nec vindicando mandata cœlestia præteriret. Breui [c] post ad Diaconij euectus infulas vicesimum annum ætatis [suæ] ascendit, facie *n* nouã benè barbata. Turbabatur susceptI honoris tirocinio homo, qui iam ducem poterat implere Christianum, singulorum pro pudore declinabat aspectus, quem vniuersa ciuitas, quasi salutis signum aliquod attendebat. Interea supradictus Antistes omnem Ecclesiasticæ conuersionis substantiam, & diuitias pauperum suorum, *o* & eius potestati committit, volens ante Episcopatum cognoscere, qualem futuris temporibus *p* præparet Episcopum, & cum vix sit vt ab eorum personis (de quibus successionis seritur quantulumcunq; suspicio) inuidia temperetur, in istius gratia sibi credebat perire sanctus *q* Papa quidquid minus fuisset exhibitum. Quædam in illo sua, quædam volebat esse maiora at iste quotidianis profectibus, etiam cupidissimi in Oratione genitoris vota transcenderat. Erat enim genitor, *r* quem per Euangelium cõceptum Verbi cœlestis *s* semen fæta aluus effuderat. Nam [d] de pudicitia iuuenis mei quid loquar? in quo domum sibi statuerat castitas & continentia; *t* iudices fixerat in profundum. Virum se esse nisi per làboris patientiam, ignorabat: carnem habere nisi cum moriturum se esse meminerat, nesciebat. Quoties tamẽ [e] illum corporeus appetitus, sicut ab ipso didici, ludebat imaginibus somniorum, illico ad vigilias sanctas, continuata ieiunia, standi diutissimè necessitatem, plena auiditate currebat: talemq; bellatrix dextera animæ suis certaminibus reddebat carnem, vt illi opus esset postea pro necessitate succurti. nec tamen refecto corpusculo indulgebat otio. vtebatur lectione pro requie librorum venerabilium, pro blandimentis *u* nostram susCipiens, memoriter semel transcursæ reddebat: & ne crederetur scripturarum diuinarum tramitem verborum tantummodò celeritate transuolasse, pingebat actibus suis paginam quam *x* legissem. Si propheta fuisset in manibus: prophetantem videres codice amisso lectorem. Si Testamenti veteris recensuisset volumina, Moysi dignus æmulator incedebat, taliterac si illum Israëlitica per desertum agmina sequerentur. Si Apostolicum lac verborum & mel Dominicæ passionis, seueritatem legis condiens scriptura index reuelasset; continuò ex ore ipsius dulciora fauis verba fluxerunt. postremò quid libri docuissent, vita signabat.

a Crispinus Episcopus.
a sẽsibus, vt morderet.
b oculis.
c subdiaconi
[b] Fit diacon.
d summo tenus.
e Sũmias.
f Padani.
g lucrum finitimi.
h efferbuit.
i potus.
k omne consilium.
l sarcinis.
m fuerat.
[c] Fit diacon. n necdũ barbata benè.
o in eius o testate.
p ppararet.
q Pater Cod. Vatic.
r cui⁹ eũ per ſſemine.
[d] Epiphanij castitas.
t radices.
[e] Ascetica Epiphanij exercitatio.
u instrumenta.
x legisset.

V. Domvm taliter regebat Ecclesiæ, vt nec profusione immoderata commissam pecuniam exhauriret, nec odia sordendi parcitate contraheret. intercessionum etiam tunc certamina *y* præludebat. Nam vbicunq; pro remedijs miserorum Episcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficum arte supplicandi, vt *z* sentire sibi in causis prosuisse complurimùm ipsum per se Episcopum non venisse. angebatur circa eum per dies singulos popularis affectus, & magnis successibus cumulabatur amor, qui ex iudicio descendébat. desiderabatur in *bb* eo sacerdotium, cum nemo nutritoris *cc* eius optaret interitum, ipsum tamen ne odor quidem huius opinionis afflauerat. arbitrabatur ad profectum suum sufficere, si cum bona semper existimatione seruiret. Postquam tamen inualida senectus, & semper de infirmitatibus *dd* querela benè virum Crispinum Pontificem occupauit, istius sustentabatur manibus, in huius nitens exigebatur amplexus: pes illius erat, oculus, dextera; cuius ministerio quidquid optasset fieri, ante iussionem suam videbat impletũ: Præsentiunt enim bonæ mentes eorũ desideria, quibus cum integritate famulantur: Talis [f] in diaconatu à vigesimo incipiens octo annos impleuit, & quidem tunc status Ecclesiæ Ticinensis bona clericorum fruge polebat. Erant cælestes viri, quos iste à perfectione incipiens *ee* amabat. Fuit [g] Syluester Archidiaconus ea tempestate homo in vetusta disciplinarum instructione probatissimus. fuit vir insignissimus [h] Bonosus Presbyter, tam nobilis sanctitate, quam sanguine, Gallus [i] quidem prosapia, sed cælestis indigena: Fuerunt alij & numero plures, & virtute præstantes; quorum idcircò facio mentionem, quia parua laude dignus est, *ff* qui tantis miseris aufertur. Circa finem tamen vitæ, quam spiritu præuidebat sanctus Antistes, Mediolanum vicinam expetijt ciuitatem, vbi nobilium germina messe quadam mundæ ingenuitatis excreuerant: quos visitationis gratia requisitos talibus vir Dei sermonibus appellauit. Ecce filij iam me ætas compellit ad transitum; iam originariam ad ius suum reuocat terra particulam, commendo ciuitatem, commendo Ecclesiam, commendo hunc, cuius labori & gratias debeo, quod vsq; ad hoc tempus vixi & grandæuus, & debilis: cuius corporea soliditas, & virtus animæ imbecillitatem meam portauit sine fastidio: cuius ambulaui pedibus, tenui aliquid manibus, vidi oculis, ordinaui sermone. duo videbamur intuentibus, cum vnus per cõcordiam fieret ex duobus. Hæc *gg* Rustico illustri viro dicta penitus insederunt, qui in omni dicendi genere exercitatissimus tali est orsus eloquio: Scimus sancte Pater, scimus & profunda consideratione perspeximus, iuuenem istum nõ oportere pro ætatis immaturitate censeri, nec debere grauis cõsilij hominibus teneros pro quadam obice annos adferti. Vir namq; cana morum integritate probabilis, geminata laude dignus est, si illi ad *hh* bonæ mentis imperium puerile corpus obtemperet: viue tu tamen, viue exemplum, & forma bonorum operum, & vberiores in eo, si adhuc possunt crescere, lucidæ conuersationis fructus adiunge. His dictis conticuit: at ille pijssimus Pontifex beneuolentiæ eius impendens gratias, quod secum pari de discipulo existimatione sentiret, *ii* dicto vale, discessit, atq; Ticinum quasi ad sepulchrum festinans regressus est.

y præludebat.
z sentirẽt.
aa complurimi.
bb illo.
cc sui.
dd fort. que rula, venerabilem virum Criſp.
[f] Diaconus annis 8 Epiphanius.
ee anteibat
[g] Syluester Archidiac.
[h] Bonosus.
[i] Gallus.
ff qui tantum miseris antefertur.
gg Rusticio
hh venerabile.
ii dato.

VI. Qvi [k] aliquantis diebus emensis, morbo regio perfusus, lucem sæculi nostri superna habitatione commutauit. Extemplò in istum bonorum omnium concessus adducitur; magnus illico in tota vrbe concursus; rapitur à lamentatione

[k] S Crispini mors. In Martyrolog Rom. 7. Ianuarij.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tione funebri in gaudium populi consecrãdus Antistes. Flebat ille intemperanter dolore mortis paternæ, cui reddi debitas [aliquas] lachrymas promiscuæ multitudinis lætitia non sinebat. Resistebat in quantum poterat, & *a* dignum se iam Apostolica imitatione clamitabat; sed tantum magis surgebat in eo dilectio cunctorum, quãtum in multitudine magna solus erat, qui se vocitaret indignum. Nunc quid pluribus vtar, qui omnia explicare non valeo? Finitimarũ ciuitatum iunguntur studia, & attrahitur tanta collectio, ac si initiandus esset totius orbis Eps. ducitur Mediolanum adhuc [a] reluctans, & magna, si dimitteretur munera promittens, qui vt fieret noluit spondere vel minima. consecratur cum omni celebritate cunctorũ. exultabat mundus de tantis sanctæ ordinationis insignibus: Extranearũ habitatores vrbium tanto se tripudio iactabant; quasi ipsis propriè profuturas infulas sacerdotales *b* exceperint; aliquos tamẽ magnarum vrbium incolas edax consumebat inuidia, quod tantum oppidi Ticinensis angustia habere meruisset Antistitem, cum apud ipsos sola *c* Pontifices metropolitanæ iactantiæ vocabula tuerentur? Exacto ergo dedicationis suæ die Ticinum redijt, conuocatisq; vniuersis presbyteris ac ministris, talibus eos instruxit ac confortauit eloquijs: Quãuis me, fratres, inter primordia immatura titubantem iudicij vestri, & susceptæ dignitatis pondus oppresserit, memini tamen quod magna gratiæ vestræ debeam, cui maxima contulistis. Et licet parendi vobis magis, quam iubendi habuerim voluntatẽ; mutaui tamen per officium personam, seruiẽndi animum non omisi. Estote pacifici; estote vnanimes; onus meum mecum diuidite. Fit enim ad portandum facilis sarcina, quam multorũ colla sustentam meam vobis cõmunionem seruãdam cum omni humilitate polliceor: neq; futurum esse quemquã, qui me, nisi cum Deo nostro, possit offendere. Auctorẽ bonorum operũ seruate pudicitiam, & ne iniuriosum putetis, quod grandæuos & presbyteros de continentia & integritate seruanda puer appellat. *d* Conuersationem animi aut adolescentia aperit, aut senectam. speculamini meæ conuersationis *e* internam, & si indignum aliquid agnoscitur coërcete. nemo vt Ecclesiæ principem admonere timeat *f* si probat errantem. His ita dictis conticuit: surrexerunt omnes, & consona quasi ex pristina meditatione, sub momentanea tamen voce dixerunt: Aue pater probatissime, aue Pontifex singularis; bonum te quidẽ sensit vniuersorũ electio, sed optimũ ẽt tua testantur alloquia. *g* Crescis sanctis meritis apud conscientiam nostrã, & *h* operis luce operum, supra quam porrigebatur opinio. Quibus breuiter perstrictis, suscepto munere omnes discesserunt. Mox sibi B. Antistes proprio ore leges, quibus posset tenere, dictauit. Primũ statuit non lauandum, nè nitorẽ animæ, & interioris hominis fortitudinẽ balnea, magis sordibus amica, confiingerẽt: *i* dein decreuerat nunquã esse prandendum. Sed [b] nè propositi sententiam superuenientium vis [k] illa temeraret; aut iactantię nebulis, aut auaritiæ fama læderetur. definiuit nunquã sibi cœnandum, vt commutatio horarũ, ac per hoc semèl in die reficiendi tẽpus afferret. cibos iussit sibi placere viliores, nihilq; in apparatione *l* ciborũ nares saporẽq; suum posse offendere, nisi quod aromatibus cõditur. Olerum & leguminis pascebatur epulis, sed neutrum horũ vsq; ad satietatẽ: capiens vini quidẽ parum, quã tamen exiguitatẽ Apostolicę admonitionis memor sumebat, ob stomachi cauendã debilitatẽ. Procedendum censuit, omnibus in quolibet aëris *m* terrore maturius, ita vt vigiliarũ formam Lectoribus antecedens ad Ecclesiam præberet Eps. Postquã verò ad altaris confinia peruenisset, nullam deliberauit futurã esse necessitatẽ, qua indè nisi impletis solennibus posset abduci. iunctis pedibus vsq; ad consummationẽ mystici operis stare se debere constituit, ita vt humore vestigiorũ locũ suum depingeret, & longè aspicientibus indicaret. Intercessionũ tantã sibi proposuit curã, vt ipsam se miseris inferre crederet molestiam, q̃ per negligẽtiam à quibuscũq; permisisset inferri. ad *n* patinã laboris tẽpore otij *o* vt necessitati vt sufficeret corpus, aptauit. hoc sibi viuẽdi pragmaticũ vel disciplinæ dogma proposuit, aggressus est, seruauit, impleuit. ¶ Mox verò [c] per vniuersum mundum sanctam illius conuersationẽ illa, quæ licet in glorioſis actibus tardior esse solet, fama non tacuit, sed aures Ricimeris, qui tunc *p* secundis ab Anthemio principe habenis Remp. gubernabat, detulit. Nam Imper. Romæ posito, seminarium inter eos iecit scandali illa, quæ dominantes sequestrat, Inuidia, & par dignitas causa discordiæ: Surrexerat enim tanta rabies atq; dissensio, vt mutuò *q* tela præpararet, & præterquam origo irarum proprios suggerebat stimulos *r* his ista circumstantium consilio nutriebatur. Nutabat status periclitantis Italiæ, & affligebatur ipsis discriminibus grauiùs, dum exspectabat futura discrimina. Interea apud Recimerem Patritium, Mediolani ea tempestate residentem, fit collectio Ligurum nobilitatis, qui flexis genibus soloq; prostrati, pacem orabant *s* Principem; & vt à scandalo vtræq; partes desinerent, occasiones *t* gratiæ ab vna precabantur offerri: Quid plura contexam? *u* mulcetur Ricimer, & velle se reparare concordiam, permotus multorum fletibus pollicetur. Sed quis, ait, potissimum huius legationis pondus excipiet? quem *x* tanta molis cura maneat? quis est, qui Galatam concitatum reuocare possit, & principẽ? Nam semper cum rogatur exuberat, qui iram naturali moderatione non terminat. Tunc vno omnes ore respondẽrũt. *y* Est [d] nobis persona nuper ad sacerdotium Ticinensis vrbis ascita, cui & belluæ rabidæ colla submittant: Cui antè preces offeratur beneficium, quod à quolibet periturus aduenerit: Cui est *z* vultus vitæ similis; quẽ venerari possit quicunq;, si est Catholicus, & Roman. amare; *aa* certè si nõ videre mereatur, & Græculus: Iam si ad sermonem illius veniamus, nunquam sic *bb* duras aspides verborum, digitis incantator Thessalus violentis poterit euocare carminibus, quomodo *cc* illic effectum petitionis suæ negaturas extorquet? Pendet in arbitrio eius, cũ loqui cœperit, sentẽtia audientis. Perdet ius suũ, qui *dd* excusare disposuit, si illi allegãdi copia cõcedatur.

VI.

TVNC patricius Ricimer ita respondit: Detulit ad me hunc hominẽ, quẽ exponitis, fama glorioſum, & in hoc magis *ee* ad miraculũ mihi est, q̃ oẽs habeat laudatores; nullos *ff* eius, quibus per inuidam abundare solet, nouitas, *gg* perdit inimicos. Ite ergò & rogate hominẽ Dei, vt ambulet. Iungite meas ẽt preces. Egressi de Cõcilio statim Ticinũ petunt; causam *hh* narrãt, fusis, vt istũ laborẽ susciperet B. Epiphan. rogatur lacrymis. Qui nè extenuaret beneficiũ, si filios diutina supplicatione torqueret, antecessit *ii* desiderium postulatũ: Quos tñ taliter allocutus est. Quãuis tantæ rei necessitas probatiss. personæ pondus inquirat, & titubet sub graui fasce portitor immaturus; affectum tñ, quẽ debeo patrię, nõ negabo. Quibus breuiter narratis [kk] quoniam erat loquendi parcus, ad Ricimerẽ patritiũ perrexit, à quo *ll* semèl visus & electus est. ¶ MANDATO [e] ergò sibi legationis ordine, Romã petijt. In quo itinere quid molestiarũ sustinuerit, quidué virtutũ gesserit, festinans ad maiora prætereo. Mox tñ vt supradictæ vrbis portas ingressus, fama, quæ absentẽ illum notũ fecerat, digito cœpit ostendere. *mm* conuersi ilicò oĩm oculi, stupuêre mentes attonitæ, q̃ tantam sibi exhiberi reuerẽtiã imago eius index sanctitatis *nn* exquireret. Inexpiabilis culpæ se reum fatebatur quilibet potẽtũ, *oo* si tãtum genua eius amplexus esset. Tollebatur clamor in cælũ. Nemo illum mortalium numero computabat, cui oĩa cælestis gratiæ bona videbant cõstare. Perfertur ad principẽ Anthemium, studio legationis, Eũm venisse Ligutiæ, hominem, quẽ nullus posset ẽt diues eloquio, sufficienter exponere. At ille: Callida mecũ Ricimer, & in Legationib⁹ suis, arte decertat. Tales dirigit qui supplicatione expugnent, quos ille lacessit iniurijs. Perducite tñ ad me hominẽ Dei: qui si possibilia precatur, admittã; si difficilia, supplicabo, nè excusationẽ meam grauetur accipere. Dubito tñ, an Ricimer apud me, q̃ poscit, obtineat: cuius scio votorum intemperantẽ esse personã, & in conditionibus proponendis rationis terminũ nõ tenere. Sed veniat directus Antistes, & laudatã iam pridẽ præsentet effigiem. Egrediuntur officia Palatina tota vrbe, *pp* lube, rogatis audiebat Eps. At venerabilis & sęculis omnibus probatus Pontifex, posteaquã introgressus est, proferendi sermonis donatus licentia, *qq* quãuis fugitiuæ potestatis insignia, ostrum, gẽmasq; rutilantes reverendæ imaginis fulgore *rr* compresserit. Etenim quoniam absente Imperat. ita in se oculos traxerat singulorum. Tali tamen narratione incipiens, ianuam oris reserauit.

VII.

VIII.

SVM-

1. Tim. 3

a *indignũ.*
[a] Inuitus ordinatur Ticinensis Eps. an. 466. calculo Bar. Annal. to. 6.
b *exceperit.*
c *Pontificis.*
d *Conuersatio, non animi, aut adolescentiam aperit.*
e *itinera.*
f *nisi.*
g *Crescens.*
h *aperiris.*
i *deinde.*
[b] Victus ratio Epiphanij
k *vlla.*
l *ferculorũ.*
m *f. tenore*
n *patientiã*
o *fort. & necessitatis, vel, otijve.*
[c] Vide Niceph Hist. Eccles l. 15 c. 11. Sigon. l. 14. Occid Imp & Bar. Annal. to. 6.
p *al. secundus ab Anthemio habitus.*
q *bella.*
r *lis ipsa.*
s *Principũ.*
t *gratia ab vna precabãtur auferri. Vat. C.*
u *mutatur. V. C.*
x *tanta.*
y *Decst hic, quod in Baron. est. Vester tantum modo ad pacem declinetur assẽsus.*
[d] Eloquentiæ vis in Ephanio.
z *cultus, Baron.*
aa *Amare certè. si videre illum, legit. Baron.*
bb *diras.*
cc *ille eff. p. s. negaturis Vat. C.*
dd *accusare*
ee *admirationi Va. C.*
ff *enim.*
gg *prodit.*
hh *narrant fusius V. C.*
ii *desideria postulatium Bar.*
kk *quomodo.*
ll *simul visus & dilectus.*
[e] Suscipit legationem ad Imperat.
mm *Conuersis omnium oculis Vat. C.*
nn *extiterit. V. C.*
oo *nisi*
pp *vbi rogatus aduenientibus Episcopus Bar. tom 6 Annal.*
qq *quasi fugitiua*
rr *compressit.*

IX. SVMMA cælestis Domini,[a] venerande Princeps, est ordinatione dispositum, vt cui tantæ Reipublicæ cura mandabatur *pro Catholico fidei dogma, Deum, & auctorem, & amatorem pietatis agnosceret, per quem bellorum furorem pacis arma confringunt, & calcans colla superbiæ concordia superat, quod fortitudo non prævalet: Sic namque Dauid prædicabilem *parcendi magis inimico animum reddidit, quam intentio vindicandi: sic *perfecti seculorum reges, & domini, supplicantibus indulgere cælesti arte didicerunt. *Supernæ namque dominationis instar possidet, qui imperium suum pietate sublimat. Hoc ergo Italia vestro freta iudicio, vel Ricimer patritius paruitatem meam oratum direxit indubitanter conijciens, quod pacem Romanus Deo minus tribuat, quam precatur & Barbarus. Erit enim triumphus vestris propriè profuturus Annalibus, si sine sanguine viceritis: simul nescio quæ species fortior possit esse bellorum, quam dimicare contra iracundiam, & fortissimi Getæ pudorem onerare beneficiis. Grauius enim percellitur, si postulata impetunt quæ puduit hactenus supplicare. Tractandus demum anceps bellandi euentus: in quo tamen, si ita prævaluerint peccata, certamine vestro *regno defraudabitur, quod partes vtræque perdiderint. Nam quæcunque apud Ricimerem, si amicus est, salua sunt, cum ipso à vobis patritio possidentur: rogitate pariter quia benè causa suæ ordinem dirigit, qui pacem primus obtulerit. Hactenus admirandus Pontifex prosecutus, loquendi finem fecit. Tunc princeps erigens oculos, desertum se omnium vidit aspectibus, atque in eum *mutatus vultus est cunctorum, quem admirari nec ipse desinebat. Tunc alto trahens verba suspirio, ita orsus est:

[a] Oratio Epiphanii ad Anthemiũ.
*Per Catholicæ fidei dogmata V.C.Bar. legit, dogma.
*Parcendo magis inimico animus. Bar.
*Præfecti Vat.C.

*Suprema. *Impetret, quem Bar. imperet. V.C. *Deinde. *Regnum defraudabitur, quod partes vtrinque. *Cogitate. *Inuitatos vultus esse.

X. QVAMVIS inexplicabilis mihi, sancte Antistes, aduersus Ricinerem causa doloris sit, *quod nihil profuerit maximis eum à nobis donatum fuisse beneficiis: quem etiam (quod non sine pudore & regni & sanguinis nostri dicẽdum est) in familiæ stemma copulauimus, dum indulsimus amori Reipublicæ, quod videretur ad nostrorum odium pertinere. Quis hoc namque veterum retro principum fecit vnquam, vt inter munera, quæ pellito Getæ dare necesse erat, pro quiete *communi filia poneretur? *Nescimus parcere sanguini nostro, dum seruamus alienum. Nemo tamen hoc credat propriæ causa factum esse formidinis. Nam in tanta circumspectione salutis omnium, pro nobis timere nõ nouimus. Bene enim compertum est apud nos, perire Imperatori laudem suæ virtutis, qui pro aliorum cautela non *metuit. Sed vt tuæ venerationi ad liquidum conatus illius aperiamus, quoties à nobis maioribus donis cumulatus est Ricimer, toties grauior inimicus apparuit. Quanta contra Rempublicam bella *præparauit? quantas externarum gentium per illum vires furor accepit? Postremo etiam vbi *nocuisse non potuit, *nocẽdi tamen fomenta suggessit. Huic nos pacem dabimus? hunc intestinum sub indumento amicitiarum inimicum sustinebimus? quem *ad fœdus concordiæ, nec affinitatis vincula tenuerunt. Grandis cautio est aduersarij animum cognouisse, *eum hostem protinus sensisse, superasse est. *Perdunt semper deprehensa odia stimulos, quod occultata conceperant. Sed si in his omnibus Reuerentia tua & vades, & *meditator accedit, qui potes spiritali indagine consilia nefanda inuenire, & inuenta corrigere, pacem quam tu poscis negare non audeo. Postremo si solitæ calliditatis astutia etiam te fefellerit, certamen iam vulneratus adsumat. Me tamen, statumque Reipublicæ tuis committo, & commendo manibus, & gratiam, quam supplicanti & profuso per se Ricimeri negare dispositeram, per te primus exhibeo. Profunda enim deliberatione compẽdijs nostris in hac parte consulimus, si in incertis procellarum erroribus nauem ex boni gubernatoris ordinatione flectamus. Quis enim tibi *excusare præsumat beneficium postulanti, cui oportuerat ante preces offerri? Hæc Imperator. At venerabilis sacerdos: Gratias, inquit, omnipotenti Domino, qui pacem suam principis menti inseruit: quem ad instar superni dominatus vicarium potestatis suæ voluit esse mortalibus.

*& ni .
*Communis. Bar.
*Nescius mus. Bar.
*Minu t. Bar. lege nõ timuit.
*Prius pãrauit? Bar.
*Nocere.
*Mouendi.
*Nec fœdus
*Etenim. Bar.
*Produnt quos occul. Bar.
*Mediator.
*Recusare.

XI. QVIBVS breuiter enarratis, accepto etiam pro concordiæ firmitate ab Anthemio sacramento discessit, festinãs ad Liguriam reuerti, quoniam Resurrectionis Dominicæ tempus instabat, per quod maceratis ieiuniorum cruce corporibus, carne frigida spiritus hilaris recalesceret, Dum à Redemptore nostro moriendo mors vincitur, fidelis spei cibis anima saginatur. Vicesimo [à] se, cùm Romam egressus est, futurum Pascha dies promittebat; tanta tamen iter celeritate confecit, vt quartodecimo die improuisus, & famam prævenies, Ticinum ingrederetur; comitibus sanè plurimis in via derelictis, quia nec abstinentiam eius sustinere poterant, nec laborem. Ecce concursus præstolantium tanti Antistitis aduentum, domi positum videre, quem nondum Romam egressum fuisse cognouerant. Lætæ vrbis tripudia attonito Ricimeri indicârunt pacem factam, consono omnes ore clamitabant: Exultatio infinita prouinciarum, &, sicut hominum mos est, gratius habere quod redditur, quam si omninò non pereat; dulcior erat concordia, quæ post litem reuocabatur, & pax, quæ iam penè desperata contigerat. Reuocabatur Reuerendus Pontifex, vt diu exspectatum Mediolanensibus præsentaret aspectum. At ille, ne velut debitas gratiarum actiones præsens videretur exigere, visitationes eorum, sub colorata specie declinabat. Igitur processu temporis, & laboris, quotidianis successibus vitæ meritum geminabatur. Erat illi germana natu minor, religione non impar, [b] Honorata nomine, cuius vitam per singula virtutum genera longum est eloqui: sufficit tamen ad laudum eius cumulum dignam tanti viri sororem dixisse. Hanc in ipso, quo è legatione redijt, consecrauit anno; quam tamen imbuendam disciplinis cœlestibus, quasi scientia illi natura sufficeret. Luminosæ [c] cuidam fœminæ stupẽdæ sanctitatis, & singularis exempli commisit. Cuius oporteret fortassis natalium culmina relegi, nisi insignior fuit vita quam sanguine. Hæc enim fuit talis, de qua se crederet habere & ipse quod disceret, cui erudiendam consortem vteri committebat. Nam breui apud hanc depositum Antistitis pignus efflоruit, & ad maturitatem bonæ frugis plãtaria honesta perduxit. Interea per propositum sibi callem vitæ [d] cursu præpeti sacerdos venerabilis incedebat, eleemosynæ sine retractione operam dans: quod munus accipientibus vultu & animo blandissimo commendabat, ita vt cuicunque sermonis solius gratiam præstitisset, nequaquam se indonatum putaret abscedere. Erat enim summum præmium, talem saltem vidisse Pontificem. Crescebat in dies singulos fama gloriosis successibus, & totum penè mundum illius prædicatione complebat. Defuncto tunc [e] Ricimere, vel Anthemio, successit Olybrius, qui in ipsis exordijs diem clausit extremum. Post hunc Glycerius ad regnum accitus est, apud quem quanta pro salute multorũ gesserit, studio breuitatis incido. Nam supplicante sancto viro, illatam matri à ditionis suæ hominibus concessit iniuriam; cùm apud illum reuerentia præfati sacerdotis, esset etiam decessore sublimior. Post quem ad regnum Nepos accessit. Tunc inter eum & Tolosæ alumnos Getas (quos ferrea *Euaricus rex dominatione gubernabat) orta dissensio est; dum illi Italici fines imperij, quos trans Gallicanas alpes porrexerat, nouitatem spernentes, non desinerent incessere. E diuerso Nepos ne in vsum præsumptio malesuada duceretur, districtius cuperet commissum sibi à Deo regnandi terminum vindicare. Hinc vtrinque litium cœperunt fomenta consurgere, & dum neutræ partes conceptum tumorem vincendi studio deponunt sic *exuperabat causa discordiæ. Attigerat iam beatissimus vir octauum in sacerdotio annum, cùm repentè Nepotis animum submouendæ dissensionis amor infudit, vt repulso simultatis veneno, seruaret inter reges caritas, quod tueri arma vix poterant. Euocantur ad consulum Liguriæ lumina viri maturitatis, quorum possit deliberatione labans Reip. status reuiuiscere, & in antiquũ soliditas desperata restitui. Tantique ad tractatum coîre ex iussu Principis, quanti poterant esse rectores. Scritur de ordinanda legatione sermo: in beatissimum virum Epiphanium mentes omnium, & oculi diriguntur. Fiunt cunctorum

[b] Honorata Epiphanij soror. Eius ossa Papiæ in sacello monasterii Historiarũ Bern Scaccius lib. 7. rerũ Ticin. c. 15. condita tradit.
[c] Luminosa sancta fœmina.
[d] Epiphan. in pauperes benignus
[e] Anno 472 Ricimir Anthemium Imp. socerum suum proditoriè interimit; qui & ipse post 40 dies defunctus est. Olyber. anno 473.

necatur, cui succedit Glycerius, qui à Nepote depositus eum successorem in imperio habuit anno 474. vt habet Bar. Tom. 6. annal. *Euricus, siue Euarieus, erat hic Gothorum Rex Tolosæ in Gallia. *al. exuberabat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum sententiæ:quasi vnius * & ore proferuntur & pectore. Quid pluribus? cum lætitia Christi miles occasionem labo-
ris amplectitur,& spe * effectum præcepit,de negotij æstimatione confidens.Agendi speciem [a] melioraturus inquirit:
actionem penè conclamatam,& valde difficilem cælestis potentiæ præsidio percontatus est,suscepit,impleuit. Cuius
itineris molestias,necessitatesque non valeam per ordinem digerere, nec si mihi centum linguarum fluminibus * per
meatum irriguis verba fundantur. Nam egressus de Tirnensi oppido donec ad destinata loca pertingeret, tali viæ suæ
fatigationem arte geminauit, vt si temperiùs iumentorum * defectum considerantes in futuræ mansionis diuersoria
successerant,præter Psalmorum continuationem, præter lectionis perseuerantiam, (quorũ nihil nisi stando faciebat)
[b] eligebat secessum nemorea fronde conclusum, vbi contextis arborum brachijs vox domestica texeretur, quod solũ
refugus per vmbracula opaca sol nesciret, & * thorum viridante cæspite gratia naturalis sterneret. Ibi profusus in ora-
tione,continuis fletibus * exsortem pluuiarum terram oculorum imbribus irrigabat.Reddebantur arua illa fœcunda
orationum copia,quæ frugum esse non poterant. Tali exercitio se macerans, Tholosanam, in qua Euaricus tunc rex
degebat,vrbem ingressus est:quem iam præuia opinio Gallorum auribus,qualis esset, intimauerat, sacerdotibus præ-
cipuè eiusdem regionis;quos attonitos de aduenientibus inquisitio profunda solicitat. Erat præterea * eadem tempe-
state consiliorum principis moderator &arbiter [c] Leo nomine,quem per eloquentiæ meritum non vna iam declama-
tionum palma susceperat:qui cum summo gaudio aduentum Pontificis indicauit notitiæ publicæ: Euocatur ex tem-
pore regi præsentandus Antistes:ad quem ilico vt ingressus,vidit,salutauit,adgressus est:

a Epiphanij ad Nepotem legatio ad Euaricum Gothorum in Gallia Regem.

* *per meatus irriguos.* Baron.

* *defectus cõsideraret,* * *ea*

[c] Leo [d] Epiphanii ad Euaricũ Gothorum regem oratio.

in futuræ mansionis diuersoria accederent:Baro. [b] Humi cubat Epiphanius. * *totum viridanti cæspite gratia solum naturalis.Bar.* * *expertem.* Orator & Interpres Euarici regis,de quo illi munere gratulatur Sydon. Apol.lib. 8.Epist.3.& lib 4.Epist.22 Bar.tom.6.

QVAMVIS te stupende terrarum Princeps, multorum auribus reddat virtutis fama terribilem; & gladij,quibus XII.
finitimos continua vastitate premis,segetem quandam inimici germinis metant:nullam tibi tamen superni gratiã nu-
minis dira bellandi præstat ambitio;nec ferrum fines tuetur imperij, si cælestis Dominus offendatur.Regem te habere
memento,cui oportet considerare quid placeat: qui cùm susceptum hominem portaret ad cælum, pro immensæ hæ-
reditatis munere,pacem discipulis iterata sæpiùs admonitione commẽdat:cuius nos præcepti necesse est esse custodes:
præcipuè cùm nouerimus virum fortem dici non posse,quem vicerit indignatio.Deinde perpendere nos conuenit,ꝙ
nemo diligentiùs propria tuetur,quàm qui aliena non appetit. Quocirca Nepos,cui regimen Italiæ ordinatio diuina
commisit,adhæc nos impetranda destinauit, vt reductis ad fidem mentibus,terræ sibi conuenæ dilectionis iure soci-
entur. Qui licet certamina non formidet,concordiam primus exoptat. Nostis in communi,quo sit dominiorum an-
tiquitas limitata confinio;qua sustinuerunt partes istæ illarum rectores famulandi patientia.Sufficiat,quod elegit;aut
certè patiatur amicus dici,qui meruit Dominus appellari.Hæc vir insignissimus Epiphanius. At * Euaricus gentile ne-
scio quod murmur infringens,mollitum se adhortationibus eius vultus sui serenitate significat. Leo verò,nominatus
superiùs,tanto allocutionis ipsius tenebatur miraculo,vt crederet verbis huiusmodi expugnari posse mentes (si fas est
dici) etiamsi contra iustitiam postularet: * Taliter tamen fertur ad interpretem rex locutus.

* *Euaricus persuasus ab Epiphan. pacem concipiat.*

LICET pectus meum lorica vix deferat,& assiduè * manum orbis includat æratus, necnon & latus muniat ferri XIII.
præsidium;inueni tamen hominem,qui me armatum possit expugnare sermonibus. Fallunt qui dicunt Romanos in
linguis scutum vel spicula non habere. Norunt enim & illa, quæ miserrimus verba repellere, & quæ à se diriguntur,
ad cordis penetralia destinare.Facio ergò,venerãde Papa, quæ poscis: quia grandior est apud me legati persona, quàm
potentia destinantis.Accipe nunc fidem & pro Nepote pollicere, quod seruet intemeratam concordiam:quoniam te
promisisse,iurasse est.His dictis inito etiam pactionis vinculo,* verendus Pontifex, vale dicto,discessit. Ad quem sta-
tim [c] precatorum turba dirigitur, vt secuturo die regis epulis interesset: quem ille iam compererat iugiter per sacerdo-
tes suos polluta habere conuiuia.* Cui excusauit,dixitq; sibi non esse in more positum,alienis * ali quandoque pran-
dijs:vespere magis se velle proficisci. Quod constitutum maturauit implere: & Tolosam tantis comitantibus egressus
est,vt penè deserta vrbs,discedente nostro Pontifice,cerneretur. Tantos enim in breui sibi deuinxerat caritate sincè-
ra, vt captiuitatem flerent, quos apud patriam remanere necessitas constringebat. Inde tamen regrediens singula
sanctarum habitationum loca visitauit. Medianas insulas, Cycladas,Lerum,ipsamq; nutricem summorum mentium
planam [f] Lerinum adijt: vnde singulos vitæ flosculos decerpsit ex omnibus, quos in se boni germinis fomes insereret,
& ad maturitatis tempus grauida pomis cælestibus arbor adduceret. Interea expectatum Italis lumen redditur,& re-
uertente singulari sacerdote per sudum rutilans iubar aperitur: Ticinum[g] diu desideratus ingreditur:Nepoti effectum
peractæ legationis insinuat,& crescente laudum cumulo, humilitas in eo pariter sensit augmentum. Igitur dum tali-
bus de disciplinis & laboribus Christi & Domini nostri operarius exerceret; ecce ille quietis nescius, & scelerum pa-
trator inimicus, magna dolorum incrementa conglutinat, & inquirit,quibus virum integerrimum passionibus lacess-
eret.Exercitum aduersus Orestem patritium erigit,& discordiæ crimina clandestinus supplantator interserit.Spe no-
uarum rerum perditorum animos inquietat. Odouacrem [h] ad regnandi ambitum extollit,&, vt hæc pernicies in [i] Ti-
cinensi ciuitate contingeret, Orestem, ad eam fiducia munitionis inuitat; Episcopus cum omnibus ad se pertinentib.
præsens inuenitur:Fit maximus in vrbe concursus:prædandi rabies inardescit;

* *aliquãdo prandius vesci: perinde se magis vel leproficisci. Baroñ.*

[c] Non vult cũ Euarico prãdere, eo quodArrianus esset, vt notat Bar.

* *Cui se.Baron.*

* *veneran-dus. Bar.*

[f] Lerinum Sabellicum, [g] Ticinum ad Nepotem reuertitur Epiphanius. [h] Odoacer Hernlorum rex. [i] Ticinum capitur & incenditur. Vide Blondum, Platinam, Bern. Saccum libro 7 cap 7 Bar ad annum 475.

Luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago

discurrebat. Ille solicitus poscebatur ad pœnam, cuius substantiam notiorem fecerat amicitiarum fides antiquior.
Alij flammas ruituris ædibus supponebant: alij ad exitium poscebant dominum,pro cuius conuenerat salute pugna-
re. Currunt ad Ecclesiæ [k] domum totis direptionis incendijs æstuantes, dum, quem videbant erogare plurima, per
immensa suspicabantur abscondere: Proh nefas! thesauros * cruda barbaries quærebat in terra, quos ille ad cælestia
secreta transmiserat. Diripitur etiam sancta eius germana, & seorsim ab eo captiuitatis sorte deducitur. Omnes nobi-
lium à suis familiæ sequestrantur. Luminosa, glorioßissima fœmina parili necessitatis conditione constringitur. O do-
lor! vtræque [l] Ecclesiæ flammis hostilibus concremantur: tota ciuitas quasi vnus rogus effulgorat. Cunctorum voces
sacerdotem requirentium audiuntur:nemo periculi sui meminerat, dum maior ab illis salutis portio diuideretur. Cui
quamuis confusa in singulorum exitia turba fremeret, [m] honor tamen & inter gladios impendebatur. Nam ilicò non
fuerunt,quos potuit videre captiuos.

[k] Capitur & diripitur Epiphanius * *dura.*

[l] Templa duo Ticini incensa.

VENERABILEM germanam suam priùs quam in vesperam diei illius lux funesta laberetur,eripuit: plurimos etiam
ciuium absoluit precatu suo, antequam durissimæ conditionis vincula sentirent; matresfamilias præcipuè, quas im-
manior in hac necessitate poterat manere commoratio. Postremo,status ciuitatis, quam multitudo barbarica succi-
debat, vnius fortissimæ columnæ sustentatus resurgebat auxilio: nec tantum ad delendum sufficiebat exercitus,
quantum ad reparandum vnius persona Pontificis. Sublato tamen Oreste, & propter Placentinam vrbem extincto,
deprædationis impetus conquieuit. Post quem adscitus in regnum [o] Odouacres tanto cultu insignem virum cœpit
honorare,vt omnium decessorum circa eum officia præcederet. Interea ne diu fauillis domicilia [p] diuina premeren-
tur,antè

[m] Redimit Honoratã sororem, & matronas iniuriis ob noxias.

[n] Orestes ad Placentiam occisus. Bar. Saccus lib. 7.c.10.

* Odoacrus Imperium circa annum 476.obtinet. [p] Templa incensa instaurat Epiphanius.

tur, antè glorioſius Antiſtes reædificandi ſumpſit animum, quam expenſas aut ſubſtantiam præparandi: ingentis pretij fabricas * ſine nummorum attollere condito non expauit, Apoſtolicæ admonitionis haud inſcius, quod cæleſtia regna quærentibus indeficiens iugiter cenſus exuberet; & de pleno ſemper impertiat, quem non opprimet in largien- 1 Cor. 9 Gal. 6. di voluntate paupertas: Dicebat enim, vix eſt vt animum diuitem poſſibilitas deſerat; & difficillimum, vt ſequatur ab- 2 Th. 3. undantia hominem, mente mendicum. Iamiamque tamen faſtigia perfectionis maioris Eccleſiæ opus attigerat ædifi- Hebr. 13. cio, & dedicationis inſignibus adornato extemplo alterius Eccleſiæ, cùm columnatus repentè paries impulſu callidi ſerpentis eiectus eſt, voluit experiri, ſi multiplici eius poſſet vexatione ſubuerti. At ille * violentior, ne malis eius ce- deret, aſſurgebat, & continuò ſine alicuius paſſionis indicio, ad reparationem ipſius plena ſe auiditate ſuccinxit: Ni- mio tamen vniuerſitas tenebatur miraculo, quod ab ipſo templi tolo artifices cum ingenti machina corruerunt, nul- lus tamen eorum aut crure debilis factus eſt, aut aliqua membrorum parte truncatus; quod orationibus Epiſcopi con- tigiſſe cunctorum ſenſibus patuit, vt moles propriam ruinam ſuſtineret, & acceſſu ſuo lapides ſuſpenderentur. Stupē- do tandem ordinationis eius curſu ſupradicti operis perfectionem labor accipit. Nam conſummato maioris Eccleſiæ reparationem orditus, raptim ad faſtigia priſcæ incolumitatis ſurrexiſſe conſpexit domum Domini, qui nec dum com- pererat inchoatam: quibus tamen celeriter ab eo exactis mox ſe in illum diuinus fauor oſtendit: nam in eiuſdem anni curriculo ſumma [a] dæmonū turba de obſeſſis cœperunt clamare corporib. * flabris ſe, & cruciatib. nimijs, vt fugerent, ſacerdote Epiphanio imperante compelli, quos ille modica cum fletu oratione profuſa ad extima terrarum confinia tranſmittebat, ac diuerſis vocibus eiulantes meritorum ſuorum vrgebat imperio. Sed cum talia per gratiam Chriſti iu- giter faceret, nihil ſibi de præſumptionum flatibus aſſumebat. Tollit enim illis boni meriti potentiam, quibus ſuper- cilium fiducia benignitatis attulerat. Interea [b] ne ſolis ciuitatem templorum ædibus videretur ornaſſe, feſſis eiuſdem vrbis habitatoribus remediorum vtilitate proſpexit. Nam directa legatione ad Odouacrem quinquennij vacationem fiſcalium tributorum impetrauit, ad quæ beneficia per ſingulos diſpertienda tanta ſe caſtitate continuit, vt nemo ex his minus acciperet, quàm is quo fuerant impetrante conceſſa. Dum hæc tamen gererentur in perniciem Liguriæ poſ- ſeſſorum Belagij, qui ea tempeſtate Prætorio præfectus erat, repoſitus malitiæ ardor efferbuit. Nam coëmptionum enormitate grauiſſima tributa duplicabat, reddebatque onus geminum, quod ſimplex ſuſtineri non poterat. Vnde mox ad ſanctum virum oppreſſorum turba confluxit; qui lætus ſuccurrendi occaſiones amplectitur, & pro cunctorum neceſſitate alacer ambulauit, poposcit, obtinuit. Sed quid fruſtra geſtio ſingulorum ſpecies laborum eius vel formas eloqui? dum quod non explicat poſſibilitas, præſumit affectus; datque terminum lætiora opinantibus ſermonis an- guſtia. Fuerūt tamen iſta ſacratiſſima * vatis deſideria, vt cùm innumerabilia faceret, optaret de laudibus ſuis, aut nul- la, aut pauca perſtringi. Vndè ſi quid minus lingua pauper aperui, audientum & legentum ſenſibus derelinquo. Poſt multas tamen, quas apud Odouacrem regem legationes violentia ſupplicationis exegit, diſpoſitione cæleſtis impe- rij ad Italiam [c] Theodoricus rex cum immenſa roboris ſui multitudine commeauit: Ad quem vir integerrimus, dum Mediolani iam poſitus eſſet, excurrit. Quem cùm ille regum præſtantiſſimus cordis oculis inſpexiſſet, & ſolita iudicij ſui ſacerdotem noſtrum libra penſaret, inuenit in eo pondus omnium conſtare virtutum: cuius [d] integritatem velut fabrilibus lineis ad perpendiculum mentis emenſus eſt, quique tali apud ſuos de illo ſermone vſus eſt: Ecce hominem, * cuius totus oriens ſimilem non habet: quem vidiſſe præmium eſt; cum quo habitare ſecuritas. Fortiſſimo muro ciui- tas Ticinenſis, incolumi iſto, vallatur, quos * oppugnantum nulla vis poſſit obruere, quos * nequaquam Balearis fundæ tranſcendat excurſus. Si qua neceſſitas inter vndas certaminum acceſſerit, tutum eſt apud ipſum matrem, fa- miliaſque deponere; & expeditum excurſibus militare bellorum.

no 489. vt ex Caſſiodoro habet Bar tom 6 annal [d] Theodorici de Epiphanio iudicium. * Cui Bar. * *al impugnantium.* * *nunquam.*

XIII. INTEREA perduelles animos * deditiij exercitus mutationum incendit ambitio; quorum caput * Tufa fuit, ho- mo in profugarum infamia notitia veteri pollutus; qui concepit mente ingenti * vas è deſperatis partibus cum multi- tudine redderet. Quod cùm Theodoricus rex principali ſolicitudine cognouiſſet, continuò omnem illam, quam to- tus Oriens vix ſuſtinuit, contraxit manum, atque ad Ticinenſis ciuitatis ſe anguſtiam contulit. Videres vrbem familia- rum cœtibus ſcatentem, domorum immanium culmina in anguſtiſſimis reſecata tugurijs, * cerneres à fundamentis ædificia immenſa migrare, nec ad recipiendam habitantium denſitatem ſolum ipſum poſſe ſufficere. Inter hæc ille in bonis vir [e] exercitatiſſimus, in quo animorum amplitudo cunctis pandebat acceſſum, opportunum ſibi conijciens tē- pus offerri, quo benignitatis ſuæ pleno auſtro vela laxaret, & portum gloriæ per variarum notitiam gētium & actuum celebritatem ſecunda nauigatione pertingeret primore in loco (quod nullæ chartæ veterum, nulli librorum, de quo- cunque loquuntur, annales; quod cum ſtupore relator affirmet, vel cum admiratione lector admittat) vt cum faga- ciſſima gente habitans, ad quam nulla ſuſpicionum aura præteruolat, in rebus dubijs, quando metus periculi, etiam mitia contra quoslibet corda ſolicitat; ſic illis fideliſſimus extitit, vt inimicos eorum toto deuinctos teneret affectu, & inter * diſſidentes principes ſolus eſſet, qui pace frueretur amborum. Applicabat enim ad compēdium vnius quid- quid præſtabatur ab altero; & reuerentia perſonæ ſuæ atque dulcedine largientis ſic temperabat animum, vt nullate- nus accenderetur, ſi aliquid à ſe beneficij per Epiſcopum & inimicus acciperet. Ille fuit, * circa quem concordiam et- iam pugnantes ſeruarent, & * cuius quietem bella non læderent. Iam ſi ad illud veniamus, * quod quotidiana & ipſos paſcebat humanitate raptores, & illis intra ciuitatem ſumptuum neceſſaria miniſtrabat, qui foris prædia illius conti nua vaſtitate deleuerant. Nam tot millia hominum vno eodemque tempore, cum diuerſa poſcerent, reficiebat blan- ditijs, humiliabat alloquio, paſcebat muneribus. Si cuius liberi, vxorque inimicis, à qualibet parte fuiſſent, intercipi- entibus occupati, ilico ſupplicationis illius pretio reddebantur ſuis, quos auri redimere non potuiſſet effuſio. Regi * aptiſſimus, & præ ſanctis omnibus venerabilis exiſtebat, vt quoſcunque Romanorum bellandi licentia hominum, eius feciſſet eſſe captiuos, mox illi reſtitueret, quem ſola intelligebat aliorum libertate ditari. Deinde numerare ne- queam, quāta illi ſubiugatorum agmina ſolo proprio reddidit, quanta, ne * vexarentur, impoſuit. Iam ſi illa retexam, quas inimicorum ſuſtinuit inſolentias, quibus laborauit in miſſionibus, quali procellas peſſimorum virtute contem- pſit. Ad hæc enarranda lingua non ſufficit: Iuuat enim certa quæque decerpere, vbi ſunt omnia admiranda, quæ refe- ras. Sub tali cruce triennium duxit, ſoli Deo dolorum ſuorum ſecreta manifeſtans, à quo miniſtrari ſibi clandeſtinum poſcebat auxilium. Poſthinc digreſſis Gothis, ciuitas Ticinenſis [f] Rugis eſt tradita, hominibus omni feritate imma- nibus, quos * atrox & acerba vis animorum ad quotidiana ſcelera ſolicitabant. Diem putabant periiſſe, qui illos ſine facinore, caſu aliquo interueniente, fugiſſet: Quos tamen beatiſſimus Antiſtes ſermonum ſuorum melle deliniebat, vt effera corda auctoritati ſubmitterent ſacerdotis, & amare diſcerent, quorum pectora odijs ſemper fuiſſe dedicata cognouimus. Mutata eſt per meritum illius peruerſitas naturalis, dum in * honoris mentibus radix peregrinæ apud illos affectionis inſeritur. Quis ſine grandi ſtupore credat dilexiſſe & timuiſſe * Rugos Epiſcopum, & Catholicum & Romanum? qui parere regibus vix * dignabatur; cum quibus integrum penè biennium exegit taliter, vt ab eo flentes diſcederent etiam ad parentes & familias regreſſuri.

* *eius Bar.* * *quot quotidiana & ipſe Bar.* * *for. acceptiſſimus.* * *vexarent vir impoſuit. Baron.* [f] Rugi immanes. * *acris, Bar.* * *horum, Bar.* * *Reges. Ba.* * *dignabantur.*

* *fort. ſine nummorū vt attollere continuò non expauit.*

* *fort. valent. or.*

[a] Dæmonas pellit Epiphanius

* *for. flagris*

[b] Ticinum quomodo inſtauret Epiphanius

* Vates pro Præſule, vt ſæpè in Poematis, al. Sacerdos, Presbyter etiam pro Epiſcopo.

[c] Theodoricus Rex Italiā intrat & vincit Odoactū an-

* Deditiius exercitus, an quia è deditiiis conſtabat? vt deditiij Belgæ Cæſari libro 2. belli Gallici, & in T. Liuio Vide Iuriſcōſultos.

* *Hilba, dux Gothici exercitus vocatus à Ber. Sacco l. 7. cap. 11.*

* *vt ſe deſperatis partibus, cum ingenti multitudine, legit Bar.*

* *Hæc deſunt in Baron.*

[e] Laus ſingularis Epiphanii.

* *diſſentiētes. Bar.*

* *ſic circa quemcunque, vt concordiam.*

* *Reges. Ba.*

Postquam verò perfuncta * res est misero exitialique bello, & vicit is, cuius post triumphum, spoliatum vagina gladium nullus aspexit, qui præsumptionem exercitus sui cum prælio terminauit; ilicò aggressus est venerandus Pontifex de vrbis [a] suæ reparatione tractare, quàm vt primum dignis compleret habitationibus spiritalis prospexit deliberatione consilij. Et, licet eam, precatu illius faciente, nullus in vastitatem temporalis procellæ turbo dispulerat, parum tamen credebat posse sufficere, si post ruinam omnium Liguriæ ciuitatum Ticinijs suis tantùm contenta indigenis exultaret: cœpit finitimarum vrbium certos quosque de ciuibus flosculos legere, atque in suos hortos cultor diligens plãtaria iam probata portare, de quibus * fruge & idoneus aptissima carperet pompa possessor. Interea subita animum præstantissimi regis [b] Theodorici deliberatio occupauit, vt illis tantùm Romanæ libertatis ius tribueret, quos partibus ipsius fides examinata iunxisset. Illos verò, quos aliqua necessitas diuiserat, ab omni iussir & testandi, & ordinationum suarum, ac voluntatum licentia submoueri. Qua sententia promulgata, & legibus circa plurimos tali lege calcatis, vniuersa Italia lamentabili iustitio subiacebat. Itur rursus ad illum, qui manu medica publicis consueuerat subuenire vulneribus: cuius fonte ærumnarum sæpe fuerat ardor extinctus: Qui dum se diceret solùm [c] ad tantam sarcinam sustinendam non posse sufficere; rogatur pariter venerabilis Laurentius Mediolanensis Episcopus. Qui profecti vna Rauennam, etiam pariter peruenerunt: susceptí * reuerenter. Postquam illis agẽdi aditus reclusus est, beatus Laurentius necessarium duxit, illi potissimum perorandi copiam dare, cuius vestigia frequentium legationum laboriosus callis attriuerat, & per tramitem huiuscemodi itineris cursitãtem, non semel hispidum castrensis puluis effecerat. Qui tali publicas petitiones est orditus eloquio.

* *hac ita plurimis Bar.* [c] Epiphanius legationem ad Theodoricum suscipit anno 494. vt habet Bar. * *pariter. Bar.*

XIV. Qvantvs inuictissime Princeps, [d] per innumerabiles successus felicitatem tuam fauor diuinus * extulerit, si per ordinem relegam, agnosces te votorum parcum maiora semper à Deo nostro beneficia accepisse, quàm optasse memineris. Sufficit tamen horum vnum narrare, sed maximum: quòd apud te Principem ibi seruorum tuorum causas agimus, vbi solebat inimicus tuus huius * solij possessione gaudere. Habes * primum Christo redemptori nostro quod debeas; pro quibus rogamus, ipse largitus est. Cauendum nobis est, ne offendatur auctor muneris, si quod præstitit, non amemus. Diu suspendo fiduciam meam: placet ire per singula, quæ fando comperi, quæque perspexi accessisse tibi diuinitatis auxilio. Scis quæ te pollicebaris acturum, quando confertissimis inimicorum cuneis vrgebaris, & circa muros Ticinensis ciuitatulæ hostilis * litui clangor streperet; quando armis, numero aduersarij præstantiores subsistere, sola tecum dimicante cælitus inuisibili virtute, non poterant: * Audebat te aggredi, qui exercitus tuos nuda æstimatione pensabat. Solatiorum tuorum pondus omnis bellandi apparatus sustinere non valuit. Quoties vtilitatibus tuis aër ipse seruierit, si recenses, tibi cæli serena militarunt; tibi * conuexa pluuias pro voto fuderunt. Quis resistere dexteræ tuæ ausus fuit, & cum gratia superna pugnanti? quoties inimici tui ceciderunt mucronibus sodalium suorum? quoties tibi vicit, qui pro hostium tuorum vtilitate certabat? his ergo donis cœlestibus vicissitudinem, inpensa circa homines pietate, restitue. Mysticæ oblationis holocausta sunt, supplicantium lacrymas non sperni. Illud certè perpende, qualibus in regno successeris, quos * si, vt liquet, malitia expulit, casus illorum necesse est vt sequentes informet. Ruina præcedentium posteros docet. Cautio est semper in reliquum lapsus anterior. Non * sine exemplo militat, qui * respicit, qua causa decessor eiectus est: His freta Liguria vestra, nobiscũ profusa supplicat, vt legum vestrarum beneficia sic tribuatis innocentibus, vt noxios absoluatis: Exigua est apud Deum nostrum misericordia, si illos tantùm læsio non sequatur, qui reatu carent. Culpas dimittere cæleste est; vindicare, terrenum. Post hæc siluit. At eminentissimus rex infit: quo loquente attonita de voluntate eius corda pauor arctabat.

XV. Qvamvis te [e] venerabilis Episcope, pro meritorum tuorum luce suspiciam, & multa apud me confusionis tempore reposuisses beneficia, quibus frui te conuenit, tranquillitate reuocata; regnandi tamen necessitas, qua concludimur, misericordiæ, quam suades, non vbique pandit accessum: & inter res duras nascentis Imperij, pietatis dulcedinem censuræ pellit vtilitas. Exemplorum cælestium testimonio assertio mea nititur. Offendisse legimus principem, qui cælitus destinatum, nec inimicum subduxit exitio: Pœnam meruit leuitas, quam potuit intulisse districtio. Vltionem suscepit, qui detrectat inferre: * Vim diuini iudicij aut attenuat, aut contemnit, qui * hoste suo, cùm potitur, indulget. Iustitia coërcendi sunt, quos constat gratiam non secutos. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit: Nam quod de Redemptoris nostri patientia loqueris, illos verè amplectitur lac gratiæ, quos austeritas legis informat: Nunquam à medico ad plenissimam curationem ager adductus est, nisi ab illo, qui primùm putrida ferro membra desecuit, * & latentem penitus è sinu viscerum produxit illuuiem. Qui criminosos patitur impune trãsire, ad crima hortatur insontes. Tamen quia precibus vestris (quibus superna * sentiunt) obsistere terrena non possunt, omnibus generaliter errorem dimittimus, nullius caput noxa prosternit: quoniam potestis & apud Deum nostrum agere, vt sceleratæ mentes à propositi sui peruersitate discedant: Paucos tamen, quos malorum incentores fuisse cognoui, locorum suorum habitatione tantummodo priuabo, ne fortè exurgens necessitas vicinos inueniat nutritores, & malorum adiuta successibus, bella consurgant. His præcellentissimus rex dictis virum illustrissimũ [f] Vrbicium acciri iubet, qui vniuersa Palacii eius onera sustentans, Ciceronem eloquentia, Catonem æquitate processerat: cui præcepit, vt generalis indulgentiæ pragmaticum promulgaret. Quod ille ad omnem benignitatem paratissimus, ilicò tanta breuitate, & luce contexuit, vt & illa culparum genera cognoscerentur abolita, quæ putabantur reseruata. Interea secretiùs rex præstantissimus sacerdotem venerandum Epiphanium imperat euocari, quem tali compellat affatu.

1. Reg 15

XVI. Ivdicii nostri ex ipsa sententia, gloriose Antistes, pondus intellige; vt * cùm tot in regni nostri circulo Pontifices esse videantur, tu potissimùm in tanta re quasi vnicus eligaris; nec eneruata per meritum tuum huiusmodi æstimatores illudit opinio. Solus esse iustè crederis, cuius splendore tanquam globis lunaribus minorum siderum lumen obtunditur, & modicæ lucis radij [g] præfulgidæ conscientiæ luce fuscantur. Quis quærat noctis lampadem, vbi Solis iubar * effulgorat? Quis candelæ præsidium, vbi caminis indesinentibus fidei pyra succenditur? Postremò talem à me oportet dirigi, qualem suscipiens, libenter auscultet. Vides vniuersa Italiæ loca originariis viduata cultoribus? In tristitiam meam segetum ferax spinas atque iniussa plantaria campus apportat; & illa mater humanæ messis Liguria, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata atque sterilis ieiunium cæspitem nostris monstrat obtutibus. Interpellat me terra, quocumque respicio vberem vinetis faciem, cum aratris impexa * contristat. O dolor! nullus humor illorum labris infunditur, quos à vini copia * Oenotrios vocauit antiquitas. Hæc quamuis Burgundio immitis exercuit, nos tamen, si non emendamus, * amisimus. Postulatæ patriæ cessamus succurrere, & aurum * quod non habetur in conditis? Quid interest pecuniis, an ferro aduersariorum animos inclinemus? Obtulisse, quod mentes capiat hostis, vicisse est; occuluisse, superari. Suscipe ergo Christo adiuuante, huius laboris sarcinam, ex qua communem habeamus in cælesti repromissione mercedem: Quia nouus iste propriis insignibus titulus laudes accrescit, per manus tuas de oppugnatoribus nostris sine sanguine triumphare.

Prin-

* Pro Republic. vt Petr. Rem populi tractas.

[a] Ticinum instaurat Epiphanius

* *fort. fruges idoneas & aptissima.*

[b] Theodorici Lex aduersus Eruli, quos ipse victor Italiã pulerat, fautores: vide Baron. sexto, Anno 494.

[d] Epiphanii ad Theodoricum Regẽ oratio.

* *euexerit. Bar.*

* *solum. V. C fort. soli.*

* *plurimũ. Bar.*

* *litui, deest in Baron.*

* *subsistere, Bar.*

* *Non audebat. Bar.*

* *contecta.*

* *(sicut liquet)*

* *sincero. Bar.*

* *non respicit. Bar.*

[e] Theodorici regis responsum.

* *locum diuini. Bar.*

* *hosti.*

* *& latentem saniem penitus è sinu viscerũ produxit in lucem. Bar.*

* *fort. consentiũt, vel, quibuscum. Bar. assentiuntur.*

[f] Vrbicius leges fert indulgentiæ

[g] Theodorici ad Epiphanium oratio de legatione ad Gondouadum pro redimendis Italiæ captiuis, suscipienda.

* *si iam in toto regni. Bar.*

* *perfulgida conscientiæ tuæ. Bar.*

* *effulserit.*

* *Contristant.* * *Neotrios, male. Bar.* * *amisimus. Bar.* * *si aurum apud nos habetur. Bar.*

Princeps eorum * Gondouadus est, cui reuerentiam tui * vetustas inseruit : quem videndi te nimia cupido stimulat. Crede mihi pretium captiuitatis Italicæ erit vester aspectus. Redemptos putabo esse, quos cupio, si ad terras illas talis redemptor accesserit. Quam magno suffragio vincuntur oculi, quibus te offerimus. Sed quid demoror manus arua * poscentia? Polliceor tibi rediuiuum Liguriæ statum, polliceor soli lætitiam: Et post Transalpinam peregrinationem reducem fœcunditatem, * & accedenti aurum tibi commodatur, pro qua talis legatus * acturus est.

Adhæc Episcoporum lux [a] Epiphanius respondit : Quanto, venerabilis Princeps, pectus meum tripudio repleueris, si sermone possit ambiri, pro diuitijs meritorum tuorum * immeditata & continua verba profunderē : sed quam sermoni meo interceptus denegetur successus, monstrant lachrymæ gaudiorum, quas dolorum alumnas nunc parturit exultatio : * Perinde intellige, ad referendas optimo regi tam pro nobis, quam pro se ipso gratias, plus me sentire posse quam eloqui. Iustitia prius an bellorum exercitatione, an quod his præstantius est, omnes retro Imperatores te pietate * superâsse commemorem ? Habes vnde gentis nostræ rectores accuses. Tu redimes, quos illi persæpe permise-
1. Re. 24 runt fieri, aut fecerunt ipsi captiuos. Dauid legimus pro singularis laudationis exemplo, idcirco maximè cælorum proximitates indeptum, quòd oblato manibus suis Sauli pepercit inimico: & in testimonium concessæ potestatis, exuuiarum eius particulam rapuit, per quam & licentiam probaret & votum. Deus bone, in quanta remuneratione huius * facti suscipis pro tot millibus oppressorum libertate tractantis , qui illum pro vnius seruati hominis sanguine sublimasti? Perage ergo cæpta festinus, & felicitatis tuæ oblatione lætus apporta ; neque quamuis sim paratus, * stimulo, ne in offerendo tam odorato sacrificio tarditatis obice refræneris : Christi redemptoris nostri erit concedere (sicut ex operibus futurum conijcimus) vt verè holocausta tua per manus meas possis offerre. Precor tamen, vt indultu clementiæ tuæ [b] Victor * Taurinatis vrbis Episcopus comes mihi & particeps huius itineris adiungatur: in quo clarum est epitomam omnium constare virtutum: Quo socio adhibito de * Domino nostro securus spondeo nullum effectum propriis petitionibus abnegandum. Quibus auditis [c] rex eminentissimus annuit, ac tremendus Pontifex vale dicto, discessit. Ex tempore portanda pro redemptione pecuniæ destinantur, suscipiuntur : Egreditur: Ticinum impiger venit: & quamuis adhuc hyemali tempore Martius mensis glaciales fluminibus frænos imponeret, & cana niuibus iuga Alpium transituris * minarentur exitium : sed mortiferum frigus & concretas algore glebas fidei ardor exuperat. Nunquam in gelu labitur, cuius fundamentum petra solidauit. Ordinato igitur itineris sui viatico, profectus est, * diceres quod vniuersa impelleret, quæ poterat retinere necessitas , nec cibi ipsius capiendi * moratus tenebatur. Et cùm singulos cum ipso positos, ille plenus discriminibus callis turbaret, solus inter pericula timere non nouerat, quē * res vitæ certa comitabatur. * Interea illa, quæ itineris eius fuit semper præuia, & in apparatu diligens præcessit fama, & tanta Gallos insignium relatione compleuit, vt quasi superni numinis aduentu aut præsentia turbarentur : Concurrebat omnis ætas & sexus; Et quos à vicinitate viæ ipsius longa interualla seiunxerant, * ardor animi proximabat. Quicquid habuit quisque pretiosum, obtulit; & si non habuit, aliunde mercatus est. Patria vbique, vbique opulenta diffusio; inemptis dapibus mensæ cumulabantur [d] peregrinorum; & illis, quas nisi comparatas [incolæ] habere non poterāt, esceis sine pretio vtebantur externi. Tunc quoscunque indigentium reperit, illis quæ erant donata, dispersit; domi forisque pascebat miseros. Neque fieri potuit, vt quod ad ipsum delatum est, pauperum vsibus subtraheretur. Hoc ordine mira celeritate [e] Lugdunum ingressus est, vbi Rusticius tunc Episcopalem cathedram possidebat homo, qui & in secularis tituli præfiguratione sacerdotem semper exhibuit, & sub * prætexta fori gubernationem gessit Ecclesiæ: qui trans Rhodanum fluuium aduentui ipsius spiritalis lætitiæ copia repletus occurrit ; causam commeationis inquirit; quæ essent astutiæ regis edocuit; Quem ne * inopinantem obiectionum aut responsionis calliditas inueniret, intra penitrale pectoris * certaminum se prolusione firmabat. Quem postquam Gundouadus, terræ illius dominus, venisse cognouit. Ite (inquit ad suos) & videte hominem, quem & meritis , & vultu semper ego Laurentij martyris personæ cōiunxi. Qui quando nos videre * vellet, inquirite: Et cùm iusserit, inuitate. Mox ad eum omnis Christianorum Principi adsistentium turba confluxit; qui affatim admiratione capiebantur, quod illa tot linguarum fama * tam minorem re in isto, quamuis esset ampla, monstraret: cui nunquam sufficeret * paupertate sermonum, quamuis ditior iusto esset in reliquis. Constitutus * ergò videndi regem dies. Ad quem cùm ingressus est, salutauit, & sua vtrique visione lætati sunt. Dedit summo viro Victori licentiam, si iuberet ipse, principium legationis ordiri ; qui ad illum omne pondus retulit, * vt fuit ad cunctam humilitatem paratissimus. Euestigio decus Italiæ, Antistes noster, talibus verbis cœpit Regem affari.

* *Gundebadus, Gondebaldus, Gōdibald. aut Cunthibares alias dictus.*
* *venustas. Bar.*
* *poscent iā. Bar.*
* *ex accedenti.*
* *acturus es Bar.*
[a] Epiphan. gratias agit Regi.
* *immediate cōtinua. Bar.*
* *Proinde. Bar.*
* *Superare. Bar.*
* *factum. Bar.*
* *stimula.*
[b] Victor Taurinensis Episcopus.
* *Taurinēsis. Bar.*
* *Deo securus respondeo. Bar.*
[c] Epiphanio ad Burgundionum regem legatio mandatur Lugdunū Galliæ, Anno 494.
* *glacie. Bar.*
* *minarētur. Bar.*
[d] Peregri-
* *obiectionum*
* *est ergo.*

* *hac in Bar. desiderantur.* * *mora sustinebatur. Bar.* * *spes. Bar.* * *Hæc periodus quoque in Baronio deest.* * *ardore animi proximabant. Baron.* [c] Rusticus Lugdunensis Episcopus S Patiens successor, ad quem Sidonius libro 2. Epistola 11 * *prætextu Baron.* * *inopinatum aut responsionum. Bar.* * *Certaminum prolusionem. Bar.* * *velit. Bar.* * *tamen minorem se in isto, quamuis etiam ampla. Bar.* * *paupertas. Bar.* * *& fuit. Baron.*

XVII. Inexplicabilis mihi dudum, [f] probatissime Princeps , vestri amor imposuit pariter istud contra naturam & tempus bella suscipere, & crustati montis pericula non timere : quibus dum in metallum aquas arctauerit coagulatum, ex liquore minatur exitium. Transcendi alienis mensibus ninguidos * saltus; posui gressus, quos in suis locis vis frigoris obligabat. Postremo mortem non timui, vt tibi celer præmium lucis æternæ afferrem. Inter duos optimos reges testimonium in cælestibus dicturus adhibeor ; si, quod ille misericorditer postulat, tu clementer accommodes. Munus repromissionis Dominicæ æqua lance diuidite; vt cum ambo amplius habueritis, damna nemo lugebit. Certate duces inuictissimi, & alterutrum vos, exequendo præcepta mystica, superate : in qua conflictatione sic brauium victor accipiet, vt victus præmium non amittat: Sequimini consilium meum, & ambo superiores, & ambo pares extabitis : Redimere cupit ille captiuos; tu sine pretio redde genitalibus glebis. Mihi credite, nemo vberius in hac causa, nemo maius accipiet, quam qui nihil acceperit. Defraudabitur præmium partis illius, atq; ad tua compendia lucrum * transit alterius, si quos vendere glorioſum est, donare disponas. Proh quantum dispēdij de pollicitatione diuina offerenti aurum in hoc negotio, si remittatur, infliget? vel quantam pauperiem, si suscipiatur, apportat? diuites exercitus * suos faciet contempta pecunia; acquisita mendicos: Audi Italorum supplicum voces, & de te præsumentium preces serenus admitte. Audi Italiam nunquam à te diuisam, & multū de animi tui clementia * confitentem : quæ, si vna voce veteretur, hæc diceret. Quoties pro me (si reminiscēris) ferratū pectus hostibus obtulisti? quoties pugnasti consilio, ne bella * subriperent; ne aliquis meorū duceretur in quacunq; orbis parte captiuus? Quos nunc detines, tu * nosti. Dolose mihi virtus tua beneficium prestitit, si quos ab extraneis tutatus est, custos inuasit. Quis catenarum nexibus impeditus, duræ sorti non vberiores lacrymas exhiberet, cùm se ad conditionem liberator impelleret? Quis se subduceret, cum armorū tuorum crepitus audiretur, in quo in necessitatib. tutissimū habuêre perfugium? Elisis collo manib° matrona sublimis, cùm traheretur ad vincula, promisit sibi vindicem te futurum. Virgo, ab stupratoris insidijs, pudorem suum credebat tibi displicere posse, si perderet. In summa, capti sunt, quos nemo fugientes inuenit: Agricolarum laboriosæ stirpes, & duris exercitatæ ligonibus soboles, quas per terrā suam pascit infabricata simplicitas, cùm loris colla necterentur, & palmas vinciret arcta connexio: nihil pro defensione sua aliud clamitabant : Scimus, & euidenter agnoscimus: Nonne vos estis Burgundiones nostri? videte, ne ante pium regem, quę facitis, excusetis: & illa vrbanorum consue-

[f] Oratio Epiphanii ꝓ redimendis Italiæ captiuis ad Gondouadum Burgundiæ regem.
* *per saltus. Bar.*
* *fort. transiet.*
* *Hæc periodus vsq; ad Diuites, abest à Bar.*
* *tuos. Bar.*
* *confidentem. Bar.*
* *subrepe-rent. Bar.*
* *nutristi.*

consuetudine crimina supprimatis. Quoties istę, quas ligare præsumitis manus, Domino communi tributa soluerunt? Nouimus quia ista fieri ille non iussit. Hac autoritate miseri pro solatiis vtebantur: multos tamen integritas tuæ fiducia fecit interimi, cum capti superbius responderunt. Redde ergo residuos patrię, redde origini, redde gloriæ tuę. Antiquus Dominus prouinciam dilige, quam & modernus amplectitur. Remitte, quamuis ad alienam ditionem, qui se, & ibi *positos, tuos esse cognoscant. Parum enim gratiæ illius impendimus imperio, cuius misericordiæ nil debemus. Vacua sentibus illam, quam bene nosti, liguriam, & reple culturis. Quantum muneribus tuis obnoxia sit intelliget, si faciem suam aliquando cognouerit. Domesticum tibi semper est indulgere supplicibus, sicut superbos opprimere: *sic in vtroque fortissimos. Ibi per gladium, hic per temperantiam triumphos acquires: Nostris nostrorumque mouere fletibus. Sic in successione regni istius legitimus tibi hæres accrescat, & per spem adultæ progeni ei ad Burgundionum gubernacula reuiuiscas. Et licet hoc Deo tribuas, adijce & illud, quod nec hominibus externis istud impendis. *Iam tibi Italiæ Dominus, etiam necessitudinis affinitate coniungitur. Sit filii tui sponsa *latia largitas; absolutio captiuorum: offerat pactæ suæ munus, quod & Christus accipiat. Hæc cum dixisset commonito sancto collega victore surrexit; & vsque ad pectus regium lachrymantes, & cum omnibus *propter adstantibus capita submiserunt. Tunc rex probatissimus vt erat fando locuples, & eloquentiæ diues opibus, & facundus assertor, verbis taliter verba reposuit.

*positi. Ba.

*sic in vtroque fortissimus, ibi. & c Bar.

*Sed iuncto tibi Italiæ Domino, etiam necessitudine affinitatis. Bar. *laxa Bar. *prope. Bar.

BELLI iura [a] pacis suasor ignoras, & *conditiones gladio decisas concordiæ auctor euisceras. Lex est certantium, XIIX. quem putas errorem. Frœnum nesciunt inimicitiæ; quod tu Christianæ lucis iubar ostendis: Prælijs temperâtiam nullus annectit; quæ oris tui nitore egregiè moderator attollitur. Statuta sunt dimicantium; Quicquid non licet, tunc licere. Ista sibi fortè quies vindicet, quæ narrasti. Hostem suum qui non læsit, *adiuuet. Paulatim aduersarius à regni sui mole succiditur, cuius imperij radices viribus amputantur. Reposui regi partium illarum contumeliam, quam putas illatam: ludificatus specie fœderis, nihil egi studiosius, nisi vt, quod est cautelæ, apertos inimicos agnoscerem: Concedat tamen Diuinitatis assensus, vt solidatum inter nos fœdus longa ætate seruetur. Inuenient partes illæ constantem in amicitia, quem senserunt pernicioſum sibi fuisse dum *litigatur. Vos tamen sancti viri, ad domos, in quibus manetis sine tribulatione discedite, dum ego animæ meæ, & regni vtilitate discussa, quæ me conueniat præstare pronunciem. His auditis Pontifices abscesserunt: At ille vocato [b] Laconio, cui & rerum & verborum fides ab illo semper tutò mandata est; quem & prærogatiua natalium, & auorum Curulis per magistratus probitatis insignia sublimarunt, cum quo cõfert quoties pia & religiosa meditatur: & sicut cum vicijs nõ est sociata nobilitas, nec astringitur ad illecebras *lux naturæ: si quid ille benigne facere voluerit, duplicari iste hortatur adhibitus: Cui princeps: Vade, inquit, Laconi, & tota votorum tuorum vela suspẽde: & Sacerdos à nobis, & B. Epiphanius libenter audîtus est: cuius te precibus fuisse permotum, [c] cùm apud nos verba faceret, animorum indices lacrymæ testabantur. Vade, & pleno pectore dicta sentẽtias, per quas pactionis illius durissimæ *nexos irrumpas: liceat omnibus Italis, quoscunq; Burgundionum nostrorum metus captiuitatis fecit, esse captiuos; quos famis necessitas, quos periculorum timor aduexit; postremo quoscunq; concessit aut addixit, consensus principis sui, noster absoluat. At paucos, quos quasi ardore præliandi tunc ab aduersariorum suorum dominatione rapuerunt pro illis pretij quantulũcunq, percipiant, ne detestabiles, apud illos fiant certaminum casus; quorum, cum discrimina sustinuerunt, lucra non sentiant. Post præceptum venerandi regîs impiger ille verborum saltibus indulgentiæ species aut formas exposuit, & chartas ad insignem Antistitem detulit: quas ille cum expectatissima deuotione suscepit, & portitorem tanti doni ambienter amplexus est. Qui postquam rumor innotuit, tantæ istius iam liberæ multitudinis frequentia subitò adstitit, vt desolata crederes esse etiam incolis rura Gallorum. Nam testis huius rei ego sum, per cuius manus pactacia *occlusuras iussio sacerdotis elicuit. Quadringentos homines die vna de sola Lugdunensi ciuitate *redituros, ad Italiam fuisse dimissos: identidem per singulas vrbes Sabaudiæ, vel aliarum prouinciarum factũ, indubitanter agnouimus, ita vt istorum, quos solæ preces beatissimi viri liberarunt, plusquam [d] sex millia animarum terris patrijs redderẽtur: Eorum verò, qui redempti auro sunt numerum ad liquidum cognouisse non potui: quia inter eos etiam multos fuga eripuit. Sic factum est, vt tunc ad liberationem omnium subiugatorum transeundi occasio concessa sufficeret. Postquam tamen pecuniarum ille cumulus effusus est, continuò ad expensas redemptionis suggessit necessaria illa, quæ ibi est thesaurus Ecclesiæ *Siagria, cuius prolixam quærit *vitam narratione: Sufficit tamen, vt ex operibus agnoscatur, quam verba transcendant. Dedit etiam præstantissimus inter Gallos [e] Auitus Viennẽsis Episcopus; in quo se peritia velut in diuersorio lucidæ domus inclusit: Quid pluribus? auro illorum ex maxima parte actum est, ne Gallis diutiùs seruitum pubes Ligurum duceretur. Nec in vno loco summus vir in illa se regione continuit, ne forsitan in longinquo degentes dominorum feritas impediret. Fuit *Genabæ, vbi [f] Godigisclus germanus regis barem statuerat, qui formam fraternæ deliberationis secutus, bonis operibus eius se socium dedit. Breui tamen tantę liberatorum phalanges remissę sunt, vt videres longè lateq; agminibus feruentia itinera, cum laude Dei nostri, tum etiam splendidissimi sacerdotis Epiphanij, cuius ministerio atque labore erepti fuerant, redeuntium. Et ne tãta lux nostra trophæo muneris priuaretur, atque ab oculis illius pulcherrimum spectaculum tolleretur, ipse cum his remeauit. Videres duci in triumphis cælestibus vulgus liberum, & pro mactãdorum sanguine terram madefieri lacrymis exultantium: cùm Eliæ currum istarum cohortium ductor scanderet, & quadrijugum ad cælestia pro merito suo raperetur excursu. Non sic Pellæus princeps Alexander, quem pacatorem orbi suo canit vana laudatio, captum gentium duxit examen, vt iste reuocauit. Ecce tunc comperimus armatorum mentes sanctitate superatas; & cessisse precibus electi Legati Principum, qui obuium semper lanceis pectus ingessit. Quantum acutior *fuit verborũ, quam ferri lamina hinc lector agnosce. Expugnauit sermo, cui se gladij subduxerunt.

[a] Gondouadi Burgundionũ regis responsio.

*Conditione. Bar.

*adiuuat. Bar.

*litigat. Vat. C.

[b] Laconius potẽs apud regem Burgundionũ.

*ius. Bar.

[c] Soluuntur captiui, & dimittũtur diuersa cõditione.

*f. nexus rumpas.

*ad clausuras, Bar.

*reditus. Bar. non placet, forte redditos.

[d] Sex millia captiuorũ Italorum à Burgundionib. ab Epiphanio liberati

*Syagria. Bar.

*Vitæ narrationẽ. Ba.

[e] Auitus Alcimus Viennensis in Gallia Episcop Bar.

*Geneuæ. Bar.

[f] Godigisel. Regis Burg frater relaxat captiuos

*fuerit. Ba.

D V M ergò tertio mense cum tali trophæo Ticinum remearet Antistes, [g] vt Tarantas iam venit; (sic enim vocitatur oppidum Alpibus vicinum) ibi quædam mulier graui immundi spiritus vexatione laborabat, quæ continuo percepta benedictione, absoluta discessit: ipse tum suis inopinatus, nec suspicãtium oculis adstitit. Visus est subitò; de quo vix credebatur aliquis posse rumor audiri. Mox tamen vt redijt, curis ex more animum fatigat, ne fortè quibus absolutionem Deus noster per illum dederat, proprij census possessione turbarentur; præcipuè ob nobilium considerationẽ personarum, quibus immanior apud suos poterat constare calamitas, si vitam *inopem reduces sustinerẽt, & de peregrinationis incommodis sola misericordiæ solatia *perdidissent: Ad regem inuictissimum Theodericum per se mox ire noluit, ne fortè laboris sui vicissitudinem in relatione gratiarum, aut exhibitione munerum coram positus videretur exigere. Flagitat enim quasi debitam *remunerationem, qui profligatis principum iussionibus ipse quid actum sit *actor annunciet. Hoc ergo ille totius acuminis vir prospiciens, declinare gestiebat. Scripsit tamen, & quæ gesta sunt, loqui commisit epistolis; ne aut tacendo contemptor, aut occurrendo per arrogantiam pronunciaretur intemperans. Quantum tunc, admirande Pontifex, tua plus egit absentia, quantum *imperauit humilitas deprehensa, illi dicant, quos de exulibus ditissimos reddidisti. Igitur omnia, quæ à pijssimo rege pro miseris per paginam petijt, singularis Antistes incunctanter obtinuit. Serenus præstitit copiam supplicanti; cui pro compensatione laboris sui hoc credebatur posse

[g] Tarantæ, Alpibus vicinum oppidum.

*inopes. Bar.

*f. percepissent.

*retributionem, qui pro flagitatis. Baron. *auctor annunciat. Baron. *impetrauit. Baron.

posse sufficere, quidquid per illum beneficij redemptus & pauper acciperet. Postquam tamẽ omnes, qui reuocati fuerant, indultu præferendi principis, iure suo donati sunt perfunctam molestiarum suarum molem admirabilis censebat Episcopus,[a] cùm necdum biennio exacto à deliberatæ quietis gremio, tanquam è portu cymba [alijs] illata tempestate propellitur. Nam infirmis Ligurum & labantibus humeris vix ferenda tributorum sarcina mandabatur: Rursus ad te afflictorum consolator, accurritur. * Doceris frustra reddidisse patriæ ciues, si illis in solo auito periclitantibus non adesses: & quia [b] apud te nunquam fatigatus est, qui rogauit, suscepisti * causas infelicium, & te protinus ad recidiua opera præparasti; Rauẽnam pro nobis regem rogaturus excurris.† Quam, ne te ibi quisquam post Gallicanam, insignia laudaret, effugeras. Minas cæli, procellarumq; discrimina adhuc quasi æui integer, aut * valetia corporis munitus exuperas. Nunquam tibi ad officium animorum se membra quamuis inualida subduxerunt. Frigus, pluuiæ, Padus, ieiunia, nauigatio, * pericula tonitruum, sine tecto mansio in ripis fluminis incerti, penè sine terra portus, virtuti tuæ dulcia fuerunt & grata successui. * Contristatus est de præsentia tui & ille eminentissimus rex, qui te videre ambienter opravit: exposuisti necessitates nostras aduentu tuo, antequam diceres, & quales * secum habitantium lacrymę te compulerunt, docuerunt superata discrimina. Ast vbi ad [c] principem tamen ingressus est, ita loqui cœpit: Solita, Rex venerabilis, mentis tranquillitate famulorum preces intellige; & me ad postulanda necessaria, & vos ad tribuenda vsus informat. Lex tua est, ductor inuicte, misereri iugiter: tu semper nutristi spem intercessionum in posterum, dum præsentibus non resistis. Viam supplicationi nostræ patefecit, ad reliqua semper apud vos beneficij fides impetrati. Liguribus tuis largire quod proferas, tribue quod reponas: futurorum quæstus est temporalis indulgentia. Boni principis mos est, cum virtutibus amare famam, & regnum ita ordinare, tanquam ad stirpis suæ posteros transiturum: Nutantes Domini hæc tantum quæ accipiunt, diligunt; firmissimi, illa potiùs quæ dimittunt: sic terris semina parua committimus, vt multiplicata capiamus: fœnus sine crimine fit triplicatum. Boni Imperatoris est possessoris opulentia. Concede immunitatem anni præsentis Liguriæ, qui eos ab externis, qui supplicant, reduxisti. Quàm vberem præsentem natiuitatem habuerimus clemẽtia vestra adstantes interroget. Nemo illi mentitur, cui seruiunt, qui conuincant. Ad hæc Princeps: Licet nos immanium expensarum pondus illicitet, & pro eorum quiete legatis indesinenter munera largiamur: tamen vis meritorum tuorum tractatibus nostris reuerenter interuenit, opus est fieri quidquid iniunxeris, iuuat omne quod præcipis. Æstimamus enim compendijs nostris * adijci illud, quod ipse decerpseris. Nihil tu quasi ex accidente depreceris, qui habes à * nobis plurima, quæ reposcas: Duas tamen præscatis indictionis fiscalis calculi partes * cedimus, tertiam tantummodò susceptur i, ne aut ærarij nostri angustia Romanis pariat maiora dispendia; aut supplicatio tua expectata patriæ gaudia non reportet. Taliter præfato regi egit gratias summus Antistes, à quo valedicens discessit. Heu, dolor atque gemitus omnibus quasi supremi officij vel vltimæ visitationis studio impiger occurrebat, & cùm domus ipsius Christianæ multitudinis turbas euomeret, ipse tamen omnium penitralia adibat.

[a] An Christi apud Barõ. 496.

* *Doceres frustra reddidisse patriæ vices, habet Bar. ex Vat. C.*

[b] Posterior Epiphanii legatio ad Theodoricum regem Italiæ.

* *Causam infelicium, & te protinus ad redituna. Bar.*

† *Quantas ibi postquã Gallicana insignia effugeras, minas cæli &c. Cod. Vat.*

* *valens. Cod. Vat.*

* *periculum tonitrua. Baron.* * *Consolatus Vat. C. f. Non tristatus.* * *tecum. Baron.* [c] Ligu.æ anni immunitatem precatur Epiphanius. * *Desunt hæc in Bar. annal. ad annum 596.* * *in nobis.* * *Cedemus.*

XX. NVLLVM humanæ mentis crassitudine hebetatum tangebat tam funesta suspicio, quod instaret transitus eius, quem ille spiritus reuelatione cernebat ningido aere, & quali solent homines ad tecta confugere, Rauennam egressus est, & per Æmiliæ ciuitates celer venit, tanquam ad sepulcri receptaculum properans; omnibus sacerdotibus in itinere positis munificus, * communis, affabilis, & quasi euangelia relinquens, se ipso præstantior, vt Parmam tamen eiusdem viæ ingressus est ciuitatem, co ntinuò eum coagulatus in vitalibus humor infudit, quem catharrum medici vocãt, qui se medullitùs inferens, in ruinam publicam sæuiebat. Sed quid formidas oratio? quid velut naufragos scopulos perhorrescis? velis nolis cuius vita, etsi strictim, dicta est, etiam narrandus est obitus, quoniam nulla prætensione libelli, nullis dilationibus promulgatæ laudis transitus ipsius poterit occultari. Et quamuis velut Scyllæos canes, & patulas Charybdis fauces fragoso discrimina murmure minitantes velificans carina diffugiat, obitus eius naufragium non * omittit. Quod fletus narrare metuo? quos continua semper necesse est, vt monstret effusio? Ergo dum se oppido Ticinensi, nunc misero, propinquauit, quasi alacer & sanus apparuit: quod licet cum omnium exultationibus ob reditum suum introisset, ilicò gaudia vertit in lacrymas: ægrum se esse die ipsa significans, altera grauiorem; & cum grandior per dies singulos appareret infirmitas, adiuta est imperitia medicorum. Stabant mussitantes & attoniti populi, casum in vno homine totius Prouinciæ considerantes, & funus mundi metuentes: septimo tamen die inopinatum scelus, ineffabilis calamitas, inexplicabilis luctus accessit. Sed cum beatissimus cerneret Pontifex, sarcina carnis abiecta maturius se ad purum ætheris euolare fulgorem, cuius vox semper illa fuit: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: lato animo ac vultu sereno illos versiculos Dauidicos sæpius repetebat: Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo: in generatione & progenie annunciabo veritatem tuam in ore meo. Et illud: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Nec non adijci ebat de perfectione securus: Confirmatum est cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Domino salutarimeo: Vt hymnis & canticis, & in morte [d] resonans ad sedem suam cælestis anima remearet; qui quinquagesimum octauum ætatis annum duxit ad tumulum: triginta in hac Sacerdotali, qualem etsi excerptim lector attendis, scalptam conuersatione exemit. Illud namque silentio præterire non debeo, quod eius sanctæ reliquiæ vsque in diem tertium, quo cum summa veneratione reconditæ dinoscuntur, tanto lumine ac decore vestitæ [e] cunctorum visæ sint oculis, vt splendorem vitæ vultus signaret defuncti; & depositam gloriam iam * nunc percepisse glorioſum vas crederetur, in quo verè fuit thesaurus magni regis incluſus. Quæ ibi fuerunt flumina lacrymarum, quanti [f] planctus silebo, ne post annosa curricula nouellum dolorem scriptor incutiam. Quæcunque ibi mater venit, liberatum ab eo clamabat filium: quæcunq; vxor maritum; quæcunq; soror fratrem; qui cælebs, seipsum. Postremò è tanta hominum multitudine, & conuentu, vt audenter dicam, totus orbis, nemo fuit, qui beneficijs illius aliquid non deberet. Sed quæso, iam temperemus à luctibus; contractum tristitia resoluamus frontem. Excelsa cum Domino possidet, ob cuius obitum mœremus in terris. Sed quid faciam? quod remediatoris vestri singultus verba * difficiunt, lachrymæ ora perfundunt: mugitum reddat omne quod loquor, & intelligo, quod nunquam ad flentem flẽs benè veniat consolator. Hæc sancto Patri & doctori peritissimo idoneus affectu, non scientia impendi, vt aliquos de conuersatione illius flosculos relegerem, vt est longum iter agentibus in vsu positum, qui non omnes obuios consalutant. Tu mihi anima apud Redemptorem nostrum præpotens tribue, vt cura vacuus, & pectore liber munda tibi, sicut debentur, præconia mundus exoluam. De cætero, habentem in te post Dominum fiduciam non relinquas, & quem religionis titulo insignisti, religiosorum in diuinam repromissionem redde participem.

fort. admittit.

Philip. 1.
Psal. 88.
Psal. 30.
1. Reg. 2.

[d] S. Epiphanius anno 496. ætatis 58. Episcopatus 30. moritur Ticini, succedit Maximus, in cuius laudem Ennodii est oratio.

[e] Vt cunæ infantis respleduere, sic & defuncti Epiphanii corpus.

* *tunc.*

[f] Luct^o piorum in fu-

nere Epiphanii. * Dissicere pro dissecare, vox prisca, Cicer. & Maroni & Lactantio familiaris, vt in orat pro M. Cælio Cic. notat Lambin.

AN. 963.

TRANSLATIO S. EPIPHANII TICINENSIS EPISCOPI HILDENESHEIMIVM IN SAXONIAM AB OTTVVINO Hildeneshemiensi Episcopo facta: ab eius temporis scriptore vt colligit R. P. Christophorus Brovverus S. I. ex cuius Syderibus hanc desumpsimus, conscripta.

DIVINÆ gratiæ sapientem, atque in sua dispositione clementem prouidentiam, caro humana, nec dignè admirari, vel lucidè satis intueri suppetit, quæ sic suæ Ecclesiæ ab ipso principio electorum præuidit auxilia, vt dum hostis cõcitaret pugnam, hæc piorum meritis fulta, victrix palmam obtineret, & gloriam. Hinc est, quod tota Saxonia spiritali plaudens lætitia, plurima sanctorum pignora maioribus quoque nescita, deuoto includens sinu fouet, & excolit, præsentis vitę tramitè ac futuræ spem, certa credulitate illorum omnimodis cõmittens. Inter quos præcellit, velut Lucifer Epiphanius venerabilis pater, mirificus quondam Papiæ Doctor, nostræ nunc patriæ magnificus defensor, vir sui tẽporis omnibus virtute imitabilis. Huius itaq; tam præclari patrocinijs viri, quia nostram Dominus illustrare atque munire dignatus est patriam, quo ordine illius sacrosanctæ reliquiæ, studio Domini Otwini venerabilissimi nostræ Ecclesiæ Episcopi aspirante, sint primum repertæ, atq; ad nos vsque deductæ, vti isdem qui huic felicissimo intererat officio, & maxime Thangwardone venerabili presbytero, cuius opera præcipue in hoc enituit, attestante didici, nihil ingenio elatus sed deuotionis studio debito incitatus, stylo diligentissimè traditum posteris vsitandum humiliter transmitto. I.

[a] Berengarii cupiditas.

CVM [a] Beringarius, vna cum filio suo Adelberto sceptra Italici Regni inuaderet; atque vnius gentis diadema vtriq; sibi vsurparent, in tantum ipse Beringarius auaritiæ exarsit æstu, vt pecunia captus ius fasque quaq; confundens, aliquantum etiam de terminis sancti Petri, prædatoria vi sibi arripere præsumpsisset. Ad cuius rabiem reprimendam Legatus [b] Domini Apostolici Octauiani, qui & Iohannes, inuitatur Romam Otto Maior, Cisalpinus scilicet Rex, vt aut patriciatu Romanæ vrbis, quæ sibi à maioribus suis competebat, desciscceret, vel fessis eorum rebus succurreret. Accingitur itaque communi suorum consensu, & consilio bellicosus Ecclesiarum miles, ac egregius Princeps contra Apostolicum hostem, valida suorum semper & inuicta septus manu. Episcoporum quoq; comitatus grege, inter quos Dominus [c] Otwinus nostræ Ecclesiæ Præsul enituit, ipsi Principi tantum commendatus, quantũ fide probatus. Capto vero in Castello sancti Leonis Beringario, atq; in Bauariam cum vxore custodiæ destinato, Alberto nihilominus fugato, [x] reddita pace Ecclesijs, Romam iam Patritius & Imperator Apostolica benedictione creatus Otto Cæsar, [d] Papiam repedauit; Ecclesiasq; per Italiam & Tusciam, priorum Principum sæuitia ac insolentia neglectas ac desolatas, canonicè reformauit, inq; antiquum statum restituit. Per id temporis peruigil Dominici ouilis prouisor [e] Othwinus Episc. licet corpore suis semotus, tamè studio charitatis, illis coniunctus, & beneuolentia, qua mirificè respersus eos pcoluit, quæq; ad suæ Ecclesiæ vtilitatem & fratrum commoditatem profutura præsensit, colligere studuit; præcipuè tamen, vt fida sibi suisq; conciliaret patrocinia, reliquias Sanctorũ, quos apprime ibi celebrari comperit ab [f] Episcopis petijt; facileq; obtinuit, simulque, ne eius opera in accipiendo alicuius versutia eluderetur, vir prudens prospexit. [g] Librorum nihilominus tam diuinę lectionis, quam philosophicę fictionis tantam conuexit copiam, vt qui illorum penuria inerti ante torpebant, otio frequenti nunc studij caleant negotio. Et, quia se in huiusmodi profectu ab omni iactãtiæ temperauit fastu, beati Epiphanij Papiæ quondam Episcopi diuina gratia, admodũ mirificè sanctissima illa contulit pignora. Nam [h] cum ille venerabilis Pater, respectu diuini honoris, quo semper animo sollicitus extiterat, ossa sanctorũ furtim surripere, vel absq; oraculi prẽmonitu transferre, quasi præsumptionis duceret, ita tamè mentis suæ iudicium librauit, vt nec ipse non audendum quid aggrederetur, nec quod esset [i] agendum, sua auctoritate, dehortaretur. Vnde factum est, vt venerabilis [k] presbyter frater noster, cuius superius mentionẽ fecimus, in huiusmodi studio omnimodis deflagrans cum nil tale attentare, nedũ patrare prẽsumeret, erat enim æuo prouectior, ingenio simplicior, crebris se interorandum ieiunijs vigilijsq; commacerans, sui votum animi diuino [l] dispensandum commisit arbitrio. Non tamè in hoc cepto vsque quaq; Antistitis destitutus auxilio, qui tanto se acrius in singulis affligebat, quanto ambobus subtili[o] consulebat. Solemnibus itaq; ieiuniorum festiuè expletis, diuinitus, vt credo, ecce affuit Landvvardi Mindensis Episcopi presbyter nostro fratri contubernij gratia familiarissimus; qui illum adhuc titubantem, cum animum eius aperiret sollicitè de omnibus ac si idem quod ille sentiret, perquisiuit, [m] sanctissimi patris Epiphanij reliquias, sanctæque virginis Speciosę vno ambitu templi inclusas auferre suasit, superuenientis noctis tempus, nec in aliud protelandum illis competere. Nec mora, complacitum est; collecto per diem huic officio apparatu necessario, nocturno suffragante silentio, Ecclesiam intrant, se tanto opere terra tenus strati, impares accrsabant, audacis nihilominus cepti veniam exorabant illorum se patrocinio attentius commendantes, vt vel eorum reliquijs remunerari mererentur, vel si id non dignarentur, sine damno saltem sui, ab illis protecti cepto pie remouerentur. Surgentes itaque beati Epiphanij sepulchrum recludere diu multoque sudore certabant, nulloque ingenio, cum omne studium impendendo consumerent, proficientes, [n] beatæ Speciosæ virginis tumbam in promptu aperuerunt. In pauimentum itaque ante sacras reliquias prouoluti, orationiq; aliquantulum intenti, surgentes eas deosculando, hymnis & laudib[p] sustulerunt; quarum partem, qui fratris nostri studio illi suffragabatur, piæ memoriæ Dominus noster Otvvinus, huc postea vna cum beati Epiphanij reliquijs transtulit, commendata, quæ sibi competebat parte [o] Landvvardo venerabili Episcopo. Sed, cum postea omnis spes nostri fratris, qua in adipiscendo sanctum Epiphanium animo sudauit, pene defriguisset, tentandique nullum vltra haberet solatium, ad orationum item ieiuniorumque confugit præsidia, quod de se non præsumebat, huius sancti meritis attentius commendabat. Euolutis itaque aliquot diebus, non sine magna sui contritione, quippe qui se pro huiusmodi studio Deo totum abstinentia, & supplicatione effudit, diuinitus in somnis admonitus, vt ipse mihi satis quippè verecundè, iactantiam namque omnimodis refutauerat, exposuit, animosior factus, ieiunijs fisus simul & oraculo nocturno aspirante, tempore assumptis personis tali negotio probatis, Ecclesiam beati Epiphanii adiit. Cumque ianuæ quasi prioris successus gratia sibi commendatæ appropiaret, pulsus custodibus, qui insequebantur cessit, ostiolumque fenestræ instar bipedalis non amplius mensuræ, ante sibi nunquam cognitum casu impegit, ingressusque imminentium declinauit impetum, delusitque studium. Fiducia ergo insueta fultus, erat enim simplicioris animi, sociis inductis, tentanda quoque primus aggreditur, illos & adhortatur. II.

[b] Anno 960 Otto Magnus ab Iohan. XII. in Italiam inuatur. Vide Bar. hoc anno.

[c] Ottonis expeditio & comitatus.

[x] Beringario capto Otto creatur Augustus.

[d] Papiam reuersus Ecclesiastica tractat.

[e] Ottvvinus Hildenesshemiensis Episcopus in Reliqas inquirit.

[f] Ab Episcopis eas impetrat.

[g] Libros variarum disciplinarũ in Italia sibi comparat.

[h] Autoris de trãslatione vel acquisitione Reliquiarum opinio.

[i] Ottvvinus Episcopus neutrum agit

[k] Tãgvvardon.

[l] Religione ad sacra spolia fit via.

[m] S S. Epiphanii, & Speciosæ tumuli.

[n] Nulla S. Speciosæ mentio fit in Martyrolo. Rom meminit eius Molan. 18. Mart. in Martyrolo. sed loco nõ expresso: vnde veretur Brovverus, ne pro Honorata, quæ fuit S. Epiphanii soror Speciosæ nomẽ obrepserit.

[o] S. Speciosæ reliquiæ tolluntur primo, quarum pars cedit Landvvardo Mindensi Episcopo.

[p] Cõditorii descriptio, in quo S. Epiphanii tumba asseruata.

Primo sancti Patris sepulchrum solerti diligentia vsquequaque perlustrantes, vident quod hypogeo specu ad quinque pedes sarcophagus, vt post claruit infossus, desuper marmore fulciebatur, quadrato insuper adhuc muro exstructo. Columna quoque nihilominus marmorea altaris vice eius honori dicata, simul & nomini caput versus stabat erecta, basis parte sarcophagum occupans, vt geminam præstaret gratiam, decorem scilicet & munimen. His igitur quantum dabatur perfectis, consultius tempori & labori cedendum dicentibus, prædictus frater noster, primus officio

[q] Tangvvardonus diuino instinctu tentat sepulchrum S. Epiphanii.

officio accingitur, alios adhortatur; sicque gratia Dei, animositate freti facilimè muro partim resciſſo, marmore immensi ponderis mirificè admodum à pauciſſimis remoto, purgantes locum ſanctum, tandem inuenêre ſepulchrum. Illud igitur aperire certantibus, [a] maxima difficultas occurrit de ſtatua, quæ licet parte pedis, vt dixi ſuppoſita eſſet, ita tamen ſibi vendicauit Sarcophagum, vt in aperiendo omne ſtudium eluderetur, & ingenium. Deſperantibus iam omnibus, actu conſilioque diu ſuſpenſis clarum diuinæ pietatis effulſit miraculum. Nam repente columna, quæ tumulum occupabat parte, ſtupentibus qui aderant frangitur, alia incolume, altare firmiter ſuſtentante, ipſoque impetu currendo longius ab ambitu ſepulchri reuoluta, facultatemque illis cæptum opus implendi, celeritatemq; præſtabat. Rebus deinde ad votum [b] cedentibus, nil operis eludebatur, apertoque ſine vi Sarcophago, tãtus odor exuberauit, vt aromata æquè ſimilitudine excelleret ac dulcedine. Deo itaque in commune laudato, exſurgens à terra ſæpedictus frater, ante tumbam bis vel ter proſtratus, cum fide ac ſumma deuotione cæleſtem theſaurum pretioſiſſimum ſancti Patris [c] Epiphanij corpus integrè colligens, puro atque ad hos vſus parato linteo inuoluens, venerabili noſtro Otvvino Epiſcopo deſiderabile munus apportauit, nimium iam eius abſentia ſuſpecto, quem & lectulo vt alios deluderet cubando, pertigil circa tertiam vigiliam præſtolabatur. Quod ille ita, vt erat inuolutum, in Capella ſancti [d] Michaelis, iuxta quam hoſpitabatur, deuotiſſimè ſuſceptam, altari impoſuit, deinde proſtratus diuturnis hymnorum melodijs, grates Domino magna animi compunctione litauit, ſurgenſque ſcrinio ad hoc prouiſo, [e] religioſiſſimè reconditum, annuli ſui impreſſione diligentiſſimè ſignans, Augiam Inſulam, in qua ipſe quondam Monachus regulariter enutritus & conuerſatus eſt, Abbati, qui tunc Monaſterio præſidebat, ſeruandum præmiſit. Facta autem de hoc poſtea inquiſitione, Imperatore grauiter contra hoc commoto, vnanimiter Clero cum populo conclamante ſublatum vrbis prouiſorem, patriæ defenſorem. Nam poſt ſanctum [f] Syrum, cuius præcipue eo loci pullulant merita, huius ſancti patrocinio innitebantur, omnium Epiſcoporum Clerici iubentur examinari. Sed hoc terrore diuinitus, vt credo, cunctorum pace ſedato, Religioſus Pater [g] Otvvinus, cura ſibi commiſſæ plebis ſuſpectus, quàm biennio fere aulico, quamuis inuitus, ſeruitio detentus, reliquerat, ſuam Eccleſiam reuiſere diſponit; acceptaque Imperiali licentia, dum familiarius Imperatori colloquitur, ſecretũ de Reliquiis ſancti Epiphanij in fidei pignus Præſul confitetur, ſicque eius auctoritate fretus, Alpes verſus properans, ſoſpes his tranſcenſis, [h] Augiam Inſulam conſcendit; ibique aliquantulum conſiſtens, haud minus obedientiam fratribus impertiuit, quam dudum iuuenis conſueuit, acceptaque benedictione, atq; ſuo ſummo ditatus Patrono, Monachis reliquias deducentibus, profectus, adſtipulãte itineris prouentu, aliquot diebus euolutis, incorruptum theſaurum ſanctiſſimi Patris Epiphanij, pignora aliorumque complurium ad noſtram perduxit Eccleſiam.

[a] Inſepulcri apertione ſtatua vel columna cui Sarcophagus & altare innixũ mirè abcedit.

[b] Fragrans odor exſpirat è tumulo.

[c] S. Epiphanij corpus leuatur, & ad Otvvinũ Epiſcopum defertur.

[d] In S. Mich. Oratorio deponitur.

[e] Otvvinus Præſul olim Augiæ Monachus, eò præmittit S. Epiphan.

[f] S. Syr⁹ fuit primus Ticinẽſis Epiſcop. vitam eius habes

12 Septemb. [g] Otvvinus poſt biennium ſalutato Imper. redit ad ſuos. [h] Ad Augiam diuertit.

III. QVANTA tunc populi lætitia, [i] quanta tunc fuerit matrum exultatio, vel quanta in occurſum tanti Patris properantium Clericorum eſſet deuotio, quis valet euoluere? Quis ibi præ gaudio à lacrymis temperaret, cum decus Italiæ noſtræ affulſit patriæ; cum nouum ſidus illuxit noſtratibus. Translatum eſt autem corpus beati eiuſdem Patris à fratre noſtro, decima Kalendarũ Decembrium die, ad nos verò Dei gratia comitãte, à Domino noſtro ſanctæ memoriæ Othvvino Epiſcopo, octaua Kalendarum Martiarum die, perductum, atque cum maxima populi frequentia vniuerſique Cleri tripudio in Eccleſia collocatum eſt.

[i] Gratulatio & occurſus Hildeſhemiẽſium aduentante S. Epiphanio.

Ex hoc loco colligit Brovverus S. Epiphanij corpus Hildenesheimium 12. Febr. anni 963 aduenisse, & effossum 22. Nouemb. anni 961. Idque ex biennali fermè Otvvini præsulis absentia, & eius subscriptione quæ 19. Feb. anni 962. Ticini adhuc fuisse illum, coarguit. cõſtare ait

IV. ILLVD etiam diligenti deuotione inferendum reor, qualiter in ipſo principio ſacroſancti introitus, tanti Patris ſignis effulſerit virtus. Nam die, quo ſanctæ reliquiæ ad noſtram Eccleſiam perducebantur, ad tanti patris obſequium frequens in via vtriuſque ſexus occurrit concurſus; quos quidam longa podagræ tabens moleſtia, [k] lento ſubſecutus eſt gradu, fluentibuſque iam neruis, plus greſſum baculo, quàm naturali egit modo. Appropinquantibus itaque reliquijs, cum currendo quiſque alium, vt in talibus moris eſt, præuertere niteretur, repente ab omnibus, quibus comes ierat, derelictus, ſtudio quo poterat innixus baculo, doloris, vt ita dicam, immemor, à tergo multitudinem, ne premeretur effugeret, ſuos inſequitur, ſancti Patris merita, non quippe ruſticum latebat, implorans aſſiduè; cum ecce leniter podagricus humor reſtringitur, fluentes arteriæ ſolidantur, adcurſum plantæ paulatim informantur. Nec tamẽ quanquam fide ſalutem deprecaturus, occurrit, hanc in promptu ſibi adſtipulari credidit, verum cautius ſe ſuſtentans, dum omni corpore acrius nititur, baculus frangitur, ipſeque toto pondere terræ illiditur. Vlnis itaque ſurgere nitens, dum pedum auxilium pertentat, & hos diligenter contrectat, intigerrimæ ſaluti condonatos, qui ante tumore induruerant, reperit; exilienſque, ſanctas reliquias comitando proſequitur. Et quia villa Vpſtede hoſpitabatur, quam domũ incolebat Macco noſtrę Eccleſię aduocatus, ab illo agnitus, cuius ſedulitate quoque ſæpe fruebar, dum curationis ſuæ ordinẽ illi contexuit, Deũ in tam perſpicua virtute collaudãs, Venerabili Antiſtiti noſtro Othvvino, hæc teſtis infirmitatis vel ſanitatis expoſuit, hoc mirificum perſpicuumque opus reuelare, palamque prædicare ſuaſit.

[k] Podagricus à S. Epiphanio primo aduentu mire ſanatur.

V. NEC minus quoquo illud memorabile, & meritorium illius inſigne prætereundum arbitror, quod admodum mirificè Dominus in Vulferio noſtræ Eccleſiæ Diacono, ad declaranda tam eximij Patris merita, ſpem quoque ſimul totius congregationis erigendam, illius patrociniis operari dignatus eſt, cuius ſanitatis tot teſtes exiſtunt, quot ſuperſunt fratres, qui illum in Monaſterio tunc nouerunt. Renum namque vehementi [l] dolore grauiter laborabat, nec medicorum quoque ingenio poterat mederi, licet multi gratia ſuccurrendi accederent, pluraque impertirentur. Iamque iugis paſſio in augmentum progreſſa, acrius crudeſcere, atque per dies violentius creſcere cæpit, ambulando vſum vix baculo innixus egit: interdum quoq; pedes, reptando manibus adimit, aliter enim non potuit. Ecce autem in vigiliis huius ſancti Patris, primæ horæ diei pſalmodiis Canonice finitis, fratribus ad collationẽ properãtibus, obſeratis adhuc iuxta normam Monaſterialis vitæ ianuis Eccleſiæ, ille venerabilis vir hoc tempus, quo ſe tanto patrono attentius liberiuſq; lacrymis ſupplicationibuſq; mactaret, nactus, nec aliud per diem populis hæc feſta frequentantibus competere ſciens, ſuſpirio graui, anhelitu difficili durius, vt ante nunquam dolore agitatus, baculo nitens, vix quam dictu ſatis ſit, per gradus brachiis manibuſq; reptando, aſcendit; nam genua tibiaſque ſæuius iam per venas neruoſque diſcurrens, inuaſerat dolor, venienſq; ante ſanctiſſimũ corpus ſe in terram cum multo labore, & ingenti doloris cruciatu proiecit, diutiſſimeq; orationi immoratus, magna contritione cordis ſe totum Domino profudit. Lacrymarum itaque vberius imbre profuſus, vlnis nitens paulatim ſurgere parat, deinde leniter norum bacilli admodum cautè auxilium pertentat; erectuſq; tandem ſine dolore, miratur, ſtupet, nec tamen quamuis ſalutẽ optet, credere audet; manũ admouit, locum, vbi ſæuius doluit, pertractat, nec ſignum doloris ſentiens vllum pauimento ſternitur, Deum parentemque gratificat patronũ, fortiterq; ſurgens viſo venerabili fratre V Virindago Presbytero, baculum ſalutis indiciũ, quo ante ſuſtentabatur, leuat, valenter deſcendit, qui reptando prius aſcendit. Stupefactus itaque frater repentina ſalute, occurrit deſcendenti, authoremque tanti miraculi cognoſcens, laudat; & quia ipſa die fratres lauandi negotio ſtudebant, ad balneum illis in occurſum properat, quibus ſuæ ſanitatis ordinem pleniter expoſuit. Quanto namque ab ipſo ſacroſancto reliquiarum introitu meritorum illius inſignia quotidianis virtutum effulſerunt incrementis, clarius facta quam verba loquuntur. Quotiens enim aëris intemperiem, vel peſtis obortæ illuuiem illius reliquiis noſtram vrbem luſtrando ſedauimus? Sæpe quoque iugi ſiccitate arua torrente, eaſdem circumferentes, quaſi imperando pluuias elicuimus.

[l] Nephritis à Diacono S. Epiphanij ope profligatur.

Quis

Quis enim vnquam huius Sancti prouolutus feretro, & quanquam fractus moleſtia, non mox erectus, animo interorandum eius vicina præſenſit auxilia? Sed hæc fortaſſis quibuſdam videntur ſuperflua; ſunt tamen clara meritorum eius indicia, firmaque poſteritatis ſolatia. Hæc tantum de beneficijs per beatum, atque magnificum Antiſtitem Epiphanium diuinitus nobis collatis pro ingenii mediocritate perſtrinxi, quod audax inceptum ac viribus impar gemina, deuotionis ſcilicet, ac debita gratia ſubij, vt & fratrum diligentiæ ſequenti ævo opera Dei, quæ ſicut ſcriptum eſt reuelare, & confiteri honorificum eſt, legenda deuotiſſimè ſubminiſtrarem, noſtro quoque tempori, tam egregia Dei facta poſteritati ſtylo tranſmittere, negligere incuriæ & inertiæ notam, meo ſtudio abſtergerem.

S. Epiphanij corpus hodie in argentea tumba aſſeruari Hildeneshemij, in principe baſilica ad ſiniſtrum latus aræ præcipuæ; ſuſpenſamque caueam ad ſepulchrum S. Godehardi monſtrari, in qua ſarcinam piam ab vſque Licino in Saxoniam aduectam fuiſſe perhibent; tradit R. P. Chriſtophorus Brouverus in notis ad hanc translationem.

AN. 300.

MARTYRIVM S. VINCENTII, LEVITAE ET MARTYRIS. EX SIMEONE METAPHRASTE.

22. IAN.

VICTORIAM, quam ſanctiſſimus martyr Vincentius de hoſte reportauit, maximè probatam fuiſſe ex hoc I.
ipſo intelligi poteſt, quòd bonorum rerum inimicus diabolus eorum certaminum, quæ martyr ille ſuſtinuit ac perpeſſus eſt, venerandam memoriam ſilentio interim obruendam curauit. Sed nos ordine ſingulas res, vt geſtæ ſunt, in apertum proferemus, certiſſimamque earum rerum fidem ſequentes, inuiolatam Martyris confeſſionem, & tolerantem conſtantiam, vſque ad extremum ſpiritum ſeruatam, ſimulque incredibilem Iudicis immanitatem narrabimus.

IS cùm Chriſtianorum vaſtationem, vt quiuis alius, ſitiret, in Hiſpaniam profectus eſt, vt illius prouinciæ ad- II
miniſtrationem gereret, quæ à Romanis Imperatoribus commiſſa ei fuerat. Erat iudex ille Græcus, ſcelere, furore & diaboli peruerſitate arteque compoſitus & malitiæ illius miniſter valdè idoneus: vocabatur autem Datianus. Cùm igitur ad eius regionis vrbem omnium primam veniſſet, cui nomen erat Auguſta, tanquam lupus quidam vorandi ſanguinis multum appetens, ſimpliciſſimas Chriſti oues adortus eſt. Nam etſi earum ſynceritas, conſtantia & firmitas Chriſtianæ fidei teſtimonium præberet, ab illis tamen furorem ſuum non temperabat: ſed cùm eſſet ſacrilegus, & Græcæ ſuperſtitionis amantiſſimus, ſummam in Chriſtianos acerbitatem exercebat. Itaque cùm magiſtratum inijſſet ſe omnia ex animi ſententia conſecuturum arbitrabatur, ſi furoris & inſaniæ, quæ illum exagitabat, manifeſta indicia oſtenderet: nefariæ enim crudelitatis, & noui furoris rabie accendebatur. Quamobrem ſui ſpiritus fœditatem ac vehementiam, quam primùm potuit, effundere cœpit, Epiſcopos ac omnes clericos, ac viros ſanctos iniqua diaboli tentatione inuadens: quanquam potius factum id fuit, vt qui probati eſſent, manifeſti fierent.

Iudex Datianus atrociſſimus.

Hæc cùm ita ſe haberent, Vincentius in Leuitarum ordine conſtitutus, ſub Valerio Epiſcopo magnæ exiſtima- III.
tionis & modeſtiæ viro, animi alacritate multa erectus, ad celeberrima illa & ſalutaria certamina properabat. Eiuſmodi autem tentatio multis quidem videbatur perniciosa, ſed non viris Deum verè amantibus: quippe qui futurum ſperabant, vt tali certamine propoſito beati efficerentur, ſi quidem rectè factis conſecrati, fidei coronam aſſequerentur. Itaque artificioſus ille, & animo ac ſententia multiplex Datianus, exiſtimans fieri poſſe, vt Chriſtiani homines, quos non poterat cruciatibus ad ſententiam ſuam perducere, itineris longitudine, & corporis ærumnis defatigati afflictique, eius voluntati ſe ſubijcerent, mandauit ſanctos viros Valerium Epiſcopum, & Vincentium Diaconum, multis cum iniurijs duci in vnam quandam illius prouinciæ vrbem, Valentiam nomine, quos ſtatim iuſſit in carcere quodam obſcuro & malè olenti concludi, maximisque cruciatibus affligi, fame, inedia, & catenarum anguſtijs, & ferreis quibuſdam ponderibus à collo ad manus vſque protenſis, toto (vt ſummatim dicam) eorum corpore mortiferis calamitatibus afflicto. Sed quanuis tot tantæque calamitates illorum corporibus adhiberentur, omnia tamen viri ſanctiſſimi tormenta, vt res leuiſſimas, perferebant, ad futura illa bona, quibus compenſandi eſſent, animos erectos intentosque habentes.

Mittitur cũ Epiſcopo Valentiam.

CVM verò peruerſus ille & deprauatæ mentis homo Datianus exiſtimaret, eos viros defatigatione atque ærum- IV.
narum iugo nimium grauatos eſſe, ac vereretur, nè fortè, ſi eorum res obliuiſceretur, antea mortem illi obirēt, quàm ipſe propriam in illorum ſanguine fundendo, & membris lacerandis ſæuitiam exerceret, iuſſit illos educi è carcere. Opinabatur enim, eò quòd diuturno carcere vexati, & à lumine communique hominum conſuetudine remoti fuiſſent, nihil virium amplius reliquum habere. Nolebat autem illos mori, priuſquam cruciatibus affliti eſſent: quandoquidem futurum ſperabat, vt multiplici ac diuturno cruciatu eos flecteret. Cùm igitur viri illi ſancti educti è carcere, antè tribunal iudicis ſtetiſſent corporibus & viribus integriores, adſpectuque ipſo multò hilariores, quàm antea fuerant. Datianus præſes amens factus, & ſtupore perculſus, atque inſania excæcatus fuit, eorum videlicet, qui à Deo ſeruati fuerant, robur & vires obſtupeſcens.

Nota Dei erga ſuos martyres amorem.

Inſania iudicis.

CVM verò ab illis ſe vinci non pateretur, & ab impuri ſpiritus peruerſitate agitaretur, ad carceris cuſtodem con- V.
uerſus: Curnam, inquit, cibo & potu homines iſtos recreâſti? Cur ita pingues fieri curâſti? Mox feroci quadam voce fremens, & orationem ſuam ad ſanctiſſimum Epiſcopum conuertens, ait: Quidnam tu de teipſo dicis, Valeri, qui per religionis ſpeciem ac ſimulationem Imperatoribus aduerſaris? Opinabatur enim impius ille, facilè fieri poſſe, vt ſi caput ipſum, hoc eſt, Epiſcopum, abſcinderet, reliqua etiam membra, clerum videlicet & populum, facilimè demoliretur. Sed benigniſſimus Deus, qui ſuperbos homines ex alto & ſublimi gradu in imum præcipites detrudit, & humiles infimo in loco iacentes in altum extollit, voluit ſuperbum & nefarium illum hominem non ab Epiſcopo, ſed ab inferioris gradûs illius cleri viro ſuperari, vt ſe imbecillum eſſe cognoſceret, neque quicquam ſe contra Epiſcopum facere poſſe, quippe qui à Leuita longè inferiore tum ordine, tum dignitate, victus proſtratusque fuiſſet.

Inſignis cõſtantia Vincentij.

ET enim beatus martyr Vincentius ſancto Spiritu plenus, excitatusque & victoriæ coronam iamiam compre- VI.
henſam habens, dum Epiſcopus Valerius quieto & ſedato animo reſponderet, Vincentius ſic eum allocutus eſt: Curnam, ô pater, ita ſuſurras, vt qui metu detenti ſunt, & contra canem iſtum ſic muſſitas? Clama voce magna, & Chriſti potentiam adiutricem implora, vt huius Tyranni rabies voce libera, & cum authoritate prolata refrenetur, & eius contra ſancta Chriſti myſteria ferocitas comprimatur. Hic enim ille eſt, ô pater, peſtifer ſerpens, qui aduerſus hominis primò formati gloriam, quæ in omnes homines tranſitura erat, inuidia excitatus ſe armauit. Nam cùm ea gloria ipſe frui non poſſet, ſtatim inſatiabili quadam perdendorum hominum cupiditate accenſus eſt, & contra illos maximè inuidiam exercuit, quos benignus Deus mori ſempiterna morte prohibuit. Hic ille eſt, quem diuini nominis inuocatione ſæpe ab humanis corporibus nos expulimus. Itaque ſi viribus ſuis confidit, omnes pugnæ machinas in me commoueat: videbit enim me tormentis cruciatum, pluſquam ſe cruciantem, valere: & quo magis putabit me afflictum iri, eo grauius ipſe affligetur. Quamobrem omnino gaudeo exultoque, quòd diabolus maximis de rebus conuincendus ſit.

Inuidia diaboli.

ADHÆC

VII. Ad hæc ille diaboli minister Datianus, aduersus Christi fidem magis magisque inflammatus est, quippe quòd seipsum valdè contemni animaduerteret. Itaque diaboli ministros sic affatus est: Abducite hinc Episcopum: at istum qui ad iudicij & Imperatorum contumeliam huc venit, ante nos sistite, & ad ipsius durum ac pertinacem animum reprimendum tormenta & cruciatus adhibete. Hæc cùm diceret, maxima quæque supplicia contra martyrem excogitabat quidem, sed illud tamen secum animo reuoluebat, quòd quicquid, quanuis asperum & acerbum inferret, fortis ille martyr pro nihilo facere videretur. Fortasse, inquiens, futuræ gloriæ causa omnia sibi perferenda proposuit. Excogitauit igitur tormentorum machinas diabolus: sed quas in viros illos iustos pœnas se illaturum cogitabat, eas ipse, vt nolebat, passurus erat. Sed quidnam ait iniquus ille? Agitè, inquit, suspendite hominem istum in ligno, eiusque membra discerpite, ac totum corpus contundite, vt priusquam alijs cruciatibus affligatur, se laceratum & consumptum videat. Datiani furor in Vincentium. La erat ic corpus S. Vincentii.

VIII. Cvm igitur Martyr ipse multis horis dilaniaretur, sic eum Datianus alloquebatur: Quid ais, Vincenti? An non vides, quàm miseris modis corpus tuum miserabile dilaniatum sit? Tum illi subridens Vincentius: Hoc, inquit, est, quod ipse toto animo expetebam: itaque nemo mihi vnquam, credas velim, optabilior teipso fuit, neque animæ meæ beneficium maius contulit: nam licet hostili animo id facias, tamen summum beneficium in me confers. En vt ad sublimiora ascendo. En vt cælestes res attingo. En vt imperatores tuos magis contemno. Tu igitur ab ista tua crudelitate nè desistas: mihi enim eò cumulatiorem victoriam afferes, qu òmaiora tormenta perferendo, teipsum superabo. Esto, quæso, in me magis magisque concitatus, & nefarij tui spiritûs peruersitate, quantum vis, debacchare, nè quo modo gloriam meam imminuas, & nostris laudibus damnum afferas. Ego Christi seruus, paratus sum omnia sustinere pro nomine eiusdem Domini mei Iesu Christi. Quibus autem minis & cruciatibus me vexandum esse opinaris, illis tu ipse acerbius vexaberis. Irridet tyrannum.

IX. His verbis auditis, Datianus furore quodam & rabie inflammatus, & clamores præ insania tollens, lignis ac virgis carnifices verberabat, quòd segnes essent in Martyre cruciando, magisque contra carnifices, quàm contra virum illum sanctum excandescebat, domesticos & familiares suos prius, quàm martyrem verberans. Cùm autem iudex ipse in suos magis fureret, tunc athleta Vincentius, (Eius autem nomen, si quis Græcè interpretetur, inueniet idem valere, ac si Niceten, hoc est, Victorem, dicat) in ligno pendens, sceleratum iudicem sic affatus est: Quid ais, Datiane? En pœnas recipio ab his, qui me cruciant, & tu contra tuos homines vltorem te mihi præbes. Iudex cędit carnifices.

X. Hæc cùm Martyr diceret, iudicem ipsum magis magisque cruciabat. Quamobrem cœpit plus furere & clamare, & dentibus fremere, vltra modum se magis quàm martyrem crucians. Ad hæc carnifices ipsi, cùm in eo lacerando essent defatigati, tanquam exanimati iam torpuerant, eorumque manus, tanquam mortuæ, circa martyris latera obriguerant: cumque expalluissent, sudore multo totum eorum corpus irrigabatur: omnibus denique membris dissoluti erant. Itaque eos videre licebat cruciatibus magis affectos, quàm Martyrem, ac propemodum mortuos: quin etiam Datianum ipsum ore pallido, exanimem, trementem, oculis caligantem, & tanquam morte correptum, atque immobilem factum, rursus incompositum, insanientem, & contra carnifices vociferantem: Quidnam vos agitis? An non mihi notæ sunt manus vestræ? Sæpe homicidarum sæuitiam à vobis prostratam cognoui. Frequenter latronum & parricidarum ferocitatem manibus vestris expugnâstis, & veneficorum arcana, in intimo eorum corde latentia sæpenumerò extraxistis: quique nefariè intemperantiam suam effuderunt, eorum intestina dilaniâstis: atque (vt summatim dicam) quisnam ita inexpugnabilis fuit, qui cùm in manus vestras inciderit, non facilè interfectus fuerit? Quid igitur est; milites mei, quòd hominem istum scelestum, magna cum temeritate Imperatores nostros contemnentem, reprimere non possumus? Saltem nos moueat dedecus & turpitudo, nè quid grauius dicã. Alios negantes crimina, & mortem ipsam irridentes, nondum morte illata perterrefecimus, & istius debachantis, atque Imperatores ipsos, leges & deorum iurà reprobantis linguam procacem continere non possumus? Insania iudicem exagitat.

XI. Adhæc hilari vultu beatus Vincentius subridens, respondit: Hac în re diuinum illud oraculum impletur: Videntes non vident, & audientes non audiunt. Tune omnium hominum crudelissime Tyranne, cogis me illum Deum negare, quem vniuersarum rerum opificem ac Saluatorem esse testor? Hunc ego verum Deum esse confiteor. Atqui meritò cruciatibus afficiendus essem, si vanum aliquid, aut falsum dixissem, si Imperatores deos esse affirmâssem. Tu verò diutius me crucies in huiusmodi confessione permanentem, neque crudelitatem istam exercere contra me desinas: ita enim probatissimam Christianorum veritatem magis cognoscere poteris, si tamen parum per impurus spiritus à te discesserit. Hæc cùm sanctos martyr Vincentius diceret, & iudex se irrideri putaret, magis magisque insaniebat, toto pectore anhelans, & collo intumescens, totoque vultu immutatus, & ab oculis radios instar scintillarum emittens: qui turbato adspectu sanguinis colorem præ se ferente tunc æstuabat, cùm carnifices ipsos non solùm martyris latera, sed totum corpus & intestina, compages quoque corporis & iuncturas ita dilacerare videret, vt non amplius posset carnifices accusare, quòd negligentes forent. Itaque stupore afficiebatur, quòd illius athletæ animum ita magnum & excelsum videret. *Esa. 6. Matth 13.* S. Martyr verberat lingua sua tyranum: Vide hominem ira ebrium.

XII. Cvm verò acerbus atque immitis ille Tyrannus à martyre se victum cognosceret, pestifer homo alia quadam via Vincentium aggressus est, credens fieri posse, vt misericordia & lenitate, viri iusti mentem ac voluntatem alliceret. Aiebat igitur: Miserere, Vincenti, iuuentutis tuæ, neque ætatis florem in primis annis decerpi patiaris, atque longioris vitæ spatium nè tibi præcidas. Parce tibi ipsi. Nè committas, vt cruciatu maiore lacereris. Saltem serò sapias, & resipiscas tandem, nè reliqua tormenta patiaris. Cùm hæc iudex dixisset, beatissimus Martyr Vincentius, à Spiritu sancto edoctus, dolos præsensit: itaque his verbis vsus est: Non displicent mihi cruciatus, quos afferre studes: sed illud me perterrefacit, quòd misericordiæ verba te simulantem audio. Exerceantur ergo contra me torméta omnia, & multiplices cruciatus, quantumuis graues, afferãtur, ac si quid, prodigiosis & maleficis viribus tuis confisus, inuenire contra me poteris, nè desistas pestiferam istam immanitatem tuam in me inferre. Experire Christianorum vires: neque abstineas à verberibus & tormentis, non à ferro, igne atque incendio: sic enim in omnibus his te victum fatebere, magisque erubesces. Iudex martyri blanditur.

XIII. Cvm hæc audiens Datianus valdè cruciaretur, & athletæ illius constantiam sibi dedecori esse non pateretur, cohorti hæc iussit: Ducatur iste ad iudicium & legum examen, & his pœnis, ac supplicijs subijciatur, quibus parricidæ: scelerati & nefarij homines sunt obnoxij, vt cùm eius animus cruciatus graues diutius ferre paratus sit, membra ipsa omnium generum tormentis consumantur. Quandiu enim iste supererit, fieri non potest, vt ego victoriæ compos fiam. Hæc ait Datianus. Athleta verò ille fortissimus aduersarium his verbis alta voce insequebatur: O me beatum, & verè felicem atque hilarem factum, quandoquidem istæ tuæ calumniæ & minæ, meæ sunt perfectissimæ laudes. His verbis Datianus ad insaniam concitatus, statim iussit crucem componi, & in illa Vincentium suffigi, ac membratim cædi. Cùm igitur crux ipsa in terra defixa esset, martyrem in ligno suspenderunt nefarij homines, & satellites diaboli, Datiani iussa exequentes. Postea verò eundẽ multa cum celeritate è ligno detraxerũt. Qui cùm à vinculis solutus esset, & in Suspenditur in eculeo martyr.

& in terra vir sanctissimus constitisset, Spiritûs sancti ope adiutus, seipsum à carnificibus abstraxit, & ad crucem illam cucurrit: in quam cùm insiliret, hostem ipsum perterrefecit. Itaque eos, à quibus cruciabatur, & tormenta cumulabantur, increpans: Curnam, inquit, [a] tardiores, & in me ipso ad tormenta ducendo facti estis imbecilliores? Agite, quàm celerrimè vestri principis crudelitatem exequamini, vt in omni re quam primùm se ridiculum faciat. His verbis nefarium iudicem ferociorem factum, tanquam iaculis quibusdam confodiebat. Quamobrem magis magisque in martyrem exardescens, grauiora in eum tormenta excogitabat. Statim igitur beatus [b] Vincentius torquebatur, diuersisque flagellis, & ferreis vnguibus assiduè lacerabatur, atque eius latera continuis flammis comburebantur. Denique membra ipsa ita distenta distractaque sunt, vt totus eneruatus esset. Deindè cùm ferreas virgas carnifices in igne diu tenentes ignitas effecissent, mox in eiusdem martyris pectus eas coniecerunt, quoad candentibus illis virgis comburetur. Corporis enim superficies ac pellis flamma illa comburebatur, vulneraque vulneribus addita renouabantur, & lacerationes lacerationibus nouis augebantur. Alij carbones accensos in eius corpus inijcientes, diuturnis flammis ipsius membra comburebant: in quo cùm nullæ amplius supererent carnes, flammæ ipsę deinceps ad intestinas vsque partes penetrabant, & cùm superioribus vulneribus additæ essent, nouo cruciatu martyris corpus affligebant: cuius etsi nulla pars sana relicta esset, nihilominus tamen mens ipsa cruciatus illos fortiter perferens, robustior efficiebatur, idque non immeritò: diuino enim præsidio, quod humana cogitatione comprehendi non potest, vndique communiebatur. Datianus verò insania multa & furore agitatus, pergebat illam tormentorum copiam inferre, nimirum expectans contrariam martyris confessionem audire.

[a] Eximia martyris fortitudo.

[b] Horrendi cruciatus.

INTEREA cohors militaris, [c] constantia martyris perculsa, retulit Datiano carnifices ipsos defatigatos esse, & in tormentis infligendis ad extremum spiritum redactos: athletam verò illum multiplicem tormentorum copiam, ac certamen egregiè superasse. Tunc Datianus spe deceptus, & tenebris mentis oppressus: Heu, inquit, victi sumus: sed quamuis tam multis cruciatibus eius mens victa non sit, cùm fortiter corpus ipsius flammas pertulerit, nihilominus tamen demus operam, vt eius animus talibus crucietur pœnis, quibus nullum remedium adhiberi possit. Exquirite igitur locum omni ex parte obscurum ac tenebricosum, vt sempiterna quadam nocte puniatur. Locum verò illum, in quo eius corpus constituendum est, testis fractis sternite, ex vtraque parte acutissimis, & aculeatos angulos habentibus, vt compungatur, & in quamcunque partem latera sua conuerterit, dilaceretur. Post hæc, vt membrum nullum remissionem habeat, aut recreationem, sed totum eius corpus assidua tormentorum renouatione affligatur, super huiusmodi testas hominem istum prosternentes pertrahite, vt membratim variè laceretur, & animam ac spiritum emittat is, qui contra nostros Imperat. certamē susceperit. Deniq; concludite ipsum in loco illo tenebricoso, & illic derelinquite, vt ne minimam quidem lucis partem oculis suis adspiciat, neque quisquam illuc accedat, omnisque consolationis ratio ac spes ab eo remoueatur. Ianuas ipsas vndique claudite, & vectibus eas communite: hocq; diligenter curate, vt, quamprimum animam efflauerit, mihi referatis. XIV.

[c] Carnifices cruciando defatigātur

HIS ita factis, vt nefario impij [d] Datiani edicto præscriptum fuerat, & eo in loco martyre incluso, aduentante nocte, statim custodes ipsi alto sopore oppressi sunt. Itaque quod Datianus contra sanctum martyrem excogitauerat, id ipsum in sanctissimi viri iucunditatem ac gloriam conuersum fuit. Terribilis enim & illustris [e] angelorum cohors illuc accessit, athletam curans, & à languoribus eripiens ac recreans, ita vt locus ille obscurus, & nocturnæ tenebræ nouo quodam & admirando lumine illustratæ sint. Repentè igitur custodes experrecti, existimabant martyrem ipsum è carcere aufugisse. Itaque illis valdè perturbatis ac metuentibus, dixit vir sanctissimus: Nolite, quæso, milites, turbari, neque clamare, aut metu aliquo affici: nunquam enim ego aufugerem, neque repositas mihi coronas amitterem. Sed quàm celerrimè potestis, huc introite, & videte seruum Dei per angelicum ministerium admirabili quadam consolatione recreatum, vt quo loco vos obscurissimas tenebras reliquistis, illic cœleste lumen adspicientes, gaudeatis. XV.

[d] Includitur in carcerem obscurissimum

[e] Visitatur ab angelis.

HIS verbis athleta ille vsus est. Postea verò, quàm Datiani satellites ingressi sunt, eos adhortatus: Abite, inquit, & domino vestro renunciate, quali & quanta luce ego hîc perfruar. Itaq; si quid potest, acerbius excogitet, & ad meas laudes illud accumulet. Cùm igitur custodes omnia, quæ in carcere viderant, Datiano retulissent, repentè ille exanimatus expalluit, & secum pessimè agi animaduertit: quandoquidem martyris lacerationes & vulnera in eius ipsius ignominiam ac dedecus conuertebantur. Quamobrem acerbitate quidem magna contra Christi athletam Vincentium commouebatur, sed mitiùs tamen se gerere simulabat. Itaque dicebat: Quid est, quòd amplius pugnemus, cùm maximè ab hoc homine victi simus? Gestetur igitur in lecto aliquo, [e] & stragulis delicatissimis: non enim patiar, vt in cruciatibus moriatur. Tollant ipsum in lecto positum homines aliquot hilares & exultantes. Sint & alij, qui eius vestigia & dilaniatum corpus totum exosculentur: quinetiam sanguinem ex vulneribus defluentem colligentes, ad suę valetudinis recuperationem illum adhibeant. Talium virorum satellitio vtatur probatissimus Christi minister Vincentius: dignus certè, qui ab amicis etiam colatur, non solùm ab inimicis & Christianis obseruetur. XVI.

[e] O satanæ versutiam.

HÆC versutæ mentis homo Datianus faciebat, multum animo perplexus: quippe qui modò infirmitatem suam confitebatur, [f] modò glorioſi martyris Vincentij tolerantiam ac fortitudinem laudibus extollebat. Quandiu verò doloso animo talia machinabatur, prouidit Deus, cuius bonitas omni ex parte perfecta est, vt Tyrannus ille omni spe deceptus superaretur. Ipsius enim martyris animam victricem, ex caduco & fragili corporis tabernaculo ad cælestem regionem traduxit. Quare diabolus valdè confusus fuit. Equidem non temerè factum arbitror, vt sanctissimus vir eo tempore mortem obiret, quo Datianus ipse curatione illa, vel insidijs potius martyrem aggredi volebat. Dicturus enim fuisset, eius curā & studio athletam Vincentium seruatum esse. Cùm igitur Victorem martyrem obijsse Datianus accepisset, cœpit vltra modum insanire, & ait: Si viuum hominem istum superare non potui, saltem mortuum superabo. Non amplius superest in eo spiritus, qui mihi aduersetur, neque hominis mortui membra mecum amplius pugnare poterunt. Proijciatur igitur in campum eius cadauer, neque arborum foliis, aut alia re contegatur: sed feris & volucribus in escam propositum sit. Quicquid enim contra mortuum istum efficere potero, non omittam, vt careat funere ac sepultura. XVII.

[f] Moritur fortissimus Christi miles.

ITAQVE preciosissimæ martyris reliquiæ nefario Tyranni edicto proiectæ sunt, illis assidente, easque custodiente carnifice, pessimique illius Datiani amicis quibusdam. Nemo autem Christianorum religioſi martyris corpus à Tyranno petere audebat, vt scilicet optabilem illum martyrem secum habere posset. Coruus [g] autem quidam, ales, inquam, ille ignauissimus, & maximè segnis, è propinquo loco aduolauit, & sanctum illud corpus custodire cœpit: qui nigris pennis & colore atro, tanquam pulla quadam veste indutus, quodammodo luctum præ se ferebat, aliasque voluces grandiores, volatu magno illuc irruentes, impigrè persequens, è loco illo facilè abigebat. Quinimò lupum quendam repentino cursu eò venientem ita repulit, vt ille terga vertens, non corui quidem impetum, sed iacentis illius sancti corporis adspectum extimescere præ se tulit, ac stupore perculsus, repentè subterfugerit. Equidem feram illam Angelica præsentia perterrefactam illinc aufugisse arbitror. Vetere historia nobis traditum est, beatum Eliam Israëlitarum impietatem fugientem, cum desertis locis & speluncis prauam eorum hominum, qui tunc erant, consuetudinem permutasse, eoq; tempore quotidiè manè ac vesperi prophetam illum à coruo sibi oblatum cibum accepisse. XIX.

[g] Coruus tuetur corpus exanime.

1. Reg. 17.

Et tunc

Et nunc igitur diuino iussu, quemadmodum & olim, coruus excitatus, Vincentio martyri congruentem operam curamque adhibebat.

XIX. QVO miraculo perculsus Datianus, clamare cœpit: Heu quidnam hoc est? Ne mortuum quidem hominem istum superare possumus. Quinimmò quò maiore acerbitate in eum vtimur, eò efficitur glorioſior. Quoniam igitur fieri non potuit, vt in terris consumeretur, in altum mare demergatur, vt huius victoriæ magnificentiam mare ipsum obruat, nè quotidie omnibus ridiculus fiam. Deijciatur autem, quemadmodum parricidæ solent, in vtre ex bouis pelle confecto inclusum, saxisque magnis illigatum, eius cadauer in altum mare demergatur, cumq; nautæ ipsi multum maris spatium tranârint, in vndas profundissimas istius hominis cadauer deijciant, vt si quod Vincentij membrum reliquum est, illud pisces consumant & deuorent. Itaque precioſæ martyris reliquiæ, sicut Datianus iusserat, conclusæ sunt.

XX. CVM verò athletæ & martyris corpus ita concluſum fuisset, mox venit cum nautis homo quidam Eumorphius nomine, pessimis moribus, & animo sacrilego, qui promiserat Tyranno illi nautas se adhibiturum, qui ad execrabile scelus committendum idonei, eius voluntati facilè obtemperaturi essent. Itaque nautæ illi præcioſissimas Vincentij martyris reliquias in scapham coniecerunt, & eousque in altum mare nauigarunt, vt litora & montes oculorum aciem fugerent: cumque id facere vellent, quod iussi fuerant, sanctas reliquias in mare proiecerunt, & hilari vultu ad Datianum reuertebantur, quasi læti illius nuncij præmium relaturi essent, impijs & incompoſitis vocibus atque irriſionibus vtentes, exultantesque, eò quod Vincentii corpus perditum fuisset. Sed priusquam in aridam terram reuersi essent, qui Martyris corpus in mare proiecerant, illud ipsum, quod proiectum fuerat, Christi manu ad terram appulsum fuit, quodque arbitrabantur in altum & immensum pelagus demersum fuisse, illud cùm ante oculos suos expoſitum vidissent, quasi debitum sepulcri honorem postularet, stupore & metu correpti, illis ipsis reliquiis derelictis, abiêrunt.

Iactatur corpus in mare, sed mox enatat

XXI. IAM verò sanctus martyr Vincentius viro cuidam in somnis reliquias suas ex alto mari in terram expoſitas esse significauit: quin etiam locum, in quo reliquiæ ipsæ poſitæ erant, eidem patefecit. Quoniam verò Præsidem timens vir ille, ad martyris reliquias inquirendas segnem & parum alacrem se præbuit, ille ipse martyr in somnis apparuit fœminæ cuidam viduæ, quæ vt ætate prouecta, ita morum sanctitate prædita erat. Illam cùm similiter admonuisset, eidem signa quædam eius loci patefecit, in quo sanctum illud corpus iaceret, quòd videlicet lateret sub arena quam lenis & tranquilla vnda in reliquias illas sanctas sic infuderat quasi arena ipsa martyris sepulturæ deseruiret.

Conditur sacrum corpus.

XXII. SEPVLTVS igitur fuit generoſus Christi athleta primùm in litore sub arena. Mox anus illa, fœmina valdè religioſa & vidua, quam supra diximus, perlustrabat litora, inquirens signa illa, quæ in somnis ei patefacta fuerant: cumque inuenisset, quod quærebat, & martyris reliquias in ædem illis dignam tulisset, eas sanctè ac religiosè condidit. Itaque sumptuoſis exequijs adhibitis, sacræ illæ reliquiæ Deo ipsi dicatæ sunt in illius templi ara, quod sancti martyris Vincentij appellatum fuit. Hæc est sanctissima martyris confeſſio, hæc illius certamina, qui martyrium suum compleuit in gloriam Christi Dei nostri, nunc & in secula, Amen.

Inuentionem & translationem S. Vincentij Leuitæ & Martyris, Valentiæ Hiſpaniarum anno 855. vt habet hiſtoria, ad Caſtrum, monaſterium Albigenſis (al. Albienſis) regionis, factam ab Aimoino monacho duobus libris conſcriptam ad Bernonem Abbatem, habes ſubiectam hiſtoriæ eiuſdem, de geſtis Francorum Pariſinæ editionis anni 1602. Translationi huic aduerſatur L. Andr. Reſendius in reſponſione pro ſanctis Chriſti martyribus ad Bartholomæum Kebedum Toletanæ eccleſiæ ſacerdotem, quam habes tomo ſecundo Hiſpaniæ illuſtratæ: tu vtroſque conſule. Vitam & Paſsionem eiuſdem S. Vincentij martyris per Aridium Prudentium carmine ſcriptam reperies in eius Peri-ſtephano.

VITA ET MARTYRIVM S. P. N. ANASTASII PERSÆ, EX SIMEONE METAPHRASTE, CVIVS ACTA IN CONCILIO NIceno poſteriori, vt Baron. tom. 8. habet, recitata ſunt & probata. Teſtatur verò etiam Beda in fine hiſtoriæ Anglorum, ſe librum vitæ & paſſionis S. Anaſtaſij malè de Græco translatum, & petius à quodam imperito emendatum, ad ſenſum, prout potuit, correxiſſe.

AN. 610.

I. CVM magna ciuitas Hieroſolymorum capta fuisset, à rege Persarum, & sacra illa loca, quæ mei Christi videre conuersationem, & cruci affixionem, & resurrectionem, Medorum lanceæ & igni ijs, quos ipse nouit, modis essent tradita, & multa alia capta sunt cum ciuitate, & salutis quoque nostræ trophæum, mortis solutio, peccati internecio: lignum, inquam, viuificæ crucis, illinc translatum est in Persidem: quod quidem mihi videtur diuinioris esse gratiæ, & eius, qui est crucifixus, solius dispensationis, quæ sæpè nouit etiam per aduersarios ea contexere, quæ sunt meliora & vtiliora. Postquam enim salutaris crux Domini hostilibus capta fuit manibus, & in Persidē, vt diximus, in ea captiuitate captiua abducta est à Barbaris, imitatur eum, qui in ea fuit affixus, Christum: vel potius ipsa Persicam euertit & spoliat falsam religionem, & quæ se dignæ erant, captiuas abducit animas, verè laudabili & longè pulcherrima captiuitate: aut vt magis propriè dicam, à captiuitate reuocat, & eis rursum primam restituit libertatem. Simulac enim ingreditur Persidem, eam statim totam illustrans radijs suæ gratiæ, ferit quidem animas infidelium, non secus ac sol, qui laborantem oculum ingreditur: fideles autem non secus ac fulgur quoddam apparés in tenebris, reuocat. Ex quibus fuit vnus is, qui nobis nunc est propoſitus Anastasius, & si nondum quidem cultu, sed iam moribus & instituto: qui processit quidem è vico, qui vocabatur Rasnuni: est verò regionis Razech, quæ sita est in Perside. Erat autem nomen eius moribus conueniens, & ex re ipsa magis cognitum. Is enim vocabatur Magūdat. Erat enim illius Bau filius, qui erat in re magica præstantissimus & eruditissimus. Qui cùm præesset communi ludo literario, & multos haberet adolescentes ad eum ventitantes, captos amore præstigiarum, & cùm in hoc solùm omne suum studium poneret, nempe in rei magicæ exercitatione, in filio maximè arte vtitur, & rem magicam eum tam diligenter docet; vt in eius cognitione patri nihil esset reliquum, quod nō notum quoq; esset filio.

22. IAN. An. 614. capta est Hieroſolyma à Choſroe Perſarū rege. Crux ſancta in Perſidem translata.

Anaſtaſ. Perſæ cōuerſionis origo.

Patria Anaſtaſii. Parens.

CVM adolescentiæ autem ætatem iam attingeret, & rex *Choſroë nouum exercitum in Perside colligeret. II. ipse quoque cum alijs refertur in numerum tyronum. Quoniam verò veneranda crux Domini totum agitabat & perturbabat Persidem, infidelibus quidem horrorem & terrorem incutiens, fidelibus autem suauiter admodum & placidè illucescens: de ea quidem fama quædam per omnes peruadebat, fama, inquam, quę paulò craſſius & indoctius prędicabat, Christianorum Deum adesse Persis. Ad quam hic adolescens repentè fuit accensus animo. Iam enim occultè Luc. 12. eum tangebat ille ignis quem Christus venit iacere super terram: qui quidem non sinebat quiescere pulchram illius adolescentiam, sed statim omnes obibat partes, de eo sciscitans quàm vehementissimè poterat & diligentissimè. Cùm audiret autem ab omnibus, eam esse crucem, in qua Christus Dei filius, qui à Christianis adoratur, fuit crucifixus, velut ignem igni adiecit, & quæstioni coniunxit quæstionem, & ex reſponſione accepit occaſionem alterius interro-

* Fuit hic Choſroes iunior. Hormisdæ Regis filius, vt notat Bar. in Martyrolog. Pia curioſitas Anaſt.

gationis, & multò magis sitiebat discere, quemadmodum ex cælo quidem descenderit, cum sit Deus: & quemadmodum etiam factus sit homo, & cur etiam sit ad crucem condemnatus, & à quibus, & an sit ad cælum reuersus, vndè descenderat. Cùm autem ei à pijs annuntiaretur carnis susceptæ diuini consilij mysterium, autes quidem pietatis semina lubenter suscipiebant: anima verò producebat sensim spicam fidei, & ei desiderium paulatim innascebatur, subibatque æmulatio eius perpessionum: quæ cùm in eius anima aucta & amplificata essent, eum informāt & instituunt ad optimum vitæ genus, clarumque & insignem testem, Martyrem inquam, efficiunt, vt iam procedens declarabit oratio. Erat enim ei quidam frater genere & commilito: ambo autem relati in numerum exercitûs * Sain, veneruntq; vsque ad inclytam Chalcedonem. Cùm autem diuinus [a] Heraclius irruptione facta in Persidem, contra Sain retraxisset, rursum Persa reditum aggressus est, & in suam regionem vehementi studio est reuersus. Exercitum autem Persicum relinquit [b] Anastasius, & refertur in alium multò meliorem & diuiniorem. Relinquit verò suum fratrem & commilitonem, vt ei placeret qui exercitum collegerat, & eum solum posset semper sequi, & conferere manus cum solis eius hostibus.

* *al. Saes*

[a] Heraclius inuadit Persas.

* *exercitum legit Baronius.*

[b] Anastasius ad Christianos transfugit anno 621. Baronio teste 8. tom. annal.

III. Et primùm quidem cùm venisset Hierapolim, diuertit ad quendam Persam Christianum, arte argenti conflatorem: & cùm artem conflandi argenti exercuisset, manus quidem habebat intentas operi, animus autem semper & cogitatio in Dei amore versabatur & alebatur: eumque sibi adhuc magis accendebat, & ab ipso rursus inflammabatur vehementius. Quamobrem eum rogabat ille beatus, vt diuinum baptismum consequeretur, & omnino à prioribus sordibus expurgaretur, & ab illa labe præstigiarum: vt non solùm voluntate & electione, sed anima quoque & corpore esset purgatus, & fieret Christi partis, quam desiderabat, illius signatus signaculo. Cùm ille autem ex Persis timeret periculum, & ideo morando rem differret in futurum, interim quidem ad diuina templa aditione magnum suum solebatur desiderium, & cum argenti conflatore, ad ipsa adeunte, ipse quoque simul adibat, & cum orante simul orabat, & cùm sanctorum miracula & certamina videret descripta in parietibus, de iis admodum diligenter rogabat. Cùm verò audiuisset, qualis eis vita, mores, virtus, & qualia propter Christum certamina, & qualem apud ipsum rursus fiduciam eis liceret consequi, non poterat amplius continere id, quod eius parturiebat animus, sed statuit proficisci Hierosolyma, & baptismum illic consequi. Cùm ergo in sanctam peruenisset ciuitatem, & accessisset, in domum cuiusdam, qui ipse quoque argenti conflandi exercebat artem, ei aperit causam sui aduentûs, nempe quòd vellet traduci ad pietatem & verum Dei cultum, & ad Christum adduci per baptismum. Ille autem eum adducit ad Eliam, sanctæ resurrectionis sanctissimum presbyterum: qui cùm supinis, vt dicitur, manibus iuuenem accepisset, de eo refert ad Modestum, qui sedi præerat Apostolicæ: & sic diuinum baptismum assequitur, & venerandæ crucis vere pulcher fructus ostenditur, & Anastasius nomine transmutato appellatur, sumpta denominatione à reuocatione & ad meliora mutatione à priori infidelitate & præstigijs. Vnà autem cum eo baptizatur quoque quidam alius, qui erat eiusdem etiam patriæ & regionis, cuius Anastasius: qui fuit eius quoque socius in ferendo pro Christo martyrio, & easdem est Edessæ coronas consecutus.

Picturarum sacrarū antiquitas.

Anastasius baptizatur.

IV. Cvm autem mansisset Anastasius octoginta dies apud presbyterum, quibus non licet egredi eos, qui modò fuêre illuminati, rogauit eum diuinus Elias, quidnam de se deinceps velit. Ille autem rogauit, vt habitum consequeretur monasticum. Cùm verò ad hoc quoque annuisset presbyter, (iam enim veluti ex quadam pellucida veste, & ex decoro habitu & statu ostendebatur nobilitas animæ, & quali virtute futurus esset Anastasius: & ideò ipse facilè cessit eius precibus (venit cum eo post diuini mysterij celebrationem ad monasterium sancti Anastasij, vt eius quoque fieret mansionis particeps, cuius futurus erat virtutis socius, sicut etiam nominis. Atque monasterium quidem ad quartum lapidem erat remotum à sancta ciuitate: ei autem præerat Iustinus, vir & alioqui clarus, & boni spiritus variis donis ornatus. Quem cùm simul cum multis quoque aliis rogasset presbyter, in monasterium admissus est Anastasius, anno * decimo imperii Heraclii illius egregii & fidelis. Tradit verò Iustinus Anastasium vni ex suis discipulis, viro valdè prudenti & virtutis amanti. Qui cùm eum & Græcas docuisset literas & psalterium, eiusque institutionem animaduertisset, iam rectè se habere ad vitam monasticam, tonsis statim eius capillis, & in eo factis omnibus, quæ lex postulat, eum habitu induit monastico, & ex habitu hoc facit Anastasium, quod prius re erat & moribus: vel potius moribus conuenientem & cognatum tradit habitum, & in eum deinceps erat affectus, vt in filium è suis genitum viscеribus. Adeò pulchra res est virtus, vt quæ cum aliis & virtutis studiosos in amore coniungere, & tantam possit ingenerare beneuolentiam, quantam nulla omnino alia cognatio.

Fit monachus.

* *Duodecimo corrigit Baron. qui fuit, annus 621.*

V. Ex illo tempore apud monasterium vitam cum conuentu egit Anastasius. Porrò autem ei quoque fuerunt diuersa credita ministeria: nec erat solùm in eis vtilissimus, sed etiam in actione virtutis diligentissimus. Nam cùm & culinæ & horti ministerio suam daret operam, & rectè se gereret in labore manuum, à fratrum synaxi nunquam aberat, & ante alios sacrorum mysteriorum celebrationi intererat. In diuinarum autem scripturarum lectione, & maximè vitæ sanctorum Patrum, totus erat affixus, & aures, vt dicitur, arrigebat ad audiendum, eratq; mente vigilans & omnia memoria colligebat: vt etiamsi quid diceretur, quod ingenii eius captum superaret, non negligeret, neque lucrum per socordiam amitteret: sed potius accederet ad fratres, qui eum doctrina superabant, & qui possent talia explanare, & lubenter cum eo inquirere, & sic meditando venerari, quicquid eum latebat. Cùm autem apud se legeret victorias insignium Martyrum, trophæa & certamina, libros aspergebat lachrymis, significans suum in patiendo consensum, seque cum eis molestia affici & zeli esse socium: & beatos quidem sanctos pronunciabat propter finem: mirabatur verò eorum tolerantiam. Deindè id, quod erat ei ab initio congenitum, desiderium martyrii & zelum ardentiorem afficiebat, vt qui accenderetur sua cum prioribus conuersatione, & orabat, vt ipse quoque tales pro Christo subiret perpessiones. Quocirca nulli rei alteri sibi vacandum esse censebat, nisi soli eorum lectioni. Cùm ergò septem annos in monasterio transegisset Anastasius, videre eius in virtute augmentum non ferens pater inuidiæ, sed tantum & tam constantem ardentemque eius impetum & studium volens omni ratione retardare, ei paternam doctrinam reuocauit in memoriam, & fœtida illa verba præstigiarum, & eiusmodi insultibus eius animæ turrim conabatur labefactare. Is autem illius non ignorans insidias, aduersus eum supernum inuocat auxilium turrem fortitudinis, vt dicant cum diuino Dauide, à facie inimici. Deindè etiam cum calidis lachrymis magistro significat maligni iniuriam & petulantiam. Ille verò cùm ex eo, quod esset passus, posset etiam tutò docere, vbi pulcherrima ei dedisset monita, & deindè etiam fudisset preces, in toto conuentu fratrum, & rogâsset pro discipulo, liberauit eum à graui illa impulsione.

Vita eius in monasterio

Infestatur dæmonis tentationes.

Psal. 60.

Visio eius.

VI. Fit autem aliud quoque dignum, quod mandetur memoriæ & scriptioni. Noctù dormienti Anastasio in somnis ei tale quid apparet. Videbatur montem quendam excelsum ascendisse, ad eum autem accessisse quispiam portigens vini poculum, auro ornatum & gemmis, & dixisse: Accipe, bibe. cumque id accepisset, statim bibisse. Potus autem eius animæ latenter instillauit dulcedinem, adeò vt vel in somnis intelligeret Anastasius, somnum significare desideratum à se finem martyrii. E somno itaque protinus excitatus, alacris & lætus venit ad ecclesiam, vt qui ea, quæ sperabantur, haberet in manibus. Iam enim vocabat tempus congregationem pro dicendis hymnis nocturnis, & celebrando venerabili festo Christi resurrectionis. erat enim dies Dominicus, primus omnium & maximus. Cùm sic ergò

Festum resurrectionis Dominicæ.

sic ergò veniſſet ad congregationem, & ſuum accepiſſet magiſtrum, & ſolus cum ipſo eſſet ingreſſus in id, quod dicitur Diaconicum, procidit ad eius pedes, profuſis eos lachrymis irrigans, & eum rogans in contritione cordis, vt pro ipſo communem omnium rogaret Dominum, vt qui eſſet propediem ad illum receſſurus. Deindè etiam ea loquitur, quæ dici ſolent ab exeuntibus & ijs, qui peregrè proficiſcuntur. Scio, dicens, ſancte pater, quòd pro me miſero labores ſuſtinuiſti, & quòd ſæpè & in multis moleſtia affeci tua in me paterna & amantia viſcera, & quòd per te lucem mei viderunt oculi, lucem veram, lucem agnitionis, & à grauiſſimis liberatus ſum tenebris. Quocirca nè ceſſes, qui es fidelis ſeruus, clementem ac benignum perpetuò pro me orare Dominum.

VII. Ad hæc ille reſpondens: Quid hoc autem eſt, inquit, & vndenam hoc euaſerit manifeſtum, quòd ſis in præſentia poſtremum à nobis diſceſſum ſuſcepturus? Ille verò refert ei ſomnium cum quàm maxima poteſt affectione, & affirmat ſe omninò haud ita multò poſt moriturum, ſiue hac communi & omnibus æquali morte, ſiue aliquà alia, & alio modo, moriturum autem omninò. Neſciebat enim, quonam modo aperiret arcanum, quòd ſcilicet martyrij deſiderium eius animo inhæſiſſet, ad quod ille referebat ſomnia. Verebatur enim, nè fortè ab eo corriperetur, & ſic refrigeſceret ardor eius animi, & à tantis opibus & theſauro excideret. Tunc ergò Anaſtaſius, cùm eum præceptor eius multis & pijs monitis eſſet conſolatus, matutinas Pſalmodias Deo reddit cum fratribus. Deindè etiam cùm ſacrum celebraretur myſterium, diuinis communicat ſacramentis: & cùm vnà cum fratribus communis menſæ fuiſſet particeps, ſomnumque parum vidiſſet & ſurrexiſſet, quoniam neſciebat quemadmodum poſſet extinguere egregium illum amorem decertandi propter Chriſtum, ſed ab eo cor eius vehementer accenderetur, clam egreditur monaſterio, nihil ſecum ferens præter ea, quibus neceſſario opus habebat ad tegumentum corporis. Pſalmodiæ matutinæ.

VIII. Et primùm quidem cùm veniſſet Dioſpolim, & deindè etiam in montem, qui dicitur Charizim, orationis gratia & adorationis: & deindè etiam ad cætera, quæ illic ſunt, loca veneranda acceſſiſſet, & peruenisſet vſque ad Cæſaream Palæſtinæ, in templo Deiparæ virginis duobus diebus moratur: & exindè eum rurſus excipit templum omni ex parte laudandæ Euphemiæ, veluti quodam viæ duce vtentem clanculùm, qui planè eius dirigebat greſſus ad martyrium. Nam cùm accederet, vt diximus, ad templum illius ſemper laudandæ Euphemiæ, videt quoſdam Perſarum magos occupatos in quibuſdam præſtigijs: zeloque protinus concitatur eius animus. Sciebat enim, quàm ea res eſſet impia & ſcelerata, eò quòd ipſe quoque in ea improba arte eſſet verſatus. Quænam, inquit, tanta caligo veſtris offuſa eſt oculis, vt ne ea quidem adſpiciatis, quæ ante veſtros pedes ſita ſunt, quemadmodum in vniuerſum ſcilicet eſt deceptio, quæ veſtram leuitatem ludificatur & facilitatem, & eorum, quos vos rurſus ad eundem vobiſcum corripitis interitum? Hanc illi admirati in dicendo libertatem & audaciam, rogârunt quiſnam eſſet, & quid eum impuliſſet, vt hæc diceret. Ille autem: Fui ego quoque, inquit, aliquando vobis ſimilis, & eodem falſus errore, & eiſdem dedi operam præſtigijs. Hæc audacter dixit, cùm nihil eum puderet ſuæ, quam ab ineunte ætate acceperat, impietatis & ſordium vitæ prioris: ſed potius gloriaretur, quòd in fidem eſſet translatus, & ſacro eſſet baptiſmo ablutus. Deinde prolixa cœpit vti, oratione, rem eſſe execrandam arguens, & quàm eſſet inſigniter abſurda, aperiens, & ſic paulatim ſeipſum eis exemplum adducens, & ſimiliter eos inuitans ad meliorem mutationem. Illi autem non ſolùm ad hæc fuêre ſurdis ſimiles, ſed eum etiam vehementer rogârunt, nè tam impudenter, quæ ſunt apud Perſas præclara, contemneret, & in vulgus irridenda proponeret. Exindè ille vere egregius & deſiderabilis Anaſtaſius feſtinabat ad delectabile & iucundum martyrij hoſpitium. Templum Deiparæ virginis & S. Euphemiæ

IX. Cvm non longè autem à ſe remotum eum quidam vidiſſent ex ijs, qui dicuntur à Perſis Caballarij, ſedentes apud Derbas, ſicut etiam conſueuerunt: (Hoc autem eſt prætorium eius, qui apud ipſos dicitur Sellarius) Certè hic eſt delator, dixerunt inter ſe ſermone Perſico. Ille verò cùm verbum ſenſiſſet, & linguam non ignoraſſet, vt qui ipſe quoque eſſet Perſa, & in eadem voce, qua illi, eruditus, eos toruè & acriter intuens, Non ſum delator, inquit. Sunt hæc, inquit, nugæ & ineptiæ: ſed potius ſeruus Ieſu Chriſti, & vobis quidem melior: ſiquidem ego quoque fui aliquando, ſicut vos, & in Caballariorum numerum fui relatus. Hæc cùm illi audiſſent, & è cathedra ſtatim exiliſſent, eum detinuerunt. Deindè cùm Sellario quoque fuiſſet annunciatum, egreditur etiam ille ex Prætorio: & cùm, quiſnam is eſſet, interrogâſſet, & vndenam veniret, & quæ ad ipſum pertinebant, diligenter examinâſſet, dat ſeruandum Anaſtaſium in cuſtodia tutiſſima. In qua iam tres dies incluſus, neque cibum, neque potum, neque aliquid aliud ab eis omninò accipere ſuſtinuit: ſed ſic omnino ieiunus detentus eſt in cuſtodia, vt qui futurorum pro Christo periculorum aleretur ſola expectatione. Cùm autem iam redijſſet Marzabanas ex peregrinatione, (neque enim tunc erat Cæſareæ) & de Anaſtaſio ſignificâſſet Sellarius, vinctus ſtatim adducitur martyr in prætorium. Interim verò dum Marzabanas erat in aliquibus alijs curis occupatus, agnoſcit aliquis ex pijs Anaſtaſium, qui eum in venerando templo Deiparæ adſpexerat. Cùm ergò ſic eum agnouiſſet in prætorio, & eum interrogâſſet, quanam de cauſa illic adeſſet, eius ſcopum & inſtitutum laudans, & eum eo nomine beatum pronuncians, eius promptum & alacrem animum magis confirmat in rebus grauibus & aſperis, vt neque propter Chriſtum timeret vincula, nec tormenta, nec mortem: ſed Marzabanæ reſponderet ſtrenuè & iuueniliter. Certè etiam cùm fuit ad Tyrannum introductus, nec genu quidem flexit, vt ſemper mos eſt Perſis adorationem reddere maioribus: ſed generoſum, & qui in ſeruitutem redigi non poterat, animum per externa ſignificabat. Caballarii apud Perſas. Templum Deiparæ. Siſtitur Marzabanæ.

X. Cvm ergò fixis oculis eum ſatis eſſet intuitus Marzabanas, partim quidem, vt conſtanti adſpectu ei terrorem incuteret, partim autem, vt eum conſideraret diligentiùs, rogauit eum quiſnam eſſet & cuiàs. Ille verò, Verus ſum Chriſtianus, reſpondit. Quòd ſi velis etiam ſcire, cuiàs ſim, Sum quidem Perſa genere, ex regione Racech, vico autem Raſnuni: qui ipſe quoque fui aliquando Caballarius, & in rebus magicis exercitatus: cumque ſic eſſem miniſter tenebrarum, potui, vt vides, tanſire ad lucem è tenebris, & diſcere veritatem. Marzabanas autem cùm nondùm feciſſet periculum, quàm eſſet generoſus athleta: ſed putaret rem eſſe facilem & expeditam, eum à ſua traducere ſententia, cœpit illius mentem non ſecus ac parui alicuius pueri paruis tentare promiſſionibus: ille verè parui & abiecti animi, Deſiſte, dicens, ab hoc errore ad patriam religionem. Si enim ſic feceris, dabo tibi equos & nummos, & multa alia bona. Martyr autem cælum intuens, Abſit, inquit, rex Chriſte, vt beatam tuam fallam confeſſionem. Propter quæ eum tanquam volens pudore afficere Marzabanas, Quid autem, Placet ne tibi, inquit, hoc habitu indui, quo nunc es indutus? Ille verò, Non minoris, reſpondit, eum facio, quam tu hanc tuam dignitatem. Quamobrem ille ira commotus, Certè tu, inquit, vt eris cohabitante dæmone, neque aliud per teipſum loqueris, quàm quod ipſe tibi ſuggeſſerit. Ad ea martyr: Quando eram, inquit, in errore, malè honorans impietatem, aut potius ab illa affectus ignominia, tunc grauis dæmon mecum cohabitabat. Nunc habeo ipſum Chriſtum cohabitantem, qui tuos expellit dæmones. Cùm autem adieciſſet Marzabanas, Quid ergò, Non times, inquit, nè hæc ad regem referantur, ille verò te acerbè cruci affigat? Quomodò, inquit, hominem timuerim, qui eſt patibilis, & in quem cadit interitus? Nam & ſi corpus ſuperauerit, capi tamen non poteſt anima, & ei non poſſunt omninò parari inſidiæ. Eius conſtans vox.

XI. Hæc ergò non ferens Marzabanas, iubet ferreis collaribus collum & alterũ ex pedibus ſubiectum,* & ductum ad ergaſtulum, illic lapides cogi ferre grauiſſimos. Quod quidem cùm eius iuſſu factum eſſet, & ad ferendos lapides Damnatur ad ſaxa ferenda.

* hic deſideratur verbum vinciri, quod in actis eiuſdem martyris eſt apud Baron. tom. 8.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

semper sanctus manus afferret, manus sanctas, manus quæ multùm poterant apud Deum, corporeis laboribus plurà erant, quæextrinsecùs ei afferebantur. Multi enim ex Persis ad eum accedentes, & maximè ex ijs, qui orti erant ex eodem vico, ex quo Anastasius, veluti proprium reputantes dedecus, quæ in illum fiebant, exprobrationem aduersus proximum, vt cum diuino Dauid dicam, sumebant: Cur hoc feciſti? dicentes. Cur antiquam nobilitatem generis affeciſti contumelia, effectus Christianus, & tantam nobis inuſſiſti ignominiam, propterea in vincula coniectus, & maleficorum damnatus supplicio? quod quidem nostri ferre non possunt oculi. Cùm his autem grauibus linguæ verberibus, manuum quoque beato verbera infligebant, vehementer verberantes, atque barbam vellentes, & eius vestimenta lacerantes, & lapides, quos quatuor simul coniuncti ferebant, eos soli Anastasio ferendos imponebant: adeò vt ipse rursus loqui visus sit cum Dauide: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Idque cùm ne ferre quidem per se posset ferrum, quod erat collo & pedi eius impositum: sed sub eodem ferro alius quoque cum Martyre pedem haberet vinctum. Quæ quidem ei nectebant omninò multiplicem coronam martyrij. Habes, si vis, alios quoque dolores, & occasiones aliarum coronarum: hoc ipsum inquam, quod in conspectu eorum, qui ipsum nouerant, hæc & multa alia probra ab eis pateretur, quæ iam priùs dicta sunt: à quibus adeò mansit nihil affectus, vt ea putaret potiùs encomia propter Christum, quam cor eius ab eis morderetur aliquid.

Psal. 14. Affligitur valdè à suis. Psal. 128. Egregia eius patiētia

XII. MARZABANAS ergò, redeundum est enim ad orationis consequentiam) ratus fore, vt martyr aliquid remitteret de magna illa constantia propter eam, quæ intercesserat, afflictionem, cùm eum rursus ad se produxisset: Si vere es, inquit, mago patre natus, (hoc enim ipse de teipso significâsti) & linguam illorum libris satis exercuisti, nobis quoquè loquere aliquid ex magicis, vt nos quoquè de tua scientia feramus testimonium. Ille autem & os & labra & mentem maculari & pollui existimans, si horum alicuius meminisset: O Seruator, inquit, qui es meus Dominus, & communis omnium opifex, nè mihi des omninò, vt tale quid aut loquar, aut audiam. Quæ cùm peruersus ille ægrè tulisset, & planè desperans, ex se nihil haberet quod faceret, Martyri rursus veluti quandam laruam regem intentat. Et cur tu, inquit, in eisdem persistis? Ad priorem conuertere religionem. Scias enim fore, vt de te ad regem referatur. Ille autem sciens nihil referre, an ab ipso, an à rege puniretur, quandoquidem ambobus inhumanitas vna est & sæuitia: Fac, inquit, quod vis. Fortè enim iam scripsisti, & responsum accepisti. Is verò existimans se ipsum ità esse perterriturum, Ego quidem, inquit, nihil de eo adhuc scripsi, sed iam, vt vides, scribere aggredior. Hoc martyri nullam omninò attulit curam, aut solicitudinem. Quomodò enim, cùm potiùs gauderet se pati propter Christum, & plagas quidem remunerationes, damnum autem putaret remissionem, & eorum, qui castigabant ipsum misericordiam? Quid autem oportebat eum talem regem curare, qui ad Christum solum adspiciebat, & eum verum esse regem & Deum crediderat? Ille ergò, sicut dixi, nihil ambigens, Qualescunque, inquit, volueris, & quomodocunque de me scribe literas. Christianus enim ego: & rursus fateor, sum Christianus.

Marzabanas ei minatur. Ille verò contemnit.

XIII. QVAMOBREM cùm Dux spem abiecisset omnium, quæ possent illum persuadere, ad vim rursus reuertitur, iubetque humi extensum Martyrem tandiu verberari, donèc profiteretur facere, quod iuberetur. Ille autem quod iubebatur quidem, æquo animo & lubenti suscepit: solummodò lictorum manibus, vt ab illis extenderetur, teneri non sustinuit. Sinite me, dicens: Non opus habeo vllo, qui me teneat. Nam hoc ipsum, Pati scilicet propter Christum, nequaquàm est inuoluntarium: sed quod ego non minùs, quàm aquam æstate sitio, & quod magis, quam vllas voluptates & delicias amplector. Cùm ergo pronus humi cecidisset, & ipse seipsum sensim extendisset, tam crebris & tam continentibus verberabatur clauæ ictibus, quàm imber deorsim cadit: cùm ab inimicis solam illam petijsset gratiam, vt exueret venerandum monachorum amictum, & nudis verberaretur carnibus. Nè is, inquit, vnà cum meis membris probro afficiatur. Sic ille non solam vitæ ex Deo institutionem, sed etiam eius signa omni honore afficiebat. Sed ille quidem diu tam crudeliter torquebatur, cùm nec ab vllo omninò teneretur, nec premeretur, & non se transferre aut omninò mouere prohiberetur: sed ipse seipsum valide teneret, & immobiliter, non vi manuum, sed animi, & naturæ necessitatem vincens necessitate liberi arbitrij, & acres corporis dolores acri vincens Dei desiderio, & præsentes molestias consolans spe futurorum.

Dirè verberatur clauæ ictibus. Insignem Christi martyrem.

XIV. C[illegible]uersus hæc stultus ille Dux nihil sapientiùs posset excogitare, quod tantæ fortitudini opponeret & tolerantiæ, [illegible]rsus quoquè regem intentabat & rogabat, vt persuaderetur athletæ. Nam de te, inquit, ipsi regi significabo, peri[illegible]ac si vni puero vtre terrorem afferret, vt dicitur. Ille autem eadem, quæ prius, respondit, & quod eius animo placeret, iussit facere. Quocircà ille quoque rursus rogabat similiter. Deinde dicens, Non times regem? Quamobrem, inquit Martyr, & quid eiusmodi sum ab eo passurus? An non, inquit, ipse quoque homo est, in quem idem interitus cadit & mors eadem? Quemnam ergò me oportet magis timere, eùmne qui æque atquè ego interit: an eum, qui semper est, & qui cælum & terram, & quæcunque sub adspectum cadunt & percipiuntur intelligentia ad hoc vt essent, produxit? Cùm ergò vidisset Dux rursus inutilem fuisse suum conatum, cùm in constantia pro pietate nulli cederet Anastasius, rursus athletam transmittit in custodiam. Quomodò autem solet quis, quod vult, facile expectare, post aliquot dies rursus sanctum educit è carcere, adhuc aliqua ei spe blandiente: & acceptis, inquit, magicis sacrificà, ne te stulte hac luce priues. Martyr autem, Quibus, inquit, me iubes dijs sacrificare? Ille verò, Igni, inquit, & Soli, & Lunæ. Ergò etiam montibus, inquit Martyr, & collibus, & pecoribus, & omni seruituti hominum, quibus imperare iussi sumus ab opifice, non autem eis potiùs parere, vt vos vultis, non tanquàm propter nos factis vtentes, sed perinde ac si nos propter ea producti essemus, ità ea honorâtes, & deos turpiter nominâtes. Cùm his verbis Martyr Ducem obstupefeciſſet, rursus abductus est in carcerem hoc prætextu, quasi deesset quod responderet, damnatus ad carcerem. Abductus est ergò, & decore confessionis glorians, & vinculis propter Christum.

Reducitur in custodiā Ridet tyrannum.

XV. CVM autem de eo resciuisset is, cui in monasterio fuerat credita eius animæ cura: qualem, inquam, productus ad Præsidem sæpe ostendisset confessionem, & quemadmodum ipse constituisset omnia pati pro pietate, ipse quoquè cum alio cœtu monachorum repletus est lætitia: ipse etiam putabat se esse vnà cum Anastasio, & in membris illius decertare: & cùm non posset opem ferre sua præsentia, opem ferebat precibus & atramento. Et partim quidē Deum vehementissime rogabat cum tota fraternitate, vt pulchre per martyrium ei perficeretur stadium: Partim autem duobus quoque missis fratribus, promptum & alacrem eius animum magis auxit. Interea verò dum Martyr custodiebatur in carcere, diuinis verbis & sententijs se oblectabat assidue, & neque nox eius ad Deum hymnos, neque grauium illorum vinculorum & reliquæ afflictionis labores eos interrumpebant. Quin etiam cùm quidam iuuenis, qui captus fuerat propter aliquod maleficium, cum martyre haberet collum & pedem colligatum, noctù surgens sanctus, vt Deo consuetas redderet glorificationes, & ei nollet afferre molestiam, sed vt dormiret & quiesceret curam gereret, collum ad iacentem inclinabat, & pedem illius pedi admouebat, ne extensis catenis iniucundum & molestum ei somnum efficeret. Vnà autem nocte aliquando eum psallentem quidam ex iis, qui erant vincti in custodia, exaudiit, Hebræus quidem religione, isq; valde insignis: mitis verò ac mansuetus, & valde bonis moribus. Qui cùm beatum illum vidisset interdiu quidem vexari portandis lapidibus, noctis autem quietē rursus interrumpi stando, & orando, & nihil omninò remittere de sua constantia, neq; defessa membra paululum recreare, cogitabat apud se, quisnam hic esset, & quænam ei obtigisset adeò robusta natura, tamq; firma ac valida, laboribusque minime cedens & inexpugnabilis.

Exercitia sancti martyris in carcere.

Nota martyris virtutem.

Ille

XVI. Illē itaque fixis oculis adſpiciens Martyrem matutinos hymnos decantantem, & tota mente ad Deum peregrinantem, & qui vel antè martyrium rapiebatur cum corpore, videt quoſdam repentè candidatos, & pallio ſacraque ſtola omnino veſte, & venerando indumento Pontificum amictos, veluti quandam ex ſe lucem emittere, lucem viſu quidem incundiſſimam, ad explicandum autem non facilem, vel potiùs ad videndum quidem maiorem quàm vt ea humanus poſſit conſpectus aſſequi, aut quàm vlla quod viderit referre narratio: idq; obſcura nocte, cùm luna non luceret, ſanctum virum in orbem circundantes. Quos cùm angelos eſſe putâſſet, ſicut erant re vera, paulò pòſt videt etiam martyrem, qui eundem ſplendorem & ſimilem illis habebat amictum. Deindè etiam quidam adoleſcens, ſpecie & pulchritudine eximius, ſuſpenſum dextera geſtans thuribulum, in magna, quæ erat circa ipſum gloria angelorum, ſtabat ante martyrem ſuffumigans. Cùm ille ergò hæc videret, & cor haberet perculſum nouitate ſpectaculi, erat quidem perplexus animo, adeò vt eum etiam excitârit, qui propè dormiebat, (erat autem is Chriſtianus, cui fuerat commiſſa præfectura Scytopolis) & ſocium tanti fecerit ſpectaculi. manus autem nequaquàm ſequebatur, ſed attenta quidem mente & fixis oculis attendebat ijs, quæ videbantur: erat verò corpore immobilis & mutus, ſiue repentina illa admiratione eum reddente immobilem, ſiue Deo etiam aliquid aliud diſpenſante & prouidente ſapientiùs & occultiùs. Cùm tamen is qui erat propinquus, ſe vix tandem proximè admouiſſet, (non poterat enim vti pedibus & manibus) conturbatus ille, ex eo cauſam rogat. Ille autem timore perculſus, ei viſionem indicans: & Vides, dicens, vides? non priùs verbum abſoluerat, quàm viſio euanuerit. Atque præſidi quidem, cùm ad videndum ſpectaculum totos defixiſſet oculos, nihil licebat videre: vinctus autem ille, omnia ſingulatim ei narrabat cum voluptate & admiratione. Et hæc quidem, nè piæ animæ tanto priuentur miraculo. Nobis autem rurſus quoque via procedat oratio martyrij, ſuam ſeruans conſequentiam.

Hymni matutini.

Viſio angelica.

Viſio ea diſparet.

XVII. Postqvam enim videns Marzabanas eſſe planè Martyrem immobilem, & non ſolùm vnam mortem, ſed etiam, ſi fieri poſſet, plures paratum eſſe pro pietate alacriter ſuſcipere, ad regem Choſroën de eo retuliſſet, & quemadmodum eſſet is tractandus, ab illo didiciſſet, cùm ipſum è carcere accerſiuiſſet, cum ſuo adſpectu non dignatus, ſignificat per eum qui dicitur Meizoteros, id eſt, maior: Eccè, inquit, rex tibi imperat, vt quoniam fieri non poteſt, vt ſis omninò impius, verbo ſolùm abiures Chriſtianiſmum, & ſtatim ſolueris è carcere & à vinculis: & decæterò ſiue velis eſſe Monachus, ſiue Caballarius, hoc ſitum erit in tuo arbitrio: Martyr autem rurſùs reſpondens, Abſit inquit, ô Chriſti ſeruator, vt negem tuam pro Trinitate confeſſionem, neque animo, nec labris. Poſtquàm autem poſt multas alias Præſidis machinationes, ne ſic quidem pulchram illam remitteret conſtantiam & dicendi libertatem, hanc ei poſtremam adhibet periclitationem. Hæc cùm per Maiorem rurſùs ſignificâſſet: Scio, inquit, quòd cùm te multorum pudeat intuitûs, & maximè eorum, qui ſunt ex eadem regione & tribu, ea de cauſa in eorum oculis ne hoc quidem facis leue & expeditum, vt verbo ſolùm tuam inficieris religionem. Quid enim, inquit, ea ex re detrimenti accipitur, cùm cor non ſimul loquatur? Quoniam verò de iuſſu regis hîc agitur, quem non licet cuiquam omninò repellere: ſi quod eſt hoc multò leuiùs, hoc dixeris in meo conſpectu & quorundam duorum Sellariorum, liber eſto à carcere & ſupplicijs. Quæ cùm ille dixiſſet, fudit preces Anaſtaſius prioribus ſimiles, dicens: Neque tu me videris, neque vllus alius: non ô rex & Deus, ne ſpecie quidem tuum nomen, neque in ſomnis, aut vllo alio modo negantem.

Regis fraudulenta iuſſio.

O linguam ſubdolam diaboli.

XIIX. Cvm ergò videret Præſes, quòd aduerſus tam fortem, & tam excelſum animum nihil per ſe efficeret, reſque ea & ſuas vires ſuperaret & modum dignitatis, cùm beatum in ſuum conſpectum adduxiſſet: Eccè iuſſus ſum, inquit, in ferreis vinculis te in Perſidem tranſmittere ad regem. Martyr autem, Ego, inquit, ſi mihi à te permitteretur, etiam abſque vllis vinculis illuc accederem. Quid enim in me opus eſt vinculis, qui lubenter patior propter Chriſtum, ad quem ſcilicet mittor? Cùm eum ergò tunc quoque Iudex ſic vidiſſet affectum, & neque minis cedentem, neque ineſcatum blanditiis, planeq; inſuperabilem & inexpugnabilem, cum ei & duobus aliis ex piis iniecciſſet ſignaculum, tradit in carcerem publicum, vt qui poſt quintum diem iter eſſent inituri. Cùm interim autem veniſſet feſtum venerabile, viuifici, inquam, ligni exaltationis, & ipſe admirabilis Anaſtaſius, & duo ex fratribus, qui ad eum acceſſerunt, & qui eandem, quam ille, notam Iudicis acceperant, & quidam alij viri pij, qui erant in ciuitate, cùm totam illam noctem celebraſſent precibus & pſalmodijs, effecerunt, vt qui erant in carcere, omnium ſuorum malorum obliuiſcerentur: perindè ac ſi verſarentur in domo eorum qui feſtum celebrarent, non in carcere. Manè verò ad Marzabanam ingreſſus Comerciarius, vir pius, & qui ſciebat miſereri animarum affectarum moleſtia, & conſolari in afflictionibus, rogat Præſidem, vt ex carcere ſoluatur Anaſtaſius, vt ipſe poſſit intereſſe feſto Chriſtianorum.

Nota feſtū Exaltatio. ſanctæ Crucis.

XIX. Cvm ille autem hoc conceſſiſſet, & veniſſet martyr in eccleſiam, conſolatio, gaudium & lætitia circumfuſa fuit piorum animis. Eos enim nuper inuaſerat triſtitia & mœror, propterea quod quæ dici nequeunt, ei inflgerentur moleſtiæ. Multi autem iam erant ſocordes in pietate, & veniebant in periculum, nè ſtatim caperentur miſerabiliter laqueis inimici, cùm non eſſet qui redimeret, nec qui daret ſalutem, ſeu erigeret cadentes & victas eorum animas. Cùm verò ſacer Anaſtaſius tunc eſſet ingreſſus eccleſiam, tantus eos zelus ſubi: pro pietate, & vel ex ſolo eius adſpectu ſic eſt cor eorum inflammatum, vt non ſolùm ipſi parati eſſent ad mortem pro Chriſto & pietate ſubeundam, ſed eius etiam vincula deoſculârentur: & deſiderij lachrymas eis inſtillantes, ei animum adderent laudibus & adhortationibus, eiuſque magis accenderent & inflammarent amorem martyrij. Et hęc quidem aliqui, qui iam erant labefactati tempore & contumeliis, & iam ſpectabant mutationem, & eius quod eſt honeſtum proditionem, non ſolùm viri, ſed etiam mulieres. Naturæ enim non eſt hîc differentia, propterea quòd ſit communis electio & inſtitutum. Sic tunc fuit populo feſtum duplex: Vnum quidem diei prefiniti, alterum autem aduentûs Martyris. Nam poſtquàm ſacrum quidem fuit celebratum myſterium, Comerciario non dimittente, ſed Martyrem vehementer vrgente & rogante, vt ad illius domum veniret: putabat enim vel ſolum illius aduentum impertiri poſſe ſanctificationem: partim quidem ille cedens, partim autem coactus, cum duobus monaſterii fratribus illuc accedit. Vbi cùm ſe inuicèm in conuiuio accepiſſent & lætificâſſent, in cuſtodiam lubenter reuertuntur.

Nutantes eius conſpectu confirmantur.

Sacrū myſteriū, Miſſę ſacrificiū nuncupat.

XX. Cvm iam autem dies veniſſet præſtitutus, egreditur è ciuitate Cæſareæ cum duobus illis viris Chriſti amantiſſimis, qui ipſi quoque aliqua de cauſa fuerant appetiti calumniis: lachrymis, adhortationibus, eiulatibus, gratiarum actionibus, lamentationibusq; & precibus multis eum proſequentibus, non ſolum ex Perſis, qui cum Anaſtaſio ſcilicet communem habebant patriam & ſanguinem, ſed etiam ex noſtratibus & alienigenis. Communem enim eſſe orbitatem, illius ducebāt ſeparationem: ſicut rurſus etiam proprium vnuſquiſq; honorem, adiiciam autem gloriæ quoque coronam, eius pro pietate conſtantiam & confeſſionem. Quocirca vtraq; tunc conueniebant: & ciuitati diuiſi erant animi duobus animi motibus. Alter autem ex fratribus vnà cum Martyre profectus eſt in Perſidem, & eſt vnà peregrinatus: quoniam ita iuſſerat Præfectus, partim quidem, vt ei ſubminiſtrarentur neceſſaria, & vt eius conſolaretur animum, qui premebatur tanta malorum perpeſſione: partim autem, vt cùm apud hunc virum præclarum ſemper adeſſet, & eius videret omnia, poſſet illa poſtea apertè Præfecto narrare & fraternitati, non quæ ab alio audiuiſſet, ſed quæ ipſe vidiſſet, & quorum haberet teſtes ſuos oculos. Atque qui viæ quidem erant continentes vici & ciuitates, per quas ille obiens tranſibat, ita eum venientem excipiebant, & diſcedentem proſequebantur ac deducebant, & vtrumque cum tanta pietate & reuerentia, vt ipſe ſuſpectum habens nimiū honorem, nè de ea, quam illinc à Deo expectabat, gloria

Vetetur vir ſanctus oblatum ſibi honorem.

Veretur vir sanctus oblatum sibi honorem.

gloria aliquid detraheret, scripserit Hierapoli ad Præfectum monasterij, vt pro eo Deum rogaret, vt pro his conseruaretur non condemnatus in eo, quod illic est iudicio: & scripserit etiam apud Tigrim fluuium, rogans similiter, vt pro eo oraret, vt inflexibiliter & citra vllum lapsum ab eo martyrij cursus consummaretur.

Anno 617.

CVM iam autem peruenisset in Persidem, datur in custodiam, sitam in quodam prædio, quod vocatur Batsaloë, XXI. quæ ad sextum lapidem distat à Discartha, in quo rex versabatur Chosroë. Qui verò cum eo erat frater, in domo Cortacti, qui erat illius Iesdin filius, fuit hospitio acceptus. Et carcer quidem martyrem habuit cum maleficis. Cùm autem post aliquot dies de eo fuisset relatum ad Chosroën, ille misso vno ex magistratibus, eum rogauit quisnam esset, & cuias, & quidnam eum mouisset, vt patriam relinqueret religionem. Is verò per quendam respondet interpretem. Nam nè voce quidem Persica volebat vti amplius, vt qui eam abiurâsset linguam vnà cum religione, aut linguæ potius esset infensus propter falsam religionem. Respondet ergò, Quoniam, dicens, vester deorum cultus est manifestum exitium & error dæmonum. Quem quidem cùm ipse aliquando sequerer, nuper luce commutaui tenebras, & die noctem, & sole obscuram caliginem, illi Deo me dedicans, qui est cæli & terræ & omnium, quæ videntur & mente percipiuntur, opifex. Cui magistratus: Miser, inquit, Non eum, quem vos Christiani colitis, cruci Iudæi effixêre? Quomodo ergo Persicæ religioni Christianorum res prætulisti? Martyr autem, Quòd fuerit quidem, inquit, à Iudæis crucifixus, ipse quoque assentior: sed sua sponte, & pro nobis ingratis, & qui sumus beneficij accepti immemores, Eius enim benignitatis & clementiæ est hoc vel maximè admirabile, quòd cùm esset Deus & Seruator omnium, & opifex huius vniuersi, non solùm propter nos serui formam accepit, cùm de cælo descendisset: sed etiam pro nobis crucem volens subijt & mortem, vt nostrum peccatum tolleret, quod ex maligni insidiis & fraudibus inflictum erat hominibus. Vos autem inimicum prætulistis, qui stultè illius fraudes in hodiernum vsque diem sequimini, & Soli sacrificatis, & igni, & lunæ, nullam nè Christi quidem cædis, si non alterius, ducentes rationem.

Ingenua martyris confessio.

Blãditur ei diabol⁹ per suos administros.

RESPONDENS autem Magistratus, Quid tibi, inquit, cum his stultis verbis & superuacaneis? Ecce enim tibi à XXII. rege insignes dignitates, & zonæ aureæ, & equi, & quæcunque illustria & gloriosa, sunt parata. Agedum ergo, patriam suscipe religionem. Ad hæc Martyr: Mihi, inquit, ô Præses, quæ hîc sunt iucunda, valdeque expetenda & inuidiosa: nomen scilicet, delitiæ & diuitiæ, & splendor, iam sunt diu abhinc contemptui, vt qui vitam susceperim monasticam, & à sola spe, quam hinc concepi, pendeam. Huius rei etiam antequam loquar, hic venerandus Monachorum habitus, & hic vilis pannus est certus nuntius. Quomodo ergo ea, in quæ omne studium omnemq; meam curam contuli & solicitudinem, * ea quæ nunc habebo contemptui, regis qui est ad tempus, & in quem cadit interitus, inductus promissionibus? Ad quæ cùm non haberet magistratus quid diceret, reducit ad eum, qui miserat è custodia, ei lingua omnia significans. Qua de causa ille non leuiter indignatus, iubet cum suasione vim quoq; adhibere, & verbis etiã miscere supplicia. Sequenti autem die, cùm rursus magistratus venisset ad custodiam, ea quæ imperata fuerant, cæpit reipsa exequi, & iussit vt per vim protrusum illinc athletam abducerent: ipse quoq; multas minas intentans, vehementiq; insultu & tumultu se fortem & strenuã illam animã perterrefacturũ existimans. Ille verò nihil effœminatũ, nihil quod sit pusilli & abiecti animi, & nihil quod sit indignum iis, quæ præcesserant, præ se ferens, cum illa consueta, & iucundissima morum simplicitate, Nè labores, inquit neque defatigeris domine Præses Mihi enim, qui sum mei Christi gratia confirmatus, non persuadebis vt à pietate deficiam, Fac ergò quæcunque vis, à nullo abstinens.

Venerãdus monachorũ habitus.

* ea nunc, habet Baronius.

Cæditur virgis atrociter.

HANC Anastasii cum prudentia constantiam nulla moderatio excepit aut humanitas, sed vinctus, more Persico XXIII. virgis cædebatur crudeliter. Cùm is autem verberaretur, hæc decantabat Magistratus? Cùm maximis regis donis & honoribus persuaderi non sustinueris, ad hæc sis deinceps paratus. Sic enim te quotidie verberans, consumam plagis Ille autem cùm eum iuberet rursus, quæ vellet facere, iubet Martyri relaxato à vinculis, cùm extensus esset supinus, lignis medias intercipi tibias, vtraque autem eorum extrema premere viros aliquot robustos, qui & corporum magnitudine & ætatis vigore præstarent. Martyr autem cùm sic eius tibiæ premerentur vsque ad ossa, magno & excelso animo & planè philosophico tolerabat. Quod quidem cùm vidisset Magistratus, & cognouisset se ex eo magis augere eius patientiæ & tolerantiæ constantiam, rursus in tutissimam eum tradit custodiam, vt de eo rursus referret ad regem. Cùm is autem cui erat commissa cura carceris, Sellarius, esset religione Christianus, & ideo eorum misereretur, qui pro pietate laborabant, & eo quod est bonum & honestum, & eis, qui vellent ex Christianis, concederet ingressum, interdiu ingrediens sine vlla prohibitione frater monasterii, qui cum martyre soluerat ex Cæsarea, consolabatur illam asperam & tetram in carcere habitationem, & quos ex plagis senserat dolores, & quas ex vinculis & alia malorum perpessione acceperat molestias. Multi quoque alii viri pii, cum quibus illius quoque Iesdin filii ad eum ingredientes, ad speciosos eius pedes, & bona apertè euangelizantes, procidebant, & vincula deosculabantur, & rogabant, vt ab eo aliquas consequerentur preces & benedictiones. Cùm is autem hæc omnino minimè admitteret, (Ille enim toto semper animo & mente, humanæ gloriæ, huius, inquam vanæ & infidæ & fallacis, & quæ nihil habet firmum ac stabile, resecabat occasiones) ipsi vinculis ceram immittentes, quæ ex illis exprimebatur effigiem, tanquam maximum aliquod remedium & salutare ad omnem morbum & dolorem soluendum efferebant.

Premuntur eius tibiæ horrẽdum in modum.

Cõtemnit inanẽ gloriam.

NON multum temporis intercessit, & rursus veniens ille Magistratus in custodiam an iussis cederet regiis, fru- XXIV. strà interrogabat, aut potius quærens occasionem gratificandi animo crudelissimo, qui pœnas cupiebat sumere. Cùm is autem non parum ægrè tulisset interrogationem, & magna contentione & motione capitis id quod sæpe dixerat, nunc quoque respondisset, Scito me Christo & pietati nihil esse prælaturum, iubet eum rursus quoque clauis verberari, sicut prius. Cùm verò viri statuam potius quàm virum visi essent verberare, quantum licuit coniicere ex eo, quòd esset eius animus planè inflexibilis, eo quidem relicto in custodia, recedit magistratus, & aliquot interiectis diebus ad eum reuertitur, varias artes & rationes excogitans: & nunc quidem minis & promissis, nunc autem minis & suppliciis eum reuocans ad negandam pietatem. Cùm autem idem esset Anastasius, & nec his inclinaretur, nec illis deliniretur, prioribus vinculis & plagis est traditus. Deindè cùm fuisset relaxatus à vinculis, ex altera manu suspenditur, cùm lapis grauissimi ponderis esset alligatus alteri ex pedibus. Cùm eum ergò sic pendentem & sic diuulsum duabus horis reliquisset magistratus, videretque robur ac firmitatem minimè dissolui martyri, illum quidem remittit: ad regem autem reuersus, immutabilem eius mentem significat & summam animi fortitudinem. Ipse quoque ei consulit, nè amplius periculum faciat in Anastasio, nec permittat vt tanta altitudo & magnitudo imperii ab vnius viri constantia videatur superata.

Iterum verberatur clauis.

Atrox supplicium.

HINC cùm omnem spem superandi martyris rex abiecisset, mittit post decimum quintum diem, & dictum ma- XXV. gistratum, & quosdam alios ex subditis, vt non solùm sanctum, sed multos quoque alios Christianos cum eo interimerent. Illi autem cùm venissent in carcerem, expellunt Christianos captiuos non pauciores, quàm septuaginta, vnà cum martyre: cum quibus erant ii quoque, qui cum Anastasio Cæsareæ damnati fuerant ad custodiam, signaculique & vinculorum fuerant ei socii: quos cùm eduxissent ex prædio * Bersaloës, in quo fuerat carcer ædificatus, & ad fluuium statuissent, eos singulatim diuidentes, & eorum collo funem iniicientes: & miserabiliter ante oculos martyris suffocantes, sancto in vnoquoque submergendo dicebant: Cur vis, sicut vnus ex his, violenter tolli de medio, & non potius regi parere, & priorem consequi felicitatem? Ille autẽ cùm his mentem adhibuisset, & in cælum oculos sustulisset,

Multi martyres suffocantur.

* Bersaloes.

& Deo

& Deo ingentes egisset gratias, quod iam pro ipso mortem videret esse subeundam: Deinde ad illos quoque conuersus: Ego, inquit, pro Christi mei charitate, ardentique & vehementi in eum amore, expectabam omne membrum minutatim conscindi, expectans nouam aliquam & inauditam mortem. Quoniam autem hæc est ea, quam vos mihi minamini, ago tibi gratias soli Deo meo, & Seruatori Christo, quod morte, quæ vsqueadeò vacat omni labore & molestia, quam quidem paulo post ipsa quoque attulisset natura, [a] me voluisti emere honorem martyrij. Cùm hæc dixisset, & hæc vltima verba præclarè esset locutus, æquali morte sic quoque est consummatus.

[a] Item S. Anastasi⁹. Et cum alii eũ adstricto, vt laqueo, alii gladio interemptum dicant, Bar in notis Martyrol Rom. in hæc verba Menologii Græcorum concludit. Ipsius collo ita laqueo adstricto, vt respirandi facultatem non haberet, postremo securi percutitur, capite pro Christi fide abscisso.

XXVI. CARNIFICES autem, cùm sacrum illud caput amputassent, vt eum esse interfectum ostenderent, ad regem deferunt. Sellarium verò, qui præerat custodiæ carceris, cùm esset Christianus, & sciret martyrum honorare corpora, vellet autem sancti tollere reliquias, & eas separare ab alijs, ne tantum lateret bonum, permixtum cum cæteris corpotibus, prohibuêre carnifices. Cum filijs autem Iesdin annuntiata fuisset viri consummatio, ad quam euntem Martyrem illorum pueri consequebantur, & illi seruiebant, ij pecunia corrumpunt carnificum diligentiam, & vt corpus sibi liceret in loco separato deponere, non paucis emunt pecunijs. Deinde is quoq; Monachus, qui cum Martyre excesserat è Cæsarea, & cum decertante ad finem vsque manserat, cuius etiam sæpè fecimus mentionem, cùm & pueros filiorum Iesdin, & quosdam ex ijs, qui illic erant, Monachis in noctem sequentem assumpsisset, & vt martyris corpus piè & sanctè componeret, venisset (ô quomodo, ô Christe laudabo miraculorum tuorum magnitudinem?) inuenit [b] canes alia quidem corpora toto ore exedentes, ab hoc autem solo se abstinentes, vt quod non subijceretur amplius legibus corporis. Iam enim erat pulchritudinis corona in manu Dei (diuinus dixit Esaias) & diadema regni in manu Dei eius. Cùm sustulisset ergò corpus Martyris, & mundis linteis, [c] quæ dedêre filij Iesdin pro vltimis corporis exequijs, mundas illas & sanctas inuoluisset reliquias, in Sergij Martyris monasterio, quod ad vnum lapidem distabat à vico, deponit decimoseptimo quidem anno imperij [d] Pij Heraclij, vicesimo autem secundo mensis Ianuarij. Is enim fuit dies, qui vidit decessum martyris.

[b] Eius corp⁹ canes non attingunt. *Esaiæ 62.*

[c] S. Sergium in veneratione à Cosroe habitũ

memorat Bar. ob plurima in ipsum collata beneficia [d] Heraclii 17 Imperii annus fuit Christi 627. teste Bar. tom. 8. annal

XXVII. SEQVENTI autem die duos ex ijs, qui erant in custodia, licuit audire hæc inter se narrantes. Dicebat enim vnus alteri: Vidisti quemadmodum canes, qui heri venerunt, reliquis quidem corporibus se cupidè impleuerunt, abstinuerunt autem à solo corpore illius monachi: & quemadmodum postquam se alijs exatiâssent, propè illud sedentes visi sunt potius esse custodes, horis deinceps duabus neque recedentes, néque corpus tangentes? Alter autem rursus excipiens orationem, Ego verò, inquit, cùm vesperè ex specula in domum reuerterer, videbar mihi videre stellam quandam terram tangentem, iucundum quendam & perspicuum splendorem emittentem. Spectaculi itaque nouitate obstupefactus, quod scilicet non sicut aliæ, sed humilius & terræ vicinius resplenderet, vado vt videam, quidnam sit illud, quod apparuerat. Cùm autem fui propè illum locum, illam quidem stellam videre non poteram, sed solum corpus monachi, quod iacebat super terram. Hæc cùm narrarent & mirarentur milites, quidam ex Christianis captiuis, qui exercitati erant in lingua Persica, qua tunc illi inter se vtebantur, intellexerunt ea, quæ dicebantur. Ex quibus duo quidam relaxati à custodia post interemptum regem Cosroën, vnà cum multis alijs venerunt in sanctam ciuitatem, quibus quidem martyr cùm vnà cum eis esset in carcere, de sua consummatione, & de eorum liberatione, & de sæui persecutoris, & tyranni potiùs quàm regis interfectione, verissimè prædixerat, sic apertè dicens: Sciatis fratres mei, me boni quidem Dei gratia cras esse consummandum: vos autem paucis post diebus liberandos, quando rex iniquissimus & sceleratissimus fuerit interemptus. Cæterùm vobis, cùm Deo omnino regente & ducente in sanctam fueritis reuersi ciuitatem, curæ erit ad Abbatis Anastasij vos conferre monasterium, & eos nostro nomine salutare, & omnia annuntiare patri meo & fratribus. Has prædictiones cùm illi non solùm audiuissent, sed effectum etiam vidissent consecutas, vltima mandata martyris non neglexêre: sed venire ad monasterium, pluris quàm ipsum facientes reditum, & ità vt erant fessi ex itinere, cum suo viatico venientes in monasterium, exposuerunt omnia fraternitati.

Stella videtur ad corp⁹ martyris.

Chosroes rex interemptus.

XXIX. FRATER autem, cuius sæpè facta est mentio, (ad eum enim ex consequentia nos rursus reducit oratio) cùm corpus Martyris piè, & cum eo, quo par est, martyrem honore & reuerentia deposuisset in magni Sergij monasterio: ipse quidem aliquantum temporis ibi est moratus, quemadmodum ad eum, qui misit, & fratres saluus & sine periculo peruenire, considerans. Decimo autem die, postquam depositæ fuerunt reliquiæ, eò venit cum exercitu rex alius, non qualis is, qui prius dictus est, persecutor, & religioni infestus, & in scelere eximius & planè profligatus: sed valdè æqu⁹ & mansuetus, pietateq; & humanitate illi planè contrarius. Quos cùm lubenter vidisset monachus in externa regione, tanquam quasdam lucernas in tenebris, à cura de reditu & ægritudinis onere mox respirans, & veluti animi pondere leuatus, vt qui fraternitatem & monasterium se esse propediem visurum speraret, lingua eos Græca alloquitur, ea ratione sui notitiam aperiens. Illi autem cùm nouissent eum esse Christianum, quod quidem rarum est apud Persas, (hoc enim & monachorum significabat indumentum & sermo) rogârunt illum, cur illic moraretur. Cùm is verò eis singulatim de beato exposuisset Anastasio, illi partim quidem desiderio martyris, partim autem monachi moti misecordia, cùm virum in sua accepissent tabernacula, tectique & mensæ socium eum deinceps fecissent, & vt decet Christianos & martyrum amantes, in eum affecti essent, eduxerunt ipsum per Armeniam.

Honor & reuerentia debetur sacris reliqis.

Rari apud Persas Christiani.

XXIX. QVI cùm post annum peruenisset ad monasterium, præfecto & fratribus iucundissimum lautumque & magnificum exhibuit epulum, nempe de sancto Anastasio narrationem, vt qui etiam attulerit monasticum illius colobium, quo indutus erat in ipsa resolutione: nec attulerit solùm, sed simul etiam mira quædam narrauerit. Dicebat enim, fuisse quendam fratrem in monasterio, in quo positæ erant reliquiæ, ætate iuuenem, qui à maligno spiritu detinebatur. Cùm autem præfectus à me sæpè petijsset colobium, & hoc simul atque accepisset, iuuenem induisset, (ô celerem visitationem, ô promptissimum auxilium) statim exuit dæmonem, vt qui sicut frigus calori, vel luci tenebræ, huic martyris panno facilè cessisset: in gloriam Domini nostri Iesu Christi, quem decet omnis honor & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

AN. 380.

VITA S. BLESILLÆ VIDVÆ ADOLESCENTIS ROMANÆ, A D. HIERONYMO AD PAVLAM *scripta*.

22. IAN.

Ierem. 9.
Lucæ 19.
** al. quod.*

QVIS dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo, non, vt Hieremias ait, vulneratos populi mei: nec vt Iesus, miseriam Hierusalem: sed plorabo sanctitatem, misericordiam, innocentiam, castitatem: plorabo omnes pariter in vnius morte defecisse virtutes? Non quod lugenda sit illa, quæ abijt: sed quod nobis impatientius sit dolendum, * qui talem videre desiuimus. Quis enim siccis oculis recordetur, viginti annorum adolescẽtulam tam ardenti fide crucis leuasse vexillum, vt magis amissam virginitatem, quàm mariti doleret interitum? Quis sine singultibus transeat orandi instantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenij? Si Græcè loquentem audîsses, Latinè eam nescire putares. Si in Romanum sonum lingua se verterat, nihil omninò peregrini sermo redolebat. Iam verò, quod in Origene quoque illo Græcia tota miratur, in paucis non dicam mensibus, sed diebus, ita Hebreæ linguæ vicerat difficultates, vt in discendis canendisque psalmis cum matre contenderet. Humilitas vestium non (vt plerisque solet) tumentes animos arguebat, sed cum interiori se mente deiecerat, inter ancillarum virginum cultum dominamque nihil medium, nisi quod in eo facilius dignoscebatur, quod neglectius incedebat. Vacillabant ægrotatione gressus, & pallentem ac trementem faciem vix collum tenue sustinebat: & tamen aut prophetam, aut Euangelium semper in manibus tenebat: lachrymis ora complentur: singultus occupat vocem, & hærentem linguam, viscera commota non laxant. Cùm sanctum corpusculum febrium ardor excoqueret, & semianimæ lectulum vallaret circulus propinquorum, hæc in extrema verba mandabat: Orate Dominum Iesum, vt mihi ignoscat, quia implere non potui, quod volebam. Secura esto mi Blesilla: confidimus: probas vera quæ dicimus. Nunquam est sera conuersio. Vox hæc primum dedicata est in latrone: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Postquam autem, sarcina carnis abiecta, ad suum anima reuolauit authorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit: ex more parantur exequiæ, & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi tunc clamare de cælo: Non agnosco vestes, amictus iste non est meus, hic ornatus alienus est. Sed quid agimus? Matris prohibituri lachrymas, ipsi plangimus. Confiteor affectus meos: totus hic liber fletibus scribitur. Fleuit & Iesus Lazarum, quia amabat illum. Non est optimus consolator, quem proprij vincunt gemitus, cuius visceribus emollitis, fracta in lachrymis verba desudant. Testor mi Paula Iesum, quem Blesilla nunc sequitur: testor sanctos angelos, quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris: patrem esse spiritu, nutritum charitate, & interdum dicere: Pereat dies illa, in qua natus sum. Et, Hei mihi mater, vt quid genuisti me virum, qui dicerer discrimen omni terræ? Et illud: Iustus es Domine, veruntamen iudicia loquar ad te. Quid est, quod viæ peccatorum prosperantur? Et: Mei quoque penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Et dixi: Quomodo cognouit Deus, & si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Sed rursus illud occurrit: Si narrauero sic, ecce generationem filiorum tuorum præuaricatus sum. Nunquid & in meam mentem, non hic sæpius fluctus illiditur? Quare senes impij, seculi diuitijs perfruuntur? quare adolescentia rudis, & sine peccato puertia, immaturo flore metitur? Quid causæ est, vt sæpè bimuli trimulique, & vbera materna lactentes, à dæmonio corripiantur, repleantur lepra, morbo regio deuorentur? & econtrariò, impij, adulteri, homicidæ, sacrilegi, vegeti atque securi de sua sanitate, in Deum blasphement? Præsertim cùm iniustitia patris non redundet ad filium: & anima quæ peccauerit, ipsa moriatur. Aut si manet vetus illa sententia, peccata patrum in filios oportere restitui, iniquum sit, longæui patris innumera delicta in innocentem infantiam repensare. Et dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & factus sum flagellatus tota die? Sed cùm hæc cogitarem, statim didici cum propheta: Et fuscepi, vt cognoscerem, hoc labor est in conspectu meo, donec ingrediar sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum. Iudicia enim Domini abyssus multa. Et, O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Bonus est Deus, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur: plango, quod accidit: sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius: durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. Si cæcus fuero, amici me lectio consolabitur. Si auditum quoque surdæ aures negauerint, vacabo à vitijs: nihil aliud, nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor & nuditas: extremam expectabo mortem, & breue putabo malum, quod finis melior subsequetur.

I.

Humilitas vestium.

Luca 23.
Iohan. 11.
Iesum nunc sequitur Blesilla, & angelorũ consortio fruitur.
Iob 3.
Ierem. 15 12.
Psalm. 72.
Ezech. 18:
Exodi 20.
Psalm. 72.
Psal. 35.
Rom. 11.

Psal. 118.

II.

CONSIDEREMVS quid ethicus ille psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Hoc non potest dicere, nisi ille, qui ad vniuersa quæ patitur, magnificat Dominum, & suo merito imputans, in aduersis de eius clemẽtia gloriatur. Exultauerunt enim filiæ Iudæ in omnibus iudicijs Domini. Si Iuda confessio interpretatur, confitens autem omnis anima credentis est: necesse est, vt qui se credere dicit in Christo, in omnibus Christi iudicijs gaudeat. Sanus sum, gratias refero creatori. Langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem. Quando enim infirmor, tunc fortis sum, & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Patitur & Apostolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei: Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur, & ad reuelationum humiliandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat: per singulas acclamationes ciuium, dicens: Hominem te esse memento. Cur autem durum sit, quod quandoque patiendum est? Et cur dolemus quenquam mortuum? Ad hoc enim nati sumus, vt maneamus æterni? Abraham, Moyses, Esaias, Petrus, Iacobus, Iohannes, Paulus electionis vas, & super omnia, filius Dei, moritur: & nos indignamur, aliquem exire de corpore, qui ad hoc forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius? Placita enim erat anima eius Deo. Propter hoc properauit educere eam de media iniquitate, ne longo vitæ itinere deuijs oberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quib. obuiam Christus occurrit: grauemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia quamdiu hîc moramur, peregrinamur à Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitaui cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt, & mundus iste sunt tenebræ, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt: faueamus Blesillæ nostræ, quæ de tenebris migrauit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera si seculare desiderium: &, quod Deus à suis auertat, delitias vitæ huius cogitantem, mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò, cùm propitio Christo, ante quatuor fermè menses, secundo quodammodo propositi se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, semper monasterium cogitârit, non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irasceris Paula, quia tua filia, mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? Scis enim, quid de te, quid de cæteris tuis cogitem? Cibum tibi denegas, non ieiuniorum studio, sed doloris.

Psalm. 96.
2. Cor. 12.
Ibid.
Sap. 4.
2 Cor. 5.
Psal. 119.
Ioann. 1.
Semper monasteriũ cogitauit.

Non

Non amo frugalitatem istam. Ieiunia ista aduersarij mei sunt. Nullam animam recipio, quę, me nolẽte, separatur à corpore. Tales stulta philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem. Super nullum requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietũ, & trementem verba mea. Hoc est, quòd mihi monasterium promittebas? quòd habitu à matronis cæteris separato, tibi quasi religiosior videbaris? Mens ista, quæ plangit, sericarum vestium est. Interciperis, & emoreris, & quasi non in meas manus ventura sis, crudelem iudicem fugis. Fugerat quondam & Ionas animosus propheta, sed in profundo maris meus fuit. Si viuentem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migrâsse. Hoc est, quod per Apostolum meum iusseram, nè pro dormientibus in similitudinem gentium tristaremini. Erubesce, ethnicæ comparatione superaris. Melior diaboli ancilla, quàm mea est. Illa infidelem maritum translatum fingit in cælum, tu mecum tuam filiam commorantem, aut non credis, aut non vis.

Philosophi, quos hic nominat sibi ipsis mortẽ cõciuerant.

Isa. 66. *Ion. 1 2.* *1. Thes. 4.*

III. Sed dicis: Quomodò lugere me prohibes, cùm & Iacob Ioseph in sacco fleuerit, congregatisque ad se omnibus propinquis noluerit consolari, dicens: Descendam ad filium meum lugens in infernum? Et Dauid Absalon cooperto capite planxerit, repetens: Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis dabit, vt moriar pro te fili mi Absolon? Moysi quoque & Aaron, cæterisque sanctorum solennis sit luctus exhibitus? Perfacilis ad ista responsio est: luxisse Iacob filium, quem putabat occisum, ad quem & ipse erat ad inferos descensurus, dicens: Descendam ad filium meum lugens in infernum, quia necdum paradisi ianuam Christus effregerat, necdum flammeam illam rompheam & vertiginem præsidentium Cherubin, sanguis eius extinxerat. Vndè & Abraham, licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur Et Dauid iustè fleuisse filium parricidam, qui alium paruulum, postquam vt viueret impetrare non potuit, quia sciebat non peccasse, non fleuit. De Moyse verò & Aaron, quòd eis ex veteri more sit planctus exhibitus, non mirandum est, cùm & in Actis Apostolorum, iam Euangelio coruscante, Stephano fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnum: Et vtique planctus magnus, non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus sit. Denique de Iacob scriptura sic loquitur: Et ascendit Ioseph sepelire patrem suum, & ascenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, & seniores domûs eius, & seniores omnis terræ Ægypti, & omnis domus Ioseph & fratres eius. Et post paululũ: Et ascenderunt cum eo quadrigæ & equites, & facta sunt castra grandia nimis. Ac deinde: Et planxerunt eũ planctu magno & forti nimis. Plãctus iste solennis, non lõgas Ægyptijs imperat lacrymas, sed funeris monstrat ornatum. Iuxta quem modum Aaron quoque & Moysen fletos esse, manifestũ est.

Gen. 37. *2. Reg. 18.* *Deut. 34.* *Num. 20.* *Gen. 37.* *Luc. 16.* *Actor 8.* *Genes. 50.*

IV. Nec video satis scripturæ laudare mysteria, & diuinum sensum, in verbis licet simplicibus, admirari, quid sibi velit, quòd Moyses plangitur, & Iesus Naue vir sanctus, sepultus refertur, & tamen fletus esse non scribitur Nempe illud, quòd in Moyse, id est, in lege veteri sub * peccato Adam omnes tenebantur elogio, & ad inferos descendentes, consequenter lachrymæ prosequebantur, secundùm Apostolum, qui ait: Et regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam super eos qui non peccauerunt. In Iesu verò id est, in Euangelio, per quem paradisus est apertus, mortem gaudia prosequuntur, flentesque hodiè Iudæi, & nudatis pedibus in cinere volutati, sacco incubant Ac nè quid desit superstitioni, ex ritu vanissimo Pharisæorum, primum cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes quali edulio primogenita perdiderint. Sed meritò, quia in resurrectionem Domini non credentes, Antichristi præparantur aduentui. Nos verò, qui Christum induimus, & facti sumus, iuxta Apostolum, genus regium & sacerdotale, non debemus super mortuos contristari. Et dixit, inquit, Moyses ad Aaron, & Eleazar & Ithamar filios eius, qui relicti erant: Caput vestrum non denudabitis, & vestimenta vestra non scindetis, nè moriamini, & super omnem synagogam veniat ira. Nolite, inquit, scindere vestimenta vestra, & luctum exhibere gentilem, nè moriamini. Mors nostra, peccatum est: Et, quod forsitan crudele alicui videatur, sed fidei necessarium est, in eodem Leuitico scribitur: quomodò sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque, vel liberos mortuos prohibeatur accedere: nè videlicet anima Dei sacrificijs vacans, & tota in illius * ministerijs occupata aliquo impediatur affectu. Nonne alijs verbis idipsum in Euangelio præcipitur, vt non renunciet domui discipulus? vt mortuo patri non exhibeat sepulturam? Et de sanctis, inquit, non exiet, & non contaminabitur sanctificatio Dei eius, quia sanctum oleum vnctionis à Deo super eum est. Certè postquàm credimus in Christum, & oleo vnctionis eius accepto illum portamus in nobis, non debemus exire de templo, id est, de proposito Christiano: non foràs egredi, incredulitati videlicet gentilium commisceri, sed esse semper intrinsecus, id est, voluntati Domini ministrare.

Ioſ. 24. * *al. peccati* *Rom. 5.* *Gen. 25.* *1. Pet 2.* *Leuit. 10.* *Leuit. 21.* * *al. mysteriys.* *Luc. 9.* *Matth 8.* *Leuit. 21*

V. Hæc idcircò dicimus, nè ignorantia scripturarum authoritatem tibi præberet in luctu, & videreris rationabiliter errare. Et adhuc sic loquutus sum, quasi vnam de turbis conuenerim Christianam. Nunc verò cùm sciam toti te renunciasse mundo, & abiectis calcatisque delicijs seculi, orationi, ieiunijs, lectioni vacare quotidiè, cùm ad exemplum Abraham cupias exire de terra tua, & de cogitatione tua, vt & Chaldæis & Mesopotamia derelictis, terram repromissionis introeas, cùm omnem substantiolam, aut pauperibus dilargita sis, aut filijs ante mortem mundo mortua dederis: miror te ea facere, quæ si facerent cæteræ, reprehensione dignæ viderentur. Redit tibi in memoriam confabulatio eius, blanditiæ, sermo, consortium, & quòd his careas, pati non potes. Ignoscimus matris lachrymis, sed modum quærimus in dolore. Si parentem cogito, non reprehendo quòd plangis. Si Christianam & monacham, istis nominibus mater excluditur. Recens vulnus est, & tactus iste, quo blandior, non tam curat, quàm exasperat. Attamen quod tempore mitigandum est, curatione non vincitur? Nam & Noëmi famem fugiens, in terra Moab & maritum perdidit, & filios. Et cùm suorum auxilio esset destituta, Ruth alienigena ab eius latere non recedit. Vide quanti meriti sit desertæ præstitisse solatium. Ex eius semine Christus oritur. Respice Iob. quanta sustinuit, & videbis te nimiũ delicatam, illum erectis in cælum oculis, inter ruinas domûs, pœnas vlceris, innumeras orbitates, & ad extremum vxoris insidias, inuictam tenuisse patientiam. Scio quòd responsura sis: hoc illi quasi iusto ad probationem euenisse. Et tu è duobus elige, quod velis: aut sancta es, & probaris: aut peccatrix, & iniustè quereris, minora sustinens, quàm mereris. Quid vetera replicem? Præsentia exempla sectare. Sancta Melania, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus, mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo, non fallam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuadere? Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditius, inquit tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Sed forsitan superatur in cæteris. Quinimmò qua illos mente contempserit, in vnico postea filio probat: cui omni, quam habebat, possessione concessa, ingruente iam hyeme, Hierosolymam nauigauit. Parce quæso tibi, parce filiæ cum Christo iam regnanti, parce saltem Eustochio tuæ, cuius parua adhuc ætas & rudis penè infantia, te magistrante dirigitur. Sæuit nunc diabolus, & quia vnam cernit de tuis liberis triumphantem, obtritum se esse condolens, quærit in remanente victoriam, quam in præeunte iam perdidit. Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. Abraham vnicum filium lætus interficit, & tu vnam de pluribus quereris coronatam.

Ruth. 1. *Matth. 1.* *Iob. 1. 2.*

Melaniæ virtus.

Lymphatici dicuntur furiosi, q creditũ sit ab antiquis auctore Festo, ex nymphæ in ags aspectu furorẽ nasci.

Gen. 22

VI. Non possum sine gemitu eloqui, quod dicturus sum. Cum de media pompa funeris te exanimem referrent, hoc inter se populus mussitabat. Nonne illud est, quod sæpius dicebamus? Dolet filiam ieiunijs interfectam, quòd non vel de secundo eius matrimonio tenuerit nepotes. Quousque genus detestabile monachorum non vrbe pellitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus? Matronam miserabilem seduxerunt, quæ quia monacha esse noluerit, hinc

Verba ipsa nostrorum hæreticorũ contra Monachos.

hinc probatur, quod nulla gentilium ita suos vnquam fleuerit filios. Qualem putas ad istas voces Christum habuisse tristitiam? Quomodo exultasse satanam, qui nunc tuam animam eripere festinans, & pij tibi proponēs doloris illecebram, dum ante oculos tuos, filiæ semper imago versatur, cupit matrem simul necare victricis, & solitudinem sororis inuadere relictæ. Non vt terream loquar, sed, vt mihi testis est Dominus, quasi ante tribunal eius assistēs, in hæc te verba conuenio: Detestandæ sunt istæ lachrymæ, plenæ sacrilegio, incredulitate plenissimæ, quæ non habent modū, quæ vsque ad viciniam mortis accedunt. Vlulas & exclamitas, & quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui
Matth. 9. semper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Iesus, & dicit: Quid ploras? Non est mortua puella, sed dormit, Irrideant circunstantes. Ista infidelitas Iudæorum est. Te quoque, si ad sepulcrum filiæ volueris volutari, angelus
Luc. 24. increpabit: Quid quæris viuentem cum mortuis? Quod quia Maria fecerat Magdalene, post quàm vocem Domini se
Iohan. 20. clamantis agnouit, ad eius prouoluta pedes, audit: Nè tetigeris me: necdum enim ascendi ad patrem meum: id est, Non mereris tangere resurgentem, quem mortuum existimas in sepulchro. Quas nunc existimas Blesillam nostram pati cruces, quæ ferre tormenta, quòd tibi Christum videat subiratum? Clamat nunc illa lugenti: Si vnquam me amasti mater, si tua vbera suxi, si tuis instituta sum monitis, nè inuideas gloriæ meæ: nec hoc agas, vt à nobis in perpetuum separemur. Putas me esse solam? Habeo pro te Mariam, matrem Domini. Multas hic video, quas antè ne-
Luc. 2. sciebam. O quanto melior est iste comitatus. Habeo Annam, quondam in Euangelio prophetantem: &, quò magis gaudeas, tantorum annorum labores, ego in tribus mensibus consequuta sum. Vnam palmam castitatis accepimus.
* *al. curpla cere Christo non vis.* Misereris meî, quia mundum reliqui? At ego vestrî sortem doleo, quos adhuc seculi carcer includit, quos quotidie in acie præliantes, nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum pertrahunt ad ruinam. Si vis, vt mater mea sis, * cura placere Christo. Non agnosco matrem, meo Domino displicentem. Loquitur illa & alia
Blesilla rogat Dominū pro matre, & veniā peccatorū impetrat Hieronymo. multa, quæ taceo, & pro te Dominum rogat, mihique vt de eius mente securus sim, veniam impetrat peccatorum: quòd monui, quòd hortatus sum, quòd inuidiam propinquorum, vt salua esset excepi. Itaq; dum spiritus hos artus regit, dum vitæ huius fruimur commeatu, spondeo, promitto, polliceor illam mea lingua rosonabit, illi mei dedicabuntur labores, illi meum sudabit ingenium. Nulla erit pagina, quæ non Blesillam sonet: quocunque sermonis nostri monumenta peruenerint, illa cum meis opusculis peregrinabitur: hanc in mea mente defixam legent virgines, viduæ, monachi, sacerdotes. Breuis vitæ spatium æterna memoria compensabit, quæ cum Christo viuit in cælis, in hominum quoque ore victura est. Transibit & præsens ætas, sequentur secula post futura, quæ sine amore sine inuidia
Blesilla cū Christo viuit in cælis. iudicabunt. Inter Paulæ Eustochiique nomen media ponetur: nunquam in meis moritura est libris: audiet me semper loquentem, cum sorore, cum matre.

AN. 380.

VITA S. GAVDENTII NOVARIENSIS EPISCOPI. ET CONFESSORIS EX TOMO PRIMO MOMBRITII.

22. IAN.

Psal. 80.

VM sanctorum præcedentium vitam, virtutesque impensius considerarem, repente diuino nutu ad B. I.
Gaudentij celeberrimi acta succurrit memoria, & licet per quanta & qualia signa eum Dominus illustrare decreuerit, tantillus famulus, vtpote rudis eloquio, prouidere non satis queo, quod ad tantum onus impar & indignus sum. Tamen diuina fultus auctoritate, quæ ait: Aperi os tuum, & ego impleboillud; seu & meritis prędicti pontificis & patroni circumfusus, operæ pretium est, vt saltē de pluribus pauxilla narrare, quasi socordiam vitans, aggrediar. Ita duntaxat vt & B. Laurentij martyris, itemque patroni ex parte non subtrahatur iudicium, vt quos Ambrosius vicissim radiatus, per collegium fidei glutino sociauerat, non dispar videatur resonare triumphus. Huius ergo callibus iam dictus sacer sophysticè adhærens vitando prospera, mundi calcauit aduersa, & ideoque poli sede locatus victor cum angelis triumphat.

S. Gaudētii patria & p sapia. B. ergò Gaudentius Eboregiensis vrbis regionis Hispaniæ, quæ mœnia alpium Europæ finibus proxima est, nobili II.
genere & ciuib. penè primoribus ortus fuit. Sed intra Ausoniam vrbis Nouariæ postmodum egregius pastor emicuit, ibiq; viginti annis cathedram sacerdotalem obtinuit, & glorioso excessu patronus effectus est: imò diuinæ gratiæ cælitus fulgore irradiatus, mentisq; nitore addito. quasi refulgens Lucifer inter astra processit; hinc enim ab ipsis cunabulis
Eius infantia & iuuētus. adeò in religionis propositum exarserat, tantæq; sapientiæ studijs primitiua lactabatur infantia, vt post iuuenili ætate ecclesiasticā regulam toto conamine diligendo insequeretur. Ita semetipsum ppria disciplina coërcebat intētus quasi futura specie indicans, qualis in templo Dei præpararetur sacerdos. Nam etsi iuuenilis quidem, & minus perfectę esset ætatis, videbatur perfectissimè tamen castitatis indicium continens, quasi quoddam primum fundamētum in anima ipsam continentiam collocauit: sic deinde ad adolescentiæ reprimendas cupiditates, & sapientiæ fructus adipiscēdos, orationibus sese & abstinentiæ frænis castigabat, multosq; ad se venientes perfectæ vitæ institutis informabat. Porro euangelica semina licet rudi eloquio indigenis serenda committebat, seu etiam parentes, quos adhuc gentilitas detinebat religiosa solicitudine ad fidei gratiam prouocabat, felix tanti meriti, tantæq; persona virtutis: cui concessum est primum doctorem esse, deinde sacerdotem, quod docuit verbis euidentibus, compleuit exemplis. Interea clarescere
Mirac alis claret. cœpit signis, & virtutū miraculis adornari, nā & ægros sua oratione curauit, & dæmones verbo imperans fugabat. Hic totis viriib. mitissimus vir desudās, ne seculi huius aura fauoris delectatur, aures suas arrogantiæ pollutione macularet.

IGITVR cum hæc à beatiss. viro gererentur, ille virulentus persuasor & totius bonitatis æmulus humaniq; generis III.
inimicus, cernens quotidie per ipsum perfectam plebem Christo Domino comparari, callida persuasione nititur plu-
A suis despectui habetur. rimorum mentes impugnare, & ab optimo proposito reuocare; vsq; adeò vt Dei famulo aperta machinatione resistētes, contumacem illum & despectabilem attrectarent. Impletum est itaque in illo, quod scriptum est: nemo propheta *Ioan. 4.* sine honore, nisi in patria sua; idcircò non multas ibidem visus est operari virtutes, quod ob eorum accidit incredulitatem. Verùm dum nonnullos pie credentes splendor lucis attenderat, aliqua vero impiè derogantes tetra caligo suffuderat, sequaces currunt ad gloriam, perfidi meritam trahuntur ad pœnam. Illorum denique pertinaciam beatissimus
* *memorās, hoc loco videtur deesse.* adnimaduertens vir, grandi admodum mœrore afficitur, * B. Apostoli Pauli optantis se anathema fieri à Christo pro fratribus cognatis secundùm carnem. Sed tamen alta consideratione perpendens quam occulto & subtili Dei iudicio *Rom. 9.* agatur, quam quorundā auribus prædicatio sancta subtrahatur, quia per gratiam suscitari non merentur, sicut scriptū est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Itaq; carnalem cognitionē pro nihilo ducens, quasi hostes Cath. religionis
Cognatos carnales auersatur. abhorruit, adeò vt omnem eorum conuersationem detestatus, Dauidico suffultus exemplo aieret intra se: Non sedeā *Psal. 25.* in concilio malignantium, & cum sceleratis non amplius communicabo, sed adhærebo innocentibus, & circundabo altare tuum Domine, ne cum impijs mēsam participando, fiat mihi in scandalū. Moxq; cœpit sanctorum patrum priscorum acta ad mentis oculos reducere, considerans quemadmodum sancti patres diuina implendo mandata angelicorum ciuium participes effecti cœlorum adipisci regna meruerunt: qui tamen Habraam Dei amicum diuino iussu de
Genes. 12. terra & cognatione sua exisse, multosq; alios Dei electos relinquendo terrena centies multiplicato fœnore in cælestibus accepisse. Protinus omni cum velocitate diuina iussa implere festinans, renunciansq; omnibus, non surdus euan-
A patria exulat. gelij auditor factus, abrenunciauit semetipsum sibi, tulit crucē suam, & secutus est Christum. Ita factum est, vt quanto *Luc. 14.* pro Christi nomine longius à solo discederet paterno, tantum quotidie mereretur fieri cælo vicinior.

IGITVR

IV. IGITVR inde progressus non [a] multis euolutis diebus Nouariæ se recipit, ibique Laurentium presbyterum multo ante ab occiduis partibus pro Christi nomine aduenisse reperit. Quo fidei feruore [b] restitutus contra gentiliũ malignam perfidiam, quasi signifer & belligerator inter hostiles fremitus per medias acies dimicabat, quin etiam fide cinctus propriis manibus hinc procul ab vrbe sacros construxerat fontes in quos iugiter baptismum in sanctę Trinitatis nomine celebratur. Deum quoque in Trinitate perfectum non desinebat, gentibus insinuare quam nouerat, eiusque iudicium & misericordiam anteponens paulatim studebat Deo sociare animas, quas diabolo sua prædicatione auferebat, miroque modo actum est, vt inermi viro haudquaquam plebs armata posset resistere. Tantas etiam per illũ Dominus dignabatur exercere virtutes, vt rebelliũm corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret. Sed dum [c] quodam die iuxta morem innumerabilem turbam paruulorum, baptismi gratia renatam Domino cõsecrasset, & inter nefanda Mausolei cultorum agmina intrepidus pergeret, ab impijs vnà cum multitudine paruulorum tunc baptizatorum martyrio coronatus, vitam finiuit præsentem: sed æternam in cælis cum angelis adeptus victor triumphat: cuius venerabile corpus hactenus & vsque in præsentem diem multis quotidie signis & miraculis sanitatum in ipsa vrbe Nouaria coruscat. Sed gratias tibi Domine Iesu, qui infestantis inimici tela, probationem tuorum fidelium permisisti esse, non vulnera, & talem tuis præstas per laborẽ mercedẽ, vt nullum tuorum fuisse gaudeat hostis imbellẽ.

[a] Nouariã venit.

[b] S Laurentii Nouariensis Ecclesiæ presbyteri encomium.

[c] Eius martyrium Vide Baron. anno 397.

V. IGITVR dum ad particularis patroni gesta suscepti officij tẽdit obsequium, non multa, quæ per eundem beatissimum Laurentium martyrem sunt gesta, prosequitur. Tamen immemores nos sui non fuisse sufficiat, in talibus enim causis magis conuenit fideli credere, quam possit humana relatio demonstrare. Igitur B.[d] Gauden. dum ad ipsum athletam Laurentiũ peruenisset, gratissime ab eo susceptus est, cui gradatim adhærendo & diuinis monitis obsequendo, ithridicus æmulator factus, & plenissime in S. Trinitatis norma eruditus, pari collegio diutius gregem pauit regiũ. Sed post glorioſum ipsius excessum, certũ est illum [e] B. Martino in Mediolano vrbe metropoli ꝓpter glorioſam illius doctrinã comitem scribam adhæsisse. Sed dum Constantij Imp. tempore Ariana hæresis toxicato radicis venenatæ flore pullulasset, & prædicto Imp. à quibusdam hostibus Cath fidei Valente & Vrsatio psuasum esset, vt beatiſſ. Euseb. Vercellensis [f] Episc. cum plerisq; Deo dignis pontificibus exilio condemnaretur, quod & ita factum est: Eodem tempore B. Gaudent. timore nudus, & fidei feruore vestitus, Christique charitate securus nihil de sua morte formidabat: sed vt Ioh. 15. p̃cipuam ac sublimẽ charitatem, qua Christus animã pro amicis ponere docuerat, in semetipsum formã ostenderet, & ostendẽdo manifestaret, concitus absq; dilatione adhærens beatissimo viro S. Eusebio confessori, ꝓmpto animo vnà cum ipso exilium expetijt, & vltrò cum eo pergit quasi minister & comes mori paratus, exul etiã diuino amore à sodaCant. 8. libus factus, q̃a vt scriptum est: valida vt mors est dilectio. O iure perfectissimũ virum, cuius imitatores ipsi esse desiderant sacerdotes, qui penè ab ipsis rudimentis tanta charitate flagrabat, vt in initio beatiſſ. Laurentio adhærẽs martyrij eius adiutor effectus, q. mitissimus lector ordinis sui officiũ doctissimè p̃sentaret. Dehinc beatiſs. Martini egregij cõfessoris sectator factus, ac pitissimus oĩum notariorum inuentus, q. seculi ordinis gradus ascendendo scandebat. Nunc a tanto confessori Euseb in suo discrimine iunctus magis vult consequi martyrium, q̃ ad põtificalem gradũ accedere. O Phil. 1. vere beatum per omnia virũ, qui secundùm Apost. Paulum optat dissolui & esse cũ Christo! cui viuere Christus est & mori lucrũ! Hinc datur intelligi, quanto amore Christũ diligebat, quando non formidabat in principatu Constantiũ: nam q̃a se ꝓ Christi capite sic ingerebat apto exitio, optabat martyriũ, si non defuisset ille pcussor. Cõstat igitur qualis tunc tẽporis beatiſſ. vir deuenerat p̃ceptor, qui tales tãq; pitos habuerat magistros. Sed nũc ad narrationis nostræ sermonẽ redeamus.

[d] Gaudent. S Laurentii discipulus.

[e] S. Martini Amanuẽsis.

[f] Cum Euseb. Vercellensi Episc. voluntariũ subit exi'iũ.

[g] De exilio Eusebii, & eius litteris ab exilio ad presbyteros Italię datis, vide 1. Augusti.

VI. ¶ POSTQVAM pastoris absentia Vercellensem plebẽ destitutã antiquus hostis ꝓspexerat, malignis quibusdam suasionib. atq; interno bello memoratã Dei ecclesiam, oẽmq; plebem visus est impugnare. Sed ocius opitulante [h] Deo adhæsit Dei clementia p aduentum B. Gaudentij, qui dum ab Euseb. pio pastore ꝓpter gregis custodiã in p̃dictam vrbẽ fuisset destinatus, vltra citraq; p̃cauens Dei gregi non siuit eũ lupi morsib. laniare, sed omni solicitudine secundũ Prophetam ex aduerso ascendens, ac murum opponens pro domo Israël, vt staret in prælio in die Domini, nimirũ vicem egregij pastoris in p̃dicta ecclesia rep̃sentans, pernox sup gregem omni cum solertia diutius vigilauit, vsq; dum remeanti, pastoris caulas hæriles illæsas assignauit. Tribus itaq; euolutis annis cũ redijsset Euseb. vtpote socius & collega eundem [i] Gauden. summo honore persecutus est, ac pro tanta vicissitudine vtrasq; Dei ecclesias demum communi regimine vtrique plebi quasi prospectores fuerunt, ac si ex duobus gregibus vnum ouile effectũ, vtrumque gregem indiuidua charitate coniunxerunt ex tunc & nũc, & vsque in præsentem diem Dei nutu plebs indiuisa permanere videtur. Inter hæc adest Dei mirabiliter magnificentia in sanctum suum, vt cœptæ opus virtutis prosperioribus successibus propagaret, & quasi cælitus lumen ostensum, totum orbem claritate superni luminis illustraret.

[h] Administrationem Vercellẽsis Eccles. exulãte Euseb. susciꝑit.

[i] Gaudentii & Eusebii animorum coniunctio.

VII. PER idem tempus beatissimus vir intra mœnia vrbis, non longè, vbi nuper sanctæ Dei matris [k] ecclesia sita cognoscitur, quoddã hospitiolum, ceu cœnobij claustra circumspectum ad habitãdum expetierat. Ad quod cum primũ fide armatus, & cõstantia accessisset intrepidus, [l] tradidit semetipsum integrè abstinentiæ plurimæ in ieiunijs, & vigilijs: Ita vt si quando parũ aliquid somni necessitas naturalis exigeret, hic non supra strati mollitiẽ, sicut nunquã consueuerat: sed supra solius matulæ cilicijq; dependeret superficiem. Ibid. quandam noctem dum penè vigilando insomnẽ duceret, subitò intempestæ noctis silentio casu cuiusdã demeantis ignis sup mœnia exortus est, ex quo ea circundans ingens excreuerat flamma, quæ vsq; eius hospitium citius deuenerat, vbi parump sapore tenebatur. Insuetam tandẽ per discipulum causam reperit, cursuq; p̃peti pergens flammarum focum canticis spiritualib. circuijt, immẽsæ altitudinis [m] signo crucis flammis resistere parat: quare ex omni parte vicinas adhærentesq; domos flammæ dum tangerent, in se reuersæ cæteras non audẽt domos contingere, exultans ad hospitiũ pergit, ibiq; canẽs matutinis horis debitas psoluit laudes.

[k] Habitationis eius sedes

[l] Eius exercitia.

[m] Signo crucis flammas reprimit.

VIII. NON multo post eũ vir beatissimus decus ecclesiarũ Ambr. sanctæ Mediolan. ecclesiæ pontifex, pro quadam plebium dissensione ad Vercellensem vrbem ꝓperasset, & instar Solis radijs orbem totũ illustrans, inibi perennem pacis concordiã reliquisset, festinat ad sedem ꝓpriam remeare; Cumq; vesperascente iam die Nouariensem p̃teriret vrbem, & festinans ad locũ ꝓpositum ꝓperaret, distulit videre B. virum, dicens comitibus suis: Debueramus videre Reuerẽn. Gaudentiũ, sed iam declinat dies ad vesperũ. His dictis carpebat iter ꝙ cœperat, [n] nec multo post indè ꝓgressus subitò stetit equus beatissimi Ambr. nec vltra eum mouere potuit, cœpit itaq; equũ flagello cædere, & calcaribus cruentare, equus verò imobilis pmanens cœptum iter quasi p̃cipuũ mortale ptimescebat. Cumq; diu cædendo tantus vir fatigaretur, protinus diuino radiatus spiritu, iuxta morẽ ad semetipsum reuersus, dixit: Non nobis permittitur cœptum iter pagere, nisi viderimus B. Gaudẽtium. Hęc cùm dixisset, statim retorquens vestigiũ ad vrbem regressus, quo voluit, iuit; sed volens. B. Gaudentius vbi p spiritum tantũ virum ad se venientẽ agnouit ilicò obuiam ei tentauit occurrere. At ille intuens eum alacri [o] animo amplexus & osculatus est, & quasi increpando mysteriũ annuntians, dixit ei: Episcopus eris vt video. Ille verò, qui meritis idemq; futura p̃uidens, placabili facie vt erat, non subiurgãdo: sed quasi vicissitudinem reddendo respondens, dixit ei: vtiq; sed ero sacrandus ab altero. Id actum est, vt causam paris miraculi vno locuti spiritu, ille in re, iste in tempore, vterq; futura vaticinatus est: dehinc vicissim sibi valefacientes, [p] S. Ambrosius metropolim suam repetiuit. At non longum post tempus secundùm B. Gaudentij vaticinium glorioso excessu migrauit ad Dominum, dignum sibi beatissimum Simplicianum ipse post funus prædicendo successorem relinquens.

[n] S. Ambrosius Episcopus Mediolan. equum promouere non potest, nisi salutato S Gaudentio.

[o] Prælagiũ Ambrosii de Episcopatu Gaudentii: & Gaudentii

Sed

de morte Ambrosii.

[q] S. Ambrosius moritur anno 397. vt habet Bar.

SED iam appropinquabat desideratum tempus votis omnium optatum, vt plebs diutiùs exspectata pontificem IX.
sibi fore beatissimum Gaudentium terreno principi orando expeteret, quem nouerat omninò cælesti principi bene
complacuisse. Nihilominus tenuem eum paucis verbis legationis formulam mittunt, optatam patefacientes causam,
S Abundius fit Episcop' Nouarien. Vide Bar. anno 397. *Rom.* 1. orantesq; vt precum suarum dignetur fieri clemens auditor. Ita vt Deo dignus beatus Gaudentius ad sacrum culmen
euectus sedem tandem regiminis susciperet. Repente cælesti dono princeps vsus subtilitate concilij, omniumque re-
pressa cupiditate iussit sine dilatione impleri, quod diuina prouidentia fuerat prædestinatum, & ita Domino procu-
rante episcopales apices meruit primus & Nouariensem sedem. Dectus igitur pontificale à beatissimo Simpliciano
Archiepiscopo nactus magis oneri fuit. Factus est deniq; omnia omnibus, non quærens quæ sibi vtilia essent, sed quæ
multis vt salui fierent, & subito velut lampadem quandam sacerdotem suum Dominus accendere dignatus est, augẽs
quotidiè per ipsum prædicationem verbi & salutaria semina regni cælorum. Mox vsque adeò in emendatione popu-
Mausolei cultores ad fidem conuertit & baptizat. li vetustis infectum venenis perfecit, vt impij Mausolei cultores, qui dudum beatum Laurentium martyrem fecerant
quasi nouellam lucem veritatis sibi aspicere viderentur, vt ita nullum sine mora absque baptismi gratia in vrbe sibi cę-
litus tradita habitare permisisset: nam qui meruerat esse confessor non cunctatus est trucibus populis accedere prædi-
cator. Sed cùm pro eorum conuersione iugiter Dominum deprecaretur ac doceret, eos per baptismum habere remis-
sionem peccatorum, & non aliter posse eos saluari; quasi veri solis radij in eorum corda resplenderent, obstupentes,
ac reuelata facie Dei intuentes gloriam, & antiquæ pœnæ errore fideli confessione volentes ab ipso pontifice bapti-
zati sunt. Diuino igitur munere bellator egregius prædam inimico abstraxit, auctori restituit.

BREVE & post tempus tanta in eum virtutum gratia augebatur, vt non minus per ipsum signa, quam dudum per X.
Claret in vita miraculis. Apostolos fierent. Nam vt paulò superius diximus, qui in iuuentute positus, dæmones verbo fugaret, & ægros sua ora-
tione sanaret, magnificari visus est Deus quotidie per sanctum suum virtutes exercendo: ita vt posthac cæcis visum,
surdis auditum, locutionem redderet mutis, claudis gressum integraret; & quod longum esset enarrare per singula.
Ioan. 10. Porrò quia dudum in terris positus Dominus & Saluator discipulis dixerat, si credideritis in me, opera quæ ego facio,
Ablutio manuum eius infirmis medetur. & vos facietis; adeò eum ad fidei amorem virum beatum spiritualis flamma succenderat, vt si quisquam aquam distil-
lantem à manibus eius cùm diluerentur occultè, præriperet, & languentis cuiusq; corpus attingeret, apertissima per-
inde medela sequebatur. Sed & quanta, aut quæ per eum Dominus postremo egerit signa, non alijs nisi qui oculis tan-
tum suis intuiti sunt, putantur esse credẽda. Porrò sine intermissione studebat beatissimus vir diuinis epulis omnium
Matth. 10. *1. Tim.* 6. *1 Cor.* 9. reficere corda, agendo ne prætermitterent mandata, prorsus replicans illud Saluatoris edictum: Nolite possidere au-
rum, neque argentum, sed secundùm Apostolum, habentes victum & vestitum, his contenti simus. Ipse verò totis vi-
ribus elaborabat, castigans corpus suum, & in seruitutem redigens, ne fortè alijs prædicans ipse reprobus efficeretur,
eatenus vt prædicando & operando duplicatum de negotio lucrum ad Dominum reportaret. Et quoniam secũdùm
Saluatoris vocem, ea quæ docuit, ipse prius per omnia fecerat, quis dubitet illum magnum in regno cælorum esse? fuit
enim sacerdos Dei, pontificalem petasum gestans, qui in semetipsum crucifigendo corpus, & persequendo vitia mor-
tificatione carnis, nouum adeptus est martyrium. Sed cùm satis abundeque ecclesias, monasteria, cellasque per paro-
chias construxerit, & innumerabilium clericorum pater effectus exultaret de summo studio filiorum; tandem fœnus
repositum ab æterno patre parat exigere. Dominus itaque consolare ac remunerari seruum fidelem non distulit. Nam
cum iam quatuor lustra in pontificali gradu complesset, & vicinum suum obitum ad futurum cognosceret, vtilius esse ratus est, vt dum superstes adhuc esset, successorem sibi futurum præsagijs ostendendo nuntiaret, ne imposterum a-
Sub finẽ vitæ Agapiũ successorẽ designat. liqua disceptatio, vt plerunq; fit de pastore futuro, inter gregem sibi cœlitus commissum oriretur. Itaque coacto clero
cum plebe, monuit primum, vt verba Dei, quæ per semetipsum reserata auribus perceperant, mente retinerent, ita vt
æternæ mortis periculum formidando, ad cæleste regnum quotidie properarent, & alia complura; hoc etiam addens,
vt vniuersus ecclesiæ populus futurum sibi pastorem, suumq; religiosum successorem virum prudẽtem Agapium no-
mine à Deo prædestinatum scirent, cunctiq; in eius electione vnanimiter concordando persisterent, ne contra diui-
nam præsentiam plebs inscia rebellare videretur: & dum talibus monitis virtute, qua poterat plebem docere beatissi-
Moritur. mus vir, non cessaret, nec multo pòst plenus dierum, meritorum splendore corruscans terrena terris commendat, spi-
ritus verò cælesti angelorum choro interesse desiderans, celsa conscendit: subito innumerabilium populorum vndiq;
caterua confluxit, constipantur mœnia, atria, omnes plateæ. Erat omnium planctus immensus, mœror intolerabilis,
ea tantummodo inter singultum verba dolentium gemitus extorquebant: Heu grex desolate, quid agis, en amisso pa-
Basilica à Gaudentio cõstrui cœpta ab Agapio perficitur. store dispergeris, & quis vnquam te à luporum rabidis dentibus quibit liberare? Per illud vero tempus basilica, vbi
nunc Dei sacerdos miro decore humatus resurrectionis tempus exspectat, summo nixu dudum ab eo construi cœpta,
sed necdum perfecta remanserat: quam postmodum vir beatus Agapius cum omni honore consummatam perfecit.
Interea destituta plebs gemina tristitia, tam pro excessu pastoris, quàm pro minus perfecta basilica, tantum angorẽ su-
stinere non valens, super pauimentum prostrati, humanum supra modum rugitum reddebant, ita duntaxat vt nec et-
iam ministris Ecclesiæ permitteretur libertas officij persoluendi.

TANDEM vir sanctissimus plebem, quam corpore, non affectu reliquerat, spiritu visitare properat. Nec mora cæ- XI.
Corpus eius ad Ecclesiã Diuæ virginis defertur litus diuina inspiratio sic omnium corda perfudit, vt venerabile corpus in sanctam Dei matris Ecclesiam, non huma-
no sepulchro: sed reseruandum solo deponi deberet, vsque dum prædicta aula tanti pontificis præparata à viro reue-
rendo Agapio successore consummata perficeretur. Denique vniuersa populi multitudo diuina illustratione radiata,
præteritisque eius virtutibus roborata omnem ambiguitatem de corruptione sacri corporis iuxta morem abijcientes,
sanctum ac venerabile corpus in ligneam secretarij tabulam superponentes, omni veneratione sanctas exequias inibi
constituentes persoluendas, iugiter persenserunt: atque ita sacratum corpus roseo fulgore micans, odorisque fragran-
tia redolens ab vndecimo Calendas Februarias vsque ad tertium Nonas Augustas inhumatum fuisse quis ambigat?
quod tamen corpus non paruum miraculum in semetipsum ostendendo quotidie à pluribus videbatur, ei verò capitis
genæque cæsaries vngueisque manuum ac pedum, vt olim viuenti; ita multis videntibus iugiter crescendo germina-
bant. Ob hoc ergo beatissimus talia in corpore suo meruit ostendere signa, quatenus cunctis videntibus daretur intel-
ligi, vt quem primum in terra mortuum sine consolatione lugebant, hunc postmodum viuentem in cælis cum ange-
lis crederent. Post hæc verò signa ita affatim varijs infirmitatibus salutem reddẽdo se prodidit esse præsentem, vt quasi
cælitus ostensum lumen, aut radius quidam Solis erumpens totum claritate superni luminis illustraret. Ex quo ex non
Ad illud plurimi sanitatis gratia confugiunt. paucis vicis ciuitatibusque non vicinis tantum, verum etiam peregrinis immensa multitudo populi ob tam aperta mi-
racula ad sanctum & venerabile corpus confluebat.

INTER hæc beatus Agapius vnà cum omni populo ante dictam basilicam ingenti sumptu, cultuque eximio con- XII.
Humatur. summatam debitis ceremonijs dedicauerunt. Senis deinde post defunctum mensibus, bis senis diebus additis san-
ctum corpus incorruptum, velut vnius diei pòst, funus summo honore sepulchro tradiderunt, vbi quotidie operante
Domino nostro Iesu Christo merita illius celebri populorum frequentia claresc̃unt, quo fit, vt experiantur infirmi,
quàm Dei famulum illis conueniat honorare, vbi recipit cæcitas visum, debilitas gressum, & obstrictæ aurium ianuæ
capessere auditum merentur; & quã in vniuersos fines eius virtutum mira claritas refulsit, vix cuiquam licere puto ex-
primere, vnũ tamen de multis celebrandum miraculũ, vt potero memorabo.

PVEL-

XIII. PVELLA [a] in vrbe Roma nobili stirpe procreata, innumerabiles opes, immensasque diuitias possidebat: dum verò die quadam secreta pomerii sui lustraret, dæmonum telis improuida repentè cessit, pectusque fœdatum legionum templum efficitur, eamque sodales tandem petulcam reperiunt: non possunt pauci furentem vincere, quæ cunctis debacchata, dentibus frendens, rabido ore sodalium hostis efficiebatur. Interea vndique vallatam catenis muniunt, ad beati [b] Petri principis Apostolorum ducunt, ad locum tumulo eius sacro pertrahentes admouent. Tum demum dæmonum phalanx per obsessum corpus in modum organi varias exprimit voces; & nunc vibrans venena serpentis, sibilos perflat, nunc mugitus pecudum, balatusque ouium, nunc crocitatus auium, aut ferarum rugitus imitatur. Tandem beatissimus Petrus Apostolorum princeps pietate motus, per quendam sanctissimum virum mysticam dignatur manifestare virtutem; monet sodales longinquam subire viam, Hesperiam cunctam lustrare, propero cursu [c] Nouariæ contendere ciuitatem, si modo salutem miseræ oppetunt, quam dæmonum vincla tenent, quodque beati Gaudentij Confessoris limina adirent, futuram vt eius meritis pristinam paruo tempore captiua reciperet sospitatem. Ilico iussis superni ianitoris parentes arripiunt iter, ac quingentis millibus fere vrbem Nouariam perueniunt, vbi puella mox vt templum ingressa est, dæmonum vexatione statim liberata conspicitur, ferreis catenis soluitur, illicoque ad beati corporis sedem peruenit, atque profusis gemitibus, genisque rorantibus lauit. Tum sanata attollens ad sancta mysteria vultum, grates refert pro tanto dono salutis. Mox mirante populo eiusdem sodalibus, plebs valida surgit, dat laudem Domino Christo, & sic demum exultans properat reuisere cognatos incolumes, remeando propere ad propria pergit, vsque dum ouans perueniret tandem sospes in vrbem. Hæc competenter gesta hoc modo, ilicet rabiosæ parentes cunctique pro ea afflicti velut salutem receperunt suam.

[a] Puella nobilis Romana a dæmonum legione occupatur.
[b] Ad tumulum S. Petri adducitur.
[c] Nouariã ad sepulchrum S. Gaudẽtij ire iubetur. Ibidem curatur.

XIV. INTEREA gratia plebis salusque veneranda micabat, quam cuncta per ora fulgens delituit fama, ita vt eum Propheta plebs vniuersa clamaret: Visitasti Domine terram & inebriasti eam. O quanta tibi gloria Christe per eum qui vt famulum tuum parem beato ostenderes Petro, per eiusdem superni ianitoris responsa tanto miraculo illum declarare voluisti. Quæ res ita vbique inter cætera eius miracula splendore gloriæ respersa coruscat, vt vniuersus populus vrbis Nouariæ laudem Deo canat, dicatque: Posuisti Domine desertum in stagnum aquę, & terram sine aqua in exitus aquarum; vnde & præsens Ecclesia clamat: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Verè tua sunt hæc Domine gratuita dona, tuæ fonte pietatis viuam aquam ignaris infundis, & inania pectora supples. Nam vt tantarum virtutum miracula & gesta retexam, nec sufficit mens sterilis, nec pagina vilis. Hæc pauca ausus properè percurrere verbis, signaui indoctis populis relegenda, fidelibus meritis fultus beati Papæ Leonis, qui Deo auspice supremus possedit sedem beati Gaudentij Nouariensis ciuitatis, quæ gaudet per eum plebs vniuersa patronum. His gestis beati viri vt si indignis quibuscunque explicata sunt, dictis nunc tempore congruo terminum dare disponimus introrsus ad conscientiam redire festinantes. Et quidem indigni famuli dum imitari non possumus, patronum nobis fieri precibus postulamus vt eius meritis adiuuemur, cuius natalitia celebramus, eo opitulante, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita secula seculorum.

Psal. 64.
Psal. 106.
Psal. 117.

CERTAMEN S. P. N. CLEMENTIS ANCYRANI EPISCOPI ET MARTYRIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

AN. 250.

I. POST ducentesimum & quinquagesimum annum Domini nostri Iesu Christi, anno duodecimo Valeriani Imperatoris, Consulibus ipso Valeriano & Luciano, ille verè magnus & admirabilis Clemens, Ancyræ Galatarum prouinciæ, tanquam egregius aliquis palmes, multis boni spiritûs botris erat omni ex parte plenus. Ea enim cùm ipsum tulisset, & multis etiam alijs ciuitatibus misisset præclarum exemplar martyrij, ipsa quoque collegit pulchros fructus consummationis. Erat autem genere insignis, ex nobili quidem & alto deductus sanguine Erat enim ei pater & mater, hæc quidem ex ambobus parentibus claris & fidelibus: ille autem in religione à Sophia fideli valdè dissidens, & gentili deditus stultitiæ. Nam cùm eam haberet vitæ sociam & habitationis, multa semper dicens & faciens, conabatur eam facere sociam religionis. Ea autem cùm animi magnitudine maritum superaret, hoc maiori studio contendebat, vt si qua ratione fieri posset, eum deduceret ad veram pietatem. Sed ille quidem dormiens in profundis erroris tenebris, erat sua sponte malus, & recusabat adspicere magnam lucem veritatis. Quocirca sic quoque miser duplici morte moritur, nempe carnis & animæ: Solus autem vxori filius, hic Clemens admirabilis, ex ipso relinquitur, adhuc infans, & quem mater suis tenebat vlnis, & eius alebatur vbere.

IAN. 23. Patria Clementis.

Parentes.

II. CÙM sic ergò esset mater marito vidua, labaretque adhuc spes eius de puero, ei tantam dabat operam, & ei tam diligenter attendebat, vt ei esset omnia, & pater, & pædagogus, & mater. Nam primùm quidem eum studiosè alebat, & ea faciebat, quæ par est matrem filio. Cùm autem iam ad eam peruenisset ætatem, in qua sunt pueri capaces disciplinarum, ei rectam pietatis rationem rectè sapiens suggessit, vt quæ eum rectè Clementem nominauerit, vel potius propheticè, & vt fini conueniebat. Sciebat enim eum futurum veluti quendam palmitem veræ Christi vineæ, & ei productum esse fructum multarum animarum, etiamsi multi reges, veluti quidam non boni agricolæ, eum sæpè multis totonderint supplicijs, vt deinceps procedens declarabit oratio. Cùm ita se haberet Clemens, & à matre beneuola tam pulchrè aleretur atque educaretur, propinquum illa sentiens decessum, puerum benignè & amanter complexa, qui duodecimum nondum annum compleuerat, non magis eum suarum facultatum, quàm thesauri, qui est in cælis, hæredem conabatur facere, hæc cum suauissimis ei mandans amplexibus:

Clemens ἀπὸ τοῦ κλήματος, quod significat palmitem.

III. FILI mi, fili charissime, fili, qui prius, quàm tuum videres patrem, vidisti orbitatem, Dei autem patris opibus es locupletatus, & orbitate vsus es ad felicitatem: ego quidem te produxi corpore, Christus autem regenerauit per spiritum. Cognosce tuum patrem, vide nè eius filij denominatio sit tibi falsò imposita. Serui soli Christo, in Christum tuam colloca fiduciam Is verè est immortalitas, is salus, is qui de cælo descendit propter nos, & nos quoque vnà secum in altum extulit, & filios suos effecit, & deos Qui ergò huic paret Domino, superabit quæcunque sunt difficilia, non solùm, qui simulacra honorant, Tyrannos & Reges deprimens & deijciens, sed eos etiam, qui ab ipsis honorantur, dæmones pudore afficiens, eorumque ducem & Præsidem diabolum. Deindè inter loquendum oculos suffusa lachrymis, & diuina contemplatione impleta à gratia, ea etiam, quæ erant euentura Clementi, persequitur vel maximè propheticè. &, Rogo te, dicebat, fili charissime, rogo te, vt mihi des vnam gratiam pro omnibus. Quoniam enim instat tempus difficile, & vehementer spirat impietatis persecutio: es autem ipse quoque, vt noster dicit Dominus, ad reges propter ipsum Præsidesque ducendus, hunc mihi honorem concede fili, vt pro ipso stes fortis & strenuus, & mihi firmam ac stabilem conserues confessionem: & confido in Christo meo ô membrum meum, confido, quòd citò in tuo quoque capite florebit corona martyrij.

Matris morituræ ad eum oratio

Matth. 10.

Hortatur eum ad cõstantiam.

IV. PARA ergò teipsum, & ad magni animi virtutem tuam incita animam, nè te imparatum offendant certamina. Non enim aduersus hostes contemnendos, neque de rebus leuibus est decertatio. Sed sunt aduersarij quidem ipse malignus, illiusque ministri & satellites: agitur autem de vita æterna & honore, aut rursus de dedecore, quod nunquam

terminatur & supplicio. Aut ergò te bona adhortentur, aut grauia deterreant. Turpe est, ô fili, milites quidem pro conseruo & mortali rege lubenter mortem oppetere, nos verò non hoc velle similiter subire pro rege immortali. Quanquam ipsi quidem ab eo nihil accipiunt, quod respondeat meritis tantæ beneuolentiæ. Quod enim donum tanti est momenti, quanti vita? aut quisnam post mortem est sensus eorum, quæ donantur? Sed si mortuus fueris pro Christo communi omnium Domino, pro vita, quæ est ad tempus, habebis immortalem: pro delicijs & gloria & quæ semper fluunt diuitijs, æterna fruéris beatitudine. Quid verò, etsi nunc non moriamur? non paulò post omnino moriemur, & omnibus commune reddemus debitum? Et alioqui quæ propter Christum mors suscipitur, ne mors quidem iure existimabitur. Semper enim meliore spe futurorum, eius sensus adimitur.

Merces Martyrum.

ANTE omnia autem, ô fili, illa sunt consideranda, quemadmodum ipse effector vniuersæ creatæ naturæ, & nostri generis opifex, propter nos homo factus est: & cùm in terram venisset, conuersatus est cum hominibus. Cur non dico id, quod est maximum, quòd pro nobis quoque ingratis famulis, Dominus morte est condemnatus, consputus, colaphis pulsatus, & postremò mortuus? Et hæc omnia ipse passus est propter nos & nostram salutem, vt peccati solueretur tyrannis, vt prior tolleretur condemnatio, vt cæli portæ nobis rursus aperirentur. Quomodo ergò non erimus venia indigni, ô fili, si ipse quidem pro nobis, qui grauissima perpetrauimus, isque cùm sit Dominus, talia passus sit: nos autem nè pauca quidem propter illum sustineamus? Hæc, ô fili, considera, & nihil te separet à charitate Christi, non minæ Præsidum, non tormenta ac supplicia, non metus regum, qui sunt ad tempus, quorum ira citò decidit cum supercilio, & ignis extinguitur, & ensis rubigine obducitur: sed potius te consolentur bona, quæ sunt parata Martyribus, & cælum ipsum, quod est tibi propositum præmium martyrij. V.

Cur passus Christus.

HÆC quotidie mater ei suggerebat, vt quæ eius, qui verè est sapientia, spiritum haberet per se loquentem, cùm puer iam esset canus prudentia etiam ante ætatem, & profundiore opus haberet admonitione. In fine autem hęc quoque adiecit: Hæc mihi tuæ matri redde, ô fili, pro tui nutritione: hæc sit mihi merces meorum in te pariendo dolorum, ô fili iucundissime, vt ego quoque mater, ex Pauli sententia, salua fiam per liberorum procreationem, & in membris filij glorificer. Ecce enim, ô fili, ego quidem iam recedo, (senserat enim se morientem, virtute gratiæ) & hæc lux sensibilis mihi manè non illucescet. Tu verò mea in Christo lux & vita, & te rogo mea viscera, nè ea spe faliar, quàm de te concepi. Vna mulier Hebræa aliquando septem produxit Martyres, & ipsa in illorum septem decertauit corporibus. Tu autem vel solus mihi sufficies ad gloriam, & beata ego inter matres, quòd per te ero insignis. Ecce vado ante te, ô fili, & deinceps quidem corpore separor hodie à tuis suauissimis oculis: animam autem meam, post quam decessero, existima ô fili, à tua semper pendêre, cum qua confidenter Christi adorabo tribunal, tuis glorians laboribus, de tuis propter ipsum notis ac stigmatibus me magnificè circunspiciens, & magnificorum illorum præmiorum & lætitiæ futura particeps. VI.

1. *Tim.* 2. Prædicit obitum suũ mater eius. 2. *Mach.* 7.

HÆC mater dicebat filio, & simul omnia illius membra deosculabatur: Felix ego, rursus dicens, quòd membra Martyris deoseulor, membra offerenda Christo sacrificium. Sic ergò eum amplectens, & quàm suauissimè differens, verè beata quiete requieuit, cùm spiritum quidem Deo, corpus autem dulcissimis filij manibus commendasset. Ille autem, vt qui in beneuolam matrem fuisset semper pius filius, illud quidem sepelit splendidè & magnificè. Ipse verò vitam suscipit monasticam, hoc statim primùm matris concedens mandatis, vt à mundo propter Christum discederet, qui postea propter illum à vita quoque erat discessurus. Atque Clementi quidem sic matre orbato (Deum enim habebat patrem) ille ei rursus aliam inducit matrem, quæ nec nomine, nec moribus quidquam differebat à priore: ipsa quidem & genere insignis & diues, quæ ipsa quoque similiter vocabatur Sophia, & noctu & interdiù semper versabatur in orationibus. Cùm esset autem, si vlla alia, filiorum amantissima, carebat omninò filijs. Diuina verò prouidentia, quæ res eorum ex alto administrabat, nec ferens teneram Clementis ætatem esse à matre desertam, & rursus volens explere Sophiæ desiderium, Clementem sapienter ad ipsam adducens, vt adoptet efficit. Cùm re vera autem esset sapiẽs Sophia, in ea quæ est ex Deo sapientia, ipsa eum instituebat, & perindè ac ipsa eum peperisset, in Clementem erat affecta, & summam curam eius gerebat. Neque verò Clemens minus, quam par erat in matrem, amorem in eam ostendebat: sed puram quidem ac synceram in eam reuerentiam seruabat & desiderium. Præceptoribus autem plurimum quoque fructus mox reddidit, sicut bona quædam terra & pinguis, quæ nequaquam agricolam propter paucitatem molestia afficit: sed per eorum, quæ nascuntur, multitudinem prouocat potius ad alia deijcienda semina: ea quidem, quæ habebat, communia proponens ijs, qui egebant, ex æqualibus, suæ autem linguæ eos instituens sapientia, & eos ad agnitionem deducens veritatis. VII.

Obitus matris. Clemens fit monachus.

Adoptatur à Sophia, optima matrona.

CÙM itaque aliquando fames inuasisset Galatiam, & omnibus similiter hominibus & pecoribus afferret exitiũ, ipse tollens infantes gentilium, quicunque relicti fuerant orbati parẽtibus, & quicunque rursus propter paupertatem in viam proiecti fuerant, & amictu quo corpus tegerent & alimento egebant necessario, alebat, vestiebat, instituebat, & quod his erat longè maius, ad Deum adducebat: ea quidem, quæ ad corpus pertinebant, ex fidelis Sophiæ pecunijs lætus suppeditans: quæ autem ad doctrinam pietatis, & morum ornamentum, & animæ vtilitatem, à domo ipse proferens ex sapientia spiritûs. Quos quidem cùm & apud ipsum viuerent, & ab ipso rectè componerentur, & cum eo recti & salis & assidui essent sermonis participes, & illius doctrina indies irrigarentur, paulatim virtuti assuefecit, & procedente tempore excitatus est eorum animus, vt cum ipso admirabili Clemente decertarent. Quocirca non solùm multos habebat filios, sed eos bonos & bene educatos, Sophia, quæ prius carebat filijs, veluti quandam ciuitatem ex his construens adolescentibus, Deo vndique circundatam, qui est murus longè tutissimus. Clementi autem cum alijs virtutis laboribus, legumina quoque solum erant alimentum. Ab animatis enim omninò abstinebat, illorum triumsemper memor puerorum: quorum corpora cùm acuisset ieiunium, effecit vt expugnari quidem non possent ab igne vitiorum, neque fundi flamma fornacis sensilis. VIII.

Eius præclara facinora

Eius victus *Dan.* 3.

SED enim oportebat lucernam imponi candelabro, & videri ciuitatem, quæ est posita supra montem, & Clementem, qui resplendebat tanta luce virtutis, nanciscì sacerdotium, vt sic quoque pluribus fieret via salutis. Propterea & Dei è superis suffragio, & communi sententia omnium, qui erant in Galatia, primùm quidem sacer præco sacri attrij, deinde etiam paulò post diaconus creatur & presbyter. Cùm duo autem deindè anni præterijssent, ad Episcopalem quoq; sedem prouehitur, alius inter sacerdotes hic quoq; exortus Daniel, vt qui etiamsi esset iuuenis, omnem tamen sacerdotis senectutem virtute superasset, & ostendisset senectutem non esse huiusmodi, vt rerum bonarum omninò certos efficiat possessores: sed nonnunquam etiam rectè institutam iuuentutem esse virtutis non contemnendam custodem: nam vicesimum quidem annum iam attigerat. Cùm autem ei esset mandatus magistratus, maiorem curam gerebat orphanorum, eos primùm sacras docens scripturas, & deindè etiam diuino eos dignans baptismo, & ad eos, quos parerat, gradus, non omnes, sed dignos referens. Hinc factum est, vt ex locis vicinis omnes confluerent, suos filios ad ipsum ex toto animo adducentes. Quos quidem tanquam germanos suos filios suscipiens, similiter educabat atq; instituebat. Sed sunt hi quidem primi re vera fructus virtutis boni Clementis, & talia præmia sacerdotij. IX.

Diaconus & presbyter ordinatur

Anno ætatis vicesimo fit Episcopus: sed id sacri Canones tam non sinũt

DEINCEPS autem ei finem incipiunt accipere matris prædictiones, & contexi diuina corona martyrij: est autem à nobis oratio ducenda paulò altius. Cùm Diocletianus Romanum suscepisset imperium, & in eo primùm annũ ageret, X.

Diocletiani Imp. an-

noua

noua quidem genera tormentorum excogitata fuerant aduersus Christianos. Nouorum autem mortis generum minę fuerant intentatæ, & mittebantur literæ per omnem terram, quæ parebat Romanis, quæ magistratibus & præsidibus vicarijsque & proconsulibus aduersus pios supplicia & cædes iniustas significabant, & iis, qui in iis fuissent negligentes, æquale minabantur periculum. iis autem, qui diligenter fuissent executi, opes pollicebantur, dona, & esse inter primos amicos Imperatoris: & eum honore omnes esse superaturum, qui in his rebus fuerit studio superior. Qui ergò in vrbibus & regionibus erant impij Præsides, ex obsequio in Principem ducentes suę somitem insanię, in hoc consentiebant, vt eos, qui in pietate viuebant, conscinderent, & ità omnes delerent & de medio tollerent, vt eorum, qui timebant Dominum, nullus euaderet. Itaque ad Domitianum quoque, qui Vicarij gerebat magistratum, & versabatur in partibus Galatiæ, referunt de hoc magno & admirabili Clemente, quòd cùm infantium magnam abstraxisset multitudinem, ad Christum qui dicitur, adduceret, & magnorum deorum cultum, quantum posset, prohiberet: persuaderet autem multis illi animum adhibere, & viuum solum eum Deum prædicare.

nus primo, incidit in annũ Christi 284 vt probat Bar. annal to 17 Sæuitia Diocletiani.

XI. Hæc simul ac audiisset Domitianus, eum iubet adduci. Qui cùm paulò pòst ante eum constitisset, eum blandis & insidiosis verbis ad se attrahere conabatur. Quæ videntur, dicens, nequaquam conueniunt & congruunt iis, quæ de te allatæ sunt, accusationibus. Vultus enim & species liberalis, morumque mansuetudo & moderatio, mihi omninò videntur prudentis & ingenui animi. Quæ autem de te dicta sunt ab aliquibus, sunt puerilis potius insciticæ, pusillique animi & planè illiberalis. Res verò ipsa id indicabit. ex te enim vera discemus facilius, si pauca quædam dederis verba tuæ prudentiæ. Martyr autem, Nostra, inquit, prudentia, & intelligentia est Christus, qui est verè sapientia, qui Dei est Patris filius & verbum: cuius verbo producta sunt omnia, à quo ipsum quoq; dicere & sapere nos habemus. Respondens autem Vicarius, Me, inquit, per deos affecisti molestia, cùm has præter omnem spem statim ab initio nugas dicere cœperis. Sed si mihi credas, has longas nugas multum valere iubens, veni & diis sacrifica propitiis: eorum quidem, qui eos contemnunt & inficiantur, supplicia: eorum autem rursus, qui venerantur & colunt, honores reputans. Eorum verò, qui dicuntur, nos tibi sumus exemplum, qui per ipsos ad hunc peruenimus magistratum, & beneficij gratias eis referimus, honorando eos, qui ipsos colunt, & suppliciis afficiendo eos, qui nolunt parere.

Sistitur iudici Clemens.

XII. Cùm ad hæc ille risisset, vt est consentaneum, quòd donorum, quibus afficeretur, & turpium meminisset honorũ, & promptum eius animi studium videretur his dissoluere: Sed nos quidem, inquit, ô Præses, sentimus his contraria, & damnum quidem vestra dona: honorem autem, ignominiam, & magistratum esse putamus seruitutem: contumelias verò rursus, supplicia, & minas, voluptatem & delitias: & quod est his maius, cum Deo coniunctionem. Hæc cùm tu scias, nec promissis & honoribus, neque rursus minis & suppliciis, existimes te posse nos abducere à pietate. Hæc paulatim mouebant animum Domitiano, & sanctum acrius intuens, Ego te, inquit, omninò feci arrogantiorem, cùm me in te tam leniter gesserim. Non est autem mirum, si cùm tu perpetuò vitam agas cum pueris, non absimilem eis sensum habeas. Cæterùm nisi & deos placàris sacrificiis, & hinc nostram lucrifeceris beneuolentiam, scias pœnam mortis esse tibi subeundam, eamque, non quæ breuiter & citò afferatur, vt tu fortasse existimaueris: sed multis prius & variis affecto suppliciis. Deindè etiam esse grauissimum sustinendum modum mortis, vt & ipse malus malè abolearis, & tuo exemplo castiges multorum arrogantiam.

Constantia martyris.

Blanditiæ iudicis mutantur in minas.

XIII. Admirabilis verò Clemens, Quoniam mihi, inquit, pueros obiicis, Ego, inquit, studui pueris eam indere prudentiam, quam ignorant qui sunt apud vos viri, & ex his ipsis qui sunt seniores & sapientiores. Nam quæ est verè Dei sapientia, seipsam abscondit à sapientibus & prudentibus, & reuelauit videlicet infantibus. Glorior autem & prædico me offerre sacrificia, sed Deo meo rationabilia: non, vt ipsi, torrentes sanguinis, fumosque & nidores, quibus eos, qui sunt apud vos, deos colitis vel maximè præter rationem. Quòd si meum sanguinem pro ipso sacrificauero, ita mihi quoque aderit, si non ex æquo, at aliqua ex parte Domino meo vicem rependere. Etenim me Christe rex ipse tuo pretioso redemisti sanguine.

Matt. 11.

XIV. Hæc cùm Martyr cum magna dixisset fiducia, abiecta persona præses, quam olim in ipsum parturiebat insaniam, eam produxit in medium: & cùm sublimem super lignum statim athletam sustulissent qui aderant, quòd is ita iussisset, eius latera laniabant, & acclamabant, ne iussa contemneret Imperatoris. Profundi itaque sulci secabantur in illius carnibus, & earum magna pars auferebatur, & forma internorum aperiebatur viscerum, vt ne hominum quidem oculis esset tolerandum spectaculum. Ille autem non est animo commotus, non mutauit formam, non vocem, non verbum emisit miserabile, non gemitum eius, qui dolore cruciatur: sed perindè ac si esset securior iis, qui aderant & contemplabantur, & minùs sentiret, quàm ipsi qui cædebant, magno animo agebat gratias Deo agonothetæ. Cùm verò in eius supplicio multum temporis consumeretur, & remissæ quidem essent manus lictoribus, Martyr autem eundem fortem & genetosum ostenderet animum, volens Præses dissoluere fortis eius animi robur, Noli, inquit, ô tu existimare fore, vt tu me superes fortitudine: sed etsi longum tempus effecerit, vt eorum, qui cædunt, dexteræ sint parum defessæ, at ego rursus eorum loco alios ponam recentes, qui non prius te cessabunt cædere, quàm nuda carnibus ossa tua reliquerint. Statimque lictores ex successione rursus Martyrem circunsistentes, ei quoque similia faciebant prioribus, donec eis quoque similiter manus imbecillæ fuerunt & defessæ.

Dirè cruciatur martyr. Fert patientissimè.

Lictores lictoribus succedunt.

XV. Ille ergò stultus Præses, partim quidem admiratur Martyris constantiam: partim autem pudore affectus propter lictorum imbecillitatem, iussit eum deponi de ligno. Ille verò talis erat, qualem nec oculi lictorum adspicere, neque manus sustinebant tangere, erat enim omninò nudatus carnibus, eisque tanquam veste erat exutus: solùm autem propterea, quòd essent ossa fixa, homo esse videbatur: quæ ipsa quoque erant illita sanguine, quoddam nouum & alienum spectaculum, & quod vel ex se possit efficere, vt caligent oculi. Quocirca cùm ille desperasset se posse ei vim afferre & castigare, vtpotè quòd ei visum esset inutile, persuasione rursus apud eum vtebatur & lenitate: & duæ tibi, aiebat, ô Clemens, fuêre causæ tantorum malorum, inuidia & contentio: sed ad te quidem à fortuna peruenit inuidia, quæ tibi omninò inuidens, non finit res tibi succedere ex sententia. A natura autem est tibi contentio: ea enim te ad intempestiuam rursus litem incitans, prohibet quo minus nobis pareas: & ideo in mala te coniecit extrema: magnis autem priuauit muneribus, quæ eras consecuturus, si voluisses cedere iussui Imperatoris: vel potius tibi quoque fortuna iniecit contentionem, volens tibi omni ex parte aduersari, & tua semper labefactare. Sed vel breue aliquod momentum temporis parce misero corpori, & noli, dum in re vana vis ostendere egregiam animi constantiam, immaturam mortem & violentam subire.

Vide atrocitatem.

Lingua versuta serpentis antiqui.

XVI. Adhæc Clemens admirabilis, alias illius nugas ne minimùm quidem curans, hoc ei solùm respondit: Quæ mihi à te mors est afferenda, ô Iudex, & corpori interitûs vacuitatem, & animæ efficit immortalitatem. Et hoc, inquit Vicarius, omninò est vestræ stultitiæ, id quod est bonum, vsque adeò ignorare & negligere, vt & dulcem hanc lucem, benignumq; & lætum illud astrum, nempe solem, quę ad fruendum & nos oblectandos dij nobis concesserunt, spe alicuius, alterius incertæ vitæ amittatis. Etenim si rursus in eadem permaneas inobedientia, acceperis quidem aliquam breuem à tormentis dilationem, ne tam vehementibus suppliciis tibi corpus defatigetur; sed hæc remissio erit tibi paulò pòst causa maiorum malorum, & cùm te paruo tempore collegeris, magnis rursus & variis traderis suppliciis: quorum, vt mihi videtur, anima quoq; è corpore excedens, sensum habebit acerrimum. Martyr autem, Solis, inquit, minis, vt

Vox martyre digna.

videtur,& nudis verbis polliceris mihi te impleturum ea,quæ desidero.Cæterùm cùm scias,quænam sit mihi sententia,noli vsq; ad verba solùm sistere,sed tibi ad opus perducãtur omnia,& à nulla re abstineas,quę sit aspera & difficilis.

Os & genæ eius verberantur.

XVII. TVNC ferus ille & immitis ab ira consueta abripitur,& cùm dixisset,Planè contentiosum animal est homo iste,genas & os iubet ei verberari.Nam quoniam,inquit,hæc sola pars corporis remansit minimè affecta supplicio,dicendi vtitur libertate.Patiatur ergò hæc quoq; similiter atque aliæ partes corporis:Statimq; ex lictoribus,qui erant quidẽ paulò humaniores,alij quidem eum solis manibus verberabant: alij autem etiam sustinebant,vt qui lacerationibus iam esset dissolutus,& ad terram diffluere.Quotquot verò audaciores erant & crudeliores lapidibus quoq; in eum vtebantur,& iis illud veridicum Martyris os pulsabant.Martyr autem,Magno,inquit,me honore affecisti,ô Tyranne,

Matth.26. Act.7.

magno,inquam,affecisti honore,non supplicio. Quomodò enim non est honor seruo,dignum haberi,qui eadem perpetiatur quæ Dominus,& primi illi passionis socij & martyres? Colaphis quoq; cæsus est vultus mei Domini,& lapidibus fuit interemptus Stephanus.Hæc quoq; mihi nunc magnum decus & ornamentum afferunt.Leuat mihi laborem passionis imitatio.Sedat mihi dolorem iis qui sunt me præstantiores,in honore æqualitas. Hæc dicebat,& ad suum agonothetam frequenter tollens oculos,vehementi studio agebat gratias.

XVIII. DOMITIANVS autem cùm omninò animum despondisset,eum rursus mittit in custodiam.Cùm verò putaret eum non posse ampliùs vti pedibus ad ingrediendum,quòd prioribus supplicijs esset corpus confectum,iubet eum vtinque portari:sed qui omnes qui concidunt,confirmat,afflictosque & depressos erigit,non sinit eum opus habere manu,quæ eius gressum fulciret,sed eos repellens,qui accedebant ex gentilibus,& illud sensim acclamans,Oleum peccatorum non impinguet caput meum,ipsis pedibus ipse illam viam peregit,quem cùm sic abeuntem animaduertisset Vicarius,fortitudinem valdè est admiratus,& conuersus ad eos,qui circunstabant,Papæ,inquit,magnam tolerantiam.Talibus vtique militibus opus esset Imperatoribus,vt essent quouis periculo superiores,& tam constantem animum & tam magnos spiritus conseruarent in rebus asperis.Ceterùm hic non sistetur ampliùs ad meum tribunal: ipsum autem ad Imperatorem mittam Diocletianum.Ille enim solus eum superauerit. Dixit,& cùm statim significâsset literis,quomodò se res haberent,iussit eum quamprimùm duci Romam.Cùm fuisset ergò Martyr extra ciuitatem,vnà cum corde manibus in cælum sublatis,Domine Deus,inquit,qui omnia facis & procuras pro vniuerso genere hominum,& multas nobis munis vias salutis:hanc tuam ciuitatem,& animas eorum,qui in ipsa crediderunt,conserua,ne implicentur laqueo diaboli,& Tyrannorum capiantur insidiis.Porrò autem ne nos quoque perpetuò esse sinas alienos ab ea,quæ nos tulit:sed qui Iacob conuertisti in domum patris sui,& eum à manu Esau liberâsti:qui etiam ossa Ioseph vnà cùm populo ex Aegypto extulisti,& ea patriis restituisti sepulcris,tuæ quoque placeat voluntati me reducere,& quæ me genuit & aluit,& ad hanc vsque ætatem produxit patriæ,tanquam aliquod rursus reddere debitum.Hæc cùm à Deo precibus contendisset,viam confecit alacriter.

Mittitur Romam.

Pſalm. 104

Genes 36. Exod.13.

Sistitur Diocletiano.

Blanditur ei tyrannus.

XIX. POSTQVAM autem Romam peruenerunt,vbi tunc quoq; versabatur Diocletianus,& qui missi fuerant,ei reddũt literas,& Clementem admirabilem,cùm ille iussisset,adducunt in medium.Cùm verò adstitisset,tunc videns Diocletianus iucundum eius alacremq; & generosum adspectum,primùm quidem celans,quid in animo haberet,apud se admirabatur,an illa omnia sustinuisset,quæ ei significabant literæ. Deindè eum etiam fixis intuens oculis,& totum considerans,Tu es,inquit,celebris ille Clemens,cuius magnum est nomen propter fortem & generosum animum? Sed oporteret omninò hunc tuum generosum & magnum animum,habere aliquam piam & iustam causam,sed non hanc impiam & iniquam,& hoc ipsum manifestum animæ & carnis exitium. Nunc enim quo est maior,eo est deterior,& nos magis ad iram prouocat,deos incitat ad vindictam.Verumenimuerò tu animo ad contraria mutato,hunc firmum & constantem animum ostende pro pietate in deos,vt sic quoq; potiùs dignas consequaris remunerationes. Illi enim,vt arbitror,tui propter hunc fortem & excelsum animum miserti propterea effecerunt,vt tot & tantis resisteres suppliciis,nec permiserunt,vt tu iam diù malè perires & præripereris,agnitionem & mutationem omninò ex-

Nota aures diaboli:aut terret,vt frangatur aut blandiatur,vt illiciat.

pectantes. Hæc dixit,& pro oculis sancti statim proponit,illinc quidem aurum & argentum,& literas imperatorias, quæ Patriciorum illi dabant honorem.Deinde etiam aliorum magistratuum & dignitatum insignia:& præterea vestes floridas & magnificas,& alia quæcunq; rerum pulchrarum cupidos euocant oculos: illinc autem rursus instrumenta tormentorum,manus ferreas,grabatos,& ipsos quoq; ferreos,rotasq; & pectines,craticulas,lebetes,obeliscos,sartagines,& graues catenas,& aliam magnam instrumentorum multitudinem,specie quidem diuersorum,spectaculo verò terribilium,experientiam autem habentium ipso quoq; spectaculo grauiorem. Deindè Martyrem suauiter intuẽs, & manu extendens pecunias:His te,inquit,remuneramur,si pius in deos,& in nos sanctus extiteris.

XX. ILLE autem, cùm sanctus ab eis oculos auertisset, & ea veluti subsannasset,& propter ea, quæ dicta fuerant, grauiter ingemuisset,Vobis,inquit,pereant ipsi vobiscum dij:tunc acriter & toruè fortem intuens Clementem,& simul conuertens oculos ad genera tormentorum,Vides inquit,hæc sunt eorum,qui non parent,& sunt impij. Martyr autem,Si vestræ,inquit,pœnę sunt,sicut existimas,terribiles,& ad experiendum intolerabiles,sicut rursus dona splẽdida & magnifica & digna,quæ beata iudicentur:quænam esse existimas ea,quæ cælestis sunt & solius Dei? quænam immortalia quidem supplicia & dolores inexorabiles? quales autem ignis fluuios,qui ne solo quidem sunt adspectu

Præclara martyris oratio.

1.Cor.2.

tolerabiles? quænam verò rursus bona sunt consecuturi,qui eum dilexerint? Scriptum est enim: Talia,vt nec mente possint comprehendi,nec oculis adspici,aut quæ ex his percipitur omninò voluptas coniici. Nam quæ sunt quidem præsentia,hoc argentum & aurum,sunt solùm puluis & lutum,vilis & infrugifera materia,quæ turpiter quidem ex terra nascitur:turpiùs autem in eam,quæ videtur,speciem per ferrum & ignem transfertur,latronib.subiecta & furib. & si non his,at diminutioni saltem & rubigini,vt quæ consumatur atq; defluat. Vestes autem purpureę & splendidæ, fila sunt vermium,& inuenta barbarorum hominum. Quamobrem si ea nos reddunt honoratos,vestra quidem sententia homo est verme vilior.Quod si oportet etiam homines propter hæc habere in admiratione,multò magis admirarer eos,qui hæc fabricantur,quàm eos,qui propter ex his confecta indumenta gloriantur,& se magnificè circunspiciunt.Nam illi quidem artis solertia transformant naturam ad id,quod est melius,& sensum decipiunt,& ornatum animantib.oculis suaues escas proponunt,Hi autem induti sibi placent,& se magnificè circunspiciunt,de sui animi leuitate ferentes testimonium:& cùm oporteret eos pudere sui erroris,illi potiùs intumescunt,& tollunt supercilia,honorati aliorum operib.si modò ea omninò honorem vocare oporteat.Sed vestra quidem sunt talia,& eo modo se habent.Quæ autem à bono Deo nostro sunt bona,contrà se habent. Vo uptatem enim habent immortalem,splendorem verò perpetuum. Neque enim timent eam,quæ est ex tempore,mutationem. Non suspectam habent conuersionem,senium ignorant,sed semper florent,in æquali decore permanentia,stabiliaque perpetuò & immobilia.

XXI. AD hæc Diocletianus:Mihi videris,inquit,rectè quidem dicere,ô Clemens,sed malè admodum sentire.Nam lingua quidem præfers immortalitatem,in mortali autem semper spem tuam collocas: Vestrum,inquam,Christum, quem dicunt à Iudæis mala passum esse innumerabilia,& tandem mortem in cruce sustinuisse. Nostri verò dij sunt & semper immortales,& nihil graue nec molestum sustinent.Respondens autem Martyr,De ipsorum,inquit,immortalitate & doloris vacuitate,propemodùm vera dicis,ô Imperator. Quomodò enim morientur,qui ne omninò quidem vixerunt? aut quomodo dolorem senserint,qui ipso quoq; sensu planè carent? Sed & si dolorem non sentiunt,

In falsos deos.

sunt

sunt tamen subiecti innumerabilibus plagis & contumeliis. Nam qui facti quidem sunt ex lapidibus, & à manu, quæ sculpit, plagas acceperunt, & ferro sunt leuigati ac polити: & sic cum magno, sed inani labore, formæ humanæ simulacra & statuæ facti sunt. Quibus autem rursus aurum est materia, siue æs, siue argentum, ii quoque fusi igne vehementissimo, similiter atque alij consistunt omninò sensûs expertes: qui tantum abest, vt opem ferant aliis, vt ne ipsi quidem possint facere, quò minùs hæc omninò patiantur. Nequaquam ergò moriuntur, quoniam nec omninò quidem, vt priùs dixi, vixerunt: diffluunt autem & conteruntur, quomodo quod sint, à tempore: ita etiam, quòd non sint, accipientes. Non ergò nostra quoque sunt huiusmodi, sed ipse verus Dnminus & opifex omnium, Deus meus, qui est & expers temporis, & immortalis, propter me quoque fit homo postea, vt ego fiam propter illum deus, volensque cruci affigitur & sepelitur, & tertio die resurgit, & rursus in cælum ascendit vndè descenderat: cùm nos vna quoque fecisset resurgere, & ad priorem reduxisset principatum, à quo malè excidimus propter inobedientiam.

XXII. PROPTER hæc Imperator ad iram concitatur, & verbis victus, conuertitur ad supplicia, nesciens stultus, se per illa magis esse vincendum, siquidem apertum est indicium, victum esse eum, qui punit, quòd is, qui punitur, nihil omninò cedat suppliciis Iubet ergò rotæ alligari Martyrem, & rotam quidem verti magno impetu, Martyrem autem virgis verberari crudelissimis. Statimque Martyr fuerat alligatus: rota verò vertebatur celeriter: Martyr autem, quando erat quidem in rota sublimi, tradebatur iis, qui verberabant: Quando verò rota eum sub se ferebat, corpus eius acerbè conscindebatur, & ossa conterebantur. Cumque sic laceraretur, Domine mi Iesu Christe, dicebat, veni ad opem mihi ferendam, & leua me hoc pondere supplicij: quoniam circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me. Respice ad me, & miserere mei, & ex necessitatibus meis erue me. Adsis mihi, vt aliquando etiam paralytico, ad gloriam tuam, ad confessionem tui nominis, ad dedecus & ignominiam inimicorum, ad maiorum propter te perpessionum tolerantiam. Immanissimum supplicium.

XXIII. HÆC cùm dixisset sanctus, statim & rota à motu, & qui verberabant, cassauerunt à plagis afferendis: & Martyr quidem simul ab omnibus, & à rota, & à vinculis illis sua sponte solutus fuerat, & restitutus in priorem sanitatem: Lictores autem subijt membrorum dissolutio, & multi ex Romanis, qui ad tale spectaculum concurrerant, sanis euaserunt animis, &, magnus est Deus Christianorum, magna voce exclamauerunt. Magnus verò Clemens, qui erat verè Christi palmes, cùm veluti pulchros quosdam fructus sua membra Deo obtulisset, Ago tibi gratias, dicebat, ô Deus, quod voluëris me in hac maxima & frequentissima ciuitate pati pro filio tuo vnigenito, qui ipse quoque passus fuit pro nobis, & precium nostræ captiuitatis & seruitutis suum effudit sanguinem. Deinde subiunxit etiam seriem sanctorum, qui Romæ erant. Quem Petrus inquit, docuit colere, & Paulus prædicauit, & qui erat eiusdem, cuius ego, nominis Clemens ille sapiens, adorandum esse decreuit: & diuinus deinceps Onesimus est confessus. Propter quem ipsi quoque passi, liberè loquendi potestate apud eos valent plurimum, & adorantur à fidelibus, haud ita multò pòst autem adorabuntur etiam à fidelibus Imperatoribus. Hoc autem dixit, prædicens mox delendam impietatem. Mira vis precum sancti martyris. Adorare, pro honorare & venerati.

XXIV. HÆC Diocletiani animum acriùs inflammauerunt, iussit autem stylis ferreis illud præclarum Martyris os contundi ac confringi Quo factum est, vt dentes quidem mox labefactarentur: maxillæ verò contererentur. Vox tamen reprimebatur, neque illi prolixæ loquendi libertati vel minima dabatur remissio: sed etiam lictoribus vt sileret, iubentibus, ipse idem erat, & ne parum quidem remittebat: sed contrà etiam voce vtebatur maiore, non secùs ac statua quædam ænea, quæ icta vehementiùs, maiorem edit sonitum. Quamobrem cùm ipse quoque Imperator esset defatigatus, vinculis & quæ ex eis oritur afflictione & miseria toti Martyri imposita, tradit eum in custodiam. Multitudo autem eorum, qui rotæ miraculo crediderant, viri, & quæcunque erãt prudentia præditæ mulieres, inita inter se conuentione, carcerem ingressi sunt. Deindè tangentes illius pedes, valdè acriter rogãrunt, vt diuinum baptismum consequerentur. Cùm itaque precibus tam vehementibus ipse quoque alacerrimè annuisset, rem statim est aggressus. Dum itaque in carcere esset aquæ copia, & ipse quas oportet preces profert, & cum ipsis pueris omnes sacro dignatur baptismate. Media autem nocte eis diuina quædam apparet visio: nempe lux quædam, quæ neque verbis exprimi potest, & quam humanus non admittit adspectus, totum simul tanquam fulgur illustrat carcerem. In media verò luce erat vir quidam adspectu valdè alacer, splendida autem veste indutus, qui ipse quoque erat lux totus quantus, pennis insignis densissimis. Is cùm ad Clementem accessisset admirabilem, ei in manus tradit panem & calicem. Deindè ille quidem euanuit: eos autem ipsa quoque vox deficit, vt qui spectaculo admirabili essent obstupefacti. Sanctissimus autem Clemens cùm statim eoniecisset ea esse signa Dominici corporis & sanguinis, ea & valdè piè suscepit, & cùm preces dixisset consuetas, ea communicat iis, qui iam erant baptizati. Os martyris contunditur. Vide miraculum. Multi ab eo in carcere baptizantur. Signa dicit panem & calicem, quia nondum erant consecrata.

XXV. CÙM ergo complures ad eum vndique accederent, & carcerem facerent ecclesiam, & multitudini Christianorum fieret accessio, custodes carceris hæc renunciant Imperatori. Ille autem & eos iubet noctu comprehendi, & nisi pietatem abnegauerint, omnes citra vllam interimi misericordiam. Illi verò comprehensi iussu Imperatoris, inuenti sunt non ignari eius, quod erat bonum & vtile, eligendi: sed ab hac, quæ est ad tempus, vita maluerunt recedere, quàm à Christo deficere, qui nos formauit, & dilexit, & mortuus est pro nobis. Quamobrem ante ciuitatem, tanquam sacras quasdam hostias, seipsos & filios offerunt Domino, cum nullus tunc remanere sustinuisset præter vnum, cuius quidem erat animus aliquanto iuuenilior. Non enim remanserat, vt certamen effugeret, sed vt cum maioribus potiùs malis colluctaretur, eaque ei essent coronarum maiorum occasio. Is erat admirabilis Agathangelus, de quo etiàm deinceps dicetur apertiùs. Diocletianus autem cùm paulo pòst esset magni Clementis recordatus, eum rursus producit & primùm quidem, tanquam abductus pœnitentia, priorem illam abiecisset insaniam, ipsum & laudibus sensim aggrediebatur, & ea ratione conabatur potiùs superare generosum illum & excelsum animum. Deindè cùm vidisset rem sibi esse cum homine cordato, & qui non magis posset animi fortitudine malorum ferre impetus, quàm prudentia blandis verbis & disertis non succumbere: abiecta statim persona & ficta illa mansuetudine, repentè apparuit id, quod erat. & rursus aliquod nouum excogitauit supplicium, quodam Amphione, qui inter suos primum locum obtinebat, ad hoc maximè incitante. Erat autem hoc supplicium, vt sic & à tanta multitudine distenderetur Martyr, vt ipsæ quoque membrorum dissoluerentur compages, lictores autem quatuor circunsistentes, exiccatis boum neruis eum diu crudeliter verberarent. Multi occiduntur. Agathangelus. Dirus cruciatus

XXVI. POSTQVAM verò ille quoque fortiter huic restitit supplicio, & perindè ac si alius pateretur, ipse impatibilis mansit & immobilis: Scio, inquit Diocletianus, ô Clemens, te esse animo valdè contentioso, corpus autem illi posse inseruire: Sed ipse ne sic quidem rursus cedam, sed etiam ferreis te aggrediar vngulis: es enim tu fortè ferreus & torpidus, & nullo ferè sensu præditus: vt videam ante fortè his excitauerim, quem somnus tam profundus inuasit. Martyr autem, Rectè quidem, ait, dixisti ô Imperator. Dormio enim veluti quendam dulcem somnum, me meo Christo ad labores pro eo suscipiendos futurorũ spe sopiente: rursus verò efficiente, vt sim sobrius & vigilans, quando eum prædicare oportet, & libere loqui pro eius confessione. Hæc ille dixit, & Imperator quidem statim iubet lictores desistere à verberibus: sublimem autem eum in lignum tollere, & eum ferreis carpere vngulis, donec ei carnes omninò consumptæ essent, sanguis autem exinanitus, & sola ossa relinquerentur. Cùm itaque rursus lictores ad id magnam adhiberent diligentiam, vt qui etiam ab occulto lictore atque adeò carnifice ad ea incitarentur, Martyr quidem Martyris fortitudo. Ferreis discerpitur vngulis.

dem primùm seipsum attendens, deindè etiam ad tyrannum adspiciens, Non est, inquit, meum corpus id quod adest, quo ego quidem sum indutus, tu autem id nunc ô Imperator laceras. Neq; enim omninò dolore afficior quomodo me oporteret, dum laceror: sed quod mihi quidem datum fuerat à natura, paulatim præcedentibus priùs consumptum. est supplicijs, & nec parua quidem eius pars mihi est relicta: carne autem, quæ nunc ad ossa mea accurrit, & membrorum continet compagem, veluti quodam indumento meus me Christus induit, propter quem priori me exui, eaque nunc erasa, me rursus induet alia. Neq; enim lutum defuerit figulo.

Cùm is ergò hæc & his plura dixisset, cessauit: Dioclerianus autem iussit ei ignis faces adhiberi. Ei autem illa quoq; XXVII.
erant voluptati, vt quæ essent tanquàm lux, quæ vim ignis non haberet. Obstupuit de cætero Imperator: & conuersus ad eos, qui circunsistebant. Ego multos quidem punij, inquit, ex miseris Christianis, & multos etiam morte affeci: sed nondum vidi virum tam magno & excelso animo præditum, sed neq; cuiusquam corpus adeò validum & robustum, & cui mortem afferre esset difficilius. Eum ergò transmittam Nicomediam, Maximiano, vt est verisimile, prodigium futurum incredibile. Neq; enim existimo eum vnquam incidisse in virum tam firmi & tam constantis animi. Hæc cùm mirabundus dixisset iis, qui aderant, decernit vt Clemens vinctus trans mare mitteretur Nicomediam, examinandus à Maximiano, de eo scribens, & quæ prius à Domitiano, & quæ à se rursus passus sit, quæ opinionem & humanam omnem naturam superant: & hoc præterea significans, quòd si eum quidem, quod est planè desperandum, vincere & in aliam potuerit traducere sententiam, eum rursus remittat, rem illi gratam futuram, vt argumentum illius maximę prudentię & ingenij solertię: Si minus, eum tradat bestiis, vel etiam acerbis aliis supplicijs ei vitam adimat: ne si amplius, inquit, sit superstes, & Christianos & Græcos magnis afficiat incommodis, hos quidem corrumpens & attrahens: Christianos autem efficiens difficiles ad transmouendum, eosq; muniens & confirmans.

Etiam tyrannus miratur eius constantiã.

Magno piorum dolore abit Roma.

Roma ergò sanctus est eductus, multis quidem eum deducentibus, multis autem lachrymis quoque prosequentibus, quibus consolabantur suam ab eo separationem. Quis enim oratione persequi potuerit ea, quæ tunc dicebant quidem fideles, & quæ rursus propter ipsum fecerint? Nam alij quidem pedes tangebant, & manus amplectebantur: alij verò collum complectentes deosculabantur, & propter separationem amaras effundebant lachrymas. Alij se eius sanguine inungebant, vulnera contrectabant, à vestibus auelli non poterant: Vir præclarus & fortis, strenuus decertator, qui ferro, dicentes, est validior. Qui ipsum autem abducebant, fracti fletibus, & ipsi quoq; affecti animis, constituerunt diu, cedentes animorum perturbationi & spectaculo miserabili. Cùm verò iam tempus vocaret, vt martyr nauem ascenderet, vi & vix tandem auulsus ab iis, qui ipsum continebant, & tanquam membrum commune abruptus ab omnibus, ciuitati ea, quæ par erat, & sibi precatus, nauem ascendit, & cœpit nauigare. Sed quid sapiens gubernator vniuersorum Deus in naue suo prouidet consilio? XXVIII.

Agathangelus cũ martyre proficiscitur.

Is qui prius solus martyrium effugerat ex iis, qui sub Clemente crediderant in carcere, de quo paulò antè sumus nos XXIX.
esse dicturos polliciti, cùm esset Romanus quidem genere, Agathangelus autem nomine, hic vnà nauigat cum martyre. Cùm enim peruenisset ad nauem, in qua erat Roma enauigaturus, & cum nautis pauca esset locutus, eis facile persuadet, cumq; sensim cõscẽdisset, in aliqua eius parte delitescebat. Deus autem fuit, qui & nauem ostendit Agathangelo, & effecit vt essent ei nautæ faciles, & citò fuerint ab eo persuasi. Postquam autem iam Martyr quoq; aduitipse cum militibus, & nauem sunt ingressi, distabant à terra circa ducenta stadia, videns Agathangelus milites quidem & inter se & circa nauem esse occupatos, solum verò sacrum Clementem seorsum Deum orare, à nemine visus necanimaduersus prope eum accedit: cumq; eius pedes prahendisset, ei in memoriam reuocat eius, quæ in custodia facta est, confessionis & dati baptismatis. Deindè etiam narrat, quomodò è cæde effugerit, & quemadmodum prius sciuerit nauigium, & quemadmodum sit ingressus, & quemadmodum in ea delituerit. Martyr autem (quomodo enim par est eum fuisse affectum, cùm agnouit Agathangelum? erat enim primus ex iis, qui tunc ab eo fuêre baptizati) salutabat, amplectebatur, benignè eum alloquebatur, apertè præ se ferebat, se viscera habere refecta gaudio. Deinde etiam cœpit precari vehementiùs, partim quidem gratias agens pro Agathangelo, & verba quæ animi lætitiam significabant offerens: partim autem Deum quoque inuocans, vt illi ferret auxilium, & rogans, vt is esset sibi socius confessionis: Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, dicens, qui mihi es sola & vnica consolatio & auxilium, quod me neq; in terra, neq; in mari relinquas à tuo desertum auxilio, sed me per totam viam defenderis & deduxeris, & meum labore defessum animum recreaueris eo, quem scis modo, eius consolator effectus. Ecce enim nunc quoq; in mari in Agathangelo bono meo fratre mihi es cognitus, qui vel mihi ex ipso nomine tuum spondet auxilium, vt qui Agathangelus, id est, bonorum nuncius, & sit & dicatur. Sed ei quoq; concede ô rex Christe, vt ad finem tuam deducat voluntatem & glorifica ipsum tua confessione, vt tu quoq; rursus in ipso glorificeris.

Noctu diuque precantur martyres.

Cibum accipiunt cælitus.

IllE ergò cum Agathangelo sic diu noctuque precabatur, cibum quidem non sumens, nam ne minimum XXX.
quidem eis cibi vsquam aderat, vt cuius Clemens nullam curam gessisset omninò: viuum autem panem in corde & viuam illam aquam habentes, quibus obscurè alebantur & potabantur. Diuturnæ ergò illorum, vt videbatur, inediæ miserti milites motique animo, benigneque & humanè in eos affecti, eos cibis volebant impertiri. Illi autem laudabant quidem bonum militum animum, cibum verò non accipiebant, dicentes se eum desuper à Deo accipere. Quod autem illi dicebant, Deus effectum reddidit, & circa primam noctis custodiam, cæleste alimentum iustis suppeditabatur, & pane angelorum nutriebantur homines. Multi verò dies consumpti sunt ab eis in nauigando: & cum Rhodum appulissent, alij quidem omnes è naui descenderunt ad quærendum comeatum: eis autem, qui relicti fuerant pro custodia sanctorum, instabant ipsi vehementer rogantes & orantes, vt liceret eis accedere ad ecclesiã Christianorum, & esse intemeratorum participes sacramentorum. Atq; tunc quidem dies celebrabatur Dominicus, & quicunq; erant in insula Christiani, pauci autem erant, ad templum concurrebant. Ex his verò cùm quidam accuratè didicisset, quomodo se haberent res sanctorum, Antistiti Rhodi omnia significat. Episcopo nomen erat Photinus. Ille autem nihil ampliùs cunctatus, cùm statim accepisset multos ex iis, qui aderant Christianis, venit ad littus, ad quod appulerat nauis, in qua erant sancti & custodes vehementer orauit, vt martyres soluerentur à vinculis, & eis permitteretur venire in ecclesiam.

Photinus Episcopus Rhodi.

Cùm illi autem cessissent precibus, cum multis hymnis, quibus Deo aguntur gratiæ in ecclesiam deducuntur Mar- XXXI.
tyres, & consequenter sacro libro proposito admirabiliter & præter opinionem declarauit vox Euangeliorum illa, quæ & tempus decebant, & sanctis conueniebant. Quænam autem ea sunt? Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Hoc veluti quandam diuinam dulcedinem sanctorum instillauit animis, oculosque simul & manus statim ad cœlos tollentes, præ gaudio orabant lachrymantes. Aedificatio autem in fide fuit res ea iis, qui aderant, omnesq; eos intuentes, ipsi quoque apertè emittebant lachrymas. Deinde pius ille & Dei amans Episcopus rogabat Clementem sanctissimum, vt sanctæ oblationis perageret mysteria. Quæ quidem cùm de more ab eo perageretur, & omnes in contritione cordis, veluti nuda & aperta anima, eis attenderent, vident multi ex iis, qui aderant, quicunque scilicet erant digni talia intueri, stupendum ô Domine & mirabile spectaculum, lucis quidem carbonem maximum, in intemerata & mystica mensa propositum, candidatorum autem multitudinem in aëre superuolantem. Atque illi quidem cùm visionem ferre non potuissent, & humi pronos seipsos deiecissent, iacebant, vt

Matth. 10.

Clemens Missæ sacrificium offert.

Visio mirabilis.

qui

qui eum, qui ex iis procedebat, splendorem contrà non possent omninò adspicere. Cùm autem fama breui totam peruasisset ciuitatem, multi etiam ex infidelibus publicè concurrebant: & maximè quicunq; aliquos ex filiis, cognatis vel domesticis habebant laborantes aliquibus morbis immedicabilibus, si frequentes concurrebant, secum ægrotos adducentes: & alios quidem ad pedes martyrum proiicientes, alios autem ad beatarum manuum contactum adducentes, eos statim videbant à morbis expurgatos. Multorum quoq; gentilium curatę sunt animæ & sanationis ipsorum miraculo deducti sunt ad veritatem. Multi ægri sanantur.

XXXII. Hæc milites obstupefecerunt, & cùm viderent ciuitatis magnum in Clementem desiderium, & timerent deindè, ne in eos aliquid innouaretur, & martyr ex eorum manibus effugeret, ei vincula rursus immittunt, & ad nauem abducunt, illi malè faciendi sumentes occasionem ex insigni eius virtute. Præcessit autem Agathangelus, & primus nauem ascendit, vt qui esset primus viam initurus martyrij. Cùm eis itaq; ventus succedisset secundus, Aegeum mare transmittunt: & cùm appulissent Nicomediam, deducuntur statim ad Maximianum. Ille autem cùm accepisset literas Imperatoris, & multa quidem etiam ab ipsis didicisset, ea verò vidisset congruere literis, nempe aspectum, qui quam profitebatur virtutem conseruaret, faciem liberalem, morum libertatem, nihil seruile, humile & abiectum, neque quod facilè possit in aliam traduci sententiam. Hæc cùm vidisset Maximianus, vt qui in iudicandis illis multum valeret, sibi statim interdicit eius examinationem, & quasdam bellicas causatus occupationes, præfecto Agrippino committit Clementis cognitionem. Ille verò cùm eum statim sisti curasset hoc ante alia interrogat, an ipse esset ille Clemens, qui vulgò ita iactabatur. Cùm is autem se esse respondisset, & Christi seruum præterea adiecisset, ira motus Agrippinus, iussit militibus, vt ei in facie colaphum impingerent, dictitantes, se seruum imperatorum, non autem Christi, vocaret. Martyr autē, Vtinā, inquit, & domini & Imperatores vestri, vocati essent Christi serui, & aliæ quoq; omnes gentes eis seruirent & parerēt & non eis potiùs improbè imperaret impietas, & stultè nos vincere cōtenderent. S. Clemens venit Nicomediam. Sistitur præfecto Agrippino.

XXXIII. Hæc cùm veluti flamma quædam incidissent in animum Agrippini magis accenderunt fornacem insaniæ, & Clementi quidem nihil respondit, vt qui ostenderet conceptam in eum iram esse maiorem, quàm vt minis eam significaret. Ad Agathangelum autem adspiciens, Tu verò quis es? inquit. Neque enim contineris in literis Diocletiani. Ille autem cùm visum suum diuisisset, & simul in cælum & ad Clementem sustulisset oculos, (vtrinque enim ad se venturum sperabat auxilium) Ego quoque, inquit, sum Christianus, per seruum Christi Clementem hanc beatam nactus appellationem. Tunc Agrippinus iubet Clementem quidem in altum subiatum cædi ac mutilari: Agathangelum autem boum neruis à lictoribus crudelissimè verberari. Quoniam verò magnus Clemens eiusmodi tormentum tam magno & excelso animo ferebat, & tantum aberat, vt plagarum vel modicam vllam duceret rationem, vt pro se & pro Agathangelo assiduè oraret: Præfectus hæc parua esse arbitratus, & quæ animum non attingerent, in quo hoc adeò fixum & firmum insederat, ne ad contrariam traduceretur sententiam, vtrunque quidem relaxauit à castigatione, & tradidit in custodiam: sequenti autem die iubet theatrum parari & bestias, & numero multas, & genere diuersas, & crudelitate insignes. Atque sancti quidem relicti in carcere, vehementiùs & intensiùs vigilantes, vacabant orationi: Angeli autem ad eos desuper aduolantes, præparabant & confirmabant ad martyrium. Quicunq; verò alij propter alias etiam causas habitabant in carcere, cùm eorum intensam vidissent orationem, & deinde etiam sensissent aduentum angelorum, & illa admirabili obstupefacti essent consolatione, diuino quodam ardore eorum incitatis animis, procidunt ad pedes sanctorum, & rogant vt ipsi quoq; veniant ad Christi cognitionem, & ne reputentur indigni, qui illum confiteantur. Illi autem cum eis ad mediam vsque noctem disserentes, suadentes, admonentes, docentes, non prius destiterunt, quàm eos in vera fide instituerint, & diuino baptismo obsignauerint. Deindè cùm magnus Clemens sola oratione eis carceris totam aperuisset ianuam, illos quidem lætus lætos dimisit: ipse autem solus cum Agathangelo mansit in custodia. Cruciātur martyres. Ducuntur in carcerē. Oratione patefacit vinctis carcerem.

XXXIV. Hoc Agrippinum valdè magno ciet furore, & cùm eos deduxisset in theatrum, & ipse priùs more leonis in sanctos rugiisset, deindè in eos quoque leones & multas alias bestias iubet immitti. Illi autem immissi, nihil quidem mali sanctis omninò faciebant: sed blandis potiùs & benignis eos intuebantur oculis, & nunc quidem eorum pedes hilariter lingebant: nunc autem in eos etiam placidè insiliebant, non dissimiliter facientes iis, quæ canes sæpè faciunt suis dominis, qui post longum tempus redeunt. Atque sanctis quidem bestiæ nihil mali faciebant: Agrippini verò animum valde præcellebant, qui erat de tota re mirandum in modum perplexus & animi dubius, &, vt dicitur, ea aggrederetur, quæ non possent effici: quanquam erroris tenebræ vsqueadeò crassæ eum detinebant, vt nec, cùm ea quidem vidisset, intelligeret, & nec bestiarum saltem reuereretur illam supra naturam naturæ mutationem. Sanctis autem ea res fuit causa Deum glorificandi, & orantes dicebant: Gloria tibi Christe, quod feræ quoq; sint nos admirabiliter & præter opinionem reuerite, & confirmasti quæ dicta sunt per tuum Danielem prophetam. Ecce enim & leones & multæ inanes feræ in nos sunt immissæ, sed tu omninò fuisti nobiscum, qui es etiam Deus Danielis. Feræ blandiuntur martyrib9. *Dan 6.14.*

XXXV. Deinde verè agrestis Agrippinus, cùm nihil, vt prius diximus, esset mutatus: sed eius, quod admirabiliter fecissent bestiæ & præter opinionem, earum mansuetudinem dixisset esse causam, iubet subulas valdè candentes, eis per medios vtriusq; manūs digitos, ad ipsas vsq; vlnas infigi. Atq; illæ quidem, vt ille iusserat, athletis adactæ, theatro acerbū præbuēre spectaculum, vt multi ne liberè quidem intueri possent, sed propter tristitiam èius, quod cernebatur, humanis & clementib. conniuerent oculis effecēre. Cum primum enim ferrum carnes attigisset, illæ quidem veluti quendam primum grauem sibilum emisēre: deindè purpurea quædam pinguedo illinc descendens cum sanguine, videbatur vim ignis extinguere, nidoreq; & fumo implebat aerem. Atq; illi quidem, qui aderant, eius quod fiebat ęgrè ferentes acerbitatem, & animi perturbationem apertè ostendebant, & vt viri dimitterentur, clamabant. Agrippinus autem magis accensus, & propter furorem impos mentis, iubet alias subulas & ipsas quoq; vehementer accensas sub eorum axillis vsq; ad humeros transfigi: quod quidem eis quoq; magis auxit dolorem, & eis sensum longè immisit acriorem. Populus itaq; nō ferens tam inhumanum spectaculum, sed partim quidem grauiter ferens magistratūs sæuitiam: partim autem iudicans admirabile id, quod factum fuerat, quemadmodum Martyres tantis restiterint insultib. & non vna cum eis protinus quoq; animas emiserint, iecerunt quidem vndiq; lapides in Magistratum: magnus autem est Deus Christianorum, voce quàm potuerunt clarissima clamauerunt. Cùm magnus itaq;, vt est consentaneum, exortus esset tumultus, & præfectus suæ saluti fuga consuluisset, liberè & securè Martyres in montem Pyramin ascenderunt, in quo & sacrificia fiebant à gentilibus, & deorum apud eos insignium occultabantur simulacra. Acerbissimi cruciatus eis adhibentur. Item alij acriores. Populus iacit lapides in tyrannū.

XXXVI. Sed ne sic quidem irasci desiit Agrippinus: sed cùm per suos satellites eos multos dies diligenter quæsisset, vix tandem inuenit sanctos: & cum sequenti die iussisset per præconem conuenire in montem omnes, qui erant initiati diis & dæmonibus, ipse quoq; in eo præsidet in alto tribunali: & cum sanctos in medium produxisset, Cur, inquit, vestris præstigiis & incantationibus in populo seditionem excitâstis: vt manus autem in nos tollerent, & ad deos negandos & maledictis insectandos procederent, persuasistis? Martyres verò, A nobis quidem, dixerunt, ô præfecte, nihil factum est, quo moueretur & ad seditionem concitaretur populus: sed vel nobis silentibus verus eis ex ipsa veritate cognitus est Dominus, & cum magna, vt ipse nosti, voce viuum solum Deum prædicauerunt. Tu autem si aliquod rursus nobis velis propter ipsum inferre supplicium, infer, non differens, potest enim is ab eo quoque nos liberare,

Nota tyranhis atrocitatem.

rare,& à vestris manibus eripere. Sic à Martyrum anima & sententia turpiter victus Agrippinus,corpora saltem studebat superare : cumque eos extendisset in petra, quæ erat super verticem montis,& crassissimis lignis ossa eorum confregisset,& carnes,proh dolor, conscidisset, deinde iniicit in saccos, & eis maximis alligatis lapidibus, per latera montis deiicit vehementissimè. Atque eorum quidem, qui aderant, nullus erat cui non esset persuasum, statim morituros martyres, illo vehementissimo impetu discerptos & distractos. Illi autem cùm ferrentur tam celeriter, ne ad extremum quidem montis lateris constiterunt: sed cum ab ipso quoque litore decidissent, dilapsi sunt in profundum maris.

O miram Christi potentiam.

Illic itaque stabant ex piis aliquot ad Martyrum venandas reliquias,vt si ex eis aliquid à mari eiiceretur, id tollerent. Cùm illic ergò satis diu permansissent, vident saccos è profundo redditos,& sensim aquis supernatantes. Cùm ergò nauem ascendissent,& prope saccos fuissent,viuentes (ô tua Christe rex potentia) Martyres suscipiunt, ne paruum quidem illarum plagarum vestigium adhuc in se habentes. Media autem nocte magna quoq; lux sanctos è cælo circunfulsit,& angeli apertè manum eis præbuêre: & cùm in terram eduxissent,eos cælesti alimento impertiêrunt,& malis assiduis deiectam eorum virtutem recreârunt. Deindè cùm sic sancti in mediam accessissent ciuitatem,& aliis sanctis Dei narrabant magnalia, & ipsi manus in cælos extollentes,ei gratias egerunt vehementiùs. Eorum autem in ciuitatem aduentus accessio in transitu, fuerunt duo quidam cæci, stantes in quadam porticu, & alius, cui erant manus torpefactæ, & alius rursus,cui corpus laborabat paralysi, qui ex beatarum illarum manuum solo contactu, sine labore & mercede inuenerunt curationem. Multi quoque alij, qui variis morbis laborabant, cùm ad eum confluxissent,eandem quam illi fidem afferentes,eandem quoq; consecuti fuêre curationem. xxxv. ii.

Miracula fiunt.

Cùm ergò hæc quoq; didicisset præfectus,& ipsa cognouisset experientia,se non modò nihil proficere,dum puniret martyres, sed suam potiùs lædere religionem, vt qui multos videret ex gentilibus, iis quæ præter opinionem abipsis fiebant miraculis,transfugere ad pietatem,non audet quidem ipse amplius certamen suscipere, sed de eis ad Maximianum refert Imperatorem,qui procul à Nicomedia cum toto versabatur exercitu: cumq; alia singulatim retulisset,& quòd orti quidem essent in regione Galatarum,patria autem Ancyranorum,cùm eas accepisset Maximianus,& legisset ea quæ continebantur,eum veretur rursus examinare,hoc prætextu rem volens euitare.Nam cùm eos Ancyræ esse ortos literæ significarent,illuc sanctos ad quendam Ducem transmittit,nomine Curicium, dicens: Aequum est, vt quæ genuit,eos & habeat,& alat,& puniat. Tantum solertia & sapientia & excogitandi facilitate valet Dei prouidentia, & in rebus dubiis exitum tam facilè inuenit, & Clemens, qui tantum terræ & maris obierat, & tandiù fuerat peregrinatus, in charissimam & iucundissimam, sicut optabat, patriam reuertitur: Quam cum læto & alacri animo esset ingressus,Gloria tibi Domine Iesu Christe Deus,dicebat,quod meas preces exaudieris, patriæq; & meorum Maiorum sepulcris me cum pulchra reddideris accessione, cum socio, inquam, certaminis Agathangelo: vt vbi natus sum,illic etiam decedam.Deinde ad Curicium præsidentem in quodam loco,qui vocabatur Cryptos,id est,occultus, vbi etiam parua quædam ædificata fuerat ecclesia,viri sistuntur egregij. Ille autem conans eos inducere, & ad se pellicere ingenij acumine & solertia,eos ita est allocutus statim in principio: xxxv. iii.

Sistuntur Curicio duci.

Vide sibilos tartarei serpentis.

Martyrum constantia.

Cùm accuratè ô viri de vobis didicerim, & quantum terræ obieritis, & quot,& quanta subieritis pericula,& quot mortis genera vobis intenta effugeritis,ipse quoq; animo afficior, & vel eorum sola frangor auditione, & efficior vobis quodammodo socius calamitatum: & ideò illa magistratus deposita seueritate, tam benignè vobiscum & placidè colloquor.Videris enim mihi omninò,ô Clemens maxime & admirabilis, eô quod ex hac præstantissima natus sis ciuitate,in eaq; creueris & doctus sis & educatus, ea de causa ne pius quidem in deos in alia videri voluisse ciuitate, nisi prius in tuam rediisses patriam,pro alia,vt videtur,remuneratione hoc illi reseruans. Sunt ergò nunc à te ciuitati & nobis agendæ gratiæ.Te autem consequatur præclarus quoq; Agathangelus. Nolite ergò differre,sed diis de more sacrificate Sancti verò, Quomodò, dixerunt,fueris nobis socius afflictionum, quibus sunt voluptati afflictiones? Lætamur enim his perpessionibus,& eò magis,quod non talia pati,perpessionem esse ducimus & calamitatem: sicut etiam perpetuam rursus beatitudinem,si in præsenti Christi fide & in hac consummemur confessione. Quod si oportet nos esse inter nos socios calamitatum,oportet nos vestrorum malorum potiùs misereri,qui verum Deum ignorantes, nullo sensu præditis,proh dolor,simulacris & surdis miserè estis dediti. xxxix

Noua supplicia, eaq; horrenda,

His grauiter efferatus Curicius, Quoniam,inquit,vt videtur,malarum estis partium, & vt videtur, lætamini dum cruciamini,ego quæ sunt vobis cordi,præbebo liberaliter & magnificè. Cùm itaq; statim ferrum vehementer accendisset,vt etiam ignis scintillas vndequaquam emitteret,eum subiicit axillis magni clementis: & deinde cùm lateribus vlnas fortiter alligâsset, vt dolorem sentiret acerbiorem, lignum magnitudine ei æquale figit in terram: & Clementem quidem iubet rectum in eo alligari: Cùm Agathangelum autem sublimem sustulisset,& lictores circa eum omni ex parte statuissent eorum latera & tibias simul cædebat.Interim autem eos veluti subsannans, interrogabat an sentirent supplicia.Cui magnus Clemens illud Pauli in tempore respondit: Quantùm externus homo noster corrumpitur,dicens,tantum internus renouatur. Dux itaque summam illius tolerantiam contendens rursus summis superare suppliciis,ferream quoq; galeam,cum eam quantum potuisset accendisset,ferens posuit supra caput martyris: & statim fumus quidem mittebatur per os, per nares,per aures. Cùm ille autem profundè ingemuisset,& Deum inuocâsset,O aqua,inquit,viua,imber nostræ salutis,ipse,inquit,tuum instilla mihi rorem. Nos quidem priùs ex aqua eduxisti,& nunc ex igne edut in refrigerium.Hæc dixit,& paulatim frigida euasit illa machina,& defessi sunt,qui ipsum cædebant Agathangelum.Quod quidem cùm Dux vidisset,eum inuasit tremor & admiratio: & statim iussit sanctos abduci in carcerem,inopiam consilij tegens prætextu misericordiæ. xl.

2 Cor 4.

O immanitatem.

Sapiens autem Sophia, quæ, vt diximus,eius erat & mater & institutrix,& bono Clementi effecta erat omnia, cum post longum tempus eum vidisset sic rediisse cum ornatu confessionis & splendida stola martyrij, & rursus in patria euasisse clariorem accessione periculorum,habebat cor plenum lætitia,& sperabat se mox visuram coronas, quæ desuper mitterentur. Noctu autem veniens in carcerem, complexa Clementem, & præ gaudio in eum emittens lachrymas,os,manus,lachrymas,& omnia deniq; illius membra germanè & suauiter deosculabatur. Deindè quomodo illinc nauigauerit,quibusnam traditus fuerit, & quænam interim sustinuerit, & quemadmodum tanto tempore decertauerit,& quisnam sit, qui cum eo sub hoc duce decertauerit, & cum eo rursus est inclusus, singula apertè interrogauit.Postquam verò magnus Clemens singulatim omnia,quomodo se haberent,exposuit,cùm eorum abstersisset sanguinem,& mundis linteis mundâsset vulnera,eis apponit alimenta,quibus sciebat Clementem nutriri ab ineunte ætate.Cùm interim autem considerasset Curicius,quod nihil ab eo posset eiusmodi excogitari ad supplicium, vt virorum tantam superaret tolerantiam,Vicario cuidam,cui tunc Amesenorum data erat administratio: erat autem ei nomen Domitius,de eis mandat cognitionem. Cùm verò ad eum deducerentur martyres,quæ filiorum aut Martyrum potiùs amore tenebatur,ab eis abesse non potuit,sed prompto & alacri animo sequebatur cum iis, qui ab ea alebantur,pueris:quos quidem,vt priùs diximus,ei Clemens adsciuerat. xli.

Sophiæ matronæ humanitas.

Cùm autem ad Maximianum statim esset relatum de pueris,iubet,vt si voluerint quidem discedere à Clemente, eis permittat domum redire.Sin verò ab eo non facilè recedant,vt eos morti dedat. Cùm hæc ergò in pueros lata esset xlii.

sententia,

sententia, eos apprehendentes milites, conabantur eos per vim auellere à Martyre. Cùm ab eo autem disiungi non sustinerent ipsos se humi deiicientes, & ambabus manibus pedes illius amplectentes, non prius dimiserunt, quàm vnusquisq; eorum: ense vitæ finem acceperit, cùm constantiam & prudentiam supra ætatem ostendissent, & apertè mõstrâssent, perfectum hoc donum descendisse desuper à patre luminum, boni animi & instituti munificentissimam remunerationem. Atq; locus quidem, cui puerorum corpora sorte obtigerũt, appellabatur campus. Pia autem Sophia, propter summam suam in eos beneuolentiam, gerebat etiam curam mortuorum corporum, nec se dignum esse existimabat, si ea humi videret iacentia: sed vel inuita à magno Clemente disiuncta est & diuino Agathangelo, cùm eis prius vale fecisset, & dixisset quòd si Deus daret, ad eos rursus rediret. Quamobrem cùm illa puerorum corpora manibus sanctis sanctè humo texissent, illa quidem læta domum est reuersa. Pueri aliquot necantur.

XLII. MARTYRES verò cum ad Amesenorum peruenissent ciuitatem, & genua in terram aliquandiu inclinant, & cùm vt Deus eis rursus adesset ad auxilium, cum calidis inuocâssent lachrymis, à militibus adducuntur ad Domitium. Sed ille cùm esset occupatus in examinandis aliis Christianis, eos in diem sequentem reseruat certis tribunalibus & supplicijs, dicens non esse honestum, vt de eis cognitionem aliis adiungeret. Ad eum ergò adducuntur die sequenti cum generoso & excelso animo, & qui erat expers omnis timoris: qui tantum abest, vt si quid graue paterentur, cederent & pietatem proderent, vt etiam ipsum iudicem magnus Clemens conatus sit in suam traducere sententiam, docens de bonis futuris & de vita immortali, quæ expectant, qui pati propter Christum constituerunt, propter quem nos quoque, præsentia, dicebat supplicia lubenter sustinemus: & adhuc his plures afficiens admonitiones, & eius aures implens doctrina iucundissima, adeò vt ipse quoq; Agathangelus repletus voluptate, prociderit ad eius pedes, & cum illinc deinde surrexisset, eum sit complexus, & suaue illud os ardenter deosculatus. Sed Domitius, vt est in prouerbio, erat asinus ad lyram in audiendo: & nec pauca quidem intelligebat ex eis, quæ ab eo dicta fuerant, sed cùm ab errore totus detineretur, arma capit contra Martyres, existimans fore, vt eos à pietate traduceret. Certè & eos à se inuicem separat, vt etiam sic in eos incideret imbecilliores, & singulos seorsum ducit ad examinationem. Sed totum euenit contrarium. Nam cùm disiuncti essent corpore, erant omninò colligati spiritu, & reuerentes eas, quæ erant inter se inuicem factæ conuentiones & confessionem, sic seipsos effecerunt magis generosi & magis excelsi animi, eam, quæ erat à se inuicem, incitationem à se contendens vterque accipere. Martyres ad Amesenorum vrbem ducuntur. Mira S Clementis virtus.

XLIII. IMPIVS ergò ille iudex, cùm eos ab initio punire statuisset, cisterna quadam calce impleta, sanctos in ipsa defodit. Deindè cùm propè statuisset milites, iussit vt eos diligenter seruarent: ne fortè, inquit, Christiani eos noctu suffurentur. Et hæc quidem ille stultus, & verè stulta aggrediens, vt nouit Deus. Quomodo enim fornax, quæ olim tres susceperat pueros, nullo eos dolore nec vlla affecit molestia, & vt dicam cum diuina scriptura, ne vnum quidem eorum pilum læsit: ita etiam in his factum est. Nam cùm hora secunda iacti essent in calcem, toto die (erat autem parasceue) steterunt nullo malo affecti, Deum laudãtes: vesperè verò & lux eis desuper emicuit, & p totã noctem eos circumfulsit. Miraculum autem fructus quoque est consecutus. Duo enim ex militibus, quibus erat eorum demandata custodia, hunc splendorem mirati & hanc alacritatem, & lubenter in calcem insiluerunt, & Christianos se esse cõfessi sunt. Cùm verò iam dies appareret, eos esse mortuos existimans Vicarius, qui erat impietate mortuus, iubet eorum corpora eiici è cisterna. Et cùm accessissent ij, quibus erat eorum commissa custodia, vident eos, & milites qui ad eos transfugerant, nihil quidem graue sustinuisse: sed habere diuinam quandam gratiam in suo vultu efflorescentem, & è facie dulcem quendam radium emittere. Cùm eos ergò è cisterna extraxissent, de militibus Vicario renunciant, (erant autem eorum nomina Phengon & Eucarpus) & illo iubente protinus fuêre crucifixi, clara quoque ipsi luce confessionis habentes oculos illuminatos, & iam remunerationum fruentes præmiis. Morguntur martyres in Calcem. *Dan. 3.* Duo milites credũr, & crucifiguntur.

XLIV. CLEMENS verò & Agathangelus adhuc currebant in stadio martyrij: Vicarius autem studebat eis quoque vitam præsentem adimere, vt qui nec videret eos persuaderi bonorum promissionibus, nec omninò malorum cedere insultibus, plures adhuc & præclariores volens eis coronas contexi. Dehinc certè Vicarius iussit duo lora excindi ex tergis vniuscuiusque: deinde autem ipsos quoque verberari virgis toto corpore vehementissimè. Illi verò, cùm etiam eis carnes concliderentur, & ossa contererentur, fortiter tamen & constanter sustinebant præsentia, tanquam ad impatibilem iam traducti naturam, & nullam sentientes necessitatem corporis. Præclarus autem Clemens tales quoque voces ad Deum loquebatur, dicens: Domine Iesu Christe, qui quicquid spirat, è luto propriis fabricatus es manibus, & homini neruos & ossa & aliam construxisti figuram qui etiam nos sæpè contritos confirmâsti, & concidentes stabiliisti, afflictosque & prostratos erexisti, ipse ossa quoque nostra nunc contrita erige, & tua imple exultatione. Ipse enim es ô rex inuicte, qui in nobis hoc certamen decertas: vt per nostram imbecillitatem tua apertiùs ostendatur potentia. Quomodò enim hoc corpus, in quod cadit interitus, tales vicerit perpessiones: Ita magnus Clemens cum Deo loquebatur. Vicarius autem videns eos superare præsentia, ad alium modum processit supplicij: & cùm duos ferreos candefecisset grabatos, facit vt in altero eorum alter recumbat. Cùm verò multum ignis inferiùs substrauisset, oleum & ignem & picem. & sulphur infundit. Cùm multus ergò, vt est consentaneum, fumus & flamma sublati essent in magnam partem aëris, ij quidem, qui circunsistebant, quinetiam ipse quoque cum eis magistratus, id quod erat rei & naturæ consequens, credebant omnes sanctos esse mortuos. Significabat autem iam lictoribus quoque Vicarius, vt rogo extincto, corpora sanctorum iacerent in fluuium. Eos verò inuaserat quidem dulcis somnus & inexplicabilis. In somno autem visio quoque accedebat. Visio verò erat ipse agonotheta Christus, qui cum exercitu angelorũ apparuit, & dixit: Nolite timere, ego n. sum vobiscũ. Illi ergò cùm ab hoc diuino somno essent expergefacti, communicabant sibi inuicem visionem, tanquam in herba molli & odorifera, non in media autem flamma, iacentes. Nota truculentum tyrannum. Candentes grabati eos excipiunt. Christ9 eis apparet. O miraculum.

XLV. CÙM eos verò Domitius vidisset ita admirabiliter & præter opinionem ignem superauisse, nec sciret deinceps quidnam eis faceret, remittit eos ad Maximianum, qui tunc ex Tarso reuertebatur Ancyram. Cùm sancti ergò sub militib. cum multis quoque aliis Christianis essent iter ingressi, quoniam & vitæ longitudine defessa erant corpora, & alioqui via, qua erant transituri, erat admodum deserta & planè aquę expers, sitis eos vrebat vehementissimè. Ea cùm viderent grauiter premi eos, qui vnà iter ingrediebantur, & mox esse defecturos, ad preces cum genibus ipsum cor quoque inclinantes, Domine Iesu Christe Deus noster, dicebant, qui etiam priùs aquas maris, tanquam murum firmas effecisti & stabiles, & aquam rursus eduxisti è petra ipse nunc quoque super nos respice, respice, inquam, Rex: valdè enim ardet nostra anima, & currimus in siti æstûs in loco, qui est sine aquis. Te autem volente, omninò & terra aqua, & rursus aqua terra fiet. Hæc & dicebant, & calidæ lachrymæ eis fluebant ex oculis. Cùm itaque orâssent, & protinus in cælum suspexissent, purum quoddam & perspicuum fluentum ex illa arida & inculta terra emittitur. Ex quo cùm bibissent, eam quæ eos premebat sitim sedârunt. *Exod. 14. & 17.* Miraculũ.

XLVI. CÙM huius autem rei fama etiam ad eos, qui procul erant remoti, peruasisset, ad ipsos confluebant qui circuncirca habitabant, & magna hominum multitudo, qui multis & variis morbis vexabantur, ad eos adducebatur. Manuum autem solus contactus fuit vnicuique morbi medicamentum. Beatissimus ergò Clemens (ad ipsum enim solum rursus reuertitur oratio) propter Christum pati adeò sitiebat, vt nec vitæ quidem suæ tempus oraret minui suppliciis, sed eius septa extendi perpetuò, Domine, dicens, qui es solus rex seculorum, ne me abduxeris in dimidio dierum meorum, Nota patiendi desiderium.

meorum,his quotidianis defessum periculis: sed præbeas mihi peccatori per totam eam vitam omnia pati pro tuo nomine & tua confessione,& vel ipsa tibi membra sacrificare,vt ea rursus accipiam cum maiori splendore. Hæc simul ac precatus est,visus est sibi vocem audire ex alto,dicentem: Quæ petijsti Clemens,ea nunc tibi data sunt. Te fortiter gere,& tuas vires confirma,& certaminis cursum constanter confice. Vniuersum enim quod tibi restat vitæ tempus,cũ ijs,quæ certando iamà te sunt peracta, numerabitur ad viginti & octo annos martyrij. Sic ergò egregius Clemens, cùm è cælo accepisset certum pignus martyri, ad Ancyranorum ciuitatem rursus confidenter procedebat vnà cum Agathangelo. Qui eos autem abducebant milites,audientes Imperatorem adhuc versari Tarsis oppido Ciliciæ,illuc ad eum sanctos ducunt. Ille autem cùm eos statim sisti curâsset,& id quod re vera erat celasset,simulata benignitate, humanè & placidè eos primùm conabatur inducere.

Idem habet Nicephor Eccl. Histo. l.b 7.c 14.

Fallacia satanæ.

Mihi videmini,dicens,ô viri,propterea in hodiernum vsq; diem non induxisse in animum, vt omninò cederetis, XLVII. sed in eos potiùs,ad quos missi estis,immorigeri fuisse & contentiosi,vt ad nos vsq; veniretis,& non priùs in alicuius alterius,quàm in ipsius Imperatoris oculis mutaremini. Scit enim sæpè præsentia Imperatoris animum quoq; transmutare & id quod est valdè inimicum,prouocare ad beneuolentiam. Ecce ergò nostro adspectu dignati estis in præsentia,propediem autem digni quoq; nostra censebimini beneuolentia,si priùs deos vt seruatores & communes hominum curatores colueritis. Præclari autem viri præclarè admodùm respondentes: Quòd ad tuam quidem potentiã, dixerunt,deducti simus,ô Imperator,ipsi quoque lætamur: sed vt qui pro tuo tribunali supplicio propter Christum, non aliquo autem alio honore,digni simus censendi. Sic enim cum magna fiducia sistemur ad illius terribile, & quod corrumpi minimè potest,tribunal: quam vt consequaris,te quoque rogamus ô Imperator. Ipse.n.est, per quem & reges verè regnant,& tyranni in terra dominatum obtinent. Ipse enim est,qui & destruit omnem gentem, & Romanorum extollit imperium,& adhuc magis extollet, & per ipsum omnib. dominabitur gentib. Quod quidem Propheta quoq; appellat virgam ferream,Dedit tibi,dicens,gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam fines terræ. Pasces eos in virga ferrea. Porrò autem Imperatores quoque,qui vos sequentur,excitabit pios & veri Dei cultores. Nam hoc quoque priùs elocutus est spiritus.

Martyrum inuicta fortitudo.

Psal.2.

His ergò vehementiùs commotus Maximianus, Quosnam,inquit, ô vos,qui violenta estis morte perituri, legistis XLIIX. libros fatidicos,qui hæc fabulantur? Illi autem,Non fatidicos,sed propheticos potiùs dixerunt, ô Imperator, in quibus vtiq; hoc quoq; scriptum est: Exurgere faciet Deus in dieb. nouissimis reges pios. Maximianus verò, dum ij hæc dicerent,interrumpens orationem,Quid verò,inquit,Non nos ij sumus,qui in deos tanta pietate vtimur, vt eos quoque qui eis non parent,vt nunc vos,malis afficiamus grauissimis? Quamobrem magnus Clemens,silente Agathangelo,Sed ô Imperator,inquit, si fuisset quidem aliqua mutatio impietatis, ex quo illud prædictum est propheticum, ea quæ à te dicta sunt,aliquam haberent rationem. Cùm autem cultus simulacrorum in hodiernum vsq; diem abundet in orbe terrarum,clarum est,futurum omninò aliud tempus piorum Imperatorum. Cùm ex his ira,quæ cohiberi non poterat,esset incitatus Maximianus,loqui quidem desiit: fornax verò,Chaldæorum fornace longè maior,sanctis fuit accensa. Sed eos quoque in ipsam iniectos,diuina rore perfudit gratia: sicut illic pueros, sic hîc conseruans Martyres. Atque totam quidem noctem & diem eos fornax tenuit: illinc verò audiebatur quidam sonus festum celebrantium, suaueque olens & dulcis fumus ex eo sursùm emittebatur.

Iactantur in fornacẽ sed nihil lædũtur.

Hæc significantur Maximiano. Ille autem,cùm iam flamma extabuisset,accedens,videt sanctos in ea saluos,ô mi- XLIX raculum,cùm flamma ne vel solum quidem eorum pilum læsisset: sed manus quidem haberent in cælum extensas,labra verò mouerent ad glorificationem. Quos cùm curâsset statim ad suum tribunal sistendos, Vel in hoc,inquit,mihi saltem gratificemini,vt significetis quibusnam incantationib. igni vim adimitis. Illi autem, Non incantationib dixerunt,ô Imperator,sed sola eius,qui dixit,promissione: Etiamsi per ignem transeas,flamma non te comburet. Hæc ergò rursus mordebant & malè habebant Imperatorem,& eos iussit trahi publicè,& conuelli à lictorib. & extrema perpeti. Sed hæc quoq; illi malè cesserunt. Nam tunc quoq; multi ex infidelib. videntes spiritus, qui non poterant redigi in seruitutem,& animum,qui deijci & deprimi non poterat,planeq; fiduciam spirabat & libertatem, & hoc quod est maximum,homines qui acerbè trahebantur & conuellebantur,& quid non graue patiebantur,& non solùm non cedebant,sed euaserant quodãmodò robustiores & vegetiores,& pleni erant fiducia, & superabant ipsum Imperatoré. Hæc videntes,& patriam abiurabant religionem,& eis se adiungebant,& ei,qui ab ipsis prædicabatur,Christo.

Esa.43.

Multi credunt in Christum.

Cùm itaque consilij inopia esset planè ex omni parte implicatus Maximianus, Martyres ità vt erant vinctos tra- L. dit in custodiam, cùm eos damnâsset quatuor annos habitare carcerem: si fortè,inquit,quòd intercedit tempus,sit eorum soluturum constantiam,promptique & alacris animi hebetaturum vehementiam. Sed ea contrà atque sperabat euenerunt. Bono enim & tranquillo animo fuerunt interea, & cùm iam tempus adesset præfinitum, perindè ac si fuissent inclusi heri & nudiustertiùs,acrem & vehementem seruabant zelum ad confessionem. Desiderium enim in Christum,& spes futurorum,efficiebant vt habitarent carcerem non secùs,ac magnificas ædes & palatium. Maximianus ergò cùm hæc quoque didicisset, ipse quidem recusat ampliùs suscipere aduersus eos certamina: deliberabat autem,ad quem eos de cæterò transmitteret,prætextu quidèm,quòd propter insignem impietatem ne Imperatoris quidem essent digni tribunali: Vera autem causa erat,quòd cùm eos inuenisset omnibus eos inducendi rationibus superiores,& neque induci bonorum promissionibus, neque flecti maiorum insultibus, verebatur adhuc manus cum eis conserere,generosum & qui deprimi non poterat eorum spiritum, eius deprimere gloriam & aliquid de magnitudine detrahere existimans.

4. annis sunt in carcere martyres.

Ei autem sic deliberanti,aderant multi quoque alij simul magistratus & præsides,qui ex multis conuenerant pro- LI. uincijs. Inter quos erat etiam sacerdos,qui erat quidem principatu insignis,sed erat longè impietate insignior, & multos Christianos multis sæpè & varijs subiecerat supplicijs. Ei mandat Maximianus cognitionem de martyribus. Cùm autem persuadendi magna vi esset præditus,& ad illiciendas hominum mentes artifex egregius,& alioqui studeret ostendere, eos qui ipsum præcesserant, non ex Martyrum animi magnitudine, sed ex sua potiùs simplicitate illis præbuisse victoriam, sedens in tribunali effecit, vt viri illi egregij coram se sisterentur, & variè cum eis decertare est aggressus: modò quidem lenitate & pecuniæ promissione: modò verò acerbitate & minis rerum malarum: nunc blanditijs,nunc indignatione,& partim quidem asperarum rerum experientia,partim autem ijs,quæ præcesserãt, adhibendo medicinam tanquàm ex pœnitentia. Cæterùm cùm primùm fecit vt sisterentur Martyres, Adeste, inquit, ad sacerdotem, quem nullus, inquit, effugit ex Christianis, qui Pontum habitant & Galatiam: sed multos quidem per suasos honoribus affeci & muneribus, & dijs, quod quidem est maximum, reconciliaui & effeci familiares: multos verò ex ijs,qui non paruërunt,ferro & igne consumpsi, & morti tradidi acerbissimæ. Cui quidem vos quoque parentes,sacrificate,vt pro portione tot malorum,quæ tot annos patimini,vos bonis fruamini.

Impiissimo sacerdoti dæmonum traduntur.

Rom 8.

Ad hæc dixerunt sancti: Qui nos pro meritis est remuneraturus & honoraturus, est Christus, qui dona habet tam LII. excellentia,vt ne condignæ quidem sint huius seculi passiones ad gloriam,quæ est in nobis ab ipso reuelanda. Propter quæ sacerdos quoque fecit similiter ijs, qui præcesserant, & eos iussit cædi in humeris,donec eis ipsa ossa aperirentur. Cùm autem Martyribus præsentia viderentur esse leuia,spina quoq; similiter cædebatur,donec à præsentibus oculis

visa

visa est ossium compositio,& tota dimensa est compago vertebrarum.Sacerdos ergò tam miserè & tam miserabiliter victus est à Martyrum fortitudine.Quocirca quæ illos pati erat verisimile,ipse potiùs sustinebat.Nam ij quidem, cùm ille iussisset,suis pedibus rediérunt in carcerem: Ille autem cùm ex pudore & ægritudine quòd vinceretur, linqueretur animo,& multis portaretur manibus,turpiter recessit à Tyrannico tribunali. Rursus crudelissime cæduntur.

LIII. INTERIM autem dum sancti irent in carcerem,carnes quæ eis decidebant cum sanguine,effecerunt vt fideles vndique ad eas colligendas concurrerent,tanquam ad quendam thesaurum bonorum.Quas quidem statim cum ipso puluere tollentes sitientibus manib.credebant se quandam benedictionem attrahere & gratiam. Postquam verò sacerdos omni metu intentato,adhibitaq; omni experientia,calidisq; commentis artificijsq; & præstigijs,nihil potuit efficere,sed vt dicitur,in cælum est iaculatus,& hæc resciuit Maximianus,& risum profudit in sacerdotem: Hic est sacerdos,inquit,qui decantatur ab omnib.Maximus ergò quidam,qui ipse quoq; erat Dux, cùm esset apud Maximianum, & audiret quæ dicebantur,impletur quodam animi zelo aduersus sanctos,& Rogo,inquit,ô Imperator,tuam potentiam,vt ij viri mihi quoq; tradantur in manus.In maximis enim dijs habeo fiduciam,quòd vel eis persuadebo, vt mutent omninò sententiam,vel eis malè vitam adimam.Quamobrem cùm annuisset Maximianus,octauus ipse suscipit Martyres,& nouum quid in ipsos machinatur,vt qui interiecto aliquo temporis interuallo cum ipsis colloqueretur, & se sanctis verum & amicum dare fingeret consilium.Nam eos quidem primùm alloquitur, amicè sermocinans,& quæ iucunda & grata essent,cum eis differens.Deinceps verò aliquot rursùs dieb.interiectis, eos ad sermonem conferendum vocabat,eosq; admonere & eis consulere,non autem eis omninò vim afferre,neq; eos cogere videbatur. En quanti olim fiebāt sanctorum reliquiæ. Octauo carnifici martyres traduntur.

LIV. CÙM verò sic multum temporis intercessisset,fraus Maximi apertè arguebatur, & aperiebatur causa illius fraudulentæ & simulatæ amicitiæ.Nam cùm sanctos aduocásset,Saluete,inquit,ô homines,quos similiter amant dij immortales,& ambos habent loco germanorum filiorum.Sæpe.n.mihi & respōsa dederunt,& in somnis apparuerunt, iram in vos reprimentes,nulla quidem omninò alia de causa, nisi quòd expectant vestram spontè futuram mutationem, quæ quidem paulò pòst aderit,vt mihi certè præterita nocte magnus inter deos aperuit Dionysius, vt qui nobis mandauerit,dicens: Adducvitos Ecce ergò & ara est parata,& parata sunt sacrificia: accedite, & sacrificate eorum beneuolentiæ.Ad hæc sancti respondentes: Falsum,ô iudex,apertè dixisti & minimè probabiliter. Nam quæ interdiù tui tibi dij loquuntur,ea omninò noctu quoque.Quisnam enim adest tibi Dionysius? Is enim est duplex,vt videmus:aut quemnam nominas ex his immortalem? æneum ne,an lapideum? Nam si eum dicis,qui cōstat ex lapide,videbis paulò pòst hunc tibi deum immortalem vel confractum,vel iniectum in ædificium, vel exustum & in calcem transmutatum.Quòd si tecum disseruit æneus,is quoq; citò pulchrè fundetur in vasa, quæ deseruiunt ministerijs, quomodò vnumquodq; eorum vsus exegerit.Cùm hæc sancti respondissent, & cognouisset Maximus nihil sibi aliud profuisse omninò simulationem illam & fictionem, quàm quòd suis dijs labem & maculam inusserit, personam deinceps exuens,apertè ostendit Maximum,& id quod erat,protinus apparuit. Irridentē eū Martyres.

LV. IVBET itaque obeliscos in extremo acutos,vnius pedis magnitudine,supernè habentes cuspides, defigi in terram,& beatum Clementem supinum acubus impositum, crassissimis lignis verberari vehementissimè: Agathangelo autem in caput infundi plumbum igne liquefactum.Cùm ergò iussus effectum celeriter accepisset, magnanimus quidem Clemens,& in pectore supernè cędebatur,& eius terga infernè obeliscis transfigebantur. Sed ne sic quidem anima huic sancto discedebat à corpore. Verax enim erat, qui fuerat pollicitus,tormenta eum non esse superatura,nec vllo supplicio vitam esse finiturum. Agathangelus verò ipse quoque similiter admirabilem ostendit fortitudinem. Maximus itaque hoc præter opinionem miraculo obstupefactus cum ijs, qui circunstabant, propemodùm ne poterant quidem credere suis oculis,adeò inopinatum,& quod erat præter rationem, videntibus miraculum per pectus, cor & totum deinceps corpus, acuto ferro transfixum hominem, & præterea supernè quoque vehementer verberatum,non statim emisisse animam, sed viuum adhuc esse & superstitem, & vi illi intolerabili sana mente resistere. Vix ergò tandem eum detrabit ab obeliscis,non secùs ac vestem vndiq; dilaceratam, & solo sermone persuadentem, se non esse mortuum.Martyr ergò ad Maximum protinus adspiciens,Modò,inquit, cognouistis, quemadmodum non solùm nostrum corpus aduersus vos decertat,sed Deum habet, qui per ipsum longè vestras superat insidias, qui etiam non sinit animam euolare è corpore, eam cohibens & continens arcano quodam consilio,& quæ dici non potest, prouidentia. Alia adhibentur acerbissima supplicia.

LVI. CÙM animum ergò omninò despondisset tyrannus, & nulla spe ampliùs teneretur, sacrum quidem Clementem, qui adhuc portabatur, cum Agathangelo includit in carcere: refert autem ipse quoque singula Maximiano, quænam aduersus Martyres excogitauerit, & quemadmodum inuenerit eos nec blanditijs vinci posse, nec tormentis, atque adeò ipsam quoque ab eis superari naturam. Maximianus verò cum similiter atque ipse, nullam posset excogitare rationem, nedum viros persuadendi egregios,sed nec eos quidem interimendi, iubet eos relinqui in carcere, nec vllam eorum omninò curam geri, donec ipsi naturalem mortem sustinuissent. Viri autem impij, cùm eorum tam manifestam accepissent experientiam, (ô amentiam, ô crudelitatem) ne sic quidem poterant quiescere,sed etiam expectabant fore, vt sic vincerent. Certè Aphrodisius quoque nonus luctam aduersus ipsos suscipit, genere quidem Persa, qui multa tormentorum genera sæpè excogitárat aduersus Christianos. Erat autem hoc signum euidens, Maximianum eorum magnam habere rationem, & hoc sciebant omnes, quòd qui eos potuisset persuadere ei esset rem facturus gratissimam & pro eo maximam accepturus remunerationem. Hic ergò cùm fortè fuisset apud Maximianum, quo tempore de sanctis ei renunciabatur: petit in eos sibi dari potestatem, etiamsi, vt est in prouerbio, exuerit Sicyonium. Cùm autem petijsset & accepisset, domi statim apponit lautam & magnificam cœnam, & eos inuitat ad conuiuium, vt eis labores sustinendo defessis, res iucundas præbendo gratificaretur, & eorum ad se animum leniter alliceret. Cùm verò, quæ eis coaluerat, & grata erat, magis amplecterentur abstinentiam, & adijcerent, Nos pane cælesti vescimur, quem qui comederit, non amplius esuriet, sed viuet in æternum: illic enim est bonis cœna parata: contumeliam esse ratus Aphrodisius, & in eos commotus vehementius, illos quidem tradit in custodiam,dicens: Vestra ergò cœna erit mors cum dolore, quam quidem ego cras vobis apponam magnificè. Abducuntur rursus in carcerē. Nonus eis accedit tyrannus. *Ioban. 6.*

LVII. IVBET autem postridie afferri duos lapides molares: Vtrum q; verò eorum collo vtriusque alligari,& sic eos lapidibus vndique appetitos,trahi per mediam ciuitatem, ijs, qui trahebant,hoc eis acclamantibus: Dijs parére & Imperatoribus.Qui aliquid decernit præter nostram patriam religionem,fit obnoxius talibus supplicijs.Sed hoc quidem totum faciebat Aphrodisius,vt vel ingentes frangeret eorum spiritus, & efficeret vt cederent, se tam turpiter traduci non ferentes: vel in eos incitaret ciuitatem,& communiter concurrētes omnes,ipsos interimerent. Sed qui quæ sunt profunda & occulta aperit,id euertit,quod is callidè cogitauerat Nam & Martyres,gloriantes potiùs, quàm pudore affecti, circunducebantur, ciuitasque confluens ad spectaculum, & videns quàm alacres & læti propter Christum obirent,& quàm post tot & tanta supplicia valida essent eis corpora,maximas illas plagas citò repellentia: eos veluti impatibiles existimantes & immortales,illi quoque verum Deum confitebantur,& læti accedebant ad pietatem. Cū sic ergò longè fuisset inferior Aphrodisius,hęc Maximiano quoque significātur.Ille autem cùm spem omnē abiecisset muta- Vide supplicium. Ethnici multi fidē amplectuntur.

Damnãtur martyres ad perpetuum carcerem.

mutationis,vtpotè quòd fieri non posset,vt à sua sententia traducerentur Martyres, maximè cùm ex eo plures ad eorum traherentur pietatem,ad perpetuum eos condemnat carcerem, vt cùm custodia, à qua nullo tempore egredi liceret,extabuissent,sic è vita excederent, Deo hoc eis prouidente, vt oratio Clementis eum, quem ipse precatus fuerat,finem acciperet,& essent eis maiores martyrij remunerationes.

Cùm longo ergò tempore sic morati essent in custodia,multi alij ex pijs,qui martyrium post eos inchoauerant, LVIII acceperunt ante ipsos consummationem. Qui autem Clementis & Agathangeli,præclarorum athletarum pietatis, erant à Maximiano carceris constituti custodes,defessi diuturna illa carceris custodia,vix tandem accedunt ad Maximinum,qui tunc susceperat imperium,& rogant ecquid iubeat de ijs,quos multos annis tenent vinctos, qui Christianæ sunt religionis,qui difficiliter moriuntur,vel sunt potius immortales. Sic enim nominabant beatos, propterea quòd mala sustinuissent,quæ ferre non potest humana natura. Maximinus autem,cùm priùs suos deos multis insectatus fuisset maledictis,quòd non potuissent præsentem illis vitam adimere,deindè etiam quæsiuisset de ciuitate,in qua nati & ex qua profecti fuerant,& cuiusnam essent generis,cùm eos & Galatas esse intellexisset, & ex ciuitate Ancyrana,ad Lucium eos mittit præsidem. Is enim tunc ei præerat. Ità cognoscitur Dominus iudicia faciens, qui Martyres quoque post tot & tanta pericula,ei rursùs,quæ eos tulerat,ijs quibus ipse nouit modis,restituit. Illi ergò cùm Tarsis egressi essent,alacri pede confecerunt viam,quæ fert in patriam Cùm primùm autem viderunt Ancyram, sistuntur coram Præside Lucio. Ille verò cùm nec eis quidem priùs loquendi fecisset potestatem, tunc eos quidem validè includit in ligno,lapide vtrique alligato,ità vt nec ipsi quidem possent omninò moueri,nec crura extendere.

Maximinus persequitur deos suos

Noua cruciamenta.

Sequenti autem die accersito Agathangelo,Scio,inquit,quòd non propter improbitatem,sed propter animi LIX. facilitatem,& morum simplicitatem,deceptus es à tuo familiari Clemente. Quocircà vides multis habere innatum nimium contendendi studium. Non est autem mirum,si mala consuetudo,quæ veluti morbus quidam tempore callum obduxit,mutauerit sententiam. Nam gutta quoque aquæ assiduè distillans, petram quoque scit cauare,vt dicitur. Sed hanc tuam ad morem gerendum facilitatem nobis quoque aliquando concede Agathangele,longè vtiliorem & iustiorem,& conuenienter tuo nomini,sis nobis bonus nuncius,nunciãs conuersionem propriam & pœnitentiam. Ad hæc Agathangelus,Mihi,inquit,hanc constantiam nec animi fecit facilitas,nec improbitas. Sed quòd non improbitas quidem,ipse prius es confessus. Quòd autem rursùs nec quibushibet facilè paream,hinc est apertũ. Quomodò enim tam multis restitissem Præsidibus,atque adeò ipsi etiam Imperatori, qui cum me & cum Clemente & seorsum rursùs accepissent,nullam non adhibuêre machinam, sed & promissis inescare, & minis perterrere, & supplicijs conati sunt in aliam traducere sententiam,Neque ergò facilitatem,neque improbitatem, sed sapientiam potiùs & animi fortitudinem hæc nomines: Sapientiam quidem, qua ijs quæ intereunt & citò fluunt,præferimus ea quæ stant & manent: falsosque vestros deos & adulterinos auersantes,solum vnum Deum & verum attendimus. Fortitudinem autem,per quam cum tam multis pro Christo colluctamur periculis,& veluti quendam somnum mortem cõtemnimus. Neque est ergò Clemens,qui mihi persuadet: sed Christus multò priùs, qui me vocauit per Clementem. Neque deceptus sum,sed potiùs discessi ab errore: à quo,rogo,vt vos quoque recedatis, vt qui vobis quoque, si vultis,sim nuncius veritatis.

Egregium Agathangeli responsum.

Agathangelus torrè affligitur.

Hæc cùm dixisset Agathangelus,omni de eo spe concepta Præses frustratus,& ferreas fibulas valdè accensas in LX. illius aures injecit,& faces copiosum ignem alentes vtrisque admouet lateribus. Cùm acris itaque dolor hinc ex auribus intrinsecùs versaret cerebrum,fumusque & tenebræ id implerent,fortiter id ferebat Martyr, Christum confitens, & eum solum vocans in auxilium,& clamans: Domine Iesu Christe,ne me priuaueris beato illo fructu bonorum immortalium: sed des mihi patientiam & tolerantiam,& cùm dignatus me fueris perficere cursum tuæ confessionis, cum tuo famulo Clemente me connumeres, & cum omnibus, qui pro glorioso tuo nomine decertârunt,quoniam defecit virtus mea: anima autem mea in te sperauit. Hæc ille quidem est precatus,Deus autem ex alto hæc perfecit: & cùm videret Præses nihil sibi succedere ex sententia, sed athletam potiùs effici clariorem, abducto illo in locum, qui Cryptos,id est, abditus,appellatur,ense beatum caput amputat,quinto mensis Nouembris. Atque Martyr quidem, cùm recessisset ab ijs,quæ sunt ad tempus,& à laboribus liberatus fuisset & tormentis, fuit in cælis, & qui staret cum angelis,& cum superis choros duceret, dignus fuit habitus, cùm certâsset sub Imperatoribus quidem Diocletiano & Maximiano,sub magistratibus autem Agrippino,Curicio,Domitio,Sacerdote, Maximo, Aphrodisio & Lucio. Pia autem illa & Martyrum amantissima Sophia,materno amore in Agathangelum quoque accensa propter magnum Clementem,postquàm vidit eum,vt optabat,consummatum,& ab ijs,quas pro ipso gerebat,curis est exoluta,& cum magna voluptate tollens illud corpus martyricum, & componens, in loco consummationis, in quodam sepulchro profundissimo,in ingressu templi quod illic est,deposuit.

Necatur.

Præclarvs autem Christi athleta Clemens,cùm sui in certamine socij Agathangeli intellexisset consummatio- LXI. nem,ipse quoque voluptate,quæ minimè potest explicari,repletus,in carcere ità vt erat pronus humi extensus (prohibebat enim,nè surgeret,lignum quod habebat in pedibus,& lapis alligatus corpori) emittebat,vt par est, ad Deum voces,quibus agebat gratias. Sed neque in eum euaserat Præses negligentior,sed præter vincula,& quam perpetiebatur ex illis miseriam,iubebat centum & quinquaginta plagas ei in vultu & in capite infligi quotidiè. Sic ergò quotidiè ex eo fluebant riui sanguinis,vt ipse quoque lapis, qui erat ei alligatus,& totus subiectus locus fieret purpureus. Noctu autem rursùs adueniente,& lux circa ipsum veluti eluxit,& angeli adstiterunt,& eius liberalis consecuta est curatio. Cùm ipse ergò & lapidem & vincula & nocturnas illas plagas ferret fortiter iam longo tempore, Christianis quidem iam erant festa aduentura,Seruatoris nostri Iesu Christi Theophania: Pia autem & Dei amans Sophia, quæ vehementi quidem pietatis zelo semper mouebatur, & alioqui ardentiori tunc feruebat spiritu,audet præclarum aggredi facinus & magni animi Cùm famulorum accepisset multitudinem,& puerorum,qui ab ea alebantur, masculos & fœminas,ingreditur carcerem,& cum vinculis soluissent Martyrem,educunt è carcere. Deindè verò cùm Sophia eum veste induisset candida,& superhumerale ei imposuisset,& ei in manus tradidisset Euangelium,eum multis lampadibus & suffitibus circunseptum deducebat ad ecclesiam. Cùm ipsa autem vestem quoque induisset candidam,& internam propter egregium Clementem ostenderet animi lætitiam, ei in sinistra parte manum subijciebat, quæ eum sustineret,& ad ingrediendum ferret opem Martyri.

Vide iudicem sanguinarium.

Festa Theophaniæ.

Adhvc autem erant in itinere,cùm Clemens,vt qui iam sensisset,Dominum eum ad se vocantem, in cælum LXII. sublata dextera,(altera enim tenebat Euangelium) orauit & pro sua secundùm spiritum matre Sophia, & orauit etiam pro clero & vniuerso grege,& petijt ijs,qui ipsum inuocarent,postquàm hinc excessisset,& eum alioqui honorarent & colerent,Domini defensionem & sãlutem,& quidquid ad eorum petitionem tributum,futurum esset eis vtile: & sic postremò orans,cum Martyrum amante Sophia,& ijs qui eum deducebant, ingreditur ecclesiam. Atque illi quidem cùm clauibus & vectibus fores munijssent,(timebant enim, nè aliqui ex impijs in eos irruerent) tota nocte canebant. Postquàm autem dies aduenit salutaris,iucundè & suauiter illucescens eorum,qui digni erant, animis,cùm præclarè admodùm Martyr sacrum celebrâsset ministerium, & intemerato & incruento eos qui aderant,impertissetsacrificio,eis suauis Christi palmes,Clemens,inquam,eis instillauit dulce vinum doctrinæ. Cùm autem videret

Incruentum Missæ sacrificium.

pertur-

perturbatos & timore affectos, vt qui suspicarentur fore aliquam infidelium incursionem, confirmauit eorum spiritus, & cum quæ futura erant, eorum subiecisset oculis: Bono, inquit, sitis animo fratres, non peribit vnus ex vobis. Duo autem quidam, & ego tertius cum eis postremo à vobis excedemus. Deinde extinguetur [a] quidem, quæ sæuit in Christianos, rabies: orietur vero pax in imperio Romanorum, omnisque ciuitas & regio implebitur Christi cognitione, & aperietur quidem omnis ædes sacra, claudentur autem templa gentilium, & fugient, qui in eis adorant, & eo, quo nunc vos, ipsi timore afficientur. Hoc autem tempus prope est, & quidã ex vobis videbunt euersos persecutores.

[a] Prophetia S. Clementis.

LXIII Hæc cum ille tam apertè differeret ijs, qui aderant, Christi & Martyrum amantissima Sophia, maximo gaudio & lætitia propter Clementem in corde plena, conuocabat viduas & orphanos, panemque & cibum & vinum eis abunde suppeditabat, & pro viribus eos complectebatur. Atque hæc quidem duodecim deinceps dies facta sunt, & eos, qui accedebant, conuiuio liberaliter accepit Sophia, festosque dies celebrabant & hilariter transigebant, & Clementis aduentum honorabant Cum autem iam dies adesset præstitutus (erat vero dies Dominicus) à præsenti vita athletam euocans, ille quidem diuinum celebrat sacrificium. Postquam autem perfecta fuerant, quę consueuerant, & participes fuerunt fideles viuifici corporis & sanguinis, diuinis adhuc donis in sacra mensa propositis, & ad ea Martyre collum habente inclinatum, quidam ex Magistratibus, Alexander nomine, impetu repente facto cum militibus, iubet vni ex suis amputare sacrum caput Clementis. Deinde etiam intemeratam [b] oblationem (ô tuam Christe rex patientiam) deiecerunt in terram, & profanis pedibus profani conculcarunt. Atque sic quidem magnus ille Clemens sacrificans, acceptum pro aliquo alio sacrificium ipse Deo offertur. Eorum autem qui aderant multitudo, alij quidem recesserunt lachrymantes: duo verò soli ex Leuitis, qui etiam intemerato ministrabant sacrificio, vnus quidem Christophorus, alter autem Chariton nomine, vt ipse prius significauit beatus, ad diuinam quidem eius mensam beatum ipsi quoque finem acceperunt.

[b] Caput S. Clementi ad aram amputatur.

LXIV Fidelis autem Sophia, quæ magno Clemente fuit ex Deo mater & nutrix & institutrix, cum in aula tutissima haberet filium repositum, & qui ad supernas transierat coronas, & immobilium illorum bonorum remuneratione, solicitudinem omnem soluens & mœrorem, & lucernarum accendit multitudinem, multaque perpessum & quod multa vicerat certamina, sui amicissimi mortui tollens corpus, mundis vestibus & linteis inuoluit, & in ipso templo, quod est in loco, qui dicitur Cryptos, præclarum præclare deponit: vbi etiam prius deposuerat Agathangelum, vt vni sepulchro crederentur corpora, quorum animas idem cæli suscepit tabernaculum. Prope eos [c] autem, illos etiam sepelit Diaconos, qui cum magno Clemente concertauerant, quo in loco eorum quoque parua ædificata est ædicula. Deinde cum Clementis assedisset sepulchro, hæc præclara humanitateque & affectione plena verba eloquebatur: Ego quidem vos, ô filij, in Crypto, id est, in abdito, deposui: sed vos omnino Christus in aperto deducet in requiem, propter quem tot & tanta vestra sponte pati delegistis, & vobis dignam ædem excitabit, & vestra corpora in ea reponentur. Porrò autem [d] me quoque iam ad vos vocat senectus, quæ propterea in hodiernum vsque diem est cõseruata, vt vobis communem omnino congeram puluerem, quos ne longum quidem tempus martyrij à se inuicem separauit, & meipsam vobis pulchrum bustum præbeam. Sed orate pro me, ô charissimi, quæ sum mater, & nutrix, & supplex, vt possim sicut hic, ita etiam illic quoque esse prope vos, & apud Dominum possim quoque paruam aliquam habere fiduciam. Atque illa quidem hæc apud sepulchrũ loquebatur, & sensim vna cũ voce etiã effluebant lachrymæ.

[c] Præclara eius cum lucernis sepultura.

[d] Orat Sophia Sanctos vt pro ipsa precentur.

LXV. Præclarvs autem Christi athleta Clemens (nam cum ijs, quæ dicta sunt, pauca quædam adiecero, finiam orationem) perpetuo quidem decertauit sub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano: sub magistratibus autem ac præsidibus Domitiano, Agrippino Curicio, Domitio, Sacerdote, Maximo, Aphrodisio, Lucio & Alexandro. Finiit vero certamen 23. Ianuarij, [e] adeo vt totum tempus martyrij ei fuerit viginti & octo anni. Quod quidem nos oportet tenere memoria, vt à nostra excitemur socordia, & hæc tam prolixa reuereamur certamina, qui nec paruum aliquod momentum temporis aliquid molesti propter Christum tolerare sustinemus: & sic nos comparemus, & tantam suscipiamus confidentiam, vt propter ipsum, si opus fuerit, omnia patiamur, vt ipsi voluntatis subeamus martyrium, & apud Deum fiduciam cum illis consequamur: quam detur nobis omnibus consequi gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor & adoratio, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

[e] Nota longissimum certamen.

VITA S. P. N. IOHANNIS ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, QVI DICTVS EST ELEEMON, ID EST, MISERICORS: AVT ELEEMOSYNARIVS: ex Simeone Metaphraste, à Leontio Episcopo Neapoleos eiusdem æquali teste Baronio conscripta, longe meliori vt videtur ordine digesta à memorato Metaphraste.

An. 600. Hanc, S. Iohannis Archiep. Alexand. vitã, à Leontio Episc. conscriptam, cognitam atque receptam fuisse à concilio Nicæno 2. Act. 4 testatur Bar. in Martyrol. Rom. & Annal. tom. 8.

I. Bonorvm virorum scriptis mandare actiones, & memoriam eorum tradere posteris, conciliat magnam vitæ vtilitatem. Quendam enim zeli stimulum immittit animis piorum, eorum quæ ab eis recte gesta sunt, narratio, & ad similia facienda adhortatur. Quarum vna est ea quoque vita, quæ nunc nobis est proposita ad narrandum, boni, inquam, Iohannis, cuius actione nomen est conueniens. Vocatur enim Eleemon, id est, Misericors, propter magnam suam ad hoc propensionem & summam bonitatem. Quẽ tulit quidem insula Cyprus, [f] & aluit tanquam plantam aliquam florentem & comatam virtutibus: clara autem Alexandria eum sortita est Pontificem & Patronum ciuitatis. Ei pater [g] quidẽ erat illustris, nomine [h] Epiphanius. Cui etiã virtutis præstantia effecit, vt ei committeretur illius insulæ rectio. Mater autem honesta, & quę tali marito conueniebat, vt quæ resplenderet corporis & animæ pulchritudine. Iohanni cum tales obtigissent parentes, non affecit genus suum dedecore: sed studuit potius id ornare, adeo vt arbor ex fructu fieret manifesta, & non ipse ex illis ornamentum acciperet, sed illi potius gloriarentur filio, cum cognoscerentur esse patres talis filii.

Ian. 23.

[f] Patria S. Iohannis: [g] Parentes. [h] Epiphanium hunc S. Iohannis

Patrem illius regionis ducem fuisse habet Menol. Græc.

II. Cvm autem recte educatus peruenisset ad mensuram ætatis, vel inuitus à parentibus vxori iungitur matrimonio: cum qua habitare cùm, vt parentibus obediret, admisisset, auersatus est coniunctionem, temperantiam & continentiam amplexus etiam in matrimonio. Sed magna soceri importunitas coëgit magnum Iohannem cedere naturæ legibus, Ex quo efficitur quidem pater liberorum: Patrem autem vocari, cito ei est ablatum, immatura morte ei præreptis filiis. Postquam autem cum [k] ramis radicem quoque simul excidit communis hostis generis, & abstulit ei vitæ sociam, propter omnia quidem agit gratias grata & memor anima Deo, qui dederat & abstulerat: eam autem rem efficit materiam virtutis, & cum illorum priuationem reputasset esse curarum depositionem, Deo perpetuo ita assidebat, vt diuelli non posset, & ad Christi portam assidue pulsanti, ei aperiuntur viscera diuinæ benignitatis. Itaque [l] ipse quoque illa imitans pro viribus, aperit viscera & portas omnes & manum indigentibus, non misericordiæ guttas aliquas parce præbens, sed emittens imbres benignitatis, & ambabus manibus opes effundens inopibus.

[i] Ducit vxorem.

[k] Mors liberorum & coniugis.

[l] Summa eius liberalitas.

HINC euadit omnibus manifestus, non priuatis solum & principibus, sed etiam ipsi Imperatori. Heraclius autem tunc sceptra tenebat Romanorum. Quamobrem cum ciuitas Alexandrina tunc esset orbata Patriarcha, ad hunc virum toto contendit desiderio, & rogat Imperatorem, ne ipsa à scopo suo excideret, sed ab eo Pontifice pasceretur eorum ecclesia. Et ille quidem magnum illum accersit protinus, & omnibus modis conatur ei persuadere, vt ad sedem ascendat. Ille autem [a] strenuè resistit, dicens se timere rei magnitudinem, nec se posse tantam sustinere dignitatem. Cum verò [b] Nicetas dignitate Patricius, qui tunc multum poterat apud Imperatorem, & beato Iohanni erat frater spiritu, & vinculis amicitiæ erat ei optime coniunctus, & alioqui recte sciebat virtutem eius incomparabilem, & nouerat illum, si vllus esset alius, ea sede esse dignum, vehementer instaret Imperatori, dicens ne eum remitteret, sed vel inuitum ad sedem euehe[re]ret: vrgens Imperator maiore impetu & spiritu, persuadet Iohanni, vt suscipiat Pontificatum, vt qui reputauerit non sine Dei numine fuisse tantam Alexandrini populi commotionem & Imperatoris contentionem. Fit [c] itaque sedis Marci successor, tempore quidem nescio quotus post illum, sed non multum remotus à vita illius & virtute: quomodo etiam possunt ostendere, quæ statim post susceptam rectionem, rectè ab illo gesta sunt. Postquam enim ascendit sedem, hoc ante alia omnia contendit, vt renouaret Marci prædicationem, & fidem Patrum qui præcesserant, & hæreticorum, quæ enata fuerant, zizania euelleret radicitus. Nam [d] cum Petrus Cnaphæus blasphemam quandam in diuinitatem additionem hymno ter sancto ausus esset inserere, & ei, quod est, Sanctus immortalis, adiecisset. Qui crucifixus est propter nos: diuinus ille vir, hac blasphemia sublata, impatibilem & immortalem diuinitatem suo dogmate asseruit, & gregem ita sentire docuit. III.

[a] Recusat pontificatum Alexandrinum.
[b] Niceram hunc Baronius, illum fuisse existimat, qui Phocam Imp. occidit.
[c] Fit Alexandrinus episcopus, & Theodoro laborasse,
[d] Mitè auget sacras ædes
[e] Simoniæ malum extirpat, de quo Greg. Papa ad Eulogium scripsit lib. 11 Epist. 49. vt notat Bar.

[c] eiusdem Ecclesiæ Episcopo, qui anno 610. vita functus est, vt notat Bar. to. 8. succedit. [d] Eulogium eiusdem Ecclesiæ Episc. in idipsum plurimũ memorat Bar. sed relapsos esse denuo Alexandrinos in eundem errorem.

CVM autem inuenisset septem sola [e] Orthodoxorum oratoria, ea efficit decies plura, vt qui ea septuaginta constituerit. Deinde omne confert studium, vt qui capti fuerant omne genus hæresibus, conuerterentur ad pietatem: fuitque zelus eius vehementissimus in ordinationibus, vt eæ quidem [f] puræ essent à lucris & muneribus: nulla autem earum fieret citra examinationem. Præterea autem maximam adhibebat diligentiam in defendendis ijs, quibus iniuria, & ne iudices gratificando personis ius proderent, sed iustitiæ trutina ponderarent iudicia, & nec ad gratiam adspicerent, nec ad odiũ. Quod autem erat ei maximũ [g] & maximè proprium, erat misericordia in pauperes, & in curandis indigentibus insatiabilitas & procliuitas, quæ non poterat cõprimi: & nihil omnino parcere pecuniis, adeo vt etiam sæpe ad fundum ipsum peruenire. Cum itaque præter alia sua beneficia, extruxisset Xenodochia & Nosocomia & Ptochotrophia, eis frumentum attribuit quotidianum: tantæque hæc erant ei curæ, vt etiam pauperibus fœminis, quibus ad pariendum non erant habitacula, neque aliquid eorum, quæ sunt apta ad earum curationem, septem domos attribuerit in diuersis locis ciuitatis, effeceritque, vt in eis essent lecti & stragula & suppeditatio alimentorum, qua reficeretur indigentia parientium. Præter hæc pauperibus quoque Clericis prouidebat, & vnicuique eorum pecuniæ præbebantur annuæ. Non eis autem solis, sed etiam Episcopis, quibus sumptus minime suppetebant ad victum. IV.

[f] Liberalitas eximia in omnes.

[e] Septuaginta orationes Orthodoxorum Patrum ad Eulogium scripsit Bar. ex Photio.
[f] Summa in pauperes misericordia.

SED quid hæc ad magnum mare eius liberalis voluntatis, & vastum illud pelagus benignitatis? Erat enim alter Nilus copioso fluento eleemosynæ, non solam, vt ille, rigans Ægyptum, sed ipsam vniuersam, vt semel dicam, terram circunfluens. Quis enim ex [g] iis qui vndique aduentabant, victu indigens, si ad ipsum accessisset, tristi vultu & vacuis reuersus est manibus, & non est benignitatem abunde consecutus? Immo verò cuinam ex iis, qui egestate laborabant, vbicunque terrarum eum esse accepisset, non ea præbuit, quæ ad vsum sufficerent? Nam cum tunc Persæ populati essent vniuersam Syriam, qui eorum manus poterant effugere, & laici, tam ij qui magistratum gerebant, quam priuati, & clerici cum episcopis, confugiunt Alexandriam. Quibus omnibus dies ille & minime angustus conuiuator quotidie suppeditabat, quæ erant ad vsum necessaria, non ad indigentium adspiciens multitudinem, vt aliquid faceret, quod esset sordidi & illiberalis animi: sed ad eum, qui aperit manum, & omne animal implet benedictione. Cum autem Rasmisæus, dux exercitus Chosroë, [h] vastasset, & depopulatus esset veneranda loca Hierosolymorum: postquam hoc audiuit homo ille Dei, & quod omnia sancta fuissent igni tradita, deflet quidem non secus atque Hieremias, id quod factum fuerat: non hactenus autem constitit eius commiseratio, sed mittit etiam * Cresippum quendam, virum pium, tradens ei [i] multum auri, frumentumq; & alia alimenta & indumẽta, & ad ea vehenda iumenta plurima: tum vt adspiceret vastitatem, tum etiam, vt eos qui remanserant ex captiuitate, satis per ea, quæ dicta fuerunt, recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, & Anastasium præfectum magni montis Antonij, & Gregorium Episcopum Rinocurorum, emittit ad eos recipiendos, qui abducti fuerant in captiuitatem, vim auri præbens propè innumerabilem. V.

Psalm. 144.

[h] Anno 614. Heraclii Imp. 5 vt habet Bar. & Paul Diac. hist. miscel. lib 18.
[i] Multum auri & frumẽti mittit

Hierosolym a Persis vastatam. * *Chrysippum Bar.*

QVEMADMODVM autem hoc quispiam mandarit silentio, & non potius misericordum auribus per ipsum fuerit gratificatus, vt quod magis significet, quàm is in eleemosyna longè diligentissimus fuerit & vehementissimus? Nam cum primum eius fidei creditus fuisset * pontificatus, ijs accersitis, qui res ecclesiæ dispensabant, ijs etiam simul audientibus, qui erant à secreto. Non est, inquit, iustum ô fratres & in ministerio socij, vllius alterius rei curam gerere prius, quàm Christi. Euntes itaque per totam ciuitatem, singulatim describite meos dominos. Cum autem illi, postquam hoc dixisset, dubitarent, & quinam essent Patriarchæ domini, interrogarent: Quos vos, dixit ille, pauperes & mendicos soletis appellare, eos ego [k] dominos meos & adiutores nomino. Nam ij mihi possunt opem ferre, vtà Christi regno non excidam. Postquam autem citò factum fuerat quod iusserat, intellexit omnes, qui numerati fuerant, efficere septem millia & quingentos, & iussit vnicuique eorum dari sumptum diurnum. Post hæc suum conuertit studium ad hoc, vt iustis ponderibus & mensuris vterentur, qui vendebant in ciuitate. Quod [l] quidem pulchrè fecit vir iustus publicè præscriptis edictis. Porrò verò hoc quoque ab illo factum est, quo magnam curam gerebat eorum, quibus fiebat iniuria. Nam cum accepisset multos ad eum accessuros, & de ijs, quæ illis factæ fuerant, iniuriis supplicaturos, ab iis qui ipsum sequebantur, arceri: quid facit? Duobus hebdomadæ constitutis diebus, quarto inquam, die & die parasceues, sedens in templi porticibus, se cuilibet volenti præbebat adeundum, nonnullos ex iis, qui erant virtute insignes, habens secum considentes. Quibus sæpe dictitabat [m] illud, dignũ quod scriptis & memoriæ mandetur: Si nobis, dicens, qui sumus homines, licet omnino ad Deum accedere absque vllo intercessore, & de quibus volumus eum rogare: quomodò non ipsi quoque nostris conseruis portas aperuimus absque vllo impedimento? & non cuilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim, qua mensi fuerimus mensura, * eadem nos esse mensum vicissim accepturos. VI.

* *Episcopatus, legit Bar.*

[k] Pauperes vocat dominos suos, eosque describi iubet singulatim.
[l] Vide vitam S Iohann. Eleemos. per Leont. quæ est in vitis Patrũ cap. 2.
[m] Sententia memorabilis.

Matt. 7.

* *eandem nos esse mensuram Bar.*

CVM autem, vt consueuerat, [n] aliquando præsedisset & nullus accessisset, surgens vespere, recessit tristis & lachrymans. Nullo verò audente rogare causam cur esset tristis, diuinus, qui aderat, Sophronius: Quid est, inquit, ô vir diuine, quod te affecit molestia, & animi ægritudine bonam tuam impleuit animam? Ille autem miti & leni voce, Hodie inquit miserandus Iohannes non ab aliquo vllam accepit mercedem, neque vllum vel minimum piaculum potuit VII.

[n] Leontius in vita S Iohan. quæ est in vitis Patrum c 5.

potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis, quomodo neq; alias vnquàm. Quid hoc illo minus, nisi etiam maius dixeris, quòd dicunt esse cuiusdam Imperatoris Romanorum, qui dixit: Hodie [a] nō rogauimus, quoniam neminem affecimus beneficio? Cum itaque sacrosanctus intellexisset Sophronius, quid sibi vellet, quod ab eo dictum fuerat. Te potius, inquit, lætari oportet, & non tristitia affici, ô beatissime domine, quod tibi commissum gregem feceris viuere in tanta pace, vt nullus de re aliqua cum vicino habeat controuersiam: sed tanquam angeli aliqui, absque vlla lite & contentione homines viuant in terra. Cum autem verum esse, quod dixerat, inuenisset vir mitissimus, statim fuit traductus ad animi lætitiam, & pro eo, Deo egit gratias. Hoc dicunt etiam esse imitatum, qui Heraclio in imperio successit, Constantinum, qui etiam huius diuini viri fuit filius secundum spiritum.

[a] Titus is fuit, vti habes apud Sueton. in Tito c. 8.

VIII. Sed quæ sunt proposita, persequatur oratio, & tradat auribus ea, quæ sunt auditu digna & vtilissima. Tunc autem, cùm ad beatum Iohannem accessissent ij, quibus fuerat commissa distributio eleemosynæ, tale quid annunciassent, quod scilicet puellæ quædam benè ornatæ, & quæ collo gestabant monilia, ipsæ quoque conueniunt, vt sint participes eorum, quæ dantur pauperibus, & petijssent, an eis quoquè præbere oporteat, mitissimus Iohannes toruè in eos intuens. Si [b] humilis quidem & abiecti Iohannis, vel potius ipsius Christi ministri esse vultis & distriburores, paréte diuino iussui, qui iubet dare cuiuis petenti. Sin autem dicitis vos esse alicuius alterius, qui imperat vt examinetis vitam & statum mendicantium, sciatis quod neque Christus ipse, neque humilis Iohannes opus habet curiosis ministris: Nam si nostra quidem essent, quæ dantur, & ea à nobis illata essent in mundum, fortasse aliqua danda esset venia ei, qui parcè eis vteretur. Si autem Dei sunt omnia quæ sunt eius, seruare oportet. Sin autem vos subijt timor ex incredulitate, nè fortè multitudo impensarum superet redditus ecclesiasticos, [c] ego ne tantillum quidem sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo, quod etiam si contingeret vniuersum mundum venire simul Alexãdriam, egentem beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redegerit.

videLeont. vt supra cap. 6.

[b] Nota hãc responsionem. Luc. 6.

[c] Fiducia eius in Deũ.

IX. Postquam autem eorum incredulitate admonitionibus curata, eos emisit, ijs, qui confidebant, munificum eius animum stupentibus, talem retulit narrationem, dicens: [d] Mihi, cum essem XV annos natus, & versarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparet in somnis eximia pulchritudine, & quæ verbis non potest exprimi, erat autem splendidè vestita, & oleagina corona erat ei caput redimitum. Cum verò prope me sterilisset, & manu latus pupugisset, me territum è somno excitat, statimque non amplius somnium, sed re vera aderat id, quod apparebat. Rogaui autem eam, quænam esset & vndè veniret, & quomodo ausa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridenti & læto vultu me hilariter & placidè intuens: Sum, inquit, prima ex filiabus magni regis. Si tu [e] me tibi amicam paraueris, potero te ei efficere familiarem. Nulli enim maior est apud eum, quàm mihi, fiducia: quoniam ei, vt è cœlo descenderet in terram, & carnem acciperet humanam, ego persuasi. Hæc dixit, & statim recessit. Ego verò cùm ad me redijssem, & id quod visum fuerat, mente versarem, iudicabam eam esse misericordiam. Propter eam enim & Deus in terram venire, & hominibus similis conspici non est dedignatus. Statim ergo surgens, iui solus ad ecclesiam: manè enim iam illucescebat: & fio obuiam viro pauperi, qui erat nudus & valdè affligebatur frigore. Ei cum me exuissem ea veste, qua erã indutus, trado, apud me dicens. Sciam, an sit verum & non decepto id quod à me visum: & prius, quàm venissem in ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi * auri centum nummos alligatos. Hæc [f] accipe, dicens, ô amice. Ego autem etsi eos lubenter accepissem, ductus sum pœnitentia, & quamprimum conuersus, cogitabam id reddere ei, qui dederat, vt qui non indigerem. Is autem qui dederat, protinus euanuerat. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam, sed apertam visionem. Ab illo tempore cùm aliquid aliud præbuissem, Videam, dicebam, an conuenienter promissioni sit mihi Christus centuplum redditurus. Cum autem millies sic faciens, ipsis factis rem ità esse essem expertus, dixi apud me, Cessa. Quousquè tentabis eum, qui non potest tentari? Cùm ego, inquit, tam euidentia accepissem argumenta, isti, inquit, qui sunt sordidi & illiberales, venerunt vt me arriperent, & efficerent sociũ suæ infidelitatis, & me vocarent ad immisericordiam.

vide Leont. vt supra cap. 7.

[d] Visio eius.

[e] Misericordia quantũ possit apud Deum.

[f] Vide dei benignitatem in misericordes.

* ἀπόδεσμον habet Græcum exemplar. i. ligaturam, auri.

Hvivs maximam benignitatem cum considerasset [g] quidam aduena, cogitauit eum tantare, qui erat superior omni tentatione. Cùm se ergo pannis induisset, accedit ad eum euntem ad visendos eos, qui erant in Nosocomio, (Solebat enim hoc bis & ter facere in hebdomada) & verbis lugubribus, Miserere mei, inquit, domine, qui sum captiuus. Ille autem iubet distributori dare ei sex nummos: Ille verò ijs acceptis & mutato habitu, per aliam viam accedit rursus similiter rogans. Beatus autem ei rursus iubet dari sex nummos. Ad magnum autem virum accedens is, qui dabat, illi in aurem significat eum esse, qui paulo antè alios sex acceperat. Cùm verò simulans tertio rursus veniisset ad accipiendum, distributor innuit Patriarchæ, eundem esse rursus significans. Ille autem illud præclarum rursus dicit & facit, vt qui dixerit: Da ei duodecim nummos. Nam ille ipse est Dominus meus, qui me tentat. Sed hæc quidem sic. Oratio autem vult etiam alia plurima tractare, significantia qualis esset vir ille summus circa benignitatem.

X.

[g] Aduena quidam tentat eius animum.

Leont vt supra c. 8.

Mercator quidam possidens nauem propriam, cum ei infelicissime cessisset mercatura, graui premebatur inopia. Ei ergo cum accessisset & petiisset aliquid auxilii, beatus iubet dari quinque libras auri. Quas quidem cum accepisset, & ea quibus opus habebat esset mercatus, nauigauit. Postquam autem fuit circa Pharan, vi ventorum vexatus, amittit quidem ea, quæ vehebat: nauigium verò solum seruat vacuum. Accedit ergo rursus ad Patriarcham simul quidem Tragicè deflens id quod acciderat, & eum ad maiorem vocans commiserationem. Ille autem cum audisset, hortatur quidem ne animum despondeat, apertè autem subiungit, dicens: Nisi ijs, quæ tibi relinquæ erant ex iniquitate, [h] ecclesiæ quoque pecunias coniunxisses, non hoc tibi contigisset. Rursus ergo iubet ei dari decem libras auri, iubens, ne eas injiceret cum aliis. Quamprimum ergo nauigauit mercator, accidit vt & pateretur priori grauius naufragium, vt qui cum naue onus simul amiserit. Cum ergo in extremam cecidisset desperationem, & victus esset animi ægritudine, & nec tantillum quidem posset cohibere motum animi, & iam manum sibi esset allaturus: deinde cum quod factum erat, rursus resciuisset Patriarcha, eum accersit. Ille autem accessit veste disrupta, coma euulsa, & caput habens conspersum cinere, habitu miserabilis, miserabilior autem grauitate calamitatis, & multis lachrymis lachrymas oculorum attrahens: Quem etiam hic magnus cum vidisset, propitius, inquit, sit tibi Deus. Cur propter pusillum & abiectum animum ita es affectus? Confido in Deo meo, quod de cætero tibi nauis nullum patietur naufragium. Sed scias hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi quod hæc nauis non iustè, non honestè, à te esset acquisita.

XI.

Leont. vt supra c. 9.

[h] Nota quod ait de pecuniis ecclesiæ.

Hæc cum dixisset, [i] iussit ei dari vnam ex nauibus ecclesiæ, impletam viginti millibus modiorum frumenti. Qua quidem accepta, nauigauit ex Alexandria: & vento vsus secundo, cum se ipsum tradidisset ei, qui ferebat, ducebatur nihil sciens vbinam esset. Nam cum viginti dies & totidem noctes nauis sic curreret, neque ipse, neque vllus alius ex ijs, qui erant in naue, nec ex astris, nec ex regionis indiciis, vbinam essent poterant discernere, nisi quod soli gubernatori [k] apparebat Patriarcha, cum eo clauum dirigens. Cum autem præteriisset vicesimus dies, perueniunt ad insulas Britannicas. Quem in locum cum appulissent, inueniunt famem crudelissimam, famem quæ homines illius regionis misere conficiebat: Cum autem eorum principem conueniissent, & ab eis cognitum esset, quòd frumentum afferrent, magna animi alacritate impleta est tota ciuitas, & eos cum magna accepit lætitia, non sine Dei numine eos adueniisse

XII.

[i] Obserua tẽ mirabilem.

Leont. ibid.

[k] En Dei prouidentiam.

ueniſſe reputans. Cum autem inſulares totum frumentum emiſſent, pro dimidio quidem aurum præbentes, pro reliquo autem ſtannum, (ita enim inter vtroſque conuenerat) & mercator iam rediret, fit res quædam, quæ digna eſt, ſi vlla alia, quæ memoriæ quidem & ſcriptis mandetur: admittere autem & credere, niſi fideliſſimis auribus, nequaquam eſt facile.

XIII. Cvm enim iam * Decapolim peruenissent nauigantes, Nauclerus de naue descendens, cum in quendam inci-

Leont ib. * Pentapoli est in vitis Patrum.

disset amicum & familiarem arte aurificem, datis ei quinquaginta libris è ſtanno, quod acceperat, pro eo accepit pre-

a Stannum mutatur in argentum.

cium. Ille autem, cum id vellet igne probare, vt sciret quodnam esset, inuenit argentum [a] probum & puriſſimum. Ar-

Iohan 2. Exod 7.

bitratus itaque Nauclerum id magis facere, vt tentaret, quàm quòd verum esse putaret, accedens eum probris est in-

sectatus, dicens: Quid hoc à te factum est? An non sufficit tempus ad fidem faciendam vsque in hodiernum diem, quod sine dolo versamur in contractibus? Tu autem nunc, vtpotè tentans, argentum deposuisti pro ſtanno. Protinus ergò eo, quod dixerat, obstupefactus Nauclerus, Nihil, inquit, per ipsam ô amice veritatem, nihil fecimus vt tentaremus: sed scio me tibi ſtannum apertè præbuisse. Si autem Patriarchæ precibus mutatum est in argentum, non est hoc nouum & alienum. Ille enim hæc potest, qui aquam in vinum, & rursus aliquando id mutauit in sanguinem. Vt autem vel hinc possis credere, ascende in nauem & totum disce cuiusmodi sit naturæ. Ille verò ingressus, apertè inuenit ipsum, sicut erat, argentum puriſſimum. Nauclerus autem cum omnia ſtatim ab initio vsque ad finem exposuisset, ad gloriam Dei & laudem Patriarchæ, qui fuit ei gratificatus, omnes euocauit auditores. Sed pergendum est ad sequentem narrationem.

XIV. Ad magnum, aliquando euntem ad ecclesiam, accedit quidam nobilis, cui fures quas habebat facultates diri-

Leont. vt sup. cap. 10.

puerant, & qui sic erat ad extremam redactus paupertatem, cuius misertus, quæ tam breui tempore acciderat, inopiæ, iussit ei dari quindecim libras auri. Ille autem, qui iussus fuerat dare, partim quidem cedens inobedientiæ, partim autem suggestioni eorum, qui administrabant res ecclesiæ, tanquam non essent multa reliqua, vtpote quod nesciret magnus Iohannes thesaurum recondere, præbuit quinque solas ei qui rogauerat. Beato autem [b] Iohanni ex ecclesia egredienti, † mulier quædam vidua admodum diues, ei tradit chartam, in qua scriptum erat donum quingentarum librarum. Quam cum legisset, intellexit ex ea, quæ in ipso habitabat, gratia, id quod non fuerat factum prout iusserat, de diminutione, inquam, quindecim librarum auri. Cum eos ergo, qui id fecerant, accersiuisset, de eo examinauit. Cum ij autem de [c] re gesta mentiri conarentur, & non solum in re prius, sed etiam mendaces existere in sermone, eo ipso qui rogauerat accersito, cum resciuisset eũ accepisse solas quinque libras auri, ostendens illis chartã mulieris, à vobis, inquit, Dominus est exacturus alias mille. Si enim vos quindecim libras, vt à nobis statutum fuerat, ei qui rogârat præbuissetis, mille & quingentas Deo præbuisset mulier. Vt autem factis fides fiat eius, quod vobis est incredibile, accersite mihi, inquit, hanc piam mulierem. Cum ea autem accessisset, & aurum promissum attulisset: Dic mihi, inquit Patriarcha, an tantum pecuniæ statuisses Deo offerre ab initio. Illa verò cum sensisset, illum non latuisse id, quod seorsum ab ea factum fuerat, magno metu correpta, vniuersum arcanum enunciauit, dicens: Reuera, domine, mille & quingentas libras scripseram in charta tibi data. Paucis autem post diebus cum eam euoluissem, inueni mille, nescio quomodo sua sponte deletas. Hinc iudicaui Deo omnino non placere, vt plures quingentis libris offerrem. Hæc illis, qui audierant, magnum metum iniecerunt: & accidentes simul ad pedes magni Iohannis, petierunt vt sibi remitteretur peccatum inobedientiæ. Illi autem Christi amanti viduæ multam à D eo precatus benedictionem, dimisit beatus Iohannes, vt abiret in pace.

[b] Item res admiranda † Mulierẽ hanc Nonnam appellatã habet Leont in Iohanne per Rosvveydũ

[c] Pœna inobedientiæ.

XV. Hvic munifico animo & manu inuidens malignus dæmon, suggerit [d] Patricio Nicetæ, quem ei fuisse amicum

Leont vt sup. c. 11.

& familiarem prius diximus, vt quiddam sua virtute indignum cogitaret & diceret. Accedens [e] itaque ad beatum: Ma-

[d] Nicetas patricius non recte mouetur.

nus, inquit, Imperatoris eget multis pecuniis, vt quas ad necessarios vsus reipublicæ quotidie consumat. Nam ipse quoque vides, in quantas angustias redacta sit respublica. Oportet ergo, vt quæ temerè & ad nihil, quod oportet, à te consumuntur, deferantur ad ærarium publicum. Ille autem nihil propterea conturbatus, Non est, inquit, iustum, vt quæ regi cælesti sunt consecrata, prodantur regi terreno. Est hoc enim planè sacrilegium, & non paruum in Deum peccatum. Sin autem tibi visum est sic facere, ecce quæcunque sunt ecclesiæ, ea accipe, & fac vt volueris, si quidem te nulla ratio ab hac abducit sententia, mea enim voluntate ne obolum quidem dimittam eorum, quæ sunt reposita. Nihil ergo, nescio quo modo, ex eo repressus vir ille admirabilis, vocat eos qui sequebantur, & statim iubet tollere pecunias, nihil aliud relinquens Patriarchæ nisi solas centum libras auri. Interim autem dum descendebant ij, quicas portabant, occurrunt quibusdam ascendentibus ad Patriarcham, qui mellis amphoras afferebant ad eum, in quarum nonnullis inscriptum quidem erat, Primarium: in aliis autem, Fumo carens. Postquam ergo hæc vidit Patricius, & agnouit inscriptionem, significauit Patriarchæ, vt ad ipsum mittatur vna ex amphoris. Cum is autem, cuius fidei hæc commissa fuerant, eorum, vt mos est fecisset periculum, & deinde intellexisset, quod in eis factum erat miraculum, & beato Iohanni significasset, quod sunt [f] omnia auri plena, illico vnum mittit ad Patricium, quod inscriptum erat, Mel primarium. Ad eum autem mittit etiam literas, quarum hæc erat vis: Dominus qui dixit. Non te dimittam, nec te derelinquam: ipse pro iis, quas tua celsitudo nunc abstulit, pecuniis reddit alias. Id autem tibi declarabit quæ nunc ad te missa fuit amphora, quæ est vna ex ijs. Scias ergo, quod Deum, qui spiritum & alimentum omnibus suppeditat, homo, in quem cadit interitus, nequaquam poterit in angustum redigere. Porrò autem præcepit etiam iis, qui ferebant amphoram, vt eis præsentibus aperiretur in conspectu Patricij, & ei renunciarent, quod aliæ omnes, quas vidit, ita se habent, & sic sunt auro plenæ.

Heb. 13. Iosue 1.

Alexand. & Pentapol vt habet Paul. Diac. filius. [f] Mel in aurum mutatum.

XVI. Cvm eum ergo inuenissent conuiuantem, ei tradunt epistolam, ostendentes etiam amphoram. Quam quidem

Leont. ib.

postquam vidit, Iratscitur mihi omnino dominus meus, inquit: neque enim vnam mihi solam misisset. Qui autem portabant, quomodo fuerat eis imperatum, cum in eius conspectu aperuissent amphoram, & pecunias effudissent, annunciabant fuisse reliquas auro similiter repletas. Cum verò [g] perlegens epistolam, inuenisset quod homo Deum non potest in angustum redigere, ad se posteà reuersus & timore repletus, (eorum enim, quæ non recte facta sunt, pœnitentia cito mouetur generosa, virtutis amans, anima) Viuit Deus, exclamauit: Nec humilis Nicetas sustinebit tentare eum in angustum redigere. Cùm statim itaque surrexisset, & quascunque ex ecclesia sustulerat pecunias, rursus sumpsisset, & ipsam quæ missa fuerat amphoram, quinetiam è suo libras trecentas addidisset, ascendit ad Patriarcham, veniam petens inconsiderati consilii. Ille autem eum lubenter excipiens, neque ei exprobrauit, neque aliquid locutus est, quod ei afferret molestiam: sed verbis potius animum consolantibus & spiritualibus admonitionibus confirmatum amandauit. Ab eo autem tempore tanto fuerunt inter se coniuncti vinculo amicitiæ, vt etiam Patriarcha fuerit eius filiorum susceptor. Vt autem non solum per vberiorem laxamque & solutam viuendi rationem cognosceretur animus eius incomparabilis, & bona spes eius in Deum fidei: sed etiam per angustiorem, quam esset probatus, esset euidens: (Clarum est enim, quod sunt vtraque periculosa, nempe & res secundæ, quæ eneruant & emolliunt, à Deique recordatione ejciunt: & res aduersæ rursus, quæ in arctum cogunt, pusillumque & abiectum animum efficiunt) propterea prouidit Deus, vt is cadat in egestatem. Quonam modo autem id prouisum sit, dicam:

[g] Agnoscit erratum suum Nicetas.

Cvm

XVII. CVM [a]magna multitudo eorum, qui manum Persicam effugerant, confugisset Alexandriam, & esset magna alimenti penuria, maxi. nè quòd nec illo tempore Nilus ascendisset, vt consueuerat, & pecuniæ ecclesiæ essent consumptæ, coactus est ille magnus mille libras auri mutuas accipere ab aliquibus. Cum [b]autem eas quoque consumpsisset, agitabatur magna solicitudine, & Dei orabat benignitatem, vt in rebus dubijs aliquam viam excogitaret. Sed etiamsi ad tantam redactus fuisset inopiam, non fuit tamen victus à calamitate, non diuinas leges & sacras constitutiones affecit dedecore, nec intermisit commissum sibi gregem accurate regere. Itaque cum quidam [c]Clericus ex ijs, qui secundas nuptias contraxerant, abundans diuitijs, vellet consequi gradum Diaconatus, resciuisset autem has Patriarchę angustias, & arripuisset tempus tanquam oportunũ, si pecunijs leuata inopia assequeretur id, quod desiderabat, chartam tradidit beato Iohanni, quæ sic habebat: Cum accepissem angustias, in quas redacta est munifica dextera mei domini, non existimaui oportere me quidẽ degere in delicijs & rerum abũdantia, dominũ aũt meum redactum esse in angustias. Sunt apud me frumenti quidem multa millia, auri autem centum libræ & quinquaginta: eas velim [d]per te dare Christo, si tantum iudicatus fuero dignus eius diaconatu per sanctam tuam ordinationem. Inuentum enim est alicubi * quid dictum fuisse apud Apostolum, ex necessitate legis quoque fieri translationem.

[a] Anno 615 vt notat Baron Ægypto a Cosrhoe exspoliata.
[b] Leont. vt sup. cap. 12.
[c] Clericum hũc Cosmã vocatũ habes in vitis Patrũ apud Leontin Iohan. c 12.
[d] Bigami ad maiores ordines non promouendi. * *Aliubi dictum, legit Bar*

XVIII. EVM ergò seorsum accersit Patriarcha, non volens multis præsentibus eum afficere dedecore, & dicit ei: Tua quidam oblatio, ô fili, est magna, & huic tempori necessaria. Sed est vitiosa, & propter hoc ipsum non admittenda. Non ignoras enim, quòd oues, quæ ex lege offerebantur, si non essent vitij expertes, etiamsi essent magnæ, non potetant admitti ad sacrificium. Qua de causa nec munera Cain Deo fuerunt accepta. Illud autem, Ex necessitate etiam fieri legis translationem, hoc ab Apostolo dictum esse scimus de lege veteri. Quid enim tibi videtur, quod situm est apud fratrem Domini Iacobum? Sic autem habet: Qui totam legem impleuerit, in vno autem lapsus sit, esse omnium reum. Fratres autem nostros pauperes, etiamsi nos versemur in inopia, at qui aluit Deus vsque in hodiernum diem, ipse eorum quoque de cætero curam geret, si modo nos eius mandata seruamus immobilia. Quid est enim quod facere non possit? aut quid sit difficile ei, qui quinque panes in deserto aliquando multiplicauit, si decem modios, qui sunt in meo horreo, benedixerit, eos in magnam augere multitudinem? Quamobrem tibi, ô fili, conueniet id, quod Simoni dictũ est in Actis: Non est tibi pars, neque sors in hac parte. Nondum ille dimissus domum re infecta redierat, cum magno Iohanni significatur duas naues Ecclesiæ in portum appulisse, ferentes ex Sicilia multa frumenti millia. Quod quidem cum ille audiuisset, procidens in genua, Deo egit gratias, dicens: Qui te quærunt, Domine, & seruant tua mandata, non minuentur omni bono. Quamobrem magnifico sanctissimum nomen tuum, quod non permiseris seruo tuo, vt tuam gratiam venundaret pecunia. Sed sic quidem in angustijs dilatatus * vir inclytus, non pro vsu rerum necessariarum prodidit accuratam regulæ obseruationem.

Leont. ibid *Leuit.* 22. *Gen.* 4. *Heb.* 7. *Iacob.* 2. *Iohan.* 6. *Actor* 8
Alia ratione Deus egenti Iohãni succurrit *Esai.* 33.
[9] *Fuit inclytus quod non, Bar.*

XIX. OPORTET autem dicere etiam indicium magnæ, quam habuit, tolerantiæ, & narrare, quam se perfectè gereret in hoc præcepto. Duos quosdam ex suis Clericis, qui inter se inuicem fuerant debacchati, vir admirandus subiecerat segregationi. Quorum vnus quidem pœnam lubenter subierat: alter autem cum eam inuenisset tanquam prætextum suæ socordiæ, precum quidem & congregationum nullam omninò curam gerebat, vacabat autem omnino suis cupiditatibus. Deinde minabatur etiam, se magni illius viri summam illam & sanctissimam simplicitatem calliditate aliqua circunuenturum: Dicunt vero aliqui, hunc quoque eum esse, qui Nicetæ Patricio suggesserat, vt pecunias tolleret ecclesiæ, dum existimaret se ea ratione Patriarcham affecturum molestia. Cùm ergò hoc magnus cognouisset Patriarcha, timens nè fortè is à diabolo consumeretur, eum erat vocaturus & dignaturus commiseratione: meliore autem prouidentia mandatur obliuioni id, quod animo cogitabat, vt suprema eius humilitas fieret euidens maiori commiseratione. Nam cùm adesset dierum omnium præcipuus, ipse autem astaret in tribunali, & incruentum offerret sacrificium, ea ipsa hora, in qua sacrum velum auferret à sanctis donis, recordatus eius, qui odium in eum conceperat, & memor præcepti Dominici, quod iubet quidem dimittere donum ante altare, procedere autem prius ad fratris reconciliationem, & tunc donum offerre significat diacono, vt connexam resumat petitionem, & sæpe dicat, donec ipse redierit. Ipse autem ventrem prætexens, egressus est ab altari, & mittit magna celeritate, ad se vocans illum Clericum: qui quidem mox aderat: Sanctus verò procidit ad eius pedes, nihil omninò auersans oculos eorum, qui aderant, veniam postulans. Deindè ille, qui prius fuerat insipiens, videns hoc sacrosanctum caput proiectum ad suos pedes, fuit statim fractus animo, timens ignem de cœlo, & quæ illinc mittuntur fulmina. Ipse quoque pronus cadens, petijt ab eo veniam. Beatus autem Iohannes, Deus ambobus, inquit, ignoscat fili mi. Deinde eum quoque secum assumit, & cũ gaudio & cũ quãta dici nõ potest voluptate arã ingressus, tunc ausus est Deo dicere cũ fiducia: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Abhinc ergo fuit hic Clericus adeo modestus & moderatus, vt visus sit dignus, qui ordinaretur Presbyter. Sed hoc quidem, sicut diximus, est indicium magnæ illius tolerantiæ & moderationis.

Incruentũ Missæ sacrificium. *Matth.* 5.
Nota summam humilitatem.

XX. ALIVD autem narrabo, quod est non multum dissimile ei quod præcessit. Est angelorum, ait quidam ex Patribus, nequaquam depugnare, sed esse in pace perpetua: dæmonum autem irreuocabiles per totam vitam exercere inimicitias: hominum verò sapientum breuiter quidem fortasse irasci, citò autem & paulo pòst currere ad reconciliationes: Cùm ergò huic magno Iohanni accidisset, vt nonnihil esset ira percitus aduersus eum, cuius sæpè mentionem fecimus Patricium: illo quidem defendente rem iniustam lucri causa: non patiente autem Iohanne propter zelum iustitiæ. cum iam hora aduenisset vndecima, Patriarcha per nuncium primum ex presbyteris ei significat, dicens: Sol iam est in occasu, ô vir maximè venerande. Ille autem hoc verbo tanquam stimulo aliquo compunctus animo, statim surrexit & venit ad sanctum. Quem cum ille lubens excepisset, & esset amplexus, Crede mihi, inquit, nisi fuisset mihi exploratum, quòd te molestia affecissem, fortè nihil dubitans aut pensi habens, ipse ad tuam venissem magnificentiam. Quid enim, si communis quoque noster Dominus non est dedignatus obire ciuitates & vicos, vtilitatis gratia & curationis? Omnibus autem qui aderant admirantibus summam moderationem, dixit ei Patricius: Non amplius capiunt aures meæ, inquit, ô domine, delationes eorum, qui criminantur. Cui dixit sapiens Magister: Persuasum tibi sit, inquit, ô fili fidelissime, quòd si simpliciter & absque examinatione essemus aures præbituri omnibus, praaremus nobis examen decies mille peccatorum: & maximè nunc in tempore, quando refrixit omnibus charitas: Scio enim ego, quòd propterea quòd credideram aliquibus, quibus obtigerat rectio ciuitatis, & eorum verbis solum essem inductus, nonnullos cum minimè oporteret, sæpè affecerim molestia. Quo factum est, vt non paucorum me de cæterò subierit pœnitentia. Quamobrem cum semel & bis & sæpè incidissem in fraudem eorum, qui criminantur, de cæterò apud me constitui, non amplius aliquid pronunciare in aliquem, priusquam audijssem ius vtriusque partis: & ijs qui facta ad me deferebãt, sum minatus, quod si deinceps fuissent deprehensi inanes aliquas nugas ad meas aures deferre per calumniam, easdem daturi essent pœnas, quas qui est reuera calumniator. Ab illo itaque tempore excisa fuit omnis calumnia sycophantarum: Quamobrem tuam quoque rogo magnificentiam, ne tam simpliciter & tam facilè admittas malignorũ hominum calumnias, sed eas prius diligẽter examines. Neq; enim hinc mala nascuntur mediocria: sed & bonorum publicationes, & verbera, & cædes sæpè per mendacium multi innocentes

Angelorũ & dæmonũ discrimen.
Leont vt sup cap. 14.
Lis inter Iohannem & Patriciũ.
Non temerè fides habenda delatoribus.

subierunt,& ab iis propemodum est euersa vniuersa vita hominum. Has admonitiones cum tanquam à Deo accepisset Patricius,pollicitus est se eas esse perpetuò seruaturum.

Leont vt sup c.15.

ALIVD addatur ijs , quæ dicta sunt,quod satis potest exprimere eius mansuetudinem atque patientiam.Magni XXI.
Iohannis consobrinus erat,nomine Georgius. Is contumelia affectus ab aliquo caupone ciuitatis:vehementer fuerat morsus,& id ferebat grauissimè. Id enim faciebat & magnum, quod erat inter eos, discrimen, nempe & eius cum magno affinitas,& nimiæ sordes & humilitas eius, qui fecerat iniuriam. Accedit ergo seorsum ad beatum Iohannem adolescens, lachrymis & dolore cordis, quo agebatur , deplorans iniuriam. Cum sic eum vidisset victum ab omni perturbatione Patriarcha,volens eum demulcere & veluti recreare,&, Ausus est, inquit, omnino os aduersus te aperire,& omnino contumalia afficere aliquis eum,qui est mihi charissimus ? Benedictus Dominus, rem in ipso faciam, vt admiretur omnis Alexandria. Postquam autem vidit eum propter id , quod dixerat,paululum remisisse de animi ægritudine. Fili inquit,mihi iucundissime , si re vera vis meæ paruitatis esse & nominari consobrinus,para te ipsum non solum aduersus contumelias,sed etiamsi sit amplius aliquid dicendum,etiam aduersus ipsa flagra. Vera enim nobilitas [a] non ex sanguine & carne,sed ex virtute animæ accipit formam & characterem. Statim ergo accersito principe cauponum,ei denunciauit,ne consuetum deinceps vectigal acciperet ab eo,qui suum consobrinum affecerat contumelia,aut aliquid ex iis , quæ ab eo de more dabantur ecclesiæ.Propter quæ admirati omnes [b] incomparabilem illius patientiam intellexerunt omnes hoc esse supplicium,quod erat miratura tota Alexandria.

[a] Vera nobilitas.

[b] Nota incredibilem patientiam & benignitatem.

Leont.vt sup. cap.16.

SED forte in iis quidem,qui ad ipsum pertinebant, tam diligenter cauebat,ne memor esset acceptæ iniuriæ : a- XXII.
lios autem negligebat in rebus huiusmodi. Nequaquam.Cum enim resciuisset quendam ex Diaconis,nomine Damianum,odio habere propinquum, vt qui recordaretur acceptæ iniuriæ , denunciauit Archidiacono , vt in tempore participationis sacramentorum ei ostenderet eum,qui memor erat iniuriæ. Cum ergo cognouisset, eum manu accipiens. Vade, dicit ei, & fratri primum reconciliare, vt vult præceptum, & tunc sumes sacramenta Christi, qui non est memor acceptæ iniuriæ. Ille autem pudore affectus, præsentibus omnibus promisit se hoc esse facturum, & tunc eum impertit sanctificatis. Deinceps ergo inuasit timor non solum Clericos , sed etiam laicos, & cauebant ne vllum odio haberent, & essent acceptæ iniuriæ memores,timentes ne multis præsentibus sic pudore afficerentur. Sed tam accurata quidem & exacta fuit eius vita , tam quod ad ipsum attinebat , quàm quod ad eos, qui ab illo pascebantur. Præter alia autem bona,[c] in sacrarum quoque scripturarum cognitione summè laborauerat & plurimum est meditatus,non sine voluptate & studio acerrimo. Licebat ergo videre quotidie in congressione,quæ fiebat in secreto, eum nihil fere aliud loquentem aut quærentem , quàm narrationes Patrum, qui erant magni nominis , & problemata dogmatica & quæstiones ad scripturam pertinentes.Hæc autem maximè propterea , quod tunc abundabat multitudo hæreticorum,ad quos euertendos adsciuerat eos,qui illis temporibus erant excellentissimi, Iohannem, inquam, & Sophronium.Porrò [d] autem ei quoque erat studio conseruare consessum,nulli detrectationi affinem,& nullo vano sermoni.Quod si quis ex iis,qui considebant,tale quid proposuisset, ille ingeniose & aptè id repellebat,injiciens bonam aliquam quæstionem & animæ vtilem. Si is autem esset crassus & plebeius, & qui non recedebat ab iis,quæ sunt consueta,præsentem quidem non male tractabat, nec se iracunde & aspere in eum gerebat,præcipiebat verò, ne eum sinerent amplius esse è consilio,vt per eum vnum fierent alij cautiores & diligentiores.

Matth.5.

[c] Eius studium & eruditio.

vide Leont. cap.17.vt supra.

[d] Detrectationes & ociosos sermones nõ fert.

VT autem mortis memoriam [e] suæ cogitationi profunde imprimeret , & eam perpetuo haberet præsentem,& XXIII
ante oculos,quid facit ? Iubet sibi extrui monimentum: ei autem finem non imponi,sed semiperfectum sic relinqui: Deinde eos , qui præfecti erant operi,cum esset festum aliquod insigne,accedentes in conspectu omnium,qui considebant,aperte dicere:Monimentum tuum in hodiernum vsque diem est imperfectum,domine.Iube ergo,vt id finem accipiat.Incertum est enim,qua hora fur ingrediatur , nempe mors.Sed quis illius victus tenuitatem,& quæ erat circa vestem & stratum vilitatem & mediocritatem,recte enunciauerit? Cum aliis enim ne hanc quidem neglexit virtutem,adeo vt vulgus & eos qui sunt contempti , in his ne superaret quidem. Quidam certe ex habitatoribus ciuitatis, qui erat ei familiarior,cum resciuisset quomodò res se haberet, * cilicium emptum triginta sex nummis mittit ad beatum,plurimum rogans ne id recusaret,sed se eo indueret. Hoc ergo cum & propter viri fidelitatem,precumque contentionem & ardorem facere voluisset,non cessauit tamen tota nocte lamentari,vt postremo exposuerunt,qui ei assidebant. Quis , dicens, non condemnarit me miserum Iohannem, si mihi [f] quidem liceat tegi tegumento triginta & sex nummorum , fratres autem mei, prohdolor, secundum Christum , sub dio perpetuo degant concreti frigore,& nec minimum quidem & vilissimum pannum habeant? quorum plurimi quidem ventre vacuo & incœ- Luc 16.
nati recumbunt,& vel ipsas, hei mihi, quæ à mensa mea cadunt,micas capiunt,sicut pauper Lazarus. Heu heu quam multi nunc hospites & peregrini ad hanc venerunt ciuitatem, qui non habent vbi caput reclinent , esurientesque & sitientes iacent in medio foro. Ego autem me delicate omne genus explens bonis , præter alias delicias hoc quoque nunc sumptuoso induor tegumento. Quid ergo illo die expecto me auditurum ? Quid aliud , quam, Recepisti bona tua in vita tua, pauperes autem mala: & propterea ipsi quidem nunc accipiunt consolationem, tu autem cruciaris pro meritis ? Sed benedictus Deus , non amplius eo tegetur humilis Iohannes,sed eius precio induentur pauperes.

vide Leont. c 18. vt sup

Leont.vt sup ca 20.

* *Leontius habet, lecti operimentum. Rosvveydus, opertorium itaq; locus hic mihi mendosus videtur.*

[f] Secum expostulat de stragulo pretioso sibi oblato.

CVM primum itaque [g] illuxisset , mittit cilicium in forum venundandum , quod cum vidisset is qui obtulerat, XXIV
rursus emit & ad eum adfert.Ille autem accipit quidem,rursus vero mittit ad forum. Cum autem bis & sæpe hoc factum esset,magnus Iohannes significat ei qui offerebat: Videamus,dicens, quis ex nobis prius defatigabitur:ego quidem ipsum vendens, tu autem emens,& offerens,erat enim valde dives. Quamobrem dedita opera valebat magnus Iohannes ex eo lucrifacere,vt illius bona ad pauperes effluerent. Dicebat autem etiam tale quid , quod si quis ab his delicatis & diuitibus,& maxime iis,qui sunt immisericordes , posset arte aliqua & ratione ad ipsas vique auferre tunicas,vt benefaceret indigentibus,ab eo,quod decet, minime aberraret. Sic enim res duas efficit: pulcherrimas:vnam quidem,quod illorum animis salutem conciliabit:alteram autem,quod ex rebus alienis non paruam neque leuem sibi parabit mercedem.In testimonium autem eius,quod dicebat adducebat etiam id, quod magnus fecit Epiphanius, qui effecit,vt pecuniæ Iohannis Episcopi Hierosolimitani pia quadam via & ratione distribuerentur pauperibus. Addebat vero aliud quoque,quod à fideli quodam & amante veritatis dicebat se audiuisse Cypri,qui sic narrabat,ea quæ dicebat,iureiurando confirmans.

[g] Mira contentio liberalitatis inter ipsum & diuitem quendam.

[h] Exemplũ memorabile Petri Publicani. vide Leont. vt sup. c. 21.

CVM essem in Aphrica,[h] habitabam apud quendam publicanum,valde quidem diuitem,sed admodum immi- XXV.
sericordem,& pauperem,quod attinet ad misericordiam. Cum autem accidisset,vt tempore hyberno sol lucceret calidius,pauperes simul congregati calore fruebantur. Vt solet autem in his euenire,domos enumerabant illas quidem, quæ erant misericordum & sua communicantium, beantes:eas autem,quæ possidebantur à parcis & nihil elargientibus,miseras dicentes & execrantes,cum quibus,inquit,etiam meum connumerarunt dominum.Sic itaque inuicem, rogabant,an aliquis vnquam illinc fuisset eleemosynæ particeps. Cum vero nullus esset ex omnibus,qui affirmaret se accepisse,vnus ex illis:Sed quid,inquit,mihi dabitis,si ego hodie recedens illinc,consecutus fuero misericordiam?

Cum

Cùm autem de ea re pacta conuenta inter se fecissent, pauper cùm fuisset ex aduerso vestibuli publicani, inuenit ipsa hora pistorem trahentem multum pane onustum, ipsumq; venientem per viam, quæ tendit ad ædes. Cùm itaq; pauperem ex aduerso stantem vidisset Publicanus, & solo trilti habitu prouocantem eum ad misericordiam: neq; enim vel solam vocem audebat emittere, nè virum irritaret alienum à misericordia: sic quoq; furore percitus, vno pane arrepto, & eo vsus tanquam lapide, iacit in pauperem. Quem ille protinùs accepit, & abiens ostendit alijs, affirmans quòd accepisset ab ipsis manibus publicani. Visio publicani.

XXVI. Nondvm duo dies præterierant, & publicanus morbo correptus mortifero, cum mentis subijsset ecstasin, videbat à se exigi rationem suarum actionum. Deindè videbatur etiam adesse trutina, vtraq; discernens: in cuius sinistra quidem lance videbat nigros congregatos, & multa eius turpia facta in lance deponentes. In dextera autem, viros quidem candidatos & forma terribiles assistentes: nihil verò boni inuenientes, quod contra possent in lance collocare, esseq; mœstos & tristes, & dicentes: Nihil habemus aliud, quod opponamus, nisi panem illum, quem duobus antè diebus, & nec ipsum quidem sponte, dedit cuidam pauperi. Cùm in altera itaq; lance eum imposuissent, fecerunt trutinam ex vtraq; parte ex æquo propendentem. Tunc illi Publicano dicant viri candidati: Recedens adde huic pani, & operare. Nam illi, quos vides, nigri sunt te accepturi. Cùm statim itaq; experrectus esset, & ad se redijsset, agnouit vera esse, quæ visa fuerant. Nam quæcunq; ab ineunte ætate ab eo facta fuerant, & quorum iam erat oblitus, videbat illos æthiopes vtiq; congregantes, & in lancem imponentes. Quamobrem sæpè obstupefactus. Papæ, dicebat, quanta est virtus eleëmosynæ? Si enim vnus panis, isq; periram pauperi proiectus, tantum potuit: à quàm multis malis se poterit liberare, qui hilariter bonis suis impertitur pauperes? Adeò ergò munificè vsus est eleëmosyna, & tam abundè ambabus, vt dici solet, effudit manibus, in ventres pauperum infundens: vt postquam omnia profudisset, ne suo quidem parceret corpori, sed eo quoq; aleret pauperes, vendita libertate, vt paulò post clariùs ostendemus. Vis eleemosynæ.

XXVII. Ei enim eunti in telonium, occurrit nauta nudus ex naufragio. Quem quidem cùm vidisset, veste statim se exuens, quæ erat delicata & sumptuosa, ei donat, multùm precatus, vt ea perpetuò indueretur. Ille autè partim quidem erubescens vti veste magnifica, partim verò aliarum quoq; rerum genus, in foro exponit vt venderetur. Cùm autem reuertens Publicanus, eam vidit pendentem, magno fuit affectus dolore, & erat tristis, reputans quòd non ei licuisset reliquere pauperi aliquod monimentum suæ misericordiæ. Hæc cum cogitaret, ei obrepit somnus. In somnis autem ad eum accedit vir quidam insignis, sole specie alacrior: crucem quidem habens in capite, indutus autem veste, quam ipse dederat nautæ. Qui cum prope accessisset. Cur, inquit, chare Petre (hoc enim erat nomen Publicano) angeris & cruciaris? Ille autem perindè ac si nósset, quisnam esset qui loquebatur. Quoniam, inquit, Domine, quæ tu nobis abundè præbes, ea nonnullis sæpè impertientes, non videmus eos rectè vti ijs, quæ data sunt, propter turpe lucrum. Ille nondum implêrat orationem, & qui apparuerat ostendens ei vestem. Agnoscisné hanc, inquit? Cùm is autem affirmasset, ille rursus: Eccè, inquit, ex quo tu mihi eam præbuisti, ea perpetuò induor. Mutatur in virum longè alium publicanus. Leont. ibid. Videt Christum. Obseruat Christi bonitatem.

XXVIII. Postqvam autem eum dimisit somnus, hæc mente agitans, Benedictus Dominus, aiebat: Si Christus videtur esse vnus ex indigentibus, non desistam, donèc ipse quoq; sim vnus ex ijs minimis. Statim ergò vocato Procuratore domûs, qui fuerat ab ipso emptus: Volo, inquit, tibi credere quoddam arcanum, quod si enunciaueris, aut nisi effectum reddideris, quod volo, procùl recedes à meo conspectu, & vendéris in barbara regione. Hæc cùm dixisset, decem libras auri ei tradit, quæ erant ei soluendæ ob negociationem. Deindè, Me quoq;, inquit, assume ad hanc negociationè. (Hoc est enim arcanum) & cùm me abduxeris ad partes sanctæ ciuitatis, illic me vende Christiano alicui tanquam mancipium. Quod autem ad te ex eo redibit precium, quantumcunq; fuerit, detur pauperibus. Cùm postquàm diu institisset, vix tandèm ei persuasisset, venit cum eo Hierosolyma. Quo in loco, cùm in quendam amicum, qui erat quidem arte aurifex, incidisset Procurator, (erat autem ei nomen Zoilus, qui propter aliquem casum redactus erat ad inopiam) Seruus est, inquit, mihi valdè bonus: quem si me audiens emeris, nihil erit impedimento, quo minùs ad pristinam redeas fælicitatem. Est enim non solùm bonis moribus, sed etiam in fundendo auro summè exercitatus, fuerat enim Petrus huic quoq; arti summè deditus. Ille autem statim in medium adducens paupertatem, cum qua conflictabatur, dicebat se non posse eum emere. Sed tamen ille verbis amici persuasus, & auro accepto fœnoti, emit zelo feruentem Petrum triginta nummis. Quos cùm accepisset Procurator, iuit Constantinopolim. Petrus sua sponte venditur 30. nummis.

XXIX. Licebat ergò videre eum, qui propter Christum voluntariam susceperat seruitutem diligentissimè domino suo inseruientem in omnibus, quæ ad vsum domus pertinebant, ieiunijsq; vacantem & vigilijs: quæ faciebant, vt res domini incrementum acciperent, vt benedicerentur eius vltima, sicut Iobo, magis quàm priora. Qui etiam summam eius virtutem venerans, cogitabat eum manumittere, etiamsi ille id minimè admiserit, volens potiùs in seruitute propter Christum perpeti, quàm cum libertate quiescere. Sed quis dicere omninò potuerit eas, quæ ei à maligno inferebantur, afflictiones? Quicunq; enim erant à familia, tanquàm emotæ mentis quempiam reputantes, aliquando quidem eum irridebant: aliquando autem alapas infligebant, & non desistebant ei omnibus modis adferre molestiam. Quotiescunq; autem contigisset eum, contumelijs à conseruis affectum, dormire cum animi ægritudine, totiès ei assistebat in somnis, qui in Aphrica ab eo visus fuerat, ferensq; eius vestem, & precium triginta aureos habens in manibus. Nè sis tristis, aiebat, frater Petre. Ego enim etiam tuum accepi precium, sicut priùs vestem. Seruit aurifici. Leont. ibid. *Iob.* 42. Multa patitur.

XXX. Intercessit aliquantum temporis, & quidam, qui erant eiusdem cuius Petrus regionis, arte aurifices, voti causa & adorationis, peruenerunt ad loca veneranda. Quos dominus eius, vt qui essent eiusdem artis, domum ductos accepit omni benignitate. Petrus autem cùm eis ministraret, & viros agnouisset, seipsum celabat pro viribus, & omnibus modis conabatur latére. Illi verò tanquam per figuram corporis eum indagantes, agnouerunt. Et primùm quidem inter se susurrabant: dubitationem enim eis afferebat similitudo. Postquàm autem illum ipsum esse apertè agnouerunt, communiter eum statim alloquentes, qui eos inuitauerat. Quid sibi vult, dixerunt, quòd vir talis tibi ministrat, qui est vnus quidem ordinis senatorij, splendore autem nulli est iecundus? Is enim, qui nunc nobis seruit in mensa, est Petrus Publicanus, de quo Imperator quidem magnum accipit dolorem, magnum autem Senatus quoq;, vt qui euanuerit. Eos hæc verba dicentes cùm audijsset Petrus, statim humi quidem iacit discum, quem habebat in manibus: cursu autem descendit ad vestibulum, in quo adstabat quidam adolescens, ab ortu surdus & mutus, qui nutu poterat claudere & aperire. Cui Petrus. Tibi dico, inquit, qui es surdus & mutus, In nomine Christi Dei nostri, audi me, & aperi. Ille autem. Sicut iubes, respondit: & statim aperuit. Ille verò currens, protinus est egressus. Deindè ascendens ianitor lætus, narrauit quod in ipsum fecerat miraculum. Dicebat enim se videre flammam ignis, procedentem ex ore magni Petri, ad aures eius peruasisse Quæ, inquit, cum me totum circumfulsisset, repentè fecit audire & loqui. Hæc cum narraret is, qui prius erat surdus & mutus, subijt omnes stupor & admiratio, & statim quàm maxima potuerunt celeritate, aggressi sunt eum persequi. Cum vbiq; autem scrutati essent, non potuerunt eum, quem quærebant, comprehendere. Quamobrem eos magna subijt pœnitentia, & deplorabât quòd non magis animum attendissent: quo factum erat, vti Dei hominem tantis afficerent contumelijs, verberantes & insultantes, & eum quotidiè irridentes. Peregrinatio religionis ergo. Leont. ibid. Petrus sanat surdum & mutum fugiens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Leont. vt supra c. 22.

TALES erant misericordis & clementis Iohannis animæ benignæ & humanæ narrationes. Maxima enim ex parte, quæcunq; incitabant ad commiserationem & amorem in pauperes, ea volebat dicere & audire. Assiduè quidem certè inuestigabat vitam eorum Patrum, qui fuerunt celebrati propter eleëmosynam, & in hoc per totam vitam magnum ponebat studium, vt qui vellet eâdem vita, qua illi, ingredi. Cùm itaq; aliquando incidisset in vitam diuini Serapionis Sidonij, non cessabat virum illum admirari & res illius narrare, quemadmodùm cùm aliquando in ægentem incidisset pauperem, se pallio exuit, & ei dedit. Deindè cùm obuiàm factus esset alteri algenti, similiter ei præbuit tunicam: & de cætero sedit nudus, vlnis solum tenens Euangelium. Deindè ab aliquo interrogatus, quisnam eum nudâsset. Hoc, inquit: ostendens Euangelium. Cùm verò eo quoq; vendito pro eo acceptũ precium distribuisset pauperibus, cuidam discipulo, qui eum rogauit, Vbi est, pater, paruum Euangelium? Crede mihi, inquit, fili, parens ei qui dixit. Vende quæ habes, & da pauperibus: ne ipsi quidem libro, in quo hoc scriptum erat, statui parcere. Addatur hoc quoq; ijs, quæ dicta sunt, afferens auditoribus non mediocrem vtilitatem. XXXI.

Serapion Sidonius in pauperes liberalissimus. Pallad. c. 83.

Matth. 19.

Leont. vt supra c. 23.

QVIDAM monachus illo tempore puellam ducens speciosam, obibat ciuitatem, cùm autem quidam ex Ecclesia eum vidissent ad multorum offensionem eam circumagentem, introducunt ad beatum Iohannem: Ille autem verbis illorum inductus, vt qui existimâsset eos zelo diuino illum admonuisse, ipsum & puellam iubet vehementer cædi, deindè eos in diuersis custodijs includi. Cùm autem factum esset quod iusserat, & eos accepissent custodiæ, & nox iam aduentâsset, Monachus ei apparet in somnis, ostendens tergum notatum vibicibus & stigmatibus, ei dicens simpliciter & placidè: Quid verò hæc tibi placent Domine? Crede, nunc quidem certè semel deceptus es, vt homo. A somno autem excitatus, accersit illicò Monachum, educens eum è custodia, præ plagis vix valentem ingredi. Deindè cùm in eius vultum coniecisset oculos, agnouit eum esse, qui fuerat ab eo visus. Cumq; vellet scire, an tam multas accepisset plagas, quàm multas habens in somnis apparuerat, iubet eum linteo succinctum aperire dorsum. Cùm diuina autem prouidentia fuisset linteum solutum, apertæ fuerunt partes occultæ, & conspectus est monachus propemodùm exectus & mancus virilibus, etiamsi propter florem ætatis non fuisset priùs immunis à suspicione. Statim ergò eos qui illos detulerant, è suis gradibus deturbatos, tres annos arcet à communione. Pio verò monacho se, vt par erat, excusauit, & rogauit, vt ei condonaret peccatum admissum per ignorantiam. Sed hoc solum dixit se non laudare, quòd nullo adhibito custode obiret ciuitates, cùm esset monachus, & videretur adeò iuuenis, & traheret secum fœminam, & esset multis causa offensionis. Ille verò cum ea, qua par erat, reuerentia & modestia. Benedictus Dominus, inquit: Domine, non mentior Non multis antè diebus cum essem Gazæ, & illinc festinarem ad adorandum sanctos † Cyrum & Iohannem, hæc puella mihi vesperè fit obuiàm, & ad meos pedes procidit, rogans vt mecum iter ingrederetur, eò quòd vellet esse Christiana, erat enim Hebræa. Ego autem Dei veritus iudicium, qui dixit, nè ex pusillis aliquem despiceremus, obediens, admisi eam viæ comitem, maximè confidens, quòd cum essent mihi membra ita affecta, nõ esset facilè inimico struere in me tentationem. Cùm illuc autem venissem, & vota reddidissem, feci eam catechisino instrui & baptizari, & de cæterò eam circumduco in simplicitate cordis, & mendicans eam alo, studens, si possim, eam collocare in aliquo monasterio virginum. Hæc cum audijsset ille beatus, Papæ, inquit, quam multi sunt occulti serui Dei, etiamsi sint nobis ignoti? Cum aũt monachum donaret centum nummis, ille nõ accepit, dicens: Monachus si habet fidem nõ indiget pecunijs. Sin aũt omninò amat, est omninò fide defectus. Hæc cum dixisset & adorâsset, recessit. XXXII.

Nota hinc, quam cauẽda sint temeraria iudicia.

† Erat horũ celebris memoria & tẽplum Alexandriæ.

Mat. 19

Leont. vt supra c. 24.

QVAM magnum autem studium poneret beatus, vt mortis meminisset, & quòd plurimi faceret, efficere nè eius recordatio deleretur, dictum quidem est priùs, dicetur autem nunc quoq;. Nam cum lethalis morbus aliquando inuasisset ciuitatem, maximæ illi erat curæ accedere ad ægrotorum visitationem, & eorum qui decedebant, sepulturam. Sæpè autem etiam assidebat ijs, qui emittebant animam, & eorum oculis suis tegebat manibus. Iubebat synaxes quoque celebrare pro ijs, qui dormierant, asserens & affirmans defunctis multum prodesse, quæ pro eis fiunt, commemorationes & sacra ministeria Ad fidem autem faciendam eorum, quæ dicebantur, tale quid etiam narrabat, quod factum fuerat non ita multò antè. Dicebat enim, quòd à Persis quidam abductus captiuus, in custodia, quæ appellatur Lethe, asseruabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, vt qui coniecti erant in eam castodiam, nunquã reuocarentur: & ea ratione consentaneum est eam fuisse vocatam Lethen, id est, obliuionem. Illinc autem cum quidam potuissent aufugere, & in Cyprum venire, affirmârunt parentibus adolescentis, eum esse mortuum in custodia. Illi verò tres quotannis synaxes celebrabant, tanquam eo mortuo. Quatuor anni præteriërant, cum filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cum parentes non tanquàm qui fuisset è custodia, sed tanquam qui surrexisset è mortuis, cum magno stupore adspexissent, & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant & dicebant, quæ anima, quæ talem vidisset, faceret & diceret: & quemadmodum ei tanquam iam mortuo fecerant iusta, quæ fiunt mortuis, & cum eum docuissent, quinam essent ij dies, nempè dies sanctorum Theophaniorum, & dies salutaris Paschæ, & dies sanctæ Pentecostes. Hæc cum ille audiuisset, & in memoriam reuocâsset, parentibus affirmabat, quòd his ipsis diebus relaxabatur à vinculis aduentu cuiusdam, qui gestabat lampadem, & fruebatur omni securitate: diebus autem sequentibus tenebatur vinculis, sicut prius. XXXIII.

Nota de ijs, quæ fiunt pro defunctis.

Simile exemplum habes apud D. Gregorium Papam Homilia trigesima septima in Euangelia.

Leont. vt supra c. 25.

TALIBVS vtens factis & narrationibus, fuit multis occasio salutis. Propterea plurimi quoq; imitantes illa, quæ fiebant tempore Apostolorum, & vendentes ea quæ habebant, eorum precium afferentes, deponebant in eius manibus, volentes id ab ipso distribui pauperibus. Cum quibus vnus quispiam accedens, auri septem libras cum dimidia obtulit, affirmans nihil amplius auri apud se remansisse. Petebat autem ab eo, vt duas gratias acciperet: nempè vt & seruaretur quidem eius filius illius precibus: referretur verò nauis absq; vllo periculo, quæ quidem emissa fuerat in Aphricam. Cum autem post preces triginta dies præterijssent, moritur quidem filius: tertio verò die post eius mortem, nauis quæ redibat ex Aphrica, cum fuisset ex aduerso Phari, in graue incidit naufragium, adeò vt vniuersum quidem onus perderit: sola autem nauis fuerit salua cum vectoribus. Cum autem prius audito nuncio de filio, adhuc vigente animi perturbatione, accessit de naue tristitia, id eum planè obruit Quod quidem postquam cognouisset Patriarcha, id nihilo minorem ei attulit animi ægritudinem. Deum itaq; rogauit, vt inuisibiliter eius animam attingeret, & increparet tempestatem animi ægritudinis, & transmutaret in tranquillitatem. In somnis itaq; nocte sequenti illi apparet vir, figura & liueamentis similis Patriarchæ, ei dicens: Cur ita victus es à tristitia propter ea, quæ acciderunt? Num tu me rogâsti, vt hæc precibus à Deo postularem, nempè vt & tuus saluus esset filius? & eccè eius gratia est saluus, vt qui à vitæ malis dimissus sit illæsus Si enim vixisset longius, non bonus, sed improbus erat euasurus, & indignus eò, qui creauerat. Quòd ad nauem autem attinet, nihil dubites, quod nisi Deus fuisset exoratus à nostra mediocritate, erat cum ipsis viris in profundum transmittenda, & præter onus, fratrem quoq; & alios amisisses. Non oportet ergò esse tristem, sed propter hoc ipsum ferenda sunt potius, quæ accidunt, grato animo. Nihil enim eorum, quæ fiunt, fit sine Dei iudicio, etiamsi sint nobis ignota multa ex illius iudicijs Postquàm ergo eum dimisit somnus, sensit cor suum satis magnam accepisse consolationem. Statimq; profectus, procidit ad beati viri pedes, magnas ei agens gratias, & quam viderat noctu narrans visionem. Ille autem suasit, vt non ipse, sed Deo, qui omnia dispensat ad vtilitatem, acceptam ferat gratiam. XXXIV.

Grauis tentatio.

SED

XXXV. SED quemadmodum non eos solùm, qui Christo offerebant, & vt dicit diuinus Apostolus, in benedictione seminabant, ille benedictione dignos duxit & accipiendos: sed eos etiam, qui in ipsum erant parci & illiberales, prudenti ratione studuerit inducere ad eleëmosynam, declarant quidem etiam multa alia: declarabit autē etiam, quod factum est in Troilum Episcopum. Eum enim, cùm esset auaritiosissimus & parcissimus, statuit traducere ad amorem eleëmosynæ hoc modo: In Ptochotrophium, quod ipse cōstruxerat, vt solebat, vadens, assumit etiam Troilum. Cuius comitem cum cognouisset habere in sinu triginta libras auri: Sunt, inquit, à te hodiè curandi, sanctissime Troile, nostri in Christo fratres. Ille autem tanquàm eo sermone pudore motus, & volens non existimari tenax & sordidus, sed potiùs simplex & liberalis, iubet ei, cui creditæ fuerant pecuniæ, vnicuiq; eorum, qui illic erant, pauperum, præbere vnum nummum. Cùm verò totum aurum iam fuisset consumptum, & aduentitius, ille & non ex affectione ardor ad eleëmosynam fuisset refrigeratus, grauis dolor & magna pœnitentia incessit inuoluntarium benefactorem, Domūque reuersus, inopinato horrore & febre correptus, decumbebat in lecto. Cùm esset autem iam hora prandij, eum ad conuiuium inuitat Patriarcha. Qui cum accepisset quemadmodum se haberet, & causam morbi non ignoraret, non sustinuit eum quidem despicere sic vexari & pati, se autem inire conuiuium: sed statim surgens, ad ipsum venit, & dicit subridens: Nè putes, ô comministe, me tibi verè dixisse, vt è domo tua largireris fratribus secundum Deum: sed quoniam tunc aurum non habebat ad manum comes meus, accepi à te mutuò. Nunc verò adsum, triginta, inquit, libras ad te afferens, quas etiam saluas reddo tuæ virtuti. Postquàm ergò solùm vidit aurum in manibus Patriarchæ, horrorem vicit, mala febris discessit, vires ei redierunt, & visus est habens vultum alacrem & viuidum: vt hinc fieret manifestum, quòd omninò redditum, morbum soluit, hoc etiam primùm ablatum, eum vocauit, cùm non esset.

Vide c 26. Leont. in vita Ioan. Curat auarum quendam Episcopum.

Dira pestis auaritia.

XXXVI CVM aurum ergò in illius manus dedisset Patriarcha, postulabat vt literis ei mercede cederet. Ille autem lubenter sua manu conscribit syngrapham, quæ sic habebat: Deus misericordiæ & clementiæ, ipsam mercedē redde Iohanni, meo domino, & Patriarchæ Alexandriæ, triginta auri librarum, quæ à me fuerunt distributæ pauperibus. Ego enim mea accepi. Patriarcha ergo accepto chirographo, illum quoq; simul accipit, mensæ futurum participē. Quem, cùm comedisset, dormientem volens Deus excitare à graui somno auaritiæ, & efficere vt sciret quanta fuerit priuatus remuneratione, & disceret benignitatem, ei immittit quodammodo ecstasim, & videbatur sibi videre domum quandam pulcherrimam & splendidissimam, & cui elegantia & magnitudine nulla poterat conferri. Supra vestibulum autem inscriptus erat titulus aureis literis: Mansio & requies æterna Troili Episcopi. Postquam verò his lectis est lætatus, existimans domum sibi datam fuisse ab Imperatore, accedit vir quidam insignis, & qui videbatur esse vnus ex senatu, habitu similis Cubiculario, habens quosdam alios antè se ambulantes. Qui postquàm appropinquauit vestibulo, adspiciens ad fores, iubet quam primùm deijci titulum: pro illo autem poni alium, quem, inquit, iubet Dominus orbis terræ. Statim autem fuit positus, hanc habens inscriptionem: Mansio & requies æterna Iohannis Archiepiscopi Alexandrini, empta triginta libris auri. E somno itaq; surgens, obstupefactus, exposuit Patriarchæ visionem, & ipse suum vitium animaduertit, & mores mutauit, & facere eleëmosynam ardenter est aggressus, & pro eo, quòd erat priùs parcus & tenax, ad dandum manum habuit promptissimam.

Leont. ibid.

Visio Troili Episcopi.

Nota præmia bonorum operū.

XXXVII SED Deus, qui permisit Iobi dissipari & exinaniri diuitias ad eius virtutis faciendum periculum, permittit etiam similia accidere huic beato Patriarchæ. Erant enim tredecim naues eius Ecclesiæ, quæ quidem oneratæ cùm essent in mari Adriatico, incidunt omnes simul in naufragium, peritq; vniuersum onus, quod erat ter mille & trecentarum librarum auri. Ij ergò, quibus fuerant commissæ naues, adducentes has inanes, appellunt in portum Alexandriæ: ipsi autem confugerunt in templum. Quod quidem cùm cognouisset Patriarcha, Deo quidem propter hoc quoq; agit gratias: ad illos verò mittit literas remissionis, ea sola, quæ Iob dixit, dicens: Dominus dedit, fratres, Dominus abstulit. Egredimini ergò, propter hoc nullum timentes periculum. Dominus enim erit solicitus de crastino. Cùm autem multi ex ciuibus venirent ad eum consolandum, prior ipse eis dixit: Non oportet vos, ô fratres, tristitia affici propter periculum nauium, cuius ipse solus sum causa. Nisi enim magnos & elatos sumpsissem spiritus propter alienorum elargitionem, imò verò Dei ipsius, hoc nequaquàm accidisset. Volens itaq; Deus meum tumorem comprimere, permittit hanc accidere mihi calamitatem. Est enim Eleëmosyna sæpè causa superbiæ ei, qui non aduertit. Paupertas autem, sicut scriptum est, virum reddit humilem. Ego sum igitur causa duorum malorum: Vnius quidem, quòd mercede eleëmosynæ priuatus sum propter vanam gloriam: Alterius verò, quòd propter eam procuraui amissionem tantarum pecuniarum: & nunc ad me attraho vniuersum iudicium animarum, quæ rediguntur ad angustias. Sed Deus, etiamsi non propter me, sed tamen propter curam, quàm gerit eorum qui indigent, suppeditabit ea, quæ sunt ad vsum necessaria. Illud enim, Non te dimittam, neq; te relinquam, ab eo dictum est, fidelis autem est, qui promisit. Sic ij, qui venerant ad sanctum consolandum, ipsi sunt potiùs ab illo dimissi accepta consolatione.

Iob. 1. Leont c. 17 vti sup.

Insignis patientia in maximis damnis.

Hebr 13. *Ios.* 1.

XXXIIX NON multum temporis præterierat, & Deus nouo Iobo duplicat facultates, eratq; in egenos liberalior & munificentior quàm priùs, non in egenos solùm abundantiam, sed in eos etiam, quibus fiebat iniuria, ostendens commiserationem. Cùm enim iret aliquando ad diuinos martyres Cyrum & Ioannem precaturus, accessit ad eum quædam paupercula, dicens se fuisse à genero graui iniuria affectam, & se eius indigere auxilio. Cùm ij autem, qui erant eius viæ comites, consulerent vt dum rediret, viseret & consideraret, quæ ad eam pertinent, Misericors ille non sustinuit, dicens: Sed quomodò Deus attendet meas preces, si ego differo eius supplicationem? Quis autem fideiusserit, fore vt viuam vsq; in diem crastinum, & non, si antè eam moriar, futurum me apud Deum inexcusabilem propter eius supplicationem? Hæc cùm dixisset, minimè recessit à loco, donèc mulieri iustum reddidisset iudicium. Hic ergò, qui summam curam gerebat indigentium, cùm audiuisset de filio viri misericordis, quòd cùm pater eius decessisset, is magna laboraret inopia, propterea ꝙ pater eius quidquid habebat, lubenter consumpsisset in pauperes: eum autem soli Dei parenti commendâsset Mariæ, cuius templo assidebat noctù & interdiù: accersit quendam iuris peritum, & clanculùm iubet, vt in veteri charta conscribat testamentum cuiusdam viri, nomine Theopempti, dicens id ostendere, me & patrem huius pueri esse veros & germanos huius consobrinos: & ostendat puero exemplum testamenti, vt certior factus de ea, quæ illi mecum intercedit, cognatione, nihil formidet, sed audacter ad meam veniat humilitatem. Facta sunt autem omnia, sicut ei visum fuerat, & cum adolescente venit ad Patriarcham Iurisperitus. Scriptum ostenditur testamentum. Confitetur magnus ille, magnus ille cognationem, amplectitur adolescentem tanquam germani consobrini filium germanissimum. Dat ei pecunias, possessiones, alias multas facultates, coniungit eum matrimonio cuidam illustri fœminæ Alexandrinæ, & breui eum reddit ex obscuro nobilem, & abiecto insignem, ex paupere diuitem: studens ostendere esse verissimum diuinum illud verbum, quod dicit se non vidisse iustum derelictum, neq; semen eius quærens panem.

Leont. vti sup. c. 30.

Nota humanitatem erga pauperculam.

Leont. c. 33. vti suprà.

Item erga inopem adolescentē.

Psalm. 36.

XXXIX. ALIVS autem quidam senex Monachus, qui vitam agebat perfectam, nomine Vitalis, volens magni Iohannis facere periculum, num præter alia, quæ habebat bona, nè esset quidem facilis ad condemnandum, cùm quietem & silētium ageret in monasterio magni Seridonis, venit Alexandriam. Quò cùm venisset, exercet vitæ genus, quod apud homines quidē est valdè probrosum & obnoxium vituperationi, & quòd multis afferre potest offensionem: Deo aût erat valdè gratum. Ingressus enim ciuitatem senex, iam sexaginta annos natus & amplius, suum in id conferebat studium,

Leon. vti sup. c. 35.

dium, vt describeret omnes meretrices, quæ erant in prostibulis. Porrò [a] autem incipit etiam seruire mercede, pacto inito, se quotidiè duodecim obulos accepturum, quorum vno lupinos quidem emens, eos comedebat post occasum solis: reliquos autem vna nocte dabat, vadens ad vnam ex meretricibus, dicens: Hæc accipe, & conserua te mihi hac nocte impollutum. Quod cum faceret, stabat tota nocte in angulo habitaculi illius mulieris, genu flectens, & linguam psalmis exercens assiduè, & supplices manus pro ea ad illum rendens. Manè [b] autem exiens, eam adigebat iureiurando, se nemini id esse indicaturam. Vnam itaq; ex ijs, quæ ausa fuerat contemptui habere iusiurandum & aperire arcana, facit senex precibus possideri à dæmone, adeò vt nulla deinceps ausa fuerit eius vitam enunciare. Ipse autem volens effugere gloriam ex hominibus, & animas educere à peccatis, quando erat apud aliquem mercenarius, accipiens quod datum fuerat, cùm esset abiturus, fingebat apud se dicere omnibus audientibus: Abeamus iam infælix senex. Scis enim, quòd illa te expectat: illam significans, ad quam erat diuersurus. Ad eos autem, qui irridebant & eum probris ac maledictis impetebant, se excusans, tanquàm pro mala, quæ fiebat re vera actione: Quid verò? An non ego quoq; sum ex ijs, qui carnem gestant, & cedunt eius legibus? An solis prohibitum est monachis manere extra corporis voluptates? non sunt ipsi quoq; participes naturalium affectionum, similiter atq; alij? Deindè quibusdam [c] consulentibus & dicentibus. Vnam [c] saltem tibi accipe, mutato vestitu, & nè sis tam multis offensioni, vt neq; Deus per te blasphemetur, neq; monachorum preciosus habitus probro afficiatur, & omnium iudicium in tuum caput attrahatur. Multis hæc ei dicentibus, ille se simulans irasci & ægrè ferre. Sed non ego, inquit, vos audiam: dicebat cum magno clamore: Quid mea refert, si vos, vt dicitis, offendimini? Discedite à me. Quid rei mecum est vobis? Ex vestro, inquit, consilio cum fœmina cõiugar matrimonio, & me injiciam in curas innumerabiles, & de victu solicitudines. Cessate me ludificari & criminari. Non estis enim mei iudices: res meæ sint mihi curæ. Est enim alius, qui est iudicaturus orbem terræ, qui etiam reddet vnicuiq; secundùm opus suum.

[a] Historia memorabilis Vitalis monachi.

[b] Nota rem miram.

[c] Monachorum habitũ precio sum dicunt.

XL. Mvlti ergò hæc verba audientes cum acerbitate & vociferatione: alij quidem cessabant reprehendere, eius impudentiam timentes & audaciam: alij verò conabantur eum apud sanctum criminari. Sed ille, vt qui à Deo didicerat, quali virtute esset senex, minimè attendebat ea, quæ dicebantur ab ipsis, vt qui antè oculos semper descriptum haberet illud excisi monachi. Suadebat autem omninò vitare accusationes quæ fiebant aduersus monachos, præclarum illud verbum Imperatoris [d] Constantini in ore habens, qui in Nicæna Synodo libellos accusationum datos aduersus aliquos Episcopos non admisit dicens: Si in Episcopum aut monachum fornicantem incidissem, sustulissem meam chlamydem, & ei imposuissem, vt à nullo oculo videretur: vt qui rectè sciret, quod delicta talium virorum, si multis fiant manifesta, non solùm efficiunt vt contemnantur, quæ sunt honore digna & reuerentia: sed etiam magnum præbent incitamentum & occasionem ad vitium. Sed sic quidem magnus ille repellebat calumnias, quæ intentabantur aduersus magnum senem. Ille autem non cessabat ab hac operatione: sed etiamsi probro & dedecore à multis afficeretur, ipse vnum solum spectabat, nempè salutem animarum. Ijs verò, qui aduersus eum linguam mouebant, peccati sui precabatur veniam. Quòd autem hoc studium non fuit ei infrugiferum & inutile, sed multis attulit salutẽ, hinc est manifestum. Videntes enim mulieres eius per noctem stationem, & linguam diuina perpetuò canentẽ, & pro earum mutatione & vt seruarentur, assiduam precationem, desistentes à malis actionibus, gerebant curam temperantiæ: & [e] aliæ quidem legitimo coniungebantur matrimonio: aliæ autem sic manebant, desistentes à flagitiosis actionibus: aliæ verò mundo perfectè renunciantes, vitã eligebant monasticã. Nemo autem cognouit occultam eius ex Deo vitam, quãdiù fuit in vita superstes: nec quẽadmodum simulando nequitiam, à malis morib⁹ traduxit malas mulieres.

[d] Constantini Imper. dicti memorabile: historiam habes apud Sozomen. lib 1. c 16 Theodor. l. 1 c. 11.

[e] Meretrices se recipiunt ad bonam frugem.

XLI. Qvamobrem cùm aliquando egrederetur ex habitaculo eius, quæ primum locum tenebat inter meretrices, ei occurrit quidam libidinosus, propter hoc ipsum egrediens, vt data pecunia, expleret libidinem: & sancto impingit colaphum: Quousq;, dicens: ô Christi illusor, non desistes à malis actionibus? Ad hæc homo ille admirabilis, Miser, inquit, est tibi incutiendus colaphus, vt tota ferè Alexandria ad tuos clamores congregetur. Non [f] multum interfuit temporis, & vir ille diuinus migrauit ad Dominum, cum esset in parua quadam cella, quam construxerat in loco, quæ dicitur porta Solis: in qua quoddam paruum habens † oratorium, faciebat in ea multas synaxes. Quo in loco congregabatur etiam multitudo impudicarum mulierum, quæ cõsequebantur ab eo curationem, adeò vt qui vitam agebant libidinosam & voluptariam, & irascerentur & succenserent, vt cui propter rem malam scilicet inuiderent, dicentes: Quomodò fieri potuit, vt hic impostor tam multas ad se attraxerit? Cùm dormitasset ergò, sicut dictum est, & [g] nemo sensisset, accedit repentè quidã deformis Æthiops ad virum libidinosum, qui ei colaphum impegerat, & eius genis incutit grauem & validum colaphum, adeò vt eius sonus ad maximum vsq; spatium fuerit exauditus. Qui deindè ei dixit: Accipe hunc colaphum, quem ad te misit monachus Vitalis, sicut prædixit Protinùs ergò miser volutabatur correptus à dæmone, & ad ipsum fuit congregata tota ferè Alexandria, sicut ille vir iustus prædixerat. Cum itaq; vix tandem post multum tempus ad se redijsset, rumpit vestes, & surgens, cursu contendit ad sancti domunculam: Miserere mei, clamans, serue Dei Vitalis, qui in Deum & in te multum peccaui. Omnibus ergò videntibus, qui aderant, postquàm domui senis appropinquauit, ipsum iacens & discerpens dæmonum dimisit.

[f] Obitus S. Vitalis.

† Oratorium hoc S. Metrę fuisse habet Leont c. 36.

[g] Cæditur à dæmone is qui percusserat S. Vitalem.

XLII. Cvm ergò hæc vidissent, ingressi domunculam, inuenerunt sanctum qui genu flexerat & Deo per precationem animam commendatam emiserat. Deindè humi adspicientes, vident scripturam, quæ sic habebat: Viri Alexandrini, nolite aliquid iudicare ante tempus, donèc venerit Dominus. Confitebatur itaq; omnibus præsentibus is, qui liberatus fuerat à dæmone, mala quæ sancto fecerat, & quæ audiuit propheticæ ab eo dicta, quæ etiam passus est. Fuerunt ergò hæc statim renunciata Patriarchæ, & ipse cùm simul venisset cum toto clero, vbi legit eam, quæ erat humi, scripturam, paulo pòst dixit: Si fuissem inductus verbis eorum, qui calumniabantur, fuisset mihi incussus ille colaphus. Tunc etiam congregatur vniuersum agmen meretricum ad iusta facienda venerando corpori. Quæ quidem eum efferebant cum aromatibus & lampadibus, valdè deflentes priuationem eius doctrinæ, à qua ad eas magna manabat vtilitas, & tunc exponebant eius vitam, ijs, quæ dicebantur, fidem omnibus modis facientes, quòd non ob aliquod malum ad eas ingrediebatur, & [h] nec visus sit vlli earum ne manum quidem admouisse, aut ad latus omninò accubuisse. Adeos autem, qui illarum reprehendebant silentium, & dicebant eas fuisse multis causam offensionis, illius præceptum adducebant ad sui excusationem: & quæ à dæmone inflicta fuerat, plagam ad disciplinam ei, quæ non obedierat. Ipse autem, qui colaphum dederat & contrà acceperat, nunquàm intermisit, cùm dæmon eum reliquisset, beati [i] sepulchro assidere, quod effectum est thesaurus multorum miraculorum, & illius commemorationem de more cum psalmis peragere. Deindè paucis pòst annis reponitur in monasterio monachi Seridonis: & cùm illi fuisset tradita beati Vitalis cella propter magnam in ipsum fidem, illic vitam quietam in silentio transegit perpetuò, donèc peruenit ad finem vitæ præsentis. Præterea autem Patriarcha quoq; magnas Deo agebat gratias, quòd non permisisset, vt aliquid diceret aut cogitaret indignum beata illa & glorioſa anima. Alioqui autem multi quoq; ex ijs, qui habitabant Alexandriam, meliores euaserunt, qui propensi erant ad condemnandum, & hanc malam didicerant consuetudinem. Sed talis quidem erat vir ille sanctus, & res eius in hoc modo se habebant.

[h] Proditur eius sanctissimum studium.

[i] Miracula ad sepulcrũ eius.

XLIII. Svfficiet autem id quoq;, quod est dicendum, ad testandum quàm esset tardus vir ille admirabilis ad condemnationem. Quidam [k] iuuenis impudicus ciuitatem obiens Alexãdriam, cùm virginem quandam ex ijs, quæ vitam amplexæ

[k] Iuuenis impudicus

plexæ erant monasticam, à via recta abduxisset, & deindè eam suæ libidinis & intemperantiæ fecisset delicias, paulò post cum ea aufugit Byzantium. Quod quidem cum resciuisset vir diuinus, magno dolore est affectus, &, vt dicitur, omnem mouebat lapidem, studens eos à lapsu reuocare. Aliquanto autem tempore interiecto, accidit vt cùm apud quosdam ex clero narraret & beatus quandam narrationem, quæ poterat eorum animæ afferre vtilitatem, illius quoque iuuenis, qui hæc recentia fecerat, fieret mentio: quem qui tunc aderant, protinùs condemnabant & abdicabant, tanquam vno ore omnes dicentes, eum non solùm duas, vt apparebat, perdidisse animas, sed etiam multas alias, quibus hoc malum erat exemplar propositum. Eorum itaq; magnus ille nimis facilem reprehendens condemnationem. seducit sanctimonialem. vide Leont. c. 46. vt sup.

1. Cor. 4 Nolite, inquit, ô filij, nolite esse lingua tam prompti ad detrahendum proximo. Nam sic quidem futurum est, vt vos omninò in duo mala incidatis: Vnum quidem, transgredientes præceptum illius, qui iubet non iudicare antè tempus. Alterum autem, quòd ignorantes quod hucusq; factum est, vos magna facilitate constituitis iudices. Est enim omninò incertum, an hucusq; permaneant in peccato: an mutati sint ad correctionem. Ego enim, inquit, aliquando legens vitam cuiusdam magni ex Patribus, incidi in talem narrationem plenam vtilitate Sic autem habebat. Etiam publica peccata non iudicanda. Leont. ibid.

XLIV. In Tyrum ciuitatem venerant duo monachi, aliquo fungentes ministerio. Alterum verò eorum, cùm venisset in quendam locum, quædam meretrix, cui nomen erat Porphyria, sequebatur clamans: Venerande Pater, serua me, sicut olim Iesus Christus meretricem. Ille autem humanarum rerum nihil reputans, ea manu accepta, multis videntibus, Luc. 7. egreditur per mediam ciuitatem. Manauit itaq; fama in omnes partes, quod ille monachus in vxorem accepisset Porphyriam. Cum ipso autem obiens meretrix vrbes & vicos, incidit in infantem humi iacentem Quem quidem cùm benignè sustulisset vt aleret, secum eum portabat. Cùm aliquo autem tempore venissent Tyrij in eum locum, vbi versabantur, & meretricem vidissent in vlnis tenere infantem, veluti irridentes, & egregium hunc virum ludificantes, Re vera, ei dicebant, à scopo non aberrâsti. Pulcher enim tibi filius natus est ex monacho. Qui etiam Tyrum reuersi, eam rem vbiq; disseminârunt, quòd ea ex monacho peperisset filium, qui illius expressam conseruauit effigiem. Ita ferè sunt homines prompti ad credendum suspicionibus, & maximè, qui sunt mali & flagitiosi, & à se habent acceptam credendi occasionem. Statim enim tanquàm è propinquo seipsos testes accipientes, alios accusant facilè: simul quidem se volentes explere delicijs talium cogitationum & verborum, & cupientes esse alios similiter improbos: & sic studentes vitare plagas, quæ inferuntur eis à conscientia. Monachus autem cùm totondisset Porphyriam, & ei monasticum imposuisset habitum vocat eam Pelagiam, & concedit ei, vt in monasterio virginum agat silentium. Cùm verò præsciuisset diem sui decessûs, illa quoq; accepta, redit Tyrum. Eam autem puer quoq; sequebatur, iam septem annos natus. Ad omnes verò peruenit fama eorum aduentus, quòd scilicet reuertitur Porphyria cum monacho suo coniuge. Deindè cùm ægrotâsset monachus, & ad mortem iam spectaret, plurimi ad eum accesserunt ex habitatoribus, eius visitandi gratia. In quorum conspectu cùm iussisset afferri thuribulum plenum candentibus carbonibus, accipit eos carbones, & infundit in sinum, & omnibus audientibus, Benedictus, inquit, Dominus, qui olim rubum seruauit incombustum, is mihi fuerit testis fidelis, quòd quomodò meas vestas non attigit hæc, quæ est in igne, vrendi vis, ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ. His auditis omnes obstupuerunt, Deo dantes gloriam, qui eos, qui ipsum in occulto colunt, scit apertè glorificare. Hæc cùm feciisset & dixisset monachus, in manus Dei deponit animam. Propterea vobis omnibus suadeo, ô filij spirituales, sicut etiam priùs dixi, non esse promptos ad condemnationẽ. Contingit enim nonnunquàm, vt eius quidem, qui est fornicatus, aut aliquid aliud deliquit, peccatum apertè factum sciamus: in occulto autem factam ignoremus pœnitentiam. Oportet autem Dominicam quoq; timere vocem, quæ dicit: In quo iudicio iudicatis, iudicabimini. Exemplum notabile, ne facilè iudicemus. Insuspiciones qui sint maximè propensi. Meretrix fit monacha. Exodi 3. Matth 7.

XLV. Neque verò suadebat solùm cauere hoc delictum: sed eorum etiam, qui diuina præcepta negligunt, volens corrigere socordiam, tale quid fecit, dignum quod mandetur memoriæ. Cùm enim cognouisset multos negligentiores, post lectionem diuinorum Euangeliorum exire ex Ecclesia, & vanis ac ociosis vacare sermonibus, solẽni quodam die, relicto sacrificio, ipse quoq; è templo egreditur, & sedet cum vniuersa multitudine. Omnibus autem hoc stupentibus. Non oportet, inquit, admirari. Vbi enim sunt oues, illic omninò oportet esse pastorem. Nam cùm propter vos & vestram vtilitatem soleamus synaxes celebrare, si vos autem foris versemini, contingit inutilem à nobis capi laborem, statui cum egredientibus vobis simul egredi, & rursus ingredi cum ingredientibus. Hoc multos correxit, & à mala abduxit consuetudine. Non illos verò solos studuit corrigere, qui extra congregationem ociosis vacabant sermonibus: sed eos etiam, qui citra rationem intùs inter se conferebant sermones: & maximè eos, qui erant è suggestu. Si quando autem vidisset quempiam post vnam & alteram admonitionem nequaquàm posse corrigi, eum statim eijciebat, apud eos vocem vsurpans Dominicam, Domum Dei oportere esse domum orationis. Contrà autem eorum, qui in diuinas congregationes erant studiosiores, illi accepta erat pietas, eosq; & laudabat, & ad gradus prouehebat. Quod quidem apertiùs indicabit id, quod iam est dicendum. Miro exemplo corrigit populum. Esa. 56. Matth. 21.

XLVI. Dvo Clerici eius Ecclesiæ, artem exercentes incidendi corium, erant inter se vicini. Quorum vnus quidem mulieri coniunctus matrimonio, habensq; filios, & patrem & matrem cum ipso habitantes, quos quidem alebat omnes suis manibus, non negligebat tamen diuinas congregationes. Alter autem etsi erat solus, & artis peritior, & in operando diligentior, nè sibi quidem soli parare poterat, quæ erant ad vsum necessaria. Ei itaq;, qui erat eiusdem artis, inuidens, & non ampliùs ferre valens quam animo conceperat inuidiam, eum aliquando solùm offendens: Adiuro te, inquit, per Deum, nè me celes, sed hoc mihi aperias, qui fit, quòd tu sis semper quidem diues, idq; cùm sis in operando negligens: mihi autem, qui sum diligens, & laboriosus, contrà accidit vt iam redactus sim ad extremam paupertatem? Ille autem volens eum reddere diligentiorem, qui erat negligens in adeundis congregationibus, quæ fiunt sacrorum causa: Mihi quoq; inquit, ô frater, res erat redacta ad maximas angustias. Ex quo autem mihi persuasi diuinis vacare cõgregationibus, nonnunquam eò vadens, aurum in via inuenio, quo factum est vt mihi sint congregatæ omnes, quas vides, copiæ. Sed si me audias, ipse quoq; me euntem sequere, & hinc non vulgarem habebis consolationem. Paret dictis, & ad singulas diuinas synaxes cum ipso ventitans, sentiebat domui suæ factam à Deo benedictionem, & bono consultori agebat gratias. Ille autem scena mox aperta, manifestò dicit socio, se nunquam aurum in via inuenisse: sed volens, inquit, te excitare, vt venires ad diuinas congregationes, finxi hanc auri inuentionem. Hoc cùm peruenisset ad aures beatiss. Patriarchæ, & eius bonum cõmendat propositum, & eum ordinat Presbyterũ. coniugatum ordinat presbyterum Leont. c. 47 More Orientalis Ecclesiæ hunc clericum Mat 10

XLVII. † Hic reuerà bonus pastor, diuinus, inquam, Patriarcha, credens principi pastorum Christo, qui iubet, si persecuti fuerint ex vna ciuitate, fugere in aliam: cùm esset Alexandria tradenda manibus Persarum, diuina prouidentia illinc quidẽ recedit, migrat aũt in suam patriam Cyprum, suum ei corpus largiturus, vt quæ eum aluërat: Præsciuerat enim iam appropinquare decessum. Is itaq;, cuius sæpè mentionem fecimus, Patricius Nicetas, accepta occasione ex eo, quòd Persæ irruperant, obsecrat virum diuinum, vt veniat vsq; ad regiam ciuitatem, precibus & benedictione impertiturus Imperatorem. Ille autem cùm sciret, qualis esset fides viri clarissimi, annuit, quidem petitioni. Cùm ambo autem

† Hęc à Metaphraste, vsq; ad verba Is itaq;, &c. addita esse ad Acta Leontij docet Bar ad an 610. Mul procuratã, in Vitis Pa-

tò enim antè, Persarum incursionem in Ægyptum factam, asserit; & hanc profectionem à Niceta patricio ad Imper Constantinopolim vt eum benedictione ad bellum Persicum concessurum, impertiretur ex sequentibus docet. Eadem quæ hic Metaphras habes apud Leont. tium. cap 48 in Iohan.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

autem naue veherentur,& iam essent in medio mari,incidunt in grauem tempestatē. Cum verò nauis tam vehementer quateretur fluctibus, & mox esset mittenda in profundum, visus est nocte illa,qua fuerat excitata tempestas, Patricius in somnis videre Patriarcham cum pauperibus, aliquando quidem per totam nauem circumcursantem: aliquando autem cum ipsis manus extendentem, & è cœlis petentem auxilium. Cum autem iam in Rhodum insulam peruenissent,ille ipse Patriarcha cum à se discessisset,re vera videt & non in somnis, splendidum virum enucho similem, aureum sceptrum habentem in manibus, & ad eum accedentem dicere: Vocat te rex regum. Statim ergò accersito Patricio,cum dixisset qualem habuisset visionem: Tu quidem,inquit, ô vir splendidissime, studuisti nos deducere ad eum,qui regnat in terra: Qui autem cœlum & terram & omnia sua tenet ditione,prior ad se accersijt. Ille verò hoc dicto tristitia affectus,& dolore repletus,non potuit quidem eum retinere.Sed cum venerabilium eius precum fructum iucundè accepisset, quàm potuit officiosissimè eum dimittit in Cyprum.

Testamentum. Leont in vita Ioan. c. 49.

CVM autem in suam ciuitatem peruenisset Amathuntem,iussit Scribis vt scriberent testamentum, quod sic habebat: Iohannes humilis quidem seruus seruorum Dei, propter autem mihi impositam Pontificatus dignitatem, gratia Christi liber, Ago tibi gratias Domine Deus meus, quod me dignum censueris,qui tua tibi offerrem: & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum,nisi tertia pars nummi: quam ipsam iubeo quoq; dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quando enim Dei permissione creatus fui Episcopus Alexandriæ, inueni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri: ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures his pecunias. Quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoq; trado animam. Cum hoc testamentum sui fecisset ille magnus homo Dei deposuit spiritum in manus Dei viuentis. In eius autem sepultura fit miraculum, quod nulli cedit ex ijs, quæ vnquàm facta sunt mirabilia. Nam cum esset deponendus in æde oratoria admirabilium operum effectoris Tychonis,in quadam capsa, in qua erant condita duo corpora Episcoporum, videre licebat hæc mortua corpora veluti animata, tribuere cultum beato corpori. Nam à se inuicèm seiuncta,id medium accipiunt. Et hoc quidem,quod euenit in eius sepultura, visum est multorum oculis: alterum autem eo non minus, procedens declarabit oratio. XLIIX.

Moritur anno 620 Episcopat⁹ sui 10 vt ex Nicephoro notat Baron. vide Leont cap 30.

Leont. c.51.

QVÆDAM enim mulier: orta in oppidulo,quod tulerat Patriarcham,postquàm resciuit eum iam esse migratum ad Dominum, magni & grauis peccati sibi conscia accurrit ad beatum: & calidis lachrymis profusis, eius pedes tangens, petebat illius peccati absolutionem. Ille autem, Si credis, inquit, meis precibus te esse ab hoc peccato absoluendam, oportet omninò te id prius confiteri. Cum aût dixisset se non posse id labris proferre,iussit id scriptis significare. Cum verò videret eam id ægrè ferre, iubet vt ipsa id scribat, & suo ipsius sigillo muniat, & sic ei tradat scedulam. Cum sic ergò factum esset & in eius manus tradita fuisset obsignata scedula,rogabat mulier eum obtestans, vt nihil eorum, quæ inerant, veniret ad cuiusquam cognitionem. Quinq; dies abhinc præterierant: & magnus ille excedens è vita,migrauit ad iustorum tabernacula,cum nihil de ea re cuiquam dixisset omninò. Cum autem mulier, diuina quadam fortè prouidentia, non adfuisset illo die, quo excessit è vita, ea accedens ad sepulturam, & dubitans nè fortè quæ eius fidei commissa fuerat scedula, neglecta & in episcopatu relicta deprehenderetur ab omnibus,dolore affecta, à se propemodum discesserat: sed cùm fide ardentissima se rursus collegisset, quam maxima potuit celeritate venit ad illius capsam, & tanquam eo viuo, clamabat: Quid hoc feci sti, ô vir diuine,mihi peccatrici,vt nunc afficiar ab omnibus probro & dedecore? Quod enim nè tibi quidem potui aperire propter lapsum insignem, hoc erit omnibus manifestum.Vtinam nè cogitassem quidem te de hac re conuenire. Existimans enim per te pœnas futuras effugere,& hoc non sum assecuta: & quod ex eo oritur, dedecus mihi conciliaui. Sed enim non recedam à tuo sepulchro,neq; omninò hinc surgam,nisi de ijs,quæ petiui,me feceris certiorem. Persuasum enim habeo te non esse mortuum,sed in Deo viuere,& te apud eum posse,quæ vis,facere. XLIX.

Confessio peccatorū.

Nota hanc fœminę cōfessionem.

HÆC dicens, & alia his similia, tribus diebus & totidem noctibus venerandæ eius capsæ assedit,'& (ô Dei miracula)vltima nocte egreditur è capsa vir ille admirabilis simul cum ijs,qui cū eo iacebant,Episcopis:(eiusmodi enim erat id, quod apparebat) & ei dixit: Quousq;ô mulier, clamans, es ijs qui hic sunt, molesta? Nostra enim vestimenta iam tuæ humectârunt lachrymæ, fluentes instar fluuij. Cum hæc dixisset, tradit ei schedulam sicut erat ab illa obsignatam. Deindè,Agnoscisnè hanc,dixit,ô mulier? Accipe ergo,& iam soluens,vide Dei opera admirabilia. Cum illa autem surrexisset, & ad se redijsset, vidit quidem rursus sanctos suam capsam ingressos, habens vero schedulam in manibus,illæso manente signaculo. Quod quidem cum soluisset,priorem quidem scripturam inuenit deletam,alienam autem videt positam subscriptionem,quæ sic habebat:Propter Iohannem seruum meum deletum est tuum magnum peccatum. Declarabit autem id quoq;, quod de eo dicendum est, quanta esset viri virtus,& quantam beatitudinem ex ea sit assecutus. L.

Leont. c.52.

Visio admirabilis.

NAM vir quidam, nomine Sabinus, temperanter admodum & è virtute viuens, monasticam & à negocijs remotam vitam exercens Alexandriæ, hora, qua beatus decessit Iohannes, putabat existens in ecstasi se eum videre egressum ex Episcopatu cum vniuerso clero, habentē in manu lampadem, & iter ad regem ingredientem, viro quodā splendidissimo, habitu cubiculario,eum accersente: & puella quadam speciosissima,vt diceret etiam ipsum solem ei primas partes cedere in pulchritudine, cui erat caput oleæ corona redimitum: & aliquando quidem eum præcedente,aliquando autem manum quoq; tangente,simul incedente. Cum autem diem adnotâsset is,qui viderat,(Erat vero memoria Menæ magni martyris) tunc autem venissent quidam è Cypro, ab ipsis accepit,quod illo ipso die, quo hæc visa sunt, inclytus Iohannes excessit ex hoc mundo. LI.

Leont. c 53.

VIR quidam alius Alexandrinus, qui erat ipse quoq; ex ijs, qui sunt pietate insignes, vidit ea ipsa nocte examen pauperum & multitudinem orphanorum & viduarum, quæ numero non poterat comprehendi, habentem in manibus ramos oliuarum, & præcedentem Patriarcham, euntem ad synaxim. Sufficiunt hæc testimonia maximæ magni Iohannis ad Deum fiduciæ. Quod autem est maximum, & caret omni dubitatione: celebrabantur anniuersaria magni & admirabilium operum effectoris Tychonis. Deindè cùm perageretur de more hymnodia, & simul esset congregata populi multitudo, Deus admirabilium,volens apertum reddere,quantam fuerit apud eum gloriam consecutus is,qui fuerat eius benegnitatis, quoad eius fieri poterat,æmulator, Iohannes,inquam,qui cognomen accepit à misericordia: voluit vt ex eius diuinis reliquijs copiosa scaturirent vnguenta, emittentia suaueolentem odorem curationum. Quibus fruentes qui in ea inciderant, communiter Deum,qui sic eos qui ipsum glorificant,longè ampliùs glorificat,gratis labris glorificârunt.Cui nos quoq; oportet quam conuenit offerre glorificationem,glorificantes patrem & filium & Spiritum S. vnam in tribus diuinitatem & potentiam, nunc & semper & in sæcula sæculorum,Amē. LII.

Leont. c.54. Ecce quæ& quanta ad sanctorum tumulos Dei virtute apparent miracula.

Corpus sanctissimi viri adhuc incorruptum,Turcarum tyrannus dono misit Matthiæ Hungarorum regi,asseruaturq; honorificè in sacello regio Castri Budensis,multis illic miraculis coruscans, vt testatur F.Pelbartus de Themesuuar in Sermonibus de Sanctis: sed Venetias, inquit Baronius, translatum esse tradunt sacrum corpus.

Bar.in Martyrol.Rom.

Duplicem vitæ S. Iohannis Episcopi Alexandrini, cognomento Eleemosynarij, à Leontio Neapolis Cypriorum Episcopo literarum monumentis mandatæ, editionem & translationem esse, vter se diuersam,tradit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum,ad 23.Ianuarij. quarum alteram ex Metaphraste hic habes, alteram in vitis SS. Patrum lib.1. reperies.

VITA

VITA SANCTI HILDEPHONSI (QVI ET ILDEPHONSVS, ET ALPHONSVS) TOLETANAE VRBIS EPISCOPI, AVTHORE IVLIANO Pomerio, eiusdem vrbis Diacono; quam tamen alij Lexico Toletano Episcopo, Vrbani successori, vt notat Baronius, attribuunt: quam mutilam ex Baronio hac editione restituimus.

AN. 660.

I. HILDEPHONSVS memoria sui temporis clarus, & irriguis eloquentiæ *a* floribus exornatus, sæculo ætatis nostræ nobilissimus Toletanæ ciuitatis adscitus in cathedra præsul, post *b* sanctum [a] Eugenium in sacerdotium consecratur, vir tanta laude dignissimus, quanta & virtutum gratia numerosus. Qui ab ipsis cunabulis enuchus permanens, magnum in se Domino habitaculum præparauit: Qui non manubrio materiali, sed diuino secatus est gladio. Nec ingenio ferramentorum resecauit libidinem, sed munere cælesti meruit sanctitatem. Quiq; mellifluas dapes de paradiso Dei capiens, & per totam Hesperiam dispergens, inediam nostram ingenti eloquio satiauit. Non impar meritis Isidori, de cuius fonte adhuc clientulus purissimos latices bibit. Nam directus è sancto Eugenio, venerabili Toletanæ sedis Episcopo, ad supradictum doctorem Isidorum Hispalensem Archiepiscopum, cùm sibi iam sciolus videretur, adeò ab eo tentus & elimatus est, &, vt ferunt, aliquo ferro constrictus, vt, si quid scientiæ deerat, pleniùs instrueretur. Tandèm ergò optimè informatus, ad pædagogum suum dominum Eugenium remeans, non post multos dies [b] diaconij officium adeptus est. Hic igitur sub rudimentis infantiæ adhuc degens, diuino tactus spiritu, monachorum [c] vita delectatus, contemptis parentum rerumq; affectibus, Agaliense cœnobium petijt.* Cuius fugam rabido furore insequens pater, *c* vnum tantum macerie impeditus est obice, quo & furentis est delusa quæstio & fugientis saluata deuotio. Nempè parentis furor, dum percitus in interiora prætenderet, latibulum quo hic vir occultabatur, reliquit, sicq; præterita incuratum pertransijt, & in arteribus quæ præterierat inquisiuit. Armata dein manu Agaliensem cellam impetens gladio, dum quæsitum non inuenit, rediens in propria vt *d* perdictum. Præcognita igitur præfatus vir *e* abstinentia parentali, Agaliense ilicò monasterium adijt, monachumq; se in eo multis annis decenter exhibuit. Cœnobium quoq; virginum in *f* Deibrensi villa construxit, ac proprijs opibus *g* ditauit. Rector deindè vel [d] Abbas effectus Agaliensis cœnobij, monachorum mores exercuit, rem *h* discreuit, vitamq; seruauit. Vbi statim in officio clarens, duas Missas in laudem beatorum Cosmæ & Damiani martyrum, quas infestiuitate eorum psallerent, miro modulationis modo composuit: Quæ Missæ infra annum tenentur notatæ. Deindè [e] post multum tempus, decedente sancto Eugenio, regali violentia Toletum deducitur, atque ibidèm pontifex subrogatur. Cuius statim virtus enucleata in sede Romulea refulsit, & veluti facula ignea ardens, omnem Hesperiam perlustrauit. Cuius doctrina vsq; hodiè fulget Ecclesia, vt sol & luna. Cuius memoria in benedictionem odoris, & compositione incensi habetur.

23. IAN.

a *al flumi-nibus exor-nans sæcula (Ecclesiam Bar.) ætatis nostræ nouis-simus Tole-tanæ sedis ascitus.*

b *secundum Eugen. Bar.*

* Io. Maria-na de reb. Hisp lib 6. c 10. memo-ratum Eu-gen. tertiũ eius nomi-nis, Toleta-num præsu-lem vocat.

b Fit diaco-nus.

c Monacha tum profite tur.

* Hæc in priore Surij de reb Hisp. Abbas in de reb. Hisp.

editione desiderata, ex Appendice Iuliani ad Vitas Illust Episc Hildephonsi, quæ est tom. 2. Hisp. Illustratæ, subiecimus. Vide & Io Marianã lib. 6. c 10. *c f vna tantum macerie* d *perditum* e *f. absentia.* f *Deilsensi Bar. Debiensi, Marian.* g *deditauit Bar.* h *adificauit* [d] Creatur loco Adeodati. Io. Mar. l. 6 c 10 de reb Hisp. [e] Cogitur esse Episcopus, post mortem Eugenij An 657. vt notat Bar. annal to 8. & Io. Marian. lib. 6. c 10. an. scilicet 9. Recessiundi Regis Bar. anno 648.

II. FVIT deniq; timoris Dei instantia plenus, præditus virtutibus, religione comptus, compunctione *i* probus, incessu grauis, honestate laudabilis, patientia singularis. Secreti tacitus, sapientia summus, differendi ingenio clarus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus, tantoq; [k] eloquij decore est celeber habitus, vt disputationum eius *l* profunda oratio dum porrectè dirigitur, nõ homo, sed Deus per hominem eloqui affatim crederetur. Scripsit sanè quamplurimos libros, luculentiori sermone potissimos, quos idem in tot partibus censuit diuidendos: id est, librum prosopopœiæ imbecillitatis propriæ, librum de virginitate B. Mariæ contra tres *m* hæreticos. Opusculum de proprietate personarum patris & filij & spiritus S. Opusculum *n* annotationum actionis diurnæ. Opusculum annotationum in sacramentis, librum de cognitione baptismi vnum, * & de processu spiritualis deserti alium, quod totum partis primæ voluit volumini connectendum. Partis quoque secundæ liber, Epistolarum est, in quo scribens, ænigmaticis formulis egit, personasque interdum induxit, in quo etiam à quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. Partem sanè tertiam Missarum esse voluit, hymnorum atq; sermonum. *o* Altioris deniq; partis liber est quartus, versibus, prosaq; concretus, in quo Epitaphia & quædam sunt Epigrammata adnotata. Scripsit & alia multa, quæ variis occupationibus impeditus, alia cœpta, alia semiplena reliquit.

i *al. profusus*

k *al. eloquij tiæ cothur-no celebris habitus.*

l *profusa o-ratio cum perfectè, vel per recta, Baron.*

m *Infideles*

n *annotatio nis de viris*

illustribus Baron. * In Suriana priori editione cum nonnulla hoc loco deessent, ex Baron tom. 8 Annal. & Martyrolog eiusdem & Iuliani restituimus. o *Alterius* Appendice

III. QVOD per tot annos populis desiderantibus necdum fuerat ostensum, illis Hildephonsus patefecit primum: & reliquias [f] sanctæ ac Deo dicatæ virginis Leocadiæ, aduenientе rege in sede regia, sua festiuitate, omnibus astantibus præsentauit: & antè sepulchrum eius genibus prouolutus, *p* tumulum in quo eius sanctissimum corpusculum vsque hodiè humatum est, exiliuit, & operculum quod vix triginta iuuenes mouere potuissent, non humanis manibus sed angelicis eleuatum est: velum [g] quod sanctæ martyris membra tegebat, consurrexit, tanquam illud ipsa viuens foras submitteret, ac veluti manibus hominum extensum eleuaretur, atque conspectui eius virgo pulcherrima obsequens aduentaret, clamantibus Episcopis, Principibus, presbyteris, diaconibus cleri, atque omni populo, Deo gratias in cælo, Deo gratias in terra, nemine tacente. Ipse *q* verò manibus statim complexans & astringens, talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo & clamans: Deo gratias, viuit domina mea, per Hildephonsi. Et ipsum repetens clerus vehementer psallebat, Halleluia: & canticum quod ipse dominus Hildephonsus grauiter fecerat: Speciosa facta es, Halleluia: & alia quæ in ipsa Missa in laude eius deprompserat. Clamabat inter voces populi velut mugiens, vt aliquod incisorium deferrent, vnde quod manibus tenebat præscinderet: & nemo illi accurrebat, & populus vastis vocibus rictibusque frendebat. Nam & sancta virgo quod voluntate submiserat, violenter retrahebat. Sed & Princeps quondam [r] Recciswindus, qui eo tempore erat, gloria & ferocitate terrena depositа, qui eum ob iniquitates suas increpitus superbo oculo intuebatur, cultrum modicum, quem in theca tenebat, cum lachrymis offerebat: & collo submisso, supplices manus à throno suo extendens, vt eum illi deferrent, instanter deprecabatur, postulans vt indignum non iudicaret sua cum lachrymis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu læua iam modicum tenebat, dextra præcidit: & cultrum ipsum vna cum eisdem reliquijs tectis *s* argenteis collocauit, indignum iudicans, vt qui sancta præciderat, vltra polluta tangeret. Requirentis manus quantum valebat vicario iure præcipit impendi.

[f] Reliquiæ S Leocadiæ diuinitus declarantur Vide Bar. ad an 657: ex quo hæc restituim*. & Io. Marian. de reb. Hisp lib 6. c. 10

p *f. tumulus.*

q Hanc & sequentem hist oriam auctor vitæ se a fide dignis testibus Vrbano & Euantio qui citatis.

eodem sæculo vixerunt, quorum prior pòst factus est Toletan. Episcop. alter Archidiac. testatur accepisse, Vide Baron. & Io. Marian locis

q *Ipsa.* r *Recessundus, Refisundus & Recensuindus.* s *thecis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

His peractis, quia longum est ista omnia enucleare; cuncta quæ vsui pertinebant sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, in Deo laudibus vsquequaq; completa sunt. His excussis, alia adhuc miracula Spiritus sanctus per eum in ipso Dominico Aduentu non post multos dies peregit. Sed quia omnia longa sunt recensere, quæ eius temporibus in Toletana vrbe dominus Vrbanus & dominus Euantius per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur: quia qui hoc mecum audierunt, cùm hoc legerint, dolebunt prætermisisse me tam multa & magna, quæcumq; mecum sciunt. Superueniente verò die Assumptionis sanctæ & semper virginis Mariæ, antè tres dies tribus diebus Litanias peregit, & Missam quæ in illius laude decantaretur perfecit, quæ est septima. At vbi ventum est ad eius solemnitatem, supradictus rex minùs de timore Dei solicitus, & de suis iniquitatibus male conscius, ad audienda solemnia regali de more accessit. Nam rebus Dei Hildephonsus maiori adhuc munere fretus, dum Dominæ suæ solemnia, cui Deo præsule seruiebat, ouans susciperet, & in laude genetricis Dei, hoc quod supra prænotauimus, summo cordis affectu harmonica modulatione composita carmina appararet, & libellum virginitatis more synonymiæ testimonijs veteris & noui Testamenti plenum comptè ederet, & digna facundia ac magnificentia iam præfatæ Dominæ suæ exornaret, dum ante horas matutinas solito more ad obsequia Dei peragenda consurgeret, vt vigilias suas Domino consecraret, diacono vel subdiacono, atq; clero antè eum cũ vasculis præcedentibus, subitò ostia aperientes, & Ecclesiam intuentes, atq; splendori cœlesti aciem defigentes, lumen quod ferre non valuerunt, cum tremore effugientes; lampadas, quas manibus tenebant, reliquerunt, & sua vestigia per quæ venerat adeuntes, propè mortui reuersi sunt ad sodales. IV.

Visio admiranda, Vide Roderic. Ximenez rerũ Hisp. li. 2 c. 22. Io. Mar. lib. 6. c. 10.

Solicite omnis congregatio requirens quid de Dei seruo ageretur, eum cum Angelicis choris viderunt: quod tam subito expauerunt custodes, vt & terga ab ostio Ecclesiæ dantes, reuertebantur ad proprias sedes. At ille bene sibi conscius, antè altare sanctæ Virginis procidens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, vbi solitus erat Episcopus residere & populum salutare (quam cathedram nullus Episcopus adire tentauit postea, nisi dominus Sisibertus, qui statim ipsam perdens, exilio relegatus est) & eleuatis oculis aspexit in circuitu eius, & vidit omnem absidem Ecclesię repletam virginum turmis, de canticis Dauid modulata suauitate aliquid decantantibus. Aspiciensq; in eam, vt ipse sibi conscius bene charissimis referebat, sic eum allocuta est voce: Propera in occursum, serue Dei carissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro filij mei tibi attuli. Sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quæ tibi data est, in meo tantum seruitio vtaris. Et quia oculos fidei fixos in meo semper seruitio tenens permansisti; & laudem meam diffusa in labijs tuis gratia, dulciter in cordibus fidelium depinxisti: & vestimentis Ecclesiæ iam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuarijs meis cum alijs seruis filij mei lætaberis. Et his dictis, vnà cum virginibus & luce, quæ venerat, ab oculis eius remeauit. Remansit verò Dei seruus intantùm securus de adipiscenda gloria, quantùm præscius de promissa sibi victoriæ palma. Vestis quoq;, quam detulerat Dei mater, seruatur in Toletana Ecclesia, miræq; subtilitatis, miriq; candoris. Cathedram autem episcopalem, in qua dignata est residere Dei mater, nullus posteà sedere præsumpsit Episcopus, nisi dominus Sigibertus, qui statim sedem ipsam perdens, exilio relegatus est. Nouem itaq; annis & duobus ferè mensibus vir Dei Hildephonsus clarus extitit meritis, & retentatione pontificalis regiminis. Expleto autem xviij. prædicti regis Recessundi anno, die x. Calend. Februarij domicilio carnis exuitur, atq; in Ecclesia B. Leochadiæ honorificè tumulatur ad pedes decessoris sui. Non defuerunt ei promissa à regina cœli, beata gaudia: quinimò ea suffragante, fælix eius anima ad cœli perlata est palatia, vbi filium virginis contuetur in sua gloria, Amen. V.

Donat virgo Maria.

Moritur Recessundi regis an. 18. qui fuit Christi 667 ex suppuratione Bar.

In vastatione Hispaniæ funesta atq; generali Senticam (Zomoram nos dicimus) corpus eius migrauit: vbi dicato tumulo in Petri Apostoli templo magna populi religione colitur. Vestis de cœlo allata simili casu iactata, Queti seruatur in obserata arca ab oculis subducta mortalibus, eoq; maiori religione culta. *Hæc Io. Mariana lib. 6. cap. 10. de rebus Hispan. vbi & Vitam eius describit.*

An. 1480 VITA MARGARETÆ VIRGINIS SANCTISSIMÆ APVD RAVENNATES, EX LIBRO OCTAVO HIERONYMI RVBEI DE gestis Rauennatum, quæ an in Sanctos sit relata, compertum non habeo.

23. Ian. [a] Patria Margaretæ virginis.

Præsidente Ecclesiæ Dei Iulio secundo, ac imperante Maximiliano Cæsare, Rauennæ [a] Margarita virgo sanctitate vitæ innocentia celebris decessit. Quæ in oppido Russio, quod est Rauennatis ditionis, Lungipressum olim vocatum, ab vrbeq; abest fermè millia passuum decem, ex Mollum familia orta, ab ipsis incunabulis, sanctitatis specimen præbuerat. Tres menses nata, cæca facta est: cumq; ad septimum annum peruenisset, carne & ouis [b] abstinens, extra dies Dominicos festos, in die semel comedebat: quem viuendi modum per totum vitæ spatium non modo seruauit, sed maximam partem confecit pane solum & aqua. Quod eo durius videri potest, cum nudatis semper incesserit pedibus: & nunquam in lecto, sed vel humi, aut in sarmentorum fascibus cubauerit: & sæpiùs nocte, vt Deum ingeniculata precaretur, atq; etiam vt cum [c] dæmone, qui illi erat molestus, eamq; aliquando capillis trahebat, dimicaret: è lecto, si erat is lectus appellandus, perpetuò surrexerit. Cum autem aliquot annos eo in oppido vixisset, in agrum, ad villam Diui Pancratij se contulit, puellarum virginum consuetudine plurimum delectata, quas assiduè præcepta diuina, rectumq; viuendi morem docebat. Indè Rauennam profecta, primùm apud Diui Stephani sacras virgines, deindè in domo, quam illi Laurentius Oriolus, agricola prædiues eius discipulus, emerat, habitauit. Vbi per annos quatuordecim assiduè grauissimis morbis miserè [d] afflicta, præsertim cùm etiam à plerisq; eius sanctitas & morbus irrideretur, multisq; calumnijs nomen proscinderetur, illustre fuit patientiæ exemplum: quos tamen ipsa irrisores & maledicos, vel, si poterat, amanter, vti desisterent, monebat, congerere sibi peccata: vel, si id non dabatur, summis assiduisq; precibus apud Deum veniam illis orabat, illudq; admirabile omninò videbatur, eam inter tot morbos, calumnias, egestatem, qua semper oppressa plurimùm fuit, hilari semper vultu, tranquilloq; animo extitisse, ab omniq; indignatione sic alienam vt qui perturbatam illam vnquam viderit, repertus sit nemo. I.

[b] Abstinentia eius & [c] vitæ austeritas.

[c] Luctatur cum dæmone.

[d] Grauissimis morbis quotidiè affligitur.

Patientia eius.

Non potuit tamen hæc terra tot miseriarum procella, sanctitatis lucem, quin emicaret, opprimere: nam complures, ex illius ore præceptisq; pendentes, Magistram illam appellabant, quod eos sanctissimæ vitæ exemplis potiùs, quam verbis excitaret ad pietatem & verum DEI cultum. In ea maximè, inter cæteras virtutes, misericordia in eos qui peccabant, & benignitas illuxit: neque fuit vllus vnquam, qui admirabili virtute, illius verbis atque hortatu in miserijs consolatum se, ac penè recreatum, hilaremque factum non senserit, & à peccatis viaque perdita reuocatum: quod cùm sæpissimè accidisset, maximè tamen in nobili fœmina est visum, quæ permota fama sanctitatis, II.

Misericordia & benignitas in peccatores.

ad eam

ad eam cùm veniſſet, multo auro, & veſtium elegantium ornamentis inſignis, eam vim Margaritæ ſermoni Deus tribuit, vt depoſito omni ornatu nobilis mulier antequam ab ea diſcederet, ſeſe Deo totam addixerit. Cum verò illi Ariminum proficiſcenti, vniuerſus populus, ſacratiq; viri obuiam proceſſiſſent, & mulierem ſanctam appellarent, & venerarentur, facilè dictu non eſt, quam illa id ægrè tulerit: cumq; aſſiduis illorum precibus coacta, illis benedixiſſet, confeſtim abſoluto, ob quod venerat, diuino negocio, mortales honores fugiens, Rauennam conuolauit. Vbi multa diuinitùs vaticinata eſt, ipſamq; præſertim vrbis depopulationem, quam Galli in ſequentibus annis fecerunt: &, vt reliqua omittam, id vnum conſcripſerim, quòd cum Gentilis, mulier ſibi chariſſima, ad eam quandoq; conſulendi cauſa acceſſiſſet, neq; tamen poſſet, quòd de Deo offendiſſet loquentem, ex verbis attamen illius, quæ ad Gentilem in eodem ſermone conferebat, Gentilis nouit, Margaritam animi ſui ſenſum ac voluntatem, propter quam venerat, Deo indicante, perſpectam habuiſſe: &, ijs qui aderant nequaquam ſentientibus, occulta verborum ſignificatione præbuiſſe.

Nõ fert laudes hominum.

Prædicit futura.

III. FACIE quandoq; ab eadem, Gentili ita fulgere viſa eſt, vt eam intueri aduerſam non poſſet. Tanto ſenſûs ſtupore prædita, vt multorum annorũ ſpatio ſuauitatem cibi nõ ſentiens, ingenti moleſtia, tm̃ ne moreretur, cibo vſa ſit. Cacodæmone agitatos, quos decem vix homines retinere & compeſcere poterant, ipſa manu apprehenſos, & nequaq̃ obſiſtentes, diuina virtute, abire cacodæmone iuſſo, liberauit. Hydrope laborantem puerum ſolo manûs contactu, cùm Deum eſſet pro ſanitate illius precata, in columem remiſit. Leonem Gentilis filium, pedibus contortis, ſic vt ambulare nequiret, natum ſanauit. Sed talia ſi narrare velim, nimiùm longa traheretur oratio: ipſorum enim relatu latius patent, qui teſtes, iuſſu Pauli tertij Pont. Max. poſtulante Friderico Gonzaga, Duce Mantuano, Rauennæ, his de rebus, ab Iohanne Franciſco Petitto, vrbis Moderatore, quæſtione habita, hæc, quæ modò memorauimus, multaq; præterea, anno ſeſquimilleſimo trigeſimoſeptimo iurati narrauerunt: id curantibus Petro Andriolo, Roberdo Aldrouandino, Vbertello Gordio, Iohanne Franco, Marco Antonio à Portu, & Aloyſio Pritello, qui tum Rauennatem ſapientum Magiſtratum gerebant. Verùm illud ſilentio non inuoluerim, quod Antonius Blanchinus Ruſſianus refert, vxorem ſuam tenuioris inteſtini morbo, in quo ſtercus ſuperiora petebat, quiq; à medicis exitialis putatur, octauum iam diem laborantem, cùm pro illius ſanitate Deum hæc virgo precata eſſet, ſanitati protinùs reſtitutam: Barnabam quoq;, Paſquæ Rauennatis, quæ vxor Aloyſij Merlini fuerat, patruum, cæcum factum, viſui reſtituit.

Multa operatur miracula.

Ægra curatur.

Item cæc⁹.

IV. CVM verò tandèm tres & ſexagiſta annos nata, in febriculam incidiſſet, ipſa mortem præſentiens, plurimùm de rebus diuinis locuta: cumq; ad extremum eſſet, aſſurgens, animam exhalauit: feruntq; Gentilem teſtari ſolitam, tunc ſe cælites vidiſſe, qui ad magiſtræ migrantem ex corpore animam accipiendam, acceſſerant: Ob idque in extremo ipſam venerabundam aſſurrexiſſe. Fuit is annus ab ortu CHRISTI quintus ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo Calendarum Februariarum. Per duos dies cadauer ſanctum inſepultum ſeruatum eſt, quo tempore cum ſudore facies tanquam rore madeſceret, Gentiliſq; aſſidua magiſtræ comes, linteolo, quo ad emungendas nares vtimur, deterſiſſet, linteolum ad ignem exiccatum, violarum ſuauiſſimum odorem afflauit, qui multis etiam deindè annis in eodem linteolo permanſit. Sepulta eſt Rauennæ in D. Apollinaris noui, ſepulchro ſatis ignobili: quod cùm poſterioribus annis dirutum eſſet, Laurentius Oriolus, qui illius conſuetudine ac monitis plurimùm profecerat, maximeq; eam venerabatur, id putans propterea contigiſſe, quod alibi ſepulchrum ſibi virgo delegiſſet, venia ab eius loci ædituis impetrata, oſſa, ſumma veneratione in ſacco collocata, aſello impoſuit, Deum precatus, eamq; virginem, vt quo ſepeliri vellet, ire aſellum iuberent. Aſellus, nullo ſtrepitu, ſignóve impulſus, rectà per eum vicum, cui Plateæ maiori nomen eſt, ad vrbis muros progreſſus, dextrorſum flectens, per Vrſianam portam, occidente iam ſole, egreſſus eſt: indè per ſuburbium, ſecundum Vitim amnem, cum aliquantulum proceſſiſſet, ſecundo ab vrbe lapide amnem traijcit, ſemperq; obſtrepente nihil Laurentio, ſed ingenti religione ac veneratione myſterium conſiderante, progrediens, ad Montonem amnem cum peruenisſet, illum etiam haud procul ab D. Marci tranſmittens, viam ſecundum flumen arripit: cuius cœpti itineris, non mediocris ad virum pium, qui rem tacitus conſiderabat, lætitia peruenit, quòd putabat fore, vt ad ſuæ gentis ædiculam, quorſum ibat, indè haud procul, deferendum cadauer eſſet. Sed ibi cum peruenisſent, non perſtitit aſellus, at progreſſus ad D. Pancratij ſe cõtulit. Iamq; multum noctis tranſierat, & ſub arbore ſatis ingenti, quòd non procul aberat ab eius templi valuis, magnus [a] nitedularum numerus conuenerat, quæ tantum afferebant lucis, vt miraculum iudicari facilè potuiſſet. Ad hunc ſe locum aſellus contulit, ibiq; cum perſtitiſſet, pedem amplius non extulit. Vir pius ob id intelligens, virginem ſanctam decreuiſſe eum ſibi ſepulturæ locum, foſſa facta, tumulo oſſa compoſuit, humoq; obruit: & confeſtim nitedulis euaneſcentibus, nox intempeſta tenebras ſuas offudit. Multa poſterioribus temporibus, ad hanc diem, illi nuncupatis votis mirabilia impetrata ſunt, quæ noſtri inſtituti non eſt referre: cum hæc, Seraphinus Firmanus, Canonicus Lateranenſis idem & Portuenſis, vir eloquentia & doctrina, vitaq; integritate præſtans, in commentariolo, quem ſcripſit de huius virginis & Gentilis vita, latius expreſſerit.

Sanctiſſim⁹ obitus eius, an. 1505

Odor ſuauiſſimus emanat ex ſũdario eius.

[a] Nitedula, quæ & cicindela q̃ noctu lucet.

Miraculũ in translatione corporis eius.

Itẽ ſigna ad ſepulcrum eius.

MARTYRIVM SANCTI BABYLÆ EPISCOPI ET MARTYRIS, AVTHORE D. IOHAN. CHRYSOSTOMO CONTRA GENTILES: OMISSIS quibuſdam ob vitandam nimiam prolixitatem. Interpres eſt Germanus Brixius Altiſſidorenſis, Canonicus Pariſienſis.

AN. 250. Habetur tomo 5. operũ eiuſdem.

I. QVOD vetera ea, quæ nos auditu accepimus, non minore fide digna ſint, quàm quæ præſentia ſunt, & quæ ipſi vidimus, id certè omnes fatentur, niſi ſi qui fortè ſtupidi ac delirantes fuerint. Verùm vt victoriam etiam vel ex ſuperioribus facultatibus reportemus, volo & memoriæ noſtræ nouum quoddam atq; inopinatum facinus proferre. Enimuerò nè tumultuemini, ſi miraculum ætate noſtra factũ dicturum me pollicitus, tm̃ à veteri hiſtoria narrationis exordium contexere aggredior, neq; enim intra vetera illa tantùm ſubſiſtam, neq; quæ ego vetera ſum huc allaturus, ea à rerum nouarum argumento diſcrepant: ſic enim vtraq; inter ſeſe cohærent, vt non poſſis illorum conſequentiam alteram ab altera ſeparare. Id quod auditis rebus probè iudicabitis.

IAN. 24 Græci 4 Decemb. feſtũ eius agunt.

II. FVIT Imperator quidam Maiorum noſtrorum temporibus, qui qualis alioqui fuerit, dicere non habeo: verùm vbi ſcelus ab eodem magna audacia atq; improbitate factum audieritis, & reliquam morum illius crudelitatem perſpectam habebitis. Quodnam ergò piaculum id fuit? Viſum fuerat genti cuidam, cum hoc Imperatore bello decertanti, bellum tandèm componere, ſic, vt neq; alteros affligerent, neq; ipſi viciſſim ab alteris poſthàc affligerẽtur: quin potiùs moleſtijs, periculis, omni deniq; timore defungerentur, ac partis contenti, nihil quicquam præterea requirerent: præſtare enim, timore procùl depulſo, mediocribus frui, quàm plura appetentes vbiq; timere, trepidare, atq; adeò malis vltrò citroq; datis & acceptis vitam tranſigere. Itaq; cum conſtitutum illis eſſet, bello prorſus depoſito, quietam ac mininè ſolicitam vitam viuere, viſum eſt commodum, hoc firma aliqua pactione ac ſtabilibus terminis vinctum confirmare. Tum fœdere facto, dato atq; accepto iureiurando, & regi præterea ſuo ſuadere conantur, vti

Decius is fuit Vide notas Bar. ad Martyrol Rom. & Annal. eiuſdem an. 253.

suo ille filio (puer autem is admodùm erat) pro certo pacis pignore depoſito, præſtaret, tum vt qui priùs hoſtes erant; bono in reliquum tempus animo eſſent: tum animi ac conſilij ſui teſtimonio prodito indicaret, ſe, quam pacem cum illis faceret, eam citra dolum omnem facere. Qua ratione rex adductus, filium dedidit, vt ipſe quidem opinabatur, amicis ac ſocijs: vt verò rei exitus probauit, beluæ omnium belluarum crudeliſſimæ. Amicitiæ enim ac fœderis lege regium illum puerulum cùm accepiſſet, ſtatim omnia ſimul conculcauit ac ſubuertit iuſiurandum, pacta, pudorem eum, qui homini ab homine, religionem, quæ Deo debetur, miſericordiam, quam à nobis ætas illa impetrare ſolet: ac neque iuuentus feram illam flexit, neque ſanè, quæ huiuſmodi ſceleribus comes eſſe ſolet; vltio agreſte illud pectus terruit, neque patris filium deponentis verba eiuſdem animum ſubiêre: ea inquam, quæ ille filium in manum tradens fortaſsè mandârat, dum poſtulat, vti illius curam quàm diligentiſſimè Imperator ſuſciperet, patrem etiam illum filio ſuo appellans, dum obſecrat, vt quaſi ipſe genitor foret, ſic illum enutriret, atq; erudiret, perficeretq;, vt maiorũ ſuorum nobilitate dignus ille olim euaderet: deniq; dum idem pater inter hæc verba media filij dextram homicidæ dextræ inſertat, ac multis etiam cum lachrymis congreſſum ſoluit: horum omnium inquinatiſſimus ille nihil quicquam ſecum reputans, quin potiùs omnibus illis vnà ex animo excuſſis, cædem illam cædium omnium ſceleratiſſimam patrat.

Imperatoris crudelitas & perfidia.

Cædes valdè immanis contra pacta conuenta.

Hoc enim flagitium, filij etiam proprij cæde grauius eſt, cuius rei teſtimonium à vobis mutuabor, qui vtiq; non ſic, opinor, indoluiſſetis, (ſi modò ex animi mei affectibus & veſtrorum item affectuum coniecturam facere oportet) ſi illum audijſſetis proprium filium occidiſſe. Tum enim vnà cum communibus legibus & naturæ etiam leges ſubuerti viſæ fuiſſent. Hîc autem plurima ſimul concurrerunt, quæ numero ipſo naturæ neceſſitudine validiora eſſe poſſunt. Quotiès enim mihi antè oculos obuerſatur adoleſcens ille prorſus innocens, idem à patre deditus, idem à Maiorum ſuorum regia auulſus, idem domeſticas delicias, gloriam, honorem, cum extorri vita, hoc nomine commutans, vt poſſet impurus Imperator pactis cum hoſte fœderibus fidere: idem poſtea ab illo miſerè confectus, & ſplendore domûs paternæ per eadem fœdera priuatus, deniq; ab eodem iugulatus: nimirùm ſecum pugnans me ſubit affectus, liquefacto ſimul atq; exæſtuante intùs animo, quorum affectuum alterum mihi ira, alterum mœſtitia parit. Nã dum mecum reputo ſceleſtum illum armantem ſeſe, gladium intentantem, pueri collum apprehendentem, qua dextra depoſitum receperat, hac eadem gladium in illud impellentem, diſrumpor, atq; adeò ira ſuffocor. Rurſus dum intueor iuuenem illum timentem, trementem, ploratus extremos plorantem, patrem inclamantem, hunc ipſum iſtarum rerum authorem fuiſſe teſtantem, cædem nõ ei, qui gladium in guttur mergeret, ſed ei, qui ſe genuiſſet, acceptam referentem, neq; fugam adornare, neq; ſibi auxilio eſſe valentem, ſed quod vnum ſupereſt, fruſtrà de proprio parente expoſtulantem, deniq; plagam receptantem, palpitantem, calcibus pauimentum ferientem, terram ſanguineis riuis inquinantem, ipſa mihi intùs viſcera diſcerpuntur, ipſa mihi cogitatio obtenebratur, ac mihi ob oculos mœſtitiæ caligo quædam offunditur. At verò non perindè belluinum illud Imperatoris pectus affectum videas: quin potiùs quaſi vel agnum, vel vitulum immolaturus, ſic ad ſceleſtam illam cædem animatus fertur. III.

Mira rei geſtæ repræſentatio.

Et puer quidem plaga accepta exanimis iacebat: at percuſſor admiſſo ſceleri patrocinabatur, poſteriori facinore prius illud obſcurare laborans. Exiſtimaturus es, fortaſsè, me de ſepultura loqui velle, deq; Imperatoris pietate, qui à ſe occiſo ne tantillum quidem terræ impertiuerit. Ego verò aliud quoddam facinus, eo quod à me iam dictum eſt, longè atrocius, indicaturus ſum. Nam manus illas impias tam innocenti ſanguine vbi conſpurcauit atq; conſceleraſſet, nouamq; illam tragœdiam peregit, quaſi nullo prorſus à ſe ſcelere facto, effrons, & ipſis etiam ſaxis durior, ad Dei optimi maximi templum feſtinabundus accurrit. Miraturi fortaſsè ſunt nonnulli, cur factum eſt, vt qui tam ſæuum patrâſſet facinus, diuina ſtatim plaga percuſſus non fuerit, aut quo pacto priùs, quàm introijſſet, in illum Deus non continuò fulmen cælitùs contorſerit, ita vt eiuſdẽ os impudens cœleſti igne mox conflagraret. At ego, ſi quibus huiuſmodi cogitatio in animum deſcenderit, laudo quidem illos & admiror excandeſcentiæ iſtius cauſa: tamen huic meæ de illis tum laudationi, tum admirationi, nonnihil certè adhuc deeſſe dico. Etenim iuſta quidem illos indignatio ſubit, tum ob peremptum iniuria puerum, tum ob diuinas leges tanta cum petulantia atque contumelia violatas: ſed ijdem tamen iræ impotentia exæſtuantes, rem ipſam totam non perpendunt. Iuſtitiæ enim lege hac, alia quædam lex longe ſublimior in cœlis lata eſt. Lex verò ea quæ tandem eſſe poteſt? Ijs qui peccatum aliquod commiſêre, pœnam non eueſtigio DEVM irrogare, ſed tempus delinquenti concedere, ac veluti præſcriptum diem ſtatuere, intra quem peccatum quum depoſuerit, pœnitentiæ beneficio par tandem ijs euadat, qui nullum prorſus peccatum admiſerunt. Id quod & tunc DEVS in miſeri ea perditi illius cauſa declarauit: ſed nullus tamen propterea ſubſequebatur profectus, inemendatus enim perſiſtebat. At DEVS, quo eſt in humanum genus amore, hoc etiam cùm prouidiſſet, ne ſic quidem illum deſpexit, neque partes ipſe ſuas intermiſit: ſed & laborantem inuiſit, adhibitis etiam ijs remedijs, quæ ſalutem afferre poſſent, cæterùm tantum abfuit, vt porrectum ille medicamentum admitteret, vt vel medicum ad ſe hoc nomine miſſum trucidauerit. Medicamentum porrò ac medicinæ item ratio, huiuſmodi erat. IV.

Nefariæ cædi adiungitur ingens impudẽtia & temeritas

Forte fortuna per quod tempus crudelis ac miſeranda, quam dixi, fabula licentioſè ageretur, magnus quidam atq; admirabilis vir (ſi modò viri nomine deſignare illum fas eſt) noſtri huius gregis curam gerebat: Babylas huic nomen erat. Is igitur per eos dies Chriſti Eccleſiam hanc à ſpiritûs gratia ſibi concreditam quum haberet, Eliam atque huius æmulum Iohannem, non dico præterijt, ne inuidioſo admodum verbo vtar, ſed vſqueadeò eſt aſſequutus, vt ne tantillum quidem illorum generoſorum pectorum libertati conceſſerit. Neq; enim paucarum ciuitatum tetrarcham, neq; gentis vnius regem, ſed eum, qui imperio ſuo plurimam totius orbis partem contineret, ipſum, ipſum hunc (inquam) homicidam, de quo nobis eſt ſermo, eundem multarum gentium, multarum ciuitatum, immenſi item exercitus dominum, eundem, quoquò te vertas, tum ab imperij amplitudine, tum à morum ferocitate terribilem, quaſi vile quoddam ac nullius precij mancipium, ſic à [a] Dei templo exegit, tanta adeò cum conſtantia atq; animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ouem ab ouili excludit, dum prohibet, ne laborantis ouis morbus ad reliquum quoq; gregem contagione ſerpat. Et hæc quidem fecit Babylas, re ipſa ſeruatoris noſtri verbum confirmans: Solum illum videlicet ſeruum eſſe, qui peccatum facit, vt ſexcentas etiam coronas capite geſtet, vt omnibus, qui ſuper terram ſunt, hominibus imperare videatur: qui autem culpæ nullius ſibi conſcius eſt, vt in ſubditorum claſſe cenſeatur, hunc vel legibus omnibus regaliorem præſtantioremq; eſſe. Ergò ipſum Imperatorem ſtatim is, qui illius imperio parebat, rexit, & ei, qui omnium dominator erat, ſubditus iura dedit, atq; adeò aduerſus eum damnationis calculum tulit. V.

Babylas regit ecclesiã Antiochenã. poſt Zebinum Epiſcopũ, qui mortuus eſt an. 241. vt habet Bar. to. 2. annal.

[a] Imperat. è templo ejicit.

Tv verò quiſquis es, qui hæc audis, noli, quod dictum eſt, leuiter tranſmittere. Nam auditus facti huius nuncius, extitiſſe ex ſubditis, qui Imperatorem à templi veſtibulo exegerit, per ſe abundè ſatis eſt ad commouendos ac perterrefaciendos auditorum animos: qui ſi vis miraculum totum exactè pernoſcere, ne verbum ipſum nudum ſpectes, ſed ponito tibi ante oculos, hinc ſatellites haſtatos, hinc milites ſcutatos, hinc tribunos, hinc exercitûs duces, hinc permultos in aula regia educatos, hinc eos, quibus ciuitatum adminiſtratio credita eſſet, hinc præeuntium, hinc ſequentium faſtum, hinc aſſeclarum ſeipſos vrgentium turbam, deniquè vniuerſum Imperatoris famulitium: VI.

Mira hypotypoſis.

Matth. 8.

ſecun-

secundùm hæc ipsum Imperatorem in medio illo comitatu multo cum fastu ingredientem, eundemq; vestium, purpuræ, lapillorum hac illac consperſorum, in dextra, in militaris vestis commissura, in capitis diademate refulgentium sumptu sibi placentem: ac nè hoc quidem loci cœptæ semèl à te imaginis istius faciem finias, quin eandem proferat ad Dei vsq; seruum illum, beatum, inquam, Babylam, eiusdemq; humilem habitum, vulgarem vestem, animam contritam, sensum ab omni temeritate alienum: atq; his demùm coloribus vtrumq; cùm depinxeris, & alterum alteri opposueris, tum certè facti huius miraculum bellè perspicies. Imò verò nè sic quidem id exactè comprehendes. Babylæ enim fiduciam nullius planè sermo, nullius oculorum acies repræsentare queat, sed solùm illius experimentum atq; vsus, cuius generosi animi præsentiam solus is possit rectè animo concipere, qui potuerit ad id fiduciæ fastigium pertingere. Quomodò enim senex ille accessit? quomodò prætoriam cohortem dissipauit? quomodò labia diduxit? quomodò verba fecit? quomodò increpuit? quomodò dextram in pectus impactam firmauit? pectus, inquam, ira turgens, ac cæde feruens? quomodò homicidam exegit? nihil illum eorum, quæ agerentur, deterruit, nihil dè sententia deduxit. Constantia Babylæ.

VII. EXCLAMARE hîc libet: O animum imperterritum, mentemq; excelsam! ô cœleste pectus, & constantiam angelicam! Quasi enim depictam in pariete videret vniuersam illam speciem, sic omnia intrepidè generosus ille vir peregit. Etenim illum sacræ erudierant literæ, mundi huius res omnes non nisi vmbram esse ac somnium, & si quid his vanius Propterea Babylam nihil ea omnia terruêre, imò verò magis animauêre, illorum enim, quæ coram contuebatur, adspectus, eius cogitationem traducebat ad supremum illum regem, sedentem super Cherubin, abyssos continentem, ad thronum illum glorioſum & excelsum, ad exercitum illum cœlestem, ad angelorum myriadas, ad chiliades archangelorum, ad suggestum terribile, ad tribunal incorruptum, ad flumen ignis, ad iudicem ipsum. Propterea certè se ipse totum à terra in cœlum transferens, quasi iudici ipsi adsisteret, ipsumq; audiret iubentem, vt scelestum atque inquinatum illum à sacrosancto grege expelleret, sic eiecit, & à reliquo armento separauit, nihil prorsus respiciens eorum omnium, quæ videbat, quæq; terrifica alijs videntur: quin potiùs illo viriliter atq; admodùm generosè expellendo, diuinis legibus vim ac tyrannidem patientibus, opem tulit. Atqui quanta Babylas erga cæteros fiducia vsus sit, hinc constare potest. Quemnam enim ex alijs metueret, qui aduersus ipsummet Imperatorem tantam sibi potestatem sumeret? Sententia memorabilis. *Dan.* 3.

VIII. EQVIDEM vir ille qualis fuerit, coniectura quodammodo assequor, seu, vt veriùs dicam de eo sic mihi ipse persuasi, vt nihil quicquam, vel in gratiam, vel in odium vnquàm vel faceret, vel diceret: sed generoso semper ac forti animo contra timorem, contra item adulationem, quæ timore impotentior est, contra id genus alia (cuiusmodi multa inter homines accidunt) sese opponeret, nec vnquàm nè tantillum quidem rectum adulteraret iudicium. Si enim amictus, dentium risus, pedis ingressus, hominis naturam arguunt: multò quidem magis tot ac tanta illius egregia facta omnibus nobis fidem facere possint, quantam ille in reliqua vita virtutem amplexatus fuerit. Integritas Babylæ. *Eccl.* 19.

IX. NEQVE enim nobis ille ob fiduciam modò, qua præditus erat, admirabilis esse debet: verùm ob id quoq;, quod eam fiduciam ad hoc vsq; loci perduxerit, simul ob id, quòd eam vlteriùs non promouerit. Talis est enim Christi sapientia, quæ permittit, nè quid minùs, nè quid item plùs iûsto decernes: sed vt omnia intra modum efficias. Atqui Babylæ licebat, si voluisset, vlteriùs progredi: ei enim, qui vitæ curam semèl abiecerat, (prorsus enim non accessisset, nisi se ipse huiusmodi cogitatione armauisset) omnia liberè agere licebat, & Imperatorem conuicijs adspergere, & diadema capite detrahere, & pugnis os contundere: nam & dextram in pectus iam impegerat, sed tamen ab his omnibus abstinuit: animam enim habebat sale spirituali conditam, quæ res præstabat, vt nihil temerè, nihil stultè, sed omnia recto rationis iudicio ac stato ordine exequeretur: non quemadmodùm gentilium sapientes, qui nunquàm intra modum, sed vbiq;, (vt ita dicam) aut maiorem, aut minorem, quàm decet, orationis libertatem vsurpant, idq; vt nusquã fortitudinis, vbiq; affectuum ratione carentium opinionem sibi concilient: in ijs quæ assequi non possent, metus atque ignauiæ: in quibus excessissent, insolentiæ ac vanitatis apud omnes conuicti. At non sic Babylas noster, qui quod ipsi in mentem venerat, id non inconsultò aggressus est, sed nihil accuratè perpendens, & animi sui cogitationes diuinis legibus conformans, ita demùm ad opus eas eduxit. Ea propter sectionem ipsam neque per summa tantùm inflixit, vt nè maior membri affecti pars incurata relinqueretur: neque altiorem quàm deceret, vt nè superuacanea plaga, quod sanum esset, offenderet: se plaga priùs ad morbum temperata, medicinam quàm optimam adhibuit. Equidem hinc illum pronunciare ausim, ira, pusillanimitate, arrogantia, ambitione, odio, timore, adulatione prorsus vacauisse: quod si & maius quiddam atq; admirabilius fatendum est, non tam certè mirum mihi videtur, eundem aduersus imperatoriam insaniam tanta fiducia constitisse, quàm vidisse atq; intellexisse, quatenùs hoc ipsum facere oportet, nec quicquam præterea vel fecisse vel dixisse. Et quidem quòd postremum hoc longè illo admirabilius sit, multos vtiq; inuenias illius compotes euasisse, ab hoc tamen superatos. Vocis enim libertatem vtcunq; vsurpare possunt & ex plebeijs permulti: at illa eadem decenter vti tempore consentaneo, congrua tum mensura, tum prudentia adhibita, magni admodùm animi & admirabilis fuerit. Quando & in beatum illum Dauid magna cum licentia ac contumelia inuectus est Semei, quem & sanguinarium virum appellauit, verùm hanc ego nunquàm dixerim fiduciam ac libertatem, sed linguæ potiùs intemperantiam, mentis temeritatem, contumaciam, dementiam, atq; id genus quodlibet vitium. Conuenit enim, arbitror, vt qui alios reprehensurus est, is animum suum quàm longissimè ab omni temeritate ac contumacia asserat, quamque vsurpat agendi vehementiam, eam ex verborum atque rerum natura tantùm demonstret. Etenim medici dum vel putrida secare, vel intumescentia comprimere opus est, non ira priùs animum suum complentes, ita demùm ad curandum accedunt: sed tum maximè decenti in statu animi cognitionem continere adlaborant, vt nè arti ipsi turbati animi motus officiat. Quòd si corpus curaturo tanta animi sedatione opus est, quo, obsecro, animarum medicum loco habebimus? quantam ab eo sapientiam exigemus? Certè longè maiorem, atque adeò tantam, quantam bonus ille martyr præstitit. Nobis enim quosdam quasi terminos & regulas præscribit, per quas videlicet & in reliquis facta proportione nobis ipsi modum desumamus: sic miserum illum à sacrosanctis claustris summouit. Vocis libertate vt vtendum. 2. *Reg.* 16.

X. AC factum quidem hoc videri potest vnum modò esse egregiæ virtutis opus: veruntamen si quis id perpendat, ac tanquàm explicans vndiquè diligenter speculetur, inueniet & alterum, & tertium item emolumentum indè simul enasci, magnumque inibi vtilitatis thesaurum recondi. Siquidem vnus tantùm is fuit, quem è templo expulit Babylas: at multi extitêre, qui lucrum indè reportârunt. Quotquot enim erant, qui fidem suam Christo nondùm obstrinxissent, (de ijs loquor, qui tyranni huius imperio parebant: id autem imperium bonam totius orbis partem occupârat) ij certè omnes obstupuêre, admirati sunt: indè edocti, quantam seruis suis libertatem Christus impertierit, deriserunt suam ipsorum illiberalem & abiectam seruitutem, perspexerunt quantùm inter se discrepent Christianorum nobilitas, & gentilium probrum. Qui enim apud illos templorum administrationem suscepêre, ij reges suos colunt pluſquàm dominos, pluſquàm idola etiam ipsa quæ adorant, regumque metu statuis ipsis assident, ita vt maligni illi dæmones, honorem omnem sibi impensum, Imperatoribus solis acceptum referant. Itaque vbi contingit Imperatorem aliquem creari, qui cum illorum religione non consentiat, mox ibidèm, si quis in idolorum templa fuit ingressus, Sacerdotes ethnici quo modo colãt reges suos.

passim aranearum telas parietibus circumfusas videbit, tanto situ idoli statuam obductam, vt neq; nasus, neq; oculos, neq; alia quæuis totius oris pars appareat. Ex altaribus autem, aliorum reliquias solùm superesse, maiore parte iam collapsa: alia interim tam alta vndiq; herba circumdari, vt qui altaria ea esse nescit, sterquilinij aceruum aliquem esse putet. Cuius rei causa hæc est: Illis olim licebat quæcunq; vellent suffurari, & per statuarum cultum ventri indulgere: nunc verò quamobrem sese miseri discruciauerint? Accubantes enim, ac se ipsi conficientes, ab illis tamen nullam prorsus expectant retributionem: sunt enim ligna tantùm ac lapides: verùm honore eo, quem Imperatores statuis ijsdem exhibent, adducuntur illi ad huiusmodi cultum simulandum, qui certè tollitur, dum Imperatores sapiunt, Dei optimi maximi filium adorantes. At non ea est rerum nostrarum conditio, sed planè contraria. Quum enim Imperatorium thronum conscendit, qui nobiscum in fide ac diuinitatis opinione consentit, hîc segniores efficiuntur Christianorum res: tantum abest, vt illæ per humanos honores erectæ consistant. Rursus cùm impius aliquis Imperator regnat, qui nos vndiq; vrget, qui nos infinitis malis exercet, tum eædem precium accipiunt atq; inclarescunt, tum præmiorum ac triumphorum tempus, tum coronarum, præconiorum ac virtutis omnis ostentandæ facultas.

Res Christianorũ persecutionib. inclarescũt.

XI.

Quod si quis dixerit, superesse etiam nunc ciuitates, eandem quam olim superstitionem circa idolorum insaniam præ se ferentes, is primùm admodum paucas numerabit. Veruntamen ne hac quidem ratione officiet instituto à me sermoni. Eadem enim suppositio adhuc manet, nam pro Imperatore, ciuitatis administratores habent parem secum idolis honorem deferentes. Atq; huius cultûs causæ hæ existunt, crapulæ, comessationes tum diurnæ, tum nocturnæ, tibiæ & tympana, & quod liberum est, turpia quidem cum omni oris impudentia proferre, turpiora autem factitare, liberum item præ ingluuie disrumpi, præ ebrietate debacchari, & in probrosissimam insaniam dilabi. Id genus indecentes sumptus continent adhuc & fouent intercidentem illorum errorem. Nam qui opulentiores inter illos sunt, in ordinem parasitorum cogunt eos, qui ob ignauiam fame pereunt, quos ipsos tanquàm canes ad mensas suas enutriunt, eorumq; impudentes ventres iniquarum cœnarum reliquijs differciunt, ijsdem pro animi arbitrio abutentes. At nos, qui in vniuersum mores vestros iniquos, ac prorsus ratione carentes abominamur, qui ob propriam segnitiem atq; ignauiam esurire coguntur, eos non pascimus: quin potiùs suadendo hortamur, vt & sibi, & cæteris opera sua victum sufficiant: qui verò mutilo sunt corpore, ijs permittimus modò victum necessarium ab ijs, quibus facultates suppetunt, mendicare. At comessationes, ebrietates, & reliqua omnis insania, ac turpitudo à cœtu nostro exacta explosaq; est: pro quibus introducta sunt quæcunq; grauia, quæcunq; casta, quæcunq; iusta, quæcunque sunt probata, si qua virtus, si qua laus. Nam cætera illa, quæ Græci iactabundè efferunt, philosophis suis attribuentes, facilè commonstrârunt vanam gloriam, temeritatem, & puerilis cogitationis opera esse. Neq; enim temerè apud nos dolio quis accepto se ipse inclusit, neq; vili ac lacero panno obtectus, sic per forum ingressus est. Ea enim admirabilia quidem esse videntur, laboreq; multo ac summa ærumna plena: sed indigna tamen sunt, quæ laudem mereantur. Est autem diaboli astutiæ, sibi seruientes laboribus eiusmodi addicere, vnde qui decepti ab illo fuerint, tum diuellantur, tum ridiculi omnibus appareant. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, nullam prorsus laudem meretur. Etenim existunt etiam hodiè perditi quidam homines, nullis non flagitijs pleni, qui multò maiora iactitant, quàm Philosophus ille. Alij enim acutos clauos comedunt, alij calceos mandunt & deglutiunt, alij ad alia his longè flagitiosiora malè consulti se conferunt: opera porrò huiusmodi multò sunt admirabiliora, quàm vel dolium illud, vel panni illi viles ac laceri: sed ea tamen minimè probamus, sicuti neq; illa: quinimò & istos, & omnes item, qui similibus præstigijs mirabiles sunt, æquè ac philosophum eundem damnantes deploramus.

Causæ idololatriæ.

Ephes 6.

Philip. 4.

Labor philosophorũ inanis.

Nota insaniam.

Diogenes perstringitur [a]Alexandr. Magnum dicit.

XII.

Dices, Magnam verò philosophus orationis libertatem apud regem præ se tulit. Videamus ergò, quæ sit egregia illa libertas, num etiam ea dolij præstigiis vanior sit, quænam igitur illa? Proficiscenti cum exercitu aduersus Persas [a]Macedoni, eidēq; philosophum magna instantia hortanti, diceret, si qua re indigeret: nulla, ille inquit, nisi quòd regem rogauit, sibi à sole ne obstaret, acciderat enim tum iam, vt philosophus à solis radijs calefieret. Hîc non vosipsos pudore suffundetis? non oculos, frontemq; contegetis? non hinc facessentes, terra vos obruetis, ob ea ipsa vobis placentes, ob quæ pudore suffundi oportebat? Quanto enim præstiterat, veste aliqua sumpta, eaq; crassiuscula, ad opus aliquod se traducere, neq; non à rege quidpiam, quod vsui foret, petere, quàm lacero indutum pallio sedentem ad solis radios calefieri, paruorum lactentiumq; puerorum more, quos nutrices lotos atq; inunctos ibi collocant, vbi tum philosophus idem sedebat, infælicis aniculæ gratiam flagitans? At admiranda fortassis ea est orationis libertas? imò verò & hac quoq; nihil certè prodigiosius. Bonum enim virum oportet publica vtilitate facta sua omnia metiri, & aliorum vitam emendatiorem reddere. Postulare verò, vt ne sibi à sole obstetur, quamnam id ciuitatem, quamnam domum, quemnam virum, quamnam mulierem conseruauit?

XIII.

Age verò num quoddam lucrum vocis huius libertas peperit? nam lucrum à libera martyris nostri voce natum, iam ipsi demonstrauimus, idq; vlterius progressi apertius detegemus. Tum enim Babylas iniurium Imperatorem, quatenùs sacerdoti fas est, puniuit: principum altos spiritus compressit: diuinis legibus, dum violarentur, opem tulit: supplicium pro iniustè occiso exegit, suppliciorum omnium grauissimum, iis quidem certè, qui mente sana sunt. Ministis quidem omninò, cùm de cæde ipsa verba facerem, quemadmodum vestrûm, qui audiebatis, vnusquisq; intra se afficeretur atq; inflammaretur, percussoremq; ipsum in manum capere desideraret, neq; non precaretur alicundè apparere, qui cædem vlciscceretur. Hoc ipsum igitur beatus ille præstitit: pœnam enim sumpsit, tum se dignam, tum idoneam quæ illum conuerteret, si modò stupidus admodùm non fuisset: nequaquàm postulando, vt sibi ad solis radios calescenti abscederet rex, neu à sole obstaret: quin potiùs impudenter in templi septa ingredientem, atq; omnia confundentem, quasi canem quendam aut seruum improbum, à Domini sui aula excludendo. Vides nunc me non iactabundè, non temerè paulò antè dixisse, philosophorum vestrorum miracula à Babyla puerilis sensûs opera reddita fuisse? At temperans, inquis, fuit, continentemq; vitam egit Sinopensis ille, vt qui etiam legitimas nuptias non sustinuerit. Sed adde, obsecro, temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu verò nequapuam addes, quin libentiùs temperantiæ laudes illi detraxeris, cùm temperantiæ eius modum prodideris, adeò certè ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco & cæterorum nugas, stultum ac vanum studium, deniq; turpitudinem. Vbi enim, quæso, vtile, à seminis humani gustu non temperare? Id quod faciebat Stagirites. Quale commodum, cum matribus ac sororibus misceri? quod quidem philosophus Stoæ præfectus lege sanxit. Percurrerem etiam Academiæ principem, illiusq; discipulum: item & eos, de quibus maior est admiratio, his quos nominaui obscœniores fuisse, demonstrarem, obscœnum quoq; puerorum amorem ab illis in honestatis ac philosophiæ parte annummeratum, omni reiecta allegoria denudarem, nisi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, tum omnium illorum risus, vno à nobis detecto, satis superq; redargueretur. Vbi enim is, qui austeriorem philosophiæ partem sequi visus est, quiq; cæteros & linguæ libertate, & vitæ continentia excelluit, adeò turpis, adeò ineptus, adeò immoderatus fuisse demonstratus est, (nam & humanis vesci carnibus indifferens esse dixit) quorsum attinet & de reliquis deinceps verba facere, præsertim vbi qui studij ac vitæ instituti excellentia cæteris illustrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis, tam delirus apparuit? Itaq; eò nostra redeat, vndè aberrauit, oratio.

Philosophos taxat, eorumque nefandas turpitudines.

Ergo

ERGO Babylas sic, vt dictum est tum eos, qui nondum Christi fidem receperant, compescuit: tum eos, qui iam receperant, religiosiores etiamnum reddidit non priuatos homines modò, sed & milites, & militum duces, & præfectos: planum faciens, ipsum etiam regem, eumque, qui summus fuerit, apud Christianos nuda tantummodo esse nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos deferendus fuerit, quisquis etiam diadema gestet, hûc vel infimis quibusque adæquari. Adhæc eorum certè ora obturauit, qui impudentia quadam abutentes, affirmare vellent, quam Christiani libertatem Apostolis tribuimus, eam non nisi fictam quandam à nobis iactantiam esse: re quidem commonstrans, olim etiam eiusmodi viros probabiliter extitisse, dum eorum potestatem signorum præstatio maiorem efficeret. Existit & hinc tertium quoddam raræ virtutis facinus atque exemplum, Futurorum enim posthac & sacerdotum & regum animos, horum quidem dimisit, illorum autem extulit: planum faciens, terræ, & eorum, quæ in terra fiunt, curam ac præfecturam verius residere penes sacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus, ac purpura indutus est: necnon oportere de potestatis huius amplitudine sacerdotem, nihil detrahere, sed hominem potius exuĕre, quam authoritatem huic principatui supernè à Deo attributam deponere. Proinde qui sic è vita decesserit, vel mortuus nemini non prodesse poterit: at qui ordinis huiusmodi desertor fuerit, non solum nemini mortuus vsui est, sed viuentium quoque, quibus præest, quàm plurimos segniores melioresque reddit, exteris ipse interim & vituperabilis ac ridiculus. Idem etiam cùm è viuis discesserit, multo cum dedecore ac mœrore ad Christi tribunal sistetur, vnde ipsum postea trahentes, in fornacem ardentem abducent potestates eæ, quibus id negocij demandatum est. Quamobrem sapientis verbum nos monet, Ne personam assumpseris contra tuam ipsius animam. Quod dissimulare tuum nõ est, dum homini ab homine iniuria infertur: quo tandem supplicio dignus non erit, qui siluerit ac neglexerit, intuitus diuinas leges iniuriam accipere?

Obserua quam hic potestatem tribuat Episcopis.

Eccl. 42.

XV. QVINETIAM & aliud item non minus ijs, quæ dixi, bonum nos Babylas docuit, quo videlicet vnumquemque oportet suo officio fungi, etiamsi inde nullum lucrum ad alios dimanet. Neque enim ipsi ad Imperatoris quidem emolumentum, libertas profuit: nihilo tamen secius suas omnes partes atque officium omnibus numeris impleuit, quum interim qui morbo laborabat, propria contumacia atque vecordia artificis peritiam offenderit, medicamento è vulnere magna cum animi indignatione amoto. Quasi enim abũde satis ad impietatem non esset, homicidiũ patrâsse, & fronte perfricta in Dei templum insilijsse: sic homicidio priori & alterum adiecit homicidium, & quasi simul studeret posterioribus sceleribus priora vincere, nec tamen præcedentium indignitatem subsequentium excellentia obscurare: (ea est enim diaboli insania, vt quæ contraria ac sibi inuicem pugnantia sunt, adstruat moliaturque) si vtrique homicidio eximium id largitus est, vt mutuam quandam inter se congruentiam haberent. Et erat profecto pueri cædes prior posteriori miserabilior: Babylæ autem cædes posterior priori sceleſtior. Anima enim, quæ peccati gustum semel fecerit, tumque nullius doloris aut pœnitentiæ stimulus tangitur, magnum certè auctarium morbo adijcere solet. At quemadmodum vsu venit, vt scintilla ignis, si forte immensam materiam corripuerit, statim obuiam quanque exurat, nec ante tamen subsistat, quam quod reliquum est, id omne depascatur, quantoque plura comprehenderit à flamma, tanto magis robur ad alia consumenda concipiat, fitque tum, vt comprehensorum à flamma lignorum congeries lignis ijs, quæ mox flamma comprehensura est, quasi insidias struat, flamma eadem sese semper lignorum comprehensorum auxilio contra ea, quæ intacta adhuc manent, armante: sic & peccati natura, vbi animi cognitionem aliquam adorta est, nec quisquam est, qui malum restringuat, procedens vlterius, grauior certè ac magis indomita efficitur: propterea fæpe fit, vt quæ posteriora sint peccata, prioribus grauiora sint, anima semper posteriorum peccatorum accessione ad maiorem contumaciam ac despicientiam sese promouente, & per hæc ipsa suam quidem vim eneruante, peccati autem robur alente: qua vtique ratione complures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapsos, quod flammam initio exorientem non restinxerint: sic & infelix ille Imperator peccatis suis prioribus, posteriora grauiora adiecit. Vbi enim iuuenem illum extinxit, eueſtigio ab illius cæde ad inferendam templo iniuriam irruit: rursus ab hac iniuria, tanquam iter semel cœptum persequens, ad contumaciam temeritatemque suam, sacerdotio contumelia afficiendo se accinxit, vinctumque ferro Babylam, atque in carcerem coniectum, ita tum excruciabat, ab eodem beneficij pœnas exigens, eumque ob quæ officia admirari potius, coronaque insignire, ac plusquam etiam parentes proprios vereri conueniebat, ob ea ipsa cogebat maleficorum hominum vincula, vinculorum calamitates, miserias, ærumnas sustinere. Ita, quod modò dixi, peccatum vbi initium cepit, nec est, qui id vlterius progredi impediat, cohiberi, postea ac frenari haud facile potest, equorum insanientium ritu, qui cum freno ab ore dilecto, nec non sessore ab armis incusso atque resupinato, neutiquam tolerabiles occurrentibus euaserint, nemine illos inhibente, immoderato quodam impetu hac illac se ipsi præcipites ferunt. Quo fit vt salutis nostræ inimicus huiusmodi animas ad insaniam impellat, quò eas medicorum præsentia atque auxilio destitutas deprehendens, concidat, & infinitis malis exerceat. Etenim qui corpore laborant, donec medicos ad se adire patiuntur, in magnam certè salutis spem ingrediuntur: vbi verò mente capti calcitrant, ac se morbo liberare volentes mordent, tum denique morbo incurabili laborant, idque non ob morbi ingenium, sed quod ab iis destituti sunt, qui insaniam illam sanare possint. In quam insaniam & tyrannus iste se coniecit. Nam medicum nactus, hunc vulnus adhuc dum secaret, statim expulit, & à domo quam potuit longissime exegit.

Infania diaboli.

Elegans similitudo.

Peccato in ipsis initiis resistendum.

Babylas vinctus truditur in carcerem.

XVI HIC poteras Herodis fabulam, non iam auribus tantum haurire, sed & coram maiori sane cum petulantia atque immodestia spectare: quoniam quidem & maiori certè cum ostentatione atque apparatu diabolus rursus ipsam fabulam in vitæ huius theatrum agendam introduxit, pro tetrarcha regem substituens, pro vna causa duplex argumentum, idque longè illo inquinatius præbens: vt non numero tantum, sed & ipsa rerum natura hæcce tragœdia clarior multò atque illustrior euaserit. Non enim hic, sicut illic nuptijs iniuria afferebatur, neque ex illegitimo coitu, sed ex sceleſtiori puerilis cædis inquinamento, ex tyrannide crudelissima, ex legis transgressione, non in vxorem, sed in ipsam sanctimoniam præstita, historiæ huius telam diabolus contexuit. Coniectus ergo in carcerem Babylas, gaudebat quidem de vinculis, dolebat autem de eius exitio, à quo vinctus fuerat, neque enim pater, neque pædotriba, quum ille ex filij hic ex discipuli flagitio aut calamitate celebriores fiunt, celebritatis huius voluptatem mœrore vacantem capiunt. Propterea & beatus Paulus Corinthios alloquens, dicebat: Precamur autem, vt mali nihil committatis, non quo nos probati videamur, sed vt vos bonum faciatis, nos autem tanquam reprobi simus. Eadem igitur ratione, & admirabili viro Babylæ discipuli salus desideratior erat, quàm expectata ex carcere merces: cui quidem gratius certè accidere nihil potuisset, quam si per discipulum resipiscentem huiusmodi laudibus priuari ipsum contigisset, seu, vt verius dicam, si discipulus prorsus in istam morum peruersitatem dilapsus non fuisset. Nolunt enim sancti corollas sibi alienis ex malis contexi: quod si ab alienis malis nolunt, multò minus ab ijs malis, quæ ipsorum domesticis ac familiaribus obueniunt. Quo nomine & beatus Dauid victoria parta ac triumpho iam acto, lugebat & lachrymabatur, quod ad calamitatem, quam ex filio receperat, & hæc item accessisset: qui exeuntibus ad conflictum militibus multa tyranni nomine mandabat, eosque qui ad illius cædem properabant, hac oratione cohibebat: Parcite puero Absalon, quem ipsum & in prælio prostratum lugebat, non sine fletibus lachrymisq; amaris inimicum reuocans. Quod si naturalis pater tam propenso est erga liberos suos affectu, certè multò magis id de spiritali patre fatendũ est.

Decii facinus cum Herodis confertur.

2. Cor. 13.

2. Reg. 18. & 19.

2 Cor. 11. Parentibus enim spiritualibus liberorum suorum maior cura est, quam naturalibus, Paulo ita attestante: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offendiculum patitur, & ego non vror? XVII.

SED hoc quidem æqualitatem nobis repræsentat, quanquam certè vix patres in hanc ipsam vocem erumpant. Veruntamen demus & illos hucusque affectu accedere posse: nos enim spiritales patres maiora etiam præstare ostendemus. At hoc ipsum vnde? Ab ijsdem iterum visceribus, & à legislatoris Mosis verbis. Illeverò quid dicit? Si remittis Exod. 32. eis peccatum, remitte? sin minus, & me ipsum ex libro, quem scripsisti, dele. Nullus sane est pater, cui alioqui bonis infinitis perfrui liberum sit, qui tamen mâlit vna cum liberis suis pœnis affligi. At Apostolus, vt qui in gratiæ statu versatus fuerat, paterni huius affectus intentionem addidit, propter Christum. Non enim Mosis exemplo cum illis pœnas Rom. 9. dare malebat, sed vt aliis benè esset, sibi ipsi excidium imprecabatur, quum diceret: Optarim anathema esse à Christo pro cognatis meis fratribus secundum carnem, tanta certe misericordia, atque affectu olim sanctorum animi abundabant. Vnde & Babylæ nostri viscera [a] magis excruciabantur, quod Imperatoris exitium magis ac magis inualescere in- [a] Cruciatur S. Babylas impietate Cæsaris. tueretur. Neque enim solum templi causa stomachatus, sed beneuolentia quadam erga Imperatorem adductus id fecit, quod illum fecisse diximus. Etenim hic dum diuina sacra contumelia afficeret, illis quidem detrimenti nihil afferebat: quin potius semetipsum infinitis malis implicabat, quapropter pater filij amore tactus, illum intuitus illata sacris contumelia furore percitum præcipitem ferri, immoderatum illum impetum cohibere conatus est, eundem à se obiurgatum quasi effrenem equum retro inhibere properans.

AT non sustinuit infelix ille: quin potius morso freno prorsus obsistens, seque & furori & insaniæ, rationis gyro XVIII. relicto, dedens, in extremi exitij voraginem coniecit, Babylam è carcere eductum, iubens vinctum ad mortis supplicium abduci. Atque [b] hîc quæ fierent, ijs, quæ cernerentur, minime respondebant. Qui enim vinctus videbatur, omnibus simul vinculis solutus erat, tam ferreis, quam aliis item grauioribus: (curas hîc intelligo ac labores, cæteraque mala omnia, quæ nos hac in mortali vita circumsistunt) contrà, qui solutus ferro & adamante videbatur, aliis quibusdam [b] Iubetur interfici. [c] Iubet secũ sepeliri catenas ferreas. compedibus longe grauioribus vinctus erat, peccatorum scilicet catenis irretitus. Sanctus igitur [c] Babylas morti se propinquum dum videret, corpus suum vnà cum ferreis illis catenis sepeliendum mandauit, planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter Christum fiunt, honorifica esse ac splendida, eumque qui ea patitur, non solum non dissimulare, sed inde sibi placere oportere: hac quidem in parte beatum Paulum imitatus, qui sursum ac deorsum stigmata, vincula, catenam versabat, ob ea ipsa gloriabundus, ac sibi placens, quorum alios puderet. Quod autem Act. 16. alios puderet, id ille nobis ea defensione declarauit, qua ad Agrippam vsus est. Nam Agrippæ dicenti, Parum abest Paule, quin me Christianum efficias: respondit Paulus: Vtinam vel paruo, vel multo tempore, non solum tu, sed & qui hîc circunstant omnes Christiani fierent, exceptis hisce vinculis, quæ vincula non vtique adiecissent, nisi res ea ignominiosa vulgo visa fuisset. Sancti enim Dominum verè quum amarent, afflictiones pro illo magna cum alacritate suscipiebant, per quas etiam clariores euadebant, vnde & hic idem ait: Gaudeo in afflictionibus meis. Lucas autem & de Rom. 5. Coloss. 1. Act. 5. reliquo Apostolorum cœtu eadem hæc testatur: Post multa, inquit, flagella recedebant gaudentes, quod digni habiti essent pro Christi nomine ignominia notari. Igitur vt ne quis gentilium existimaret, certamina ac dedecora vi ac necessitate à nostris sustineri, ipsa certaminum symbola iubet Babylas vna cum cadauere suo inhumari, ostendens sibi illa pergrata & peramica esse: pro ea quidem charitate, qua totus in Christum appensus erat. Et extant etiam nunc cum Babylæ cineribus compedes, ecclesiarum præfectos omnes commonefacientes, vt vinciri, vt iugulari, vt quiduis pati [g] Martyriũ Babylas subit anno 251. vt notat Bar. ex Chronico Eusebii: quem in carcere mortuum idem tradit Eusebius hist. Eccles. lib. 6. c. 32. Chrysostomus vero Orat. in Inuent. & Max. ductum ad cædem, docet, & vt significare videtur, ugulatum. oporteat, certe omnia prompto atque alacri animo, ac magna item cum voluptate sustinenda, vt concreditæ nobis libertatis ne leuissimam quidem partem prodamus aut contaminemus. Et quidem beatus ille in eo splendore atque honore [g] mortem cum vita commutauit.

ENIMVERO existimaturus est fortasse quispiam hoc loci orationi nos nostræ finem imposituros: neque enim vi- XIX. ta hac finita, laudatorum operum aut virtutis ostentandæ occasiones suppetere, quemadmodum neque athletis post ipsum certaminum tempus exactum, corollas contexi conuenire. Verum ea quidem est gentilium non ab re opinio, quorum spes vltra hanc mortalem vitam haud quaquam prorogatur. At nos quibus vitæ huius exitus, illustrioris vitæ alterius initium est, ab hac suspicione atque opinione longe absumus, quam sane opinionem rectam esse, apertius à nobis alibi commonstrabitur. Interim & quæ virtutis eximiæ opera post Babylæ generosi martyris obitum obuenêre, talia sunt, quæ magnam orationi nostræ fidem facere possint. Posteaquàm enim pro veritate tuenda ad mortem vsque decertauit, & ad proprij sanguinis effusionem vsque contra peccatum depugnans restitit, atque vt ne ordinem eum, quem à magno rege acceperat, desereret, ipsam etiam animam deseruit, nullo non generoso atque egregio bellatore illustrius occumbens, animam [d] quidem ipsius cælum habuit, corpus autem (quo tanquam ministro ad virtutis opera [d] Anima Babylæ est in cælo. præstanda vsus fuerat) terra, sic vt creatura ipsa athletam diuiserit.

ATQVI poterat Babylas vel exemplo Enoch transferri, vel Eliæ modo rapi, vt qui vtriusque æmulator fuerat: At XX. Gen. 5. 4. Reg. 2. Deus, qua est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum, relictis scilicet interim apud nos sanctorum reliquiis. Nam post [e] sermonis facultatem, ipsa certè sanctorum sepulchra proximum locum obti- [e] Sanctorũ reliquiæ, stimulus ad virtutem. net ad animas hominum, in ipsos sanctos intuentium, ad virtutum eorundem æmulationem excitandas. Ac sicubi quis huiusmodi conditoriis adstat, suum statim sensum ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit, capsulæ enim adspectus in animam inuadens, ipsam percellit, & exuscitat, ac perinde afficit, quasi, qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensque adesse cernatur: deinde fit, vt qui se sic affectum sentit, mira alacritate gestiens, aliusque prorsus quodammodo effectus, ita ex eo loco decedat. Quisquis porrò animum aduertere volet ad eos, qui mortuos luctu prosequuntur, probe inde edocebitur, imaginationem de mortuis conceptam, solere ex ipsis locis in animos insinuare: qui vbi mortuorum sepulchris adstiterunt, protinus quasi ibidem sepultos coram stantes contueantur, sic eosdem in ipso statim vestibulo inclamant, plerique autem intolerabili dolore vexati, reliquum vitæ tempus ad demortuorum monumenta habitare sibi in animum induxerunt. Id quod nequaquam fecissent, nisi à locorum adspectu cõsolationem aliquam cepissent. Et quid hîc de locis ac sepulchris verba facio? quum & sæpe vestis sola mortuorum visa, & verbum vnum in mentem influens, animum nostrum excitet, & memoriam interlabentem refricet? quibus de causis ipsas nobis sanctorum reliquias Deus reliquit.

PORRO autem quod hæc dicam non temerariæ cuiusdam iactantiæ causa, sed quod idipsum emolumenti nostri XXI. gratia factum fuerit, abunde orationi nostræ fidem faciunt, tum quæ quotidiana à martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illa hominum multitudine affluente: tum illis, nihilo inferiora Babylæ præclara post ipsius obitum virtutis egregiæ specimina. Vbi enim ita, vt mandauit, sepultus fuit, & tam longum temporis interuallum ab eius sepultura interceßit, vt non nisi ossa ac cinis in feretro superarent: placuit [f] Imperatori vni ex iis, qui postea imperârunt, Deo ipsius animum ad id impellente, capsulam in suburbium istud Daphnen abduci. Quum enim Deus vidisset locum illum adolescentium intemperantia, quadam quasi tyrannide obsessum, in periculum venire, ne prorsus ab iis desereretur

[f] Tran ferruntur reliquiæ S. Babylæ à Gallo Cæsare.

retur, qui grauiores essent, quique in honestate ac modestia vitam degere in animo haberent, loci incommodum ac noxam miseratus, misit qui contumeliam vindicaret. Etenim ipse Daphnes locus pulcher atque amœnus vt esset, Deus fecit, simul aquarum copia ac pulchritudine, simul terræ ingenio, simul cæli atque aëris temperie, non quidem vti solum inde oblectamentum ac leuamentum captaremus, sed vti his de rebus se optimum opificem laudaremus. Salutis autem nostræ hostis (cuius ea est natura, vt Dei muneribus in opus contrarium semper abutatur) locum eundem cum occupâsset, qua corruptorum iuuenum turba, qua malorum spirituum habitaculis, affinxit præterea & infamem quandam fabulam, per quam suburbij decor omnis ac gratia dæmoni accepta ferebatur. Fabula porrò sic habet:

Fabula de Daphne.

XXII. DAPHNEN aiunt adhuc puellam, Ladonis fluuij filiam, (antiquis enim mos is receptus fuerat, vt & fluuij gignerent, & quæ à fluuiis genita essent, in res postea sensu carentes mutarentur, & pleraque id genus prodigiosa effingerẽtur) Daphnen, inquam, puellam forma admodum præstantem fuisse volunt: quam cum vidisset Apollo, illius statim amore deflagrauit. Hæc verò Deum cursu se capere capientem fugiens, in suburbium istud cum peruenisset, ibidem substitit: mater porrò vim patienti filiæ opem ferre volens, aperto gremio virginem statim excepit, ac pro puella eiusdem nominis plantulam reddidit. Hîc perditus amator, amoribus suis fraudatus, arborem circumplexus, tũ plantam, tum locum sibi vendicauit, propriumque fecit. In quo posteà quum assiduus commoraretur, eum præ alijs omnibus diligere atque amare cœpit: postremò qui tum rex erat, Apollini templum & aram extrui iussit, quô posset dæmon suam insaniam per eum locum consolari. Et hæc quidem vetus fabula, at incommodum à fabula exortum, non iam fabula fuit. Posteaquam enim iuuenes permulti impudici illuc accedentes, suburbij pulchritudinem contaminârunt, ibidem in comessationibus atque ebrietatibus victitantes, volens diabolus malum hoc magis ac magis glisscere, fabulam eam, quam recitaui, confinxit, dæmonem loci eius incolam esse diuulgans, vt eiusmodi historia maius illis impudicitiæ atque impietatis incendium fieret.

[a] Quam mira de sancti episcopi & martyris corpore refert Chrysostomus?

XXIII. AD tanta porrò [a] isthæc mala tollenda, inuenit Imperator sapientissimum id remedium: Sanctum Babylæ martyris corpus eum in locum si transferretur, existimauit perinde fore, ac si medicus ad laborantes mitteretur. Sin iterũ, quod ab vrbe ad suburbium ferret, authoritatis regiæ mandato impediret atque interdiceret, iudicauit mandatum id omnibus vulgò visum iri tyrannicum quoddam, agreste, ac crudele factum. Quod si mandato adderet, vt qui honesti ac moderati essent, ijs suburbij adeundi potestas fieret: qui verò incontinentes atque intemperantes, ab eo arcerentur: mandatum perplexum ac difficile fore censuit, vtpote per quod præuidebat quotidianas censuras in diiudicanda vniuscuiusque vita necessarias. Itaque martyris [b] præsentiam malorum horum omnium finem ac remedium fore existimauit, quem quidem idoneum intelligebat, qui tum dæmonis potentiam antiquaret, tum iuuenum luxum emendaret: qua vtique spe nequaquam falsus est. Nam vbi quis Daphnæ appropinquat, viso statim martyris monumento, vel ab ipso suburbij vestibulo, compescitur atque emendatur, more adolescentis alicuius in conuiuio accumbentis ac pædagogum adstantem contuentis, eundemque vultus significatione iubentem, vt decenti ordine seruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens necubi modum supergressus, suam ipse existimationem dehonestet. Porrò ab eiusdem monumenti adspectu, tum ab ea, quam de beato martyre concepit, imaginatione factus ille religiosior, ad capsulam ipsam continuò accurrit: ad quam cum primum peruenit, maiorem animo trepidationem recipit: mox abiecto omni contemptu tanquam volatilis effectus, ita ab eo se loco domum recipit. Idem etiam eos, qui ab vrbe in suburbium ascendunt, de via excipiẽs, huiusmodi cum temperantia relegat ad Daphnes laxamentum, tantũ non vocẽ illam inclamans: Exultate Domino in tremore, & Apostolicum illud adiiciens. Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quoduis facitis, ad Dei gloriam omnia facite. Qui idem si incidat in nonnullos deliciis delibutos, ex suburbio ad vrbem se recipientes, (si quibus fortè vsu venerit, vt quadam quasi animi socordia frenum abijciant, atque in crapulam, in absurdas aliquas delicias præcipites ferantur) hos ebrios in suum diuersorium excipiens, non permittit ebrietatis noxam gestantes, domum abire, quinimmò timore incusso refrenans, ad eandem reducit sobrietatem, qua prædit erant, antequam ebrietate madefierent. Etenim quasi tenuis quædam aura eos, qui in martyris æde fuerint, vndique circunspirans afflat, non ea quidem sensibilis, nec quæ ad augendam corporis vim faciat: sed quæ in ipsum tantum animum obrepat, eundemque vndique decenter compescens, ac terrestrem omnem sarcinam circumcidens reficiat, atque ingrauescentem iam & fractum agiliorem reddat. Et quidem Daphnes forma ac pulchritudo segniores ad se ipsa euocat: at martyr quodam quasi in piscatu considens, & ad se introgressus insidias parans, eos retinet, ac veluti ad normam quandam prius compositos dimittit, & ita dimittit, vt amata in posterum pudicè ac citra omnem incontinẽtiam sint vsuri. Dũ enim ex [c] hominibus alij socordia adducti, alij mũdanis solicitudinibus impediti, sanctorũ martyrũ monumenta inuisere negligũt, perfecit Deus, vt hocce irretirentur modo, & talẽ ipsi fructum curationis animæ caperent: ac perinde fit, vt si quis ægroto medicamenta salutifera admittere nolenti, medicamentum dulci quodam condimento oblitum præparet. Qui igitur inibi tandem curantur, eo perueniunt, vt iam non deliciæ solum, sed & visendi sancti desiderium suburbij adeundi occasionem multis afferat: siue, vt verius dicam, qui honestioris vitæ sunt, hoc vno nomine illuc ventitant: qui infirmiores illis sunt, vtroque nomine: qui verò infirmissimi, non alio, quam deliciarũ captandarum nomine: posteaquam autem illuc peruenerunt, eos aduocans ad sese martyr, suis ipsius epulis splendidè exceptos, fortique armatura præmunitos, nõ patitur in malum aliquod prolabi. Et est perinde mirum, eo in loco mollem aliquam ac socordem resipiscere, & tanquam è media insania sanum caput attollere, vt si quis in medios ignes cõiectus, ab igni detrimenti nihil accipiat, circumuallata enim rationis arce ab iuuentute, ab effrenata audacia, à vino, à saturitate, molestius etiam, quàm à flamma ipsa, beati Babylæ ros inspectantium animam ex obtutu ipso influens, flammam ipsam sopit, incendium sistit, ac magnam certè animi religionem instillat. Atque in eum, quem dixi, modum Babylas intemperantiæ tyrannidem subuertit.

Bal. 2. 1. Cor. 10.

[b] Gallus Cæsar in Daphnem ad Antiochena suburbia corpus S. Babylæ transfert, ad abrogandas Græcorum superstitiones & effusum deliciarum luxum, vt habet Bar in notis in Martyrol. Rom. & Annal to. 3. ad Annum. 251 vide & Sozom. lib. 4 c. 18.

[c] Deus vt inuitet ad visenda Sanctorum monumenta.

XXIV. AT quo idem modo & dæmonis [d] potestatem extinxit? Primùm quidem tum dæmonis inibi habitantis obsidionem, tum fabulæ noxam ijs ipsis, quas dixi, rebus inefficacem reddidit: deinde & dæmonem ipsum exegit. Verum antequam ad exactionis modum veniam, illud vos annotare postulo, Babylam non statim vbi aduenit dæmonem eiecisse, sed manentem eum ociosum, inertem, agendisque rebus ineptum reddidisse. Illi enim os ita obstruxit, vt vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur. Et quidem manentem inibi dæmonem superauisse non minus fuit, quàm si eundem de loco exegisset, quum qui loci illius accolis omnibus fucum prius faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri sustineret. Ea est enim sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones ne [e] vmbras quidem aut vestes ferre possint, vita autem functorum & loculos quoque reformident. Itaque si quis quæ ab Apostolis facta fuisse prædicantur, fidem non habet, is tandem * memoriæ huius miracula intuitus ab impudentia sua desistat. Nam qui de omnibus olim gentilibus victoriam reportabat, à martyre tanquam ab hero increpitus, suppressa voce latrare desijt. Ac primum quidem videbatur mutus esse, quod sacrificiorum & aliorum id genus cultuum particeps minime fieret. Dæmonum enim mores ij sunt, vt dum mortales nidore, fumo, sanguine eos inuitant & allectant tanquam canes cruoris auidi & helluones, ebibendi absorbendique eius cæusa præsto adsint: rursus dum nemo est, qui ea offerat, quasi fame quadam pereant. Quibus certe sacrificia dum fiunt, ac fœda dum celebrantur mystr ia, (quæ

[d] Babylas dæmonis potestatem extinxit præsentia reliquiarũ suarum.

[e] Vestes & loculi sanctorum dæmonibus formidabiles

* *memoria, legit Bar.*

(quæ ipsa nihil certè aliud sunt, quam amores quidam obscœni, quàm puerorum contumeliæ, quàm adulteria, quàm domorum subuersiones, vt nihil hîc agam de inhumanis cædium generibus, deque nefarijs illorum cœnis) quibus, inquam, fœda dum celebrantur mysteria, statim aduolant & delectantur, etiamsi malefici, etiamsi præstigiatores, etiamsi pestes hominum sint, qui mysteria eadem peragant. Immo verò, vt verius dicam, non alios plane habent, quàm quos depinxi, sacrorum suorum administros. Qui enim temperans, modestus, castus est, is nec comessationem admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod verbum ipse proferet, nec alteri cuidam id genus fœditatibus inseruienti aures suas accommodabit: quanquam oportebat, si quam illi humanæ virtutis curam gererent, si quam fælicitatis asseclarum suorum rationem haberent, nihil potius requirere, quam vitam optimam, quam mores rectè emendatos, prætermissis illis indecoris dapibus, quibus tamen (quando nihil habent antiquius hominum exitio) magnopere delectantur, ijsdem coli se profitentes, quibus tum nostra mortalium vita subuertitur, tum honestas omnis radicitus diuellitur.

[a] Apollo obmutescit, martyris vim non ferens.

PRIMVM igitur videbatur hic dæmon hac, quam dixi, ratione[a] obmutescere. Post autem conuictus fuit, violenta necessitate præpeditus id facere, metus enim, quo quasi indito in os freno cogebatur, impedimento illi fuit, quô minus solita contra homines impostura abuteretur. Vnde hoc liquet? Sed ne tumultuemini. Id enim commonstrabo, atque ità commonstrabo, vt ne illis quidem, quibus maximæ curæ semper fuit impudenter omnia asseuerare, in posterum ea impudentia abuti liceat, quoties sermo inciderit, vel de veterum illorum dæmonum, vel de istius dæmonis infirmitate. Neque enim mihi coniecturis opus est, neque id attinet planum facere probabilibus quibusdam rationibus, sed ipsum dæmonis hac de re testimonium adhibebimus. Ipse enim lethalem vobis plagam inflixit, vestramque omnem fiduciam ac libertatem concidit. At vos ne [b] illi succenseatis: neque enim prudens, sed à maiore quadam potestate coactus, tyrannidem [c] ipse suam deleuit. Sed verò qua tandem ratione factum est: XXV.

[b] Gentiles alloquitur.

[c] Anno 354. Gallus Cæs procurante Constantio Imp. necatur. vt notat Bar.

[d] Impium Julianum Constãtius Cæsarem creat anno 355.

MORTVO eo Imperatore, qui Babylæ corpus in suburbium transtulerat, huius fratrem [d] ad imperij administrationem perduxit is idem, qui illum Imperatorem fecerat atque hic sine diademate imperium accipit, hactenus enim demortui quoque fratris potestas præscripta erat. Idem hic Imperator, quum impostor ac scelestus esset, primum propter eum, à quo principatum acceperat, Christianum se esse simulauit: deinde eo vita defuncto, abiecta statim persona, fronte perfricta, quam antea superstitionem intus celauerat, hanc in medium productam nemini non manifestam fecit, diuulgato per vniuersum terrarum orbem mandato, vt [e] idolorum templa instaurarẽtur, aræ excitarentur, pristini dæmonibus honores redderentur, magni item illis prouentus variis ex locis supperterent. Quo ex mandato magi continuò, incantatores, augures, haruspices, menagyrtæ, hoc est, menstrui viatores, seu præcones, denique omnifariæ impostura artifices, vndique ab vniuerso orbe confluxerunt. Hic cernere quidem licebat regiam ipsam infamibus, abiectis ac profugis hominibus refertam. Nam quotquot vsquam fame tabescentes, quotquot ob venificia ac maleficia conuicti, quotquot publicæ custodiæ addicti, atque ad metalli opus detrusi, denique quotquot sordidarum artium artifices vix inde victitare possent, quum se ipsi de repente sacerdotes esse profiterentur, mirum est quanto in honore, quãto in precio habiti omnes fuerint. Hic Imperator [f] duces ipsos, ac militum præfectos contemnere, assis vnius non æstimare: contrà, mares meritorios, & meretrices è fornicibus suis excitatas, vna secum per totam vrbem, per angiportus omnes circumducere, quum interim regius quidem equus, omnesque prætoriani ponè multo interuallo sequerentur, lenones autem & meretriculæ anteambulonum loco, & vniuersus meritoriorum adolescentum chorus regem mediũ stipantes, per forũ inambularent, sermones eos proferentes, atque cachinnos attollentes, quos par erat eiusce modi farinæ homines attollere: quæ ipsa certe non nescimus talia, tamque absurda fuisse, vt posteris fide maiora futura sint, neque enim priuatorum quisquam, eorumvé qui humile pudendumque viuendi genus instituerint, velit tam turpis, tamque indecens publicè videri. XXVI

[e] Instaurat is idololatriam.

[f] Impudentia eius & turpitudo.

SED ad eos sanè, qui adhuc vita sunt superstite, oratione nulla opus est, qui enim adfuerè, & ea dum fierent spectauêre, hi & quæ hîc à me dicuntur, nunc exaudiunt. Propterea enim superstitibus etiam nunc testibus hæc scribo, vt ne quis vetera recensentem me, inter eos, qui rei ignari sint, magna licentia mentiri existimet. Ex iis enim, qui ea viderunt, * superant adhuc & senes & iuuenes, quos omnes obsecro & obtestor, si quid à me historiæ adiectum fuerit, in medium * prodeant, neque redarguant. Sed scilicet tantum abest, vt me de meo adiecisse quicquam sint redarguturi, vt deprehensuri etiam sint, multa certè à me prætermissa. Neque enim fieri potuit, vt oratione turpitudinis illius immensam magnitudinem repræsentarem: posteris verò, qui credituristhæc non sunt, vnum id dictum, esse velim, dæmonem vestrum, quem Venerem appellatis, nequaquam pudere id genus administris vti. Itaque mirum nemini esse debet, si miser ille, qui prorsus dæmonum ludibrio se se addixerat, ea minime dissimularet, propter quæ dij ij, quos coleret, magnopere sibi placent. Iam verò quis enumerauerit [g] necromantias? quis puerorum cædes? nam victimæ illæ, à quibus homines ante Christi aduentum non abstinebant, post eius apparitionem repressæ, de integrò renouabãtur, non iam quidem in propatulo: nam tametsi Imperator esset, ac licentiose omnia ageret, tamen tanta erat rerum earum impieras, vt ea imperatoriæ etiam licentiæ magnitudinem superaret: victimæ, inquam, illæ de integro tamen renouabantur. XXVII

*superfunt, legit Bar. *prodant Bar.

[g] Item necromantiæ & puerorũ cædes,

DAPHNEN itaque idem hic Imperator, grauitatem ore præferens, conscendit, multis quidem cum donariis ac sacrificiis, manante etiam sanguinis torrente, quem mactatarum pecudum cædes effecerat. Tum à dæmone [h] magna instantia oraculum poscit, postulans sibi ille ijs de rebus responsum vt daret, quas animo agitabat. Ibi strenuus ille scilicet, qui pelagique modum, & numerum qui nouit arenæ, qui mutum capit, & surdum qui intelligit idem, vt de se ipso profitetur, bellè admodum cauit, ne in eum sermonem deueniret, vt aperte testatur, per sanctum Babylam ac vicinorum virtutem [i] obstructum sibi esse os, ac propterea loqui nequaquam posse: nimirum veritus, ne cultoribus suis ridiculus fieret. Cæterum cum idem adumbrare vellet virium suarum à Babyla deuictarum conditionem, eum taciturnitatis titulum aperuit, per quem ridiculus magis reddebatur, quam si prorsus tacuisset. Tacens enim, imbecillitatem tantummodo suam detexisset: nunc vero & imbecillitatem, & turpitudinem, & impudentiam declarauit, studens ea adumbrare, quæ adumbrari minime queunt. Quis enim color hic esse potest? Daphnes, inquit, locus cadaueribus scatet, id quod oraculum arcet. Et quanto præstabat, pessime dæmon, martyris virtutem non dissimulare, quàm titulum tam impudentem prætexere? & hæc quidem dæmon. XVIII.

[h] Iulianus consulit Apollinem.

[i] Historiam hanc de oraculo Apollinis obmutescente, & incendio ædem eius flagrante, pter 16. Theod. l. 3. c. 10. Euag. l. 1 c 16. & alii.

Chrysostomum qui oculatus testis, tunc adolescens (vt ipse testatur) interfuit, scribunt. Ruffin. l. 1. c. 35. 36. Sozomenus. li. 5. ca. 19. Socrat l. 3. c.

IMPERATOR autem mente alienata cùm esset, perinde vt in scena ludens, fabulamque agens, eueſtigio ad beatum Babylam fertur. Quanquàm, ô nequam ac nequissime, nisi vobis ipsi vltro mutuo verba daretis, inque aliorum exitum colluderetis: quam tandem obcausam, tu quidem suppressis nominibus atque in genere de cadaueribus loqueris, tu verò, quasi certi alicuius cadaueris nomen exaudisses, aliis intactis, Babylæ vnius cadauer mouendum tibi sumis? Oportebat enim iuxta dæmonis sententiam conditoria ea omnia quæ in Daphne essent, effodere, & terriculum à deorum adspectu quàm longissimè abducere. At non de omnibus, inquis, mortuis verba dæmon fecit. Cur igitur id XXIX.

non

non aperte professus est? nempe tibi impostura fabulam agenti, ænigma istud reliquit. Equidem cadauera, inquit, tibi dico, vt ne palam fiat, me victum esse, nam & alioqui reformido Babylam nominatim designare: at tu intelligito, quod à me dictum est, atque vnum pro omnibus martyrem amoueto. Ille enim est, per quem muti efficimur. Tantæ certè dementiæ dæmon cultores suos à se damnatos esse voluit, vt tam apertam impostura capere nequirent, nam vt mente alienata atque insana omnes essent, tamen ne sic quidem ignorare debebant, quod victum sese dæmon fateretur: tã ea res manifesta, tam aperta futura erat. Nam si hominum cadauera inquinatum quiddam (quod tu esse vis) & execrabile sunt, multo magis brutorum cadauera, ac tantò certè magis, quanto brutorum genus humano genere contemptibilius est. Multorum verò canum, simiarum asinorum ossa proximè templum defossa sunt, quæ potius mouenda fuerant, nisi fortè censes homines simiis esse viliores. Versutia maligni dæmonis.

XXX. VBI nunc sunt, qui solem, *bellum Dei opificium, & ad nostrum ministerium creatum contumelia afficiunt, & dæmoni astrum attribuunt, & hunc illum esse affirmant? Sol enim, in tanta etiam cadauerum in terra iacentium copia, per vniuersum orbem diffunditur, nec vllo loco neque radios, neque radiorum suorum efficaciam propter ipsas locorum inquinationes contrahit. At Deus vester impuram hominum vitam, imposturas, cædes non modò non auersatur, aut odit, sed diligit amplexatur, amat, corpora autem nostra deuitat: quanquam peccati genus tale esse solet, vt vel apud ipsos authores in summam etiam reprehensionem veniat: corpus autem mortuum, & quod minimè mouetur, omni reprehensione ac criminatioue vacat. Sed scilicet istud est vestrorum deorum institutum, vt abominentur, quæ abominanda nequaquam sunt: colant ijdem & approbent, quæ omni odio & auersatione digna sunt. Et bonus quidem vir, quisquis est, neque à sano aliquo consilio, vel dando, vel capiendo, neque ab opere necessario faciendo per mortuum corpus prohibebitur: immo si animo sano est, vel ad ipsa sepulchra inhabitans, & temperantiam, & iustitiam, & omnem denique virtutem præstabit: prætereaque artifex suæ quisque artis opera absque vllo impedimento facturus est, iisque, qui ipsum rogauerint, præbiturus, non solum cadaueribus propinquus assidens, sed etiam si ipsa mortuorum monumenta extruere opus sit, & pictor, & latomus, & faber tam lignarius quam ferrarius, denique omnes sua ipsorum opera conferunt: vnus autem omnium Apollo per cadauera impediri se ait, quò minus futura prospiciat. Atqui & apud nos magni & admirabiles viri extitêre, qui res futuras quadringentis ac mille etiam antè annis quàm euenirent, prædixerunt: quod dum facerent, nullam prorsus harum excusationum, vel quæsierunt, vel causati sunt: neque mortuorum sepulchra perfringi, neque eos qui intra ea iacerent abijci, neque nouum & impudentem effodiendorum cadauerum modum excogitari iusserunt. Attamen ex eis nonnulli, impiis ac sceleſtis gentibus vicini cum habitarent, vel in mediis ipsis barbaris, quorum omnia conspurcata ac polluta erant, verè futura vaticinati sunt, neque illis ad vaticinationem aliorum obfuit conspurcatio. Quid ita? quod quæ illi dicebant, ea re vera per diuinæ virtutis opus dicebant. Dæmon autem, cum prorsus in eo diuina vis nulla esset, de futuris nihil habuit, quod Imperatori prædiceret. Cæterum ne hæreat, perplexusque esse videatur, cogitur verisimilia quædam & ridicula simulare. Quamobrem enim, quæro ex te, superiore tempore nunquam tale quiddam elocutus est? quandoquidem tum velamen hoc prætendere poterat, sui cultum ab hominibus intermissum esse: hac autem idem excusatione sibi adempta, ad cadauera confugit, anxius animi quorsum euaderet. Nam à decore ipse suo recedere nolebat. Verum ipsi vos illum coëgistis, qui cultûs excusationem ei ademistis, neque locum illi feciſtis ad sacrificiorum penuriam confugiendi. *pulchrum Bar. Apollinem aut Phœbũ non esse solem docet: Dęmonum mores. Dæmon futura prædicere non potest.

XXXI. HÆc igitur vbi audiuit fabulæ istius actor Imperator, iubet statim capsulam deturbari, quo omnibus dæmonem victum esse innotesceret. Etenim si dixisset ille, Per sanctum Babylam loqui impedior, sed hunc tamen ne loco suo moueatis, néve illius capsam vlterius conturbetis: nimirum ea res dæmonis modo cultoribus innotuisset: illos enim puduisset factum id ad alios deferre. Nunc verò, quasi ipsius infirmitatem traducere adlaboraret Imperator, sic nihil non fieri coëgit, quo ne volenti quidem factum adumbrare licebat. Neque enim iam simulatio salua & integra esse potest, propterea quod non alius mortuus, sed solus Babylas illinc translatus est: nec solum qui vrbem, & suburbium, & agros item incolebant, sed qui remotissimè etiam habitabant, in rem præsentem cum venirent, capsulamque non amplius illic esse viderent, quæsita causa statim edocebantur, dæmonem ab Imperatore rogatum vaticinari, respondisse, id se præstare non posse, nisi beato Babyla prius à se procul amoto. Quanquam, ô perridicule dæmon, licebat tibi ad alias confugere excusationes, cuiusmodi multis identidem vteris, infinita semper rebus in dubiis artificiose excogitans, aliâs Lydorum regi promittens magni imperij perditionem, Alym fluuium transgresso, hunc ipsum tamen regem posteà super accensam pyram positum commonstrans: aliâs in Salamine hac eadem arte vsus, quum tu perridiculam illam addidisses coniunctionem. Nam quod dixisti, Muliebria pignora perdes, simile fuit illi, quod Lydorum regi dixeras: quod autem adiecisti, Vsquam vel Cerere sparsa, coëunte vel vsquam: maiore id certè risu dignum fuit, ac prorsus simile ijs, quæ à circulatoribus in triuijs vulgo iactantur. At tibi ne istud quidem facere placuit. Licebat & tibi sermonem tuum obscuritate velare: (nam & hoc tibi artificium solenne esse solet) at enim institissent omnes iterum, non intellectæ vocis solutionem quærentes. Tibi etiam licebat ad astra confugere, id enim tute persæpe nullo rubore, nullo pudore facis: neque enim tibi res est cum viris mente præditis, sed cum pecudibus, atque adeo cum longè crassioribus, quam sunt pecudes ipsæ. Non erant vtique, qui tum te consulebant, Græcis sapientiores, ancipitia responsa tua audire solitis, ab errore tamen sese non eximentibus. At mendacium intellexissent? Te igitur oportuit vni tuo sacerdoti veritatem aperire, qui quod victus esses, melius, quam tute multò adumbrare nosset. Nunc verò quis te miser adducit, vt te in tam manifestam impudentiam obtruderes? Sed tu fortasse peccâsti nihil: Imperator verò perperam fabulæ subseruit. In genere enim cum de cadaueribus audiisset, ad Babylam solum audiens te ille coarguit, & impostura denudauit. Sed ne ille quidem volens id fecit: neque enim vnius eiusdemq; erat, tot ac tãta tibi donaria honoris gratia offerre, & temet rursum infamare. Verum omnium simul oculis martyris virtus tenebras offudit, neque passa est illos ea intelligere, quæ fierent: quæ omnia fiebant quidem quasi contra Christianos: risus autem non in eos qui paterentur, sed in eos qui ea facerent, totus vertebatur: quod ipsum vsu venire videmus, quum qui furore correpti sunt, in ipsos etiam parietes calcitrantes, & fanda ac nefanda in præsentes conuicia iactantes, sibi ipsi videntur proximos belle vlcisci, quum factis talibus non illos, sed se ipsos dedecorent. Id quod & tum certè euenerat. Trahebatur enim capsula per totam viam, reuertebatur autem martyr athletæ alicuius exemplo, coronam alteram in suam vrbem ferens, in qua & priorem coronam reportârat. Quamobrem si quis fortè, qui mortuorum resurrectionem neget, quum videat martyris nostri facta illustriora post obitum esse in posterum erubescat: qui martyr strenui alicuius bellatoris more trophæis trophæa coniunxit, magnis maiora, & mirabilibus mirabiliora. Tum enim certamen illi cum Imperatore solo fuerat: nunc cum Imperatore pariter ac dæmone. Tum Imperatorem à sacro templi ambitu exegerat: nunc ex omnibus Daphnes locis pestilentissimum humani generis hostem expulit, non manum admouens, quemadmodum & prius fecerat, sed virtute inuisibili inuisibilem virtutem debellans. Iulianus iubet transferri reliquias S. Babylæ. Fallacia & ambigua responsa Apollinis. Martyris virtus.

XXXII. AC viuentis quidem liberam orationem non tulit homicida: mortui autem cineres, neque Imperator, neque dæmon sustinuit, quo dæmone authore Imperator hæc agebat. Nam quod Babylas ambobus istis posterioribus maiorem in- Mortui sancti cineres

nec Imperator, nec dæmon sustinuit.

rem incusserit timorem, quam antea incussisset priori illi Imperatori, inde certè apertè liquet, prior enim ille Babylam captum, eundemque in vincula coniectum interfecit: posteriores autem isti Babylam solum transtulêre. Cur enim capsulam in mare demergi, neque dæmon iussit, neque posterior hic Imperator voluit? cur non attriuit & excussit? cur non in vastam aliquam solitudinem deferri eam mandauit? Nam si ea piaculum & scelus fuisset, si eam abominans, ac non potius reformidans, illinc dimouisset, non intra vrbem piaculum deducere, quin potius in montes quospiam, in saltus transferre oportuit. Sed scilicet perdito huic Imperatori æque atque Apollini Babylæ virtus, & quam cum Deo haberet fiducia cognita erat: ob id formidabat, si hoc feciisset, ne fulmen diuinum, néve aliquem alium morbum in se ipse prouocaret, multa enim habebat Christi virtutis, tum in iis, qui ante se regnauerant, tum in ijs, qui vna secum imperium administrabant, spectatæ argumenta. Nam ex superioribus Imperatoribus ij, qui similia attentauerant, multis ijsque intolerabilibus calamitatibus acceptis, fœda ac miserabili morte interierant, ita vt cuiusdam, dum adhuc viueret, sponte ex oculis pupillæ exilierint: Maximinus hic fuit: alius autem * furore, alius alia id genus calamitate vexatus, mortem cum vita commutârit. Cæterum ex iis, qui tum [a] cum ipso erant, patruus, quum licentiosius insaniam suam contra nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere, hoc etiam scelere non contentus, sed contumelia vlterius progressus, (vasis enim ijs inuersis, & super pauimentum collocatis atque extensis, ita super ea desedit) eucstigio illegitimæ huiusce sessionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta, vermiculos generarunt, ita vt morbum diuinitus illatum constaret: ad quem curandum medici aues pingues, easque peregrinas interficiebant, quibus ad putrefacta membra admotis vermiculos euocabant: illi vero loco quum non mouerentur, mordicus putridis partibus inhærebant, atque illum ita demum multis diebus absumptum perdiderunt. Alius porrò regij ærarij præfectus, * antequam aulæ regiæ limen transcenderet, derepente medius crepuit, & ipse id genus impietatis cuiusdam pœnas luens. Hæc sane, & his item plura (neque enim omnia enumerare temporis huius est) animo lustrans impius Imperator, verebatur temeritatem suam vlterius promouere. Me porrò hæc non ex me enunciare ex eis constabit, quæ ab illo postea edita sunt. Interim historiæ nostræ tenorem persequamur, quid exinde euenerit recensentes, hoc enim demum mirum admodum est, non modo Dei maximi virtutem, sed & inenarrabilem benignitatem patefaciens.

* Diocletianus nempe, vt notat Baron vide Theodor. l. 2. c. 11. 12.

Iuliani, qui fuit apostatæ patruus, (secũdum alios auunculus) in sacra vasa contumelia & pœna

* Felix nomine, vt notat Bar. vide Theod. l. 5. c. 11. & 12.

BABYLAS intra sacrum templi septum erat, intra quod & prius fuerat, antequam Daphnen translatus fuisset. At XXXIII malignus dæmon statim edoctus est, frustra sibi fraudis suæ artificia conficta, seque non iam certamen habere cum mortuo, sed cum eo qui viueret, qui efficax esset, quique non se modò, sed omnes quoque dæmones fortitudine superaret. Is enim Deum [b] precatus, ignem in templum vt cælitus demitteret, totum illius tectum exussit, ipsosque idolo ad extremos vsque pedes deleto, eodemque in cinerem ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipsi integri adhuc stant, abstinuit. Ac si quis nunc illò accesserit, nunquam vtique dixerit factum id, ignis opus esse. Neque enim incendium id, non ex composito factum, neque ex materia inanimi natum, sed tanquam manu quadam ignem circumagente, atque indicante, à quibus abstinere, quæ porrò absumere oporteret, tanta certè concinnitate, tanto artificio ipsum templum detectum est, nec adsimile quidem iis, quæ casu ac temere incendio conflagrasse videmus: verum ijs, quæ parietum ambitum integrum cum habent, tecto tamen carent. Cætera enim omnia, & columnæ item omnes, tam eæ quæ templi culmen, quam quæ vestibulum sustinebant, adhuc extant, præter vnam, quæ ad posteriorem templi partem stabat: & hæc tamen non temerè perfracta est, sed ea de causa, quam postea dicturi sumus.

[b] Apollinis templum diuinitus incinerem redigitur, ad preces S. Babylæ, 11 Kal Nouemb. auctore Ammiano Marcellino lib. 22.

Hoc incendium vbi accidit, statim dæmonis sacerdos in carcerem rapitur, incendij authorem indicare coactus. XXXIV. Qui vbi non habuit quem accusaret, intortis cubitis, multis flagris vsq; pulauit, in sublime raptus, ac latera vndique cæsus: quanquam ne sic quidem ex eo quicquam didicêre: reique huius euentus similis erat illi, qui in Christi resurrectione accidit. Tum enim dispositi fuere milites, qui corpus Iesu custodirent, ne qua possent eius discipuli furto illud auferre, cæterum is fuit rei ipsius euentus, vt nulla vel impudens species ijs relicta fuerit, qui resurrectionis eius fidem eleuare ac calumniari vellent. Atque hic distrahebatur miser sacerdos, quo testificaretur factum id non diuina ira, sed humano maleficio accidisse. is tamen contortus ac fœde laceratus, quum neminem haberet, quem proderet, ignem è cælo delapsum testatus est, vt maleuolis atque impudentibus nullus iam calumniæ locus relictus fuerit.

Matth. 28.

SED quod nos paulo ante dicere volentes, in alium locum reiecimus, id ipsi hîc tempestiue dicemus. Quidnam XXXV. verò id esse potest? Certè martyr noster Babylas Imperatorem eousque terruit, vt furori ille suo supersederet. Neque enim ipsum quidem sacerdotem, eumque quem tanto antea honore prosequebatur, tot malis tecti exusti causa affecit, & immanius quam fera crudelis dilaniauit, (à cuius etiam vorandis carnibus fortasse non temperasset, nisi res ea detestanda, omnibusque abominabilis visa fuisset) Babylam autem, per quem dæmon os suum obstruxerat, rursus in vrbem ea de causa transtulit, vt maior illi honos ab omnibus haberetur. Et enim idem Imperator si minus prius, hoc est, quo tempore victum se esse dæmon fassus est, at certe post ipsum incendium omnia subuertisset ac perdidisset, capsulam exussisset, vtrumque item monumentum, tum quod Daphne, tum quod in vrbe erat, nisi [c] metus in eo quàm ira maior fuisset, ac nisi eius mœstitiæ timor imperasset. Solemne enim permultis esse videmus, quum eos ira ac dolor corripuerit, etiamsi affectuum eorum authores non nanciscantur, in obuios quosque ac suspectos iram effundere. Non procul autem ab hac suspicione Babylas erat. Nam simul vt in vrbem peruenit, statim ignis in templum inuasit. Sed, quod dixi, affectus cum affectu pugnabat, & iræ metus imperabat. Mihi enim hic cogita, qualis esse poterat bonus ille Imperator in suburbium ascẽdens, hinc martyris monumentum stans intuitus, hinc templum exustum, idolum deletum, donaria absumpta, & liberalitatis suæ ac pompæ satanicæ memoriam omnem de medio sublatam. Nam vt concedamus futurum fuisse, vt illum hæc cernentem neque ira, neque mœstitia subire posset, ipsum certè dedecus acrisum permultum ferre minime potuisset: quin potius sacras impurasque manus in sancti Babylæ sacellum intendisset, nisi illum ea, quàm ante dixi, causa prohibuisset. Neque enim parui momenti ea res esse videbatur, per quam videlicet præcisa ademptaque erat omnis gentilium fiducia & libertas, lætitia omnis extincta ac tanta mœroris nebula illorum animis offusa, quanta certè offundi potuisset, si deorum simul omnium templa diruta disturbataque fuissent.

[c] Timet impius apostata cælestem vindictam.

[d] Cur in solum idolũ cælestis vltio conuersa sit.

CÆTERVM tempus iam appetere puto, vt ostendamus tum cur iram suam non in Imperatorem, sed [d] in dæmonem conuertit: tum cur factum est, vt ignis totum templum non absumpserit, sed templi tecto statim dissipato correptum simulacrum improbarit, atque refutârit, neque enim ea temerè, neque sine causa contigerunt, sed ab ea Dei benignitate, qua errantes homines tueri solet, facta fuere. Qui enim res omnes, etiam antequàm enascantur, nouit, is & hoc item vna cum alijs nouerat futurum, vt si fulmen contra Imperatorem contorsisset, qui præsentes rem spectassent, temporario quodam timore procellerentur: altero autem & tertio vertente anno, rei eius memoria deperiret, multique miraculo fidem minime haberent: sin autem templum flamma correptum fuisset, fore, vt ea res quouis buccinatore clarius non iis modo, qui tum superstites erant, sed & posteris quoque omnibus Dei iram enunciaret: vt iis quoque, qui impudentes esse, ac factum id occultare vellent, omnis calumniandi ansa esset prærepta. Quisquis enim in rem præsentem venit, quasi nuper contigerit incendium, sic animo afficitur, idemque horrore quodam perculsus, cælum contuitus, statim Dei optimi maximi incendii eius authoris, gloriam ac virtutem laudibus effert. Vt enim si quis primarii cuiusdem latronis perfracta supernè spelunca ac latibulo, vinctum illum extraxerit, tum eiusdam supelle-

XXXVI.

Simile.

supellectile omni ablata, locum illum feris ac monedulis receptaculum esse fuerit, posteà quisquis latibulum huiusmodi fuerit ingressus, simul vt locorũ deuastationes ac direptiones contemplatus fuerit, statim secum animo concipit ac reputat, qualis fuerit, qui locum illum priùs inhabitaret: ità & hîc vsu venit. Procùl enim columnas quis intuitus, posteà vbi accessit, ac templi limen supergressus est, effingit sibi dæmonis abominationem, fraudem, insidias, ac Dei iram atq; fortitudinem admiratus, ità demùm de loco eo decedit, sic quæ priùs domus erroris & blasphemiæ fuerat, nunc diuinæ gloriæ hymnis decantandæ argumentum est: tam ingeniosus, tamque industrius est Deus noster.

XXXV-II. ATQVE hæc quidem nec opinata non nunc primùm, sed iam indè à superioribus seculis magno ille miraculo edere solet. Omnia porrò recensere, temporis huius non est: commemorabimus tamen factum quoddam huius perquàm simile. Prælio olim in Palæstina à Iudæis contra alienigenas quosdam facto, victoria potiti hostes, captam Dei arcam, tanquàm exuuias & opimum quoddam spolium suo cuidam idolo (huic nomen erat Dagon) donarij loco consecrârunt: ea porrò in idoli eius templum perlata, statim idoli statua delapsa in caput, iacebat. Vbi autem diuinæ virtutis robur hac ruina illi minimè agnoscentes, idolum de integro excitatum in sede sua collocârunt, postridiè sub auroræ tempus eò quum accessissent, viderunt non iam collapsum idolum, sed prorsùs diffractum. Huius enim manus ab humeris auulsæ vnà cum pedibus ad templi limen exiliërant, reliqua idoli parte, & ea quoquè diuulsa, aliò dispersa. Et Sodomorum item tellus, vt parua magnis conferamus, hac ratione vnà cum ipsis incolis incendio absumpta, sterilis facta est, vt non solum qui id temporis superstites essent, sed & posteri item omnes locorum vastitate admoniti, continentiores viuerent. Si enim ad homines solos supplicium peruasisset, futurum erat, vt factum id posteà ab alijs minimè crederetur: propterea locus ipse plagam accepit, qui tempore prorogari potest, quique & sequentia omnia secula admonet, lege cautum esse, vt qui similia commiserint peccata, ij similes pœnas luant, etiamsi in præsentia id non fiat: id quod & templi huius incendio accidisse videmus. Eccè enim iam vicesimus ex eo annus agitur, nec tamen ædificij ab igne relicti pars vlla deleta est, sed quæ partes flammas euaserunt, eæ solidè ac firmiter stant, suntque etiam nunc sic validæ, vt vel ad centenos, ducentenosque, & multò item plures annos durare possint. Id verò quî mirum videri debet, si ex columnis nulla prorsùs ab altera auulsa ad solum deciderit? Columnarum enim earum, quæ ad posteriorem templi partem erant, vna tantùm tum perfracta: nec ea quidem corruit, sed à sua sede mota, ad murum dum caderet inclinata, sic mansit. Cuius quidem columnæ partes sunt duæ, quarum altera à basi ad sectionem obliquè muro incubuit, altera à sectione eadem ad capitulum supina constitit, & ea ab inferiori parte suffulta. Quanquàm autem & venti vehementes loco illi sæpè incubuêre, & terræmotibus crebris tellus fuit concussa, ignis tamen reliquiæ inconcussæ manserunt, quæ ipsæ firmiter stant, propemodùm clamitantes, sese ad posterorum emendationem asseruatas esse.

1 Reg. 4. & 5. Dagon idolum corruit illata arca in templũ.

Gen. 19.

Nota de hac columna.

XXXII-X. ET quidem quòd templum ipsum totum non conflagrârit, hanc dicere possis causam esse: quòd autem Imperator fulmine percussus non fuerit, aliam si quæsieris, causam reperies, ex eodem bonitatis & benignitatis Dei fonte manantem. Propterea enim Deus ignem ab Imperatoris capite defendit, eundemque in templi tectum eiaculatus est, vt alieno ille malo edoctus, pœnam sibi reseruatam effugeret pœnitentia compunctus, & errore liberatus. Illi enim hoc neque solum, neque primum virtutis suæ signum Christus dedit, sed & alia multa, hoc ipso non inferiora. Nam & patruus eius, & quæstor ærarius, sic, vt dixi, vterque vitam finientes, præterea, & fames in vrbem statim vnà cum ipso inuadens, & aquarum penuria nunquàm antè visa, quam ab eo sacrificia in ipsis fontibus facta fuissent, & multa præterea alia, tum ea quæ in ipsius castris, tum ea quæ in vrbibus euenerunt, huiusmodi certè fuêre, vt vel saxeam animam flectere possent, non ob id quidem, quod permulta essent, neque ob id, quòd omnia pariter ederentur, ac deinceps post ipsa statim scelera perpetrata, vt quondam Aegyptiorum regis tempore: sed quòd quæ edebantur miracula, per sese talia erant, vt ad eorum, qui ea cernerent, emendationem aliud alio non egeret, verùm illorum vnumquodque hoc ipsum per se præstare possit. Nam vt cætera prætermittam, quem tandem, qui idem non admodùm stupidus esset, non perterrefecisset editum ad veteris templi Hierosolymitani fundamenta miraculum? id porrò cuiusmodi fuit?

Sæpè diuinitùs vt resipisceret, admonitus Iulianus.

Exo. aliquot capitibus.

XXXI-X. TYRANNVS cùm videret per omnes Imperij sui fines Christi fidem diffusam, eandemque ad Persas vsque, aliosque remotiores Barbaros, atque adeò vltra etiam illos peruasisse, breuiter omnem eam, quam sol radijs suis lustrat, regionem occupare, cruciabatur animo atque angebatur, apparabatque sese ad gerendum contra Christianorum conuentus bellum infelix, vt qui ignoraret se contra stimulum calcitrare. Ac primùm quidem Hierosolymitanum templum, Christi virtute solo æquatum, excitare conabatur, & Iudæorum res, quanquàm Græcus homo, procurabat, virtutis Christi periculum indè facere volens. Hic vocatis ad se Iudæis quibusdam, ijsque sacrificare iussis, (nam & illorum Maiores dicebat hunc religionis ritum obseruare solitos) vbi Iudæi ijdem eò confugerunt, vt dicerent, fas sibi nequaquàm esse, id, templo collapso, extra veterem metropolim facere, iubet illos pecunia de regali thesauro sumpta, suppeditatisque ijs omnibus quæ ad opus necessaria forent, abire, templum instaurare, & ad pristinam sacrorum consuetudinem redire. Tum illi dementes planè, à matrisque vtero errantes, atque ad canos vsque eruditione indigentes discesserunt, Imperatoris mandato parituri. At simul vt ædificaturi fossitiam humum euacuare cœperunt, statim è fundamentis ignis exilijt, quo omnes pariter absumpti fuêre. Quæ res Imperatori vt renunciata fuit, neque vlteriùs insaniam suam promouere conatus est, (metu enim detinebatur) neque tamen dæmonum errore (quorum tyrannide prorsus premebatur) liberari voluit. Ac tum quidem supersedebat.

Iulianus tẽplum Hierosolymorũ instaurare frustra conatur.

Nota miraculum.

XL. CÆTERVM non ità multo pòst tempore ad id genus leuitatis redijt, templum quidem non iam ædificare audens, aliundè autem paruulis prælijs ac velitationibus nos petens, aperto enim Marte nos adoriri tum differebat, primùm atq; præcipuè, quòd persuasus planè esset, frustra se id tentaturum: deindè quòd nullam nobis ansam relinquere volebat, per quam martyrij corona redimiri possemus. Ferre enim haud quaquam poterat, idque illi quauis calamitate indignius erat, si quis in medium productus, pro veritate vel ad mortem vsque tormenta sustineret: vsque adeò ex animo inimicitias se nostras suscepisse declarabat, nouerat enim, nouerat (inquam) apertè, futurum, vt si id ipse attentâsset, omnes pro Christi nomine suas animas proderent. Proindè vafer & callidus cùm esset, quos intelligebat ob peccatum aliquod Christianorum conuentuum principibus pœnas dedisse, & à præfectura quam gererent amotos, eos omnes liberos esse iuit, hoc modo pessimis quibusque licentiam largiens, Ecclesiæ leges subuertens, denique omnes inter se committens, fore enim sperabat, vt posteà minori negocio debellarẽtur, si prius bello inter se conflictati fuissent. Quinetiam quendam (huic Stephano nomen erat) tum ob doctrinæ peruersitatem, tum ob vitæ improbitatem ab Ecclesiastico principatu amotum, iubet de integro magisterii sedem occupare: atque adeò Cstristianum nomen tunc vt extingueretur, quoàd eius poterat, elaborabat, Galilæos pro Christianis nos in edictis suis tum ipse appellans, tum principes, vt idem factitarent, adhortans.

Iulianus videt Christianis martyrij gloriã.

Iulianus vult Christianorum nomen extinctum.

XLI. INTER media autem ea signa, quæ per famem atque siccitatem euenisse recensui, à sua ipse impudentia ac duritia minimè desistebat. Idem contra Persas bellum susceptur us, tanto cum fasto cùm descendisset, vt si omnem Barbarorum gentem deleturus esset, identidem nobis comminabatur, quum diceret omnes se, post suum à Persis reditum, funditùs perditurũ, hoc enim bellum sibi esse Persico grauius, atq; adeò oportere minore illo confecto, tũ demùm ad

hoc,quod maius foret,descendere,& hæc quidem nobis annunciabant,qui illi à consilijs erant. Æstuans porrò ira aduersùm nos, ad maiorem quotidie insaniam sublatus,in eadem nunquàm sententia persistebat,sed priore illo consilio posito, rursùs nobis persequutionem minabatur. Cæterùm cùm illum Deus inhibere, atque intumescentem sedare vellet, edidit rursùs signum hoc in Daphne, igni in templum immisso. Hic verò ne sic quidem furore suo supersedit, quin potiùs summa depopulandi nostri cupiditate quũ disrumperetur, ne ad id quidem tempus, quod minitatus fuerat, sibi temperauit: sed Euphratem traiecturus, militum suorum animos probabat, ac paucos quosdam adulatione quum corripuisset, quos suæ voluntati repugnãtes inuenit,nequaquàm exauthorauit, veritus si eos à reliquorum cœtu segregâsset,nè copias suas contra Persas debiliores redderet.

XLII. Qvis nobis hic quæ subsequuta sunt enarrabit? quæ quidem ijs multò terribiliora sunt, quæ tum in eremo,tum in mari, tum in Ægypto acciderunt, quo tempore Pharao ille sensu carens plectebatur, & qui cum eo erant omnes submergebantur. Quemadmodùm enim tum, posteaquàm Aegyptius ob nullum calamitatis genus concedere, ac melior fieri voluit, illum tandèm Deus vnà cum suo exercitu perdidit: sic & nunc posteaquam ad omnia Dei miracula Imperator hic impudenter constitit, nihil fructus indè percipere volens, animumque inemendatum ad omnia afferens, hunc ipsum Deus idem extremis malis inuoluit, vt quoniam aliorum calamitatibus edoctus ad frugem bonam redire non sustinuit, eius supplicijs meliores alij euaderent. Qui enim plures militum myriadas secum duxerat, quàm vllus vnquàm ante ipsum Imperator, quique Persidem omnem per incursionem, ac sine puluere, quod aiunt, capturum se sperauerat, huic sic infeliciter ac miserabiliter res successit, vt fœminarum potiùs, ac pucrulorum, quàm virorum exercitum illum secum habuisse dicas. Primùm enim imprudentia sua in tantam illos necessitatem adegit, vt equinis carnibus vescerentur,ac partim fame,partim siti absumpti perirent. Quasi enim in Persarum gratiam copias ageret, neque illos capere, quin potiùs suos illis prodere studeret, sic eos in locorum difficultates quasdam conclusit, ac tantum non vinctos hosti tradidit.

Exod.18.

Infeliciter bellũ gerit aduersus Persas anno 563.

XLIII. Enimvero calamitatum earum genus omne nullus possit, ne ex ijs quidem, qui illas viderunt expertique sunt, recensere: ità omnem modum superârunt. Sed vt summatim dicamus,illo turpiter ac miserabiliter mortuo,(alij enim illum volunt à lixa quodam, rerum indignitatem non ferente, percussum interijsse: alij autem, ne vidisse quidem se, à quo interfectus sit, sed fuisse tantum modò percussum dicunt,rogâsseque vt in Ciliciam,inibi sepeliendus portaretur, vbi etiam nunc iacet) illo, inquam, tam turpiter mortuo, quum viderent milites in extremo sese vitæ periculo constitutos, cum hostibus pepigerunt: quibus cùm iureiurando recepissent, abscessuros se à loco locorum omnium tutissimo, eodemque regionis nostræ tanquam muro quodam inexpugnabili, Barbaros humanos erga se nacti, ità euaserunt, atque è multis pauci reuerterunt, & ipsi affectis admodùm corporibus, erubescentes ob fœdera cum hostibus pacta, coacti verò illis per iusiurandum paternis bonis cedere. Hic videre erat spectaculum qualibet captiuitate miserabilius. Nam vrbis illius ciues, à quibus gratiam aliquam expectabant, quòd suos omnes intùs muri instàr in portu collocârant, pro omnibus semper ad omnia pericula obiecti, ab ijs hostilia omnia passi sunt, proprijs domibus atque agris relictis, solum vertere coacti, & à maiorum suorum possessionibus auulsi, & quidem eam iniuriam à suis acceperunt:hunc nos fructum ab egregij istius Imperatoris operibus percepimus.

Iuliani obitus horrendus.

Exercitus eius pacem ab hostibus impetrat,

XLIV. Hæc porrò temere à nobis dicta non sunt, sed vt satisfactum ijs esset,qui quærerent,cur non antea Deus de Imperatore,pœnas sumpsit. Illum enim rabie percitum sæpenumerò reprimere voluit, nè impetu vlteriùs procederet, & aliorum malorum exemplo emendare:verùm vbi restitit, extremis illum malis obiecit, iustam quidem peccatorum eius retributionem in magnum illum iudicii diem reiiciens, præsenti autem pœna superiores excitans & castigans. Talis est enim Dei lenitas, vt qui eadem non rectè vtuntur,eos grauiore pœna afficiat:quæ quemadmodum resipiscentibus vtilis, ità & obstinatis ac peruicacibus maioris supplicii occasio esse solet.

Cur toleret Deus malos.

XLV. Qvod si dixeris, Quid? nonne præuiderat Deus fore, vt tyrannus hic nunquàm emendaretur? huic ita respondebimus:Præuiderat quidem,sed tamen ob id,quòd malitiam nostram prospiciat,officium ille suum non intermittit: quin potiùs etiamsi eius non admittamus admonitionem, clementiam tamen in nos suam præstat: qui si posteà in grauiora etiam nos peccata impingimus, id certè non iam eo authore euenit, qui non propterea lenis longanimisque est, vt pereamus, sed vt seruemur potiùs: verùm nobis authoribus fit, qui in illius immensam tolerantiam iniurii sumus. Sic autem & infinitam suam in nos benignitatem ostendit, quoties enim recusamus ab eius prolixa lenitate adiuuari, tum ille in aliorum vsum eam vertit, nusquàm non clementiam erga nos suam simul & prouidentiam solertiamque prodens.Id quod tum præstitum est.

XLVI. Et tyrannus quidem in hunc, quem dixi,modum è viuis discessit: Rabiei autem eius, ac beati Babilæ virtutis argumenta exstant,& templum & martyrii monumentum, illud desolatum,hoc eandem,quam prius,efficaciam retinens. Cuius capsula non vltrà refertur, Deo rem sic dispensante, quò posteris testatiora sint præclara Babilæ eiusdem facinora. Quisquis enim eò aliundê accedit martyrem requirens, hunc vbi ab eo loco abesse videt, statim causam scisciatur,neque priùs de loco decedit,quàm omnẽ eam historiam perdoctus fuerit,sic & dum ad Daphnes locum accedit,& rursùs ab eodem dum decedit,fructum maximum percipit.Ea est martyrum virtus,&viuentium & mortuorum, & ad loca illa vel illa adeuntium,& rursùs ab eisdem aliò migrantium. Etenim ab initio ad finem vsque Babylæ nostri præclara facinora continua quasi serie copulata fuêre.

Virtus martyrum,& in vita & post obitum.

XLVII. Rem, quæso,animo lustra:Dei leges ab iniuria vindicauit,pro occiso pœnas sumsit,qua ex re planũ fecit,quanto inter se interuallo sacerdotium & regnum dissideant: mundi fastum omnem soluit, vitæ huius opinionem conculcauit: reges docuit, nihil vltra modum, ipsis à Deo datum potestatem promouere: sacerdotibus planum fecit, vt principatui huic præesse oporteat.Atque hæc quidem,& his item longè plura,etiamnùm viuens præstitit. Vbi autem hinc emigrauit, dæmonis robur eneruauit, gentilium impostura coarguit, vaticinii deliramenta detexit, personam eius contriuit, simulationem omnibus denudauit ac patefecit, eum qui in ea dominari videretur,obmutescere cogens, ac magna vehementia opprimens.Hodiè quoque templi parietes recti stant omnibus quasi prædicantes, quà dæmonis impudentiam,risum,imbecillitatem: quà martyris coronas,victoriam virtutem. Ea sanè est sanctorum fortitudo tam inexpugnabilis & terrifica, tum regibus, tum dæmonibus, tum ipsi etiam dæmonum principi.

COM-

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM SANCTI APOSTOLI CHRISTI TIMOTHEI, EX *Simeone Metaphraſte.*

AN. 60.

I. MAGNVM Timotheum tulit quidem Lycaonia, aluit autem & inſtituit, quæ olim inter ciuitates fuit inclyta Lyſtra: non tantum ſibi placens de vbertate & abundantia rerum neceſſariarum, quantū de hac planta longè ſuauiſſima, & de ijs, quæ in eo efflorent, virtutis ornamentis, etſi ne puras quidem & ſynceras generis habuerit radices: ſed ex ſpinis quoq; infidelitatis plurimū habuerit admixtum. Nam erat quidem ei auia Lois, mulier pia, & quæ re vera curam gerebat virtutis: mater Eunica, quæ & Iudæis quidem olim fuerat inſita in pietatem, & in integris virtutum hortis re vera floruerat. Pater autem gentilis, & in gentilium rebus maximè inſignis, veluti quoddam in frumento lolium, nempe honeſto & præclaro Timothei genere, & roſis ſpina adnatus, & vitio tantum inſignis, quantum fuit illius filius pietate clarus & virtute incomparabilis. 24. IAN. 2. *Tim* 1. Genus Timothei.

II. CVM eſſet autem adhuc infans Timotheus, & à matre Eunica inſtitueretur, gentilium & Iudæorum errorem ſimul ex æquo declinauit: & tunc accedit ad Paulum, præclaram Eccleſiæ tubam, ſimul cum Barnaba Chriſti diſcipulo & Apoſtolo, ſicut diuinus Lucas dicit in Actis: cùm is veniſſet in Lycaoniam, quæ eſt finitima quidem Iconio & Derbæ: ex Pauli verò aduentu magnum erat conſecuta miraculum, & claudum ab ipſo ortu (O diuinam viſitationem, ô admirabile ſpectaculum) ſanum effectum illius præſentia, & pedibus ſuis abſque moleſtia, & ſecurè vtentem. Qui quidem eos, qui erant in ciuitate, in tantam adduxit admirationem, vt eſſet eis id, quod factum fuerat, ſupra fidem, & ſuos deos exiſtimarent forma hominibus aſſimilatos obire ciuitatem, & eorum eſſe opus claudi curationem. Poſtquam autem, quiſnam eſſet, cognouerunt, & quòd Dei viui eſſet potius Apoſtolus, & horum, qui falsò dicuntur, deorum aduerſarius, ad hoc ipſum miſſus, vt ab eorum errore liberarentur homines, & quòd prædicat Deum, qui non ſolum poteſt corrigere tales corporum mutilationes, ſed etiam ſuſcitare mortuos: multi ab errore deficientes, acceſſerunt ad pietatem. Opus illius miraculi, fuerunt etiam huius admirabilis diſcipuli & Apoſtoli parentes, quæ magno ſtudio & liberalitate Paulum domi ſuæ acceperunt: & pietatis quidem lucem ab eo habuerunt, pium autem & Dei amantem Timotheum, veluti viciſſim reddiderunt, qui erat adhuc iuuenis & tener, & aptus ad ſuſcipienda ſemina pietatis. quod quidem licet apertius diſcere ex libro Actuum Apoſt. Nam cùm Paulus, inquit, obiret Lyſtram & Derben erat illic diſcipulus quidam, nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patris autem gentilis. Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant & Iconio fratres: S. Timoth. adiungit ſe B. Paulo. *Act.* 14. *Act.* 16.

III. CVM ſic ergo Paulo traditus fuiſſet Timotheus, patri ſpiritali filius magis proprius, quàm eius qui erat pater ſecundùm carnem, & ex ciuitate vnà eſſet exceſſurus, ab eo circunciditur propter quoſdam Iudæos, quibus plena erat ciuitas, & omnia circuncirca: quoniam omnes ſciebant illum eſſe natum patre gentili. Atque ciuitates quidem obibat Paulus, ſeminans prædicationem, veritatemque annuntians, & omnes ſpiritu regenerans. Eum autem conſequebatur ſicut ſtella ſolem Timotheus: deductus quidem à parentibus, eorum autem cor non obſcurè ſaucians propter ſeparationem. Quid ni enim, cùm eſſent parentes talis filij & qui ſcatebat tam ſuaui flore virtutis: Ipſe verò ex eorum ſeiunctione nihil viſus eſt affici, ſed quodammodo Pauli deſiderio contegere ſuam in parentes affectionem, & oſtendere id naturali neceſſitate longè eſſe valentiùs. Hinc in literarum diſciplina ab illo inſtituitur, fitque ei contubernalis, & omninò ſimul cum eo viuebat. Deindè eius quoque Diaconus conſtituitur, & ad Apoſtolatum confirmatur, periculorum atque laborum effectus ſocius, & nihil omninò impeditus ab ætatis teneritudine, quô minûs reſiſteret laboribus: ſed generoſam inducens voluntatem, quæ ætate plus poterat: adeò vt boni eius animi & piorum operum teſtem ipſum habuerit magiſtrum, ſic dicentem: Videte, nè quis ipſum contemnat. Opus enim Domini operatur, ſicut ego. *Ibidem.* Timoth. ab Apoſt. literis imbuitur. 1. *Cor.* 16.

IV. CVM autem ad tãtam peruenisſet virtutem, & tantum eis teſtem adhibuiſſet, non hîc ſolùm, ſed etiam in multis alijs locis. Nam modò quidem, inquit, ſcribens ad Corinthios Paulus: Miſi ad vos Timotheum fratrem meum, qui eſt filius meus dilectus & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam rediget vias meas in Chriſto. & rurſus: Si venerit Timotheus, videte vt ſine metu ſit apud vos: Modò autem ad Philippenſes quoque ſcribens, adſciſcit ſocium inſcriptionis: Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti. Et deinceps conſequenter in epiſtola: Spero autem in Domino me Timotheum citò ad vos miſſurum, vt & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui ſyncerè pro vobis ſit ſolicitus. His verò congruentia ſcribit etiam ad Theſſalonicenſes: Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, eum hîc quoque honorans ſocietate inſcriptionis: Miſi ad vos Timotheum fratrem noſtrum & miniſtrum Dei, & cooperatorem in Euangelio Ieſu Chriſti, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide noſtra, & nemo moueatur in iſtis afflictionibus. Et alibi: Probationem autem eius cognoſcitis, quòd ſicut filius patri: mecum ſeruijt in Euangelio: illos quoque aſſumens, veluti teſtes virtutis Timothei. Deindè verò etiam ad Coloſſenſes: Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater. 1. *Cor.* 4. 1. *Cor* 16. *Phil.* 1. *& 2.* 1. *& 2. Th.* 1. 1. *Theſ.* 3. *Philip* 2. *Coloſſ.* 1.

V. PORRO autem cùm à præceptore tantum ferret teſtimonium, & modò quidem filius in Domino fidelis & dilectus: modò autem eius frater & Euangelij cooperator vocari dignus haberetur: & ſuſque deque tot & tam magna conſequeretur encomia: tamen ne ſic quidem ſibijpſi confidere & non timere poterat: ſed tam accurate, viuebat, & tam diligenter ſe exercebat, & tam acriter ſe affligebat, vt eum etiam exhortaretur præceptor, ſuadens diſcipulo, ne aquam amplius biberet, ſed vino modico vteretur: Propter ſtomachum tuum, inquit, & frequentes tuas infirmitates. Sed quanuis ſic laboraret eius corpus continua infirmitate, & haberet deiectam ſtomachi facultatem, generoſus reſplendebat animus. Non poterat enim corporis infirmitas deprimere tam generoſum animum: ſed celeri zeli penna omnem in partem peruolabat, & modò quidem Epheſum, modò verò Corinthum illius linguæ Sirenes demulcebant. Macedoniam quoque ſæpè & Italiam & vniuerſam terram cum præceptore complectebatur prædicatione. Quid autem dixeris, quàm multos cupiditatibus à ratione maxime alienis & abſurdis ſeruientes, ab hoc graui liberauit miniſterio? Recte nouit, quod dico, is, qui eius, qui Corinthi eſt fornicatus, non ignorauit delictum. Erat enim diuinus Timotheus non ad intelligendum ſolùm acutiſſimus, ſed ad dicendum etiam promptiſſimus, & ad facundia egregie vtendum dexterrimus, & in diuinis exponendis iucundiſſimus, & ad Eccleſiam componendam & cuſtodiendam vel maxime idoneus. Nam & copioſiorem conſecutus eſt gratiam, & doctrinæ fontibus vſus eſt duplicibus: non Pauli ſolummodò admirabili lyra ſpiritûs ſe oblectans, ſed etiam verſans cum Iohanne eximiè dilecto diſcipulo, & ab eo præfectus adminiſtrationi ſedis Epheſiorum, cùm ab eo audiiſſet & didiciſſet, quæ ille rurſùs à bono ſpiritu. 1. *Tim.* 5. Timoth. verſatur cũ Ioanne Apoſtolo.

VI. NAM cùm Nero, qui male ad imperium, male (ô iuſtitia & Dei tolerantia) acceſſerat, fini martyrii principes Apoſtolorum, Petrum, inquam, & Paulum, ſubiecisſet, & alii, qui cum ipſis erant, diſcipuli ſe alio conuertiſſent, accidit vt hic magnus Euãgeliſta & Theologus Epheſi conſiſteret, à tempeſtate & naufragio eiectus, vt & referũt, quæ ab Irenæo Lugdunenſi ſcripta ſunt, & fama tradit. Ex diſcipulis autẽ ii, qui ſecuti ſunt alios Euangeliſtas & Apoſtolos, ea quę ab illis diuerſa lingua compoſita fuerãt, (nondũ enim vnius vocis ſermone vſi fuerãt) cùm ad Epheſiorũ ciuitatem Hiſt Eccl. lib. 3. cap. 18

detulissent,ei tradunt.Illum verò,vt etiam videtur Eusebio Pamphili hęc tractanti,aiunt ea quidē,quę scripta fuerant, admisisse,de eorum veritate ferendo testimonium : animaduertisse autem in eis solam restare narrationem de ijs, quæ in primis & in principio prædicationis à Christo facta fuerant. Et vera quidem est oratio. Inuenies enim, si diligenter consideraueris, tres Euangelistas ea solùm conscripsisse, quæ vno anno à Seruatore gesta sunt, postquam Ioannes Baptista fuit coniectus in carcerem:idque eos rectè significare in principio suæ historiæ.

Matth.4. NAM post ieiunium Christi quadraginta dierum, & eam quæ in ipso fuit tentationem,Matthæus quidem signi- VII.
ficat tempus suæ scriptionis,dicens: Cùm autem audiuisset,quòd Iohannes erat traditus,à Iudæa recessit in Galilæam,
Luc.3. Lucas quoque, priusquam inciperet narrare facta Iesu, similiter ostendit, dicens, quòd adiiciens Herodes ijs, quæ fecerat, inclusit Iohannem in custodia. Propterea ergò dicunt, Iohannem Apostolum rogatum, tempus quod fuit silentio præteritum à prioribus Euangelistis, & quæ in eo facta fuerant à Seruatore, ea autem sunt, quæ facta sunt antequam Baptista in carcerem conijceretur,in suo tradidisse Euangelio, etsi prius non scripta vsus esset prædicatione, &
Iohan. 2: hoc ipsum significasse, partim quidem dicendo: Hoc principium fecit signorum Iesus : partim autem faciendo men-
Iohan. 3. tionem Baptistæ inter actiones Iesu, vt qui tunc adhuc baptizaret in Ænon prope Salim. Præterea verò hoc ostendit
Ibidem. apertius, dicens : Nondùm enim erat Iohannes coniectus in carcerem. Ex his ergò apertè ostendit, Theologum ea in suo Euangelio tradere, quæ à Christo facta sunt, Iohanne nondum coniecto in carcerem:reliquos autem tres Euan-
Euāgelistæ vt inter se non discrepent. gelistas meminisse eorum, quæ facta sunt, postquam Iohannes fuisset coniectus in vincula. Quæ qui attenderit, non amplius ei videbuntur discrepare Euangelia : quòd id quidem quod est secundum Iohannem primas Christi continet actiones : reliqua autem, historiam quæ facta est in ipso fine Christi. Meritò ergo carnis quidem Seruatoris nostri genealogiam, vt quæ à Matthæo & Luca prius scripta fuisset, Iohannes silentio præterijt : à Theologia autem incipit, vt quæ ei, vtpotè præstantiori, fuisset à bono spiritu conseruata. Et sic quidem Eusebius de Iohanne & alijs narrat Euangelistis.

FIERI ergo non poterat, vt ipsius veritatis, Christi, inquam,verba excidérent,qui discipulis suis dixit: In mun- IIX.
Iohan 16. do afflictionem habebitis. Neque ergò exciderunt, sed vterque multas subijt molestias. Cùm enim Domitianus per magnam vim sceleris tunc inualuisset imperium, condemnatur hic quoq; habitare vnam ex Cycladibus. Domitianus, inquam, cui post Neronem & eos, qui intercedunt, mandatum fuit imperium : ei autem improbitate nihilo fuit inferior, sed semper ad ipsum respiciebat, aut etiam sceleribus & flagitijs superabat, & structis in alios calumnijs tam lubenter aures accommodabat, quàm suis ipsius laudibus: siquidem tantum valuit assentatio, vt etiam Domitianum laude aliqua impertiret & celebraret. Illius ergò ad facilè audiendas calumnias propensio,Iohannem condemnat,vt
Apoc. 1. relegetur in Patmon. Sic enim nominata est insula,in quam fuit relegatus. Quem quidem in locum cùm per ignominiam relegatus fuisset venerandus Iohannes, Timotheus eius loco susceptt Episcopatum Ephesiorum. Quanquam nec ipsum quoque in sede longo tempore viuere permisit inimicus.

Catagogium,festus dies apud Ephesios. ERAT enim quidam dies festus apud Ephesios,qui ab eis vocabatur Catagogium, In eo ergò & clauas tollentes, IX.
& simulacra in manibus tenentes, & sibi quasdam imponentes personas, & insigniores partes ciuitatis impudenter obeuntes, & iis quædam carmina decantantes, virosque & mulieres more prædonum inuadentes, magnam cædem eorum faciebant: ea ratione putantes execrandi, se suum honorare dæmonem, vt eos viderentur homines honorare, quorum maximus cultus,est mors eorum qui honorant.Diuinus ergo Timotheus hoc ægrè ferens,& igne zeli visceribus inflammatus,&partim quidem consiliis vsus & admonitionibus, cùm minimè potuisset eis persuadere, vt à tali desisterent insania, accedit ad eos in media compita, cùm iam festum ageretur, rursus admonens increpans,docens,quid non faciens ex iis,quæ possent dimouere hominem à tali insania.

[a] Cædem S. Timothei, circa ann. 108 nō sub Domitiano sed Traiano facta contra Metaph probat Bar. tom. 2. ILLI autem [a] eius dicendi libertatem ægrè ferentes,quæcunque habebant in manibus,iis aduersus eum vsi sunt, X.
eum ferientes & per terram trahentes cum quàm maxima dici potest crudelitate & inhumanitate, & tandem humi iacentem, cùm omnis virtus vitalis & operatio eum deficeret, quidam Christiani eum tollentes, parum adhuc & ægrè spirantem,&iam morti vicinum,vltra ciuitatis portum deposuerunt:vbi cùm Deo commendatum emisisset spiritum, corpus rursus piè & sanctè in quodam loco condunt,qui apud eos Pion,id est,pinguis,dicitur. Longo autem [b] tempore postea,Constantii in eum amores,qui filius fuit Constantini,Magni,inquam,illius& primi Imperatoris Christianorum, illinc exportant reliquias, desiderii administro vtentes Artemio: qui cùm egregiæ illius Timothei in dicendo libertatis fuisset imitator, ei quoque postea fuit conformis mortis similitudine, & fuit martyrii ornamento propter Christum decoratus. Reponitur autem in sacra ara eius, quod cognominatur templum [c] Apostolorum, (fuit verò id Constantii manûs opus & fidei) sub ipsa mensa mystica, suppeditator miraculorum, dispensator gratiarum, thesaurus qui non potest exinaniri, diuitiæ quæ non consumuntur, & cum Luca & Andrea connumeratur: Deo fortasse hoc benignè prouidente, vt sicut eis omnia fuêre communia, mores,disciplina,prædicatio:commune quoque esset sepulcrum,quoniam eis quoque est illic quies communis.

[b] Trāslatio reliquiarū eius.

[c] Templum Apostolorum. TEMPLVM autem Iustinianus, cum manu postea magnificentiori quoque arte adhibita, splendidè ædificat & XI.
transformat,& ei pulchritudinem & magnitudinem, quæ nunc est & cernitur,exhibet: præterquam mysticam & diuinam mensam. Ab ea enim sola abstinuit, hoc pulchrè & sanctè faciens propter depositionem sacrarum reliquiarum. Quocirca posita est in medio templo vsque in hodiernum diem, cùm mensam ex purissimo argento construxisset, & cum magna sui in Christum amoris significatione, sanctorum Christi Apostolorum sancta corpora recondidisset.

S.Iohannes redit Ephesum. CVM autem impius Domitianus sceleratissimè quidem imperâsset, miserrimè autem vitam finiisset, Nerua sus- XII.
cipiens imperium, & statim post ipsum Traianus quoque, cùm se & quàm fieri posset clementissimos & æquissimos vellent ostendere, cum multis aliis Euangelistæ quoque & Theologo dissoluunt exilium. Ille autem cùm Ephesum (ô cum quanto dixerit quis guadio & honore!) rediisset,& diuinum iam Timotheum ad Iesum,quem desiderabat excessisse didicisset, & fine martyrii cursum Euangelii obsignasse, & esse Ecclesiam Præsule defectam inuenisset, eam rursus suscipit : adeò vt idem & sedem Timotheo præbuerit, & ei successerit. Quæ quidem vtraque sunt eius zeli in Deum, magnique illius studii & ardoris in pietatem. Qui quidem longo postea tempore perpetuò curam gessit ecclesiæ, & veritatis annuntiauit prædicationem, ad augmentum pietatis, ad salutem animarum, ad gloriam Domini nostri Iesu : Cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu est omnis honor nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Timotheo non Iohannem sed Onesimū in Episcopatu Ephesi successisse: Iohannē verò totius Asiæ Episcopum fuisse Baron. demonstrat tom. 2. Annal.

PASSIO

PASSIO S. IVVENTINI ET MAXIMI MARTYRVM, A D. IOHANNE CHRYSOSTOMO CONSCRIPTA.

AN. 350. Habetur tom 5. operum eiusdē. Vide & Theodore. l 3. c 14. Niceph l. 10. c. 12

I. HERI beatus Babylas cum tribus pueris nos hîc congregabat: hodiè verò par sanctorum militum, in acie exercitum Christi ostendit. Heri quadriga martyru, hodiè biga se ostendit. Impar eorum est ætas, sed par fides. Varia certamina, sed eadem fortitudo. Illi tempore superiores, isti recentiores. Et cùm tantus thesaurus sit Ecclesiæ, nouas & veteres habentis margaritas: sed vna omniū est gratia. Eorum flos neq; languescit, neq; defluit tempore. Nescit vetustatis rubiginem splēdoris istius natura. Temporis accessione, opes quæ ad corpora spectant, facilè intereunt, vestimenta absumuntur, domus destruuntur, & aurum rubigine consumitur: & in summa, omnium sensibilium facultatum natura tempore tandèm aboletur & intercidit. At non sic se res habet in spiritualibus thesauris, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem iuuentutis flore sunt, semper suæ gloriæ fulgorem emittunt & radios. Quod scientes vos, non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate omnes. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, fidem, zelum feruidum, & eas virtutes, quas præ se ferunt, sancti, ob quorum honorem hodiè conuenimus. Hi enim tanto amore Dei flagrabant, vt etiam extra persecutionis tempus, martyrij corona redimiti fuerint, absq; pugna triumphum retulerint, absque prælio victoria potiti sint, absque theatri certamine brauium rapuerint. Et quomodò hoc? Ego dicam: sed ferte me rem paulò altiùs enarrantem.

25. IAN. Colere sanctos alacriter.

II. ERAT rex quidam etiam nostro æuo, omnes, qui se præcesserunt, impietate vincens, de quo & heri à me dictum. Qui cùm videret res nostras martyrum morte clariores fieri, & ea causa non solùm viros, sed & teneros pueros, virginesque nondum nubiles, & in summa, ex omni sexu & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur & dolebat. Cæterùm mouere bellum manifestè nolebat. Omnes enim, docebat, ad martyrium, quasi ad aluearium apes, volabunt. Hæc autē non à semetipso habebat, sed à progenitoribus suis didicerat. Etenim & illi, vtpotè tyranni, Ecclesiam infestârunt & populi quoquè in nos insurrexerunt, quum adhuc parua religionis scintilla esset: eam tamen non expugnârunt, neq; confregerunt, sed ipsi potiùs confracti sunt. Augebatur quotidiè scintilla hæc, ferebaturq; in sublime, & omnem vndiq; orbem inuadebat. Cùm occiderentur, adurerentur, suspenderentur, præcipitarētur, bestijs obijcerentur fideles: carbones sicut lutum calcabant, mare & fluctus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema & coronam currebant: omniaq; tormentorum genera ità contemnebant, vt ea non solùm generosè & fortiter ferrent, sed & alacriter & volupè. Enimuerò sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ità & fides nostra oppugnata magis floret: & seditione agitata, incrementa maiora sumit. Neque horti aquis irrigati ità germinant & fœcundi sunt, vt ecclesiæ, si martyrum irrigentur sanguine.

Iulianum apostatam dicit.

Simile.

III. Hæc omnia atque plura cùm rex ille sciret, meticulosior erat quàm vt manifestè cum nostris confligeret. *Non, inquit, triumphos & victorias & coronas mutuò parabimus. Sed quid facit? Vide, oro, malignitatem. Medicos & milites & oratores omnes, vel à professionibus suis discedere, vel fidem suam abiurare iubet. Excitauitq; in hunc modum contra nostros bellum, tela eminùs mittens, vt si à fide desistèrent, ridiculè vincerentur, vt potæ qui fidem opibus non præferrent: si generosè perseuerarent, & vincerent, neq; sic egregia foret victoria, neq; insignis triumphus. Nihil enim magnum, artem vel professionem pro pietate contemnere. Neque is sæuitiæ eius finis erat. Nam ad hæc, si quis superioribus annis, cùm adhuc pij reges rerum potirentur, vel altaria demolitus fuisset, vel templa suffodisset, vel *oblationes diripuisset, vel aliud tale quiddam egisset, rapiebatur ad tribunal, & occidebatur, *etiam insons, & duntaxat delatus. Fingebat quoque & alias varias causas, ità vt pie viuentium nemo non lugeret. Agebat autē hæc *vt obscuraretur contemptaque esset martyrii corona, & nihilominùs cædes & strages fierent. Nihil tamen arte hac proficiebat. Nā qui ità affligebantur: non ad illius calculum & malignitatem spectabant, sed ad incorruptum iudicem, à quo & cælestem coronam accepturos sese confidebant.

Versutia Iuliani apostatæ

*al. Ne efficiamus, inquit vt frequentes agant triumphos continuas reportēt victorias, & coronas obtineant. Front. Ducæus *al. donaria *al. non is solum qui tale quid egisset; sed qui delatus duntaxat fuisset. *al. vt obscuraretur martyrij corona, & nihilominus cædes & strages fierent: neq; splendida præmia martyrum apparerent. Front. Ducæus.

IV. INTEREA cùm hæc ità sese haberent, & bellum quidem rex parturiret aduersùs nostros, cessaret autem, veritus nè vinceretur: accidit vt milites quoddam conuiuium haberent, in quo & martyres, quos hodie colimus, erant. Cæterùm, vt conuiuiorum mos est, cùm varij sermones hincinde dicerentur, alijq; alia tractarent, martyres nostri mala sui seculi inter se deplorabant, longe feliciora fuisse superiora asserentes, dicebantq; & inter se, & ad sodales: Quem iuuaret vltrà viuere, vel spirare, vel solem intueri, sacris legibus ità conculcatis, pietate ità violata, creaturarum omnium Domino ità contempto? Omnia nidore plena sunt & fumo, omnia sacrificijs immundis referta. Proh, neque purum aërem spirare possumus. Dicta hæc ne perfunctorie transeas, sed considera, quando ea locuti sunt, & quanta pietate. Nam si in militari symposio, vbi regnat ebrietas & intemperantia, vbi certatur de prodigalitate, vbi agon est stuporis & insipientiæ, sic ingemiscebant & lugebant: quales erant domi, cùm soli inter se agerent? Quales erant in precibus & ieiunijs, qui deliciarum tempore, tam humilitati, & tam apostolica præ se ferebant pectora? *Gaudebant alij, hi verò lugebant: impie aiebant alii, hi verò zelo vrebantur. Sane ipsi ob fractum* valetudinem suam sanitatem non sentiebant. Sic dolebant & lacrymabantur in malis, quæ tunc fiebant, quasi vniuerso mundo tutores dati essent. Neque clandestinum fuit, talia eos dixisse. Nam ex sodalibus & conuiuis adulator & irrisor quidam, obsequium regi facturus, omnia vt dicta erant, detulit. Rex[a] accepta occasione iam diù quæsita, causatus est ex vrbis illis affectatā tyrannidem, vt ità martyrij corona priuaret. Et iussit confiscatis facultatibus eorū omnibus, nudos eos in carcerem conijci. Illi autem gaudebant & exultabant, dicentes: Quid nobis diuitijs, precioſaque veste opus? Si & indusium intimum, nempe caro, propter Christum exuendum est, non obluctabimur, sed sponte concedemus. Et ocyùs dicto scripti sunt libelli indices, confiscataque omnia. Porrò vt homines in patriam *migraturi, substantiam omnem in pecuniam commutatam præmittunt: ita & illis accidit. Quoniam enim in cælos tranaturi, inimicis ipsis negocium agentibus, & in hoc ministrantibus, opes suas ante se miserunt. Non enim illæ tantùm opes, quas eleemosynæ nomine dispendimus, *transferuntur in cælum, sed etiam quascunque nobis hostes fidei piorumque persecutores rapiunt, *alibi thesauri erunt: Est enim hoc non minus, quàm illud. De *hoc audi, quid Paulus dicat. Et rapinam, inquit, facultatum vestrarum cum gaudio tuliſtis, scientes vos habere meliorem substantiam, & manentem in cælis.

Conquerūtur milites inter se de pietate profligata.

* al. Lætabantur alii &c. hi verò vrebantur. * infirmam valetudinē Front. Ducæus.

[a] Apostata illos propterea persequitur.

* longe distantē mi-

Heb. 10

graturi. Front. Ducæus *al. transferunt *illic. *quo.

V. VT autem ingressi sunt in carcerem, confluxit ad eos omnis ciuitas, tametsi multis terroribus, minis, & periculis interdictum erat, ne quis vel eos accederet, vel eis loqueretur, vel quouis modo communicaret. Aequi timor Dei efficiebat, vt non curarentur ea principis mandata. Vnde multi ob consuetudinem, quam cum martyribus habebant, facti sunt & ipsi martyres. Multi enim contempta præsenti vita, frequenter eos visitando, sacras apud eos vigilias continuis psalmis perficiebant. Erant familiaritates illæ spiritualis eruditionis atque consolationis plenæ. Et clausa quidem tunc

Multi ad eos in carcerem adueniunt.

maximã dem tunc est ecclesia, carcer autem ecclesia factus est. Neque hi solùm, qui eos visebant, sed & qui intus cum eis tenebantur, meram sapientiam & virtutem à patientia & fide eorum discebant.

REX vt hæc audiuit, valdè stomachatus est: cupiens tamen eos supplantare, & ab alacritate sua destituere, auaros VII. quosdam homines & impostores subornauit, qui si quando priuatum colloquium sese offerret, eos accederent: non vt à rege missi, sed quasi singulari compassione & proprio consilio id agentes, & adhortarentur, vt à religione desistant, & ad impietatem transeant. Dicebant enim: Sic non solum imminens periculum effugietis, sed maiori dignitate honestati, maiorem quoque principatum adepturi estis, regis ira feliciter placata. Nónne vidistis & alios vestri ordinis idipsum fecisse? Quibus illi responderunt: Atqui nos hac potissimùm ratione viriliter stabimus, & pro illorum ruina nosmetipsos in sacrificia offeremus. Benignus & misericors nobis Dominus est, solet etiam vno accepto sacrificio, toti orbi conciliari. At sicut olim tres pueri dixerunt: Non est in tempore hoc princeps, & propheta, & dux, neque sacrificium, neque incensum, neque holocaustum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, quasi in holocaustis arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium. Ità & illi videntes altaria subuersa, clausas ecclesias, sacerdotes fugatos, fideles omnes in exilium actos, studebant vt pro omnibus offerrentur Domino, relictisque militaribus* signis, angelicis sese chorus adiungerent. Quocircà & dicebant: Quid? Etiam si nunc non morimur, moriendum tamen omninò est non multò post hac. Satius igitur fuerit mori pro rege angelorum, quàm pro rege tam impio. Hîc etsi moriatur quis pro rege, nihil accipiet à rege sua dignum fortitudine. Et quid posset* defuncto præstare, si vel maximè vellet? Atqui eis sæpenumerò ne sepultura quidem contingit, & non rarò à canibus deuorantur. Quòd si pro rege angelorum mortui fuerimus, certi sumus, nos accepturos corpus multò glorioßius, maiori gloria conspicui erimus, longè maiora nobis erunt laborum præmia. Proindè arripiamus arma spiritualia: non opùs iaculis & sagittis,* sufficit pro omnibus lingua. Sunt enim & sanctorum ora pharetræ, è quibus diabolico capiti continui & crebri ictus inferuntur.

Constantia Martyrum.

Dan. 3.

*al. turmis.

*al. homo defuncto.

*non alijs armis quæ sub sensus cadunt, hic deest, vt in Frontonis Ducæi est.

NVNCIATA sunt & hæc atque similia regi, qui nec sic destitit, sed illecebrarum escis iterùm atque iterùm illos IIX. tentauit. *Ità autem mandauit, quòd si cederent victi, sub omnium oculos producerentur: sin fortes perseuerarent, vti perduellionis rei educerentur & occiderentur, neque vlla Christianæ professionis, ob quam tenebantur, mentio fieret. At qui reuelat profunda & abdita, non permisit vt machinationes illæ occultæ manerent & ignotæ insidiæ. Nam quemadmodùm olim mulier Ægyptia Ioseph um in lecto apprehendens, licet speraret factum suum clàm fore omnibus hominibus, non fuit tamen occulta, vel oculo illi soporis nescio, vel posteritati. Quippe quod absque arbitro illa Ioseph o dixit, id nunc toto vbiquè mundo canitur. Ità & ea, quæ per subornatos illos consiliarios dolosius rex agebat, sperans occulta fore, nequaquàm manserunt occulta. Didicerunt enim posteri omnes & insidias dolosas, & triumphantium victorias. Deniquè [a] cùm multo tempore exacto alacritatem eorum non solùm non frangeret multitudo dierum, sed potius studium & ardorem excitaret æmulatoresque multos faceret, iussit tandèm media nocte in barathrum eos abduci. Ducebantur itaque in* densas tenebras luminaria, & decollabantur. Cæterùm capita detruncata tunc diabolo magis terribilia erant, quàm cùm adhuc vocem darent: Sicut & caput Iohannis non tantùm terrebat cùm loqueretur, quantum cùm in disco mutum afferretur. Habet enim & sanctorum sanguis suam vocem, quæ non per aures auditur, sed occidentium conscientiam inuadit & perstringit.

*Ita autem subdolus inde callidus, ac sapiens ad malè agendũ man dauit &c. produceren tur, & effice ret vt sacrificarẽt. Frõt Ducæus.

Gen 39.

Mat. 14.

[a] Plectũtur capite martyres anno 362.

POST beatam autem illam cædem, quidam etiam cum salutis periculo, athletas illos optimos rapuerunt, etiam IX. ipsi viui martyres, vt illorum reliquias curarent decenter. Nam [b] quanuis non occidebantur, optabant tamen mori potiùs, quàm vt corpora illa relinquerent inhumata: ità ad venationem eorum festinabant. Dicunt qui tunc affuêre, & quibus corpora illa recens occisa videre datum fuit, quòd iacentibus simul illis in sepulchro, talis quædam ex eorum oculis & vultu gratia resplenduerit, qualem in Stephano Iudæis responsuro fuisse Lucas dicit. Neque vllus est, qui non pio quodam horrore illis adstiterit: adeò adspectus ille afficiebat omnes. Quin & omnes clamabant in laudem eorum, id quod à Dauide dictum: In vita sua non sunt separati, & in morte non sunt diuisi. Pariter enim confessi sunt, pariter carcerem inhabitârunt: pariter in barathrum abducti sunt, pariter capite mulctati sunt: & vnus vtriusque corpora tumulus tenet. Et vnum quoque tabernaculum in cælis eos excipiet, quando* in maiorem peruenturi sunt gloriam, nempe immutandi.

*medijs tenebris.

[b] Nota miraculum.

Act 6.

1. Reg. 2.

*vna capsula vtriusq; corpora tenet.

*maiori sunt cum illa gloria resumpturi.

ILLOS non indignum fuerit, & columnas, & scopulos, & turres, & candelabra, & tauros simul appellare. Nam X. Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt, & sicut scopuli omnes vndarum assultus repulerunt, multam* interim ipsi seruantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt: & sicut tauri, anima & corpore promptitudineque eadem, suaue Christi iugum traxêre. Idcircò sæpè eos inuisamus, tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt indè benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera, in prælijs sibi inflicta, regi monstrantes, fidenter loquuntur: ità & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium adferentes, quæcunque voluërint apud regem cælorum impetrare possunt. Proindè magna fide promptitudine neq; huc veniamus, quò & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmijs, inde varios thesauros vndiquaq; colligamus: & per præsentem vitam ità iuxta voluntatem Dei transeamus, vt in portum æternitatis cum multis mercibus ingrediamur, fruituri regno cælorum in Christo Iesu Domino nostro, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

*ijs qui intus sunt adferẽtes trãquillitatẽ.

VITA S. EVSEBIÆ, QVÆ COGNOMINATA EST HOSPITA. VEL EXTERNA, EX SIMEONE METAPHRASTE.

25. IAN.

NOVA & aliena vita illius vere admirabilis Hospitæ seu Externæ, habet quidẽ breuissimam, & quàm fieri I. potest maxime succinctam narrationem, alienam verò, & inprimis honestam. Quanuis autem sit adeò succincta, in certaminibus tamen & laboribus, & ijs, quæ rationem habent vtilitatis, omnes fere aut certe permultos superauit. Hæc enim mulierum beatissima, magniq; & maxime virilis animi, erat genere clarissima, si patria & parentes respiciantur. Nam hi quidem fuerunt illustres, non opibus solum & gloria, sed etiam pietate: illa autem fuit omnium ciuitatum clarissima & maxima nominis, nempe Roma antiqua, Nam cùm ea ex eiusmodi parentibus nata esset prima & sola, genere quoque dignam habuit educationem, probe & ex virtute* educta, & Christianè instituta, & quæ Deo gratam egit vitam.

Genus eius & patria.

*fort. educata.

CVM autem iam esset nubilis, petitur à quodam ex ciuibus, qui ipse quoque erat clarus, & genere simul & diui- II. tijs sponsæ conueniebat. At puellæ quidem parentes cùm in nulla re desponsationem possent reprehendere, sed scirent esse dignam & congruentem alterius cum altero coniunctionem, assensi sunt affinitati, & aspexerunt ad matrimonium, diesque fuit præstitutus, & iam parata erant omnia. Hospita autem illa quæ erat magni & excelsi animi, & se di-

Quæ eam cupit habere sponsã.

se dignam censebat præstantioribus, & ad alium sponsum intuebatur immortalem: cùm audiret verba fieri de his nuptijs, in quas cadit interitus, putabat esse nugas: & nec vt eis assentiretur, omninò inducebat in animũ, & nec erat vllo modo affecta muliebriter. Ab illo verò solo sponso eius pendebat animus, eiusque amore & præcordia & cor valdè sauciabatur, & ad ipsum totum conuertebat animum. Quamobrem statuit se clanculum subducere, parentibusque & domo relictis, se fugæ committere. Hoc autem versans animo, alios quidem celauit: quas verò sciebat ex ancillis esse magna in se beneuolentia, & alioqui in multis sui magnam dedisse experientiam, quòd nõ vt ancillarum, neque adeò vt fœminarum, earum facilè caperetur & expugnaretur animus: eas cum accersijsset, & iureiurando adegisset, eis apertè totam rem enunciat, quidnam consilij cepisset, & quemadmodùm omninò constituisset effugere matrimonium. Deindè adijcit, quòd si vellent, eas huius boni instituti assumeret socias. Hæc ergò dixit, & simul ea, quæ obstare videbantur, sapienter expurgauit, dicens. Nè de ea cogitarent aliquid, tanquàm de iuuencula & thalamo educata, neque verentur, nè eam sui pœniteret instituti, & nè ex eo non solùm sibi, sed eis quoque afferret periculum: sed bono animo, & certò credant, quòd & si vis omnis ingruerit, si ensis, ignis & bestiæ, & si aliquid aliud ex iis, quæ sunt aspera & molesta, inuaserit, non eam ab hoc dimouebit proposito. Cùm sic dixisset, eæ quoque parent prompto & alacri animo, & assentiuntur eidem instituto: & hæc quoque ausæ sunt adijcere magno & excelso animo quod si tale quid ex ijs, quæ nollent, contigerit, se malle cum ea mori, quam si ab ea separentur, vti rebus secundis.

Respuit nuptias.

Meditatur fugam.

Ancillę aliquot ei se adiungunt.

III. CVM sic inter se essent assensæ, & pulchrè coniuncti animis, tres autem eæ erant apud dominam iam erant inter se & honore æquales, & conseruæ, & moribus similes, pari mente vtentes & pari studio, communiter subiectæ vni Domino, & ei vnitæ: & tempus quærentes opportunum, quò se expeditæ possent fugæ committere, & quæ non obseruaretur. Sed neque illos dies interiectos statuerunt oportere in socordia & otio trãsigere: sed se potiùs afflictioni dedere & laboribus, se veluti priùs exercentes & affuefacientes virtutis sudoribus: Earum verò domina & princeps huius pulcherrimi consilij, beata illa, inquam, Hospita, vt quæ priùs fugæ complanaret semitam, & hoc ageret, vt esset absque vlla offensione, vniuersum mundum muliebrem, qui erat tam in veste quàm in auro & argento, inscientibus parentibus, per illas ancillas ferebat ad pauperes. Cùm autem & hæc illi rectè haberent, & iam tempus adesset nuptiarum, tunc modum fugæ eis quoque suggessit Hospita. Mutatis certè vestibus, & vt oportebat eas, quæ erant virili animo, vestibus indutæ virilibus, ità clanculum egressæ sunt extra foras: simul flentes & gaudentes, vel potiùs ipsæ lacrymæ erant voluptatis & lætitiæ. Egressæ sunt ergò, Tu sis nobiscum, dicentes, ô fili Dei, & significa nobis viam, qua sumus ingressuræ, ad te enim totam mentem & animam sustulimus. Eis autem ingredientibus, beata illa rursùs cœpit eas admonere: Nihil ô sorores, (sic enim sum vos deinceps vocatura) nihil, inquam, ex terrenis rebus vos ad se conuertat, nec pulcherrimi consilij vos vlla subeat pœnitentia. Hac enim via non inuenerit aliquis quicquam beatius. Nam siue spectamus præsentia, sumus remotæ ab omnibus turbis & negocijs: siue velimus coniectare futura, neque mens, neque oratio potest ea bona comprehendere, quæ eos manent, qui hanc vitam elegerint. Cum eæ hæc verba audirent in itinere, accendebantur animis, & ea spe, quæ est ex Deo, magis confirmabantur.

Res suas pauperibus elargitur.

Capessit fugam.

IV. CVM autem fuissent prope mare, paratum inueniunt nauigium, & iam enauigaturum, cùm nec id quidem eis sine Dei numine accidisset. Quod cum ascendissent, & ventum secundum nactæ essent, breui perueniunt Alexandriam. Deindè cùm illinc soluissent, veniunt rursùs in Co insulam. Omnia enim faciebant ad hoc, vt laterent, & vt quæsitæ, minimè agnoscerentur. Quinetiam eis alioqui placuit à via hic quiescere, & corpora & animos recreare, vtpotè quòd & apta esset insula ad quietem præbendam, & multùm conferret ad hoc, vt non possent deprehendi. Postquam ergò fuere in tuto, muliebrem rursus habitum suscipiunt. Deinde cùm habitaculum in separato quodam loco mercede conduxissent, illic studiosè diuinæ vacabant Philosophiæ. Hoc autem præcipuè magno studio contendebat Hospita, vt nulli esset manifesta, nec ipsa, nec eius vitæ institutio, sed omninò ignota hominibus, sic Deo magis esset cognita. Nam & famam alioqui verebatur, & dubitabat nè sui parentes eam valdè quærerent. Sciebat enim non esse rem quæ negligatur, nec quæ facilè ferri possit, charissimæ filiæ amissionem amantibus parentibus, sed cuius inuentionem vel animâ lubenter commutarent. Et ideò quotidie præcipiebat ancillis, vt diligenter cauerent, ne cui arcanum aperirent: & si quis, inquit, de meo nomine interroget, dicite me non Eusebiam, sicut re vera vocor, vocari, sed Hospitam. Sum enim, vt videtis, hospita. Sicque fiet, vt & vos sitis puræ à mendacio, & vosipsas conseruetis ignotas. Et hæc quidem illis dixit.

Venit cum suis Alexandriam, indè in Co insulam.

Studet soli Deo esse nota.

V. CVM autem studeret inuenire aliquem, qui eis præesset ad salutem, non aliâs eum nisi à Deo voluit inuenire. Inclinatis itaque vnà cum corde genibus, orabat lachrymans: Deus qui vbique ades, dicens, & nos sic vides errantes, ne nos despexeris, ne nos reliqueris, propter quem parentibus & domo relictis, peregre versari delegimus: sed tibi placeat, seruatorem aliquem & tutum viæ ducem, & non errantem ad nos mittere, sicut olim Teclæ Paulum: & cuius sequentes vestigia, possimus nos miseræ & abiectæ tuam viam ingredi. Ea hæc orante, eis inuentum est illud Oseæ, nempe, Sicut matutinum paratus Deus, noctem dissoluens rerum difficilium. Protinùs enim visus est eis homo quidam, ascendens è portu, canis capillis, formam præ se ferens monasticam, adspectu præclaro, & vt dixerit quispiam, omni ex parte angelicus. *Et cùm vidisset virgo Christi, & spiritali gaudio est repleta, & currens prehendit pedes: in eos quidem fundens lachrymas: petens autem, vt non eas omninò despiceret: sed desiderantibus salutem attenderet, & non intermitteret docere, admonere, in eam viam, quæ ducit ad Christum, deducere, & vt semel dicam, externis omnia effici.

Osee.6 Presbyter quidã diuinitus ad eã mittitur.

** Eum cum.*

VI. CVM autem vidisset monachus sic affectam virginem, & quænam essent interrogauit protinùs, & quemadmodùm sic errarent in insula. Postquam autem intellexit esse quidem eas genere Romanas, externas vero & errantes propter Christum, & quod procedere & videri ab aliquibus ex ijs, qui hic sunt, & turpe est, & non est omninò ferendum. Atqui, inquit, vos quoque volo eadem de me existimare. Nam ipse quoque sum hospes, & huius loci omninò ignarus, vt qui è sacris locis modò enauigauerim. Postquam enim illic fui gratia orationis, ad meam nunc descendo patriam, Eum itaque interrogauit beata, cuiusnam esset ciuitatis, & quanam esset dignitate præditus. Existimabat enim eum esse episcopum, quantùm coniicere poterat ex habitu. Ille autem, Patria quidem, inquit, mihi est Caria: ciuitas verò, Mylassa. est autem mihi talis vestimentorum habitus, quòd sim Presbyter, & paruo cuidam gregi præsim, magni, inquam, ex Christi discipulis Andreæ, nomen autem mihi est (nam hoc quoq; voles fortasse scire) Paulus. Eam verò, cum hoc nomen, Paulus, audijsset, cepit non parua admiratio, quod cum orâsset talem sibi dari magistrum, qualis Teclæ apparuisset Paulus, preces Deus celerrimè, vel potius antè preces eam exaudisset, vt illud dicamus Dauidicum, In cordis præparatione: & hic qui erat ei appariturus Paulus, non solum rei, sed etiam nominis futurus erat socius. Cum lachrymis ergo implesset oculos, Deo quidem magnam gratiarum actionem, Paulo autem obtulit supplicationem, vt esset ei pater secundum spiritum, & tota penderet ab eius cura & prouidentia. Ille vero, Si hic quidem, inquit, sitis, non potero vobis amplius prodesse, vt qui ipse quoque sim hospes, & in vos in transitu inciderim: & maximè cum nec possim quidem amplius expectare. Oportet enim, inquit, nos reuerti, gregem nostrum visitaturos. Vos autem, si voletis, abeuntes nos sequemini. Sic enim ipse quoque pro viribus curæ vestrûm gerendæ non deero.

Psal.91.

VII. CVM eæ autem id, quod dixerat, lubenter accepissent, & se eum esse secuturas significâssent, ijs acceptis, soluit in

Mylaſſam ciuitatem, datque eis habitacula ad quietem accommodata propè templum: quo in loco domum quoquè oratoriam excitat Hoſpita Stephano protomartyri. Intra breue autem tempus conſtruit etiam monaſterium virginum, id quoque ſactæ Pauli curæ committens. Toto verò tempore eius vitæ nemo cognouit, quænam eſſet, nec cuias, & propter quamnam cauſam à ſuis receſſiſſet, & quomodò vocaretur: ſed dicebat omnibus, ſe vocari Hoſpitam: & dicebat hoc ſibi eſſe nomen proprium, & dicendo perſuadebat. Porrò autem beatus quoq; Paulus dicens interrogantibus ſe adduxiſſe illas ex Co inſula, nec incredibilia nec falſa videbatur dicere. Quocirca eorum quoquè monaſterium dicebatur eſſe Coorum, ſequente ſcilicet nomine multorum opinionem, & ea quæ fama iactabantur. Cùm autem Cyrillus, cui fuerat commiſſus ciuitatis epiſcopatus, tunc è vita exceſſiſſet, communi ciuitatis ſuffragio decernitur, vt in Cyrilli ſede Paulus ſuccedat: quod quidem & ſtatim finem accepit, & is fuit ordinatus.

Aedē & monaſterium conſtruit Euſebia.

IAM verò is creatus Mylaſſenus Antiſtes, Hoſpitæ quoque perſuadet, vt ad ſacrum gradum aſcendat, & eam ordinat Diaconiſſam. Quæ quidem poſtquàm fuit eius fidei mandatus honor Diaconatus, quem merebatur quidem, inuita tamen accepit: dici non poteſt, quantis corpus tradiderit laboribus & maximè quod erat aſſuetum delicijs & lautitijs omnibus, quandam verè nouam & alienam vitam ſectata & planè externam, & veluti materiæ expertem & incorpoream: adeò vt auſteram eius vitam vel procul horrerent dæmones, & nec auderent ad eam omninò accedere. XIX.

Fit Diaconiſſa.

Mira eius abſtinentia

Quæ quidem cùm ſæpè quidem ſolueret intenſam & aſperam exercitationem, non intra duorum aut trium dierum ſpatium comedebat. Quando autem ad certamina accuratè & exactè aggrediebatur, etiam ad ſeptem vſque dies permanebat ieiuna, pugnans cum naturæ legibus propter legem ſpiritûs. Quineriam cùm ſic quoquè vix tandem accederet ad cibum capiendum, & ad corpus propter vinculum intueretur, à vino quidem & oleo, & ab oleribus & leguminibus, & à quolibet, vt ſemel dicam, quo igni admoto vtimur, omninò abſtinebat. Porrò autem nullum quoquè fructum omninò guſtabat, ſed ſolo pane ſatisfaciebat neceſſitati naturæ: & nec eum adeò leuiter & citrà laborem admittebat, ſed eum lachrymis irrigabat, & thuribuli cinere adſpergebat, vt nec ipſum quidem veſci, quod communiter laborioſis ſolet eſſe mediocris conſolatio, ei eſſet citra laborem, & liberum à mali perpeſſione.

Pſal 101.

FVIT autem Hoſpitæ hic ſe nutriendi modus per totam ſuam vitam, adeò vt ipſa cum diuino Dauide cinerem tanquam panem comederet, & potum cum fletu miſceret. Hæc autem faciens, & ſic panem doloris comedens (vt rurſus dicam, quæ diuinus Dauid) etiamſi alias ex ſororibus, eas tamen duas, quæ ei aſſidebant, & fugæ fuetant ſociæ, latere non potuit: clàm enim adſpiciebant, quæ ab ea fiebant, ità vt ipſæ videntes, non viderentur: immò verò non ſolùm videbant, ſed etiam eam pro viribus ſtudebant imitari. Cùm autem tam parcè & non niſi neceſſitate compulſa aleretur, num fortaſsè ſomno aliter vtebatur, & ſic vim conſolabatur corporis, idq; multa laborans inedia, & veluti concidens, ſuſtentabat & recreabat? Nequaquàm Sed tam toleranter quidem ieiunabat, vt vel hoc ſolum ſufficeret ad diſſoluendum robur corporis, etſi nihil eſſet aliud, quod eam affligeret. Plùs autem vigilabat, quàm ieiunabat, & ſic carnem affligebat, tota manu ferens opem ſpiritui. Id verò ex hoc eſt euidens, quòd cùm ſe, vt ſolebat, dederet orationi, ſole iam occidente non priùs quàm venirent ſorores ad cantanda matutina cantica, ſoluebat orationem: ſed nonnunquam deprehendebatur ab eis tollens manus. Aliquando autem cùm veſperè humi inclinâſſet genua, tota nox eam ſic tenebat iacentem & deflentem, & Deum vehementer orantem: & quòd eſt omnium maximè admirandum, cùm illa ſic ſe in vita exerceret, tanta erat eius humilitas, vt nullus ex ijs, qui ſe gerunt improbiſſimè, poſſet ea, qua ipſa erat, eſſe moderatione. IX.

Mirabiles vigiliæ.

Nota matutina cantica.

Eius humilitas.

ET vt alia omittam, quæ afferrent moleſtiam propter multitudinem, ea quidem certè, quæ ſunt eius maximè propria & longe apertiſſima indicia, tradam pijs animis, nempe inſignem manſuetudinem & quòd à nemine vnquàm viſa ſit irata: charitatem, quæ ſorores ſummo complectebatur amore, & earū curam gerebat: inanis gloriæ magnum odium, indumentorum, quæ vel idiotæ conueniret, vilitatem, & cui nullius æquari poſſet, frugalitatem. Tales enim erant egregiæ illius virginis veſtes, quales vel ex ijs, qui in foro mendicant, dedignatus eſſet aliquis videri geſtare: cordis ſummam tranquillitatem & ſerenitatem, quæ ad profundum vſque adeò proceſſerat, & eam acceperat qualitatem, vt ex externo habitu eſſet euidens. Poſtremò id, quod erat præferendum cæteris, quòd eſſet ſemper cogitabunda & attenta, & plane eiuſmodi, vt non gaudio diffunderetur. Ex quo hoc conſequebatur, vt nunquàm viderentur eius oculi inanes lachrymis, ſed ſemper parturirent aliquid, non ſecùs ac fontes, ex quibus aqua ſemper ſcaturit. X.

Virtutes.

Veſtes.

PORRO autem cùm ea eſſet è vita exceſſura, erat quidem dies feſtus beati Ephraim, non quem aluit Syria, ſed qui erat ciuitati notus & familiaris: qui, inquam, præclarè rexit ſedem Mylaſſenorum. Epiſcopus autem Paulus cum toto populo ciuitatis, ierat ad vicum Leucen. Illic enim erat & templum, & diuini Ephraim erant ſacrę repoſitæ reliquiæ, & feſtum celebrabatur ſplendidè. Illa verò cùm ad ſe omnes ſorores accerſijſſet, his verbis apud eas cœpit vti, quæ magnam habebat moderationem, & vnà cum moderatione coniunctum amorem in ſorores: Dominæ meæ, dicens, & ſorores, ego quidem magnam, quam mei geſſiſtis, curam rectè ſcio, & quemadmodum cùm eſſem externa & errans, meam ſuſcepiſtis imbecillitatem, & intra veſtra viſcera poſueritis: meque benignè vobis effeciſtis familiarem. Sed nunc mihi vobis eſt opùs, valdè, inquàm, eſt opùs, vt nec cùm receſſero, me mandetis obliuioni: ſed multò magis amorem augeatis, & mei memoriam in veſtris ſanctis animis deſcriptam & impreſſàm conſeruetis: & quandò ad Deum accedetis, & ſanctas manus ad ipſum tolletis, meæ quoquè humilis & abiectæ, & quid aliud, niſi veſtræ ancillæ? ſitis memores. Sic ego ero viua & immortalis, & poſt finem ſi vllus eſt ſenſus, valdè lætabor. Nunc enim quantum poſſum videre, mihi finis imminet, & quædam premit moleſtia, & inexplicabilis metus cor meum agitat, nè ſint mihi impedimento multa mea peccata, & arceant ab ea, quę ad Deum tendit, via: ſed inueniam ſacras veſtras preces bonas duces, & hanc mihi viam reddentes facilem & expeditam. Porro autem illud quoquè meum non parùm conturbat animum, quod & à Paulo abſum communi noſtro patre, qui precatus eſſet pro meo deceſſu, & effeciſſet, vt non bona ſpe defecta illuc proficiſcerer. Sed vos id ei cùm venerit dicite, & pro nobis vehementer orate, nè meî obliuiſcatur Hoſpitæ, quam ipſe conuenienter Chriſti dicto collegit, & in hanc viam deduxit. XI.

Dies feſtus B. Ephraim epiſcopi Mylaſſen.

Perit poſt mortē orari pro ſe.

Matth. 25.

HÆC cùm ea diceret, omnibus lachrymæ profluebant ex oculis, & dolore, qui dici non poteſt, earum cruciabatur animus, & graui mœrore affligebantur, & vtpote communi & filiorum amantiſſima matre recedente, in orbem circunſiſtentes, deflebant orbitatem: multò autem magis duas ancillas, quas & fugæ & vitæ, quæ in externa regione acta eſt, habuit ſocias, attigit motus animi. Cùm itaque multus, vt par eſt, fletus luctuſq; & tumultus eſſet excitatus, ei quoq; earum miſerenti calidæ decidebant lacrymæ. Cæterùm & ipſa citò ad ſe rediit, & illas eſt exhortata, vt relictis fletibus, ſeipſas componerent & hoc potiùs conſiderarent, nè in fine ipſæ eſſent dignæ, quæ defleantur. Oportet enim, inquit, vos prudentes imitari virgines, & accendere lampades, & hoc curare, vt in veſtris vaſis accipiatis oleum. Porrò autem diuinorum quoque verborum meminit, quòd non tardat Dominus. Veniet enim dies Domini ſicut fur. Cùm verò poſt admonitionem lugere magis pergerent, & lecto hærerent valdè miſerabiliter, & nec minimū quidem ab eo diſcedere ſuſtinerent, ipſa cùm & manus & oculos ad cælum ſuſtuliſſet, & oculorum lachrymis internam animi ſignificâſſet affectionem: Deus, inquit, qui in hodiernum vſque diem omnia mihi fuiſti benigniſſimè pater & mater & nutrix, & patria, ſolum & iucundum mei hoſpitæ ſolatium, ipſe quoque Domine dignare mè manè ſuſcipere in ſupernam patriam, tuam ciuitatem Ieruſalem. Memento autem harum quoquè omnium, qua mihi ſecundùm ſpiritum XII.

Matth 25. 1. Theſ 5.

Precatio eius ad Deū.

coniun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniunctæ sunt, vt sorores, & conserua eas superiores omnibus maligni dæmonis insidijs. Harum quoque duarum mihi præcipuè conseruarum memento tu, qui bonus es, & quomodo in hac, quæ est ad tempus, vita, & fugæ, & laborum, & aliorum, quæ in externa regione feruntur, malorum fuêre sociæ, & à me perpetuo mansêre inseparabiles: ita vt nos quoque illic simus inseparabiles, & beata tua vita fruamur concede.

XIII. HÆC cùm precata esset, rogauit sorores, vt eam parùm dimitterent. Quod quidem cùm factum esset, & illæ essent egressæ, è lecto descendit Hospita, & venit ad oratorium. Deinde inclusa, cum genu flexisset in terram, intêse orabat, diabus ancillis extrinsecus eam contemplantibus. Cum ea ergò diutissimè produceret orationem, vident repentè lætam & claram lucem domùm circumfulsisse: & cùm suauem, qui dici nõ potest, sensissent odorem, cui nulla possunt conferri, quæ sunt in terra, aromata, statim fores aperiunt: & cùm simul irruissent, (ô diuinam prouidentiam) inueniunt Hospitam feliciter obdormijsse, & ad quem desiderabat Christum esse profectam hora sexta diei sabbati. Egressæ ergò cum flentes & vociferantes sorores conuocâssent, eam circumstabant, & omnes simul plangebant. Deus autem volens desuper ostêdere, cuiusmodi lux celabatur in occasu huius vitæ, maximo signo eam honorat post mortem. Cùm enim eam iam reliquisset anima meridie, esset que aër serenus, & sol resplenderet clarissimè, in cælo apparet veluti quædam corona, quæ stellis circulum circumscribebat: in medio autem coronæ cernitur crux, quæ ipsa quoque erat stellis lucidis figurata. Cùm ergo miraculum sic euasisset manifestum omnibus, episcopus Paulus, qui in Leuce vico adhuc agebat, cùm hoc præter spem spectaculum suis acciperet oculis, diuino spiritu motus, ijs, qui congregati erant, dixit Domina Hospita dormijt, & hoc est eius signum coronæ & crucis.

Lux & odor cælitus sentitur. Domino spiritum reddit.

Nota miraculum.

XIV. POSTQVAM autem ab eo fuit peractum sacri mysterij ministerium, magno studio illinc recedit: vnà verò cum eo iuit reliquus quoque populus. Deinde cùm ingressi essent ciuitatem, vident Episcopum nihil esse omninò falsum sua prædictione, sed eadem hora Hospitam à rebus mundanis verè fuisse externam, qua illud signum apparuit, & hic vir diuino spiritu afflatus, de ea est hæc locutus. Cum toto ergo populo concurrebant omnes viri & mulieres, cum magna vociferatione & admiratione dicentes: Gloria tibi Christe, gloria, qui noluisti talem thesaurum in terra latére. Gloria tibi omnium opifex, quòd paruam nostram & in hodiernum vsque diem obscuram ciuitatem, tam illustrem reddideris, & dedisti, vt posset de tali gloriari thesauro. Et sic quidem omnes communiter, multò autem magis multitudo mulierum, quæ simul quidem motæ & calore naturæ, & quod eam, quæ erat eiusdem sexus, viderent adeò admirabilem, non potentes se continere, magno impetu accedunt ad Pontificem: Ne nos, dicentes, celaueris laudem nostræ ciuitatis, margaritam ne infoderis, hanc communiter deducamus: lucernam feramus publicè. Videant omnes non esse reijciendas fœminas, vt quæ non sunt infames. Videant cuius regis sumus ancillæ. Videant gentiles, videant Iudæi, & vultus suos tegant præ pudore: cognoscant quisnam sit ab eis crucifixus, & plangant. Atque sic quidem fœminæ.

Illustrantur vrbes sanctorum reliquiis.

XV. EPISCOPVS autem cùm ad lectum accessisset, & cum quanta dici potest reuerentia, ceruicem inclinasset, corpus adorauit. Quineriam sacerdotum reliquus chorus & vniuersus clerus eundem iacenti exhibebant honorem. Sicque lectum ferentes, multis comitantibus lampadibus & suaue olentibus aromatibus, per mediam duxerunt ciuitatem. Illarum verò stellarum corona, & quæ cum ea erat crux, cùm lectus quidem ferebatur, ipsa quoque sequebatur: cùm stabat autem, stans quoque apertè cernebatur: & propemodum lectum ostendens, & loquens quod illa sit propter ipsum, & eo duce & stet, & moueatur. Fama verò miraculi citò peruenit ad exteros, omnesque protinus id visuri concurrebant: vt ciuitas esset propemodum nimis angusta ciuitati. Cùm totam ergò illam noctem sic vigilâssent, (erat autem dies Dominicus) cernebant sic quoque multas fieri curationes. Quicunque enim vel morbo diuturno erat detentus, vel immedicabili aliqua affectione, non multis opus habebat laboribus, non pecunijs, non tempore & mora: sed satis erat solummodo ad lectum accedere & tangere: eratque contactus protinus liberatio à quolibet, quod premebat.

Adorauit, pro, veneratus est.

Res admirabilis.

Multi ægri curãtur tactu lecti ei⁹.

XVI. CVM autem iam dies illuxisset, & esset hora tertia, vbi peruenerunt ad locum, qui vocatur quidem Sycinium: situs verò est ad partem Australem ciuitatis, quo quidem in loco mandârat Hospita, vt sepeliretur: eam sepeliunt, vt quę lege quidem mortis humi sit condita, virtutis autem ratione vbiq; prædicetur. Cernebatur autem rursus & circulus & crux facere similia, nempe & ingredi cum lecto: & cùm staret, consistere: simul ac vero is fuit terra absconsus, ipse quoque latuisse, & non apparuisse amplius. Cùm eam ergo sic deposuissent, & vt par erat, vnxissent, lintea, quæ erant imposita reliquiis, eiusmodi esse duxerunt, vt pro eis depugnarent, Episcopus scilicet & ij, qui aderant: & cùm veluti quãdam hæreditatem ea inter se diuisissent, à morbis & affectionibus, & à quolibet alio, quod ægrè esset, liberationem per illa se habere credebant, neque spe falsi fuêre. Quinetiam locus quoque erat plenus curationum, cui obtigit, vt sacrũ eius corpus conderet, thesaurum qui exinaniri non potest & consumi. Non multum interceslit temporis, & fideles eius ancillæ, aut Dei potiùs gratæ seruæ, è vita excedunt, & ad pedes Dominæ sepeliuntur, ex veritate magis ostendi volentes, quàm ex eo, quod erat humilitatis legibus dispensatum: & vt per propinquitatem simul cerneretur amor & beneuolentia, & seruitus rursus & subiectio per ordinem.

Lintea, reliquiis ei⁹ imposita, sanant morbos.

XVII. Ex quibus cùm quæ primò erat mortua, de sua fuga nihil aperuisset, quoniam secunda quoque erat paulo pòst moritura, sorores eam sacramento quàm maximè horrendo adiurantes, efficiunt vt nihil celet ex iis, quæ facta fuerant, & statim omnia verè narrauit: Vndenàm venerit sancta, & quibusnam claris orta sit parentibus, & quænam ei fuerit causa erroris & fugæ, nempè Dei amor inexpugnabilis, propter quem & maximos labores & immodicam sustinuerunt afflictionem: & quodnam esset eius nomen proprium, nempè Eusebia, ità enim nominabatur à diuino baptismate. Impositio autem nomine, maluit illa vocari Hospita, propterea quòd à rebus mundanis esset planè hospes & aliena: & etiam vt magis lateret, cui latére gratum erat.

XIIX. PAVCIS verò pòst diebus beatissimus quoquè Paulus emigrat gloriosè, qui fuit revera bonus pastor, suamque vitam post mortem comprobauit miraculis, & cum aliis eo quoquè diues est Mylassa ciuitas. Templum verò Andreæ apostoli eius corpus tanquàm sacrum suscipit. Sunt verò nunc ij Mylássæ ornamentum, turres quæ rumpi nequeunt, thesauri sine sumptu, & bonorum omnium suppeditatores: In gloriam patris & filij & sancti spiritûs, nunc & semper & in secula seculorum Amen.

Nota de reliquiis.

VITA

AN. 660.

VITA S. PRÆIECTI, ARVERNORVM EPISCOPI, ET MARTYRIS, ET SOCIORVM EIVS, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM REDDITA ALIQUOT LOCIS PARAPHRASTICOS.

25. IAN.

BEATVS Præiectus claris apud Aruernos ortus natalibus, parentes habuit Gondolenum atque Elidiam: & quidem cùm necdum in lucem esset editus, cælesti reuelatione indicatum est, quis quandoque futurus esset. Cùm enim materno adhuc gestaretur vtero, eiusmodi visio genitrici eius oblata est. Videre namque sibi visa est infantem per ipsius latus egredi, vndæ, instàr sanguinis rubentis, baptismate ablutum. Eam rem mater ad quendam Dei seruum retulit, à quo hoc tulit responsi, puerum ex ipsa nasciturum, magnum quandoq; in hoc seculo futurum, & cum palma martyrii ex hac vita decessurum. Deindè natus est puer sanè elegans, & infantię annis præteritis, apud Icodorenses scholæ traditus est, vt literis in illa ætate tenera imbueretur. Nec deerat puero gratia cælestis, cuius beneficio præ cæteris condiscipulis non contemnendos faciebat in literis progressus. Vt autè viderunt parentes eius & literis & cantandi peritia eum instructum, Genesio archidiacono, qui postea factus est Aruernorum episcopus, eum commẽdârunt: qui cùm animaduerteret præclaro illum ingenio & spectata indole præditum, atq; studio accuratiori educatum, primò illius fidei tradidit pecuniã, vndè pauperes sustẽtabantur. Posteà verò maiori accedente eruditione, non rarò etiã suis eum volebat consolationibus interesse. Sed quia in aliena felicitate plerumq; liuidis dolent oculi, putantq; improbi ipsis decedere, quicquid aliis accedit. Clerici quidam Præiecti prosperis successibus miserè discruciati, arte quadam id efficere conati sunt, vt pudore afficeretur. Itaque cùm adhuc puer esset, Martinum cantorem incitant, vt eius cædendi quandam occasionem captet. Iubet ille, vt puer cantum reddat, quem vix breui temporis spatio illum audiërat præcinentem. Sentiens autem probus & innocens puer structas sibi tendiculas, mentem refert ad Dominum Iesum, diuinam illius implorat opem, simul etiam Iuliani martyris suffragia ambiens animo pio ac religioso. Ibi tum sancti spiritûs adspirante gratia, ea facilitate cantum memoriter reddidit, vt eam canendi haud vulgarem peritiam non nisi diuinitùs illi puero præstitam omnes perspicuè intelligerent: sicque factum est, vt inuidentia rei nouitate obstupefacta, in admirationem verteretur. Sed hæc illius, nullo dubitante, sunt dona & opera, qui armentarium sycomoros vellicantem, prophetica gratia perfudit. I.

Visio eius matri oblata.

Traditur Scholæ.

Indè Genesio Archidiacono.

Patitur æmulos.

Amos 6.

PORRO autem cùm bonis polleret moribus, adeo, quem iam diximus, antistite Icodorensibus præfectus est. Itaque licebat videre eum castitatis studio conspicuum, charitate eximium, incumbentem precibus, ieiuniis deditum, scripturis lectitandis intentum. Ipsis autem sanctæ Quadragesimæ diebus hominum secularium declinabat commercia, & cum domesticis fidei duntaxat, victûs parcimoniæ, humilitati & eleemosynarum largitati vacabat. Vt autem die quodam multi ad eum eleemosynæ petendæ causa pauperes accesserunt, didicitque vir sanctus ex ministro suo, non nisi duos nũmos aureos ipsi superesse: ad se crumenam apportari iubet, Iesumque intra se tacitis pulsans precibus, mox se sensit non frustrà illius benignitatem imploraſſe. Nam intra crumenam pauciſſimi illi nummi cælesti benedictione vsque adeò aucti sunt vt toti ad fores consistenti pauperum cateruæ sufficerent. Et quid mirum ad preces fidelis serui illum creasse in sæculo pecuniam, qui sua virtute extendit cælos manumque aperit, & implet omne animal benedictione? II.

Præiecti virtutes.

Miraculũ.

Psal 144.

ADERANT quandoquè illi conuiuæ à carnibus abstinentes. Ibi verò ille nonnihil cœpit esse anxius, quòd piscem, quem illis apponeret, non haberet. Fortè autem accidit, vt aqua ad ministerium deesset. Abiit puer cum situla ad fontem, & cum hauriret aquam, præter omnem expectationem simul piscem hausisse se sensit. Eum verò adfert Præiecto, abundè hospitibus illis suffecturum. Erat hoc quoquè illius munus, qui annis quadraginta populum Israëliticum manna cæli pauit in deserto. III.

Exod. 16.

IAM Paschalis solennitas agebatur, & Præiectus Aruernos properat ad episcopum. Die autem quodam in superiori domus loco conuiuium instruxerat, cui etiam ab illo inuitati intererant multi laici & nobiles: è quibus tres nolebant vesci carnibus. Et quia semper grauis est prauis mentibus vita bonorum, cœperunt illos irridere viri seculares, probra etiam & conuicia iactare. Admonentur interim à sancto viro, vt quos venerari potiùs deberẽt, eos desinant indignis modis exagitare & carpere. Illis verò se nihil corrigentibus, subitò pauimentum cum irrisoribus deorsùm ruit, & solus Præiectus cum illis pœnitentibus ad mensam relictus est. Ità temeritas citò pœnas dedit & pudefacti irrisores, ad suas domos abiêre. IV.

Pœna irridentiũ quorundã abstinentiam à carnibus.

HOC ferè tempore Præiectus Diaconus ordinatus est: eratque cantûs egregiè peritus, sapientia affluens, multa sanctitate clarus & illustris, omnique prudentia ornatus. Et quia non poterat Ecclesiæ lucerna abscondi sub modio, posita super candelabrum, suæ lucis radios præclarè diffudit. Nam certamina egregiorum martyrum Cassii, Victorini Antoliani, & Austremonii, cæterorumque sanctorum, qui apud Aruernorum vrbem, vt suam in Christum fidem & amorem testarentur, sanguinem suum libentibus animis profuderunt, luculento conscripsit stylo. Ostendit sanè optâsse se participem fieri calicis illius, quem ipsi biberant, qui tam accuratè illorum res gestas scripto voluit comprehendere. V.

Eius quædã scripta.

ALIQVANTO deindè euoluto tempore, Felix, qui tum Aruernorum erat Episcopus, Candidinensi cœnobii præfecturam Præiecto demandauit. Ibi vir sanctus non negligenter attentus fuit ad disciplinam monasticam, & tam animarum lucra, quàm ædificiorum structuras in melius prouehendas curauit. Erat verò paries domus cuiusdam quadraginta pedum altitudine: qui cùm instauratione haberet opùs, vir Dei res necessarias parauit, artifices que conduxit: qui cùm iam in machina starent, repentè ab ipsis fundamentis vetus ille paries collabitur, vnumque ex operariis ità sua mole oppressit, vt inter rudera nusquàm illius quicquam conspiceretur. Ea res virum Dei valdè anxium habuit. Itaque coram Christo magnam lachrymarum effudit vim: Deindè iubet amoueri lapidum congeriem, vt posset vel quassatum cadauer tradere sepulturæ. Eccè autem disiectis lapidibus & ruderibus, homo ille adeò inuentus est sanus, & incolumis, ac si procùl ab illa parietis ruina abfuisset. Sed id miraculi satis superque declarabat Præiecti virtutem, & quàm grata essent Deo eius opera. VI.

Præficitur monasterio Candidinensi.

Præclarum miraculum.

PORRO Felice Pontifice vita functo, cùm maxima pars Cleri populique in Præiectum propensis esset animis, cuperentque illum habere antistitem, Archidiaconus eius ciuitatis Giroaldus, mala cupiditate incensus, contempto clero, laicorum quorundam vsus consilio, ad cathedram illam largitione sibi aditum parauit: sed non nisi diebus quadraginta tam malè parta perfruitus dignitate, vitam vnà cum cathedra perdidit. Potest hoc exemplũ deterrere eos, qui per fas & nefas ad honores & dignitates adspirant. Rursùs igitur Aruerni de eligendo præsule tractant, virumque inclytum & senatorii ordinis Genesium pastorem sibi deposcunt. At ille non minùs prudens animo, quàm opibus potens, noluit temerè eum honoris gradum appetere, sed coram omnibus illo se indignum ingenuè confessus est: hortatur autem ciues, vt Præiectum sibi à rege Pontificem petant. Ità ille sapienter à suis humeris eam sarcinam auertit. Populo verò eius consiliis obtemperante, omniumque fauore in Præiectum propendente, immò verò Spiritu sancto VII.

Genesius renuit pontificatum.

Creatur episcopus Præiectus.

sancto moderante & agente, communibus suffragijs Præiectus electus est, accedente etiam regis consensu & decreto. Cumque in eo officio & functione sublimi, postquam consecratus erat, angelica fulgeret conuersatione, gratias agebat Deo plebs deuota, quod talem haberet ecclesia sacerdotem. Erat enim multiplex in illo gratia, magna morum suauitas, vultus hilaris, illustres oculi, sermo blandus, virginea corporis integritas, forma præclara, cutis candida, statura elegans, & omnium bonorum multa congeries. Quendam autem virum religiosum, Euodium nomine, sibi adsciuit socium, cuius opera multorum animos sacris concionibus ad appetenda cælestia inflammauit.

VIII. Coepit interea vir Dei Præiectus illum, quem suprà diximus, Genesium adhortari, quandoquidem nullas haberet proles, vt Ecclesiam Dei sibi filiorum loco adoptaret. Cessit tandem vir nobilis benè monenti, atque ipsius oppidi suburbio monasterium construxit, in quo ex monasticæ regulæ præscripto sacræ virgines Deo seruirent: reliquas verò amplissimas facultates suas post obitum diuersis est ecclesijs elargitus. Videbas tum, beatissime Præiecte, camelam transire per foramen acûs, & hominem locupletem propemodum vim cælo inferre, & violentia quadam illud rapere. Exoneratur diues propter eum, qui tulit peccata mundi, gazarũ & prædiorum sarcinis, & per te alterum nobis Zachæum repræsentat: immo fortassis etiam illo non paulò exsistit sublimior factis, multa laude & prædicatione dignis. Ille vidit quidem Christum oculis carnis, quem tua doctrina & huius & aliorum oculis interioribus visendum exhibuit. Ille munus obtulit Christo, quem coràm intuebatur: Genesius verò & si eum per fidem nouerat, per te tamen & timere & amare eum meliùs spiritu didicit, eumque rerum suarum hæredem ex asse instituit.

Genes. suas facultates largitur ecclesijs.

Luc. 19.

IX. Ædificavit etiam vir Dei aliud virginum cœnobium in Aruernorum territorio: nam anteà quidem in ea regione nulla fuerant virginum monasteria constituta. Nosocomium quoque è suis facultatibus condidit: medicos egregios illi adhibuit, voluitque viginti morbidos homines illic semper foueri, quibus sanitati redditis, totidèm æque morbis affecti succederent, quibus curandis medicorum opera inseruiret: sed ad alia veniamus.

X. Illa ætate, qua in Christi cultores tyrannorum crudelitas grassata est, integram legionem virorum fidelium vnà cum coniugibus ac liberis cruentus carnifex extinxit. Horum sacras reliquias vir Domini Præiectus per certa loca voluit transferre: sed temporum perturbatione & propinqua morte, quam impij homines illi erant illaturi, præpeditus, quod cœperat, perfectè exequi non potuit, sed partim etiam suo successori exequẽdum reliquit. Porrò cum vnius ex his martyribus corpus transferre cuperet, solito more nocturnis celebratis vigilijs, rastro humum fodere cœpit. Superuenit autem pauper quidam, qui iam annis quindecim aduersa laborabat valetudine, meritisq; sanctorum integra se sensit sanitate donatum. Credimus autem hac in virtute etiam S. Præiectum partem quãdam obtinere, & quia martyres venerans, eorum semper optabat fieri particeps, cum illis per Dominum huius quoque miraculi habere consortium. Neq; id immeritò, quandoquidem etiam in fundendo sanguine illis sociandus erat.

Transferre vult sanctorũ reliquias

XI. Aderat Paschæ solennis dies, & quidam ex ministris vas argenteum suffuratus est, quod eius fidei creditum erat. Id vbi ad viri Dei notitiam perductum est, latereteq; huius sceleris auctor, nocte proxima in preces incubuit, moxq; illi diuinitus & furtum & fur indicatur. Manè verò cùm inquireretur in ministros, & singuli à se eius admissi facinoris suspicionem amolirentur, vir Domini ad locum cælitus ipsi monstratum quosdam misit, repertumque argentum est. Itaque furem illum cum mulra mansuetudine clementer castigauit, ne similia deinceps attentare ausus esset. Ita ergò vir sanctus in pectore suo discretionis & patientiæ virtutem seruans, & prodendo vitium, sanauit reum: & illi parcendo, à misericordiæ legibus non recessit. Habes hîc eiusdem spiritus manifestum argumentum, qui olim Eliseo ostendit auari discipuli audax & improbum facinus, tametsi corpore procul ab illo abesset.

Paschæ solennitas.

4 Reg. 5.

XII. Inciderat quandoque negocium, cuius causa adeundus esset viro Dei Childericus rex. In ipso autem itinere peruenit ad locum, qui Claroangus dicitur, in Morago, vbi milites Christi studio beatæ paupertatis monasticam degebant vitam: à quibus cùm esset hilariter acceptus, patrem monasterij Amarinum inuenit febre vexatum acerrimè, ita vt nec pedibus ingredi, nec quicquam alimenti præter solam aquam posset admittere. Ibi vir Dei ad solita se recepit arma pietatis, crucisque signum in ægrotum edens, mox pulsa febre, incolumem illum reddidit. Surrexit itaque Amarinus lætus, & noctem insequentem psalmis & hymnis exegerunt. Deinde vbi ad palatium regis Præiectus peruenit, clementer ab illo susceptus est, & ab eius optimatibus summo honore & veneratione affectus: impetrauitque à rege quæcunq; petijt & voluit. Postea verò regi & reginæ, dignæ Christi famulæ * Blitildi, itemq; regni proceribus valedicens, ad Aruernos redire maturauit

Is est Childeric° 2. regnauitque circa annũ Domini 668.

* *alias* Belechildi.

XIII. Audiens autem vir Domini Amarinus, cuius paulò antè meminimus, põtificem Præiectum ad sua incolumem reuertisse, ad illum inuitante charitate Aruernos profectus est. Fuit hoc quodam diuinæ prouidentiæ consilio ita dispensatum, vt qui magno inter se amore deuincti, magna erant beneuolentia coniuncti, pariter etiam martyrij coronã perciperent. Cùm autem aliquanto tempore sanctè & religiosè inter se conuersati essent, malignus dæmon antiquæ inuidiæ stimulis percitus, suos administros in eos concitat. In ijs erat vir quidam primarius Agritius nomine, qui suis persuasionibus Aruernorum proceres in sanctorum virorum necem inflammauit. Erant autem pariter Præiectus & Amarinus in loco quodam, quem Volonicum appellant. Ibi in eos simul irruunt homines nefarij cum multo fremitu & clangore tubarum. Cumq; id audire cœpissent viri Dei, in terram prostrati, ad excipiendam mortem æquis animis sese præparârunt: vt ministri eorum repentino timore perterriti, quotquot euadere potuerunt, fugæ præsidia captârũt: demptis duobus solis, qui sancto Præiecto constanter adhæserunt. Et alij quidem omnes, quos illa perditorum hominum fæx inuenit, ab illis nudi dimissi sunt: porrò Amarinus foràs volebat egredi, & oratione illorum lenire furorem. Ibi vbi sensit vir Domini Præiectus, eum compescuit, dicens: Noli, pater charissime, præparatam differre coronam: q̃ si modo non obtinueris, nunquam fortassis posteà consequéris: His auditis, ille mutata sententia substitit, & duobus sicarijs introgredientibus, primus ab eis interfectus est. Et illi quidem sanguinarij homines se Præiectum trucidasse putabant, iamq; rursus ad suos socios volebant egredi: at sanctus Præiectus ex loco illo, vbi orationi incumbebat, his vocibus eos compellat: Ecce hic est, quem quæritis: facite, quod optatis.

Amarinus necatur.

XIV. Tvm verò vnus ex illis, natione Saxo, Radebertus nomine, sanctum virum gladio percussit in pectore. At ille rosea sui sanguinis vnda perfusus, Dominum attentius precabatur: Ne statuas eis, inquiens, Domine hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt: præclare sanè in illo supremo vitæ articulo illum imitatus, qui pro suis lapidatorib. Christum orauit: cuius sanè passionis, atque in ipsa morte eximiæ charitatis tunc egregiè memor erat, non dubitans ilicò cælum sibi patefactum iri, si beatissimo protomartyri Stephano se posset conformare. O insignem patientiæ & fortitudinis virtutem, quæ sanctorum animis multam in Christo parit lætitiam & iucunditatem! Currebat mente beatus martyr, & pontifex noster per florigeros sacri Euangelij campos, quando corpus & animam pro vita, quæ Christus est, tradebat. Eo autem sic, vt diximus, orante, cruentus latro gladium in caput eius vibrans, cerebrum excussit. Ita illa sancta anima, corporeis iam expedita vinculis, Christo remunerante, inter sanctorum angelorum agmina læta migrauit ad cælos, cum beatis martyribus felicissimè coronata. Impleta est eius matris visio, cuius in ipso historiæ initio fecimus mentionem.

Prælecti martyrium. *Actor 7.* Martyrizatus est ab vrbis primoribus in vltionem Hectoris Massiliensium patritij, à Childerico Francorum rege perempti, propter iniustitias

XVI. Havd procul aberant, cùm hæc cædes fieret, senatores duo, Bodo & Placidus, qui in sancti viri nece cõsenserãt. Ii de im-

Aruernensi Ecclesiæ ab eo illatas, anno 670. vt habet Sigibertus in Chron.

Tres stellæ visuntur.

Ij de improuiso tres vident micare stellas supra domum illam, in qua sanctorum corpora iacebant, è quibus vna cæteras claritate anteibat. Animaduertentes autem illi, Dei benignitate id eis videre donatum esse, tum ad sanctorum declarandam gloriam, tum ad ipsorum tanto scelere obstricta pectora ad pœnitentiam excitanda, magno correpti timore & terrore, dolere cœperunt, quod in tam nefarium facinus consensissent: Satellites autem illi, qui sanctos viros

Radeberti vermes cõ sumunt.

peremerant, eorum corpora inhumata reliquerunt. Porrò sceleatus ille Radebertus, qui sanctum Episcopum trucidàuit, viuens à vermibus consumptus est, indignamque vitam digna morte finiuit. Aduenerunt autem paulò post multi presbyteri, sanctorumque corpora auferentes, summo cum honore & ingenti studio tumulârunt: putà sanctum Præiectum Episcopum, Amarinum Abbatem, & vnum ex ministris Præiecti Elidium. Vt verò ostenderet Deus, quàm pre-

Miracula ad sanctorũ reliquias.

ciosa in ipsius conspectu fuerit mors sanctorum eius, ad illorum sacras reliquias permulta sunt edita miracula. Cæcis amissa reddebantur lumina, claudorum reformabantur gressus, contractis redibat membrorum vsus, leprosi fœdissimam scabiem cum natiuo corporum colore se commutâsse gaudebant, captiuorum soluebantur vincula, fugabantur ab obsessis corporibus spiritus immundi. Quod vbi ad notitiam Auiti Episcopi peruenit, in eo loco, vbi sancti erant perempti, monasterium exstruxit, templum ædificauit, eique monasterio Godonem præfecit Abbatem.

XVII. In eo loco, qui Riomaus dicitur, quidam acerrima febre cruciabatur. Is ergo votum fecit, si sanctorum ope & intercessione ab eo morbo liberaretur, de sua substantiola suis se humeris ad iam dictam ecclesiam munus apportaturum. Vbi ergo habuit meliuscule, & quod fouerat etiam complere vellet, præ difficultate ferendi oneris ad montis radicem lassus subtitit: cumq; anxius timere cœpisset, ne fortè mendax inueniretur, quosdam conspicatur aduentare pauperes, quibus impartiebatur vinum, quod in vasculo ferebat: sicq; resumptis viribus ad sanctorum martyrum limina properauit, ingrediensque introò, vasculum iam inane ad templi fores deposuit. Rursus autem è templo egressus, Christi operante gratia, vas illud vino plenum inuenit. Itaq; per merita sanctorum martyrum triplex hic miraculum Christus effecit: Redditæ sunt vires languido pauperum turba refecta est, vinumque ex voto reddendum, & auctum & susceptum est ab illo.

Vltio diuina in Vrsionem.

XIIX. Quidam exillis, qui auctores fuerant necis sanctorum, Vrsio nomine, venationis causa egressus, de equo corruit, fractoque brachio dextero, etiam cætera membra sibi sensit debilitata. Adhibebantur medici, imo & incantatores: sed eorum omnis opera frustrà insumpta est. Redijt ergò ille ad se, & suum facinus agnoscens, communicato cum vxore consilio, mittit eum ad sancti Præiecti sepulchrum, vt ipsi veniam precaretur, & de oleo, vnde illic lampas perpetuò ardet, quippiam reportaret, vt debilia membra illo perungerentur. Quæ cùm ita ordine completa essent, dicto

Sanatur punctus oleo lampadis S. Præiecti.

citiùs membra sunt pristino restituta vigori. Id ille vt vidit, vas argenteum pondere librarum decem misit ad ornamentum loci illius. Postquam autem isthuc ad alios quoque perlatum est, qui eius sceleris erant participes, ad pœnitentiæ remedia confugerunt, atque aurum & argentum benè multum ad sanctorum martyrum sepulchra transmisêre.

Miracula ad lectulũ eius.

XIX. Erat in Aruernorum regione locus quidam, quem antiquitus Verfetonem appellârunt. Ibi diuina maiestas non paucas est dignata virtutes edere, idque ad lectulum illum, in quo solitus erat vir Dei proiectus se ad capiendum somnum reponere. Accessit autem ad eum locum etiam Vrsio antè dictus, præcepitque ministro, vt aliquantulum

Oleum mirè augetur.

olei in lampadem Ecclesiæ infunderet. Totius olei pondus duas libras non excedebat. Paret verò minister, adfert vasculum cum oleo: & ecce Domino benedicente in tantam vbertatem excreuit oleum, vt non modo omnibus templi eius lampadibus implendis sufficeret, sed etiam apportatum sit ad alteram basilicam, quam Vrsio in S. Præiecti honorem construxerat, & triginta Lampades indè completæ sint. At nec sic oleum exhaustum est, sed ex eo, quod supererat, ad alia quoque sanctorum loca transmissum est, abundeque suffecit. Hæc quidem ex prioribus S. Præiecti miraculis excerpta, hîc commemorasse sufficiat, vt nec prolixitas fastidioso lectori nauseam pariat, & ad laudandum Christum in sancto martyre incitetur deuotio populorum. Ipsum autem Christum Dominum oro, (ita ferè loquitur author huius historiæ) vt mihi det veniam, quod multa præterij, dum tenui sensu vix pauca annotaui. Perseuerat autem hodieque ostensa per martyrem virtus altissimi, nec in sola Aruernorum ditione, sed etiam vbicunque illius sacræ asseruantur reliquiæ, multifaria præstantur beneficia petentibus, Christi operante virtute, cui cum Patre & sancto Spiritu est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

AN. 1000 VITA S. POPPONIS ABBATIS STABVLENSIS, SCRIPTA AB EVERHELMO ABBATE ALTIMONTENSI. DE HOC S. POPPONE

vide præclarum testimonium Abbatis Spanheimensis in Chronico Hirsaugiensis monasterij; itemque libro 3. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti. Stylum al quot locis modicè correxit F. Laurentius Surius.

25. Ian. Apostolicis, atque etiam monasticis sanctionibus omnibus iam seculis fama & celebritate sua promulgatis, constat, quod nemo suorum præcepta Maiorum, vel tacito murmurantis animi nutu neglectui habere debeat: sed mox ad iubentis imperium pronæ mentis intuitu parêre: & licet cum detrimento sui pudoris sit, eum tamen ad iniuncta sibi, obedientię bonum debere. Talis ergò sanctionis occasione & ego conuentus, imò eorum, quæ monasticæ professionis sunt, nomine non merito contentus, qui vobis, mi venerabilis pater Euerhelme, iubenti parére ex obedientiæ debito habueram, multò magis vobis petenti ex charitatis debito annuere debueram. Iussionem certè, qua plurimum in me potestis, & cui ego, vt vestræ seruus sanctitatis obtemperare debui, excluisistis, meæque exiguitati petitionem pro imperio misistis, & vt beati viri Popponis gesta, nostris diebus iustitia & fide latè diuulgati, scriberem humiliter coegistis. Et quomodo vestram humilitatem, qua in me, vt prædictum est, pro iussione vsus fuistis, laudabo, insciamque meam pro negocio, tam humiliter iniuncto mihi à vobis, excusabo? In vtramlibet quippe partem primis agendi conatibus deficio: quia neque vos humilitatis nomine laudare sufficio: neque me quo modo pro fragilitate mea in iniuncto mihi opere excusare possim, inuenio. Seruato tamen propensiùs æquitatis tenore, sic ratio vtrinque mediæ temperata procedat, vt nec vobis quicquam à me, quod absit, denegetur, neque tamen ruinam in tam arduo ac difficili opere fragilitas mea patiatur: hocque fiat la-

Prologus.

Labor & bona voluntas *Rom. 9. Psalm 67.*

bore, de quo dicitur, Labor improbus omnia vincit: & voluntate bona, qua Deo nihil vnquam ditius offerri contigit. Per has etenim geminas res, laborem videlicet & voluntatem bonam, omnia volenti & currenti fiunt facilia, quæcunque ex immanitate sui videntur difficilia. Sed quia, vt scriptum est, Neque volentis aut currentis, sed Dei est miserentis: voluntati ac cursui meo Dei miseratio ex vestris precibus admisceatur: vt qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, det nobis etiam verbum in virtute sua, ad beati patris Popponis virtutes enarrandas. Proinde hæc lecturis summopere dicendum, ne cum scriptis apocryphis libellum hunc æstiment relinquendum: sed verè, licet,

nouum,

nouum, fide dignis, authenticisque scriptis interserendum, cùm penè nihil in eo sit, quod non experientia fidelium, Deo in tanto viro operante, visu didicerit, atque exinde eorum, quæ viderant, fidem nobis præstiterint.

I. BEATVS Poppo in diebus nostris Deo & seculis in omni virtute commendatissimus, atque vt alter Nathanaël, verè Israëlita, & sine dolo probatissimus, Listrogaugii partibus ab Christianis & ingenuis parentibus editus est hanc temporalem in lucem, ex infusione sancti Spiritus in ipsis crepundijs iam factus iucundus. Natus est verò Tizekino patre atque Adalunif illustrissima matre, septimo conceptionis suæ mense, præter solita nascentium tempora, potitus hac luce. Vnde etiam pro vita eiusdem pueri parentes ipsius diffidentiæ cogitationibus agitantur, ac tam intempestiuæ & fragili infantiæ timentes solicitantur, præsertim cum ab ipsis, vt primogenitus, tenerè diligeretur, & obtinendi eius similem, si illum amisissent, vix aliqua spes haberetur. Venit proinde ex consilio, vt credo, altissimi in mentem cuidam matronæ eiusdem videlicet pueri auiæ, vt in lana suauissima sagaci tamdiù foueretur industria, quoadusque teneræ infantiæ prima valuisset ponere vestigia. Factumque est, vt idem pusio intempestiui ortus periculum euaderet, parentibusque suis gaudium & exultatio fieret. Contingit interea patrem eius, viribus & audacia nulli commilitonum suorum secundum, in bello Hasbanensi occubuisse: eundemque septimana natiuitatis suæ quinta pupillum cum vidua matre solatio suo destituisse. Et quanquam maturiùs quàm oportuit paterna amitteret solatia, diuina tamen non est fraudatus clementia, vt verè si valuisset & nosset, cantico illo humiliter gloriari haberet, quo dicitur: Pater meus dereliquit me, Dominus autem assumpsit me. Genetrici verò eius testimonium veræ castitatis, perseuerantia, vt euangelicæ illi Annæ, laudabilis placuit viduitatis: quæ qualiter laudabilibus ex gestis odorem virtutum sibi adsciuerit, in sequentibus lector animaduertere poterit, vbi nos suo in loco pauca, quæ de ipsa facta sunt, differre nouerit. Ad vitam autem beati viri, quem res nunc obtulit, ex temporum successibus, adolescentiæ paulatim crescens processibus, inaniter studuit curis secularibus armari, tum in eis cum cæteris commilitonibus suis appetitu vanæ gloriæ versari. In quibus dum ad tempus, vt sese res militaris tunc habuit, plurimum ingenio & audacia valeret, postremò tamen periculum & præcipitium pluribus indè detrimento fore videret, eum quem in ingressu mundi posuerat, retrahere pedem voluit, sed militaris negotij occasione prohibente, non omnino quod conatus est, valuit. Fecit tamen pro voti sui satisfactione quod potuit, atque à rapinis importunis opportunè resipuit, tandemque à desiderio acquisitionis non iustæ, illo diuinitus in se exhausto abstinuit. Qui processu temporis semper in dies se melior fiens, consensuque virtutis ac piæ industriæ proficiens, licet adhuc intonsus sub laicali habitu atque militari tyronem se ostenderet, & sub Theodorico, tunc temporis viro illustrissimo, militiæ arma prætenderet: sub cingulo tamen militiæ armaturam sacerdotalis religionis induebat, monachalisque deuotionis insignia opere exhibebat: vt per omnia futuram speciem pastoris suis præsignare in gestis crederetur, sacerdosque in templo Domini iam futurus præpararetur. Ecclesiarum verò Dei limina solicitis precum suarum frequentabat accessibus, & diuinarum scripturarum pabula in secretis suæ mentis ruminabat recessibus illud nimirum præcauens, ne semen verbi Dei in agro cordis vitiorum spinis suffocaretur, sed fructu centuplicato in patientia augmentaretur.

Ioan. 1. Eius parentes. Nascitur mense septimo à conceptu. Pater eius moritur. *Psalm. 26. Luca 2.* Dat se militiæ. In ipsa militia monasticam præ se fert deuotionem. *Matth. 13.*

II. CONTIGIT etiam eum tyrocinii sui diebus, ex inspiratione diuina excitatum, Dominici sepulchri loca cum pij testimonii viris Rotberto & Lauso ire visitatum: qui pari consensu sibi in idipsum respondebant: iter, quod Hierosolymam respicit, Deo ducente, conficiebant. Illis namque diebus, quia humana cum confusione sceleris sui promiscua nihil pensi aut moderationis habebant, atque homines peccatis exigentibus offendiculum iræ Dei sibi præ oculis ponebant, summa paganorum violentia & infestatio viam eandem claudebant: nec quis Dominicum adiret sepulcrum, vi qua poterant, arcebant: & secundùm illud Esaianum, dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam. Hic tamen cum præscriptis viris eandem viam aggredi, & non præter spem martyrii labores & pericula vitæ suæ ausus est ingredi. Sed quantis tam ipse, quàm qui secum itineris socii erant, periculis penè vsque ad internecionem subiacuerint, qualiterque multimodæ plagæ, naufragia, paganorum etiam contumeliæ modum in ipsis excesserint, explicare quis poterit? Sed patientia, quæ Iob in multis periclitatum sustinuit, his constantiæ robur fideique murum inexpugnabilem circumposuit, vt etiam non condignas crederent passiones huius temporis ad superuenturam gloriam in ipsis reuelandam. Deo tamen ducente, in eademque patientia indissociabiliter à dextris, & à sinistris comitante, loca itineris, quæ Dominicum sepulchrum respiciebant, cum gaudio non modico, vt prædictum est, conficiebant. Vbi voti sui post desideria inexplebilia compotes effecti, optionisque suæ satietate preces vel suspiria fundendo contenti, paschalis, imo cælestis iubaris lumine, ad idem Dominicum sepulchrum quotannis descendente, iucundantur, atque amore seu stupore in ipso infatigabiliter excitantur, atque eis secundum illud sapientis, non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudabile fuit. Interea beatus Poppo quibusdam de sepulchro Domini sumptis reliquiis, itinere, quo venerat, cum sæpe memoratis repedabat viris, & ad locum Hagiospater dictum quem nos, Ad Sanctos Patres, dicere possumus, peruenit, vbi persecutionis tempore sancti à persequentium se facie declinauerant, & in cauernis petrarum & speluncis montium secesserant, occultoque Dei iudicio agente, ijsdem corporum suorum gestibus, eademque in carne, qua tunc temporis fuerant, immobiles vsque in præsens cernuntur à prætereuntibus. Qui beato viro suique itineris comitibus tam spectaculo quàm reuerentia satis habiti, orationibusque ipsorum, vt sibi miserentur, humiliter sunt admoniti. Ex quorum reliquiis cum fide non modica prædictus vir Dei Poppo portionem aliquam sibi tulit, eamque interim secum & cum viris supra memoratis Rotberto Lausoque domum retulit, atque in oratorio sanctæ Mariæ in villa Dunsa sito, perpetuo seruandam condonauit. Prædictus autem Rotbertus in cœnobio, Wassoy seu Beloacus vocitato monasticæ conuersationis habitum sumpsit sub venerando Abbate Richardo, omnibus penè seculis iustitiæ & probitatis suæ nomine iam celebrato. Sed & Lausus verè sub laicali habitu monachum se prætendebat, subque eodem proposito æuum suum sine tonsura clericali, sed non præter vitam clericalem conficiebat, atque Gandaui in Ecclesia sancti Iohannis, quam ipse construxerat, locum sibi funereæ quietis delegerat. Et vt interim super his, quorum vitam sola Dei scientia melius colligit, taceamus, ad B. viri Popponis, quam scribere cœpimus, stylo prosequente redeamus.

Rom 8. Adit sepulcrum Domini periculosissimo tempore. *Esa 33.* *Hieronym. Epist. 13.* Lausus extruxit ecclesiam S Ioannis Gãdaui.

III. POST prolixæ peregrinationis laborem non multum temporis interfluerat, cùm ecce ei diuina gratia, vt secundò peregrinaretur, atque vt limina Apostolorum Petri & Pauli, tam animi quam corporis inuiseret præsentia, inspirauit. Qua inspiratione multo animæquior factus, effectumque desiderii sui, quod dilatione creuerat, tandem nactus, cùm Theodorico nobilissimo, sub quo eum militasse iam supra scripsimus, viam est aggressus, atque ad limina Apostolorum Petri & Pauli, diu multumque desiderata, peruectus. Vbi & voti sui satietatem, quæ fastidium non nouerat, adeptus, & ijs ad quæ venerat, ritè peractis, redijt. Contigit interea, vt occasione diuertendi ad sanctum Theodoricum tunc applicaret, isque, quem antè diximus, Theodoricus, vir nobilissimus, sub quo militiæ se dederat, languore in dies crescente, deficeret, cui etiam de vita iam periclitanti phrenesis, prout temporis accessus habuit, accesserat. Quem beatus vir Poppo per aliquot dies apud eiusdem loci fratres detinuit, atque ipsum non sanæ mentis incommodo liberari obtinuit, hocque orationibus suis, sanctique meritis Theodorici concurrentibus meruit. Memoratus verò Theodoricus pro indulta sibi sanæ mentis, qua diu caruerat, sospitate, in magnas gratiarum laudes subita

Inuisit limina SS. Apostolorum.

bita porupit hilaritate, filiumque vicino temporis articulo, Deo donante, sibi nasciturum, Deo sanctoque Theodorico se è vestigio vouit daturum. Quod & contigit re ipsa postmodùm ita fieri. Nam filium, quem diuina annuente prouidentia acceperat, sancto Theodorico sibique cognominem fecit, eumque vbi vouit, donatione solenniter facta reddidit. Postquam verò beatus Poppo, vt in sequentibus luce clariùs constabit, abbas in cœnobio Stabulensi venerando Abbati Betranno successit, amore eiusdem Theodorici ductus, eum ad se accersiuit, & apud se in omni doctrina & scientia nutriuit, donec virum perfectum & Ecclesiæ Dei idoneum per omnia efficeret, postremo verò etiam successorem sibi in regimine monasterij S. Maximini apud Treuiros expeteret. Sed quia rationis occasio se ad præsens ingessit, hoc tantùm de venerando abbate Theodorico, beato viro Popponi in regimine succedente, breuiter intercessit: latius suo in loco de reliquis percurrendum, vel qualiter ab eo educatus, vel successor factus, alias laxius agendum est. Nunc verò opere precium hic inserere gesta censuimus, vicinum in beato viro locum habentia, ab his, quæ proposuimus, scilicet mundi huius principem qualiter cum copijs suis eluserit, & ad monasticæ professionis propositum adspirauerit.

Betra ẽ Abbas Stabulensium.

Illis itaque diebus Balduino Marchiso summum in fascibus comitatum agente, Flandriarumque populis iu- IV.
stis cum legibus imperante, beatus Poppo tam apud eundem principem, quàm optimatum suorum primos plurimùm amicitia valuit, vtpote qui religione, iustitia & fide magnificè clareret. Contigit etiam inter alios Frumoldum quendam eiusdem principis lateri loco pene proximo adhærere, primisque regni negocijs apprimè consultò incumbere: qui in loco Sithin nominato habitatione morabatur, cuius amicitia præ cæteris ampliùs singulariusque beatus Poppo tenebatur. Tantus etenim eius omnium rerum inuicem erat consensus, vt idem Frumoldus filiam suam, quæ sibi præ cæteris, quas habebat, præstantior videbatur, eidem viro Dei stabili adiungere connubio moliretur, quibusdam etiam sui iuris rebus ad id opere præscribere satagens, eumque quasi generum sibi futurum in sua adsciscì expetens. Cuius votis vir Dei assensum ad tempus præbuit: sed posteà infusione sancti spiritus reuocatus, vt id fieret secum, renuit. Denique pertæsus repente nuptiarum, vtpote iam tacto eius corde intus diuina inspiratione, per aliquot dies dissimulauit connubium sub incerta responsione. Sed ne ex toto ab incepto resiliret, timebat in amico fidelifore offendiculo, eo maximè, quod de coniunctione filiæ vterque iam per arrham firmauerat consilium. Indè imminente nuptiarum tempore, vtrobique hæsitans pendebat animus in dubio, ad quam partem se verteret, saluo vtrorumque consilio. Tandem statuit, vt in Sithin ad Frumoldum, secundùm quod diuina prouidentia disponebat, iter dirigeret, quatenus, vt constitutum erat, familiaris viri gener fieret. Sed vt id quietè ageret absque rumore, respuens quasi non inglorius vti copijs vel apparatu plurimo viam illam aggressus est sub intempestæ noctis silentio. Nec mora, in eundo per noctis medium lux cælitùs emissa, resplenduit super eum equo insidentem, quæ foris pariter & intùs totum illuminauit hominem. Qua de re inopinata tremefactus, circunfert obtutus non sine admiratione, & videt lanceam, quam gerebat, in modum faculæ nimio fulgore radiantem, quasi inflammata ardere cuspide. Intelligens ergò vir altioris ingenij, respicere se hoc genus prodigij, acclamat viæ suæ comitibus nequaquam vltra iam se progredi. Necesse est inquit commilitones mei, alia intentione aliaque via incedere: opportunum video, finem vitijs cum cupiditatibus his imponere, & quo diuinitati placet, totoconatu intendere. Post hæc proiectis armis militaribus, induitur Deiarmatura, & mutata mente ad meliora, meliori via redijt ad propria. Nec mora intercessit, sed statim euestigio ad sanctum Theodoricum, de quo ante scripsimus, vt se monachum profiteretur, conuolauit. Cui Gilbertum quendam, sagacis ingenij virum, obuiam mox venire contigit, qui domini Gerardi Cameracensium Episcopi carne & spiritu germanus erat, quique quondam eidem beato viro Popponi, ibidem vna cum prædicto domino suo Theodorico diuertenti, notus factus, proque sanctitate ipsius & vita laudabili summoperè est adamatus. Nam & ipse pridem à sæculi actibus nudus euasit, ibidemque sub monachali tunica se Laicum murauit tamque officio quam nomine monachus iam diu esse didicit. Hic, venerabili viro Popponi & ipse nihilominus venerabilis obuius, vt diximus, venit, atque psalterium, quod ei plurimum vsitatum erat, iam in septuagesimum nonum psalmum percurrerat, manusque sancti spiritus gratia cor tactus in ipsum iniecit, ac versum in prædicto Psalmo antepenultimum, sic se habentem; adiecit: Fiat manus tua super virum dexteræ suæ & super filiũ hominis, quem confirmasti tibi. Sed quia non facilè ei ex diuturna ab inuicem absentia vt eum agnosceret, suppetebat, quem tamen olim mente & corpore plane cognouerat, primum ab eo quis esset vel ad quid venisset, didicit, deinde &, Non discedimus, inquit, à te, viuificabis nos, & cætera in ordinem sese habentia. Tunc laudabilibus ipsius congaudens votis, totisque in ipsum animi intendens medullis, Verè inquit, te frater Deus ad quod venisti misit, qui te totum hoc pietatis suæ oraculo inuisit. Et super prædicti versus expositione ipsum satis edocens, animæquioremque exinde pro voto monastico, quo ducebatur, efficiens, causas voti ipsius abbati cæterisque fratribus intimauit, & quod vere eum Deus ad hoc misisset, indicijs euidentibus declarauit. Quid igitur? Petenti ei abbas vnà cum fratribus ingressum annuit, & per singula, vt monastica docet norma, probatum sine macula inuenit: Deinde, vt paruulum Iesus innocentia & mansuetudine plenum, in medium statuit, monasticique vigoris habitum imposuit. Verè enim eum paruulum quodammodò dixerim, quem sine dolo ex gestorum ipsius attestatione senserim: qui licet ætate & sapientia indies fuerit prouectus, malitiâ tamen, vt ait apostolus, paruulus fuit. Et vt eum vere prioribus ante legem & sub lege comparem patribus, de terra & de cognatione sua cum Abraham, Deo inspirante & iubente, transiuit, & cum Elia & Iohanne à mundi illecebris solitarius esse quæsiuit: Quem, secundùm Psalmistam, Deus in abscondito faciei suæ à perturbatione hominum abscondit, & ad hoc totum spiritu sancto inspirauit, vt omnibus sui iuris relictis, mundo euaderet nudus pro his interra sanctorum duplicia possessurus & ex promissione euangelica centuplum cum vita, quæ finem nescit habiturus. Cœpit interim à prædicto Gilberto, Marriliacensium postea abbate, literis strenuè eruditi, & in omnibus, quæ monasticæ institutionis sunt, ad plenum informari: ita vt in breui cunctis, quæ scientiæ expedierant, percursis, fastigium monasticæ attingeret perfectionis. Neque mirum, si spiritu sancto, vt verè credimus, donante id valuit, qui omnes ad discendum moras semper ignorauit.

Multũ polet amicitia apud magnates Poppo.

Lux eũ cælitùs illustrat intus & foris.

Gerardus Cameracẽsis episcop.

Monasticũ cõplectitur institutum, posthabitis nuptijs.

Matth. 18.
1. *Cor* 14.
Gen 12.
3. *Reg* 19.
Luc 1.
Psal. 30.

Matth. 19.

Svb sæpe memorato autem piæ recordationis Gilberto, tunc temporis monasterij existente portario, beato Pop- V.
poni pro recipiendis in xenodochio pauperibus cura ab eiusdem loci abbate est mandata, & vt satis fideli domus Dei œconomo siue dispensatori solicitudo commissa. In qua administratione liberalitatem cum hospitalitate tenuit, atque verè cum beato Iob dicere potuit: foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et item: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quadam verò die inter cæteros ab ipso in xenodochium introducendos simul & alendos, leprosus quidam aduenit, qui pro deformitate sui vix cum aliquibus consortij vestigia vlla inuenit. Quem vir Dei nihilomnino horruit, sed cum reliquis introductum, quam potuit officiosè accurauit & aluit: postremo verò nocturnis iam tenebris irrumpentibus, apud se detinuit. Sed veritus eum nocturnis frigoribus, vtpote vestimenti indigum, arctius constringendum, primum solicitus secum cogitat, quid super his esset agendum: deindè vero ex humilitatis consulto viam, qua pauperi misereretur, inuenit. Nam coopertorio, quo ipsemet in stratis recumbẽs vti solebat, pauperem simul & leprosum, nihil pro deformitate ipsius refugiens, vt alter Martinus tegebat. Sed hæc humilitas compassioni permixta non inanis aut irrita in conspectu Dei habita est:

Iob 31.
Ibidem.

Charitas eius erga leprosum.

quia

quia eam salus in leproso,& magnificentia in beato viro secuta est. Vestimento certè illo præfatus leprosus coopertus, primum sudoris guttas emisit, & euestigiò omni lepra fugata, sanitas eum repentina inuuit, atque manè sancto viro ad eum venienti sanus apparuit,proque duplici pietatis bono sibi præstito gratiarum vota reddidit. Qui venerabili viro stuporem & timorem iniecit: stuporem videlicet, quòd vestimento suo salutem in paupere Deus fecit:timorem,ne pro hoc facto ipse palàm fieret, & ad ruinam sui discederet, hortatur, Deoque non sibi, pro hoc facto gratias ageret, humiliter precatur. Postmodum verò eodem in stratis suis coopertorio vsus est,neque ob id, quòd leprosum eo operuerat,ipse regi dedignatus est. Sed virum Dei Gilbertum res gesta non latuit, se tamen scire ad tempus dissimulauit, eumque pro vestimento ipsius,pauperi simul & leproso præstito,conuenit,cur suum,& non aliud præstiterit,dissimulando,vt diximus,redarguit. Ille verò humi prostratus,ab eo pro re gesta secreti causas implorauit, sacramentisq; maximis ne se publicaret,exorauit: imitans certè Dominum, qui humilitate & compassione leprosum, quem lex tangere vetuerat, tetigit & mundauit, cui ipse tamen eiusdem facti manifestationem interdixit.Ecce quantum humilitas beati viri meruit, quæ prius in vestimentis, quam in ipso,palam fieri habuit. Neque enim non credendum, quantum in se remedij habeat, qui in vestimentis suis tantum meritis exigentibus valebat. Proinde nemo Deum sanctorum suorum vestimentis salutem efficere posse dubitet, quem ex vestimentorum suorum fimbrijs mulierem sanguinis profluuio laborantem sanasse liquidò patet. Hoc autem factum, quià prædicto Gilberto coram didicerãt mihi scribenti, Deum testor, intimauerunt, ne cui hoc temporibus nostris fieri incredibile videatur, quod laudabilium personarum testimonio per beatum Popponem factum fuisse probatur.

Nota miraculum.

Vide humilitatẽ sancti viri. *Matth.8.*

Matth 9.

VI. SVBSEQVENTI namque tempore sanctæ recordationis virum abbatem Richardum ad sanctum contigit Theodoricum venire, atque piam viri Dei cõuersationem sibi relatam innotescere. Qui in eum dilectionis suæ oculos mox conuertit, & vt facilè amborum meritis sibi respondentibus fieri potuit, totus in eum sancti spiritus igne agente exarsit. Vnde & eum secum abducere voluit, atque in hoc totius consilij viribus incubuit. Et primum viri Dei animum super hac re inquisiuit: Deinde verò apud Abbatem ipsius preces adhibuit. Quas quidem diu multumque idem Abbas humiliter refugiens,abnuit: postremò tamen ipsis defatigatus assensum,licet serò præbuit: Ex cuius consensu & decreto vir Dei corpore,non mente,indè discessit, atque Virdunum cum prædicto venerabili Richardo abbate ire pertexit. Vbi antè omnia,& super omnia, ab eodem abbate pro obedientia seu patientia ipsius comprobanda est exhibitus,& in omnibus obediens,fidelis, patiens ex seruitutis penso inuentus, interimque inter cæteros adoptionis suæ filios dilectione apprimè est habitus, ita vt sublimiori, quam fuerat,loco eum promoueret,tum quædam ex primis suarum rerum negotijs administrare iuberet. Quę quidem tam honestè,quam strenuè curauit,& in dies melioribus semper auspicijs amplius augmentauit.

Mittitur ad Virdunense monasterũ

VII. INTEREA matrem suam,de qua iam suprà etiam diximus, marito iamdiu, non virtutibus,viduatam reuisit,& vt sæculo secum abstraheret, cogitatus sui consilia primum præmisit. Sed quia ipsa,vt erat in cunctis virtutum consilijs tantum semper assentiens, quantum in singulis sine cessatione idonea, filium suum super persuasione tam amabili laudauit, & ad cœnobiticæ vitæ callem cum eo migrauit, omnibus sui iuris tam liberis,quam mancipijs hæreditarijque cespitis redditibus posthabitis. Quam quique liberorum simul & seruorum, sicut vnicæ matris ac dominæ solatio destituti, vsque adeò clamoribus lamentisque inconsolabilibus sunt prosecuti, vt etiam plerique eorum medios penè se, Scaldem fluuium transuadare simulantes, humectarent, si quo fortè pacto eam compassione compunctam, ad se reuocarent. Sed quia nemo mittens manum in aratrum, & aspiciens retrò aptus est regno Dei,ex similibus & ipsa viam ad Deum, quam filio ducente sibi sensit aperiri, non vt vxor Loth obtutibus retrò deflexis, cœpit experiri: Deo tamen eos,quibus timuit, rara fide commisit: ac deinde cum filio suo desiderij sui habenas in incepto itinere laxauit. Quæ in Eluonense monasterium, ad sanctum scilicet Amandum, vna cum filio peruecta,ibidem desiderij sui ex cælestis visionis oraculo securitatem est adepta. Nam ante beati Cyrici lipsanas eadem in vigilijs precibusq; pernoctante, atque post paululum ex diutina sui defatigatione semiuigilante, quia eam superna respexerit exauditio huiusmodi ad se diuinitus perlata patefecit visio. Noua rerum certè facie complures Christi sacerdotes in consistorijs dealbatos vidit, quos in modum coronæ diuina ostensio altrinsecus positos spectaculo sibi dedit: inter quos etiam beatus Amandus,vtpote eiusdem loci primus,præ cæteris promotius honestiusque residere videbatur, atque ad sententiam ipsius, sicut eum eo loci tunc decebat, omnium intuitus suspendebatur. Sed & beatum Cyricum serico gemmisq; totum videbat nitere,elegantisque pueri vultus præ se ferre, tum cum singulis sacerdotum sermonem conferere,proque se ibidem in medio prostrata preces fundere.Cui sanctus Amandus vnà cum pari confidentium sibi consensu, Eia, inquit, bonæ indolis puer, tuum est pietatis dextram cum precibus etiam huic viduæ porrigere, quæ ante sacrosanctas lipsanas tibi continuas non desinit preces offerre.Qua auctoritate venerabilem puerum Cyricum certiorem factum,ad se appropinquasse, totamque se quasi de terra, vbi iacuerat prostrata, vidit leuasse. Atque huiusmodi visio hic finem suũ habuit,ipsaq; beati Popponis mater mox expergefacta,ad se redijt.Quæ hanc quidem visionem filio retulit,cum quo etiam ipsa super eadem visionis fide animæquior facta, Virdunum se contulit, veloque piæ conuersationis ex consilio beati viri sibi impositio,iustitia & moribus iam cœnobialis vitæ arrisit proposito. In quo cùm erga humani generis hostem iam diu virtute sua multimoda bellum conserente didicisset contendere,& velut contra vitiorum torrẽtem brachia tendere,apud sanctum Vitonem succedente etiam tempore solitaria esse cæpit, ibique recluſa, cursum vitæ,diabolo cum virium suarum copijs triumphato,in pace peregit. Neque enim dubium erit,hanc post conuersionem apud Deum efficiendi,quæ poposcerit locum inuenisse, quam etiam ante conuersionis suæ tempus præstitit id potuisse, vt lucernam extinctam precibus & non manibus reaccenderet:quod etiam miraculi esset indicio eam similia posse,si occasionis ratio expeteret. Hæc de conuersione & vita matris beati viri dicta sufficiant: quæ de ipso sunt, me interim ex relatione Maiorum scriptorem inueniant.

Matrẽ suam ad vitã cœnobiticam perducit.

Luc. 9.

Gen. 19.

Lipsanas, id est, reliqas.

Visio matris eius.

Degit solitaria mater eius.

VIII. EX hinc sæpè memoratum abbatem Richardum Balduinus Marchisus apud sanctum Vedastum, Folrado à regimine deiecto, subrogauit, quia animum eius ad hoc consilij tam eiusdem viri sanctitas, quam principum regni sui collatio suasit. Auctoritate verò præfati principis idem Richardus abbas administrationem operis sibi iniuncti suscepit, virumque Dei Popponem, quia rerum gerendarum copia se offerebat, secundum à se eo loci præfecit.Et non tantum suo, sed etiam omnium fratrum consensu fauente id effecerat. quippe quorum mens venerabilis viri Popponis virtutum conscia iam fuerat, & in eum amoris sui intuitum charitate non ficta conuerterat. Venerabiles præterea inter eos extitere viri, quorum dilectione singulari præ cæteris amplius beatus Poppo fruebatur, dominus scilicet Fredericus, qui Gozelonem ducem carne germanum habens, venerandum abbatem Richardum ibidem comitatus fuerat: Liuinus quoque, qui se laicum eo loci sub monachali proposito mutauerat, succedenti verò tempore, fauore præfati abbatis Richardi poscente, ipsi in regimine successerat. Et quomodo anima Ionathæ animæ Dauid colligata fuit, ita & affectus horum piæ dilectionis vinculis ad inuicem colligari visus est. Vnde & eum à sæpè memorato abbate Richardo secundùm præfici contigit,in quem tam laudabilium virorum vnà cum cunctis ipsius loci fratribus dilectio ferebatur. Sed in administrandis eiusdem loci necessarijs magna tunc extitit difficultas,vtpote vbi plurima ex parte stipendiorum monasterij deerat facultas,militesq; præfati loci res pro beneficio possiderent ipsis indulgentias.

Nouũ Popponi mandatur.

1.Reg. 18.

dultas. Vnde & eadem causa beato Popponi, licet pro viribus honeste agenti, mœrorem primo iniecit, quem prudenti, quo plurimum valuit, consilio à se mox disiecit. Nam annuente prædicto Marchiso, res monasterij à militibus callide prudenterque repetiuit, atque vt eiusdem loci fratribus permanerent, publicis *archiuis stabiliuit. Pro quo etiam insidiarum fomitem ab eisdem militibus sibi comparauit, tantamque inimicitiarum vim apud eos, à quibus res iniuste possessas distraxerat, contraxit, vt viarum septa circumquaque occuparent, tum etiam ad perimendum eum insidias aptarent. Sed vt scriptum est, in vanum quæsierunt animam eius: quia per arma iustitiæ à dextris & à sinistris vallatus omnes iniquæ coniurationis rupit conatus, mediusque per ipsos incedens, & fraudum copiam elusit, & periculum Deo ducente euasit. Ille nimirum, qui per medium pharisæorum transiens, oculos eorundem à notitia sui clausit, atque passurus, nominis sui catena retrò eos prostratos ligauit, ad suspendendum etiam serui sui periculum, omnem insidiantium illi ab eo desiexit intuitum.

* Archiuis, pro diplomatis & instrumentis posuit.

Psalm. 62.

Luc. 4. Iohan. 18

IX. ERAT interea viro Dei iter ad Henricum, tam pium quam magnum Romani potentatus Imperatorem, primum post Otthonem iuniorem ex principum regni consulto successorem. Nam & Batuam, è vicino Rheno flumini adiacẽtem, applicuit, vbi quædam sancto Vedasto redituum suorum possessio fuit, quam etiam ex administratione præposituræ suæ vsui fratrum præuidere habuit. Ibi certe quidam consanguinitate familiaritateque beato viro, dum res poscebat, officiosum se præbuit. Nam præcognito aduentu ad se viri Dei, quæque suis, vt venturum decebat hospitem, mandat apparari, tum in capturam piscium retia studiosè laxari. Sed circa id operis diu instantes, laboris difficultas elusit, vacuosque ad dominum à litore remisit. Omni verò capiendorum piscium spe abiecta, sanctitas beati Popponis, memorato illustri viro iamdudum cognita mox ipsi licet absens sua inspirauit consilia. Nam eo pacto idem paterfamilias iterum eadem mitti mandat retia, vt si beato Popponi sanctitatis suæ vlla cum Deo esset gratia, votum suum in capiendis piscibus subita sequeretur efficacia. Quid igitur? Laxantur retia in capturam, non minus piscium retibus Petri habitura. Nam tantam piscium multitudinem mox collegerunt, quantam ante capturam nullatenùs futuram sperauerunt, vt in argumentum & fidem sanctitatis beati viri, nec numero nec modo possent æstimari. Et ecce beato Popponi apud illustrem, quem diximus, virum diuertenti, quantum apud Deum meruerit, ille ordine explicauit. Et primum captura piscium suos edocuit frustratos fuisse: deinde vero in nomine ipsius retia misisse, sicque tantos vt sibi præ oculis tunc erant, cepisse. Pro collato ergo sibi diuinæ pietatis beneficio, conditori rerum gratias egit, reliquumque itineris, quod ad imperatorem, vt diximus sibi fuit, post alternam cum amico suo vitæ dilectionis communionem persecutus est. Ab illo vero tam magnificentia quam honorificentia regia est susceptus, vtpote qui primum amicitiæ locum inter cæteros iam apud eum fuerat adeptus: cuius etiam sanctitas humilitatem mansuetudinemque Imperatoris in amorem sui ita accendit, vt etiam reuerentia dictante, magis parere, quasi ad iussa ab eo, visus fuerit, quam rogata ab alio implere voluerit. Contigit etiam ludis histrionum imperiales tunc fores occupari, atque eo spectaculi genere regem cum suis delectari. Vrsis etiam nudus quidam membra melle perunctus exhibetur, illo plurimum pro periculo sui timente, ne fortè ab ijsdem vrsis ad ossa sua, melle consumpto, perueniretur. Porrò rex eiusdem spectaculi amore in oculis suis captus tenebatur, vt male prouidus pro periculo viri parùm esset solicitus. Vndè super tam iniqua in Christianum illusione regem beatus Poppo redarguit, eumque ab hoc spectaculo suis cum optimatibus mox compescuit: tum etiam à periculo vrsorum virum liberauit, & ne id vltra fieret, arguendo & obsecrando obtinuit. Henricus enim imperator tam obsecrationi quàm correptioni eius humiliter paruit: & quem honorificè ad se venientem susceperat, honorifice etiam à se digredientem dimisit. Qui qua venerat. Attrebatum vsque redijt, sanctæque recordationis abbatem Richardum de imperiali erga se humanitate satis edocuit.

Poppo ad Henricũ II. Romanorũ al. I. Imperatorẽ proficiscitur anno 1014.

Iohan. 21

Capiuntur nõ sine grã di miraculo pisces.

S. Poppo reprehẽdit Imperatorem.

X. ALIQVANTIS deinde euolutis diebus, in quibus plurimum pro monasterij ipsius elaborauit rebus, quia eodem ex loco iam recedere debuerat, diuinæ visionis oraculo ante didicit. Nam casula, quæ quasi gratuitæ viriditatis elegantiam cernebatur imitari, totum se sicut in agendis Missarum solenniis vidit ornari, sicque demum inclinato capite coram altari sancti Vedasti assistere illum ex sexagesimoseptimo Psalmo versiculum, fratrum sibi respondente conuentu, ter repetere: Benedictus Dominus die quotidie prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Quem postquam, vt diximus, ter repetiuit, oratorium euestigio exiuit, atque hic visio huiusmodi finem sui dedit. Neque enim hoc ociosum aut abrefuit, quod hoc vestis sacerdotalis vigore beati viri discessio præoccupati meruit, qui æternæ viriditatis fructu suis in actibus non caruit. Non multò post verò effectum sui visio talis inuenit, atque à venerabili Richardo abbate iussus, inde abiit, & Virdunum, pristinum conuersionis suæ locum, redijt. Vbi pro comprobanda, post summam præposituræ administrationem, ipsius patient a, onus infimarum rerum monasterii item ab abbate ei iniungitur obedientia, ne pro sui dudum præ cæteris promotione, spiritu elationis forte exagitaretur, sicque à pristinis virtutum suarum gradibus deijceretur. Sed memor illius, quod dicitur, Quanto magnus es, humilia te in omnibus: & humilitatem in promotioribus monasterii rebus sibi collatis tenuit, eandemque in infimis, & in quibus quidam iniuriæ locus videbatur esse, non perdidit: quia nec in prosperis inflari, nec in aduersis nouerat deiici. Geminas proinde opere recoluit sententias, quibus dicitur: Ascendet fœtor eius, qui magnificat opera sua: &, Doctrina viri per patientiam noscitur: quia vnam earum ex humilitate timebat, alteram vero ex patientia appetebat. Et quia omne subiectionis onus humilitate & patientia præueniebat, atque pro superanda ipsius obedientia nihil laboris sufficere Abbas videbat, eum proximo à se loco non inconsultè promouebat, tum etiam in administrandis primis monasterialium rerum causis secundum stare iubebat: Abbatiam insuper sancti Mauritii, Vuaploi dictam, cum omnibus eiusdem loci appendicibus ei delegauit, vtqueibi in agendis, quæ fieri oporteret, esset sedulus, eum admonere curauit. Qua susceptа, quia eam, quam situs loci iucunditate sua commendabilem reddebat, in officinis monasteriique breuissimis claustris vilescere inuenit, funditus monasterium cum adiacentibus illi receptaculis euersum, maiori quam fuerat elegantia instaurauit, atque pristino nomine mutato, ex honestate sui Beloacum denominari voluit. Atque eo quidem vocabulo iam ad præsens circumquaque est inuulgatum, nec illo, euolutis ad nos vsque diebus, constat esse priuatum.

Eius probatur patiẽtia & humilitas.

Eccl. 3.

Ioel 2.

Prouer. 19.

Promouetur ad sublimiora.

XI. HENRICO interea, quem supra memoraniuus, Imperatore apud Argentinam ciuitatem super regni statu agente, proque illo consiliis optimatum suorum priuatim & publice incumbente, & hunc beatum virum iter ad ipsum quadam contigit occasione denuo arripere, sicque ad Elisgangium vnà cum suis applicare. Cumque quodam in loco, quem grata commendabat amœnitas, pro sumendis cibis diuertisset, iamque cibis coram positis resedisset, ecce lupum, humanum tunc sitientem sanguinem, è syluarum latebris impetu vidit prorumpere, atque pastorem, è regione gregespascentem, violenter per colli nuda arripere, atque ad loca, nequitiæ suæ desideriis opportuna, per abrupta locorum perrahere. Spiritu ergo tam stuporis quam mœroris vir Domini contactus, & vt semper viscеribus misericordiarum totus fuerat plenus: Ecce, inquit, ò Deus hominem, quem ad imaginem & similitudinem tuam feciſti, lupis prædam esse iuisti: Proinde suos, vt misero iam pene absumpto opem tandem ferrent conuocat, precibusque nomen Domini ipse interim inuocat, protestans lupum prædam illam ante esse amissurum, quam se quicquam cibi aut potus gustaturum. Sed quia palustrium locorum prohibente interstitio, non facilis suorum ad receptionem illius suffocati

Lupus pastorẽ rapit.

focatierat acceſſio, via in gyrum arrepta, paluſtria illa loca circumeunt, vbi ex veſtigijs effluentis ſanguinis, hominem nulla vitæ indicia de ſe dantem inueniunt, nec vſpiam locorum lupum perſpiciunt. Mox omni ſpe ſuper vita ipſius abiecta, equo impoſitum in beati viri adducunt præſentiam. Qui de Dei miſericordia nihil pro eodem diffuſus, apud ſe ipſum collocat, Deumq; pro ſoſpitate ipſius tacito mentis nutu inuocat. Benedictionis ſuæ eum remedio interim fouer, paulatimq; eum exindè mouet: deindè ſurgẽdi vires ex ſanctificatione tam manuum ſuarum quàm precum obtinet, ita vt cùm viro Dei cibum caperet, tum vlterius de vita ſua iam præſumeret. Nulliq; dubium, ipſum precibus ſancti viri ad vitam ſeruatum, ex cuius benedictione menſæq; communione hi, qui adfuere, videre curatum. Poſtquam verò conualuit, cicatricum ſuarum ſpectaculo eos, qui eum viderent, permouit: à quorum etiam fide nos idipſum didicimus, poſterisq; in argumentum ſanctitatis viri Dei commendamus.

Paſtor à lupo præfocatus, a S. Poppone vitæ redditus.

XII. CONTIGIT verò Stabulenſis cœnobij abbatem Bertrannum debitum mortis perſoluere, atq; alteri ſuccedendi ſibi locum relinquere. Vnde & Henrico Imperatori beatum Popponem ſubrogare animo ſedit: quod vt fieret, Richardum abbatem tunc ſecum in conſilijs agentem humiliter conuenit, cui tamen omninò ſui conſilia animi nõ patefecit: quia Popponem ſibi ab eo tantum dari poſtulauit, ſed qua ratione poſtularet, indicare noluit. Venerabili autem Richardo abbate imperiali primum petitioni diu multumque renitente, cauſasque permultas, ob quas ſe tali viro carere non poſſe dicebat, exponente, ſanctum Heribertum, Agrippinæ Coloniæ Epiſcopum, præfatus Imperator euocauit, eoque ſibi adiuncto, apud prædictum abbatem preces adhuc repetere curauit: poſtremo verò obedientiæ ſententiam ex regia authoritate in eum dictauit. Quam ne ſpreuiſſe videretur, ſubiectione, non voluntate, ſuſcepit, & vt ei beatus Poppo in manus cederet, licèt inuitus, annuit. Cui Stabulenſis regiminis pedum mox porrexit, vtq; Popponi pro ſucceſſionis indicio deferret, indixit: iniuncto illi ad id negocij Wulbodone Leodienſium Epiſcopo, ſanctitate & fide ad quæcunq; ſtrenuè & piè peragenda illuſtriſſimo. Qui ex edicto regio ſibi iuſſa pergunt implere, memoratumq; Dei virum Popponem apud S. Remaclum in regimine promouere. Qui promotus, quibuſdam eo loci, quorum moribus conuenire non poterat, diſplicere benè agendo cœpit. Vnde tàm ipſi, quàm eis, qui ſecum eò venerant, fratribus inimicitiarum vis ingens accreuit, & tum manifeſtis odijs inſidijsque, interdum clandeſtinis ira laicorum ad hoc coniuratorum deſæuijt, vt quadam die monaſterij clauſtra ab eis impetu dato irrumperentur euaginatisq; gladijs Chriſti greges per Dominica ſepta perſequerentur. Sed, mirum dictu, qui gladijs in ſe vibratis cædi videbantur, ictibus non humano, ſed diuino clypeo eluſis non lædebantur: ſicut & ille à Moyſe rubus ardere videbatur, qui tamen vltionis moleſtia nulla afficiebatur. Tanti verò fama mali, vbi B. viro Popponi Malmundarij tunc demoranti, innotuit, eũ ſpiritu contritionis & mœroris pro tam execrabili rerum facie induit: præſertim cùm ex nunciis ſibi plures ſuorum acceperit occubuiſſe, atq; exinde his, qui ſuperſtites fuerãt, metum de reliquo accreuiſſe. Duo prętereà ſecum militiæ ſecularis fuêre viri, à quibus etiam quod factum fuerat, contigit ſciri, quorum vnus Adalberti, alterq; Boſonis vocabula ſunt ſortiti. Qui ſumma cum velocitate eò, vbi in tyrones Chriſti phalanx illa graſſata fuerat, ire pergunt, Deiq; non ſua adminiſtrante virtute omnem illam multitudinem ſoli expellunt, capiunt & ſternunt, atque omnis pro voto res illis fuit, quorum manibus, beati viri id impetrantibus meritis, ille pugnauit, qui non ſaluat in millibus, aut curruũ & armorum multitudine, ſed per vnum mille, & per duos decem valet fugare millia. Diuina deinde actum eſt animaduerſione, vt nullus emenſo iam anno, ſuperſtes, ex illa iniquorum coniuratione cerneretur: ſicq; omnis erga virum Dei offenſio in gratiam redijt: amorq; omnium pari in eum conſenſu prodijt.

S. Heribert. Colonienſ. Epiſc.

S. Poppo fit Abbas Stabulenſ.

Patitur graues infeſtationes. *Exodi 3.*

XIII. BIENNIVM iam effluxerat, Hierichonique Treuirenſium abbati apud S. Maximinum, præfato iubente Imperatore ſucceſſit: vbi in eum ſimilis, imò grauior quorundam cum inſidiandi copijs inuidia proceſſit, eorum videlicet, qui à monaſticis regularibusq; obſeruationibus per abrupta deflexerãt. Cumq; ſibi ſub eo illicita iam non licere, & aſſueta locum apud ſe non poſſe habere conſpicerẽt, de eius morte plura machinantur, & quod palàm non poterant, quibuſdam præſtigiarum ſuarum inſidijs operantur: Atque, nefas dictu, ſacroſancta Miſſarum ſolemnia violando, ſuis occupant diuinationibus, & quas precẽs credebant, in immunditia & ſanguine manuum ſuarum execrandis admiſcent incantationibus, ponentes, ſecundùm illud prophetæ, tenebras lucem, & lucem tenebras. Neque hæc eis ad fomitem malorum ſuorum tantum ſuffecere: ſed apponentes adhuc peccare, peccatum ſuper peccatum adiecêre: tamque execrabili quàm inuidia eouſque perducuntur exagitatione, vt in apponendis beato viro cibis & potibus, venenorum ſuorum vterentur admixtione. Sed inuidia diaboli, per quam mors primùm ſubintroiuit in mundum, nulla morte per nequitiæ ſuæ miniſtros Dei læſit miniſtrum: licet per iniquorum manus dæmon beato viro ſæpiùs porrexerit, ipſeque toties guſtare non refugit. Ille enim, in cuius oculis hic beatus Poppo obturauit aures ſuas, ne audiret ſanguinem, & clauſit oculos ſuos, ne videret malum: iſtius etiam à veneni læſione clauſit viſcera, vt in extinguenda domus ſuæ lucerna omnis iniquorum fruſtraretur induſtria. Nec ad hoc ſcelus coniuratis pro ſeruo ſuo Dei vindicta defuit, quorum nec vnus eo anno, velut grege in vnum mortis locum facto, ſuperfuit: vt profectò conſtaret, in viſcera eorum per os beati viri venena illa tranſiſſe, atque argumentum malitiæ ſuæ cæteris ex hoc reliquiſſe. Quibus tamen, ad inferendam mortem, venenum quidem corporale inefficax fuit, ſed in conſpectu æterni iudicis, malitiæ ſuæ venenum ad interitum ipſis fuit. Vnde etiam hi, qui ſanioris conſilij occaſione ſuperſtites fuerant, timorem cum amore in eum concepere, ſicq; ob ſanctitatem ſuam intimè à ſubiectis amari, & ex nupertima in inſidiantes ei diuina vindicta cœpit timeri. Sed & ipſe dilectionis non fictæ ſeruato tenore, ſtuduit magis prodeſſe quàm præeſſe, ita vt in omni patientia & doctrina quoſq; foueret: poſtremò verò plures illorum in paſtores eccleſiarum Dei promoueret.

Fit Abbas S Maximini.

Eſa. 5. Venenũ S. Popponi porrigitur.

Sap. 2. Nihil eum lædit venenum.

XIV. ALIQVANTI interea temporis diebus emenſis, ægritudinibus cœpit fatigari immenſis: vnde etiam lecto decubuit, atque vitæ ſuæ deſperationem cum mœrore ſuis incuſſit. Mirè enim, vt diximus, intima in eum cunctorum ferebat dilectio: ideoque eos de ipſo, pro cuius amiſſione ſibi timebant, intolerabilis habuit afflictio. Inter quos quidam Erneſtus, ex laico verè tam nomine, quàm officio monachus olim factus, cum cæteris, imò præ cæteris pro ægritudine beati viri dolore cordis intrinſecus tunc tactus, nocturnis vigilijs precibuſque, quibus plurimum ex more inſudare ſolebat, tunc pro eadem etiam ſancti viri aduerſa valetudine fortè detergenda, plus ſolito incumbebat. Et primùm coram Domino, quod tantum talemque ab ipſo meruerit patrem, laudes dicebat: dehinc mœroris timoriſque ſui ſtimulos coram ipſo ponebat, quibus talem in detrimentum gregis Dominici amittere timebat, nec vllam ſpem recuperandi ſimilem habebat. Quo in hac ſpiritus ſui contritione pernoctante, precibuſque coram Domino animi ſui affectum commendante, vox ad eum diuino certè oraculo perlabitur, quæ pro mœrore ipſius ſoluendo in hæc verba diſtinguitur: Popponi hæc non ad mortem eſt infirmitas, cui ad augmentum virtutis ſuæ in bis denos annos viuendi adhuc ſupereſt ſpacium. Cui quidem vocis oraculum eidem pro nouitate ſui ſtuporem iniecit, atque omnem mœroris ab eo deterſit caliginem: ita vt qui priùs inter ſpem & metum pro amiſſione ſibi dilecti patris ſpiritualis, dubius iactabatur, iam tanto ſecurior non ſe eum amiſſurum fieri inciperet, quanto amittere eum magis anxiè ante timebat. Mirum enim in modum, qui ter quinos Ezechiæ ægrotanti addidit annos, huic beato viro bis denos etiam ſuperaddidit annos: illi quidem pro his, quæ coram ſe fuderat, lamentis; iſti verò, quia pro eo ille vſus ſit lachrymis, qui ex eo, quod anteà paſtorem talem non habuerit, poſt amiſſionem ipſius ſimilem ſibi futurum non ſperauerit. Et verè vtrorumque ſanctitas hoc obtinuit: quia quod hic Erneſtus de patre ſpirituali audire meruit, ille quidem de ſe, ſi

Laborat aduerſa valetudine.

Vox cælitus auditur de vitæ eius prorogatione.

4. Reg. 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

de se, si pro se rogaret, audire similiter ex merito potuit. Sed quia cum Martino nec mori timuit, nec viuere recusauit, hoc alter pro eo obtinuit, quod ipse, vt diximus, ex merito inuenire potuit. Ex diuino itaque oraculo res effectum inuenit, beatusque Poppo mox conualescens, in excubijs gregis Domini viginti postea annos impleuit.

Conradus succedit S. Hērico Imperat. anno 1024. vt not. Baron.

ACCIDIT interea, Henricum Imperatorem, cuius sæpe iam meminimus, viuendi finem facere, Conradumque, XV. tam nobilitate quam armis egregiè commendabilem, in regno habere successorem. Sed quæ nunquam extinguitur, sitis habendi tunc amplius inter principes regni dissidiorum occassionem peperit. Beatus autem Poppo, verè euangelicæ pacis filius, Dei virtute comitatus, illos in pacis redigere gratiam diu multumque laborauit, tandemque desiderij sui satietatem inuenit, omnesque in vnum pacis locum sua mediante sanctitate reuocauit. Sed & ipse animum regis nuper ordinati, de quo nihil adhuc certi statuerat, prudentia & sanctitate ad amorem sui pertraxit: ita vt dilectio ab Henrico in se quondam declarata non deperiret, cum similem, immo maiorem, in successore ipsius inueniret. Et quia ante complures annos Romani imperij cum Francis discordia non minima extitit, ipse inter vtrosque pacis gratiam labore & industria sua reformauit. Conradumque atque Henricum reges in consensum reuocauit: quorum vnus, id est, Conradus Romanorum siue Orientalium, alter verò, id est, Henricus Occidentalium populis Francorum imperauit. Erat enim ei cum vtrisque par locus obtinendi, quæ poscebat, vtpote qui plurimum amicitia apud eos valeret. ideoque discordia, quæ inter eos quasi quoddam senium longum duxerat, ipso mediante in nihilum redacta est. Vnde & inuidendi sibi occasionem quibusdam tribuit, quia solus id efficere valuit, quod vt fieret, multi iam olim consequi nulla ratione potuerunt.

Pax inter Conradum Imperat. & Henricum Gallorum regem.

Subterfugit Episcopatū Argentinēsem.

ARGENTINÆ interea ciuitatis episcopatum, regis Conradi iussione ipsi destinatum, tam callide quam humiliter XVI. declinauit: quia occasionem declinandi regi hanc opposuit, videlicet se clerici dicens filium, canonicisque sanctionibus huiusmodi fieri obnoxium, si pontificij temere præsumeret officium. At pro excusationis huius fictione aliquantum tunc rex erubuit, & quasi synodali præscripto conuentus, super hoc ad præsens conticuit. Sed non multo post ab Ermengarde, nobilissimi Principis Godefridi filia, didicit, quoniam beatus Poppo non clerici, vt ipse regiæ maiestati finxisset, sed laici, ingenuitate & militia egregij, filius fuerit. Vnde etiam postea beatum virum conuenit, proque excusatione iussioni suæ callide obiecta redarguit. Sed ille, vt quem Deus humilitate & subiectione totum perfuderat, regiam illam obiurgationem humiliter amouit, affirmans se ad id negocii minus idoneum existere, qui se in administrandis, quæ ipsi tunc incumbebant, curis pastoralibus non videbat sufficere. Cuius humilitas quia cæterarum virtutum eius argumentum regi fuit, totius consilij viribus idem mox rex eo incubuit, quatenus eas regni sui abbatias illum administrare iuberet, quas aliquando pastoribus destitui videret. Quod & factum est. Nam quascunque rectoribus viduatas percipere potuit, vt ei mox conferret, dilatio nulla prohibuit: licet ipse ab eis pro humilitate aliquantum se subduxerit, atque erga iussionem impossibilitatis excusationibus vsus fuerit Et primo Lintburg, in Vosago situm, quod hæreditaria sorte sibi iam olim in manus venerat, probabilium cum adstipulatione testium beato viro delegauit, & pro structuendo inibi in honore sancti Iohannis Euangelistæ cœnobio preces intendit. Qui ex regalium precum edicto, eundem locum, ferarum iam tunc cubile, multo cum labore excolens, seruorumque Dei habitacula non vilia extruens, Christi iugum leue sub monastica institutione ipsis iniecit, atque Iohannem nepotem suum tam illi loco, quam apud sanctum Maximinum Treuirensibus præfecit. In quam plurimis proinde monastici instituti cœnobiis, à præfato iussus rege primus successit, rectoresque singulis præfecit: apud Heroffeldiam quidem Ruodonem, * Pathalabornensem postea antistitem: ad S. Gallum, versus Alpium iuga, Nortbertum, & in Vuirtzenburg Volmarum: Hasternaco quoque Humbertum, vita & moribus præclarum. In his itaque tam consilii quam impensarum administratione regiminis statum firmauit: tum insingulis omnia, & in omnibus singula, vt oportuit & decuit, augmentauit. Suarum præterea precum interuentu, Heribrandus in Cella S. Gisleni, Euerhelmus quoque in Altomonte rector cæpit haberi. Apud Brunuillarium verò, quod ab Ezzone, palatii administrante comitatum susceperit, Ellonem, omnibus eiusdem loci habitaculis à fundamento extructis, præfecit: atque in Bosenthorff, quod largiente sibi Adalberto comite in manus venerat, similiter sub Conone, quem rectorem illic subrogauerat, monachorum gregem aggregauit. Sed & apud Traiectum, quod Phrisiam respicit, ab Adalbaldo, eiusdem ciuitatis episcopo, cœnobium S. Pauli regendum suscepit, ibique Herigerum tam prodesse quam præesse præcepit: illoque humanis rebus exempto, duos in regimine viros viciſſim sibi succedere iussit. Non multo post vero memoratus antistes Adalbol, dus hortatu beati viri, ad monastica instituta adspirauit omnemque illi in pastoralibus pontificii sui administrationem commendauit, quam tamen ex præscripto B. Popponis iterum recepit, & in ea, quoad vixit, sub monastico habitu permansit. In Niuilrario præterea Theodoricum, & Meti apud S. Vincentium præfecit Heribertum: in Vualciodoro quoque nihilominus Lambertum: quæ quidem monastici vigoris cœnobia per Theodoricum Metensium antistitem diuina ei indulsit gratia. Apud S. Eucharium etiam Treuiris Bertulfum in regimine promouendo roborauit, quod ei gratia regendi Treuirensium archi præsul Poppo donauit.

Lintburg tradit Imperator Popponi.

for pader-bornensem.

IOHANNE igitur, nepote beati viri, ab eodem apud S. Maximinum, vt præfati sumus, in regimine iam promo- XVII. to, ipsoque ab oneris sui pondere paululum releuato Stabulaus ire perrexit, vbi se prius in excolendis institutionibus monasticis arctius fixerat. Quin in ipso monasterii introitu à quodam Iohanne, nomine, non opere, monacho, conspectus, conuicijs & blasphemiis ab illo incredibilibus est prosciſſus, ita vt mortuum potius eo inferri optaret, quam viuus eius adspectibus præsentaretur. Qui nequitiæ suæ consensum cum blasphemantibus iungens phariſæis, de quibus voce veritatis dicitur, Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? non semel os in virum Dei conuiciando laxauit, sæpiusque mortem ei imprecando, superbiæ verba iterauit. Sed quia beati viri mortem cum vitæ eius fastidio optauit, ipse mortem sibi non multo post ea improbitate comparauit. Nam vt ficus illa in euangelio ex sententia Domini quondam aruit: ita & hic ex vindicta Dei, serui sui iniurias vlciscentis, totus mox arescendo palluit, atque eo ipso blasphemiarum in virum Dei momento, eum mors inopinata inuasit, atque ad vltimum vsque vitæ suę punctum dolor horrendus occupauit, donec morte pessima ipse nihilominus de medio fieret, atque deinceps conuiciandi alios finem faceret.

Matth 10.

Matth. 12.

Vltio diuina in conuiciatorem S Popponis.

ALIO quoque tempore post vespertinam synaxim in cella degebat, sermonemque cum aliquot fratribus, apud XIIX. illum tunc similiter agentibus, non ab re trahebat: cum vni eorum, Adalberoni nomine, vt superius cellæ ostium clauderet mandauit, eidemque pro nocturnarum horrore tenebarum sæpius refugienti instare non cessauit. Ille verò, qui inobedientiæ vitium semel atque iterum admisit tandem compulsus, ad sibi iussa tam tepide abiit, atque eo, quo ire iussus fuerat, solus peruenit. Quem quia viro Dei non mox parere per inobedientiæ stimulos spiritus malignus suasit, eum uestigio ipse inuasit, ita vt inconditæ vocis stridore quosque vndecunque eieret, tamque subito non sanæ mentis suæ spectaculo eos, qui conuenerant, permoueret. Ligatus ergo, in oratorium adducitur atque in medio coram deponitur, vbi à fratribus orationi instantius pro eo insistitur, atque etiam in spiritum illum pestilentem exorcismus adhibetur. Neque vero beatum Popponem causa rerum gestarum latuit, quæ ex prædicti fratris inobedientia ei innotuit. Qui mox summa cum grauitate ad fratrem illum non sanæ mentis deuenit, alapamq; tãtum, vt alter Benedictus, in faciem illi dedit, spiritumque malignum sine mora eiecit. Nullique dubium sit eum prece non præmissa

Pœna inobedientis monachi.

Alapa eiicit dæmonem S. Poppo.

præmissa hoc potuisse, cùm beato Georgio in Dialogis suis asseuerante, sanctorum quiq; signa aliquando ex prece, aliquando peragant ex potestate. Et hi, quibus secundùm Iohannem dedit Deus potestatem filios Dei fieri, quid mirum, si per eos signa ex potestate valeant fieri, qui ex potestate Dei sunt filij? Nam & Petrus Tabitham orando suscitauit: Ananiam verò & Sapphiram increpando in mortem strauit: quia vitam, quam illi ex prece contulit, istis mentientibus ex potestate abstulit. His in argumentum huius signi sic se habentibus, cætera, quæ de viro Dei sunt, delectamentum porrò præstent legentibus. *Ioann. 11.* *Actor. 9.* *Actor. 5.*

XIX. INTEREA tam Malmundariensium, quàm Stabulensium locorum renouationi operam dedit, in qua affectus sui effectum, Deo opitulante, tandem inuenit: Et apud Malmundarium quidem cryptam, vt facilè cernere est, è fundamentis extruxit: Stabulaus verò, qui omnes cum monasterio officinas pro paruitate sui vilescere vidit funditus, eas euersum ire cœpit, atque in habitaculis amplioris situs extruendis plurimum impensarum absumpsit. Sed quia his humani generis hostis more solito inuidebat, fraudum suarum laqueos adnectebat, si fortè virum Dei in cœpto opere præoccuparet, imò per eorum, qui eidem tunc operi insudabant, offensam retardaret. Nam Hubaldo cuidam, cuius ingenio & labore id opus satis processit, præcipitium à cancellis suggessit, ita vt toto corpore collideretur, omnisque virium spes, præter solum suspirare, iam in eo desideraretur. Cuius casu vir Dei comperto, tam pro eo, quàm pro operis destitutione admodum doluit: sed tamen in hoc solitæ medendi vires ex sanctitate & virtute ipsius ei minimè defuêre. In sua namque semotiùs eum transferri iussit, atque locari; & ex proprijs, sicut eum oportuerat; in cunctis accurari. Proindè ipsemet quiddam cibi & potus sibi illati, benedictione etiam addita, illi dirigit, eumque mirum dictu, saluti mox restituit. Vnde & diabolicæ fraudis subitò machinamenta elusit, omnemque cum collisione memorati Hubaldi mœrorem detersit: ita vt qui vitæ suæ diffidentiam incussit cernentibus, iam suis omninò ad opus pristinum resumptis viribus iucundum spectaculum econtrariò & gaudium ingereret videntibus. Iamque opus illud in altum processit, omnemque tam longè, quàm latè locum è regione respexit, atque cooperante septemplici Spiritus sancti gratia, omnis per septennium illius structura consummata est. Neque enim id fore vir Dei crediderat. Augmentum quoque decoris, plura ornamentorum pondera addidit. Nam calicem miræ magnitudinis, auro gemmisque egregiè donauit fabrefactum, & in corona auri argentique non modicum expendit apparatum: hisque complura per beatum virum dona adiuncta, addidere ornatum. Et vt hæc breuiter scripto comprehendamus, quæcunque in tabula, cappis, pallijs reliquoque ornamento eo loci aut sunt, aut fuerant, consilio & opera beati Popponis illic esse cœperunt. Marmoreas proindè columnas ad id similiter opus, diuina reuera prouisione, inibi inuenit, vbi nulli vnquam eius natura loci marmor inuenire dedit. Et vere ipso iam olim iaciente fundamentum, inceptiquondam operis Deus superædificauit prouentum, vt cum Apostolo litera & spiritu illud dicere posset: Secundùm gratiam, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Quis, inquam, superædificat, nisi ille, quo non ædificante, inuanum laborat, qui ædificat? Tam egregiè prætereà quàm strenuè eiusdem Ecclesiæ structura perficitur, proque consecratione illius in honorem sancti Petri, sanctique Remacli, in omne consilium à sancto viro descenditur. Vnde ad id negocij Hermannum, Agrippinæ Coloniæ archipræsulem, Nizonemque Leodiensem euocauit, quibus episcopos abbatesque complures eiusdem rei occasio vnà sociauit: tum vt honestiùs hoc commendaretur, imperialem Henrici maiestatem inuitauit, cui post Conradum patrem successio insta imperium adspirauit. Præfinitus certè dies iam aderat, qui ad eandem domum Domini consecrandam & chrismandam Nonis Iulij illuxit, vbi non modica cum memoratis viris turba confluxerat. Quantos autem impensarum donorumque vsus tam imperiali præsentiæ, quam reliquis optimatum tunc exhibuerit, quis scribendo facilè explicare poterit? Sed & à præfato Henrico sui iuris in Amblauia cespitem, qui in duodecim ferè mansos extendebatur, testamentis legalibus ad eiusdem loci vsus adstipulabatur: ac deindè eundem encœniorum diem ex concursu populi vlterius celebrem decreuit. Vnde etiam vsque in præsens, vndecunque à populis ad præscriptum diem accurrendi mos inoleuit. Malmundarium insuper, quod præfato loco tam attinere, quàm adiacere semper habuit, vt firmiùs ad eundem locum respiceret, scripti imperialis sententia statuit, confirmatis etiam his, quæcunque ad eum locum iustè videbantur pertinere, ne quis iniustè appetendi ea facultatem deinceps posset habere. Sed & beatus Poppo, vt Malmundarienses professionis suæ sponsionem apud Stabulaus agerent, perpetua lege ratum stabiliuit: atque exindè in omnes successores ipsorum, huiusmodi sententia manauit. Consecrata autem & chrismata est præfata Ecclesia in honorem principis Apostolorum Petri, sanctorumque confessorum Martini & Remacli, anno Domini millesimo quadragesimo, indictione octaua, Henrici quoque Imperatoris anno secundo.

Sanat hominem propè mortuum.

Stabulense monasteriũ egregiè instaurat.

1. Cor. 3. *Psal. 126.*

Solennis cõsecratio ecclesiæ Stabulẽsis, anno 1040.

XX. TEMPORE, quo beatus Poppo Iohanni cœnobium S. Maximini regendum commisit, contigit illum quædam in visione super eiusdem regiminis receptione discere. Vox namque ad eum oraculo, vt verè constat, diuino aduenit, quæ eam certè sententiam illi audire dedit, quæ ad Petrum olim à Christo prolata passionem ipsius ita prænunciauit. Cùm esses, inquit, iunior, cingebas te & ambulabas, vbi volebas: dum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te ducet, quo tu non vis. Diuinitus hoc editum oraculum mox intellexit, atque prophetiæ oculis aliter id de se aliter de Petro significatum conspexit. Sermonem intereà super Iohannis sæpè memorati regimine ad fratres habuit, & de venturis, tam in se, quàm in illo, verba tanquam de præteritis contexuit. Hoc tamen sæpiùs inculcando docebat, quod eundem Iohannem mortis occasus iam è propinquo respiciebat. Res itaque post modicum, vt vir Dei indicârat, effectum inuenit, viuendique finem, eodem nimirum anno, ipse dedit. Quo de medio facto, quia cælestis in se oraculi sententiam pro humilitate aliquantùm declinare contendebat, in regimine Bernardum quendam succedere iussit. Qui similiter annis vix duobus emensis, rebus humanis eximitur, nihilque exinde quam metus cum stupore relinquitur. Ante proximam tamen sui exitus horam in fratribus circumstantibus talem protulit sententiam, nullum, excepto viro Dei Poppone, promouendum in regimine, ne similiter & illum primo successionis vel promotionis suæ aditu perire contingat. Tandem, ne diuinum vllo modo responsum euacuaretur, beatus Poppo idem cœnobium sancti Maximini imperiali maiestate repetere iubetur. Sicque quod frustrà declinare contendebat, licet inuitus, tunc subijt, atque vt in visione acceperat, manus suas ad pastoralia extensas præbuit, eoque ab alio ductus est, quò ipse noluit. Sed Lintburg, cui similiter prædictus, dum aduixit, Iohannes præerat, Gumbertus, professione & loco sancti viri monachus, regendum susceperat: sed quòd temerè, eodem beato viro non consentiente Poppone, non suum præsumpserat, cum vita etiam sua non multò post amisit, ita vt visceribus paulatim digestis, diutina eum huiusmodi ad mortem vsque pestis pertraheret. Post quem Hagano, nihil simile veritus, subintrauit, quem similiter grauis ad mortem casus impulit. Godestenum intereà, cuius vita solitaria sanctitate & fama latè iam percrebuit, à solitario & quodammodò eremitico proposito succedendi amor rapuit, ita vt recluſionis suæ claustra effringeret, solusq; quasi ex sanctitate sua, quod priores non poterant, ipse impunè se facturum præsumeret. Sed quia cupiditatis suæ se stimulis non sensit exagitari, quem fama vsque adeò hominibus reddiderat venerabilem in grauem mortis viam ex hoc incurrit, quod velut suis ex meritis præsumere auderet. Nam tendens in altum, cadi tab alto: quia quadam die in vallium ima à montis vertice casum dedit, mortisque occasionem inde inuenit. Sicq; omnes, qui aduersus B. Popponem

Visio S. Popponis.

S. Poppo cogitur rursus præesse monasterio S. Maximini.

Godestenus solitarius.

tam ſupplantationis quam concupiſcentiæ fraudibus vtebantur, in vnum mortis locum colligebantur, paulatimque cœnobij illius ſtatus deperijt, & vſque in præſens inopiæ ſuæ veſtigia oſtentare non deſinit.

RESIDENS ergo vir Dei Poppo Stabulaus, vt ſtabilis laus à fidelibus perpetuo concinitur, vt hoſtias & laudes cum eleemoſynarum fructibus Deo perſolueret, contigit quandam mulierem ſenſu perdito per montes & valles, campos, & ſyluas errando & dilacerando ſemetipſam, ad locum ignoranter deuenire ſupradictum. Hoſpitio alioqui vel municipio nullatenus teneri poterat, ſed caſu locum tunc memoratum ſubijt, & vſque ad ſecretarium viri Dei peruenit. Hora tunc erat, qua vir Dei Miſſarum ſolẽnia expleuerat, cum miniſtri aquam ad abluendas manus vel os porrigerent. Quod videns illa infelix mulier, eandem aquam, in piſcinam de more proijciendam, petijt ſibi dari hauriendam. Qua accepta, mentis inſaniam non eſt vlterius paſſa. Monſtrauit Deus in hoc facto, quanti meriti apud ſe extiterit ſanctus iſte. Quanuis enim diſpar ſanctitas beati Benedicti patris monachorum fuerit, tamen in hoc opere imitator eius claruit: quia ſicut ad illius ſpecum mulier ſanata redijt per ipſius merita ita ad iſtius cellam per aquam ablutionis manuum vel oris eius, redijt & hæc curata. XXI.

Mulier mẽte capta, ſanatur aqua, qua manus abluit S. Poppo.

STEPHANVS quidam vir illuſtris, familiaritate B. viro coniunctus, depoſito cingulo militiæ, in cœnobium ſupra dictum beato viro ſe obtulit, ac monachum ſpopondit. Qui quidem ſenio iam feſſus, diem expectabat ſupremum. Viſitatus ergò à fratribus, dicebat ſe velle mori, ſed abſque licentia patris non poſſe. Qui cum eſſet aduocatus, benedictionem & viaticum ab eo promeruit: ſicq; diſceſſum eſt. Vir Dei ad cellam, vndè digreſſus erat, rediit, & Stephanus viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Quis non miretur tanti patris authoritatem, & fidem diſcipuli morientis: Antiquorum patrum geſta, per hunc ſanctum renouari videmus. XXII.

ATREBATENSIVM quoq; rector Iohannes hac de luce ſubtrahitur, ſanctitatisque B. Popponis mentio Balduino Marchiſo pro ſucceſſione ingeritur. Qui ſuper hoc per internuncios diu multumque laborauit, &, licet tarde, ſancti viri ad id conſenſum impetrauit, Licentia tamen imperialis, quam in hoc idem Marchiſus reſtare adhuc videbat, non ſtatim id fieri ſinebat: præſertim cum multa tunc temporis eſſet diſſenſio, orientaliumque atque ſuorum valida inter ſe contentio. Eadem tamen à rege licentia B. Popponi permittitur, atque ita Atrebatum vſque aduehitur. Et primum à Nannete ciuitate cum Vuazone epiſcopo Leodium deuenit, qui ſpiritualis cauſa amoris ſemper animo eius ſedit, quem etiam Leodio olim inuidia pulſum ipſe ſuſcepit, & apud ſe ſedulo fouit: tum etiam aliquantis ſibi ſuccedentibus diebus; illò, vnde exulauerat, reuocauit, conſilioque & fauore poſtmodum ad pontificium promouit. His vero inter eundum ſermo de cœleſtibus exoritur, animusque ad ſuperna pariter ſuſpenditur, cùm ecce beatus Poppo curſu ante prærepto, Eia, inquit, iam nunc te præco: aliud videlicet agens, aliud vero prophetiæ ſpiritu ſuper obitu ſuo iam imminente ſignificare volens. Suſceptis interim à præfato antiſtite his, quibus ſe tunc ad præſens opus habere videbat, Atrebatum vſque, vt prædiximus, peruenit. Vbi pari omnium affectu egregie ſuſcipi meruit, vtpote cuius ſanctitas olim ipſis ſatis explorata fuit. Singuli deinde dilectioni illius ſeſe accommodant, & quod cuique vſque ad id temporis ſuum fuerat, coram illo ponitur, vt verè Apoſtolica inter eos tempora cernerentur, dum res quæq; ab illis quibus cor vnum & anima vna erat, ante pedes Apoſtolorum ponebantur. His itaque magis prodeſſe quam præeſſe cœpit, & adminiſtrandis vtiliter & honeſte eorum rebus Emmelinum virum prudentem præfecit, qui prædicti antiſtitis Vuazonis carne germanus, ſanctiq; viri cooperator, & vt vulgo dicitur, dextera manus fuit. His abſolutis, ad beati viri de hac vita exitum ſtylum vertamus. XXIII.

Obitum ſuum S. Poppo prædicit.

PRÆSCIENS itaque beatus Poppo diſceſſus ſui ex hac carne horam haud procul abeſſe, iter, quod Stabulaus ſpectat, perrexit intendere: vt locus ille, qui ipſum arctius ſub monaſtica habuiſſet inſtitutione, in ſua ei ex hac luce migratione non deeſſet. Diſcedens vero inde, charitatis veſtigia ſuis reliquit, ſingulisque per tricenos dies ſi los dari Biberes præcepit: quod quidem charitatis edictum per totidem dies apud eos inoleuit. Precibus itaque licentiam Marchiſi ſuper hoc obtinuit, ſicque reuerſionis ſuæ viam ingredi cœpit. Præfatus tamen Marchiſus Martianas cœnobium tutelæ ipſius delegauit, & vt in ipſo regreſſionis ſuæ articulo ſingula accuraret, mandauit. Quod quidem oneris magis inuitus, quam ſpontaneus ſubiit, locumque illum tam viſitatum quam accuratum adiit. Vbi honeſte & cum multa grauitate monachorum illi occurrit proceſſio, quæ indicio videntibus fuit, quanta ſanctitatis eius in illis eſſet dilectio, Cæpit interea cunctis ſingula, quæ vſui forent, prouidere, & vt euangelicus ille diſpenſator, neceſſaria ſine typho præbere. Sed quia multimoda rerum occaſio alio eum trahebat, nec ſe ſolum ad omnia ſufficere videbat, in adminiſtrandis his Balduinum, Atrebatenſium poſtea abbatem, ſecundum à ſe promouit. Et iam vltimo exitus eius tempore imminente, ipſoque in cella paululùm ſopori indulgente, ſomnia phantaſticis, imò diabolicis, impreſſa illuſionibus patitur, dæmonemque quaſi prope adſtantem ſibi videre videtur: qui minas viro DEI intentans, illo de loco eum citius migraturum adiecit. Cui vir Dei: Deus, inquit, cuius nutu huius loci in me proceſſit adminiſtratio, & quando vult & quomodo vult, me hinc iubebit abſcedere. Et mox dæmon, impetu dato, ipſum viſus eſt inuadere, grauemque per viſum moleſtiam iniicere. Vnde & phantaſtica illuſione conſtrictus, verſum illum ex centeſimo viceſimo tertio pſalmo ſubinferendo exclamauit, Adiutorium noſtrum in nomine Domini: eoque clamoris ſono tam ipſe, quam qui coram illo obdormierant, expergefacti, euigilant: lucernamque quæ ante illum eo quidem noctis tempore lucere ſolebat, vir Dei extinctam conſpexit, hocque inimicum effeciſſe, euidenti præteritæ viſionis indicio intellexit. Nec mirum eſſe debet, hæc in virum Dei per ſomnia dæmonem valuiſſe, quem nec per ſomnia aut ænigmata, ſed facie ad faciem ipſum verum Deum verumque hominem ſcimus tentando petiiſſe, tum de loco ad locum pro nequitiæ ſuæ voto duxiſſe. Ipſe eſt etenim, qui humani generis calcaneo inſidias tendit, & cum ſanctis importuna ſuæ malitiæ bella intendit: nunc his viſibilem quodammodo ſe præferens, nunc illis phantaſtico ſomniorum horrore ſe ingerens. De quo etiam ſomniorum genere illud ſcriptum legimus. Multos errare fecerunt ſomnia: & exciderunt ſperantes in illis. Et licet paululum à propoſito degredimur, tamen id quod propoſitæ rei occaſione ingeſtum eſt, loquimur. Sciendumque eſt, ſecundum pleroſque, ſex; ſecundum alios quinque ſomniorum modos inueniri. Et ſex quidem, non ab re hic interſerimus, quæ ventris plenitudine, inanitate, illuſione, cogitatione ſimul & illuſione, reuelatione, cogitatione ſimul & reuelatione eueniunt. Sed duo, quæ prima poſuimus, experimento noſcuntur: reliqua vero quatuor, atteſtante beato Gregorio, in diuinæ ſcripturæ paginis inueniuntur. Et quidem beatum hunc virum Dei Popponem illuſione conſtat tentatum, quem tamen ab eius læſione pro illius ſanctitate, Deo illi opitulante vere conſeruatum credimus. Qui vero præfatorum diſtinctiones ſomniorum in quinque tantum modos noſſe deſiderant, Macrobium in ſomnium Scipionis legant: nihil diuerſum inter vtroſque reperturi, ſi intime eorum ſignificatio inſpiciatur. Sed his occaſione vt diximus, rei propoſitæ interſertis, reliquum de beato viro dicere pergamus, quem Deus à negocio perambulante in tenebris, & ab incurſu dæmoniaco defenſionibus protexit aſſiduis. Signo interea crucis facto, ſeruitutisque diuinæ penſo, cui reliquum noctis impendebat, abſoluto, valida febrium vi cœpit fatigari, atq; inexhauſtis doloribus iam ad vltima vitæ perurgeri. Vnde & dominum Euerhelmum Altimontenſem abbatem, qui ſecutus eum illuc vſq; fuerat, cæteris vna cum fratribus euocans, reſolutionis ſuæ diem imminere prædixit: deinde ad viſitationem vnctionemque ſui præfatum abbatem nihilominus admonuit. Adiecit inſuper eidẽ ad priſtinum profeſſionis ſuæ locum Stabulaus ſe poſt mortem ab eo deferendum, XXIV.

Marcianũ cœnobium.

Luc. 12. Typhũ, profaſtu & ſuperbia.

Pſalm. 123.

Matth. 4.

Eccl. 34.

Somniorũ varia genera.

Dialog. li. 4 cap. 49.

Li. 1 cap. 3.

Pſalm. 90.

Petit extremam vnctionem.

dum,corpusq; suum à læsione alienum, illic dormitionis suæ locum obtenturum: singulas etiam diuertendi mansiones sibi mortuo præuidens, quas, si aduenirent, ipse vtique ad simile hospitandi opus esset electurus. Expletis deindè pro se omnibus,cilicium, quod sibi sterni fecit, nudis pedibus adijt,terramq; tam corpore. quam pectore prono deosculans,se supinum collocauit:tum responsorium circumstantibus adiungendo,hoc duntaxat modo inchoauit·Subuenite sancti Dei,occurrite angeli Domini, quod quidem iniunctum circumstantium caterua fratrum excepit, atque in finem vsque cum subiuncta etiam Litania perfecit. Post cuius expletionem ipse mirum in modum ad se rediens, rursum resedit,initiumq; loquendi ita insuper dedit: Noueritis certè fratres, quædam in agendis per me rebus restare, Deumque loquendi adhuc vobis spatium mihi præstare.Nec ab re hæc ad se rediens,dixit,quia quæ oportuit fieri,minusq; adhuc impleuerat, dicendo & agendo postmodum effectui mancipauit. Et primum de erogandis,quæ sibi eatenus fuerant, rebus consultans, quasdam Ecclesijs Dei in augmentum misit, quasdam verò amicis pauperibusque Christi in monimentum sui disperfit: itaque omnem inimico auaritiæ suspitionem ipse præcidit illud Apostolicum tecolens: Nihil in mundum hunc intulimus:sed nec auferre quid possumus. Theodoricum interea, quem ipse olim, vt præfati sumus, in omni doctrina nutrierat, adire suos quantocius iubebat, vt imperialem præsentiam illum suis verbis compellant accedere,atque in regendo S.Maximini cœnobio pastoralem curam subire. Cui cum adstantes dicerent, Quid super Stabulaus decernitis agendum; nihil, inquit, aliud mihi vobis super hoc dicendum, quàm quod soli Deo illud velim esse commendatum. Hoc vt dixi,soli certè Deo committo,nec alium, quàm ipse prouiderit, rectorem admitto sacerdotali demum auctoritate & stola criminum veniam fratribus impendit, orationisq; verba extensis manibus hunc in modum deprompsit: Da Deus immense,ineffabilis & magne,vt si verè conuersus sum,hoc eiusmodi indicium habeam,quatenus in sancti Pauli conuersione,quæ hac quidem nocte instat,è carne trãseam:quod vt fieret,semper optaui, semper te Deum rogaui: Et hæc dicens,se cilicio recolligi præcepit, vltimumque loquendi finem dedit.cùm ecce mediæ noctis articulo mirum in modum manus leuat,atque extremũ eo,quo poscebat,tempore matutinali expleto officio,spiritũ Deo reddit.Conclamatũ subitò est à circumstantib.Ecce,ô B. Poppo,hęc hora sanctitatis tuæindicio est omnib.ecce quantũ bonitatis tuę gratia meruit,in sapientia sua Deus mũdo innotuit.Nec facilè erat quenq̃ sibi à lacrymis tũc temperare, cùm tã feliciter ad eum,cui semper vixerat,meruit hinc egredi. feliciter,inq̃, migrauit,qui felicibus semper auspicijs virtutes in se augmentauit. Quas quidẽ ne quasi negligentia p̃terire videamur, in argumẽtum tam egregij exitus eius dicere, prout vires suppetunt,aggrediamur. Erat enim ei compunctio cordis ex infusione sancti Spiritus affluens, cuius etiam conuersionis suæ tempore intũant erat appetens, vt cùm quosdam fratrum in lacrymas excitari videret, seque similia non posse doleret, sumpto lapide,pectus eo contunderet,vt hoc fortè modo vel modica compunctionis stilla sibi affluëret.Cuius desiderij sui compos post modicum effectus,tantam compunctionis à Deo gratiam est adeptus, vt illud, vbi sæpè genu vel millies flexo, die & nocte orationi incumbebat, omne lachrymis inundaret pauimentum. In celebratione proindè Missarum * casubulam, qua inducbatur,lachrymis humectabat, interque prandendum magis lectione quam comestione pasci amabat:& vere pro lachrymis, quas inde fundere solebat,cum Psalmista dicere poterat. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quid verò de corporis sui dicam afflictione, deque carnis interitu & contritione? Quam intantum ieiunijs flagellisq; atterebat, vt quicquid vitiosum illa aduersus spiritum concupiscceret, ipse flagellis propria sibi manu clàm illatis,extergeret: & pro hoc in seipsum vindictam exerceret.Balnearum verò vsus illi rarus fuit in infirmitate,qua assiduè laborabat:nunquam verò extra infirmitatem, postq; conuersionem illas admisit,tum etiam à saginatis cibarijs omninò abstinuit. Nec sola ad carnis macerationem huiusmodi abstinentia illi sufficere visa est,sed insuper ad crucifigendum se mundo, peregrinationis sibi cruces adiecit, sæpè limina adiens Apostolorum, sæpè etiam atque vsitatius excubias cæterorum frequentans sanctorum. Nec dici potest,quantùm omne suum iudicium discretione temperauerit,quantum iusta illud miseratione honestauerit:& reuera cum beato Iob oculus cæco,& pes claudo erat,causamque pupilli & pauperis,vt suam, imò magis, accurauerat: atque excepto, quod quotidianis eos alebat sumptibus, trecentos singulis Calendis Christi pauperes plene reficiebat. Destinabat etiam plura tam auri,quam argenti donaria eremiticam solitariamq́ vitam ducentibus,quamplurimisq; à regimine deiectis consulendo rectoribus, suis opibus & eos releuauit, & ad pristinum regiminis locum reuocauit. Et vt omnes probitatis eius virtutes compendio referantur, & ex relatione antiquorum fidem legentibus faciant, erat fide firmus, spe longanimis, charitate non fictus, compassione singulis proximus, & ad omne opus bonum mente & vultu semper promptissimus: arguebatque subiectos clementer,tolerabat patienter, & si quem pro quouis crimine vellet corripere, in se priùs descendens hoc velut suum plangebat, secundùm illud Apostoli: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Et vt vigiliarum orationumque eius prætereatur instantia, (licet enim præterire communia) in carne verè angelum vixit, dum semper in cælestibus, vbi angeli faciem vident patris, animũ fixit. Et pro hoc cuiquefidelium miracula & quæ diximus,& quæ dicenda sunt,ad fidem faciendam sufficiant, proq; sanctitate ipsius, totius diffidentiæ caligine excluſa, satisfaciant. Obijt sanè octauo Calendas Februarij, anno incarnati Verbi millesimo quadragesimo octauo, indictione prima, ætatis suæ anno septuagesimo, imperij verò Henrici anno decimo.

Implorat sanctorum preces.

1. *Tim. 6.*

Oratio eius ad Deum.

Feliciter migrat è corpore, anno 1048.

Catalogus virtutum eius.

* *for. casulam.*

Psal. 41.

Iob 29.

Alius virtutum eius catalogus.

Galat. 6.

Matth. 18.

XXV. SACERDOTALIBVS porrò infulis, vt sacris adstare altaribus solebat, vestitur: vbi ex sacro corpore eius gratissimæ suauitatis fragrantia sentitur: quæque olim viuenti in virtutibus ampliùs flagrârat, & nunc in carne ipsius redolere non cessauit. Alba etiam casubula sanctum illud corpus fratres curabant vestire, cuius anima feliciùs in cælestibus inter amictos stolis albis primam meruit stolam inuenire.Oratorio deinde exponitur,nox illa cum precibus vsque ad lucis ortum pro eo transigitur, cùm ecce apparatis his, quæ ad transferendum eum prouiderant, clàm è patriæ ipsius limine exierunt. Et in eisdem certè hospitandi locis manendo, quæ ab illo viuente didicerat, Leodium vsque deuenerunt, præmissoque nuncio,beati viri aduentum Vuazoni,eiusdem ciuitatis antistiti,intimauerunt. At ille viuum eum tunc venire lætus primùm æstimauit: sed cùm ei,vt se res de morte eius habuit, nuncius perorauit, clamoribus & lamentis inconsolabiliter se affligere, & quod talem amisisset virum, incredibiliter dolere cœpit. Postquam verò lamenta, non dolor, aliquantulum conquieuêre, eiusmodi fama, quæ omne Leodium iam impleuit, auctoritate etiam pontificali hoc vniuersis eiusdem ciuitatis cœnobijs edictum peperit, vt cum crucibus, lampadibus atque thymiamaterijs illud sacrum corpus exciperent, eaque, quæ talem Dei deceret seruum, honorificentia prosequeretur. Quod quidem, permixtis sibi cunctis, cum deuotione simul & dolore contigit fieri, nec fuit quem compunctio cordis pro huiuscemodi rebus intrinsecus non tetigerit. Et nos quidem, qui de eo hæc scribimus ipsi similiter toti in funere sumus: quanto magis hi, qui eius tunc exequijs interfuerunt, dolorem pro amissione tanti talisque viri pertulere? Sed si ideo est dolendum, quod eum, quem charum habuimus,amisimus: multo magis certe gaudendum,quod in cœlesti eum mansione interceſſorem pro nobis præmisimus. Pauperibus præterea Christi memoratus antistes pro sancto viro eleemosynarum stipem dispendit, & ad Stabulaus vsque cum cæteris exequias illas venerabiles prosequutus est. Nec difficultas itineris aut temporis incedentes vel modicè defatigauit, præsertim cum brumalis rigor omnem superficiem terræ tunc occuparet: Dei proculdubio virtute ibidem operante seruiq; sui translationi

Odor suauissimus ex defuncti corpore.

Honorificè admodum corpus eius Leodij excipitur.

In monasterio Stabulensi infertur.

lationi inuisibiliter fauente. Tandem ad Stabulaus, vt diximus, peruenitur, omnisque loci illius tam laicorum quàm monachorum turba doloribus eiulatibusq; afficitur, ità vt psallentium voces, eiulantium quidem clamor exuperaret, & in paruulis etiam gemitum affectus exprimeret. Sepulcrum mox post Missarum solennia illi medio cryptæ, vbi ipse viuus elegerat, aperitur, atq; ibidem id officij non sine angelica præsentia peragitur: Nam memorato antistiti, cui facilè suis pro meritis hoc cernere fuit, visio angelica inter exequias illas apparuit, qui adstantem ipsi ministrum, vtrùm idem videret, sæpius repetens interrogauit. Sed quod ille pro meritis, vt præfati sumus; videre meruit, non nostrum iudicare est, cur nemo id videre potuit: nisi fortè, quòd nulli circumstantium ad prædictam visionem sanctitas sua suffecerit, vel quòd nemini, excepto ipso præsule, reuelare Dei gratia voluerit. Et iam sextus circa insepulti corporis funus dies abscesserat, nec tamen pristina in illo fragrantia defecit: vt certè testantur illi, qui adfuere, quòd velut pulueris pigmentarij suauitatem in ipso persenserint. Quasdam verò literas exhortatorias, à venerando abbate Richardo olim de charitate ipsis scriptas, vnà cum calice pectori eius superposuêre: quarum etiam literarum exemplar in eodem monasterio posteris reliquerunt, vt ex eo amborum consensus & dilectio perspiciatur, quidque charitatis gratia valeat, à legentibus ibi inueniatur. Hæc nos quidem de obitu translationeque beati viri dixisse sufficiat, de cuius virtutibus & miraculis fides apud lectorem non vacillet, præsertim cum testibus, qui ea oculata fide didicerunt, confirmentur, certiusque his scriptis roborentur. Cæterùm cur ad sepulcrum eius miracula crebriùs non fiant, nemo miretur, nec propter hoc ea, quæ verè de eo diximus, vocet in dubium, cùm ipse adhuc in carne viuus, plerisque fratrum audientibus, attestatus fuerit, quòd nunquam delectatus sit miracula facere, nec vnquàm hanc gratiam sibi dari à Deo expetere præsumpserit. Et quanquam pro humilitate fauorem erga se populi in vita timuit, non tamen miraculorum gratia mortuus caruit: quia post mortem nequibat latere, cui ante mortem hoc Deus inspirauit, vt vellet latere. Pauca tamen è pluribus hic inseram, gloriamque Dei in sancto suo, non sine legentium admiratione commemorabo.

Visio angelica.

Timet humanos applausus.

HERIMANNVS, eiusdem monasterij monachus simul & ianitor, tribus fermè post beati viri depositionem mensibus elapsis, infirmitate correptus: ad vltima vitæ suæ peruenit, loquendique finem in agone suspensus fecit, ità vt nec respirare vllo modo videretur, nihilque aliud in eo, quàm ipsa mors conspici putaretur. Qui miro quodam modo post duarum ferè horarum spatium ad se redijt, & quòd ad iudicium raptus fuerit, fratribus sibi adstantibus retulit, singulisq; criminum suorum maculis in confessione detersis, pro vno tantùm conuentus fuerit, quod contra beati Popponis statuta admiserit. Aiebat nanque: Noueritis me de singulis criminibus confessionem fecisse, vnum tantùm obliuioni reliquisse: quia agrum pascualem, quem beatus Poppo cuidam crediderat mea olim auferre superbia non dubitauit. Pro quo & ego ad iudicium raptus, temeritatisque erga virum Dei sum incusatus, tandemque eiusdem sancti viri intercessione huc remeare, crimenque illud tam precibus vestris, quam confessione permissus sum expiare. Fratribus verò multa de præfato viro Dei rogantibus: id de ipso testatus est, se eum honestate & reuerentia commendabilem inter cælestis aulæ primores vidisse, ibique intercessione ipsius redeundi copiam accepisse, eumque tursùs videndi spem sibi de reliquo accreuisse, si tamen preces ipsorum pro se ad Deum præmitterentur, atque ita contra ipsius statutum temerè à se commissa expurgarentur. Deindè adiecit, neminem in virum Dei impunè quid posse admittere, quemadmodum ipsius exemplo posset facilè doceri. Mox pro eo fratres orationi instant, quodq; contra viri Dei statutum deliquerat, precibus expiare contendunt: cum eccè sine mora vltimum efflauit spiritum, vt profecto intelligi daretur, ipsum ideò in carnem accepisse redeundi facultatem, vt quod in virum Dei deliquerat, hic detergeretur, verumque de eo, quod dixerat, indicium relinqueretur. Lætare ergo Stabulensium ecclesia, lætare inquam, ex tanti viri præsentia: quia vt Turonica ciuitas in Martino suo mirabiliter gloriatur, ità etiam in Poppone tuo status tuus magnificatur: dum & ille mortuum viuus suscitauit, & iste monachum, ad iudicium extra se raptum, mortuus ad vitam reuocauit. Magnum etiam est, mortuum suscitare: magnum etiam est, hominem ad iudicium raptũ, ad se reuocare: cùm neutrum nisi à sanctis fieri valeat, qui præsentia Dei mirificè perfruuntur. Et vere in hoc patet, beatum Popponem post mortem etiam viuere, curamque suorum apud Deum semper gerere.

Visio de S. Poppone.

Viuunt sancti apud DEVM.

XXVI.

ALIO quoque tempore puer quidam Gozo, idemq; monachus viri Dei scholari adhuc disciplinæ subiectus, validà corporis infirmitate correptus est. Qui se mox visitari petijt & vngi, psalmisque & precibus Deo commendari. Quod cùm ageretur, illique à fratribus in prece & infirmitatis eius visitatione adstaretur, exclamauit subitò, dæmonum phalangem, Æneæ & Turni aliorumque ex Virgilio virorum vultus imitari, seque ab eis, qui sibi in discendo plurimùm in vsu fuerant, vsque ad animam infestari. Fratribus verò, vt sibi crucis signum imprimeret, hortantibus, seque non posse, illo respondente, mox dominum abbatem Popponem adesse exclamat, eumque fratribus ignorantibus quem significasset, inclinato capite salutat. Quem cùm adstantium fratrum caterua quid videret inquireret, aut quem nam salutaret, Num, inquit, dominum abbatem Popponem in medio vestri non cernitis, & ad eius præsentiã omnem dæmonum phalangem effugisse non conspicitis? Adiecit proindè, se eorum manibus, præfato succurrente abbate, ereptum, securitatisq; remedia de eis porrò adeptum. Quo ista persequente, doloreq; simul cum tremore in ipso conquiescente, spiritum vltimum exhalauit, & tam verum quam manifestum eorum, quæ dixerat, indicium ostentauit, ità vt cum B. Poppone vere indè migrasse crederetur, & in eo erga omnes fratres beati viri similes solicitudo intelligeretur Cuius quidem pueri corpus à coætaneis socijs fauore pariter & dolore circundatum, & ante scholam, licet quibusdam inuitis, est sepultum: pro quo etiam gemitus ipsorum tanto fuit intolerabilior, quanto erga eum affectus omnium in vita ipsius extiterat propensior.

Puer vidit S. Popponem ipsi apparẽtem in extremis.

XXVII.

EODEM tempore extitit quidam magister carpentariorum vel latomorum. Thietmarus nomine, qui viro Dei Popponi valde charus habebatur propter peritiam artis suæ: nam illi Deus inspirauerat, quemadmodum Beseleel, opus perficere in domo Domini secundum voluntatem viri Dei, monstrante id videntibus præsentis basilicæ structura mirabili. Hic synaxi vespertina expleta, venit ad quosdam fratres in claustrum cum nõ parua, vt prosequemur, tristitia: & ecce præsens sedebat nepos sancti viri Euerhelmus Altimontensis abbas. Qui percontari cœpit, quid causæ haberet. Respondit se priuatum esse beneficio, quod sibi iure perpetuo concesserat homo Dei Poppo. Et ille, Non est, inquit, mortuus dominus tuus Poppo, sed verè viuit: perge quantocyùs ad ipsum, & narra ei si quid habes. Credidit homo sermoni, quem audiuit, & præpeti cursu ad sepulcrum viri Dei peruenit, ibiq; amarissime quæ sequuntur clamitando, super corpus sanctum se prostrauit: Heu mi pater & domine, vt quid me diutiùs finis viuere in hac conualle plorationis? Conteſtor te per omnipotentem cui in hac vita fideliter seruisti, ne me permittas in hac miserabili vita octo diebus viuere. Vt ergò se exauditum credidit, surrexit, domum redijt, in lectum se proiecit, viaticum petiit & accepit, & sicut à sancto viro perierat, ante Octauum diem de hac luce subtractus est.

Exod. 31.

XXVIII.

Nota petitionem, & celerẽ impetrationẽ

PRÆTEREA plurima sanitatum beneficia per eum Dominus operatur: Febricitantes, dæmoniaci, aliiq; languidi ad sepulcrum eius, Deo cooperante, curantur. Vnum tamen præclarum, quod omnibus penè notum est, in medium proferam, vt ex hoc fides credentium incalescat. Æger quidam diù vexatus hydropico morbo, adductus est ab occidentali plaga, & in basilica sancti & apostolici viri Remacli, mirabilium factoris, & in præsentia corporis eius est collocatus. Qui per septimanam ibidem diù cupitam salutem præstolans, tandem fessus sopore deprimitur,

Et eccè

Et ecce videt sibi sanctissimum ac Deo dilectum Remaclum adstare, nimio splendore radiantem, & hæc sibi dicentem: Surge, & ad sepulchrum abbatis Popponis, quod est in hac crypta propera: per eum enim tibi salus proueniet. Expergefactus æger, surrexit, & vtcunque potuit, illuc peruenit, seque toto corpore super illius prosternens mausoleum, deuotissimè implorabat eius interuentu Dei adiutorium: cùm subitò virus omne, quod per membra ac vitalia diffundebatur, conglomeratum, vt quondam attactu S. Martini, imò Deo suum glorificante famulum, quàm grandisq; meriti apud ipsum esset ostendente: more torrentis magno vomitu per gutturis prorupit meatum. Statimq; homo incolumis surrexit, qui penè desperatus aduenerat: & gratias agens Deo in sanctis eius confessoribus, lætus ad propria repedauit. Quis non stupeat euentu huius inusitati miraculi, mandans illud stylo memoriæque in profectum posteritatis, vt magnificetur Dominus, qui illum dignatus est per seruum suum curare? Idem præfatus athleta Dei, dum in terris hominem gessit, multa cum deuotione & studio Christo sanctissimoque eius præsuli Remaclo seruiuit; vnde & ciuis esse sanctorum domesticusque Dei hoc facto declarari meruit. O felix Stabulaus, tanti pontificis Remacli membra continens, cui ad tutelam loci ipsius adiunctus est famulus Dei Poppo, scutum inexpugnabile contra omnes inimici insidias. Non enim accidentale nomen tibi, sed essentiale adhæsit stabilis laus, abiecto vulgari illo, ab ignorantia profecto, Stabolaus: quia tibi stabilis laus perpetuò non extinguetur, sicut luminaria cereorum brumali tempore flantibus ventis sub diuo non quibant extingui, quando susceptum est corpus beati Popponis à fratribus præfati loci.

Hydropic⁹ ad S. Popponis locũ curatur.

Cerei nõ extinguuntur ventis flãtibus, ad corpus S Popponis.

XXX. EGO igitur Euerhelmus, Altimontensis abbas, hunc libellum positus in cœnobio Blandinensi, scribendo summatim perstrinxi, non vt omnia, quæ de beato viro dicenda erant, illo comprehenderem. Quem dum deferre ad locũ suprà memoratum disposuissem, socios itineris mei assumpsi, Onulfum monachum, qui in præfatiuncula huius libelli scriptus est, & Odulfum capellanum comitis Lamberti. Qui cum in via de vita & spe futurorum sedulò colloqueremur, frequenter etiam hunc libellum Odulfus reuoluebat mecum, beatum beatificans virum, qui sic præsentis seculi euasisset naufragium. Quid plura? Tandem peruenimus Leodium, vbi tunc temporis sancti Lamberti martyris recolebatur martyrium. Post Missarum solennia inde digredientes, vt ad viri Dei properaremus tumulum, Onulfus, Odulfi consilio deceptus recusat cœptum iter peragere mecum, nescio quid de viri sancti meritis proferens ad alterum. Aiunt ergò ambo: Iter perage tuum: nos verò in sancti Trudonis cœnobio tuum præstolabimur reditum. Ad hæc ego, eorum fidem infirmam considerans, aio, eos propediem dolituros. Et inde progressus, ad beati viri tumulum perueni, vnius tantum contentus confortio pueri. Extrahens ergò libellum, de eius gestis editum, non sine contritione cordis super sepulturam pijssimi patris deposui. In crastinum verò ad comites mei itineris rediens, eos tristes mœstosque inimium reperi. Nam alter percussi equi sui damno grauiter dolebat: Odulfus autem lurida peste mulctatus grauius gemebat. Quem cùm intuerer, primò exorsus ille, heu me, ait, domine, cur tecum cœptum iter distuli peragere; Eccè nunc morbo dysenteriæ, imò diuina percussus virtute pereo. Quem blandè leniterq; consolans, hortatus sum monasticum suscipere habitum. Post hæc abii, & ille non longè post obijt, exemplum suæ præuaricationis relinquens posteris, ne præsumant detrahere virtutibus viri Dei Popponis.

Vltio diuina in obtrectatorem S. Popponis.

GESTA QVÆDAM ET ILLVSTRE MARTYRIVM B. POLYCARPI, SMYRNENSIS EPISCOPI, EX LIBRO 4. cap 13. & 14. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebij Pamphili, interprete Iohanne Christophorsono, apud Anglos quondam Cicestrensi Episcopo.

AN. 150.

I. CAP. XII. EMPORIBVS modò demonstratis, dum Anicetus Romanæ Ecclesiæ præerat, Polycarpum, cui adhuc suppeditabat vita, Romam aduentasse, & cum [a] Aniceto in congressum colloquiumq; de controuersia, quæ fuit de die Paschæ celebrando suscepta, venisse commemorat [b] Irenæus. Aliam item historiam de Polycarpo idem scriptor tradit, quam ex tertio eius libro contra hæreses petitam, his, quæ de eo tradita sunt, necessariò putamus adiũgendam, quæ ita se habet: Polycarpus non solum ab Apostolis institutus, & cum multis, qui Christum oculis conspicati sunt, familiariter versatus: sed etiam ab eisdem in Asiam delegatus est, quò Smyrnẽsis Ecclesiæ episcopatum capesseret: quem quidem [c] nos ineunte ætate vidimus. Nam diù vitam propagauit, & planè grandis fuit: qui summa cum admiratione & celebritate martyrium perpessus, cessit è vita, eaq; perpetuo docuit, quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesia tradit, quæ deniq; sola vera sunt. Atque ista testimonio confirmant, cùm omnes Ecclesiæ Asiaticæ, tum Episcopi, qui hactenus successerunt Polycarpo: qui profectò testis veritatis fuit multò fidelior constantiorq;, quàm Valentinus, Marcion, & totum reliquum genus eorum, qui tot & tam pestiferas in Ecclesiam errorum sectas inuexerunt.

26. IAN.

[a] Polycarpi cum Aniceto disputatio Romæ circa annũ 160.

[b] Irenæus lib. 3 cap. 3. Vide Nicephor. li 3 c. 30. & 35.

[c] Irenæus vidit Polycarpum.

II. QVI tandem Aniceto Romanæ Ecclesiæ [d] episcopatum gerente, Romam aduentans complures ab errore hæreticorum, quos diximus, auocauit, & ad Ecclesiam veramque religionem traduxit, palamque prædicauit, se ab Apostolis accepisse hanc vnam & solam veritatem, quæ est ab Ecclesia tradita. Sunt etiam, qui ab eo audiuerint, Iohannem Domini discipulum, cùm Ephesi ad balnea se conferret, intusque videret Cerinthum hæreticum se mox è balneo illotum protripuisse, & eos, qui vna erant, hoc modo esse hortatum: Fugiamus [f] ocyus, ne balneum, in quo est Cerinthus veritatis aduersarius, extemplò corruat. Idem Polycarpus Marcioni in eius conspectum venienti, dicentique ac roganti, Nosce nos amabò: respondit, Noui equidẽ primogenitũ Satanę, talem enim tum Apostoli, tum illorũ discipuli adhibuerunt cautionem, vt ne sermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter suis commentis adulterare nitebantur, aliquando conferre vellent: sicut Paulus admonet: Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita, sciens quod talis * euersus est, & peccat proprio iudicio condemnatus. Est etiam epistola Polycarpi ad Philippenses scripta accuratissimè, ex qua expressam fidei illius notam, & veritatis prædicationem hi, quibus libitum sit, quique suæ salutis rationem ducant, possunt manifestè perspicere. Hactenus Irenæus. Polycarpus quidem in ea epistola, quam diximus ad Philippenses scriptam, quæq; adhuc extat, quibusdam prioris epistolæ diui Petri testimonijs vtitur.

[d] Polycarpus venit Romã De Polycarpi & Marcionis Romam aduẽtus tempore, vide Bar. anno 146. & 167.

[f] Ioannes Apostolus, quàm vitauit Cerinthum

* auersus. Ruffin. c 15.

III. CAP. XIV. ANTONINO, cognomento [g] Pio, cùm vigesimum secundum annum imperij sui confeciſſet M. Aurelius Verus, eius filius, qui & Antoninus dictus est, cum Lucio fratre successerunt. Eodem tempore Polycarpus, cùm Asia maximis persecutionum procellis turbaretur, martyrio supremum vitæ diem egit. Cuius quidem vitæ exitum, literarum monumentis adhuc conseruatum, in hac nostra historia memoriæ prodere cum primis necessarium arbitror. Est autem epistola ex persona Ecclesiæ Smyrnensis, cui præfuit Polycarpus, Ecclesiis Ponti scripta, quæ ea, quæ ad eius martyrium spectant, perspicuè docet his verbis: [h] Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, ecclesiæ, quæ est Philomilij, & alijs omnibus sanctis & catholicis ecclesijs, quæ vbique gentium sunt, misericordia, pax, & charitas Dei patris & Dñi nostri Iesu

[g] M Aur. Verus imp. at. Lucius frater appellatur Antonini, quia cũ illo adoptatus est Aprodisius erat Veri. & tamen fi-

[h] Epistola Smyrnensis ecclesiæ de martyrio S. Polycarpi. Anno Mar. 7. Christi 169. vt habet Bar.

Iesu Christi affatim impleatur. Scripsimus vobis, fratres, quæ videbantur pertinere, cùm ad alios martyres, tum ad beatum Polycarpum: qui quidem persecutionis flammam, contra Ecclesiam incensam, sanguine suo copiosè per martyrium effuso penitus restrinxit. Istis deinceps, antequam in martyrij Polycarpi explicationem ingrediuntur, ea quæ spectant ad cæteros martyres, ordine narrant, & qualem quamque celsam erectamq; animorum firmitatem ad dolorum morsus tolerandos ostenderint, scitè describunt.

IV. NAM, vt epistola loquitur, qui vndique circunsistebant, cùm coram cernerent illos partim flagris ad intimas vsque venas & arterias dilaceratos, sic vt iam viscera aliaque occultiora membra, intimis corporis recessibus abdita, oculis omnium subijcerentur: partim buccinorum testis, è mari deportatis, & lapillis quibusdam præacutis substratis afflictos, & per quodque suppliciorum ac tormentorum genus raptatos, & bestijs denique immanibus ad dilaniandum traditos: cùm coram, inquam, cernerent illos hæc omnia tam toleranter sustinuisse, incredibili propè admiratione obstupuerunt. Inter quos Germanicum quendam, qui diuina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter insitam, quæ efficit, vt corporis mortem vehementer extimescamus, erexit recreauitque, propter eximiam & singularem eius constantiam, facilè primas tulisse memorant. Nam cùm proconsul illi persuadere conaretur, proponeret ætatem, & magnopere flagitaret, vt cùm iam adolescens esset, & in ipso ætatis flore constitutus, suiipsius misericordiam caperet: eum illa minimè curasse, sed abiecta cunctatione, feram parato animo attraxisse ad se, & propè vi in corporis sui laniatum impulisse, quo celerius ab hac iniusta & impia vita liberaretur. Verùm quanquam vniuersa multitudo tum diuini & cælestis huius martyris fortitudinem & constantiam, & propter egregiam & generosam mortem, magnoperè admirabatur, tum excelsam vniuersi generis Christianorum virtutem vehementer suspiciebat: tamen subitò vnà omnes, hoc pacto cæpisse conclamare: Tolle impios, Quæratur Polycarpus.

Germanici fortitudo.

V. QVINETIAM cum permagna turba istis populi clamoribus de Christianis conquirendis facta esset, Phrygem quendam, nomine Quintum, qui nuper è Phrygia aduentauerat, simul ac immanes feras & terribiles prætereà cruciatus perspexerat, molli & fracto animo attonitum obstupuisse, & tandem, salute prodita, manus prælignauia dedisse. Declarat quidem eadem, quam modò citauimus, epistola, illum non prudenti animi prouisione & consilio adductũ, sed temerè & quasi repentino vento incitatum, cum aliis ad tribunal iudicis ruisse: qui simulatque deprehensus tenebatur, illustre & euidens omnibus exemplum proposuisse, ne inconsideratè & imprudenter huiusmodi rebus se aliquando obiicerẽt. Sed isto modo de illorum martyrum exitu à nobis expositum sit. Polycarpus autem, qui maximam omnibus admirationem sui excitabat, primum vt ista de martyribus audiuerat, placato & tranquillo animo perstitisse, & vultum omnemque mentis statum, constantem & immobilem conseruasse. Et quamuis in animo haberet illic in ciuitate manere, tamen familiaribus petentibus obsecrantibusque, vt se inde subduceret, demum morem gessisse, ad villam non longè ab vrbe distantem progressum esse, ibique cum paucis amicorum commoratum, & dies noctesque, nihil aliud molitum, quam preces obnixè & instanter ad Dominum fundere: quibus quidẽ supplex efflagitabat, (hoc enim erat illi semper in more positum) vt pax tranquilla concederetur ecclesiis. Ac triduo ante, quam prehendebatur, cùm in precibus attentè positus, somno oppressus esset, noctu in visione secundùm quietem vidisse dicitur cervical flamma accensum, derepentè consumi conficique: Qua quidem re è somno excitatum, statim visum suum ijs, qui aderant, exposuisse, & quod futurum erat, mente ferè præsagientem apertè suis prædixisse ne cessarijs, se flammarum incendijs corpori circumiectis vitam pro Christo profundere oportere.

Quinti apostasia.

Polycarpi eximia virtus.

Visio Polycarpi.

VI. TANDEM igitur cùm illi, qui eum omni cura & diligentia conquirebant, instarent, iterum incredibili studio & amore erga fratres compulsum, in aliam villam se transtulisse ferunt: quò quidem non longo tempore pòst, qui illum insequebantur, rectâ peruenisse, duosq; illius loci pueros comprehendisse, atque alterius illorum indicio, vbi verberibus eum ceciderant, ad Polycarpi diuersorium accessisse. Qui sub crepusculum aduentantes certiores fiebant, eum in superiori conclaui assidere. Ex quo loco licet perfacilè in aliam domum se recipere potuisset, noluisse tamen, sed dixisse: Fiat voluntas Domini. Quem, vt illos adesse intelligebat, refert epistola descendisse per gradus, & cum illis adeò sereno ac placido vultu collocutum esse, vt qui virum anteà ignorassent, cùm oculos in canam eius & ingraescentem ætatem, in venerandam quoque & constantem vultus moderationem coniecissent, viderentur sibi rem permiram videre, rogarentque ab se ipsi mutuo, Tantane, quæso, festinatio in tali sene prehendendo suscipi debuisset? Istum autem, abiecta cunctatione, primùm mensam illis actutum apponi iussisse? deinde orasse, vt cibum largè & affatim sumerent, vnamque horam, qua liberè orationi vacaret, postulasse. Qua ei concessa, surrexisse, & gratia Domini cumulatè repletum, adeo ardenter precatum esse, vt qui præsto illum audirent orantem admiratione propè obstupescerent, complures que illorum tam spectatum, tamque eximia & diuina virtute præditum senem, morte affici vehementer condolescerent.

VII. POST ista, reliqua illius historia est ad verbum in eadem epistola hoc modo explicata: Vt primùm finem precandi fecerat, & memoria repetierat omnia, quæcunque illi in vita aliquando contigissent, siue magna illa fuissent, siue exiguã: siue gloriosa, siue ingloria, & totam denique Ecclesiam per vniuersum orbem dispersam precibus DEO commẽdauerat, cùm iam hora abeundi instaret, satellites eum asino impositum, versus vrbem die festo magni sabbati deduxere. Herodes, qui præfectus pacis dicebatur, & pater illius Nicetes, illi obuiam prodire: qui, vbi illum ad se in rhedam transtulerant, propter eum assidentes, ei persuadere conati sunt ad hunc modum: Quid mali est istud dicere, (domine Cæsar) & illic sacrificare, & sic tandem saluum euadere & incolumem? Polycarpus primò nullum dedit responsum: sed illis magis instantibus, sic tandem locutus est: Non facturus sum aliquando, quod mihi consulitis: Isti igitur spe illius in suam sententiam pertrahendi deiecti, contumelioſa verba in eum iaciunt, & tanta cum celeritate de curru præcipitant, vt inde delapsus, tibiam magnopere laceraret, læderetq;. At ille de ea re minimè laborãs, quasi nihil mali fuisset perpessus, lubenti animo à satellitibus ductatus, satis incitato gradu ad stadium proficiscitur. Polycarpo igitur in stadium ingredienti, vox è cælo demissa, dixit: Fortis esto Polycarpe, & excelso animo rem gere. Eum, à quo esset vox perfecta, vidit nemo: vocem autem multi è nostris audiuerunt: sed propter tumultum in stadio concitatum, multitudo omninò eam audire non potuit. Illo igitur ad iudicem deducto, simulatque intellectum erat Polycarpum fuisse comprehensum, ingens tumultus ciebatur.

De Polycarpi martyrio narratio.

Quis iste Herodes, & cur pacis præfectus dict⁹, declarat Ba ad Ann 169.

Nota versutia diaboli.

Itẽ martyris constantiã

Præcipitat de curru.

Sistitur ad tribunal.

VIII. Ex quo proconsul, vbi accessit, sciscitatus est: Tune es Polycarpus? Polycarpus se eundem esse fatebatur. Tum suadere proconsul, vt Christum negaret, sic locutus: Reuerere ætatem tuam, & alia his similia, quæ ab eiusmodi viris dici solent. Iura per Cæsaris fortunam. Resipisce. dic, Tolle impios. Polycarpus graui & constanti vultu in vniuersam multitudinem, quæ erat in stadio, intuens, & manum versus eos intẽdens, cum gemitu oculis in cælum sublatis, dixit: Tolle impios. Præsidi, cùm amplius instaret diceretque, Iurato, conuicijs Christum afficito, & te dimittam: respondit Polycarpus: Octoginta sex annos illi iam inseruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo igitur regem meum, qui me ad hoc vsq; tempus seruauit incolumẽ, contumelioſis verbis possum afficere? Proconsule denuo vrgẽte ac dicente, Iura per Cæsaris fortunam: Polycarpus, si, inquit, ad inanem ostentationem requiris, vt per Cæsaris fortunam iurẽ, (sic enim vocas) & me qui sim, ignorare præ te fers, sic, vt liberè & ingenuè loquar, accipito: Christianus sum.

Præclarum responsum.

Cur a Polycarpo hoc iuramentum exigatur, notat Baronius anno 169.

Quod

Quòd si placet Christiani professionem cognoscere, da mihi diem, & audies. Tum proconsul, Istud, inquit, persuade populo. Tibi equidem, inquit Polycarpus, rationem & sententiam meam (magistratibus enim & potestatibus à Deo constitutis, eum honorem, qui nostrorum animorum saluti, nostræque religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non grauabor: sed illos non satis dignos existimo, quibus de fide nostra per responsum satisfaciam. Et proconsul, Bestias, inquit, habeo in promptu: istis te obiiciam laniandum, nisi te maturè pœnituerit. Accerse, inquit, nam nobis rata, ac decreta stat sententia, & multùm ab eo absumus, vt aliquando animo mutato, nos meliorum pœniteat, quò deteriora sequamur. A sæuitia & crudelitate ad æquitatem & modestiam traduci, est sanè pulchra mutatio.

IX. Ad quem rursus proconsul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendiis domitum & mansuetum reddam, si bestiarum laniatus contemnas, & non resipiscas ocyùs. Tum Polycarpus, Ignem, inquit, mihi minitaris, qui ad tempus exardescit ille quidem, sed paulò pòst penitùs extinguitur. Verùm ignem illum futuri iudicij, ad perpetuum impiorum supplicium & cruciatum reseruatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris? Profer bestias, aut aliud quod lubet. Ista & alia complura locutus, tanto vultûs decore & gratia imbutus est, tantaque animi fidentia & alacritate expletus, vti his, quæ ei essent tam minaciter obiectata, non modò non conturbatus succumberet, sed contrà certè illum ipsum proconsulem admirabili sua constantia & grauitate prorsùs obstupefaceret. Proconsul [a] præconem mittit, qui in medio stadio istud ter prædicaret: Polycarpus professus est se Christianum esse. Quæ vox cùm esset à præcone emissa, vniuersa tum [b] gentium, tum Iudæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu & bile effrenata exardescens, alta voce clamâre: Iste est Asiæ doctor, iste Christianorum pater, iste nostrorum deorum euersor, iste denique est, qui adeò multos perdocuit, vt neque diis sacrificent, neque eos adorent. Quæ cùm essent locuti, Vociferari & rogare Philippum munerarium, vt leonem, qui Polycarpum discerperet, emitteret. Hic verò respondere, non esse ei integrum, quoniam iam ferarum certamina confecta erant. Tunc illis visum est, vno consensu clamando instare, vt Polycarpus viuus in rogum coniceretur. Ita enim factum oportuerat, vt visio, quæ de ceruicali illi apparuisset, compleretur. Quod quidem cùm ardens videret, Deum precatus paululum, ad fideles tandem, qui cum eo erant, se conuertit, & mente prophetico more futura præsagiens, dixit, me viuum oportet cremari. Ista igitur erant cum tanta celeritate suscepta, vt dicto penè citiùs propterea à geri viderentur, quòd cùm frequens hominum turba & ex officinis & ex balneis ligna sarmentaq; actutum coaceruabat, tum maximè Iudæi ad hoc facinus (sic enim illorum mos in eiusmodi negotio erat) operam propenso animo conferebant.

[a] Per præconem solitũ interloqui iudicem, vt tet L. fustib. C quod ex quib. causis infamia irrogatur.

[b] Clamor gẽtium & Iudæorum cõtra Polycarpum.

X. Verùm vbi rogus extructus & paratus erat, Polycarpus soluto cingulo & omnibus vestib. exutis, calceos etiam sibi extrahere cœpit: quod quidem anteà non aliquãdo facere consueuerat, propterea quòd singuli fideles magno studio inter se contendebant, quis primùm ei in eo munere inseruiens, corpus illius posset contrectare. Nam in toto ætatis curriculo, etiam ante canitiem propter vitam honestè actam probeq; moratam, magnoperè colebatur. Paulò pòst igitur instrumenta, quib. in rogo firmè teneretur, apparata, corpori illius circumiiciuntur. Et cùm illum clauis vellent affigere, dixit: Sinite hoc modo. Nam qui mihi patientiam ad ignis flammas sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiam, vt sine commissuris clauorum, quibus me affigere statuitis, constans absq; vlla corporis commotione rogo adhærescam. Idcircò illum non clauis, sed vinculis solùm colligârunt. Qui manibus à tergo circumplicatis constrictisq;, tanquam aries insignis, ex immenso grege delectus, vt holocaustum gratum acceptumq; fieret Deo omnipotenti, sic locutus est: Pater dilecti & benedicti filij tui Iesu Christi, per quem tui cognitionem accepimus: Deus angelorum & potestatum, Deus totius creaturæ & iustorum cuiusq; generis, qui viuunt in conspectu tuo: gratias tibi ago, quòd me huius diei & horæ celebritate donâsti, in qua cum in martyrum numero, tum in calice passionis Christi tui tormentorum particeps fiam, in resurrectionem vitæ æternæ, tam animæ quàm corporis, per immortalem Spiritus Sancti virtutem: inter quos, quæso, martyres hodie in conspectu tuo, pro hostia pingui & accepta, admittar, sicut præparâsti, præsignificasti, & iam tandem compleuisti, qui verus Deus es, & omnis mendacij expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per Iesum Christum dilectum filium tuum, pontificem æternum, per quem tibi cum eo in Spiritu Sancto gloria nunc & in futura secula seculorum, Amen.

Honestissima Polycarpi vita.

Oratio S. Polycarpi.

XI. Hanc vocem, Amen, vbi emiserat, & orandi finem fecerat, carnifices, quibus ignis extruendi cura imponebatur, rogum incenderunt. Qui vbi ardentem flammam effuderat, miraculum ingens illis, quibus idem videre à Deo concessum fuit, quique ad ea, quæ gerebantur, cæteris fidelibus verè in posterum narranda, erant reseruati, visum est. Ignis enim fornicis speciem gerens, tanquam velum nauigij ventorum flatibus turgescens, corpus martyris vndiq; obuallat. Ille in medio constitit, non tanquam caro exusta, sed tanquam aurum & argentum, in camino ignis ardore probatum. Quin etiã tantum & tam fragrantem odorem inde hauriebamus, vt idem velut ex thure odorifero, aut alio quouis precioso aromate efflatus videretur. Ad extremũ igitur, cùm nefarij, & impij homines eius corpus ab igne minimè posse consumi viderent, carnifici mandata dederunt, vt propiùs ad rogum progressus, illum ense stricto confoderet. Qua re confecta tanta cruoris copia effluxit, vt ignem prorsus extingueret, & vniuersa multitudo quæreret secũ magna cum admiratione, vtrum tantum esset discriminis inter infideles & electos: ex quorum numero iste Polycarpus vnus erat, vir nostris temporib. omnium facilè præstantissimus, catholicæ Smyrnensis ecclesiæ episcopus, doctor apostolicus, & propheta pius. Nam quodcunque verbum ex eius ore exibat, idem vel iam expletum erat, vel postea pro certo explendum. Inuidus igitur, odiosus & iustorum hominum generi semper infestus diabolus, cùm martyrij eius amplitudinem, cumq; incorruptam & integram vsq; à teneris vnguiculis viuendi rationem immortalitatis corona remuneratam, eumq; ipsum propterea stabili & certo præmio vitæ æternę donatum cerneret, omni cura & cogitatione eo incubuit, ne corpus eius à nobis inde auferretur: idq; adeò, cùm permulti è nostris permagna cupiditate ducerentur & huius rei efficiendę, & sanctæ illibatæq; carnis perfruendæ.

Insigne miraculum.

Item aliud

XII. Nam certi homines Nicetẽ, patrẽ Herodis, * Dalcę fratrẽ, submonebant, vt præsidem exoraret, ne corpus eius cuiquã daret, ne Christiani, inquiunt, crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. Atq; hæc Iudæis submonentibus, obnixeq; instantib aggressi sunt. Iudæi a. nos, quib. in animo erat illum ex igne eximere, accuratè obseruabant. At illud quidem miseri penitus ignorabant, nimirum nos non aliquando in animũ posse inducere, vt vel Christum deseramus, q pro salute omniũ, qui in toto mundo salui sint futuri, crucis tormenta perpessus sit: vel aliũ quempiã, aliquãdo colamus vt Deũ. Illum n. qui verè Dei filius est, adoramus: Martyres a. vt discipulos & imitatores Domini, propter incredibilẽ eorum beneuolentiã, q̃ in proprium regem & magistrum declarauerunt, meritò amplexamur, quorum nos cũ in pietate discipulos, tũ cõsortes in gloria fore adoptamus. Centurio a. cùm videret Iudæos instare cõtentiùs, corp⁹ Martyris in medio poni, &, vt gentiũ mos fert, igne cõburi iubet. Sic nos posteà ossa eius potiora, lapillis preciosis autoq; puriora ex cinerib. selecta eo loco reposuimus, q illis erat decorus consentaneusq;. Vbi sanè nobis in vnũ aliquãdo coactis, Dominus p̃stabit, vt celebrẽ ei⁹ martyrij diem instar natalis festi cũ exultatione & gaudio, quantũ fieri põt, maximo recolam⁹: idq; cũ ad martyrũ memoriã, q anteà tale certamẽ confecerunt: tũ ad eorũ exercitationẽ, mentisq; ad talẽ constãtiã p̃parationẽ, q posteà Christũ eo genere mortis ingenuè cõfessuri sunt. Ista de beato Polyc. q Smyrnæ martyriũ obiuit cũ aliis 12. ex Philadelphia p̃fectis, q idẽ gen⁹ mortis lubentes ptulerũt, literis mãdata sunt. Qui solus

*al. Darca.

Ossa eius reuerenter reponuntur.

Celebris eius martyrij dies.

præ cæteris multò maxima nominis celebritate apud omnes floruit, vsqueadeò, vt ipsis gentibus vbique locorum frequens in ore & sermone versetur. Talem quidem exitum res ab admirabili & apostolico Polycarpo gestæ, tandē consecutæ sunt. Cuius historiam in ea, quam declarauimus, epistola fratres ecclesiæ Smyrnensis accuratè narrârunt.

Acta hæc publicè legi consueuisse in Ecclesia, vt quæ fidelissimè ac sincerissimè scripta essent, testatur Gregor. Turonens. lib. de gloria Martyrum cap. 89. De S. Polycarpo præter Eusebium scribit Niceph. lib. 3. cap. 30. & 35.

An. 370. Est epist 27 ad Eustoch. virginem.

VITA S. PAVLÆ, NOBILISSIMÆ VIDVÆ. ROMANÆ, A D. HIERONYMO CONSCRIPTA.

IAN. 26.

SI cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil I.
dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multò nobilior sanctitate: potens quondam diuitiis, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit, Martiæ Papyriæ, matris Africani, vera & germana progenies: Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutauit. Non mœremus quod talem amisimus: sed gratias agimus, quod habuimus, imò habemus, Deo enim viuunt omnia: & quicquid reuertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quanquam amissio illius, cælestis domus habitatio sit: quæ quamdiù in corpore fuit, peregrinata est à Domino, & voce semper flebili querebatur, dicens: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Nec mirum, si planxerit se versari in tenebris, (hoc enim Cedar interpretatur) cùm mundus in maligno positus sit: & sicut tenebræ illius, ità & lumen eius, luxque in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Vnde & illud crebrius inferebat: Aduena sum & peregrina sicut omnes patres mei. Et iterum: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentia & duplicatis contraxerat ieiuniis) vexabatur, hoc in ore voluebat: Subiicio corpus meum, & in seruitutem redigo: ne aliis prædicans, ipsa reproba inueniar. Et, Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Et, Humiliaui in ieiunio animam meam & totum lectum versasti in infirmitate mea, & versata sum in miseria, dum mihi configitur spina. Atque inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cœlos adspiceret loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Testor Iesum & sanctos eius, ipsumque proprium angelum, qui custos fuit & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui: sed quicquid dicturus sum, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, quam totus orbis canit, sacerdotes mirantur, virginum chori desiderant, monachorum & pauperum turbæ deplangunt. Vis lector eius breuiter scire virtutes? Omnes suos pauperes pauperior ipsa dimisit. Nec mirum, de proximis & familiola, quam in vtroque sexu de seruis & ancillis in fratres sororesque mutauerat, ista proferre: cùm Eustochium virginem & deuotam Christo filiam, in cuius consolationem libellus hic cuditur, procul à nobili genere, sola fide & gratia diuitem reliquerit. Carpamus igitur narrandi ordinem. Alij altiùs repetant, & à cunabilis eius ipsisque (vt ita dicam) crepundiis matrem Blesillam, & Rogatum proferant patrem: quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est: alter per omnes ferè Græcias vsque hodie stemmatibus & diuitiis, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui dicennali Troiam obsidione deleuit. Nos nihil laudabimus, nisi quod proprium est & de purissimo sanctæ mentis fonte profertur.

Genus S. Paulæ.

Paulum Æmilium intelligit.

2. Cor. 5.

Psal. 119.

1 Iohan 5.

Psal. 138.

Iohan. 1.

Psal. 38.

Philip. 1.

1. Cor. 9.

Rom. 14.

Psal. 34.

Psal 30 31.

Psal. 54.

Paupertas S. Paulæ.

Parentes eius.

QVANQVAM Dominus atque Saluator in euangelio doceat Apostolos, sciscitantes quid sibi redditurus sit, qui sua II.
pro nomine eius dimiserunt, centuplum in præsentiarum recepturos, & in futuro vitam æternam. Ex quo intelligimus, non laudis esse possidere diuitias, sed pro Christo eas contemnere: non tumere ad honores, sed pro Dei fide eos parui pendere. Verè quod pollicitus est seruis suis & ancillis Saluator, reddidit in præsenti. Nam quæ vnius vrbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur: quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat: latentem in Bethlehem, & Barbara & Romana terra miratur. Cuius enim gentis homines ad sancta loca non veniunt? Quis autem in sanctis locis, præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, inuenit? Hæc, sicut inter multas gemmas preciosissima gemma micat, & iubar solis paruos igniculos stellarum obruit & obscurat: ita cunctorum virtutes & potentias sua humilitate superauit minimaque fuit inter omnes, vt omnium maior esset: & quanto se plus deiiciebat, tanto magis à Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. Sed quid ago, narrandi ordinem prætermittens? Dum in singulis teneor, non seruo præcepta dicendi. Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. Vnde etiam filia eius Christi virgo Eustoctium Iulia nuncupatur, & ipse Iulius à magno demissum nomen Iulo. Et hæc dicimus, non quòd habentibus grandia sint, sed quô contemnentibus mirabilia. Seculi homines suscipiunt eos, qui his pollent priuilegiis: nos laudamus, qui pro saluatore ista despexerint: & mirum in modum, quos habentes paruipendimus, si habere noluerint, prædicamus. His (inquam) orta maioribus, & fœcunditate ac pudicitia probata, primùm viro, deinde propinquis, & totius vrbis testimonio, cùm quinque liberos edidisset, † Blesillam, super cuius morte eam Romæ consolatus sum: Paulinam, quæ sanctum & admirabilem virum, & propositi & rerum suarum Pammachium reliquit hæredem, ad quem, super obitu eis paruulum libellum edidimus: Eustochium, quæ nunc in sanctis locis virginitatis & Ecclesiæ monile pretiosum est: Ruffinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternauit: & Toxotium, post quem parere desiit, vt intelligeres eam non diu seruire voluisse officio coniugali, sed mariti desiderio, qui marem optabat, liberos edidisse. Postquàm vir mortuus est, ita eum planxit, vt propè ipsa moreretur: ita se conuertit ad Domini seruitutem, vt eius mortem videretur optasse. Quid ergo referam, amplæ & nobilis domûs, & quondam opulentissimæ, omnes penè diuitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem etiam in eos, quos nunquam viderat, euagantem? Quis inopum moriens, non illius vestimentis obuolutus est? Quis † clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos curiosissimè tota vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam, dimittere loquebatur. Nec diu potuit excelli apud seculum generis, & nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Mœrebat honore suo, & ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Cumque Orientis & Occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam imperiales literæ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices, Paulinum Antiochenæ vrbis episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hospitem habuit: Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat: non domûs, non liberorum, non familiæ, non possessionum, non alicuius rei, quæ ad seculum pertinet, memor: sola, si dici potest, & incomitata, ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere festiebat. Tandemque † exacta hyeme, aperto mari,

Insignis humilitas eius.

Iungitur Toxotio.

Eius liberi. † Blesillę vitam habes hic ante 22. Ian.

Summa benignitas in pauperes.

† Clinicorũ, id est debilium, à Græco κλίνη, quod est lectus, quasi lecto decumbentium.

a Anno 381. vt habet Bar.

b Epiphanij hospes S. Paulæ.

†Ex hoc loco colligit Baron. Concilium Rom. vsq; in annum sequentem ad tempus veris durasse. An 385 Paula Hierosolymam proficiscitur ex calculo Bar.

mari, redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio nauigauit. Quid vltrà differo; Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Paruus Toxotius supplices manus tendebat in litore: Ruffina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamen illa siccos tendebat ad cœlum oculos, pietatem in filios, pietate in Deum superans.

III. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi à suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quòd magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus & captiuitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quàm parentes à liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, imò gaudens animus appetebat, & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, quæ & propositi & nauigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis, qui cum ea vehebantur, litora respicientibus, ipsa aueros tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est, exhæredans se in terra, vt hæreditatem inueniret in cœlo. Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam fœminarum sub Domitiano principe pro confessione nominis Christiani, Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium: vidensque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Hierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti & omnis pigra velocitas, inter Scyllam & Charybdim Adriatico se credens pelago, quasi per stagnum venit Methonem: ibique refocillato corpusculo, & sale tabentes artus in litore ponens, per Maleam & Cytheram, sparsasque per æquor Cycladas, & crebris freta concita terris: post Rhodum & Lyciam, tandem vidit Cyprum: vbi sancti & venerabilis Epiphanij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta est: non in refectionem, vt ille arbitrabatur, sed in opus Dei, vt re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat. Inde breui cursu transfretauit Seleucam de qua ascendens Antiochiam, sancti confessoris Paulini modicum charitate detenta, media hyeme, calente ardore fidei, fœmina nobilis, quæ priùs eunuchorum manibus portabatur, asello sedens, profecta est. Omitto Cœles Syriæ, & Phœnices iter (neque enim hodœporicon eius dispositi scribere) ea tantum loca nominabo, quæ sacris voluminibus continentur. Beryto Romana colonia, & antiqua vrbe Sidone derelicta, in Sareptæ litore Eliæ est ingressa turriculam: in qua adorato Domino saluatore, per arenas Tyri, in quib. genua Paulus fixit, peruenit ad Coth, quæ nunc Ptolemais dicitur: & per campos Mageddo, Iosiæ necis conscios, intrauit terram Philistiim: Mirata ruinas Dor, vrbis quondam potentissimæ, & versa vice Stratonis turrim, ab Herode rege Iudææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelij domum, Christi vidit Ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginum prophetarum. Deindè Antipatrida semirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocauerat: & Lyddam versam in Diospolim, Dorcadis atque Æneæ resurrectione ac sanitate inclytam. Haud procul ab ea Arimathiam, viculum Ioseph, qui Dominum sepeliuit: & Nobe vrbem quondam sacerdotum, nunc tumulum occisorum. Ioppen quoque fugientis portum Ionæ: & (vt aliquid perstringam de fabulis poëtarum) religatæ ad saxum Andromedes spectatricem. Repetitoq; itinere Nicopolim, quæ priùs Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicauit. Atque inde proficiscens, ascendit Bethoron inferiorem & superiorem, vrbes à Salomone conditas, sed varia posteà bellorum tempestate deletas: ad dexteram adspiciens Haialon & Gabaon, vbi Iesus filius Naue contra quinque reges dimicans, soli imperauit & lunæ: & Gabaonitas ob dolos & insidias fœderis impetrati, in aquarios lignariosq; damnauit. In Gabaon, vrbe vsq; ad solum diruta, paululùm substitit, recordata peccati eius, & concubinæ in frusta diuisæ, & tribûs Beniamin trecentos viros propter Paulum Apostolum reseruatos. Quid diu moror? Ad læuam mausoleo Helenæ derelicto, quæ Adiabenorum regina in fame populum frumento iuuerat, ingressa est Hierosolymam, vrbem trinominem, Iebus, Salem, Hierusalem, quæ ab Ælio posteà Hadriano, de ruinis & cineribus ciuitatis in Æliam suscitata est. Cumq; proconsul Palæstinæ, qui familiam eius optimè nouerat, præmissis apparitoribus iussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam: & cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci. Prostrataq; ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat angelus. Et ipsum corporis locum, in quo dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, *fideli ore lambebat. Quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat. Inde egrediens, ascendit Sion, quæ in arcem vel speculam vertitur. Hanc vrbem quondam expugnauit & reædificauit Dauid. De expugnata scribitur. Væ tibi ciuitas Ariel, id est, leo Dei: & quondam fortissima, quam expugnauit Dauid. Et de ea, quæ ædificata est, dictum est: Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Eustochij comes Paulæ.

Flauiæ Domitillæ exilium.

S. Saulæ multa largitur monachis Cypri.

Act 21.

2 Paral 35.

Act 10.23.

Act 9.

Ioan.1.

Luc 24.

2 Par 8.

Ios 9 10.

Iud 19 20.

Visitat loca sancta Hierosolymis.

Matth. 28.

*al. fideli.

1. Reg. 3.

Esa 29.

Psal. 86.

Matth. 16.

IV. Non eas portas, quas hodie cernimus in fauillam & cinerem dissolutas: sed portas, quibus non præualet infernus, & per quas credentium ad Christum ingreditur multitudo. Ostendebatur illi columna, ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus * dicitur & flagellatus. Monstrabatur locus, vbi super centum viginti credentium animas Spiritus sanctus descendisset, vt Ioëlis vaticinium compleretur.* Deindè pro facultatula sua pauperibus atque conseruis pecunia distributa, perrexit Bethlehem, & in dextra parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, in quo Mater Beniamin, non, vt vocauerat, moriens, Benoni, hoc est, filius doloris mei: sed vt pater prophetizauit in spiritu filium dexteræ procreauit. Atque inde Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsæpe Domini sui, vt illud impleretur, quod in eodem propheta scriptum est: Beatus, qui seminat super aquas, vbi bos & asinus calcant: me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi Dominum magos adorantes, stellâ fulgentem desuper, matrem virginè, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, vt viderent verbum, quod factum erat, & iam tunc euangelistæ Iohannis principium dedicarent: In principio erat verbum, & verbũ caro factũ est, paruulos interfectos, Herodem sæuientẽ, Ioseph & Mariam fugientes in Aegytũ: mixtisq; gaudio lachrymis, loquebatur: Salue Bethlehẽ, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salue Ephrata regio vbertima, atq; καρποφόρος cuius fertilitas Deus est. De te quondã Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehẽ, domus Ephrata nõ minima es in millib. Iuda Ex te mihi egredietur, q̃ sit princeps in Israël: & egressus eius ab initio, à dieb æternitatis. Propterea dabis eos vsq; ad tẽpus parietis. Pariet, & reliquiæ fratrũ eius cõuertẽtur ad filios Israël. In te n. est natus princeps, q̃ ante luciferũ genitus est cuius de patre natiuitas, oẽm excedit ætatẽ, & tã diu in te Dauidici generis origo pmãsit, donec virgo pareret, & reliquiæ populi credẽtis in Christũ cõuerterẽtur ad filios Israël, & liberè p̃dicarẽt: Vobis oportebat primum loq verbũ Dei: sed quoniã repulistis illud, & indignos vos iudicâstis æternæ vitæ, eccè cõuertimur ad gentes. Dixerat enim Deus: Non veni, nisi ad oues perditas domus Israël, & eo tempore Iacob super eo verba completa sunt: Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius: donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gẽtium. Benè Dauid iurabat, benè vota faciebat, dicens: Si introiero in tabernaculũ domûs meæ, si ascendero in lectũ strati mei: si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, & requiem temporib. meis, donec inueniam

Esa 1.

Esa 32.

Iohan. 1.

Mich. 5.

Psal. 109.

Act 13.

Matth. 15.

Gen 49.

Psal 131.

locum Domino, tabernaculum Deo Iacob: & ſtatim, quid deſideraret, expoſuit, atque oculis prophetalibus, quem nos veniſſe iam credimus, ille venturum eſſe cernebat. Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis ſyluæ. Vau quippe ſermo Hebraicus, vt te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc eſt, αὐτὴν, ſed ipſum, id eſt, αὐτὸν ſignificat. Vnde loquitur confidenter. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Et ego miſera atque peccatrix, digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagiit; Orare in ſpelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini patria eſt: hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam. Paraui lucernam Chriſto meo. Anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Haud procul indè deſcendit ad turrim Ader, id eſt, gregis: iuxta quam Iacob panit greges ſuos, & paſtores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis.

Gen. 35. *Luc. 2.*

Exod 12. *Act. 8.*

DVMQVE ſeruant oues, inuenerunt agnum Dei puro & mundiſſimo vellere, quod in ariditate totius terræ, VI. cœleſti rore completum eſt, & cuius ſanguis tulit peccata mundi & exterminatorem Aegypti, litus in poſtibus fugauit. Statimque concito gradu, cœpit per viam veterem pergere, quæ ducit Gazam ad potentiam vel ad diuitias Dei, & tacita ſecum voluere, quomodo eunuchus Aethiops, gentium populos præfigurans, mutauerit pellem ſuam: & dum vetus relegit inſtrumentum fontem reperit Euangelij. Atque inde ad dexteram, tranſita Bethſur, venit Eſcol, quæ in botrum vertitur. Vnde in teſtimonium terræ fertiliſſimæ, & in typum eius, qui dicit Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: exploratores botrum miræ magnitudinis portauerunt. Nec poſt longum ſpatium intrauit Saræ cellulas, videns incunabula Iſaac, & veſtigia quercus Abraham, ſub qua vidit diem Chriſti, & lætatus eſt. Atque inde conſurgens, aſcendit Chebron: hæc eſt Cariath arbe, id eſt, oppidum virorum quatuor Abraham, Iſaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum Ieſu Naue, Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monſtratur. His inſpectis, noluit pergere Cariathſephor, id eſt, viculum litterarum: quia contemnens occidentem litteram, reperet ſpiritum viuificantem. Magiſque mirabatur ſuperiores & inferiores aquas quas Othoniel filius Iephonæ Kenaz pro auſtrali terra & arida poſſeſſione ſuſceperat: & quarum ductu, ſiccos prioris inſtrumenti agros faciebat irriguos, vt redemptionem veterum peccatorum, in aquis baptiſmi reperiret. Altera die orto iam ſole, ſtetit in ſupercilio Caphar Barucha, id eſt, villæ benedictionis: quem ad locum Abraham Dominum proſequutus eſt. Vndè latam diſpiciens ſolitudinem, ac terram quondam Sodomæ & Gomorrhæ, Admæ & Seboim contemplata eſt balſami vineas in Engaddi, & Segor vitulam † conternantem, quæ prius Bala vocabatur: & in Zoaram, id eſt, paruulam, Syro ſermone translata eſt. Recordabatur ſpeluncæ Lot, & verſa in lachrymas, virgines ſocias admonebat cauendum eſſe vinum, in quo eſt luxuria, cuius opus Moabitæ ſunt & Ammonitæ. Diu hæreo in meridie vbi ſponſa cubantem reperit ſponſum & Ioſeph inebriatus eſt cum fratribus ſuis. Reuertar Hieroſolymam, & per Thecuam atque Amos rutilantem montis Oliueti lucem aſpiciam, de quo ſaluator aſcendit ad patrem. In quo per annos ſingulos vacca ruffa in holocauſtum Domino cremabatur, & cuius cinis expiabat populum Iſrael: in quo iuxta Ezechielem, Cherubim de templo tranſmigrantes, Eccleſiam Domini fundauerunt.

Iudic 1.

Gen 18. *Eſa. 15.* † Conternantem, id eſt, trium annorum, à Græco τριέτη.

Gen. 19. *Cant. 1.* *Gen. 43* *Act. 1.* *Nu. 19.* *Ez. 10.* *Mat. 11*

POST ingreſſa ſepulchrum Lazari, Marię & Marthę vidit hoſpitium, & Bethphage, villam ſacerdotalium maxilla- VII. rum: & locum, in quo pullus laſciuiens gentium Dei frena ſuſcepit: apoſtolorumque ſtratus veſtibus, mollia terga præbuit ad ſedendum. Rectoque itinere deſcendebat Hiericho, recogitans illum de euangelio vulneratum, ac ſacerdotibus & Leuitis, mentis feritate prætereuntibus, clementiam Samaritæ, id eſt, cuſtodis, qui ſeminecem ſuo iumento impoſitum, ad ſtabulum Eccleſiæ deportauit. Et locum Adomim, quod interpretatur, ſanguinum, quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſibus, & arborem ſycomorum Zachæi, id eſt, bona pœnitentiæ opera, quib. cruenta dudum & noxia rapinis, peccata calcabat, excelſumq; Dominum de excelſo virtutum intuebatur. Et iuxta viam cæcorum loca, qui receptis luminib. vtriuſq; populi credentis in Dominum ſacramenta præmiſerant. Ingreſſa Hiericho, vidit vrbem, quam fundauit Hiel in Abiram primogenito ſuo, & cuius portas poſuit in Segub nouiſſimo filiorum. Intuita eſt caſtra Galgalæ, & aceruum præputiorum & ſecundæ circunciſionis myſterium, & duodecim lapides, qui de Iordanis illuc translati alueo, duodecim apoſtolorum fundamenta firmauerant: & fontem quondam legis amariſſimum & ſterilem, quem verus Eliſæus ſua condiuit ſapientia, & in dulcorem vbertatemq; conuertit. Vix nox tranſierat, feruentiſſimo æſtu venit ad Iordanem. Stetit ripa fluminis, & orto ſole, Solis iuſtitiæ recordata eſt, quomodo in medio amnis alueo ſicca ſacerdotes poſuerint veſtigia: & ad Eliæ & Eliſæi imperium, ſtatib. ex vtraq; parte aquis, iter vnda præbuerit: pollutasq; diluuio aquas & totius humani generis interfectione maculatas, ſuo dominus mundauerit baptiſmate. Longum eſt, ſi velim de valle * Achor dicere, id eſt, tumultûs atq; turbarum, in qua furtum & auaritia condemnata eſt: & de Bethel domo Dei, in qua ſuper nudam humum, nudus & pauper dormiuit Iacob: & poſito ſubter caput lapide, qui in Zacharia ſeptem oculos habere deſcribitur, & in Eſaia lapis dicitur angularis: vidit ſcalam vſq; ad cœlum tendentem, in qua Dominus deſuper innitebatur, aſcendentibus porrigens manum, & negligentes de ſublimi præcipitans. Sepulchra quoq; in monte Ephraim Ieſu filij Naue, & Eleazari filij Aarõ ſacerdotis, è regione venerata eſt: quorum alter conditus eſt in Tamnathſarè à ſeptentrionali parte montis Gaias: alter in Gabaa filij ſui Phinees: ſatiſq; mirata eſt, quòd diſtributor poſſeſſionum ſibi montana & aſpera delegiſſet. Quid narrẽ Silo, in qua altare dirutum hodieq; monſtratur, & raptum Sabinarum à Romulo, tribus Beniamitica præcucurrit? Tranſiuit Sichem, non vt pleriq; errantes legunt, Sicharq; nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim extructam circa putẽ Iacob intrauit eccleſiam ſuper quo reſidens Dominus, ſitiensq; & eſuriens, Samaritanæ fide ſatiatus eſt: q quinq; Moſaicorum voluminum viris, ſextoq;, quem ſe habere iactabat, errore Doſithei derelicto, verum Meſſiam & verum reperit Saluatorem. Atq; inde diuertens, vidit duodecim patriarcharum [a] ſepulchra: & Sebaſten, id eſt Samariam: quæ in honorem Auguſti, ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſiti ſunt Eliſæus & Abdias prophetæ: & (quo maior inter natos mulierũ non fuit) Ioh Baptiſta. Vbi multis intremuit conſternata mirabilib. nanq; cernebat variis dæmones rugire cruciatib. & ante ſepulchra ſanctorũ vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonũ, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere: ſuſpenſiſq; pede fœminis, veſtes defluere in faciem. Miſerebatur omnium, & per ſingulos effuſis lachrymis, Chriſti clementiam deprecabatur. Et ſicut erat inualida, aſcendit pedibus montem: in cuius duabus ſpeluncis, perſequutionis & famis tempore, Abdias propheta centum prophetas aluit panè & aqua. Inde cito itinere percucurrit Nazareth, nutriculam Domini, Chanan & Capharnaum ſignorum eius familiares. Lacum Tiberiadis, nauigante Domino ſanctificatum: & ſolitudinem in qua multa populorum milla paucis ſaturata ſunt panibus, & de reliquiis veſcentium repleti ſunt cophini duodecim tribuum Iſrael. Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus. Aſpiciebat procul montes Hermon & Hermonim, & campos latiſſimos Galilææ, in quibus Siſara & omnis exercitus eius, Barach vincente, proſtratus eſt. Torrens Ciſon, qui mediam planitiem diuidebat, & oppidum iuxta Naim, in quo viduę ſuſcitatus eſt filius, monſtrabatur. Dies me priùs quàm ſermo deficiet, ſi voluero cuncta percurrere, quæ Paula venerabilis fide incredibili peruagata eſt. Tranſibo ad Aegyptum, & inter Sochoth atque fontem Sampſon, quem de molari maxillę dente produxit, ſubſiſtam parumper: & arentia ora colluam, vt refocillatus videam

Luc 10. *Luc 19.* *3. Reg 16.* *Ioſ 6. 4.* *Ioſ 3. 4. Reg 2.* * Achon corrigit Victor Reatinus. *Ioſ 24.* *Iud. 21.* *Iohan 4.* Doſitheus hic fuit ex primis hæreticis Vide Hieronym. contra Luciferianos a Nota de ſepulcris ſanctorum. *3. Reg. 8.* *Iud 4.* *Iud 15.* *Ioſ. 7.* *Gen. 28.* *Zach. 3.* *Eſa. 28.*

deam Morasthim, sepulcrum quondam Michææ prophetæ, nunc ecclesiam. Et ex latere derelinquam Cholæos & Gethæos. Maresa, Idumæam, & Lachis: & per arenas mollissimas, pergentium vestigia subtrahentes, latamq; eremi vastitatem, veniam ad Aegypti fluuium Sior, qui interpretatur turbidus: & quinque Aegypti transeam ciuitates, quæ loquuntur lingua Chananitide, & terram Gessen, & campos * Taphneos, in quibus fecit Deus mirabilia: & vrbem No, quæ postea versa est in Alexandriam: & oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lauantur quotidiè plurimorum.

*Thaneos, absque cam pos vetus editio.

VII. Qvod cum vidisset, occurrente sibi sancto & venerabili episcopo † Isidoro confessore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quib. multos sacerdotalis & leuiticus sublimabat gradus lætabatur quidè ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrē Macarios, * Arsatas, Serapionas, & reliqua columnarū Christi nomina? Cuius non intrauit cellulā? quorū pedib. non aduoluta est? Per singulos sanctos Christū se videre credebat & quicquid in illos contulerat, in Dominū se cōtulisse lætabatur. Mirus ardor & vix in fœmina credibilis fortitudo. Obhita sexûs & fragilitatis corporeæ, inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat: & forsitan, cūctis eam suscipientib. impetrāsset, nī maius sanctorum locorum retraxisset desiderium. Atq; propter feruentissimos æstus de Pelusio Maiomam nauigatione perueniens, tanta velocitate reuersa est, vt auem putares. Nec multò pòst in sancta Bethlehem mansura perpetuò, angusto per triennium māsit hospitio, donec extrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria & Ioseph hospitium non inuenerant. Hucusq; iter eius descriptum sit, quod cum multis virginib. & filia comite peragrauit. Nunc virtus altiùs describatur quæ ipsius propria est, & in qua exponenda, Deo iudice ac teste, profiteor me nihil addere, nihil in maius attollere more laudantium, sed ne rerum * excedam fidem, multa detrahere: & ne apud detractores & genuino me semper dente rodentes fingere putet & cornicem Aesopi alienis colorib. adornare. Quæ prima Christianorum virtus est, tanta humilitate [a] se deiecit, vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum vltimam: & cùm frequentibus choris virginum cingeretur, & veste & voce & habitu & incessu minima omnium erat. Nunquam post viri mortem vsq; ad diem dormitionis suæ cum vllo comedit viro, quamuis cum sanctum, & in pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans, non adiit. Mollia, etiam in grauissima febre, lectuli [b] stratа non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tn illa quies, dicenda est, q̄ iugib. penè ora-
Psal. 6. tionib. dies noctesq; iungebat, illud implēs de Psalterio: Lauabo [c] per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratū meū rigabo.* In quatontes crederes lachrymarū: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminū crederes ream. Cumq; à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus risus, perpeti cōpensandus est fletu. Mollia linteamina & serica preciosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero. Si inter tales tantasq; virtutes [d] castitatem in illa voluēro prædicare, superfluus videar: in qua etiam cùm secularis esset, omnium Romæ matronarum exemplum fuit: quæ ita se gessit, vt nunquam de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama contingere. Nihil animo eius clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Non appetebat potentes: nec tamen superbos & gloriolam quærentes, fastidio despiciebat. Si pauperem videbat, sustentabat: si diuitem ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas [e] sola excedebat modum. Et vsuras tribuens, * versuram quoq; sæpiùs faciebat, vt nulli stipem rogātium denega-
2 Cor 8. ret. Fateor errorem meum: Cùm in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo: Non vt aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in hoc tempore, vt vestra abundantia sit ad illorum inopiam, &
Luc. 3. illorum abundantia sit ad vestram inopiam. Et hoc de Euangelio Saluatoris: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Et prouidendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset: multaq; huiusce modi, quæ illa mira verecundia, & sermone parcissimo dissoluebat, testem inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere: & hoc habere [f] voti, vt mendicans ipsa moreretur: vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Ad extremum sic inferebat: Ego si petiēro, multos inueniam, qui mihi tribuant: iste mendicans si à me non acceperit quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa * ardentior fide, toto Saluatori animo iungebatur, & pauperem Dominum, pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Deniq; consequuta est q̄ optabat, & in grādi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusq; debens, non suis virib. sed Christi se confidit misericordia redditurum.

† Isidorum Nitriæ Episcopum intelligit vt not. Rosweydus cuius festum agitur 11. Ianuar.

* Arsenios vetus edit. & Reatin°: Roswveyd9 intelligi putat Arsacium de quo Pallad. in Lausiac. c. 7. vbi Serapionē ei iungit, vti hic Hieronym. vel certè Arsilium, de quo idē Pallad. c. 7. & 11.

* excedat fidem.

[a] Eius humilitas.

[b] Stratum.

[c] Copia lachrymarū.

* In quo fonte lachrymarum, habent duo MSS. exemplaria vt notat Vict. Reatin.

[d] Castitas insignis.

[e] Liberalitas.

* Versuram faciebat, id est as alienū alieno dissoluebat ære

[f] Studium pauperta-tis.

* al. ardentiori.

VIII. Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusa, manum à cęteris retrahere: quo illa omninò carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reuersus est, quod obtinebat, nō diuitiarum
Matt 5. magnitudine, sed prudentia dispensandi: illud semper replicans. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam
Eccl. 3. consequentur. Et, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et. Facit vobis amicos de iniquo
Luc. 16. mammona qui vos recipiant in æterna tabernacula, Et: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et ver-
Luc. 11. ba Danielis, regem Nabuchodonosor monentis, vt eleemosynis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidib. pecu-
Dan. 4. niam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, qui voluuntur super terram, de quibus
Apoc. 21 in Apocalypsi. Iohannis ciuitas magni regis extruitur: quos in saphirum & smaragdum & iaspidem & cæteras gemmas
Esa. 54. esse vertendos, scriptura commemorat. Verùm hæc possunt esse communia cum multis, & scit diabolus non in summo virtutum culmine posita. Vnde loquitur ad Dominum, post amissam Iob substantiam, post euersum domum, post liberos interfectos: Corium pro corio, & omnia quæ habuerit homo, dabit pro anima sua. Sed extende manum tuam, Iob 2.
& tange ossa eius & carnes, nisi in faciem benedixerit tibi. Scimus plerosque dedisse eleemosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse: porrexisse egentibus manum, sed carnis voluptate superatos: dealbâsse ea, quæ foris erant, & intùs plenos fuisse ossibus mortuorum. At non Paula talis: quæ tantæ continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis ac labore contraheret. Quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo capet: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino & liquamine, piscibus & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gestui suauia sunt, iudicârit. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si his ventrem ingurgitauerint, tutā pudicitiam suspicantur. Semper quidē virtutes sequitur inuidia, feriuntq; summos fulgura montes. Nec mirum, si hoc de
Sap. 2. hominib. loquar, cùm etiam Dominus noster pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes sancti æmulos habuerint: in paradiso quoq; serpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Suscitauerat ei dominus Adad Idumęū qui eam colaphizaret, ne se extolleret. & quasi quodam stimulo carnis sæpiùs admonebat, ne magnitudo virtutum altiùs raperet, & aliarum vitiis fœminarum, se in excelso crederet constitutam. Ego aiebam, liuori esse cedendum, &
Gen. 27. dandū insaniæ locum: q̄ fecisset Iacob in fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum alter
1. Reg. 27. in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostib. quàm inuidis, subiacere. At illa respondebat: Iustè hæc dicerēs, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbiq; pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet: si non sanctorum locorum amore retineret, & Bethlehem meam in alia reperire possem parte terrarum. Cur. n. non patientia liuorem superem? Cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram?

Ieiunia & abstinentiæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rom.12. Act.5. Philip.2. Iob 41.42. Matt.5. dicente apostolo Paulo: Vincite in bono malũ. Nonne apostoli gloriabantur, quando pro Domino sunt passi contumeliam? Nonne ipse Saluator humiliauit se, formam serui accipiens, & factus est obediens patri vsq; ad mortem, & mortem crucis vt nos sua passione saluaret? Iob nisi certâsset, & vicisset in prælio, nõ accepisset coronam iustitiæ, nec audisset à Domino: Putas me aliter loquutum tibi, quam vt appareres iustus? Beati dicuntur in Euangelio, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam.

Psal 28. Psal.37. SECVRA scit conscientia, quòd non propter peccata patiamur: & afflictio in seculo, materia præmiorum est. Si IX. quando procacior fuisset inimicus, & vsq; ad verborum iurgia prosilîsset, illud Psalterij decantabat: Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui & silui à bonis. Et rursus. Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum: Et factus sum sicut homo non audiens & non habens in ore suo increpationes. In tentationibus, Deut.13. Esa.28. Deuteronomij verba voluebat: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustiis, Esaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spẽ super spem mereantur accipere: Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, Rom 5. 2.Cor.4. probatio verò spem, spes autem non confundit. Et: Quòd si is, qui foris est, homo noster corrumpatur: ille qui intus est, innouetur: & in præsentiarum leue & momentaneum tribulationis vestræ, æternæ gloriæ pondus operatur in vobis, non adspicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non Esa.49. *al. sequatur. videntur, æterna. Nec longum fore tempus, etiam si humanę impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim *videatur auxilium, dicentis: Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Nec dolosa labia & linguas iniquorum esse metuendas, cùm Dómino adiutore lætemur, & ipsum debeamus audire per prophetam monentem: Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metueritis. Sicut enim vestimentum, sic comedit eos vermis: & sicut lanam, sic deuorauit eos tinea. Et, Per patientiam vestram possidebitis animas vestras. Et, Non Esa.51: Luc 21. Rom 8. Prou.14. sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alibi, Tribulationem super tribulationem sustinete, vt patienter agamus in omnibus, quæ accidunt nobis. Patiens enim vir, multùm prudens. Qui autem pusillanimis est vehementer insipiens. In languoribus & crebra infirmitate dicebat: Quando infirma sum, 2.Cor.12. 2.Cor.4. 1.Cor.5. tunc fortis sum. Et, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptiuum hoc vestiatur incorruptione. Et iterùm, Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum 2.Cor.1. Psal 41. Luc 9. abundat & consolatio. Ac deindè: Vt socij passionum estis, sic eritis & consolationis. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei & Deus meus. In periculis loquebatur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matt 16: Et iterùm: Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. Et, Qui perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris & euersio totius patrimonij nunciabatur, aiebat: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et. Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Dominibenedictum. Et illud: Nolite diligere mundum, neq; quæ sunt in mundo. Quoniam omne quod in mundo est, Iob.1. 1.Ioh.2. desiderium carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ huius: quæ non est ex patre: sed ex mundo. Et mundus transit, & concupiscentia eius. Scio ei scriptas infirmitates grauissimas liberorum, & maximè Toxotij sui, Matt 10. Psal 76. quem diligebat plurimùm. Cumq; illud virtute complesset, Turbata sum, & non sum loquura, in hæc verba prorupit: Qui amat filium aut filiam plùs quàm me, non est me dignus. Et orans ad Dominum, loquebatur: Posside Domine filios mortificatorum, qui pro te quotidiè mortificant corpora sua. Noui susurronem quendam (quod genus hominum pernicios issimum est) quasi beneuolum nunciâsse, quòd pro nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa respondit: *Theatrum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Et: Nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. Vndè & Saluator loquitur ad patrem: Tu scis insipientiam meam. Et iterum: Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis: Vtiumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Quem in Euangelio & propinqui quasi mentis impotem ligare cupiebant, & aduersarii sugillabant, dicentes: Dæmonium habet & Samaritanus est. Et: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Sed nos audiamus Apostolum cohortantem: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientię nostræ: quoniam in sanctitate & synceritate, & in gratia Dei conuersati sumus in mundo. Et Dominum dicentem ad Apostolos: Ideò mundus odit vos, quoniam non estis de mundo. Si enim essetis de mundo, amaret vtiq; mundus, quod suum erat. Et ad ipsum Dominum verba vertebat: Tu nôsti cordis abscondita, & hæc omnia venerunt super nos, nec sumus obliti tui, neq; iniquè egimus in testamento tuo, nec auersum est retrorsum cor nostrum. Et: Propter te mortificati sumus tota die: reputati sumus vt oues occisionis. Sed Domnus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. Legi enim: Fili, honora Dominum, & confortaberis, & extra Dominum nullum timueris. His & talibus testimoniis, quasi armatura Dei, & aduersus omnia quidem vitia, sed præcipuè instruebat se contra inuidiam sæuientem & patiendo iniurias, furorem rabidi pectoris mitigabat.

*Vulg. Spectaculum. 1.Cor 4. 1.Cor 1. Psal 68 76. 72. Marc 3. Iohan.8. Matt.12. 2 Cor.1. Ioh.15. Psal 43. Psal. 198. Prou.7.

DENIQVE vsque ad diem mortis, & huius patientia, & aliorum zelus omnibus patuit: qui suum rodit autho- X. rem, & dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur. Dicam & de ordine monasterij, quomodo sanctorum continentiam in suum verterit lucrum. Seminabat carnalia, vt meteret spiritualia: dabat terrena, vt cælestia tolleret: breuia concedebat, vt pro his æterna mutaret. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuersis prouinciis congregârat, tam nobiles, quàm medij & infimi generis, in tres turmas monasteriaq; diuisit: ita duntaxat, vt in opere & in cibo separatæ, psalmodiis & orationibus iungerentur. Post alleluia cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat: sed prima seu inter primas veniés, cæteratum operiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Manè, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant: nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere: & vnumquodq; agmen matrem propriam sequebatur: atq; inde pariter reuertente, instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere comitem, ne veterum actuum memor, & lasciuientis infantiæ errorem refricaret antiquum, & crebra confabulatione renouaret. Vnus omnium habitus: Linteamine ad tergendas solùm manus vtebantur. A viris tanta separatio, vt à spadonibus quoque eas seiũgeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ, quæ sanctos carpere solita est in solatium delinquendi. Si qua vel tardior veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, variis eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditiis: si patiens, correptione: illud Apostoli imitans: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis? Excepto victu & vestitu, nullam habere quicquam patiebatur, dicente Paulo: Habentes victum & vestitum, his contenti sumus: ne *consuetudine plus habendi præberet locum auaritiæ, quæ nullis expletur

Multas colligit virgines in monasteria.

1.Cor.4. 2.Tim 6. * al. consuetudo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pletur opib. & quanto ampliùs habuerit, plùs requirit: & neq; copia, neq; inopia minuitur: Iurgãtes inter se, sermone leniſſimo fœderabat. Laſciuientẽ adoleſcentularũ carnem crebris & duplicatis frangebat ieiunijs, mãlens eas ſtomachum dolere, quàm mentem. Si vidiſſet aliquam comptiorem, contractione frontis & vultûs triſtitia arguebat errantem, dicens munditiem corporis atque veſtitûs, animæ eſſe immunditiam: & turpe verbum atq; laſciuum, nunquàm de ore virgineo proferendum: quibus ſignis libidinoſus animus oſtenditur, & per exteriorem hominem, interioris hominis vitia demonſtrantur. Quam linguoſam, garrulam ac procacem, rixisq; perſpexerat delectari, & ſæpiùs commonitam nolle conuerti, inter vltimas & extra conuentum ſororum, ad fores triclinij orare faciebat, & ſeparatim cibum capere: vt quàm obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. Furtum quaſi ſacrilegium deteſtabatur: & quod inter ſeculi homines vel leue putatur, vel nihili, hoc in monaſteriis grauiſſimum dicebat eſſe delictum. Quid memorem clementiam & ſedulitatem in ægrotantes, quas miris obſequijs & miniſterijs confouebat? Cumq; aliis languentib. largè præberet omnia, & eſum quoq; exhiberet carnium: ſi quando ipſa ægrotaſſet, ſibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur, quòd in aliis clementiam, in ſe duritiam commutabat. Nulla iuuenum puellarum ſano & vegeto corpore, tantæ ſe dederat continentię, quantæ ipſa fracto & ſenili debilitatoq; corpuſculo. Fateor, in hac re pertinacior fuit, vt ſibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Referam, quod expertus ſum. Menſe Iulio feruentiſſimis æſtibus incidit in ardorem febris, & poſt deſperationem cùm Dei miſericordia reſperàſſet, & medici perſuaderent ob refectionem corporis vino opus eſſe tenui & parco, ne aquam bibens, in hydropem verteretur, & ego clàm beatum papam Epiphanium rogarem, vt eam moneret, imò compelleret vinum bibere: illa, vt erat prudens & ſolertis ingenij, ſtatim ſenſit inſidias: & ſubridens, meum eſſe quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cùm beatus põtifex poſt multa hortamenta exiſſet foràs, quærenti mihi quid egiſſet, reſpondit: Tantum profeci, vt ſeni homini penè perſuaſerim, ne vinum bibam. Hæc refero, non quòd inconſideranter & vltra vires ſumpta onera probem, monente ſcriptura: Superte onus ne leuaueris: ſed quòd mentis eius ardorem, & deſiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perſeuerantia, decantantis: Sitiuit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea. Difficile eſt modum tenere in omnibus: & verè iuxtà philoſophorum ſententiam, Μεσότης ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις, id eſt, Modus virtus eſt, vitium nimietas reputatur. Quod nos vna & breui ſententiola exprimere poſſumus: Ne quid nimis. Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam, in luctu mitis erat, & ſuorum mortibus frangebatur, maximè liberorum. Nam & in viri & filiarum dormitione, ſemper periclitata eſt: & cùm os ſtomachumq; ſignaret, & matris dolorem crucis niteretur impreſſione lenire, ſuperabatur affectu, & credulam mentem, parentis viſcera conſternabant: animoq; vincens, fragilitate corporis vincebatur. Quam ſemel languor arripiens, longo tempore poſſidebat, vt & nobis inquietudinem, & ſibi diſcrimina offerret: in quo illa lætabatur, per momenta cõmemorans: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Dicat prudens lector, pro laudibus me vituperationem ſcribere. Teſtor Ieſum, cui illa ſeruiuit, & ego ſeruire cupio, me vtranq; in partem nihil fingere, ſed quaſi Chriſtianum de Chriſtiana, quæ ſunt vera, proferre, id eſt, hiſtoriam ſcribere, non panegyricum: & illius vitia, aliorum eſſe virtutes. Vitia loquor, ſecundùm animum meum, & omnium ſororum ac fratrum deſiderium, qui illam diligimus, & abſentem quærimus.

Rixis deditas vt caſtigarit.

Humanitas in ægrotas.

Ergà ſe ſeueritas.

Prou. 13:

Pſal. 62.

Signo crucis lenire dolorem conatur.

Rom. 7.

XI. CÆTERÙM illa impleuit curſum ſuũ, fidemq; ſeruauit, & nũc fruitur corona iuſtitiæ: ſequiturq; agnũ quocunq; vadit. Saturatur, qa eſuriuit, & lætata decantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutũ, in ciuitate Dei noſtri. O beata rerũ cõmutatio: fleuit, vt ſemper rideret: Deſpexit lacus cõtritos, vt fontem Dominum reperiret. Veſtita cilicio eſt, vt nunc albis veſtimentis vteretur, & diceret: Sciduiſti ſaccũ meũ, & induiſti me lætitia. Cinerem ſicut panem manducabat, & potionem ſuam cum fletu miſcebat, dicens: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, vt in æternum pane angelorum veſceretur, & caneret: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Et, Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Et Eſaiæ, imò Domini per Eſaiam, in ſe cerneret verba compleri: Ecce qui ſeruiunt mihi, manducabunt, vos autem eſurietis: Ecce qui ſeruiunt mihi, bibent, vos autem ſitietis. Ecce qui ſeruiunt mihi, lętabuntur vos autem confundemini. Ecce qui ſeruiunt mihi, exultabunt, vos autem clamabitis ob dolorem cordis, & propter contritionem ſpiritus vlulabitis. Dixeram, lacus eam ſemper fugiſſe contritos, vt fontem Dominum reperiret, vt poſſet læta cantare: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Tangam ergò breuiter, quomodò hæreticorum cænoſos deſuetauerit lacus, & eos inſtar habuerit ethnicorum. Quidam veterator callidus, atq; vt ſibi videbatur, doctus ſciolus me neſciente, cœpit ei proponere quæſtiones, & dicere: Quid peccauit infans, vt à dæmone corripiatur? in qua ætate reſurrecturi ſumus? Si in ipſa, qua morimur: ergò nutricibus poſt reſurrectionem opus erit. * Sin aliter, nequaquam erit reſurrectio mortuorum, ſed transformatio in alios. Diuerſitas quoque ſexus maſis ac fœminæ erit, aut non erit? Si erit, ſequentur & nuptiæ, & concubitus, ſed & generatio. Si non erit, ſublata diuerſitate ſexûs, eadem corpora non reſurgent: aggrauat enim terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem: ſed tenuia erunt & ſpiritualia, dicente Apoſtolo: Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Ex quibus omnibus probare cupiebat, rationales creaturas ob quædam vitia & antiqua peccata, in corpora eſſe delapſas: & pro diuerſitate & meritis peccatorum, tali vel tali conditione generari, vt vel corporum ſanitate gauderent, & parentum diuitiis ac nobilitate, vel in morbidas carnes & domus inopum venientes, pœnas priſtinorum luerent delictorum, & præſenti ſeculo atque corporibus, quaſi carcere clauderentur. Quod cùm audiſſet, & ad me retuliſſet, indicans hominem, mihiq; incubuiſſet neceſſitas nequiſſimæ viperæ ac mortiferæ beſtiæ reſiſtendi, de quibus Pſalmiſta commemorat, dicens: Ne tradas beſtiis animas confitentium tibi: Et, Increpa Domine beſtias calami, qui ſcribentes iniquitatem, loquuntur contra Dominum mendacium, & eleuant in excelſum os ſuum: conuẽni hominem, & orationibus eius, quam decipere nitebatur, breui interrogatione concluſi, dicens: Vtrùm crederet futuram reſurrectionem mortuorum, an non? Qui cùm ſe credere reſpondiſſet, intuli: Eadem reſurgent corpora, an altera? Cùm dixiſſet, Eadem: ſciſcitatus ſum: In eodem ſexu, an in altero? Ad interrogata reticenti, & inſtar colubri huc atq; illuc transferenti caput, ne feriretur: Quia, inquam, taces, ego mihi pro te reſpondebo, & conſequentia inferam: Si non reſurget mulier, vt mulier, neque maſculus, vt maſculus: non erit reſurrectio mortuorum: quia ſexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt. Si autem ſexus & membra non fuerint, vbi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtant & membris? Porrò ſi corporum non fuerit reſurrectio, nequaquam erit reſurrectio mortuorum, Sed & illud, quod de nuptiis obiicis: Si eadem membra fuerint, ſequi nuptias, à Saluatore diſſoluitur: dicente: Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei. In reſurrectione enim mortuorum non nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſimiles angelorum. Vbi dicitur, Non nubent, neq; nubentur, ſexuum diuerſitas demonſtratur. Nemo enim de lapide & ligno dicit, Non nubent, neq; nubentur, quæ naturam nubendi non habent: ſed de iis, qui poſſint nubere, & gratiâ Chriſti ac virtute non nubant. Quòd ſi oppoſueris. Quomodo ergò erimus ſimiles angelorum, cùm inter angelos non ſit maſculus & fœmina? breuiter auſculta: Non ſubſtantiam nobis angelorum, ſed conuerſationem, & beatitudinem Dominus repromittit. Quomodo & Iohannes Baptiſta, antequàm decollaretur, angelus appellatus eſt, & omnes ſancti ac virgines Dei, etiam in iſto ſeculo vitam in ſe exprimunt angelorum. Quando enim dicitur: Eritis ſimiles angelorum, ſimilitudo promittitur, non natura mutatur. Simulq; reſponde, quomodo illud interpreteris, quod Thomas Domini reſurgentis * tetigerit manus, & viderit lãcea

Pſal 41.

Hęreticum nunc quem veteratorẽ callidũ vocat hîc S. Hieron. Bar. Palladium qui tum in Palæſtina hæreſin docebat Origenis, exiſtimat; quem vide an. 388

Sap. 9.
1 Cor. 15

Pſal. 73. & 67.

* *Si in altera.*

Verſutum hæreticum confutat S. Hieronymus.

Matt. 22.

Luc. 7.

Ioh. 10 21.

* *al. palpauerit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

latus eius perforatum? Et Petrus in litore ſtantem viderit Dominum,& partem aſſi piſcis, ac fauum mellis comedentem? Qui ſtabat,profectò habebat pedes.Qui monſtrauit latus vulneratum, vtiq; & ventrem, & pectus habuit, ſine quibus non ſunt latera ventri & pectori cohærentia.Qui loquutus eſt,lingua & palato ac dentibus loquebatur. Sicut enim plectrum chordis,ita lingua illiditur dentibus,& vocalem reddit ſonum.Cuius palpatæ ſunt manus, conſequẽter & brachia habuit.Cùm igitur omnia membra habuiſſe dicatur,neceſsè eſt,vt totum corpus habuerit,quod conficitur ex membris: non vtique fœmineum,ſed virile, id eſt,eiuſdem ſexûs,in quo mortuus eſt Quòd ſi obtenderis,Ergò & nos poſt reſurrectionem comedemus? Et quomodò clauſis ingreſſus eſt ianuis,contra naturam pinguium & ſolidorum corporum? Audies: Noli propter cibum,reſurrectionis fidem in calumniam trahere. Nam & archiſynagogi filiæ reſuſcitatæ iuſſit cibum dari, & Lazarus quatriduanus mortuus, cum ipſo ſcribitur iniſſe conuiuium, ne reſurrectio eorum phantaſma putaretur.Sin autem clauſis ingreſſus eſt ianuis,& idcircò ſpirituale & aëreum corpus niteris approbare: ergò & antequàm pateretur,quia contra naturam grauiorum corporum ſuper mare ambulauit, ſpirituale corpus habuit: & Apoſtolus Petrus,qui & ipſe ſuper aquas pendulo inceſſit gradu, ſpirituale corpus habuiſſe credendus eſt,cùm potentia magis & virtus oſtendatur Dei,quando fit aliquid contra naturam. Et vt ſcias, in ſignorum magnitudine,non naturæ mutationem,ſed Deo omnipotentiam demonſtrari: Qui ambulabat fide, cœpit infidelitate mergi,niſi eum manus Domini ſubleuâſſet,dicentis: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Miror autem te obdurare frontem,loquente Domino: Infer digitum tuum huc,& tange manus meas: & porrige manum tuam, & mitte in latus meum,& noli eſſe incredulus,ſed fidelis.Et alibi: Videte manus meas,& pedes meos,quia ipſe ego ſum.Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes.Oſſa audis & carnem,& pedes,& manus: & † globos mihi Stoicorum,atque aërea quædam deliramenta confingis.

Marc.5. *Ioh 12.* *Matth. 14.* *Iohan 20.* *Luc.24.* † Cenſebãt Stoici, bonorum animas poſt hanc vitam in cœleſtibus globis habitare: vide Lipſium Phyſiolog lib.11 Diſſert.14.

XII. Porrò ſi quæris,cur infans à dæmone corripiatur,qui peccata non habuit: aut in qua ætate reſurrecturi ſimus, cùm diuerſa ætate moriamur: ingratis ſuſcipies,Iudicia Dei abyſſus multa. Et, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei,quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Aetatum autem diuerſitas non mutat corporum veritatem. Cùm enim quotidie corpora noſtra fluant, & aut creſcant, aut decreſcant, ergò tot erimus homines, quot quotidiè commutamur? aut alius fui, cùm decem annorum eſſem,alius cùm triginta,alius cùm quinquaginta,alius cùm iam toto cano capite ſum? Igitur, iuxta eccleſiarum traditiones & Apoſtolum Paulum,illud eſt reſpondendum,quòd in virum perfectum,& in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus,in qua & Adam Iudæi conditum autumant, Dominum Saluatorem legimus ſurrexiſſe: & multa alia,quæ de vtroq; teſtamento in ſuffocationem hæretici protuli. Ex quo die ita cœpit hominem deteſtari,& omnes,qui eiuſdem dogmatis erant,vt eos voce publica,hoſtes Domini proclamaret. Et hæc dixi,non vt breuiter hæreſim confutarem, cui multis voluminibus reſpondendum eſſet: ſed vt fidem tantæ fœminæ oſtẽderem,quæ maluit inimicitias hominum ſubire perpetuas,quàm Dei offenſam amicitiis noxiis prouocare. Dicam ergò,vt cœperam: nihil ingenio eius docilius fuit.Tarda erat ad loquendum,velox ad audiendum, memor illius præcepti: Audi Iſrael,& tace.Scripturas ſanctas tenebat memoriter.Et cùm amaret hiſtoriam,& hoc veritatis diceret fundamentum: magis tamen ſequebatur intelligentiam ſpiritualem:& hoc culmine,ædificationem animæ protegebat. Deniq; compulit me,vt vetus & nouum inſtrumentum cum filia,me diſſerente,perlegeret. Quod propter verecundiam negans,propter aſſiduitatem tamen & crebras poſtulationes eius præſtiti,vt docerem quod didiceram, non à meipſo,id eſt,à præſumptione,peſſimo præceptore,ſed ab illuſtribus Eccleſiæ viris,Sicubi hæſitabam, & neſcire me ingenuè confitebar,nequaquam mihi voluit acquieſcere: ſed iugi interrogatione cogebat,è multis variiſq; ſententiis,quæ mihi videretur probabilior,indicarem.Loquar & illud, quod forſitan æmulis videatur incredibile: Hebræam linguam,quam ego ab adoleſcentia multo labore ac ſudore ex parte didici,& infatigabili meditatione non deſero,ne ipſe ab ea deſerar,diſcere voluit,& conſequuta eſt,ita vt pſalmos Hebraicè caneret, & ſermonem abſque vlla Latinæ linguę proprietate perſonaret.Quod quidem vſque hodie in ſancta filia eius Euſtochio cernimus:quæ ita ſemper adhæſit matri,& eius obediuit imperiis, vt nunquam abſque ea cubaret, nunquam procederet, nunquam cibum caperet,ne vnum quidem nummum haberet poteſtatis ſuæ,ſed & paternam & maternam ſubſtantiolam, à matre diſtribui pauperibus lætaretur,& pietatem in parentem,hæreditatem maximam & diuitias crederet.Non debeo ſilentio præterire,quanto exultauerit gaudio, quòd Paulam neptem ſuam, ex Læta & Toxotio genitam, imò voto & futuræ virginitatis repromiſſione conceptam,audiĕrat in cunis & crepitaculis balbutiente lingua, alleluia cantare, auiæque & amitæ nomina,dimidiatis verbi frangere. In hoc ſolo patrię deſiderium habuit, vt filium, nurum, neptem renunciâſſe ſeculo, & Chriſto ſeruire cognoſceret. Quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Chriſti flammeo reſeruatur: nurus æternę ſe tradens pudicitiæ,ſocrus opera,fide & eleemoſynis ſequitur,& Romæ conatur exprimere,quod Hieroſolymis illa compleuit.

Ecclesiarũ traditiones *Epist.4.* Ingenij eiꝰ præſtantia. Hebraicã diſcit linguam. Flammeũ erat illud indumentũ coloris flammei, quo mulieres præſertim virgines caput tegebant, vt notat Vict Reatin. ad hunc locum.

XIII. Quid agimus anima? Cur ad mortem eius venire formidas? Iamdudùm prolixior liber cuditur, dum timemus ad vltima peruenire, quaſi tacentibus nobis,& in laudibus illius occupatis, differri poſſit occubitus. Hucuſque proſperis nauigauimus ventis,& criſpantia maris æquora labens carina ſulcauit: nunc in ſcopulos incurrit oratio, & tumentibus fluctuum * motibus,præſens vtrique noſtrûm intentatur naufragium, ita vt cogamur dicere: Præceptor, ſaluos nos fac,perimus.Et illud: Exurge,vt quid obdormis Domine? Quis enim poſſit ſiccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in grauiſſimam valetudinem,imò quod optabat inuenit, vt nos deſereret, & plenius Domino iungeretur.In quo languore Euſtochij filiæ probata ſemper in matre pietas, magis ab omnibus comprobata eſt. Ipſa aſſidere lectulo, flabellum tenere, ſuſtentare caput, puluillum ſupponere, fricare pedes, manu ſtomachum confouere, mollia ſtrata componere, aquam calidam temperare, mappulam apponere, omnium ancillarum præuenire officia, & quicquid alia feciſſet,de ſua mercede putare ſubtractum.Quibus illa precibus,quibus lamentis & gemitu,interiacentem matrem & ſpecum Domini diſcurrit,ne priuaretur tanto contubernio, ne illa abſente viueret, vt eodem feretro portaretur? Sed ô mortalium fragilis & caduca natura,& niſi Chriſti fides nos extollat ad cælum, & æternitas animæ promittatur,cum beſtiis ac iumentis,corporum vna conditio eſt Idem occubitus iuſto & impio,bono & malo,mundo ac immundo,ſacrificanti & non ſacrificanti. Sicut bonus,ità & qui peccat: ſicut qui iurat,ita & is qui iuramentum metuit.Similiter & homines & iumenta,in fauillam & cinerem diſſoluuntur. Quid diu immoror,& dolorem meum differendo facio longiorem? Sentiebat prudentiſſima fœminarum adeſſe mortem,& frigente alia parte corporis atq; membrorum,ſolum animæ teporem in ſacro pectore palpitare: & nihilominus quaſi ad ſuos pergeret, alienoſq; deſereret,illos verſiculos ſuſurrabat: Domine dilexi decorem domûs tuæ,& locum habitationis gloriæ tuæ. Et: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum,concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Et: Elegi abiectaeſſe in domo Dei mei,magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Cumque à me interrogaretur, cur taceret, cur nollet reſpondere,an doleret aliquid: Græco ſermone reſpondit,nihil ſe habere moleſtiæ,ſed omnia quieta & tra[illegible] perſpi-

Ecc.3. & 9. *Psal.25.* *Psal.83.* * *al. montibus.* *Luc.8.* *Psal 43.* Euſtochii in matrem pietas.

perſpicere. Poſt hæc obmutuit, & clauſis oculis, quaſi iam mortalia deſpiceret, vſque ad expirationem animæ, eoſdem repetebat verſiculos: vt quod dicebat, vix audire poſſemus: digitumque ad os tenens, crucis ſignum pingebat in labiis. Defecerat ſpiritus, & anhelabat in mortem: animaque erumpere geſtiens, ipſum ſtridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini conuertebat. Aderant Hieroſolymarum & aliarum vrbium epiſcopi, & ſacerdotum inferiores gradus, ac Leuitarum innumerabilis multitudo. Omne monaſterium, virginum & monachorum chori repleuerant. Statimque vt audiuit ſponſum vocantem. Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea. Quoniam ecce hyems tranſiit & receſſit, pluuia abiit ſibi: Læta reſpondit: Flores viſi ſunt in terra, tempus ſectionis aduenit. Et: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Ex hinc non vlulatus, non planctus, vt inter ſeculi homines fieri ſolet, ſed pſalmorum linguis diuerſis examina concrepabant: translataque epiſcoporum manibus, & ceruicem feretro ſubiicientibus, cùm alij pontifices lampades cereosque præferrent, alij choros pſallentium ducerent, in media eccleſia ſpeluncæ ſaluatoris eſt poſita. Tota ad funus eius Palæſtinarum vrbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula ſua tenuit? Quam virginum cubiculorum ſecreta texerunt? *Sacrilegum putabant, qui non tali fœminæ vltimum reddidiſſet officium. Viduæ & pauperes, in exemplum Dorcadis, veſtes ab ea præbitas oſtendebant. Omnis inopum multitudo matrem & nutritiam ſe perdidiſſe clamabat. Quodque mirum ſit, nihil pallor mutauerat faciem: ſed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, ſed dormientem. Hebræo, Græco, Latino, Syroque ſermone pſalmi in ordine perſonabant: non ſolùm triduo, donec & ſubter eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini conderetur: ſed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant, ſuum funus & proprias credentibus lachrymas. Venerabilis virgo filia eius Euſtochium, quaſi ablactata ſuper matrem ſuam, abſtrahi à parente non poterat: deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & ſe cum matre velle ſepeliri.

Cant. 2. Pſal. 26.

In ſupremo ſpiritu crucis ſignum ſibi imprimit. Abit è vita. Funeralia eius.

* al. Sacrilegium. Actor. 9.

XIV. TESTIS eſt Ieſus, ne vnum quidem nummum ab ea filiæ derelictum, ſed, vt antè iam dixi, derelictum magnum æs alienum: &, quod his difficilius eſt, fratrum & ſororum immenſam multitudinem, quos & ſuſtentare arduum, & abiicere impium eſt. Quid hac virtute mirabilius, fœminam nobiliſſimę familię, magnis quondam opibus, tanta fide omnia delargitam, vt ad egeſtatem penè vltimam peruenire? Iactent alij pecunias, & in corbanam Dei æra congeſta, funalibusque aureis dona pendentia. Nemo plus dedit pauperibus, quàm quę ſibi nihil reſeruauit. Nuncillâ diuitiis fruitur, & his bonis, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt Noſtram vicem dolemus, & inuidere potius gloriæ eius videbimur, ſi voluerimus diutiùs flere regnantem. Secura eſto Euſtochium, magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata eſt. Non ſolùm enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed deuotæ quoque mentis ſeruitus immaculata, quotidianum martyrium eſt. Illa corona de roſis & violis plectitur, iſta de liliis. Vnde & in cantico ſcribitur canticorum: Fratruelis meus candidus & rubicundus: & in pace, & in bello eadem præmia vincentibus tribuens. Mater (inquam) tua audiuit cum Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam oſtendam tibi. Et per Hieremiam Dominum præcipientem: Fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras. Hæc autem exiit de terra ſua, & vſque ad diem mortis ſuę non eſt reuerſa in Chaldæam: nec ollas Aegypti & * virulentias carnium deſiderauit, ſed choris comitata virgineis, ciuis eſt Saluatoris effecta: de paruula Bethlehem, cæleſtia regna conſcendens, dicit ad veram Noëmi: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas, eodem quem tu ſuſtines dolore, dictaui. Nam quotieſcunq; ſtylum figere volui, & opus exarare promiſſum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, ſenſus elanguit. Vnde & inculta oratio votum ſcribentis abſque vlla elegantia & verborum lepore teſtatur. Vale, [a] ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant: præſens faciliùs, quod poſtulas, impetrabis. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla deſtruere poſſit vetuſtas. Incidi elogium ſepulcro tuo, quod huic volumini ſubdidi, vt quocunque noſter ſermo peruenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoſcat.

Magnum æs alienum reliquit.

Eſa. 64.

Martyrium quotidianũ

Gen. 12. Hier. 50.

Ruth. 1.

* iurulentias corrigit Rosweydus, eſtq; dictio S. Hieronymo familiaris.

[a] Inuocat S. Paulam Hieronymus.

Sequitur titulus ſepulcri:

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes.
Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo: Paulam dixere priores:
Euſtochij genitrix, Romani prima ſenatus,
Pauperiem Chriſti & Bethlemitica rura ſequuta eſt.

In fronte ſpeluncæ:

Adſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulcrum?
Hoſpitium Paulæ eſt, cæleſtia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriamq; relinquens,
Diuitias, ſobolem, Bethlehemiti conditur antro.
Hic præſepe tuum Chriſte, atque hic myſtica Magi
Munera portantes, hominiq; Deoq; dedere.

Dormiuit ſancta & beata Paula, ſeptimo Kalendarum Februariarũ, tertia ſabbati poſt ſolis occubitum. Sepulta eſt quinto Kalend. earundem, Honorio Auguſto ſexies & Areſtenio conſulibus. Vixit in ſancto propoſito, Romæ annos quinque, Bethlehem annos viginti. Omne vitæ tempus impleuit annis quinquaginta ſex, menſibus octo, diebus viginti & vno.

Is fuit, teſte Onuphrio, Anno Chriſti 404 quo anno Chryſoſtomus in exilium pulſus eſt.

DE SS. Thyrſo, Lucio & Callinico videat Lector 14. Decembris.

VITA S. BATHILDIS FRANCORVM REGINÆ, SCRIPTA AB EIVS AEQVALI, QVI TAMEN NOMEN SVVM SVBticuit, niſi forte librariorum incuria ſuppreſſum eſt. ex MS. codice monaſterii Rubeæ Vallis.

AN. 640.

16. IAN. Secundum Martyrologia, alias vero 30. Ian.

Prologus.

Pſal. 67

RELIGIOSA vita viduarum quanto eſt meritis clarior, tanto eſt voce celebriori populorum laudibilis: quia dum illæ bonæ conuerſationis exemplum cæteris tribuunt, in laude ſua linguas excitant ſingulorum. Glorioſæ igitur viduæ & religioſæ fœminæ atque optimæ reginę, dominę Bathildis vxoris quondam domini Clodouei Francorum regis inclyti, virtutes & merita recolentes, redemptorem noſtrum Ieſum collaudemus, qui in ſanctis ſuis ſemper mirabilis eſſe dignoſcitur: & non ſolùm per viros viam iuſtitiæ nobis patefecit, verum etiam per fœminas exempla nobis religionis atque cunctis ſe amantibus oſtendit. Deo enim noſtro ſemper cura eſt de omnibus, & neminem horum vult perire, quos redemit proprio ſanguine. Nam ſanctos in ſanctitate hortatur permanere, & peccatores à malis operibus diſcedere, ac bonis actibus inhærere, vt ad cæleſtem patriam poſſint peruenire. Quod intelligens venerabilis domina, ſolicitè adimplere ſtuduit: erat enim religioſa & Deo

Clodoueus de quo hic, fuit eius nominis ſecũdus Francorũ Rex Dagoberti Regis filius.

& Deo multùm deuota, & ecclesiarum pauperumque curam gerens, cum magno vigore animi viriliter gubernauit palatium, & irreprehensibiliter regnum moderabatur Francorum, adeò vt ab omnibus pontificibus cunctoque populo regni sui, meritis ipsius exigentibus, miro diligeretur affectu. Cuius præconium, tam pro sui sanctitate, quam pro sanctorum de eadem * cognatione descendentium affinitate, huic paginæ sub breuitate inserere dignum duxi.

*al. * propagine.*

BEATA siquidem Bathildis nuper in puellari ætate de partibus transmarinis diuina prouidentia deprædata, & I. vili precio sed incomparabili commercio venundata, huc aduenit ipsa preciosa & optima Dei margarita, atque à principe quodam Francorum viroque clarissimo Erchinoaldo, qui tunc palatium gubernabat, dinoscitur esse recepta. In cuius ministerio ipsa adolescens, ita decentissimè conuersata est, vt eius honesta conuersatio & admirabilis conditio tam principi quam & omnibus eius ministris complaceret. Erat enim animo benigna & moribus omnibus pudica, sobria, prudens & amicabilis, nulli machinans malum. Non leuis in eloquio, non præsumptuosa in verbo: sed cuncta opera sua honestissimo moderabatur ingenio. Claro nanque sanguine, licet alterius gentis seruiret obsequiis progenita Saxonum demonstrabatur. Erat proinde forma corporis grata, & omni adspectu decora, vultu hilaris & incessu grauis, Talemque se in omnibus, vt eam decebat, exhibuit, quo prædicto iudici principum gratissimè placeret, & gratiam in oculis eius inueniret: cui instituit, vt sibi pocula porrigeret, & vt pincerna honestissima sæpius præsens eius ministerio astaret. De cuius dignitatis gratia nullam habuit extollentiam, sed potiùs in humilitate fundata, omnibus erat suis consodalibus obediens & amabilis, honore congruo ministrans senioribus, ita vtde earum pedibus calceamenta detraheret, & ipsa detergeret manibus atque dilueret, aquam quoque ad lauandum afferret, & vestimenta earum festinanter pararet & hoc absque murmure, bono & * proprio animo exercebat. Ex qua eius nobili conuersatione, maxima ei inter socias laus atque amor accreuit, & in tantum felicem famam promeruit, vt pro matrona quam supradictus Erchinoaldus princeps morte interueniente amiserat, complacuisset denuo eidem principi Bathildem honestissimam virginem in thoro maritali sibi sociare. Quam rem apertè (iam illustrata diuina gratia) virgo beata intelligens, latenter & studiosè ab eius se subtraxit adspectibus. Cum itaque vocaretur ad principis cubiculum, secretò se vt sagax puella abscondit in angulo domatis, & subiecit se vilibus panniculis, vt nemo putaret illic aliquem latere potuisse: atque vt prudens virgo & astuta iam tunc honores vanos fugiens, & humilitatem ac castitatem diligens, tentabat, vt poterat, humanum deuitare torum, quatenus mereretur ad spiritalem cælestemque peruenire sponsum. Sed & illud proculdubio agebatur diuina prouidentia, vt princeps eandem tunc quæsitam minimè inueniret, quatenus ad coniugium sibi aliam sociaret. At postquàm idem dux alteri nupsit, tandem Bathildis puella quæsita & inuenta, sed à prædicto principe minimè est contacta. Nutu diuino factum esse creditur, vt, quæ principis nuptias deuitauerat, posteà Clodoueum Dagoberti quondam regis filium in * coniugium acciperet, & merito humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo diuina dispensatio eandem honorare decreuerat, vt, dum regis ministrum contempserat, ad regis copulam perueniret, atque ex ipsa regalis progenies procederet. Quod ideò peractum est, sicut omnibus patet, vt ipsa, quæ erat ex regali progenie, regiam sumeret copulam, regalemque gigneret sobolem. At ipsa, collata sibi à Deo prudentiæ gratia, vigilanti studio & regi obtemperabat vt domino, & principibus se ostendebat vt matrem, sacerdotibus vt filiam, iuuenibus siue adolescentibus vt piam nutricem: eratque amabilis omnibus, diligens sacerdotes, vt patres, monachos, vt fratres, pauperes, vt domesticos, peregrinos, vt filios (quia & ipsa peregrina fuerat) amplectebatur. Viduis, orphanis & pupillis subsidia vitæ ministrabat, & omnibus omninò debilibus opem ferebat. Iuuenes quoque ad religiosa studia exercenda semper commonebat, ac regi humiliter assidueque pro ecclesiis, & pauperibus suggerebat. Iam enim sub seculari habitu Christo militare cupiens, frequentabat orationem, quotidie commendans se cum lachrymis Christo Regi cælesti Cui ipse rex pius consulens iuxta fidem & deuotionem eius, vt pleniùs hæc, quæ mente conceperat perficeret: venerabilem virum Genesium Abbatem ad suleuamen ac supplementum adiutorij contulit. Per cuius manus ministrans ipsa sacerdotibus & pauperibus, pascebat ipsa egenos, & induebat vestibus nudos, studioseque sepeliri ordinabat mortuos. Dirigebat quoque per ipsum ad cœnobia virorum & sacrarum virginum auri vel argenti non modica pondera. Quæ omnia idem Dei famulus Genesius, qui postea Christo largiente Lugduno Galliæ est ordinatus Episcopus, susciebat: tunc enim in palatio Francorum erat assiduus. Per ipsum siquidem, vt diximus, ipsa beata mater Bathildis vnà cum regis Clodouei imperio, de cuius prosperitate & sanitate indeficienter solicita erat, suggerente etiam prædicto Dei famulo, multis pauperibus loca per diuersa pro vita regis largissimam distribuebat eleemosynam.

Egregia dona, genus, & patria S. Bathildis Reginæ.

*for * promptо.*

Ab Erchinoaldo in coniugem adoptatur.

Abscondit se, ne fiat eius vxor.

*al * coniugem.*

Clodoueus 2. Rex eam ducit vxorem.

Vacat misericordiæ operibus.

S. Genesius Lugdunen. Archiepisc.

INTEREA [a] dominus rex Clodoueus vir eius, gratia euocante diuina, xvij. regni sui anno rebus exemptus humanis II. migrauit à seculo: relictaque sobole filiorum cum matre, suscepit ilicò filius eius Lotharius rex, Francorum regimen. Et suffragantibus præcellentissimis principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & domino Audoëno [b] Rothomagensi, seu Ebroino maiore domûs cum reliquis senioribus vel cæteris quamplurimis regni honorem qnærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Austrasij quoque pacifico ordine, faciente domina Bathilda, (per consilium quidem seniorum) receperunt filium eius Childericum regem in Austrasiam, factiq; sunt Burgundiones & Franci ex illo tempore vniti. Et credimus quia, Deo gubernante, iuxta Dominæ [c] Bathildis magnam fidem accidit, vt ipsa tria regna, quæ anteà dissidebant discordia, tunc inter se tenerent pacis concordiam.

a Anno 664. Clodoueus 2. Frãc. Rex moritur.

b Istius S. Audoeni vita habetur 24. Augusti.

c Meritis S. Bathildis pax redditur Francis.

FACTVM est prætereà per eam nutu Dei, ex hortantibus sacerdotibus, vt hæresis Simoniaca, quæ prauo vsu macu- III. labat tunc Ecclesiam Dei, (dando scilicet contra instituta Canonum pro adipiscendis & conferendis episcopatus vel presbyteratus seu reliquorum ordinum gradibus præmiorum munera) à catholicis viris pelleretur penitus, & hoc impium nefas prohiberetur, ne vllus præsul pro percipiendis vel dandis sacris gradibus daret aliquid aut acciperet. Ordinauit etiam imò per eam Dominus, vt & alia pessima consuetudo cessaret, pro qua multo plures homines filios suos magis mori quam nutrire optabant, dum de eis videbant exactiones fieri, publicaque, ex antiqua consuetudine, mala vrgebantur accipere, vndè grauissimum rerum suarum patiebantur damnum: Quam, nequissimæ cupiditatis auaritiam, [d] ipsa pietate plena pro mercede æternæ retributionis prohibuit, & vt in perpetuum seruaretur legib. tradidit: ex quo facto copiosa merces valdè à Domino reddita ei manet. Quis [e] enim valet enarrare, quanta & quàm magna commoda per religiosorum cœnobia virorum & sacrarum virginum largiendo integra prædia, & syluarum aditus ad cellulas seu monasteria construenda concessit? Cui etiam non videbatur liberalitas magnarum rerum quas per diuersa cœnobia conferebat ad votum sui desiderij esse sufficiens, si non & ipsa inter cæteras & peculiares Dei casas monasterium construeret, quod cælum esset adspiciens. Pro qua re iam quasi pelagus seculi calcans, cœnobium Cale [f] sanctimonialium virginum in pago Parisiaco, vnda circumfluente Matronæ fluminis decentissimè ædificauit. Quem locum villis affluentissimis & quampluribus cum earum redditibus amplificauit & exornauit, & in potestate sub religione ibidem viuentium sacrarum virginum tradidit: quarum quidem vocabula propter tædium quorúdam legentium reticui. Illud verò inferere curaui, quod rectoribus eiusdem loci valdè timendum est. Nam præceptum super iis constituit, & manibus propriis ac filiorum cõsignauit, ac regum sigillo roborauit: In quo testaméto interminata est per inuocationem sanctæ Trinitatis & diem tremendi iudicij, vt nemo per succedentia tempora rector quilibet eiusdem loci quicquam de iis villis, quas in vsus diuersos eiusdem cœnobij habitantium contulerat, subtraheret, aut benefi-

Odit oẽm auaritiam.

d Quantum pro cõstruendis monasteriis concesserit diuitiarum.

e Constituit Calẽse monasterium.

beneficiarios exindè haberet: quod si feciſſet, pœnis infernalibus cum Iuda traditore nequiſſimo & cupidiſſimo afflictus ſine fine puniretur. Ipſumque teſtamentum, qui quæſierit, in archiuo eiuſdem eccleſiæ reperiret. In hoc etiam cœnobio venerabilem religioſamque valdè Dei famulam Bertiliam, quam ex monaſterio Iodro euocauerat, in locum matris primam conſtituit. Vbi & ipſa acceptabilis Deo & electa margarita Bathildis deindè conuerſari ſub integræ religionis regula, & in pace quieſcere decreuit, quod in veritate, prout tempus poſteà permiſit, deuota voluntate compleuit.

Nō vult vt bona monaſterij quouis modo alienentur.

IV. PRÆTEREVNDVM quoque non eſt, quia ad laudem Dei pertinet quicquid in ſanctis ſuis & electis mirabiliter operatur, ſicut ſcriptura dicit: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Cuius quidem Spiritus paracletus eſt cooperator interiùs per bonam voluntatem, dando præcepta vitæ æternæ, vt ſcriptum eſt: Omni volenti bonum Deus cooperator eſt & adminiſtrator. Quod vtique in iſta ſacra & clariſſima, vndè ſermo agitur, domina Bathilde veraciter ac liquidò claret oſtenſum. Vt enim vera loquamur, neque noſtra neque cuiusliber, vt arbitror, lingua, omnia eius, quæ operata eſt, bona, in conſolationibus pauperum, in ædificijs & adiutorijs eccleſiarum Dei, in opportunitatibus omnium indigentium, vel qualia aut quanta in incommoditatibus commoda exhibuerit, enarrare valet.

Pſal 67.

Omni volenti bonū Deus adminiſtrator eſt.

V. NEC illud etiam eſt reticendum inter præcipua quæ fecit, quòd monaſterium, cuius vocabulum eſt Corbeya in pago Ambianenſi ſuo opere fundotenùs ſtruxit, ac deuotum gregem monacharum inibi eſſe conſtituit. Vbi & venerabilis vir dominus Theodofredus nunc Epiſcopus, tunc verò Abbas magno gregi fratrum præfuit, quem de Luxouio monaſterio præfata domina Bathildis à reuerendiſſimo viro Walberto Abbate expetiuit, & ad prædictum fratrum cœnobium condirexit. Ipſum autem monaſterium ſicut à fundamento, ità villis & prædiis omnibuſque ſumptuum neceſſitatibus fundauit & ornauit. Quo in loco eius memoria, vt decet, venerabiliter recolitur, atque laus eius, quandiu in hac valle ploration is ſpiritus humanos rexerit artus, canetur. Domino etiam Philiberto Gemmeticenſis monaſterij Abbati, magno & religioſo viro, ſyluam magnam ex fiſco, vbi ipſum cœnobium fratrum ſitum eſt, magnaq; munera & paſtus de fiſco dominico ad ipſum monaſterium conſtruendum conceſſit. Multa quoque talenta argenti vel auri domino Laygoberto Curbionenſis monaſterij Abbati cum villa quadam, cuius vocabulum à memoria receſſit, ad opus ſeruorum Dei illic habitantium contulit. Sed & ipſum regale, quo cingebatur, cingulum à ſacris lumbis abſtulit, fratribuſque in eleemoſynam dedit, totum hoc agens & diſpenſans benigno animo & hilari, ſciens ſcriptum: Quia hilarem datorem diligit Deus. Taliter ipſa beata anima theſaurizabat ſibi ex terrenis pecuniis theſaurum in cælo, vbi fur non appropiat, nec tinea demolitur. Similiter & ad Fontinellam & Logium plura conceſſit beneficiorum compendia. Ad Luxouium etiam & ad reliqua Burgundiæ monaſteria villas perplures ad integrum conceſſit, & pecuniam innumerabilem direxit. Ad Iotrum quoque monaſterium, vnde ſacras virgines cum præfata domina Bertilia Abbatiſſa ad cœnobium Kalenſe direxit & accerſiuit, villam nouam ſitam in pago * Vermadenſi cum pluribus aliis muneribus, quibus ipſum locum honorauit & ditauit, deuotè contulit. Monaſterij quoque ſanctæ Faræ non immemor fuit: quia villam quandam cum ſæpè datis muneribus ac largiſſimis donis eidem delegauit. Ad baſilicas, necnon & eccleſias, ſeu ad monaſteria ſanctorum virorum ſacratumque virginum Pariſiacæ vrbis villas laudabiles ac multas condonauit, & muneribus plurimis amplificauit. Sed, vt diximus, enarrare non valemus vel media dicere per ſingula, quæ ipſa Dei cultrix & amatrix in omnibus, prout potuit, perfecit bona. Nunquam ab ea defuit bonum, quia Deum amabat ac ſummo ſtudio diligebat illum.

Extruit Corbienſe monaſterium. Theodofredus primus Abbas Corbienſis.

2. Cor 9. Matth 6.

*for. * Viromandenſi.*

Multas villas, ſyluas, & prædia monaſteriis confert.

VI. PRÆTERIRE verò non debemus, quòd per præcipuas ſanctorum baſilicas, almi ſcilicet Dionyſij, & diui Germani, beati Medardi, ſancti Petri, ac domini Aniani, & ſancti Martini, vel vbicunque eius potuit dinoſci notitia, pontificibus ſeu abbatibus ſuadendo pro zelo Dei præcepit, & epiſtolas eis direxit, vt ſub ſancto Regulari ordine fratres in ipſis ſanctis locis conſiſtentes caſtè & ſobriè viuere facerent. Et vt in hoc libentiùs acquieſcerent, priuilegium eis religionis firmari à filiis fecit, & immunitates conceſſit, vt meliùs eos delectaret pro rege, & pace, ſummi Regis Chriſti clementiam exorare.

Præcipit vt regularis diſciplina in monaſteriis ſeruetur.

VII. ILLVD etiam commemorandum eſt, quod ad mercedis eius cumulum pertinet: quia captiuos homines Chriſtianos vendere prohibuit. Deditque præceptiones per ſingularum vrbium regiones, vt nullus in regno Francorum captiuum hominem Chriſtianum penitùs in aliud regnum tranſmitteret. Dato etiam iuſtæ remunerationis precio plurimos captiuos redimi præcepit, & quoſdam liberos relaxauit, quoſdam verò cum religionis habitu ſub regula in monaſteria tranſmiſit. Præcipuè autem de gente ſua viros & puellas, quas ipſa nutrierat, ſicut ſemetipſam Deo commendauit, & cœnobialem vitam ducere inſtituit. Quantos autem, maximè domeſticos, de vtroque ſexu blandiendo inducere potuit, eos per ſancta monaſteria commendauit, & vt pro ſe, viroque defuncto, ac filiorum ſalute, necnon & regni pace, pium Dominum exorarent, præcepit. Tantam enim gratiam diuina clementia eidem conceſſit, vt ſuaſione proficua, & eruditione magnifica multos à ſeculi vanitate depreſſos abſtraheret & ſub iugo Chriſti, quod leue eſt, ſupponeret. Et verè adoptabat illa claritate frui, quam angelus Danieli de iuſtitiæ eruditoribus dixit: Quoniam qui eruditi ſunt multos ad prudentiam, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Benignitas eius, erga captiuos.

Multos ſeculo euocatos, monaſteriis offert.

Mat. 12. Dan. 12.

VIII. BASILICAS quinetiam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ poſitas, propter eorum amorem, decentiſſimè muneribus honorauit: ſed & Romanis recluſis & pauperibus ſæpiùs largiſſima dona direxit. Creſcebat enim quotidie eius ſancta deuotio, & omnimodis ſatagebat vt cœnobialem vitam in monaſterio, quod ipſa ædificauerat, duceret: &, vt animo, ita & corpore ibidem ſubſiſtere potuiſſet. Sed primores & proceres Francorum differebant, maximè quia eius ſapientia palatium regebatur, & pro ſua ſancta conuerſatione ab omnibus amabatur. Quodque votum minimè adimplere permiſiſſent, niſi commotio quædam accidiſſet de miſero Sigebrando Epiſcopo, cuius ſuperbia inter Francos meruit mortis ruinam. Exindè ergò orta contentione, dum ipſum contra voluntatem eius indiſcuſſum, & contra legem interfecerunt, metuentes ne hoc ipſa beata regina contra eos prauiter feriret, ac tale malum tantumque nefas vindicare vellet, quod anteà amore temporali fieri non permittebant, iam timore legis iudicialis perculſi, vt deſiderium optatum perficeret, ſuadebant. Et fortaſsè dubium non eſt, quòd hoc callidè & non bono animo ipſi principes permiſerunt: attamen ipſa domina, Dei gratia illuſtrata, conſiderabat quòd hoc non tam eorum conſiliis, quàm Dei fuiſſet diſpenſatione factum, quatenùs eius ſancta deuotio per quamlibet occaſionem Chriſto gubernante eſſet adimpleta. Deducta igitur ab aliquibus ſeniorum principibus, venit ad præfatum monaſterium diù deſideratum Kalam, ibique ab ipſis ſanctimonialibus, vt decebat, honorificè & ſatis admirabiliter in cōgregatione recepta, gratias egit Deo omnipotenti, qui eam ſub vmbra protectionis ſuæ ſuſceperat, & ad portum ſuæ voluntatis perduxerat. Habuit interea non modicam contra eas querelam quas ipſa dulciter enutrierat: qua pro cauſa, falsò ipſę eam habebant ſuſpectam, vel etiam pro bonis mala ea rependere tentabant. Sed & hoc conferens cum ſacerdotibus, citiùs eis clementer cuncta indulſit, & vt ei e contrà ipſæ eandem commotionem indulgerent ſupplicauit. Atque hic poſtmodum pacis amor inter ipſas, Domino largiente, pleniſſimè reſtitutus fuit & permanſit. At verò ipſa beata mater piiſſimo affectu diligebat ſorores vt proprias filias, & ſanctæ, quam ſibi præfecerat, Abbatiſſæ obediebat vt matri, omnibuſque, vt non dicam domina, ſed ſicut ſagax ancillula, ſancta deuotione miniſterium obſequij exhibuit. Ità autem humilitatis magnæ forti animo omnibus miniſtrabat exemplum, vt ipſa quoq; in offi-

Sigebrandi, Epiſcopi cædes.

S Bathildis fit monialis in ſuo Calēſi monaſterio.

Charitas & obedientia eius.

Humilitas.

in officio coquinæ miniſtraret ſororibus, ipſa munditias omnes faceret, & quod maius dicam, ipſa putiſſima margarita inquinamenta ſtercorum propriis manibus mundaret. Quæ quidem cum gaudio, & læto perficiebat animo tam humile ſeruitutis obſequium pro Domino, quem nouerat dixiſſe: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Quis enim crederet quòd ſublimitas tantæ potentiæ ita viliſſimis adminiſtraret rebus, niſi ei hoc magnus Chriſti omnimodò cõceſſiſſet amor? Inſiſtebat itaque aſſiduè orationi deuotæ, cum lachrymis: & diuinam lectionem ſæpiùs frequentabat: conſolationem continuam per ſanctam exhortationem & frequentem viſitationem infirmis impendebat. Studio n. charitatis cum dolentib. dolebat & cum gaudentibus gaudebat, ac pro debilibus & infirmis, vt conſolationis ſubſidium animæ & corporis eis adminiſtraretur, ſæpiſſimè dominæ Abbatiſſæ humiliter ſuggerebat. Cuius petitioni ipſa, vt pia mater, admirabiliter cuncta præſtabat: quia reuerà erat eis ſecundùm Apoſtolicam inſtitutionem cor vnum & anima vna; diligebant enim ſe inuicem tenerè & pleniſſimo in Chriſto amore.

Matth. 20. Oratio. *Rom 12.* *Act. 4.*

Infirmatur. COEPIT interea ipſa domina Bathildis corpore infirmari, & viſcerum inciſione, peſſimo infirmitatis vitio (quod medici Ileos vocant) grauiter laborare. Et niſi medicorum peritia ad ſtudium ſubueniſſet, penè defeciſſet. Attamen, licet per tenera membra vi doloris torqueretur, ſemper cæleſti medico, qui ſubuenit in tribulatione laborantibus, ſancta & pura conſcientia gratias non ceſſabat agere, à quo fidenti animo credebat præmia æterna percipere. Atque ſemetipſam præbens omnibus humilitatis magnę exemplum, ſtudebat ſororibus formam pietatis, ſubiectionis & humilitatis oſtendere, conferens ſæpè cum matre monaſterij, vt regem & reginam ſiue proceres cum digno honore eulogiorum obſequiis viſitaret: quatenùs, ſicut decentiſſimum erat, ipſa domus Dei, bonam famam, quam acceperat, non amitteret, ſed ampliùs ſemper in affectu charitatis cum omnib. amicis, ac validius in Dei nomine & proximi dilectione permaneret, vt ſcriptum eſt: Oportet & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt. Præcipuè autem pauperum curam & hoſpitum ſummo ſtudio, pro miſericordia & dilectione prædictam matrem commonebat habere. Pro Chriſti verò nomine ſalutis monita ipſa ſuſcipiebat, & alacri & bono animo, quæcunque ei iniungebantur, omnia adimplebat. Sicque in talibus, ſecundùm quod ei à ſæpè memoranda domina Bathilde ſuaſum eſt, quandiù præfata domina Bertilia Abbatiſſa vixit, adimplere non ceſſauit, relinquens poſteris exemplum, vt memoria eius maneret in ſeculum ſeculi, & nomen eius exaltaretur in gloria.

Omnibus præbet ſanctæ vitæ & conuerſationis exemplum. *1. Tim. 3.* Affectus eius erga pauperes & hoſpites.

Viſio eius ante mortem. IGITVR appropinquante dominæ Bathildis obitu, viſio præclara, & ei conueniens fuit oſtenſa. Scala ſiquidem recta videbatur adſtare ante altare ſanctæ Mariæ, cuius culmen cælos contingebat, & quaſi angelos Dei benignè comitantes, cum ipſis eadem ſancta Bathildis ſecreta cæleſtia ſeſe penetrare conſpexit. Verè beata, cuius itineri Angeli comites erant. Ecce ſcala, quam (dum viueret) erexit in cælum: ecce ſocij angeli, quos, bonis operibus inhærendo, acquiſiuit amicos: ecce gradus ſcalę, quibus tranſcenſis, peruenit ad Chriſtum diù deſideratum, qui aſcendit ſuper omnes cælos. Ex hac ergò reuelatione patenter datur intelligi, quod ſublimia eius merita, videlicet potentia & humilitas, cæteraque, quas toto animo dilexerat, virtutes eam ad celſitudinem æterni Regis, & ad præmij coronã citiùs remunerandam perducturæ erant. Qua ipſa ſancta mater comperta viſione, cognouit ſe quantociùs à corpore eſſe migraturam, & illuc, vbi iam olim theſaurum recondiderat optimum, eſſe peruenturam. Hoc verò ſileri à ſororibus, quæ conſciæ huius mirabilis viſionis fuerant, præcepit, nec matri monaſterij vel cuique ſorori hæc viſio manifeſtaretur, ne nimia triſtitia deficerent, donec euocatio diuina animã eius ſanctam à corpore ſuſciperet. Inter hæc itaq; gaudia poſita, pia & alacri mente magis ac magis inſiſtere precibus cœpit, & ſemetipſam cum cordis contritione humiliter cæleſti regi Domino Ieſu Chriſto commendare attentiùs non deſtitit. Occultabat autem, in quantùm poterat, vim doloris, ſed exhortabatur & conſolabatur dominam Bertiliam reliquaſque ſorores, edocens ſe aliquantulùm ab infirmitate, qua nimiùm grauabatur, conualeſcere, diſſimulans futuram, vt poterat, triſtitiam, quæ poſteà iis, quæ de vita eius confortabantur, ſubitò & inſpetatè aduenit. Cumque iam ipſa felix & ſancta mater corporis ſui ſenſiſſet finem eſſe ſoluendum, ilicò mentem ſanctam (ſicut ſemper ſolita) cum manibus & oculis ad cælum erigens, conditorem ſuum animam, quam creauit, vt ipſe reciperet, orauit: ne de ea gauderet inimicus, qui omnibus bona volentibus ſemper eſt infeſtus. Gregem quoque eiuſdem ſancti cœnobij vt ipſe æternus pater à faucibus rugientis leonis erueret deprecabatur, & vt fluxus & fluctus labentis ſeculi impolluto calle tranſiret, exorauit: quatenùs vaſa, quæ ſibi ſacrauerat, à ſordidiſſimis draconis ſquamis erepta, munda & immaculata mundis Angelis, quibus caſtitas ſemper amica eſt, coaptaret. Certa denique facta de beatæ retributionis præmiis, virtute qua potuit prohibuit ſibi aſſiſtentes ne aliis ſororibus foris degentibus hæc innoteſcerent, ſed neque dominæ Abbatiſſæ, quæ valdè infirmitate grauabatur, ne fortè molæ magnitudinis triſtitiæ abſorpta, vita ſimul & corpore periclitaretur.

Nõ vult vt viſio cæteris ſororibus manifeſtetur. Oratio eius ſub mortẽ Caſtitas Angelis amica.

HABEBAT prætereà ipſa domina Bathildis quandam infantulam, quam ex fonte ſacri baptiſmatis ſuſceperat: ſupra quam apud miſericordiam altiſſimi fudit preces, quatenus eandem ipſe ante ſe reciperet, ipſaque eam infantulam tumulari cerneret. Quod & celeriter obtinuit. Nam eadem hora anima infantulæ à corpore exiit, &, vt beata Bathildis poſtulauerat, ad tumulum præceſſit. Poſt hæc conſignans ſe confidenter, & pios oculos ac ſanctas manus ad cælum eleuans, ſanctam illam animam à corporis vinculo in pace reſoluit. Statim autem diuinus ſplendor in ipſo cubiculo clariſſimè coruſcauit, & cum ipſo lumine ab angelorum choro (obuiante ſibi fideliſſimo amico Geneſio ſcilicet Epiſcopo, qui viſus eſt adſtantibus inter agmina angelorum) gloriоſa & ſancta illa anima accepta, atque, vt magnum eius exigebat meritum, remigio alarum eorundem Angelorum ac manibus in cælum eleuata, gaudet ſine fine, cum electis & ſanctis omnibus manſura. Pauliſper autem ſorores quæ aderant, quæque talibus diuinis myſteriis intererant, doloris gemitum cum repreſſione lachrymarum, vt ipſa iuſſerat, ſilentio conticuerunt, & tantùm ſacerdotibus, qui eius beatiſſimam animam, licet eam haberet receptam, Domino commendarent, ſecretò denunciauerunt. Cuius ſanctum obitum continuò venerabilis Abbatiſſa Bertilia & cuncta congregatio cognoſcentes cum magno fletu requirere cœperunt, redarguendo quòd eis cognitus non fuiſſet exitus tantæ matris, tamque beatæ animæ hora, vt & ipſæ iis myſteriis intereſſent, quibus illæ ſe dicebant cum participatione luminis & claritate Angelorum præſentes fuiſſe. Dolebant quoque grauatę gemitu, quòd non quaſi immutata, ſed tanquàm rapta fuiſſet ab eis deſiderabilis gemma omnibuſque gratiſſima. Omnesque obſtupefactę, pariter ſunt proſtratæ ſuper humum ilicò, & multis ibi profuſis lachrymis cum immenſo doloris gemitu, Domino gratias agentes & eum collaudantes, commendauerunt eius ſanctam animam ipſi Regi Chriſto: quatenùs idem quem deuotè dilexerat, in conſortio ſuæ matris ſanctæ Virginis Mariæ, cui corde & opere ea ſeruierat, ac in collegio ſanctorum omnium, quos honorauerat, ſociaret. Sicque, vt decentiſſimum erat, excubias condignas agentes, in eccleſia ſanctæ Crucis, quam ipſa à fundamentis extruxerat, corpus beatiſſimum poſuerunt, & merito honore ſummaque reuerentia ibidem ſepeliêrunt. Tunc venerabilis Bertilia Abbatiſſa ſtudio pietatis ſolicita, mandauit ſanctis ſacerdotibus vndique vicinis, vt eius ſancta memoria in ſacris orationibus ſiue oblationibus eſſet aſſiduè facienda, quæ nunc vſque locis in diuerſis condignè celebratur. Reliquit ergò ſanctum ſequentibus exemplum humilitatis & patientiæ, manſuetudinis & pleniſſimæ dilectionis ſtudium, immoque infinitæ charitatis & miſericordiæ bonum, aſtutiam vigiliamque prudentiæ, confeſſionem puritatis & cordis contritionem. Docuit quoque vt nullus temerè vel præſumptuosè aliquid definiret, ſed omnia cum conſilio eſſe facienda,

Sanctam eſſlat animã Ab angelis in cælum defertur comitante S. Geneſio Lugdunẽſi Epiſcopo. Sepelitur in eccleſia S. Crucis q̃ viuẽs extruxerat. Quæ poſteris vitæ exẽpla reliquerit.

cienda, temperato & rationabili sermone discretionis, sciens scriptum: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Hanc bonitatis regulam consodalibus, & exemplum beatis reliquit matribus, pro quibus exempli sancti virtutibus, recepit magni præmij à Domino sibi repositam coronam. *Eccl* 32.

XII. IGITVR ad celebranda fidelibus sublimia eius, ad sacrum (vbi eius membra quiescunt) sepulchrum, plura per suam famulam efficit Deus miracula, ita vt quisquis inibi febre correptus, aut à dæmone vexatus, vel dolore dentium contritus, seu aliarum infirmitatum laqueo depressus, cum fide accesserit, ilico per diuinam virtutem & eius sanctam intercessionem, depulsa qualibet morbi peste, sanus & incolumis in Dei nomine exinde redeat: quod nuper in quodam puero manifestum esse constat. Veniens namque ex partibus Prouinciæ quidam venerabilis vir Leudegangus Episcopus, amicus familiarissimus monasterij Caleniis, eius puerum ita sæuissimus dæmon arripuit, vt contineri à socijs nullatenus posset, nisi eius pedes manusque nodis tenacissimis colligarentur: quia ob nimiam sæuitiæ duritiam omnes, quos contingere poterat, dentibus & vngulis dilaniabat. Qui dum ad locum sacri sepulchri, sociorum manibus fuisset delatus, atque in pauimentum proiectus quasi semiuiuus, conterritus ilicò pauore diuino sæuissimus dæmon obriguit atque conticuit, ac Dei virtute per intercessionem beatæ Bathildis protinus fugatus ab eo discessit. Et erigens se statim puer atque consignans, & Deo gratias agens, incolumis ad dominum suum socioque reuertitur. Et quem antea verebantur, ne eos morsibus attrectaret, iam amplexibus adstringunt dulcibus, & vitæ restitutum gaudent.

Miracula ad sacrum sepulchrũ eius.

Dæmoniacus curatur.

XIII. RECOLIMVS quidem in Francorum regno nobiles & Dei cultrices quasdam fuisse reginas, * Clothildem scilicet neptem Gundebaldi Regis, atque magni & antiqui Clodouei Regis coniugem, quæ ita eundem paganissimum verisinstruxit exhortationibus, vt tota mentis intentione ad cultum se Christianæ religionis, feruente fidei calore, conuerteret. Et non solum ipsum, sed etiam diuina gratia adiuta, plurimos Francorum proceres traxit ad Christi cognitionem & ad catholicæ fidei dilectionem. Ecclesiam quoque in honorem sancti Petri, vbi religio monastici ordinis vrgeret, Parisiis fecit: necnon cœnobium in honore sancti Georgij, sacrarum virginum in Cala prima constituxit. Quod postea (quia ambitus ecclesiolæ strictior erat ad capiendum plurimum gregem sanctimonialium) à sæpe memorata domina Bathilde euersum est, & basilica pergrandi spatio amplitudinis constructa. Cuius medium altare in honore sanctæ Crucis, atque illud in parte dextera in honore sancti Georgij, quod verò ad læuam est, in veneratione sancti Stephani protomartyris titulatur consecratum. Alia etiam quamplurima pro mercede æternæ remunerationis in honore sanctorum condidit loca, & muneribus plurimis ditauit. Parique modo de [a] Vltrogotha fertur regina, Childeberti videlicet Christianissimi regis coniuge, eo quod nutrix fuisset orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum & Dei seruorum atque adiutrix fidelium monachorum. Recte quoque & illud prædicatur memorabile factum sanctæ & venerabilis [b] Radegundis reginæ, Lotharij quondam anterioris regis, quam tanta sancti Spiritus succenderat gratia, vt viuum relinqueret coniugem, & se Christo Domino sub sacro velamine consecraret, multaque alia, quæ in actibus eius leguntur, perageret. Sed quanquam illud considerare libeat, quod ab ipsis fœminis sanctis actum est, summopere tamen nobis ad sanctam matrem dominam Bathildem, quæ nostris effulsit temporibus, necnon & ad eius merita glorioſa, quæ [c] ipsi ab ea gesta nouimus & vidimus, recurrendum est. De quibus hîc quidem pauca de pluribus commemorauimus, per quæ non putamus eam inferiorem meritis fuisse illis prioribus, sed multo magis in sanctis studiis & bonis operibus eas præcessisse cognouimus, quæ post multa memoranda quæ gessit opera, euangelicæ perfectionis adimpleuit mandata. Despexit mundum & concupiscentias eius, contriuit diabolum & pompas eius, sequuta est Christum & præcepta eius: Sicque verè monacha sub integra religione beatam vitam feliciter consummauit, atque * tertio Calendas Februarias ter rena deferens & cælestia appetens, animam beatam benigno Iesu, qui eam dederat, mundam & immaculatam reconsignauit, humataque in pace requiescit in Cala monasterio, & regnat in perpetua iucunditate cum Domino, non immemor, vt credimus, suorum fidelium, qui eius cupiunt veraciter attollere præconium. Nos verò & si non ita vt debuimus, saltē vt potuimus, vestrum imperium adimplere curauimus. Imperitiæ sermonis indulgentiam date, & pro culpis negligentiarum cum charitate Deum exorate. Nos ergo, qui adhuc mole ergastuli carnis pressi, ac multiplici scelerum pondere prægrauati, & in huius sæculi labentis fluctibus vagamur ambigui, eius suffragia pia deuotione poscamus assidui, vt pro nobis apud misericordem Dominum intercedere dignetur: quatenus absolutos omni labe criminum perducat pro sua pietate ad cæleste regnum, vbi est gloria indeficiens, perpetua pax, lumen sempiternum cum Patre & filio & Spiritu sancto, quæ præparauit ijs qui diligunt eum, Amen.

al. * *Crotildem.*

De Crotilde Regina, lege Vitam S Remigii. 13. Ianuar.

[a] Vltrogotha regina quantæ fuerit sanctitatis.

[b] Item S. Radegundis sanctimonialis, cuius vita est Augusti 13.

[c] Hic habes authorem, huius Sanctæ fuisse contemporaneum.

*Obiit 3. Calendas Februarias.

Plura de S. Bathilde Regina habes apud Audoënum in vita S. Eligij 1. Decemb. l. 2. c. 35. & 39. & in vita S. VVandregisili abbatis 22. Iulij.

VITA S. P. N. IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, QVI DICTVS EST CHRYSOSTOMVS, ID EST, OS AVREVM: *ex Simeone Metaphraste.*

AN. 380.

I. OMNIVM quidem eorum, qui se ex Deo gessere, vita est piis vtilissima: vt quæ sit non solum exemplar & forma, sed etiam adhortatio ad virtutem. Immittit enim stimulum bonæ æmulationis, & accendit piam animam ad imitationem. Vita autem patris nostri Chrysostomi, est auditu quidem aliis iucundior, ad imitandum autem salutaris & vtilis. Nam ille quidem vir non solum habebat linguam conducibilem iis qui eam imitantur. Immò verò si verum dicere oporteat, quomodo illam in dicendo habebat inimitabilem: ita etiam hanc, quam in agendo nemo potest assequi. Verùm enimuerò res illius sunt omnino narrandæ & imitandæ pro viribus. Nam pictoribus quoque non sunt despicienda pulcherrima exemplaria, quatenus non habent facilem imitationem: sed quod sperent fore, vt si ea tandem assecuti fuerint, clari & insignes reddantur: id imitatores excitat ad æmulationem: Mihi autem oratio media quadam via est ingressura, vt nec quæcunque ab eo facta sunt, persequatur: neque prætermittat ea, quæ sunt præcipua. Nam illud quidem ferè est eiusmodi, vt fieri non possit: hoc vero non est vtile. Sed illa quidem dicat, quæ dicta, auditoribus plurimum afferent vtilitatis: prætermissa autem: damni plurimum: alia vero relinquat aliis.

IAN. 27. secũdum Romanum martyrologium, item Bedæ & Vsuardi. Sed non est hic natalis eius dies quem festo Exaltation. S. Crucis obiisse omnes, qui eius res gestas conscribunt, testantur: sed translationis, quando scilicet corpus eius anno 438. à Communis translatum est Constantinopolim. Vide Bar in Martyrol. ad 27. Ian.

II. HIC ergo verus homo Dei, & germanus, si vllus alius, post eum, qui erat eiusdem nominis præco pœnitentiæ, qui lingua simul & voce & ore & in omnibus aureus, immo verò longe auro preciosior, genus quidem ducebat ex Antiochia, Patria Chrysostomi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

*al. Cale Syria.

tiochia: Antiochia, inquam, quæ sita est in* Cœlesyria. Cum tam claram autem haberet patriam, nec parentes quidem habuit minus nobiles. Fuerunt enim ij quoque suspiciendi, & splendore vitæ paucis secundi. Erat enim pater Dux exercitus, & qui multis abundabat opibus. Nomen autem patri [a] quidem erat Secundus, matri vero Anthusa. Qui primum quidem erant religione gentiles, & tenebantur profundis tenebris ignorantiæ, etiamsi postquàm eis natus esset filius & diuino baptismate tegeneratus, fuerunt ij quoque veritatis luce illuminati. Ex his ille [b] ortus, cum esset adhuc puer ætate, nequaquam habuit puerile ingenium. Neque enim faciebat aliquid indecorum, neque erat occupatus in ludicris & lusibus: sed qualis procedens futura esset planta, ipsa omnino seipsam indicabat. Deinde diuinum assequitur baptismum, corpore adhuc valde tenero & molli. Oportebat enim eum, cuius vita ad Christum inclinabat, non manere amplius Christi signaculo non signatum. Qui eum autem baptismo tinxit, fuit Meletius, qui optime administrauit sedem Antiochenam, sede virtutis longe altior. Postea autem eius quoque parentes diuino tradit lauacro. Neque enim par erat, vt cum ad lucem gratiæ accessisset filius, qui ei causæ fuerant vt in lucem ederetur, non eiusdem, cuius filius, essent splendoris participes. Deinde Grammatico traditus, vt primas disceret disciplinas, erat fax iniecta in ignem: neque vllo omnino opus habebat stimulo, nec aliquo, qui eum esset incitaturus. Quanquam disciplina, & diuturna in vno loco mora, & assidere occupatum, sunt omnino iuuenibus ingrata & iniucunda: quomodo contrà saltationes & translationes, cursusque & motiones sunt eis gratissima. Ille autem se totum dedebat disciplinis. Cum bono itaque ingenio simul concurrens studium, effecit vt breui plurima disceret.

a Parentes S. Iohan. Chrysostomi matrem Publiam fuisse præter Theod. l. 3. cap. 17. Menologia etiam Græcorum affirmant, sed eorum sententia à Baronio ad annum 362. refellitur: nisi forte Publia

[b] De Anthusa dicta sit. De Iohan. Chrys. genere & educatione, vide Niceph. c. 23. li. 13 Theod. l. 5. c. 26. 27 Soz. l. 8 c. 2. 3. Socr. l. 6. c. 3. Bar. ad an. 382.

Abhorret à fastu.

III. Cvm autem ab ineunte ætate tenuitatem amâsset, & à fastu alienationem, erat superior omnibus blanditiis & rebus superfluis, neque comitum multitudinem secum ducens ad ludum literarium neque equo vectus, iter ingredi sustinens. Sed nec aliud quidquam delicatum aut splendidum, vt qui esset ex tanta domo ostentare contendens. Itaque cum parentes quidem valde instarent, & eam rem esse sibi probro ducerent, nec ij soli, sed etiam pædagogus & condiscipuli eadem facerent, & ei exprobrarent, quod esset nimis vilis & abiectus, multum aberat vt ille persuaderetur eorum verbis, & sibi congenitam & gratam repelleret moderationem. Quamobrem cum eum aliquando conuenirent parentes, & causam rogarent, cur eis dedecori esse vellet tam tenuiter viuens, & instar cuiusdam plebeij: ille reuera sapiens, & lingua plane inuictus, ô cur mihi, inquit, frustra vultis exhibere negocium, perinde ac si nos primi vitæ tenuitatem & moderationem statuissemus colere, ægre ferentes? Deinde statim adducebatur in exemplum

Dan. 6.

Daniel & tres pueri. Ex quibus ille quidem, inquit, propter animæ contritionem & spiritus moderationem, ab ore leonum adiri non potuit, illi autem coniecti in fornacem ignis, tantum abfuit vt ab ipso vincerentur, vt etiam propemodum viderentur ministro igne vtentes, & in inimicos, qui circunsistebant, eum absque vllo immitterent impedimento. Alioqui autem vbique inuenio diuinam scripturam, hanc, quæ apud vos iudices habetur contemptui, humilitatem vbique magni facere, & vt nihil magis, commendare: fastum verò & honoris studium reprehendere: idque pusilli & abiecti esse potius animi, quam excelsi & magni, ducere. Quamobrem non ego ignoranter pluris facio hanc mediocritatem: Deum enim didici his delectari, (solet enim simul cum externo habitu affici anima) & gratiam quidem præbere humilibus: ijs autem, qui contra se habent, aduersari. Hæc illo dicente, parentes obstupuerunt. Consecuta est autem omnino, quæ à verbis, vt potius quæ à factis procedebat vtilitas: adeo vt talem eis daret mercedem suæ in vitam productionis: & qui ab eis quidem solum acceperat, vt esset: vt bene esset, eis munifice redderet. Vix tandem autem à parentibus persuasus, in hoc eis paret, qui alioqui se in aliis præbebat obedientissimum, vt nequaquam quidem cum pluribus, sed vno ex famulis eum comitante, iret ad ludum literarium.

Dan. 3.

Abiecti animi, studere fastui.

Iacob. 4. 1. Pet 3.

Pater eius decedit.

IV. Non multum interiectum est temporis & pater quidem excesit è vita præsenti: mater autem, vt quæ præmaturam subiisset viduitatem, & propter puerum adhuc teneræ ætatis, vitæ fluctibus agitata, & multis & variis quotidie vexabatur casibus & molestiis, quas eæ solæ aperte sciunt, quæ illas sentiunt. Quorum quidem paruam illa ducens rationem, duo ex omnibus maximè curabat: nempe vt & post sui mariti decessum nullius amore caperetur: poterat enim eius ætas adhuc capi his laqueis: & filium sic* educeret, vt nulla alia ostenderetur mater talis filij. Postquam autem ille didicisset grammaticam & orbem disciplinarum, deinde etiam peruenit ad summum dicendi facultatis atque philosophiæ: vt qui illam quidem quamoptime acceperit à Libanio, cuius erat insignis fama in arte dicendi: hanc autem ab Andragathio diligenter audiuerit. Quid fit? Desiderium maioris eruditionis (in pluribus enim bonis assequendis laborabat cupiditate) efficit vt veniat Athenas, & illic simul versans cum præstantissimis Rhetoribus & Philosophis, sic & mentem locupletauit, & linguam summè exercuit, vt nulli facile concederet, vt esset cum eo conferendus. Hinc factum est, vt breui esset insignis, non solum Athenis, sed etiam in vniuersa Græcia: adeo vt ipsi quoque præfecto Prætorio res videretur esse digna magno studio, vel solum venire in conspectum Athenarum.

*f. educaret.

Summus est rhetor & philosophus.

V. Cvm ergo quodam tempore haberet concionem, & eos conuocaret ex Athenien sibus, qui & gloria & dicendi facultate tenebant primas partes, ei curæ fuit, vt sanctum quoque officiose vocaret & honorifice: statimque missum fuit vehiculum, & alius, qui ad hoc expedit, comitatus. Sed ille hæc tanquã superuacanea & inutilia & veluti inanem itineris adiumentum repellens, solus viam est ingressus, suis vtens pedibus, quod quidem sibi faciendum constituit is, qui est sanus, & non propter arrogantiam & vanam gloriam ea sustinet facere, quæ ægroti. Quamobrem magis stupentes eius moderationem, & eam quæ apparebat constitutionem, ducentes esse imaginem animæ, quæ non apparebat, ipse primus Prætorio præfectus & qui cum eo aderant, ei accedenti lubenter assurrexerunt, & eum adspexerunt oculis reuerentia plenis & beneuolentia. Deinde etiam vi attrahentes, (resistebat enim propter vehementem amorem moderationis) primo loco cum dignati sunt, publiceque ornarunt eloquentiæ laudibus & aliis priuilegiis. Fieri autem non poterat, vt toleranter hæc ferret inuidia: nec sine dolore hæc adspicerent inuidorum oculi: Nam cum vanam gloriam summè sibi vendicarent, existimabant illius honorem illorum honori detrahere. Quomodo accidit, vt tum quoque afficeretur Anthemius, qui non parui quidem fuit nominis propter studium eloquentiæ, gentilis autem erat religione, & alioqui lingua profusus, & volens ei nimium indulgere: qui sancti laudibus non minus morsus, quam si ipse fuisset summa affectus contumelia, in eum vehementi spiritu inuehebatur, & iniustum vocabat id, quod factum fuerat, & dicebat esse nefarium, hospitem & aduenam primos sic honores consequi: & maxime, aiebat, eum qui à nobis plurimum differt religione. Propter quæ primùm inuidiam ægre ferens Præfectus, Quidnam, dixit, fuerit præter rationem, si vir, qui est & tali genere ortus, tantaque & doctrina & modestia præditus, fuerat iudicatus à nobis honore dignus, cum etiam præter alia, ipsum honorem fugere, honorem acquirat apud eos, qui sapiunt & rectè sciunt iudicare?

Vide humilitatem.

Præfectus prætorio cum accipit honorifice.

Patitur Anthemium obtrectatores.

VI. Deinde autem Iohannes quoque placide eius sermonem excipiens, Non oportebat, inquit, ô Anthemi, eum, qui sibi vendicat philosophiam, ita superari ab honore hominum, & eum persequi tanquam rem magnam & magna conten-

contentione appetendam, qui non ſolum nobis non prodeſſe, ſed etiam plurimum poteſt lædere, quod attinet ad virtutem. Quid enim fuerit re vera homo ex eo ſeipſo melior? Quod verò dixiſti me eſſe diſſimili vobis religione, erubeſcerem, ſi viderer tacere, ducens hoc eſſe pudendum. Ego enim Deos neque noui, nec me eos vnquam eſſe adoraturum, profeſſus fuerim, Abſit vt adeo deſipiam, & ſit mihi lingua tam temeraria. Sed vnus mihi Deus eſt Chriſtus, qui cognoſcitur in patre & in ſpiritu: qui & omnia ab initio produxit ex nihilo, & nunc ineffabili ea virtute continet, & annuos nobis fructus ſuppeditat, & manum aperiens, omne animal implet benedictione. Sed non Chriſtus, dixit interpellans Anthemius, producit hos fructus annuos, ſed elementa mundi ſuis temporibus producunt, deorum prouidentia. Nondum finem acceperat eius ſermo, cùm à maligno ſpiritu poſſeſſus & terræ alliſus, miſere iacebat rugiens lachrymarum & timoris ſimul cauſa ijs, qui aderant: peruertens quidem oculos, ſtridens autem dentibus, ſpumam verò ex ore turpiſſime expuens. *Pſalm.* 144. Anthemiũ dæmon inuadit.

VII. Hæc cum adſpexiſſet Præfectus & qui circa illum erant, eos ſubijt admiratio & ſtupor, & erant pleni tumultu. Deinde ad beatum Iohannem accedentes, fiunt ei ſupplices, & rogant vt velit opem ferre affectioni. Ille autem (Quis enim fuit illo benignior?) vt qui benigni Chriſti eſſet imitator, & calamitatis hominis eſt miſertus, & cum pro eo rogaſſet eum, qui vel ſolus poteſt opem ferre, ei qui iacebat, duplicem affert curationem. Nam cum iſte liberatus à dæmone, ſenſiſſet in quanto malo eſſet verſatus, arbitratus non ſufficientem eam eſſe curationem, cauſam quoque, propter quam venerat ad tantam calamitatem, rogabat curari, ne eadem ei rurſus euenirent. Ille autem (Sciebat enim veri Dei ignorationem, eius eſſe cauſam) conſuluit, vt prompto & alacri animo quamprimum adiret Pontificem ciuitatis, & rogaret vt in diuinis catecheſi ab eo initiaretur: & quo latentium animæ vibicum veniret curatio, & à dæmonibus, quos colebat, omnino liberaretur, aſſequeretur lauacrum regenerationis. Paret eius dictis Anthemius, & citò accedit ad eccleſiam: & cum Domino credidiſſet, baptizatur, & fit multis exemplum, vt credant in Chriſtum Clarorum enim & magnorum virorum in melius aut deterius mutatio, ſolet multis eſſe cauſa ad idem mutationis. Hinc factum eſt, vt Athenarum Epiſcopus, cum adſpexiſſet quantam eius eccleſiæ acceſſionem feciſſet Iohannes ille aureus verbis & monitis crebro eum ſibi inſinuaret, & vt ſibi eſſet ſucceſſor, (iam enim erat grauis ætate) procuraret. Aliter autem Dei prouidentia de eo ſtatuerat, in maiori omnino & excelſiori candelabro magnam illam lucem poſitura. Curatur à Chryſoſt. Baptizatur.

VIII. Cvm verò in Athenienſium doctrina plurimum profeciſſet, viſcerum maternorum & patriæ rurſus eſt recordatus, & rurſus Athenis redijt Antiochiam. Deinde hæc parua eſſe putans, nempe orationes & conciones, & quæcunq, ad ſuperuacaneam pertinent ambitionem, angelicam ſeu monaſticam[a] vitam ſtatuit ſuſcipere, ad hoc conſultore & inſtituti ſocio vtens [b]Baſilio quodam ſuo familiari, & qui erat vnius animæ & fraterni cum eo ſpiritus. Non is autem erat ille, qui & patriam & ſedem ornauit Cappadocum, vt quidam exiſtimant, decepti à ſimilitudine nominis. Siquidem ad fidem huius rei faciendam, hic ipſe ſufficit lingua aureus, qui ſatis illud oſtendit in libris de Sacerdotio. Dicit enim eum eſſe ipſum ſecutum toto tempore, & eaſdem attigiſſe diſciplinas, & eoſdem habuiſſe præceptores. Quod autem maximè omnium prohibet, non hunc eſſe magnum illum Baſilium, eſt, quod ipſum quidem oſtendit eiuſdem patriæ, fuiſſeque & genere pares & diuitiis. Quomodo vero ſtatues hæc eſſe magno & huic maximo communia, quæ ſunt maximè diuerſa? Siquidem plurimum inter ſe differunt Antiochia & Cappadocia. Sunt autem multa quoque alia per quæ conijci poteſt, non eſſe hunc magnum Baſilium, ſed quendam alium, ortum Antiochiæ.

[a] Monaſticam vitam appellat angelicam.

[b] Quis hic fuerit Baſilius incertum eſt vide Bar. to. 4 annal. ad annum 382

IX. Cætervm[c] ab hoc inſtituto tunc ſapientem abducunt & ciuitas, & multo magis, ad perſuadendum efficacia ei temperans lachrymarum medicamenta. Nam ciuitas quidem, tanquam fœtum proprium & à ſe educatum, eum amplectitur, & eum perpetuo volebat retinere: ea enim valde mouebatur ſuauitate eius orationũ, quarum maximam partem conſumebat in iudicijs, aſſidue illuc ventitans, & partem defendens inferiorem, & eum, qui habebatur contemptui, recreans. Mater autem, vtpote mater, magis germanè eum adiens, doloresque partus & lactationem ei in memoriam reuocans, & mala viduitatis, & quæcunque poterant attrahere filium, vt matris miſereretur, arcebat à propoſito. Sed ſatius eſt, vt illi ipſi hanc relinquam narrationem. Neque enim omnino fas eſt, nec conueniens, vt cum ei liceat ſua per ſe dicere, nos illis relictis, ex nobis ipſis faciamus narrationem. Dicit enim ipſe in libris de Sacerdotio, innuens amicum, qui eum erat abducturus ad id, cuius ſtudio tenebatur. Deinde matrem, quæ hoc reſciuerat, miſerabiliter acceſſiſſe, & id prohibuiſſe. Sic autem habet. [c] Nonnihil retrahitur à vita monaſtica. Lib. 1 ca. 2.

X. Postqvam enim ſenſit conſilium, quod à nobis capiebatur, me dextera accepto, & in domo ei attributa ad ſedendum collocato prope lectum, in quo nos pepererat, emittebat fontes lachrymarum, & adiungebat verba lachrymis miſerabiliora, ſic apud nos lamentans: Mihi, inquit, ô fili, virtute tui patris diu frui non licuit, cum Deo ita viſum eſſet. Nam dolores in partu propter te acceptos, mors illius conſecuta, tibi quidem orbitatem, mihi autem viduitatẽ attulit ante tempus, & mala viduitatis, quæ eæ ſolæ demum, quæ illa paſſæ ſunt, ſcire aperte potuerint. Nulla enim oratio potuerit conſequi tempeſtatem illam & fluctus illos, quos ſubit puella, è domo quidem paterna nuper egreſſa, & rerum imperita, & qui cohiberi non poteſt, repentè luctu oppreſſa, & neceſſe habens maiores ſuſcipere ſolicitudines, quàm pro ætate & ſexu. Oportet enim, vt arbitror famulorum ſocordiam animaduertere & corrigere, & maleficia obſeruare, cognatorum inſidias propulſare, publicanorum iniurias & inhumanitatem in exigendis vectigalibus magno & excelſo animo ferre. Quod ſi relicto etiam infante deceſſerit, qui eſt mortuus, ſi ſit quidem fœmina, magnam quidem ſic quoque matri præbebit ſolicitudinem, à ſumptibus tamen & metu liberam. Filius autem eam quotidie implet timoribus innumerabilibus & pluribus ſolicitudinibus. Mitto ſumptum pecuniarum, quem neceſſe habet facere, ſi eum educare cupit liberaliter. Nihil horum tamen mihi perſuaſit, vt ſecundum inirem matrimonium, neque alium ſponſum introducerem in domum patris tui: ſed manſi in tempeſtate & tumultu, & non effugi ferream fornacem viduitatis, primum quidem adiuta ſuperno auxilio: afferebat autem mihi non paruam malorum conſolationem, & quod tuum vultum viderem aſſiduè, & mortui animatam ſeruarem imaginem, ad illius effigiem accuratè expreſſam. Propterea cum eſſes adhuc infans, & necdum loqui didiciſſes, quando parentes maxime delectant pueri, mihi magnam præbebas conſolationem. Atqui nec illud mihi potueris obijcere, quod viduitatem quidem fortiter tulerimus: patrias autem facultates tibi minuerimus propter neceſſitatem viduitatis: quod quidem ſcio accidiſſe multis, qui in orbitatem inciderant. Nam eas quoque vniuerſas reliqui integras, & quæ debebant expendi, vt vir bonus & probus euaderes, non ceſſaui ea ex meis, & quas domo attuli, expendere pecuniis. Nec exiſtimes me hæc tibi nunc dicere exprobrantem. Sed pro iis omnibus vnam à te peto gratiam, nè me in ſecundam iniicias viduitatem. Sed expecta meum deceſſum. Fortaſſe breui pòſt tempore decedam. Nam ſpes quidem eſt, adoleſcentes eſſe ad longam venturos ſenectutem. Nos autem qui conſenuimus, nihil aliud quam mortem expectamus. Quando verò me terræ mandaueris, & cum oſſibus patris tui miſcueris, longas ſuſcipe peregrinationes, & mare nauiga quodcunque volueris: tunc nullus eſt prohibiturus. Quandiu autem ſpiramus, ſuſtineas nobiſcum habitare: neque Deum offendas, nos temere in tanta mala coniiciens, quæ te nulla affecimus iniuria. Nam ſi me quidem potes criminari, quod te attraho in huius vitæ ſolicitudines, & cogo te rerum mearum curam gerere: non leges naturæ, non educationem, non familiaritatem, nec aliquid denique aliud reueritus, fuge tanquam hoſtes & inſidiatores. Si autem omnia facimus, vt magnum Matris ad Chryſ. oratio, eũ à monaſtico inſtituto retardantis. Matris erga eum liberalitas.

tibi paremus ocium, ad hoc, vt hoc vitæ iter ingrediaris, si nihil aliud, hoc saltem te nostrum retineat vinculum. Nam & si dicas te amari ab innumerabilibus, nemo tibi præbebit, vt tanta fruaris libertate. Nemo enim est, cui tua bona existimatio sit æque curæ, atque est mihi.

XI. Hæc refert lingua illa egregia, & quemadmodum Basilius quidem subijt iugum Diaconatus, sperans fore, vt eum haberet eius ordinis socium: Ille autem gradum dubitans suscipere, pulchrè eum promisso impellit, tanquam ipse quoque iam futurus esset eiusdem particeps. Et tunc quidem recusat ordinationem, victus à sua in eam reuerentia. Cum aliquanto autem pòst tempore vix suscepisset ordinem Lectoris non libros sacros legebat solummodo, sed etiam spiritu sapientiæ eos interpretabatur, & magna verbi luce & bono euidentiæ vtebatur in expositione: Quamuis autem tanta esset gratia præditus, & vniuersus populus penderet ab eius lingua, ægre tamen ferens tumultus, qui erant in ciuitate, & vitans quidquid facit ad ostentationem, vt qui arceretur à desiderio, quod ab initio animo concipiebat, quod erat sub Deo viuere, & ei soli fieri manifestum, tristitia afficiebatur, angebatur animo, plurimi faciebat solitudinem, & tanquam illic absconsum inuenturus thesaurum, ad eam festinabat. Cum hoc ergo animo versaret, opportuno tempore obseruato, iubens omnes valere cognatos, amicos, familiares, plausus ciuiles, ostentationes, quin etiam eorum, quibus fiebat iniuria, defensiones: & nec viduitatem matris cogitans, nec sororis curam reputans, quæ iuuenili corpore subierat iugum virginitatis, opusque habebat, vt ei diligenter prouideretur: atque adeo ipsam quoque domum parum curans, relicta ciuitate, relictis omnibus, toto pede ad vitam quietam transfugit.

Ecce ordinem lectoratus.

Tenetur magno solitudinis desiderio.

XII. Deinde cum esset ætas adhuc iuuenilis, etsi esset ei corpus natura male affectum & valetudinarium, se tradit monasteriis, in quibus vita agebatur accuratior & asperior, quam in aliis: & cum totam vestem exuisset cum sapientia carnis, aut, vt verius dicam, illam prius exuisset, induit [a] amictum ex pilis contextum, corpus adhuc affligens, & veluti quandam nubem attenuans, & lumini mentis præbens libertatem. Maximum autem ponebat studium in legendis libris diuinarum scripturarum. Quod quidem faciebat tam diligenter, vt vim eorum, quæ in eis insunt, nihilominus in mente imprimeret: deinde manu propria & labore digitorum eas interpretaretur, vt dictum est: & quæ sunt comprehensu difficilia, aperta redderet studiosis: & quam sententiam ipse collegerat cum labore, præberet ijs, qui volebant, accipiendam citra vllum laborem. Si ergo propriis laboribus panem præbere, conciliat mercedem, esurientes animas sic exatiare, quantæ fuerit causa remunerationis? Sic ergo diuinas scripturas interpretans, deinde etiam eas exornat eo, quod ad mores pertinet: vt illud quidem esset ad mentis illuminationem, hoc autem ad morum curam gerendam: aut, si mauis, illo quidem illustraret solum diuitias spiritus, quæ iacent in profundo: hoc verò etiam apertè deduceret, vt eius essemus participes.

Fit monachus, anno 376 ex supputatione Baronij.

[a] Induit amictum ex pilis contextum.

XIII. In hac grata quiete & silentio componuntur ab eo libri de sacerdotio: in quibus quanta quidem sit dignitas sacerdotij, qualem autem esse oporteat eum, qui hoc est dignatus, accurate ostendit. Tunc etiam scribit orationem ad quandam illustrem mulierem, quæ paulò antè viderat noctem viduitatis, & magno luctu grauabatur, eam leniter recreans, & ostendens viduitatem non esse rem vilem & abiectam: sed magnam & venerandam esse eius dignitatem, eamque magnis laudibus esse dignam, quæ suam in defunctum integram conseruauit conscientiam, se secundis nuptijs non reddidit infamem, vt quæ beneuolentiam mentita sit in maritum. Deinde etiam de virginitate scribit alium librum, diuinam eius ostendens pulchritudinem & magnum eius ornamentum. Stagirio quoque scribit pulchras orationes & valde præclaras. Hic vir erat ei valde familiaris: fuerat autem possessus à maligno dæmone, qualia sunt Dei iudicia. Liber vero illam quidem accipit scribendi occasionem: per vniuersam autem procedit philosophiam: eum dixeris esse commune documentum virtutis grati animi & tolerantiæ, vt qui compositus sit tanta in dicendo probabilitate, tam multisque necessarijs Rhetorum argumentis, aut, vt melius dicam, diuinis & spiritalibus gratiis, adeo vt hoc ipsum quod inciderit in dæmonem, existimaretur non esse abominandum nec auersandum, vt quod fuerit argumentum maximæ vtilitatis. Tunc etiam compositi sunt ab eo duo libri de compunctione: quorum vnus quidem fuit inscriptus ad Demetrium, alter autem ad Stelechium: eum, qui est studiosus virtutis, accuratissimè elaborantes, & acrem stimulum compunctionis pijs immittentes animis. Sed hos quidem scripsit libros, ne caderent illi, ad quos scripti fuerant, neque maligni laqueis pius implicaretur, sed staret firmiter in bono proficiens. Alium autem scribit ad eum, qui, proh dolor, iam erat lapsus seu percussus telo peccati: ei vero, qui lapsus erat, nomen fuit Theodorus: vt non concideret, neque desperaret salutem, tanquam benignam manum ei porrigens orationem, & iacentem erigens, & non concedens, vt omnino permaneret in peccato. Sed sic quidem erat eius per libros doctrina, cum voluptate magnam habens vtilitatem.

Libros de Sacerdotio scribit: Item alia.

Libri duo de Compũctione.

XIV. Multo autem magis ex factis adhibuit doctrinam, vt qui perpetuo quidem vacaret orationi, & omnem exerceret virtutem, ad eam futurus aliis tanquam exemplar. Humilitatem vero ita erat amplexus, tanquam in ea alio modo vellet primas partes obtinere in eo, quod nulli alij cederet extremum omnium. Partem quoque diei sibi deputabat ad visendos ægrotos, è domo quidem omnia illis præbens pro viribus, maximè autem consolationem eis afferens oratione & omnibus modis eis ostendens benignitatem. Quid autem? Modestia quidem, vt diximus, cedebat nemini: in castitate verò aut continentia aut alia virtute est ex omnibus aliquis, cui cederet? Et quis illum vel adeo non nouit, vel nescit esse verax *, vt ei quod dicitur, assentiatur? Sed sic quidem ille se pulchre gessit in omni virtute, melius quam vt eum quis posset imitari. Porro autem hæc quoque illi tribuunt tanquam eximia, quod neque ipse vnquam iurauerit, postquam aufugit à mundo: neque vlli iusiurandum detulerit, nulli detraxerit, nunquam sit mentitus, nulli sit malè precatus, faceta ac scurrilia neque ipse sit locutus, neque alium dicentem sustinuerit. Dicunt autem ipsum quoque mediocrem somnum sumpsisse, cum esset opus: sic autem sumpsisse: Funis ex alto demittebatur, alligatus extremis: cui & manibus & barba ipse innitens, quendam modicum, neque ipsum firmum, sed imbecillum & ementitum somnium gustâbat.

Virtutes S. Chrysostomi.

*quod dicitur, vt ei non.

Somnũ vt ceperit.

XV. Cvm sic vitam ageret, valde quidem studebat latere, & neminem habere, qui esset eius conscius. Nulli enim eorum, qui mala fecerant, vt illi, omnino curæ fuit latere. Hoc autem erat difficile, cum & virtus sic se habeat natura, vt eum, qui ipsam exercet, soleat facere manifestum: & Deus præterea velit cultorem suum glorificare. Itaque illum quoque sic in præsentia aperit. Vir quidam genere Syrus, nomine Hesychius, ætate quidem iam prouectus, tempore autem ferè quoque æqualem habebat exercitationem: qui ipse quoque erat vnus ex illis, qui in sacro illo exercebantur monasterio: cuius vestigiis insistere cupiebat magnus ille Iohannes, dum nondum esset virtute summus. Ei nocturnas preces Deo offerenti apparet quiddam diuinum & fortius, quam vt id intueri humani possent oculi, quod & veretur lingua in medium adducere, & quod est auditu inprimis horribile. Sed est adhibendus animus. Etenim non minus metu, quam voluptate mixta est narratio. Viri quidam veste candidi, adspectu terribiles, è cælo quidem visi sunt ad eum descendere: Iohanni vero lingua aureo, qui ipse quoque noctu precabatur, venire in conspectum. Visi sunt autem, vnus quidem librum, alter autem claues habere in manibus. Deinde Iohannes noua illa eorum forma obstupefactus, timore fuit correptus, & se simul humi deiecit. Illi autẽ eum manu apprehendẽtes, erigunt & metu soluunt, & iubent eũ esse bono animo. Cum vero rogasset magnus Iohannes, quinã essent, qui cũ tanti essent, ad eum venirent:

Cupit nesciri.

Visio admiranda.

venirent: sed ne timeas, illi dixerunt. Nos enim venimus ad te, missi à Christo. Sic dixerunt, & statim alter eorum manus porrigens, dicit: Hoc accipe. Id autem erat liber. Ego enim, inquit, sum Iohannes, cui Dei sapientia pectus dimisit & permisit, vt super ipsum recumberem nihil veritus. Quæ tibi quoque per nos faciet scripturas comprehensu faciles, & deducet ad illius cognitionem. Similiter autem alter quoque manum porrigens: Accipe, dicit, has claues. Me autem scias esse Petrum, cui eæ fuerunt à Deo traditæ. Quem nunc quoque crede per me eadem te dignari gratia, adeo vt quæcunque ligaueris aut solueris super terram, ita etiam se habeant in cælis. Ad hæc cum beatus ille erubesceret, & consternaretur animo, & tanta gratia se esse indicaret indignum, diuini illi viri eum recreant & implent audacia. Deinde cum eum crucis figura obsignassent, & visi essent eum osculari, reuolârunt in cælos. *Iohan. 13.*

XVI. Hæc cum vidisset vir ille insignis, diu mansit plenus metu & stupore, adeo vt cum monachi eum viderent sic affectum, & rogarent quænam esset causa, vix eam aperuerit, indicens eis silentium: & vt hæc celaretur Iohannes, Ne demus enim, inquit, ei occasionem, vt hinc recedat. Illi ergo his, quæ dicta sunt, obstupefacti, hinc deinceps futuram eius vitam conijciebant, quod scilicet esset facturus magna & admirabilia. Et facta quidem sunt re vera innumerabilia, Deo glorificante magnum illum in operibus. Nobis autem pauca & paucis sunt narranda pro viribus.

XVII. Vir quidam Antiochenus, illustris genere, vita splendidus & magnificus, morbo quodam magnum sentiebat dolorem in media parte cranij. Tanta autem erat vis morbi & adeo intensa, vt oculus sede esset emotus, vt qui vi mali non potuisset resistere: & ita videretur omnibus res lachrymabilis. Is cum venisset ad monasterium, in quo degebat magnus Iohannes, multum quidem rogabat: multas autem emittebat voces ad mouendam misericordiam, petens curationem. Is verò fuit quidem misertus. Quidni enim, cum esset omnium hominum clementissimus? Dixit autem, hæc esse præmia sceleratorum factorum, & in Christum incredulitatis. Si ergo, aiebat, toto animo ad eum accesseris, & deinde prioribus relictis studiis, vitæ rationem aggressus fueris ei gratam & mundam, nihil erit quod obstet, quo minus sequatur curatio eius, quod te cruciat. Cum is autem & se fateretur credere, & polliceretur vitam mutare in melius, & illius castissimas manus deoscularetur, & dolenti parti vestem admoueret, non solum fuit caput liberatum à dolore, sed etiam oculus, qui vi ab eo fuerat exturbatus, fuit loco prioti restitutus. Satis erat hoc, quod dictum est, vt esset signum euidens fidei sancti, & vt significaret magnum gratiæ adiumentum, quod à Deo erat effatim consecutus. *Curatur laborans ex capite & oculo.*

XVIII Vvlt autem oratio alterum quoque adijcere, nihilo minus præcedente, quod nequaquam se patitur mandari silentio. Cuiusmodi enim fuerit id, quod Archelao acciderit, scitis vtique, & quodnam in eum factum fuerit miraculum: qui erat quidem Præses Antiochiæ, & obtinebat primas partes in ciuitate: arcano autem casu lepra quædam, quæ in eius fronte efflo ruerat, eum magna afficiebat molestia, vt quæ eũ pudore afficeret, & efficeret, vt omniũ vitaret oculos. Cum itaque multum vsus esset medicina, vt quæ posset ei opem ferre, nihil aliud fructus ex ea accepit, quàm vt spe blanda illuderetur, donec constitit eam esse fallacem. Cũ autem sanctus vix tandem ei venisset in mentem, & ad eũ venisset feruentiori spiritu, tetigit sanctos illos pedes, & morbũ ostendit, & petijt vt cõsequeretur curationem eius, quod illũ male habebat. Is autẽ & misertus calamitatis, vt qui esset clementissimus, & flexus fuit precantis vocibus. Deinde cum eo pactus est, vt à malis declinaret operibus decæterò, petens etiã, vt priora peccata corrigeret. Quod quidẽ cum esset pollicitus, præbuit ei curationem, dicens in nomine Christi laua te aqua, vbi fratres solent bibere. Quod cum factum esset, fecit similiter atque Siloë, & consecuta est lepræ sanatio adeo pure, vt nec morbi quidem remaneret vestigium. Quanta Archelaum propter hoc incessit lætitia? Quantum perfudit gaudium? Quantas effecit hoc vt Deo ageret gratias? Quid non dico, quod est maius & perfectius? Quanti fuit ei studij causa, vt ad animæ adspiceret curationem? Sancti enim verbis adeo fuit captus, & adeo studuit re vera exequi id, quod ei promiserat, vt nihil differret, neque rei daret vllam moram temporis: sed ijs, quæ habebat, statim distributis pauperibus, aliorum deinceps esse statueret versari in ijs, quæ ad hanc vitam pertinent: & eius sectari somnia, ex iis stulte illudi: ipse autem veniens ad monasterium, in quo erat illius medicus, voluerit esse in numero illorum, qui illic exercebantur: & sub eo præceptore vitam eligens perfectissimam, illic vsque ad finem studere placere creatori. *Sanat leprosum. Iohan 9.* *Archelaus amplectitur monasticen.*

XIX. Hoc multos ex iis, qui erant illustres Antiochiæ, excitauit ad similem æmulationem, & adiunxit numero eorum, qui salui fiunt: Similiter enim Deo suas propter egentes dedicantes facultates, alij quidem relati sunt in numerum huius sancti monasterij, quomodo etiam aiunt illum Theodorum, qui fuit vnus ex valde illustribus: alij vero ventitabant ad alia, quæ in ciuitate erant, monasteria. Omnes autem intuebantur ad vitam Iohannis, tanquam vnum exemplar. Nam etsi erant apud singulos, qui vita & ordine præstabant aliis, is tamen erat omnium primus eruditor & magister. *Item multi nobiles.*

XX. Verum enimuero vult oratio aliorum quoque meminisse eius miraculorum, & ea non dari obliuioni, quæ reuera non sunt digna quæ dentur. Nam vir quidam nomine Eucleus, cui inuidia dæmonis excisus erat oculus, statuit vitam suscipere monasticam in eo monasterio, in quo erat sanctus: cumque accessisset, & habitum mutâsset & vitam, magnum Iohannem attrahit ad misericordiam. Audit itaque illum sic ad verbum orantem, & magno feruore commiserationis sic animum inflammantem: Deus, ô frater, tibi medebitur, & illuminabit tuos oculos & cordis & corporis. Simul cum hoc dicto concurrit etiam curatio, & illuminatus erat oculus, & eo vtebatur similiter atque alio. Simpliciter & leniter à me narrantur miracula, dum ad orationis adspicio longitudinem, & nihil volo fuse ac prolixe persequi. Sed nullo opus est ornamento externo, & ijs quæ ea possunt extollere, sed sufficiet eis sua pulchritudo & magnitudo. Quocirca sunt etiam mihi alia eodem modo narranda. *Semper nouus monachus cum vita & habitum mutat.*

XXI. Mvlier quædam ciuis Antiochena, nomine Christina, profluuio sanguinis septem iam annos grauiter laborabat. Cùm ea ergo diu vsa medicis, agnouisset eos vana spe ducere & mora inutili, vehitur à iumentis, & viro sequente, defertur ad hoc sanctum monasterium, & proijcitur in vestibulo. Ille autem ad sanctum ingressus, cum dixisset causam aduentus, à sancto reprehenditur, quod non fecerit vt erat consentaneum, & quod ignoraret id, quod erat sibi futurũ conducibile. Cur enim, inquit, eo præterito, qui hæc potest curare, accessisti ad virum, qui est obnoxius ijsdem affectionibus, ab eo postulans ea, quæ facere non est in eius potestate? Sed tamen hæc dic vxori: Si asperis & peruicacibus his moribus eiectis, te moderatam & benignam ancillis præbueris: & manum quidem largam & diuitem pauperibus aperueris, precationemque & continentiam obliuioni non mandâris, animæ curationem cito consequetur curatio corporis. Accipit hæc mulier, & significat se nihil omissuram eorum, quæ iusserat. Postquam audiuit ille à marito vxoris promissionem: Abite, inquit, iam enim curata fuit à Christo vxor tua. Hoc cum ipse abiens, reuera ita esse vidisset, statim cum vxore linguam quidem mouit ad gratiarum actionem, pedes autem ad iter. Cum vnum iis, quæ dicta sunt, adiecero, aliorum rursus suo tempore faciam mentionem. *Morbidam sanat mulierem.*

XXII. Leo magnitudine maximus, & cuius vires sustineri non poterant, & qui erat visu maxime terribilis, & ad inuadendum acerrimus, illo tempore versabatur in locis, quæ sunt circa Alexandriam. Is erat agricolis quidem malus vicinus, viatoribus autem graue spectaculum & occursu formidabile. Magno enim impetu in eos irrumpens, plurimos occidebat, & simul in ventrem transmittebat: eratque ex æquo & damno pernicioſissimus, & ad eum de medio tollẽdum difficillimus: & cum magna & viuida manus eorum, qui prope habitabant, in ipsum inuasisset, agnouit se suo malo hoc esse ausam. Celerrime enim in omnes incurrens, alios quidem solo rugitu loco motos, vertit in fugam: alios autem *Leo immanissimus.*

autem ore diſcerptos exedit:aliorum verò cum corpus dilaceraſſet vnguibus,reddidit miſerabiles. Quid enim aliud, niſi ſauciatos à leone?Hinc quid accidebat?Neglectos quidem agros relinqui ab agricolis:ad loca autem inuia diuertere viatores, propterea quod beſtia ſuſtineri non poſſet. Poſtquàm autem iam ad extremam redacti dubitationem, vix tandem recordati fuerunt hominis Dei,frequentiſſima multitudine ad ipſum venientes,narrabant ipſa mala quibus leo eos affecerat,& ab ipſo petebant,vt eos ſolueret hac calamitate. Ille vero cum paucam fidem eis prius exprobraſſet,& quod eis viſa eſſet beſtia inexpugnabilis,cauſatus eſſet contemptionem diuinorum præceptorum : Vobis quidem, inquit,omnibus eſt Deus placandus, in templum ſimul conuenientibus : id autem, quod do vobis, (erat verò crux)ponendum eſt in ijs locis,per quæ tranſit leo:& abſit quidem omnis metus:ſit autem perfecta fides,& haud ita multo poſt manifeſta vobis quoque erit mei Chriſti virtus.Cum hancilli crucem accepiſſent,& ſicut eis fuerat imperatum feciſſent,& die ſequenti illuc veniſſent,ô Domine & Deus omnium,& admirabilium operum effector ineffabilis,belluam vident iacentem mortuam ad ipſam baſim Crucis.Sed miſſis in præſentia quidem miraculis, tranſeamus ad orationis ſeriem.

Vide mirã virtutem ſigni ſanctiſſimæ Crucis.

CVM ille ergo beatus ſic quatuor annos vixiſſet in hoc monaſterio,partim quidẽ iis,quæ dicebat, partim autem XXIII
& magis,ijs quæ faciebat,inducens ad virtutem, euaſit clarus & omni ex parte celebratus, omnibuſque & linguis & auribus magnam afferebat voluptatem:aliis quidem dicere,aliis verò ea quæ dicebantur,attendere ex æquo amantibus. Cum hæc illi non modo grata non eſſent,ſed ea etiam ægre ferret,(Non minus enim,quàm ex Deo viuere,ſtudebat ſic viuendo latere,vt antea diximus)rurſus conſtituit aufugere,& ſe oculis hominum ſubducere.Cum itaque clãculum aufugiſſet,& ſeorſum viuere ſtatuiſſet,totos duos tranſegit annos,viuens ſolitariè,& ſoli Deo apparens. Non erat ei lucerna,non lectus non menſa,neque aliquid huiuſmodi, quod faciat ad miniſterium corporis. Solum autem erat ei parum panis,quod præbebatur ab aliquo ex vicinis: algori vero & æſtui, & omnibus iniuriis aëris erat expoſitus,& cum eis contendebat.Quoniam autem oportebat ipſum quoque,cum eſſet homo, oſtendi eſſe obnoxium naturæ infirmitatibus,quid ſit,& quomodo res illius diſpenſantur, & qualibus ſæpe ſolet Dei ſapientia vti occaſionibus,alia per alia contexens & varians,facileque & magno artificio diſpenſans? In imo ventre accipit ſenſum doloris, & eius renum ſoluuntur vires,vt qui fuiſſet ſuperatus à nimiis frigoribus.

Viuit ſolitarie.

Eius paupertas abſtinentia & patientia.

COMPVLSVS ergo ab hac neceſſitate,vel potius deductus ab eo,quo ducebatur,ſpiritu,vt eſſet multis cauſa ſa- XXIV
lutis,ad eccleſiam præter ſpem venit eius luminare:& cùm omnibus quidem,præcipue autem magno Meletio,fuiſſet cauſa magnæ lætitiæ,& ab eo fuiſſet iucundiſſimè acceptus & recreatus, deinde etiam ab eo accipit ordinem Diaconi. Cum autem in hoc gradu pulcherrimè,& vt Deo gratum erat,totos quinque annos ſe geſſiſſet, tam eius orationibus, quas propter ſummam ingenij copiam habebat ex tempore, quam ijsquas per ocium componebat, & meditatione maiori elaborabat aurea lingua,imbris inſtar effundens,pulchrè rigabat faciem eccleſiæ.Cum poſteà autem Meletius veniſſet ad Epiſcoporum ſynodum,quæ congregata fuerat Conſtantinopoli,vt eos quidem deponeret, qui cum Spiritu ſancto pugnabant non in ſpiritu Dei:Gregorium autem illum Theologum in ſede collocaret:& illic quæ ſunt caduca & ad tempus permutâſſet manentibus, hic vere aureus, ſimul quidem vitans omnem excellentiam & bonum amplectens ſilentij & quietis,reuertitur in primum monaſterium. Sed cum illinc rurſus receſſiſſet: reuertitur Antiochiam,non migrans temere,nec ſine Dei numine,vt alius duce vtens ſua ratione. ſed Deum eum mouente & vocante, modo quodam diuiniore & præſtantiori ratione.Magno enim Flauiano, qui Meletio paulo ante in ſede ſucceſſerat,Deo in aurora canenti ſacros hymnos, apparens angelus in monaſterium, in quo erat Iohannes, iuſſit ire quàm citiſſimè & eum ducere ad Eccleſiam & conſecrare ſacerdotem,futurum ei vas electionis quomodo Paulus,& verbo comprehenſurum vniuerſum orbem terræ.Eadem autem hora ad Iohannem quoque venit ſimilis viſio. Nam illi quoque oranti adſtans angelus cum magna gloria & ſplendore,iubet aperte Flauianum ſequi ad Eccleſiam,& accipere ordinem Presbyteratus. Ille autem cum non ignoraſſet quidem viſionem eſſe diuinam, reuereretur autem alioqui & dubitaret facere,quod ei fuerat imperatum,propter moderationem, dicitur vocem audiuiſſe diuiniorem: Quæ Deus ſtatuit,quis poterit vitare?Cum ſic reſponſum accepiſſet beatus,& ſimul intellexiſſet eſſe grati & prudentis famuli,non repugnare Domini voluntati,acceſſit monachos:& cum eis dixiſſet ſe eſſe abſceſſurum,affert eis dolorem,qui non poteſt verbis exprimi:Poſtquam autem eos verbis ſatis eſt conſolatus, deinde de eo quoque, quod erat illis vtile futurum,ſolicitus,electis duobus ex omnibus,qui erant & vita & ſermone reliquorum omnium præſtantiſſimi,fratrum curam eis committit.

Fit diaconus anno 381.vt notat Bar

Synodus Conſtantinopolitana

Actor 9.

Angelica viſio.

INTERIM autem,dum fierent,accedens Flauianus,cum maxima voluptate beatum allocutus: Diu quidem, in- XXV.
quit deſideraui te conuenire,ô vir ſapientiſſime & in primis venerande:non licuit autem vſque in hodiernum diem, cum vacarem curis eccleſiaſticis.Nunc vero cum Deo ita viſum ſit,ad te venimus chariſſimam animam.Deinde cum ei etiam diuinam aperuiſſet viſionem,quoniam ſtatuerat magnus ohannes ſicut diximus,Dei nutui omnino non repugnare,& maxime cum diuina viſio per vtrumque fuiſſet confirmata,rogat illum ipſum Pontificem, vt illo ipſo die ſacrum peragat myſterium,vt ſint omnes participes ſanctificatorum,& ij,qui fratrum curam ſuſceperunt,conſequantur illius benedictionem. Poſt hæc autem,inquit,quo Deo viſum eſt, ſequar ipſe quoque prompto & alacri animo. Facta ſunt hæc,& cùm ſequenti die eſſet abiturus ſimul cum Pontifice,fit res lachrymabilis piis animis, ſi vel ſolum audiatur.Eum circumſiſtens vniuerſus chorus monachorum perinde ac ſi eô,quod ille ſimul cum eis eſſet, viuerent, & diuiſione ſimul quoque eſſent eis auferendæ animæ,quid ad mouendam miſericordiam non dicebant & faciebãt? Quam non vel ſummam edebant lamentationem ? Eum demulcebant,amplectebantur, ſe membris illius implicabant.Deſipere eos faciebat animi perturbatio:exiſtimabant ſe,cum liceret,vel ipſa eſſe corpora coniuncturos,reditu ſibi interdicebant,fugiebant monaſterium,tanquam fieri non poſſet, vt amplius ſuis adſpiceretur oculis.Cum autem ſecante oratione partim quidem magni Iohannis,partim autem Pontificis admonentis, & aliquando etiam acerbius increpantis,ſunt ab eo auulſi,alij quidem inuiti redierunt,crebro ad eum ſe ipſorum conuertentibus oculis,& pedum iter interrumpentibus,quod diuiſio eſſet inuoluntaria:alij cum magno Iohanne iter ingreſſi ſunt, recta contendentes ad eccleſiam.Omnes autem vndique confluebant & currebant,vt ei fierent obuiam.Non minus ad ipſum Antiochia, Luc.3. quam prius ad Baptiſtam in Iordanem Iſrael.

Eius abitu mire cruciantur monachi.

a Presbyter ordinatur anno 386. vt notat Bar. vtrum vero à Flauiano vel ab Euagrio Paulini ſucceſſore,diſcrepant auctores. vide Bar.tom 4. annal ad an.386.

CVM autem eum ordinaturi eſſent,[a] vt Deus iuſſerat,& dies adeſſet præſtitutus,aderat quidem omnis cœtus fi- XXVI.
delium,& ſimul etiam aderat vniuerſus Chorus Pontificum. Cum ad aram verò ſacram acceſſiſſent,& ipſe quidem, vt fas exigit,caput Pontifici ſubmiſiſſet : ipſi autem eius manus fuiſſent impoſitæ, miraculum quoddam hic quoque facit Deus,& oſtendit eum qui initiabatur,eſſe dignum,& ex ſua ſententia illum dignatum fuiſſe ſacerdotio. Columba enim & colore alba,& ſpecie valde pulchra,templum ſuperius conuolans, ilico deſcendit & inſidet capitieius,qui ordinabatur. Superuacaneum eſſet omnino immorari in interpretandis iis, quæ ſunt manifeſta. Cui enim non eſt manifeſtum,hoc eſſe ſignum ſancti ſpiritus ? Cum itaque copioſe ad eum affluxiſſet ſpiritus ſapientiæ, licebat quidem videre frequentiores congregationes,& populum ad eum audiendum conuenientem : eius autem linguam,quæ mouebatur aſſiduè,& orationis fluento inundabat.Quo tempore cum ſermonem extolleret altius,quã vt id vulgi ingenium caperet,mulier quædã,quæ prompto quidẽ & alacri animo concurrerat,eorum autẽ,quæ dicebãtur altitu-

altitudinem assequi non poterat, nè dubitauit quidem eius orationē apertè reprehendere, & eam vocare infrugiferā, propterea quod non adepta esset id, quod desiderabat. Hoc cùm ad aures illius peruenisset, efficit vt intellectu faciliorem & apertiorem componeret orationem. Tunc autem quidam ex ijs, qui tenebantur amore eloquentiæ, valdè delectati melle illius linguæ, considerantes illius orationes esse & vtiles & veras, sensisq; diuinis plenas, clarasq; & apertas, & cum quanta gratia & quanto dicendi flumine, quantoq; artificio & quàm pulchra compositione proferrentur, alij quidem eum os Dei & CHRISTI: alij autem, quod magis inualuit, eum Chrysostomum vocabant, id est os aureum.

XXVII. POST hæc Flauianus quidem, arbitrans fore, vt eum post se haberet Antistitem Ecclesiæ Antiochenæ, eum ad hoc inducebat, & rerum curam ei volebat tradere. Cùm autem turba solicitudinum, & in eiusmodi rebus distrahi animum, ei minimè esset gratum, id quidem lubenter repulit: soli verò doctrinæ & infirmorum visitationi vacandum esse censuit. Quo quidem factum est, vt Christi, quod omnia potest, nomine, ab infirmitate multos liberauit. Eum enim rursus insignem voluit reddere spiritus. Satiùs autem fuerit iterùm paucorum meminisse, sicut sum pollicitus. Illustri cuidam mulieri Antiochiæ nomen erat Euclia. Ei vero erat dilectus filius, qui ardenti febre laborabat, & veniebat in mortis periculum. Quid igitur? Mater imitatur Chananæam, & non minùs quàm filius, suis inflammata visceribus, accedit ad beatū, emittens voces illi similes: & nō similiter vt illa in filia, sed in filio miserabiliter rogans vt cōsequeretur misericordiam. Sed oportet animum attendere & considerare, quemadmodùm egregio illi viro erat animus animas etiam curare, illasq; multo magis, quoniam vt malè paterentur corpora, has inueniebat causas. Et hoc quidem iam euasit manifestum per ea, quæ præcesserunt: à nobis autem rursus quoq; ostendetur. Videntur enim pueri parentes fuisse in vita agenda socordes & negligentes. Cùm enim concitatè & insanè admodùm ferretur mulier ad supplicandum, (habebat enim maximam lamentandi occasionem, vt quæ post quatuor filios iam mortuos, ipsum quoq; visura esset mori) ille cùm spiritu in eo habitante vidisset ea, quæ latebant, & cognouisset, quod peccata parentum filiis mortem conciliauerant, cùm ea publicè accusâsset. Hunc quoq;, inquit, quintum, nisi eorum, quæ fecistis, vos subierit pœnitentia, videbitis euestigiò mortuum & exanimem. Cum autem parentes his auditis veram & sinceram promisissent pœnitentiam, & quæ facilè moueri poterat, animam incitâsset ad misericordiam, ille misertus calamitatis, aquam iubet adferri. Quam cum ter quidem signâsset in nomine sanctæ Trinitatis, & ter ea adspersisset illum, qui ægrotabat, sanum & à morbo liberum reddidit ei, quæ genuerat. Atq; ij quidem, vt qui vellent referre gratias ei qui curauerat, magna vi auri sanctum donabant. Cùm autem dixisset, se ne minimum quidem velle accipere eorum, quæ dabantur, dicens se nolle DEI donum pecunijs venale proponere: Sed si, inquit illis, vobis curæ sit, manifestum reddere quòd DEO verè agitis gratias pro curatione, ostendite esse veram promissionem, & relicta omni improbitate, bona opera exercete. Sic ei, qui vestri est misertus, referetis gratiam. Sed quidem hoc est huiusmodi. Quod autem nunc est dicendum, nihilo est eo minus & ad animæ vtilitatem, & ostendendam gratiam, quæ in magno Iohanne habitabat.

Multos curat ægrotos

Matth. 15.

Aqua ter signata aspergit febricitantem puerum, & eum sanat.

XXIIX. QVI illo tempore erat Præses ciuitatis, laborabat morbo dogmatum Marcionis, & fauebat illius sectatoribus: & ideò parti orthodoxæ erat causa malorum innumerabilium. Huius vxorem is, qui arcanè & benignè hæc variat, dimisit laborare morbo torminis intestinorū. Illa autem à malo superata, omnem quidem refellit medicinæ artem: omnes verò, qui eadem sentiebant, vocantes ad orationem, non eam meliùs affecerunt, imò verò deteriùs, mali tempus ei producentes vana spe curationis. Vix tandem autem Iohannis gratiæ recordati, cùm hoc apud se statuissent, quòd si per ipsum fieret à morbo liberatio, simul etiam desisterent à morbo dogmatis, qui est longè grauior. Cùm sic sibi persuasissent, in lecto decumbentem adferunt mulierem, & eam statuunt pro foribus templi, desiderantes inuenire Flauianum & beatum vultum Iohannis. Sancti ergò ad eos egrediuntur. Neq; enim par esse neq; honestum censebant, vt eis templum pateret quorum anima non patebat dogmatibus pietatis. Primus autem eis dixit verus ille homo Dei, beata, inquam, illa & suauis lingua: Quid vos mouit, vt statueritis venire ad templum Christianorum, qui Christum quidem aduersamini: Marcionem autem plurimi facitis, & habetis in magno honore? Quod quidem planè satis ostendit, quod illius cultores conuocaueritis ad morbi aut alicuius molestiæ liberationem, & quod cùm illi precati essent, non assecuti sitis curationem: quod quidem vobis accidit præter expectationem. Discedite ergò ab hoc sacro templo, quoniam nec vos poteritis omninò Christum tentare: ne hoc stultè putetis. Illi autem dicebant se parentum errore esse captos, & vsq; in hodiernum diem fuisse superatos à mala consuetudine. Sed per Christum, aiebant, vos rogamus, miseremini pœnitentium. Sic enim cum eo, quod corpus rectè afficietis, efficietis etiam, vt sana sit anima. Sciatis enim fore, vt nos nequaquàm ampliùs abstineamus à communione vestra, quæ est ex vera pietate.

Etiam olim hæretici ab ingressu Ecclesiarum repellebantur.

XXIX. HIS flexus magnus Iohannes, iussit aquam adferri: cui cùm diuinum signaculum iniecisset Pontifex, (sic enim illic ei persuasit) mulieri infudit in Christi nomine. Quod quidem cùm factum esset, quæ in lecto decumbebat, statim surrexit sana, & cum marito & ciuibus vna voce vnanimes Christum magnificabant. Deindè etiam ad sanctorum genua procidentes, petierunt veniam prioris ignorantiæ, & domum rediêrunt: & cùm multas quidem pecunias egenis distribuissent, triginta verò libras auri, partim quidem ad sumptum peregrinorum, partim autem ægrotorum, partim verò egentium Xenodochio tradidissent, & ab illo tempore à Marcionistarum communione omninò abstinuissent, insaniam & amentiam res illorum vocantes, Christi sacrosanctæ assidebant Ecclesiæ. Cum autem illi omni adhibito studio, & omni, vt dicitur, rudente moto, nihil omninò perfeciissent, & desperâssent fieri posse, vt ipsi ad eos redirent, præstigiatorem & Magum Iohannem appellabant, & pluribus aliis contumeliis ciuitatem obeuntes, eum afficiebant. Ille verò tantum abfuit, vt vel minimum curaret contumelias, vt eis potius similiter atq; Dominus gloriaretur. Alioqui autem diuinitus immissam calamitatem ad eos mox esse venturam ille prædixit. Paucis enim pòst diebus, cùm magnus terræmotus fuisset Antiochiæ, ipsa domus, quæ Marcionistarum susceperat congregationem, corruens, & domus quoq; plurimæ cum iis, qui eadem sentiebant, labefactatæ, perdiderunt quandam incredibilē eorum multitudinem, & quod est maximè admirabile, & quod apertè ostendebat eam diuinitus immissam fuisse calamitatē, cum tanta perijsset multitudo eorum, qui malè sentiebant, nullus ex ijs, qui rectè sentiebant, simul cum ijs perijt.

Aqua ab Episcopo crucis signo signata, sanat intestinorum dolorem.

Nota rem memorabilem.

XXX. HOC cum ita factum esset, & pios corroborauit, & correxit multos ex ijs, qui malè sentiebant: & licebat videre in vniuersa regione ciuitatis, domos quidem oratorias Deo excitari, templa autem simulacrorum, si quod remanserat, dirui funditus & in terram dejci: viros autem, qui philosophiæ curam gerebant & virtutis, magnaq; ornati erant intelligentia & acumine ingenij, à magni huius viri prouidentia emitti ad multorum salutem. Certum aūt eius, quod dicimus, testimonium sunt ea, quæ facta sunt in monte Ammano: vbi eos qui habitabant, qui erant impij & immansueti, & nihil differebant à bestiarum immanitate, ille ad tantam mansuetudinem deduxit & pietatem, vt à patribus quidem datam neglexerint religionem, rem valdè difficilem, & quæ, si vlla res alia, multos vincit absq; ratione: promptō autem & alacri animo transfugerint ad lucem veritatis: & nec hactenus stiterint, sed etiam multi ex iis pietate vsi munificentius, viri, inquam, & mulieres, illi quidem monachorum, hæ virginum iugum subierint. Qui autem in Casio monte & in templo, quod illic erat, gentilium ab illo viro facta sunt, quis est adeò inuidus aut negligens aut deses, vt id sustineat prætermittere? Quo in loco cum tantus error prius esset diffusus, & multitudo quidē assiduè veniret innumera-

Impij multi resipiscūt

Eius gesta præclara in conuertendis ethnicis

numerabilis, fieret autem immensum animalium sacrificium propter cultum, proh dolor, dæmonum, perierunt illa omnia & extincta sunt zelo illius magnæ & quæ à Deo mouebatur animæ. Neq; hæc sunt digna, quæ mandentur silentio, quæ facta sunt in fastigio ciuitatis, in templo Veneris: & quòd non solùm studuerit, vt id dirueretur: sed etiam vt in eo loco viri sancti habitarent, terribiles ijs, qui eò subibant, dæmonibus: adeò vt illi quidem procùl expulsi fuerint, tanquàm armis quibusdam terribilibus intentatis, eorum virorum precibus: homines autèm, qui circumcircà habitabant, non solùm à læsione illorum liberarentur, sed etiam maximam acciperent vtilitatem, cùm possent versari cum monachis, qui perfecti erant in Dei timore. Illius mentis & studij etiam est opus, quæ fuit in arce Beli, qui dicitur, profani templi destructio, & ad solum vsq; domilitio. Potest etiam quæ circa Seleuciam habitatur regio, gloriari præclaris factis illius viri. Nam & simulacrorum templa illic dituta, & diuinas ædes extructas, & viros virtutis studiosos illic ad habitandum collocatos inuenies. Quis enim zelum singulatim enunciauerit illius apostolicæ & solicitæ animæ?

Nectarius præsul obit anno 397. Consulibus Cæsario & Attico, 5. Kal Octob. vt ex Socra. lib. 6. c. 2. notat Bar.

XXXI. Nè ergò in immensum nobis crescat oratio, reliquis omnibus prætermissis, quæ rectè gesta sunt in hoc presbyteratu, ea procedet ad tempus Episcopatûs. Non multum enim interceßit temporis, & Nectarius quidem præsul Cõstantinopolis, migrat ad Dominũ. Protinus autem quærebatur quispiam, qui esset dignus ea sede. Cùm alij ergo aliis, vt fieri solet in eiusmodi rebus, primas partes tribuerent: (Fit enim in ijs maxima ex parte examinatio, non ex virtute eorum, qui adscisCuntur, sed ex eorum, qui sunt potentes, in eos beneuolentia, quæ vel est pura ac syncera, vel accessit muneribus) oporteret autem sanctum Spiritum vincere, & eum præfici, qui ad hoc ipsum erat ab eo prædestinatus, & superari omnes ab Iohannis virtute & eloquentia, & ei primum locum cedere in Ecclesia: & alioqui eius fama plenæ essent omnes aures, adeò vt etiam bona illius auditione accepisset Imperator: is verò erat Arcadius. Cùm hæc ita se haberent, tandèm cùm & qui Ecclesiam regebant, & qui rempublicam administrabant, cum Imperatore in vnam conuenissent sententiam, mittuntur literæ ad Flauianum Pontificem Antiochiæ: quæ simul quidem & Nectarij mortem ei significabant: & aureum Iohannem, quod terram & mare continet miraculum, atq; adeò ipsum etiam cœlum tangit, ad ipsum accersebant. Pontificem autem, cùm in manus sumpsisset epistolam, & eam perlegisset, aiunt tradidisse Iohanni: eum verò, cùm legisset, multum quidem ingemuisse propter ea, quæ scripta fuerant: & multas etiam lachrymas emisisse ex oculis propter contritionem spiritûs, dicentem se esse indignum, & qui longè abesset, vt tanta rectionis cura debeat ei committi. Nam paruæ naui, aiebat, non est tutum magnum onus imponere. Cùm sic diceret, eum consolabatur Flauianus, & aptè erigebat, verbis, pro medicamentis, spargens eius animi ægritudinem. Ciuitas autem postquam sensit hoc damnum, (damnum enim non ferendum iudicabat vnusquisq; Iohannis priuationem) id ægrè & intoleranter ferebant. Deindè etiam tanquam violentum aliquid tyrannicum passuri, & aliis cessuri ea, quæ ad ipsos pertinebant, clamabant aduersus eum qui misit: Quid verò adeóne est infælix Constantinopolis, iactantes, adeóne expers virorum bonorum? Ad tantam ne virtutis inopiam venit vrbs maximè regia? Estne adeò inops in ijs, quæ sunt principalia, quam oportebat in omnibus superare, vt à nobis opus habeat eo, qui sit illorum præfuturus Ecclesiæ? Sed nos nec tam stulti, nec tam negligentes, nec tantoperè erimus proditores, vt eis nostro bono tam facilè cedamus. Caput priùs nobis auferent, quam illum à volentibus nobis sint accepturi. Hæc dicentes, deindè etiam suum consilium confirmant iureiurando, non permittere ijs, qui missi fuerant: sed esse potiùs paratos ad patiendum, si quid essent facturi.

Nectarij morte, & Iohannis creatione, vide Nicep. cap. 2. lib. 13 Theod. lib. 5. c. 26. Soz. lib 8. c. 2 3. Socr. l. 6. c 2 Bar. an. 397.

Antiocheni nolunt illũ à se dimittere.

XXXII. Cvm itaq; Episcopus habuisset concionem, & verba fecisset apta ad persuadendum, vt efficeret, nè populus contradiceret, illis ea erant inanis strepitus, & vana aurium molestia. Quid enim dicendo posset persuadere, cùm eos lingua esset priuaturus: lingua, quæ tam pulchrè quidem canebat, & cuius cantus erat adeò vtilis & salutaris? Quam non audire, damnum est non mediocre, sed vel ad ipsam vsq; peruadens animam. Deindè cùm qui missi fuerant, parerent vim adferre & trahere Iohannem, ipse ingressus, emissis ijs, qui erant præcipui ciuitatis, rogabat plebem, ne quid noui moliretur, neq; res aggrederetur nimis acriter & inconsiderate, affirmans se non sua sponte se traditurum ijs, qui missi fuerant. Cùm sic dixisset, vix magnum repressit eorum impetum. Neq; enim se cura omninò liberârunt: sed etiam per vices custodiam adhibebant, nè aliqua in eum fieret proditio. Hæc Imperatori significantur literis, & qui missi fuerant, affirmabant Antiochenorum constantiam se nihil remittere. Ei ergo & ciuibus vehementius accensus fuit amor in Iohannem. Solet enim negligi, quod facilè capitur. Quod autem aliquam moram adfert & dilationem, prouocat desiderium. Cùm ergo apud se considerâsset, quemadmodum posset & id quod desiderabat assequi, nec ideò res esset in vllum ventura periculum, scribit per arcana ad comitem Antiochiæ. Ipse autem cùm Iohannem accersiuisset extra ciuitatem, tanquam de quibusdam rebus necessariis cum eo communicaturus, eum licet valdè reluctantem & repugnantem mulis, quos habebat paratos, imposuit, & sic nullo omninò animum aduertente, ipsum ijs qui missi fuerant, traditum emittit.

Callidè extra Antiochiam euocatur.

XXXIII. Cvm ergo ille verus homo Dei, toto illo confecto itinere, iam esset propè vrbem regiam, hoc primùm honore afficitur in ingressu voluntate Imperatoris: Quidquid erat clarum & illustre, non solùm in Ecclesia, sed etiam ex magistratibus, sex milliaria progressum extra ciuitatem, ridentibus oculis & læto vultu significantes animæ lætitiam, ei fiunt obuiàm, & eum splendidissimis afficiunt honoribus. Sic & ijs, à quibus discessit, ardens immisit desiderium illa desiderabilis & maximi facienda anima: & ijs, ad quos accessit, maximam attulit voluptatem. Erant autem vtraq; multiplicis Dei sapientiæ & benignitatis, quæ omnem intelligentiam vincit & orationem: vt & illius ostenderet virtutem, & quàm sit amabilis: & efficeret, vt ipse vtrisq; mercedem conciliaret. Ambos enim honesti amore teneri fuit cognitum: illos quidem, quod cum dolore dimiserint: hos autem, quod cum lætitia exceperint. Cùm verò esset ingressus, & interceßisset paruum spatium temporis, aderat dies consecrationis: & cùm adessent quidem Episcopi prouinciæ, adesset autem etiam [a] Theophilus Alexandriæ, qui primus ex alijs festinauit, vt interesset beati Iohannis consecrationi: & esset quidem Februarij dies vicesimus sextus: liceret autem conijcere, quod cum simul lætaretur chorus sanctorum, nè angeli quidem abessent ab hoc diuino festo, qui erat in terra angelus, sacro chrismate consecratur, & in excelso loco Ecclesiæ collocatur, qui erat reuerà stella lucidissima, & iucundiori luce hominum illustrabat animas: qui & habebat vitam orationi conuenientem, & orationem, quæ decebat talem vitæ puritatem: cui persuadere non minus erat facile, quàm cuiuis alij solummodo dicere. Cuius vox quidem erat lenis, lenis autem congressio: oratio verò, quę adeo placidè & iucundè fluebat in animã, & tam benignè eam attingebat, vt nullum esset eiusmodi medicamentum corporis, quod cum iuuaret plurimùm, nihil adferret in vtendo molestiæ: quomodo illa absq; vllo morsu maximam adferebat vtilitatem. Deindè die sequenti ipse Imperator, & quicunq; erant in ciuitate honorati & aliis superiores, ad beatum virum accedentes, (hoc enim omnino volebant) eius preces & benedictionem iucundissimè sunt consecuti. Deindè ille, iniecta oratione sic dixit: Cùm [b] is laudabilis, qui priùs me inuasisset metus, & essem summus imitator Iesu humilitatis, terribilis mihi visa est, ô Imperator, terribilis, & maior quàm vt meæ vires ferre possent, insignis dignitas huius pontificatûs: quod me etiam reddebat timidum cunctantem ad eius susceptionem: quod & ad meam intuerer abiectionem, & ad magnitudinem eius, quod meæ fidei committebatur: Quo est enim dignitas sublimior,

Anno 398. Metropolitanus adstãtibus Episcopis suæ prouinciæ cõsecratur.

[a] Theophil. Alexand. Episc. nõ volentem, sed coactũ Io. Chrysost. designasse Episcop. ex Socrat. li. 6. c. 2. & Sozo. lib. 8 cap. 2. memorat, Baron. to. 5 Annal ad anno 397.

[b] Oratio eius ad Imperatorem.

limior, eo magis opus habet ijs, qui sunt excelsi viribus, & qui confidere possunt in ministerio. Cùm autem nos etsi indignos & abiectos, ijs quibus scit rationibus, is cuius iudicia sunt abyssus multa, ad hanc deduxit speculam, & ratione prædíti sui gregis Pastorem constituit, rogo ô Imperator, per eam spem, quam omnes habemus (neq; enim mihi tutum fuerit deinceps silere, neq; quod meum est solùm spectando, mercenarium esse, & non pastorem) rogo ergo, vt principaliter quidem vos Dei verbis aurem præbentes attentam, super fundamentum fidei, aurum & argentum & lapides pretiosos, bonas, inquam, actiones, ædificetis. Si qui autem præoccupati fuerunt, aut quod abest, sint præoccupandi humanis delictis, ea sunt pœnitentia & studio expurganda. Ad eam sit nobis pulchrum exemplum magnus ille Dauid. Qui cũ in peccatũ vt homo incidisset, & ab homine fuisset reprehensus, nõ vt homo solũmodò neq; similiter ac vulgus se gessit gratissima illa anima, neq; contumelia reprehensionem pauperis rex repulit: sed magna moderatione & animi contritione ipsam tulit reprehensionem, & cùm se peccâsse non esset inficiatus citiùs quàm fecerat, consecutus fuit remissionem. Atqui labi quidem est facilè: surgere autem, & in statum priorem restitui, est operosum ac difficile. Adeò erat mitis, adeò moderatus: tam magnum fructum fuit consecutus ex diuina humilitate. Et nos ergò, qui ineffabilibus Dei rationibus ideò ad vos venimus, vt voluntatem eius testificemur, hoc primum verbum à Christo & diuino eius præcursore accipientes, vobis annunciamus & suademus: Pœnitentiam agite: propè est enim Regnum cœlorum. Hæc autem non dubitabo vobis assiduè reuocare in memoriam: vobis autem timendum est, ne, si fueritis contemptores Dei testimoniorum, ab eo rei deprehendamini in die visitationis. Nihil enim nostrum, neq; ex nostro ventre seu cogitatione annunciabimus, sed quæ hausimus ex diuino fluente scripturæ diuinitùs inspiratæ. Hæc autem, neminem reuerentes, neq; dies, vt hoc dicam diuini Dauidis, timentes, ad vos loquemur. Si vos ergo intelligatis, & aures attentas verbo doctrinæ præbeatis, vobis quidem ipsis salutis, gaudij verò, qui sunt in cœlis, magnæ autem meo quoq; spiritui causæ eritis lætitiæ. Sin autem mea verba neglexeritis, & doctrinæ non patuerint aures cordis vestri, quod absit, molestia quidem afficietur Spiritus sanctus, molestia afficietur meus quoq; spiritus. Quod autem restat, auditu quidem est molestum, sed tamen est verum, nempè me quidem futurum vobis ad conturbationem, aut, vt apertius dicam, ad condemnationem: vos verò mihi, proh dolor, ad luctum & animæ dolorem ineffabilem & immedicabilem.

Psalm 31.

2. Reg. 11. & 12. Exemplum pœnitentiæ Dauidis.

Matth 3.

Psalm 48. Vide sancti viri constantiam.

XXXV. His lætati Imperator, & qui cum eo erant, & testimonio conscientiæ credentes, quòd quæ dicta fuerant, rectè se habebant, Deo magnas agebant gratias, quòd à tali patre & pastore ei placuisset pasci suum gregem rationis participem. Sancto autem adhuc suauissimam contexente doctrinam, aureaq; ac musica lingua canente pulchrè ac modulate, Deo volente ipsum glorificare, vir quidam repentè possessus à maligno spiritu, se ipsum intrudit in mediam Ecclesiam, spumam ore emittens, & linguã adeò, vt visu esset tetrum, demittens. Omnibus ergo rogantibus sanctam illam animam, vt misereretur calamitatis, & vt oraret pro curatione eius, qui patiebatur, ipse cum eum iussisset propiùs accedere, & benignè appropinquans vir benignus, manu eum obsignâsset, & effatus esset nomen sanctæ Trinitatis, malignum dæmonem iubet egredi. Protinùs autem licuit videre, factum consequi orationem, & hominem momento temporis fuisse liberatum à tam graui afflictione. Deindè cùm magnus eum fecisset surgere, admonuit vt vacaret Ecclesiæ, & sanctificatorum diuinæ communioni, & operam daret ieiunijs & orationibus. Si enim, inquit, sic feceris, non te ampliùs capere poterit inimicus, neq; eius irretiéris laqueis. Hinc animæ incipit curationem, qui hac arte alios longè antecellebat. Melle autem miscens orationem, & mitioribus medicamentis, vt iam antè diximus, si quid aliquando iniecisset amari & pungentis, quod morbi vsus ita postularet, tunc ostendebat quantum esset artis peritus. Nam sic sæpè mordens & incidens oratio, & vrens ea, quæ non apparent, non modo non fit molesta ei, qui ægrotat, sed etiam auditu potius iucunda & suauis, auresq; deliniens & demulcens.

Signo sanctæ crucis & inuocationc sanctæ Trinitatis dæmoniacum curat.

XXXVI Primvm ergo aduersus eos, qui prætextu cognationis mulieres introducebant, acutam & musicam mouet linguam: & ostendit eos longè grauius peccare, quàm eos, qui apertè exercent, quæ sunt flagitiosa: quandoquidem illi quidem soli & per se sunt impudici, & suam corrumpunt animam: hi autem, qui in clero versantur, totum corpus corrumpunt Ecclesiæ, verberantes, vt dicit Paulus, eorum conscientiam, & se præbentes commune monimentum intemperantiæ. Sed vel absq; his, quantum illi damnum afferant cohabitatione harum, quæ introducuntur, mulierum, rectè sciet, qui eam orationem legerit vt oportet. Deindè aduersus iniustam plura habendi cupiditatẽ, & eos qui grauem manum immittunt alienis, & effundunt in dolia, vt dicitur, inexplebilia, grauius inuehitur: planè maiorem curam gerens eorum, qui faciunt iniuriam, quàm eorum, qui patiuntur: quandoquidem illis quidem damnum affertur in aliquo eorum, quæ intereunt: ipsis autem, qui faciunt iniuriam, in anima, quæ est punienda immortaliter. Deinceps vitam reprehendit prodigorum, qui in mensis, in ædificijs, in tali fastu, & in talibus delicijs gloriantur, & vt vulgo dicitur, seipsos melle adspergunt. Nunc accusat superbiam, nunc vanam gloriam insectatur: nunc expellit calumniam, tanquàm dignam quæ vituperetur. Vaniloquium rursus tollit de medio pro viribus. Periurium adeò prohibet, vt nec solùm iurare, etiamsi verè, dimiserit absq; reprehensione: sed etiam aduersus id multas easq; præclaras habuerit orationes, ita elaboratas, vt mixtæ essent vero & probabili: & ita studuerit id de medio auferre, tanquam manifestam in Deum contumeliam, & omnibus ineffabilis & venerandi nominis coinquinationem.

1. Corinth 8.

In homiliis ad populũ Antiochenum sunt aliquot tales

XXXVII Qvomodo enim præstantissimus & diligentissimus quispiam agricola, qui vult de virtute seminare orationes, statuit priùs oportere excindere radices vitij & semina maligni, & nihil dimittere eorum, quæ possent omnino lædere aut offendere. Deindè cùm terra sic fuerit complanata & mansuefacta, quod quidem est humanarum animarum, virtutis & philophiæ deponere semina. Post hæc de eleëmosyna orationes, tanquàm imbres aliquos opportunos effundit in animas hominum: & vsq; adeo colit benignitatem, vt multorum quidem dexteram promptam reddiderit & alacrem ad succurrendum pauperibus, quæ prius erat parca & illiberalis, ne dicam auida & rapiendi aliena: & alios quidem effecerit esse munificos & sua lubenter communicantes, ex pleno, vt dicitur, in inane vtrisq; effundentes manibus: alios autem præferre nihil habere, & cùm omnes suas diuitias pauperibus magnificè pieq; diuisissent, vitam monasticam & separatã eligere. Ex quo omnia habere alio modo ad eos redijt, vt qui Deo pro omnibus ijs ditati fuerint, à quo dependebat tota spes eorum vitæ, & ad quem solùm dilexerunt intueri: ex quo factum est, vt cor diuitijs non apponerent, neq; omnibus rebus materialibus. Humilitatem autem & moderationem adeò extulit, & tantam eius esse ostendit in humili excellentiam, vt nulla alia virtus possit cum ea conferri: sed ea sit mater & custos aliarum omnium: immò verò sine qua aliæ nihil habent, quod sit certum & fide dignum: sed sint, proh dolor, vanus quidam labor & inanis. Temperantiam aũt & verè pulchram virginitatem quis sic vel amauit, vel alios, qui sunt honestiores, magniq; & excelsi animi, ad eius insignem incitauit pulchritudinem: vt eam propemodum ostenderit esse maiorẽ & sublimiorem, q̃ vt ad eam possit humana natura peruenire, & superare ipsam legem: liberalitatisq; & magnificentiæ potiùs locum tenere, quàm præcepti? Charitatem verò, quæ est oĩm virtutum maximè regia, quis illo magis amauit aut laudauit: vt dubitetur maior ne fuerit laudatio, an eius in eam amor? Quis est n. adeo planè lapis aut ferro in corde frigidior, vt audiens eius de illa orationes, non fiat mitis & hilaris, & ad dilectionem proximi excitetur, & non Pauli expressam effigiem putet esse illius animam? Quòd si Paulus optauit, vt vel à bonis, quæ illic sunt, exciderer: & apertè

Humilitatis præstantia.

Item virginitatis.

Rom. 9. 2. Corinth. 12.

apertè ostendit,se hoc magis velle, quàm eos, qui sunt ex Israel, esse extra partem Christi: & ei cor omninò vrebatur aliorum offensionibus: ipse quoq; Iohannes nihilo minus inflammabatur amore in proximum, & fratrum salutis ardebat desiderio, si illi ipsi est credendum: in morali 24. in Actus Homilia sic dicenti.

Eximia eius charitas erga sibi commissos.

XXX-VIII.

VELLEM, si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis iucundius & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas conuertere. Adeò ipsa luce mihi est vestra salus iucundior. Quid enim me iuuant solares radij, quando, quæ propter vos accipitur, animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc est bona, quando apparet in lætitia. Animam enim, quæ mœrore est affecta, videtur etiam molestia afficere. Quòd autem non mentiar, absit quidem, vt vnquam faciam periculum. Sed si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, accedite ad me dormientem. Si non sum similis paralyticis: si non ijs, qui à se discesserunt: & vt dicam cum propheta, Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: & nisi iudicaret quispiam, me esse supra modum ambitiosum & laudis cupidum, videres me quotidiè fontes lachrymarum emittentem: horum autem est mihi conscia domuncula & solitudo. Credite enim mihi, spem quidē abieci meæ salutis: dum verò vestra defleo, nunquam est mihi ocium mea mala deflendi. Adeò mihi omnia vos estis. Si sensero vos proficere, præ gaudio mea mala non sentio. Si videro non proficere, præ animi ægritudine rursus mea dimitto: vt qui lætus sim vestris bonis, etsi mala habeam innumerabilia: tristis autem propter vestra mala, etiamsi innumerabilia sint mihi rectè facta. Quænam enim nobis est spes, si vos non proficiatis? Quænam autem tristitia, si vos rectè geratis? In altum extolli videor, quando aliquid boni de vobis audiuero. Implete gaudium meum: liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem: Vobis dari salutem, me verò accusari, quòd meum munus non impleuerim. Non enim curo, vt per me salui sitis: sed vt solùm salui sitis, quacunq; ratione. Hoc solùm in votum contuli, quòd vestrum profectum desidero, quòd vos amo, quòd vos complector, quòd vos estis mihi omnia, & pater, & mater, & fratres, & filij: & si liceret cor nostrum rumpere, & vobis omnibus ostendere, videretis in magna latitudine intus esse & vxores & filios & maritos. Eiusmodi enim est virtus charitatis, facitq; animam vel cœlo ipso latiorem.

Psalm. 37.

En Pauli egregium imitatorem.

XXXIX.

HÆc autem non solùm faciebat in vrbe regia, neq; eos solos exercebat ad virtutem: sed per omnem terram extendebatur, & illi curæ erant omnes Ecclesiæ, eiusq; curæ vnus finis erant terræ termini. Ioanni enim curæ non erant mensæ & epulæ, agrosq; possidere, & crumenas replere, & si quid est aliud, quorum studio vulgus tenetur: sed hoc erat ei cura, quæ extingui non poterat, & ossium tinea œstrumq;, quod eius cor subibat, perpetuum eius bellum aduersus hostem nostrum, & vt suis ad nos orationibus, & frequentibus admonitionibus arceret eius insidias, & insultus prohiberet, & quantum quidem ad ipsum spectaret, nullum sineret ex vocatis, non ex ijs, qui tunc erant, non ex iis, qui postea, excidere à sorte electorum, & esse partis sinistræ. Propter hæc sermones perpetuo habebat & docebat, & nunquam cessabat diserta illa & modulata lingua nostras incantare animas. Propterea sunt pulchræ illæ verborum Sirenes, innumerabilium illud mare bonorum, animarum lautissimæ, quæ consumi minimè possunt, epulæ, panis angelorum, mensæ totius orbis. Quòd si ij, qui alimentorum sensilium curam gesserunt, quæ possunt longo tempore sufficere egentibus, quæ appellare solent Gerontocomia, ipsi existimant se opus fecisse laude dignum, & ita reputantur ab alijs: qui hoc diuturnū & permanens nutrimentum, suauissimas, inquam, orationes, assiduè suppeditabat, vt non solùm cùm esset superstes, sed etiam cùm sursum esset trāslatus, sitientes impleret animas, & ineuitabilia per ipsos solueret vincula, & à manu tyranni captiuas liberaret animas, & ijs, qui salui fiebant magnam adferret accessionem: qui hæc abundè præbebat & liberaliter & in vniuersum tempus hoc donum extendebat, quamnam potuerit assequi linguam, quæ ei dignam contexat laudationem? Imò vero quasnam & quot linguas? Sed tali quidem anima & lingua ne ipse quidem est dignus mundus, vt dicam cum diuino Paulo.

Cura eius perpetua.

Hebr. 11.

XL.

QVOD autem non ij soli, qui habitabant Constantinopolim, illi essent curæ, sed omnes ferè, quos sol intuetur, hinc potes intelligere. Cùm intellexisset Phœniciam simulacris adhuc & dæmonibus & sceleratis templis esse deditam, regiam manum habens adiutricem, & magnam aliam manum, cui persuaserat, vt in id quod oportebat impenderent, secum ducens, execranda quidem illa templa humi euertit: eorum autem loco sacras ædes excitat, & immittit monachos, qui feruentem zelum quodammodo spirabant, & fidem tenebant optimè & accuratissimè. Præterea cùm audijsset Celtas implicatos esse laqueis Arrianismi, ille aduersus improbitatem contrà sic machinatur: Presbyteros simul & diaconos, & eos, qui diuinos libros legunt, qui similem quidem & cognatam habebant linguam, sana autem erant fide, accipiens, & eos veluti quendam, vt aiunt, magnetem ijs, qui se non rectè habebant, admiscens, sicillos quoq; comiter attrahit ad pietatem. Cùm autem aliud quoq; genus Scytharum, qui habitabant ad fluenta Danubij, accepisset, sitire quidem fluentum pietatis, opus verò habere eo, qui esset potaturus, hæc significat Leontio Ancyræ Episcopo: & quoniam ille opus habebat viris ad hæc idoneis, cùm tales illinc accepisset, & ad eos, quos diximus, Scythas, veluti quasdam stellas misisset ad occidentales, deducit ad veritatem. Præter hæc cùm Marcionis hæresim rescinisset serpere in quosdam vicos Orientis, & multos corrumpere, non tulit toleranter, neq; dilationibus & temporibus protraxit correctionem: sed statim simul quidem regia potentia, simul autem sua quoq; vsus authoritate, & literis ad hoc simul vicinos excitans Episcopos, tanquam morbum aliquem pestiferum, qui poterat non mediocre importare detrimentum, efficit abesse procul ab Ecclesia. Sed quemadmodum ille quidem, sicut diuinus Paulus, erat solicitus de omnibus Ecclesijs, sicut à nobis mediocriter, ita etiam verè fuit ostensum. Oportet autem aliorum quoq; meminisse, in quibus ille, lingua eius tacente, erat occupatus, & quænam aggrediebatur opera.

Apud Phœnices euertit templa gentilium.

Celtas Arrianizantes conuertit.

Item Scythas.

2. Corint. 11

XLI.

CVM considerasset impensas Ecclesiæ, & inuenisset earum plurimas nequaquam consumi in ea, quæ oportebat, eum quidem sistit sumptum, tanquam modum quempiam inconsideratum, & traducit ad vsum verè pium & humanum: & cùm peregrinis ædificâsset nosocomia is, qui Deo appropinquabat, effecit vt illuc etiam affluerent, quæ sunt necessaria: eis Presbyteros præficiens valdè pios & coniugij expertes, & medicos quoq; probatissimos ad curam gerendam ægrotorum. Erat autem hoc quoq; eius opus & cura non mediocris, nempè ordo viduarum. Nam cùm eas vidisset præclarus non rectè & ordine, sed prauè se gerere, pulchrè quidem diuidit, non minùs autem piè dispensat & administrat id, quod ad eas pertinebat. Quæcunq; enim ex ijs erant ætate iuuenes, & ideò propensæ ad voluptates, iubet secundis vti nuptiis: melius esse arbitratus id, quod est in tuto, humile, quàm sublime, quod non est sine metu. Ijs autem, quæ erant vitæ melioris, & ætatis aliis prouectioris, vt quæ non essent natæ minùs quàm sexaginta annos, eis suadet vt vacent ieiunijs & precibus: abstineant autem à lauacris & maximè conuiuijs, & à sumptuosis vestibus. Habes studiosè auditor aliud quoq;, cuius studio tenebatur, quod non est vile nec mediocre: nempè ad sacram synaxim aduentum virorum & mulierum. Nam nec hoc quoq; relinquit inordinatum, nec in periculum adductum, nec defectum dispensatione, quæ fit ex ratione. Sed hîc quoq; pulchrè & tutò distribuit pro viribus: & viros quidem iubet noctù simul ventitare & in multitudine, vt voluerint: mulieres verò noctu quidem seruare domum: interdiù autem, venire prompto & alacri animo. Sic faciens, & in talibus versans operibus & solicitudinibus, studebat, sicut Paulus esse omnibus sine offensione, & sicut ille omnibus sine sumptu præbebat Euangelium: sic autem ipse quoq; nullo ex ijs quæ erant Ecclesiæ, & quibus securè licebat omnibus Episcopis, nullo modo est vsus, vt qui nunquam adspexerit ad deli-

Hinc constat Orientalis Ecclesiæ Presbyteros fuisse cælibes.

1. Cor. 10.
1. Corinth. 9.

ad delicias & recreationes. Quomodo enim, qui vix solum attingebat nutrimentum, conuiuia autem & compotationes ita fugiebat, sicut priùs diximus, vt cum nullo vesci induceret in animum? Quamobrem? Satius enim fuerit dicere causam: visum est enim hoc multis asperum & ingratum, & affine reprehensioni.

XLII. PRIMVM quidem, quod cùm ab ineunte ætate assueuisset ieiunio, idque esset ei veluti coalitum & vsitatum, à vinoque & quouis alio, quod est ventri gratum, omnino abstinuisset, adeò vt solo hordei succo viueret, & carne superior, cibique & potus expers propemodum videretur: cùm ille stomachum hac aspera & quæ nihil hilare habebat, viuendi ratione valdè corrupisset, & effecisset vt ad nullum aliud sumendum nutrimentum esset idoneus, ægrè poterat aliquid admittere ex ijs, quæ aliis sunt grata. Et ideò non lubenter adspiciebat aliquid, quod esset gratum gutturi & cum voluptate sumeretur. Atque hæc quidem est vna causa, cur fugeret mensas, & cum alijs non iniret conuiuia. Deindè etiam, quod cùm apud se iudicâsset, quod si induxisset in animum, vt communiter vesceretur cum ijs, qui vel amicitia antecellunt aut dignitate, necesse habebit id etiam facere cum alijs. Nam quomodo conseruari potuerit, vt nulli sit offensioni, neque cuiqam adferat molestiam? Sicque res ad multos transiens, non solùm illi futura esset laboriosa & molesta, vt qui non esset versatus in rebus huiusmodi: sed etiam interruptura esset necessario & ea, quibus ipse vacare consueuerat, orationem, inquam, & meditationem & rerum honestarum doctrinam: quibus adeò erat deditus, vt hoc sæpè paruum negligeret nutrimentum: tantùm aberat, vt posset vacare mensis & aliis inutilibus & superuacaneis. Quamobrem satis aptè poterat dicere illud Apostolicum: Non licet nobis, relicto verbo DEI ministrare mensis. Alioqui autem si visum ei esset hoc facere, necesse erat omninò, vt duorum alterum eueniret: nempè vt aut consueto alimento relicto, cogeretur vesci crassioribus & ijs, quibus vescebantur conuiuæ: quod quidem non modo ei non conueniebat, sed nec omninò id facere poterat, cùm malè, vt diximus, esset ei affectus stomachus: aut si hoc fugeret, & tenui victu vteretur, ijs qui conuiuabantur, grauis videretur & molestus: & quid aliud existimaretur, quàm hoc facere superbiæ causa & vanæ gloriæ? Sed de his quidem satis: oratio autem deinceps reliqua ordine persequatur.

Cur conuiuia vitârit.

Orationi & doctrinæ quam fuerit deditus.

Actor. 6.

XLIII. MAXIMVM ergò in hoc ponebat studium, vt assiduè versaretur in oratione & meditatione, & rerum honestarum doctrina & DEI laudatione. Sed neque communes negligebat congregationes, & ea, quæ tempus habent constitutum, vtpotè nocturnam, & matutinam, & quæ fit vesperè, glorificationem. Quinetiam contendebat Iohannes noctu procedens alios præuenire, & templi portas primum aperire. Hæc autem cuiusmodi? Erat enim egregius Iohannes acutissimus, non solùm ad intelligendas scripturas, quæ à vulgo non possunt comprehendi, & ad dicti conijciendam germanè sententiam ingeniosissimus: & vt dicit Salomon, ad cognoscenda dicta sapientum & ænigmata: sed etiam ad id, quod intellexerat, facilè interpretandum & illustrandum, & vt dicitur, ad id vel cœco apertè ostendendum, eorum, qui fuerunt ex omni sæculo, facundissimus & maximè idoneus. Eius quidem erat magnus amor in omnes, qui cum eo, quod pij fuerunt ex DEO, etiam vitam egérunt: Prophetas, inquam, & Apostolos, & quibus oratio per spiritum promanauit: in eorum certè libris versabatur assiduè, & in eorum verbis maximam capiebat voluptatem. Simile enim, vt aiunt, simili delectatur. Paulo autem præconi totus adhærescebat, & ineffabili quodam desiderio ei erat coniunctus, & viuebat illius sermonibus. Nam apertè multis in locis verborum eius meminit, idque magnas ducit esse delicias & internæ flammæ consolationem. Propter quam causam ille quoque similiter atque ij qui amant insanè, & sunt valdè inflammati, fatetur se ab eo esse superatum, & non posse ab eo diuelli: & alicubi quidem in ipso impetu orationis, cùm ille ei venisset in mentem, captus fuit veluti à quibusdam vinculis, & plurimùm cum eo morari magnifacit, & non facilè potest ab eo discedere. Tam magnus & tam ineffabilis fuit eius amor in Paulum, vt qui sic dicit, verè dicat, hoc Iohanni esse Paulum, quod Paulo fuit CHRISTVS: immò verò Iohanni quoque fuit CHRISTVS, sicut Paulo. Nam tantus quoque illius propter CHRISTVM fuit amor in Paulum.

Eius præclara studia & exercitia.

Prouerb. 1.

Paulo plurimum delectatur.

XLIV. CVM eius autem Epistolas legeret hic magnus Iohannes, & in earum conuenienti meditatione magnum studium poneret, quinetiam quoad eius fieri posset, qualis esset animus Pauli, scire cuperet: eum subijt desiderium earum explicandi intelligentiam, & efficiendi, vt perueniri posset ad eius profundum, quod à multis nondùm rectè cognoscebatur. Rem itaque aggressus, & illas ad verbum interpretans, apud se quodammodò dubitabat & differebat. Id autem ex eo oriebatur, quòd illum valdè diligeret, & ei vellet omnino placere. Id verò, de quo dubitabat, erat, num Paulo gratus esset eius labor: an recte assequeretur mentem eius, quem diligebat, & num longe à veritate abesset & à scopo. Hoc cùm in mente versaret & dubitaret, & DEVM valde rogaret, vt id, de quo dubitabat, ei notum fieret, non diù abfuit solutio. Modus autem qualis? Est enim reuerà DEO dignus & illius sapientia. Sed est attendendum. Habet enim varium quiddam & admirabile. Vir quidam, qui magistratum gesserat & erat mundi splendore insignis, inuido oculo conspectus & per calumniam delatus ad Imperatorem, (ô acerbam inuidiam & inimici improbitatem) à regia simul & honore expellitur. Cùm autem vidisset se magna laborare inopia eius, qui esset opem laturus, intelligens se esse infælicem & dominum habere aduersum, & se ideò nemini curæ futurum, quoniam amicos nihil esse dicit tragœdia, si sit infœlix quispiam, præterquàm beatæ illi animæ, & quæ huiusmodi casuum moueri solet misericordia: & nulli alij similiter atque illi, libere loqui apud Imperatorem, neque largiri mores, nec ipsam dignitatem: petit per aliquem intermedium, venire in beati conspectum. Quod cùm resciuisset, noctu permisit vt veniret, vtpote quod interdiù non futurum esset tutum alloqui. Iussit autem DEI cultori Proclo, qui erat ad hoc constitutus, vt cum venisset, ad eum facilem illi præbeat aditum. Sed enim rursus est attendendum, adferet enim oratio voluptatem simul cum admiratione.

Exponit Apostoli epistolas.

Vide de hac historia Damascenum de Imag orat. 1. Leonē Augusti. & cæteros.

XLV. CVM ille venisset & esset portas ingressus, vadit Proclus annunciatum. Cùm autem iam accessisset, ad cubiculum, in quo labori magnus vacabat Iohannes, & attentus erat interpretationi, ostio statim admouens oculos, & vt licebat per foramen adspiciens, videt Iohannem, qui pergebat quidem scribere, & in eo erat diligenter occaptus, virum autem quendam, capite caluum, qualis est Elisæi effigies, cui densa quidem erat promissa barba, super humeros sensim cum beato congredi, & cum illo loqui in aurem. Hæc cum vidisset Proclus, existimabat aliquem, se non sentiente, esse ingressum, & ipsum esse, qui cum sancto loquebatur. Cùm iraque illi significasset id quod fuerat suspicatus, rogabat vt exspectaret. Cum autem multum interceßisset temporis, & is, cuius præstolabatur exitum, nondum adesset, rursus vadit

S. Paulus ad est illi eius epistolas interpretanti.

vadit Proclus,cum vrgente homine, vt si vidisset cessare colloquium,statim annunciaret. Cùm verò ille rursus per foramen adspiciens, vidisset esse attentam & seriam collocutionem, importunum & impudens esse arbitratus interpellare orationem, reuertens dubitabat quisnam esset qui loquebatur, & quonam modo esset ingressus, cum non fuisset ei priùs annunciatum. Cùm autem parum substitisset, vadit rursus, & cum rursus vidisset tam diligentem & tam seriam collocutionem,lignum verò iam pulsatum vocaret ad congregationem,accedens ad hominem,dixit eum decætero non posse ipsum conuenire vsq; ad finem matutinæ glorificationis: & protinus eum emittit,iubens eum redire postridiè. Venit itaq; homo ille,& Proclus statim vadit nihil cunctatus, & eadem rursus vidit, nihil cessante illa collocutione. Propterea ergò non ausus illum adhuc admonere,reuertitur,tristis tristi verò apparens,& qui hoc nomine meritò esset accusandus,quòd homini, qui in mala talia inciderat, & tam graue tempus erat perpessus, non se benignum præbuisset, neq; quam poterat opem ferre, ei tulisset: sed alijs potius ad magnum Iohannem præbens aditum, dilationibus eum sic protelaret. Proclo autem affirmante, nihil esse huiusmodi: sed se non sentiente nec sciente hoc accidisse,cùm iam magna pars noctis esset transacta, nequaquam autem minueretur illa collocutio,lignũ rursus pulsatum, plenum dolore & animi ægritudine amandat hominem, non tamen ita,vt futuri reditûs spem abijceret. Proclo verò admirari quidem, vt par erat, veniebat in mentem: sed neminem habebat, quem reprehenderet: sed de se potius querebatur, vt qui sua negligentia hoc putaret accidere. Quamobrem apud se omnino constituit, non cibum sumere,non somno ne minimum quidem cedere,neq; à foribus omninò discedere,donec vel ipse primus homini daret aditum: aut saltem sciret, quisnam is sit,qui præcedentibus diebus clanculum fuit ingressus.

Obserua rẽ admiratione dignam.

CVM autem arrectis oculis & auribus staret pro foribus,& totum animum adhiberet,hæc quidem erat nox ter- XLVII.
tia,& homo iam aderat. Statim ergò Proclus ei factus obuiam: Esto, inquit, bono animo: ego enim modò tibi fui custos diligens neq; vllus hucusq; ad magnum ingressus fuit: sed tibi primo & soli ad eum erit ingrediendum, & eum per ocium conuenies, quantum voles. Hoc cum dixisset, accedit quamprimum, & cum foramini oculum admouisset,& vidisset similia prioribus: illum quidem os admouentem alteri ex auribus,& tanquam arcanum quodpiam ei communicantem & submurmurantem: hunc autem chartam habentem in manibus, & qui videbatur scriptis mandare ea,quæ dictabantur, intellexit Proclus non sine Dei numine hanc fieri visionem: neq; humanum quidpiam esse,quod apparebat, sed rem diuinam & quæ sit supra hominem. Conuersus ergò,homini dixit: Abi,& mane apud te, Deum rogans. Consentaneum enim est eum nolle,vt tu ingrediaris,& te ideò prohiberi. Hoc enim pro certo habeas,nullius omninò ex ijs, qui sunt corporati, sed diuiniorem quandam & quæ est supra nos, esse sermonicationem.Habet enim rursus se similiter,sicut duæ præcedentes noctes iam mihi ostenderunt. Et ille quidem sic abijt,graui dolore oppressus,& plenus dubitatione. Cùm autem iam esset dies,(neq; enim siuit ille bonus conturbatum animum sic manere absq; consolatione) recordatus sanctus,iubet accersiri Proclum,&,Vbi est ille,inquit,qui tribus ante diebus ad nos cupiebat accedere? Quod quidem à nobis haud grauatè impetrauit. Ille autem, Ter, inquit, tribus deinceps noctibus accessit, & permansit vsq; ad matutinum. Sed quoniam alius tecum loquebatur, existimauimus futurum esse nimiæ arrogantiæ,si accedentes interrumperemus tuam collocutionem. Is autem admiratus, Et quis,

S.Pauli imaginem semper sibi propositam habet.

inquit,noctù ad nos accesserit, & quis nos conuenerit? Deindè Proclus, Est quidem,inquit,omninò mihi ignotus: qui autem te alloquebatur,inquit,erat huic similis: ostendens Pauli imaginem, quæ perpetuò stabat ante Iohannem, & quam solebat assiduè intueri: qui etiam videbatur tibi sedenti & scriptioni incumbenti sensim in humeros inclinare,& tecùm loqui in aurem. Vt autem ego opinor,erat ille ipse re vera. Cognouit itaq; magnus Iohannes se à Deo fuisse exauditum de ijs,quæ cupiebat scire,an Paulo grata esset Epistolarum expositio:& ideò ostendisse illum ipsum Paulum, qui cum eo versabatur, & ei tanquam discipulo opem ferebat in oratione: imò verò, qui nihil ampliùs adferebat, nisi quod ijs, quæ dicebantur, solùm seruientem porrigebat dexteram.

CVM sic sibi persuasisset Iohannes, iussit quidem Proclum parùm recedere. Ille autem inclusus,procidit in ge- XLIII.
nua,& lachrymis plenos habens oculos,Deo magnas egit gratias,quod soluisset ea,quæ erãt dubia.Deindè iussit Proclo,nè eum negligeret,qui petiërat vt eum conueniret: sed iuberet,vt nocte sequenti accederet. Dicit enim nihil tale ampliùs ab eo visum iri.Is autem vocatus accessit, & rogauit de ijs,quæ erant proposita. Deindè Iohannes nihil differens, (Quomodò enim, qui in talibus erat igni ardore similis?) Imperatori quidem de eo significat: & ille quidem statim cessit: hic autem fuit reuocatus, & priorem honorem rursus fuit assecutus. Aureus verò Iohannes prompto & alacri animo repletus ex eo,quod illam diuinam accepisset visionem,& tanquàm discipulus in magistro haberet fiduciam, cum quæ restabant sacratum illius Epistolarum, ad finem deduxisset & explicâsset, dat Ecclesiæ diuitias, quæ nunquàm consumuntur.

Restituit hominem calamitosum in pristinum gradum.

HÆc ergo insignis & clara stella Ecclesiæ, & doctor accuratus,virturis accensus zelo pro Ecclesia,& arguens sa- XLIII.
cerdotes, qui iniquè se gerebant: quin etiam eos, qui non admittebant correctionem, à sacris arcens vestibulis, & non solis verbis castigans, sed etiam canonibus Ecclesiasticis in tempore puniens improbitatem, visus est aliquando grauis,qui erat valdè mitis & clemens. Quid enim si mel quoq; mordet vulnera,in quibus inest vlcus? Visus est autem ijs,qui erant omninò immedicabiles, & quorum curatio erat omninò desperata. Nam quis aut curandarum animarum peritior, aut in medicamentis,quæ pertinent ad curationem, nempè in oratione & in modis administrationis ac dispensationis, mitior ac benignior, sicut etiam iam anteà ostendimus? Cæterum quamdiù circa solùm quidem clerum consistebat reprehensio,& erat intra Ecclesiam, quæ videbatur, grauitas, non erat nimius dolor,nec in eum erat odium agreste & furiosum, sed remissum & tolerabile,nec procedebat extra labra concepta molestia. Cum autem in multos quoq;,qui gerebant magistratus,processisset reprehensio, (Oportebat enim propter splendorem personarũ, & quod & se & alios posset valdè lædere, vt non esset remissa improbitas, tanquàm impetus aquæ facilè fluentis, & quæ fertur per plana,eam eius verbis tanquàm propugnaculis interrumpi: nè si esset absq; vllo metu & liberè se iactaret,fusè per omnia procederet,& multos induceret ad æmulationem propter libertatẽ eorum, quæ perpetrabantur.) Cum sic faceret, & studeret, vt ij vitam suam corrigerent, quæ malè & nequiter se habebat: partim quidem rapina & auaritia, partim autem alijs quoq; affectionibus & vitijs maximis, non erat amplius tolerabilis: sed lingua acerbus & mordax, & planè non ferendus non sua natura, (quomodo enim,qui vel melle erat dulcior?) sed ex morbo & malignitate eorũ, qui reprehẽdebantur.Porro aũt quædam etiam causa opem tulit ijs,qui temere volebant ei esse inimici.

Veritas odium ei parit.

EVTROPIVS enim, qui tunc præerat cubiculo Imperatoris, volens suo arbitratu iram exercere in quosdam,qui L.
eum quidem offenderant, ad Ecclesiam autem confugerant, pro lege habet suam animi perturbationem: & Imperatori persuadet,vt legem ferat,non licere vlli reo confugere ad Ecclesiam: aut si confugiant, licere eos securè expellere.Hæc ille studens statuere, ignorabat se gladium in se ipsum acuere,& legem ferre de venia ei non danda,& portum claudere, quo ipse magis opus erat habiturus, quàm alij. Diuina enim iustitia,& si magna ex parte soleat differre, sequens leges benignitatis, & quod quærat pœnitentiam: at in hoc quidem certè rectè faciens, eum inuasit euestigio. Etenim ille non multo interiecto tempore cùm offendisset Imperatorem, solam Ecclesiam,quam affecerat iniuria, agnouit auxilium, & [a] ad eam cõfugiens, & tanquam sacram ancoram apprehendens, ab ea quærebat salutem, quam ipse stultè seruare prohibuerat. Quis ergo sanæ mentis & sciens benignitatis tempus & iustitiæ, eum iudicauerit dignum

[a] Eutropiũ ad Ecclesiã paulopòst paschatis di

gnum misericordia, qui, vt dicitur captus erat suis pennis, & bos ex se præbebat flagellum? Nec ergò ille magnus homo Dei, qui & sciebat misericordiam tribuere vbi oportet, & sustinere quando oportet, & differre commiserationē. Sciebat enim eo apertè spectare illud diuini Esaiæ: In stateris & mensuris sitam esse apud Deum iustitiam. Esa. 28.

es an. 399. confugisse, memorat Bar tom 5. annal.

L. Cvm is ergò iacéret ad aram, & timore propè esset moriturus, hic vir diuinus zelo motus pro Ecclesia, quàm omninò videbat fuisse affectam contumelia ab illius legibus, ad id vocante occasione, cōscendens suggestum, vt esset omnibus manifestus, eum opportunè arguit, & iussit præclaræ suæ legis facere periculum. Cur autem hoc faciebat vir sapientissimus? Simul quidem, vt extolleret Dei iustitiam & leges prouidentiæ, & audacium hominum frangeret arrogantiam, & vt illum in tempore admoneret quantum hominibus bonum sit clementia. Hæc non bonis ratiocinatoribus, & qui eius spiritum non nouerant, videbantur extra tempus cecidisse: & importunus, proh dolor, existimabatur, qui erat mitissimus: & accusabatur fœuitiæ, qui erat omnium humanissimus. Id autem erat omninò humanitas, & pro ea zelus vel opportunissimus, vt cognoscerent, qui erant omninò duri & crudeli animo, se homines, vel ab humana victi infirmitate: & cùm in fratrum delictis ignorârint benignitatem, eam discerent in suis: & cùm dedidicissent, quidquid est humanum & immisericors, & benigni & misericordes fierent per pœnitentiam. Sic ergò paulatim in nonnullorum animis non rectè in eum versabatur odium. Sed de hac re quidem & de exilio, quod omnem superat iniustitiam, expectate paululùm. Nunc autem, quæ id præcesserunt, & quæ nec sunt quidem prætermittenda, mandet auribus oratio.

Zelum eius quidam ministrè interpretantur.

LI. Sanctvm virum eo tempore res quædam afficiebat molestia, & igne zeli implebat eius animam. Etenim permissum erat Arrianis intra ciuitatem habere conciliabulum: quod quidem fuerat multis causa, vt eodem, quo ipsi, laborarent morbo malæ opinionis. Opportunum itaq; tempus nactus, quando Imperator venit ad sacrum, festo eum ad id vocante: (erat autem dies Epiphaniorum) Dic mihi, inquit, ô Imperator, Si quis huic pulchræ & pretiosæ (ostendens coronam, quam habebat in capite) quosdam abiectos & obscuros lapides inseruisset, videretur nè tibi hoc esse tolerandum, & non tanquàm vniuersa per illos afficeretur contumelia, ægrè tulisses? Cùm is autem veritati sermonis annuisset, Quid verò, inquit, non existimas vniuersorum regem irasci, si in pia ciuitate, & quæ omninò rectè se habet, pars, quæ malè sentit, sinatur habitare, cùm oporteat vel ab ipsis exigere, vt conuertantur: vel si perseuerent, protinùs expellere? Hæc cùm audijsset Imperator, non distulit, nec est cunctatus: sed primos eorum statim accersijt, & ex eis scire voluit, an in animum inducerent à fugienda desistere opinione, minatus exilium & bonorum suorum priuationem ijs, qui non parérent. Cùm autem vidisset eos esse immedicabiles, minas deduxit ad effectum, & iussit eos expelli è ciuitate. Hoc effecit, vt multi errorem dediscentes, se rectæ adiungerent opinioni, quòd nollent corporis sustinere afflictionem, animæ vitium eijcientes: & quòd laboriosum fugerent exilium, se improbi potiùs dogmatis laudabili exilio condemnantes, & vtraq; rectè fugientes. Quicunq; autem fuerunt omninò incurabiles, ij perpetuo damnati exilio, versabantur extra regiam ciuitatem, suæ animæ morbo se oblectantes, & eum deponere, non autem habere miserabiliter erubescentes.

Festus dies Epiphaniorum

Hæc contigisse autumat Bar. post exortā inter Orthodoxos & Arrianos controuersiam

Arriani nō sinuntur de gere Constā tinopoli

LII. Deinde cùm tempus aliquod effluxisset ab ijs, qui intra aulam Imperatoris eadem sentiebant, latenter congregati, sic eis paulatim aperta dicendi libertate, ausi sunt illi in quibusdam diebus insignibus, in quibus solent cœtus conuenire, ipsi quoq; ingredi ciuitatem & cogi in porticibus, & liberè quædam antiphona ipsi canere cantica, composita conuenienter eorum opinioni: & quod quæuis pia auris abhorruerit, paulatim processerunt eo impudentiæ, vt etiam Orthodoxis psallentibus exprobrarent homousion, & id execrandi in cantico ponerent: Vbi sunt, dicentes, qui tria vnam defendunt esse virtutem? Hæc cum audijsset ille magnus, eum pietatis zelus magis incendit. verebatur enim nè malum, sic rursus loquendi libertatem assecutum, esset alijs causa exitij. Machinatur itaq; virtus contra vitium, & cùm ipse antiphona composuisset cantica, & dedisset populis canenda in matutino, effecit vt sic euanescerent inanes voces hæreticorum. Quid deindè consequitur? Fuit accensa hæreticis inuidia & ira agrestis, ex qua lis orta est: ex ea autem pugnæ, & præter eas plagæ: deindè insidiæ, & postremò cædes ex vtrisq;, adeò vt vnus quoq; ex Eunuchis Imperatricis, nomine Bryson, fauens cantoribus Orthodoxis, in fronte fuerit percussus lapide. Quod quidem cùm peruenisset ad aures Imperatoris, vetuit hæreticis, nè ampliùs hymnos publicè facerent. Satiùs autem fuerit de antiphonis quoq; canticis dicere, quisnam fuerit author eorum inuentionis. Dicunt enim diuinum & martyrem Ignatium hoc tradidisse primùm Antiochenis, non domi suæ & à se inuentum, sed diuiniori quadam visione, vt ille cum Deo magnam habebat familiaritatem, acceptum: vt qui viderit angelos sic inter se contrà psallentes, & hymnum offerentes adorandæ Trinitati.

Vide Nicep c. 8. l 13. Soc l 6 c. 8 Soz. l. 8 c. 8. Bar. an. 400.

Antiphonarum vsus antiquissimus.

Arrianorū impudētia.

LIII. Porro autem ex ijs, quæ de Iohanne traduntur, hoc minimè est prætermittendum. Dicitur enim & multorum sermone celebratur, quòd cùm diuinum panem consecrans extolleret, totus à Deo afflatus, (Quid autem horum est incredibile in tam sancta anima?) quibusdam signis videbat Dei spiritum ad dona proposita descendere. Cùm autem vnus ex ministris, qui ei assistebant, in quandam mulierem ex ijs, quæ desuper solebant despicere, (ô tuam omnia peruadentem, ô maligne, improbitatem) oculum coniecisset, & eam curiosè adspiceret, sic quidem magno Iohanni fuit depulsa visio sancti Spiritus. Ille autem non ignorauit, sed ministrum quidem statim mouit è sua statione: ipse verò consueta visione nè sic quidem est frustratus. Deindè futuri quoq; curam gerens, iussit velis superiora muniri tabulata. Quomodo autem iustum fuerit hoc quoq; præterire, quod est quidem vnum ex ijs, quæ de eo dicuntur, piæ verò animæ potest esse valdè gratum, & eam accendere ad hymnum creatoris? Sic autem habet.

Eucharistię eleuatio in Missa.

ὑπέρῳα, superiora tabulata, in quibus sunt mulieres in Ecclesia se paratæ à viris.

LIV. Vir erat quidam illo tempore, qui ipse quoq; idem sentiebat cum Macedonistis, & habebat vxorem, quæ eandem, quam ipse, habebat opinionem. Eum magnus Iohannes sapienter & artificiosè aggressus, sua lingua ceperat & adiunxerat Ecclesiæ fidelium. Deindè ille rursus conabatur persuadere eius vxori, vt eandem teneret sententiam. Mulier autem, vt quæ esset mulier, & attenderet magis falsum, quàm veritatem, dicebat se quidem eadem sentire quæ maritus, & ea, quæ Orthodoxi similiter atq; ille, tenere: cor autem minimè habebat idem loquens, quod lingua: nolens sicut prius cum marito errori, ita veritati postremò communicare. Cum itaq; à quodam ex Pneumatomachis panis partem accepisset, eam quidem latenter credit ancillæ fidei: ad fidelium autem sacrum accedit cum marito, præ se ferens se participem fore sanctificatorū. Deindè cum panem diuinum accepisset, eum quidem rursus latenter tradit ancillæ: eius verò loco accepit eum, quem habuerat ab hæreticis. Postquàm autem eum ori admouit, (ô stupendum miraculum, ô quàm aperta & expressa fuit imago mentis eorum, qui dederant) vidit eum mutatum in naturam lapidis. Atq; ipsa quidem cum enunciâsset id, quod factum fuerat & credidisset, ipsa quoq; fit è numero piorum. Lapis autem reponitur in quadam domo ex ijs, quæ sacra seruant.

Nota miraculum.

LV. Aggreditvr nunc oratio res Gainæ, quemadmodum se habeant, tradere auribus fidelium: qui erat quidem genere Gallus, nihilominus autem mente quoq; barbarus. Cum esset verò Romanis subiectus, & relatus in numerum exercitûs, & deindè paulatim progrediens, maiores gradus esset assecutus, postremò creatur etiam Dux exercitûs Romanorum, tam equestrium, inquam, copiarum quàm pedèstrium. Is cum acriter defenderet opinionem Arrianorum, ausus est ab Imperatore petere vnum templum ijs, qui erant eiusdem cuius ipse opinionis, ex ijs templis, quæ erant in ciuitate. Arcadius ergò protinus, (ille enim tunc tenebat sceptra Imperij Romanorum) Dei homine accersito,

Theodoret. Scytham fuisse ait.

Gainas Arrianus petit templū pro suis.

cersito, rogabat vt petitio eius exaudiretur, eius virtutem illi reuocans in memoriam, & tacitè significans tyrannidem, quam ipsum videbat affectare: vt sic, aiebat, barbari mansuescat animus. Et sic quidem Imperator. Ille autem lingua planè aureus, statim ostendit se etiam habere aures, quæ linguæ nihil cederent, & quæ possent iudicare, quibusnam orationibus parére oporteat, & quibus non. Statim ergo renuit, diuini metùs non oblitus & eius, quam habebat, dignitatis: & dicit se non esse permissurum, quodcunq; acciderit. Quomodo enim sustinuerit, qui non & à mente & à pietate procul discesserit, vt qui ingrediuntur rectum tramitem veritatis, & Christum defendunt, esse vnum venerandæ illius Trinitatis, amandentur extra sacra vestibula: ij autem, qui se magnificè iactantem & audacem linguam in eum mouent, ij, inquam (ô profanos pedes) intra domum illius introducantur? Sed si quid eum vereris, ô Imperator, cùm tu mihi eum deduxeris in conspectum, omnem curam depone, ea solùm quæ dicuntur auscultans. Ego enim cum eo differens persuadebo, nè ille velit ea à te petere, quæ non est fas omninò præbere.

Chryſoſt. negat.

LÆTATVS est his auditis Imperator, & die sequenti, cùm simul etiam adesset vir diuinus, accedit quoq; Gainas, LVI.
ipse quidem sicut heri & nudiustertiùs petens ab Imperatore vnam ex sacris domibus: Iohannes autem dixit, non licere Imperatori audere aliquid in rebus Ecclesiasticis, si velit omnino esse pius. Quid verò, non mihi quoq;, inquit barbarus, vna ædes oratoria permittetur ad precandum? Nullum est templum inquit magnus Iohannes, quod non tibi pateat: nec est quisquam te prohibiturus, si velis orare. Sed sum, inquit, alterius sectæ: & ideò volo seorsum cum ea versari in Ecclesia. Non est mea petitio reprehendenda, & quæ non iustam habeat occasionem, cum belli pericula quotidiè adeam, & reipublicæ vtilitatem vitæ meæ præferam. Sed habes, ô optime, inquit sanctus, laborum non minores remunerationes: siquidem es Dux exercitûs, & consularem honorem es assecutus. Satiùs autem fuerit hoc quoq; considerare, quàm anteà quidem esses obscurus & ignobilis, quantus verò sit nunc tuus splendor & quanta gloria: & quanta quidem esset anteà paupertas, quantis autem nunc abundes diuitijs. Hoc te cogitantem, oportet esse beneuolum, & non esse ingratum in imperium, quod te sic honorauit, & non ab eo petere quæ non licet. Cum adhæc nihil haberet Gainas, quod aptè responderet, prætulit silentium: vt qui pulchrè re ipsa didicisset, se in virum incidisse, qui non minùs posset versare linguam, quàm ipse gladium. Admiratus est autem Imperator & qui aderant, quod tam paucis barbaricæ temeritatis refrenata fuisset loquacitas.

Nota quod hic dicit de Imperat,

Gainæ os obstruit.

CVM autem aliquantum effluxisset temporis, Gainas quam iam diù parturiebat tyrannidem, aperte edens in lu- LVII.
cem, in Thracia & Macedonia faciebat incursiones eas populares & prædas ex eis agens. Aduersus quem cùm nemo auderet nec bellum fortiter susscipere, nec apud eum fungi legatione, generosa illa anima & diuino metu armata, neque timens priorem illius cum ipso contentionem, neq; quidquam eorum, quæ solent animum frangere & perterrere, ad eum statuit proficisci: homo in summa quiete educatus, & qui nullum vnquàm tale viderat periculum, nec talem perturbationem. Atq; egreditur quidem valdè alacri animo, ipse legatione functurus pro omnibus. Cùm verò iam accederet, ambularet autem terram intuens, gestu quidem graui & honesto, incessu verò tardo & tranquillo, manifesta virtutis vestigia in vultu significans, Barbarus hoc adspiciens, non ampliùs erat barbarus: sed statim & iram remisit, & placidè adspexit, tumore animi ei quodammodò compresso tam moderato & tranquillo spectaculo. Quinetiam eum quoq; inuasit timor, recordatum illius dicendi libertatis, & qui perterreri minimè potest spiritûs, & verborum quæ vires habent ex veritate, & quæ valdè possunt animum sauciare. Propterea ergò ei processit obuiàm & ad pedes procidit: & assumens eius dexteram, imponebat oculis tanquàm sanctificatu ram. Prætereà autem filios quoq; fecit procidere ante sanctos eius pedes. Deindè cùm verba & valdè suauem audijsset admonitionem, facilè persuadetur: & sublatis inimicitijs, sit Romanis, sicut priùs, fœderatus & amicus. Ita sæpenumerò venerandus vultus, & opportunitas & prudentia orationis, quæ vis belli non potuit, facilè effecerunt, & visa est plus potuisse oratio, quàm gladius. Sed nunc quidem sic victus à virtute & lingua Iohannis, depositis armis, pacem est amplexus.

Suscipit legationẽ ad Gainam.

Gainas placatur.

Prouerb. 11. NON multò post autem illa valdè dulcia & aurea verba, erant, vt cum diuina scriptura dicam, inaures aureæ in LIX.
aure porci, & Æthiops quidem non mutauit pellem, & felis crocoti oblita, persecuta est ea quæ consueuerat: & ipse quoq; priorem complectens improbitatem, rursus cum alijs obibat Thraciam, res nouas moliens: donèc in Romanorum exercitum incidit cum alijs seditiosis: & sic malus ille malè perit. Sed res quidem Gainæ sic se habuerunt: & hæc quidem diximus pauca ex multis, quantum satis fuerit ad significandam eius peruersitatem, & magni illius viri virtutem. Similiter autem pro Ecclesiasticis quoq; regulis studium, & quem pro ipsis habebat zelum, singulatim quidem nemo potest explicare. Sed tamen hoc quoq; paucis, quoad eius fieri potest, conabimur ostendere, tanquàm vniuersam aquam fontis per modicum fluentum. Cùm enim Constantinopoli Asiani Episcopi numero vigintiduo cum hoc magno Pontifice considerent, repentè vno sabbathorum Episcopus quidam Valentinopolis, nomine Eusebius, ex odio ad illum accedens, porrexit libellos Synodo, qui erant aduersus Antoninum, qui tunc Ephesinam sedem administrabat. Deindè etiam maximo Sacramento adigit magnum Christi Pontificem, ea quæ data fuerant, non leuiter & in transitu tractaturum: sed ad examinationem quamprimùm deducturum. Septem autem capitibus comprehensa erat tota accusatio. Sic autem habebat.

Gainæ interitus.

Anno 400.

SACRIS vasis preciosis transmutatis, eorum materia vsum esse ad vasa, quæ eius & filij sui fuerunt nuncupata. LIX.
Marmor rursus accepisse ex aditu baptisterij, & audaci manu & mente in balneo suo deposuisse. Columnas, quæ longo antè tempore intra templum fuerant repositæ, in suo collocâsse triclinio. Suum filium cædis reum, non diuina nec humana reueritum, eum sua nimia authoritate conseruare adhuc immotum in Diaconatu. Prædia, inquit, à Basilina, quæ erat mater Iuliani abominandi Imperatoris, Ecclesiæ consecrata vendidisse, & precium sibi vsurpâsse. Cùm vxori sua sponte priùs renunciâsset, cùm ea rursus coiuisse: & ex ea filios suscepisse. His omnibus malis accedebat hæc coronis, quòd, tanquàm sit licitum & permissum, auro vendat Episcoporum ordinationes, adeò vt maiores fiant, qui plus præbent pecuniæ. Ad hæc homo Dei placidè admodùm & tranquillè: Frater, inquit, Euseb, ijs, quæ propter animi dolorem fiunt, accusationibus maxima ex parte non sunt faciles probationes. Mittamus ergò in scriptis accusare Antoninum, cùm doloris causas possimus curare faciliùs. Cùm is autem repentè verbis vteretur acrioribus, & impudentissimè affirmaret se nulla animi perturbatione motum, sed veritate omnia accusare, dat beatus Iohannes locum iræ, arbitratus inimicitias esse causam accusationis: & cùm Paulum Heracleæ Episcopum (videbatur enim is benè velle Antonino) rogâsset, vt inter vtrunq; pacem conciliaret, surgens ingressus est in templum: tempus enim vocabat celebrandi diuini mysterij. Sed hæc nè minimùm quidem placebant Eusebio, neq; cessabat ab inimicitijs: sed vehementer inuehebatur in Antoninum, & magno in eum ferebatur impetu. Incertum autem, quomodo fuisset in eum motus, & quonam animi motu fuisset incitatus. Itaq; accedens, alterum magno Iohanni tradit libellum, cuius erat eadem cum priori sententia. Prætereà autem rursus quoq; horrendis adigit Sacramentis, ipsam etiam adiungens salutem Imperatorum: non hoc quidem Episcopaliter, sed fortassè ciuiliter, nè id præteriret citra examinationem.

Crimina intentata Antonino Episcopo Ephesino.

Ad ea respondet Chryſoſt.

CVM ergo vidisset illius impetum minimè posse cohiberi, & eam rem ad omnium aures iam peruenisse, alios quidem iubet diuina dona offerre, nõ iudicans esse sanctum, cùm aures incubuerint in talium rerum cogitationẽ, assistere LX.
sancti-

sanctitatis: Ipse autem libello in manus sumpto, egreditur. Deindè tanquàm volens Eusebij impetum reprimere, Nè existimes, inquit, postquàm lecta fuerint ea, quæ sunt in manibus, & tradita auribus omnium, te facilè posse effugere eorum probationem. Neq; enim nos eum, qui potest probare, arcemus: neq; eum, qui non potest, vi trahimus. Cùm ille autem acerrimè instaret & vrgeret, vt statim legeretur, præbuit legendum. Cùm verò omnia visa essent grauia, ij ex Episcopis, qui erant ætate prouectiores, ab eo, quod eis iudicatum fuerat esse deterius, (id autem erat venditio ordinationum) statuerunt esse faciendam examinationem. Sic enim dicebant sibi facilem & breuem futuram esse diiudicationem. Si enim ostensum fuerit hoc esse verum, superuacaneum fuerit alia examinari. Qui enim sancti Spiritûs gratiam non est veritus venalem proponere, is vix preciosis vasis aut lapidibus aut prædijs Ecclesiæ pepercerit. Hæc sancto quoq; visa sunt. Cùm ergo interrogatus is, qui accusabatur, negaret: & qui aurum insimulabantur præbuisse, ipsi quoq; se dedisse inficiarentur, sic mansit & producta est quæstio vsq; ad diem iam inclinantē.

LXI. CVM ergò, quæ mota fuerant, solui aliter non liceret, nisi testes producerentur, quibus præsentibus datum fuit & acceptum, quoniam accusator quidem dicebat esse, sed non adesse, neq; in ea versari regione, intuens beatus ad difficultatem inuentionis, & considerans quàm arduum futurum esset opus, & quàm multorum dierum, productio testium, (ô Apostolicam illam animam, & quæ propter socordiam nihil omittebat eorum, quæ erant necessaria) statuit ipse venire in Asiam, & ea quæ mouebantur, suæ ipsius fidei credidit examinanda: in corpore tā liquefacto & imminentis laboribus cōfecto, tantam afflictionem subire constituens propter negocia ecclesiastica. Antoninus autē cùm animaduertisset non rectè ei cessurū Ioannis in Asiam aduentum, (Sciebat enim, quomodò se ipsum planè esse reum, ita illum posse apertè omnia conuincere) persuadet Imperatori, quodam ex magnis viris adiutore ad hoc vsus, cuius agrorum ipse curam susceperat, vt sistiretur Iohanni exitus, prætextu Gainæ tyrannidis, quæ adhuc conturbabat: propter quam causam necessariam esse eius præsentiam Et sic quidem arcetur beatus ille à suo exeundi proposito: sed nè sic quidem desistit à persecutatione eorum, quæ dicta sunt: sed accito vno ex illis vigintiduobus Asianis Episcopis, qui erant in synodo, & tribus ex ijs, qui erant apud se, Metropolitanis, eos mittit in Asiam, quæsituros de Eusebio, & de eo quem ipse accusabat Antonino: cùm hoc apertè dixisset & in actis posuisset, vt qui nō ad locum præstitutum intra duos menses peruenisset, cum ijs, quæ vterq; habebat ad sua confirmanda, esset excommunicatus.

Statuit, licèt debilis, proficisci in Asiam ob Ecclesiastica negotia.

LXII. CVM ergò qui erant iudicaturi, essent in regione, qui iudicio contendebant, priusquàm venissent in iudicium, cùm inter se dedissent, alter quidem aurum, alter verò iusiurandum, se effecturum vt bono esset animo, dilatione temporis cogitabant iudices fallere. Nam cùm accusatori visum esset tempus producere, & sic eis afferre tædium, maximè cùm eis anni tempus posset satis magnam afferre molestiam, (erat enim æstatis calor vehementissimus) dixit se non posse producere testes intra quadraginta dies. Cùm sic dixisset, ipse quidem productionem testium nihili faciens, venit Constantinopolim. Iudices autem cùm præter quadraginta, alios non pauciores quàm triginta expectâssent, neq; adesset vllus eorum, quos sperabant, sed res esset fraus manifesta: Eusebium quidem, scribentes ad eos, qui vbiq; sunt in Asia Episcopos, denunciant excommunicatum. Ipsi autem post hæc ad sanctum reuerti decreuerunt. Quo in loco cùm in Eusebium incidissent, accusabant quòd pactis conuentis non stetisset. Ille verò causatus corporis valetudinem, adhuc pollicebatur se esse testes producturum: ludens ille in ijs, in quibus non est ludendum, & nec manum reueritus, quam graui affecerat iniuria, & quam habebat conscium eius improbitatis. Sed interim, proh dolor, Antoninus excedit ex hac vita: & sic quidem præsens effugit iudicium, quomodocunq; potuit: futurum autem omnino expectat, & quod non potest circumueniri. Quid post hæc est consecutum?

Deus non irridetur.

LXIII LITERÆ mittuntur ad sanctum, quæ etiam erant preces ex Asia communes, tum omnium Episcoporum, tum etiam Presbyterorum, qui etiam eum rogabant & ei valdè supplicabant, ne eum quidem in scriptis parcentes adiurare, quô suam vehementiorem redderent petitionem, vt ad eos venirent, excogitaturus aliquod remedium eorum Ecclesiis, quæ & ab ijs, qui partes sequuntur Arrij, & ab ijs, qui plura habendi tenentur cupiditate pessimè diuexantur. Dei itaq; homo & pastor bonus, non corporis imbecillitatem, non viæ longitudinem, non hyemis difficultatem, (erat enim tunc eius tēpus) non aliquid aliud repudians ac formidans, violenta illa & acerrima propter Christum anima, sed hæc omnia parua & nihili ducens pro cura Ecclesiarum, nauem conscendens, tribus diebus venit Apameam. Quo in loco Paulus quoq; & * Quirinus & Paladius Episcopi eum expectabant, (eos enim statuerat secum ducere in peregrinationem) cum quibus pedibus sine mora iter conficiens, venit Ephesum. Omnes ergò Lydorum & Phrygum, quinetiam Carum Episcopi, non pauciores quàm septuaginta, & quicunq; ex Asiæ populo erant insignes, læti ocyùs confluebant, vultum illum videre cupientes, in quo florebat magna virtutis gratia, & linguam audire cupientes, quæ pulchrè & suauiter influebat in animas.

Proficiscitur hyeme in Asiam. * *Cyrinus habet Pallad.*

LXIV SIMVL autem aderat etiam ille Eusebius accusator Antonini, rogans vt absolueretur à segregatione, & vt admitteretur deinceps ad communionem. Cùm Episcopi autem contradicerent, dicentes non oportere admittere calumniatorem, ipse dicit se non esse calumniatorem: sed affirmabat se & momento temporis testes esse producturum, & eos qui auro fuerant ordinati. Visum est itaq; synodo, etiamsi è vita excessisset is, qui pecuniam acceperat, satius tamē esse propter eos qui dederant, rem deduci ad examinationem. Productis itaq; actis, quæ iam fuerant composita, sistūtur quidem Episcopi, qui accusabantur: sistuntur autem etiam testes consequenter, quibus notum erat arcanum nefariæ propter pecunias factæ ordinationis. Atq; primùm quidem perfecta negatio eorum, quæ obijciebantur, & quod res esset aperta calumnia, (ita enim dicebant ij, qui accusabantur) quæ nihil habebat sani nec firmi ex veritate. Cum autem probationibus eos testes assiduè impeterent, eis loca & tempora reuocantes in memoriam, & quantitatem eorum, quæ soluta fuerant: quinetiam species eorum, quæ data sunt, referrent: Cum hæc ita essent valida, reueriti illi apertam eorum, quæ dicebantur, veritatem: & deindè ineuitabilem iudicem pulsantem non ferentes conscientiam, persuadentur & fatentur rem verè ita se habere, subiungentes: Existimauimus talem esse consuetudinem, vt liberaremur, aiebant, à curia, cui eramus obnoxij. Nunc autem si vas quidem sit, vt simus ex ministris Ecclesiæ: Sin minùs, aurum saltem, quod soluimus, velitis nobis reddere, Nōnulli enim dicebant id, quod solutum fuerat, esse ex bonis vxorum. Ad hæc magnus ille: Ego, inquit, dabo operam, vt vos à curia liberemini, pro ea re petitione oblata Imperatori, Vobis autem curæ erit omninò, dixit conuersus ad synodum, vt eis conseruentur, ex Antonini scilicet hæredibus, ea quæ ipsi soluerunt. Protinus ergò decretum est, vt aurum quidem illis redderetur: priuarentur autem sacerdotio. Hoc solum eis datum est, vt altare ingressi, participes essent sanctificatorum: nè res longè pessima veniret in consuetudinem, vel sacerdotium, quod DEI donum esse dicimus, esset venale pecunijs, & iudaicè eius fieret caponatio.

Eusebius petit absolui ab excommunicatione.

Simoniacè ordinati, priuantur sacerdotio. 2. *Mach.* 11.

LXV. CVM hæc pluribus diebus canonicè iudicâssent, & scripta in acta retulissent, eorum loco constituunt in Ecclesijs viros verbo & vita ornatos. Non hos autem solum qui erant sex numero, sed alios quoq; totidèm cum magnus ille inuenisset pecunijs inuasisse in Ecclesias, eos Ecclesiastica regula deposuit. Erat enim ille cum in cæteris quidem rebus Ecclesiasticis cautus & diligens, tum in ordinationibus diligentissimus & accuratissimus, & diu producens examinationnem: adeò vt qui coaptabantur, non solum essent puri, sed auaritia quoq; superiores, & semel dicam, nulla affines reprehensioni. Cum autem esset adeò diligens & accuratus, adhuc tamen abundantiorem adhibens cautionem,

1 Tim. 5. nem, muniebat eos, qui ordinabantur, & eis suadebat id, quod rectè dictum est ab Apostolo, vt nemini manus citò imponerent, neq; alienis peccatis communicarent. Et hæc quidem ita se habebant.

Heraclides fit Ephesi Episcopus. * al. Tessare scadecatitæ

LXVI. CVM autem Antoninus, vt diximus, è vita excessisset, in eius sedem magnus ille (ea autem erat Ephesus) ordinat Heraclidem, genere quidem Cyprium, suum autem Diaconum. Deindè cùm multorum quidem vitam sermone expurgâsset, multis verò Nouatianorum Ecclesiis, & eorum, qui dicuntur * Tessarescædecatitæ, persuasisset à priori recedere opinione, & transire ad orthodoxam, & alia fecisset plurima & maximè Apostolica, dignaq; eius mente & lingua, ad vrbium reginam reuertitur ille aureus, eratq; sicut priùs orationum cælesti nutrimento nutriens, & consuetorum operum curam gerens. Ea autem erant, cura viduarum, defensio orphanorum, eorum, qui erant neglecti & iniurijs facilè patebant, auxilium: & quod erat omnium maximum, vitæ deductio ad virtutem & cura animarum, ad quod egregia illa lingua non tanquàm, minutas roris guttas verba emittens, sed totos fontes aptè & numerosè effundens populum incitabat. Verumenimuerò cùm tam pulchrè se haberet Ecclesia, & in magna ageret tranquillitate, grauis irruens procella, magnos ei fluctus excitauit. Nam cùm ille homo Dei & vitiorum animæ medicus artificiosissimus, & alia quidem studeret magnoperè curare: maximè autem pessimum & illiberalissimum, & aliorum omnium ferè vitiorum causam, nempè auaritiam, & in eam quotidiè vehementer inueheretur, non æquo animo tulerunt, qui huic vitio seruiebant, suam & solius plagam eam rem esse vnusquisq; existimans, etiamsi illa non vllam personam priuatim perstringeret, sed communiter & obscurè inferret reprehensionem.

Auaritiam infectatur assiduè.

Eudoxia Imperatrix, ancilla pecuniæ.

LXVII. PRIMA autem ex alijs, & prima ex ijs, qui eius amore tenebantur, Eudoxia, quam ex auditu quidem omnes scitis, cùm esset (ô dedecus) pecuniæ ancilla, Imperatrix. Sed enim re vera magnas ad feriendum vires habet conscientia, cùm etiamsi nullus alius moueat, ipse quidem vnusquisq; per se, non possimus ferre illius plagas. Hæc ergò tam miserè affecta, communes illas reprehensiones, sui esse solius, vt iam diximus, & non alicuius alterius, esse existimabat. Accidit autem aliquid eiusmodi, quod ei materiam præbuit vlciscendi eum, qui reprehendebat. Id verò sic habebat: Erat vir quidam Constantinopoli, nomine Theodoricus, dignitate Patricius, diuitijs autem valdè abundans. Eius ergò diuitias illa liberalibus oculis non intuens, easq; suas facere valdè cupiens, quærebat modum, per quem posset assequi quod desiderabat. Cùm ea autem dubia esset animi, (ille enim nullam dabat ansam) quid facit? Publicandi quidem eius bona capit consilium: sed cùm hoc studeret facere non apertè, significat ei, qui possidebat. Cùm communi, inquit, dare possis mutuas pecunias, nè differas, quod propter multas, inquit, causas eis nunc opùs habet. Ille autem non ad id solùm, quod dicebatur, sed ad id etiam, quod prætexebatur, intuens, & intelligens eam velle ipsum priuare bonis, quærebat aliquem, qui susciperet eius defensionem. Is autem quisnam esset alius, nisi homo Dei? Ad quem quidem cum protinùs accessisset, eum nequaquam suæ spei pœnituit, neq; enim eum inuenit solum socium curarum, sed promptissimum etiam curatorem. Ille namq; nihil cunctatus, scribit ad ipsam quomodo oportebat, & quæ scopus requirebat propositus. Ipsa autem statim mota ijs, quæ scripta fuerant, statuit abstinere & desinere eum afficere molestia.

Chrysostomus eam reuocat à Theodorici vexatione.

LXVIII. CVM res ergò ei tam leniter processisset, dixit ei sanctus: Si Imperatrix fecisset quod animo agitabat, ipse & bonis esses priuatus, & Deo nullam habuisses gratiam. Cum autem ipse obstiterit ijs, quæ cogitabat, quid est consequens, nisi vt non videamur omnino esse ingrati & immemores accepti beneficij? Cum sic dixisset sanctus, is ita illum cepit, vt omnes diuitias, ijs solis exceptis, quibus ipse & filij viuerent, consecrârit pandocheo Ecclesiæ. Hæc cum ad Eudoxiæ venissent notitiam, eius animum vehementer sauciârunt. Cum ex præsentibus certè coniecisset, quod & quæ priùs scripta fuerant, è magna cura quam gerebat Theodorici, ex auaritia potiùs existerent, quàm ex humanitate, & quod vellet fieri dominus pecuniæ, significat sancto quæ in animo habebat: & acri spiritu ei exprobrat, quod accepisset pecunias, dicens: Oportebat te omninò, sicut nos, abstinere ab ijs, quæ pertinebant ad Theodoricum. Eam enim grauiter versabat & conturbabat cupiditas pecuniæ, magnaq; ducebatur pœnitentia, quod eorum, quæ scripta fuerant, cedens reuerentiæ, tam magnas non esset assecuta diuitias. Cum hæc autem audijsset beatus, ei literis significauit ea, quæ par erat eum, qui veritatis curam simul gerit & pietatis. Sic autem habebant ea, quæ ad ipsam scripta sunt. Existimo, ô pia filia, te non ignorare, quod si ipse voluissem habere pecunias, nihil mihi obstitisset. Habui enim parentes, qui & multùm poterant, & multa possidebant: sed diuitias lubens cessi egentibus, existimans eas esse rem non dignam, in quam meam curam conferrem. Quomodo ergò, quas & ipse magno studio deposui, & quas omnibus communiter consulo despicere, eas nunc non erubui videri concupiscere? Pecunias autem Theodoricus mihi quidem non præbuit, sed nec ipso præbente ipse accepi: Christo verò fœneratus est, eas præbens pauperibus, ille quidem rectè faciens & sibi vtiliter; illinc enim multiplices habebit remunerationes. Si autem tuus sit scopus hæc Christo auferre, nos quidem nullo damno afficies: nec ideò nos vlla afficies molestia, sed Christum potius, cuius ea sunt: & illi curæ erit earum ablatio. Hoc Eudoxiæ existit primum semen concepti in eum odij: hinc paulatim in illum furorem parturijt, habens multos quoq; alios, qui iram accendebant, & inimicitijs eius opem ferebant. Quod autem ille periculi nullam ducebat rationem, & in se irritandi crabrones, & mouendi eos, qui ipsum essent læsuri, in ijs, in quibus aliquid negligere, erat Deum ad iram prouocare, & excidere ab eius beneuolentia, iam est tempus docere: imò verò quomodo ira in eum eruperit ab ijs, qui oderunt reprehendi, & quos auertere est difficile, vt qui lubenter, vt dicitur se affricant.

Literæ eius ad Eudoxiã

Callitrope vidua vexatur à Duce exercitus.

LXIX. MVLIER quædam vidua, nomine Callitrope, habitans Alexandriam, defertur ad Paulacium Ducem exercitûs, qui tunc quidem Alexandriæ, Augustalem administrabat magistratum: pecuniæ verò magno amore tenebatur. Defertur autem, quod illa abundaret pecunijs, & esset valde diues: & ideò quingenti aurei à misera exiguntur: quos non vt quæ posset dare, sed vt quæ magno metu afficeretur, illi dat sitienti, omnibus bonis suis datis pignori, ab ijs, qui habebant mutuata. Cùm autem duo anni præterijssent, finemq; eius accepisset magistratus, & ageret ipse in vrbe regia, & ab eo exigeretur ratio suæ administrationis: mulier, quæ inuenerat tempus eam adiuuans, ascendit euestigio, & accedit ad Imperatorem, in eum qui iniuriam fecerat, vociferans, & iniustam annuncians ablationem. Cum verò causa fuisset commissa Præfecto prætorio, & Imperator iussisset reddi mulieri, quod non fuerat recte ablatum: ille siue personas peccatorum acciperet, vt dicit diuina scriptura, siue non recte sęgereret manus, neq; liberaliter, male affecit viduam: & non vindicem, sed aduersarium potius se præbuit iudicem. Cum ergò ab eo mulier desperâsset auxilium, accedit ad Imperatricem: mulier à muliere, quæ male affecta fuerat, ab ea, quæ poterat opem ferre, se consecuturam esse misericordiam, vt par erat, iudicans. Eudoxia ergo, vt quæ inuenisset venandi occasionem, & mustela, vt dicitur, odorata fuisset pinguedinem, quamprimum accersit eum, qui fecerat iniuriam. Deinde cum quæ vidua fecisset, ei dixisset, & eum esse iniustum arguisset, eum quidem mulctat centum libris auri: triginta sex autem solis numismatibus datis Callitropæ, iussit esse contentam. Hæc auara illa & illiberalis, & auro viuens, & aurum omnia videns, sicut Midas ille in fabulis, aurum noctu & interdiu visione apprehendens: cuius in manibus iniquitas, vt dicit beatus Dauid, & dextera plena iniustitiæ.

Prouerb. 18.

Eudoxiæ illiberale facinus.

Psalm. 25.

LXX. QVID ergò miserabilis illa vidua, & reuerà calamitosissima, quæ talia quidem passa fuerat ab ea, à qua non debebat, vt à qua sperâsset potius defensionem? Ipsa ergo cum omnem spem abiecisset, vno vtitur refugio, commuon illi viduarum

duarum defensore. Cui cùm rem renunciâsset,& qualia pateretur à fœneratoribus,& quòd sit vsuris omnino opprimenda. Hæc dicens,& lachrymas,quæ ad persuadendum magnam vim habent,effundens, euocat ad misericordiam eum, qui ad ipsam erat propensissimus, & qui non minùs erat promptus ad eos defendendos, qui passi fuerant iniuriam, quàm Eudoxia ad faciendum. Quamobrem nec ei quidem licebat cunctari: sed protinùs quidem accersit eum, qui læserat: forti autem & generoso animo ei exprobrat & arguit iniustitiam, & aurum ab eo requirit, non quomodo Eudoxia, suum morbum, non autem alienam plagam curans: sed libera & quæ odio malos habet, mente mulierem defendens.

LXXI. CVM is autem adduceret mulctam centum librarum, quibus eum mulctauerat Imperatrix,& sic non reddendæ rationis quæreret subterfugium,beatus,Pro delictis,inquit,publicis facta est illa exactio. Tu verò non aliter effugies, nisi mulieri quingenta priùs numeraueris. Cùm primùm autem hoc venisset ad aures Eudoxiæ, illa mittit ad illum magnum, iubens eum,qui detinebatur,absolui à crimine,vt qui se satis defendisset. Ille verò leonis pellem statim induens: Imò verò non dimittam,inquit,quoniam nec iustum est (ô Dei leges & præcepta) cùm antè nostros oculos sit ea, quæ fuit affecta iniuria, eaq; mulier externa & vidua,quæ lachrymis operit, ait Malachias, altare Domini,indigens eo,qui sit opem laturus. Quænam autem sunt Deo tantæ curæ, quantæ hæc? Quod si me iubes eum dimittere, at tu redde mulieri debitum ex ijs, quæ illius prætextu abstulisti ampliùs. Hæc quidem magnus ille.

Eudoxia infesta est sancto viro. *Malach.* 2.

LXXII. CVM autem illa semel & bis misisset,neq; quicquam proficeret,cùm ipse minoris faceret homines quàm Deum offendere: & cognouisset rem sibi esse cum homine, qui non cedebat temporibus, minas non formidabat,nec timebat ab vlla excidere rectione, quæ quidem sunt magna ex parte terriculamenta ijs, qui sunt parui & abiecti animi: sed constanti & generoso spiritu fortiter vsq; ad mortem resistebat peccato, & magis cauebat malè facere, quam pati. Cùm,inquam, cognouisset cum eiusmodi viro rem esse sibi futuram,ira plena (videbatur enim minimè ferendum,vt quæ multos superabat,videretur vno longè inferior: est enim eiusmodi res mulier, nempè leuis, & quæ facilè mouetur,& planè inanis gloriæ ludibrium) iubet extèplo,& duo quidè Centuriones, eos sequente quæ sub eis erat manu, quamprimum mittuntur: quibus fuerat imperatum, statim templum ingredi,& eum qui detinebatur,vi illinc eripere. Et sic quidem Eudoxia: ignorabat autem se ea aggredi, quæ fieri non poterant, & bellum aduersus Deum suscipere. Nam cùm illi venissent,& iam essent in foribus,& irrupturi essent, (ô diuinum spectaculum, ô rem planè nouam) vident Dei angelum specie admirabilem, forma terribilem, qui strinxerat rhompheam,& horribiliter arcebat ab ingressu. Hocilli malum cùm vidissent,metu repletæ fuerunt illis animæ,& protinùs nihil ampliùs facere decreuerunt: sed quamprimùm reuersi ad eam, quæ miserat,stupendum hoc spectaculum cum stupore narrârunt. Illa autem stupuit quidem ipsa quoq;,cùm audijsset,& de suo cœpto aliquid remisit protinùs. Solet enim,quod mentis leuitate celeriter suscipitur,celeritate quoq; simili excidere. Deindè paulopòst ad scopum priorem reuertitur,& Frumentio quodam ad eum misso, (neq; enim tam esse negligentem sinebat amor pecuniæ) iussit persuasione potiùs aggredi propositum. Magnus autem minimè parens eius blanditijs,dixit: Non quòd delecter litibus,neq; quòd Imperatrici resistere statuerim,vobis videar esse supra modum contentiosus,non per sacras leges & diuina eorum,qui præcesserunt,dogmata & disciplinas: sed simul quidem iniuria affectam defendens viduam,& quæ omni egebat auxilio, & Imperatricis animæ salutem procurans, sic videar contradicere.

Vitia mulierum.

Nota rem admirabilẽ

LXXIII. CVM sanctus talem dedisset responsionem,& ostendisset se nihil esse cessurum, qui autem fecerat iniuriam, vidisset omnem spem esse sibi irritam, & Imperatricis, quam somniabat, opem nihil habere momenti, & esse planè ficulneum,vt dicitur,auxilium,domum mittens, aurum exsoluit mulieri: & sic liberatur ab obligatione. Paulo pòst autem Eudoxia (quærebat enim faciendi,quæ vellet,libertatem,seu benè seu secùs se haberent, & neminem esse,qui contradiceret) mittens ad sanctum,& partim quidem minis,partim autem blanditiis eum aggrediens,suadet vt desinat velle ei resistere,dicens: Sed oporteret te esse contentum ecclesiasticis: ciuilia verò omnino non subire,sed eis cedere Imperatoribus: quomodo ipsi tibi rursus ecclesiasticis: cessare autem contra me conciones habere in Ecclesijs. Nam ego quidem hucusq; te obseruaui vt patrem,& paternum,vt sciunt omnes, honorem tibi tribui. Tu autem nisi decætero in nos fueris melior,scias me non esse toleraturam. His magnus Iohannes magna affectus tristitia,(videbat enim cor eius parturire iniustitiam,& laborem improbè concipere, & iniquitatem, vt dicit diuinus Dauid, parere) dixit ijs, qui missi fuerant: Iubet me abtcedere à rebus ciuilibus. Tantum autem abest,vt res attingam mundanas & ciuiles,vt sim ab eis tam alienus, quàm ij, qui diù antè sunt mortui,remoti sunt à rebus, quæ ad victum pertinent: Sed cùm sim Episcopus,& mihi commissa sit cura animarum,apertum scio esse periculum,non arguere iniquitatem. Vereor enim, nè de nobis quoque dicatur illud Osee: Celauerunt sacerdotes viam Domini: si nos, cùm iniustè aliquid admittatur,id feramus silentio. Sed eum quoq;, qui peccat, iubet rursus diuinus Paulus coram omnibus arguere: vt reliqui,inquit,timorem habeant. Nos autem nihil illam in Ecclesijs,neq; nominatim,neq; apertè arguimus. Quocircà nobis temerè succensèt Imperatrix. Sin autem oratio,quæ inuehitur in eos,qui sunt obnoxij auaritiæ & aliis vitiis,nonnullorum mordet conscientiam, non illi nos, sed seipsos potiùs meritò reprehendant.

Viduæ læsæ restituitur pecunia.

Psalm. 7.

Osee 6.

1. Timoth 5.

LXXIV. HÆC & alia his similia cùm audijssent ij, qui missi fuerant, scriptis mandârunt quæ dicta sunt: & reuersi, dixerunt se nihil efficere,conantes in cœlum iaculari,& radere leonem,& aduersus stimulos calcitrare,nebulasq; cædere, & tumulo prædicare: & alia,quæ dicuntur de ijs,quæ non possunt fieri. Ille enim homo est metu superior & minis,& aduersus ipsam quoq; mortem erigitur. Vnum solùm timet,nempè peccatum, & nè Deum per ipsum vel modicùm offendat. Parua visa sunt hæc Eudoxiæ,acriq; & effreni eius auri cupiditati. Quamobrem ab ira & furore non desistebat, sed apud se habitantem magis versabat iram,expectans tempus & occasionem eius, qui ipsam despiciebat, vlciscendi vsq; ad satietatem. Cùm ergò rectè se haberet Ecclesia,& ædificaretur in dies ad pietatem: & respublica rigaretur quotidiè ab eius lingua,& vitam, quæ est ex Deo, suauissimè produceret: etenim cum aliis malis, hæc etiam, quæ erant vsitata & familiaria, incepit contemnere: nempè equorum cursus & theatra,cœtusq; & orationes, quæ nihil habebant vtile aut necessarium: & quod in ea ponebat studium, conuertit ad currendum ad ædes orationis, & ad templa Domini: adeò vt inter se contenderent,quis veniret prior in templum Domini, & in eo versaretur diutiùs,& maiorem perciperet vtilitatem. Hæc quæ adeò pulchrè & piè se habebant,inuidiam magna afficiebant molestia: & ideò vehementem quidem & periculosam aduersus Ecclesiam excitat tempestatem: grauem autem & profundam ei offundit noctem,magno illo,proh dolor,luminari & sole animarum,procùl ab ea amandato & misso in exilium. Sed cupitis scire,sat scio, quosnam habuerit grauis inuidia, qui celeres pedes ad hoc intulerunt.

Inuicta animi eius fortitudo.

Fructus cõcionũ eius.

LXXV. MOVIT quidem & alios ex Episcopis & Clericis, quorum animus erat aptus,vt maligni susciperet semina: Qui fecerunt consilium,& non per me: (hæc dicit Esaias,differens in persona Domini) & pacta conuenta,& non per spiritum meum: & nonnullos etiam,qui erant ex ipsa aula Imperatoris. Nè mulieres quidem se ab hoc iniquo cœtu abstinuerunt,sed eæ quoq; maligno fuerunt pars germana. Erant quædam mulieres,quæ mundo delectabantur & erant obnoxiæ vitiis. Quæ quidem,quòd ab illius lingua sauciatæ fuerant,in eum vehementes concipiunt & effundunt spiritus. Quos autem habuit acriores aliis [a] aduersarios, ij fuerunt, Alexandriæ Theophilus, Berrhœæ Acacius, Seuerianus Gabalorum,& Antiochus Prolemaidis. Præter hos,duo Presbyteri,& quinq; Diaconi simul eruperunt. [*] Cercopum im-

Esa 30.

[a] Aduersarij præcipui sancti viri: [*] *al. Cerdonum.*

Psalm 54. pum improbum quendam cœtum eos dixerit quispiam, aut viros sanguinum & fraudis, vt è diuina scriptura aliquid dicatur potiùs. Sed satiùs fortasse fuerit ostendere, vndenam bellum cœperit in Ecclesia.

Theophilus Alexandrinus taxatur. Hist. hãc à Palladio Sozomeno & Socrate Origenistarũ fautoribus assertam, ab huius auctore, & aliis eorum fidem secutis acceptam, mendacij conuincit Baron. & occasione Origenis errorum, Anastasij Pontif. Rom. & Concilij Alexandrini Sententijs damnatorum, in criminationes Theophili conuersam ait. Vide Bar. tom. 5. annal. ad an. 400.

LXXVI ERAT Alexandriæ presbyter quidam nomine Petrus, qui in presbyteratu suæ Ecclesiæ primas partes obtinuerat. Is cùm nescio quomodò in odium venisset Theophilo, quoniam ad machinandum aliquid & struendam calumniam, erat eorum, qui ex toto sæculo fuerunt, ingeniosissimus, non parua labe per fraudem eum adspergit, nempè quòd mulierem quandam hæresis Manichæorum, cùm eam execrãdam nondùm repulisset opinionem, admisisset ad communionem. Eo autem asserente, & ipsam priùs illam abiurâsse opinionem, & admissam esse è sententia eius qui nunc est accusatoris, tanquàm hoc non sufficeret ad fidem faciendam, ab eo quoq; adductus est testis Isidorus Pelusiota, vir & vita & dicendi facultate vnus ex præstantissimis, & prætereà ab ipso quoq; magno Athanasio relatus in numerum presbyterorum. Atq; ipse quidem, tanquàm ab Isidoro extrema affectus iniuria, & vt ab illo conuictus, propterea quòd ostendisset veritatem, Petrum quidem præter rationem expellit è sacerdotio, non propter aliam causam, nisi propter inimicitias. Deindè etiam quærebat occasionem, per quam suæ improbitatis trophæum ipsum quoq; erigeret Isidorum. Quod etiam facit paulò post, aliundè ad iram incitatus. Hinc autem fuit commotus.

LXXVII ISIDORO dantur mille aurei à Theodote, quæ fuit vxor Theodori præfecti prætorio. Ea verò mandauit Isidoro, vt pauperibus, quæ erant Alexandriæ, mulieribus emeret indumenta. Hoc Theophilo non communicatum, in eum peperit iram minimè tolerandam. Causa autem erat, Nè si ille, inquit, acceperit, consumat in lapides, vt solet, & in ædificia. Cùm autem interrogatus Isidorus confessus esset, & dixisset se id fecisse, quod volebat quæ dederat, tunc quidem nequaquàm ostendit se fuisse iratum, sed sub Plutonis, vt aiunt, galea celat iram, in cordis penetralibus Pontifex fouens æmulationem. Paulopòst autem eam aperit, & grauissimam machinatus calumniam, (sciebat enim ille sicut priùs diximus, optimè dolos struere & machinari insidias) cùm illam mandâsset literis, & ordinem deindè sacratum vocâsset ad concionem, ipso præsente, in quem erat ordinata calumnia: Hanc, dixit, ô Isidore, ostendens schedulam quam habebat in manibus, antè decem & octo annos contra te mihi traditam, quoniam in alijs occupatus, victus fui ab obliuione: nunc rursus propter alia fortè perscrutans, inueni. Agebat autem tunc Isidorus annum vitæ octogesimum, vir qui exercitatione & laboribus longis iam consenuerat, & ipsum habebat vultum nuncium virtutis, & qui eorum, qui videbant, animis poterat magnam afferre reuerentiam.

Theophilꝰ persequitur Isidorum.

LXXVIII CVM ergò postquàm hoc sic dixisset, peteret vt protinùs de obiecto crimine causam diceret, (id autem erat Sodomiticæ libidinis) Isidorus statim placidè, & vt se dignum erat, Esto, inquit, chartam tunc datam latuisse: quomodo non rursus processit is, qui dedit? attamen si nè tunc quidem aderat, at nunc adsit: & ostendens quisnam ipse sit, dicat in nos. Cùm ergò nihil haberet, quo posset calumnia videri fide digna, quid facit? Quodam adolescente corrupto pecunijs, eum pulchrè instruit ad sycophantiam. Deindè ille abiens, rem matri communicat. Illa autem partim quidem Deum timens, partim autem suspectum quoq; habens, quod erat in præsentia, iudicium, nè fortè manifestum redderet id, quod erat compositum, Isidoro rem significat: & quòd quindecim aureos accepisset eius filius: quos ei dicebat dedisse sororem Theophili, mercedem comparatæ in illum sycophantiæ. Hæc cùm audijsset quidem Isidorus, egit silentium, soli Deo relinquens vniuersum: vt qui laudes quidem celare potiùs dediciſſet, non autem vituperationes. Adolescens verò ratus sic sibi rem in tuto magis futuram, in diuinum templum accedens, confugit ad altare. Cùm autem sic magis in dubium veniret Theophilus, abdicat, proh dolor, ob tam leuem calumniam Isidorum, & arcet ab Ecclesia. Deindè ille cùm hoc pro lucro habuisset, & id ex eius successisset sententia, dans nullam rei dilationem, venit ei in mentem ad montem Nitriæ proficisci, vbi priùs ab ineunte ætate egerat pulchram vitam exercitationis. Illic ergò rursus vacabat, cum Deo solo congrediens. Sed nè sic quidem ei concedebatur esse extra teli iactum, neque erat euitaturus Theophili laqueos, vel potiùs communis omnium hostis, qui hæc mala Isidoro intulerat, eius virtuti inuidens: & Theophilo author fuit, vt Deum offenderet, illum oppugnans per ea, quæ se offerebant. Tunc enim mota erat quæstio in monasterijs, quæ erant in Ægypto. Vult autem oratio nobis rem paulò altiùs repetitam declarare.

Isidorum hunc Origenistarum antesignanum, vt eum S. Hieronym. vocat, non ob has hic prætextas causas: sed ob hæresin merito à Theophilo abdicatum, docet Baron. loco citato.

† Hos Anthropomorphitas vocabant. Origenistis familiare fuisse Anthropomorphitarũ hæresin Catholicis impingere, docet Bar. tom. 5. annal. an. 400. quare non mirum si & Theophilo eos prosequente hanc impingant calumniam.

LXXIX QVÆSTIO autem erat, cùm alij quidem † corpus Deum esse dicerent, planeq; indutum figura & persona & forma hominis, ij scilicet, qui erant paulò rudiores & crassiores: alij verò cum omninò ponerent incorporeum, ab omnique similitudine & forma hominum liberum, hoc autem dicebant, qui erant doctiores, & acutioris ingenij. In hac verò sententia cùm esset Theophilus, eos, qui Deum dicebant humanæ formæ similem, non leuiter, sed admodùm vehementer abdicabat. Quod quidem cùm compertum habuissent, qui erant in Ægypto monachi, minùs participes rationis, id in eos immisit tumultum, & illum de medio tollere, vt qui esset blasphemus, & non sanæ opinionis, putabãt esse maximum Dei cultum. Ille autem callido inuento rem, quæ aderat, aggrediens, Sic ego, inquit, vos intueor, tanquàm Dei faciem. Hoc cùm illi audijssent, represserunt quidem protinùs illum cædis impetum: ei autem dixerunt: Si eadem, quæ nos, germanè sentis, vnum tibi solum deest, nempè vt libros Origenis subijcias anathemati, qui maximè Deum esse corpus & faciem habere homini similem, ne sinunt quidẽ in aures cadere. Ad hæc Theophilus: Quid[a] autem, inquit, prohibet, quo minùs hæc faciam, qui ab Origene maximè dissideo, & cum eo acriter bellũ gero? Hæc cum dixisset, & esset pollicitus, iram sedauit monachorum. Sic[b] ille semper anceps, & facilè ad vtrunq; annuens, & se temporibus accommodans, cùm oporteret eum, vt qui esset Episcopus, & cui cõmissæ erant animæ populi, nõ vti figmento & scena ad decipiendum, & sic illos relinquere ægrotantes: sed quàm fieri posset optimè distinguere, & verbum veritatis rectè administrare, & vtriq; parti componere seditionem, paterne docentem, sed non artificiosè diuersum persuadentem: dicere ipsum quidem per se Deum esse incorporeum & figuræ expertem: corpus autem & faciem & formam humanam vnigenitum Dei verbum accepisse, arcanis rationibus suæ benignitatis. Deinde cùm etiam rursus surrexisset post mortem pro nobis susceptam, in simili scilicet figura carnis humanæ, sic in cœlum esse assumptum. hoc enim esse summæ vnionis & ineffabilis in suum figmentum beneuolentiæ: & sic manere sedentem ad dexteram patris. Nondùm euasit manifestum, quod dictum est: sed alia luce adhuc indiget oratio ad aperte declarandum id, quod est propositum.

[a] Vide Niceph. l. 13. c. 10. 17. Soc. l. 6 c. 7. Soz. l. 8. c. 11 Bar. loco citato. [b] Acriter perstringitur.

Longi fratres monachi,

LXXX ERANT quatuor monachi fratres corporibus, fratres animis, monachorum omnium, qui erant in Ægypto, & doctrina & vita longe excellentissimi. Eis erant nomina, Dioscorus & Ammonius, Eusebiusq; & alius Euthymius: quos etiam Longos vocabant ob staturæ fortè proceritatem. Hi non solùm ab Alexandrinis plurimi fiebant ob mores & vitæ probitatem: sed Theophilo quoq; erant chari, & in magno apud eum precio habebantur, & eos amabat æquè ac suos oculos, & in medio cordis sui habitabant. Hæc autem ita se habebant, quamdiu fuit ille Deo amicus, adeò vt persuasum Dioscorum (vix enim attrahit honorem virtus) constituerit Episcopum Hermopolis, Ammonium autem & Euthymium honorârit sacerdotio, & eis tradiderit Ecclesiæ administrationem, & fecerit œconomos. Cur non dico,

Dioscorꝰ Episcop Hermopolis.

dico, quod eius in ipsos maximam significat beneuolentiam? Elegit eos, qui cum ipso habitarent, & essent toto tempore vitæ ei conuictores, vt eos nec à corporis, nec ab animæ oculis pateretur discedere. Sed hæc quidē, quādiu Theophilus erat, vt diximus, verè Theophilus, id est, pius ac religiosus. Cum autem eum vidissent declinasse ad auaritiam, & magna ex parte aurum magis amare quàm Deum, & vt pararet pecunias, acerrimum ponere studium, tanquam noxiam recusantes cohabitationem, (solet enim vitium mutare facilimè) elegerunt solitudinem, & illic vbi prius, versari.

LXXXI. Hanc ille disiunctionis causam cum intellexisset esse sui condemnationem, valde ægrè tulit, ipsosque manibus & pedibus, vt dicitur, cœpit molestia afficere: primum quidem illos criminans apud Anthropomorphianos, dicebat eos conuenire [a]cum Origene, & eandem quam ille tenere opinionem, & decernere Deum esse incorporeum: & ideo dicit oportere eos tanquam male sentientes, & quid aliud quàm hæreticos, expelli. Deinde finitimis quoque iussit Episcopis, nonnullos monachos, qui eadem quæ ipsi sentiebant, & in ima habitabant solitudine, cum non prius significasset, cur hæc & quidnam fecerant, è monte quamprimum deturbati præcipites. Monachi ergo illi fratres venientes Alexandriam, conuenerunt Theophilum, & causam rogarunt, propter quam eos ille sic condemnasset. Ille autem protinus [b]ira plenus & instar ignis micantibus oculis (natura enim subito mouebatur impetu, nec poterat vllo modo suis manibus temperare) Ammonij collum pallio comprehendit: deinde etiam suis pugnis eius maxillas contundens, acclamat: Anathemati subijce Originem. Erat autem Origenes quidem plane Patroclus: & eadem quæ ille sentire, quæsitus prætextus. Vera autem causa aperte erat in illum & fratres odium. Sic extrema contumelia affectos, viros magno honore dignos & reuerentia, dimisit cum dedecore. Deinde vicinis, cum nihil opus esset, accersitis Episcopis, illos sanctos, cum nec adessent, nec suam causam defenderent, quòd prauum & corruptum dogma tenerent criminatus, ipsos simul & diuinum Isidorum datos anathemati abdicat. Erat autem non extremè malum, neque sic, vt non esset piæ & religiosæ animæ, si hactenus repressisset impetum. Illi vero minime: sed cum quosdam abiectos & nullius nominis homunculos quinque numero, alium aliunde ex tenebris & angulis, quomodocunque coegisset, & alium quidem ex his, propter defectum ciuitatis in viculo constituisset Episcopum, in quo ne prius quidem erat nomen Episcopatus: alium autem presbyterum, alios verò Diaconos, eis tradit libellos aduersus diuinos hos viros compositos: quos ille (ô diuina iustitia & Dei omnia intuentes oculi) latenter composuit: iubens eos sibi dari, quando concionabatur.

Longos fratres insectatur Theophilus.

[a] Longos hosce monachos erroribus Origenis studuisse, auctoritate S. Hieronym. & aliorum, docet Bar. loco citato quare & hos piè iusteque indignationem Theophili meruisse.

[b] Hæc & sequentia ex Palladio vbi totus

Origenistæ desumpta, calumniarum suspicione in Theophilum non carent. Quantum autem is Origenistis fauerit, consule ipsius Lausiaca, versatur in laude Isidori ac consodalium monachorum. Vide Bar. loco citato.

LXXII. Acceptis ergo libellis, quorum ille erat pater, cum processisset, & Augustali eos communicasset, ab eo petit manum militarem, vt sanctos viros, vt qui malam tenerent opinionem, procul à tota Ægypto expelleret: & accipit quidem ad quingentos. Cum autem ipse quoque manum non paruam adiecisset, viros audaces & ad nouandum aliquid egregios, & deinde etiam eorum impetus dato vino incitāsset, vir ipse acerrimus & cuius impetus non poterat cohiberi, noctu ducit exercitum in monachos, contendens erigere tropheum. Quod quidem nescio an vlli alii, qui esset quidem Pontifex, vel minimum conueniret. Alioqui autem si nulla alia de causa, & suæ quidem certè honestatis gratia à re tam vituperanda debebat abstinere. Aut enim præcedentem, quæ ei cum viris intercessit, amicitiam, dixeris esse animi leuitatem, quæ eligit ante probationem: aut quod posteà exortum est odium, euidentem improbitatem, cui est etiam hoc magis adscribendum: Est enim virtus eorum manifesta, & eius qui illos oderat malignitas. Atque primum quidem Dioscorum expellit è sede per quosdam suos famulos Aethiopes. Oportebat enim illum vti talibus ministris. Deinde etiam tyrannice & per vim ei aufert suæ ecclesiæ diœcesim, & montem spoliat, tanquam Imperator quispiam electus & præfectus bello gerendo contra monachos: & eorum domos diripit, tres illos miser diligenter perscrutans, Ammonium, inquam, cum aliis, quos ne Momus quidem reprehendisset, & qui erant omni ex parte fratres. Cum autem non posset omnino inuenire, (se enim ipsos in puteum demiserant) viros non assecutus vir pusilli & abiecti animi, se protinus conuertit ad materiam: & tanquam insaniæ nimiam ostentans abundantiam, in eam effundit iram, domos illorum & omnem supellectilem (erant autē nōnulli quoque libri studiosorū) omnia simul igni mandās.

Theophilus monachos Origenistas Ægypto expellit.

Longorum fratrū domos & res comburit.

LXXXIII. Accidit huic improbo imperatori aliud quoque facinus, quod omnino quidem illi satis cōgruit, nec est eo indignum: est autem dignum non paucis lachrymis. Infans enim, qui incidit, & sacra quædam signa sacramentorum, ea quoque ab igne consumuntur. Cum vix tandem ab ira cessauisset, reuertitur Alexandriam Pontifex cum talibus victoriis. Illi autem vix tandem securi à metu liberi, nudi exeunt è puteo pudenda solum succincti linteis: & obibant simul Alexandriam fugitiui, prædā quam non potuerat assequi Theophilus & illius insania, miserabile iis, qui videbāt, spectaculum, etiamsi virtute erant induti splendidè, & ab illa pulchre ornati. Eos cum agnouissent Alexandrini, zelo & ira statim repleti, vt sunt acres & vehementes, lampades in manus sumentes, & Theophilum vbicunque eum esse putabant, publice circumsistentes, nonnulli quidem cæperunt incendere, alii autē bona diripere. Cum verò iam ad sacra vasa essent venturi, Præses timens periculum, accessit eos leniens, & humanitate eorum iram volens sedare. Illi autem magis efferebantur, Theophilum tanquam venatici quidam canes naribus indagantes, & vltricem in eum manum cupientes immittere. Atque Præsidi quidem suadebat metus eum iam tradere, propter concitatam illam eorum, qui ipsum quærebāt, incursionem. Sed ille cùm solis pedibus sibi quæsiisset salutē, in quodam loco secreto se infodit, timidus repente apparens, qui tanta erat audacia, & mus modo picē gustās. Deinde cum Præses accepisset monachos, & eos induisset vestibus, (sic enim studebat populum sedare, sicut diximus, & impetus eorum reprimere) ostendebat præsentes. Cum autem nihil proficeret, timens ne ipse fieret iræ trophæū, & lueret pœnas furoris in Theophilum, accedens iurat Theophilum nequaquam ei ostendisse causam, cur eos viros quæreret: sed dixisse, quod essent corrupti in religione, & quod non satis ducerent, si ipsi soli ægrotarent: sed alios etiā conarentur inducere ad suam communionē. Si enim sciuissem, inquit, quod animo agitabat, non modo non præbuissem milites, sed nec illum ipsum quidem siuissem egredi. Cum sic dixisset, vix tandem eis persuasit vt recederent. Postea autem Theophilus, cum & ipsum Præsidē, & quidquid erat clarū & illustre in ciuitate, (erat.n. res pecuniaria eis in magnas adducta angustias) donis explesset ad satietatem, in suam sedē, quod vtinam non factum esset, restituitur. Atq; alij quidem ex his sanctis viris alibi sunt dispersi: Dioscorus autem, & plures alij ex melioribus, nō solum ex monachis, sed etiā ex sacerdotibus, eum secuti, accedunt ad Syluanum Episcopum Hierosolymitanum. Sed ne sic quidē eos siuit quiescere illa omni tumultu plena semper anima, sed scribens ad Syluanum, Non oportebat, inquit, omnino præter meam voluntatem meos excipi fugitiuos. Ignorantiæ autē est ignoscendum, si deinceps isti non ecclesiastici non priuati loci fuerint omnino apud te participes. Sic cū animo omni ex parte dubij & perplexi essent monachi, necessario q̄ intercedebat itinere cōfecto, veniūt Constantinopolim: & ad bonū hunc (ad quem.n. alium possent?) pastorē accedentes, qui erat lingua quidē dulcis, magna autē misericordia animā habebat exhilaratam, rogabant vt eis ferret auxiliū, qui in malum virū inciderāt, & ab eo ea passi sunt mala, quæ nullus fere homo ab homine: &, quid.n. aliud, inquiunt, vel ipsam modo inuidet vitā? Hæc cū attendisset vir beatus, & vidisset viros numero quinquaginta, vultu moderatos, sermone eruditos, magna membrorū macerationē latentem magnā ostendentes virtutem, misertus est eorū calamitatis. Quidni.n. misereretur sic affectorū,

Longi fratres veniūt Constantinopolim cum aliis, & à Ioan. Chrysost. misericordia moto

Alexādrini vlciscuntur Longos fratres.

qui non eorum consentienti errori, recipiuntur, negabāt enim se hæreticos esse, sed priuatæ inimicitiæ causa in ipsos Theophilum commotum, vt notat Bar.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qui erat humaniſſimus? Et quam domi habebat conſolationem, ante omnia eis præbuit, lachrymas, & apertè oſtendit, ſe ex eorum malis ſimul cum eis dolorem accipere. Deinde cũ quemadmodum res eorum ſe haberent didiciſſet, eos quidem habuit in honore, & iuſsit eos in præſentia manere in templo, quod vocatur Anaſtaſiæ: iuſſit autem eos linguam continere, & nemini cauſam aperire cur veniſſent: communione verò eos non impertijt, dicens non oportere, quouſque de eis ſcripſiſſet ad Theophilum.

Ad commu nionem nõ admittun tur.

CVM autem contigiſſet quoſdam ex familia Theophili adeſſe Conſtantinopoli, eos accerſitos interrogat, an cognoſcant eos, qui nũc acceſſere, monachos. Illi autẽ dixerunt ſe & noſſe, & ſe ſcire eos eſſe grauiſſima paſſos à Theophilo. Ad ipſum ergo ſcribit ille vir magnus, & rogat vt his viris iraſci deſinat, eoſque accipiat, & eorum conſpectum admittat, qui nihil habet, quod ei afferat triſtitiam. Ille autem ſimulat quidem ſe exaudijſſe: ſed cor eius nequaquam cõſentiebat cum labris. Accerſit enim [a] illos circulatores, quibus Epiſcopatum & ſacerdotium indigne crediderat: & eis traditis libellis, quos ipſe aduerſus eos viros compoſuerat, mittit ad Imperatorem, in eos mentitus hæreſim & præſtigias, qui erat ipſe valde peruerſa & mentita conſcientia. Cum ergo his viris bonis eſſet euidens, odium, quod in ipſos conceperat Theophilus, minime poſſe curari, illi præſentem neceſſitatem adhibentes in conſilium, magno Iohanni tradunt ſcripta in quibus ſita erant multa Theophili facta minimè honeſta. Ille autem eos quidem rurſus admonet, vt eum nihil accuſent: ad ipſum vero ſcribit, conſulens vt eis quamprimum ignoſcat, vt qui iam vincãtur & aduerſus eum dicere propoſitis ſcriptis ſint incitati. Quod ergo tibi videtur, quamprimum ſignificetur. Non poſſunt enim perſuaderi, vt à ſcopo deſiſtant. Atque ſic quidem ſe habebant literæ. Eum autem protinus inuaſit furor, non in illos, ſed in eum potius, qui curam gerebat vtriuſque. Ei enim dabat nimium reprehendendi ſtudium, vt aduerſus omnes contenderet. Protinus autem ſcribit in hunc [b] modum: Exiſtimo te non ignorare, quæ decreta fuerunt à Patribus Niceæ [g], qui pronunciarũt non oportere Epiſcopum iudicare extra terminos ſuæ diœceſis. Sin autem ignoras, inquit, diſce, & abſtine ab ijs, quæ ad me pertinent. Nam ſi iudicari oporteat, erit hoc apud Aegyptios, non apud te, qui à nobis abes tam longo interuallo.

LXXX. IV.

Chryſoſto. ſcribit Theophilo pro illis.

[a] Nota lector, quomodo hic auctor Origeniſtas extollat, & Theophilum iuſtam cauſam proſequentem inſectetur.

[b] Theophilus acerbè reſpondet.

[g] Nicæn. Concil c 6.

CVM tam acerbè ſcriptæ eſſent literæ, viri illi deſperantes ſe poſſe à magno Iohanne conſequi auxilium, à re dubia & cuius exitum non poterant inuenire, vincuntur: & à neceſſitate, qua nihil eſt fortius, vt aiunt, perſuadentur, aduerſus Theophilum aut calumniatores, nihil quidem falſi, ſicut ille, ſed veros libellos componere. Eos autem accedẽtes, tradunt [c] Imperatori. Ab eo verò profertur ſententia, Calumniatorũ quidem cauſæ cognitionẽ & examinationem eſſe Præfectis mandandam. Theophilum autem (oportebat enim maiori mandari iudicium eius, qui erat maior vitio) vel inuitum ſiſti, & hoc magno viro iudice reddere rationem. Literæ igitur Imperatoriæ, aliæ quidem ſtatim miſſæ ſunt ad Præſidem Alexandriæ, vt ad vrbem regiam quamprimum mitteret Theophilum: aliæ autem ad Epiſcopum Romanum, is erat Innocentius: præterea vero ad Honorium quoque, fratrem Imperatoris: hortantes vt mitterentur Epiſcopi & legati, qui dici ſolent τοποτηρηται, id eſt, locum tenentes: vt quereretur de Theophilo & de monachis Nitriæ. Atque calumniatores quidem à præfectis interrogati, quoniam fieri non poterat vt mendacium ſuperaret veritatem, confeſſi ſunt omnia eſſe Theophili: illiusque belluæ Aegyptiæ aduerſus innocentes figmenta & machinationes.

LXXXI.

'Arcadium intelligit.

Innocẽtius Rom. Pontifex.

CONDEMNANTVR itaque coërceri in carcere, donec ipſe venerit. Theophilus autem cùm eum vidiſſet, qui ad ipſum miſſus fuerat, cui etiam imperatum fuerat, vt vel inuitum duceret, quoniam non bonam ſpem ei prænunciabat iudicium conſcientiæ, neque veritatis poterat habere auxilium, quam aduerſus ſe ad bellum valde prouocauerat, vt qui ſe maxime adiunxiſſet mendacio, ad theſauros adſpexit & ad crumenas, quæ quidem ſciebat delinire & incantare multorum animos, & quibus intelligebat magna ex parte prodere veritatem, & nõ ſolum perſuaderi, ſed etiam ſeruos effici eos, qui lucrum exiſtimant melius libertate.

LXXXII.

CVM magnis itaque muneribus & ipſius Præſidis dexteram ipſe placâſſet, ei permittebatur manere ſecuriſſime. Videtur enim verum eſſe, quod vulgo dicitur, nullum malum facile perire. Vt autem bene in eum affecti eſſent, qui rerum potiebantur, procurans, congeſtis aceruis Arabicorum aromatum & cæterorum, quæ erant rara & peregrina, ſe parat ad iter ineundum. Epiſcopi vero Romæ, ad quos ſcriptum fuerat vt venirent, cum eſſent parati, expectabant vt mitterentur literæ, quæ inſtarent vt venirent, ne ſi ante tempus veniſſent, in externa regione diu fruſtra ſederent. Dum hæc autem fierent, falſa fama aures ſcalpens Theophili, quæ erant faciles ad credendum, quod Iohannes Dioſcorum admiſiſſet ad communionem, eum ad inſignem accendit inſaniam. A mala enim conſcientia omnino facilè creditur malus rumor, vt quæ ex ſuis moribus aliorum quoque mores metiatur. Aſcendit itaque Theophilus Conſtantinopolim, non tam vt ſuam componeret controuerſiam, quàm vt alij inureret labem & reprehenſionem. Id autem erat, vt vlciſceretur quidem Dioſcorum, Iohannem verò è ſede deponeret. Verum enimuero hoc quidem prætextu, quòd librorum Origenis propoſiturus eſſet interdictionem, ſtatuit ſecum aſſumere Epiſcopos, qui erant ſuæ diœceſis. Cum fuiſſet autem in Cypro, Deo [c] charum Epiphanium, qui non ſolum vita, ſed doctrina quoque erat clarus, arte inducit ad amicitiam, etſi antea ei eſſet inuiſus & malè audiret, vt qui cum hæreticorum conueniret opinionibus: Cum eo ergo & cum Cypri epiſcopis faciens concilia, prohibuit lectionem librorum Origenis.

Theophilus largitione corrumpit præſidẽ.

Venit Conſtantinopolim.

[c] Nota hic Calumniã quã Epiphanium Ioan. Ieroſolym.

Epiſcopus & alii Origeniſtæ veteratorie nimis exagitarunt. vide Bar. tom. 5. anno 402

LXXXIII.

EPIPHANIVS autem præ magna omnino ſimplicitate & moribus à malitia liberis, quæ intra eum, qui apparebat, habitum inſidebat, Theophili aſtutiam non cognoſcens, perſuadetur ad inſignem illum ſcribere Iohãnem, vt abſtineat à libris Origenis. Ille autem non hæc ſolum, ſed alia etiam, quæ aduerſus eum facile attendebantur, parum curans, ex vno ſolo pendebat pro omnibus, nempe à ſpe in Deũ. Sed vt & illius zelus in res honeſtas appareret clarius, & eorum, qui in ipſum temerè gerebant inimicitias, nota eſſet improbitas, quædam res accidit, quæ ſufficit ad vtrumque oſtendendum: & valde grata erit auribus, quæ oderunt improbos. Vir quidam erat illuſtris in hac regia ciuitate, vita pius, fide religioſus, nomine Theognoſtos, is cum cuidam * Arriano extitiſſet inuiſus, per [d] calumniam accuſatur apud Imperatorem, & fit eis linguæ certamen non laudabile. Accuſatio autem erat, quod ipſum & Imperatricem clanculum maledictis inſectaretur, & lingua calumniatrice in eum vteretur. Hinc factum eſt, vt & vniuerſa eius bona publicarentur, & miſer damnaretur exilio. Atque ille quidem cum proficiſceretur ad ciuitatem, in quam fuerat relegatus: ea vero erat Theſſalonica: iamque prope eſſet, abducitur ad eam, quæ eſt longiſſimè remota, & à qua non licet expectare reuocationem, ſuo [e] vitæ fine accepto in itinere. Eius autem vxor, (quid enim aliud niſi eſſet lapis, niſi ferrũ?) afflicta & perdita concurſu malorum innumerabiliũ, mariti priuatione, priuatione bonorum, tã graui eius, qui ſimul habitabat, exilio, non à domo ſolum, ſed etiam à vita ſeparante, non poterat ſedare luctum, nec vnquam ceſſabat à lachrymis. Vnum ergo ipſa quoque nouit ſolatium, nempe ad magnum illum virum refugium: & cũ acceſſiſſet, & quomodo res ſuæ ſe haberent renunciâſſet, inuenit ipſum diuinum medicamentum dolorũ ſuorum longe acerbiſſimorũ, non verbis tantum medicans, ſed factis, vt oportebat, curans indigentiam. Quantum enim ſatis erat frumenti, ei tributi ex Xenodochio eccleſiæ. De cætero autem expectabatur tempus, quo pro ipſa intercederet apud Imperatorem.

*Gaium hunc vocat Leo. Aug. in vita Chryſoſt.

[d] Theognoſtus per calumniam damnatur: Sed hæc longe antequam Synodus contra Chryſoſtomum Conſtantinopoli colligeretur acta eſſe, docet Bar. tom. 5. annal.

[e] Moritur.

SED

LXXXIX. Sed quales sunt inuidiæ insultus, vitæque iniqui & graues casus? Nam cum illa à prioribus malis nondum respirasset, rursus opprimitur pondere alterius calamitatis, adeo vt vna quidem effunderetur, vt aiunt, altera vero influeret. Sic autem se habebat: Tempus erat vindemię. Eudoxia verò ipsa quoque egressa è ciuitate, ambulabat in quodam agro Imperatoris: erat autem situs non procul à vinea viduæ. Cum autem botrum ex vinea viduæ sumpsisset Imperatrix, eo vsu est. Cum quidam autem dixisset, vineam esse alienam: sed ipsa quoque, inquit Eudoxia, iam relata est in numerum agrorum Imperatoris, hæc enim in vsu erat consuetudo longè improbissima (auaritia ne, an execranda adulatio hanc induxerit incertum) vt quemcunque agrum Imperator ascendisset, & de eus fructu gustasset, is statim recenseretur inter agros Imperatoris: agri verò dominus vel eum cum alio permutaret, vel iustum precium assequeretur. Cum ipsa quoque hanc attendisset consuetudinem, & maxime eius moribus conuenientem, & iudicaret esse imperij proprium, facere iniuriam, & non posse aliter ostendi quid ipsa posset, aufert agrum, simul etiam studens eam afficere molestia, (acceperat enim, ipsam ad beatam illam animam confugisse) & illum è sede deponendi quærens occasionem: sciebat enim, ipsum non esse toleraturum, si venisset ad eius cognitionem, sed omni ratione ei opem esse laturū. Quid ergo consequitur? ille quidem ab hac miserabili vidua miserabiliter eiulante inflammatus visceribus, scribit ad Imperatricem, mouens, ad misericordiam, patrum pietatem reuocans in memoriam & Dei timorem, terribilisque tribunalis cogitatione commouens eius animam.

Nota mō rē detestri mum.

Eudoxia sibi vēdicat vineam viduæ.

XC. Sed incuruum lignum nūquam feceris rectum, nec asperum herinacium vnquam læuem reddideris: nec effeceris, vt cancer rectus ingrediatur. Mala enim consuetudo, cum apprehenderit animam facilem ad improbitatem, facilè inprimitur & inuritur, neque vllam audit omnino rationem: sed vix fieri potest vt deleatur, vt quæ tantum possit, quantum natura immutabilis. Ipsa ergo dura & graui corde, & quid aliud, quàm mala mulier? non solum nihil, non literas, non ipsam eius, qui scripserat, reuerita est omnino dignitatem: sed visa est magnam acerbitatem celare in animo. Fuit enim hoc euidens ex iis, quæ rescripsit, magnum Iohannem vocans insolentem & linguæ intemperantis, & qui eum, quem par est, honorem ei minime tribuit: & qui ignorat eas, quæ sunt, leges: ex quibus dicebat hanc vnam esse admirabilem & longè iustissimam, quæ prodigioso quodam modo agrum, quem solum ingressi fuerint, Imperatores eum protinus facit illorum, etiamsi is fuerit peregrinus & planè alienus.

Vis malæ consuetudinis.

XCI. Hæc cum legisset homo Dei, non fuit retardatum eius promptum animi studium, cum statim primum facto periculo non esset assecutus: neque quod suum erat, à se non esse censuit faciendum, aut aliquam attulit excusationem, interiecto tempore aliquo & dilatione, vt in rebus huiusmodi solet multis euenire, dum aut cedunt, dubitantes aut tempora reformidant: sed nihil faciens quicquid posset arcere eius impetum, vt qui paratus esset toto pede currere, ille ipse accedit ad Imperatricem: & cum multa dixisset, & omnem lapidem, vt aiunt, mouisset, eam autem vidisset minime cedere, sed improbam hanc consuetudinem, tanquam inexpugnabilem & immobilem aliquam legem proferre, opus habet austeriore medicamento propter morbi repugnantiam. Redde ergo inquit mulieri, quod suum est. Quidenim te vxori Achab studuisti comparare? Hæc postquam audiuit Eudoxia, ira magna incensa, ignem spirabat: & veluti semi insana & emotæ mentis, ne poterat quidem omnino contineri: sed clamabat & domum implebat vociferatione, dicens: Ego me vlciscar, nec diu patiar, me tanquam infamem fœminam affici contumelia. Viduæ autem non modo vineā, sed nec pro precio quidem ei quidquam omnino soluetur. Sic magnus Iohannes reuersus è regia, præcepit templi ianitoribus, vt si accessisset Eudoxia, ei fores protinus obserarent, neque eam ingredi sinerent.

3. Reg. 21. Eudoxia insanit præ ira in Chrysostomum.

XCII. Parvm temporis interceſſit, & aderat dies festus, quo diuinæ crucis lignum in altum tollitur. Vniuersus itaque populus confluebat in templum, neque vllum genus aut vlla ætas aberat. Neque enim dies festus solum eis causa erat, vt venirent: sed multò magis linguæ Iohannis auditio. Omnibus enim iniecerat tam vehemens audiendarum orationum suarum desiderium, vt sæpe cum concionaretur, essent à Deo afflati auditores, & ab eius lingua quodammodo penderent, eisque in sublime tollerentur simul animæ & corpora: eiusque attenderent labra quæ mouebantur, non tanquam dicentis, sed emittentis quid poculentum nectareumque & perspicuum. Ea de causa studio erat omnibus, ne abesset quisquam ab auscultatione, quinetiam vt ipsa quoque verba non semel audita negligerent, sed omni studio ea per veloces scriptores exciperent, & tanquam thesaurum reponerent. Cum ergo hæc ita se haberent, & Imperatrix veniret cum omnibus cum magno comitatu & cum fastu regio, ianitores steterunt in foribus, & fecerunt id quod eis fuerat imperatum. Quod quidem ferens ægerrime Eudoxia: cælum terræ miscebat, & valde vociferabatur, & populum, qui aderat, vocabat in testimonium, vt conscios ei factæ iniuriæ. Deinde etiam cum fores vi truderentur, quidam ex ijs, qui aderant audacius aliquod factum volens ostendere, strictum gladium intendit in sacram illam portam. Diuina autem fuit consecuta iustitia, non vt sæpe solet lento passu, sed euestigio. Nam cum ille ensem sustulisset, simul quoque temeraria dextera exaruit, & extitit ociosa. Terret miraculum Eudoxiam. Quinetiam quicunque eam circumsistebant, magno timore sunt affecti. Quod enim à diuina lingua Iohannis fuerat imperatum, non temere factum erat, neque dependebat ab aliqua mente humana: sed diuino zelo aperte fiebat ad Dei gloriam. Quanam de causa, dices: Ne sancta despicerentur, neque multis sic paterent, aut potius indignis. Quomodo enim digna (ô Dei rationes & leges) quæ pecuniis furebat & rapinis, & rerum alterius tanto amore tenebatur, vt non verbis, non admonitionibus, maxime tanti viri, cederet: & non solum non desisteret facere iniuriam, sed etiam insurgeret in eos, qui volebant corrigere? Quid aliud faciens, quàm quod plane solent furiosi, qui & medicis & eis qui alioqui ipsorum curam gerunt, non solum sæpe graues manus, sed sæuos quoque dentes immittunt.

Interdicit ingressum ecclesiæ Imperatrici Chrysost.

Nota vindictam in sacrilegum.

XCIII. Atqve sic quidem Eudoxia à sacris exclusa vestibulis, cum nihil amplius facere, nec se vlciſci potuisset, imo ne melior quidem euadere voluisset, reuertitur. Qui autem in manu acceperat disciplinam, cùm, vt videtur, non esset tā obtuso ingenio, neque similiter, atque illa, malitiæ immedicabilis: sed simul atque plagam accepit, euasisset cordatus, & ostenderet latentem animæ nobilitatem, accedit ad magnum Iohannem, & in conspectu omnium confessus est se peccâsse, & ostendit magnam pœnitentiam. Ille autem cum benignis oculis intuitus, & acceptiorem præsentem habens pœnitentiam, quam propter priorem iratus fuerat impudentiam, vt qui esset promptior ad beneficium humane conferendum, quàm ad iuste puniendum: iubet ad templi lauacrum, volens imitari Christum etiam in miraculis, abluere dexteram, quæ fecerat iniuriam. Quod quidem cum factum esset: eam statim habuit sanam & robustam, & ad Deum se pulchrè extollentem in confessione gratiæ.

Restituitur manus arida pœnitenti.

CIV. Non multo pòst autem [a] Epiphanius, cedens non honestis Theophili impulsionibus, ascendit è Cypro, libros, quos aduersus Origenem cōscripserat, secum afferens. Cum verò è naue descendisset, & † appulisset in templum Præcursoris, quod septem milliaribus ad occidentem abest à ciuitate, sacram peregit synaxim: & cum diaconi secus atque oportebat fecisset ordinationem, ingreditur ciuitatem. Deinde Theophilo agens gratias, hospitio quidem accipi apud beatum declinat, tanquam nefarium: priuato autem quodam habitaculo non honeste acceptus hospitio, & illuc peregrinos, qui in ciuitate versabantur, aduocans, eis legebat libros suos in Origenem. Quorum alii quidem, illius gratia, persuadebantur ea vel manu defendere, alii autem hoc facere recusabāt. Homo autē Dei Iohannes, Epiphanio nihil

†Hebdomon locū vocat Sozomenus.

[a] Epiphanius vitat Chrysost.

De ordina-

natione Diaconi quod hic innuit auctor, commentum dicit Baronius, causamque erroris detegit. vide tom. 5. Annal. ad an. 402.

nihil infensus, quod intra terminos suæ Ecclesiæ non abstinuisset ab ordinatione, hoc solum rogabat, vt cum aliis, vt par erat, Episcopis ad ipsum diuersaretur. Is verò respondit, se nec simul quidem esse precaturum, nisi ipse prius Dioscorum expelleret è ciuitate: & libris, quos scripserat aduersus Origenem, sua esset assensus subscriptione. Ad hæc dixit Patriarcha: Non oportet nos, priusquam accuratè discernamus, aliquid temere facere aut dicere.

Eudoxia apud Epiphanium accusat Chrysost.

XCV

EVDOXIA cùm primum intellexisset hanc inter eos esse veluti dissensionem, & hanc quasi arripuisset occasionem, accersito statim Epiphanio, Vides, inquit, ô pater, quemadmodum omnia quidem Romanorum sceptra mihi cedunt, & meæ subiecta sunt potestati: Iohannes autem est adeo mihi infestus, & tanta est in me arrogantia, vt vel extrema afficiat contumelia. Dicitur autem etiam quandam tenere opinionem, quæ discrepat ab Ecclesia. Tu verò (ego enim tibi do imperium in omnes ecclesias, vt nihil tibi sit impedimento) vide vt aduersus eum congreges synodum, & eum, vt iustum est & honestum, è sede deponas. Hæc & dicebat, & vultu apertius ostendebat iræ in sanctum vestigia: & manifestè præ se ferebat, se graue & non cessaturum virus spirare in illum sapientem, nec extincturam prius iracundiam, quam quod animo agitabat, deduxisset ad effectum. Hæc cum admirandus audiisset Epiphanius, non statuit ijs, qui rerum potiebantur, in iis, quæ non oportebat, gratificari: nec tanti esse faciendum eis inseruire, vt aliquid fiat præter id, quod Deo videtur: Et ideo ad eam propius accedens, Non irato animo, sed benigne ac placidè, ô filia, à te audienda sunt, quæ à nobis dicuntur. Si accusetur quidem Iohannes alicuius hæresis, & non accedat vocatus, vel se purum ostensurus, vel pœnitentia correcturus ignorantiam, is mihi quidem videtur indignus sacerdotio, & quod est imperatum, quamprimum fiet à nobis. Sin autem, quod vobis maledixit, propter hanc solam causam visum est abdicatum esse Iohannem ab Ecclesia, Epiphanium non habebitis assentientem. Est enim maximè Imperatorum, propter nihil eiusmodi meminisse acceptæ iniuriæ, sed se bonos & benignos in omnes ostendere: siquidem vobis quoque est alius rex in cælis: quem, cum vt homines peccatis, opus habetis benignum habere & propitium, propter suam mansuetudinem in eos, qui sunt eiusdem generis.

Epiphanius præclare respondet.

Eudoxiæ terr. ma vox.

XCVI.

HÆC verba cum audiisset Eudoxia non ex sua sententia, inconsideratum quiddam planeque, quod nimiam arguebat vecordiam & præcipitationem, propter nimium dolorem, vel, vt verius dicam, propter summam improbitatem, stolide est elocuta, dicens: Nisi Iohannes fuerit è sede depositus, & exilio (ô audacem linguam) fuerit condemnatus, ipsa permittam aperiri templa simulacrorum: nec erit, qui nobis volentibus, sit impedimento, quo minus illa à quolibet adorentur, Quidnam habuit amplius Herodias, quo eam in vitio superaret, quæ magno studio contendit, vt fieret cædes eius, qui erat eiusdem nominis? Nisi quod non erant vtrique eadem vitia: quandoquidem illa quidem insigni libidine, hæc autem immoderata laborabat auaritia. Ambæ autem, quod effugere vellent reprehensiones, ab ambobus sitiêrunt magnopere liberari. Diuinus autem Epiphanius perculsus absurditate eorum, quæ dicebantur, cũ dixisset, Ego iudicii, quod sic habet, sum insons: protinus est egressus. Quædam autem falsa fama, quæ ex hoc ad omnium aures peruasit, quod ipse quoque Epiphanius huic depositioni Patriarchæ sit assensus, ad magnum vsque Iohãnem peruadit. Ille vero aut verum ignorauit, fortasse quod Deus eum celasset, diuina quadam prouidentia, vt alios modo efficeret ambos, quæ vtrisque euenerunt, prædicere: aut sciuit quidem Iohannes non esse verum, quod fama ferebatur: lubens autem assensus est multorum existimationi, vt sic Epiphanio futurum prædiceret. Fertur ergo Patriarcha sic post hæc scripsisse ad Epiphanium: scripsit autem simpliciter & familiariter. Frater Epiphani, Audiui te consensisse meæ relegationi. Scias autem nec teipsum tuam sedem visurum esse amplius. Ad hæc sacrosanctus Epiphanius simplicibus rursus verbis rescripsit, quibus ipse quoque vtar: Athleta Iohannes, feri & vince: sed nec ipse peruenies ad videndum locum exilij. Vera autem fuerunt, quæ dicta sunt ab vtrisque. Nam & Epiphanius cum statuisset nauigare in Cyprum, decedit in nauigatione: & admirabilis Iohannes priusquam peruenirent ad locum secundi exilii, migrauit ad Dominum, hoc autem procedens oratio ostendet apertius.

Nullum adhuc in causa Chrysostomi agitatum fuisse iudicium, vt vel opinari quidē posset, Epiphanium in eius relegationē

contensisse, docet Bar quare histor am hanc, & de mutuis Episcoporum prophetiis tanquam commentitias reiicit: vide Bar ad an 402.

Theophilus venit depositurus Chrys. anno 403. & publicā causam in priuatas contra Chrysostomum vertit inimicitias.

XCVII

NON multum intercessit temporis, & statim cum pluribus Episcopis Theophilus venit Constantinopolim, eum vrgente Eudoxia, & ei præbente ingressum liberum ab omni metu, licebat autem tunc videre malorum examen, quod congregabatur & Theophilo opem ferebat ad sapientis Iohannis depositionem. Quinam [a] verò ij & vndenam ad hoc fuêre commoti: Quædam animæ non paucis peccatis obnoxiæ, & quæ erant plane incurabiles, de quibus prius quoque diximus: quos cum interruptus Iohannis calculus, veluti lapis quidam Lydius, probasset esse indignos suggestu, mouerat sacerdotio. Cùm multis ergo, vt dictum est, Episcopis Theophilus conueniisset Eudoxiam, seorsum cum ea collocuti, ab ea in secretum admittuntur, muneribus donantur, aduersus sanctum virum linguæ eorum conducuntur: se omnibus sententiis iustum esse condemnaturos pollicentur. Cum tam iniquam conuentionem inijssent egregii pastores, & innocenti sanguine animas potius quam manus intinxissent, exeunt, cum nihil horum adhuc venisset ad notitiam Arcadij. Sed rursus quoque dantur occasiones iis, qui eas quærebant, & parturiebant improbitatem: sed quæ ne vmbram quidem habebant veritatis: materiam tamen præbebant igni malarum actionum.

[a] Quinam aũt fuerint,

qui contra Chrysostomum Theophilo fauerint, vide Bar tom 5 ad annum 403.

Vide Niceph c 14. 15 16 l. 13. Socr. l. 6 c. 14 Soz l 8. c. 16. 17. 18 Bar an. 403

Arcadii ira aduersus sanctum virum.

XC VIII.

NON multum enim intercessit temporis, cum partem quandam libri Regum, diuinæ scilicet scripturæ, cum vsus ita postularet, contexens magnus Iohannes institutæ orationi, concionatus est in ecclesia. Ea autem ita se habebat: Congregate ad me sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Iezabel, vt dicam eis sicut dixit Elias: Quousque claudicabitis vtrisque poplitibus vestris? Si Baal est Deus, ambulate post ipsum. Si autem Iezabel quoque mensa ipsa est Deus, comedentes euomite: Hinc illi sapientes in malitia, cum verba quædam tanquam arma apprehendissent & validum auxilium, accedunt ad Arcadium, duce huius improbæ synagogæ Theophilo, alia quidem addentes, alia autem perperam exponentes. Dicebant vero viri egregij & facile persuadebant, se quidem dictos fuisse sacerdotes dedecoris: re vera enim erant: Imperatricem autem esse apertè Iezabelem. Hinc factum est, vt Imperatoris quidem in magnum Iohannem cederet reuerentia, & desiderium transiret in dolorem: daturque præda viris improbis, Eiusmodi enim res est simplicitas, ne dicam leuitas & facilitas. Est facilis quidem ad ædificandum: quæ autem sunt iam ædificata, sunt facilima ad destruendum, & vt semel dicam, est omnino valde infidelis & ad ducendum facilis, vento campus, vt aiunt, & res optanda sceleratis. Sic Eudoxia ex episcopis quidem, qui de Theophilo prius male dixerant, alios quidem bonis oblatis, alios autem illatis malis arcet à dicendo.

3 Reg. 18

XCIX.

THEOPHILVS autem liberatus ab accusatoribus, ei quæ prius non iusto ipsum affecerat beneficio, voluit parem atque adeo maiorem referre gratiam: & cum alios quidem donis, alios verò minis, alios autem aliis modis, quos scit inuenire malitia consecuta potentiam, persuasos ad suam traduxisset voluntatem, & effecisset vt toti à sua penderent sententia, ille tanta improbitate permiscuit & confudit omnia, vt qui rerum potiebantur, ei permitterent congregare synodum maximam aduersus Iohannem. Cum inuenissent autem duos diaconos, quorum alter quidem erat reus adulterij, alter vero cædis, & ideò à magno Iohanne fuerant depositi. eos vir ille egregius cum magna authoritate (ô sacræ leges)

leges) absoluisset, libellos, quorum ille rursus fuerat opifex, exhibere facit aduersus sanctum: libellos, qui erant pleni quidem calumniis, nullum autem habebant vestigium veritatis: nisi quod hoc solum moderatè attingebant, etiamsi non ab eis eadem diceretur intelligentia, quod aquam vel vinum vel pastillum suadebat gustare post communionem ijs, qui communicabant. Quid tum? erat enim hoc eius, qui statuebat vt adhiberetur cautio, & qui accurate tenebat ea, quæ sunt nostræ fidei, ne cuipiam contingeret cum iis, quæ expuuntur, etiam ex sanctificatis aliquid excidere. Calumniæ in sanctissimum virũ.

C. Cvm itaque nugaces hos libellos accepisset is qui dederat, & Acacium & Seuerianum, & præterea Antiochum, inuictos, vt ita dicam, vitij propugnatores, cito in suam adsciuisset societatem, extra ciuitatem (erat autem ager Ruffini, nomine Quercus, situs sub Chalcedone) de sancto deponendo execrandi conferebant & contexebant consilia. Ipse verò versans simul cum quadraginta Episcopis, valde mirabatur, quemadmodum talibus criminibus obnoxius Theophilus, & deinde adesse iussus & reddere rationem, tam repente eorum, qui rerum potiebantur, animos potuerit capere, vt non solum de suis causam non diceret, sed aliorum etiam propemodum esset iudex, indicta ab eis omnino causa: Deinde hortabatur, ne essent paruo & abiecto animo, nec tristitia afficerentur, nec hoc, quod erat præsens, ipsum diligunt. Deinde rogabat, ne quis sua causa vellet suam relinquere ecclesiam: sed si vultis mihi, aiebat, gratificari, mementote nostrî in vestris orationibus. Hæc dicens, postquam vidit eos vinci lachrymis, ecclesiam autem, vt magis ita dicam, deflere, eos recreabat spiritaliter, & indice sinistræ manus volam pulsans, vt solebat facere in curis animi: Satis, inquit, lamentationum. Quid enim vultis cor mihi frangere? Sed videte, ne relinquatis ecclesias, hoc enim, sicut prius dixi, volo à vobis, si quid aliud, fieri. Cum autem dixisset quidam: Sed necesse est nos manentes in ecclesijs, communicare cum insidiatoribus & dare manum ijsdem subscriptionibus. Beatus autem protinus: Sed permitto quidem, inquit, vt communices, te omnino abstinẽs ab Ecclesiæ schismatibus, nequaquam autem subscribas, nullius enim rei mihi sum omnino conscius, cur deponar. 40 Episcopi sunt cum illo. *Actor* 14. Cõsolatur eos flentes.

CI. Cvm ij sic communiter colloquerentur, accedunt quidam afferentes literas à Theophilo, quarum erat inscriptio: Sancta synodus[a] in Quercu congregata, Iohanni: illum quidem adeo nude & tam ignominiosè, vt ne nomẽ quidem darent Episcopi, suam autem reuera improbam synagogam, vocantes sanctam synodum. Videbantur enim eum condemnasse vel ante dictam causam, infames scilicet & execrandi eum, in quem non cadit reprehensio, estque purus & mundus. Quidnam autem continebant eæ literæ? Libellos accepimus, qui erant pleni multis contra te accusationibus. Oportet ergò te venire, de eis redditurum rationem. Ad hæc Christi discipulus & imitans illius mansuetudinem, tres Episcopos cum duobus Presbyteris mittit ad eos, ipsum defensuros, sicut ille ipse scribit in epistola[b] ad Innocentium. (is autem erat Patriarcha Romanus) Misimus ad ipsum, dicens, Episcopum Pessinuntis Demetrium, Apameæ Eulysium, & Apiareæ * Lucipinum. Presbyteros autem Germanum & Seuerum, cum ea, qua nos oportebat, moderatione respondentes, & dicentes nos non recusare iudicium, sed apertum inimicum & hostem manifestum. Qui enim nondum libellos acceperat, & talia ab initio fecerat, & se ab Ecclesiæ communione & precatione absciderat, accusatores adornabat, clerum transmouebat, & desertas reddebat ecclesias: quomodo is iure potuerit ascendere sedem iudicis, quæ ad eum minime pertinet? Neque enim erat consentaneum, vt qui ex Ægypto erat profectus, esset iudex ijs, qui erant in Thracia, & qui ipse erat reus, hostisque & inimicus. Sed tamen nihil horum reueritus, sed implere studens ea, quæ statuerat, cum nos significassemus esse paratos diluĕre crimina vel mille & centum præsentibus Episcopis, & nos puros esse ostendere, sicut nunc sumus, non passus est: sed nobis absentibus & synodum inuocantibus, & iudicũ requirentibus, & non auditionem fugiẽtibus, sed apertas inimicitias, admisit accusatores, & eos[c] qui excommunicati à me fuerant, absoluit, & ab iis ipsis, qui nondum crimina diluerant, accepit libellos, & exegit commentarios: quæ quidem erant omnia præter canonum consequentiam. Sed hæc quidem, & quæ deinceps sequuntur, egregia illa lingua recensetur: & ideo non opus est, vt ea nos dicamus, cum illam audire liceat.

[a] Synodus anno 403. a Theoph. congregatur, ad quã citatur Iohannes Chrys. De hac synodo ad Quercũ habita vide to. 1 conc. gen sub Innocen. 1.

[b] Ex epistola Chrys. ad Innocẽtium Papã. * *Lupicinũ.*

[c] En quales ei adhibentur accusatores.

CII. Verv menim vero renunciata defensione iis, qui erant cum Theophilo, ipsi non ferentes veritatem eorum, quæ dicebantur, (Quomodo enim, qui spem posuerat mendacium, vt ait beatus Esaias, & expectabant fore, vt eo tegerentur?) iram effuderunt in eos, qui missi fuerant: eosque apprehensos, vehementer verberarunt, & eorum tunicas disruperunt: quinetiam ferro, quod tunc pararant in Patriarcham, collum vnius circundederunt: quinetiam cum malignus eorum corda sic affecisset, eum mittunt in exilium, in quendam locum obscurum & occultum, ferro sic circumdatum. Illo ergo eos, vt diximus, recusante, tanquam apertos inimicos, canonicum autem inuocante Concilium, qui erant veloces ad effundendum sanguinem, etiam non præsentem aut aliquid respondentem condemnant, cum imbecilla quædam maledicta in vitam congessissent angelicam, visi potius ludere, quàm serio agere, & quæ longo tempore instructa & ordinata fuerat, malitiam vno die temerè studentes effectam reddere. Res est enim timida mendacium, & quæ facile potest terreri: & ideo actionum executionem nouit accelerare, fugiens omnino, ne conuincatur. Deinde cũ considerassent fore sibi vtile, si haberent Imperatorem suæ defensorem sententiæ, vt quod improbe faciebant, redderent validius, ad eum mittunt literas in hanc sententiam: Quoniam accusatus Iohannes, & sibi cùm aliorum plurimorum conscius, tum etiam, quod sit reus læsæ maiestatis, læsam planè maiestatem nominantes, quæ ei cum Imperatrice fuerat controuersiam) nõ potuit sibi persuadere, vt veniret ad synodum, propterea si exactè considerentur canones, iam est depositus, nihil restat, nisi vt vestra iubeat potentia eum vel inuitum mitti in exilium. *Esa.* 28. Damnatur vir sanctus iniquissime.

CIII. Hæc sunt egregiorum illorum sacerdotum, qui debebant quidem esse tardi ad iram incitandam, vrgere autem ad benignitatem: quibus ira ad similitudinem serpentis, & lingua (rursus enim nobiscum loquatur diuinus Dauid) gladius acutus. Deinde cum iussisset Arcadius (eis enim credebat tanquam sacerdotibus, nesciens eos in interiori homine, non esse sacerdotibus, sed potius sacrilegis similes) quid fit? Mouetur quidem vniuersus populus, vt qui sensisset id, quod erat faciendum, & repente in magnam accenditur seditionem: & partim quidem vociferatur aduersus Imperatorem, partim autem Theophili quoque & multo magis arguit improbitatem. Multi enim etiam ex ijs, qui erant ei infensi, iam mutati, dicebant fuisse sanctum temere accusatum, incorruptum testem habentes omnes conscientiã, apertamque & euidentem reuerentes veritatem: Tandem autem cum plus valuisset improbitas, imo vero cum iustus Iohannes hoc voluisset, ne aliquod oriretur periculum, vt solet accidere in talibus seditionibus, profundo vespere expellitur, sicut ipsam linguam auream licet audire in epistola ad Innocentium, quæ sic dicit: Quid enim multa opus est dicere? Non destitit omnia facere & moliri, donec nos cum multa potestate & authoritate, è ciuitate eiecit & ex ecclesia, & profundo vespere, attracto omni populo, tractus à Magistratu ciuitatis, per mediam ciuitatem, & per vim deductus sum, in nauem immissus, & noctu nauigaui, quoniam inuocabam synodum ad iustam auditionem. Quis hæc audiuerit sine lachrymis, etiamsi cor habuerit lapideum? *Psalm.* 57. & 30. Populus eum vult tueri. Expellitur vir sanctus.

CIV. Sed sic quidem expulsus, appellit ad os Ponti, quod vocant sacrum. Deinde etiam transit Prænetum, aut ab iis potius, qui agebant, transmittitur. Bonus autem Theophilus, postquam euenit, vt ex animi sententia fierent quæ volebat mittit etiam literas ad Innocentium Romanum Episcopum, ei significans Inhannis depositionem. Qui cùm legisset Theophilus scribit Innocentio

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

legisset literas,& in eis vidisset multam insidere peruersitatem, ne voluit quidem respondere, vt qui eum magnæ temeritatis dãnasset & arrogantiæ,quod & solus scripsisset,& quod nõ aperte scripsisset, quanam de causa& cũ quibus eũ deposuisset.Hinc causam Heraclidis,quẽ magnus ille Iohannes Ephesi constituerat antistitẽ,tractans Theophilus, & ex eo illi beato tentans labem inurere,ipsum etiam iudicauit non præsentem, dicens,quod aliquos iniuste verberasset,& per medium forum vinctos catena circumduxisset.Ciuibus autem contra dicentibus, non oportere absentes iudicari, volentibus verò Alexandrinis attendere accusatores Heraclidis,ex eo orta est seditio: ex seditione autem ventum est ad manus:ex eo verò ad vulnera, ea autem mors quoque est consecuta,quorum omnium Theophilus dictus est & fuit causa. Hæc summè irritârunt Byzantinos,[a] & eum quærebant perdere, & in profundum maris mittere eum,qui erat dignus:Ille autem postquam sensit persequentes, fuga statim sibi consuluit,& penetralia subijt Ægypti.

[a] Byzantini volunt perdere Theophilum.

Qvod autem neque prius perturbator iure Dioscoro irascebatur,neque veram & accuratam defendens pietatem erat infestus libris Origenis: sed hinc captabat occasionem deponendi Iohannis, ostendit id , quod est postea consecutum.Nam simul atque perfecit quod studebat,cum monachis statim fœdus inijt:libros [b] autem admisit,quos prius abdicârat synodice.Sed vult etiam reliqua persequi oratio.Interim enim, dum hæc fierent , Deus terræmotu terræfecit ciuitatem,communesque eam agitabant conquassationes,& graues terrores imperatorio imminebant cubiculo:adeo vt populus tumultu impleretur,& magna voce clamans,reuocaret sacerdotem.Quinetiam ipse quoque Imperator vehementi stimulo tristitiæ in corde sauciatus,mouetur pœnitentia, & literis imperatoriis quamprimum magnum illum reuocat.Brison autem erat,cui datæ fuerunt literæ,vnus ex Eunuchis,qui ministrabant Eudoxiæ.Qui cum peruenisset ad sanctum , qui Præneti asseruabatur in custodia, rogauit vt veniret & ciuitatem liberaret à periculo.Sed non ad Brisonem vsque constitit eius reditus studium & acceleratio:sed post ipsum alij,& post illos alij.Sicque fuit Bosphorus plenus eorum,qui mittebantur. Cum itaque eum redire agnouisset ciuitas , (erat autem decimustertius Nouembris) quemadmodum enumerârit quispiam multitudinem eorum,qui exibant? quomodo explicârit studium in egrediendo? Quomodo expresserit voluptatem ? Plane enim imitabantur fluenta fluuiorum,cum alii aliis agminatim succederent.Et erat quidem mare plenum nauigiis,plenum autem sonitu,canticisque & hymnis,qui Deo cum magna voluptate canebantur.Hoc potest insidens animæ viri desiderium,qui virtute quidem est ornatus,est autem sortitus populi administrationem,& eum amat paternè.Hoc est euidens argumentum voluptatis,qua tunc fruebantur,qui iucundis se explebant fluentis aureæ huius linguæ. Quod enim,qui eum exceperunt,adeo sunt læti,id ostendebat priuationem fuisse causam magni doloris.Magnus autem dolor,post priuationem, testatur omnino fuisse parem anteà voluptatem. CV.

[b] Theophilum Origenis errores tantum,nõ omnes libros damnasse,ex Ecclesiæ Catholicæ sententia, quæ eius commentarios ita legit,vt ab eius erroribus esse cauendum adomneat, docet. Bar. to.5 annal. an.403.

Cvm ergo reuertens,esset proximè ciuitatem,nolebat prius ingredi , quam maiori iudicio res eius committeretur:sed populus ægre ferebat,& ad audendum iam se parabat,& eos,qui rerum potiebantur,infectabatur maledictis, donec omnes in idem conuenientes,& partim quidem vtentes precibus,partim autem vim afferentes(audaciæ enim aliquid habet desiderium(vix tandem persuadent ascendere ciuitatem.Cum vero essent eum in sede collocaturi,ipse rursus restitit vehementius,dicens oportere ea,quæ prius sunt decreta, examinari, & omnino magis generale assequi iudicium.Sed vicit populi iudicium,quod erat fortius omnibus:& sic eum rursus in sedem reducunt patriarchalem. Ille autem & omnes lubenter adspexit,&,vt mos est,pacem eis est precatus,Et sic quidem ecclesia cum suum sponsum accepisset,& quæ eam circumsistebat,tunc soluisset tristitiam,florebat & germinabat irrigata suauissimis verbotum eius fontibus,Sed ô inuidia malum inuictum,malum, quod semper bonis insidiatur. Tibi enim omnino non licebat quiescere, neque vlla te cepit satietas continuorum insultuum,donec ô sæua & agrestis,eum valuisti omnino abrumpere & procul à grege remouere,heu heu,bonum pastorem,& qui vigilantibus oculis ei præerat. Sed quonam modo hæc euenerunt,& vndenam rursus inuidiæ tanti mali occasio? CVI.

Restituitur in sedem suam.

Statua quædam argentea Imperatricis prope templum,cui cognomen est Sophia , erat super columman. In ea de more fiebant ludi quidam publici.Quod quidem cum magnus ille rectè reputasset esse templi contumeliam,(Ad sacros enim, qui canebantur hymnos,confusæ & inordinatæ voces contra resonabant) sæpe autem adhortatus, non potuisset facere vt cessarent,linguam laxat in eos,qui hæc iubebant fieri.Itaque Eudoxia rursus ad se trahens ea, quæ dicebantur,& existimans omnia ad se referri,grauiori telo iræ sauciata,erat intolerabilis,nec poterat cohiberi,quantum efficere poterat,vniuersum euertere aggrediens,& nihil aliud effectum reddere machinans,quam opportune eũ vlciscì,qui visus fuerat eam afficere iniuria.Rursus ergo[c] statim congregabatur synodus,& literæ mittebantur imperatoriæ,quæ & alios episcopos & eos,qui nuper accusatores fuerant,euocabant. Cum autem nõ esset eis honesta causa mouendi ea,quorum iàm fuerat accusatus,ars tamen non defuit malitiæ.Ad eum enim,qui in rebus eiusmodi erat ingeniosissimus,& ad hæc construenda solertissimus,nempe ad Theophilum,statuerunt scribere, vt vel veniret quàprimum,vel modum eis rursus suggereret, per quem possent aduersus Iohannis summam contendere veritatem.Ipse autem,vt qui quomodo fugisset esset memor,venire quidem ad eos recusauit,vt quod non esset sibi conducibile:mittit autem tres ex suis Episcopis,eis dato [c] canone ad accusationem,quem prius proposuerũt Arriani aduersus validum Ecclesiæ propugnaculum,nempe Athanasium,qui dicit: Si quis Episcopus aut Presbyter iuste aut etiam iniuste depositus,per se redierit absque synodo Ecclesiæ, ei non detur amplius locus defensionis. Atque sic quidem is, cui nullus erat par improbitate,cochlear Ecclesiæ,Lybica plane fera, ex Ægypto Proteus, iussit eos dicere qui ab ipso missi fuerant,nihil aliud volens efficere,quàm vt sic sua esset firma ac rata sententia.& ne viro egregio daretur locus diluendi calumnias,quæ ei obiectæ fuerant. CVII. bibl.

Baronius iustiorem commotionis causam Iohannis contra Eudoxiam adstruit, quod eius simulachrũ scilicet, nõ solum Constantinop. veneraretur sed per prouincias etiã Ethnicorũ instar circumferretur:vide præd Bar. ad ann 404

[c] Anno 404.Iterum cogitur Synodus contra virum Dei. Vide Niceph l.13. c.17 Socr.l 6. c.16 Soz l 8 cap.20.21. Bar. an.404. [c] Erat hic canon Cõcilii Antiocheni in Encæniis,ab Arrianis celebrati,vt notat Bar.

Sed ille non vulpinam,sed leoninam potius pellem induens,nempe veritatem,dicit nec se in iudicio fuisse neque accusationem audiuisse,neque omnino habuisse tempus ad defensionem:ab Imperatore autem fuisse expulsum, & ab illo rursus vel inuitum introductum: alioqui autem se scire hunc canonem fuisse compositum ab Arrianis:& quoniam non recte se habebat,à Sardicensi Synodo fuisse abrogatum.Deinde cum simul cum Acacio & Antiocho & alijs calumniatoribus ex parte quoque Iohannis decem ingressi fuissent ad Imperatorem: & illi quidem affirmarent, dictum canonem esse firmum & validum,vt qui aperte factus esset ab orthodoxis:hi autem dicerent,eum esse & mẽtis & linguæ hæreticæ,& maligne ab eis esse inuentum.Quamobrem sæpe ab ecclesia iniuste expulsus Athanasius,deinde occasionem nactus,per se redijt:& quod Iohannes ne prius quidem fuerit depositus, & neque per se rursus esset ingressus:sed tuo cedens imperio,aiebant,ô Imperator,imo verò per vim coactus.Postremo [f] inscribantur,dicebãt,ij qui sunt Iohannis & Dei partis,& isti,Acacium dicentes & Antiochum , qui orthodoxum affirmant esse canonem: & fateantur se esse eiusdem fidei,cuius ij,qui ediderunt:& sic soluitur id,de quo dubitatur:laudauit quod dictum fuerat Imperator,vt quod rectè se haberet,& sic iussit eos facere.Illi autem se facturos quidem sunt polliciti,præ se ferentes,se confidere:destiterunt verò,vt qui sint suspicati rem minime esse tutam. CVIII.

Defendit se vir sanctus per seipsũ. Concil. Sardic c.3.

Per suos.

[f] Elpidium Laodiceæ Syriæ Episcopum fuisse,memorat ex Palladio Baron. qui huius causæ decisionem perfacilem Imper.proposuerit.

Cvm

CIX. Cvm res ita se haberent, & ille quidem anno integro optime administraret ecclesiam post reuocationem: isti autem, quæ sibi erant propria, facerent: ea vero erant artes & impostvræ: & quid non mouerent, vt sanctum è sede deponerent, etiamsi non potuerint eius spiritus deijcere? cum adesset festus dies Paschæ, à multis molestijs, quas ei exhibuerunt isti, victus Imperator, significat Patriarchæ, vt excedat ex ecclesia, vt qui iam à duabus synodis sit condemnatus. Adhæc magnus ille Iohannes: Ego, inquit, cui Deus & Seruator ecclesiam tradidit regendam, ab ea mea sponte vereor recedere. Sin autem hoc ita tibi videtur, ô Imperator, at me ex ea vi expelle, vt me possim omnino defendere, quod ordine vel vi deseruerim. Ad eum itaque mittentes, prohibent quidem sacrificare: concedunt, autem, vt in præsentia quidem versetur in Episcopatu: timentes, vt opinor, ne Deus rursus desuper ferat sententiam in eorum audaciam, & vt prope eum habentes, Dei iram per ipsum reprimant. Sic ergo seorsum interim egit vir ille magnus, cessans à sermonibus & pulchris linguæ fluentis.

Iubetur cess. sare à sacrificio.

CX. Cvm autem esset dies magni sabbati, Imperator fecit quod non recte se habebat, nec animi erat imperatorij. Accersitis Acacio & Antiocho, rogauit quidnam oporteret facere. Sed oportet, inquit, considerare, an Deo grata sint, quæ à vobis fiunt. Illi autem, (Quid enim erat eis Deus curæ?) In nostrum, inquiunt, redeat caput Ioannis depositio: similia ijs, qui dixerunt: Sanguis eius super nos, & non procul ab eorum sententia, elocuti. Sic absentem [a] cõdemnant virum iustum, cum nec de iis, quorum accusabatur, dicendi potestatem ei permisissent, quod est commune omnibus, qui iudicant sine vlla animi perturbationè: neque ab illo vllam accepissent defensionem.

Mat. 27

Nota, cum esset dies magni sabbati, hoc est, sabbatũ sanctum

[a] Denuo cõdemnatur.

CXI. Cvm hæc autem audiuissent, qui erant à partibus Iohannis, Episcopi quidem se animi ægritudini dedentes & lachrymis, in angulis latebant & silentium agebant in habitaculis: Sacerdotes autem & quicunq; erant ex clero, congregabantur ad quasdam ædes oratorias: vocatur autem locus Constantianæ: & cum magna concurrisset multitudo, ijs omnibus curæ erant sacri hymni & consueta glorificatio: præterea verò eos quoque, qui accedebant, diuino dignabantur baptismo. Timentes ergo, qui erant improbi concilii, ne si in templum, vt solebat, venisset Imperator, & vidisset id vacuum populo, hinc quidem sentiret populi in magnum Iohannem beneuolentiam: eorum autem, vt erat consentaneum, condemnaret inuidiam: efficiunt vt quidem Lucius dux militum numeri grauis armaturę, quem etiam fama erat esse gentilẽ religione, vadens conuocaret ad populũ ecclesiam, mansuetudine primum vtens & persuasione, lege vt aiunt Bœotia. Sin minus, vim etiam inferret, lanceam miscens cum caduceo. Ille autem cum statim cum ijs, quos habebat, quadringentis vespere irruisset, illa fecit, quæ par erat eos solos pati, qui fecerant: dicere autem & explicare non nos oportet, sed id concedere illi linguæ omnium pulcherrimæ, & eam audire narrantem. Ipse enim sicut fortiter sustinuit, ita etiam vere narrauit quod accidit. Scribens enim ad Innocentium, & quæ ausi fuerant, oratione persequens, eum autem antea diximus Romanum fuisse Episcopum, sic rem tractauit:

CXII. Qvomodo quæ hic facta sunt deinceps, narrauerim, quæ omnem superant tragœdiam? Quænam ea explicarit oratio? Quænam aures ea absque horrore acceperint? Nam cum nos eadem sicut prius proponeremus, repente multitudo militum in ipso magno Sabbato, die iam inclinante ad vesperam, in ecclesias irruens, vniuersum clerum, qui erat nobiscum, expulit, armisque circundedit: & mulieres, quæ se ad baptismum exuerant, ex ædibus oratoriis nudæ eo tempore euaserunt, metu grauis huius irruptionis, ne eum quidem, quem decet mulieres, pudoris ornatum induere permisit: multæ vero etiam acceptis vulneribus expulsæ sunt, & lauacra sanguine sunt impleta, & sacra fluenta sanguine euaserunt purpurea. Et nec hic quidem malum constitit: sed ingressi milites, vbi sancta erant reposita, quorum, sicut cognouimus, nonnulli non erant mysterijs initiati quæ intus erant omnia viderunt, & sanctissimus Christi sanguis, vt in tanto tumultu, in prædictorum militum vestes tunc effusus, & tanquam in barbarica captiuitate ausi sunt illa omnia, & populus eiectus fuit in solitudinem, & vniuersus populi cœtus versabatur extra ciuitatem: & in tali festo ecclesiæ erant inanes populo, & plus quam quadraginta Episcopi, qui nobiscum communicabant, cum populo & clero temere expulsi sunt, gemitusque & planctus erat in solitudinibus, & quælibet pars ciuitatis erat plena his calamitatibus. Nam propter insignem iniquitatem, non solum qui patiebantur, sed etiam qui nihil tale sustinebant, per consensum nobiscum dolorem accipiebant: non solum qui erant eiusdem opinionis, sed etiam hæretici, & Iudæi, & gentiles: perinde acsi vi capta esset ciuitas, sic in tumultibus, perturbationibus & gemitibus erant omnia. Et hæc facta sunt præter sententiã pij Imperatoris, noctu hæc comparantibus Episcopis, & multis in locis exercentibus munus Ducis exercitus, qui non erubescebant pro diaconis campi ductores habere præcedentes. Cum autem fuisset dies, tota ciuitas migrauit extra mœnia, sub arboribus & nemoribus sicut dispersæ oues festũ celebrantes. Sed sic quidem lingua illa aurea. Hęc autem in festo Paschæ egregij Pastores & quibus animarum cura erat credita, obtulerunt ei, qui surrexerat. Hinc etiam in omnem partẽ missa sunt edicta, quæ prohibebant ab Iohannis communione: quæ tantã vim habuerũt, perinde ac si præcepissent contrarium: & eos, qui oppugnabantur, magis sic confirmarunt: quem quidem modum solet tenere Deus in huiusmodi temporibus Ecclesiæ, certe & numerus crescebat assiduè eorum, qui illi adijciebantur.

Horrenda facinora eorũ, qui sanctum virũ persequebantur.

Nota hic contra huius temporis hæreticos, qui negant asserendam sacratissimã Eucharistiam, quã non tantũ sub specie panis, sed & vini asseruatam, hæc Chrysostomi memorat Epistol. idem etiam S Gregor. Dial. l. 3. c. 36. astruit.

CXIII. Interim autem dum iam venissent Pẽtecoste, quoniam fieri non poterat, vt occulto inimico hæc essent tolerabilia, accedentes ij, quos ille inspirabat, & à quibus ipse valde obseruabatur: Tibi quidem, dixerunt Imperatori, rerum humanarum data est à Deo potestas, sed ecclesiarum res sunt nobis commissæ. Itaq; nec sacerdotibus sanctior, nec canonibus volens maiorem habere authoritatem, hæc relinque Episcopis. Tibi quidem prius quoque diximus, ô Imperator, In nostrum redeat caput Iohannis depositio. Vide ergo, ne vnum sic complectens, omnes pergas afficere tristitia. Non amplius hæc sustinere poterat Imperator, sed protinus aperte mittens, significat Patriachæ in hunc modum: Accusatores tui iudicium tuum, quomodocunque se habeat, & quam depositionis tulerunt sententiam, trahunt in suum caput. Rem itaque tuam Deo committens, recede ab ecclesia. Quid hoc ô virorum longe mutabilissime, & Imperatorum in administrando imperio ignauissime, quomodo cui tantum adhibuisti studium, eum accersens Antiochia, & Christi ei credens ecclesiam, cuius virtutis non paruum feci sti periculum, eum non solum eiecisti ex ecclesia: sed eum etiam virum turpiter damnasti exilio, Christi gregem damno afficiens: quo quidem viro, vt cum magno dicam Paulo, ne dignus quidem erat vniuersus mundus? Sed te quoque omnino cepit mulier. Eua rursus tuas aures, quæ sunt faciles, decepit miserabiliter: quomodo per illam serpens, ita ipsa per non bonos pastores cordis virus euomens.

Imperator misso Patrio Notario suo, iubet sanctũ virũ recedere ab ecclesia.

Heb. 11. Gen. 3.

CXIV. Hæc cùm magnus ille audiuisset, nullo mœrore aut tristitia nec in corde affectus, nec vultu præ se ferens: sed virũ ostendens in tentationibus, sicut in tempestate gubernatorem: Adeste, inquit suis Episcopis, iam valere iubeamus angelum ecclesiæ. Deinde post factas, quas conueniebat, preces, de fide orthodoxa multa testificatur, & hortatur, vt eam sequantur immutabiliter. Præterea vero eis quoque prohibet omnes hæreses. Cùm hæc autem verba faceret, accedit quidam, nuncians Deo inuisum Lucium cum suo exercitu accedere ita paratum, vt si qua fiat in exitu dilatio, non fileat omnino nec mitigetur: sed manum quoque protinus afferat, & cum contumelia expellat ex ecclesia. Porro autem commouetur quoque populus, qui ferre non potest sui priuationem. Expedit ergo accelerare exitum, ne forte te nimium defendens populus, quod absit vt videamus manus conserat cum militibus, & inducatur vt aliquid faciat nimis præceps & periculosum. Hæc cum magnus audiisset Iohannes, Episcopisq; aliquot porrecta dextera (neq; enim, vt omnib⁹ porrigeret, cõcedebat tempus) & osculo miserabiles miscuisset lachrymas, propterea quod separaretur à familiaribus,

miliaribus, deinde etiam iussisset valere reliquos, præcepit vt ibi vtique manerent, donec cum paululum abscessisset, reuerteretur.

Olympias, præclara fœmina.

Hæc cum dixisset, sacrum ingreditur baptisterium, & sanctum vocat Olympiadem: est autem omnino clara mu- CXV.
lier vel solo nomine. Sed nō fuerit fortasse deterius per mittere orationi, vt se paululum recreet eius bonorum delicijs. Ea cum & genere & diuitijs & specie corporis & alijs huiusmodi valde resplenderet, cum viro quidem iungitur matrimonio, sed non amittit virginitatem: sed cum sic cum eo vixisset circa viginti menses, ille autem excessisset ex hominibus, & si non ea esset ætate, cui pudori essent secundæ nuptiæ, pulchram reuera amplexa temperantiam, per totam vitam eam amare voluit: & licet Imperator eam vocaret ad matrimonium suorum cognatorum, & eam magnis afficeret honoribus, illa omnibus relictis deliciis, vt quæ cum ingenuis nihil haberent commune, se oblectabat ieiunio, non solum cibi, sed etiam somni, pulchre exercens corpus, & id studens habere opem ferens, non autem insidians ad virtutem: temperantiam ac pudicitiam complectens vsque ad cogitationem, non solum vsque ad contactum. Postquam autem omnium bonorum fuit domina, ea in vsus sanctorum studuit effundere: fuitque Diaconissa totius ecclesiæ, propter insignem eius pietatem & hospitalitatem. Eos enim maxime, qui virtutem exercebant, hospitio magnificè excipiebat, & quocunque poterat officio hilariter prosequebatur. Quæ etiam Theophilum tanquam Dei amicum obseruans, suam in eum ostendit magnificentiam, etiamsi eius linguæ impudentiam & maledicentiam ne ipsa quidem omnino potuit effugere, data ei occasione, quod quos ille fuerat persecutus, Ammonium scilicet & Isidorum, viros Deo charos, exceperit. Atque omnium quidem, sicut dixi, virorum virtutis amantium magnam curam gerebat, & eis omnibus modis prouidebat: huic autem viro beato fuit etiam familiaris, quomodo Tecla Paulo, ab eius lingua tota vita dependens. Quoniam vero cum ea aliæ quoque erant Diaconissæ, Procula & Pen- *Luc.* 10.
tadia & *Syluana, quæ bonam partem elegerant conuenienter diuino Christi verbo, cum ipsas quoque tunc magnus ille conuocasset, Adeste huc, inquit, filiæ, animum mihi adhibete. Res enim nostræ vtique tam tendunt ad finem, nec me amplius videbitis in hoc mundo. Hanc autem à vobis extremam rogo petitionem, vt de vestra in Dei templum assiduitate & fide nihil remittatis, & quicunque hanc sedē ascenderit, (fieri enim nō poterit, vt ecclesia omnino careat episcopo) ei vos sicut mihi capita inclinetis, & mei dilectionis in precibus memineritis. Post hæc cum eas dolor vehementer inuasisset, & protinus fuissent confusæ lachrymis, & dicerent eius priuationem non futuram eis tolerabilem, & eius pedes prensarent, eiulantes miserabiliter, ille, ne si populus id sensisset, afferret tumultum, annuit vni ex presbyteris, vt eas abduceret: & iumentum quidem, quod solebat ascendere, (volebat enim latere) iussit statui ad portas Occidentales: ipse autem per portam Orientalem simul est egressus, & cum paucis ad litus deductus nauigauit.

De Ammonio & Isidoro Origenistis ab Olympia, insciamē susceptis, vide q̄ superius dicta sunt.

*saluianam.

Abit in exilium vir sanctus.

Sed qualem rem, & quam dignam, quæ commemoretur ad plane arguendam improborum malitiam, festinans CXVI.
oratio propemodum prætermisit? Improbum enim illud concilium, cum oporteret cum aliis malis, quæ sancto intentabant, ne ipsos quidem à cæde abstinere, sed etiam inique gladio cædem in eum parturire, famulus cuiusdam ex presbyteris, nomine Elpidius, quinquaginta nummis, proh dolor, ab illis conductus, erat viro iusto paraturus insidias. Qui quidem deprehensus (Neque enim quibus nouit rationibus, fuit eum latere Dei prouidentia) nonnullos exiis, qui cum comprehenderant, ijs quos habuit, ensibus interfecit: alios autem grauiter vulnerauit. Sed ille quidem magnus sic nauigabat & abibat in exilium, populus autem partim lætitia, partim dolore afficiebatur: Dolore quidem pij, qui priuati erant suauibus illius orationibus cum venerando adspectu: Lætitia vero Iudæi & Gentiles, quibus hæc res dies erat festus, vt qui illius linguæ reprehensiones omnino effugissent: reprehensiones, inquam, quæ tanquam tela in manu potentis, vt cum diuino dicam Dauide, in corda eorum immittebantur: qui & irridebant, & ludificabantur, & in Principum stultitiam risum effundebant maximum, vt Christianorum calamitatis propemodum etiam misererentur.

Insidiæ illi parabātur.

Psal. 126.

Fit autem statim res quædam terribilis, si vel solum ad aures perueniat, Deo hæc prouidente, sicut etiam prius terræ motum, ad gloriam quidem suorum famulorum, metum autem & conscientiæ terrorem eorum, qui sunt audaces & temerarii, qui etiam propemodum emittebat vocem Dauidis, Qui exacerbant, ne extollantur in seipsis. Eo enim die, quo magna illa stella ecclesiæ, veluti ad quendam occasum ibat in exilium, ignis diuinus ex illa sede, in qua assidens sacram effundebat doctrinam, à nulla manu accensus, per sacras catenas serpit in altum. Deinde cum tectum excidisset, processit per summam superficiem venerandarum ædium. Hinc cum vehemens ventus flammam inuasisset, eam in domum senatus euocat, quæ sita erat longo abhinc spatio. Erat autem res valde admirabilis, quemadmodum flamma tanquam animatum quidpiam, ijs, quæ erant intermedia, pepercerit & ea transiliërit: ne posset aliquis id, quod factum fuerat, adscribere vicinitati, & tam magnum opus & tam diuturnum, materia quidem preciosissimum, pulchritudine autem speciosissimum, exustum trium horarum spatio, redactum sit in nihilum. Sic autem ignis serpens & in orbem depascens, soli rursus parcit domunculæ in qua seruabantur vasa sacra. Quod quidem non absque Dei numine nec casu factum est: sed ne sycophantis præberet occasionem, ex sacrorum vasorum interitu, sancto viro inurendi calumniam.

Psal. 65.

Ignis vlciscitur S viri iniurias.

Qvid ergò? cùm hinc oporteret improbos, tanquam percussum, vt aiunt, piscatorem sapere: illi malè faci- CXVII.
endi hinc maiorem sumnetes occasionem, pergebant ea persequi, quæ solebant: & multos quidem ex Episcopis & sacerdotibus: multos autem ex alijs quoque, qui fauebant partibus Iohannis, vehementer puniebant, dicentes ab ijs ignem fuisse iniectum, dum vellent facere rem gratam Patriarchæ. Sed persequatur oratio ea, quæ consequuntur, & quomodo se habuerit exilium, singulatim declaret. Sic ergò magnus homo Dei & fortissimus athleta veritatis, à sæuis militibus ducebatur in quoddam desertum Armeniæ oppidulum nomine Cucusum, multis tūc & assiduè Isauris id depopulantibus, & incursiones facientibus. Fuit autem hoc factum consulto, vt arbitror, vt cum alijs malis, inimicissimis quoque eorum manibus traderetur. Quę verò ille in via passus sit, & cum quam multis decertans malis, nec sic quidem abiecerit curam Dei Ecclesiarum, quemnam alium aut iucundiùs, aut apertiùs, aut veriùs dicentem audiemus, quam illum? Hæc enim in vna epistola, quæ ab illo statim Niceæ scripta est ad Constantium presbyterum, tractat lingua illa aurea.

Amici eius affliguntur.

Deportatur Cucusum, ann 404. vt notat Bar.

Qvarto mensis Panæmi Nicæa soluturus, has scribo literas ad tuam pietatem, adhortans ad id, quod nunquā CXVIII.
cessaui te adhortari, etiamsi hæc, quæ nunc est, orta fuerit tempestas grauior, & maiores excitentur fluctus, vt non cesses ea, quæ tua sunt, implere, ad ea administranda, quæ ab initio es aggressus ad destruendam, inquam, gentium superstitionem, Ecclesiarum ædificationem, animarum curam gerendam. Ne te supinum reddat rerum difficultas: neque enim gubernator videns mare sæuiens, & agitatum recedet à clauo. Sed nec medicus ægrotum videns morbo teneri, relinquet curationem: sed tunc vnusquisq; eorum arte vtetur maximè & animi alacritate. Ne te supinum faciant, quæ contingunt. Neque enim pro malis, quæ alij nobis faciunt, reddemus rationem, sed etiam mercedem accipiemus. Si autem ipsi, quæ nos oportet, non ex nobis attulerimus, sed pigri & socordes fuerimus, nihil nos ad hoc defendet rerū tumultus. Nam Paulus quoque, cùm habitaret in carcere, & ligno esset alligatus, quæ sua erant, faciebat: & Ionas, qui ferebatur in mari ventre piscis: & tres pueri, qui versabantur in fornace: neque vllum eorum fecerunt pigriorem hi varij carceres. Hæc ergò cogitās, Domine mi, & Phœniciæ & Arabiæ, & earum, quæ sunt in Oriente, Ecclesiarum ne cesses curam gerere, sciens, fore vt maiorē accipias mercedē, cùm etsi sint tam multa obstacula, tu quæ tua sunt, conferas.

Ex Epistola eius ad Cō stantium.

Actor. 16. *Ion.* 2. *Dan.* 2.

Portò

Porro autem noli esse in scribendo ad nos negligens: sed scribe ad nos frequentissime. Nam vt nunc cognouimus, non amplius Sebastiam, sed Cucusum abire iussi sumus: quem in locum erit tibi facilius ad nos dare literas. Scribe ergo quot ecclesiæ hoc anno fuerint ædificatæ, & quinam viri sancti migrarint in Phœniciam, & an maior factus fuerit profectus. Etenim cum ex Nicea inuenissem quendam monachum inclusum, persuasi ipsi vt veniret ad tuam pietatem, & abiret in Phœniciam. An ergo accesserit, velis mihi significare. De fundo Salamis, qui situs est in Cypro, qui obsidebatur ab hæresi Marcionistarum, conueneram quos oportebat, & vniuersum effectum reddideram: sed fui prius expulsus. Si ergo scieris Dominum meum Quiriacum Episcopum agere Constantinopoli, de hac re ad eum scribe: & poterit vniuersum efficere. Omnes, & eos maxime, qui habent ad Deum fiduciam, roga vt multis & intensis contendant precibus, vt cesset hoc naufragium orbis terræ. Mala enim intolerabilia & Asiam inuaserunt, aliasque ciuitates & ecclesias: quæ quidem ne videar esse molestus, mittens singula dicere, illud solum dicam, multis opus esse & intensis precibus.

CXX. In alia rursus epistola sic scribit: Si enim carcerem habitatis, & catena vincti estis, & cum squalidis & sordidis inclusi estis, propterea quod non assentiamini eorum iniquitati, exultate & lætemini, coronemini & choros ducite, quod hæc sint vobis occasio copiosarum mercedum. Nam nos quoque tabefacti & consumpti sumus: mortes passi sumus innumerabiles. Hæc autem possunt melius renunciare, qui vel breui temporis momento nobiscum sunt versati: cum quibus ne potui quidem loqui, cum oppressus essem assiduis febribus. Quibus cùm laborarem, & noctu & interdiu cogebar iter ingredi, & æstu obsessus, & vigilia perditus, & solitudine necessariorum, & egestate eorum, qui mei curam gererent. Ijs enim, qui metalla fodiunt, & carceres habitant, grauiora passi sumus & patimur: Vix tandem autem perueni Cæsaream, tanquam qui venissem à tempestate in portum. Sed nec hic portus potuit recreare mala fluctuum, adeo nos, omnino prius tempus confecerat. Sed tamen cum venissem Cæsaream, non parum respiraui, quod aquam bibi puram, quod panem sumpsi non olentem nec duram, quod non amplius fui ablutus fragmentis doliorum, sed inueni balneum qualecunque, quod tunc mihi concessum fuit lecto affigi. Poteram his plura dicere: sed ne nimium sim molestus, hucusque sisto: illud addens, quod non cessetis exprobrare ijs, qui nos diligũt. Nam cum tam multos habeamus, qui nos amant, & quorum est tanta potentia, ne ea quidem assequimur quæ condemnati, vt in mitiorem & propinquiorem aliquem locum relegemur: sed cum & corpus nobis sit defessum, & metus Isaurorum omnia obsideat, hanc paruam & vilem gratiam non sumus assecuti. Deo propter hoc quoque sit gloria. Non cessamus enim eum glorificare in omnibus. Sit nomen eius benedictum in secula seculorum. Aperte enim scitis, omnia esse plena tumultibus & perturbationibus. Nec oportet solum rogare pro Constantinopoli, sed pro vniuerso orbe terrarum: quandoquidem malum, quod hinc cœpit, sicut dictum est, vbique terrarum perdit ecclesias: Cùm septuaginta itaque dies consumpsissemus in itinere, vix tãdem venimus Cucusum, totius orbis terræ locum desertissimum. Quamobrem licet hinc vestræ amplitudini ratiocinari, quam multa mala passi simus, & cum febribus luctantes intolerabilibus, & obsessi metu Isaurorum. Et hæc dico, non volens rogare aliquẽ, vt nos hinc transmoueat. Perfecimus enim quod erat grauissimum, nempe viæ molestiam. Sed hanc à vobis peto gratiam, vt assidue ad nos scribatis, & curam geratis ecclesiarum. Et rursus sic dicit: Nam nos quoq;, qui tertium annum versamur in exilio, fame, peste, bellis, frequentibus obsidionibus, solitudine, quæ verbis explicare non potest, morte quotidiana, gladiis Isauricis, non leuiter consolatur perpetua vestra & stabilis affectio, firmaq; & immota fiducia. Quamobrem etiamsi à solo & mœnibus ciuitatis expulsi sumus: ab ea tamen, quæ est proprie ciuitas, non migrauimus. Si enim vos estis ciuitas, nos autem semper vobiscum & in vobis: clarum est, quod hic quoq; degentes, illam habitamus ciuitatem. In vestris enim degimus animis, & vbicunq; fuerimus, omnes vos, qui vehementes estis nostri amatores, in cognitione circunferentes abimus. Sed enim reuertendum est, vnde discessimus.

Grauissimę sancti viri afflictiones in exilio.

CXXI. Atque sic quidem, cum, vt diximus, duceretur Cucusum, quod est oppidulum solitudinis, eum excipit Adelphius, qui erat Episcopus Anabisi, non casu sed diuina quadam visione iussus eum excipere. Sed nec hoc erat extra diuinã prouidentiam, quod magnus ille exilio illic esset condemnatus. Nam cũ post illa, ex hominibus, qui impietate & ignorantia omnino laborabãt, simulacra autẽ & arbores & nemora per summã colebant insciti am: qui autẽ paulo plus sapiebant, sol ab eis adorabatur: ex ijs ergo quidam (de magno enim Iohanne acceperant auditione) cum quendam adduxissent paralyticum in lecto decumbẽtem, rogabant vt eum curaret. Is vero cum tempus rogasset morbi & religionem, vbi audiuit tempus quidem esse octo annorum: ab eo autem coli solem: Oportet ergo solem tibi mederi, dixit, parum subridens, si hic est deus tuus. Sed nec ipse potest, inquit ille, absq; Deo, quem habet. Audimus enim soli quoq; esse Deum, quem colit. Quid ergo, dixit respondens sanctus, non illum potius Deum colitis, quem sol quoque colit? Sed nos, inquit ille, non audemus. Ille enim, inquit, est magnus, & qui potest solo nomine horrorem afferre, & si quis non fuerit eo dignus & liber à peccato, simulatq; accessit ad adorandum, igne diuino comburitur. Cum autem sanctus hæc dixisset esse faculas & artem maligni, qui ijs, qui parent, mercedem conciliat interitum: & Deum huius solis, esse Deum eorum, quæ sub aspectum cadunt & quæ non cadunt, nec vllum ex ijs, qui ad eum accedunt, reiici, etiamsi sit pec cator, modo eum subierit pœnitentia eorum, quæ præcesserunt. Solum itaque inquit, crede: & statim cum curatione corporis, sequetur etiam curatio animæ. Cum sic dixisset sacrosancta illa lingua, dixit ægrotus se credere, & se nullum alium amplius Deum esse culturum. Tunc ergo beatus, cum membra eius obsignasset, Domine, inquit, qui paralyticum, quem per tectum cum ipso lecto tibi demiserunt, solo verbo curasti, hunc quoque ad gloriam tuam & agnitionem tuo nutu cura. Hęc cùm dixisset, statim surrexit, qui ægrotabat, & stetit sanus, vt qui fructum pietatis accepisset robur corporis: aut potius per morbum corporis deductus fuisset ad sanitatem animæ, aut etiam vt iusque.

Diuinitus admonetur Adelphius Episcopus excipere Chrysost.

Adelphium id temporis non fuisse Anabisenũ, siue Arabissinum Episcopum: sed Treium, ex Chrysostomo Epist. 126 probat Bar. ad ann. 407.

Luca 5. Paralyticus curatur.

CXXII. Hoc miraculum facit regionem cum toto cœtu credere, & innumerabiles accedere ad baptismum. Cum ergo septem episcopos cum præsbyteris & diaconis sufficientibus multitudini eorũ, qui crediderant, eis ordinasset, inuenisset autem quosdam ex eis bene scire Græcum sermonem, eis tanquam lingua vsus, diuinum Dauid & totum nouum testamentum per ipsos Græce interpretatur: & formam quidem tradit incruenti sacrificii: docet autem ea quoque, quæ sunt noui testamenti. Deinde tradit etiam eis regulas psalmodiæ & orationum. Cum ergo paucis diebus vidisset hanc recẽs structam ecclesiam multiplicari, quin etiam Christi præceptorum nõ paruum in eis fieri incrementum, Deo magnas agebat gratias & exultabat spiritu, ijs, qui ex eis erant infirmi, medicas manus imponens, & id quod est omnium pulcherrimum, gratis largiens. Sed ille quidem in his: eorum autem qui inimicitias temere exercebant, aut eorum, qui Deo & Iohanni adhærebant, res quomodo? Quicunque ei communicauerant Episcopi, vt semel dicam, & sacerdotes, qui propter pro Christo zelum odio habebant ecclesiam malignantium, ij omnes bonorum publicationes, relegationes, mortes, & varia supplicia subierunt. Etenim oportebat hic quoque, cum bonus Pastor ad imitationem primi venisset in manus impiorum, dispergi quidem oues, eas autem esse quoque cum magistro molestorum participes. Licebat ergo videre alios quidem implere, quæ prope erant, custodias: alios autem condemnari, habitare terras & insulas procul sitas; multis & grauibus tormentis prius confectos.

Nota de Missæ sacrificio.

Fautores Chrysost. dirè mulctantur, vide Baro. ad ann. 404.

Zacha. 13.

CXXIII. Qvæ autẽ fiebant in itinere, ea erant alia quædam tragœdia & plane Ilias malorum. Nam cum nacti essent sæuos & impro-

& improbos eos, qui ducebant, eis nihil omnino parcebatur, neque in eos vlla ostendebatur clementia & benegnitas: nec cum eis ita agebatur, tanquam fuissent homines commissi hominibus, sed tanquam feris potius aut dæmonibus immanibus & homicidis, & ideo ducebantur acerbe & immisericorditer: alij quidem sic vexati in itinere, alij autem nudis & nõ stratis mulis iniecti, non secus quam si essent onera inanima. Sed quis insignem eorum dixerit insolentiam? quis probra, ludificationem, subsannationem, irrisionem, quæ plagis & flagris animãm tangunt vehementius, & efficiunt, vt mors acerba sit magis optanda ijs, qui patiuntur? Vt autem illorum dedecus haberent pro delicijs, non in domos orationum, non in aliqua alia habitacula in diuersorijs eos introducebant: sed in fornicibus & prostibulis eos execrandi & scelerati includebant. Hæc autem omnia, parua ducebant viri egregij, & malebant quidlibet potius pati, quam ab Iohannis parte & communione (hoc enim erat eis grauissimum) excidere. Quicunque vero potuerunt effugere manus persecutorum, ipsi quoque nihilo secius fuerunt sibijpsis tortores, vt qui se solitudine & extremis quibusdam finibus condemnarint, vt qui magis elegerint habitare cum feris, quam viuere cum hominibus, feris longe agrestioribus.

Vide insignem nequitiam.

*videtur deesse, sedes.

[a] Arsacius succedit Chrysostomo Vide Niceph. l. 13. c. 28. 38. Soc. l. 6. c. 17. Soz. l. 8. c. 23. Bar. an. 404.

[b] Arsacius obit, & substituitur Atticus. Vide Niceph. l. 13. c. 29. Socr. l. 6. c. 18. l. 7. c. 2. Soz. l. 8. c. 27. l. 7. c. 2. Baron anno 406.

NON multi dies præterierunt, & Arsacij fidei* committitur, qui ordinatur[a] Patriarcha Constantinopolitanus: CXXIV. proh dolor, quis post diem? Qualem virum qualis annosus, vt ita dicam, truncus excipit, facilitate eorum, qui rerum potiebantur? Vir qui vixerat plusquam octoginta annos, loculo magis aptus quam throno: delirus & emotæ mentis in dicendo quidem minime facundus: ad aliquid autem, quod oporteat, excogitandum ineptissimus: ad agendum vero ignauissimus, inanimis non multum dissimilis, lecto dignus & angulo. Qui cum ex se esset inutilis, deinde etiam ex alia parte accepisset aduersariam populi in Iohannem beneuolentiam, erat plane omnibus inuisus & contemptus. Cum itaque quatuordecim menses vixisset in sede, præ ipsa quidem naturæ hebetudine ignauiaque & quasi torpore, non minus, quam si naturalis finis ei euenisset, præmortuus, neque vllum, vt ita dixerim, viui opus interim effecisset, excessit. Post[b] eum autem, viro cuidam educto ex presbyteris, nomine Attico, traditur clauus ecclesiæ. Quo quidem tempore Ephesini, cum nullo coercente metu licentiam arripuissent, omnia mouere & transmutare, sicut eis videbatur, studebant: eos quidem, qui recte & vt Deo placebat, in sedibus erant collocati, expellentes: quosdam autem sceleratos & profanos ad animarum exitium collocantes, cum ordinationem nulla perscrutatio præcessisset aut examinatio: sed perinde, acsi esset res leuis & facilis, qui voluerat aut potius qui dederat, ad sedem perueniebat. Quo tempore qui ab illa quoque beata anima iuste eiecti fuerant ab ecclesijs, rursus non difficiliter fuerunt introducti: sed hos contemptores apte aggredientes, eas emerunt pecunijs. Qui quidem Heraclidem quoque, cui ab illo & septuaginta scilicet episcopis, digne commissus fuerat thronus Ephesi, cum inclusissent & ab ecclesia expulissent, Tribuni Victoris Eunuchum in sede virginis, male (ô iustitia & Dei patientia) male & indigne collocant, cum non esset semimalus nec tolerabiliter improbus, sed aperte cinædus & execrandus.

Innocent. & Honorij reprehendunt Arcadium.

PORPHYRII autem audaciam & insignem illam rei impudentiam, quis lubens silentio præterierit: Is senex, & in CXXV. improbitate, vt qui in ea ab ineunte ætate esset eductus, accuratè versatus: præter temporis autem longitudinem nihil remisisset de intemperantia, sed contendisset vel natura videri superior in rebus turpissimis, postquam magnum iam Hauianum eorum, qui in cælis festum agunt, tenebat chorus, captus desiderio in ecclesia Antiochena exercendi tyrannidem, cum obseruasset tempus, in quo vniuersa ciuitas exierat, vt est mos ei antiquus, ad spectacula, quæ fiunt in Daphne, Antiochum habens & Seuerianum & Acacium, qui erant aperte inimici veritatis, opem ferentes eius cupiditati, (est enim simile simili amicum) inuadit sedem, vt qui esset fur & non pastor, & ab his execrandis ordinatur: qui ei rei tantam abhibuerunt celeritatem, vt nec quæ de more quidem solent fieri, locum abhibuerint. Sed isti quidem consecratores, cum hæc facta essent in tenebris, se statim in pedes conijcientes, fuga sibi consuluerunt, astris viam notantes, & montibus inuijs se committentes. Ciuitas autem cum quod iam factum fuerat sensisset, publice omnes conuenientes, sarmentaque & ignem tenentes in manibus, ipsi quoque zelo non minus inflammati, irruperunt ad Porphyrium, (Sciebat enim qualis esset eius vita, quam insolens & quam execranda) cum ipsa domo Episcopatus eum volentes comburere. Is autem cùm sensisset conceptum in se odium, Duce exercitus corrupto pecunijs, persuadet aduersus zelum fidelium pro pietate iram armare dæmoniacam: statimque fuit congregatus in eos exercitus sæuus & immanis, & quem ne facile quidem potuissent aggredi, qui aciem instruxissent.

Porphyrius senex impius occupat sedem Antiochenã. Quis autem, & qualis fuerit, & à quibus ordinatus vide Baron tomo quinto, ad annum 404

DEINDE excitata est magna persecutio aduersus ecclesias & imperatoria edicta & decreta, suggestione Attici CXXVI. (nullus enim pius ei volebat communicare) proponebantur per ciuitates, quæ dicebant Si[c] quis Episcopus Theophilo nolit communicare, Atticoque & Porphyrio, ejiciatur ex ecclesia, & priuetur bonis: ex laicis autem, qui magistratus quidem gerunt, ab honore excidant: militibus vero auferantur cingula: communis autem multitudo & quæ est occupata in artibus, auro mulctata, damnetur exilio. Hæc faciebant multos vel inuitos communicare, à quibus iudicabatur quid magnum & minime tolerabile, excedere à pecunijs, & priuari gloria. Multi autem cum voluntarium elegissent exilium, elegerunt potius solitudinem & monachorum tuguria habitare, quam ciuitatem. Sunt etiam, qui ex animi magnitudine omne periculum subire satius esse duxerunt, quam facere aliquid, quod discreparet & esset indignum pio ac religioso vitæ genere.

Perfectio magna ecclesiarum.

[c] L. 6 de his qui pro relig cõtend. Cod. Theo.

HÆC cum ita se haberent, nonnulli Episcopi & clerici, qui stabant à partibus Iohannis, pro Iohanne & quæ malè CXXVII. se habebat ecclesia, zelo instincti, (quomodo enim non oportebat eos, qui vel mediocriter Dei metum in vtero concipiebant & parturiebant?) ad veterem Romam veniunt: & cùm ipsi Imperatori Honorio & Innocentio Papa in conspectum venissent, & illam grauem explicassent tragœdiam: quinetiam tres reddidissent epistolas, quarum vna quidem erat egregiæ illius animæ & linguæ, aperte omnia singulatim persequens: altera autem communis cleri Constantinopolitani, tertia vero erat quadraginta Episcoporum, qui cum Iohanne communicabant. Quas quidem cum communiter tradidissent, effecerunt, vt qui eas acceperant, tantopere perturbaretur, & eorum animis tantum zelum immiserunt, vt ambo statim scriberent ad Imperatorem Arcadium, profundi somni eum arguentes in ijs, quæ ab ipso gerebantur, & quod non honeste nec iuste, sed plane nefarie fuit decretum Iohannis secundum exilium, & quod oportet omnino, si est ei aliqua honesti ratio & pacis ecclesiarum, Patriarcham quidem rursus restitui Ecclesiæ, & episcoporum synodum fieri Thessalonicæ, vt quæ sita sit in medio eorum, qui ab Oriente veniunt & ab vrbe Roma: adesse autem etiam Theophilum, vt qui fuerit præcipua causa eorum, quæ improbe facta sunt in hac relegatione: & sic causam Iohannis ab animi perturbatione alieno & iusto iudicio decidere. Propterea enim, aiebant, aliquot Italiæ Episcopos, qui recta incedunt conscientia, & sunt acres iustitiæ defensores, propter hoc ipsum emittere statuimus.

Legationẽ hanc Episcoporum Italiæ anno 405. decretam, anno 406. missam, ex rebus gestis declarat Baron.

CVM has itaque literas cum actis, quæ propter hanc causam facta sunt à synodo Episcoporum Italorum, sanctus CXXVIII. accepisset Æmilius, (erat autem is Episcopus Beneuenti) Cathegiusque & Gaudentius cum Valentio & Bonifacio presbyteris, Roma iierunt iter versus Byzantium, sequente Quiriaco & Demetrio simul cum Palladio & Eulysio Episcopis, qui cum Iohanne cõmunicabant. Ii enim prius descenderant, & Romanorũ auribus omnia aperte exposuerant.

Cùm

Cum autem iam in Græciam nauigassent, comprehensi fuerunt à quodam tribuno militum, mente valde corrupto & deprauato. Qui cum eos cuidam ex suis tradidisset, non concessit vt viderent Thessalonicam, cum vellent illuc prius proficisci, & Anysio Episcopo tradere missas à Papa literas. Cæterum hoc quoque erat inuentum & artificium mulierum omnium sceleratissimæ Eudoxiæ. Nam cum ipsa accepisset fuisse missos Episcopos Italos, & quanam de caussa venirent, hæc prius est machinata, & obstitit mentiedrum, qui miserant. In duas itaque naues diuisi ab eo, qui acceperat, decimo die appellunt in quendam locum, non multum distantem à ciuitate, qui erat prope suburbana Victoris. Deinde cũ illinc quidam alius, nomine Marianus, eos accepisset, nec ille quidem sine arte & malitia, sed ad hoc missus ab Imperatrice, eueſtigio eos duxit, & in custodia Thracię, quę vocatur Athyras, violẽta mẽte & manu eos inclusit. Episcopi & presbyteri Itali crudelissime vexantur. Hic conuiuũt erroris, qui Eudoxiã anno 404. morte superuixisset.

sublatam, vti Prosper Marcellin Zonaras & Cedrenus dicunt, cum hic auctor & græci omnes qui vitam S Chrysostomi descripserunt, ad huc se doceant, imo & tribus mensibus post sancti viri obitum Bar. asserat, quem vide tom 5 annal.

CXX. IX. SEORSVM ergo Romani & Quiriacus Episcopus cum suis inclusi, acerbe torquebantur, grauiter examinabãtur, afficiebantur malis innumerabilibus, & ab eis exigebantur epistolæ. Cum autem discerent se non daturos, nisi vidissent Imperatorem, cum essent legati, primum quidem vno misso ex patricijs, deinde alijs quoque viris illustribus & epistolas exigentibus, tandem quidam Valerius nomine, genere Cappadox moribus belluinus, ex re impudentissima & violenta volens sibi nomen comparare, vnus ex Episcopis, apud quem erant literæ ad imperatorem & ad alios, fracto pollice, eas aufert, & pugillares, & sacra vasa, & quidquid argenti erat eis vsui. Quod ipsum quoque malo consilio factum est, vt cum eis deessent quæ sunt ad vsum necessaria, cogerentur aliquid facere præter sententiam. Die autem sequenti, incertum an ex ijs, qui erant Imperatricis, an ex iis, qui erant Attici, quidam accedentes, volebant eos non gratis nec paruo precio, sed acceptis tribus milibus aureorum, cum Attico quidem communicare, Iohannis verò causam negligere. Cùm ij autem id passi non essent, (nam aliquid quoque acciderat diuinitus: Æmilij enim diacono, Paulo nomine, qui erat moderatus & temperans, diuinus Paulus in somnis apparens, Videte, inquit, vt cautè ambuletis, dies enim mali sunt: tacitè significans fraudem, ad quam muneribus & blanditijs eos studebat inducere.) Cum ergo non passi essent, sed hoc solùm peterent vt liceret redire ad eos, qui miserant, Valerius iste, cuius insanum & violentum facinus fuit fractio pollicis, cum non solum esset audax & violentus, sed etiam ad maleficium, vt res ipsa indicabit, calidissimus, naui iam vetustate fatiscenti & putridæ, vt eos aperte perderet, committens, sceleratus iussit eos abire. Cum ergo parum abfuisset, quin inciderent in periculum, vix tandem euenit, vt appellerent Lampsacum: & cum illic mutâssent nauigium, post quatuor menses venêre Romam. Innocentio itaque narrant, quæ acciderant Quiriaco & Palladio, an aliquid eis factum esset ignorantes: sed nec de Iohanne valentes scire, quid accidisset. Quæ quidem omnia obtusum latebant Arcadeam, vt postea scire licuit. Valerij nefarium facinus. S. Paulus apparet cuidam.

CXXX. SED enim rursus redeat oratio, vnde est digressa, & narret ea, quæ restant de illo magno Iohanne. Admirabilis ergo ille Iohannes cum Cucusum venisset, & in ædibus Adelphij, vt iam diximus, degeret, (illic enim eum reliquimus) multos quidem pauperes aluit pane terrestri (tunc enim grauissima fames eum locum inuaserat) longe autem plures nutrimento, quod à lingua suppeditabatur, quod & cor confirmat & mentem illuminat. Quàm multas autem de multis necessarijs habuit orationes: Quid enim ex iis, quæ contingunt aspera & molesta, potuit linguam sistere quæ fluebat instar fluminum? Habuit etiam non paucas de patientia, & quod non solum oporteat non esse socordes, sed nec offendi molestiis, quas contingit perpeti. Multæ quoque ab eo diuinæ scribuntur epistolæ ad sanctam Olympiadem, in quibus sæpenumero vnum dicit esse terribile, nempe peccatum: & ei recenset molestias, quæ euenerunt in itinere, & eam mœrentem propter eius priuationem studens recreare, efficit vt non sit desperandum, fore vt eum rursus conueniat. Quinetiam quemadmodum cum via moleste in summo æstatis vigore perageretur, & vehemens eum febris inuasit & mala stomachi, & qui in his longe erat grauior sceleratus Gallus, cui fuit ad ducendum vir ille iustus commissus. Chrysostomi in exilio res gestæ. Chrysostomum non semper in ædibus Adelphi Cucusi commoratum sed etiam apud Dioscorum eius docent Epistolæ, vide Bar. ad an. 404.

CXX. XI. PRÆTEREA autem, quemadmodum cum ad quoddam venissent diuersorium, omnia illis molesta acciderunt, eorum, qui ipsorum curam gererent, solitudo, inopia rerum necessariarum. (Vtor enim illis eisdem verbis aureis) nullum adesse medicum, metus irruptionis Isaurorum, & spes, fore vt mox in eorum manus deuenirent. Quid verò, qui præter omnem bestiarum feritatem in eum furebant monachi, minantes se eum combusturos esse cum ipsa domo, & quemadmodum à febre male affectum, & de itinere valde fessum, qui eum abducebant, non modo eum nulla dignati sunt misericordia: sed eos etiam, qui volebant, prohibebant, minantes eis extrema & omnium maxime terribilia? Præter hæc autem, qualem viam peregit, nempe arduam, lapidosam & difficilem, idque cum ægre posset ingredi, vtpotè quod ei esset male affectum corpus, quantum ex eo scribente sciri potest, quando etiam rogat beatam, vt ei curæ sit, vt non sit relegationis via longior, dicens: Mihi mille exiliis est, ingredi difficilius. Hæc & alia his plura, quæ facta sunt post relegationem, inuenerit quispiam has epistolas referentes. De horum Monachorum furore refert Bar. ex Epist. 14. Chrysost.

CXX. XII. SED illuc rursus reuertor. Cùm enim magnus ille Cucusi, & corporis nutrimento non paucos, & plures nutriret pane animæ, accensa ex eo inuidia, facit eum rursus migrare Arabissum. Volebant enim illi scelerati & plane deploratæ improbitatis, cum ei malefaciendi nondum ipsos cepisset satietas, eum tam frequẽtibus cedentem afflictionibus vitam sic amittere. Sed illuc quidem abductus, maioribus afficitur vexationibus: sed aperte ostendit se à philosophia effectum superiorem quolibet, quod possit accidere, & ex his maioris virtutis sumere occasionem, & per ipsa lætus resplendere, perinde atque in igne lucem ei suggerente maiore materia: Sic ille, qui erat re vera inuictus, & nec ab afflictione, neq; ab vlla alia molestia superatus, sic affectus afferebat potius molestiam sycophantis, eiusque laus & fama valde angebat eorum animos. Quam admirabilis res est virtus, magnique facienda & beata iudicanda ab iis, qui sapiunt? Nam ille quidem tot malis appetitus, manebat inuictus & inexpugnabilis, & re quæ intentabatur qualibet superior. Ii autem, in quorum potestate erat hæc facere, erant miseri & timidi, & quo non miseriores? pauperem, erronem, exulem formidantes, & licet tanto esset interuallo disiunctus, efficienres vt pluribus remoueretur finibus: vt nec eius quidem fama eo perueniens, inuidos eorum animos sauciaret. Hinc Pityuntem, cum sic eis esset imperatum, traducitur ab eis, qui eum custodiebant, est autem id oppidulum valide desertum, situm quidem ad dexteram in fine maris Pontici: est vero finis Romanorum imperii, contiguus barbaris & crudelibus gentibus. Abducitur post ann. vt habet Palladius Arabessum. Eius inuicta patientia. Traducitur Pityuntem.

CXX. XIII. CVM ergo iam esset in itinere & ad hoc vltimum duceretur exilium, iam ad Deum potius profecturo & cessaturo ab his magnis laboribus, paucis ante diebus noctu precanti, Petrus ille magnus & Iohannes, quos etiam viderat in principio vitæ ex Deo agendæ, rursus ei apparent, & lubenter eum alloquuntur, recreantes à laboribus, & victoriam aduersus dæmones suauissime annunciantes. Deinde cum ei gratum excessum prædixissent, & quæ eum quidem bona mox essent exceptura, mala autem Eudoxiam eius persecutricem, Comede, dicunt, quendam ei cibum ostendentes: quem cum comederis, non erit tibi opus alio, donec eum sumes nobiscum, in quem non cadet interitus. Hæc & illi dixerunt, & ipse sumens comedit, & sic illi quidem recesserunt: ipse autem satis recreatus, lingua læta & florida, Christo, qui eum tam pulchra impertiit consolatione, egit gratias. Sed quis est, qui hæc in lucem protulit? dixerit quispiam acrioris ingenii. Clarum est n. quod non ille, qui res suas valde celare sciebat. In promptu est, quod respondeatur. Duo Petrus & Iohannes apparent ei.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

enim presbyteri & quidam ex diaconis, qui magno captu eius desiderio, elegerant peregre cum eo proficiscí, laborumque & dolorum eius esse perpetuo participes, oculisque & auribus hæc diuina acceperant, & hæc alijs similiter tradiderunt. Cùm autem quatenus iam finis appropinquabat, oporteret cœpta magis attolli conuenienter animi alacritati athletæ, cùm duceretur in exilium, ij quibus commissus fuerat, eum tam longis & tam vehementibus vexabant ambulationibus, vt vellent eum morti tradere, nimia celeritate victum & afflictione. Itaque cum & imbres deciderent vehementes, & sol vreret ardentissime, tunc & prolixior erat eius deductio, & ab eo postulabatur vt intensè ingrederetur. Vbi autem erat ciuitas aut locus aliquis, aut corporis defessi recreatio, aut lauacri solatium, aut aliqua alia breuis laborum remissio, ne parùm quidem eum volebant illic manere, cùm sic eis fuisset imperatum, Merces enim crudelitatis eis promissa fuerat; maiorum honorum consecutio. Sed cùm ille hanc viam difficilem perageret iciunus, vultum habuit longè lætiorem ijs, qui assidue vacant delicijs & compotationibus. Atque Pityuntem quidem definitum ei locum exilij, vt ei Epiphanius prædixerat; non peruenit. Sed cum esset prope Comanos, & diuersati essent in martyrio Basilisci, quem aiunt quidem fuisse Episcopum: tempore autem Maximiani in ciuitate Nicomediæ subijsse certamen martyrij & vicisse, & corona fuisse redimitum, ei apparens in somnis Basiliscus: Bono animo esto, inquit, ô frater, & lætare, ambos enim coniunget dies crastinus. Dicitur autem ædituo quoque martyrij die præcedenti apparuisse, & dixisse: Para locum fratri Iohanni, venit enim.

O crudelitatem plusquam barbaricam.

S Basiliscus ei apparet. Pallad. in Dialog.

CVM autem simulatque illuxisset, viam rursùs essent ingressuri diem, sciens magnus Iohannes tanquam ex responso, rogabat eos, qui abducebant, vt sinerent eum manere in loco. Cum illi autem non concessissent, sed instar voluceris triginta stadia confecissent, ipse, cuius voluntate omnia administrantur, ipse (ô miraculum) effecit vt errorem subeuntes, redirent in illum locum, eosque rursus habebat ædes martyris Basilisci. Cum autem & tempus vocaret, & iam adesset hora eius ad Deum migrationis, & egregia illa lingua esset tacitura, & claudendi essent oculi nuncij puræ illius animæ, & insignis temperantiæ summa pulchritudine, omnem quidem quam secum attulerat suppellectilem, diuisit ijs qui aderant. Deinde etiam cùm exuisset ea, quibus erat indutus, ea quoque donat: & cum se ad calceos vsque lætiùs & alacrius composuisset, vt etiam ijs, quæ apparebant, liceret cum ijs, quæ erant intùs, celebrare diem festum eius excessus & migrationis, & cùm sic ornatus diuina sumpsisset sacramenta, & consuetam effatus esset precationem, Gloria tibi Domine propter omnia: quinetiam se signasset ligno crucis, cum qua vixerat, & pedes extulisset, pedes, inquam, illos speciosos & vere Apostolicos beatum illud iter inijt, vt Christum videret, cum Christo versaretur, Christi perpetuo exultaret pulchritudine: sibi quidem felix ob decessum & migrationem: magnam autem afferens tristitiam ijs, qui res illius pulchrè nouerat, & quibus vel modicum sui mellis gustum præbuerat. Fuit autem dies eius decessus, qui fuit viuificæ Crucis, quam ex re ipsa solemus vocare [a] Exaltationem, quæ, vt omnes sciunt, celebratur quartodecimo Septembris. Oportebat enim eum, qui se nulli rerum præsentium dediderat, sed se totum mundo omnino crucifixerat, & in nulla re alia gloriatus fuerat, quam in cruce Christi, eo ipso die festo Crucis, eum ipsum quoq; deponere puluerem, quem habebat ex hac materia, & mundum peruenire ad eam, quæ est in cælis, conuersationem.

CXXIV.

Percipit diuina sacramenta, & felicissimè abit è vita. anno 407. 14 Sept. vt docet Bar. [a] Festũ exaltationis S. Crucis.

TVNC autem existit quoddam manifestissimum indicium omnium amoris in sanctum. Nam cùm iam ad multorum aures peruenisset eum decessisse, & communis iactura in omnem partem peruaderet, multitudo innumerabilis, multitudo incredibilis virorum simul & mulierum, quæ piè exercebantur, ex ipsa Syria & Cilicia, ex Ponto & Armenia confluebat ad adorandum beatum tabernaculum. Quod quidem, cum ei de more sacri dicti fuissent hymni & psalmodia, & vix effugisset eorum manus, qui ipsum tanquam viuum accipiebant & cum gaudio complectebantur, & id contendebant, quicquid fieret, non dimittere, deponitur prope Basiliscum martyrem, re vera dignum omnibus laudibus, vt quod tali fuerit animæ coniunctum, & talium laborum fuerit ei socium, & ministerij grati ei, qui ipsum creauit: Ad laudem ipsius boni Dei nostri ad cuius gloriam ipse omnia faciebat, & vnigeniti eius filij, & viuifici spiritus: quæ est beata & principalis Trinitas, quam decet gloria, honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

CXXV.

AN. 380. VITA EIVSDEM S. P. N. IOHANNIS CHRYSOSTOMI, A GEORGIO ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPO GRÆCE CONSCRIPTA,

Godefrido Tilmanno Carthusiæ Parisiensis monacho interprete, ex Antuerpiana (quæ sexto operum Chrysostomi tomo est ex Græco emendata, & cum ea, quam habet Simeon Metaphrastes comparata) margini additis variis lectionibus.

PRÆFAT.

17. IAN. * *historici.* Historiographi veteres vnde sua sint mutuati. Moyses quæna literis mãdarit. Secũdę Generationis scriptores quæ scripserint * *qui &* יהושע Iosue, prius dictus Osee. Nouũ Testamẽtum.

PRISCI illi ad vnum omnes * historiographi quæ literis prodiderunt, partim quidem ea sunt mutuati à scriptoribus æui superioris, partim autem quæ auribus excepissent; partim verò res gestas commemorarunt, quarum fuissent testes oculati. Moses enim ille prophetarum eximius in literas misit generationem mundanæ molis authore Deo conditam initio exorientis seculi; arcana hæc mysteria ab ipso edoctus, quippe qui sensibilibus oculis nihil eorum spectasset, quo tempore mundialis fabrica formata est. Dein secundum eam historiam, alterum conscripsit librum, nempe τὴν ἔξοδον, hoc est, suæ gentis exitum de Ægypto, liberamque manumissionem à Pharaonica seruitute. Et quidem ea refert quorum partem fieri ab Hebræis in Ægypto contigisset ante suam ætatem, quæ & auditu perceperat, partem verò longè maximam ipso aspectu contuitus est. Dein subnectuntur ordine libri tres reliqui Iudaicæ legis aduſque vitæ suæ finem. Secundum hunc rursus, quæ succedente altera generatione euenerunt, nimirum duce * Iesu filio Naue, & sub iudicibus Israelitici populi, simul & quæ contigerunt sub pugnacibus ac bellicosis agminibus Iudæorum pariter & alienigenarum, memoriæ alij prodiderunt. Quæ item sub regibus acciderunt, conscripserunt alii. His adde prophetias sanctorum virorum & qui Deum piè coluerunt, libros insuper psalmodiæ melico concentu depromendæ Sapientiæ ac Prouerbiorum. Iam verò quanta Iudæos apprehenderint incommoda, quàm multæ illis calamitates inflictæ sint à Persis, à Medis, à Romanis, denique à quam plurimis aliis nationibus, vetus declarat historia. Alios præterea habuimus excellentes qui pro temporum qualitate gesta in commentaria transmiserunt ad futurarum generationum cognitionem, ac rerum peritiam. Præterillam denique veterem scripturam efflorvit Domini nostri ac Dei Iesu Christi gloriosus aduentus, perinde ac verna quædam temperies totius fragrantiæ spiritualis, ex semet perquam suauem emittens redolentiam, quæ omnem propellit ignorantiæ caliginem, eorumque mentes illustrat qui in ipsum credunt, & id dilucida enarratione euangelistarum, pariter & apostolorum. Pro tuenda autem veritate explenduerunt & sancti martyres, monachi item viri plane deiferi, idque propemodum infinita multitudine, quorum quidem virtutes, religiosæ vitæ formulam atq; certamina (qui illo in tempore deprehensi sunt strenui ac cæteris tolerantiores laborum) conscripserunt, ad Dei quidem gloriam, submonitionem verò, & vt ad imitandam illorum conuersationem eos inuitarent.

Hi ni-

Hi nimirum catholici ecclesiarũ historiographi, qui quæ ab ipsis gesta sunt, & de ipsis dicta monimentis prodiderunt ad eorum haud mediocre emolumentum, qui forent lecturi. Nec secus Gentilium illi poëtæ & historiographi suapte natura se ad scribendum comparârunt, ceu cuique illorum visum est & perplacuit, quorum quidem libri partim temporis iniuria interciderunt, partim verò in hunc vsque diem seruantur incolumes. Horum autem omnium commeminimus, atque in medium produximus, nec id ab re aut casu fortuito, sed quia enarraturi sumus, quæ gesta sunt per pietatis cultorem, modisque omnibus sacratum, & orbis vniuersi doctorem ac luminare, beatum Iohannem, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ thronum moderatus est, suisque prærogatiuis exornauit temporibus Arcadij & Honorij Imperatorum, idque ad communem eorum, qui lecturi sunt, vtilitatem Ingenuè quidem ac propalam profitemur, nihil horum nos spectasse oculis, sed hausisse nonnullam portionem ab ijs, qui res gestas conscripserunt: quædam item sum mutuatus è * Dialogo Palladij Episcopi ad Theodorum Romanæ Ecclesiæ Diaconum: quippè qui Episcopus illo in tempore versatus sit Constantinopoli, quo factum, vt quæ gesta sunt omnia, assequi potuerit. Secessit tandem è ciuitate quum suo cessisset episcopatui, detestatus factiosam coitionem eorum, qui aduersus beatum Ioannem adornarent insidias, præterque præscriptam formulam Canonum sententiam tulerant damnationis, veriùs in suum quique caput. Ad hæc nonnulla decerpsi è Socrate historiographo Ecclesiæ. Alia insuper sum mutuatus è diuersis exemplaribus, quædam verò didici relatu sacerdotum laicorumque Deum piè colentium, qui de his rebus compertissimæ fidei iureiurando certiores nos reddiderint. Quum enim res ab ipso gestas deprehendissent, scripto esse prodi-as, eas nobis ediseruerunt. Erat vir iste placidis moribus, atque amabilis adeò, vt omnes caperentur desiderio audiendi, quæ in vita gessisset, nec solùm, sed & quæ commentaria conscripsisset, & ordine digessisset. Nos autem omnia quum legissemus, censuimus esse consilij parùm prudentis, finere tanti viri virtutes sparsim & per vulgus deerrare, quin præstabilius fore duxi, si eædem in vnam concinnam suisque partibus cohærentem historiam compingerentur, quasi si quis margaritum intertexat catenulæ auri bracteolis, nihil è suis ei adijciens. Et hæc quidem tametsi leuis admodum momenti sint, quæ à me sunt mandata scripturæ (siquidem cum illius eximia virtute componantur) nihilominus his, qui candido ac simplici animo ea efflagitarunt, abundè sufficient ad expromendum huius sancti præterùidum pectus, ad declarandum, quanto erga diuina zelo incandescebat, ad exprimendum quàm illi fuerit intemerata viuendi ratio, quamque omnibus virtutum ornamentis suam excoluerit vitam, ad ostendendum, quanta cum solicitudine consuluerit animarum saluti, nulla non in re imitatus sanctissimum Apostolum Paulum, ita vt euaserit tandem probatus interpres scripturæ totius diuinæ, dum ea dilucidè interpretatur & explanat, quæ tam multis fuerant eatenus intellectu perquam difficilia. Probabile est & alias conscriptiones inueniri (quæ alioqui nostram fugiant cognitionem) peruigili quorundam lucubratione esse editas ad illius admirabilis viri vitam spectantes. Nemo interim nostra hæc improbet aut suspecta habeat, sed beneuolo nec ingrato animo excipiat ea.

Vnde autor sua hauserit * extat Ambrosio Camaldulensi interprete.

I. Sane initium historiæ huius à Deo inspiratæ summa à conuersatione & instituto vitæ (quàm in virtutum exercitijs consumpsit) exorsus ab ipsius tenella ætate, sicut accepimus ab his, qui nostram antegressi ætatem tradiderunt. Hic igitur Ioannes genere illustrissimus, idem sapientissimus, & cum primis admiratione dignus, Antiochenus quidem erat * Cœles Syriæ, filius autem vnius ex illustrissimis illius ciuitatis, cui nomen Secundus. Versatus hic est inter exuberantes diuitias: & ea dignitate explenduit, vt præfuerit ductando exercitui. Mater Anthusa vocabatur, & ipsa ab ijs prognata, qui in ciuitate principem locum obtinebant. Ioannes verò hic ab ipsa mox tenella ætate velut sortitò sibi asciuerat viuendi morem apprime honestum & commendabilem, conuersationem verò scitè ac prudenter moderabatur, perpetuo sibi temperans à ludicris rebus ac puerilibus ludis Porrò à suis parentibus quam humanissimè educabatur, vti spectabilis honestas ac decor suæ nobilitatis exigebat. Erant autem omnes * Græci. * Meletius autem Confessor, qui tum sedem Antiochenæ Ecclesiæ obtinebat, beatum Ioannem primum baptismo admouit, denique & ipsius parentes regenerauit fonte baptismatis. Non enim permittebat Deus splendidi istius luminaris ac doctoris ecclesiæ parentes expertes esse erga se fidei & cognitionis, idque per gratiam baptismatis. Ioannes autem simul atque per ætatem adoleuit, iamque deinceps visus accommodus excipiendæ disciplinæ sanctiorum & præstantiorum [b] literarum, traditus est vni cuipiam doctori erudiendus disciplinis. Puer autem quum esset dextima indole ac felici admodum ingenio præditus, exiguo tempore sacras literas edidicit. Erat enim discendi cupientissimus, Dei in se conseruans timorem, nec non eximiam humilitatem, noctu & interdiu vacans meditationi disciplinarum. Ita se quodammodo comparat & consueuit natura hominum, eorum maximè, qui luculentis opibus exuberant, alios præ se aspernantur ac fastidiunt, imaginariam seculi huius de se existimationem deamant. Ipsius itaque patentes imperant, vt inscenso equo vnà cum pueris ac pædagogis, ac frequenti satellitio disciplinæ diuersorium adiret.

Patria & parẽtes Chrysostomi * ποίλις συρίας. [a] Ioh. Chrysostomum natũ fuisse anno 354 Constantio septimum, & Gallo tertiũ Coss iuxta putat Bar in annal. ad an. 362. Vbi & de matre copiosius disserit. * ἕλληνες *quos paganos dicimus*. * *Meletius autem Armenius & confes.* [b] Traditur literarum sacrarum disciplinis.

Sed enim non modò aurem hisce non accommodabat, nempè deciduis honoribus ac momento præterfluentibus, quin potiùs omnibus contemptis, vt ne hæc faceret, diuersus abibat, [c] nec vllam inibat rationem eorum, quæ ad fastum superciliosamue arrogantiam spectabant, quod is in multa humilitate degere statuisset. Ecquid multis opus? Illi ætate compares nimia sui existimatione in scholam quum aduenissent, probro illi dabant, quòd se ad eam vsque demitteret humilitatem: ipsi verò nihil horum curæ erat, quin potiùs mentem suam eò adigebat, vt in disciplinis totus nec illibenter versaretur, à semel arrepto statu nullo pacto se demutans. Quum autem ipsum perspexissent ad hunc modum vitam instituentem ac perseuerantem, pædagogus & qui cum eo erant pueri vel inuitum adigebant, vt sineret se persuaderi, ac parentum iussis obtemperaret. Horum suadelis neutiquam cedebat. Rursus interiectis diebus aliquot, quidam ad ipsum profecti, dicunt: Domine, qui tecum sunt domini nostri simul & genitores tui imperarunt, vt hanc seruilem operam exhiberemus ad ipsorum laudem, gloriam & honorem. Vtique quia non admittis nostrum hoc obsequium, non leue periculum & indignationem qualemcunque aduersum nos concitas. Indignabuntur * aduersum nos suspicati per contemptum præcepti id nos fecisse, nec curæ nobis fuisse eorum existimationem, sicque tua vnius causa nos disperdent. Nunc igitur nostræ huic deprecationi assentire, nosque & immunes conseruato ab impendente hac afflictione, acquiescens nobis, vt opere ipso eorum erga te expleamus iussionem. Sapientissimus Iohannes ad hæc respondens eis, multa cum moderatione & mansuetudine, dixit: Vt se res sic maximè habeant, quemadmodum dixistis: at certe quatenus sum elocatus ad imbibendam literarum doctrinam, prout decorum huius meæ functionis exigit, penes me retinebo humilitatem: & reliquos mihi condiscipulos, qui tenues sunt & humiles, imitabor, vt exceptæ semel doctrinæ in corde meo fixiùs pangantur, radicemque altiùs agant, & in intellectu meo fructus edant vberiores, non item affixus aliorum despicientiæ & falsæ imaginationi acquiescens confundam mentem in re futili, id quod fas non est. Superbia enim mater est supereminens istis omnis intelligẽtiæ expertibus. Quisquis ei commodat aurem, disperit: humilitas contra nihil non ritè conficit operis, in sublime prouehens suos possessores, & eos rectà deducens. Si inscenso equo aut mulo, quibus non est intellectus, vehar sublimis, quid hinc emolumenti ad me resilient? Aut quid attinet vos affligere, vt me pedites consectemini? Porrò quis eorum qui mihi sunt cordi, si hæc videat agentem, non * dequeratur, non incuset? Sanè quidem argumentum hoc vestræ erga

[c] Factum vitat & auersatur. * *aduersum suspicati.* * *conqueratur.*

nos beneuolentiæ, comprobaui: quod autem me ex officio addecet, in primis censui id mihi obseruandum. Illi vt perspexerunt scopum mentis ipsius flecti nescium, & in destinato proposito intransmutabilem, illinc se proripientes clàm ea omnia vti gesta erant, renuntiarunt ipsius parentibus, & quia omnimodam gloriam nihili duceret, nihili faceret mundi fastum, quin quòd se gereret exemplo vilium & abiectorum hominum. Hæc quum eius parentes illorum relatu didicissent, accersito ad se dicunt ei: Quam ob causam fili vidéris aspernatus nostrum honorem nostramque dignitatem? Mores enim decoros eorum, qui hac in ciuitate luculentis opibus prælucét, minimè sequeris, sed nostræ nobilitatis amplitudinem extenuas & imminuis tua hac deiectione. Numnam nosti, cuiusmodi parentum es filius? Itaque ab istiusmodi abiectæ vitæ instituto fac te auoces, & eam viuendi formulam, quæ nos addecet, complectitor. His sapiens Iohannes respondit, clementer dicens: Nunquamne audijstis diuinam scripturam præconio celebri pronuntiantem & deprædicantem eos, qui per humilitatem suam traducunt vitam: eos contra exinanientem, qui in insolenti arrogantia & vanitate viuunt? Non ego melior sum Daniele, aut tribus illis pueris, qui in captiuitate positi, & vnà cum populo Israëlitico abducti in Babylonem, in humili habitu suam traduxêre vitam, quorum vnus quidem in lacum coniectus ora leonum obturauit, tres autem alij incensam fornacem tanto igne flagrantem, flammaque in sublime se surrigentem extinxêre. Hi vtique non quod fastidierint inopes & despicatui habuerint, non quòd supra alios per superbiam se sustulissent, brauium palmaris victoriæ insigne adeò & glorioſum sunt assequuti, quin potiùs merito temperantiæ & humilitatis, isthæc omnia cum laude peregerunt; Vsqueadeò vt in illa regione moderandis regalibus edictis præfecti fuerint. Horum igitur exemplum ipse ego imitabor, quippè qui satis intelligam, quæ ab istis fiunt, infirmiora esse telis aranearum. Isto enim pompatico fastu vtentibus, adeò nihil emolumenti adferunt, vt plurimum concilient detrimenti, qui his deridiculis nituntur. Quæ igitur addecent opere ipso profitentes cultum Dei, ea omnia potiùs exequar, spe bona fretus relaturum me esse à Deo opulentiæ totiùs profusissimo largitore, tantò plura istis equis, pueris, honore & imaginaria mundi existimatione, quæ dat ipse Deus his, qui eum diligunt, quemadmodum scriptum est: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum. Gloriam enim nemo sibi emereri queat, nisi à Deo detur. Siquidem omnis, qui se exaltat, humiliabitur: qui autem se humiliat, exaltabitur. Hinc fit, vt nisi quis priùs se humiliet, (quamlibet cupiat) non potent assequi conuersationem coniunctam virtutum ornamẽtis, sicut scriptum est apud Psalten: Bonum mihi, quod humiliasti me: vt discam iustificationes tuas. Profuerit itaq; , si parumper meipsum humiliem, vt opportuno illo in tempore exalter. His & cõsimilis formulæ sermonibus apud suos parentes vsus eorum animos hisce verbis perculit admiratione ac stupore. Ea siquidem sale erant condita diuinæ sapientiæ, quapropter eius sermonibus persuasi facilè indulserunt, vt rem totam pro sua voluntate transigeret, hoc ab eo postulant, vt si aliud non posset, saltem vnum è seruis se comitari, ne solus in via dum ad scholam pergit, spectaretur deambulare. Persuasus assensum præbuit, vt faceret. Res gesta per totam eam ciuitatem celebri auditu euulgata est, ita vt qui audiebant omnes in admirationem raperentur, & obstupescerent super tali sapientia, quæ in hoc erat recondita puerulo, ac dicerent. Quid vtique *ex hoc puero futurum est? Post multum verò temporis, eius pater finem accepit vitæ, ipso matris prouidentiæ relicto, & ecce repente mater orbata est puella. Et hæc quidem paulò antè è paternis ædibus excesserat,* rerum alioqui expers. Quare mater intolerabili luctu cruciabatur, innumeris prætereà diuexabatur afflictionibus, quarum quidem, quàm perplexa sit ac molesta grauitas, hæ & solæ possint exactiùs nosse mulieres, quæ experientia doctrice didicerunt *a viduitatis incommoda. Sermo enim nullus assequi possit, quàm sit turbulenta tempestas hæc atque procella, vbi tale quid patiuntur, & tum maximè quum inita nuptiarum fœdera nihil ingratè insederint animo, erga coniuges fidem conseruantes vnici thori. Necessitate enim eò adigebatur, vt curam obiret tenellæ adhuc ætatis, & infirmitatem naturæ sustineret potiùs, famulorum item socordiam emendaret, improbos eorundem astus ac maleficia obseruans. Parte rursus alia, propulsandæ illi erant insidiæ consanguineorum, calumniæ insuper & violentæ vexationes eorum, qui Reipublicæ negotia administrabant, elidendæ: quin & illam oportebat ferre generoso pectore inopiam consilij erga eos, qui tributa exigebant. Illa verè beata non horum solicitudinem modò obibat, sed & ad hæc accedebat solers prouidentia de filio. Vnoquoque enim die timor ei erat, ingenti solicitudine & curis plenioribus complebatur, secum reputans, quonam pacto eum liberaliter educaret. Cupiebat enim ipsum ita omnium oculis subijcere, vt nemo ea in ciuitate illi præpolleret intellectu, sapientia, ac nobili vitæ instituto, quò factum est, vt illa non aberrarit à scopo & præconcepto erga puerum desiderio, ita vt quæ de ipso erant, nulli non ciuium innotuerint. Sed enim ipsum *eduxit cum primis delicatè, multa cum obseruantia & corporis oblectatione pro consueto istis nobilibus viuendi more. A sibi coæuis subindè admonebatur liberè & citra pudorem quiduis aut loqueretur, aut ageret, secumque adiret theatrica deliramenta, & ludos circenses, nullo eorum habito delectu. Ex oppositio ille in quiete & silentio mentem suam adigebat immorari disciplinis, nulla prorsus ratione sinens se auelli à proprio semel arrepto statu & præconcepta persuasione. Literarum eruditione expleta, in disciplinam traditur [b] Libanio sophistæ viro vtique ad summum apicem exercitato in Grammatica, Sophistica & Rhetorica disciplinis. Auditor insuper fit Andragathiæ insignis philosophi. Hi quidem tum temporis celebritate nominis inclaruerant præ cæteris omnibus, qui Antiochiæ versabantur sapientes. Beatus hic Ioannes disciplinæ literarum omnium sic se addixit, vt exigno tempore ex priscis auctoribus quàm plurimum librorum enarrauerit, quos quidem multi cum labore & fatigatione non pœnitendis, adde etiam & prolixo tempore vix possint rectè conficere. Quæ legebat, vtique quum intelligeret, perstringebat *græcanicam &* fabulosam ratiocinationem, adiutrice diuina se inhabitante sapientia. Et quidem in his, quæ illi futura vsui videbantur, decerpebat: cætera velut aculeata ac spinis horrentia, auersabatur. Ciues porrò ad vnum omnes admiratione ingenti ac stupore tenebantur, videntes eum in exceptandis disciplinis vsque adeò promouentem. Ille autem postquam ad summum prouectus est eruditionis, perq; ætatem adoleuit, egressus [c] Antiochiam concessit Athenas, suppleturus quæ sibi deessent ex omnigena eruditione, ne qua cognitione disciplinarum destitueretur. Itaque illic dum sedulò vacat lectionum meditationi, quantaue inesset argumẽtorum grauitas simul & rerum amplificatio; breui admodum tempore (vti assolet spongia) aquam totam exhaurit. Quumq; [d] Athenienses ipsos, qui eum in schola præierant, iugi exercitatione vniuersos euicisset, sic vt illic etiamnum incolas ciuitatis in sui admirationem conuerteret, proinde & dicerent in eo spiritum reuixisse vnum aliquem priscorum * rhetorum, tunc primum à condiscipulis aduersus eum cœpit flamma inuidiæ exardescere. In peritia enim * sapientiæ Athenienses neminem sibi patiebantur anteponi, id maximè si externus esset & suæ hospes ciuitatis. Athenis vir † quidam erat nomine [e] Anthemius ad apicem vsque literarum omnium eruditus, vt ob eam scientiæ prærogatiuam, & Athenis & Romæ erecta illi fuerit columna. Quaquauersum progrederetur, comitabatur eum hominum ordo numerosus, non ad ipsius solum * obsequium, sed & eorum, qui magnopere cuperent eius audire sapientiam. Plurimum enim sapientiæ sibi insolenter arrogabat, & hoc nomine non parum honoris ab omni passim populo, abopulentissimis quibusque & principibus ciuitatis deferebatur. Sed enim sapientissimus Ioannes [f] non humani solùm dexteritate ingenij aut sapientia plenus quũ esset, quin potiùs diuina quadam intelligentia, gratia simul & animi constantia præditus, amantissimus fuit modestissimæ humilitatis. Vitam frugalem admodum transigebat & requietam.

Anul-

Chrysosto. responsum ad patres, qui eum ad fastũ inducere molie bantur.

Iacob. 1.
Matth. 23.
Psal. 118.

* hoc puero, absq; ex. Pater eius moritur, relicta matre 20. annorũ ætatis vidua vt ex Chrysost. Epist. 1 ad viduam iunior astruit Bar. ad ann. 362.

* ἁρμοσάμενον de thoro sponsi intelligit.

a Viduitatis incommoda.

* eduxit pro educauit.

Humaniorib. traditur literis

b Chrysostomũ Libanio in disciplinam traditũ, testatur Chrysost. ad viduam iunior epist 1 tom 5.

* ἑλληνικὴν Gentilium.

* μυθολογίαν.

c Athenas profiscitur.

d Collatio puerilis nõ inelegãs

* oratorũ,

* naturalis aut mundana.

† διάλεκτος vel rectis narratio.

e Anthem. ob eruditionẽ, quibus honoribus affectus.

* ὀψίκιον vox latina, sed corrupta, ex obsequio,

f Humilitatis est amantissimus, Chrysost.

A nullo proinde non ciuium ipſe amabatur, ſibique familiariter notis, quòd modeſtiſſimus eſſet & humilis maximè. Vna igitur dierum aggregatis omnibus ac Proprætore ciuitatis in loco viſendo omnibus & maximè conſpicuo, die ſolenni mittit is Proprætor ad beatum Ioannem currum, vt eo inſcenſo ad ſe veniret, ad conſiſtorium. De ipſius ſiquidem ſapientia, quæ eum inhabitaret, perceperat auditu, quamobrem magnopere cupiebat ſpectator eſſe & oculatus teſtis. Sed enim beatus Ioannes tale quid ne faceret, deprecatus eſt, & excuſauit. His enim qui ad ſe cum curru magnifico miſſi erant, reſpondit, dicens: Si ſeruos meos in patria non ſum paſſus, vt me ceu aſſeclæ comitarentur, ne viderer appetens inanis gloriæ: qua nunc ratione feram pergere ad *principem, tanto tamque magnifico cohoneſtatus comitatu? Hoc igitur accepto reſponſo, abite, & ipſe potiùs pedes incedens pergam, vt ad genua procidam, ac eum venerer. Seruus enim, quum ſim Chriſti Dei mei, & ab ipſo edoctus nihil eorum ſapere, quæ offendiculo ſunt, & ab ſuperbiam proliciunt, non ſuſtineo alienus fieri ab obſeruatione diuinorum ipſius mandatorum. Miniſtris igitur ad Proprætorem reuerſis, ſimulque enarratis omnibus, quæ à beato Ioanne audierant, qui & prudentiam eius cum ſua componentes nugacitate, in admirationem nec mediocrem conuerſi ſunt. Proinde & Proprætor quum plurimo deſiderio teneretur eum videndi, hinc factum, vt quum vidiſſet eum illò ad ſe aduenientem, (Erat enim is princeps Demoſthenes nomine *gentilium errori addictus) beatus Ioannes nihil cunctatus in concilium aduenit, idque è veſtigio.

*τὸν ὕπαρχον

*ἑλληνίζων *Græcanizans.*

Itaque hunc conſpicatus Proprætor, ei mox officij gratia aſſurrexit, & cum eo primates omnes ciuitatis vnà cum Athenienſium ſapientibus, qui ſimul ei adſiſtebant. Ioannes autem *ſuccliuato capite procidit illi. Primùm quidem Proprætorem honore præuenit, dein conſimiliter & omnes. Hi quum vidiſſent tantam ipſius humilitatem, & quia quaſi vnus aliquis è vili plebecula ad eos acceſſiſſet, ipſius virtutem & ſapientiam tantò ampliùs demirati ſunt. A principe igitur admonitus, vt in ſenatorum conſeſſu vnà alijs aſſideret, petens locum cæteris omnibus inferiorem, illic conſedit. Alij verò adigebant, vt in medio conſiſtorij ſedem diligeret. Vix tandem multis exhortationibus perſuadere potuerunt, vt hoc ipſum opere præſtaret, vt ſe in eum reciperet locum. Erat autem in eo conſeſſu Senatorum, & Anthemius philoſophus. Is igitur contemplatus parem ſibi honorem Ioanni attributum à principe & ijs, qui ipſi aſſidebant, audiens inſuper illos inter ſe mutuò loquentes de dexteritate ingenij & prudentia Ioannis, zelo impletus, multaque indignatione incandeſcens Anthemius è medio eorum reſpondens, dixit: Vti video, mores ciuitatis huius innouati ſunt, inque eam leges nouæ introductæ, quas vtique neque audiuimus ante nos inuectas, at ne ipſi quidem perſpeximus. Neſcio enim, qui hoſpites & externi huc vt primùm inuenerunt, eorum gradus, qui præ ſe in ſchola noſtra inclaruerant, tentârunt arripere, ac prærogatiuas elidere & exiuanire. Sed enim rebus eiuſmodi nefarijs nequaquam acquieſcemus. Qui enim in ſchola verſantur omnes, iuxta ſuum quique diſciplinarum ordinem, retinent ſuæ vocationis locum, nec vllus ſuum prætergreditur gradum, niſi fortè, ſi quis cognitione diſciplinarum ſuos præceſſores euicerit. Introeunti igitur mox Ioanni, & quàm primùm præſidentiam cathedræ, quanam ratione aſſignaſtis præter decorum, nec obſeruato decenti & conſueto ordine? Reuera hoc facto diſſoluta eſt exacta legum diſciplina, honor ſcholæ proculcatus eſt, concinnus ille decor graduum exinanitus eſt. Hiſce & talibus verbis Anthemius vociferans, non leuem nominis iacturam ſibi conciliauit. Non enim deinceps vti priùs, honorem ei tribuerunt, ſimul atque Proprætor & proceres ciuitatis hoc argumento edocti ſunt, non illi ſcholam curæ fuiſſe, ſed quod infensè odiſſet Ioannem, verba hæc eò protuliſſe. Reſpondens autem Proprætor, dixit Anthemio: Oportebat te, ô philoſophe, vt philoſophum, quæ philoſophum addecent, & loqui & agere; non item tibi vſurpare nomen, non etiam ipſa opera peragere, nec ad eum modum diſceptare, quòd fas nequaquam ſit in tam celebri conuentu, quæ popularibus iſtis æqualia ſunt, perficere, ac voce exerta inclamare, perinde ac ſi agreſtes quidam in campeſtribus locis feras indagine cingant, aut abigant, aut à prædonibus ſint paſſi rapinam. Tametſi enim Ioannes hic ſapiens ſit à nobis honore affectus, non id præter rationis & officij decorum geſtum eſt, quoniam primùm quidem filius is eſt magno illo & illuſtri duce exercitus Antiocheni propugnatus, ob id noſtri fuit officij decentem hunc illi impertiri dignitatis honorem. Prætereà quod is eloquentia inſigni, nec minore ſapientia explendeſcere demonſtratus ſit ſupra multos ſibi ætate compares, nec his modo, ſed iis ſuperior euaſit, qui illi ſunt & ætate prouectiores, & in hac ſchola tempus detriuêre prolixiùs. Attamen ne ipſe quidem id, vt fieret, permiſit. Atqui nos obſeruata eius præeminenti humilitate ipſum vel inuitum eò adegimus. Sed enim beatus Ioannes ob eam obiectionem nihil omninò quiritatus eſt, non vllo pacto incanduit ira, quin è diuerſo potiùs amabilis ille omni cum manſuetudine reſpondens, ac ſuppreſſa voce ait: Anthemi, in hocne finem accepit tua ſapientia, vt eò vſque proueheretur, quò nos ſic iracundè perſtringeres? Ecquid hoc? Nulla te affecimus iniuria, non ita mea vnius vltronea electione huic interſum celeberrimo conſeſſui, ſed Proprætoris iuſſu quidem accerſiti huc venimus. Quemnam tandem alienæ dignitatis gradum per rapinam nobis vendicauimus, vt dixiſti temere inſoleſcens aduerſum nos? Hanc enim primam cathedram non auro, non item argento quaſi transfuga mihi ipſe paraui. Proprætor me hoc honore cumulauit. Splendida hac ſtola amiciuit me. Impoſterum finem imponito iſti erga me inuidiæ, & ne poſthac nullo tuo fructu indiguerit. Ego enim, vt Chriſti diſcipulus cupiebam vel præſens loqui auditoribus, quæ conducibilia ſunt, & oportuna ſaluti animarũ noſtrarũ. Indigus ſum minimè curruum iſtorum, aut cathedrarum, quæ ad oſtentationem eos extimulant, qui aduerſum nos hiulco oblatrant ore. Ipſi enim didicimus induere humilem modeſtiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſius prouocati exemplo, neque non beneuolo & alacri animo obſequi omnibus, ac ſubditos eſſe eorum maximè imperio, qui principali authoritate funguntur, & pro poteſtate agentes, decorum ſeruant ſui officij, modò nequid *demandent faciendum, quod ſpectet ad noxiam perniciem animæ. Hæc & his confinia beatus Ioannes quum dixiſſet, multo eum applauſu excepêre omnes eius prudentiam & doctrinam. Vt enim anima, ſic & illius facies illuſtri ſplendore prænitebat Spiritus ſancti. Simul atque conticuit Ioannes, excipiens ſermonem Proprætor, dixit: Verè *Græcorum ſiue Gentilium eruditio collata doctrinæ Chriſtianorum diſſentanea eſt, & à veritate abhorrẽs. Legislatio enim per Chriſtum ſancita longè altera eſt, ac diſſidet ab ea, quæ deorum eſt, multò etiam plus dimidio. Nam quanto Græcanicarum legum conditores maiore tenentur & ambitione principatus & faſtu, vt cæteris præemineant: tanto Chriſtianorum doctores docent ſuos humilitatem, rerum inopiam, ac vitæ frugalitatem, vt omnes exerceant. Ad hæc reſpondens beatus Ioannes, dixit: Quinimo omnium maximè reuera nos ſerui Chriſti à vobis diſſentanei abimus, qui idola adoratis, eaque vocatis deos. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? aut quæ portio Domini ad *Belial? Siquidem Græcanica omnis conſcriptio prophana eſt. † Fabuloſas enim neſcio, quas narrationes indecoræ prorſus & obſcœnæ libidinis plenas commenta eſt, ac memoriæ prodidit, ordita vtique texturam Dæmonum, præſtigiatorum ac ludificantium incantatorum ſuperſtitiones, artes dolo malo excogitatas corruptrices animarum, vnde vanitas omnis ſumpſit auſpicium, & quicquid vſquam eſt riſu dignum, quo factum eſt, vt ne inter ſe conſentanei fuerint, ſed alter ab altero auertitur ſuiſmet enarrationibus. Ad hæc, in tantam impegerunt amentiam, qui in his primas obtinebant, vt vel flagitioſam libidinem commendarent, magiam inſuper & veneficium honori ducerent, & cippos, columnas ac ſimulacra lignis, lapidibus omnique artificio excogitata excitarent, denique & ſe ſupplices his Idolis tanquam Dijs aduoluerent.

Excipitur à Proprætore honorificẽtiſſimè.

*inclinato.

Anthemius Chryſoſtomo honorẽ inuidet.

Reſpondet Anthemio Proprætor.

Chryſoſtomus itẽ Anthemio reſpondet.

Rom. 13. *mandent.*

*ἑλληνίκων

Cõtra idolorum cultũ diſſerit.

2. Cor. 6

* *Βελίαρ.*

† *Aduerſũ has μυθολογίας Dauid, Pſalm. 118. Nar-*

Neceò

rauerunt mihi inique fabulationes.

Nec eò vsque insaniæ prouecti substiterunt: sed & delubra & templa ingentia ac visendæ magnitudinis illis exædificârunt, Apollini, Ioui, Saturno & Mercurio, Veneri, Iunoni, & reliquis id genus Dijs vestris, mortui quum sint, qui quidem adhuc superstites nullam exercuêre virtutem naturæ consentaneam: quorum operationes vel ipsæ comœdiæ nominatim perstringunt ac sugillant, *ipsum aërem contaminantes. Ipsi insuper Athenienses suam Athenam, Palladem scilicet, siue Minernam, Artemidem, hoc est, Dianam præcipuo quodam honore dignantur. quibus & in hac ciuitate columnas consecrârunt, sapientesque apud Græcos habiti istis meretricibus mulierculis quasi deabus venerabilem latriæ cultum obtulerunt immolatis hostijs: & hæc sibi gloriæ esse ducentes, ac minimè agnoscentes istiusmodi portentosam impostu ram ab arte magica esse conflatam, & à peruersa Dæmonum operatione profectam. Nostra autem (qui Christiani sumus) fides diuina constat virtute, Patrisque & Filij, & Spiritus sancti vna quidem diuinitate, tribus tamen subsistente personis, extra omnem temporum vicariam demutationem, quæ non principium dierum sortita est, nullum item habitura vitæ finem. Sed enim de his hoc præsente consessu minus accommodum est fusiùs commentari, nec satis congruum: arcana hæc mysteria opportunitatem temporis nacti docebimus, ipseque vos rectà, deducam in callem veræ fidei, si tamen volueritis ad salutis portum pertingere, & in libertatem asseri à vana seruitute Idolorum. Primaria hæc doctrina Ioannis fuit in consistorio Senatorum de Christo multa cum dicendi libertate pronunciata. Hæc cum audijsset Proprætor, quique ipsi aderant vnà cum Anthemio *excanduerunt, qui etiamnum ex eo cœtu erant Christiani, ingens concepêre gaudium ob eiusmodi sermones à gratia per os eius procedentes, felici aduentu Spiritus sancti. Contrà, idololatræ infensè illi succensebant, eumque illibenter audiebant hac de re loquentem. Respondens autem Proprætor, dixit ei: Esto non doceas sub nomenclatura Deorum, vt quid facis, eos esse execrandas abominationes, contemptim auersatus nostram erga nos amicitiam? Nunquid non nosti Athenienses præ omni hominum genere, qui terram incolunt, maximè esse Deorum cultores? Quocirca vel nunc desinito ab istiusmodi verbis tuis. Nisi enim à me esses hoc honore cohonestatus, vtique non tolerassent te contumelijs Deos aspergentem. His à Proprætore dictis, Anthemius quasi qui locum internactus esset retaliandæ retributionis afflictionum aduersus Ioannem, in medio stans consistorij Proprætori, ait: Vestra vnius ope freti, non pauca beneficia sumus consequuti, ex quo tempore hunc iniuisti principatum: quo fit, vt vbiuis locorum vobis meritam gratiarum actionem deprædicantes, non desinimus precibus contendentes apud Imperatorem, vt te rectè moderantem principatum, gentemque nostram sinat quàm diutissimè nobis præesse. Sed neque vestra eminens excellentia id ignorat, quia vir quiuis ad scholam ciuitatis huius aduenies, Dijs primum non vulgarem exhibet honorem & cultum, in templum concedens magnæ Deæ* Athenæ, eique procidens venerabundus efflagitat, vt intellectum sibi aspiret sapientem ad excipiendas disciplinas: quamobrem suam postulationem consequuti, solerti Deæ prouidentia auxiliari ad propria reuertuntur, plurima beneficia ipsi Deæ accepta ferentes. Ex opposito Ioannes hic & solus, vbi huc aduenit primùm, ad summum vsque apicem literarum omnium eruditus est, virtute & cura Deæ Athenæ cohonestatus, ciuium insuper prouidentia, ac iussu magnificentiæ vestræ præ omnibus, qui in scholam ipsius aduentum præuerterunt: & hic consentaneam rationi, ac debitam accepti beneficij vicissitudinem, aut gratiarum actionem non modò non rependit ciuitati ac ciuium beneficentiæ, vt etiam contumelijs affecerit Deos nostros, dum eos execrandos profitetur, & quæ de ipsis sunt sacra dogmata, fabularum habet loco. Proindè deinceps fiet, vt relicto magnæ Athenæ templo, sua vnius doctrina ad se omnes pelliciat, ritusque colendi veteres apud nos, obsordescent, & calcibus proterentur à Christianis. Ad hæc Proprætor dixit: Religiosi Imperatores nostri Christiani sunt, suis decretis sanxerunt, ne quis venerabilem latriam vlli deorum alteri offerat, præterquam soli Christo, cui procidunt venerabundi, in quem & credunt. Id quum didicissent, qui gentilium cultui acquiescunt, suum ipsi cultum clandestinè explent. Et hi quidem, qui clàm latriam exhibent, si innotuerint, iussu Imperatorum internecioni dedentur & disperibunt, quasi qui illorum diuinum & indeprecabile edictum despicatui habuerint. In posterum igitur Anthemi conquiescito, nullum hac de re promouens sermonem, ne si quis fortè anticipet deferre ad venerandas aures Imperatorum, non modò hæc quantulacunque & arcana deorum cultura è medio tollatur, sed & periculis & incurabilibus damnis multati succumbamus, propterea quod singuli quique hominum, omnisque prouincia, quæ ipsorum subiacet potestati, verissimè venerabilem latriam exhibet Christo, quem & venerabundi obseruât hodie omnes. Eorum siquidem Imperatorum & regnum & gloria in sublime euecta sunt. Plurimas enim nationes Barbarorum suæ subiugarunt ditioni, quæ & eorum iugo suas ceruices substrauerunt, simul atque Romanorum Imperatores fidem in Christum sunt complexi. Quin & ipse ego priusquam ad hunc essem prouectus principatum, eorum fidei factus sum particeps. Satis igitur superque tibi sint, quæ dixisti. Hac de re in posterum sileto. Anthemius his auditis pudore suffusus simul & timore correptus obticuit. Re quæ contigerat, deprehensa, beatus Ioannes dixit: Reuera Proprætor nihil mentitus protulit. Quis enim vbilibet terrarum locus est hodie, vbi Christus non adoretur? Aut quæ vsquam est gens, quæ non ingenuè Christum confiteatur esse Deum? Omnes enim *patriæ gentium ipsi vnà cum Patre & sancto Spiritu gloriam concinunt, à supremo cardine terræ habitabilis adusque eius extremum limitem. Quòd si nosse velitis, quantæ strages eos apprehenderint, quibus sint ad internecionem perducti cladibus, qui à fide in ipsum resilierunt, ipsiusque subesse imperio detrectarunt, interrogate cuiusmodi calamitatibus impliciti sint Iudæi in Hierusalem ciuitate ipsorum à Romanis circumuallata post glorioſam triduanam eius resurrectionem ex mortuis, quemadmodum extrema famis angustia afflicti sint, ita vt eorum quidam infantium suorum carnes comederint panis vice. Quod si deinceps ab isto errore vestro vtique vano conuerti velitis, adite pientissimum ciuitatis Episcopum. Eum adite bona cum conscientia, hic vobis viam præmuniet ad agnitionem veritatis. Quid enim vobis cum* Athena, temploque eius commune est? veriùs cum prostituta & prophana. Tantùm id superest, ecce testificor vobis, quia nisi vos pœniteat malè commissorum, & baptizemini, inque Christum credatis: deferam vos Imperatoribus Dei obseruantissimis, ac renuntiabo vos eorum edictis minimè paruisse, veriùs ea impbasse: proinde ipsi videbitis mortem intempestiuam, vique inopina vos adorientem, omnesque vestræ facultates cedent in rapinam. Vtique vos, qui nullo modo persuademini, vt credatis Christo, qui vera est vita, præstiterit è temporaria hac vita abrumpi & diuelli, quàm vt viuentes in ipsum sitis blasphemi per hãc vestram idololatriam, eumq; exasperetis, qui educat ac pascit. Neque enim vos vel* canum gratitudinem imitamini: Illi etenim beneuolentiam & natura insitum amorem conseruant erga suos pastores ac dominos: nec solùm hi, sed & agrestium ferarum nonnullæ cicurantur. Per hæc, & volucres his, qui eas instruunt, eiq; negotio suas condicunt operas, & alunt, vtique obtemperant, & ad mansuetudinem reuocantur natiua sua feritate deposita, & ad aliarum aucupium emissæ denuo reuertuntur, à quibus fuerant emissæ, idque multa fit cum propensione ac voluptate. Vos contrà, non modò illis deprehendimini esse efferatiores minusque placabiles, sed & stupidiores, nec beneficia in vos collata agnoscentes, nimirum ingrati erga Dominum ac Deum visibilium omnium pariter & inuisibilium, munificum & dapsilem bonorum largitorem.

Proprætor Anthemio respondet

Prosequitur Chrysostomus Minetuam incedere, & Christum Athenienſibus propalare.

indignati sunt.

Anthemius Proprætore in Chrysost. concitare nititur.

Minerua: est autem Athena eadē quæ Minerua.

sine familia.

Pallade Minerua.

Eis comminatur, ni in Christum credant.

Canes imitamini.

Hæc auditis Anthemius nimisquam impudenter respondit Ioanni, dicens: Nos non pascit Christus, sed terra probè elaborata ab agricolis suscepto semine suos edens fructus: aër verò exauget ac nutrit eos *primùm emicantes imperio & prouidentia deorum. II.

pigefaciens imperio

SIMVL

III. SIMVL atque hæc dixit, *actutum, è vestigio & subitario insultu ictus ab immundo spiritu [a] Anthemius in pauimentum concidit, sicque manebat allisus terræ, inclementer admodum à Dæmone discerptus, oculos in habitum subinde versatilem obuertens, simul & os in diuersum contorquens. Ex ore spumam eiaculabatur multa scaturiens eruptione & oris eluuione, ita vt qui eo in loco aderant ad vnum omnes, timore corriperentur, eorum plerique sibi fuga consulerent. Adibant alij beatum Ioannem flagitantes, vt pristinæ sanitati eum restitueret. Ille ad hæc respondens, dixit: Nisi eum pœnituerit blasphemiæ in Christum prolatæ, nunquam recipiet sanitatem. Nulla interessit mora, & ecce Anthemius adhuc à Dæmone diuexatus exerta voce inclamauit, dicens: Confiteor neque in cælo, neque in terra vllum esse Deum præter Deum Christianorum, in quem credit sanctus Iohannes. Hæc eo confitente, eadem hora redditus est sanitati, & exurgens instituit pedum plantis, ita vt omnes in admirationem ac stuporem conuerterit repentina hæc immutatio. Tum beatus Iohannes dixit: Anthemi, Per hæc quæ sustinuisti, doctrice experientia vtique es edoctus non debuisse te loqui aduersus Deum viuentem. Quid ni tua illa *Athena in tempore suppetias tulit? Diana, Iupiter, reliqui item incentores erroris dij? Ille oculis in beatum Ioannem pressiùs intentis ait: Gratias ago tibi domine mi Ioannes, qui me rectà deduxisti ad agnitionem veritatis. Cæterum te obtestor, vt dicas, quid mihi facto opus sit, quò omni ex parte *libertati restituar ab ea, quæ me repètè est adorta, calamitate: anima denique mea ad salutis portum prouehatur. Ille ad hæc dixit: Pergito in Ecclesiam, adito patrem nostrum, sanctum Episcopum. Is te docebit, *quid tibi conducibile sit, vt facias. Proprætor autem, quique cum eo erant omnes, vniuersa quæ fiebant, contemplati, timore ac tremore contracti, vnanimi consensu & quasi eodem ore acclamarunt: Magnus Deus Christianorum, qui facit mirabilia solus. Quis deorum istiusmodi signa edere possit, vt Christus, quem Christiani venerantur & colunt? Eximiæ cuiusdam virtutis est eorum fides. Reuera in fraudem erroresque abducti sumus, deos colentes, qui nulla in re adiuuare possint, aut lædere. Atqui Anthemius in domum reuersus assumptis secum vxore, liberis, seruis & ancillis, rectà contendit ad Episcopum. Quumque eius pedibus procidisset, obtestabatur se consignari Christi signaculo, vtque vnà cum suis omnibus domesticis baptizaretur, & obsecrabat, vt deprecaretur sibi veniam indulgeri à Deo pro his, quæ prius in ipsum blasphemo ore protulerat. Episcopus verò contemplatione animi perspiciens repentinam hanc viri in melius immutationem, quodque tanta cum alacritate se adiunxisset Christo, gauisus est gaudio magno, gloriam Deo concinens benigno hominum amatori, qui talem acciuisset ad agnitionem veritatis, eiusque illustrasset mentem. Mox igitur nihilve cunctatus eos omnes *primis imbuit fidei rudimentis, dignosque reddidit, qui sancto baptismati admouerentur, quum eos edocuisset, Domini mandata obseruare, & ne posthac propiùs se adiungerent impuris idolis, quin potius toti, vt vacarent Ecclesiæ sanctæ Dei, insuper & sedulò Dei scripturas perlegerent, eisdem dicens, quemadmodum Dominus paralytico: Ecce sanus factus es, noli iam ampliùs peccare, vt ne quid tibi peius contingat. Et hæc quidem de Anthemio. Proprætor autem ac domestici, vt qui iam animo hæc *præcerpserant, numerosa insuper turba ciuitatis simul atque audierunt Anthemium in Christum credidisse, omnesque eius domesticos fonte baptismatis esse regeneratos, *præpete cursu ad Ecclesiam contenderunt obsecrantes Episcopum, se omnes vt efficeret Christianos. Tum quidem Proprætorem minimè baptizauit, vt qui priùs id sacramenti semel excepisset, tantùm illum instruxit fidei elementa, iuxta tenorem ecclesiasticorum Canonum, debitamque orationem ad Dominum pro eo effudit, & ita participem effecit † incontaminatorum sacramentorum. Cæteros omnes fidei rudimentis *præimbutos admouit baptismo. Ciues quidem permulti non inuenti tunc in ciuitate, quum tandem aduenissent, & quæ facta fuerant, didicissent: complexi sunt Christi fidem, & baptismo admoti, dicentes, quia nisi modis omnibus certissima fide fuissent persuasi Proprætor, [b] Anthemius, & primarij quique ciuitatis nostræ Christianorum fidem cæteris superstitiosis ceremonijs esse præstantiorem, nunquam desciuissent ab Athenæ siue Palladis cultura, seque adiunxissent Christo. Siquidem Anthemius ipse fuerat eatenus mirè affectus erga Athenam, magnificas eius idolo ac iuges hostias offerens vnà cum superstitione ceremoniarum. In ea autem Dei Ecclesia factum est gaudium magnum, & exultatio aggregatæ multitudinis, turbarumque sese in ipsa agglomerantium ac pœnitentiam agentium pro priùs malè commissis, quòd venerabundi procidissent inanimatis idolis. Idque contigit ciuitati, vt oraculum illud è psalmis adimpleretur: Sicut lætantium omnium habitatio in te. Porrò facinus hoc præclarè gestum per beatum Ioannem fuisse, ne norat quidem Episcopus: mox vt resciuit, voluit eum suo suffragio creare, & Athenis detinere, in hoc vt eum sibi subrogaret in successorem throni episcopalis [c] Athenienſium. Erat enim in senecta vberi profectæque ætatis. Atqui beatus Ioannes, vt id didicit primùm, illinc se omnibus clàm *subripuit ac secessit, inque suam se recepit patriam, nempè Antiochiam.

Psal. 86.

*ἐξαίφνης, εὐθέως καὶ ἀφέχεμα.

[a] Anthemius à dæmone inuaditur.

A Ioanne Chrysostomo curatur & ad Christum cõuertitur.

*Minerua.

*Liberet.

*quid te facere oporteat.

*καὶ βαπτίζεται. Baptizatur cũ familia.

Ioann. 8.

*præceperant. Proprætor cũ suis credit in Christum

*cursu, absque præpete.

† Synaxin intelligit dominici corporis & sanguinis, Eucharistiæ

*prius imbutos.

[b] Athenienſium plurimi conuersi baptizãtur.

*desciuissent Palladis cultura. [c] Athenis aufugit, & Antiochiam reuertitur. *subduxit.

IV. NOMEN proinde eius, quum in illa regione circumcirca omnium *auribus celebriter insonuisset de sapientia, prudentia, ac modestissima humilitate, quoue pacto omnigenam eruditionem Græcorum iugi exercitio esset assequutus. (Nihil enim ipsum latuit eorum, quæ ad obeundum munus iudicij forensis & moderandæ ciuitatis pertinerent) ipse tamen sibi probè conscius, quàm esset ærumnosum, & molestijs plenum pro tribunalibus considere, ad tranquillam potiùs & quietis amantem viuendi formulam capessendam animum adiecit, magnopere cupiens, vt citra vllam interruptionem serenitatem mentis retineret per vitæ solitudinem, eos iugiter deprædicans beatos, quãticunque possunt eam viuendi rationem rite perficere. Addebat quoque & hoc, imitatus Euagrium, eum inquam, qui sibi condiscipulus fuit apud Libanium sophistam & Andragathium philosophum, in cuius disciplinam se dederat & beatus hic Ioannes. Vt autem *decretum est studio consectari vitam requietam, permutauit & habitum simul & *incedendi modum. Diuinis lectionibus sacrarum literarum toto pectore incumbebat, mentem iugi exercitio expoliens ad susceptionem diuinorum eloquiorum. Octauum ac decimum annum agens ætatis suæ cœpit à se habenas excutere ac detrectare durum † sophistæ imperium ob dictiunculas. Porrò beatus Meletius adolescentem hunc, quum perspexisset *dextimo esse & peracri præditum ingenio, illi demandat se, vt adeat frequens & ecclesiam, vt qui cordis eius pulchritudinem deamaret: Imaginem enim istius beati intimè expressam oculo prophetico, velut per speculum perspicuè lustrârat. Vt autem cõtinenti studio vacaret Ecclesiæ, in sententiam suam adducit Theodorum [c] & Maximum, qui ei apud Libanium sophistam fuerant condiscipuli, vt relicto viuendi genere quæstuario, vitam aggrederentur frugalem ac simplicem. Et quidem [d] Theodorus hic Episcopus fuit posteà ecclesiæ Mopsuestensis, Maximus autem Seleuciæ in Hauria, beatus verò Ioannes vnà [e] cum Basilio, tum quidem Diacono sub manu Meletij constituto, qui tandem Episcopus Cæsareæ Cappadocum, quo cum diu ac subinde vixit, eius ceu legitimi amici nihil fucata vsus amicitia. Beato enim Ioanni huic permulti mutuo fœdere amicitiæ se obstringebant, & ij quidem germanè ac verè amici, quique leges syncerioris amicitiæ & nouerant, & exactè tuebantur, at certè eos ad vnum omnes

*auribus insonuisset.

Euagrium iuniorem, senioris nobilissimi ciuis Antiocheni filiũ ante Chrysostomum in Eremum concessisse Syriæ, eiusque exemplo nonnihil permotum Chrysostomum, scribit Socrates lib. 6. cap 3.

*decretum est consectari vitam solitariam. *Incessum. † Libanium intelligit. *Insigni esse & peracri. [c] Collegæ S. Chrysostomi. [d] Theodorum Mopsuestenum Episcopum à Monachatu & à fide post excidisse notat Baronius ad annum 832. [e] Basilium hunc, quem Baronius iuniorem vocat, non magnum illum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, sed alium ab eo diuersum & coæuum Chrysostomi fuisse docet Baronius an annum 382.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omnes puriore erga ipsum amicitia exuperabat ipse Basilius, vt qui ei fuerit, nullo non tempore indiuiduus comes,& ijsdem vterque imbuti disciplinis. Circa sermones, in quibus conscribendis elaborabant, vtrique aderat eadem auiditas,studium vnum. Hunc beatum exhortabatur Basilius,propositum monasticæ vitæ vt aggrederetur, hocque viuendi institutum persequeretur & capesseret. Quumque prior Basilius* Vale extremum dixisset mundo, per ipsum persuasus est & Ioannes, resque vt fieret,in procinctu erat & in manibus,crebris adhortationibus matris suæ prohibitus est. Nam quæ is moliebatur, & animo destinârat, mox vt agnouit,apprehensa eius dextera manu,in interius cubiculum introduxit: & proximè assidens cubili,in quo ipsum enixa fuerat,cœpit fontes* aquarum vbertim effundere,verba adijciens tantò præ lachrymis miserabiliora:simul & in lamenta erupit,dicens ei:

*valedixisset.

Mater eum à vita monastica nõnihil auocat.

* lacrymarum.

Ex virtute quidem patris tui fructum cepi minimè diuturnum,Deo ita iubente. Is quidem tibi orbitatem pu- V.
pillarem, mihi verò viduitatem conciliauit. Quumque isthæc mala mihi contigerint, mihi tamen persuasit,vt ad secundas nuptias accederem, & alterum sponsum in ædes patris tui introducerem, sed mansi tempestate hac agitata,ac negotiorum tumultu, atque id in camino viduitatis perseueraui, iugiter iunixa diuinæ prouidentiæ. Quod autem continenter faciem tuam intuear vice patris tui, imaginem mihi vtique animatam exactè repræsentantem præmortui & conseruantem videre videor,id quod mihi non paruam consolationem suggerit,ac lenimen doloris.Porrò huc accedit, de patris quidem tui peculiari substantia nihil imminui ob incommoda necessitatesve meæ viduitatis, sumptuumque vsus necessarios,sed eam integram conseruaui tibi & incolumem. Quod ad impensas attinet,nihil omisi, quod ad tui nominis splendorem spectare videretur.Te igitur fili obsecro atque obtestor, ne me irretias aut implices secunda viduitate, neque consopitum iam luctum rursus exuscites per* istam tuam anachoresin, sed præstolator tantisper, dum hac defungar vita. Fortè non multò post* tempore me adorietur mors. Siquidem qui iuuenes sunt, spe præsumunt ad prolixiorem se peruenturos senectam: nos autem,* qui consenuimus, nullo non tempore aliud lic certò præstolamur,quam mortem. Me igitur,quum terræ commendaueris,ossibusque patris tui permiscueris,quamlibet longas capesse peregrinationes, mare rursus traijcito, siquidem voles. Tibi enim tunc impedimento nullus fuerit. Interim tu tantisper dum* spiritus hos reget artus, patere vt vnis hisce ædibus cohabitemus. Caue igitur fili, ne temerè & inconsultò offendas Deum, tantis nos inuoluendo malis. Legitima hæc iuris ratio apud nos te retineat. VI.

* istum tuũ secessũ, sed exspecta.

* moriar Siquidem.

* οἱ γεγηρακότες.

* spirabis, pro,spirabo.

Hæc & his consimilia dicens mater,persuasit,ne quò illinc emigraret,sed cum ea resideret in ciuitate.Vt & hoc alioqui faceret, auocari tamen non potuit ab exprompta alacritate propositi, quod secum destinârat,sed omnem cupiditatem* vitæ istius velut calcibus proterebat. Quumque inter luculentas adeò ac tantas opes versaretur, eas nihilominus infensè oderat, permutans ipsarum ambitionem immodico amore conseruandæ humilitatis. Erat siquidem superbiæ totius euersor,& arrogantiæ omnis* pessundator, ab ore* excindens superuacaneam* & multiuariam eduliorum solicitudinem. Porrò Zenon[a] Episcopus ab Hierosolymis quum aduenisset, beatum Ioannem in Antiochena ecclesia constituit* Lectorem. Hoc igitur in ordine constitutus, mentem quum suam aliquantò plus confirmasset per ætatem, orationes sex aduersum Iudæos conscripsit. A sua igitur ordinatione in Lectorem,cum in ciuitate versaretur adhuc, cœpit mox atque designatus est* in Lectorem, specimen edere monasticæ* exercitationis ac vitæ austerioris,nempè solitudinis,quàm à tenella ætate arripere concupierat.

* huius vitæ.

* osor.

* extirpans.

* variamque.

[a] Lector à Zenone Tyri Episc. vel Maiumæ, vt tradit Nicephorus,constituitur.

* ἀναγνώστην. * Lector. * Τῆς ἀσκήσεως.

Mater eius moritur.

* Non ita pòst.

Ex cvrsv non ita post* multo tempore, & ipsius beata mater vitæ finem accepit,relictis ei diuitijs permultis VII.
in auro, argento, veste preciosa, prædijs, mancipijs, iumentis, alijsque id genus peculijs,ac perquam multis facultatibus. Matrem igitur, vt primùm decenti funere ac religioso extulit, in conditorio deposuit beati patris, iuxta sanctæ matris præscriptum. Sanè quidem aurum in pauperes & indigos incunctanter dilargitus est: quod autem* nulla insigni nota erat percussum, in ecclesias dispertiuit, ac finitima monasteria proximè adiacentia ciuitati ad exornandas preciosas reliquias. Seruos[b] & ancillas ad vnum omnes seruitutis vinculo emancipatos asseruit libertati. His tandem exolutus vinculis negotiorum superfluè mentem vrgentium, quicquid resederat è suis facultatibus, in vsum ciuitatis distribuit, vt vacuus maximè esset ab omni intemperie & molestia exactorum publici tributi. Veritatis concertator hic, sua hæc omnia ad hunc modum dispensabat. Proindè in perquam amœna requie vitam transmittebat, iugi meditationi & assiduæ lectioni diuinarum scripturarum aduigilans, custos peruigil sui ipsius corporis factus, studio fugitans,& à se quàm longissimè submouens irritamenta gulæ,turpiumque concupiscentiarum indecoras permistiones propellens, in corpore suo quasi in templo quopiam sancto locum tribuebat capacem virginitatis ac sanctimoniæ. Porrò is, quum probè nosset extimulante conscientia, præsertim vigente ætatis flore (tametsi saluo esset & incolumi sensu præditus) se haudquaquam esse parem tot sustinendis molestijs, quas facessit Respublica suis administratoribus, finitima ciuitati inuisit monasteria. A suæ cognationis hominibus, à ciuitate quum se sequestrasset, in numerum ascitus ciuium supernæ Hierusalem,studio festinabat,ac flagranti desiderio vrebatur, vt vel ibi innotesceret. Illic igitur cœpit primordia iacere monasticæ exercitationis, ac tenacius tueri. Vigilias protendebat, iugiter vacans orationi, nec vllam sibi indulgebat laxationem. Quin potiùs noctu & interdiu multa cum austeritate idipsum faciens, quasi iam primùm cœpisset, quæ priùs confecerat velut oblitus, in anteriora extendebat se, sapientissimi Pauli factus imitator. Qui autem in eo Monasterio, in quo degebat, diuersabantur, perfecta ipsius sancta conuersatione obsecrabant sibi vt præesset,eaque edoceret,quæ futura essent animarum saluti conducibilia.Ille è diuerso non sustinebat eis præsidere, ne mentem in diuersa distraheret ob anxiam de fratribus solicitudinem. Tradidit alioqui præscriptas quasdam finitiones siue regulas tuendæ temperantiæ, orationis, ac monasticæ exercitationis. Edocuit præterea diuinarum scripturarum meditationem, tranquillam viuendi formulam, nihil quod peculiare sit,vt possiderent, ordinem quo persistere deberent in ecclesia, quo tempore psalmodia nocturna concinitur,diurnæ insuper orationi quid conueniat. Eos insuper instruxit linguam coërcere, ipsique frenum injcere, & ne quid indecori effutirent, eos adhortans, vt aduersus perduellem illum & animarum hostem reluctarentur, proque virili decertarent,& insidiosas eius aduersum nos molitiones ad libellam discretionis expenderent. Improbas quas hominibus clàm suggerit ratiocinationes,dijudicarent. Adhortatus insuper eos est, vt sanctorum conuersationem pia æmulatione imitarentur, præcipuè quidem Eliæ & Elisæi prophetarum, qui quidem angeli terrestres effecti precio inopiæ & extremæ penuriæ mercati regnum cælorum consequuti sunt, submonens, ne animum intenderent mensis opiparis ac lautioribus edulijs instructis, sed his contenti abirent, quæ necessarium vsum suppeditarent fulciendo corpori, partas autem suis laboribus opes in egenos dilargirentur, pro his certa expectatione præstolantes retributionem sibi à liberalissimo opum largitore Deo rependendam. Et quidem in his perseuerantes præmuniebat ac reddebat tutos; fluctuantes autem peranimi inconstantiam constabiliebat. Assiduus illi erat sermo de Iudicio & retributione, de supplicio & gehenna. Continenter etiamnum cum ipsis sermones texebat de tranquilla requie, cælorumq; regno, quibus magnopere exacuebat animos, ac desiderium* redaccendebat eorum,qui fuerant eatenus de sua salute oscitabundi ac supiniores,eosq; prouehebat ad pœnitentiæ portum. In his qui essent perfectiores,* ad tantò ampliorem parandam virtutem promouebat.

Exhortationibus quib. vsus sit.

*accẽdebat.

* ad amplioꝛem.

Hæc

Hæc & his confinia dum eos iugiter edocet, nec hos modò, sed & omnes ad vnum qui eo in monasterio degebant, extimulabat ad consulendum animarum vtilitati, omnibus in commune factus Antiochenæ regionis incolis columna spiritualis doctrinæ, adeò vt sui desiderio omnes accenderet, nulliq; non esset maximoperè gratiosus. Hunc singuli adibant cum metu ac permulta reuerentia, non soli monachi, verùm laici, clerici, pariter & qui amplitudine honoris ac dignitatis præpollebant, audiendi gratia eius sapientiam atque commonitionem. Obtinebat enim in se inhabitantem Spiritum sanctum, cuius gratia, per eius os perenni defluxu scaturiebant diuina eloquia, ac proinde exhilarati omnes & animo recreati, ob idque Deo rependentes gratiarum actionem ad propria se recipiebant. Eius enim fama multa cum celebritate quoquouersus excurrebat. Dei enim benignitate ac peculiari gratia dignus est habitus, vt diuinam scripturam *nihil obscurè intelligeret, eamque dilucidè interpretaretur, ac * phrases eius perplexas, & quamlibet intellectu difficiles enarraret omnibus, ac perspicuè explicaret. Libros præterea ad legentium vtilitatem conscripsit, sic vt multi exscribi iusserint eos, sibique asciuerint ad familiarem & vernaculam lectionem, eorumque incumberent assiduæ meditationi, atque eorum contemplatione in admirationem authoris raperentur. In eo monasterio erat Anachoreta quidam Syrus genere, nomine Hesychius ad ætatem vsque profectus senilem. Hic ibidem loci multo iam expleto tempore in exercitatione monasticæ disciplinæ, in exacta & admodum austera educatione, præscientiam siue prænotionem diuinę reuelationis est consequutus. Beatus Ioannes hunc sibi imitandum * præstituit ad formandos mores, ac vitæ institutum, ad propositum abstinentiæ. Eo igitur quapiam nocte, insomni & effundente preces, ecce videt viros duos ad beatum Ioannem ingressos quò loci orabat, stola candida amictos, habitu planè religioso, simul & splendore admirabili conspicuos, gloria insuper indicibili spectabiles. Tenebat vnus manu sua volumen scriptum, alter autem claues. Hos vt vidit Ioannes, exterritus procidit, eosque in humum deiectus adorauit. Illi autem apprehensa eius manu erexerunt, dicentes: Animo fac sis præsenti, & confide, ne timeas. Dicit eis: Quinam estis domini mei, qui nihil indignum duxistis inuisere seruum vestrum, tanto splendore intermicantes? Neminem enim ipse sum aliquando contuitus, qui tanta splendesceret gloria, cuiusmodi vos conspicio præniteré. Respondentes dixerũt ei rursus: Ne tibi malè metuas vir desideriorum, iuuenis Daniel, in quo sibi bene complacet deligere domicilium Spiritus S idque ob mundiciam cordis tui. Ab eximio illo doctore ac Saluatore nostro Iesu Christo sumus ad te delegati, vt annuntiemus gaudium magnum quod erit vniuersis Dei ecclesiis. Tum primus ille exporrecta manu tradidit volumen scriptum Ioanni, quod manu tenebat, dicens: Librum hunc chartaceum accipe è manibus meis. Ego enim sum Ioannes, qui & recubui * super pectus Domini in mystica illa cœna, & illinc fluenta Theologiæ hausi, eamq; ediffe-
rens dixi: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Sanè suo gratuito munere tibi contulit ipse Dominus cognitionem veritatis, qua officio oris tui pasces populos omnes pabulo veritatis, quod quidem nunquam deperit, sed permanet in vitam æternam: vtq; officio oris tui ora oppiles hæreticorum, gentilium pariter & Iudæorum, loquentium iniqua aduersus Deum nostrum. Alter autem extenta manu sua tradidit quas manu tenebat claues, dicens: Accipe & has claues. Ego enim Petrus sum fide præferuidus, qui confessus sum Dominum esse Christum ac filium Dei viui. Eam ob rem mihi concreditæ sunt claues regni cœlorũ. Tibi igitur ipse Dominus sanctarum ecclesiarum etiamnum claues concredidit, vt quodcunque ligaueris super terram, ligatũ sit & in cœlo: & quodcunq; solueris super terram, solutum sit & in cœlo. Beatus insuper Ioannes flexis genibus venerabundus procidit eis, dicens: Quis enim ego sum domini mei, (peccator nimirum ac cæteris mortalib. longè inferior) vt vnus tot obeundis muniis satis esse possim quæ mihi induxistis? Planè indignus sum qui tantam hanc aggrediar vtiq; maximam ac formidabilem functionem. Huic obeundæ administrationi nequaquam suppetunt vires. Illi rursus apprehensa eius dextera erexerunt dicentes: Insiste pedibus, confortare, ac viriliter age. Quæcunque tibi mandatis præscripsimus, vide vt opere exequaris omnia. Gratiam tibi à Deo collatam ne occulueris, quin potius eius populum loquendo illustra, doctrina tua * constabili & corrobora His enim redimendis proprium effudit sanguinem, vt eos ab errore incolumes conseruaret. Verbum Dei omni submota dubietate eloquitor. Fac memineris dictorum Domini: Ne timueris pusille grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum cœlorum. Et tu igitur ne animo sis pauido, quia Christo ac Deo nostro complacuit animas non paucas officio oris tui illustrare, & ad agnitionem sui nominis prouehere. Tribulationes quidem ac vitæ pericula * incides per animæ tuæ rectitudinem. Atqui tu generosi athletæ imitatus exemplum, cuncta perfer. Siquidem merito earum afflictionum, regni cœlestis hæreditatem assequêris. Hæc quum dixissent, frõtemque eius ac cætera membra omnia consignassent, salute ei data in Domino illinc se receperunt. Porrò sanctus Hesychius rem totam contemplatus, nõ exiguo tempore permansit instar muti stupore perculsus, & admirans visionem, & ob eam attonitus. Diluculo autem adiit ecclesiam. Quumque fratres inuenisset in vnum coactos, assedit eis. Rursus secum & seorsim * nugabatur, extraque se rapiebatur, volutans animo visionem, quam viderat. Qui autem ipsi aderant, vt viderunt eum sic affectum, circunstant efflagitantes vt causam proderet. Ille autem in suspiria resolutus valde ingemuit ex intimo cordis sui recessu, concussoque capite cum profluuio lachrymarum dixit: O filij, quàm multos habet Deus seruos qui in arcano delitescunt, quorum præsentia indignus est hic mundus. Reuerà admirabiles viæ tuæ Domine, & imperuestigabilia opera tua. Quumque fratres eum tantò amplius obsecrarent, causam vt ediffereret, respondens Hesychius ait: * Mysteria quidem regum euulgare non est tutum, sed atrocissimam inducit hoc vltionem: sacramenta autem Dei occulere nihilo disparis periculi est, forsan grauioris, quatenus ad animam spectat, eò quòd æternum infert supplicium, quo fit, vt nequaquam in arcano retineri debeant, & ea potissimùm quæ quidem ipse vult innotescere de seruis suis ad aliorum exemplum, & accendendum spirituale desiderium eorum qui ipsi legitimè adhærescunt, & pro sua ipsorum salute pro virili in agone contendunt & eluctantur. Cæterùm adhortor vos, bona fide & æquo animo vt auscultetis quæ à mè dicuntur. Testimonium enim reddit conscientia me nihil mentiri, aut affingere veris. Tunc cœpit eis exponere quæ viderat, omnia, eis præcipiens ne hæc innotescerent beato Ioanni, vt ne is discisceret à monasterio: ac proinde tanti thesauri damnum ipsi cœnobio irrogaretur. His illi auditis demirati sunt glorificantes Deum. Hæc autem beatus Ioannes nullius relatu resciuit, sed neque solito cunctantius exercebat disciplinam monasticam, ac scripturæ diuinæ meditationem. Peruigil in orationibus ac deprecationibus erat, quibus vigiliis vetus enarrat nouumque testamentum, vtrunque sua interpretatione ediffe-
rens. Plerique autem confinium monasteriorum, perspecta eius intemerata viuendi ratione, magno studio expetebant sectari eius conuersationem ac virtutem, Deoque cupiebant vberrimos fructus proferre absolutæ perfectionis. Fama viri increbuerat perlustrans omnem illam finitimam regionem, inque omnes excurrerat de eo rumor prouincias quamlibet dissitas, vtque virum spectarent, ad eum venerunt audituri eius doctrinam. Conscripsit autem & homilias ad * monasticam exercitationem spectantes, easque emisit his qui desiderio tenebantur imitandi conuersationem angelicam, ad ipsorum commonitionem & confirmationem. Erat enim is fide atque operibus ipsis, nullo sanctorum omnium inferior, fiducia quidem impetrandi à Deo nemine posterior. formulam viuendi planè delegit inopem, angustam, & tribulationibus expositam, eoque cæteris superior euaserat per exactam disciplinam. Mordicus enim tuebatur & obseruabat eloquia diuina, & pro horum legitima custodia non parum sibi metuebat. Hoc viuendi institutum vt omnes capesserent, cupiebat maximè. Siquidem meminit eius qui dixit centesimo octauo & decimo Psalmo: Mandata tua exquisiui. Et, Loque-

* clarè intellig.

* Peculiares scripturæ loquendi formulas.

* proposuit Visio Heychij anachoretæ de B. Io. Chrysostomo.

Dan. 9.

* è pectore Domini. Ioan. 1.

Matth. 16.

* firma. Luc. 12.

* propter animæ tuæ rectitudinem adibis.

* loquebatur. Visionem fratribus exponit. Heb. 11. Rom. 10.

* arcana, secreta, sacramẽta.

* ἀσκητικοὺς λόγους.

Psal. 118.

Psal 144. aperturbationes. par de testimoniis tuis in conspectu regum,& non confundebar.Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi valdè. Iam quando Dominus facit voluntatem timentium se,præter eam gratiam quæ illi collata erat, etiam potestatem adiecit aduersum omnes corporis a perpessiones. Hac igitur de re superest vt ne cunctemur pauca enarrare è multis, & argumentis declaremus quanto splendore virtutis vir hic emicuerit.

Διήγημα. *ἡμικρανια siue ἡμικρανία, quum dolet media pars capitis. VIII. VIR quidam Antiochenus opulentus,& ex spectabili genere,* hemicraniæ morbo peracri dolebat, ita vt illi exiliret oculus dexter per vehementē morbi acrimoniam,& in eius maxillam propenderet. Is in medicos ac sophistas quū exhausisset plurimum pecuniarum,tanta molitus,nihilo plus promouit.Hic de Ioanne quum permulta ac multorum relatu didicisset,exurgens ad eum bona cum fide se contulit in monasterium.Quumq; propiùs accessisset, apprehendit ipsius sanctas manus,easq; complexus excepit osculo,dicens: Benedicito mihi pater,ac pro me Dominum precator,vt me tua gratia restituat sanitati,& huic quo detineor flagello eximat. Recuperandæ sanitatis causa nihil non sum molitus,& ecce nullis modis quiui me asserere pristinæ saluti.Si n.vnum aliquem nanciscerer, qui quidē me posset restaurare pristinæ sanitati,ipsam quoq; animam meam (si possem) huic multa cum alacritate impertirer, nedum meam omnem substantiam.Ad hæc respondēs beatus Ioannes dixit ei: Istiusmodi calamitates inopinè homines adoriuntur,ob inæqualem & distortam obliquitatem animæ ipsorum, quodq; pusillæ sint fidei in Christum. Si igitur toto animo credideris quia Deus potest te in integrum sanare,& à sceleribus quæ priùs insueuisti operari, desciueris, videbis gloriam Dei.Homo ille respondens ait: Credo domine,omnia facturus quæcunq; abs te imperata fuerint Hoc dicto,apprehendit vestimenta beati Ioannis quib.amiciebatur,& admouit suo capiti, ea superponens oculo inclementer laboranti. E vestigiò hemicraniæ morbus finem accepit,oculus suo loco restitutus est, vti fuerat initio,& in integrum instaurata est illi sanitas,ac si nullus vnquam illum dolor attigisset.Illinc se recepit homo ad propria, glorificans Deum,qui per famulum suum Ioannem sibi gratuitò contulisset sanitatem. Signum hoc in se factum enarrauit Antiochenis omnibus.Super hoc admirabili spectaculo obstupuere omnes.

Hemicraniæ morbū curat.

[a] Archelaus lepra laborat, IX. ERAT & Antiochiæ vir alius quidam nomine [a] Archelaus. Hic etiamnum amplitudine dignitatis apprimè clarus, ac procerum ciuitatis primarius.In eius facie lepra efflоruit.Quum permulta esset molitus,ac tentasset, nec ab ea posset expiari,maiorem in modum anxius erat & afflictabatur,non modò propter morbum,sed & ob infamiam ac dedecus,quòd ea insedisset loco spectabili ac visendo,nec tegere posset.Ea propter plurimum temporis detriuit domi demoratus,ita vt nulli pateret ad eum ingressus. Nemo enim illum non execrabatur, & auersati defugiebant: eius præsentiam infense oderant omnes.Erat huic vnus aliquis non fucatus amicus. Is eū contuitus tanta animi anxietate cōflictari,quum vna dierum ipsi adesset in domo,diuina motus prouidentia dicit Archelao: Non pauca audio de solitario quodam monacho,vnum eorum quæ circum ciuitatem sita sunt monasteria,inhabitante: idq; ab his qui eum adierunt,vtiq; ab his qui & gratiarum actionem plurimam ei rependerunt.Me igitur audito(qui consultum vèlim saluti tuæ)cum fide & recta conscientia abeamus ad virum in monasterio demorantem. Obsecremus vt pro te oret, spesq; ne desit in Deum qui in eius ministerio infirmitates curat,quia ab ipso nequaquam reuertemur [b] inefficaces ac vacui laboris nostri.His auditis credidit Archelaus Deo,suiq; amici sermonib.Postero die quum surrexissent ambo, multa cum festinatione adierunt beatum Ioannem,& ingressi monasterium eum inuenerunt [c] sessitantem sub tecto vestibuli.Hi quum ad pedes sancti venetatione dignos procidissent,ipsum obsecrabant vt [d] assumeret orationē.At sanctus simul atq; eos erexit,causam aduentus scisciatus est. Archelaus a respondens dixit:Honorande pater, obsecra Deū, me vt liberum reddat ab hoc morbo.Planè noui,quia preces tuas non perfunctoriè,non itē aure surda admittit Deus: quicquid tandē ab eo postulaueris Cui sanctus facie exhilaratus respōdens ait: O homo,quis ego sum,(nimirū minimus omniū qui hìc degunt,fratrum) qui pro te preces effundam,& oratio mea te restituere queat pristinæ sanitati? Ille verò tantò amplius obtestabatur multis cū lachrymis,adiuncto sibi amico,vt assentiretur,& pię efflagitationi annueret,neve vacui & expertes illinc facesserent,neu sua spe frustrarentur & excidèrēt. Contemplatus igitur eorum synceram fidem ait Archelao.Ex cōposito nunc Deo paciscere facturum te esse quicquid noueris illi fore gratum, ac pauperum manus impleturū ex opulentis facultatib.tuis fide nihil dubia credens,qa is potest pristinā tibi instaurare sanitatē,& idem à morbo curare queat,qui tē vndiq; cingit & circumplectitur.Respondens [b] Archelaus dixit sancto. Quæcunq; tua mihi iussit sanctitas,ad extremum vsq; vitæ [e] limitem exequar: & si quid à quouis extorsi iniustè, iniuriā passo rependam,ac reddam duplū. [f] Tantum est,pater sancte,integræ sanitari me [g] instaurato. Tunc beatus Ioannes adstantib.ait:Acceptū eum lauate aqua è cisterna, (è qua fratres hauriunt aquam potabilem) in nomine Domini nostri Iesu Christi,& sanabitur.Eo arrepto expleuerunt sicut mandatum eis fuerat.Eadem hora à facie eius mūdata est lepra pristino colore reuersō,vti priùs fuerat,sic ei restitutus est color,vt ne vestigium quidē lepræ [h] vllum resederit aut apparuerit in eo.Ille verò ad beatum Ioannem se recepit,gratiarum actionē refundens Deo ac Ioanni, & aduolutus pedib.eius,confessus est se esse sanum.Respondens a.Ioannes ait ei: [i] Exnunc [k] obserua,ne pauperes vllis afficias iniuriis. Deus n,adiutor est eorum,proq; ipsis curam gerit. Nunquā itaq; permittetur tibi vt eos calumniis aut iniuriis afficias & afflictes. Vt hac de re certissimè persuadearis,abundè tibi sufficere potest parabola opulēti illius epulonis & Lazari. Luc.16. Qua id ratione? Propter inhumanum & immite ingenium inclementer & citra vllam misericordiam luebat pœnas, non quod quicquā à Lazaro per rapinam expressisset,quippe qui nihil habuisset. Quare & hic merito constantis patientiæ,stationē sortitus in sinib.Abrahæ refocillatur & conquiescit: diues verò epulabatur quotidie splendidè,contempto paupere qui cū fame luctabatur,& cupiebat saturari micis quę cadebant de mensa diuitis,& qui daret, neminē inueniebat.Si igitur ob hoc ille innumera sustinuit mala,quid non suppliciorum passuri estis,qui per rapinam mēdicos & inopes deglutitis,nudos relinquitis:insuper dolo malo in illos fraudem cōmittitis, quin & fraudatis quotidiano alimento? Quemnam locum vos excepturum speratis,nisi ille fuerit vbi fletus & stridor dentium? Itaq; gratiarum actionem refer Deo,qui hoc in seculo te castigauit ac erudiuit inflicto tibi ad modicū morbo hoc,qui nisi tibi adueniisset,vtiq; æterno supplicio fueras addicendus,ad exemplum illius diuitis. Quod reliquum est,da gloriam Deo, [k] repropitians eum tibi per probatas actiones,& ipsi cōmendabiles,adimplens omnia quæ ex cōpacto tibi ipsi præscripsisti facienda & eroganda in pauperes.Ad hæc respondens Archelaus dixit ei: In veritate, sancte pater, tibi dico, quia sermones tui quasi biceps rhomphæa & vtrinq; incidens,intima cordis mei penetrarunt, eosq; sic sensu percepi, ac si mecū ipse disseruisset Christus.Non iam deinceps cōmittam quiduis operis perficere secundum priora mea delicta,at neq; in posterum seruiam regi terreno,nisi soli cœlorum regi Christo Deo nostro.Ecce igitur adeo ciuitatē,meamq; omnē substantiam precio distractā erogabo in egenos & inopes.Huc a.reuersus q, reliquū est vitæ meæ hic transigam substratus venerandis pedib.tuę beatitudinis.Te igitur obsecro,honorande pater,vt pro me ores, & apud Dominum mei fac memineris,vt me corroboret Deus ad explendum omnia quæcunq; ex pacto sum ei pollicitus,tibiq; condixi me facturum.Respondens autē beatus Ioannes dixit ei: [l] Perge fili in pace,& Dominus prosperè dirigat gressus tuos,tuumq; omne consilium adimpleat in bonū.Quumq; abiisset Archelaus [d] in ciuitatē, q condixerat se facturum ore proprio,expleuit omnia,& in monasterium reuersus mundanæ huic vitæ [m] vale supremum dixit, & euasit in perfectum monachum,se continens ab omni opere malo aduscq; vitæ finem, [n] quieuit in monasterio, Deo ac beato Ioanni gratias agens & amico suo,quòd is author fuisset sancti istius consilij,& arreptæ huius conuersationis.

VIR

[b] Chrysostomus Archelaum lepro sum sanat.
[e] finem.
[f] Tantum pater.
[g] restitue.
[h] vllam apparuerit in eo.
[i] Da posthac operā, ne.
[k] Chrysostomi admonitio ad Archelaum reconciliantem.
[l] vtrimq; secās gladius & anceps vtraq; parte intima cordis.
[m] Vade fili
[d] Archelaus fit mōach⁹.
[n] valedixit
[n] ἀνεπαύη fortè ἀνεπαύσατο, die vt iussit.

X. VIR quidam erat nomine Theodorus. Hic splendore generis nec minus opulentia effloruerat, quum audisset quid fecisset Archelaus, nimirũ quia renunciasset vitæ isti mundanæ, quodq; desiderio teneretur capessendæ conuersationis monasticæ, adiit & ipse monasterium ad beatum Ioannẽ, & assumens habitum angelicæ cõuersationis factus est probatæ vitæ monachus. insuper & alii permulti Antiochenæ ciuitatis zelo accẽsi vitæ solitariæ, suis omnibus substantiis nuncium remiserunt. Quumq; nonnulli quidem adiissent monasterium in quo degebat beatus Ioannes, alij autem in monasteriis quæ circumcirca ciuitatem sita sunt, fuerunt monachi, & singuli quiq; eorum decertarunt bonum certamen aduersus cõmunem humani generis hostem diabolũ, in perfecta virtute promouentes: alij quidem in angustis admodum cubiculis se includentes, nec vllum omnino admittentes, qui secũ texeret colloquium. E diuersõ alii exclusi, neminem ad se venientium prohibebant â suo familiari congressu. Alii insuper aliter suam viuendi formulã exercebant, suæ disciplinæ monasticæ colligentes coronas, prõ sua quiq; virili portione. His a. in vniuersum omnibus quæ fiebant bonis, secũdum Deum author erat Ioannes. Inductione enim diuinarum scripturarum hæc & admonebat omnes, & edocebat. Is quoties inuiseret inclusos, & viribus destitutos ipsos consolatoriis sermonibus demulcebat ac perungebat, vt ne insidiosas impressiones inimici nihil grauatim ferrent: quare & ipsum omnes illi suum patrem vocitabant, eidem enarrantes quas sibi inimicus clãm suggessisset improbas cogitationes, & accepta per eũ spirituum discretione, ad propria secedebant loca, ad Deum qui se per Ioannis sapientiam tanto affecisset beneficio, gloriam omnẽ refundentes. Nec soli solitariam agentes vitam hoc faciebant: sed & pleriq; alii medio in mundo versantes variis cogitationum ludificationibus oppugnati eum adibant, suarumq; animarum vulnera reuelabant, *a* ceu assolent qui graui quopiam corporis laborant morbo, eam perpessionẽ detegũt medicis, ita & per illum emplastra siue pharmaca congrua, suisq; animabus perquam vtilia ad medelam reportantes, ad propria reuertebantur gaudio diffusi. Porrò in illis monasteriis non modica in inuicem dilectio efflorebat, quapropter ita tranquilla degebant pace. Nulla inter illos exoriebatur turbela, arrogantia prorsus nulla, nulla eduliorum insatiabilis edacitas, vinolenta potatio nulla, non risus effusior, nulla intercedebat collocutio familiarior, & parum tuta, contentio & æmulatio siue suspicio nulla, nihil inter ipsos eorum quæ in sincera sunt & vitiosa. Ista hæc enim omnia submouebat diuinorum eloquiorum continens & assidua meditatio, vna cum Ioannis anxia solicitudine, & morum æquabilitate.

Theodorũs & multi alii Archelai exemplum sequuntur.

Tẽtatos & mœstos cõsolatur Ioannes.

a *vt assolẽt.*

XI. PORRO vir quidam alius erat nomine *b* Eucleos. Hic diabolica quadam operatione oculorum perdidit dextrum. Perrexit is ad Ioannem, vt vitam exerceret monasticam. Is quum sibi totondisset capitis pilos, habitũq; esset indutus monasticum, orauit pro eo Ioannes: Deus illumina istius fratris animam, & cætera corporis sensoria organa, vt plurimum fructificet per obseruationem diuinorum mandatorum tuorum. Hæc quum dixisset Ioannes, *a* repente adapertus est ipsius oculus, & vt alius, ita & dexter. Videntes autem fratres quod factum fuerat signum, admiratione corripiebantur, dicentes eum reuera seruum esse Dei, & quia Spiritus sanctus eum inhabitat, ipsi impertiens hanc sanitatum gratiam, quemadmodum & sanctis Apostolis. Flagranti eius desiderio tenebantur, vtpote fratres, sed quod maximo timori coniunctum erat per præseruidam erga eum charitatem, nimirum contemplantes, quæ eius merito edebat signa Deus super infirmos.

b ἐυκλεὴς *siue* ἐυκλεὴς *gloriosus, celeber, inclitus.*

a Fratri em alterο oculo cæcum restituit.

XII. MVLIER quædã, Christina nomine, iam annos supra septem, profluuium patiebatur sanguinis, contubernalis eius vir, vt qui anxiam ageret curam pro eius curatione, multa iam insumpserat in medicos, nec quicquam eualuit efficere quod vt recentius *c* proferet aduersus eam perpessionem. Eadẽ auditis quę per beatum Ioannem edidisset signa Deus, obsecrabat virum suum se assumeret ad eum ituram. Credidit n. dicens: Tametsi sum indigna quæ cernam eius angelicam effigiem, at certè noui quia non me à se reiiciet, neq; abominabitur meæ peccatricem, exẽplum imitatus communis omnium Dominatoris ac Domini, qui à se nequaquam dispulit simili vitio obnoxiam, nimirum sanguine fluentẽ mulierem, sed hanc sanitati restituit tactu oræ aut fimbriæ vestimenti sui. Huius igitur cõtubernalis vir, eam quum imposuisset iumento subiugali, deduxit in monasterium, & relicta ea extra ianuam vna cum ipsius comitibus ingressus est ad eximium illum Ioannem. Quumq; is proiecisset se ad pedes sancti, cum lachrymis obsecrabat eum dicens: Pater, auxilio sis nobis apud Deum, his dictis causam exposuit, ac vitiosum affectum vxoris. Respondens beatus Ioannes multa cum mansuetudine dicit homini: Demiror peruicacem quorundam obstinationẽ opinantium penes nos sitam esse hanc sanandi potestatem. Quæ potest esse in hominibus vis operatoria tantæ istius virtutis? Quænã mihi peccatori suppetit vis sic efficax, vt id exequi possim? Videmini nescire quia Deus per hæc vos castigat & erudit ad id quod conducibile est saluti vestræ. Illos quidẽ qui peccant, hoc pacto abarcet & impedit, ne tam multa admittãt peccata. Alios autem probat, si cum gratiarum actione, & amabiliter disciplinam & correctionem eius excipere velint. Ipse siquidem percutit, & rursus sanat ac medetur. Dic igitur tuæ vxori, finẽ vt imponat impudenti suę voluntati, desinat à præfracta & contumaci temeritate qua erga ancillas suas vsa est, agnoscens se esse eiusdem cum eis naturæ, & ex eadem conspersione siue massa conditam, tametsi in præsenti vita domina earum vocetur, *d* isthæc omnia demolitur ac dissoluit: factaq; repentina impressione * vtramq; *e* exæquat. Dic rursus eidem, sedulo curam obeat animæ propriæ, solicitè incumbens refouendis pauperibus & egenis. Obseruet præfinitos, & expresse statutos dies sanctorum ac venerabilium ieiuniorum. Iisdem diebus ne se contaminet per immodicam ingluuiem, sed in sancta Dei ecclesia assiduæ vacet orationi. Quòd si audierit hæc, & obseruauerit, Deus quoq; vires suggeret & sanitatem. Vir autem illius egressus, hæc omnia renunciauit vxori. At illa exerta voce ait: Pater sancte, tua hæc cum primis honoranda, & quæ Deum nihil dedecent, præcepta omnia *f* obseruabo ad extremum vsq; vitæ *g* halitum. Reuersus ad sanctum vir eius dixit: Ecce pater, condixit quæ à tua sanctitate iussa sunt ei omnia, se facturam. Reliquũ est, vt ne nos auerseris, vt ne excidamus aut frustremur præcepta spe nostra eousq; humiliati. Tunc respondens beatus Ioannes dixit viro: Perge in pace. Dominus noster IESVS CHRISTVS sanabit eam à tormento quo cruciatur. Eadem *b* hora se stitit sanguinis profluuium, sensitq; sibi esse restitutam sanitatem. Quumq; gratiarum actionem exoluissent qui cum ea erant, vniuersi receperunt se in domos quique suas cum gaudio magno, publico præconio protestantes beneficia & admirabilia Dei opera erga se facta per sanctum seruum suum Ioannem. Sanè præcipuum hoc & admirabile signum effecit Dominus per orationes beati Ioannis.

Luc. 9. Matth 8.

d *Morte istã hæc omnia demolitente ac dissoluente.*

* *dominam & ancillã.*

e *exæquante.*

f *seruabo.*

g *spiritum.*

b Sanguinis profluuio medetur.

XIII. ILLIS in partibus erat Leo modis omnibus expauescendus, & idem sanguiniuorus. Is iumenta *h* circumfinitimorum locorum permulta trucidabat. Homines insuper illac prætereuntes abripiebat. Plerunq; quidẽ armatos milites à castris aut statiuis illac transeuntes, habentes alioqui rhomphæas è vagina exertas, & arcus extentos, fera hæc immanis nemus egressa, furore ac suo robore vsa, eosq; inuadens dispergebat. Et hos quidem interimebat, illos autem plagis impressis sauciabatur: alios verò abripiens ingrediebatur speluncam, & illic ipsos deuorabat, quòd nemo auderet redimere vllum ex his qui à Leone abrepti essent. Deniq; istius ingens timor super omnes cecidit, ita vt agricolæ diffugerent, & transmitterent semen suum in mediis campis segetum incustoditum, alia insuper animalia è deserto proeuntia deuorabat, & ad nihilum deducebat. Multi verò fuga vertebant patriæ solum, & oppida finitima ingrediebantur habituri in eis. Alii quoque deflectentes è via recta per inuia & inaccessa loca pergebant, in graue periculum suas præcipitantes animas. Accolæ igitur locorum illorum in graue animi deliquium, magnamque afflictionem conciderunt, consilij prorsum inopes, ac nescii quid tandem moliri deberent aduersus hanc immanem belua.

h *finitimorum.*

Cæterum hi quum in vnum conueniſſent, vno eodemq; animo vniuerſi deprecabantur Deũ, vt diſperdendo Leoni modum aliquem præſcriberet. Vnus a. ex horum numero reſpondens ait: Pergamus ad beatum Patrem noſtrum Ioannem, eumq; obſecremus *a* ſincera fide, vt Deo offerat orationem, proq; eiuſmodi negotio nobis reddat exorabilem. Haud dubie exaudiet eum, & modum aliquem excitabit ad eius deperditionem, & ab hac immani belua ſaluum faciet populum ſuum. Omnes conſona voce, quaſi ex vno ore reſponderunt dicentes: Reuera nunc vult Deus diſperdere Leonem. Quum igitur ſurrexiſſent omnes vno & eodem animo, feſtino gradu in monaſterium perrexerunt ad eximium illum Ioannem, & eius pedes *b* procidunt dicentes: Miſerere noſtri pater ſancte, & nos exime iſti, quæ dire premit, afflictioni. Ille quum eos arrexiſſet, cauſam ſciſcitabatur ab eis. Illi vero quæ de Leone erant, renunciarunt, exponentes ei quantum *c* turbelæ excitaſſet. Tunc reſpondens numine Spiritus ſancti *d* præuentus Ioannes, dicit eis: *e* Hoc mihi argumento eſt, quia modicæ eſtis fidei. Si enim fidem in Chriſtum *f* fratam habuiſſetis ac firmam, fera illa nihil noxæ aut detrimenti vobis inuexiſſet: quando poteſtatem dedit Dominus his qui ſinceriter credunt in eum calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici, vtq; nulla noxa aut iniuria afficerentur ab eis, ne id ſolum, ſed & ſi præceperint monti huic vt ſe transferat alio, & iaciat in mare, eos quoq; ab ipſo exaudiendos eſſe. Hæc auem eo loquente, timor cecidit ſuper omnes, & mentis emotio. Accepta igitur venerabili Cruce, dedit eam ipſis, dicens: Hinc profecti, in loco ipſam infigite vnde egreſſus tot turbas concire ſolet, nihil ambigentes. Nemo autem veſtrũ illic permaneat, & bona ſpe fretus confido in Domino ac Deo noſtro Ieſu Chriſto, quia ipſe demonſtrabit vobis ſua mirabilia aduerſus eum, nec deinceps ſinet vos per eum affligi. Vos autem cum liberis & vxoribus iugiter vacate & immoremini ſanctis Dei eccleſiis. Deprecationes cum confeſſione offerre ei, poſtulantes ab ipſo indulgentiã eorum quæ prius per ſocordiam admiſiſtis, delictorum, ex hoc iam tempore deſituri à peccatis, vt ne quid peius vobis contingat. Illi autem accepto *g* inexpugnabili ſcuto, nimirũ ſigno ſanctæ Crucis, magno cum gaudio, vna cum fide per pias cõmonitiones ipſius magnopere adiuti abierũt, & vt ei præceperat celeberrimi nominis pater noſter, expleuerũt omnia. Crucẽ loco indicto infixerunt, ac receſſerunt. Viri a. diluculo expergefacti, profecti ſunt ad locũ Leonis, ipsũq; inuenerunt in terram proiectum, ſub victrici ſigno ſanctæ Crucis mortuum. Exclamarunt a. omnes dicentes: Chriſtus percuſſit Leonem virtute ſanctæ Crucis ſuæ, per ſupplicationes ſancti famuli ſui Ioannis. Congregata eſt autem virorum ac mulierum numeroſa ac frequens multitudo ex omni vndiq; finitima regione ſpectandi gratia cadauer immanis beluæ. Contemplati autem ipſum iacentem ſub ſigno viuificæ Crucis, crediderunt Chriſto: multa verò infidelium turba aqua baptiſmatis abluta eſt, & prædicabant gloriam eius, ipſi rependentes gratiarum actionem, qui per occaſionem eos exemit inani culturæ idolorum, & hæc mirabilia eſt exequutus per electos ſuos.

a vt ſincera fide Deo offerat.

b procidunt cum lacrymis clamãtes & dicẽtes.

c turbarũ.

d plenus

e Hoc vobis euenit.

f firmã habuiſſetis, fera.

Luc. 10 Matth 17.

Leonẽ immaniſsimũ crucis ſigno occidit.

g Venerãdo & inexpugnabili.

Multi hoc miraculo ad fidẽ conuertuntur.

XIV. Iam quando hic planè beatus ardentibus votis id vnum expetebat, vt perpetuo degeret in tranquilla ſolitudine, vitamq; traduceret nullis diuulſam negotiis, in hoc vt poſſet aſſiduus vacare orationi, & lectioni incumbere diuinarum ſcripturarum, animo diſcruciabatur videns ſe obturbari ob crebram nimisq; frequentem ad ſe accedentiũ monachorum, laicorum, necnon principum vndequaq; accurſum. Rurſus inſuauiter afficiebatur ac mœrebat, quòd quũ liquido ſciret ſua vnius admonitione prorſus fratres adiutum iri, ſed & neq; eum latuit vnum fore ex ipſis, qui non attingeret *h* ſcopum, ob quem hoc faciebat, ita vt eius ſuperbæ oſtentationi id aſcriberent, neue pro ſperata vtilitate, eis quippiam noxæ ac detrimenti obtingeret. Suſpicionẽ prædicabat rem eſſe vehementer *i* malitioſam. Quum id probè conſciſceret, decreuit alium in locũ cõcedere, ac ſeorſim peculiarem traducere vitam, vt deliteſceret nulli mortalium cognitus, & vt vtraq; hæc moderatè diſpenſaret. Iam annum quartum exegerat eo in monaſterio, inquinamentis voluptatum pro virili repugnans, quibus facilè ſuperior euaſit tandem, non tam labore, quàm ratione. Et quidem omnibus clam illinc egreditur, ſolusque ad ſpelæum quoddam peruenit, cupiens nulli eſſe *k* cognobilis. Porrò illic quum conſumſiſſet *l* biennii tempus peruigil, maxima ex parte ediſcens teſtamenta Chriſti, à ſe vt *m* ſemotius proſcriberet ignorationem ſcripturarum. Toto autem biennii tempore reſupinus quidem diſcumbens, non noctu, nõ interdiu deſinebat mortificare imas partes *n* ventris, eam natiui feruoris vim, quæ circa renes eſt, cædens algenti *o* rigore. Videns autem per infirmitatem ne ſibi quidem vſui eſſe poſſe, rurſus ciuitatem ingreditur, portumq; apprehendit eccleſiaſticum: idq; Saluatoris prouidentia ad eccleſiæ vtilitatem per infirmitatem quam illi contraxerant immodici labores religioſæ exercitationis, & vt ſibi deinceps temperaret ab aditu ſpelæorum.

h perfectionis.

i malum.

Quum eius probe conſcius eſſet, decreuit.

S. Ioannes Meletio monaſterio ſpeluncam quandam inhabitat.

k cognitus.

l δυεῖν χρόνοιν *m proſtigaret ignorationem.* *n ventris: feruoris vim.* *o frigore.*

XV. Aliquantum autem interceſſit temporis, & ecce dignitatem diaconatus adipiſcitur *p* initiatore Meletio, altari vt àdminiſtraret, cui duobus ac propemodũ annis tribus inſeruiuit. Simul autem atq; iam vniuerſo populo inclaruiſſet vis doctrinæ eius quam efficax eſſet, & ipſius agnita cõuerſatione ob vitæ *q* auſteritatẽ *r* edulcarentur omnes libros, qui *a* de dignitate ſacerdotali inſcribuntur, cõmentatus eſt. Eos item tres qui ad Stagyrium Demoniacum ſunt, exhortatorios & conſolatorios edidit. Inſuper eos quidem de *ſ* incomprehenſibili Dei natura ſunt, item de Anomæis, deq; *t* ſubintroductis libros ſex compoſuit. Secundum hæc Meletio Conſtantinopoli mortuo (nam ad ordinationem magni illius Gregorij Nazianzeni eo conceſſerat.) Ioannes ciuitatẽ egreſſus quum ſeceſſiſſet, rurſus repetit monaſteriũ, in quo non pridem degerat. Eo loci in tranquilla quiete acquieſcens manebat totos tres annos. Illius cœnobii incolæ monachi ipſius conuerſationem contẽplati, gauiſi ſunt gaudio magno valde, & celebriter egerũt ſpirituale feſtum ob ipſius aduentum, quòd pro more priſtino, doctrina ipſius multiformi perfruerentur, & ex ipſo tanquã ex *u* illimi fonte irrigua profluerent fluenta, *x* ſcatebræq; perenniter promanantes orthodoxorum dogmatum prorſus refertæ religioſæ pietatis diſciplinis.

p ordinãte.

Ex Mareellini & Palladii calculo, quinquennio Chryſomum diaconum miniſtraſſe habet Baronius.

Bar ad annum 382.

Bar ad dictum annum

q ἁλμυρὸς *ſalſuginis.* *r blandiores fierent.* *a* Libros de Sacerdotio iam ante, 22 ſcilicet ætatis anno cõſcripſiſſe, memorat *ſ* *Hos ſex habet Græcè interpres,* *t quinq; priores Latine reddidit Theodorus Gazes.* *u perenni.* *x ſcatebræq; promanantes.*

XVI. Diem ſuum cum obiiſſet Meletius epiſcopus, ac Flauianus ſedem Antiochenæ eccleſiæ excepiſſet, ab hoc beatus Ioannes in presbyterum hoc pacto deſignatur. Dictus hic beatus Flauianus quum in epiſcopo ſuæ eccleſiæ degeret, & nocturnæ pſalmodiæ abſolueret canonem, apparuit ei angelus Domini, dicens: Diluculo experrectus, perge in monaſterium quo loci verſatur Dei electus Ioannes, huncq; in ciuitatem adductum in presbyterum *y* vide vt deſignes. Ipſius n ſalutari doctrina illuſtraturus eſt Deus numeroſam populi multitudinem, & ad agnitionem ſui nominis aſciturus, eumq; deſignaturus nouum eſſe apoſtolum. Emerget n. hic in præcellens vas electionis. Ecce à Deo ſum ad eum delegatus, vt ne in vllo eorũ quæ ipſi præſcripſeris, ſit immoriger & inobſequens, ſed obtemperet his quæ abs te dicẽtur, omnibus. Erat a. tum beatus Ioannes in intimo receſſu ſuę cellulæ pro ſolenni more orationes ac deprecationes ad Deum abſoluens, quum derepente adſtitit ei angelus Domini in veſte candida, quem contemplatus ac vehementi ſtupore perculſus in terram procidit totus intremiſcens. Apprehenſa autem manu, erexit eum angelus dicens: Exurge ne timueris. Porrò angelus in formã hominis ſe momento transformauit. Quumq; Ioannes ad ſe rediiſſet, dixit: Quis es Domine? viſo enim te conſternatus ſum, meque inuaſit ſtupor vehemens. Ille autem reſpondens dixit: Angelus Domini ſum ab eo miſſus, tibi vt dicerem, teque commonefacerem ſermonum eius quos pronunciauit aduerſus Iudæos. Qui enim ſani ſunt, non opus habent medico, ſed qui male habent. Qua de re ab eo tibi dabitur ſapientia. Monaſtico habitu exornauit te. Monaſterium inſuper tuum adimpleuit monachis, & iis qui in ſtudio excolendæ pietatis ſe exer-

Flauianus ab angelo admonetur vt Chryſoſtomum in presbyterũ ordinet.

y ſacerdotem.

Angelus apparet Chryſoſtomo. *Luc 5.*

se exercent. Monasticos ad hæc tradidit canonas siue institutiones, ita vt nihil iam necesse sit vt hic consideas, quare hinc tibi emigrandum est, & in alia loca pergendum, vt exornes Dei ecclesias *a* tuis disertissimis enarrationibus, & numerosissimam plebem aggreges, vt fidem quæ in Christum est, amplectantur, & incolumes desciscant à vesano errore idololatriæ. Non solum autem, sed vt etiamnum plerosque alios edoceas pœnitentiam vt agant, & à pristinis suis peccatis conuersi resipiscant, ac tandem regnum cœlorum promereantur assequi. Verba enim oris tui intelligent simul & apprehendent fines orbis vniuersi, & vsque ad extremum terræ, eruntque ea multis desiderio, & *b* exaudibilia ipsis. Beatus autem Ioannes ad pedum angeli vestigia procidit, dicens: Obsecro mi domine, ne me emoueas aut segreges ab hac quæ angelicæ est puritatis conuersatione horum fratrum meorum. Non enim sufficio vnus tantæ administrationi *c* explendæ. Infirmus plane sum. Respondens autem angelus, dixit ei: Non legisti in scriptura quid dixerit Deus Moysi, quo tempore misit eum ad Pharaonem regem Ægypti, vt illinc educeret populum Israeliticum? Quia do te Deum Pharaonis, & confortabo te in omni opere tuo. Tibi igitur is suggeret gratiam obeundæ & explendæ huic functioni accommodam, ad opus, inquam, ad quod te delegit. Quare diluculo experrectus ex his qui strenuam nauarunt operam exercendæ pietati deligito quos ostenderit tibi Deus sibi gratiosos ac probatos, & hos constituito vt præsint his qui in monasterio degunt. Hi etenim tuam sunt imitaturi conuersationem, & sedulo procurabunt eorum salutem qui monasterium incolunt: Tu autem comitare Flauianum episcopum in ciuitatem incunctanter nec hæsitans, & quæ tibi præscripserit omnia, opere exequitor. Quæ enim te concernunt, dudum ei sunt reuelata, & ecce venit vna cum clero ciuitatis, in eam te assumpturus ciuitatem. His dictis, subnectit angelus: Pax tibi, confortare, & viriliter age. Vt primum illuxit dies, fratribus in vnum collectis, beatus Ioannes duos ex omnibus selegit, qui per exercitationem monasticam, celebrem famam erant consequuti, nec mediocri virtute ornabantur. Hos constituit vt præessent, simulque monachis edixit, in omnibus obtemperarent in timore Domini, neue ipsorum admonitioni se præstarent refractarios & immorigeros. Ait enim: Qui minus obedit eis, aut eorum exhortationes aspernatur, vtiq; contemnetur à Deo, qui edixit nobis. Mihi enim à Deo præscriptum est, vt ab hoc secederem monasterio, & eo emigrarem habitaturus in loco quem Dei voluntas mihi *d* prospexisset. Hæc eo edisserente fratribus, ingressi sunt clerici duo episcopi monasterium, aduentum hominis prænuntiantes. Eximius autem Ioannes vna cum cæteris fratribus egressus sepia monasterij, obuiam ei perrexerunt, ac venerati sunt, & in monasterium introduxerunt. Quumque in ecclesia preces fudissent & consedissent, episcopus acie oculorum in Ioannem pressius intenta, dixit: Plurimum defluxit temporis ex quo cupiebam coram cernere venerabilem tuam effigiem, sancte pater Ioannes. Curæ aliæ & solicitudines perquam anxiæ negotiorum ecclesiasticorum me in hunc vsque diem prohibuerunt. Nunc autem id vt faciam, iussus à Deo, non ausim cunctari & in aliud extrahere tempus: quocirca gaude ô fidelis sacerdos sanctæ Dei ecclesiæ. Pax tibi, ô medice eorum qui & corporum & animarum morbis laborant, imitator sanctorum apostolorum. Tibi sit pax, qui malignum & commmunem omnium nostrum hostem, nempe Diabolum, sincera fide tua erga sanctam trinitatem in præcipitium deturbasti, quemadmodum & Dauid olim in bello Goliath *e* allophylum iactu fundæ & trium lapidum. Gaude tu, qui immanem & sanguinis humani sitibundum leonem efficaci potentia Crucis Christi ac sanctissimi Spiritus virtute quæ in te est, operatoria interemisti. Beata plane ciuitas Antiochia, cuiusmodi enixa es arborem, quæ maturos abunde suppeditat fructus iustitiæ: Beata es, rursus dico. Quemnam spiritualem thesaurum lapidibus preciosis interstinctum ac refertum in apertum nobis retexisti? Beati omnes, quibus datum est perfrui tua spirituali mensa, nempe diuinis eloquiis, & bibere in iucunditate ex temperata potione tui crateris, nimirum tuæ doctrinæ. Hæc dicente episcopo, qui audiebant, omnes in admirationem & stuporem rapiebantur. *f* Ad hæc rursum respondens Ioanni dixit ad eum episcopus. Tu quem Deus merito honore cumulauit & in sublime extulit, nimirum te ob tuas actiones omni virtutum genere redimitas, absoluito nos ocyus, vt quod iubeor facere, opere expleam. Ad hoc enim nos cohortatur scriptura dicens: Sic nos decet implere omnem iustitiam. Expergiscere. Hinc enim inuitamur, vt voluntatem *g* Dei expleamus. [Itaque quum appetiuisset nox, rursus homo ad ædes episcopi accedit.] Ioannes autem respondit episcopo dicens: Honorande pater, obsecramus tuam sanctitatem, vt in monasterio tantisper moreris, dum nobis perficias & consecres incruentam hostiam, nosque efficias participes incontaminatorum ac preciosorum Christi Dei nostri sacramentorum, atque ita quæcunque iussi fuerimus à tua sanctitate, citrà vllam contradictionem ipse perficiam. Die autem illo mansit episcopus in monasterio, diuinam celebrans mystagogian. Corporis precioli & sanguinis Christi Dei nostri ad vnum omnes participes effecit. Deinceps episcopum obtestatus est beatus Ioannes, vt gratiam suæ benedictionis impertiret duobus præfectis quos constituerat vt præsiderent in monasterio, vt horum fidei concrederet regendum gregem fratrum, & eos atque monasterium solerti eura moderarentur. Hos itaque ad se accersitos *h* episcopus ambos salutaribus monitis exhortatus est, proponens pro cuiusque decoro quæ consentanea essent parandæ saluti: & his bene apprecatus, manibus de more impositis designauit in præsides domus. Fratres autem ad vnum omnes lachrymas profundebant plenas amaritudinis, & earum aspergine terram rigabant exerta voce acclamantes ac dicentes: Væ nobis, *i* in quod malum hodie impegimus? Quo loci deinceps inueniemus qui nos *k* perungat? qui nostris *l* medeatur vulneribus? qui doceat & opportuna patandæ saluti suggerat atque exhortetur? Quis futurus est *m* prædux animabus nostris ad ea quæ magnopere sunt conducibilia: Reuera ab insigni bono abalienati sumus. Velut peregrini atque hospites destituti sumus pastore nostro, nos quoque pupilli facti sumus absque patre. Ioanni insuper dicebant, & nos è monasterio te egredientem consequimur. Te enim quum non habeamus nobiscum, non est quod stabiliter sustineamus in ipso commorari. Ipse autem Ioannes erumpens in lachrymas dicebat eis: Reuera patres ac fratres *n* me ipse quidem ego volebam sancta hac & virtutum ornamentis insigni conuersatione priuari. Huius impetrandæ rei gratia, non paucas adhibui preces, ne sic quidem quod desiderabam, impetrare potui. Cæterum quid facerem, nesciebam. Seruus enim Domini & Dei Iesu Christi sum: quare non ausim, sed nec possum eius præcepto reniti, nisi quia ecce habetis viros vobis præfectos pietate ac virtute insignes. Audite eos multa cum alacritate tanquam patres. Dominus autem ac Deus noster eis benedicet, & ex alto super eos demittet spiritum suum, vt pascant vos iuxta sanctam ipsius voluntatem. Vobis insuper viam præmuniet in timore suo, & incolumes conseruabit ab omni diabolica tentatione.

a ἀσκητῶν. *a tuis enarrationibus.*

b auditu grata.

c explendâ, infirmus cum sim. Exod. 7.

Discessurus Chrysostomus quomodo Fratribus prouiderit.

d præscripsisset.

e alienigenam, Philistæum.

XVII. Hisce & consimilibus verbis eos consolatus precatus est episcopum, vt ante egressum monasterij pro eis effunderet orationem. Is quum orasset, illique omnes respondissent, Amen, egressus est episcopus comitante ipsum eximio Ioanne: simul & fratres cæteri omnes relicto monasterio, ita vt ne vnus quidem in eo resideret, exierunt. Hoc viso Ioannes precatus est episcopum, eos vt coerceret. Illi vero eam obiurgationem non receperunt. Perpensa autem eorum peruicaci obstinatione, vinculo *o* interdicti eos astrinxit, & vt minus obsequentes præcepto, à sacramentorum sancta communione sequestrauit. Tunc primum adacti ea necessitate in monasterium se receperunt, pertundentes pectora, & acerbo luctu *p* dequerentes quod suo orbarentur pastore. Pergentes autem simul episcopus & Ioannes conferebant mutuo & inter se sermocinabantur, quemadmodum Elias & Elisæus prophetæ. Cumq; ciuitati propinquassent, diuulgatus palam est eorum aduentus. Ciuitas mox vt exaudiit sancti aduentum, egressa est in ipsius occursum, ingenti capta auiditate eum videndi. Quin etiam mulieres primi nominis in ea ciuitate, veritæ egredi ob fre-

o sine ecclesiæ communicationis sententia.

p conquerentes.

Chrysostomus, Antiochiam cum

Flauiano Episcopo venit, & maxima omnium lætitia excipitur.

ob frequentem turbam, per feneſtras ac tranſennas ſuarum ædium demiſſis oculis cupiebant eum contueri vel obiter tranſeuntem, atq; ab eo benedici. Prædicabant enim ſe non fruſtrari eius benedictione, modò illum contueri poſſent. Factum eſt autem gaudium magnum in ciuitate die illa. Quum autem ſanctã Dei eccleſiam eſſent ingreſſi decenti cũ honore, noctem totam peruigilio & indiuulſis orationibus tranſmiſerũt aduſq; diluculum. Mane vt diluxit primùm, totius ciuitatis clerus *a* coactus in vnum eſt, principum multitudo omnis, priuata plebs, & eorum caterua qui exercitibus ductandis præerant, aut alia præcellebant dignitate. Nec modò cœtus *b* fidelium (qui eccleſiæ alumni ſunt) ſed & eorum qui gentilitio ritu viuebant in vnum coibant, *c* virum vt propiùs ſpectarent. Porro eccleſia omnis adimpleta eſt populi multitudine, viris, mulieribus, & *d* puerulis, adeò vt ſe per loci anguſtiam comprimerent, nec iam ſuppetebat copia *e* ſeſſitandi, imò ne ſtandi quidem. Deniq; impreſſione ſuccedentium ſibi hominum, quum appeteret tempeſtiua hora requirendi & adducendi ſanctum Ioannem, vt eligeretur ac promoueretur ad presbyterij gradum, id tẽporis miraculum contigit ſanequàm inſigne. Is[a] enim quum caput *f* deflexiſſet, & manus impoſuiſſet epiſcopus, orationemq; eſſet exorſus ipſius conſecrationi accommodam, è ſupernis repentino illapſu niue candidior columba inſedit capiti beati Ioannis. Id contemplatus epiſcopus, & qui ſimul aderant, mente propemodum emoti ſunt præ tantæ iſtius rei admiratione. Res hæc geſta diuulgata eſt per totam ciuitatem & regionem ei vndequaq; finitimam, adde & per vniuerſam Syriam. Et poſuerunt omnes in cordibus ſuis qui audierunt hæc, dicentes: Quidnam ipſo fiet? Ecce enim ipſo ſtatim initio ſuper eum explenduit gloria Domini. In eccleſia autem Antiochenſium *g* duodecennio commoratus eſt. Exacta autem & ſolerti diligentia medicã officinam vitæ ſpiritualis quę erat, illic exornabat: hos quidem perpurgans virtute ſobrietatis & continentiæ, iſtos autem præluſtri claritate doctrinæ illuminans, illos verò perfundens & irrigans perpeti ſcaturigine aquę ſpiritualis. Erat autem homo hic, vti fama eſt, per immodicam ſobrietatem & abſtinentiam amarulentior, vtq; retulit quidam è maximè illi † familiaribus, ab ipſa iuuenili ætate iracundiæ plus indulgebat, quàm pudori aut reuerentiæ. Equidem circa futura non admodum ſagax erat, idq; per ſinceram vitæ rectitudinem: propter ſimplicitatem verò quibuslibet captioſis expoſitus. Immoderata ac liberiore *h* fiducia vtebatur erga quoſuis ſibi paſſim obuios. Docendo multus erat in auditorum corrigendis moribus. In familiaribus colloquiis, iis qui ipſius genium moreſq; ignorabant, videbatur iuſto arrogantior. Hiſce moribus præditus erat.

a Columba capiti eius inſidet dum ordinatur presbyter

b *fidelium ſed eorum.*

c *vt virum ſpectarent.*

d *pueris.*

e *ſedendi.*

f *flexiſſet.*

Vtrum vero à Flauiano an ab Euagrio in ſchiſmate electis, ordinatus fuerit, diſcrepant auctores: nunquam *cim annis.*

nec eſt quod quiſpiam eius ordinationem hic à Flauiano factam, tanquam ſchiſmaticam, eo quod is inuito Pontifice ſederet, reiiciat: cum eo vſque progreſſa res ſit, vt anathemate Flauianus ſubiiceretur: ſed ſpe concordiæ diſſidium toleratum ſit. Vide Bar. ad an. 386 g *duode-*

† Iſidorum aiceren & penodochum intelligit h *audacia.*

XVIII. PORRÒ Flauianus epiſcopus perpendens ſancti Spiritus gratiam cumulatiſſimè ac plenis ſcatebris in ipſum effuſam, exhortabatur eum, vt populo ediſſereret quæ commonitioni eſſent conſentanea, & opportuna ſaluti animarum: ipſe autem eam prouinciam deprecabatur & à ſe repellebat, vt qui vitabundus laudes hominum fugeret. Attamen quòd probè noſſet ſe debere obedientiam, vt qui impreſſam cordi retineret prænuntiationem angeli, vim ſibi fecit vt quæ erat concionaturus, conſcriberet, quę & *i* in ſecreto eccleſiæ identidem legebantur ipſius enarrationes, præſente epiſcopo, clero ipſo, necnon quibuſdam *k* è primatibus ciuitatis. Quin & ſubinde recitabantur ex editiore ſuggeſtu, proinde ſpirituali iucunditate perfundebantur omnes, ita vt è domo in domum pergerent, ad menſas item & in medio foro populi exponerent ipſius enarrationes, conferentes inter ſe, illas quidem vice pſalterij depromentes, has verò in papyros tranſcribebant, ad perennem memoriam ſiue commonitionem eas percurrentes. Equidem permultas cõmentationes conſcripſit Antiochiæ, priuſquam Conſtantinopolitano epiſcopatu inauguraretur, quarum pars multò melior incolumis ſeruata eſt in ædibus epiſcopi dictæ eccleſiæ, necnon ab iis qui in populo ſtudiis ſcripturarum præcellebant. Sanè in vna quadã homilia ipſum exhortatur Flauianus epiſcopus, vt conſcenſo ſuggeſto, ſcripturas populo ex tempore explanaret, non item de ſcripto. Ille contrà eam rem permoleſtè tulit, ſibiq; indulgeri periit, ac tandem eò neceſſitatis ſe adegit, ad id eum extimulante propria conſcientia. Fortitudinem enim in ſeipſo retinebat à Spiritu ſancto infuſam, per munditiam cordis ſui. Vbi primùm aſcendit in ſuggeſtum, ſic exorſus eſt ſermonem coram frequẽti multitudine quæ eò conuenerat, [b] & tunc primùm cœpit concionari coram epiſcopo, cuius exordium eſt: Quæ circa nos geruntur, verane ſunt omnia? Quumque in eum coniectis oculis obſeruaſſent omnes non ſchedam in manibus habentem, non item vllum codicillum, ſed eis ex tempore concionantem, præ admiratione perculſi ſtupore ſunt, ampliori gloria eum concelebrantes, applauſu ac præconiis cumulatiſſime cohoneſtantes. Neque enim ea in ciuitate viderant eatenus aut audierant aliquando tale quid geſtum eſſe ab aliquo inter eos. Quum autem didiciſſent turbę quia Ioannes foret explanaturus ſcripturas & concionaturus, *l* exprompto & alacri animo concurrebant ad eccleſiam. Sed enim [c] qui manuarias artes tractabant, intermiſſis ſuis operibus pergebant ad concionem: qui autem & *m* propoteſtate agebant primates, neglectis ac profunctoriè tranſmiſſis negotiis ſuis præpropero curſu eò contendebant. Quòd ſi theatrales ludi celebrarentur, aut circenſe equorum concurrentium ſpectaculum ea die viſum fuiſſet populo exhiberi, nihilo ſecius omnes, *n* omiſſo principe, ſatanicis tibiis ac fiſtulis neglectis, reiectis comœdiis *o* ad conſtupratione prolicientibus, relictis inſuper Dæmoniacis *p* machinamentis, torrentis inſtar ad eccleſiam concurrebant, vt ne (propè dixerim) vel vno verbo priuarentur quod progrederetur ex ore ipſius. Quòd ſi id contigiſſet, detrimentum ſibi nõ leue putabant aduenire. Porrò auditis eius *q* melle dulcioribus eloquiis, illinc abibant gloriam perquam ſuauiter cõcinnentes amatori hominum Deo, qui eum tanta cumulaſſet gratia, ad libertimè ediſſerenda ipſius magnalia. Proinde quæ de Ioanne fama ferebat, innotuere Arcadio Imperatori, quare & deſiderio tenebatur coràm *r* tuendi virum, eiuſq; ſapientiam omnigenis virtutibus ornatam audire magnopere cupiebat. Epiſcopus verò videns eum quotidianis incrementis promouentem in Dei cultu ac fide, inſuper & gratiam ſuperuenientis Spiritus ſancti obtinentem cumulatiſſimè, orabat ſe fineret præfici moderandis Eccleſiæ negotiis, vtq; obtineret locum principem cleri totius, mox ab epiſcopi morte ſurrogandus & excepturus Antiochenam ſedem. Ipſe autem [d] non admiſit dicens: Ignoſce mihi pater. Neque enim ſum idoneus hiſce temporariis negotiis *s* tractandis, ſimul & mordicus tuendæ ſaluti animæ meæ. Eam enim vt lucrifacerem, ſubſtantiam omnem meam *t* terrenam (quę abunde ſuppetebat) reliqui, cupiens à *u* mundi curis ſegregari: Epiſcopus vero vt qui probe nouerat immutabilem eius animum, nec vellet eius mentem in diuerſa diſtrahere ac velut confundere, aut impedimento eſſe quo minus populum Domini paſceret ſpiritualibus epulis, nimirum expoſitionibus ſcripturæ à Deo ipſius menti inſpiratis & peculiariter infuſis, ceſſit eius voluntati, Deo cooperante, & gratiam hanc conſeruante ad procurandam vtilitatem animarum, ad opus quod profecto in epiſcopatu ac miniſterio Domini longe eſt præſtantius.

ἰντῶσεχεῖ τῳ, *proinuestiario.*

k *ciuibus.*

b Chryſoſtomi prima concio ad populum, ex eo quo presbyter eſt ordinatus.

Exſtat hęc Homilia Græce tom. 6. Operum S. Chryſoſt. Antuerp. edit. pag 443

l alacri abſque exprompto.

c Concurrunt omnes ad eius conciones audiendas

m *in poteſtate degebant.*

n *omiſſis quadrigis.*

o *ad ſtupra prauocãtib.*

p *debacchationibus.* q μελιῤῥύτον, *melliſluis.* r *videndi.* [d] Moderamen Eccleſiæ recuſat. s *tractandis. Nam vt animæ ſalutem lucrifacerẽ, ſubſtantiam omnem paternam.* t *Pro* γονικὴν *lego* γνησίαν *terrenam.* u *mundo ſeparari: Epiſcopus vero clare videns immutabilem.*

XIX. MVLIER quædam Euclia nomine vxor vnius è proceribus Antiochiæ filium habebat vnigenitum morbo febrili vſque adeò laborantem, vt is de vita periclitaretur, *x* eumq; mox videbatur perrupturus. Mater verò perpendens eum deſpondentẽ animum ac deploratæ eſſe ſalutis, ipſum arreptũ feſtinato in eccleſiã adduxit, demiſitq; ad pedes eximij

x *moxq; videretur exceſſurus.*

Ioannis.

Ioannis. Cum lachrymis supplicabat continenter dicens: Domine mi, deprecare Dominum, vt vnigenitum hunc mihi gratificetur filium. Parum abest ab inferni portis. Credo enim Deo, quia, quæcunque postulaueris eum, præbebit tibi. Ne deinceps aspernetis me in tanto languore & animi deliquio consistentem pater sancte. Respondens autem Ioannes dicit ei: O mulier, non nostræ est facultatis tale quid conferre quibus ipsi velimus, neque vero qui volunt possunt accipere. Dei siquidem hoc opus esse per Apostolum edocemur. Toto igitur animo crede in Deum, & per pœnitentiam supplex procide ei, sicque sanitati restituet filium tuum. Cæterum deinceps abstineto à prioribus tuis delictis, & coniungere Christo: & ex nunc in pœnitentia transige vitam. Omnino enim filium tuum afflictat tui causa. Siquidem filius hic tuus, quintus est: quatuor enim sunt præmortui; Futurum insuper est vt & hunc propter peccata tua ac viri tui mandes sepulturæ. Deus enim orbitate filiorum vestrorum erudiuit vos, vt à vestris operibus flagitiosis ipsi abstineretis: vos autem ne sic quidem vobis temperastis, vt etiamnum deteriora prioribus addentes, à prioribus non destitistis. Vel sero tandem aliquando resipiscite, nec modo vobis ad sanitatem gratuito reualescere puer, sed & cœlorum regno digni *a* habebimini. Mulier autem vna cum viro suo vt respondit, multa cum demissione vultus dixerunt: Credimus in dominum & Deum nostrum Iesum Christum, qui morbum omnem, omnem languorem sanare potest, ipsi nobis ex hac hora temperabimus ab omni flagitioso opere, Deum *b* contra nos ad hoc responsurum tibi adhibentes. Beatus autem Ioannes perspecta eorum humilitate *c* & quam cito ssima permutatione, accepta [a] aqua consignauit eos, ac dixit: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Per acceptabiles & Deo gratiosas orationes honorandi patris & episcopi nostri, aqua hæc fiat in auersionem & profligationem totius morbi, cumque tertio aspersisset puerum, eadem hora dimisit ipsum febris: ac surgens instituit pedibus sanus & incolumis, in se ne vestigium quidem retinens prioris morbi. Eo igitur sospite recepto parentes se in domum receperunt cum gaudio & lætitia ingenti, glorificantes & collaudantes Deum, in admirationem conuersi ob stupendum illud & admirabile signum. Pater autem ipsius secum delatam multam vim auri continenter deposuit ad pedes beati Ioannis, dicens: Suscipe hoc pater à me seruo tuo pro salute filij mei. Respondens autem dixit ei, Qui seruus Christi est, nihil horum *d* est indigus, Dei enim donum nullis quantishibet pecuniis venale *e* proponitur. His itaque receptis *f* hinc facessito domum, in eosque dispertitor in quos fuisti iniurius, simul & quæ tibi superfluunt, in eos distribuito qui necessitatem patiuntur, in cæcos, claudos, mutilos & mancos, circunspecte obseruantes ne ex hac hora in pristina peccata reuoluamini. Castigauit enim vos Dominus, non quasi vos oderit, sed quod cupide *g* deamet animarum vestrarum salutem, quæ fiat per maxime commendabilem ad ipsum conuersionem & pœnitentiam salutarem. His dictis, dimisit eum.

a efficiemini. *b testem pro nobis tibi adhibentes.* *c & in melius mutatione.* *a* Euclię filium febri periclitantem curat aquæ aspersione *d indiget.* *e proponitur, sed fide* *g amet.*

distribuitur. His [f] *hinc domum abito, eosque distribue in quos.*

XX. His ce diebus per ciuitatem Antiochenorum, perque regionem omnem illi finitimam expansus est Diaboli laqueus, multique adeo eo reti comprehensi sunt. Tunc enim [b] Marcionistarum hæresis multa cum libertate sua deliramenta effutiebat. Celebrabant autem hi sua conuenticula qui pro ea hæresi conspirabant, nec paucos simpliciorum transuersos agebant in errorem suum pellicientes. In his erat & ciuitatis Princeps isti obscœnæ sodalitati addictissimus, cuius opera & exemplo plerique mortalium fidem orthodoxam eiurarant. Ad eum *h* illico ibant sectarij. Deus porro *i* qui vult omnes ad cognitionem veritatis venire, infirmitatem humani *k* generis incusationem prætexens ac dissimulans, per sanctum suum Ioannem hoc signum edidit, quo animæ nec paucæ sic impiæ hæresi & impuro errori illorum eximerentur.

Marcionistarū hæresis Antiochiæ inualescit *b* Marcionistę dicti à Marcione, vide Niceph hist. Eccles lib 4 cap 28 *h illico ibant.* *i qui assidue vult.* *k generis excusationem.*

XXI. Vxor enim iam dicti Principis in morbum dysenteriæ, tormen videlicet intestinorum incidit, proinde & peracri dolore vrgebatur ob tortionem ventris, nec vlla prorsus relaxatione dolor intermittebatur, non noctu, neque interdiu. Equidem hanc interuisebant medici ciuitatis ad vnum omnes, studium quique suum & accuratam diligentiam suæ artis circa ipsam ostentantes, vt pristinæ instauraretur sanitati. Illa autem die, die inquam ea qua morbus in deterius solito processerat, medici consilij inopes ac nescij iam quid sibi foret agendum ad euincendam peracrem vim morbi, dicto ei vale dimiserunt. Huius *l* contubernalis perspecta medicorum imperita frustratione, iussit in suas ædes acciri suæ hæresi addictos, quos & hortatur, laboranti vxori vt opem ferant, ac postularent reddi sanitatem, quod & multa cum sedulitate & citra vllam temporis intercapedinem faciebant, ac proinde totum triduum in orationibus consumpserunt. Simul autem atque visi sunt hi *m* inefficaces, & in irritum laborasse ad id impetrandum per inutiles & incommodas inuocationes, mulier ad se virum suum aduocat, cui & ait: Gratiam tibi me debere profiteor domine mi, qui pro salute mea tantum subiisti laboris. Etenim redundantem copiam medicorum aggregasti, numerosam Marcionistarum conuocasti multitudinem, ne sic quidem vlla in re melius *n* afficior. Nunc igitur vnum te oro, ne me *o* reii ias te deprecantem. Re enim vera mihi persuasi, quia si exaudieris ancillam tuam, prorsus redintegrabor sanitati. *p* Respondens ei vir ait; Substantiam omnem meam si à me postulaueris, vt dem; nunquam non obtemperabo tibi, hac tamen conditione, vt te liberam reddat & immunem istius morbi. Itaque quum è lectulo se erexisset in sedem, inflexo versus eum capite procidit ipsi dicens: Audiui de quodam Ioanne sic quidem vocato qui apud Flauianum episcopum diuersatur, quia hic discipulus est Christi, qui nihil non eorum quæ efflagitat, impetrare solet, me igitur hinc assumptam perduc ad ipsum, vt pro me preces effundat, siquidem signa nec pauca eum edidisse audiui in nomine Christi. Si qua enim operatoria vis omnimodæ vtilitatis inualuisset apud istos Marcionistas aut rectæ fidei, vtique exaudiri debuerant assiduis orationibus sic *q* attenti. Sane veritatem vt tibi tandem eloquar, non *r* me clam fuit multos ciuitatis huius incolas istos abominationi semper habuisse, ob ipsorum flagitiosas actiones. Sed & de nullo audiui qui ipsorum interuentu sit vnquam sanitatem consequutus. Respondens autem vir eius dixit: Indecorum nobis fuerit, homines istos qui lattiam exhibent *s* Christo si quapiam contumeliosa iniuria affecerimus. Attamen virum adeamus, eumq; tui gratia obsecremus. Quod si is per eum Deus integræ restituerit sanitati, nullo deinceps tempore ad Marcionistas diuertemus, sed ab eorum communione segregabimur. Per hanc enim sanitatem tuam eluceset, vtrius partis fides rectitudine nitatur. Eadem hora mulierem in bigam balantes perduxerunt ad beatum Ioannem. Eam vero comitatus est vir vna cum vniuersis ordinis prætoriani. Quum autem ad ecclesiam peruenissent, restiterunt ante ipsius fores, eorumq; aduentus renuntiatus est episcopo ac beato Ioanni, simul & causa cuius gratia aduenerant. Respondentes ambo quasi ex vno ore, dixerunt: Indigni sumus ingressu ecclesiæ Dei. [r] Extra igitur ecclesiam maneant, & nos simul obseruabimus. Ad eos igitur vtriq; egressi, è vestigio illi vt ad ipsorum pedes procciderunt, adorauerunt eos, dicentes: Venimus patres ad vestram sanctitatem, vos deprecaturi, vt per inhabitantem in vobis Spiritum sanctum impartiamini sanitatem nosq; *u* seruetis incolumes ab hac amarulenta afflictione quæ nos circumquaque obsidet. Pecuniarum copiosam vim insumpsimus in medicos & alios quosdam, & hæc omnia ne tantillum quidem attulerunt vtilitatis. Sane de vobis audiuimus, quia perfecti estis discipuli Christi qui & Deus est, ita vt in omni postulatione quam ab eo efflagitaueritis, vobis impartiatur: eoq; ad vos magna cum animi propensione venimus, vt perspecta miserabili nostra afflictione, super nos apertis visceribus misericordiæ, nostri commiserearnini. Ad hæc eximius Ioannes dixit mulieris viro: Huc venisti tentare nos volens, proinde & dicis nos esse perfectos Christi discipulos, & quia nulla non in re exaudit nos. Quare igitur tu ad eum non accedis ipsiusve efficeris discipulus per intemeratam in eum fidem, quum nemo intercedat qui tibi sit impedimento? si tamen velis salutis fieri. Quin & *x* peruicaciter

Princeps Antiochiæ vxor tormine intestinorum excruciatur. *l coniunx.* A medicis desperata, Princeps Marcionistarū opem frustra implorat *m sine effectu.* *n habeor.* *o reijcias deprecantē.* *p Respondens vir.* *q intenti.* *r ignorabā.* *s Christo cōtumeliosa iniuria afficere.* Ad Chrysostomū confugitur. *t Itaq; extra ecclesiā maneāt, & nos foris exspectent, & nos accedemus.* *u seruetis ab hac.* *x pertinaciter.*

a *impius.* acquieſcis iſti obſcœnæ hæreſi Marcioniſtarum, perſuaſus abominandis ipſorum ac futilibus vaniloquiis: nitens inſuper neſcio quibus preculis, in domum tuam introduxiſti *a* impios, ratus eorum ſuffragiis acquiri poſſe medelam tuæ vxori. Hinc igitur te recipiens domum, rurſus aggrega plures prioribus, ipſiſque perſuadeto, vt pro ea ſuas effundant preces, & eas prolixe extendant. *b* forte enim exaudientur. Ne claudi in morem obambules ignorantiæ parum cordata obductus caligine. Neque enim potes vel nominari Chriſtianus. Reſpondens autem vir contubernalis illius dixit: Iſtiuſmodi vitæ inſtituto parentes erant imbuti, hanc ego religionem à teneris vnguiculis velut ſortito accepi, eam exercens in hodiernum vſque diem, eam ratus quandam eſſe religionem & obſeruantiam pietatis, ſi nunquam deſciſcerem à parentum fide. Cæterum mi domine meæ huic rudi ignorantiæ veniam indulgeto, & ad *c* complexum orthodoxæ fidei viam præmunito mihi. Beatus Ioannes in eum oculis preſſius defixis, dixit: Via quædam eſt deducens ad vitam, eſt & altera quæ recta deducit ad perditionem. Per hanc plerique hominum incedunt eam arbitrati eſſe bonam, confragoſa quum ſit & diſtorta deorſum ducens ad profundam inferni voraginem eos qui ipſam elegerint. Veruntamen ſi (vt aſſeris) per ignorantiam *d* à parte tua peccatum eſt nunc vſque: vel iam tandem veritatem agnoſce, vt deinceps Deo vtrique poſſitis *e* coniungi. [nec per puſillanimitatem conuerſi ſunt ad agnitionem veritatis, hos diris deuouete, & anathemate percutite.] Ipſe demum Deus (in quem ſinceriter credidiſtis) ſuggeret huic ſanitatem, vosque recipietis vitam æternam.

Prouerb. 14.

b *latet Ironia in ἐναντίωσι, forte.*

c *veritatem me ducito. Beatus.*

d *te hactenus peccatũ eſſe: vel iam.*

e *coniungi.*

a Marcion hæreticus.

Vide Iren lib. 1. cap. 29 & lib 4 cap 57. Tertul. de hæreſibus. Epiph hær 31. 42.

f *Hæc à Græco codice abſunt,*

b Princeps eiuſq; vxor eiurat Marcioniſtarũ hæreſin, & à Iohan. Chryſoſtomo, vxoris ſanitatem, obtinet.

g *Ioannes effundi illi aquam.*

h *ab epiſcopo benedictam.*

i *E veſtigio ipſa hora.*

k *illuc venerant.*

l *negotiorũ publicorum moleſtia.*

m *frequentantes Euchariſtiam; ſimul.*

n λύτρα *precium redemptionis, libras, habet Antuerpiẽſis editio.*

o *pauperum & infirmorum.*

p *ea de cauſa, animi deliquio nõ mediocri.*

q *veniſſet.*

r *neue quaſi pupillos eos deſereret.*

ſ *deinceps.*

t *reperimus ducem.*

f Hvic auditis mulier, exerta & alacri voce clamauit: Coniuncta ſum Deo iuxta verbum ſancti Ioannis, non iam in poſterum commercium habitura cum Marcioniſtis, quin potius ad catholicam eccleſiam me eſſe conuenturam profiteor. Idipſum b autem & eius vir ſe facturum pollicitus eſt. Quumque eos obteſtati eſſent vt pro ſe apud Deum intercederent, ſibique condonaretur priorum peccatorum venia, tunc epiſcopus beatum Ioannem adhortatus eſt, vt pro ea Dominum deprecaretur. Iuſſit ad ſe aquam deferri, allatam quum epiſcopo obtuliſſet, dixit: Aquam hanc ſacris manibus tuis pater ſancte conſigna, vt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in huius vertatur ſanitatem merito ſanctiſſimarum tuarum precum. Reſpondit ei, Donum curationis tibi competit. Non permiſit Ioannes aſpergi mulierem aqua, donec eam conſignaſſet Epiſcopus: quo facto permiſit beatus g Ioannes circum illam effundi, h aquam, dicens: In nomine Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti, aqua hæc ſit tibi ad inſtaurandam ſanitatem. i E veſtigio, ea ſiquidem ipſa hora mulier ſanata eſt à flagello ſuo, & baſibus plantarum ſuper pedes ſtetit, nec iam veſtigium vllum doloris patiens, ob id gloriam Deo rependens vna cum omnibus qui k illuc deprehenſi ſunt adſtitiſſe. Signum hoc admirabile vir contemplatus venerabundus procidit veſtigiis beati Ioannis, impenſe obteſtans vt ſua cauſa oraret occaſionem opportunam ducendi ſingulam vitam ſeorſim à turbulenta importunitate publicorum l negotiorum, ac propriæ ſalutis gratia vacandi otio ſancto. Ad hæc eximius Ioannes reſpondens ait: Deus moderetur ac dirigat greſſus veſtros ad id quod nouit vobis conducibile fore. At certe ante omnia vobis prouidendum eſt, vt couniti Chriſto, ab obſcœna hæreſi Marcioniſtarum deſciſcatis. Et quidem cum gaudio & multa iucunditate in ſuam domum reuerſi non modicam pecuniarum vim in egenos & inopes ſunt diſpertiti, ſeque prorſus auocarunt ab illa priore hæreſi, & multa cum manſuetudine ad ſinum Catholicæ eccleſiæ reuolarunt ſedulo m vacantes legitimis cõſuetudinibus viuendi, ſimul & crebertimæ auditioni diuinarum ſcripturarum. Suſcipiendis hoſpitibus & peregrinis diſtribuerunt triginta n litras auri, vt liberali impendio exciperentur, in neceſſarios vſus o pauperum ſcilicet & infirmorum. Et quidem illius impuriſſimæ hæreſeos ſectarij auditu perceperunt à ſodalitio deſciuiſſe Principem, & acceſſiſſe communioni Ioannis & epiſcopi. p Iſti ea de cauſa, animi deliquio nec mediocri afflictione intabeſcebant. Appetente autem Dominica ſancta, quum is non q aduenisſet ad eorum conuenticulum, ipſum adierunt, cum lachrymarum profluuio eum deprecantes, ne tandem deficeret à religione parentum velut per manus acceptа, r neu ſuos conſectarios quaſi pupillos deſereret. Reſpondens eis dixit: Ne mihi contingat ſ iam nunc reuerti ad veſtram hæreſin. Abunde enim & ſatis ſuperque fuerit in hunc vſque diem me eſſe prolapſum in hunc veſtrum errorem. Nunc tandem t aſſequuti ſumus præductorem viæ ad regnum cælorum nos prouehentis per rectitudinem fidei. His auditis illinc digreſſi receſſerunt u magno aſperſi pudore, frendore dentium, perſtrepentes aduerſus beatum Ioannem, & x palabundi ciuitatẽ circumluſtrantes, & aduerſus eum, neſcio quid comminiſcentes appellabant magum, dicebantque quia magicis præſtigiis tranſuerſum Principem noſtrum egiſſet atque illuſiſſet, & vna cum vxore in alienam y emouiſſet fidem. Hiſce cognitis ſermonibus Ioannes nihil ægre ferebat, quin potius illam deplorabat ciuitatem, ob id animo angebatur. Dicebat & his qui proxime adſiſtebant: Nunne & illi legis præuaricatores Iudæi conſimili nomine vocabant Dominum dicentes: quia in z Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia? Quid iſti pronuntiant quod nouum ſit? ſiquidem æquiparant nos Domino, ſic obſcœne loquentes aduerſum ſeruos ipſius. Veruntamen ſpe bona confido in Dominо Deo meo (cui interdiu ac noctu exhibeo venerabilem latriam) oſtenſurum me eſſe propediem populo fideli illorum ruinam ſimul & blaſphemiam in hoc, vt eorum exemplo alij reſipiſcentes ad meliorem vitæ frugem ſe recipiant, nec in poſterum ſeruos Chriſti vocent maleficos præſtigiatores, aut impoſtores verſutos, id quod & contigit. Illa enim nocte tota ciuitas c repentino terræmotu concuſſa eſt, tam horrendo, vt mox ſubuertenda crederetur. Tenebræ inſuper denſæ adeo, vt palpari poſſent, terræ adæquarunt conuenticulum illud a hæreticorum, vna cum terræmotu, quo quidem ſolotenus deiecit illud: & eo omnes in domicilio deprehenſi, intercepti ſunt morte. Ad hæc ipſorum ædes permultæ concidерunt, occiſis earum incolis, & facta ſunt ſepulchra eorum domus ipſorum, iuxta propheticum ſermonem, quum nullus orthodoxorum b quiduis ſenſerit noxæ aut detrimenti, ac ne eorum quidem domus ſunt euerſæ, nec eorum locus miſerum in modum affectus per eam vindictam à Deo immiſſam. Plebs autem fidelis ſigno hoc conſpecto, vehementi rimore exterrita eſt, miſericordi Deo referens gloriam, qui in ſanctum ſuum Ioannem vltus eſt atrocem contumeliam, nimirum pro his quæ aduerſus ipſum falſo protulerant hæretici. Porro qui ab eiuſmodi vltione euaſere immunes Marcioniſtæ ad ſalui, eiurata ea ſuperſtitione, orthodoxæ fidei adiuncti ſunt, totaque ciuitate gaudium magnum celebratum eſt, ac de die in diem ſuccreſcebat multitudo. Et hæc quidem per beatum Ioannem geſta Antiochiæ: quæ è multis perpauca ſelegimus.

XXII.

Psal. 42.

u *magno pudore.* x *vagabundi per ciuitatem aduerſus eum conuiciantes appellabant.* y *traduxiſſet.* z בעל-זבוב *Idolum muſcæ, alias Beelphegor, priapus.* a *hæreticorum terræmotu.* b *quid.* c Antiochia terræ motu concutitur, & conuenticulum, ac domus Marcioniſtarum concidunt

Nectarius Epiſc. Conſtantinopolitanus moritur anno 397. 27 Septẽb.

c *eligendũ.*

d *ſpado.*

PER hæc, nonnihil interceſſit temporis, & ecce Nectarius Conſtantinopolitanæ ſedis epiſcopus finem accepit vitæ, XXIII. conſulatu Cæſarij & Attici, die Septembris vigeſimaſeptima. Et quidem in tempore ſedulo curatum eſt, vt electio fieret. Sed enim quum alij alĩ depoſcerent in epiſcopum, concurrebant neſcio qui vt requirerentur, controuerſam ſeditionem pro eiuſmodi præſidentia ciebant. Viri item, at certe non viri presbyteri quidem, verum ea ſacerdotali dignitate indigni, prætoria obambulabant ſordidè offerentes dona. Alij inſuper vel vulgaris plebeculæ genibus aduoluebantur. Et his de cauſis in populo fidei orthodoxæ turba ciebatur, ita vt moleſtus eſſet Imperatori populus ad eum c adſciſcendum qui peritiam haberet moderandi ſacerdotij. Hac de re quum identidem facta eſſet conſultatio, tandem decretum eſt mitti Antiochiam, vt illinc accerſeretur Ioannes eccleſiæ presbyter. Siquidem celebrior fama vſquequaque euaſuerat eum eſſe, qui inſigni eloquentia præditus eſſet, & ad docendum appoſitiſſimus, quare & Eutropius d puerorum ductor, tunc

tunc autem imperiali cubiculo præfectus, cupiens ipsum commendabilem reddere ciuitati, quippe qui Ioannis virtutem subinde expertus esset, quum *a* imperialis causa ipsum in interiorem orientem euocaret, instruit interim Imperatorem Arcadium communi omnium decreto, clericorum dico simul & laicorum, exarari literas oportere ad Flauianum Antiochiæ episcopum pro beato Ioanne citra strepitum vllum ac *b* silenter emittendo ad Imperatorem, ne qua intemperies turbulenta conciretur Antiochiæ, literas destinaret per clericos simul & dignitate in palatio præpollentes sub hac verborum formula.

a *imperij causa in interiorē vocaretur orientem.*

b *silentio.*

XXIV. ARCADIVS, & Honorius victores, vtpote quibus erecta sunt trophæa, fideles in Christo Iesu Domino nostro, Imperatores Romanorum amabili patri Flauiano episcopo Gaudere. *c* Nihil sit palmarium, nihil vsque adeo nobis desiderabile, quam si solers cura geratur pro sanctis Dei ecclesiis, vtque fides qua in Christum credimus, tutissimo & cum primis stabili fundamento nitatur. Per eam enim ad salutem prouehimur, & nostræ ditioni substernuntur barbaræ gentium nationes. Neque enim nos nostra ipsorum potestate tanta hæc moliri præualemus, non item in viribus equorum, curruum militarium, & numerosa multitudine exercitus, *d* nisi quia omnipotens in Deum fides constabilita est, per quam res cunctæ nobis *e* dextimum sortiuntur exitum, ac rite diriguntur. Et hæc quidem de his. Reuera audiuit paterna tua sanctitas quia Nectarius sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanorum episcopus vitæ finem accepit, nec potest ecclesia hæc diutius suo destitui episcopo, maxime quum ciuitas hæc amplissima sit & imperialis. Sane nobis innotuit conuersatio Ioannis presbyteri, & quæ apud vos gesserit, renuntiata sunt. Quare ad sanctitatem tuam destinauimus reuerendissimos hosce clericos, præterea cum ipsis & principes maxime inclitos, eum vt ad nos *f* transmittas per præsentes nuncios, in hoc, vt sanctam hanc exornet ecclesiam. Neque iustum est vos perfrui sapientia hac virtutum ornamentis spectabili, nos vero tantæ istius sapientiæ esse expertes. Sed enim ne in serum tempus cunctetis nostram hac de re explere iussionem, simul atque nostras hasce literas perlegeris. Valeto, & pro nobis preces funde.

c *Nihil vsque adeo.*

d *sed omnipotentis Dei fide constabiliti.*

e *felicem.*

f *transmittatis, vt sanctam.*

Literæ Imperatorum nomine ad Flauianum episc. dirigūtur, de transmittēdo Chrysostomo

XXV. EPISCOPVS sumptas in manus literas Imperatoris vt legit primum, eas tradidit beato Ioanni legendas, qui mox vt est edoctus expleri oportere iussionem, ab imo cordis recessu ingemuit, dixitque episcopo. Quis sum ego miser, qui ausim summæ authoritatis sedem occupare? Idque maxime in amplissima illa ciuitate quæ tam multos habet viros? Ad hæc respondens episcopus dixit ei: *g* Quæ præfinuit Deus fore, velis nolis finem sortitura sunt. Episcopus quum iussisset viros qui ab Imperatore venerant, in quibusdam diuersoriis recreari & interquiescere, comiter ac perbenigne eorum dextras apprehendit, è sancta Dei ecclesia *h* regressus est vt pro decenti officio suppeditaret sumptus necessarios. Viri autē Antiochenæ ciuitatis simul ac didicerunt qua ex causa à Constantinopoli illi aduenissent homines, vno omnes animo confluxerunt ad ecclesiam, & i promota seditione vociferabantur aduersus Imperatorem. Et episcopo dicentes nunquam se *k* permissurum donum hoc quod nobis sua gratia contulit Deus, ab *l* hac nostra ciuitate emigrare in alteram, etiam si nobis ad vnum omnibus sit moriendum. *m* Neque enim defit Imperatori homo quem ad episcopatum Constantinopolitanæ ecclesiæ promoueat. Episcopus quidem pro se reddere voluit rationem populo, *n* illi vero mentem non adhibebant, neque verbum admittebant quod uis ab eo depromptum, sed eorum voces tanto inualescebant amplius, ita vt periculum fuerit ne res abiret in turbulentam confusionem ordinum. Turbam hanc contemplatus Episcopus *o* promotam etiamnum in eorum præsentia qui ab Imperatore fuerant delegati, veritus ne qua forte per hanc populi impressionem erumperet profusio sanguinis, in ædes episcopales regressus iubet tutissimis repagulis occlusas fores communiri, easque obseruari peruigili cura famulorum ecclesiæ. *p* Equidem è vestigio ad se accersit quosdam ex primatibus ciuitatis, eosq; adhortatur vt turbam coerceant, & ne imperiali edicto *q* reclament. Egressi illi quum hæc edisseruissent, tanto plus turba persistebat vociferans, ita vt pro foribus episcopi illic hærerent, in hoc vt eas decuterent, & ex episcopi domo beatum Ioannem abriperent. Quum igitur perpendissent hæc ne tantillum quidem promouisse, quin potius quia eo amplior strepitus in ecclesia obreperet & per ciues & per finitimorum locorum accolas, iureiurando se eis obstrinxit episcopus nunquam se *r* eum emissurum è ciuitate. Neque enim eam ob rem vrgere vos vult imperator, vt inuiti eum emittatis. Hisce & consimilibus verbis exhortatus populum, vix tandem eualuit *s* apud eos plenam fidem impetrare, vt conquiescerent. His nihilo secius gestis ne desciuerunt quidem ab ecclesia, sed in eius ambitu circuntidentes ipsius exitus obseruabant, timentes ne quo pacto per angustiam loci siue cuniculum subterraneum eum clam exportarent. De die autem in diem expetebant eum videre. Tunc episcopus vsus exemplaribus rescripsit Imperatori, quibus ipsum edocuit quæcunque Ioannis gratia consequuta essent per tumultuantem populum, quodque horrendo iureiurando obstrinxisset se eis non emissurum ipsum, simulque efflagitabat ab Imperatore istius facti impotentiam condonari, neu etiam eo necessitatis adigeretur, vt in omnium prospectu deprehenderetur fuisse periurus. Porro illi acceptis ab episcopo literis in castra se receperunt, qui & ingressi ad Imperatorem tradiderunt epistolam, eidem renuntiantes etiam viua voce quæ à multitudine populi gesta essent omnia. Quibus auditis, præ admiratione obstupuit Imperator: & accersito ad se vniuerso senatu iussit clam legi eis literas episcopi, simul & his quos ad id eo destinârat, edixit vt exponerent quam esset vniuersæ plebi amabilis & gratiosus beatus Ioannes, vtque edissererent omnia sicuti prius enarrassent Imperatori. His auditis omnes corripuit admiratio ac stupor, dicentes dignum eum esse qui thronum imperatricis ciuitatis moderetur & dirigat. Atqui Imperatoris desiderium atque assidentium omnium tanto amplius se diffundebat erga Ioannem, simulque rationem inibant ac differebant quonam pacto adduceretur. Tunc conscientia instigante decreuit Imperator scribere Antiochiæ comiti, ad se vt omnibus clam nec vllo hominum conscio mitteret virum, ne qua turba conciretur in ciuitate ob Ioannem. Comes acceptis imperialibus literis, è vestigio orauit Ioannem, ad se vt veniret ad ædem martyrum extra ciuitatem, sitam iuxta portam quæ vocatur Romanesia, eumque publico veredo *t* immissum tradit Eunucho qui cum magistro militiæ fuerat missus. Cum ciuitati propinquassent, certior factus est Imperator de beati Ioannis aduentu. Eadem hora iubet Imperator vniuersum Senatum, vna cum his qui in ciuitate principem locum obtinebant, & clero ipso egredi in eius occursum. Idem edicit vt in ecclesiam cum honore induceretur. Vniuersi tunc multa cum alacritate venerunt, seque obtulerunt obuiam ei sex miliaribus à ciuitate. Magno enim desiderio eum coram videndi tenebantur omnes, quod de eius gestis ad eos fama celebris peruolasset. Iussit insuper Imperator vt in episcopali domo resideret, curaque obiretur de eo tantisper, dum communibus suffragiis eligeretur. Vt autem rata esset electio, ac *u* digna cui haberetur fides, affuerunt alij & permulti episcopi. Et quidem Theophilus Alexandriæ episcopus multum adhibuit studij vt eius conueller et gloriam suis insectationibus, perpendens ipsius tenorem vitæ, & in concionando libertatem nulli culpæ obnoxiam. Adde & his, quod [a] mos erat Theophilo non eos eligere qui cordati essent, & insigni prudentia præditi, nisi si qua in re à decoro & scopo virtutis aberrassent, præoptans in tales principatum obtinere, ratus sibi consultum iri melius, si in parum cordatos *x* ditionem retineret, quam vt cogeretur audire consilia prudentum. Veruntamen eius malignitas prouidentia Saluatoris euicta est & succubuit, voluerit ne, an noluerit. Accedit his, quia [b] Isidorum quendam quum haberet suæ

g *Quæ Deus præfinuit, ea finē sortientur.*

h *reuersus.*

Antiochenorum tumultus nolentium dimittere Chrysostomum

i *mota.*

k *permissuros.*

l *hac ciuitate.*

m *defit quiddam forte, quietiut populus.*

n *illi vero non acquiescebant, neque verbum vllum admittebant ab eo.*

o *concitatam.*

p *Euestigio, ab sq; Equidem.*

q *repugnēt.*

r *eū ex vrbe emissurum.*

s *ab iis.*

Chrysostomus clam abducitur Antiochia Constantinopolim.

t *missum.*

u *digna tis plena.*

Theophilus Alexandrin. episcopus electionē eius conatur irritā facere.

a Alexandrinam Ecclesiam post Romanam sedem, primam Orientis fuisse notat Baron. ideoque Theophilum Constantinopolitani antistis electionem sibi vindicasse. x *ius imperium quo retineret.* b Isidorum hunc, de quo hic auctor, Origenistam fuisse, inficio tamen Theophilo, quem & postea ideo auersatus est vbi intellexit, memorat Bar. ad an. 398.

suæ ditionis, magnopere contendebat eũ præficere, & ad episcoparum suo suffragio promouere. Eum siquidẽ maximope-
a Theophilus cogitur in selectionẽ Chrysostomi consentire.
re amabat Theophilus, q̃ sua olim causa is in se recepisset negotium plenũ periculi. Quid id fuerit, mihi edisserendum est.
Theodosius Imperator quũ aduersus Maximũ tyrannum prælio congrederetur ac decertaret, Theophilus per hunc Isido-
rum munera quædã ad Imperatorẽ mittens, duplices Isidori manib. epistolas tradidit, præcipiens vt & dona & literas ei of-
ferret qui victoria esset potitus. His obeundis cum suã nauaret operã Isidorus, Romamq; aduenisset, in omnẽ occasionem
imminebat, vt nosset in quẽ inclinaret victoria. Atqui res nequaq̃ diutius latuit. Quũ n. is q̃ epistolas fuerat suffuratus, eas
ipso præsente legisset: hanc ob causam Isidorus timore correptus repetiuit Alexandriã. Hęc erat occasio quare erga eũ Theo-
philus fuerit ꝓpensioris studij ac fauoris. Et quidẽ qui in aula imperiali officijs fungebantur, Ioannẽ præelegerunt. Non
pauci aũt quum accusationes promouissent aduersus Theophilũ, codicillos quoq; in eum alius aliam ob causam præsen-
tibus episcopis obtulissent, Eutropius ille primarius cubicularius crimina scripto prodita quum in manus sumpsisset, clam
tradidit legenda Theophilo, dicens: Vtrum vis elige, aut præelige Ioannẽ, aut certe scito horum criminũ accusationem in
medium producendã. Hisce exterritus Theophilus elegit Ioannẽ. Ab electione mox Theophilus cœpit secũ comminisci
in illum qua via posset adornate calumniam. Nonnullis quidẽ hac de re loquebatur subobscure & clanculum. Multis
in super quos remotius aberant, suum hoc renuntiauit consilium. Æmulum enim hunc mœrore conficiebat secundum
hæc beati Ioannis libertas in concionando. Itaque electus est & promotus ad episcopalis sacerdotij dignitatem, simul &
in throno collocatus vigesima sexta mensis Februarij, quum Romæ suo ordine fungeretur consulatu Honorius Impera-
tor: Constantinopoli vero Eutychianus, qui tum temporis Prætor sub Imperatoribus Rempubliçam administrabat.

a ordinauit.
b instruere, προσκαθισ-σαι lego συνεδρισ-σας.
c longius.
d ad hac.
b Ann. 398. 26. Februar. Creatur Episcopus, Constantinopolitanus.
e συναρχ⊙.
f inclinauit.
g mihi: Hæc.

Postera die Imperator, comitante eũ senatu, ibat ad sanctã ecclesiã, vt ab Ioanne benedicerentur, qui vna cũ clero xxvi.
omni obuius illi ꝓcedit venerabundus. Similẽ in modũ Imperator fsuccliuauit collũ Ioanni: oẽs insuper qui Imperatorẽ
circunsistebant, essẽ gitabãt ab eo benedictionẽ. Is vero, Imperatori, Imperatrici, deniq; vniuerso populo fausta omnia ap-
precatus est, & ꝓ consuetudine respondit, Amẽ, cõsederunt. Ioannes aperto ore suo dixit Imperatori: Dignitas istius episco-
patus, religiosissime Imperator, oneri est g mihi, & vix tolerando. Hæc mihi imposita prouincia modulũ supergreditur vi-
rilũ mearũ, actiones meas omnes superat, omniũ quũ sim minimus. Ad hæc respondens Imperator, dixit: Dominus noster
Iesus Christus, qui suos elegit discipulos & apostolos, inq; mundũ eos emisit, vt eos qui ignorantiæ tenebris circunfunde-
bantur, lumine fidei illustrarent, & exorbitantes reuocarent ad rectitudinis viã, ipse te elegit dignum honore, qui nobis sis
& sacerdos & pastor: quippe qui bonũ illũ ac verũ pastorẽ es imitatus, q̃ animam suã posuit pro rationabilibus ouibus. Tunc
B. Ioannes Imperatori ait: Nouit vtiq; vestra pietas sacerdotes locum tenere famulantium. Eorum n. est ministeriũ, vt Sal-
uatoris mandata omnes edoceant. Quæ salutẽ concernunt subditorum, si h neglectim transmiserint: & quos pascere de-
buerant, si non auocarint ab obliqua & distorta ipsorũ via admonẽdo, coarguendo & increpando, sed blandiore quadam
indulgentia vnumquemq; permiserint viam suã ingredi, pro eo rationẽ i reposituri sunt die illa retributionis, addicendi
pœnis cũ eo qui talentum domini sui occuluit & infodit terræ. Ne igitur tali ac tanto crimini reddat obnoxius, omnes vos
adhortor & obsecro, vt quotidianis incrementis operum irreprehensibiliũ sedulo curetis proficere, vosq; auocetis à flagi-
tiosis malignis exercitiis, vt in sanctis Christi ecclesiis orationibus vacetis attenti ac deprecationibus, neq; contristetis Spiri-
tum sanctum, eum irritando aduersum vos, neu derelictam atq; humilem animã meam in mœrore cõstituatis. Hoc autem
scitote, quisquis admonitione opus habuerit, huic non parcam. Coarguam eum, vti videro animę ipsius conducibile fore.
Etenim Dauid rex & propheta quum peccasset, & is à Nathan propheta correptus plagam excepisset mire opportunam, 2. Reg.
candido animo confessus peccatum dixit: Peccaui Domino, quo responso mox fructum promeruit decerpere sanitatis: 12.
fructus inq̃ pœnitentię & remissionis peccati, insigni corona redimitus, reportans victricem palmam. Siquidem Nathan
dixit ei: Dominus dimisit peccatũ tuũ. Sit igitur vobis hæc præmonitio ꝓ exemplo salutari, vt ne resiliatis aut reluctemini,
si quãdo pro peccatis coarguemini, k̃ sed pœniteat vos male cõmissorum, vos ipsos auocantes ab omni vestra improbitate.

Oratio Chrysostomi ad imperat.
h negligenter.
i reddituri.
k sed in timore Domini pœniteat vos.

Respondens aũt Imperator, assessoresq; omnes dixerunt ei: Verba tua, honorande pater, ipsi audiuimus. Quæ grata xxvii.
sunt & placita oculis tuis, facito omnia. Nemo n. futurus est tibi l inobsequẽs aut immoriger, sed quæcunq; iusseris, pro-
penso studio ꝓficiemus omnia, tuis verbis persuasi, ac si ea ex ore Christi audierimus. Proinde q̃ eũ audiebant omnes admi-
ratione ac stupore pcussi sunt. His dictis, quũ aliquantisper cõpescuisset sermonẽ, rursus gratia impletus Spiritus sancti, &
aperto ore docebat eos q̃ cœlesti oraculo accepisset à Domino vniuersorũ Deo, vt obseruarẽt omnia, & dixit: Cui c multum
concreditũ fuerit, multũ & exigẽt ab eo. Rursus, Potẽtes potẽter n examinabuntur. Et in seruis sunt q & multis o vapu-
labunt: sunt & q paucis. Et nos itẽ sacerdotes & clerici, vos etiam nũ mundi huius principes multis vna vapulabimus. qppe
qui scientes Dei voluntatẽ, eã neglectim transmittimus ac peccamus, nullã assecuturi veniã: p Siquidẽ quum nobis animæ
pmultę cõcredite sint, de earũ sanitate nullã q gerimus curã, nimirũ nõ hanc nobiscum rationẽ ineuntes, ꝙ quisquis eccle-
siæ curã deserit, vtiq; ꝓpter pauperes & r oblæsos siue cæcos eã deserit: nec cõuenit, vt q̃ illorũ sunt opes, eas in nostrũ vsum
cõuertamus, aut in re q̃ris inde orã dispergamus. Oportet n. episcopũ irreprehensibilẽ esse, vti scribit suo Timotheo Pau- 1. Tim. 3.
lus longe eximius. Ad hæc dicebat & q̃ ad præsentis vitæ scopũ tenendum recta contendebãt. Et quidẽ ex epistola ad He- Hebr. 13.
bræos hæc depromebat: Beneficẽtiæ & cõmunionis nolite obliuisci. Talibus n. hostiis placatur siue cõciliatur Deus. Obe-
dite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi n. peruigilant pro animabus vestris, quasi rationẽ reddituri, vt cũ gaudio hoc fa-
ciant, & non gementes. Neq; n. profuerit vobis. Hæc porro quũ interpretaretur, docebat & laicos, & omnes qui sub sacer-
dotis manu sunt, oportere esse participes transmutationis diuinæ, eleemosynæ ac pacis: sacerdotes insuper honore esse af-
ficiendos. Ipsos quoq; sacerdotes cõmonefaciebat, vt inuigilarent populo assiduis precibus, admonitionibus, & ꝓinde so-
licitudini, & sconstanti in Deũ perseuerantiæ, spe nitentes futurę resurrectionis, vtpote quũ ipsi forẽt examinandi quinam
dispensassent non sua solũ, sed & quæ subiectorũ. Scriptum quippe est hoc (ait) Væ vobis qui perdidistis sustinentiam. Ec- Eccles.
quid facietis cũ vos visitabit Dominus? Addebat & sententiã apostolicã: Pacẽ sectemini cũ omnibus, & sanctimoniã, sine 2. Hebr. 12.
qua nemo videbit Dominũ. His adiiciebat & cõmonitionem, quia ipsi sacerdotes episcoporũ simul & principũ, principes
quoq; mundi istius principũ & episcoporũ res conseruandas in fidẽ receperunt fidẽ: quare iustũ est, vt depositis inimicitiis
in cõmune amplectant omnimodã amicitiã, nec iã meminerint quis domesticus sit, siue familiaris, aut certe alienus, imo
potius vt meminerint qs bonꝰ sit aut flagitiosus: deq; omnib. peruigilẽ obeant curã, seruata æquitate, & secundũ Dei ꝓ anxie
ꝓspiciant omniũ salutem: vitiosos aũt & ignauos coarguãt oratione aut admonitione, vt scriptura dicit: Argue, increpa, aut 2 Tim.
certe obsecra vt se auocẽt ab imprudẽti ꝓposito, ac boni efficiantur. Nihil n. magnum feceris, si deflexeris à iustitia, sed ap- 4.
prime magnũ est, si ꝙ bonũ est bene perficeris, te ipsum sedulo examinans iuxta vnam quamlibet actionẽ bonã. Equidem
dicere conuenit te nihil fecisse quod religiosum sit & acceptũ Deo, quin ẽt quæ & Titus quum Romæ imperaret, dicebat:
† Vide Suetonium Trancq. in Tito cap. 8. Dæmoniacum signo S. Crucis curat.
Hodie non imperauimus, aut certe non viximus, quoties neminem vllo beneficio affecimus, sed neque quidquis operis
confecimus quod sit imperatore t dignum. Porrò nihil admodum difficile sit incidere † in eos versus qui de Tito memo-
riæ proditi suut. Ipso autem adhuc concionante, volens Deus sancti sui reuelare virtutem, ecce vir quidam ab immundo
spiritu infestatus, delatus in ecclesiam est. Qui eum tenebant, beatum hunc obtestabantur, vt pro eo orationem funde-
ret, quo pristinæ sanitati instauraretur, siquidem spumas ore ciebat, & linguam habebat extra os exertam. Respondens
autem Ioannes dixit eis: Si certa fide credideritis Christum sanare eum posse, vtique ipsum recipietis valentem ac sanum
vobiscum. Illi autem quasi ex vno ore acclamarunt, dicentes: Credimus domine. Tum permisit ad se vt propius ac-

cederet

cederet dæmoniacus. Quumq; eum [a] consignasset in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, dixit: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et confestim eum quùm in terram dæmoniũ dissiecisset, exiuit ab eo. Tunc ad se aduocato illi dixit Ioannes: Desine fili à blasphemia in diuinam maiestatem. Ex die autem hac particeps esto sanctorum sacramentorũ. Iugiter te exerceto in ecclesia. Siquidem quod te apprehendit malum, vtique contigit eò quòd nihil pensi habueris de propria salute. Equidem si huic meę admonitioni aurem adhibueris obedientem, in posterum non te lacesset neq; adorietur improbus dæmon. Imperator signum hoc admirabile & prodigiosum quum vidisset, quiq; in ecclesia inuenti cum eo sunt laici pariter & clerici, & quæcunq; eos docuisset, percepissent aure attenta, exerta voce gloriam obtulerunt Deo clementissimo hominum amatori, qui ipsos dignos effecisset tam illustri iubare & luminari, animarum pariter & corporum præcellenti medico. Sicq; [a] omnes in suam quiq; domum se receperunt [b] his ita gestis.

a *signasset.*

a Cleri Cõstantinopõlitani mores reformat.

b *hac ita gesta admirantes.*

XXVIII IGITVR ecclesiæ gubernacula quum in manus sumpsisset, mox cœpit cura peruigili fungi officio, à rationalis verbi tuba exorsus, experientia rerum doctrice, ratò [c] vsus & virga correctionis; sermonem intendebat, vt fratrum vita reformaretur, nimirum aduersus obscœnam vitæ turpitudinem, de his loquens qui vocabantur * subintroductitij, declarans eos qui palàm alunt scorta, esse meliores istis qui acquiescunt huic hæresi. Illi enim quum à domo medici procul & seorsim habitent, morbo laborant spontaneo: subintroductorij verò ipsam incolentes salutis officinam, etiãnum sanos prouocant ad morbum. Hinc ea cleri portio non admodum Dei amans & hoc vitio [d] febriscens afflictatur. Secundum hunc sermonem adoritur & insurgit aduersus iniustitiam, arcem euertens malitiæ omnis, nimirum auaritiam siue cupiditatem aliena extorquendi, idq; in substructionem ædificij iustitię. Siquidem sapientibus architectis id peculiare est, vt in primis falsam & mendacem structuram demoliantur, quo facto demũ fundamentum veritatis collocant. id insinuat propheticum oraculum. Constitui te super gentes & regna, vt euellas, & [e] suffodias, & ædifices. Illa quidem parte respicit agricolam: hac verò quod ad opificem ædium attinet. Et hac vna re turbatur rursus eorum pars qui implendis marsupiis præcupidè student. Sub [b] hęc, prospicienter init rationem vitæ eorum, adhortans contenti vt sint eduliis quæ suppeditat ecclesia. Ne aruinam siue nidorem studio affectent locupletiorum, vt ne illinc fumi haurientes tædam [f] præferentem, tradantur flammæ incontinentiæ, vitam affectantes adulatorum & parasitorum. Hinc fit, vt plures istorum helluonum refodiantur eiusmodi criminationib. collisi. Hac insuper cõmonitione obsecrabat, vt qui se intelligerent lubricos, & ad lapsum peccati procliues, à priorib. quidem desciscerent erratis: deinde vt ad salutarem pœnitentię portum se reciperent. Auaros [c] autem & alienis opibus inhiantes ita reuincebat, vt suffusi pudore permulti intelligerent vnum aliquem modis omnibus iniustè ab eis oppressum, ita vt propemodum assentirentur dicenti iis qui videntur fraudem iacturamq; suarum facultatum ab illis accepisse, quædam rationi consentanea. Præterea [d] voluptatum studiosos assectatores acriter castigabat iugi sua enarratione & admonitione, sic vt plerique à nuptiis reuocarentur, ipse alioqui non hoc prohibebat. Siquidem docebat honorabile esse connubium, vtq; thorum seruarent immaculatum. In pleniore numero suarum enarrationum habendam de pauperibus curam commendat, memoriam refricans Opulentiorib. [e] opprobrabat, quod quum plura obtinerent, q̃ exigeret necessitas, viscera tñ gererent erga pauperes inclementia, nunquam non submonens eos sententiæ illius dicentis: Quatenus fecistis vni horũ fratrum meorum minimorum, mihi fecistis. Equidem [f] per hoc non pauci sui cordis duritiam emolliebant: perinde ac cera à facie ignis liquefit dum eius liquidam fluxionem consumit, in vsus inopum eas opes incunctanter dispergentes, sic vt multi paulò antè pauperes, tali collatione liberalis beneficentię ditescerent tandem, suamq; calamitatẽ subleuarent ac solarentur hac noua recuperatione facultatum. quo facto nomen apud multos celebre promeruit, vt diceretur [g] Ioannes ab eleemosyna. Arrogantiæ verò elationem ad nihilum redigebat, eiusq; fastum aboleuit in multis, cõmendatione humilitatis ac modestiæ, eos qui cum humilitate decenter vitam exigerent, laudib. concelebrans. Hac ita admonitione persuasi sunt quidam priùs soliti cum numerosa multitudine famulorũ ingredi ecclesias, fora & balnea, vt demũ vno aut altero puero concomitante sint contenti, & hoc propter vnam aliquam necessitatem (vt par est credere) vrgentẽ. Ad [h] hæc, dicebat sanctimoniam puritatemq; animæ simul & corporis nihilo esse angelis disparem. Mutuas itidem calumnias obtrectationesve prædicabat esse diaboli ac dæmonum exercitia. Addebat ille: eam enim ob causam vocatus est * diabolus, quia sermonem conferens cum Adam contra Deum loquutus est: rursus cum Iob aduersus Deum calumniam adornauit, tum quia calumniator homicidæ assimilis est. Obsecrabat insuper eos, se [i] vt amore mutuo complecterentur, inq; sessitationib, in accubitu prandij aut cœnæ inuicem sibi honorem deferrent, neu primas sedes diligerent. Porrò in suis familiarib. colloquiis subinde commeminit vitæ sanctorum patrum & anachoretarum, eorumq; conuersationis ac virtutis, ita vt eiusmodi sermonibus compungerentur non pauci, ita vt ex eorum oculis vberrimæ elicerentur ac defluerent lachrymæ, & ingenti desiderio caperentur solitariam exercẽdi vitam, & extremum valedicendi turbulentę confusioni vitæ huius. Admonebat [k] insuper, vt peregrinos amanter exciperent hospitio, eos potissimùm qui monasticen professi alicunde aduenirent, eorumq; curam sedulò gererent, perinde ac apud se Christum ipsum essent excepturi, iuxta verbum Domini dicentis: Hospes erã, & collegistis me. Ad hæc, illis in memoriam reuocabat sententiam illam apostolicam qua dicit: Frequenter enim * nescientes quidam angelos hospitio exceperunt. Vnde enim nostis an ipse sit Christus, qui se ita in hominem transformarit, vt probet nos? Rursus eos vehementer extimulauit, vt vice musicorum & canticorũ quæ animos dissoluebant, ediscerent psalterium, idq; psallerent spiritu, Deiq; oracula (g vbi vbi inuenirẽtur in via, siue in naui, seu medio in foro, aut certè in ædib.) ea concinerẽt. Alia deniq; permulta non desinebat admonere & exhortari non in ecclesia modò scripturas enarrans turbæ, sed & [h] seorsim in priua domo episcopi iugiter hoc faciebat, q̃ gratiam sancti Spiritus cordi impressam conseruaret, & abunde profluentem è scatebris diuinorum eloquiorum. Simul atque prudenter sibi delegatam functionem absoluit, non suæ modò ciuitatis, sed & vniuersæ Thraciæ [l] egit curam (quæ in sex principatus dispertita est) & Asiæ totius: quæ quidem in vnum confœderata à principibus vndecim gubernatur. Præterea & Ponticam gentem suarum legum institutionibus exornabat. Habet autem Pontus principes totidem, nec dispari numero atque Asia. Vt autem didicit [m] Phœnicen vecordi adhuc dementia correptam pro tuendis dæmonum cæremoniis, monachos quidem zelo Dei flagrantes in vnum adlegit. Hos quùm imperialibus edictis obarmasset aduersus delubra ac templa illa idolis dicata emisit, quæ quidem demolientibus fabris, suamque impigrè nauantibus operam ministris, pecunias consumpsit, quas non imperiale promptuarium suppeditarat, sed mulieres, vt opum exuperantia p̃cellentes, ita & fidei splẽdore spectabiles, ab Ioanne ipso persuasæ, vt eas liberaliter ac munificè in vsum hunc pium impertirent, eo declarante per eiusmodi liberalẽ erogationẽ, benedictionẽ gigni solere. Sanè quidẽ hoc pacto loculamẽta illa dæmonũ ac tẽpla derelicta à fundamentis effregit, demolitusq; est. Is insuper cùm videret * Celtarum [n] turbã venatu captã, ac detentã sagena Arianorũ, artifici machina etiam ipse vsus canalem aliquem siue meatum excogitauit eripiendæ prædæ accommodum. Presbyteros n. diaconos, necnõ alios qui illis eadem lingua vtentibus diuina eloquia clàm legerent opponens, vnam ipsis attribuit ecclesiam. Hac vsus sagaci opera, multos eorum qui in errorem fuerant prolapsi, tali aucupio cepit. Ipse enim eò ingressus, & interpretum vtens opera vtriusq; partis linguam callentiũ, concionabatur: quosdã a qui differere nossent,

Matth. 25.

Heb. 13.

c *Vsus virga correctionis; sermonem intendebat.*

* παρεισάκτων. Græcè, qui subintroductã mulierem domi alebãt. In quos Can. 3. Nicæni Cõcilij vide σωμάτων ξενικῶν vocat, vtique alij extraneæ mulierem. Vide interpretes in Cod non Cod & in iure Põtif. de Subintroductis.

d *febricitans.*

e καθαιρετικὸν θέσιν.

b Gulam dissuadet.

f *præsentium.*

c Auaritiam perstringit.

d Libidinẽ redarguit.

e In Diuites inuehitur.

f Cõfirmat τῇ ὁμοίωσει

g Nomen eleemosynarij obtinet. Fuit alter hoc iunior ἐλεήμων dictus, de quo in Vitis patrum.

h *Seorsim & in domo*

ἐν τῷ σκρέτῳ. [l] Thraciæ, Asiæ, & Ponti curam gerit. [m] Phœniciam ab idolorum cultura expurgat. * κελτικὸν ὅμιλον. [n] Celtarum plurimos ab Arianismo reuocat.

a *signasset.*

nossent,instruebat,quid deberent & ipsi facere.Enimuero hæc dum moliebatur,perseuerabat in ciuitate,multosque seductorum,apostolica prædicatione conseruabat ad vitam,veritatem palàm professus. Is [a] cùm didicisset quosdam Nomadum Scytharum qui Istri sunt accolæ,sitire suam *a* salutem,studiosè quæsiuit viros qui zelo flagranti apostolicam exercuissent philosophiam,quos & illis præfecit,scripsitque ad Leontium Ancyræ episcopum literas,quibus significauit Scytharum immutationem,vtque viros curaret ad eorum directionem mittendos quos dignos iudicasset, & huic obeundo muneri accommodos.Porrò in orientis partibus, vt rursus didicit primum deliria Marcionis oppida quædam inuasisse,ea de re certiorem *b* reddidit per epistolam eum qui ecclesiam pascebat tunc temporis, exhortans vt hunc exigeret animæ languorem,simul & diligentiam adhiberet sanctioni legum imperialium conseruandæ. Proinde quemadmodum ecclesiarum anxiam solicitudinem animo circunferret,iuxta admirabilem Apostolum abundè hæc docuerunt.

a Scytis viros religiosos mittit.
a *salutem & ignorare eius acquirendæ rationem, studiosè.*
b *fecit.*

Post [b] solicitudinem ecclesiarum,in quæstionem veniunt *c* rationes concreditæ dispensationis,& ecce deprehendit ecclesiam nullum debere sumptum.Per hunc vnum authoritati defert obsequium.In partem venit episcopalis sumptus.Inuenit copiam rerum liberalem & opulentam. Horum opiparam munificentiã iubet afferri in nosocomium.Cõdit [c] nosocomium,& capacius reddit è superfluis rebus. Duos præfecit presbyteros religione venerabiles & medicos.Adhuc & ad exhibendum obsequium infirmis substituit viros qui benignitate essent commendabiles,& innupti,ita vt hospites *d* indigenæ & morbo quopiam correpti liberaliter & cum diligentia procurarentur: idque ob honestatem,& ad gloriam Saluatoris.Secundum hoc,qui sequitur ordo, vocatur viduarum,quæ palabundæ fuerint & erraticæ,nec rectè essent conuersatæ.Si quas deprehendisset propriæ carnis amantiores, eas admonebat, aut vt inuitè *e* ieiunarent, & abstinerent à balneis,& superfluo ornatu vestimentorum: eas hortabatur, vt quam citissimè apprehenderent sibi commodiores nuptias,nequa per eas contumelia irrogaretur legi diuinæ. Secundum hunc ordinem adhortabatur & obsecrabat multitudinem populi vt prævigil & assiduus incumberet nocturnis *f* supplicationibus. Vxores autem horum iubebat,interdiu vt domi manerent orationibus vacantes, & à coniugum cognitione per diem feriarentur.Hisce omnibus,eos qui in clero erant ad opera Dei supiniores, quippè qui noctem totam pro consuetudine veternoso sopori se tradebant,mœrore *g* conficiebat. Hæc autem opere explebat,proponens pro animi sententia tali moderatione vitam dirigere.Secundum hoc,gladium distrinxit increpatorium aduersus diuites, incidere cupiens animæ eorum *h* vomicas & suppurationes,modestiam & humilitatem eos edocens, vtve erga cæteros moderatam morum temperiem *i* asseruarent,apostolico persuadens eloquio, *k* quod quidem ita habet ad Timotheum *l* qui opere ipso suum præfert nomen: Diuitibus huius seculi præcipe,vt ne alta sapiant,neque spem suam ponant in incerto diuitiarum. *m* Sed enim Ioannes quandoquidem instituerat (propè dixerim) post se futuris episcopis viuendi formulam,vti viuere *n* debent, nimirum iuxta præscriptam à Paulo doctrinam, vt propria mercede præco verbi contentus prædicet pœnitentiam: neminem perstringens eorum qui ecclesiæ huius fungeretur sacerdotio, cibos tantùm accipiebat,semper *o* talem apparandi curam fugiens. *p* Quòd si noluisset ab Olympiade accipere, rem vtique fecisset *q* prorsus indecoram,iuxta eius sententiam qui dixit: Dignus est operarius mercede sua. Et, Quis pascit gregem,& de lacte gregis non edit? Ecquis plantat vineam,& de fructu eius non sumit? Nolebat is cum alio quis [d] sumere cibum,sed & à quibusdam inuitatus ad epulum,nequaquam eò pergehat,hisce de causis. *r* Primaria est, Vinum non bibebat ob capitis feruorem,nisi si quando *s* Diarrhodo vsus est Sole exæstuante. Altera,quod stomachi sui tenorem non facilè moderaretur,ob quandam infirmitatem,ob quam plerunque edulia ei *t* studio adornata, ipsi iniucunda videbantur & insuauia,ne sic quidem quæ deerant,requirebat.Ad hæc,curis ecclesiasticis sedulò obeundis intentus,per obliuionem nonnunquam ad vesperum vsque permanebat *u* incibatus. Hoc etiamnum curabat, spiritualium rerum dum distraheretur contemplatione.Peruigili insuper studio enitebatur, vt ne quid de scripturis sibi relinqueretur ambiguum, hac vna opera simul rescindens œconomis furandi occasiones, & ne in suis *x* breuibus pretia obsoniorum decuplò exaugerent,sicque pauperum necessitates interuerterent,ea sibi vendicando. Hisce cautis accedebat & alia.Dum secum reputaret tantæ ciuitatis numerosam multitudinem, animo versabat, *y* quia deberet tanti istius honoris omnimodam dignitatem, vt dignum fuerat, tueri & conseruare, vt Christi dispensationem *z* addecet,aut nemini facessere negotium.Quòd si se velut *aa* mancipium deditium alienis mensis dedi derit,isne par esse poterit sustinendæ tantæ dignitati,dum sic populosam & amplam incolit *bb* ciuitatem, *cc* per absurditatem rei,aut propter paupertatem,aut certè propter ingluuiem, emendicare cibos ab vnoquoque *dd* cogitur, ac flagitare? Atqui [e] studium vocationis moderantur Dei contemplatio, sermonis officium,enarratio scripturarum,viduarum prouidentia,consolatio pupillorum,infirmorum diuersoria,opitulatio oppressorum,contritorum accurata solicitudo,clausorum carceribus visitatio.Quonam pacto os quod se in diuinis exercuit eloquiis, auris audiendis Dei oraculis assueta,diuinis precibus exaudiendis,sustineat audire garrulam mensæ loquacitatem? *ee* Visus itaque est per populi tumultum,per multitudinem respexisse ad paucitatem sumptuum. Præsentibus insuper qui calumniæ causa iubebant eum longum valere,dicebat,eorum obtrectationibus *ff* opponens illud ex Actibus apostolorum, *gg* seque ipsum consolans: Viri fratres,non est æquum vt nos relicto verbo Dei,ministremus mensis. Et hæc quidem causa perspicua est, *hh* ob quam aliis nolebat conuiuere familiariter. Verùm dici potest id ipsum fecisse per præeminentem & exactam religiosæ vitæ exercitationem. Ab omni enim cupiditate pecuniæ cumulandæ abhorrebat, eratque ad sobrietatem præ omnibus, & ad humilitatem propensissimus. *ii* Palàm est virtutes hasce omnes præ cæteris requiri in sacerdote.Hæc præter,vt erudiret sermonibus,vt commonefaceret: denique vt persuaderet,quò singuli quique prudenter sibi consulerent,vt æquitati legum prouiderent ac bonæ famæ, vt viduis præessent ac pupillis, vt pauperes ac debiles solarentur eleemosynis Sed enim iusto asperior videbatur *kk* multis qui erant è clero,eumque insimulabãt superbiæ,& se illis reddebat inuisum,sic vt ab eo deflecterent,quòd in concionibus illos coarguisset.At ille tantò plus sibi persuasit ac perpulit,vt sua doctrina improbam omnium nequitiam reprimeret.

c ποσοκομεῖον infirmariam vulgus vocat,erigit.
d *aduenæ & ægroti, & morbo.*
e *ieiunarẽt & abstinentes à balneis.Græcè:* τῶν ὑπηδιῶν ἀπαλλαβεῖν.
f λιτανείας *nam & litania,non letania.*
g *efficiebat.*
h ὑποσήματα.
i *afferrent.*
k *quo ita scribit ad Timotheũ: Diuitibus* 1.*Tim.*6.
l *pro* φέρωμεν *lege* φερόνυμφ.
m *Sed quandoquidem Ioan.*
n *debent relinquere,nimirum.*
o *talem cibos parandi*
p *Quamuis si ab Olymp acciperet.*
q *non indecoram.*

r *Primum,vinum.* s *Lege Dioscoride* t *studiosè apparata.* u *ieiunus Hoc quidem in Ecclesiasticis curabat officiis, illud verò spiritualium.* x βρεφία *ecclesia.* *vocat rationarios libellos.* y *debere se tanti.* z *decet.* aa *mancipium alienis mensis dedisset,par esse non poterat.* bb *relicta scilicet* cc *si per absur.* dd *cogeretur.* [e] Otij sancti functiones. ee *Visus itaque est populi tumultu, ac magnitudine sumptuum in mendicos; calumniabantur,valere iussus.* ff *opponebat.* gg *se ipse.* hh *cur nolebat, vt referunt, conuiuere familiariter. Reuerà autem idipsum* *iis qui hæc debet per* *præeminentem.* ii *(Hæ enim virtutes omnes corona sunt sacerdotij) præterea ad erudiendum alios sermonibus, & ad commonefaciendum,* *denique ad* *persuadendum.* kk *erga clericos multos,eumq; accusabant & illis reddebatur inuisus.*

Sarapion [f] per eum ordinatus diaconus, voce exertâ,præsente clericorum cœtu,hunc aliquando locutus est aduersus eum sermonem: [g] Nihil vnquam horum fiet,ô episcope,nisi virga quapiam fueris omnes insectatus. Dictum hoc,& aduersus episcopum distrinctum per increpationem,odium mirè extimulauit & *ll* redaccendit. Sanctus autem Ioannes secundùm hæc non ita diu moratus multos eliminauit ecclesiæ ingressu. Sarapionis autem supercilio sam arrogantiam sufferre poterat nemo. Iam [h] Ioannes episcopus cùm obtineret multam in dicendo libertatem,etiamsi quid occurrisset,præter decorum,nulli non obiiciebat. Quin [i] & nonnunquam cùm adesset Seuerianus,ei episcopo quem

f Odium cleri Chrysostomus sibi conciliat, idque redaccendit Serapiõ
g Vide Socrat. l 6. c 4
ll accendit.
h Chrysostomi modestia.
i Vide Socrat lib.6 c 10. Niceph. lib. 13. c. 9. Sozom. lib. 8 cap 10. Bar. ad an. 401.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quem conueniebat exhibere honorem, non detulit, sed pro suggesto sessitans concionabatur, per hoc declarans sibi hō admodum curæ esse præsentiam Seueriani, tum quia Serapionem habuisset despicatui. Ipse enim in omnium præsentia, exerta voce inclamarat, dicens: Si Serapion moriatur Christianus, non assumpsit humanam carnem Christus. Qua occasione arrepta, Serapion inimicitias Seueriani conciuit palam in B. Ioannem. Cùm texisset quidem illam verborum præcisionem siue circumstantiam, si Serapion Christianus moriatur, Seuerianus autem duntaxat intulisset dicens: [a] An non Christus humanam assumpsit carnem? hoc vtiq; quasi ita dictum esset, adduxit præsente Episcopo in testimonium fastus & arrogantiæ ipsius Ioannis. Beatus [a] igitur Ioan. nihil cunctatus, ipsum expulit è ciuitate, se auocans ac deflectens à priore erga eundem amicitia, quod sermonem is exprompsisset propè blasphemum. Hisce mox cognitis, Imperatrix Eudoxia in Ecclesia [b] cognomine apostolorum insigni, Theodosium filium suum (qui ab Arcadij patris sui morte imperauit) tunc tenellæ admodum ætatis ad genua S. Ioan. demittens, nec simplici iureiurando se obstringens, vix [b] tandem persuasit, vt priorem erga Seuerianum amicitiam complecteretur, eumq; exciperet familiariter, tametsi Seuerianus sui erga Ioannem simultatem animi nihilominus retineret. Etenim Ioan. [c] secus quam pro decoro nec decenti tristitia affectus est aduersus Seuerianum. Erat autem & [c] Ioannes peracri zelo incalescens circa fidē, idq; potissimùm prouidebat, nè quis sermo depromeretur aduersus maiestatem diuinam, tametsi Ioannes fuisset varijs 3 Reg. 19 Psal. 138 rie edoctus, & proindè declarans (ceu dictum est) suæ in Christum feruorem fidei, & eadem opera adimplens quæ in diuina scriptura prodita sunt: zelo zelatus pro Domino. Rursus, Nónne qui te oderant Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam eos. inimici facti sunt mihi. Sanè quidem hic prætextus, causa hæc illi erat præ conceptæ indignationis aduersus Seuerianum. Porrò qui Ioannem infensè oderant, in ipsum molieban-tur, cuiusmodi assolet fieri in hisce potentiorum temerarijs conatibus. Hic [d] factiosam coïtionem apud populum [e] cōcit, suis calumnijs vsus. Et quidē populus ipsi mirè applaudebat, ob sermones in Ecclesia ab eo declamatos, hominēq; vehementer diligebat. Obiectiones autem aduersum se [f] coorientium nè tantilli quidem faciebat. Nec admodum multo tempore fama de ipso celebrior longè lateq; effusa, peruagata est prouincias, ciuitates, insulas: adeò vt nemo fuerit, qui non concupisceret coram cernere hominem, ipsiusq; doctrinam haurire auribus. Hic subindè B. Innocen. à Constantinopoli scribebat, literasq; ab eodem excipiebat, quæ eius cōmendarent prudentiam simul & doctrinam. Cuiusmodi autem fuerint ab ipso editi sermones, quam multi à velocibus scribis excepti, quamq; elegantes, & ad persuadendum appositi, quid nunc attinet dicere? Ea quisquis cupidè legere volet, poterit nullo prorsus negotio hinc decerpere frugem longè vtilissimam. Ingenio erat perquam idoneo dissoluendæ quamlibet prolixæ quæstioni, idq; concisis verbis, necnon ad comprehendendum nulli non obuijs. Ediuerso quæ paucis inducebat, ea poterat exporrigere ac dilatare fusiùs. Pulchrè admodum sermonem efferebat, sic vt plura ac distinctius variegata, quam cæteri omnes quotquot erant [d] sacerdotes (exceptis Athanasio Alexandriæ, Basilio Cæsareæ Cappadociæ, & Gregorius [g] Nazianzi irreprehensibilibus ac perenni memoria dignis Episcopis) plura inquam doceret, commentaretur scripturiens, ac digereret in dogmata, nec interim ab alio aliquo mutuaretur quos deprompturus erat sermones.

a *Ergo Christus humanam non assumpsit.*
b ἀμφιβολίαν. *pro* φροντίδα.
c *conuocat.*
d Ἀσφάλειαν *pro* φροντίδα.
e *Chrysostomi zelus erga fidem.*
f *nascentium.*
g *Nazianzeni.*
[a] Seuerianū vi be propellit.
[b] Eundem in amicitiam recipit non simulate, sed verè: vt contra Socratem probat Baron. ex Homelijs Chrysost. ad an. 401.
[c] *tristitia affectus est, absq; secus, &c.*
[d] Episcopos intelligit, vt & alias.

XXXI. Ad hæc, is poterat sermones efficere argutos quidem, qui expergefacerent auditores quamlibet crasso ac rudi ingenio, quiué essent somniculosi, socordes, ad artes & perferendos labores inepti, ad exercendam agricolationē inertes, eos inquam, qui desides nullam excolerent artem, excitare poterat, simul & intelligentiam præbere, & extimulare exemplo operum ipsius: quæ quidē omnia admiratione cumprimis digna erant. Proindè illi non in postremis curis erat, vt nè quid aliquando imminueret è nocturnis, matutinis ac diurnis congregationibus ac vespertinis hymnodijs. Seriam dabat operam, nè quis præ se experrectus fores [h] adaperiret S. Ecclesiæ. Nullis vnquam congerēdis opum thesauris incubuit pro mercede concionum quas disertè & grauiter declamabat, neq; est [i] assecutus, ob rationes vitæ luculentius exigēdæ. Ad hanc viuendi formulam, viri istius auditas neutrobi [l] euarians transigebatur, idq; vt præconceptam animi destinationem iugiter conseruaret immobilem, multisq; euaderet superior, qui sacerdotali dignitate excellenter alioqui anteibant, etiam si & ea [m] præ illo gesta fuerint, & quæ post illum, nihilo fuerint inferiora, attamen habebat, sed & retinet gratiam sibi vni peculiariter competentem, quandoquidem in exilio agens, nihil quod sui esset Psal. 23. iuris, [n] inter curas habebat, ceu quidam aliquammulti assolent: sed iugi modulatione conçinebat psalmū illum tertium ac vigesimum: Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo: ¶ Beatus hic Ioan. sapientissimi Apost. Pauli [e] epistolas vehementi complectebatur amore, nec vllo vnquam tempore librum (qui eas contineret) sinebat è manibus [o] intercipi, eas legens, simul & miraculi habens loco quam hæ continent diuinitus aspiratam sapientiam, dum citra vllam dubitationem secum reputat, quanta puritate anima illius prænituerit, quamq; ab omni inquinamento alienum corpus conseruarit. Neq; enim aliàs Spiritus S. gratia ipsi suppeditasset tam prægnantē copiam disserēdi ac tradendi sic diuina eloquia, nisi is fuisset ab omni contagione istius mundi expurgatus, iugiter retinens memoriæ impressam Saluatoris sententiam dicentis: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Erat illi [f] in imagine effigies ipsum Paulū velut spirantem ac superstitem exprimēs. Is vbi pusillum quid interquiēuisset pro subleuanda infirmitate corporis, (Etenim super naturæ conditionem [o] peruigilabat) cumq; ex epistolis eius percurrisset nonnihil, & esset commentatus, in Apostoli effigiem fixiùs oculorum aciem intendebat, & quasi is in viuis superesset, ita in ipsum aciem oculorum intendebat, eundem deprædicans reuerà beatum, sibiq; visus illum videre, totam animi contemplationem in ipsum conuertebat, ac si familiariter cum eodem versaretur, & comiter compellaret. Se igitur accinxit ad desideratam earum epistolarum interpretationem, vt omnibus innotesceret virtus tanto huic viro diuinitus infusa, ratus se rem facturum prorsus indecoram, si quidem Ecclesiam sineret expertem esse doni adeò locupletis & opulenti. Quare [g] arbitratus non mediocrè precium operæ rogantibus se facturum, si eas dilucidiùs explanaret, hoc ipsum opere præstitit. Aduesperascente enim die, quo tempore domus sua ferias ageret, & nemo adstaret interpellator obstreperus, suum illud anachoreticum cubiculum subibat, & in sedili quopiam sessitans coram se funale cereum accendebat, & arreptis in manus tabellis per seipsum inscribebat formulas dicendi Apostolo peculiares, simul & in easdem enarrationes. [p] Sed enim nemo tum ausus fuisset ad eum ingredi, [q] hauddum foris stare pro foribus, [r] non etiam sermonē texere, nè per hoc eius animi conceptio dispergeretur. Id obseruabatur quamdiù animū adijciebat ad scribendum. Iamq; maxima ex parte epistolas fuerat interpretatus, & eccè humanum quiddam ei contigit, nimirum angi cœpit tædio, secum dicens: Ecquis nouit, Deone accepta sint hæc, & gratiam ab eo relatura? Atq; vtinam citra notam reprehēsionis & [s] indemnatè enarrata sint hæc. Scopumne attigi sapientis istius ac tanti viri? Hac de re vt argumento quopiam redderetur certior, supplex efflagitauit Deum. Non ita multo pòst postulatio hunc sortita est finem. Contigit itaq; eum [t] expergefieri non modò vt destinatum opus absolueret, sed vt alia pleraq; ediffereret. Etenim vir quidam vnus eorum qui dignitate præpollebant in ea ciuitate, prætextu causæ cuiuspiam infamiæ nota fugillabatur ab ijs qui liuore torquentur alienæ famæ. Aduersus hunc incanduit, & grauiter destomachatus est Imperator. Eiectus tandem è palatio, excussus etiam à dignitate est. Hic in mœrore tanto ac deliquio animi

h *aperiret.*
i *assequutus opes eas vt viueret splē didius.*
l *varians.*
m *ante illū curat, aut quidam solent.*
n Pauli Epistolis plurimum delectatur.
o *cadere. Matth. 5.*
[e] Hisce verbis deprehēditur author superior esse ætate Damasceno: Scribens enim 1 Damascen⁹ contra Leonem Isauricum iconomachum, li bellos tres de veneratione S. imaginum, in horum primo, locum inducit ex hoc opere de imagine B. Pauli Apostoli
[f] Explanat Epistolas Pauli.

Tt constitu-

p *Sed nemo.* q *aut.* r *neq;.* s *sincerè.* t *impelli atq; incitari.* o *vigilabat*

constitutus, quum neminem haberet qui se conciliaret Imperatori, quòd nullus pro illo posset intercedere, animo tandem recogitans quantam obtineret loquendi fiduciam cum Imperatore Iohannes; conscius *a* ad hæc, quia non esset eius petitioni haud dubiè *b* immoriger & inobsequens futurus, quòd omnimodam ad ipsum ostentaret beneuolentiam, ad se accersit vnum aliquem è familiariter sibi adhærentibus. In huius sinum expromit arcanum sui consilij. Hortatur eum, vt sanctum adeat Iohannem, eiq; persuadeat præsens ad se vt venire dignetur, & rei totius *c* summam renuntiaret. Sanè homo verebatur, nè si per diem Ioannem adiret, à quopiam conspectus inimicorum suorum, in suspicionem veniret rursus Imperatori, quasi quæsijsset eum ad impetrandam sibi gratiam. *d* Equidem propterea adit beatum Iohannem, renuntiaturus euentum qui contigerat, adhortatus ipsum vt vni cuipiam ei assidentium *e* arcanum permitteret, qui & eorũ ad ipsum significaret aduentum noctu affuturũ. Hic igitur princeps expromptus & alacer, ad exporrigendam manum nulli non afflictorum auxiliarem, ad se accersit Proclum, quem ad hoc ipsum munus obeundum præcisè definierat, virum vtiq; eximiæ pietatis erga Deum, omnibusq; virtutum ornamentis redimitum. Huius fidei de negotio arcanum permittit. Rursus reiecta omni cunctatione Iohannes, veriùs Deo ad hoc ipsum extimulante, vt pleniùs certior redderetur de scriptis priùs à se enarrationibus, & eccè nocte eadem arreptis in manus chartis cùm pressius incumberet scribendis commentationibus in [a] Apostolum, venit quidam vir (dum instaret compositioni) quasi is haberet familiare colloquium pertexere. Exurgit Proclus, propiusq; accedit ianuæ, & per foramen quoddam limis inspectat oculis, videt Iohannem in suo consistentem sedili ac scribentem, simul & sanctum Paulum quem prius inuocarat, ex aduerso sedis, propè Iohannis caput, immittentem os suum deorsum versus, in aurem Ioannis dexteram, & familiariter colloquentem ei. Forma autem eius præferebat Elisæum, barba *f* iustæ ætatis. Vestem, lata admodum. Auscultans proindè erat Proclus percupidus quiduis audiendi; at is nihil eorum quæ dicebantur, exaudire potuit. Atqui is quum ab ianua secessisset, dixit homini: Parumper æquo fer animo. Alius enim *g* præte ipsum alloquitur, nec te ad ipsum possum introducere tanti sper dũ ille egressus fuerit, nequãdo rescisca aliquis quid arcani sit: *h* quemadmodum ne tu quidem à quoquam cerni. Erat autem Proclus in magna mentis emotione, quis ille esset, addubitans, sed & nescius quo pacto potuerit ad Ioannem introire, eò quòd nemo priua authoritate adibat eius cubiculum, nisi primùm Proclus id ei significasset. Homo igitur quum horis aliquam multis assedisset ianuæ, adhortatur Proclum expergefactum, vt suum annuntiet aduentum. Ille *i* autem prout decorum exigebat, respondens dicit ei: Eccè quot horis sustinemus quotidiè, & ne sic quidem, qui cum eo loquitur, egressus est. Neq; hoc admittere possum. Cæterùm nequid de me diffidas, en ipse ianuam pulso, rursusq; per foramen exploro, finem ne imposuerint mutuis colloquijs & conquieuerint. Itaq; is cum abijsset, transuersim introspexit, & ecce iam secundò iuxta priorem modum videt rursus mutuò se alloquentes. Rursus igitur vice versa reuersus consedit, hac de re suam secum cogitationem expendens. Post paululùm, rursus animo consternatus ob hominem illum, & exurgens per prius foramen transuersim introspexit, & ecce deprehendit eos iuxta modum priorem nihilo secius facientes. Is enim qui videbatur, in aurem beati Ioannis inferebat sermones. His gestis ait homini Proclus: Reuerà frater quid de summa tui negotij dicere habeam, planè sum inscius. Vti suspicor, non vult Deus *k* te perfrui vicaria permutatione istius quæ te premit, afflictionis. Ecce enim tertiò iam abij cupiens nosse num ille *l* feriaretur, & ecce similem in modum deprehendo eos inter se conferentes. Illum quidem qui ad Episcopum venit, inuenio insusurrantem auri eius, hunc verò non vsquequaque auertentem oculos, sed deorsum versus *m* respectantem. Respondens homo ait Proclo: Oportebat te mi pater, neminem *n* præ me introducere, quippè qui planè nosses in quanto animi languore ac deliquio sim constitutus, in dies singulos præstolans mortem. Et nisi Deus sospitem me conseruet sancti sui suffragijs, *o* periclitor de vita. Ad hæc respondens Proclus, ait: Fidem verbis meis habeto frater, istum non ego introduxi. At ne noui quidem, quo pacto sit introgressus ad eum. Quin & alius nullus est introitus qui in eius cubiculum deducat præter hunc. Atqui hîc aliquantisper sustineo. Haud enim dubiè confestim egressurus ille est, tum demum te ad eum introducam. Hæc illis inter se conferentibus, lignum Ecclesiæ signum edidit euocans ad laudes matutinas. Tunc ait Proclus homini: Exurgens perge in pace. Neq; enim ex hoc nunc verbũ es habiturus. Siquidem cæteris omnibus negotijs hasce præfert laudes, quibus interest assiduus in oratione adusq; diluculum. Hucautẽ ad nos redito superueniente proxima nocte, & quoquo modo præ cæteris hominibus aduentum tuum ad ipsum, ipsi indicabimus. Exurgens igitur homo magna cum animi anxietate ac lachrymis multis illinc se recepit. Horum nihil resciuit Ioannes, sed neq; tum intellexit Proclus, quis ille fuerit tam familiaris colloquutor. Proclus autem exurgens fecit sicut & præterita nocte. Rursus vidit Apostolũ beato Ioanni loquentem ijsdem, figura, habitu & gestu, quemadmodum & priùs. Illinc porrò digressus nequaquam ausus nuntiare ei. Progressu autem temporis, & ligno Ecclesiæ signum edente, abijt homo in domum suam eiulans. Sanè Proclus immodica admiratione perculsus, iratus quidem aduersus neminem est. Neq; enim aduersus vllum consueuerat iram exacuere: in se potiùs transferebat culpam, quasi id quod factũ erat, sua vnius contigisset negligentia. Decreto autem huic se subiecit, nihil sumere cibi aut potus, aut certè somni, & neutrobi ab ianua cubiculi ipsius B. Ioannis digressurum, tantisper dum hominem ad sanctum introduceret, aut certè nosset quisnam introduxerit eum quicum loquebatur duabus præteritis noctibus. Voto igitur *o* emisso, assidebat continenter ianuæ, nusquam illinc se propius, ne ad momentum quidẽ temporis. Homo rursus vti consueuerat, venit ad ædes Episcopi. Et quidem Proclus præsenti fretus animi fiducia, quia nemo mortalium ad Episcopum accessisset, dicit: Reuerà *p* domine frater, propterte neutrobi ab hoc sum digressus loco. Tuum igitur aduentum cõtinenter indicabo ipsi. Exurgens, & iam ianuæ proximus, & transuersim introspiciens ambos rursus videt, quemadmodum priùs viderat, mutuis sermonibus congredientes. Tunc ait homini. Exurgens frater hinc te recipito in domum tuam, Deum obsecra tibi vt auxilietur. Vti enim video, qui cùm Episcopo loquitur, missus à Deo est. Inuisibiliter enim ad eum ingreditur. Per ianuam siquidem nemo ad ipsum introgressus est. Ille autem exurgens abibat flens, & spe abiecta impetrandæ salutis. Manè autem facto, B. Ioannes memor hominis aduocato Proclo dicit ei: Num venit homo huc, quem significasti ad nos venturum? Respondens Proclus, ait ei: *q* Etiam venit reuerà Pater. Tertia iam hodiè nox est ab eius aduentu. Ille ad hæc: Quã ob causam non indicasti mihi eius aduentũ? Respondens aũt Proclus dixit: Peculiariter & secretò congrediebaris cum quopiam alio, ego aũt mihi conscius nõ sum vllius admissæ temeritatis. *r* Ille, quid enim? ait: Nemo ad me hisce noctibus ingressus est. Tunc Proclus ad eum proximè accedens, formam habitumq; à se visi expressit: & quo pacto os suum deorsum versus auri ipsius inserebat, sed & secretò ei loquebatur, scribente beato. Ille aũt tantò ampliùs admirabatur præ Proclo. Simul verò ac desijt loqui Proclus, intenta pressiùs oculorum acie in imaginem Apostoli & conspicatus effigiem dixit assimilem esse ei quem viderat: & pœnitentia ductus Ioanni dixit, digito indice in imaginem exporrecto: Veniam mihi indulge pater. Quem tecum vidi loquentem, huic assimilis est. Vti autem arbitror, is ipse est. Tunc sapientissimus Iohannes vt cognouit Deum suas preces exaudijsse, seque certiorem esse redditum de voluntate ipsius, vt ad eiusmodi epistolarum interpretationem se accingeret, & ipsum Apostolum quæ sua erant interpretatum esse per Iohannem, quum demandasset Proclo aliquantisper manere extra ianuam, ea occlusa se in faciem prosternit in solum, gratiarum actionem rependens DEO, & orans cum lachrymis ac gemitibus *s* per horas aliquam multas. Itaque postquam desijt, accito ad se Proclo dixit: Renuntia homini, ad me vt veniat nocte hac. Nequaquam enim

deinceps

a ad hæc, et petitioni. *b non repugnaturum.* *c summam ipse renun.* *d Propterea adit.* *e secretum nocturnũ.* *[a] S. Paulus adest. Chrysostomo epistolas suas explicãti.* *f iustæ ætatis.* *g ante te ipsum.* *h neq; ille quis sit cognoscatur. Erat.* *i autem respondens.* *k tibi adimere istam quæ te premit, afflictionem.* *l desineret.* *m scribente.* *n ante me.* *o peri.* *o facto.* *Γ χυριαδελφε.* *q Venit reuerà.* *r Ille vero: cum, quaso? Nemo.* *s per aliquot horas.*

deincèps eum quem vidit mihi colloquentem, visurus est. Is quum accessisset, vidit Proclus solum considentem ac scribentem: *a* illum autem non iam vidit: quare & indicauit adesse hominem. Ingressus igitur homo renuntiauit quæ aduersum se gesta essent. Mox[a] vt diluxit dies, Ioannes ad Imperatorem profectus est, proq; eo interuênit. Iussit tum Imperator quæcumq; à beato Ioanne fuerant postulata, ad finem perduci: & reuocatus est homo ad pristinam dignitatem suam & honorem. Hac[b] igitur indubia certitudine accepta, totum se traduxit ad chartas non ita pridèm cœptę suæ interpretationis. Iterum exorsus est in partes deducere ac distinctius digerere in ordinem schedas suas. Deniq; sanctissimi Spiritus gratia velut manu deductus, sicubi aliquid desideraretur, suppleuit: si quid redundãs aut secundò dictum, sustulit, ipsius Apostoli Epistolas quæ enarrandæ *b* resederant, citra controuersiam interpretatus. Porrò delatores viri ad pristinam dignitatem reuocati, vbi referente Imperatore didicerunt rem ipsam sic emendatam ad petitionem beati Ioannis, *c* peracri ira aduersus ipsum incanduerunt, & in vnum conspirant & cooriuntur, habẽtes cooperarium & coadiutorẽ istius tragici dramatis, caput diabolũ. Inter se consultabant, quonam pacto vicem ei rependerent. *d* Sed enim Ioannes apprimè prudens & virtutum ornamentis eximius agnouit quidem illos hæc aduersum se moliri, at *e* vix tantillum illi curæ fuerunt. Eudoxia verò imperatrix quæ tota inhiabat [c] auaritiæ, per obliquum tramitem iustitiæ *f* nimisquàm multæ cœpit omninò multas pecunias coaceruare. Hic itaq; beatus sæpenumerò in diuersis suis commentarijs refricabat memoriam istius *g* facinorosæ cupiditatis, miseros deprædicans qui eius amore tenerentur, quam etiamnum vocabat idololatriam, per hæc cupiens auertere Imperatricem, simul & eos qui *h* illici voluptate ipsius capiebantur, non quidem ad personam vllam referens nominetenus: attamen quisquis eo laborabat morbo, & hanc in se agnoscebat morbi *i* putrilaginem, arbitrabatur se velut ænigmate sermonis perstringi, eoq; *l* offendi concionibus istiusmodi. Proindè erat [d] Constantinopoli vir quidam patricius nomine *m* Theodoricus locuples admodum & primarius palatij. Hic subindè appetitus insidijs est ab Imperatrice, vt quæ viam iniret opes ab eo partas & facultates per rapinã extorquendi. Illa autem nullum *n* internanciscente modum cuius prætextu id conficere posset, molestissimè ferebat. Vitam enim ille homo frugaliter & temperatè traducebat. Vna igitur dierum in Palatio existentem ad se accersit, eiq; indicat per silentiarium quendam dicens. Nouit inclyta celebritas tua, quantam vim impensarum imperium insumpserit in ambitiosam militum pompam, & in alias ineuitabiles causas, idq; citra vllã intermissionem. Neq; hoc modò, sed & annua tributa impertit aduersarijs, conciliandæ eorum erga nos pacis gratia. Quin & hodiè Reipub. negotia magnis atteruntur angustijs. Mutuò igitur da partem quandam substantiæ, quæ te contingit ratione istius militaris tuæ expeditionis, vt primum quidem nostra perfruaris beneuolentia, dein & fæliciore successu. Postea verò rursus cum gratiarum actione recipies quæ commodè vtenda nobis dederis. Nè igitur cunctéris tu vsquequaq; & continuò Dei instinctu extimulatus ac præferuida animi alacritate nobis obsequi, idq; opulenter & prolixè. His auditis Theodoricus, animo vehementer consternatus, egressus est palatium. Magna cum anxietate fugit ad tranquillum Ecclesiæ portum, nempè ad eum qui tum gubernacula ipsius moderabatur ac sustinebat, ad [e] beatum Ioannem, eiq; *o* explanat quæ sibi acciderant, omnia, multa cum profusione lachrymarum: simul & pedum ipsius attactui se aduoluens supplex orabat, vt eius interuentu nonnihil apud Deum consequeretur *p* opitulationis & aduersum hæc obstaculi. Ille autem vt suapte natura erat ad exhibendam omnibus misericordiam procliuis, & alienis condolescens malis, cumq; contemplatus peracri dolore affectum, continuò ad Imperatricem duos è clericis *q* emittit, habentes in manibus quæ decreto priorem eius iniustam petitionem irritarent, hunc continentes modum: vti video quæ ipse enitor pro virili ædificare pro salute tuæ vnius animæ, Deo accepta vt sit: tu ex aduerso potius nihil cunctaris ea domiliri. Nõ enim optem modò, vt temporarij huius imperij perfruaris ditione, in terra quamlibet fertili & opima, sed vt meritis bonorum operum tuorum pronuntieris hæres regni illius cœlestis & intermini. Quam enim habere possimus gloriationem hac vna antiquiorem, quàm vt vestra laudabilis virtus omnibus elucescat per opera pietatis, ac fælicem vitæ successum? Reuerà enim in stuporem præ admiratione me adducunt quæ audiui à vobis dicta hodiè esse Theodorico, viro illustri & patricio secundum Deum viuenti, propterea quod constituit vos Deus dominos vniuersæ terræ & maris, & neq; partis ab eo opibus stabiliri possit imperium vestrum, eò vel maximè quia aduersus ipsum nihil deliquit. Obsecro itaq; vestram erga Deum dilectionem, nè quid eorum quæ eidem dixistis, exigatis ab ipso; potiùs indulgenter condonetis omnia: iubete autem in administrandis Reipublicæ negotijs nihil præposterè aut peruersè fieri. Dominus verò ac Deus noster Iesus Christus adimpleat petitiones vestras in bonum, secundùm suam ipsius voluntatem, ô studiosa Christi amatrix. Valeto in multos annos permansura ad Reipubl. Romanæ vtilitatem.

à *apostolũ.*
[a] Per Chrysostomum calamitosus Imperatori reconciliatur.
[b] Epistolas S. Pauli à se interpretatas, reuidet & corrigit.
b *perstabãt*
c *acri.*
d *Sed Ioannes.*
e *vix illi.*
[c] Auaritiam taxat.
f *nimis.*
g *noxiæ.*
h *fallaci.*
i *putredinẽ.*
l *pungi.*
[e] Eudoxia opib. Theodorici patricij Constantinopolitani insidiatur. Vide Metaphrasten & Leonẽ Imper. in vita Chrysost.
m *Theodorichus.*
n *interim nanciscẽte.*
[d] Contigit ad Chrysostom. & ab eo ab exactione Imperatricis liberatur.
o *exponit.*
p *opis.*
q *mittit.*

XXVIII

Hisce literis clàm lectis & cognitis, vehementer suppuduit nè non obsecundaret eius monitis: idq; se facturam indicat per quendam palatinum dicens: Sicut iussisti nobis pater, faciemus. Non modò enim ex ipsius facultatibus nihil accipiemus, sed & citra metum in ciuitate viuet, & de palatio aliud nihil mali suspicetur quàm hodiè & nudiustertius. Nemo est qui illi vllum faceſſat negotium, aut de re quapiam obturbet. Et eo qui missus fuerat ad Ioannem ab Imperatrice, reuerso, ipse Ioannes intenta in Theodoricum oculorum acie, ait. Quid si regina te proscripsisset, & nè tantillum quidem tibi reliquisset è facultatibus tuis, vndè, quæso, posses congerere in aceruum quæ tui iuris sunt? Nõ modò enim non posses, sed nec imputarentur tibi ad iustitiam quæ à Deo est. Quod si eam substantiam dederis Christo, reuerà plus millies tantò vicem rependet in regno cœlorum, & vitam æternam hæreditate possidebis. Qui enim miseretur pauperis, fœnerat Deo. Hoc ipsum edocet dicens, *r* Facite vobis sacculos qui non veterascunt, & thesaurum non deficientem in cœlis. Respondens Theodoricus, dixit ei: Eccè substantiam omnem meam do in † xenodochium Ecclesiæ pro subleuanda pauperum egestate, vt liberaliter excipiantur hospitio. *s* Tantum est, ex omni substantia nonnihil retineo quod satis sit mihi liberisq; meis educandis. Proindè [f] dimitto & debitoribus meis, debitum omne, quod se extendit in quantitatem auri copiosi admodum, *t* etiamnum remitto. Homo igitur illinc quum se recepisset domum, omnia quæ se facturũ condixerat præsente beato Ioanne, adimpleuit, nihilq; defuit eorum quæ fide sequestra fuerat pollicitus. Simul atq; accessit, orabat beatus Ioannes vt supplicaret Deo, vtq; ipsi indulgenter condonaret peccata, & eius eleëmosynam gratiam haberet & acceptam. Et ait: de prioribus quidem delictis bona spe fretus confido in misericordem Dominum Deum, quia nunc remissionem eorum es consecutus. *u* Sed enim tu teipsum sedulò obserua, nè qua in re impingens ipsum offendas, vt & regno cœlorum efficiaris dignus, æterno exemptus supplicio. Tua autem eleëmosyna, quemadmodum & *x* Cornelij, approbata est & accepta. Porro [g] Eudoxia Imperatrix simul atq; didicit quæ à Theodorico gesta essent, ægerrimè tulit, & accersito ad se quopiam è primoribus ciuitatis, iussit eum *y* ingredi ad eximium Ioannem, eiq; renuntiare hæc: Theodoricum Patricium inconcussa fide nec peruersa voluntate ad iussionem tuam, nulla vnquam re ab eo accepta, immunem ac liberum dimisi, tametsi laboraret inopia imperium ob diuersos imminentes sumptus. Atqui tu hunc per rapinam spoliasti, vnà cum omni substantia ipsius, eam in proprium conuertens lucrum, furto interuertens ea quæ nos contingebant, quòd ille quæ sibi vendicabat, ab

Prouerb. 19. *Luc. 12.*
r ἐλεημοσύνης.
† domus est excipiendis hospitibus, peregrinis, pauperibus & infirmis.
s *Tantum ex omni.*
[f] Theodoricus potissimam substantiæ suæ partem in pauperum vsus cõfert.
t *etiam.*
u *Sed tu.*

obse-

x *Centurionis, de quo in Actis Apostolorum capite decimo.*
[g] Eudoxia ægrè fert donationem Theodorici à Chrysostomo receptam.
y *ire.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *committere.* obsequio pendebant imperiali. Te quidem non oportuit hæc *a* admittere, sed conueniebat potius te imitari nos, quippè quæ ab eo nihil accepi, neq; & tu accipere debuisti. Sapiens verò hic arreptis charta & atramento, ad eam sub hac formula verborum scripsit: Tuam [a] erga Deum dilectionem (vti reor) non vsq; latet qui me genuere parentes, generis mei splendor non te clam est, non item te fugit quæ eorum fuerit opulentia: deniq; & dignitas quàm spectabilis fuerit, nosse te arbitror. *b* Adhæc rursus, quòd nunquam diuitias dilexerim, nullo item pecuniarum aut humanæ gloriæ sim amore detentus, tu melius nosti: quin potius consilium sæpenumerò dedi, vt qui tales fuissent, eiusmodi *c* euanidam & inanem curam prorsus à se vt excuterent, de sua ipsorum salute soliciti per liberalem & effusam in pauperes largitionem, vt cœleste regnum sibi compararẽt. Qua tandẽ ratione videri debeo pecunias percupere, qui semper admoneam, inq; meis enarrationibus & commentarijs soleam perstringere durius eos qui superuacaneas opes sibi pepererunt, nec interim eas dispergunt in pauperum manus? Mihi enim abundè fuerit ad corporis alimoniam pusillus panis cum sale & olusculis *d* miserabilem in modum decoctis, idq; ad subleuãdam infirmitatem corporis. Quòd autem de Theoderico significasti dolo malo interuertisse me substantiam in meum vnius quæstum: sanè hoc velim *e* tibi vt innotescat, ipsum nihil vnquam mihi contulisse, at neq; accepturum fuisse, si quid tandem obtulisset. Porrò maluit ille fœnerare Christo, sua bona hîc manibus commendans pauperum & inopum velut depositum, vt ea in futuro sæculo recipiat ab eodem tantò cumulatioria. *f* Equidem ipse optarim vt parem tibi ipsi irrogasses iacturam, pecunijs tuis in æternos thesauros exhaustis, vbi neq; *g* ærugo, neq; *h* tinea demolitur: non fures & insidiatores effodere ausint. Ea enim erogauit in xenodochium Ecclesiæ, *i* vt consideratione eius munificentiæ, cura erga inopes & indigos maior *k* ineatur. Hæc igitur siquidem accipere vis, & contristrare Christum, *l* ipsa videto. Mihi enim crede, quia id si *m* admiseris, aduersum te tribulatio consurget. His clàm ab Imperatrice lectis, furore & ira impleta est, secumq; *n* cõmentabatur, quonam pacto miseris modis affligeret Ioannem. Theodericus autem ieiunio vacabat & orationi, continenter deseruiens Ecclesiæ Dei, ita vt multis in locis exaudiretur virtus ipsius atq; conuersatio. Cæterùm insigne orbis totius luminare ac doctor, auditis quæ à nonnullis fiebant iniustitijs, nihil cunctabatur eas multa cum loquendi fiducia coarguere ac reuincere. Imperatori [b] iuxta ac Imperatrici consilia impertiebat ad salutem parandam condu- cibilia. Sacerdotes iubebat conuersari iuxta sibi præstitutas leges, quarum transgressores *o* abarcebat aditu templi, dicens, non oportere eos perfrui sacerdotali honore; id verò eorum esse qui veri essent sacerdotes. Docebat non imitandum sæcularem qui insensè persequeretur clerum. Quæ aduersus ipsum insidiosa molitio tum adornabatur, nihil obtinebat virium: at postquam multos eorum qui dignitate præpollebant, arguere palàm & præter decorum aggressus est, tunc aduersus eum multò plus incanduit & exarsit inuidia: quin & gliscens liuor pastores qui eum odorant, vicissim apprehendit. Quumq; mutua coïtione conspirassent, nè sic quidem superiores ipso euadere potuerunt. Et nè obloqui voluisse viderentur aduersus eum qui saluos facit, & omnem euertit inuidiam, aduersus sanctum diabolica nectunt consilia, in diuersum sensum permutatis quibusdam ipsius [c] homilijs, quasi ad certamen prouocasset aduersus Imperatricem, aliosq; quosdam aulæ imperialis. Equidem aduersus eum depromebantur, plurima item quæ deinceps fidem impetrarent apud auditores. Hanc calumniam exaggerabat homilia aduersus Eutropium ab ipso pronuntiata. Eutropius enim hic eunuchus præfectus imperialis cubiculi, de quo commemini superiùs, qui & primus eunuchus amplissima dignitate ab Imperatore accepta, quum voluisset de nonnullis qui sub Ecclesiæ asylum confugerant, vindictam expetere, magnoperè contendit, vt ab Imperatore sanciretur lex, quæ iuberet nulli noxio confugiendum ad Ecclesiarum immunitatem, sed & eos qui priùs confugissent, illinc abstrahi. Pœna mox consequuta est. Simul enim atq; posita lex est, nec ita multo pòst Eutropius quum impegisset in offensam Imperatoris, agnitus est sibi voluisse confugio consulere. Itaq; [d] beatus Ioannes eum conspicatus sub altari iacentem & metu perculsum, pro suggestu cõsistens, quo ex loco priùs cõcionem habere consueuerat, quò multitudini fieret exaudibilior, sermonem in eum protendit vtiq; obiurgatorium, qui & eò ampliùs quosdã offendere videbatur, quòd non modò non misereretur præsenti infortunio oppressi, sed ex contrario coargueret asperiùs, alioqui potentes multa cum loquendi fiducia ob aliam causam *p* reprehendebat. Nullam enim rationem inibat talium, an summates essent, in arcano mentis recessu retinens semper Apostoli dictum dicentis: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Gal. 1.

b Vitia intectatur nullo habito personarũ respectu.

o *arcebat ab aditu.*

c Homeliæ S. Chrysost. ab inuidis quibusdam male interpretantur.

d Eutropium obiurgat.

p *reprehendebat. Vide (legendum puto, vnde) & Theophylus Alexandriæ Episcopus tam infestus illi extitit. Nullam.*

* Odium eius in Arianos. XXXIV. SED enim illo in tempore Ariani [e] in ciuitate sua habebant conuenticula. Eam ob rem magnoperè excruciabatur animo Iohannes, continenter Deum supplex obtestans, sibi vt vires suggereret quibus è ciuitate eliminarentur, id quod præstitit serui sui deprecationibus exoratus, hoc quidem pacto: Die festo sanctæ Epiphaniæ propinquante, qui quidem dicitur luminarium dies, Imperator Arcadius vnà cum comite Augusta aduenit, vt sanctam synaxim in sancta Ecclesia explerent, & immaculatorum sacramentorum fierent participes, Christi nimirum Dei nostri. Introgressi igitur hi ad Episcopum quum sanctas eius preces excepissent, consederunt. Imperator autem oculis in ipsum pressiùs defixis ait: Reuerà pater à Constantini magni Imperatoris temporibus ciuitas hæc habita non est digna Episcopo ac doctore pro proportione tuæ sanctitatis. Eam ob rem Deo hominum clarissimo amatori debitam gratiarum actionẽ rependimus qui te huc delegauit, vt nobis præmunires viam ad ea quæ saluti opportuna sunt & conducibilia. Esto igitur robustus ac viriliter age serue Dei, ac noue apostole. Beatus autẽ Ioannes Spiritus S. inspiratione afflatus dixit Imperatori: Sermo [f] mihi ad te est ô Imperator diuini cultus obseruantissime. Dic (ait ille) honorande pater. Respondens autem prouerbij vice & sub inuolucro dixit: Eum qui imperiale diadema adornat & ad id constabiliendum *q* vndelibet agglomerat atq; contrahit lapides precios os, is non seruauerit decorum si quidem ipsis *r* permistim intertexuerit quiduis tenebricosum, nec quicquam in se habens splendoris, cuius mutua compagine extinguat lapidum illorũ fulgores perquam illustres, & coruscationis instar explendescentes, nè totius diadematis decor per id quod ascititium est & alienum, dehonestetur, ac reprehensioni pateat. Consimilem in modum qui viam affectant ad plectendas in cœlis sibi coronas, nulla in re permittere debent, vt ab arrepto semèl proposito desistant. Ad hoc nos ex contrario inuitat Dominus: Nemo immmittit *s* commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Rursum, Eritis igitur perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Respondens autem Imperator, dixit ei: Parabolam hanc nobis edissere dilucidiùs. Tunc ait: Eccè sicuti vides Domine mi Imperator, tota ciuitas hodiè Dei cultum & rectam de fide sententiam complexa, sibi temperat à non paucis rebus pernicios is, quarum noxa priùs detinebatur. Viget autem in ea impura ac prophana hæresis Arianorum, tetram caliginem offundens animabus simpliciorum hominum: id quod vertitur in scandalum eorum, nec mediocre offendiculum. Res hæc in ciuitatem inuexit non vulgarem loquendi fiduciam, adeò vt quàm plurimi intelligentiæ expertes ausint dicere: Si Imper. fortè sciuerat eas non rectè Deum colere, vtiq; istiusmodi temerarium ac præfidẽtem conatum coërcere debuerat & suffrenare. *t* Nunc ergo vestra imperialis potestas, vt pœnitentia *p* suis blasphemijs peracta, ad orthodoxã fidẽ accedant, aut certè vestra serenitas pcipiat è ciuitate eos extrudi, vtq; eorũ cõuenticula solo adæquentur & pessum eant. Etiam atq; ẽt supplex obtestor mansuetudinẽ tuam, vt hoc ipsum edicat fieri, nec vllo pacto permittat in tuo hoc religiosissimo imperio Filium Dei ab illis appeti blasphemijs, nè fortè iram eius aduersum nos promoueamus. Non enim vsq; in fine nos sustinebit id si fieri sinamus, eò maximè quòd

e Arianos apud Imp. insectatur; q factum esse post rixas inter Catholicos & Arianos obortas, autumat Bar. ad an. 400

q *vndiq;.*

r *miscendo.*

s *ἐπίβλημα assumentũ, additamentum, immissuram.*

t *Tunc.*

Luc. 6. Matt. 5.

Gal. 1.

citra

citra negotium vllum præuales efficere vel ſolo imperio. Hiſce auditis Imperator iuſſit vt adducerentur eorum præſides. Illi ſimul atq; aduenerunt, interrogati ab Epiſcopo, ſuæ fidei vt confeſſionem profiterentur ac proderent, in verba proruperunt plenioris blaſphemiæ & peruerſæ opinionis. Tunc peracri indignatione impletus Imperator iuſſit è veſtigio illos ablegari à ciuitate & eijci, conuenticula autem eorum ſub tutelari cuſtodia firmari tantiſper dum maturè expendiſſet quid de ipſis opus eſſet facto. Eorum enim mutationem in melius opperiebatur ac ſuſtinebat, quare pars eorum non modica perſpectis quæ aduerſus illos geſta eſſent, ab impura illorum deſciuerunt hæreſi, ſeq; adiunxerunt S. Dei Eccleſiæ. Præcepit autem & Imperator conſcribi tabulas, & per totius ciuitatis compita appendi, hanc continentes edicti formulam: Decretum [a] eſt, vt quiſquis pœnitere noluerit conceptæ hæreſeos, & ab ea deſistere ac reuerti ad Orthodoxam fidem, ſed pertinax ſuo acquieſcit errori, talem extrudi quidem è ciuitate, facultates autem eius tradi in publicam direptionem. Interceſſerat nonnihil temporis, & Ariani ſua conuenticula extra ciuitatem habebant, quum tãdem per quoſdam aulæ Imperatoris præfectos rurſus cœperunt procaciter loqui. Tunc [b] enim per vnamquamq; hebdomadam incidebant dies feſti, ſabbatum (dico) & dominica, in quibus conuentus per Eccleſias celebrari conſueuerunt ab eis intra ciuitatis portas, circa porticus agglomerati, & cantica quæ compoſuerant iuxta opinionem [c] Arianorum, illic concinnebant, idq; faciebant plurima parte noctis. Sub diluculum autem eiuſmodi cantica antiphona, hoc eſt, ex oppoſito *a* reſpondentia depromebant, per mediam ciuitatem portasq; egrediebantur ad loca vſq;, in quibus ad vnum cogebantur: vbi autem velitationes & inanes verborum conflictus non deſinebant proferre aduerſus eos qui palàm profitebantur Homoouſion, hoc eſt, conſubſtantialem *b* eſſentiam, ſubindè inculcantes cum vociferatione iſtiuſmodi cantiunculã: Vbi ſunt qui perſonas tres profitentur vnius eſſe potentiæ? Tunc [d] ſanè Ioannes veritus nè quis ſimpliciorũ iſtis cantionibus illectus ab Eccleſia deflecteret & auocaretur, cum eis ex diametro pugnantia compoſuit ea tradens populo ſuo, vt & ipſi vacantes nocturnis hymnorum concentibus, illorum quidem cantiunculas obſcurarent, & ad nihilum redigerent ipſorum conatus, ſuos verò ad fidem mordicus retinendam alacriores redderet & conſtantiores. Cæterùm ſcopus quidem Ioannis initio videbatur vtilis fore & commodus: quam ocyſſimè verò deſiuit acceptis grauibus periculis. Quò enim [e] hymni homouſiani oſtenderentur illuſtriores eſſe, excogitatæ ſunt cruces argenteæ. Erant & qui ferrent cerea funalia ac luminaria. Ad eam rem impendia ſuggerebat Eudoxia Imperatrix. Ariani numeroſi quum eſſent, & inuidia extimulati, conati ſunt mutuum inire conflictum. Ex priore enim dominatione animis redaccenſis accincti erant ad [f] pugnam, ſiquidem homouſianos aſpernabantur. Nihil igitur cunctati vna noctium mutuo conflictu colliduntur. *c* Briſon Imperatricis Eunuchus qui homouſianis hymnos concinentibus erat auxilio, lapide icitur aduerſa frontis parte. Ex vtraq; autem parte populi nonnulli occidione intercepti ſunt. Hoc [g] equidem factioſo tumultu permotus Imperator rurſus interdicto cauit, nè Ariani publicè cantillarent ſuas hymnodias.

[a] Decretum Arcadij Imper. contra Arianos.

[b] Vide Socr. lib. 6. c. 8. Sozom. lib. 8. c. 8 Niceph l. b. 13. c. 8. Bar. ad an. 400.

[c] Arianorũ peruicacia.

a fidei noſtræ.

b filij cum patre.

[d] Nota Antiphonarũ antiquitatẽ

[e] Perſeueraſſe impoſterũ eiuſmodi hymnorũ cantionem a Chryſoſt. inſtitutam

[f] Pugna Conſtantinopoli inter Catholicos & Arianos exoritur.

[g] Arcadius Imperator Arianis hymnodias ſuas interdicit.

in Eccleſia Conſtantinopolitana fæliciter, ex Sozom. l 8 c. 8 refert Bar.

XXXV. PROINDE dicendum, qua ex cauſa exordium ſumpſerit conſuetudo reſponſorios hymnos concinendi in Eccleſia. Ignatius [h] ab Apoſtolo Petro Epiſcopus tertius Antiochiæ Syriæ, quiq; cum ipſis apoſtolis familiariter congreſſus eſt, viſionem vidit angelorum ſanctam trinitatem melico concentu reſponſoriorum hymnorum celebrantium. Modum iſtius viſionis Antiochenæ Eccleſ. obſeruandum tradidit, quæ traditio illinc in omnes propagata eſt Eccleſias.

[h] S. Ignatius primus introductor reſponſoriorum hymnorum.

XXXVI. GAINAS autem quidam nomine erat Conſtantinopoli, genere quidem *d* Celta, præter autem omnem modum barbarus militiæ Romanorum aſſuetus. Hic cum per gradus promouiſſet, deſignatur tandem Romanæ militiæ equeſtris pariter ac pedeſtris dux, *e* Arianæ peſtis velut ſortitò complexus erat, quare ex ædibus ſacris quæ in ciuitate erant, auſus [i] eſt vnam ab Imperatore depoſcere attribuendam ſuæ hæreſeos conſortibus. Reſpondit ſe ea de re cogitaturũ, pollicitus autem eſt eis principatum quendam. Eam poſtulationem accerſito ad ſe eximio Ioanni, ſimulq; commemorit promiſſi potentatus, tyrannidem inſuper ab illo excogitatum ſubindicauit, hortabatur, vt dono quopiam præfe rocem barbari animum *f* ſuffrenaret. Ad hæc reſpondit *g* vir ille generoſus: Nè tu ô Imperator talia pollicearis. Tu nè ſuades, vt ſancta dem canibus iſtis? Non enim feram eos è tẽplo exigi qui Deum & ſermonibus prædicant, & concelebrant hymnis. Hiſné iubes, vt dem templum Deo conſecratum, qui ipſum inceſſunt ore blaſphemo? Nè quid tibi ô Imperator malè metuas ab iſto barbaro. Tantum eſt, vtrumq; iubeto acciri, me, & illum. Tu quidem ſubauſculta ſilenter quæ dicentur. Ego ſanè illius infrenabo linguam. Equidem perſuadebo tunc illum efflagitaſſe quod dare neutiquam expedit. Hiſce auditis Imperator exhilaratus animo eſt. Et [k] quidem repoſcebat ille pollicitationem: eximius autem Iohannes reclamabat poſtulationi, aſſerens nequaquam conuenire Imperatori, nec eſſerationi conſentaneum, vt quicquam moliri auſit aduerſus ædes Deo conſecratas, quippè qui conſtituit piè *h* Deum colere. Illo autem reſpondente ſibi ſuisq; oratorio eſſe opus; ait Iohannes: Nulli non adaperta eſt domus Dei: ac proindè nemo cupientem orare & vota nuncupare, prohibere poteſt. Ad hæc Gainas, ſed meum ſodalitium mecum expetit ſibi concedi ædem vnam Deo ſacram, & valdè quidem iuſtè id dari poſtulo, quippè qui in gratiam Romanorum tam multos exantlarim agones bellicos. Tuis hiſce laboribus cumulatiorem reportas vicariam penſationem, ait Iohannes. Dux ſiquidem creatus es, ſimul & ſtola conſulari redimitus. Æquum fuerit, vt circumſpectiùs ad mentem reuoces quis olim fueris, quis contrà nunc ſis: ex quanta rerum penuria emerſeris ad præſentem opulentiam: quibus fueris vſus veſtimẽtis priùs quàm traijceres Iſtrum, & ea confer cum hoc quo ambitioſè ornaris amiculo. Itaq; animo reputa & expende quanta præmia paucis tuis laboribus repenſa ſint, & prouideto nè deprehendaris ingratus fuiſſe erga eos qui te tanto honore cumularunt. Eximius hic doctor orbis vniuerſi eiuſmodi ſermonibus os oppilauit Gainæ, eoq; adegit vt ea de re prorſus conticeſceret, adeò vt Imperator Iohannis ſapientiam maximoperè admiraretur, quòd breuium verborum compendio potuerit ad officium reuocare & in ordinem redigere hominem cruentum adeò & immanem, illiusq; os aduerſus Deum impudens & blaſphemum obturare. Aliquantum interceſſit temporis, & eccè [l] Gainas tyrannidem non ita pridèm animo conceptam in apertum prodidit. Aggregato enim ſuæ ſuperſtitioſæ factionis militari exercitu, latrocinia ac prædas agebat, agrosq; depopulabatur quàm plurimos. Rei huius veritas mox vt innotuit, vniuerſi principes iuxta ac ſubditi animis conſternati ſunt ac metu contracti, nec aderat quiſpiam qui aduerſus illum auderet decernere bello, non etiam obire intrepidè ac tutò ad illum legationem. Barbaram enim animi eius immanitatem ſinguli quiq; ſuſpectam habebant. Ipſo eodemq; tempore cæteris omnibus relictis, ad hunc itum eſt virum vtiq; magnanimum & perquàm ſtrenuum, vt ea [m] legatione perfungeretur apud illum. Hic verò nulla ſubducta ratione oppoſitionis, non etiam memor diſſenſionis quæ ſibi interceſſiſſet cũ barbaro, animo preſenti & expromptoin Thraciam conceſſit nihil cunctatus. Sed enim barbarus qui probè nouerat ad ſe delegatum, ſecum reputans, quanta is pro tuenda pietate eſſet vſus loquendi libertate, ex itineris longiore interſtitio Iohanni obuius factus apprehenſam dextram ſancti, ſuis admouit oculis, etiam atq; liberos ipſius aduoluit genibus, eoq; in gratiam legati quod poſtulabatur, contulit: ac rurſus cum Romanis fœdere icto diremit ac ſoluit illius motoriæ tyrannidis excitam tempeſtatem, pacem complexus cum Imperatore. Ad hunc modum conſueuit virtus pudore aſpergere, &

[i] Gainas poſtulat Eccleſiam Arianis dari. Vide Theo: lib. 5. c. 32.

f frenaret.

g B. Ioann.

[k] Chryſoſt. Gainæ templum petẽti ſeſe opponit.

h pro πισὸν lego θεῖον.

[l] Gainas tyrannidem exercet. Vide Soz lib. 8 c. 4. hiſtoriam hanc fuſiùs enarrantem.

[m] Legatio Chryſoſt. ad Gainam.

Romanis pacem cõciliat.

quantalibet maleuolentia infensos exterrere. Nō ita multo pòst idem [a] Gainas per Thraciam se fuga proripiens ac delapsus in exercitum Romanorum vnà cùm suis commilitonibus barbaris perimitur. Cæterum [b] de eiusmodi bello in diuersis commentarijs à nonnullis exposita habes. Tertia autem & decima *a* distributione Cycli, qui [c] tunc Constantinopoli Rempublicam administrabat ac moderabatur, quum quidam ob vrgentia negotia ab Asia aduenissent, in ea diu commorati sunt cum Theotimo Scythiæ Episcopo, cum Ammonio Ægyptio Thraciæ Episcopo, cum *b* Arabiano Episcopo Galatiæ, Palladio Helenopoleos, cumq; alijs non paucis Episcopis ac metropolitis omnibus qui quidem longæui Episcopi numerum attingebant duorum & viginti. Hisce omnibus in vnum congregatis, & in commune decernentibus, Eusebius [d] Valentinopolitanus Episcopus & eorum locorum quæ Celuiana dicuntur, imminente vna Sabbathi libellos tradidit Synodo, consentanee admodum præstituto nomine Ioannis, aduersus Antoninum Ephesiorum Episcopum. Capitula inerant septem hoc ordine digesta. Primum quidem continebat, quòd per conflatorium, pretiosum Ecclesiæ thesaurum verterit ad vsum filij. Secundum, marmora in introitu baptisterij eatenus posita, ea arrepta suomet balneo applicuit. Tertium, columnas antè annos complures intra Ecclesiam collocatas in suo reposuit triclinio. Quartum, seruum cæde hominis impiatum ac *c* scelerum quasi nihil admiserit criminis, in suo retinet obsequio. Quintum, prædia quædam sub ditione S. Basilicæ martyris per Iulianum Imperat. rapto subtracta Ecclesiæ ac precio distracta interuertit, sibiq; vindicauit. Sextum, Post [e] datum vxori repudij libellum rursus eam sibi asciuit, & ex eius congressu excepit liberos. Septimum, pro lege & quasi dogma tuetur diuendere Episcopis suas ordinationes iuxta proportionem annuorum prouentuum. Qui dederint pro sua consecratione, tam quid ordinati sunt, quàm qui pro eiusmodi accepit, adsunt habentes probationes. Sed [f] enim admirabilis Ioannes cupiens zelum hunc eatenus promotum consopire sua æquabili moderatione, respondens ait: Frater Eusebi, quandoquidem sæpenumerò contingit, vt accusationes per immodicam tristitiam in medium productæ non *e* semper in procinctu & ad manum habeant ratas probationes, te rogarim vt desinas per scripturam deferre fratrem nostrum Antoninum. Ad moderationem & temperiem reuoca causas istius tristitiæ. Nam quia verborum asperitate vsus est erga te, ob hæc totus incandescens non desinis ipsum Antoninum deferre, sed pertinaciter tuæ isti accusationi acquiescis. Tum ad se facciuit eximius Ioannes Paulum Heracliæ Episcopum (is enim videbatur fauore prosequi Antoninum) & hortatur, vt vtrumq; perpellat ad ineundam *g* mutuiter amicitiam. Hoc dicto exurgens vnà cum Episcopis ingressus est Ecclesiam. In sacerdotio enim iam is consenuerat. Sanè populo data pro *h* more imprecatione salutationeué pacis, reliquis assedit Episcopis. Eusebius [g] autem delator, per medium populi totius & Episcoporum, clandestino ingressu erupit in Ecclesiam. Tradidit rursus libellum alterum eadem capita accusationis continentem, formidabili prorsus iureiurādo adigens Ioannem, quo cum cæteros obstringebat Episcopos salutemq; Imperatorum, idq; fecit cum turbulento tumultu, ita vt credere potuisses populi partem multò maximam ea insolenti temeritate esse perterrefactam, & quia is ab Imperatore postularet sibi indulgeri iudicium mortis. Ioannes autem contemplatus viri istius peruicacem instātiam prospicienter præuidens nè quid turbulentæ seditionis conciretur in populo, libellum quidem excepit, finitaq; lectione diuinorum eloquiorum, acciuit Pansophium Pisidiæ Episcopum, vt offerret *i* dona, & è vestigio ipse vnà cū reliquis Episcopis egressus est. Siquidem verebatur nè turbulentus sacerdotali munere fungeretur, iuxta euangelicam sententiam: Quando offeres munus tuum, & quæ sequuntur. Is quum rem propius perpendisset, in *k* photisterio vnà cum cæteris Episcopis sessitans, iubet ad se acciri delatorem, dicens ei: Antè omnia rursus eadem quæ priùs inculco & reculco. Multi [h] immodico mœrore seipsos macerantes & dicunt multa, nec pauciora produnt scriptis, tametsi certis probationibus destituantur. De quibus igitur litem vis intendere, vide num ea liquidò scias. Neq; enim eum reijcimus qui præstare id possit: sed & eum qui non queat probare, ad accusandum non prolicimus aut inuitamus. Libellus igitur tuus cùm priùs fuerit lectus, eligito quod tibi fore videris conducibile. Mox enim vt lectus fuerit, omniumque aures pulsauerit, & decreta descripta fuerint, non iam licuerit tibi (Eps quum sis) veniam efflagitare eorum quæ inconsultè & imprudenter obieceris. Ad hæc igitur cùm obstinato animo adhæresceret priori instātiæ intentatæ litis, iubent legi libellum. Lectis igitur prædictis capitulis, tunc qui in Episcopis erant ætate prouectiores, dicunt Ioanni: Libelli [i] quidem audita lectio quid contineat, exprimit, etiamsi vnum altero capite sceleratiorem declaret impietatem, & quæ nullo non loco interdicta sit sactis legibus, vt nè videamur subiectis toto hoc tempore feriari, & inerti otio desedisse, id primum in examen & inquisitionem veniat, quod cæteris est formidabilius. Id enim si re ipsa commissum esse deprehenderetur, nemo iam controuerterit reliquis capitulis. Siquidem illius capituli omnifariam speciem profert fructuum malitiæ, iuxta eius sententiam qui dixit: Radix omnium malorum est auaritia. Qui enim super innocentes munera accepit, & argento *l* diuendidit Spiritus S. distributionem, quinam is pepercerit preciosis *m* lapidibus, iocalibus siue thesauris, aut certè prædijs ecclesiasticis: Tunc beatus Ioannes suum aggreditur scrutinium, dicens Antonino: Ad hæc obiecta quid respondes tu? Ille autem necessitate compulsus negauit. Qui enim sustinuisset ipso statim initio inquisitionis, propriam fateri *n* ignominiam ac probrosum dedecus? Dein qui aurum contulerant, venerunt in disquisitionem. De his inficias & illi iuerunt. Scrutinio igitur exacta cum diligentia peracto, ad horam vsq; octauam, *o* coniecturis informatur causa hæc. Finis tandem imponitur per depositionem testium eorum & qui dederant, & qui acceperant. Et quidem non aderant testes, quando eorum præsentia opus erat. Proinde B. Ioannes *p* satis superq; præuidens quàm foret operosum omnium sistere exhibitionem, pro expurganda sancta Dei Ecclesia, præelegit in Asiam proficisci ad inquisitionem testium, citra vllam in se misericordiam, nec laborī parcendo, eam de traditis capitulis aduersus Antoninum ritè concluderet. Equidem Antoninus cernens expromptam alacritatem Ioannis, ac seueritatem nullis muneribus corrumpendam, vtpotè qui sibi esset malè conscius, *q* omnibus clam adijt vnū aliquem è proceribus, cuius prædia quædam in Asia hic curabat, vt distineret ac remoraretur Ioannem, nè in Asiam pergeret sistendis testibus. Hic hora eadem *r* accingit se subornatæ molitioni, vt hæc innotescerent Episcopo Ioanni è palatio: Res *s* prorsus indecora est & absurda, vt tu qui Episcopus es, & regendis animabus nostris tutelaris præfectus in tanta ciuitate dum tantus expectatur tumultus relicta ciuitate tuæ fidei concredita, capessas hanc peregrinationem pergens in Asiam, quò commodiùs testes vbi morantur, audire queas. Siquidem tumultus ingens expectabatur excitandus per Gainam Barbarum, de quo superiùs dictum est. His itaq; verbis persuadetur, vt supersederet isti curæ simul & sententiæ iudiciali, neq; non *t* terminandæ liti depositioni testium. Eiusmodi temporis extractio suffugium agnoscendæ veritatis accusato præbuit ad corrumpendos testes, quos interim potuit aliò emittere, aut pecunia redimere, aut violento oppugnare potentatu. Hæc quum secum præuidisset Ioannes, cum præsenti Synodo dispicit quémnam præsentium [k] Episcoporum emitteret in Asiam interrogandis testibus accommodum. Synodali tandem decreto definitum est, tres Episcopos abire oportere, Syncletium Traianopolis metropoliten, Hesychium Opariensem, & Palladium Helenopolitanum Episcopos, qui synodalem habuerat concionem, *u* vti in regestis & commentarijs habetur, sic vt nè intra menses duos *x* responderint, neq; in vnum sunt congregati in Asianorum ciuitate, ad hoc vt è vicinis adessent, & qui arguebantur, & reliqui Episcopi, quorū partes erant ferre in commune *y* sententiam. Et hi fauebant Syncletio.

Matt. 5.

1. Tim. 6

[a] Ganiæ mors.
[b] De his fusiùs Socrates 6. c. 6 Theodor. 5. c. 32
a ἐπινεμήσεως.
[c] An 400. Synodus 22 Episcoporū Constantinopoli celebratur.
b al. Arabino.
[d] Eusebius Antonino crimina intentat. Vide Pallad. in Dialog.
c sceleratū.
[e] Nota hic in Orientali Ecclesia coniugatos electos episcopos, non nisi vxore dimissa ordinari solitos. Vide Baron. ad an. 400
d proeiusmodi accepit adsunt.
[f] Admonet Chrysost. Eusebium ita locum det.
e semper ad manum habeant.
f vocat.
g mutuo.
h pro more salutationepacis.
[g] Eusebius in accusando Antonino persistit.
i hostiam dominici corporis & sanguinis.
k baptisterio.
[h] Secundo à Chrysost. admonetur Eusebius
[i] Libellus ab Eusebio oblatus legitur, & causa Antonini examinatur
l vendidit.
m lapidib. siue thesauris.
n ignominiam Deinde.
o argumētis
p satis præuidens.
q clā adijt.
r accingit se

vt hac inno. sprorsus absurda est. t συντρίβης μαρτύρων. [k] Epi tres in Asiam ad examinādos testes mittuntur. u *è cōmentarijs, sic vt ne.* x *responderint neq; in Hypepis Asianorum ciuitate quod è vicinis essent, & qui.* y *sententiam contra Syncletium, hic communicare non posset. Ad hæc hi desig.*

cletio. Hic plane impatiens consortis erat. Ad hæc hi designati deuenerũt Smirnam Syncletius & Palladius. Hesychius enim *a* quod amicitia iungeretur Antonino, simulatione vsus, fingebat se ei illaturum extremam calamitatem. Ex eadem synodo scriptis literis significarunt ambabus partibus *b* suam ipsorum præsentiam, vt festine concurrentes ad præscriptam ciuitatem, sibi indicta explerent. Illi autem cum *c* mutuis essent subornati suadelis, ille quidem auro expugnatus est: *d* hi autem iureiurando corrupti. Ante siquidem eorum aduentum, qui de re tanta erant pronuntiaturi, mutuam iniere amicitiam testes. Quumque concito cursu conuenissent, gestu simulatitio fingebãt existimasse se iudices ludos agere ac iocari ob dilationem testibus prærogatam, quasi ob varias necessitates peregrè essent profecti. Ad hæc iudices ab accusatore scisciatati sunt, intra quot dies adducturus es testes? & eorum aduentum præstolabimur. Arbitratus ille eos ægrè laturos ob inclementiam & intemperiem æstiui tẽporis illinc abituros, spopondit se intra dies quadraginta per scripturam accitos testes producturum, aut subiturum pœnam per canones definitam. Dimissus [a] igitur, vt depoposcerat, & relicto testium negotio adiit Constantinopolin, illic delitescens. Per dies igitur quadraginta præstolati iudices, cum nusquam appareret accusator, per epistolas significant Asiæ totius episcopis, vt delatorem sententia feriant excommunicationis, tanquam desertorem Canonum, siue calumniatorem. Secundum hoc & aliis triginta diebus perstiterunt, & ne sic quidem vllo modo apparuit. Iudices autem cum illinc secessissent, abierunt Constantinopolin, & illic cùm fortuito occursu offendissent eum incusabant super ausu temerario, vicissim ille aduersam corporis valetudinem prætexebat. Profitetur alioqui, ac spondet se daturum testes eorum, per quos sic nullo fructu detritum est tempus. Moritur interim Antoninus, cui cum Eusebio actio publica intercesserat. Rursus ab Asia aduenit decretum, & hoc quidem à clero Ephesinæ ecclesiæ, illud vero ab episcopis ad beatum Ioannem continens benignã susceptionem, nimirum apprehensis dextris, vna cum iureiurando admodum formidabili. Ait enim: Ex quo superioribus temporibus sanctiones legum ac ritus *f* confusaneè, ac minus ordinatè *g* præut & nos didicimus, æquum esse cẽsemus, vt cùm tua sanctitas ad nos deuenerit, in eos inquiras qui quæ Arij sunt dogmata sapiunt: in eos item acerrime animaduertas, qui cum sentiant de fide nobiscum, impotenti tamen laborant auaritia, simul & insolescunt cupiditate inanis gloriæ. Nam tam multi maxime insidias moliuntur vt lupi rapaces, & imminent: ita vt extimulentur vi pecuniarum & per rapinam occupare thronum vnius alicuius episcopatus. Ioannes autem in tanta consistens corporis infirmitate, ac febrili inæqualitate, adde quia & hyberni frigoris aderat tempus, nihil eorum quæ inamœna essent per se, ac mœrorem ingererent, subiiciebat oculis, modo ordinem daret ac redderet tranquillitatem tota Asia afflictis inexperientia aut transfugio & desertione pastorum. Ob eam [b] causam animo confirmatus & alacer conscenso nauigio è ciuitate cessit. Equidem in naui biduo ieiuni cum perstitissent, & toto æquore palabundi, tertio demum die Apamię appulerunt, in qua quidem excepti hospitio sunt, Paulus, Cyrenus & Palladius episcopi. Hos enim secum assumpsit Ioannes comites suæ peregrinationis. Reliquum autem viæ quum confeciſſent itinere pedestri, ingressi sunt Ephesum, [c] & congregatis episcopis Lydiæ, Cariæ & Asiæ, adeo vt ad septuagenarium numerum *h* inclinarent viri isti, tunc multa cum alacritate non paucos scisciunt, & suffragijs ordinant, cum ei obuiam perrexissent, maxime ex Phrygibus
Prou. 1. qui ex sapientia oris eius fructum decerpserant, iuxta dictum illud: Sapientia in *i* exitibus laudatur. Hoc est, cordibus multimodis afflictionibus dilatatis. Hæc quum se ad eum modum haberent, adiit episcopos omnes prolixæ orationis author, & reliquorum episcoporum delator Eusebius impense rogans vt admitteretur ad communionem. Aduersus eum nonnulli episcoporum reclamarunt, dicentes non oportere eum recipi in aliorum *l* sociam communem, qui probatus sit fuisse συκοφάντης, hoc est, quadruplator siue calumniator. Ille verò supplex obtestabatur dicens: Ex quo pars plurima affecta est iniuriis, cumque iam annos duos sedulo examinata est causa hæc, & ad testes inquirendos reiecta est, enixè supplico vestræ erga Deum pietati, vt vel hodie primum liceat mihi exhibere testes. Tametsi enim Antoninus, qui accepto auro creauit [d] episcopos, diem suũ obiit: at certè qui collato auro ordinati sunt, in viuis perseuerant. Ad hæc respondens Synodus dixit: Iustum est vt hac de re scrutinium exacta diligentia celebretur. A lectione igitur commentariorum in literas prius proditorum causæ totius cardo ac basis resumit exordium, & introducti sunt testes. Introierunt & qui dato auro inordinati sunt, tamen initio prioris scrutinij inficias ierant. Testium autem permanentium nonnulli quidem laici erant, alij autem presbyteri quibus visum est synodo addere fiduciam depromendæ veritatis. Quinetiam nonnulli suarum vxorum ornamenta prius oppignerarant. Et hi quidem dicebant loca & tempora, & pecuniæ quantitatem, non omnino male affecta ipsorum conscientia. Vltrò ac sua sponte, & citra impositam necessitatem confitentur: nam quod ipsi dederimus, in confesso est, arbitrati id esse rationi consentaneum, vt censeremur immunes esse & exempti à forensi curia. Et nunc quidem obsecramus (si quidem fas est) addici obsequiis ecclesiæ. Deinde quod dedimus aurum, saltem vt recipiamus. Ex nobis enim quidam muliebrem mundum vxorum nostrarum ipsi dedimus. Ad hæc beatus Ioannes respondens pollicetur synodo se eos exempturum forensi curiæ, precibus apud Imperatorem effusis: vos autem imperate vt ab hæredibus Antonini quicquid dederunt, recipiant. Tunc iussit quidem [e] synodus, vt aurum reciperent ab Antonini hæredibus, communicarent autem intimo altari, distinguantur verò à sacerdotibus, vt ne si hæc indulgentius permittantur, in ecclesiam Dei irrepat Iudaica illa consuetudo diuendendi, licitandi auctione publica, siue emendi sacerdotij. Horum omnium extant commentaria, sed & qui fuerint iudices, proditum est memoriæ. Sanè inquisitio eiusmodi non vno quidem die confecta est, sed annorum duorum spatio. Deiecti episcopali gradu, boni & æqui consulentes acquieuerunt suæ depositioni, vt à sententia futuri iudicii liberarentur. Ex his vnus defensor fuit Reipublicæ. In eorum loca continuo substituti sunt alij vita & sermone ornati. Cùm autem deprehendissent Ioannes & alios sex episcopos in Asia coemptores sacerdotalis dignitatis, & hos diuina sententia meritò deturbauit gradu. Quis illachrymatus est? Cuius nares destillarunt sanguinẽ? Quænam *m* Arachne in partes dissecta est? Quis verò ex eius familia desciuit ab eo? Quis ob hæc vel obolo multatus est: Quis deniq; tota Asia præstigiator, artifex, agricola, cerdo coriarius, aut certe quamlibet vilis & plebeius, non in bonam accepit partẽ quod factum est pro tuendis sacris, & omnium ore consono approbatis legibus? Itaque his in vniuersum [g] deiectis gradu, & his qui præfuerant ad tuendam puritatem sacri sacerdotij, quorum extant commentaria, & asseruantur vnà cum subscriptione duorum & viginti episcoporum, qui seriem ac tenorem totius rei gestæ abusque principio auditu percepe-
1. Tim. 5 runt. Et de * septuaginta depositis, in metropoliticis ciuitatibus multa cum discretione ac iudicio designabat, & manuum impositione consecrabat delectas personas, eos inquam, qui cumulandis opibus minimum incumberent, qui perplexa mundi negotia defugerent, qui vitam decentem, & sacerdotio dignam traducerent, ac secularibus dissimilẽ. Sed enim vt tales essent, nihilominus solenni iuramento ab his sibi cauebat, & illi sententiæ addicebat, dicens, primũ quidem quæ à sacratissimo Paulo ad Timotheum scripta sunt de episcopis & clericis, in quibus est & hoc: Manus citò nemini imposueris, neque communices peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Ipse enim his rite & cum laude perfectis, beatus Ioannes, cùm in Asia exorta esset inquisitio de eligendo ciuitatis Ephesinæ episcopo, quod diem suum obijsset Antoninus, quum alij alium studio præferre cõtenderent, ipse Iohannes suum quendam diaconum [h] Heraclidem nomine, & gente Cyprium, ad eiusmodi episcopatum promouebat. Atqui quum ob id exorta esset nec leuis seditio

[e] Eusebius testes in causa Antonini adducit. [f] Simoniaci deponuntur. [m] *aranea* [g] Chrysostomus iisdem alios substituit. * τῶν βεβιωμένων καθαιρεῖ
[h] Heraclides Ephesi Episcopus à Chrysostomo constituitur: vide Soc. lib. 6. c. 10. Sozom. lib 8. c. 6.

a amicus Antonino cum esset fingebat se ei intulisse extremam calamitatẽ
b suum aduentum.
c mutuo essent subornati ille quidem.
d alter verò iureiurando corruptus: amici facti sunt, ante eorum aduentum qui de re tanta erant pronunciaturi. Concurrentes vero habitu simulato in Hipepis existimabant iudices ludos agere ac iocari ob dilationem testium, quasi e (æstuum enim tẽpus erat) illinc.
a Accusator latebras quærit.
f confuse & nos passi sumus æquum esse.
g Desit hic verbum forte, obseruata sunt. Alia lectio habet, confuse, & nos passi sumus æquum esse: sed vtrobique quid deest.
b Chrysostomus in Asiam proficiscitur Ecclesiæ consulturus.
c Ephesi Synodum 70. Episcoporum congregat.
h peruenirent.
i egressibus.
l societatem
d Sex eorum fuisse recitat Palladius.

*coactus. ditio Epheſi, quod is non videretur plebi tanto muneri obeundo ſatis idoneus & dignus, *adactus neceſſitate eſt Ioannes morari diutius Epheſi. Ipſo interim extrahente tempus Epheſi, Seuerianus ſe reddebat auditoribus iuſto amabiliorem. Neque hæc latebant Ioannem. Siquidem quæ fiebant, omnia per internuntios ſignificabantur. Cæterũ per hæc tempora non paucas Nouatianorum eccleſias ſolo adæquauit, è medio ſublatis numero quatuor ac decem. His confectis ſe recepit Conſtantinopolin. Et ipſe quidem rurſus exactam ac decentem curam obibat eccleſiarum, exponens populo quæ noſſet *a* profore, & quæ animarum ſaluti forent conducibilia. Dicendum ſupereſt, quãnam ratione Seuerianus aduenerit Conſtantinopolin. Illis enim tum diebus Antiochus Ptolemaïdis epiſcopus quæ in Phœnicia ſita eſt, in eam aduenerat ciuitatem doctrice experientia apprimè eruditus in ſermonibus rhetoricis. Hic per eccleſias aliquanto tempore quum elaboraſſet docendo, & hoc ſuo opere multam vim pecuniarum cumulaſſet, præpropero curſu ſe recepit in ſuam ciuitatem. Seuerianus autem & ipſe dialogorum Rhetoricorum author, & creditus eſſe eruditior, non alioqui planè ſatis exprimebat linguam Græcam, etiamſi Græcè expromeret. Siquidem voce erat Syrus. Hic vſque adeo multis verbis Antiochum in ſuam pellexit ſententiam, vt collectis rebus ſuis è Conſtantinopoli faceſſeret. Tali enim inuidia extimulatus zelo in eum exarſit. Fuit ſanè & hic exercitatus, ac permultos in ordinem digeſſit ſermones. Perlibenter ab Iohanne ſuſceptus, minore & dilectione & honore ab ipſo cohoneſtatus eſt. Floruit is multiiuga eruditione clarus, adeo vt multis principum fuerit in honore, ipſi etiamnũ Imperatori domeſtice notus.

Nouatianorum tẽpla 14. ſolo æquat, & Cõſtantinopolim reuertitur poſt paſcha, vt notat Bar. ex Orat. Chryſ. de regreſſ. ſuo Conſtãtinop.

a fore vtilia

XXVII.

†καλλιτρόπη pulchra cõuerſio vel mutatio.

MVLIER quædam vidua, nomine †Callitrope, quæ vxor fuerat cuiuſpiam naucleri Alexandrini, inuidia diaboli à conciuibus ſuis per Paulacium exercitus ducem (penes quem erat poteſtas imperialis ea in ciuitate) traducitur quod eſſet cæteris opulentior. Hanc igitur ad ſe cum introduxiſſet, vi adigebat vt aureos quingentos ſibi conferret, quum ne tanta quidem ei ſuppeteret opulentia, vt eos poſſet exhibere. Quod ſibi in aſſem ſuppetebat, dedit, omnemque ſubſtantiam oppignorauit, quodque ſupererat auri quod quærebatur, ex fœnore mutuata dedit ei. Ille igitur velut ſortitò acceptis quingentis aureis numiſmatibus ſinit eam abire. Qui autem ei dederant fœnori, affligentes ipſam, & indignis modis diſcruciabant, tantum non eam ſuffocantes, notamque illi inurentes infamiæ. Annuum autem tempus cùm velut equeſtri curſu præteriiſſet, Paulacius ſucceſſorem excepit ſui principatus, ſeque recepit Conſtantinopolin, ſuæ adminiſtrationis *b* repoſiturus rationem. Illa verò miſerabilis vidua exurgens enauigauit poſt ipſum, & abiens profecta eſt in comitatum aduerſus eum expoſtulatura & obiectura crimen. Imperator autem vt mox rem totam reſciuit, iubet prætori ciuitatis vt extorqueat veritatem, víque adigat, donec quæ ab eo expreſſa fuerant per iniquitatem, viduæ refunderentur omnia. Prætor verò cauſam omnẽ viduæ nihili ducebat. Is enim præſes authore illo obtinuerat ſuum principatum. Atqui mulier penſiculatius cùm vidiſſet ſe adeo nihili habitam, adit quendam ex naucleris Imperatricis, & eum Conſtantinopolitanum. Hæc quum edocuiſſet eum, quæ aduerſum ſe geſta eſſent, ille miſericordia motus eſt ſuper eam, & quod multum obtineret fiduciæ apud Imperatricem, introduxit viduam ad eam, & hæc denuntiat, quam eſſet paſſa iniuriam. Continuò autem hora eadem emittit Imperatrix duos *c* excomites, qui Paulacium ad ſe adducerent. Is cùm adueniſſet, dicit ei: An non tu ad ſolitudinem redegiſti Alexandriam totius Ægypti metropolin? Tu eam ſic moderatus es, ſic conſtituiſti & inhabitaſti, quaſi ſic eſſes iuſſus à nobis. Reſpondens ille ait: Regina, non eam ad vaſtitatem perduxi, neminem cõcuſſi, neminem affeci iniuria. Imperatrix ad eum: Ecce hæc vna eſt earum quas iniuriis affeciſti, abs te repoſcens quingenta aurea numiſmata. Suppetit ne tibi ratio qua de expurgare queas? Tum ille ait: Neutiquam tua ignorat maieſtas, quæ mihi ſuppetebant præcipua, quæ præbuerim reponenda in promptuario publico, prius quàm principatum accepiſſem ciuitatis illius. Hæc è diuerſo dixit: Nihil horum reſciui: verumtamen hæc fruſtra. Per ſalutem Imperatorum nunquam prius te ſinam hinc abire, quam abs te fuerint repetita centum precia auri. Hæc quum dixiſſet, præcepit *d* excomitibus, vt eum affligerent, donec exoluiſſet præſcriptam auri quantitatem. Paulacius, vt qui noſſet iuſſionem eiuſmodi indeprecabilem eſſe & ineuitabilem, præciſum aurum dedit, & abſolutus eſt. Accepta ab eo hac ſumma, ex ea dedit viduæ ſex & triginta numiſmata, & à ſe eam emiſit. Egreſſa eſt mulier flens & eiulans ſuper hoc quod ſibi inopinè ac præter ſpem accidiſſet malum. Et hæc illam adorta eſt ſecunda calamitas. Cùm autem audijſſet de beato Ioanne, quia exciperet tuendam cauſam oppreſſorum, eorum præſertim qui auxiliari omnium ope deſtituerentur, procidit ei, arcana omnia velut in ſinum amici deponit, quæ conſequuta fuerant per Imperatricem ipſius gratia aduerſus Paulacium, & quia cum ſperaſſet eius opera aſſecuturam commiſerationem, & de aduerſario iuſtam vltionem, tanto grauiore iniuſtitia per eam affecta eſt. Hæc quum didiciſſet Ioannes, & commiſeratione eam proſequutus, eo maximè quod dixiſſet ſe fœnore accepiſſe aurum ab his qui vſuras Alexandriæ exercebant, iubet ad ſe acciri Paulacium in ſancta Dei eccleſia, eique dicit: Vti par eſt credere, ipſe videris contumeliis velle afficere Deum patrem orphanorum, & iudicem viduarum. Téne clam eſt, quàm durum ſit tibi aduerſus ſtimulos calcitare? Modò ſanè huic humili mulieri reſtituito quingenta numiſmata, quæ quidem præter omnem iuſtitiam ab ea vi extorſiſti, vt ea appendat & adnumeret iis quibus obnoxia eſt, vt & ipſa ſibi ſuiſque liberis redimat vexationem quæ eam deplorata & immedicabili afflictione vndique obſidet. Quin & tu eximére tandem, & liber eris à vinculo iſtius tuæ iniquitatis. Reſpondens autem Paulacius, dixit ei: Ad Auguſtã prius acceſſit eam interpellatura aduerſum me, quæ pro ſumma quam hæc à me repoſcit, multauit me precio centum aureorum nummûm, quam quidem multam, profecta ad Imperatricem, ab ipſa vtique reportare poterit. Quid iam aduerſum me vociferatur? Reſpondens autem Ioannes dixit ei: Tametſi Auguſta abs te exegit eiuſmodi quantitatem pecuniæ, vti aſſeris: ſed & hæc multa eſt iniquitatum in tuo principatu abs te commiſſarum, idque ea de cauſa perpeſſus es. Iuſtitiam huius pauperculæ non limis oculis præteribo. Quare ſi quid ab ea extorſiſti, vide vt in ſolidum reſtituas. Ne mihi tu prætextum Auguſtæ opponas: Dico enim tibi nunquam te hinc exiturum, tantiſper dum plenè ad extremum vſque obolum exolueris ſummam iniquitatem extortam. In ius præterea ipſius cedent ab Imperatrice eidẽ dono collata triginta ſex numiſmata, idque ratione impenſarum. Hæc vt agnouit Imperatrix, iubet ſignificari Ioanni per internũntium dicens: Abſoluito Paulacium. Quod enim ad hanc attinet cauſam, ab eo iam exegi quod abunde ſufficit. Ioannes autem è diuerſo eidem ſignificauit per eos qui miſſi fuerant ad ſe, Mihi loquenti crede, ne tantillum quidem remittetur ex his quæ vi extorſit ab hac hoſpite & ope omni deſtituta muliere. Iteratò Imperatrix ex contrario indicauit Ioanni dicens: Abſoluito hominem. Ad hæc contrà Ioannes; Si quidem iubes vt abſoluatur, mitte ad viduam quingenta aurea *e* numiſmata. Hæc *c* quum inaudiiſſet Imperatrix relatu ſuorum *f* ſecretariorum, indignatione & incandeſcentia animi oppleta dixit: Vti video, hic ab Antiochia venit, vt edicta Imperatorum redderet inefficacia. Hora mox eâdem iubet Centuriones *d* duos eo proficiſci vnà cum ducentis militibus cum mandatis edicens eis vt ingreſſi eccleſiam iniecta manu illinc Paulacium abriperent, & è manu epiſcopi auellerent, abſolutumque reducerent domũ. Illi cùm ad limen vſque perueniſſent veſtibuli eccleſiæ, ac voluiſſent ingredi, viderunt angelum Domini pro foribus veſtibuli ſtantem, manu ſua rhomphæam tenentem manu è vagina exertam, eoſque *g* abarcentem ab ingreſſu veſtibuli. Contemplati igitur eiuſmodi ſpectaculum, vehementi timore correpti ſunt, & ad Imperatricem reuerſi, cum tremore quæ vidiſſent eidem renuntiarunt, ſimul & quonam pacto aduerſum eos ipſam diſtrinxiſſet rhomphæam. Hæc cum inaudiiſſet Imperatrix, exterrita eſt, & mentis perturbatione conſternata vna cum ſtupore, ne ſic tamen præcon-

Callitrope iniuriam paſſa à Paulatio, Eudoxiæ conqueritur.

c excubitores.

Eudoxiæ auaritia *d excubitoribus.*

Chryſoſt. cauſam Callitrope agit.

e nummiſmata.

Hæc cum inaudiſſet Auguſta

f aut certe iuxta vulgus referendariorum. [d] Eudoxia militem mittit, vt Paulacium manib. Chryſ eripiat, ſed ab angelo prohibetur *g arcentem.*

[c] Quod ſi feceris nihil magni facies, repetens eo colore centũ à Paulacio aureos.

a præconceptum aduersus Ioannē odium ab animo profligauit, sed præfractius acquiescebat præconceptæ aduersus ipsum simultati & inimicitiæ, opportunam obseruans occasionem, modumque inquirens quo se de Ioanne vlciscetur Imperatrix igitur rursum misit Phormentium nomine, præcipuæ verò dignitatis, verbis ad persuadendum compositis rogitans vt absolueretur Paulacius. Sed enim eximius hic Ioannes nullum cessit locum assentatoriis illius suadelis, sed constanter prius à se dictis acquiescebat, dicens se in primis velle miserabilem viduam hanc redemptam à vinculo iniustitiæ qua ipsam inique oppresserat Paulacius. Deinde quia magnopere sibi curæ fuit salus Imperatricis. Paulacius verò se cernens ludere operam, nec quicquam ex ea re relaturum emolumenti, *b* reuersus domum suam *c* secum aduexit quingenta aurea numismata, & ea præsente episcopo tradidit viduæ, sicque absolutus est, vt abiret in domum suam. Reuersa item est & mulier in ciuitatem suam, Deo *d* transcribens gloriam, qui sibi opem tulisset subsidio & opitulatione Ioannis episcopi.

a *concepta.*

Paulacius viduę quingentos aureos restituit.

b *mittens* c *allata sunt*

d *dans*

XXXVIII. Ipse autem totus incubuit consuetis sibi admonitionibus ad institutionem populi, cupiens auocare omnes à vitioso affectu auaritiæ. Exactis diebus aliquot rursus B. Ioanni Imperatrix per quosdam Palatinos significat, *e* & quidem quadantenus intentans minas, aliqua verò, ex parte adblandiens assentatrix, eum adhortans se vt in posterum auocaret ab omni intercessione, *f* siue contraria oppositione aduersus eam, dicens & hæc: Finem[a] deinceps imponito, vt ne clàm te insinuans & obrepens te ingeras his quæ Imperatorum sunt propria. Neque enim tibi ex officio conueniunt. Ab eiusmodi igitur animi commentationibus te auoca, quemadmodum & Imperatrix sibi temperat à rebus ecclesiasticis, eas tibi *g* permittens, téque condigno prosequens honore. Itaque quando vtriusque cura iunctim annexa nihil adfert commodæ & bonæ frugis, saltē posthac delige quod ex officio addecet te. Præsto moderandis rebus ecclesiasticis. Negotiis ciuilibus ac publicis ne teipsum inseras. Neque enim te patiar ita agentem. Hæc cum inaudiisset B. Ioannes, magno animi * mœrore penè contabuit, secumque disserebat, dicens: Quid tandem de hac fiet, quæ adeo impudenter loquuta est, suisque improbandis operibus aduersum se conciuit iram *h* Christi? Quumque vehementer ingemuisset, respondens his qui missi fuerant, dixit: B. Paulus [b] clamat, dicens: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Rursus idem ait: Argue, increpa, obsecra. Iterumque, Mihi quidem dicere non pigrum, vobis autem tutum. Verumtamen non ita studio contenderim, vt perfectionem legis nostræ apprehendisse videar, & omnem omnino rugam vitasse: sed vt per prouidentiam Domini præseruer incontaminatus ad extremum vsque vitæ *i* halitum. Quod si eam in meis enarrationibus reprehendissem, ne sic quidem debuisset me contemptim damnare & affligere. Video equidem eam abhorrentem à decoro sui status, & externam à Christi esse mandatis. Nihilominus aduersum personam vllam, non eius, non item alterius sinat me Dominus deprehendi fuisse contumeliosum. Fateor equidem, quia eos qui se fiuerunt *l* peruinci auaritiæ vitio, non desij coarguere, sed nec conquiescam. Quod si libera est & immunis ab eiusmodi vitiosa animi perturbatione, tanto conueniebat eam magis spiritu exhilarari, vt quæ se nosset cōmemoratione istius flagitij nullo suffundi pudore. Sin se intelligit succubuisse isti flagitioso sceleri, & esse iam dictis obnoxiam, sciens nouerit quia non ipse ego sum qui coarguo, aut qui aspergam eam vlla contumelia, quin potius opera ipsius sunt. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, sicuti ab Apostolo ipso docemur. Quid enim est quod ipsam *m* abarceat ab explendo bono opere? Aut quid illi profuerit, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut, quam dabit homo commutationem pro anima sua? Hisce admonitoriis sermonibus ac pluribus quum homines illos animi consternatione ac stupore perculisset, dimisit in pace, vt quæ audiissent, renunciarent Imperatrici. Illi autem commonitionem scriptis proditam cum accepissent, nihil non retulerunt ei, addentes quia hodie audiuimus verba hominis, qui ne mortem *n* quidem exhorreat quamlibet fuerit formidabilis, siue gladio infligatur, seu immergatur marinis fluctibus. Hic omnium à se solicitudinem excussit, nec quicquam cætera reputat. Vnam hanc & solam obit curam. Quos videt vitam traducere *o* præterquam decorum sit & honestum, coarguit & increpat. His adde, quia talis quum sit, se non sinit expugnari. Hæc quum prænarrassent Imperatrici, obtulerunt & chartam, in qua erant descripti eius sermones, & ad se accersito vno è suis iudicibus, *p* cæteris clam legit ei. Quumque intellexisset quanta inesset vis chartæ, tantò est maiore indignatione oppleta, & furore excanduit. Quin hisce rebus ad hunc modum constitutis, ecclesia nihilominus quotidie reflorescebat in melius, vniuersaque ciuitas se recipiebat ad complexū pietatis. Vigebant castitas & psalmodia animarum altrices. Totius boni atque honestatis osor diabolus ægerrime tulit obseruari hæc ab his quos semel euicisset, quos vtique sermo Domini per Ioannis doctrinam ab impuro illo auocarat, cuiusmodi fuerant, qui prius toti flagrarant insano amore equestrium ludorum, & theatralibus spectaculis. Eos qui derelictis haris, ac vilibus diaboli stabulis resipuissent, fistula illa linguæ perquam amabilis complectebatur & admittebat in domum legitimi Patris, intra mandram benignissimi illius ouium Pastoris. Tantum tamque radiosum fulgorem verissimæ philosophiæ eximij illius viri, nequaquam passa est inuidia vt se latius effunderet: sed propriis molitionibus ac machinis imperialem illam ciuitatem, verius vniuersum terrarum orbem spoliauit insigni dexteritate linguæ illius simul & fœlici supra modum ingenio. Quidam enim dū se mutuis ac diuersis odiis colliserunt, nescio quas *q* causificationes ac prætextus obtendebant, nimirum quod viri istius celeberrimi claritatem *r* fulgetræ instar explendescētem, virtutesque contueri nollent. Aduersus eum proinde expostulationes multis gemitibus ac suspiriis planè dignas commenti, perpensa licet suæ in eum perspicuitate subornatæ calumniæ, suam nihilominus explere aggressi sunt iniquitatem. Præsultores autem [c] istius calumniosæ delationis fuere (sicuti plane nouit vniuersus terrarum tractus) Acacius, Antiochus, Theophilus & Seuerianus, qui quidem quod non erant, dicti sunt: quod autem erant reipsa, dici non sustinent. Ex ordine clericorum, presbyteri quidem duo, diaconi autem quinque. Illi quidem illegitimi ac degeneres, hi verò ex malitioso genere prognati, in vnum conflati sunt & coorti. *s* Me clam est, tutùm ne sit & vacet periculo tales profiteri fuisse presbyteros & diaconos aulæ imperialis. Duo aut tres & ij soli qui vires neruósque suggerebant ex Theophili satellitibus, militari ope concertantes. Ex mulieribus *t* vulgatæ famæ viduæ quidem tres, opulentæ autem per viros iactura suæ ipsarum salutis, quæ & multam pecuniarum vim rapto extortas possidebant, hæ erant, *u* Taraxātria, Anasistria, *x* Marsa Probi, & Castritia Saturnini vxores, Euphragia insuper Amphimanistæ. Reliquam fecem vel pudor est ore depromere. Et hi cum essent corde corrupto, inque fide vacillarent, ac perinde atque væsanientes per ebrietatem, in vnam conspirarunt inuisæ & execrabilis doctrinæ sententiam, aduersus ecclesiasticam pacem torrentē moliti perditionis. Contigit enim illo tum tempore Acacium Beroensem episcopum (cuius nos superiore loco commeminimus, & vti prædicabat) scire se tanquam à scopo *y* esse hallucinatum, nimirum à bono hospitio, & eam ob rē mœrore contabescens, indignatione zredaccendebatur, & quasi qui ab Ioanne *a* nihili esset habitus, intolerandis cogitationibus deuictus, sermonem deprompsit ex abundantia quidem cordis, sed plane dignum sua vnius petulanti debacchatione, idque de nonnullis clericorum Ioannis loquēs: Ego ei adorno † fideliam siue ollam. Ex [d] ea igitur die coniunctus, ac veluti compactus Seueriano, Antiocho & Isacio Syrisco in causis forensibus vaferrimo rabulæ ac latratori, eorumque præduci & doctori, qui falsò dicuntur solitarij siue monachi, vt qui nullo non tempore vitam detriuerit in maledicentiis & infectationibus aduersus episcopos. Et isti decernunt scilicet, & tractant aduersus Iohannem,

Gal. 1. 2. 1. 4. Eccles. 3.

Ioan. 8. Matt. 16.

a *concepta.*

Paulacius viduę quingentos aureos restituit.

b *mittens* c *allata sunt*

d *dans*

e *& quidē intentans partim minas, partim adblandiēs*

f *siue expositione.*

g *permittēs.*

a Define itaque publice me conuiciari & fabulam aut vulgi facere. Equidem non cessabo parentis te loco dicere, teque cōdigno prosequi honore

* σειλυπω lego, non σειλοιπω.

h *Dei.*

[b] Chrysostomus respondet Eudoxiæ.

i *spiritum*

l *vinci.*

m *arcet*

n *quidem etsi horrendam exhorreat, siue gladio.*

o *præter decorum.*

p *clam absque cæteris.*

q *causas.*

r *fulguris.*

[c] Æmulatores infensissimi Ioan. Chrys.

s *Haud scio.*

t *vulgatæ viduæ.*

u *turbulentæ & concursantes:*

x *Martia Promoti vxor est in Palladij*

Dialog. y aberrasse. z accendebatur, a nihili habitus. † Vide Chiliades Erasmi. [d] Acacius cum Seueriano & Antiocho conspirat. vide Palladiū in dialog. rerum gest. Chrysost.

nem, verius oppugnant gloriam Saluatoris. Et hi quidem primum missi Antiochiam in eius adolescentiam ac iuuentutem anquirunt, siqua admisisset delicta. Simul autem atque defecerunt scrutantes scrutinia, nec quicquam reprehensione dignum quiuerunt deprehendere, exploratores amandant & Alexandriam, eiusmodi studia affabrè & artifici sapientia scilicet[a] pertractante Theophilo. *a* Equidem is simul atque aperuit libellos suæ sententiæ indices *b* multa cum taciturnitate, nempe latronum in morem, singula perscrutabatur, modum perquirens obtinendæ occasionis fortuitæ vel vnius è multis.

a *Is simul*
b *clam & quiete.*

n De Theophilo historiam à Palladio, Socrate, Sozomeno &c. Origenistis primum descriptam, eorundem stylo lancinatam potius quam exaratam, memorat Baron. dum causam obortam occasione Origenis errorum, in criminationes Theophili conuerterunt, horum fidem hic noster auctor secutus, vt in proœmio ipse testatur, hanc historiam contexuit. Vide Bar an an. 400.

XXX. IX.

Secvndvm ea tempora, vir quidam erat Alexandriæ nomine Isidorus ordinatione beati ac vere magni Athanasij presbyter, annum agens ætatis octogesimum, quem Romanorum plurimi probe norant ob causam & tractationem rerum ecclesiasticarum, quippe qui à multis retro temporibus Romam adijsset, peregrinorum & hospitum Alexandriæ exceptor. Erat autem & Petrus quidam *c* Alexandrinensium ecclesiæ presbyter *d* primarius. Hunc Theophilus, quod infense odisset, constituerat eliminare ingressu ecclesiæ, crimine illi obiecto, quod mulierem superstitione Manichæam quandam admisisset ad susceptionem sacramentorum, quæ nondum eiurasset superstitiosam hæresim Manichæorum. Verumenimuerò respondit Petrus, eam superstitionem reliquisse, seque ipsam excepisse non præter mentem Theophili & sententiam. Ægerrime tulit Theophilus responsum, vt qui videri poterat hanc adornasse calumniam. Apud se enim dicebat quod fuerat gestum, neminem resciuisse. Aduersus calumniatorem Petrus testem citabat *e* Isidorum, quem nihil latebat eorum quæ de muliere dixisset Theophilus. Sed enim illo [b] in tempore cõtigit Isidorum in ciuitate imperiali, nimirum Romæ, vitam degere. Fuerat siquidem à Theophilo ipso amandatus ad Damasum Romæ episcopum, *f* vt vnà cum Flauiano Antiochiæ episcopo *g* allegeretur, ipsumque ascriberet catalogo, quo cum familiarem cepisset congressum, ac societatem iniuisset, Euagrij causam interruptam annorum viginti spatio. Meleriani enim ob iuramentum quoddam iudicio contendebant aduersus Flauianum. Isidorus igitur *h* redux è Roma cum se recepisset Alexandriam, in testem accitus à Petro, dicebat Manichæam illam ad voluntatem & consilium episcopi fuisse exceptam, quodque eam participem fecerit sacramentorum. Eam [c] ob rem impotenti ira totus incanduit, & ipso momento Petrum exegit à communione altaris, secum reputans quonam pacto & Isidorum à se missum faceret: id quod tandem effecit. Mulier enim quædam vidua, nomine Theodote soror Theodori prætoris Alexandriæ numismata aurea mille Isidoro dat iure iurando eum sibi obstringens coram altari Saluatoris, vt pretio totius summæ vestimenta coemeret induendis mulieribus pauperculis Alexandrinorum, neque id innotesceret Theophilo, quis tradidisset, vt ne acceptas pecunias insumeret coemendis lapidibus ad structuram ædium. Accepta igitur aurea numismata Isidorus erogat in vsus paupercularum ac viduarum. Resciuit & hoc alicunde Theophilus. Nihil enim eorum quæ omnibus in locis *i* fiebant, illum latere potuisset: His gestis ad se accersit Isidorum, & quidem ægritudinem animi moderatè dissimulans sciscitatur num res sic se haberent. Ille autem nihil inficiatus, confessus est se inseruisse rei huic administrandæ, suamque nauasse operam. His auditis, *l* tabernaculum ingressus ingemuit, denuntiatusque est adesse Epiices vnà cum Christophane. Porrò ille in inquirendo plane norat inuertere formas vniuersas responsionis ab Isidoro sibi redditæ. Quumque aliquantisper interquieuisset, duobus nimirum mensibus, in medium protulit papyraceam chartulam, & *m* comprobata sacerdotali functione, præsente Isidoro dixit: Hasce literas ante annos abhinc decem & octo excepi aduersum te Isidore. Quódque tum multiuariis destineret negotiis, rem totam obliuione *n* detriui. Nunc autem *o* alteram chartam dum requiro, inueni hoc de te *p* capitulum. Pro teipso ad hoc respõde. Continebat autem ea charta obiectionem criminis Sodomitici. Ad hæc Isidorus pro se respondens dicebat Theophilo: Facilè quidem donauero verum esse, quia chartam hãc excepisti, *q* & lapsu quando excidit, non aderat qui redderet libellum, vt iam secundo *r* repetita sit. Ad hæc Theophilus, Sed non aderat puer, erat siquidem in naui. Respondit Isidorus: Non continuò adfuit *s* papa, mox à nauigatione? Non aderat deinceps vel secundò? Non aderat ne tertiò quidem. Vel nunc tandem adest. Iubeto igitur sisti hominem. Ad hæc Theophilus cunctatior, tempus extrahit in alterum diem, & adolescentulum quendam orans assiduus institit, *t* denique & demulxit ac deliniuit multimodis pollicitationibus ad intendendam accusationem aduersus Isidorum, datis ei (vti asserunt quidam) numismatis aureis quindecim, vt extemplò ea porrigeret matri. Et numos illos mater *u* immobili oculo, nec vsquam euariante * contuebatur parte quidem vna, alterius verò oculi contemplatione secum recogitans verebatur legum euersionem: ac timens ne fortè Isidorus calumnia oppressus incusaretur apud principem, & ad populi perueniret notitiam, fatetur ipsa Isidoro commentitiam hanc fabricam ac molitionem modis omnibus improbandam, ostensis eidem *x* aureis numis, quos affirmabat se accepisse à Theophili sorore, mercedem vtique aduersus insontem ac prorsus innoxium. Et quidem hæc soror quum ob pleraque alia, tum præcipue propter tantæ calumniæ indignitatem pœnam luit morte, manibus chirurgorum circa putres mammas & sanios contrectata. Per hæc Isidorus domi morabatur supplex orans Deum. Adolescentulus autem ille partim legum quidem timore perculsus, partim verò recogitans Theophilum se esse potentiorem, erroris sui frustrationem vertit, commodius sibi credens fore, si ad tutius munimentum, nempe ad ecclesiam cõfugiens, ad apprehendẽdum altare illinc se fuga proriperet. Hic [d] Theophilus abdicat Isidorũ ecclesiæ ingressu, *y* & coheredem facit corrupto prorsus ac surdo *z* suo vnius iudicio. Quumque immedicabilem notam infamiæ ei inussisset, nihilominus suę iniquitati in speciem obtendit se decentem castimoniam & honestatem. Isidorus ob hæc veritus, nequando acriore indignatione exagitatus Theophilus in animo constitueret moliri aduersum suã salutem insidias. (Eo enim malignitatis vsque iam præuerterat) in montem *Nitriæ pernici ac festino cursu contendit ad cœtum & agmen solitariè degẽtium, quo loci suæ adolescentiæ conuersationem exercuerat, inque sua cellula consedit, Supplicabat Deo, vt indipisci promereretur ipsius longanimem clementiam.

c *Alexandrinæ.*
d *primicerius.*
e *Isidorum eorum quæ de.*
b Isidorum hunc Origenistarum antesignanum fuisse, ex S. Hier. docet Bar. ad an. 400.
f *vt Flauiano.*
g *Gratiam societatemque impetratam obtineret, adferretque, quæ societas ob Euagrij causam interrupta annorum viginti spatio fuerat.*
h *Roma redux.*
*Petrus Alexãdrinus presbyter excommunicatur à Theophilo i *fierent dicerenturve illum latere poterat.*
l *Theophilus scenam inuertit, & prius quidẽ ad rei pondus benignus & interrogando approbator visus, pòst ira intumuit, aliam omnino formam inducens.*

cum Isidoro pro se esset respondendum. Cumque aliquantisper. m *probans.* n *texi* o *alias chartas dum quæro.* p *caput.* q *& quando excidit.* r *repetitus sit.* s *statim à nauigatione ò Episcop.* t *denique & deliniuit multis pollicitat.* u *oculo irretorto * conturbatur parte vna.* x *aureis quos* *Isidorus ab Ecclesiasticis amouetur* y *& corrupto.* z *suo iudicio, immedicabilem.* c Nitriam confugit. *Νιτρίας lege Νιτρίας: Νίτρον* enim *ἀπὸ τῦ νίζ* tergere, lauare.

XL.

Sed enim tum Romanos tot tantæque molestiæ apprehenderant, vt hi quorum fidei concredita erat sacerdotalis dignitas, consutis dolis sese colliderent in contumeliam Christianæ religionis. Nec vlla ratione ab his sibi temperabant. Eo etenim tempore sacerdotes aliud nihil, quàm contumacem & præfractam rabellionem inter se exercebãt, ac iugi meditatione moliebantur. Id mali originem traxit ab Ægypto. Initio quidem visa est leuis esse momenti hæc quæstio, qua quærebatur, Deus ne corpus esset & habitus, ac figura informatus, an incorporeus, (vtque semel dicam) ab omni prorsum absolutus humana effigie & descriptione corporali. Occasione decidendæ istius quæstionis à non paucis *a* ciebantur conflictationes pernicioſæ & ambitioſæ contentiones. Et illi quidem astipulabantur *b* dogmati; alij contra (in quibus erant quique simpliciores monachi) patrocinium deferebant ei sententiæ, quæ

Vide Soz. lib. 8 cap 11. Socrat. lib. 6. cap 7. Niceph lib. 13. cap. 10. 17.

† Deum

a *excitabantur.* b *Ecclesiã.*

† Deum prædicat corporeum & humana effigie delineatum. Horum tamen plurimi vt cordatiores & sensu perspicaciores Deum esse incorporeum & ab omni prorsus formarum qualitate seiunctum asseuerarunt, quorum sententiæ assensus est & [a] Theophilus Alexandrinorum episcopus, & edixit vt aduersus ecclesias excurrerent popularis turbæ quæ numen illud informatum humana effigie prædicabat; incorporeum verò esse decernerent. His mox auditis monachi [b] Ægyptij relictis monasteriis Alexandriam vsque perueniunt, & *a* motoria seditione cooriuntur aduersus Theophilum quasi impiè & * inclementer agentem. Id quum resciuisset Theophilus, ad hunc obeundum agonem se procingit & gnauiter apparat, artifex vaframentum apud se comminiscitur, quo se eximat intentatæ motti. In eorum igitur prospectum vt venit, blandiore illecebra sermonis viros in suam traduxit sententiam ita loquutus: Sic [c] vos vidi, vti est Dei vultus. Hoc verborum lenocinio à *b* præconcepta animorum impressione monachos illos sedauit & *c* remolliuit. Quin & illum vera dicere respondêrũt. Siquidem Dei facies nostræ est assimilis. *d* Superest, vt Origenis libros Anathemate ferias. Eorum enim lectione disertè quidem loquentium nonnulli reclamantia ex diametro nostræ sententiæ opinantur. Id ni feceris, continget vt à nobis expectes quæ impie agentes & Deo ipsi repugnantes toleratunt. Ad hæc *e* Theophilus: Sed enim ipse exequar, quicquid vos ipsi faciendum censueritis. Ne quæso, aduersum me ad hunc modum ira excandescatis. Infense siquidem odi Origenis libros & hos improbo, simul & eos qui legendos amplectuntur. Sanè quidem eos monachos hisce verbis amolitus à se depulit & ablegauit. † Hac de re si forsan quæstio eo vsque abiisset, vtique non contigisset altera & perplexa magis molestia huic quidem assimilis. Viri enim qui in Ægypto præsidebant monasteriis *f* pius ille Dioscorus, Ammonius item, Eusebius & Euthymius qui quidem fratres erant à corporis proceritate sortiti nomenclaturam Longi. Sed enim [d] istorum fama mire increbuerat Alexandriæ, quod & sermone & vitæ ornamentis inclaruissent. Theophilus Alexandriæ episcopus sanè quàm diligebat & honorem deferebat monachis. † Eorum quidem vnum, nempe Dioscorum ab eremo auulsum constituit *g* vnius ciuitatis episcopum. *h* Alios duos adhortatus est, secum vt morarentur, vixque tandem persuasit, veruntamen vt episcopus ad id eos adegit & Clericorum dignitate cohonestatos communionem ecclesiæ illis concredidit. Illi quidem necessitate adacti manebant rite sibi commissæ communioni incumbentes. Angebantur *i* animo alioqui vehementer, quod non pro sua voluntate sinerentur philosophari præut assueuerant acquiescere monasticæ meditationi. Progressu autem temporis quum intelligerẽt animas suas plurimum noxæ ac detrimenti contrahere, cernentes episcopum vitam exercentem pecuniis vndelibet corradendis addictam, ac plurimum studij impendentem congerendæ possessioni facultatum, vtque in prouerbio est, ob hoc vnum, nullum non mouentem lapidem, communem cum ipso ac diuturniorem moram deprecati sunt, ingenue professi * se nihil anteponere amore solitudinis, nec quicquam antiquius ducere conuersatione singularis vitæ. At ille eousque non plane nouerat eam manendi *l* causificationem esse veram, quare vt secum perseuerarent, eos deprecabatur. Simul autem [e] atque certò agnouit quid inter sese decreuissent, plenus indignatione exarsit, seque nihil non malorum executurum interminatus est aduersus eos. Porrò istius comminationis leuis admodum timor vrgebat eos qui iam secesserant in solitudinem. Sic ira accensus Theophilus *m* videri poterat non mediocrem tumultum aduersus eos excitaturus. Omnibus enim machinis adnitebatur viros illos prædonum in morem *n* adoriri, & actione calumniosa obruere. Quin etiam in odium fratris ipsorum Dioscori *o* Eremupoleos episcopi exarsit continuò. Animo enim eius haud mediocrem intulerat mœrorem, quòd ei adhæsissent monasticæ exercitationis viri, eisque multum deferrent reuerentiæ. Plane nouerat nihil se allaturum *p* detrimenti vllo modo viris monasticæ disciplinæ addictis nisi oppugnando vim inferret. *q* Hac igitur artifici vtitur ludificatione & quidem appositè ad suum institutum persuasit, vt subinde secum moram traherent viri qui texerent sermones de Deo, quia Deus esset incorporeus, nec vllo modo *r* humana descriptione informatus. Necesse alioqui sequeretur, Si humana effigie informatus est, ergo & humanis subiacet affectibus. Hoc dogma ab vetustioribus perspicuè declaratum est, maximè omnium ab Origine. Ad eum modum se gerebat Theophilus, & sic erat animatus. Quæ [f] enim dabantur responsa, per eam versipellem solertiam nihil cunctatus inuertebat ad expetendam de inimicis vltionem. Hoc insuper artificio *s* plurimos monachorum alioqui integros vita, sermone autem imperitos, literis verò ineruditos. *t* Et tales amandabat ad eos qui erẽmi monasteria incolebant, vt & docerent non oportere morem gerere Dioscoro, non item ipsius fratribus, qui astruebant Deum esse incorporeum: Deus enim (ait) iuxta diuinæ scripturæ sententiam, & oculos habet, & aures & manus & pedes, sicut cæteri hominum. Dioscori verò discipuli [g] Origenis sententiam sequuti, blasphemum dogma introducũt, vtique asserentes Deum neque oculos habere, non item aures, non manus, non denique pedes. Hac vaferrima cauillatione plurimos monachorum in errorem & fraudem abripuit, interque illos intestina exoritur & peracris factio. Porrò quidem perspicaciore & aperto intellectu præditi non se *u* siuerunt hac illice impostura abduci in fraudem, quin potius Dioscori discipuli Origeniano † dogmati assensi sunt. Plures autem, vtpote simpliciores & flagrantiore zelo animati nulla mora prosiliebant aduersus fratres. Inter hos [h] igitur sectio oborta est, seque inuicem insectabantur, & mutuis obtrectationibus concerpebant, quasi ad impietatem prolapsos. Qui verò aures accommodabant Theophilo, illos Origenistas & impios nominatim traducebant fratres. Alij ex diuerso partem oppositam, eos nimirum qui Theophili malesuadæ opinioni acquiescebant, dicebant ἀνθρωμορφιανούς, hoc est, qui Deum circunscriberent humana forma. Ex hoc vno fonte non mediocris momenti conflictationes verborũ & controuersiæ deriuatæ sunt, & hinc inter monachos * ἀστὴν bellum inceſſit inconciliabile. Theophilus autem [i] vt intellexit primum suam intentionem eousque promouisse, literas transmittit ad sibi conuicinos episcopos, quibus iubet per eos quosdam è primoribus exigi è monte & interiore eremo eos qui præerant monachis, idque indicta causa. Horum quidam vnà cum presbyteris profecti Alexandriam δ- πάλι- μῶ. xinuitabant Theophilũ, causam vt exprimeret, cuius gratia *y* ipsos eo adduxisset, vt sua eliminarentur solitudine: *z* Sed enim ille oculis sanguine interspersis in illos pressius defixis torue *a* respectabat, nonnunquam quidem liuescens, aliquando autem pallidus, interdum verò amarulento risu subsannans per *b* immoderatam & peracrem iram. Collo Ammonij [k] viri vtique sibi coætanei inuoluit medium pallij siue extimæ vestis suismet manibus, inque eius maxillas incussis plagis & contractis digitis subagitabat manus Ammonij, obstreperam hanc edens vocem: Hæretice ferito Origenem anathemate. Et hoc quidem propter fratres, illud autem odio Isidori qui in Nitria erat hospitum & peregrinorum exceptor. Ad hunc igitur modum sanguinolenti nec vllo responso digni habiti, in suas quisque mansiones reuersi, sibi propositæ exercitationi monasticæ acquiescebant fixius, disciplina scripturarũ suum exacuentes ingeniu m (quarum

† Erat ea hæresis Anthropomorphitarum. *a* Anthropomorphitas insectatur Theophil.
[b] Monachorum Ægypti commotio in Theophilum.
a *mota.*
* ἀνελεῖν, *malim.* ἀνελεῖν *interimere.*
[c] Not. hic. Origenistarum stropham, qua cunantur maculam ignominiæ Theophilo Origenistas persequente inurere. Familiare autem iis fuisse Anthropomorphitarum hæresis notam Catholicis inflige re, notat Bar. ad ann. 400.
b *concepta.*
c *mollituit.*
d *Origenis iam libros, absque supereſt vt.*
e *Theophil. Exequar.*
† an Deus hominum forma constet
f *pij illi.*
[d] Longi fratres monachi.
† Nota hic quæ auctores memorati de horum euectione ad dignitates Ecclesiæ scribunt, id eos ideo fecisse vt causam Theophili magis inuisam redderent.
g *Hermopoleos episcopum: sic habet & Metaph.*
h *Alios adhortatus.* i *vero animæ vehementer.* * se amaro solitudinem, & vrbanæ vitæ eam anteponere. At, ille non plane. l *causam.* [e] Vide nouum commentum. Origenistæ enim, ne cogerentur fateri Longos hosce monachos, à Theophilo ob hæresim Origenis insectatos, tales enim fuisse memorat Bar. ad ann. 400: ex S. Hieron. & aliis. hoc commentum excogitauere. m *videbatur* n *adoriri. Quinetiam.* o *Hermopoleos.* p *detrimenti viris monast.* q *Hoc igitur artificio vtitur.* r *humana forma.* [f] Nota hic versutiam Origenistarum in commentis. *s plurimos abripuit monachorum.* t *desit in exemplari verbũ, forsan, seduxit.* [g] Vide vt Anthropomorphitarum hæresis calumniam Theophilo denuo impingant, & quam futiles afferant prætextus pro Origenistis, cum & Ecclesia Catholica idem sentiat, scilicet Deum vti Deus est, incorporeum: omissis interim multiuariis Origenis erroribus. u *sinebant hac impostura* † quod docet Deum esse in corpore Deum. [h] Monachorum in eremo controuersia. [i] Theophilus nonnullos iubet exigi eremo. x *rogabant.* y *ipsos sua eliminet.* z *Ille vero oculis.* a *toruum.* b *immoderatam iram.* [k] Vide quæ superius diximus in notis marginalibus ad hunc locum. in vita Chrysost. per Metaphrastem.

a *non conquiescens.* (quarum meditatione fit haud parua acceſſio ſalutis) de epiſcopi veſania minus ſoliciti, modo ne ſibi mali vllius conſcij eſſent. Aduerſum hos *a* non vſquequaque conquieſcens Theophilus, rurſus deſtinat è vicinis locis epiſcopos, & aduerſus monachos adornat & cogit concilium; illis quidem minimè accerſitis, vt pro ſe reſponderent & expurgarẽt, nec vlla ratione reddita, eximiæ ſanctitatis viros exhæredes facit & abdicat, Ammonium, Euſebium & Euthymium, veritus inferre vindicem pœnam *b* confertim aduerſus tantam multitudinem, diſſimulata interim corruptela dogmatum. Et quos plerunque ſupra epiſcopos ipſos honore cumulatiore proſequutus fuerat, & doctorum vice reuerebatur ob verbum Dei per hoc tempus & propter ſplendorem vitæ, hos nihil veritus eſt nominatim perſtringere vt *magos, præſtigiatores & maleficos, idque contigit quod infenſiſſime Iſidorum odiſſet, quem è ſolitudine *c* montis abdicarat. His expletis, adſciuit ſibi demulcendo & blandiloquentia perungendo homunculos quinque, qui ne vnquam quidem in conuentu Eremi verſati fuerant, *d* vtque cuncter dicere, *e* prorſus erant indigni qui vtriſque foribus aut *f* veſtibulo aſſiderent. Et ex his epiſcopum creat ordine præficiens eum viculo cuipiam, quòd nulla ſuppeteret ciuitas. Alterum autem deſignat presbyterum. Tres verò reliquos diuerſis aſſignat officiis, vt qui nequaquam Ægyptij eſſent, ſed prodiiſſent è diſparatis locis. Ille ſiquidẽ Libycus ſiue Pœnus erat, alter Alexandrinus, tertius g Pharanites, alius verò *h* Paralleotes. Hi quòd præter omnem ſuam ſpem inſignia patriæ ſibi obtigiſſent pignora, in omnibus morem gerebant Theophilo. Tum ipſos ſubornat vt ſibi libellos traderent aduerſus illos tres. Ipſe autem quos darent ſermones clàm pertexuit calumniis refertos. Hoc ſolum animo conceperat, vt his quæ inferrentur libellis calumnioſis, ipſi ſubſcriberent. Hoc expleto, acceptos ab eis in eccleſia libellos ingreſſus ad Auguſtalium interpellat aduerſus eos, ex propria perſona implorationem ipſam complexus, calumnioſos libellos deponit, oratque ſibi ſuppeditari militare ſubſidium ad exigendos viros illos ex vniuerſa Ægypto. Acceptis autem [a] militibus ad numerum quingentis vnà cum edicto in globum cogit multitudinem diſpalantium, ac proinde ad conciendas perturbationes leui ex cauſa propendentium, hiſque obarmatus inſilit & graſſatur in monaſteria, quum tota nocte genialiter ſecum inebriaſſet ſeruos ſuos, & vacaſſet comeſſationibus. Et primum quidem horum fratrum ipſum Dioſcorum epiſcopum per ſuos domeſticos iubet è ſede deturbari per Æthiopas, & eos qui ne *i* forſan regenerati eſſent fonte baptiſmatis, *l* recepta in ſe eius eccleſia ſiue parœcia, quæ ab aduentu Chriſti nomenclaturam obtinebat Dioſcoropoleos. Hoc facto, prædonis ritu ſpoliat montem, mercedem vtique paraturus ac diſpertiens audaculis iſtis adoleſcentibus, res admodum exigui momenti, nempe ſolitariorum cellas omnes deprædatus. Tres illos magno ſtudio perquirebat: quos alij in puteum demiſerant, pſiatho, hoc eſt, ſtorea aut tegete obturato ore putei. His nuſquam inuentis, eorum cellæ aridis ſarmentis iiſdem admotis deflagrarunt incendio. Quin & libellos omnes quorum lectioni intimo affectu ac ſtudio acquieſcebant, *m* vulcano tradiderunt. Puerulum inſuper (vti narrant oculati teſtes) & ſymbola ſacramentorum *n*. His igitur geſtis, placatus ab ira quæ cum ratione omni pugnabat, denuo ſe recepit Alexandriam, locum cedens ſanctis illis, vt aliò profugerent. Eorum alioqui quidam ingreſſi Alexandriam cum ſuis melotis, nudi tamen ſola accincti zona & linteo obambulabant ciuitatem & plateas, effuſi in lamenta ac fletum. Ciues quidam hiſce cognitis geſtis, [b] ad vnum conglobati ſunt omnes lampadas tenẽtes manibus, & ad epiſcopalem domum abeuntes (in qua habitabat Theophilus) cœperunt eam incendere, direptis omnibus quæ in ea erant, bonis. Erant & continuò depredaturi precioſiſſimos quoſque theſauros, ni Princeps veritus impendens periculum, feſtinò accurſu eò deſcendiſſet, ab iis poſtulans vt *o* pro ſe ipſis reſponderet. Nec illi per hæc ſibi temperabant, vociferantes, & *p* nimiſquam obſtreperam tragœdiam concientes, idque continentiſſime aduerſus Theophilum. Princeps verò anxietate peracri cir-cumfeſſus non iniquum cenſuit, vt Theophilum traderet manibus populi, & hoc pacto ſuæ ſaluti fuga conſuleret. In arcano quopiam receſſu ædium epiſcopi ne à quoquam videretur, ſe occuluit, ſeque eo deiecit: Princeps autem arreptos monachos, veſtimentis quidem eos amiciuit, & amictos abduxit in prætorium, ipſos adhortans, vt egreſſi ad populum obortum ſedarent tumultum. Egreſſi illi videbantur quidem certa perſuaſione ad id exhortaturi populum, at contrà tantò amplius acclamabant, veſtimenta in aera iactantes. Princeps verò è prætorio exiliens inter ipſos *q* prolapſus manibus indixit, vt præſtito ſilentio adhortans eos exciperent pro ſe excuſationem, ſeque purgaret. Quumque illi parumper conticuiſſent, iureiurando ſe eis obnoxium reddidit & obſtrinxit, dicens. Nullo meo fructu hac victoria bonorum quæ ad me attineant, perfunctus ſum aut potitus. Haud quaquam [c] Theophilus eſt bona cum fiducia ausus mihi concredere ſuum conſilium, ſed prætextu quorundam hæreticorum, qui peruertebant ſynceritatẽ fidei quos, cuperet in ordinem redigere ad orthodoxiam, me ſecum aſſumpſit vt illi ſuppeditarem militare ſubſidium. Quod ſi didiciſſem illum id voluiſſe exequi, non milites exhibuiſſem, at ne ſiuiſſem ex vrbe quidem egredi. Hiſce verbis certius perſuaſi omnes ad ſolitudinem ſuam ſe receperunt. Theophilus autem placando Principi nauata per ſe diligenti opera, & ipſius manibus non paucis muneribus impletis, cumque vnà cum ipſo eos demulſiſſet obſequiis & eos qui primas tenebant, deliniuiſſet opulenta largitione, timore omni à ſe excuſſo ad propriam ſedem ſe poſtliminio recepit. Atqui etiam tum acriore odio eum ſunt proſequuti, qui & liberali largitione corrupti fuerant, & bona pars ciuitatis infenſe ipſum oderat. Diſcipuli inſuper Dioſcori Syluanum adiere Hieroſolymitanum epiſcopum, quibus cum vnà cum presbyteris & diaconibus *r* montis exierunt monachi vitæ laudabilis trecenti, alij item è diuerſis ſparſim contracti locis. Horum actionem peculiariter ſibi conſentaneam non ſferens confragoſus ille & obliquus ſerpens conciuit rurſus Theophilum [d] aduerſum eos: qui præferuida indignatione *t* deflagrans literas ſcribit ad Syluanum & reliquos, hunc in modum continentes: Non conueniebat quidem præter ſententiam ac voluntatem meam hos excipere in ciuitatibns veſtris. Quòd ſi ignorantia à parte veſtra peccatum eſt, condono vobis. Deincepsigitur peruigili cura prouidete, ne ad eccleſiaſticum vllum ordinem, non item ad priuatam adminiſtrationem hos ſuſcipiatis. Et hæc per Ægyptum facta ſunt. Beatus proinde Ioannes Conſtantinopolitanus epiſcopus quum hæc geſta, ſunt, eorum inſcius erat, *u* quippe qui multiiuga eruditione efflore ſcebat, & hoc nomine habebatur celebertimus. Monachi [e] autẽ illi immodica adacti neceſſitate è locis ad loca alia tranſibant, & vltro citroque *x* præteruehebantur. Eoſque peruenient vbi comitatus & aula imperialis, Ioannes quoque pro throno epiſcopali reſidebat, idque Dei gratia ac per principum prouidentiam, & ipſius genibus aduoluti ſupplices precabantur, vt animabus multiplici calumnia oppreſſis ſuppetias ferret, & ab eis potiſſimum *y* his ſumus affecti incommodis, tantam rerum omnium iacturam reportaiimus, à quibus, ſi officio pro more perfungi voluiſſent, debueramus ſtudium ac fauorem beneuolentiæ ſentire. Ad hæc reſtitit Ioannes, vidítque viros quinquaginta, ſtola vtcumque indutos ſanctis laboribus intincta. Cum iſtis aderat & Iſidorus prius quidem aliquanto ipſi Theophilo chariſſimus, nunc *z* demum infenſiſſime inuiſus. Atqui Ioannes peracri affectu fraternæ charitatis extimulatus, exemplo Ioſeph lachrymas continere non potuit. Ab ipſis igitur ſciſcitatur cauſam. Reſpondent illi: Tua *a* conſidens pater, nobis non fortuito vulnerati ſper inſaniam Theophili patræ Alexandrini, vtique potes noſtris vulneribus tumidis obducere cicatricem. Quod ſi etiam ipſe exemplo reliquorũ epiſcoporum in fraudem nos pertraxeris, ſiue veritus, ſeu timore Theophili correptus, nihil iam nobis reliqui fiet. niſi vt ad

Longos fratres eliciuntur. *o placarentur.* *p tumultũ concitãtes.* *q elapſus.* *r* Vide legitimam monachorum perſecutionem à Theophilo factam, nõ prætextu, vt Origeniſtæ hiſtorię huius inuẽtores vertatem obuoluere, ſed ſincere, & zelo religionis ſcilicet quorũ errores à Concilio Alexandrino & Decreto Anaſtaſii Pontificis iam dãnati eſſent vide Bar. ad an. 400. *ſ ferens ille obliquus.*

a Theophilus Origenis ſtas monachos Ægypto pellit vide Bar. ad an. 400. *b* Alexandrini Longos fratres vlciſcuntur. *c* Nitriæ. *d* *nec verebor.* *e* *prorſus indignos foribus.* *f* Eremi. *g* *Pharaonites.* *h* *Paralleoteotes.* *i* *ne regenerati quidẽ eſſent.* *l* *recepta in eccleſia.* *m* *incendio exuſſerũt puerulum.* *n* *Deſit in exemplari verbum forſan, incenderunt.*

[a] Theophilus Syluanum Hieroſolym. Epiſc. arguit de receptis Origeniſtis à ſe profligatis. [b] Ægyptii ad opem Ioannis Chryſoſtomi confugiunt, & ab ipſo audiuntur. [c] Monachi *ſuo ſtatuit Ioan.* [d] *demum inuiſus.* [e] *pater adiuuans.*

t flagrantes. *u quippe multa eruditione.* *x vehebantur.* *y laſis, à quibus beneuolentiam potius ſentire oporteret. Ad hæc*

vt ad Imperatorem profecti *a* ob oculos ei exponamus omnem prorsus improbãdam malignitatem Theophili, idque in contumeliam ecclesiasticæ traditionis. Quod si assensus fuerit, persuadeto, vt nos sinat in Ægypto commorari, quãdoquidem nihil delicti admisimus aduersus saluatoris nostri legem, at ne ipsum quidem Theophilum vlla in re offendimus. Hæc vt didicit primum Ioannes, viris illis deferebat honorẽ, nec prohibuit quo minus participes fierent publicarũ orationum: non item dixit se eos admittere ad communionẽ & collationem sacramentorũ, priusquam eiusmodi causam plenius internosset, quod spe bona confideret memoriam iniuriarum facile immutatum iri apud ipsum Theophilum. Itaque viros ipsos hortatur & obsecrat vt Dei amore accensi, inter omnia in silentio & quiete degentes supprimant causam sui aduentus, Tantisper (ait) dum mittam ad fratrem Theophilum, eisque mansiones attribuit in sacra æde quæ ecclesia Anastasij dicitur, vt se recrearent & refocillarent: Ipse quidem ad subleuandam eorum necessitatem non administrabat sumptus, mulieres autem Dei amore flagrantes victum eis abunde suppeditabant, etiamsi in his nonnulli aliqua ex parte, diligenti opera ac labore manuum suarũ nonnihil ad supplendum quod deerat, in medium conferrent. Et quidem illo tum tempore contigit quosdam ex † Clericis Theophili esse inuentos Constantinopoli per forum spatiantes, qui se dicerent versatos in Ægyptiaca *b* diœcesi, & erga Theophilum mutuam sibi vendicabant beneuolentiam. Hos igitur ad se accitos Ioannes percunctatus est, nouissent ne qui aderant, monachos. Illi studio tuendæ veritatis *c* adacti, testimonium reddiderunt viris illis, dicentes beato Ioanni: Etiã scimus eos, & quia plurimum toleratunt violentæ impressionis, sed & si vis, prouideto *d* ne ipsis impartiare spiritualem communionem, vt ne mœrorem ingeras ipsi Papæ: alioqui in cæteris comiter & perhumane eos excipito. Te etenim *e* addecet, qui sis episcopus, id quod faciẽdum curauit. Tunc [a] Ioannes scribit Theophilo hisce verbis supplicans illi: Hanc mihi vt filio ac fratri præbeto gratiam, & hosce viros complectitor sanctæ charitatis sinu. Hisce Ioannis verbis nihil præstitit *f* gratiæ, ac ne attẽdit quidem, sed ex diuerso destinat quosdam per Dialecticen ad ignauiam distractos de quibus superius paulo ante dictum est. Is etiamnum componit & adornat deprecationes, ipsis eas traditurus, quas suo more nuncupat συνεχίσας, complectentes siue concludentes, & id quidem opus (vti omnibus est in confesso mendaciter) quandoquidem circumamictum erat & indutum laceris ac multiplicibus scissuris calumniarum quas continebat de rebus incertis nec vspiam visis. Hic cum nihil ad manum haberet quo sugillare posset ac traducere vitam illorum, operam omnem suam in id confert, vt in palatio exporrectis in illos digitis ostendantur esse magi & præstigiatores. Porrò monachi *g* quum vidissent nihil eorum, quæ ad se spectarent, recte confici *h* aut in melius proficì, multos ei *i* opponunt * axiotas, & verbum omne mendax feriunt anathemate.

a *eidem exponamus.*

Orationib. publicis eos facit participes non communionis. Id consuetudinis in Ecclesia fuisse vt aduenæ hoc modo reciperentur, vsque dum se Catholicos fide certa docuissent memorat Bar. ad an. 400. Mansiones eisdem attribuit, nullatenus eorum condescendens errori, sed verbis eorum compositis

deceptus, pacem conciliare molìebatur, priuato odio, rem actam existimans. † Clericos hos, viros sanctissimos à Theophilo Constantinop. Origenistarum conatus anteuerterent ex Theophili Epist. ad Epiphan. docet Bar b *præfectura & iurisdictione.* c *adducti.* d *Desit negatio μὴ, ne, in exemplari* e *decet.* a Chrysostomus Theophilo pro reconciliatione eorundem scribit. f *Gratia Theophilus.* g *quum nihil.* h *existimarent.* i *opponunt & verbum.* * ἀξιῶται Phauorino sunt. ἔθνος ἰουδαϊκὸν.

missos, qui

XLI. TRADI denique iubent libellos legendos Ioanni qui ostenderent quæ attinerent ad meram tyrannidis speciem vna cum quibusdam capitulis, continentes quæ indecorum sit nec fas dicere *l* vel de insolentibus adolescentulis, vt nec à fide auocentur, tantum abest vt apud perfectiores vllam impetrent fidem. Rursus per seipsum Ioannes, perque alios episcopos hortatur & obsecrat imponi finem motoriæ isti aduersum se criminationi, vt mutuam diuexationem & molestiam causæ ab inuicem depellerent ac vitarent Quumque literis significasset Theophilo viros illos ad tantam animorum ægritudinem ac mœrorem esse deuolutos, vt vel scripto te coarguant & accusent, quare deinceps prouideto vt ad eorum respondeas obiectiones. Non enim patiuntur me auocari ab aula & comitatu Principis. Ob eiusmodi scripta Theophilus furore *m* redaccensus, se totum *n* abarcuit, totusque desciuit à congressu fratrum & monachorum suæ ecclesiæ, fugitans & Dioscorum episcopum qui in ecclesia consenuerat. Rursus Ioanni [b] Episcopo scribit: Equidẽ arbitror te non nescire inter Canones Synodi Nicenæ hoc interseri edictum, quo loci præcipitur obseruari debere, vt ne episcopus sententiam ferat aut decernat vlla de causa alterius extra fines præstitutos suæ diœceseos. *o* Quod id interdictum te hactenus latuerit, mox vbi didiceris, tibi posthac temperato à conscribendis aduersum me libellis. Quod si quam ob causam *p* venio iudicandus, ab Ægyptiis, non item abs te qui à me *q* disparatus es itinere dierum septuaginta. Ioannes igitur acceptam epistolam quum legisset, eam penes se asseruauit. Monachis autem *r* partis vtriusque ea edisserit quæ profutura nouerat ad complexum mutuæ pacis.

l *vel insolentibus adolescentulis, à me fide auocentur.*

m *iterum accensus,* n *duxit à congressu.*

[b] Theophili Epistola ad Chrys. Nicæn. cõcil. c. 6.

o *Quod fignoras, discens posthac temperato.* p *sum.* q *disiunctus.* r *in alterum partem ea edis.*

XLII. IOANNIS igitur sermonibus auditis pars vtraque exasperata est, illa quidem quod tyrannide fuisset oppressa, altera quod nulla iam suppeteret facultas ineundæ pacis absque Theophilo. Hanc ob rem iussit vt preces *s* effunderent aduersum illius calumnias. Hoc [c] illis reddito responso, & amandatis illis, hisce curis exemptis mentem *t* asseruit libertati. Posthac monachi illi quum *u* secessissent ex parte iniuriis læsa & male affecta, scripturæ mandarunt precationes multis versibus comprehensas & in ordinem redegerunt. Et hæc quidem à monachis illis quasi calumniatoribus gesta sunt aduersum *x* Theophilũ, & tanta quanta quisq; nouit. Iidem familiari cõgressu colloquuti sunt Augustis, accedũt præterea ad ædem sancto Ioanni martyri sacram, Imperatricem supplices apprecaturi. Et quidem monachorum partis oppositæ ab Aulæ præfectis detecta est supplicatio, simul & denunciatum oportere adesse Theophilum, nec velle subire sententiã aut iudicari ab Ioanne. Peracta est supplicatio. Ea continebat sententiã, qua per magistrum aulæ imperialis iubebatur Theophilus præsens (vellet, nollet) subire sentẽtiam Ioannis, & ipso iudice luere pœnas. Super hæc monachis à parte Theophili stantibus edictum est, vt obticescerent ac silentio premerent crimina super quibus accusabatur à sanctis viris senibus, aut quæ producta essent exorta à calumniatoribus, atque ita sane Elaphius amandatus est Alexandriam. Is aliquando tandem eo peruenit ad *y* Augustalium ciuitatis cum Imperialibus literis, vt secum adduceret Theophilum, quæ & hanc continebant verborum formulam: Nihil horum [d] te clam fuit, nimirum quia Archiepiscopi hunc antegressi sua tyrannide & profligata temeritate sibi concreditam gentem ad extremam prope perniciem & cladem pertraxerunt, eamque in vniuersum terrarum orbem dispersetunt.

s *ffunderent.*

[c] Supplicatio ab vtrisque, & aduersariis & fautoribus Theophili, Arcadio traditur, vide Palladium.

t *liberauit.*

u *fecessissent iniuriis læsi & male affecti.*

x *Theophilum. Iidem famil.* y *Augustorum ciuitatem.*

[d] Arcadii Epistola ad Augustalium Alexandrinum, vt iudicio sistat Theophilum.

XLIII. QVIN & nunc ipsi cernimus nuper simile quiddam contigisse, & cum prioribus commune. Quod si ad hæc quæ quotidianum incrementum sumunt, mala, ipsi conticuerimus: aut pessum ibit imperium: aut certe subiectis imperio quiduis deterius continget. Et hæc eo scripsimus coarguere volentes *z* tuam hãc incommodam & ineptam inidoneitatem, quod quum illic repræsentes personam nostram, potestatem & principatum obtinens, nulla alioquin in re imitere mores nostros, sed attentius inhians donis, quicquid præcepimus habueris contemptui, nostrique nominis claritatem & gloriam pro nihilo duxeris: Quare non iniuria *a* aduersum te succensemus, quippe qui nostram aspernatus sis serenitatem. Simul igitur atque legeris & quàm primum mora nulla prorogata ad nos mitto Theophilum episcopum, vt re ipsa præiudicatum. Vide, nihil ei deferas honoris aut reuerentiæ * conuenien-

z *tevt ineptum, inidoneum huic muneri.*

a *tibi.*

* dignita is gratia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *tibi de vita metuendum est.*
b *Augustalis.*
c *commina tione.*
d *Græcis non Christianis.*
a Theophilus largitionibus corrumpit Augustalium & Elaphiũ.
Theophili legati detrusi in carcerem male perierũt.
e *Theodote soror Theodori præfecti.*

tis, non nescius quia nisi id modis omnibus expleueris, non mediocriter *a* tibi metuendum est. Huc accedet, quia exauthoratus simul & priuatus balteo, abdicandus es dignitate. Qui eum incusant, in his sunt episcopi quidam & clerici vna cum Theodote sorore Theodori supprætoris, quem etiamnum destinato ad nos. *b* Augustalius igitur susceptis imperialibus literis, & ad se accersito Theophilo indignatione & peracri ira succensus. cum ingenti *c* interminatione obiecit ei quasi in thesauris suis condidisset & corrasisset *d* ex gentilibus ingentem pecuniarum vim, quarum fretus fiducia res tantas aggredi sit ausus in clericos & monachos, alioqui à se ordinatos. His à se dictis sermonibus, & qui nihilo essent istis dissimiles, iussionem ab Imperatore sibi præscriptam perspicue ostendit, ei dicens: Quam ocissime nobis est enauigandum, & ad castra siue aulam principis abeundum.

PORRO rursum *a* Theophilus per Georgium sororis filium cùm marsupia amborum complesset prolixa ac libe- XLIV
rali largitione pecuniarum, Principis, præterea & Elaphij qui eo venerat vt abduceret eum, vt æquanimiter ferret is rogabat, & tantisper extraheret tempus, dum pulcherrima quædam aggregasset ex Ægypto & ex India varia esculentorum genera, vna cum aromatibus quæ secum exportaret Constantinopolin. Et hæc quidem de Theophilo: de ipsius autem monachis, qui administrabant imperium, erant executi sententiam. Causæ exitus in ambiguam desiit & ancipitem controuersiam. Et quidem legum splendor iubebat exeri gladium ac distringi, at illi infœlices timore correpti exitum causæ prorogans ne caderet ea Theophilus, quippe qui clanculum eos præmonuerat & deprecationibus adhibitis persuaserat, atque ita corruptus ordo iudicii in carcerem illos coniicit ad aduentum vsque Theophili. Sed n illa *e* non admisit sponsorem qui sua causa fide iuberet. Et quidem horum nonnulli in carcere diem suum obierunt, quum ibidem per multum detriuissent temporis quod serius aduenirent Theophilus. Iudices verò post Theophili aduentum, cum rem totam pecuniarum corruptelis firmissime corroborassent, reliquos tanquam calumniatores postrema facta inquisitione multarunt exilio, vt habitaturi adirent insulam Proconnesum. Proinde Arcadius Imperator literas scribit Innocentio Papæ sub hac verborum complexione.

Arcadii Literæ ad Innocentium Papam.
f *Triũphator Arcad.*
g *saluere. Monach.*
h *causas agere.*

VICTOR, *f* penes quem sunt trophea Arcadius Innocentio Papæ Romano *g* ac mansueto admodũ patri valẽtem XLV.
esse. Monachorum quidam ex Ægypto accesserunt ad imperialem hanc ciuitatem, nosq; adierunt interpellantes aduersus Theophilum Alexandriæ episcopum, nobisq; libellos tradiderunt expostulatorios, & quibus ei crimina obijciunt. Itaq; ipsi præcepimus, vti ad nos huc transmitteretur vna cum muliere quapiam dicta Theodote, quæ quidem iuxta aliorum relationem, totius causæ istius radicem probe nouit. Præterea aduersus eundem episcopi & clerici vidẽtur *h* causificari velle, quum debeant omnes secundum Deum ab episcopis iudicari. Talis n. synodus collecta omnem malignam & factiosam suspicionem à se propulsat & excludit citra vllius personæ commiserationem & corruptam affectionem, ac bona fide pronuntiat quæ legitimo iure competunt vtrisque partibus. Tua igitur paterna sanctitas dignetur scribere ad vnamquamq; ciuitatem, vt pro more occurrant, seq; repræsentent in hac emergenti synodo, & cõgregentur in hac Imperiali ciuitate cum his quos elegeris cum administris & vicariis apostolicæ sedis, qui & apud nos sedere debebunt cum Dei amantissimis episcopis, omnesque controuersias & contentiones suo iudicio decidere iuxta ecclesiasticos Canones, ritus & sanctiones. Non n. sinemus rem tanti momenti manere indiscussam & indisquisitã, ipsi strenuam nauabimus operam, vt lucidissimis & indubiis probetur argumentis. Valere optamus honorande pater.

Alia eiusdẽ ad Honorium Imp. Occidẽtis. *iquerebantur.*

AD Honorium insuper fratrem suum scribit & hæc: Quum ipsi nos fortasse toti vacaremus moderandis imperij XLVI
negotijs, Theophilus Alexandriæ episcopus clancularijs & insidiosis dolis enixus est nos nostro fraudare imperio, simul & debito honore. Eò extimulabatur ac festinabat propter fidem suam quam præter sacros Canones est commentus, inque suo episcopatu à se confictam. Quidam n. ex Ægypti monasteriis nos adierũt, qui aduersus eum nec mediocres ob causas *i* dequerebãtur, nobisq; libellos tradiderunt expostulatorios & criminũ obiectionib. interspersos, quorũ absit vt nobis male cõscij simus, aut vel vnum eorũ caput prætercurramus impune & iniudicatũ. Tua igitur serenitas solicite procuret déq; his instruat Innocentiũ Papã. Cura mittendos Galliarũ episcopos vna cũ ipsorũ suffraganeis, vt inuenti vna cũ episcopis nostri prouinciarũ præsides citra personæ delectũ aut acceptionẽ, hoc est, bona fide pronuntiẽt sententiam. Acceptis vtriq; talib. literis, inter sese cõsultabant. Ordinatũ itaq; est quia deberent descendere Constant.

Innocentius Papa Italiæ & Galliæ Episcopos cogit ad synodum Constantinop. in causa Theophili.
i querebantur.

ALIAS item literas exceperunt ab Arcadio Imperatore, quibus palam significabat reliquos episcopos appulisse, XLVII.
vt ne illis (vt consentaneum est credere) ad nauigare cunctantibus, Romani quàm vellent diutius cogerentur tempus terere Constantinopoli. Hoc inito consilio, Innocentius Papa actutum literas mittit ad Italiæ Galliæque episcopos hoc est, ad Chromatium *l* Aquilegiæ, *m* Berenium Mediolanensium, Æmilium Beneuentanum, Cythegium & Gaudentium Galliæ episcopos, se vt accingerent ad profectionem Constantinopolitanam, nec vllatenus moram traherent. Accipiunt autem eadem de causa responsum aliud, vt ad iter expediti inuenirentur, eamque curam demandat Valentino & Bonifacio Presbyteris Romanæ ecclesiæ. Ipse itidem Arcadius Imperator non appositurus deinceps scribere ad eos de eiusmodi negotio, sed neque *n* resciuit *o* episcopum conscium fuisse initi inter se consilij. Sed enim illorum aduentum præstolabantur, etiam si non descenderunt Constantinopolim.

l Aquileiæ. m *Berenium.* n *conscius fuit quis eius scopus esset. Illorum aduentum* o *Ioannem.*

p *corsisteret, ad aures.*
q *vlturus erat sed & Ioannem sede pulsurus. Cæterũ.*
r *interim.*

CVM autem cardo istius negotij in hoc *p* consisteret statu ad aures Theophili sermo profectus est, sed plane mé- XL-
dax, quasi Ioannes ad communionem sacramentorum admisisset monachos, seque comparasset ad subsidia eis ex- VIII.
hibenda quoquo modo & quacunque ex causa, nec hos modo qui stabant à parte Dioscori & Isidori, *q* esset vlturus ac propugnaturus. Cæterum Theophilus quidem causam dissimulanter prætexebat Cleri totius, suam *r* alioqui indignationem explebat. Inerat enim illi studium *s* nimisquam amabile & apprime gratiosum, si quem deprehendisset delatorem dicere aduersus episcopos, nimirum siqui is dixisset: *t* frater quod hoc admiseris, Ioannes ob hoc te contemptim transmisit. Et quidem ipse Iohannes fuerat pro se responsurus aut se ignorasse rem *u* eiusmodi tragicam, aut certe veniam postulaturus, *x* siquidem quod ad hoc attinet, admisisset aduersus Theophilum quod ei obiiciebatur.

s nimis gratiosum. t *frater Iohannes aduenit tibi talia patranti.* u *eiusmod aut certe.* x *si hoc commisisset quod ei obijc ebatur.*

y *sæpius.*
z *Itaque in gratiam.*
a Quomodo Theophilus cum Epiphanio in gratiam redierit vt teratorie nimis refert Sozomenus lib. 8. c. 14. cum dicit Theophilum eum antea reprehendisse, quod Deum humana forma præditum censeret: sed reuoca in mentem lector, quæ superius de Origenistis diximus Anthropomorphitarum hæresin Orthodoxis impingere solitis, dum Origenis errores impugnarent a *sub Damaso & Syricio b. m. Dissidebat enim ab illis.*

ITAQVE Theophilus epistolas transmittit ad finitimarum ciuitatum episcopos, tegens quidem suæ mentis de- XLIX.
stinationem, de libris vero solius Origenis prætexens scilicet querimoniam, quorum testimoniis ante ipsum Athanasius *y* identidem vsus est ad confirmandam fidem in suis orationibus aduersum Arianos. *z* In gratiã tandẽ redit, & sancit amicitiam cum beatissimo Epiphanio, viro vtique sancto, Constantiæ Cypriorum insulæ episcopo, qui & ecclesiæ præsederat annis sex & triginta, cum is notam infamiæ tanquã hæreseos inussisset *a* Schematari, Epiphamassi & Syricio beatæ memoriæ. Diuersus enim abibat ab illis quod priusnoluisset Epiphanium animum appellere librorum Origenis lectione, sed in totum à se repellere. Itaque Theophilus quod aliis infensus esset episcopis, quæ omnibus visa erant, nec vlli non conspicua, palam negauit.

TVNC

L. TVNC autem primum sibi amicitiam Epiphanij asciuit, quasi pœnitudine ductus idem cum eo sensisset. Ipsum sic conciliatum instruit & extimulat vt synodum celebret Cypriorum epi scoporum *a* in hoc, vt libros [a]Origenis inuisos redderet sic palam traductus. Is ob præcellentem ac summam pietatem, *b* illicibus literis Theophili facilè in fraudem impulsus est. Quum autem episcoporum illius insulæ collegium consedisset, palam interdicit *c* lectione quidem eiusmodi librorum Origenis, *d* idque, vt ratum fieret, iubet cõscribi & *e* transmitti quoquouersum literas. Theophilus igitur quum sibi conciliasset ceu prædam Epiphanium pietate præsignem ac famigeratum, ac proinde nosset se non infeliciter scopum attigisse destinatæ voluntatis, & hac fretus confidentia numerosam episcoporum multitudinem collegit etiamnum ex vicinis ipsi Epiphanio, aduersus libros Origenis, vt ei adornaret calumniã qui ante annos prope ducentos suum diem obierat. Sed enim non hunc sibi præstituerat velut primarium scopum, quin potius hoc commento viam affectabat ad expetendam vltionem de Dioscori discipulis.

a *sub Damaso & Syrico b.m. Dißidebat enim ab illis.*

a Epiphanius conuocata synodo in Ephesuadens:

so libros Origenis damnat. b *illectus.* c *lectione eiusmodi.* d *ideoque fieret.* e *transmitti litteras ad Ioannem ab Origenis lectione vt abstineret indiceretque & ipse Synodum, ferretque Decretum in eam rem. Theoph. igitur.*

LI. *f* ATQVI Ioannes non magnopere solicitabatur pro his quæ sibi nuntiarentur de Epiphanio & ipso Theophilo, vt qui mentem accommodaret docendis ecclesiis. Efflorescebant quidem Ecclesiæ per eius assiduam eruditionem, excitata autem aduersus eum calumniosa molitione, nihil alioqui consulebat quod iniquum esset, quod à ratione esset alienum, secum nihil statuebat:

f *Ioannes vero non.*

LII. PORRO in ciuitate vir quidam senatoria dignitate præditus, Theognostus nomine. Hic Christi amantissimus præ oculis *b* impræmissæ Dei timorem conseruabat, quam ob causam ab imperatore *i* nimis quam diligebatur. Erat autem & alius quispiam etiam ipse Senatoriæ authoritatis, nomine Gaius, *l* Arianus superstitione. Hic inuidia extimulatus, apud Imperatorem est calumniatus ac falso detulit [b] Theognostum quasi ipsum vna cum Augusta atroci cõtumelia aspersisset, nimirum quod eam appellasset * λοίμην, perniciem aut exitialem pestem, & quia inexplebiliter pecunias colligebat. Iubet ergo Imperator è vestigio quidem Theognostum in exilium ablegari Thessalonicam: facultates autem suas omnes proscribi, præter suburbanum prædium extra vrbem situm, *m* quod in nutricationem vxoris & liberorum à multatione liberum fuit & immune. Quumque [c] Theognostus in exilium abiret *n* viamque capesseret, ea calamitate oppressus in morbum incidit, quo & defunctus vita est. Sed n. eius vxor cernẽs quanta afflictio & clades ex improuiso virum suum adorta esset, simul & se fraudari per *o* extorsionem sua omni substantia quæ admodum copiosa erat, inexplicabili animi ægritudine *p* contracta est & oppressa suisque secum assumptis liberis *q* sub asylũ ecclesiæ confugit, nempe ad beatum Ioannem, & ei quæ sibi contigissent, indicauit vniuersa. His autem [d] auditis episcopus qui erga omnes pio semper tangebatur affectu commiserationis, alienisque calamitatibus indolescebat, eius tædium & anxietatem animi demulcere cœpit sermone consolatotio, dicens: Mœrere *r* nolito ô mulier, neu contristeris, quin potius quæ tibi tuoque coniuge contigerunt afflictiones, eas excipito cum ingenti gratiarum actione: arbitrum quidem & patronum simul & iudicem in hac tua viduitate habes Deum, patrem vero pupillorum tuorum. Quæ enim nobis conducunt, ipse nouit omnia, & abunde nobis administrat tanquam *s* vernaculis & peculiaribus famulis. Theognostus quanquam in exilium iniuste diem suum oppetiit, ea mors nihilominus cessit illi in æternæ vitæ fruitionem, in perditionem verò & inexorabile supplicium ipsius delatoribus. Hisce *t* nec dissimilibus verbis eam quum fuisset consolatus, à se emisit domum, indulta ei facultate vt ex hospitalari domo ecclesiæ matri, liberisque eius abunde sumptus suppeditaretur in alimoniam pro decenti statu, Ioannes autem secum reputans quanam ratione, quóve pacto ab Imperatore postulare posset mulieri huic restitui in solidum & suas & viri facultates, *u* nullo id se facturum fructu animaduertit. Siquidem malignus ille hostis aliud quoddam malum *x* veluti ventilabro suæ malignitatis exuffluit aduersus infelicem illam & suspiriosam muliebrem ac liberos ipsius, aduersus insuper beatum Ioãnem. Cum enim vindemiarum tempus appetiuisset, quo quidem interueniente passim omnes egrediuntur ad *y* vindemiandam suam vineam, ipsa Imperatrix Eudoxia se vt exerceret, egressa est ad imperialia suburbia. Dum viã præterit, ingressa est subsuburbanum prædium Theognosti, suisque manibus è vite *z* racemum botryonis & vuæ præsecuit, & incisum comedit. Qui ei propius adsistebant, dixerunt: Regina, vinea hæc alieni iuris est. Cauerat autem lex imperialis edicto, vt si Imperator aut Imperatrix suburbium fuissent ingressi, idque perambulassent, & quiduis ex eius fructibus delibassent, *a* caderẽt loci proprietate, neque in eam ditionem quicquam potestatis aut iurisdictionis in posterum obtinerent, sed & hic *b* quidem addicitur palatinis, & in aulicorum cedit vsum, Dominus autem ius prædij & loci sibi vendicat, aut alterum qui fuerit Imperatoris, quem nondum ipse Imperator sit introgressus; aut certe tantundem pretij & irrogatæ multæ accipit iuxta æstimationem proprii loci & pretij ex Imperatoris ærario dependendi. Iussit [e] tãdem Augusta suburbium quod Theognosti fuerat, iuxta vtriusque loci sortem titulo tenus asseri iuri imperialum: hac quidem via cupiẽs diuexare viduam illam vnà cum eius liberis, vt vel sic *c* præconceptam iracundiam aduersus mulierem exatiaret, & adoriendi Ioannem commodior occasio sibi suppetereret. Prætextum enim occasionis alicuius captabat, qua oblata incommodare posset Ioanni, eique adferre noxam, vt ipsum tempestiuius ablegaret *d* ab ecclesia aut à fide. Hic enim mos illi perpetuus misereſcendi his qui eiusmodi calamitatibus opprimebantur, si quando inaudiisset tale ali quid contigisse. *e* Haud dum limis oculis *f* contuita fuisset viduam cum pupillis liberis tam atroci iniuria *g* affectis, nec omnino *b* permissura fuisset quempiam commodare illi operam, id quod contigit. Hæc autem cum beatus Ioannes intellexisset per Eutychum Archidiaconum suum, virum vtique probitate vitæ ac morum ornamentis perpolitum, hæc ei renuntiari iubet: Qua fide, qua charitate erga Christum flagrarint parentes nostri, quam itẽ obseruarint viuendi disciplinam, nulli non perspicuum esse puto Ipsorum enim precibus persuasus est, & sæpenumero in illorum probitate acquiescens se siuit exorari & esse placabilem.

Δίανοια *g cordis.*
h assidue.
i valde.
l sectæ Arianus.
[b] Theognostus calumniam à Gaio Ariano patitur apud Imperatorem vide Leonem August. in Orat. de vita Ioann. Chrysost.
* λοίμην, *perniciem & inexplebilem pecunias colligendis.*
m quod nutriendæ vxori & liberos à multa liberum.
[c] Theognostus moritur.
n vita defunctus est. Verum eius vxor.
o vim.
p contracta est, suisque secum.
q in asylũ.
[h] Chrysost. viduam eius consolatur.
r noli.
s domesticis
a cadere.
h permissurus quem piam incommodare illis: id quod. [f] Chrysost. Eutychum Archidiaconum pro repetendo viduæ agro, ad Eudoxiam mittit.

LIII. TIBI quidem sceptra hæc imperij terrestris quibus gestandis successisti, attribuit, *h* idque non exigentibus meritis operum tuorum, non etiã vt te declaret hæredem fore regni cælestis. Diuitiæ n. gloria, & quamlibet spectabilis splẽdor mundanæ ambitionis die illo tremendi ac formidabilis iudicii nihil nobis emolumenti adferent, sed sola recte viuendi *i* disciplina quæ probitate operum conseruatur. Horum igitur vide ne tibi obrepat obliuio, aut timoris Dei, perspicue sciens quia omnium nostrum vel *l* ipse halitus in ipsius manibus consistit: Et *m* is quidem adiecit: Iã quoties vult, nos qui sumus puluis ac cinis paulò post in terrã redituri, tenebricosisq; in locis ac lumine cassis habitaturi, sicuti Imperatores omnes qui nostram præuerterunt ætatem, quid tunc quidem fuerint, quid itẽ nunc facti sint, intellige quomodo per vnamquamq; generationem illi quidem in bonis operibus versati, celebrem sui memoriã *n* retinent apud posteros: ediuerso qui ad vitæ finẽ flagitiosa sunt executi, taliũ memoria omniũ maledictioni plurimũ exposita est, nec quacunque patet execrationi, adeo vt vel nominũ eorum perquam pauci dignentur meminisse. Vestra igitur dilectio etga Christum, & in Deum pietas eos imitetur qui fidem intemeratam conseruarunt, nec vlla sui parte deformem aut læsam, quique per opera laude digna cursum bonũ velut sortitò in viuis promouerunt. Adhæc iubeto vt vinea humili &

h idque meritis operũ tuorũ, vt te idisciplina. Horum.
l spiratio.
m his,
n relinquũt posteris.
o Iubeto vt vinea.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pauperculæ vxori quodam Theognosti & eius liberis restituatur, quam habebant, in qualecunque solatium ac leuamen inopiæ ipsorum. Satis enim superque sufficere debet quæ illos oppressit afflictio & calamitas. Illum quidem apprehendit atrocissima tribulatio qui in exilio suum obiit diem: hos autem non mediocriter affligit totius substantiæ ademptio. Prorsus adhortor te & obsecro, vt missam facias quam aduersus eam concepisti animo iniuriarum memoriam. Fac memineris nostri Saluatoris, qui in Euangeliis nos adhortatur ac suadet, ne sinamus Solem occidere super iracundiam nostram. Rursus quid idem dixerit diuiti illi, fac ad mentem reuoces: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, Quæ autem parasti, cuius erunt? Non enim *a* suauis dulcor, qui ex vineæ fructu decerpitur, nobiscum in infernum descendet, non iucunda ficuum suauitas, non etiam læuor olei, siue pecuniarum & possessionum exuberans copia, non item splendor atque principatus. Nonne relictis quæ suppetunt omnibus migramus è vita præsenti, nudi vtique, ac tutore orbati?

Ephes 4. *Luc* 12.

a suauitas quæ.

His igitur ad memoriam reuocatis omnibus, permittito restitui vineam, vt die iudicij tibi bene sit. Hæc hisque LIV.
similia cum *b* apertè renuntiasset Eutycho à se ipsum emisit. Ille autem [a] ad Imperatricem profectus, annuntiauit ei vniuersa hæc: quæ cum ipsa audiisset, ad Ioannem scribit sub hac formula verborum: *c* Exasperasti qui dum stipularis condemnas me quasi iniustum quid, exlex & illegitimum admiserim: quippe qui leges imperiales, & earum definitiones nescias, sed neque mihi eum impendis honorem, qui multa cum veneratione exhiberi solet Imperatoribus, imo me pro despicabili habes, vt & cuiusuis ludibrio facile pateam. Atqui prorsus non feram eiusmodi contumeliis à te aspergi. De Theognosti quidem vinea, non vsque adeo nescius es quid de huiusmodi rebus Romanæ leges iubeant. Quod si es earum inscius, disce quid iam olim leges sanxerint. Ex ambobus igitur ei placuit vt vidua alterutrum deligeret, aut locum vbi voluisset, nihilo dissimilem vineæ ipsius, aut certè eius sub æstimatione pretium. Ego enim leges iam olim ab Imperatoribus latas ne aliqua quidem ex parte vulnerare velim: at ne vt quiuis id faciat, sustineo. Beatus igitur Ioannes lectis continuò literis ad ipsam perrexit in palatium. Vtque consedit, rursus cœpit eam alloqui verbis admonitoriis quàm prima fuerant, pluribus. Hisce confectis, [b] dicit ei: Redde isti viduæ vineam, & ne audire velis quod iniustè oppresseris eam. Illa autem respondit: Paulò antè scripsi tibi quid de hisce locis præscriptum sit ac definitum ab Imperatoribus qui ætatem nostram præuerterunt. Detuli ei optionem, vt pro loco illo vtram velit, deligat partē. Ioannes autem ad eam, Dixi tibi: idipsum repeto. Reddito viduæ quod ad illam *d* attinet. A te enim nihil quod iuris sit alieni, deposcit Cui Imperatrix: Ne ad eum modum respondendo te opponas imperantibus. Non enim ex ea intercessione vel tantillum emolumenti ad te resiliet. Is idem reuulcans respondit: Reddito vineam, & ne excusationem captes à priscis illis legibus: idque eò maxime, quod *e* qui eas oraculi vice sanxerunt, par sit credere non fuisse ablutos lauacro regenerationis. Imperatores siquidem omnes vigorem penes se obtinent legum, & nihil te prohibet euertere leges per iniustitiam statutas, & earum iniquas præscriptiones, quæ & Imperatrix es, & Imperatoris vxor. Ne quæso deinceps appellari velis noua Iezabel, neu tibi subinde *f* inducas maledictionem æquilibrem & quæ illius maledictioni ex æquo respondeat. His dictis, plena Imperatrix iracundiæ ac furore incandescens iubet vi illata Ioannem extrudi è palatio. Virus odij [c] aduersus iustū, quod eatenus in illius corde delituerat, exerere se tum cœpit, & in apertum erumpere, dum propalam dixit: Ego memet vlciscar, deque ipso expetam vltionem; nec vineam viduæ illi restituam: immo ne locum quidem reddam illius vice, aut dignam vllam pretij æstimationem. *g* Tu interim nequaquam me nequieris euincere aut adigere vt efficiam nisi quod animo insederit meo. Quin & *h* doctrice experientia disces per me, vt ne in posterum despicatui me habeas. Ioannes autem egressus, accito ad se Eutycho ait: Dic his qui præsunt foribus ecclesiæ, vt cùm venerit ad ecclesiam, ostium vestibuli *i* aduersus eam occludant, nec sinant eam, non eos item qui illam comitabuntur, ingredi, sed dicant eis: Ioannes mandauit, id vt faceremus. Videte ne hoc *l* neglectim & perfunctoriè trāsmittatis. Appetente autem festo exaltationis præciosæ Crucis ac viuificæ, vniuersus ciuitatis populus ad ecclesiam cōueniebat, ipse Imperator comitante eum omni Senatu, sed & finitimi vndequaque eo confluebant, qui proxime accolebant ciuitatem, non modò ob reuerentiam diei festi, sed & propter doctrinam & scripturarum interpretationem Ioannis. Ipse siquidem [d] Ioannes Spiritus sanctissimi illustratus virtute, inter concionandum apud populum non paucas interserebat historias. Demirabantur plerique omnes sapientiā munifico ac liberali Dei dono illi infusam, quodque tanta facilitate dissolueret auditoribus quæ in diuinis scripturis occurrebant perquam difficilia interpretatu, & vix cuiquam perceptibilia: quare ipsius conciones excipiebant plausu, ipsum ferientes aërem, illi quidem iactando præmollia *m* amicula, alij autem Gutzulon pennulas quatiendo, alij verò tangendo *n* gladiolos aut sicas, alij item fasciolos, inclamantes: Reuera dignus tu tanto hoc sacerdotio, & qui in censu Apostolorū *o* tertius sis ac decimus. Christus te ad nos delegauit, vt saluas faceres animas nostras, potumque nobis porrigeres de fontibus Saluatoris: quo quidem dono largiflue te exatiauit. Inter eius auditores aderat multitudo frequens scholasticorum, velocium scribarum, quos [f] actuarios vocant, siue *p* exceptores: Aderat & numerosa turba eorum qui ad labores strenue tolerandos toti propendent, quæ ab ipso dicebantur, excipientium. Hi attoniti demirabantur, quīnam fieret vt nulla eius dictio barbarismum resiperet, semel pronuntiatam sententiam non *q* vt cæteri inculcabat & reculcabat, nec vsquam in concionando hærebat: sed velut ex *r* apta & concinna verborum sententiarumque structura differebat. Proinde hæc ab eo quum *s* ita perficerentur, omnesque exhilararet ipsius doctrina, impleri tunc creditum est dictum illum propheticum *t* per ipsum quod dicit: Sicut lætantium omnium habitatio est in te. En foribus ecclesiæ astitit Imperatrix * vna cum *u* eumanida & imaginaria mentis apprehensione, cum cubiculariis & reliquo comitatu satellitum ingredi volens. Ecclesiæ [g] autem ianitores quæ iussi erant ab Ioanne per *x* Eutychen Archidiaconum executi sunt omnia, nimirum fores vestibuli ecclesiæ in faciem Imperatricis occluserunt, nec siuerunt eam ingredi. Porrò illa oppleta perturbatione animi, ac pudore suffusa vociferabatur dicens: Animaduertite omnes vos, quanta bili homo iste aduersum me exasperatur. Cum omnes nullo prohibente sanctam Dei ingrediantur ecclesiā, vni mihi negatur introitus. *y* Numnam ipsa non possum è sua sede vel momento depellere? Qui cum ea simul aderant dixerunt ianitoribus qui præsidebant obseruationi atriorum extrinsecus stantes: Reginæ adaperite fores, circumspicite ne *z* desipienter agere velitis. Illi autem respondentes satellitibus, dixerunt: Hoc nequaquam priua authoritate fecimus, sed vt iussi sumus ab episcopo, nec nisi ab eodem iussi audemus eam huc introducere. Tunc vnus astantium manu romphæam distringens statuerat ferire ianitorem ecclesiæ. Equidem [h] ea manus *a* minus momēto exaruit, vtque morticinum quiddam & exangue effecta est. Imperatrix hoc quùm vidisset, simulq; qui cū ea erant, omnes vehementi metu perculsi in palatiū se receperunt. Is autem cui exaruerat manus, ingressus ecclesiam in medio *b* restitit populi, omnibus illum circumspicientibus, & exerta voce dixit: Miserere mei, domine mi, sancte pater. Manui huic meæ arefactæ medetor, quæ aduersus hasce sacras ædes cnimisquam imprudenter & inconsulto facinus aggressa est. Peccaui, mihi *d* indulgeto veniam. Beatus autem Ioannes gratia Spiritus sancti sibi infusa causam cum cognouisset, ob quam tale quid esset passus, dicit ei: *e* Hinc vbi abieris, manum tuam abluito in * labro ecclesiæ. In spem bonam in Christū confidens adducor, quia tibi fiet secundū fidem tuā.

Abiit

b aperte ipsi Augustæ renunciasset, Eutychum à se ad ipsam misit.

[a] Eudoxia respondet Chrysost.

c Exasperasti dum interrogas.

[b] Chrysost. agit in Eudoxiam pro vinea viduæ.

d pertinet.

e qui eas sanxierunt.

f inducas parem pondere maledictionem. His dictis.

[c] Eudoxiæ in Chrysostom. odiū.

g Tu interim me nequieris.

h docebo te, vt ne.

i eidem.

l negligenter agatis. Appetente.

[d] De doctrina S. Ioannis.

m amicula, admirantium gestus, alij autem Cutzulorū ngladiolos, alij item sudaria, inclamantes.

o sis decimustertius.

[f] Actuarios vulgo notarios vocamus.

p exceptores & qui laborioſe quæ ab ipso d cebantur exciperent.

q vt cæteri sæpius putide inculcabat, nec vsquam.

*r pacto compositoque differebat. s fierent. t de ipso. * μετὰ τῆς φαντασίας u vana.* [g] Eudoxia prohibetur ab ingressu Ecclesiæ. *x Eutychum. y Num. z insipienter.* [h] Sacrilego manus exarescit *a in momento exaruit, vtque exangue quiddam effecta est. b stetit. c nimis. d da. e Abi: manum tuam. * λουτῆρα.*

Abiit igit ir homo, abluit se, & sanus factus est, seq; in mediũ deiecit populi, Deo gloriam *a* rependens, simul & gratiarũ actionem. Omnes insuper contemplati eũ repentina sanitate reualuisse, laudem transferebant ad Christi Dei gloriã qui Ioanni suo munere gratuito contulisset *b* donũ sanationum. Et quidem horum omnium nihil latuit Imperatorem: quare factum est vt destinato apud se proposito, limis oculis Imperatricẽ contueretur, quòd eius consuetudinẽ nosset præfractam esse, nec vlla ratione persuasibilem aut mutabilem. Simul autem & *c* Ioannem, eumque libenter audiebat. *d* Alioqui Imperatrix enixè satagebat, eum vt è sede episcopali deiiceret, id quod paulò post effecit tandem. Atqui tunc minime potuit ad destinatum finem perducere, quòd ad manum non haberet, qui ad id cum ea conspirarant, concordes inter se non essent, nec cum ea communicarent quæ nefaria existimarent esse. Proinde illi erat timori ipsa ciuitas, quod pluribus nosset esse gratum, & maximè populari multitudini ob publicas ipsius enarrationes & homilias in ecclesiis habitas; tametsi monasteria essent in ea ciuitate & ædes martyribus consecratæ per Imperatricem solicitatæ, quæ quidem huius timore vel fauore non adhærebant *e* Ioanni, quo cum. E Cypro [a] Epiphanius episcopus aduenit Constantinopolin, *f* persuasione & hortatu Theophili illectus, vnà secum adferens deletorias tabellas pro cõdemnatione librorum Origenis, quibus expresse definiebat non ipsum Origenem esse excommunicatum, sed solos ipsius libros criminabatur, ac nota aspergebat infamiæ. Is igitur quum appulisset primum ad ædem Ioanni martyri sacram, (dissita autem est ea ædes à ciuitate septem milliariis) & egressus nauim, celebrata insuper synaxi *g* ac constituto diacono, dein ingreditur ciuitatem. † Et quidem Ioannis familiarem adhortandi congressum vitabundus *h* defugiebat & auersabatur, vna hac re cupiens gratificari Theophilo, quare in peculiari & seorsum disparato domicilio hospitabatur, & illo ad se accersitis aduenis, & vndecunque aduentantibus episcopis, clancularia lectione eis recitauit interdictorias tabellas de abrogandis prorsus & è medio tollendis libris *i* Origenis. Nonnulli quidem Epiphanium reueriti subscripsere, alij è diuerso nec pauci ab istiusmodi subscriptione quàm longissime deflectebant, seque amoliebantur, in quibus erat Scythiæ episcopus † Theotimus nomine, qui Epiphanio tale reddidit responsum: Ego (ait) ô Epiphani, neque eum qui iam olim bene obdormiuit, censeo tam atroci contumelia aspergi debere, neque ausim aggredi rem *l* magnopere blasphemam, vt ducam repudianda, & pro irritis habenda quæ maiores nostri minime abrogarunt neque improbarunt, præsertim quod dixisset in illius libris improbatam doctrinam contineri. His dictis, librum Origenis cum protulisset, tacitus legebat, vel tum maximè dicebat: Qui hæc contumeliis aspersere, ad quid & quibus de causis scripta sint, prorsus ignorant. Et hæc quidem Epiphanio respondit Theotimus, vir vtique vt religione, ita & vitæ ornamentis celeberrimus. Athanasius inuictus ille consubstantialis fidei propugnator in illis orationibus quas aduersum Arianos scripsit, virum hunc ad testimonium sanciendæ suæ fidei aduocat aperta voce, illius sententias suis attexens sermonibus, ac dicens: Admirabilis (ait) vir ille, ac laborum tolerantissimus Origenes hæc de Dei filio differens, ac nostræ astipulans sententiæ contestatur ipsum esse consempiternum Patri. Igitur qui Origenem proscindunt maledictis, seipsos nesciunt. Eadem enim opera ipsius approbatorem Athanasium blasphemiis onerant & infectantur. Sanè [b] quidem Ioannes non admodum succensuit ob ea, quæ præter Canones in ecclesia suæ ditionis moliri temere sit ausus Epiphanius, aut proprer * ordinationem, quin potius hortatur & inuitat, vt vnà cum episcopis secum velit manere. *m* Sed enim ne simul quidem cum ipso vt orationes funderet, assensus est, nisi discipulos Dioscori è ciuitate exegisset, ac proinde subscriberet aduersum hæreticos *n* qui legendis operibus Origenis toti acquiescebant. Quumque Ioannes ad assensum vtriusque propositæ conditionis esset cunctatior, tempusque extraheret, asserens ante catholicam dignotionem ac iudicium nihil temere & quod præproperum sit, oportere eos aggredi, qui infense oderant Ioannem, magnum illum Epiphanium perpellunt, vt alterum celebraret concilium. Eum [c] siquidem subornant & instruunt, *o* quia deberet ad id accedere, ac præsente omni populo celebrata synaxi in ecclesia quæ *p* nomenclaturam præferebat apostolorum, libros Origenis palam traduceret & abrogaret, sectatoribus quoque Dioscori notam inureret infamiæ: Ioannem insuper calumniis opprimeret, quasi qui illorum erroribus astipularetur, & consilium daret. Renuntiata sunt hæc Ioanni, & eadem ratione denique ipsi innituerunt Epiphanio cum paulò ante ad ecclesiam peruenisset: idque per Sarapionem significauit Ioannes sub hoc tenore verborum: Permulta præter Canones ac priua authoritate aggrederis, ô Epiphani. Primum quidem in ecclesiis meæ ditionis præter ius & æquum vsus es potestate ordinandi. *q* Subin quia ordinatus abs te præter meum assensum in ipsis ministrauit *r* tuapte potestate fretus. Rursus vt hîc hospitareris admonitus, auersatus es, & recusasti. Adde quia *s* etiam dum rursus tibiipsi eandem vendicas functionem. Quamobrem obserua ne quid *t* turbelæ in populo concitetur, ac proinde per eam cogaris in te reciperè periculum. Sanè his auditis, Epiphanius metu ac pudore contractus, *u* se quidem ab ecclesia subduxit.

Manus pœnitenti testi tuitur.

a reddens.
b dona curationum.
c Ioannem adamabat, eumque.
d Imperatrix contra enixe.
e Ioanni. E Cypro habet Antuerpiense exemplar: sed nõnulla desiderantur hic.
f persuasus documentis Theoph.
g atque ordinato.

† Epiphanius ideo communionem Chrysost. vitauit quod monachi calumniã à Theophilo se passos conclamassent, & damnatione operum Origenis, quæ Patres sanctissimi hactenus suscepissent, vt habet Baron. tomo. 5 ad ann 402.

h *defugiebat vna hac re* *i* *Origenis, nihil quidem contra eas habens: illud tantum, sibi & Theophilo videri reijciendos. Nonnulli.* † Theotimus hic qualis quantusque fuerit vide Soz lib. 7 c 25. & Bar ad annum 402. Et nota quam veteratorie sanctissimum virum Origenistæ & Chrysostomi fautores introducant contra Epiphanium disputantem pro libris Origenis, eum non aliud contendisse Epiphanium constet, quam vt Origenis, eiusque errores & assertæ damnarentur vide Bar. ad an 402. I *adeo.* [b] Epiphanium falso argui ordinasse diaconum extra diœcesin suam, docet Bar. ad ann. 402. *Diaconi. m* *Sed ne simul cum ipso.* n *qui legerent opera Origenis.* [c] Nota commentitiam Origenistarum narrationem, ad suam ipsorum defensionem, qua illi innocentissimi demonstrantur, dum libros Origenis non interdictos, suppressis erroribus, Epiphanium insectari introducunt. *o* *debere.* p *nominaretur.* q *Adhæc.* r *tua.* s *etiamnum.* t *turbæ.* u *se ab Ecclesia.*

LV. IMPERATRIX autem vt intellexit primum mutuã indignationem esse obortam inter Epiphanium & Ioannem, ad se accersiuit Epiphanium, eique dixit: Pater Epiphani, vti non ignoras, Romanorum omne imperium meæ subest authoritati, quamobrem tibi omnem *x* ecclesiarum sacerdotalem dignitatem impertior hodie, si modò quod tibi dicam audieris, ac meæ vnius animæ depellendo dolori adhibueris medelam. Ad hoc eximius ille Epiphanius ait: Dic, ô filia, & pro virili portione id efficere adnitemur ad ædificationem ac salutem animæ tuæ. Illa tunc arbitrata se vitum * detonsuram, & ad suam voluntatem *y* velut euerriculo aut sagena irretiuisse, adiecit: Quandoquidem Ioannes hic se alienum *z* reddidit, & abhorrentem à dignitate hac sacerdotali, per hoc quod indecore se gerit erga Imperatores (Nõ enim nobis tribuit cum qui nos addecet honorem. Aiunt insuper nescio quam hæresin obseruare à nostra fide alienam. Ante permultum temporis tacita mentis conceptione discrucior, cupiens vt celebraretur synodus quæ eum ipsum definiat ac pronuntiet dignitate sacerdotali deiectum, alterum autem eius vice subrogatum constituat in eius throno, qui officij amplitudinem possit sustinere, vt imperium meum ex nunc in omni concordia & pace conquiescat. Hæc quum Epiphanio diceret Imperatrix, multa cum indignatione, & indecore se permouebat. Eidem rursum dixit: Tua adsistente sanctitate paterna cum Dei auxilio hîc non iam opus fuerit alios substituere aut prouehere patres qui laborem hunc sustineant. In posterum enim vnum aliquem reuelabit tibi Deus quem constituas episcopum. Tantum hunc deturba gradu, & ingressu ecclesiæ *a* eliminato. Ipsa enim facile efficiam, vt vni tibi obsecundent omnes. Respondit ei [c] Epiphanius: Æquanimiter tuum patrem audito filia. Dixit autem illa: Dic tu pater, si quid iusseris, ipsa tibi patri meo in omnibus obsequar. Dixit [d] illi sanctitate insignis Epiphanius: Si Ioannes quidem compertus fuerit hæreseos, de qua dicis, & conuictus, nec velit accedere ad se purgandum de quo

Eudoxia Epiphaniũ exstimulare in Chrysost. nititur.

x *ecclesiarũ quæ huic parent sacerdotalem*
* *pro πέζαν lego πέξιν vocari habet Ant. exemplar.*
y *velut sagena traeturam.*
z *reddidit, à dignitate sacerdotali,*

quod indecore. *a* *elimina.* [d] Epiphanius Eudoxiæ respondet.

insimulatur peccato, per pœnitentiam, indignus profectò est sacerdotali hac qua fungitur authoritate. Quod si ob in-
a *arceri.* iuriam in vos detortam quæris beatum Ioannem aditu ecclesiæ *a* abarceri, huic postulationi tuæ nequaquam annuit Epiphanius. Siquidem, filia, Imperatorum interest vel maximè, vt iniuria quapiam affecti, veniam facile indulgeant & condonent. Quandoquidem etiam vobis regnum cœleste *b* vendicatis, qui pro consuetudine peccatis, & tamen
b *postulatis Luc 6.* male commissorum veniam vobis efflagitatis indulgeri, quemadmodum ait ipse in sanctis Euangeliis: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Iterum Imperatrix. Si id quidem tibi impedimento est, pater, quo
Eudoxia vrget proscriptionem Chrysost. minus extorris fiat Ioannes, & in exilium ablegetur, en *c* ipsa adaperiam templa idolorum, & efficiam vt ea sint venerationi hominibus, & idolis procidant. Et ad eum modum erunt nouissima peiora prioribus. Quumque hæc effutiret,
c *ipsa iterũ aperiam.* præ animi amarulentia ab eius oculis descendebant lachrymæ. Dixit autem Epiphanius: Ego, filia, innocens sum ab eiusmodi iudicio: Quibus dictis, egressus est palatiũ. Ciuitatem totã prætercucurrit fama dicentium: Magnus ille Epi-
a Mutuum hoc Episcoporum præsagium cõmentitium esse fuse probat, Bar an. 402. phanius, sacerdos & episcopus Cypri insulæ, ad Imperatricem ingressus est, qua cũ molitur depositionẽ beati Ioannis. Portò beatus Ioãnes *d* accepto diptycho scripsit ad Epiphaniũ: Epiphani [n] sapiens, vt in exiliũ releger, audio te annuisse. Nequaquã posthac sessurus es in throno tuo. Ad consimilẽ scripturæ formulã rescripsit Epiphanius *e* beato Ioanni:
d *accepta tabella.* Athleta cæditor, & vince. Ad locum ad quẽ relegatus es in exiliũ, nequaquã pertinges. Nemo igitur infame hoc vituperiũ inuratEpiphanio. Non n. tot tantaq; bona præclare & cũ laude gessisset, si quidem in tantũ prolapsus fuisset malorum barathrum, ac ingens illud orbis totius luminare, nec vlli obnoxiũ reprehensioni diris aut vlla execratione deuouisset. Vtrique *f* alioqui talem sortiti sunt exitum. Neque enim Epiphanius postea superstes ingressus est Cyprum, in præsenti scilicet vita. Quum enim eo contenderet, in nauigio suum obijt diem. Beatus Ioannes paulò post *g* non etiam vel tandem ad secundi exilij locum vsque prouectus est, vti progressus libri indicabit.

e *Ioannes athleta, f certe hoc obuenit. g sede excedens non etiam ad secundi:*

LVI.

h *Beato Epiphanio mox nauigio Constãtinopoli domum renauiganti beatus Ioan.* *b* BEATVS enim Epiphanius mox vt è nauigio appulit Constantinopolim, beatus Ioãnes resciuit Imperatricem aduersum se armis nequitiæ præmunijsse Epiphanium, neque tamen assensum præbuisse vt id efficeret, *i* tametsi pro more suo ad id propenderet, & ad conciones esset expromptus *l* Beatus autem Ioannes nihil cunctatus aduersus omnes in commune mulieres in populi medio earum vitia enarrat. Sermonem [b] è multitudine quisque rapiat, quasi per
i *cumq; natura mardesceret, & ad.* ænigma detortus esset in Imperatricem. Ea concio à perditis *m* quibusdam, & qui aliud nihil aucupantur, nisi vt aliis incommodent, excepta, ad eorum peruenit notitiam, qui tum ditione præpollebant. Augusta re comperta, *n* suam ipsius contumeliam asserens in ipsius Imperatoris iniuriam resilire, *o* tum molitionibus suis ipsum eò adigit, vt iubeat cogi synodum aduersus beatum Ioannem, vt & *p* abarceretur ipso ecclesiæ ingressu. Et hac de re scribit Theophilo Alexandriæ episcopo, vt depulso à se timore omni quàm ocissimè aduenire Constantinopolin, & quàm plurimos co-
l *Ioannes nihil cunctatus publice in omnes mulieres, earum vitia enarrãs cõcionatur.* geret episcopos, vt aduersus beatum Ioannem celebraretur synodus. Istiusmodi molitiones instruebat & comprobabat Seuerianus. Ægritudinem enim *q* animo iniquiore aduersus ipsum mordicus retinebat. Non multum interfuit temporis, & ecce aderat [c] Theophilus vnà cum præstantissimis quibusque & optimatibus Ægypti atque Indiæ, secum adducens naues *r* anchoris oneratas. Multos item diuersarum ciuitatum episcopos permouit præscriptum ab Impe-
[b] Concio Chrysostomo male interpretatur. ratore edictum, quo ita fieri iubebatur, *s* maxime abrogationi Ioannis patrocinium ferebant quicunque aliam ob *t* causificationem forte fortuna illi erant infensi, aut quos mœrore affecisset. Porrò aderant & illi *u* quantiscunque ademerat episcopatum. Ob [d] varias enim causas beatus Ioannes non paucos deturbârat gradu episcopali in Asia, quando ob Heraclidæ consecrationem perrexit Ephesum. Hi igitur omnes quum in idipsum conspirassent, & idem sensissent, conuenerunt Chalcedone, quæ vrbs est Bithyniæ. Illo tum tempore Cyrinus quidam Chalcedonis erat episcopus, genere Ægyptius, qui & permulta aduersus beatum Ioannem dicebat præsentibus episcopis, cuiusmodi sunt: Impius est, arrogans est, *x* genibus inflexibilis est, nimirum inexorabilis. Et hæc quidem dicta incredibili cum voluptate *y* exceptabant episcopi illi. Maruthas autem Mesopotamiæ episcopus insciens calce illisit pedem Cyrini. Atqui Cyrinus eo ictu, peracri dolore affectus est, ita vt non potuerit cum aliis episcopis transmittere vsque Constantinopolim, sed Chalcedone quidem restiterit, alij autem mari cum Theophilo Constantinopolin ingressi sunt hora sexta in quinta Sabbati. Theophilo autem nemo fuit qui illi ab ecclesia prodiret obuiam, neque honorem pro consuetudine obseruati solitum vllus exhibuit. Siquidem perspicue deinceps eum norant omnes hostili odio persequi beatum Ioannem. Ex Alexandrinis, *z* is qui classi frumentariæ præerat. *a* Forte enim fortuna tum incidit, vt qui præsidebant frumentis ex Ægypto conuehendis & adessent, & illi pergerent obuiam. Et hi cum faustis acclamationibus eum excepe-
m *quibusdam excepta, ad eorum.* runt, applaudentibus vndique *b* nauticorum cuneis cum laudibus. Sed enim ipse vitabundus detrectat ingredi domũ oratoriam, in vna autem *c* reginearum ædium cognomine Placidiana demoratus est. Constantinopoli igitur congregatis omnibus in nullo ecclesiæ loco comparuerunt vicarij Romanæ ecclesiæ, sed nec ipsius episcopi. taque Arca-
n *ad Imperatorem tendens, sua ipsius.* dius Imperator prorsus vitauit familiarem congressum Theophili. Siquidem addubitabat de Romanis, nescius an posteriores excepissent literas, quibus liquido significabat eis episcoporum orientis aduentum. Eudoxia [e] verò Imperatrix accito ad se Theophilo vnà cum eis qui secum aduenerant episcopis, arcanum pectoris sui expromit familiari col-
o *ipsum eo adegit.* loquio, mentisque suæ destinationem, & consilium illis velut in sinum deponit, nimirum ob causam beati Ioannis, vt huic quoquo modo velint abrogare thronum ecclesiæ, ex compacto pollicita eis se Imperatori persuasuram, vt transmittat sinátve expleri aduersus eum sententiam. Eadem quum deprehendisset eos ipsius deiectioni sitienter in-
p *arceretur.* hiare, & ab istis m id instructas insidias, tantò ardentiore studio enixa est donis sibi eos demereri, quasi sponsores suæ
q *animi iniqui.* explendæ voluntati stipulata idoneos. Quúmque tutò sibi ab eis præcauisset, è palatio emisit, quum alioqui totum id molimen lateret Arcadium. Beatus autem [f] Ioannes cognitis aduersum se episcoporum insidiis, vt certò comperit quæ
[c] Theophilus Constãtinopolim venit anno 403. Imperatrici ex composito polliciti essent se facturos, in ecclesia quædam publica enarratione edisseruit aduersus eos, 3. Reg. 18.
r *onerarias s maxime autẽ abrog.* quæ hanc continebant sententiæ formulam: Congregate ad me sacerdotes ignominiæ, qui comedunt mensam Iezabel, vt loquar eis: Vsquequo claudicatis in ambobus poplitibus vestris? Si Dominus est Deus, pergite post eum: sin mensa Iezabelis, ipsa est Deus, de ea comedentes euomite. Veruntamen aduersus Theophilum dixit quo-
t *causam forte illi.* que hæc: Quis vnquam Ægyptiorum vti Theophilus affectatus est poculum muliebris incontinentiæ? Quis verò eorum qui reipsa ac vere respondent interpretationi Theophilorum, hoc est, *Dei amantium, execrabilem illam Eudoxiam non execretur: non fastidiat aut auersetur? Idque exemplo persuasus pudici Ioseph erga d vxorem e Petephræ. Hæc vbi resciuit Theophilus, vna cum episcopis perrexit ad Arcadium Imperatorem, cui & retulerunt quæ ex æquo responderent enarrationi Ioannis. Imperator ea tulit ægerrime potissimum Gen 39.
u *quibuscunque.* ob Imperatricem Eudoxiam, & eam, qua prius vrgebatur aduersus Theophilum, indignationem detorquet
[d] Episcopi quinam in relegationem Chrysost. congregati fuerint nunc in Iohannem, iubetque Theophilo, assumptis quos secum habebat episcopis, vt celebraret synodum aduersus Iohannem: quod eo *f* maximè non inuitus fecit tanto acriore stimulo percitus ab ipsa Imperatrice. Ipsa

x *inflexibilis est. Et hac.* y *excipiebant.* z *tantum is.* a *Fortè enim tum.* b *nautis cum laudum coronis.* c *regiarum.* [e] Eudoxia depositionem sollicitat. [f] Concionem hanc ante aduentum Theophili habitam refert Socr lib 6 c 14. Soz l 8 c 16. sed Metaphrastes, Leo, Aug. & hic auctor post. vide Bar. ad an. 403. * τῶν θεοφίλων, allusio ad nomen. d *pro Δίξαν, interpres γυναῖκα legit, Antuerpiense exemplar habet honorem* e *pro Phutisar.*
f *fecit libentius tanto.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ipsa insuper Imperatrix Theodoten, quæ numismata aurea mille dederat Isidoro peregrinorum & hospitum excep-
tori dispertienda in pauperum & egenorum necessarios vsus, tradidit nuptui Clementino ciuitatis prætori. Episco-
pos [a] præterea & clericos qui ab Ægypto aduenerant aduersus Theophilum, quum eos in cœtum aggregasset, adhor-
tatur & obsecrat vt desciscerent ab intentata in eum actione. Quamobrem hos quidem persuasos, ac pedem referen-
tes donis tantò cumulatioribus locupletauit: eos contrà qui se non siuerunt persuaderi, in exilium relegauit habita-
turos Thessalonicæ. Hunc igitur in modum è manibus accusatorum [b] Theophilum eripuit, & ab omni externa im-
perie immunem, omni armorum genere instruxit aduersus beatum Ioannem, qui quidem in ciuitate contriuit tres
hebdomadas dierum, neq; cum Episcopo Ioanne aliorum more Episcoporum, colloquium vllum texuit: at nè pro-
piùs quidem se illi admouit omninò, non etiam in Ecclesia assedit, sed pertinaciter hærebat interdiù noctuq; con-
tendens, & odium recens conceptum tantò atrociùs accumulans veteri, vt Episcopum Ioannem non modò extrude-
ret aditu Ecclesiæ, sed & illum etiam eximeret vitæ præsenti. Hoc quidem confecit redimens illos contrectatione au-
ri: illos, inquam, tantò miserabiliores his exulibus qui prævalere potuissent aduersus veritatem. Istud autem pro ani-
mi voto absoluit opipara & cupedijs instructa mensa, *a* illos helluones ac ventri deditos, *b* miserandæ prorsus seruitu-
ti addicens. Rursus postremò actui motoriæ illius tragœdiæ finem imposuit inescans illos blandiloquis assentationi-
bus, ac pollicitatione amplioris dignitatis: impostores proindè promouit, qui clericos in fraudem perpellerent. Et
hæc fecit nullum non astringens sibi illice funiculo voluptatum. Is Theophilus simul atq; tam multis visus est & certò
compertus seriam operam dare, vt Ioanni abrogaret episcopatum. Qui enim Ioannem infensè oderant, præfidenter,
nec iam suspectim aduersus ipsum calumniosam moliebantur accusationem, è clero quidem non pauci, sed neq; pau-
ciores ex principibus, & ij maximè qui in administrandis rebus imperialis palatij præpollebant, existimantes se de-
prehendisse tempestiuam occasionem expetendæ de eo vltionis. Subornati autem ac recèns prænoniti ab Imperatri-
ce, cui quòd magnoperè gratificari cuperent, ad id conficiundum tantò propensiùs perurgebantur, idq; vt fieret, ma-
ximam adornabant Constantinopoli synodum, tum epistolis, tum viua voce, citraué scripturam per internuntios.
Ad hæc [c] Theophilus affectabat, vt alicundè nanciscereturpersonam fanaticam, læuoq; afflatam dæmone. Deniq;
assecutus est q̃ tantoperè affectabat. Duorum enim diaconorũ quos Ioannes episcopus ob piacula enormia, & præter
legem admissa eliminârat ingressu Ecclesiæ, talium improbitate abusus est. Persuadet vt libellos aduersus Ioannẽ pu-
blicitus exhibeant, idq; pollicitus vt eos de integro restitueret in pristinum *d* Liturgiæ locum. Erant autem istorum
crimina, illius quidem homicidium, huius autem adulterium, quod *e* vtiq; perpetrarat. Mox à secundo Ioannis exilio
vtrumq; restituit in suum quemq; locum, haud dubiè quòd libellos synodo tradidissent quos ille ipse dictasset, qui
quidem nihil veritati affine continebant solo hoc excepto quòd singulis quibusq; dedisset consiliũ, vt à communione
mox nonnihil aquæ aut *f* pastilli delibarent, nè [d] vnà cum saliua aut pituita vel tantillum expuerent ex præsumpta
communione. Ipse [e] quòd primus consiliũ *g* dedisset, reuerentiam vtiq; docens ac pium timorem non inuitos. Susce-
ptis libellis se contrahit pro huiusmodi literis pulchrè scil. descriptis, & vnà coniurat cum Seueriano, Acacio, Antio-
cho, & reliquis penes quos eatenus resedisset memoria acceptæ iniuriæ, idq; aduersus Ioannem, quasi eiusmodi mo-
1.Co.14. nitiones istis visæ essent resipere nonnihil è mundo. Iuxta enim Pauli sententiam consueuerat B. Iohannes tum publi-
cè, tum seorsim ac *h* domesticatim edocere quicquid ad conseruandum honestatis decorem pertineret, *i* idq; potis-
simùm si quando illi esset continenter disserendum de obseruanda religione in talibus *k* cæremonijs quæ prolixitudi-
ne temporis plerosq; propemodum omnes latebant. Quod enim corpus iam diuturnitate exoletum, vlla vi ad *l* pu-
bertatem reuocare possis? *m* Illæ cirros suos ac *n* cincinnos læuore olei imbutos ad fr̃ontem reflectentes exemplo me-
tricularum prouocatæ. Atqui de Origenis libris nulla iam mentio erat. Ad alias enim & eas insolentes & absurdas
deflexerant accusationes. Vnus enim aliquis assistentium dato consilio obtulit Imperatori supplicem libellum, quo
vel nolentem pertraxit in concilium. Itaq; synodus nihilo dispar fuit Iudæorum conciliabulo, auro nimirùm velut
manu demulcente & adæquante omnia. Erat autem Ioannes cum alijs quadraginta Episcopis in triclinio episcopalis
domus sessitans. Et hi stupore consternati colloquebantur quánam ratione quibusue de causis, velut iam peractus re-
us ac præiudicio damnatus, iuberetur in aula principis se *o* repræsentare ad obiecta crimina responsurus. *p* Is tandem
cum tam multis Episcopis *q* se eò stitit. Quo autem pacto optimatum sententias penè momento confuderit, vt & ma-
iorem cleri partem detorqueret in peius, *r* Porrò illi quum quæstione iam promota addubitarent, Ioannes Spiritu S.
repletus, his qui aderant dixit: Oremus fratres. Quod si [f] Christum deamatis, nè quis vestrûm meæ huius afflictionis
1.Ti.4. causa ab Ecclesia sua desciscat. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, iuxta beatum Paulum, vti vi-
deo, tot iam exantlatis afflictionibus hæc mihi relinquenda est vita. Noui planè quam adornârit Satanas aduersum me
calumniosam actionem, quòd is infentissimè oderit meos sermones, quos aduersus ipsum hactenus detorsi.

dedit. f *παξίλλω.* [d] In Occidentali Ecclesia vsu receptum fuisse post sumptam Eucharistiam vinum aqua mixtum, vel aquam puram ea mere habet Bar. quare ob hoc minimè reprehendendus. [e] 29 accusationum capita libellos continuisse, recensetPhotius in Biblioth. quæ Bar ad an 403 *g quod seruabat dedit.* *h per domos.* *i vt illi esset continenter.* *k moribus quæ longinquitate tẽporis plerosq; imo propemodũ.* *l priora.* *m nimirum vidua, sic & habet Antuerp. exemp.* *n cincinnos ad fr̃ontem reflectentes exemplo meretricularum. Iniuria reliquas afficiunt liberas quosq; alliciendum: & hæ quidem viduæ sunt? Tunc plures in Ioannem excitata calumniæ. At de Origenis.* *o fistere.* *p Imp. tandem.* *q se stitit.* *r Desit verbum & hic, & in Antuerp fortè dicam.* [f] Chrysostomus suos alloquitur Episcopos, & consolatur.

LVII. Sed *s* dominus mei *t* misertus est. *u* Et vos mei estote memores in orationib. vestris. Inenarrabili porrò languore cor-
dis correpti, alij quidẽ Epi toti diffluebant & resoluebantur in lachrymas, alij verò è consistorio egrediebantur, ocu-
los ac caput consecratũ simul & os illud eatenus dextimè solertérq; loquutũ oculo atq; amplexu salutantes, neq; nõ
spiritu ingemiscentes. Adhortatus autem vniuersos se vt reciperent in conciliũ, illic ita circũuolitantes, ceu assolent
apiculæ, quando circũ aluearia sua obstrepertũ bombum edunt, & dicit: Sedete fratres mei, vobisq; à fletu temperate.
me etenim tantò solutiùs diffringitis, & præmollitis animum. Mihi etenim viuere Christus est, & mori lucrũ. Siquidẽ
increbuerat passim fama fore, vt ob immoderatam libertatem oris illi *x* præcideretur caput. Rursum ijsdẽ dicebat: Si
vos nostri memineritis: in sinus vestros vestri quoq; memoriã cõtraxeritis: id q̃ nullo non tẽpore dicebam vobis, Vita
præsens via est. Iucunda peræquè ac tristia omnia prætereunt, sitamq; obambulant viam. † Præsentia omnia nundinæ
sunt, & mercatus quidam. *y* Quiddámne emimus? idipsum venale proposuimus & addiximus? Hinc nobis abeun-
dum est, & excipiendus viæ finis. Neq; enim meliores sumus nos, quàm patriarchæ nostri, prophetæ, apostoli, vt hîc
ipsi immortalem peragamus vitam. *z* Præter modum quum eiulasset vnus aliquis præsentium, dixit: Certè lugent isti
pupillarem Ecclesiæ viduitatem, permistam sanctionum ac sacrorum rituum confusionem, perauidam dominandi
ambitionem *a* eorum potissimùm qui præ oculis timorem Dei non habent, & qui huc toti incumbunt, vt præsideant:
b pauperibus prorsum neminem habentibus *c* cuius tutelam patrocinio propugnentur, qui deplorant se doctrina *d* de-
stitui, & lamentantur. Sanè quum indice digito pulsasset volam sinistræ manus, qui mos apud hunc Christi amantissi-
mum inoleuerat, quoties eius mentem diuexaret acrior quædam solicitudo, ei qui secum familiariter loquebatur,

 dixit:

n ale proposuimus & soluimus. Neq; meliores sumus, quàm Patriarchæ, proph. *z Lugeamus pupil.* *a eorum qui præ.* *b pauperibus neminem.* *c cuius patrocinio.* *d destitui. Quum indice.*

[a] Theophilo, aduersantium animos sibi conciliarit.

[b] Theophili zelus in prosequendis Origenitis commẽdandus erat, quod & S. Hieronym. S. Epiphan. S. Anastasius Papa, & Occidentales omnes fecere: Verũ vbi contra Chrysostõ. causa publica præterm isit, inimicitias priuatas exercuit, optimoruquorumque animos à se abalienauit, & perpetuam nominis suo irrogauit ignominiã. Vide Bar. ad an 403

[c] *In exemplari pro ὁπωπ lego φαυλότητ.*

[d] *celebrandæ missæ.*

[e] *effectum* de causa sumere & recitat

[f] *Pro οὕτω lego κύριο. pro μνημο νεύεται lego μνημονεύεται.*

[g] *Itaq; vos mei misereat. t mei estote, habet aliud exemplar.*

[x] *κεφατομεῖσθαι.*

† Cic. Tusc. 1. asserbit Pythagoræ sententiam hanc.

[y] *Quiddam emimus, ve*

[z] *Lugeamus pupil.*

[a] *eorum qui præ.*

[b] *pauperibus neminem.*

[c] *cuius patrocinio.*

[d] *destitui. Quum indice.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a *ne pluribus. Sed quod iam dixi.*

b *a me exordium.*

c *neq; mihi*

d *Nonne.*

e *An non illum velut excepit.*

dixit: Sufficit frater; *a* ne tam multa loquaris. Sed enim quod dixi, ecclesias vestras ne deseratis. Neq; enim *b* exordium cepit doctrina, *c* non etiam mihi morienti commorietur. *d* Non item defunctus vita est Moses? *e* An non illius præsidentiam velut sortitò accepit Iesus, Naue filius? Num, quæso, Samuel suum obijt diem? Dauid *f* nunquidnam oleo sacro delibutus est? Et Hieremias *g* desciuit è vita? Numnam *h* & Baruch? Assumptus & Elias. Nunquid non præsentia futura; *i* præcinuit Elisæus? Paulo amputatum est & caput. An non *l* secundum se reliquit Timotheum, Titum, Apollo, alios insuper innumeros? Fine his sermonib. impositò, dicit Eulysius Apamiæ quæ est in *m* Scythynia. Necesse est nos (quos penes est tutelaris conseruatio ecclesiarum) vel inuitos cogi ad mutuam communionem simul & subscriptionem. Respondit B. Ioannes: Communicate quidem, vt ne vestris schismatibus in partes distrahatis Ecclesiam. Non item subscribatis. Nullius enim mali mihi conscius sum, quo me intelligam meruisse abrogationen huiusce functionis.

f *nunquid post eum oleo inunctus est.* g *vita abijt.* h *& secutus Baruch.* i *prædixit.* l *post.* m *Bithynia.*

n *hanc adornatam calumniam perspicuè intelligentes ab vrbe.*

LVIII. SED & Episcopi totam *n* hanc aduersum me adornatam calumniosam actionem licet perspicuè intelligant, nihilominus ab vrbe semotiùs suum constituêre[a] cõciliũ, in suburbio quodam Calchedonis, cui cognomen *o* est à Quercu. Id trans mare Ruphini situm est Eiusmodi conciliabulum *p* extemplo mittit accitum Ioannem, *q* vt ad crimina de quibus insimulabatur responderet seq; expurgaret. Iussit autem simul & adesse Sarapionem & *r* Tigrin eunuchum presbyterum, & Paulum Agnagnosten, hoc est, lectorem. Illis igitur qui missi erant, profectis nuntiatum est *s* quod aduenissent.

[a] Conciliabulum contra Chrysostomum. De hoc vide tom 1. Concil. Gen sub Innocentio I. Cur autem ad Quercum & non Constantinopoli celebratum sit, eam causam refert Baronius, quod scilicet vereterentur populi Constantinopolitani, Episcopo suo addictissimi, turbas. Vide Baronium ad annum 403.

o *Quercus ad mare Rufini est.* p *confestim.* q *vt de quibus insimulabatur responderet. Iussit autem & adesse.* r *Tigrion.* s *aduenisse.*

t *qua ex causa aduenissent significat. Hasce tabellas habemus: ipsi quidem legamus ac vicissim. Et quidē iubet eas legi Ioannes. Tum illi.*

LIX. Hos ad se ingressos rogauit, quonam in gradu dignitatis essent constituti. Dicunt ei, Episcopi sumus. Cumq; consedissent, *t* rogat qua ex causa aduenissent. Dicunt ei, Iussi tantùm sumus, vt hasce tabellas altrinsecùs ipsi quidem legamus ac vicissim. Facite igitur vt legantur ei. Et quidem iubet eas legi. Tum illi imperant Theophili seruo, vt præceptoriam consultationem legeret, qui & eam legit. Porrò contextus ipse hunc in modum continebit, Synodus sancta ad Quercum congregata Ioanni, suppresso Episcopi nomine. Industria ac studio id ita scripsisse eos putem, quod se facturos meditabantur. Consueuit *u* ferè anima peccatorum tenebris adoperta non recta dispicere quæ consentanea sunt rationi, sed imaginaria quadam specie suam affectionem vtiq; improbam sibi repræsentat atq; offert. Iussit igitur hosce libellos vt exciperemus aduersum te innumera mala continentes. Itaq; illis *x* pergas obuius ad obiecta responsurus, tecum adducens Serapionem & Tigrin presbyteros, & Paulum lectorem. Eorum enim præsentia opus fuerit. Hi enim insimularant Ioannem. Ad ipsum enim venerant Dioscorus & Paulus in ætatis flore adhuc constituti.

u enim anima tenebris operta non rectè videre, sed quæ perturbatio suggerit imaginari, hosce libellos accepit aduersum. x *occurras ad obiecta responsurus, adducto Serapione & Tigrione presbyteris, & Paulo lectore. Eorum enim opus præsentia.*

Synodus quæ nunciāda Theophilo mandārit.

y *fideq; dignos Ecclesiæ statum caue discindas, aut euertas Eccle siã, pro qua carne indui vult Deus.*

LX. LECTIS autem tabellis, qui cum beato Ioanne erant Episcopi, se ei conciliabulo opponunt denuntiantes Theophilo per Lupicinum, Demetrium, & Eulysium Episcopos, per Germanum & Seuerum presbyteros, viros vtiq; sanctos ac pios, y dignos prorsus quorum verbis fides haberetur. Ecclesiæ administrationem ac statum caue demoliaris aut euertas. Ecclesiam pro qua amiciri carne voluit Deus, obserua, vt ne scindas. Siquidem intolerabile est, quòd ad nihilum deducis Nicænæ Synodi Canones à trecentis & octo supra decem sanctis Patribus ijsdemq; Episcopis sanctos. z Limites enim tuæ diœceseos prætergressus, sententiam pronuntias aduersum nos. Tu transito ad nos, in *a* ciuitatem nimirum bonis legibus institutam, non inuitans nos vt Abelem in campum exemplo Cain, vt & nos primi te audiamus. Habemus enim aduersum te libellos capitum septuaginta, qui in se *b* complectuntur & manifestò ostentant nefarias actiones tuas. Proindè Dei gratia in vnum collecti sumus tua illa synodo plures, non quidem ad dissoluendum Ecclesiæ statum, sed in *c* tranquilla & requieta pace. Etenim tu ex vna *d* modo prouincia trigesimus sextus es, nos autem è *e* diuersis regionibus ac præfecturis quadraginta sumus, inter quos sunt & metropolitæ septem. *f* Tenor insuper rationi consentaneus, iuxta Canones dictat minorem numerum à pluribus & his diuersarum regionum iudicari debere.

Siquidem ad nihilum deducis. z *Limites tuæ.* a *ciuitatem bonis.* b *complectentes nefarias actiones.* c *tranquilla pace.* d *tantum.* e *diuersis Præfecturis.* f *Insuper rationi est consentaneum iuxta Canones minorem.*

g *admittere causas.*

h *vt vel desinerēt accusari, vel cõtra eum agere noli. Hisce verbis*

[b] Chrysostomus quæ item,

i *vnus quid potuit in hunc vsq; diem.*

LXI. PRÆTEREA tuam vnius epistolam penes nos asseruamus, in qua comministro nostro Ioanni allegas, non oportere Episcopos *g* admittere aut excipere causas eorum qui externi sunt à sua cuiusq; diœcesi. Quocirca persuasus decisionum legumq; ecclesiasticarum decretis obtestatus est & commonefecit tuos accusatores, *h* vt desinerent aduersum te intendere iudiciariam actionem. Itaq; aduersus eum ne tu cogito conciliũ. Hisce verbis motus Iohannes, episquidem suis dicebat: Quod vobis visum fuerit & gratum, ipsi significate: me autem æquum est & rationi consonum opponere ijs quæ palàm obiecta sunt. Ad eos autem [b] qui Theophilo adhærebant, ex oppositio misit sub hoc verborum tenore: Siquidem *i* vnus aliquis quiduis potuit in hodiernum vsq; diem aduersum me obtendere, ne ipse quidem aliquando percepi. Quòd si quis mihi quidpiam obijciat, isq; velit vt ad eos proficiscar qui nihil obscurè hostili odio me persequuntur, qui suomet inerti otio exasperati sunt aduersum me, è congregatione vestra extrudite. Neq; *l* enim vlla me religio obstringet aut addubitabo, quo minùs ipse me sistam vbicumq; locorũ me conueniet subire sententiam, idq; *m* potissimùm si continget in ciuitate. Sunt alioqui quorum deprecor iudicium ac vitabundus defugio. In his est Theophilus, quem *n* multis reuinco & iustis reprehendo argumentis. Alexandriæ enim & in Lycia dixit: En in comitatum siue aulam Imperatoris pergo de gradu deiecturus Ioannem.

Hisce verbis [b] *Chrysostomus quæ item.*

hunc vsq; diem. l *enim addubito.* m *potissimum in hac ipsa ciuitate. Sunt quorum iudicium defugio.* n *multis iustisq;.*

o *antequã nos audisset ea gesser t.*

† *Cic ipse vsus est in Catonem maiore Audientia.*

LXII. ID autem verùm esse declarauit eius ad vrbem aduentus. Neq; enim ex eo tum tempore me vllo dignatus est alloquio, nec vlla in re communione nostra vti voluit. Quum igitur *o* ante nostram † audientiam ea gesserit quæ inimicorum sunt, quid eum facturum sperem lata semel sententia? Nec secùs coarguo Acacium, & eadem in causa perago reum per ea quæ dixit: Ego ei instruo & condio figuralem *p* ollam. De Seueriano autem & Antiocho in quos iustitia Dei ocyùs *q* animaduertet, deq; his expetet vltionem, quid attinet dicere, quando iuuenilia tantùm & ludicris cauticis deprædicant mundana spectacula? Itaq; nequaquam verè interrogastis, num vellem venire, *r* his quidem quatuor è consessu & concilio vt iudicibus eliminatis. Sin vt accusatores, ipsi se sistant iudicio vestro, *s* & ipsi agnoscetis quanta cum constantia feram aliorum iudicium. Vtrùm ad eos venire *t* debeo, ad eósne, qui infensissimè mihi aduersantur, an potiùs ad alios, qui vt iudices præsideant. Non modò *u* ad vestram dilectionem sum venire paratus, sed & ad totius orbis synodum. Itaq; *x* vt causæ cardinem noueritis, si decies millies ad me miseritis, nihilo plùs audieritis ex me. Egressis *y* nuntijs, notarius venit literas habens Imperatoris ad pedes, quarum vigore impulsi eum præstolabantur

p figuralẽ figularem, legendum puto, figuram fidelium.

q animaduerteret, quid attinet dicere? qualia cantant iuuenilia & mundana theatra. Itaq;. r *nisi his quatuor.* s *vt agnoscam pulsuere quomodo fœdar. Vtrum.* t *debeo, qui infensissimè.* u *ad vos sum venire.* x *vt rem totam noueritis.* y *istis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bantur vel nolentem ad iudicium occurrere. Ad iudicium igitur concitus perge. Quum autem notario responsum dedisset, duo qui presbyteri fuerant Iohannis, ipsi nuntium attulerunt, Eugenius quidam, qui & pro adornata aduersus Iohannem improbanda molitione mercedem recepit, nimirùm primariam sedem Heracleæ. Isaacius insuper taciturnus (vt ne temere locutus videat) hi duo dixerunt, Synodus tibi apertè denuntiauit: Transito ad nos pro te responsurus ad crimina aduersum te nobis tradita. Ad hæc Iohannes per alteram Epistolam eis ex aduerso significauit: Cuiusmodi est hæc synodus, quæ nondùm expulsis hostibus meis me accersit per meos Clericos Lupicinum, Demetrium & Eulysium Epos, qui & à Iohanne missi sunt ac venerũt ad eos qui stant à parte Theophili, quando ipse Theophilus, quiq; cùm ipso sunt Episcopi, detinuerunt eos. Illum quidem prosciderunt conuitijs, alterum autem intersciderunt, deniq; tertij collo circumposuere ferramenta, qualia appararant sancto Iohanni, quò ita de gradu deiectus in nauiculam, in locum ablegaretur incertum & vix vlli conspicuum, in quo quidem eos quasi leones redderet & efferaret vnus aliquis Dæmon. Simul autem atq; Iohannes se aduocantes vidit, ipsos tanquam inimicos exceptione submouit à cognitione causæ, & [a] ad œcumenicam prouocauit synodum. Quumq; perpendisset illorum impudentem & temerariam voluntatem, seipsum cohibuit. Illi [b] porrò, generosi scilicet, confectis ad perennem causæ istius memoriam commentarijs vtiq; *a* arachnæa textura infirmioribus, defunctoriè ac solutiùs pronuntiant aduersus beatum Iohannem, & lata sententia gradu deturbarunt, cuius faciem ne viderant quidem, sed neq; vel die vna eius vocem exaudierant, telæ clausulam imponentes, quam sua malignitate aduersus eum non pauco tempore pertexuerant. Dæmoniaca hæc impressio semel animæ illapsa, ratione nulla cohiberi potest, nullam moratur causæ discussionem. Illi concilij [c] relationem ad Imperatorem præmiserunt. Quandoquidem Iohannes super criminibus quibusdam accusatus, quòd sibi esset malè conscius, accedere noluit, nec se sistere iudicio; leges autem talem gradu deturbant, id quod sustinere cogitur. Continebant libelli *b* condemnationem, simul & intentam criminis actionem. Iubeat igitur vestra pietas ipsum vel inuitum in exilium protrudi, pœnasq; luere pro expurgatione sui, & iustificatione, quandoquidem * anquirere de capitis periculo illicitum est nobis. O ter miseri. Quæ ex animo sentitis, & opere ipso expletis, nihil ne vos suppudet dum ea conficitis, non vtiq; Deum reueriti, sed humano timore correpti? Eam verò sententiam damnationis perferre coactus est ob conuiciatoriam increpationẽ in Imperatricem detortam, *c* qua eam dixerat referre personam Iezabelis. Illi quidem admirabiles viri cùm consuluissent vt gladio eum *d* spectarent de vita hac emigrare, in alium facinus hoc refuderunt, ac tali exceptione à se submouerunt flagitium. Atqui DEVS flagitiosam horum iniquitatem in arcano pectoris recessu eatenùs delitescentem, in apertam lucem *e* protulit, omnibusq; palàm fecit innotescere. Dan. 6. Etenim principum corda emollijt, quemadmodum Danieli contigit apud Babylonem. Illic enim cicurati sunt & Leones assidentes prophetæ, & immanem eorum ferociam inflexit, idq; præter naturæ ordinem. Imperator autem vt qui fidem, quàm parerat, facilius commodasset obtrectationibus sacerdotum, (Neque enim dum vel auditu perceperat causas quarum gratia ab eis insimulabatur, at neq; ei obtulit facultatem se expurgandi ac respondendi pro se, vt ea refelleret, & conuinceret falsi eos à quibus iudicialis actio intenta ei fuerat) iubet è vestigio propelli ab Ecclesia misso ad id Comite vnà cùm militari subsidio, quasi aduersus barbaricam aciem. Rei gestæ indignitas simul atq; percrebuit & innotuit multitudini, in tantam indignationem redaccensa est, vt totam noctem ducentes insomnem nequaquam siuerint eum ab Ecclesia abstrahi, quinetiam voce exerta inclamabant oportere iudicari eiusmodi causas per numerosiorem synodum. Iubebat nihilominùs Imperator rem omnem perfici, nimirùm vt quàm ocyssimè ab Ecclesia extrusus in exilium abriperetur. Hoc vbi resciuit Iohannes triduo à depositione exacto, die ad meridiem deuergente, se eò abducturis vltrò dedidit, clam multitudine. Magnoperè enim verebatur, ne quid *f* turbelæ aut seditionis conciretur in sui gratiam. Eam [d] ob rem Iohannes in exilium abibat festinus, in locum sibi præstitutum, nimirùm in sacro ore Ponti situm. Hoc enim nomen inditum est *g* loco illi, Statio nauium. Populus verò media in ciuitate in intolerandam seditionem conuersus est, cuiusmodi oboriri solet in talibus. Multi enim eorum quibus fuerat inuisus, & infense eum oderant, ad commiserationem conuertebantur, & ipsum asseuerabant calumnijs oppressum, quem paulò antè exauctoratum iam cupiebant coràm tueri. Sanè ea de causa plures exerta voce inclamabant aduersus & Imperatorem & episcoporum synodum. Omnium maximè totius calumniosæ accusationis causam vni Theophilo acceptam referebant. Neq; enim quæ isti seorsim egissent, deinceps potuerunt tegi silentio. Ex multis præterea & alijs coniecturis, maximè autem quia mox à Iohannis exauctoratione, *h* eorum communione vsus est qui à [e] Dioscori parte stabant, & nomenclaturam præferebant Longorum. Tum quidem temporis in Ecclesia palàm docebat [f] Seuerianus, creditus eo in tempore concerpere & insectari Ioannem, dicens: vt nihil aliud interceſſisset ad condemnationem Iohannis, at certè crimen illud, mos scilicet qui illum vrgebat superbus & arrogans, abunde suffecisset ad eum gradu dignitatis deturbandum. Siquidem peccata omnia condonantur hominibus, at superbis & arrogantibus Deus resistit, vti docent diuinæ scripturæ. Visus est multitudinis iudicio dicta hæc pronuntiasse vt iusto contentiosius, ita & ambitiosiùs:

Psal. 3. 1. Pet. 5. Iac. 4.

profundo iam vespere factam cum totius populi immenso lamentu, Chrysostomi Epist. ad Innocentium Papam declarat, vt refert Baron. *g portui illi. Populus.* h *eorum (monachorum) communione.* [e] Theophili cum Dioscoro & Longis communicationẽ iam ante factam probat Bar. [f] Seuerianus quid in Chrysostomum.

LXIII. EXAVCTORATO igitur Iohanne, literas scripsit [g] Theophilus ad Innocentium Romanum Papam, quas misit vnà cùm lectore quodam suo, nempè Alexandrino. In priore earum loco recensebat Iohannis deiectionem: quas vt legit primùm, parùm abfuit quin *i* interruperit eas, condemnans Theophilum temeritatis & arrogantiæ, quòd is & solus scripsisset, nec manifestam causæ cognitionem destinasset, ob quam ipsum *k* exauctorasset vnà cùm nescio quibusdam. His de causis aliquantum extraxit temporis. Nolebat siquidem contraria scribere tantisper dum esset cogniturus de causa leuiter discussa. Inter hæc Eusebius quidam nomine, Diaconus diù Romæ versatus ob negotia Constantinopolitanorum ecclesiasticorum, profectus ad Innocentium Papam, libellos ei tradidit vt legeret, eundem iureiurando obstringens, vt aliquantum temporis sibi temperaret à scriptura, nimirùm tanto pleniorem agniturus reuelationem * totius molitionis. Exacto autem triduo, episcopi quatuor qui à parte Iohannis stabant, adfuerunt, viri vtiq; religiosi, Pansophius *l* Pisidiæ, *m* Papus Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ. Hi epistolas reddiderunt, vnam ad occidentem, alteram quidem quæ erat beati Iohannis, aliam insuper episcoporum quadraginta qui mutua communione acquiescebant Iohanni, qui etiam tunc sunt deprehensi cùm eo, quo tempore sectatores Theophili significarunt vt ad synodum quæ in Quercu collecta erat, transmearet. Aliam insuper beati Iohannis. Hæ inquam epistolæ significabant illos ex compacto conspirasse ad conciendam tumultuationem disciplinæ expertem. Ob hæc misit è diuerso [h] Innocentius Papa, vt pars vtraq; inter se ex æquo communicaret, interim non probans visum sibi iudicium quod à Theophilo definitum fuisset, dicens oportere alteram congregari irreprehensibilem synodum episcoporum occidentalis plagæ simul & orientalis, idq; primùm omnium ab eo concilio se submouerent * amici, dein

Imperatorio edicto citatur vt conciliabulo se sistat.

[a] Prouocat ad œcumenicam synodum.

[b] Sententia fertur contra Chrysostomum.

a *aranea tela.*

[c] Relatio ad Arcadium Imp. de damnatione Chrysostomi.

b *condemnationem. Iubeat.*

* nihilo meliores hi Iudæis: Nobis non licet interficere quemquam.

c *quam detulerant, quia dixerat referre.*

d *de vita hac tollerent, in aliud tempus hoc refuderunt. Atqui e protulit. Etenim.*

f *turbæ aut seditionis concitaretur.*

[d] Exturbationẽ Chrysostomi ad an. 403. ex Sozom.

[g] Theophilus ad Innocentium Pontificem dat literas.

i *discederit.*

k *exauctorasset, nec cum quibus episcopis.*

* aduersus scilicet Ioannem.

l *Pisidiæ.*

m *Pappus.*

[h] Innocentius Papa improbat factum de *Ioannis.*

Chrysostomo iudicium.

dein ab alterius partis synodo pedem referrent ij quibus fuerat inuisus. Neq; enim vtriusq; partis iudicium rectum esse potuit, vti plurimùm contingere assolet in diiudicandis forensibus causis. *a* Prætercursis autem diebus aliquot, aliàs rursùs literas scribit [a] Theophilus ad beatum Innocentium, easq; mittit per Petrum Alexandrinum presbyterum suum, & Martyrium Constantinopolitanæ Ecclesiæ diaconum, cùm nonnullis eriam monimentis quibus videri pomodùm poterat Iohannes condemnatus iudicio triginta sex episcoporum. Horum equidem Ægyptij nouem erant supra viginti, septem reliqui aliarum regionum. Proindè significabat Iohannem ambitiosa affectione dominandi percitum, die vna Episcopos sex supra decem de gradu depulisse, & sibi familiariter ac domesticè notos in illorum locum subrogasse. Hisce lectis admonitorijs literis Innocentius Papa cùm deprehendisset causas non admodùm graues, ac præsentia Iohannis destitueretur, nec ad manum haberet quæ crimini vertissent isti, condemnans nihilominùs Theophili insaniam, quòd incandescens animo in eiusmodi erupisset sententiam, supersedit causæ. Dimissis igitur nuntijs cùm literis increpatorijs, Deo supplicauit fusis precibus & ieiunij obseruatione vnà cum omni Ecclesia, vt eiusmodi schisma è medio tolleretur, & fratres mutua charitate agglutinaret. Porrò literarum tenor hæc efficaciter continebat. Frater Theophile, te scimus ciuilem esse & familiariter communicantem, perindè ac fratrem Iohannem, quare voluntatem nostram tibi voluimus perspectam reddere & manifestam tenore priorum literarum. Nunc item nequaquam deflectentes ab illo tum proposito easdem literas tibi scribimus, & quoties miseris. Quia nisi decens iudicium consecutum è vestigio fuerit de eorum emendatione quæ abs te ioco & per ludibrium gesta sunt, admodùm erit difficilè, vt citra iustam rationem nos auocemus à communione Iohannis. Quare si tu quidem tuo vnius sensui rerum istarum arbitro inniteris, fac ad nos conferas pedem, & huic quæ ad Christi gloriam celebratur synodo, sistas teipsum & occurras, vt detectis causis ibi loci Canones Nicænæ Synodi sancias & confirmes tuo ipsius elogio. Non enim Romana Ecclesia alium aut diuersum approbat Canonem, eum obseruans pro tutelari securitate, & cui nemo controuertere debeat.

a *Elapsis.*

[a] Theophilus alias ad Innocent. dat.

Reseriptio Innocentij ad Theophilum.

LXIV. His sibi lectis literis non iam adiecit, vt scriberet beato Innocentio Papæ, sed anquirere cœpit de his quæ concernebant ordinationem Heraclidæ, quẽ consecrarat Ioannes in Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum, idq; pro virili perfecit. Hanc vtiq; occasionem aucupabatur, vt de gradu Iohannem deturbaret. Enimuerò Heraclides non tum aderat, sententiam nihilominùs subijt damnationis, quòd tumultus quosdam obstreperos concitasset iniquè, catenis astrictos nonnullos triumphi ritu per mediam traduxisset ciuitatem Ephesiorum. Itaq; qui ab Iohanne stabant, asserebant sibi indecorum videri esse, aduersùs reum absentem dictare sententiam. Ediuerso Alexandrini pertinaciùs contendebant eos esse recipiendos qui Heracliden insimulabant quamlibet absentem, quandò iustè & inculpatè ea iudicij actio intenditur. Hinc igitur seditiosa factio & peracres digladiationes obortæ sunt inter Constantinopolitanos & Alexandrinos: & inita consertione mutuæ conflictationis multi quidem sauciati sunt, pauci verò *b* disperierunt. Hæc cùm spectasset Theophilus, Alexandriam versus se fuga proripuit. Eum enim ciuitas requirebat, *c* vt emenso mari adesset: qua ex re fuga suæ *d* consulens saluti sartam tectam eam reportauit. Nec secùs alij fecere Episcopi, præter admodùm paucos, qui quæ erant Iohannis complexu & osculo chariùs sectabantur, cæteri ad sua quique domicilia quàm ocyssimè se receperunt. Per hæc quidem dum ita gererentur, Theophilus nulli non inuisus omnium patebat despicatui, nemo non damnabat. Odium mirè adauxit aduersùs ipsum, quòd nullo aliorum metu exterritus iterùm se exercet in lectione [b] librorum Origenis. Et hæc quidem quæ de Theophilo, simul & de eis qui beatum Iohannem exauctorarunt, scripta leguntur.

Pugna inter Constãtinopolitanos & Alexandrinos oritur causa Heraclidis, & Theophilus fugam capit. *boccisi sunt*

c mari mergeret: qua. d *consuluit saluti. Nec secus.* [b] Vide quæ superius diximus de libris Origenis.

De morte Dioscori & Ammonij ab hoc diuersus abit Nicephorus

LXV. Dioscorvs autem eorum vnus qui Longi nuncupabantur, Hermopoleos Episcopus paulò pòst à fuga Theophili suum obijt diem, dignusq; est habitus qui in splendido admodùm sepulchro funeraretur ἐν τῷ μαρτυρίῳ, hoc est in æde sacra martyri, quod est ἐν δρυῖ, in Quercu, quò loci habita est Synodus calumniæ aduersus Iohannem adornatæ.

Call. libro 13. capite 15.

Honorius Imp Arcadium fratrem increpat, ꝙ permiserit Episcopatu deijci Chrysostomum.

LXVI. Honorivs autem Imperator simul atq; didicit relatu Innocentij Papæ Romani de his quæ aduersùs beatum Iohannem gesta fuerant, & quia sectatores Theophili, vt Imperatrici Eudoxiæ gratificarentur, præter tenorem Canonum, nulla intercedente causa eum exauctorassent, vehementer indoluit. Priùs enim aliquantò auditu fuerat edoctus de ipsius præclara & omnium virtutum ornamentis perpolita conuersatione, deq; doctrina spirituali eiusdem, quamobrem magnoperè cupiebat eum coram tueri. Actutum igitur literas scribit fratri suo Arcadio Imperatori vertens illi vitio & improbans quòd sanctum hunc virum, & qui ab omnibus elogia eximiæ virtutis reportasset, siuerit de gradu tam indignè deijci, ob quam causam ipse Arcadius esset propediem apud omnes passim malè auditurus, quòd eum qui præter formulam Canonum sacris esset operatus in episcopatu ditionis ipsius, constituisset tanti & irreprehensibilis viri iudicem, & eò maximè quòd decidendo ei negotio non interfuissent vicarij Apostolicæ sedis, nõ etiam Episcopi Romæ. Arcadius [c] Imperator consternatus animo est ac mœrore confectus literis acceptis, secumq; inibat rationem, quinam illum posset ab exilio reuocare. Planè enim ipse vel tandem nouerat beatum Iohannem calumnijs per insidias fuisse oppressum, & præter omnem æquitatem condemnatum ab ijs qui cohærebant Theophilo. Præterea [d] terræmotu ingenti per noctem *e* promoto in ciuitate, cùm terror non mediocris inuasisset Imperatricem, quòd plaga quædam accidisset Imperiali cubiculo, populus insuper ciuitatis præter modum omnem tumultuabatur & obstrepebat, vociferantes, quia nisi Iohannes iniustè exactus Ecclesiæ ingressu, redux ab exilio huc venerit, ciuitas tota absorbebitur & consumpta disperibit. Quò factum est, vt iusserit Imperator ipsum reuocari. Ad prædictum igitur Iohannem reducendum missus est *f* Brisson Eunuchus Imperatricis cùm pluribus alijs, & eum deprehendit in *g* Prænето: Emporium autem hoc è regione Nicomediæ situm est. Ipsum supplices orarunt, vt quàm ocissimè in vrbem se reciperet, suoq; aduentu periculum impendens ciuitati sisteret. Alij insuper præter præmissos delegati eò sunt. Bosphorus completus est illò missis obuiam. Quem vt agnouit postliminio reuersum turba ciuitatis erga ipsum spectatæ cùm primis ac summæ fidei, Pontonibus nauicularijs ad eum excipiendum circumuecta est, & traiecit os Propontidis. E clero enim omnes illi honoris gratia perrexerunt obuiam, lampades accensas siue funalia cerea præferentes. Illa tum hostilis caterua dissoluitur, itq; pessum. Iohannes autem per euocationem redux non priùs voluit ciuitatem ingredi, tantisper dum quæ aduersùm se tentata fuerant, exactiore iudicio expenderentur. Interim permanebat in suburbio cui nomen *h* Mariana. Eo igitur nectente moras nec volente ingredi ciuitatem, indignata est populi multitudo, moxque erupit in maledicta, proscindens principes contumelijs & imprecationibus. quapropter necesse fuit vt ingrederetur ciuitatem. Egressa enim populi multitudo multo cùm honore venerabili quidem & augustiore, incunctanter ipsum deduxerunt in Ecclesiam, obsecrantes vt episcopali throno insidens consuetam pacem apprecaretur populo, hoc vt fieret ipso etiamnum flagitante Imperatore. Beatus autem Iohannes id à se repellens ac deprecatus asserebat

[a] Terræmotu Cõstantinopolis concutitur post discessum Chrysostomi.

e moto.

f Brisson.

g προαστείῳ *aliàs* προαστίῳ.

h Mariana.

Chrysostomus introducitur Cõstantinopolim.

hoc

hoc debere fieri præuio iudicio,& se in integrum restitui priùs oportere illorum decreto ac suffragijs,quorum sententia episcopatus sibi fuerat abrogatus. Ingenti desiderio flagrabat plebs ipsum videndi pro throno considentem, eundemq; exaudiendi pro more docentem. Enimuerò obtinuit tum populus,vt ea exequeretur. Insidens igitur episcopali throno Iohannes,consuetò more populo apprecatus pacem, & ad explendum officium adactus docebat. Hoc facto, qui infensè ipsum priùs oderant, aduersùs eum ansam arripiunt conciendæ alterius *a* calumnioſæ actionis. Iohannes autem totus erat in erudienda plebe,ac proindè ciuitas omnis super eius doctrina incredibili iucunditate perfundebatur,pro ipsius reuocatione festum celebrans diem. *b* Sed enim etiam tum Serapionem *c* qui aduersùs eum odia episcoporum conciuerat,insuper & clericis Constantinopoleos reddiderat inuisum, Heracleæ quæ in Thracia sita est ordinauit consecrauitq; in Episcopum. Erat Constantinopoli illo tum tempore mulier quædam Olympias nomine,splendore generis,opulentia, peritia multiplicium disciplinarum,dexteritate ingenij, ac flore ipso ætatis exornata. Parentibus orbata hæc viro quidem copulata est,neq; pudorem alioqui virginalis sanctimoniæ eam corrupisse celebris fama edocuit. Hæc cùm conuixisset viro mensibus circiter viginti,ille *d* repetitus naturæ debitum,hoc temporis compendio finem accepit vitæ,hoc prænoscente Deo qui mortalium præuidet exitus. Illa autem cùm posset in-
1 Tim. 5 seruire & obsequi apostolicæ commonitioni: Volo iuniores nubere: matres familias esse, *e* siue domui præesse, id opere ipso præstare non sustinuit,sed *f* capreæ instar laqueum alterius connubij minimè tolerans transiliuit. Iusto enim lex nequaquàm posita est, sed non subditis ac malè morigeris, prophanis, & his qui expleri non queunt *g* corruptela. Contigit autem inuidia Diaboli,nimirùm eam torni ritu circumagitari per *h* intempestiuam viduitatem. Huius orbitas cùm ad aures perlata esset *i* Theodosij Imperatoris, toto nixu huc incumbebat,vt eam copularet Hispano cuidam [a]Elpidio sibi congeneri,fœdere nuptiarum, identidem ei adulatus & obsecrans vt assentiretur. Deiectus tandem despe,contristatus est.Illa siquidem animum suum ei manifestè detexit hisce verbis: *l* Imperator meus si voluisset me vitam transigere cùm viro quopiam,vtiq; non ademisset mihi primum coniugem. Verùm quia perspectissimè nouerat quàm foret incommodum vitæ *m* huic confusaneæ & permistæ, nec ipsa possem placere viro,& illum exemit vinculis mortalis vitæ,& mihi è grauissimo iugo seruitutis viri exemptæ perquam suaue iugum continentiæ imposuit,mentiq; meæ infudit. Hac reddita responsione, iubet Imperator Prætori ciuitatis, huius facultates vt tub sua asseruet tutela tantisper dum *n* ætatem explesset corporis trigennem. Hic accepta ab Imperatore illius tutela velut pupillari,vsq; adeò eam afflixit Elpidij suggestione extimulatus, vt nullius rei penes se retineret potestatem, non itè posset sermonem texere cùm Episcopis quamlibet insigniter pijs,ac ne Ecclesiam quidem sineretur *o* adire. Hinc factum,vt ob assensum coniugij negatum in acediam tædiúmve sit collapsa. Et hæc quidem sua oppressione pleniùs intellecta,cùm gratiarum actionem Deo debitam exoluisset,hæc Imperatori *p* è regione significaunt: Decentem scilicet virtutem & Episcopis tuis consentaneam declarasti erga me humilem, mi Domine, nimirùm tu, qui iussisti me atrocissimo onere tutelaris custodiæ premi. De quo cogites velim quàm rectè opes meas dispensauerit. Magnificentiùs feceris & longè præstantiùs,si quidem iusseris vt eas conferat in pauperes, & in vsum Ecclesiarum dispergat. Posthàc enim ipsa *q* voui omnimoda assuefactione gloriæ inanis appetentiam fugere, vt nè circa materiam hanc implexa & animo diducta *r* videar neglexisse natiuæ indolis & ingenij diuitias. His rationibus inductus Imperator cùm à bello quod aduersùs Maximum gessit, retulisset pedem, iussit vt ei in integrum restitueretur potestas omnis suarum facultatum, idq; cùm inaudijsset peracre exercitium religiosæ eius vitæ.Siquidem *s* à refrigerantibus lauacris plurimùm sibi temperabat,aliòqui opus ei erat balneo ob aduersam valetudinem, *t* qua continenter malè afficiebatur. In aquas quidem indusiolo amicta descendebat,quòd vereretur(vti fama est) vel seipsam contueri nudam.Tali progressu religiosæ exercitationis cùm promouisset, opere ipso se dignam præstitit quæ ordinaretur in [b] Diaconissam Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Mulierem hanc (si tamen vno verbo dici debeat mulier,ob virilem & expromptam alacritatem in exercitio virtutis) Theophilus [c] Alexandriæ Episcopus insimulauit, quòd ea benignè excepisset hospitio prænominatos sanctos patres, ac monachos à se deiectos è monte Nitriæ. Scripsit & hic ad Innocentium Papam,probris ac maledicentia illam insectatus,quo tempore & de sedecim Episcopis ab Iohanne die vno depositis *u* scripsit, quos & in Asia deprehensos deiecit gradu, quòd comperti essent coëmisse precio dignitatem sui sacerdotij, quorum iam superiùs ipsi meminimus. De his scripsit & Theophilus incredibili maledicentia incessens Iohannem, quasi qui cupidiùs ambijsset nominis sui gloriam.Porrò ipse Theophilus non semèl cùm *x* esset præsens Constantinopoli,non rarò huius Olympiadis genibus accidens,ea deosculabatur, illa *y* per molestiam morbi in humum decumbente,& se lachrymis proluente Episcopo tale *z* aliquid faciente. Et illos alioqui passim apud omnes dicebat intemperanti iræ esse obnoxios,& eosdē asserebat è monte deturbatos ob immodicam dominandi ambitionem, Olympiadem verò asseuerabat *a* conuitijs aspersisse se ob superstitiosam religionem, & vt inimicam quòd solitarios illos excepisset. Quoties enim is per illiberales suas assentationes ab officio decedens nihil ab ea accepisset præter ēdulia ac munera hospitalia, ad maledicta deflectebat. Olympias [d] quodquot Constantinopolin aduenissent Episcopi,religiosi viri aut monachi,eos hospitio exceptos *b* benignè apprehensa dextra tractabat,vti docebit progressus sermonis.

a *calumniæ* b *Sed etiã.* c *(vnde aduersus se odia episcopo rum concitauit Ioannes,insuper & cleri Cõstantinopoleos) Heraclia quæ in Thracia sita est ordinauit episc.* d *repetitus vt naturæ.* e δικ:δεσποτεῖν. f *Dorcadis exemplo, laqueum.* g *carnali.* h *immaturam.* i θεοδοσίου. [a] Olympiadis nuptias Elpidij recusat. l *Meus Rex si voluisset.* m *huic permistæ.* n *vitæ explesset trice simum annum.* o *adire: vt in acediam tadiúmue collapsa cõiugio tandē assentiretur. Et re quidem pleniùs intel.* p *vicißim.* q *voui gloriæ inanis.*

r *negligam natiuæ.* s *ab animantium esu,& balneis plurimum sibi temperabat.Si autem opus ei erat.* t *quæ contin.è stomacho laborabat, in aquas indusiolo.* [b] Diaconissa Constantinopol Ecclesiæ ordinatur. [c] Olympias à Theophilo accusatur quod Monachos è Nitria pulsos, (quos sanctos vocat,Origenistas interim) receperit:excusanda tamen fuit id ob, quod nesciret illos excommunicatos,videretq; eos à Chrysostomo hic author receptos. u *scripsit præsex, quos.* x *esset Constantinop. huius Olympiadis.* y *hac de causa in humum.* z *quid faciente. Alioqui passim apud omnes fatebatur intemperanti ira eosdem asserebat.* a *probro.* [d] Olympiadis hospitalitas. b *benignè tractabat vti docebit consequens sermo.*

LXVII Non incredibile autem esse duco, nec me facturum rem absurdam, si nonnullam portionem commemorauero virtutum sanctorum illorum qui à Theophilo quidem *c* è monte deturbati, ab ipsa autem sunt comiter accepti, idq; ad accendendum spiritualem zelum in his qui delegerint hoc vitæ genus *d* in se recipere. Erant enim hi apud Deum simplices ac probi. Multos siquidem quos à malitiosa improbitate auocassent,ad complexum virtutis persuasorijs assertionibus alliciebant. Sapientes & hi & perfecti à tenellis vnguibus, è parentibus prognati Christianis,Dei antè omnia præceptis obsecundantes ac morigeri, nullo pacto sustinebant etiamdum adolescentes inseruire vlli vanitati, non item inter obstrepentem turbam conuersari, sed cùm à meridie aduenissent in locum non eatenus habitatum, gurgustiola siue cellulas sibi construxerunt longius ab orbe habitabili alio quouis loco sitas, quatenus effugerent solaris radij splendorem,simul & rorulentum vaporem aëris.In hisce tuguriolis degentes suam omnem vitam consumpserunt,orationibus se dedentes & *e* lectionibus. Secundum [e] hoc pro pietate illi extorres & eiectitij, fructus manuum suarum decerpebant sudore & *f* operatione quæsitos, arbitrati melius sibi fore si vnà cum *g* Dorcadibus,passercu-lis alijsq; id genus auiculis ac bubalis gregatim degerent, quàm si genialiter viuentes cum hominibus qui ignorant Deum, cupedijs perfruerentur & lautitijs. *g* Et ille quidem omnium generosissimus annos transegerat circiter nonaginta.Idem cum beato Antonio fuerat conuersatus,*h* vocatus *i* Hierax. Hoc illi fuit proprium nomen. Alter autem Ammo-

Reuoca in memoriã Lector quæ superius passim à nobis dicta sunt de hisce viris

c *pulsi ac deturbati.* d *amplecti.* c *lectionib. fructus manuum.* [e] Non pro pietate extorres sed ob hæresin fuisse superius diximus. e *opere.* f *Capris, Damis.* g *horum quidem.* h *dictus Hierax. Alter.* i *miluus siue accipiter.*

Ammonius cùm *a* duobus etiamnum religiosis fratribus atque vno Episcopo; qui cùm vincula pertulissent & immanes torturas sub Valente, finibus illis eliminati sunt, quemadmodùm vniuersa *b* agnoscit Alexandria: & is sexagenarius erat. Et hi scientia sic præditi erant, vt eos nihil lateret in diuinis scripturis, in quibus *c* alioqui permulti hærent & addubitant. Horum [a] quidem duo obdormierunt Constantinopoli in fatum concedentes. Ammonius autem [b] priusquam è vita migraret, oracula reddidit de futuris. *d* Monumentum autem eius dicitur mederi rigore febrili laborantibus. † Sepultus verò est trans mare in æde Apostolis dicata. Porrò Dioscorus & idem Episcopus quum diem suum obijsset, sepultus est in martyrio, quod situm est in Quercu antè portam siuè columnam, de qua superiùs dictum est. Et quidem permultæ mulieres constanti in ipsum fide nitebantur, adeò vt si qua testis *e* per orationes Dioscori se obstrinxisset iureiurando, nulla ratione passa fuisset se iuramenti esse perfidam desertricem. Fuit proindè & alter Hierax, Græco quidem nomine ita vocatus, moribus autem spiritualis disciplinæ *f* oppidò quam ornatus, quippè qui primùm in Porphyreten montem solus secessit citra respirationem vllam. Annos quatuor illic assiduus ad consolationem suam in solis virtutibus *g* acquieuit. Dein cùm iam dictis patribus in eremo Nitriæ annos transegit *h* quinque supra viginti. Huic aliquando quum adstitissent Dæmones, (iuxta ipsius enarrationem) suggesserunt illi vitam *i* affore diuturnam, seriam enim nauabant operam, vtà proposita spe inhabitandi eremum propellerent. Hi in angelos lucis transformati, dicebant: Annos victurus es quinquaginta, quinam eos assiduus tolerabis in hac eremo? Ille ex oppositio *k* dono vsus intelligentiæ, fide formata intulit: Angore animi contracti estis (ait) & mœrore contabescitis, quòd tempus mihi præscripseritis longè minùs proposito meo. In ducentos siquidem annos viaticum & commeatum mihi apparaui *l* hanc inhabitaturus eremum. Illi audito responso se aliò receperunt, ad eum modum eiulantes, vti assolent Dæmones, quoties nullis suis *m* mentitis & argutè excogitatis commentationibus vnum aliquem possunt adacediam perpellere pollicitatione diuturnioris temporis. Ipse Theophilus suo vnius iussu, loco illos à se inuicem segregauit, *n* & eò necessitatis euasit, vt sibi malè metuens rursùs ab Ammonij dormitione exercitum *o* assumpserit, cuius ope fretus totam eremum illam occupauit, malè memor *p* illius quæ de [c] aratro est parabolæ. Rursùm presbyter alius dictus Isaac discipulus beati *q* qui fuit discipulus magni Antonij, qui & *r* nimisquam requiem deamabat tranquillæ solitudinis, hic annum agens quinquagesimum *s* mente memori conseruabat vniuersam [d] scripturam, idem in conspicua luce Cerastas serpentes gestabat manibus, idq; citra vllum vitæ periculum. Ex vtero matris virgo quum esset, quinquennis adijt eremum. Exactis cùm patribus prædictis annis quadraginta, à Theophilo Papa *t* cribri in morem excussus est è solitudine. Fuit *u* etiam alter Isaac presbyter, & hic discipulus fuit & successor *x* Cornij presbyteri, qui & discipulus fuit ipsius Antonij. Fuit is peritia scripturæ *y* insignis & excellenter doctus, ad hæc amantissimus peregrinorum & hospitum, si quis alius: qui & *z* ob exuperantiam hospitalitatis (quippè quam vnicè amabat) xenodochium, domum scilicet excipiendis hospitibus accommodam in tota eremo illa exædificauit ad refrigerium *a* debilium monachorum, & indigenarum hospitum, atque contemplationem sanctorum patrum. *b* Aiunt autem & hunc iræ totius fuisse alienum. Hic annum agens in ea Anachoresi (solitario scilicet secessu) *c* trigesimum, cùm iã dictis afflictus est Prior quidẽ Isaac quinquaginta supra cẽtum obtinebat suo magisterio addictos discipulos sub religiosa exercitatione. *d* Ex istius discipulis ipse Theophilus septem aut octo constituit Episcopos. Fuit & alius qui ducentos ac decem discipulos simul instituit, quorum non pauci in numerum cooptati sunt Episcoporum. Atqui tales ac tanti ob Isidori presbyteri causam *e* à Theophilo Papa de eremo abacti sunt vi. Isti sunt quos *f* nè pili quidem faciebat sacerdotes & leuitæ, *g* & ad ignominiam ac dedecus virorum virilis mulier illa hospitio excepit, & ad *h* condemnationem Episcoporum [c] Diaconissa mulier, vtiq; fœmina hospitalitatem benignè exercuit, cuius sanè laus in Ecclesijs apud nos *i* percrebuit. Quum tam multis benefecerit vna hæc, vtique illum imitata est Samaritanum qui iamptidem attritum illum & à latronibus miseris modis confractum, eoque semimortuum, quum inuenisset in descensu vrbis Ierichuntinæ, ad hospitium suomet imposuit iumento. Quantam hæc copiam tum pecuniarum, tum possessionum in indigos & inopes *l* dispertiuerit, ad dicendum non mihi suppetit facultas, sed eorum est, quorum calamitatibus pio affectu ipsa condoluit. Nulli *m* siquidem se exhibuit grauem, nemini molestam, qua re naturam qua ad clementiam in omnes propendebat, conseruauit. Prædicatur hæc pleniore obsequio sibi deuinxisse beatum Nectarium, adeò vt eidem *n* obsequeretur in tractandis negotijs ecclesiasticis. Porrò Amphilochium, Optimum, Gregorium & Petrum Basilij *o* fratrem, Epiphanium Cypri Episcopum, *p* viros haud dubiè sanctos quid attinet referre? in quos gratuita liberalitate dilargita est & agrorum possessiones & confertam vim pecuniarum. Optimi oculos quo tempore mortem oppetiuit Constantinopoli, suis ipsa *q* manibus obtexit. Ad hæc non mediocriter *r* illos recreauit in omnibus, Antiochum dico, Acacium & Seuerianum, vtque semèl finiam, magna ex parte omnes sacerdotali ordine insignes, *s* vndeuis gentium aduenissent. His adde religiosos ac virgines, prorsùs nulli numerandos. Quin & beatum Iohannem pleniore obsequio sibi deuinciebat & demerebatur, à quo & puriore affectu diligebatur, simul & decentiùs honorabatur. *t* Quod enim ipsius virtute dignum erat, *u* ipsa lucidissimis argumentis declarauit. Nè enim eius studia interpolarentur, an non hæc quotidianum ei suppeditabat *x* cibum? *y* Hæc quidem solicitudo noctu & interdiù haud mediocre adfert impedimentum Christi operarijs & cultoribus, qui quæ Christi sunt, cùm ipso Christo anxiè cogitant, quemadmodùm asserit Paulus salutans Persidem, idipsum & Olympiadi fortè tum operanti, scribens vt salutem impartiantur Persidi dilectæ, quæ multum laborauit in Domino. Huius verò virtutem quòd pleniùs nosset Iohannes, à secundo exilio dignatus eam est duabus † epistolis. Horum autem omnium non inconsultò aut temere commeminimus, sed quòd velimus vt nostra hac opera innotescat posteris sanctorum illorum conuersatio & continentia, simul & sanctæ Olympiadis constans magnanimitas, & eiusdem destinata ad DEVM voluntas, ministerium insuper eius prolixè & opulenter exhibitum pauperibus, sacerdotibus quoque & reliquis ad hoc non paucis.

INTER

a *duobus religiosis.*
b *nouit Alexandria. Et hi.*
c *adhuc.*
[a] Hæc ex Palladij dialogo author.
[b] Nota quã ta suis tribuant Origenistæ: sed domestici testes. Vide Bar ad an. 403
d *Memoriæ de illo prodi tum mederi illum febri laborantibus.*
† In Mocij martyris tẽplo sepultũ esse habet ex Sozom. Bar.
e *obstringeretur iureiurando per preces Dioscori iuraret. Fuit & alter ille Hierax,*
f *valdè ornatus; quippè qui primum extra Aegyptum & Thebaidem in Porphyreten.*
g *acquiescens.*
h *viginti quinq;.*
i *fore diuturnam. Al laborabant enim serio, vt à proposita spe depellerent.*
k *Fidei vsus intelligentia intulit: Angorem animi, ait, mœroremq; attulistis, quòd tempus mihi.*
l *in eremo.* m *mendacijs aliquem possunt.* n *eoq; necessitatis erupit vt ab Ammonij.* o *collegerit, quo totam eremum.* p *illius dicti nomine de aratro.* [c] Nemo mittens manum ad aratrum. q *Desit nomen istius beati, forsan Ammonij. Antuerp. exemp. habet, beati illius qui fuit.* r *valde tranquillæ amans solitudinis.* s *memoria seruabat.* [d] nomine scripturæ intelligit vtrumque testamentum. t *velut cribro exagitatus est.* u *& secundus Isaac.* x *lege κρονιν. fuit hic 110. annorum monachus. Vide Nicephorum & Palladium.* y *insignis; ad hæc amantissimus.* z *ob hospitalitatis (quam vnice amabat) excellentiam xenodochium.* a *infirmorum monach. & aduenientium hospitum.* b *(iræ enim omnes aiunt expertem vixisse) annum in ea Anachor.* c *trigesimum agebat, cum iam dictis malis afflictus est.* d *Alter vero Isaac ducentos & decem.* e *& Theophilo Episcopo vi eremo abacti sunt.* f *contemnentes.* g *magno rubore ac dedecore virorum.* h *confusionem.* [c] Olympiadis Diaconissæ encomium: q æ reprehendenda vtique fuisset si sciens excommunicatos recepisset: sed ignorans cum fecerit, hospitalitas eius sua laude non caruit. i *percrebuit, vtiq; illum superauit Samaritanum qui attritum illum à latronibus miseris modis, eumq; semimortuum relictum. quum.* l *distribuerit.* m *molesta, molestia hactenus caruit. Prædicatur.* n *auscultaret.* o *fratres.* p *& alios viros sanctos.* q *clausit manibus.* r *hos recreauit in aduersis omnibus Antioch.* s *vndecumq; aduenis.* t *Quantum enim.* u *ipsa exhibuit. Hæc enim quotidianum ei.* x *μάζην.* y *Quæ.* † Harum alterutram primus dedit ante annos 20. God. Tilmanni, huius vitæ interpres, & post illum Iacob. Bellius Abb.

LXIIX. INTER hæc contigit, vt statua [a] argentea nomen præferens Eudoxiæ Augustæ super columnam erecta fuerit. Ea statua conuestiebatur * amiculo præmolli ac tenui cum purpura intertexto. Stabat autem in sublimi gradu columnæ, non quidem *a* è vicino ecclesiæ, sed nec sec. otius ab ea, cui nomenclatura edita fuit, Sophia, id est, Sapientia. Via proinde lata admodum & intermedia vtrumque dirimebat ab altero. Apud eam columnam, inualuerat consuetudo, vt circumagerentur publici ac *b* pueriles ludi. Arbitratus [b] autem Ioannes fieri hæc in contumeliam ecclesiæ, consueta concionandi libertate vsus, rursum suam ipsius linguam obarmauit aduersus eos qui talia eatenus egissent. Et sermone quidem minime consolatorio suadet principibus, vt sibi in posterum temperarent ab istiusmodi puerilibus ludis. Et linguæ quidem acrimonia vehementi & onerosa vsus falce & peracriter perstringebat principes qui hæc iussissent fieri. Imperatrix autem quæ dicebantur, ad se trahebat, illiusque sermones rursus existimans in suam vnius contumeliam detorqueri, se comparat ad synodum episcoporum cogendam aduersus eum. Id vbi resciuit Ioannes, homiliam [c] illam omnium ore consono decantatam in ecclesia recensuit, cuius principium est: Rursum Herodias insanit, rursus concit turbas, rursus choreas agit & gesticulatur, rursus caput Ioannis quærit in disco, & quæ sequuntur. Et hoc tanto acrius ad indignationem & iram redaccendit Imperatricem. Itaque mensibus exactis duobus Constantinopoli cogitur [d] episcoporum concilium, Leontius Ancyræ minoris Galatiæ, Ammonius Laodiciæ quæ in Pisidia sita est, *e* Brisson Philipporum Thraciæ, Acacius Beroeæ in Syria, alij insuper aliquot antistites cum suis metropolitis. Qui prius detulerant Ioannem quum *d* adessent, clam emenso mari, dentibus iam aduersus Ioannem frendebant. Inter hæc autem ipse spe bona confirmatur, orabatque vt de quibus insimulatus esset, ea *e* anquarentur.

[a] Eudoxiæ statua argētea erigitur Anno 404.

* χλανίδα

a *iuxta ecclesiam, sed non procul ab ea, cui nomenclatura Sophiæ, i.e. sapientiæ.*

b *ludecri pueriles.*

[b] Chrysost. declamat in Pharanitas.

Cur autem Chrysost commotus fuerit, vide quæ supra diximus ad Metaphrasten, & Baronium tom. 5. annal. ad ann. 404 [c] Chrysostomus quid in Eudoxiam concionatus [d] Secundum Concilium aduersus Chrysost cogitur. c *Brisson.* d *abessent, dentibus iam.* e *exuterent.*

LXIX. QVI eum incusarant, non inuento plausibili principio formandæ aduersus eum actionis, ad Theophilum [e] qui tum in Alexandria erat, mittunt, perspicue eidem significantes, Aut occurre tu, & dux præsto aduersus Ioannem. aut si tibi male metuis à populo, modum saltem aliquem nobis præscribito, daq; consilium quo freti eam auspicemur actionem. Ad hæc Theophilus [f] quidem minime obuiam illo iuit, pulchre sibi conscius, quam turpi fuga *f* suæ illinc consuluisset saluti. Tres nihilo secius misit plane miserabiles episcopos, Paulum & Pœmena, hoc est Pastorem, sic vocatos, alium item quendam nuper consecratum cum his etiamnum misit, & Canones quosdam, quos Ariani ediderant aduersus beatum Athanasium, vt eiusmodi Canonibus vsi, publicam actionem Ioanni innecterent, obiicientes: Cur quaue ratione nixus post semel abrogatum tibi episcopatum, in eius thronum inuasisti priua authoritate, tuoque vnius suffragio ac sententia? Ad hæc [g] ediuerso Ioannes, constanter, scite & animo nequaquam effœminato respondit. Qui proinde aduenerant episcopi Metropolitæ, iuxta tenorem Canonum communicarunt Ioanni, ne *g* eadem sibi quæ & primis contigerant, fierent à populo, Principes vbi resciuerunt, infensis animis tulerunt mutuam illam eorum communicationem. Et Theodorus quidem Tyannæorum episcopus, vir vtique morum honestate & habitu decorus, vt intellexit primum quibus ex causis concinnata sit calumniosa hæc iudicialis actio, & ad eius autes perlatæ sunt, ne insolentiac licētiosæ temeritati Theophili obsequutus minus ordinate videretur, relictis omnibus ad suam se recepit ecclesiam, perseuerans in communione fidelium Romanorum. Pharethrius autem Cæsariæ episcopus *h* per redundantem excessum timiditatis, exemplo puerorum magnopere veritus personatas laruas ac spectra, nequaquam est ausus egredi ciuitatem. Tantum fuit, aduersæ parti compromissum fecit de decisione totius causæ, idque missis ad eos literis. *i* Tametsi non vocatus in medium prorupit decori expers, ac nescius honestatis, primamque vendicauit sibi cathedram ignoratione meliorum. Leontius autem Ancyræ Galatiæ agglomeratus, & cum Ammonio Laodiciæ Ambustæ coitionem faciens ambussit ecclesiam, hi quidem non modo non fracti interminationib. principum, sed ex diuerso spe munerum imperialium in fraudem erroremque abrepti, sententiam tulerunt plane improbandam ac k nefariam, in hoc vt qui stabant ab Antiocho & Acacio, vim roburque obtinerent ad confirmandum prorsus indiferetum Theophili iudicium, sed & dolo malo nullum reliquerunt locum Ioanni sui purgandi, & pro se respondendi. Ioannes [h] iusta responsione reuicit Canones à Theophilo missos, ac reiecit, quod qui eos scripsissent & obseruari iussissent, communicassent Arianæ hæresi.

[e] Theophili auxilium cōtra Chrysostomum imploratū.

[f] Theophi. l. quid moliatur cōtra Chrysostomum.

f *suæ consuluisset.*

[g] Chrysostomus respondet Episcopis à Theophilo missis

g *ne eadem quæ primi committerent. Principes.*

h *quæ est ad Argaū episcopus minus timide fornon est tamidans, non secus atque infantes laruas, nequaquam est ciuitate egressus tantum aduersæ parti compromissum fecit, idque missis ad eos litteris: tamen vocatus in medium rusticum ac stultus erga primam cathedram ignorat* i *Intercisa est hæc sententia, desitq; nonnihil.* k *nefariam,* [g] Chrysostomus respondet Canoni sibi obiecto.

LXX. SIVE si episcopus, siue presbyter iuste aut iniuste depositus, si priuata authoritata citra decretum synodi inuaserit ecclesiam, talem deinceps nolumus locum obtinere sui purgandi, sed expellatur, & demum in exilium relegetur. Ad aliud nihil inimici excutiebant ac perscrutabantur, adulterinas & falsi nominis scripturas, nisi vt ne ad iudicium accersirentur, obiicientes quod insiliuisset in thronum episcopalem post abrogationem dignitatis citra synodale suffragium pro se redditum. Ipse autem dicebat se minime iudicio contendisse, non item exaudiisse tabellas aduersum se scriptas, non etiam sibi factam potestatem pro se respondendi, ne præsens quidem condemnatus sum, sed iussu Imperatoris in exilium relegatus sum; rursus eiusdem præcepto sum reuocatus, quemadmodum & veritas rerum gestarum luculenter *l* expressit. Et hic quidem Canon tanquam illegitimus & à iure dissentaneus de relegādo in exilium, in k Sardicensi synodo declaratus est ab Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus *m* & Eladicis episcopis, quo tempore Liberius & Iulius sanctum Athanasium & Marcellum Galatam admiserunt ad communionem sub Imperatore Constantio, in quorum odium Canon ille ab istis institutus est. Sed enim iste duernio admirabilium scilicet virorum Ammonius & Leontius sic inter se conflictantes & conserti cum Acacio, Antiocho, Cyrino Chalcedonensi & Seueriano ad Imperatorem quum essent ingressi, ipsum edocuerunt, vt iuberet intro aduocari decem ex his quia à parte Ioannis stabant episcopis. Erant enim plures quam quadraginta, qui *n* inter se velitaribus verbis conflictabantur pro sanciendis & approbandis Canonibus istis, fortiter asseuerantes quidem eos niti recta fide & opinione. Ex oppositio lucidissimis argumentis alii conuincebant ab Arianis esse profectos. Interea ingressi sunt Elpidius Laodiciæ Syriæ episcopus, vt senio maturus secundum animam, ita & canicie venerabilis, & Tranquillio, ad persuadendum Imperatori *o* nihil conuenire citra rationem relegari Ioannem in exilium. Neque enim prius legitimè fuerat ei adempta dignitas, sed per comitem est extrusus: *p* non item priua authoritate thronum inuasit, sed iussione tui imperii eo conscendit. Et nunc demum Canones quos adferunt, docemus ab Arianis emanasse, quin & ipse Ioannes probauit hunc ipsum quem obtrudunt Canonem non ab *q* ecclesia profluxisse, sed Arianorum esse commentum reuicit, editum quo tempore Antiochiæ conuenerunt ad abrogandam fidem de consubstantiali Trinitate, quem ediderunt hostili odio infectantes magnum illum Athanasium. Illi autem obstinatis animis ac turbulente persistebant aduersus Ioannem contentiosius rixas nectenres, & quidem exerta voce iidem effrenate & *q* impudenter alios summouebant loco, pectora ipsorum feriebant exagitati, ceu iam compotes *r* victoriæ vi aduersus Ioannem extortæ. Ediuerso [l] Elpidius sedato animo, & maxime ad legis præscriptum se gerens moderatè, velut adiuncta exili quadam serenitate ait Imperatori: Ne plus æquo molesti simus mansuetudini tuæ, fiat vel hoc. Frater Acacius & Antiochus subscri-

[l] Canon.

l *ostendit.*

[k] Conc. Sardicens. c. 3.

m *Græciq; episcopis.*

n *inter se conflictabātur. hi quidem tāquā pro Catholicis canonibus; illi verò quasi, vt erat ab Arianis profecti essent. Interea ingr. o minimè conuenire.*

p *neque.*

q *Ecclesiæ*

bant se

nostræ profluxisse. q *impudenter summouebant.* r *victoriæ aduersus.* [l] Dilemmate aduersarios Chrysostomi perstringit Elpidius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *cum illis sentimus, qui ipsius.*
b *innocens. Verum.*
c *adhærebant.*
d *ea adacti*

bant se probaturos, quos in medium protulerunt Canonas ab orthodoxæ fidei viris fuisse editos. Nam & ipsi *a* ab iis sumus prognati, qui ipsius fidei orthodoxæ Canonas exposuerunt, & hunc in modum soluta fuerit propositæ quæstionis ambiguitas. Animaduersa propositione hac Imperator subridēs, dixit Antiocho. Hac vna re nihil commodiùs. Erat autem Imperator hic omnium maximè *b* qui fuerunt, malitiæ omnis expers. Verùm enimuero, qui Seuerianо *c* adhærescebant, vertigine cerebri laborabant in morem turbulentæ aquæ, & ob id, quod prudenter fuerat dictum ab Imperatore, ciusdemque sagax iudicium, detenti adeò sunt ac consternati pauore, vt ne hiscere quidem auderent, in immodicum pallorem suos permutantes vultus. Nihilo secius *d* ea quadantenus adacti necessitate se subscripturos pollicentur, inuiti licet. Re ad hunc modum gesta egressi, suam de subscribēdo pollicitationem non adimpleuerunt, excusantes se id inconsultò esse pollicitos, veriti ne probationi Canonum succumberent. Atqui secum commiscebantur, ac mente versabant causas, ob quas priùs fuisset Ioannes actus in exilium.

e *nouē, vel decem.*
f *iucūditatem. Mentem.*
g *sic auocabat.*
h *dies natalitius.*
i *Iustus vt leo confidit.*
k *anni curriculū solet.*
a *Arcadius iubet Chrysostomum Ecclesia cedere.*
b *Chrysost. quid Arcadio responderit.*
l *fieri (populus enim repugnat) me hinc vi.*
c *E templo propellitur.*
m *venturam.*
n *aliquid mali accideret, eoq; ipsum quā ocyßimè in Ecclesiam introducerent.*
o *Sin secus, vt rursus.*
p *Mosi intulit.*
q *spoliauit Saluator Cruci.*

Hæc insuper & alia, quum isti nullo suo fructu essent moliti, ac transmissi menses *e* decem ac nouem, beatus Iohannes episcopus vnà cum alijs quadraginta duobus itidem episcopis cùm esset congregatus, interea populus omnis multam cepit ex eius doctrina *f* iucunditatem, & animis exhilarabatur. Mentem enim suam *g* sic solebat auocare ab omni appetentia gloriæ inanis, vt vel quoquo pacto calamitatibus attereretur, etiam inter angustias, nescio quid ab illius ore proflueret solito iucundius simul & efficacius. Quum autem *h* dies genethliacus, siue natalitius Saluatoris appeteret, Imperator ad ecclesiam non venit, quod alioqui pro more illi erat, sed significat non priùs se communicaturum Ioanni, quàm se purgasset, & à se excussisset obiecta crimina. Verùm enimuero, qui Ioanni falsò criminа impingebant *i* fiducia innocentiæ confirmato episcopi omnes per hæc nulli non innotuerunt. Interea à occurrit dominicum ieiunium eo, quo per *k* annuum curriculum contingere solet ordine. Itaque qui cum Antiocho sentiebant, rursus ad Imperatorem ingressi omnibus clam ipsum solito pressius edocuerunt, conuictum esse Ioannem, & compertum criminis, idque vt eum iuberet in exilium relegari. Et quidem hæc peracta sunt proximo paschæ festo. Imperator *a* igitur eò necessitatis adactus istorum suggestione, & eis fidem commodans tanquam episcopis, significat Ioanni, vt ecclesia emigraret, quòd iam duarum Synodorum suffragantibus decretis ea esset exauctoratus dignitate, ac proindè non esset Imperator, ante Ioannis egressum, ingressurus Ecclesiam. Ad hæc ex diuerso significat Imperatori: Ego *b* à Deo & Saluatore nostro ecclesiam hanc suscepi mea vnius prouidentia regendam, pro subditi populi salute. Eius curam pastoralem deserere non queo. Siquidem id vis *l* fieri, me hinc vi propellito, vt deserti officij atque ordinis possim reponere iustam rationem, nimirùm quòd tua vnius potestate sim exauthoratus functione mihi concredi-ti ordinis.

Quidam è *c* Palatio missi, cum timore alioqui ipsum inde pepulerunt, iubentes vt in Episcopi ædibus degeret, præsagio quodam rati iram Dei aduersum se *m* euenturam, ac proindè *n* aliquid accideret & inamœnum, eoque ipsum quàm ocyssimè in ecclesiam introduxerunt, vt exorabile numen sibi propitiarent. *o* Sin ad hunc modum, vt rursus flagra experirentur, cuiusmodi Pharao *p* concisus est administro Moyse. Itaque Iohannes arcebatur, ne quo pacto re-migrans descenderet in ecclesiam, sed seorsim transigeret vitam. Hæc dum fiunt, instituit magni Sabbati dies, quo quidem die infernum *q* spoliauit, Cruci affixus. Iterumque illi per internuntium iubent, vt egrederetur ecclesiam. Ille verò *d* prout decebat, consentanea respondet. Imperator verò quum percepisset, iure eum condemnatum, simulq; intellexisset turbam ciuitatis tumultuantem, iubet ad se eos acciri, qui à parte Antiochi & Acacij stabant, eisque dixit: Quid mihi facto opus sit, *r* generosi vos decernite ac videte. Illi cordati scilicet & animosi Imperatori dixerunt: Imperator, in caput nostrum resiliat, quæ à nobis irrogata est Iohanni abrogatio pro his, quæ gessit aduersus Canones, inuadens thronum. Sed enim ne tunc quidem vllum Iohanni locum sui purgandi, ac pro se respondendi indulgentes, in ipsum tulerunt sententiam condemnationis, nequaquam secum reputantes, quoniam *s* illi, qui Athanasium magnum de gradu deiecerunt, hoc sunt vsi Canone. Hisce auditis, episcopi qui Iohanni aderant, numero quidem *t* sanctæ Trinitati nihilo dispari, *c* accesserunt ad Imperatorem simul & Imperatricem ad ædem Martyribus dedicatam, lachrymis profusis obsecrantes, vt ecclesiæ Christi parcerent, eò maximè, quia Paschæ dies appetebat, nec pauci fonte baptismatis erant regenerandi, priùs *u* mysterijs fidei nostræ instructi: quapropter sinerent suo frui sacerdote. Hac vna de re illi exauditi non sunt. Respondens autem Paulus *x* virtute continentiæ sanctus, dixit mira cum libertate & intrepidè: Eudoxia, liberorum tuorum miserta metuito Deum. Videto, ne impendentem hanc Deo peculiariter consecratam celebritatem contumelia aspergas profusione sanguinis. Hi quadraginta episcopi, cùm se recepissent quique domum, in suis diuersorijs peruigiles ducebant noctes, illi quidem illachrymantes, hi autem mœrore contabescentes, alij verò inuicta & inexpugnabili mentis vertigine detenti, præut *y* vnumquemque vitiosa affectio obsederat. Equidem presbyteri & clerici Iohannis, qui etiamnum penes se timorem Christi retinebant, omnes insuper, qui studio propensiore illi cohærebant, extemplo pedem retulerunt, & ab ecclesia secesserunt, & celebritatem Paschæ in publico *z* lauacro, cui nomen *a* à Constantio mutuatum inditum est, concelebrārunt.

r *ne consultando aberretis, videte.*
s *Ariani.*
t *sacra Quadragesima; & sic legendum, 40. enim numero fuere Græcè τῆς ἁγίας νηστείας.*
u *Catechumenos intelligit.*
x *vir fiducia plenus.*
y *quemque affectio.*
z *baptisterio.*
a *Constantiniano concelebrarunt.*

Cum his autem aderant, & qui præimbuti fuerant rudimentis Christianæ fidei, simul & qui sic instructos viuæ vocis oraculo fonti baptismatis admouerent (vti par erat) idque ob instans pascha. Et hæc ipsa isti præposteri sententiarum corruptores, & fraudulenti impostores humanarum mentium Antiochus, *t* Acacius & Seuerianus ante omnia ad suos præfectos deferebant, orantes vt impedimento essent, nec sinerent fieri frequentis populi congregationem. His contradixit magister Palatinus, dicens: Nox est, & numerosa turba, quare prouidendum est, ne quid indecori facinoris aut flagitij perpetretur. Qui autem Acacium sectabantur, exceptione sermonis opponebant: Nemo in ecclesijs remansit, & timemus, ne ecclesiam ingressus Imperator, dum ne vnus quidem in eis inuentus sit, hinc percipiat populi erga Iohannem beneuolentiam, nosque condemnet malitiosæ obtrectationis & inuidiæ, eò maximè, quia ipsi diximus, neminem esse omnium, qui mentem studiumve illi alacriter & cum voluptate commodet, homini nimirum fœdifrago & irreconciliabili. Ad hunc modum Palatinus magister eos contestatus simul & obtestatus pro his, quæ euentura erant, assignauit eis Lucium quendam, sicut dicebat, *b* Græcum ducem militaris numeri eorum, qui cingunt latus principis, præcepto ei dato, vt mansuetè & clementer populum qui secesserat, reuocaret in Ecclesiam. Is cum abijsset, nec exaudiretur, ad eos se recepit, qui adhærebant Acacio, eisque *c* denarrauit, quantum molestiæ & amarulentæ responsionis à populo exceperit. *d* Secundùm hoc assiduè ac suppliciter ipsum obtestantur, vt aureis verbis ac pollicitationibus maioris profectus *e* exorent, ne die festo sinatur populus conuentum facere. Hic cùm extemplo asciuisset ad se clericos partis Acacij, egressus est secunda custodia noctis, cuius gratia missus fuerat. Populum autem illis in locis consistentem prorogant & extrahunt ad primum vsque gallicinium. Thraecem *f* illum comitabantur sicarij ensibus accincti, *g* recens in exercitus formam allecti, numero erant nihilo dispares illi Esau, nempè quadringenti, & ijdem præter omnem modum impudentes ac præfracti. Itaque locum subindicantibus

b *Gentilem.*
c *narrauit.*
d *Adhuc assiduè.*
e *Christi impatientus gloriam exorent.*
f *illum comitabantur ensibus.*
g *Grassatio militum in fideles collectos.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cantibus clericis ac militibus *a* (nimirum vti lupus assolet) illos adorientibus per noctem repentino insultu effrenatè impressionem *b* fecit is, ferro fulguris instar explendescenti conscindens multitudinem populi. Is introgressus est ad aquas beati fontis, prohibit urus ad celebrandam resurrectionem Christi conclusos. Diaconorum symbola multa cū temeritate, & excandescens diffudit. Presbyteros autem, qui iam alioqui essent ætate, parili fustibus & *c* clauis, quum cecidisset aduerso cerebro, lauacrum [a] regenerationis *d* permiscuit sanguine. Tunc licuisset videre angelicā illam noctem, in qua dæmones prætrepidi olim fuerant ingenti horrore contracti, *e* in petulcam & effrenem audaciam fuisse demutatam. Mulieres enim amiculis nudatæ vnà cum viris præcipiti fugā illinc se proripiebant concito cursu vsæ, veritæ ne iugularentur, aut cuipiam probro ac dedecori inseruire cogerentur. Ob hæc ignominiosum, ac præter decorum nuditæ cursum inuitè licet complexæ sunt. Alter fortasse secundùm manum ictus, & cruore perfusus lamentabatur. Alius item virginem aliquam pertrahebat, *f* circumcidens eam. Alius præterea vestimenta compilabat, quatenus is potuit. Omnes denique illi prædones se accinxerunt in prædam abripiendis quibusque preciosissimis *g* thesauris, quin & ipsas sanctorum thecas siue capsulas interuertebant. Et quidem per hunc modum comprehensi presbyteri & diaconi in arctam custodiam coniecti sunt. Qui autem in populo præpollebant amplitudine dignitatis, ex ea amplissima ciuitate extrusi sunt. Proindè edicta alia alijs *h* citra vllam temporis intercapedinem succedanea, compitatim affigebantur, & quæ comminationes *i* continebant diuersas planè. Earum tenor spectabat huc, vt omnibus interdiceretur communione Ioannis. Interim tamen fiebant hæc, quin etiam plura his tantò ambitiosiùs contendebant efficere externi illi dicti episcopi. Sed enim isti conuentus amore flagrantium doctorum, imò potiùs Deum vExod. 1. nicè diligentium fieri prohibebant. Cæterùm iuxta id, quod in libro Exodi, egressionis scilicet filiorum Israël, quantò ex eis plures interimebant, tantò plus multiplicabantur. Siquidem ex illo iam tempore congregationes seorsim agitabant locis ab aliorum cœtu disparatis: ita vt hi Ioannitæ appellarentur. Porrò Imperator postridie eius diei egressus, vt se in agro adiacente exerceret, *k* vidit terram nullo satam semine, simul & *l* quandam contemplatus candido amiculo conuestitam, & stupore perfulsus ob visionem floris nuper * illuminatorum, siue nouorum luminarium. Erant autem *m* circum ceruicem. Percunctatus autem à satellitio suo, quid frequens hominum conuentus iste in vnum aggregatorum significaret: Dicunt ei, *n* vtique isti sectarij Valentiniani erroris, falsam detulere sententiam, vt Imperatorem ad indignationem proritarent. Equidem isti, qui continenter se constituunt sequestres & arbitros motoriæ istius *o* factionis, vt throno præficiantur, præmittunt suos asseclas immisericordes prorsus, multoque inclementiores futuros his, qui retroacto tempore huc venerunt, & id [b] quidem dispergēdo auditores, doctores carceribus inclusos detinendo. Qui enim huc venerunt, paucos quidem è clericis, è laicis verò plures occupārunt. Nemo interim infidelium obijciat: *p* Recens illuminati, quum tot tantique adessent, è parte autem aduersa tam pauci numerarentur, quinam fieri potuit, vt hi in tot fideles dominium acceperint, ita vt rarus miles sic frequens collegium *q* dissipare potuerit? Sanè qui hac de re addubitat, miretur potiùs insignem prærogatiuam nostræ religionis, simul & doctoris exactam diligentiam hoc argumento perspicuè declaratam, quippè qui indiuulse ad rectitudinem reuocat istorum hucusque inexpugnabilem voluntatem. Haud *r* quaquam enim decorum fuit, vt qui ab ipso Ioanne edocti fuerant prudentiam, & morum æquabilitatem mansuetudini coniunctam, desipienter adeò ac turbulentè *s* nihil non malignitatis moliantur aduersus doctorem. Cum istis qui detinentur carceribus, comprehensæ sunt & vxores illustrium virorum. Sunt & inter eas, è quarum capitibus rapto detracta sunt *t* flamea. Aliarum proinde inaures conuulserunt, vnà cum deformi detruncatione auris. *v* Sed enim ingenuam quandam, & è spectabili genere prognatam mulierem, nec id modò, sed & supra modum opulentam direpto eius flameolo, vt saluti continentiæ & pudori consuleret, *x* fuerunt præcipiti cursu ingredi ciuitatem. Erat enim hæc præter floridam ac præstantem formam, adde & naturæ dexteritatem, *y* ornamentis omnibus mundi muliebris circumamicta. Hoc quidem pacto carceres principum completi permutabantur in ecclesias. Siquidem hymni & responsoriæ relationes ad mysteria subseruientes in *z* carceralibus locis persoluebantur. Verbera insuper ac multiplex species iurisiurandi plena vtiq; formidinis & horroris *a* neque non torturæ, hæc omnia in medijs ecclesiis *b* fuerant exercenda, & id ad mortem vsque, malignitate diabolici aduersum nos hostiliter grassante.

illustratio, illuminatio, pro baptismate ob funalia, lege Nazianzenum, Chrysostomum, Tertullianum. Intelligit autem hoc loco eos, qui ea nocte baptizati acceperant candida indumenta, numero 3000. vt habet ex Palladio Bar. ad annum 404.

m *ad tria millia.* n *à Valentinianis errore decepti falsam hanc induēre sententiam.* o *factionis (Acaciana.)* [b] Milites irrumpunt in Neophitos doctoris exactam. p *Si recens illuminati tot tantique sint, è parte autem.* q *dispergere potuerit. Admiretur potius meliorem pietatis conditionem, &* r *Non enim decebat.* s *quid meliori aduersus.* t μαφόριον, κεφαλῆς περιβλημα, *capitis integumentum. Phauor.* v *Sed & cuiusdam vxor, & spectabili genere prognatam mulierem, & supra modum.* x *induto virili habitu præcipiti cursu in ciuitatem fugere* y *ornamentis circumamicta.* z *carceribus.* a *ac torturæ.* b *fiebant ad Ioannis execrationem, vt impellerent, qui ad mortem vsque malignitati diaboli hostiliter grassantis restitit.*

LXXII. IOANNES igitur magno studio cauit, ne quò progrederetur ad duos vsque menses, sed in ædibus episcopalis ecclesiæ *c* versabatur, nullius iam futurus vsui. Porrò die ab expleta Pentecoste quinto assectæ Acacij, Antiochi, Seueriani & Cyrini ingressi ad Imperatorem, [c] dixerunt ei: *d* Tu cum in nos non modò potestatem acceperis (in omnes siquidem tua se porrigit auctoritas) quicquid igitur velis, id tibi e licuerit efficere. Ergo ne tu presbyteris & episcopis esto sanctior. Diximus tibi iam ante omnia, id ipsum reculcamus: *f* Ioannis abrogatio in caput nostrum resiliat. Quāobrem ne quis dicat, in hunc vnum collata misericordia in omnes nos immanem parat ferociam & seueritatem. Verbis hisce planè *g* Iudaicis forsan & operibus ipsis ad explendam suam malignitatem Imperatorem pertraxerunt. Ad hunc modum subdola persuasione circumuentus Imperator misit Patricium vnà cum episcopis, simul & Notarium, per quos hæc significat Ioanni: Acacius, Antiochus, Seuerianus & Cyrinus cum assectatoribus suis sententiam contra te latam in sua ipsorum capita contulerunt. *h* Quæ igitur ad te spectant, [d] accepta refer Deo, & eius permittito prouidentiæ. Egreditor ecclesiam. Per hunc igitur modum, cùm beatus Ioannes ab ædibus episcopi vnà cum sibi adhærentibus episcopis descendisset, post perspicuè denuntiatam, nec vlla vmbratili ambigine obscuratam sententiam, dixit omnibus: *i* Agedum, orationes effusuri, vnà cum angelo præside ecclesiæ *k* coordinemur. Ob hoc quidem factum mirè quidem exhilaratus est, mœrore alioqui contrahebatur pro ærumnosa populi afflictione. Tunc stans Ioannes pro more compendio fecit enarrationem ijs, quos in loco deprehendit. Cumque eis explanasset symbolum ter centum decem & octo sanctorum patrum, adhortatus est eos se, vt obseruarent ab hæresibus Marcionistarum, Nouatia-
Mat 23. norum & Arianorum, qui *l* quidem se omnibus palam visendos exhibent, tanquam sepulchra albario perlita, intrinsecus autem pleni sunt emortua fide, execrabili blasphemia & putore graueolenti. Sed enim significat hæc Ioanni vnus aliquis ex Dei amantissimis, & inter optimates populi facilè primus.

LXXIII. QVANDOQVIDEM Lucius vir planè *m* singulari temeritate præditus, ac facie impudens ad hoc affuit accinctus, te vt loris adstringeret, plebs autem totius ciuitatis ad *n* turbelam & obstreperos tumultus cietur, quare seriam operā

vt vnus homo moriatur pro populo, Ioan. 11. h *Itaq; tua permitte Deo.* [d] Chrysost. iubetur recedere. i *Age fundamus preces.* k *coniungamur.* l *omnibus apparent.* m *crudelis ac facie impudens ad hoc in publico adest balneo cum suis militibus accinctus te, vt loris adstringat;* n *turbam.*

a *illos luporum more adorientibus.*
b *facit, ferro.*
c ῥοπάλοις *non* ῥωπάλοις *à clauâ.*
* Sacrilegia scelerato-rum.
d *tinxit.*
e *in labyrinthum fuisse mutatam.*
f περιχύσας *lege* περιτ-μας, *aut* περιχυσας *vi præpollens: raptas eam habet exemplar Antuerp.*
g *Thesauris. Et quidem.*
h *continuò succedentia per compita affligebantur.*
i *continelūt, vt omnibus interdiceretur.*
k *vidit ad quintū fermè lapidem terrā nullo.*
l *candore vestitam.*
* φωτισμὸς
c *otiosus versabatur. Porrò.*
[c] Aduersarij dem. ò Chrysostomi ab rogationē vrgent
d *Tu in nos potestatem a Deo cum, acceperis.*
e *liceat. Ergo ne sis mitior presbyteris, & episcopis sanctior.*
f *sanguis eius super nos.*
g *Necesse est omnibus*

nauato, vt omnibus clam festines egredi, ne plebs aliquid indecori tua vnius causa a proinouens, variè conflictetur, & pugnam conferat cum militibus. Tum Ioannes quosdam ex episcopis illachrymans [a] deosculatus est, reliquos verò nequaquam sinebat exosculari interni affectus commotio, [b] quos proinde & cæteris coniunxit, cum lachrymarum profluuio dicens: In sacrario manete, vt egressurus nonnihil vobis edisserem. Ingressus is baptisterium ad se aduocat Olympiadem [c] nusquam emigrantem ab ecclesia: quippè quæ in orationibus & ieiunijs consumpserat vitam, cuius virtutes à nobis superius commemoratæ sunt, vnà cum † Pentadia & his, quæ prius vocatæ fuerant Diaconissæ, cum Syluana, quæ vxor fuerat beati [d] Nebridij, quæ suam viduitatem adornârat decenti habitu, eisdemq; dicebat: [e] Agite dum, ô sorores, audite me. [f] Quæ ad me attinent (vti video) suum sortiuntur finem. Cursum meum consummaui, nec amplius fortè visuræ estis faciem meam. Vnum hoc à [g] vobis afflictim contendo, eiusq; vos votis omnibus admonitas velim: ne qua vestrum consuetam, ac iugem beneuolentiam erga Dei Ecclesiam [h] intercidat. Quòd si quis inuitus fuerit per suffragia in episcopum creatus & euectus, eiusque creatio fuerit suffragante conscientia omnium [i] inconuersa, nec vlla de ipsius electione intercesserit ambiguitas, vos vestra capita perinde ac Ioanni k succlinetis. Omninò enim habitura est suum episcopum ecclesia: & ita mei misertæ, estote in orationibus vestris mei memores. Illæ interea lachrymarum [l] profluuio fusim se perfundentes, ipsius sanctis pedibus aduoluebantur. Tunc vni religiosorum, & eidem presbytero cùm annuisset, dixit: Hinc istas intrò accipe, vt ne quid [m] tui belæ aut obstreperi tumultus concitent. Hunc in modum illæ parumper, cùm ei fuissent impedimento, visæ sunt assensum præbere. Sic igitur exijt plagam versus orientalem. Nihil [b] enim apud ipsum [n] pars obtinebat occidua. [o] Subiugale animal, cui consueuerat insidere, iussit ad occidêtalis [p] portæ plagam duci, vtq; illic eum præstolarentur, ne quis ipso exeunte conciretur tumultus populi. Angelos præterea tutelares ecclesiæ patronos visus est se videre ipsius desolationem non ferentes, quam quidem moliebantur principatus ac potestates tantæ istius malignitatis artifices, simile quiddam ostentantes, cuiusmodi solent theatrales ludi. Quemadmodum enim in theatro vox obstrepera [q] gallinæ glocientis instar redditur, ita & impij illi Iudæi pariter & Gentiles plausus ac sibila edebant, immodicè gloriabantur, & obtrectabant. Sed enim simul atq; in carceres coniectis inflictæ sunt plagæ, & per immanitatem mortuorum eorum viscera torturis examinata sunt, totius animæ vires perdidêre, tranquillumque statum, cum ob doctoris [r] ablationem, tum quod numen illorum blasphemijs lacesseretur. Apud hos quidem peccatorum impunitas, apud ergastulis clausos cruenta, & copiosa sanguinis effusio fiebat.

a *monens.* [a] Exosculatur suos discessurus. b *quos & cæteris.* c *quæ à templo non discedebat.* † *Hæc Timasij ducis vxor fuerat. Niceph Cal lib. 13. cap. 4.* d *Nebridij.* e *Agite filiæ* f *Iam mea vti video finem habet.* g *vobis cõtẽdo, votisq; omnib. rogatus velim* h *amittat.* i *certa.* k *submittite.* l *vbertate.* m *turbæ.* [b] Chrysostomus recedit ab Ecclesia: quam autem constanter ista pertulerit, vide eius Epist 3 ad Cyriacum tom 5. n *Erat occiduum.* o *Iumentum.* p *portæ templi plagam.* q *κλωσμὸς.* r *auulsionem.*

s *Post ingẽtes tenebras & enarratu difficiles, quo die.* [c] Cõflagratio ecclesiæ. vide Palladium in vita Chrysostomi. t *eloquia: & requirebat.* v *calumnio famã actionẽ depascebatur τὴν σκευωρίαν.* x *viperæ in morem vẽtrem exedẽs ad tergum.* y *παρὰ τὸν Tropo Hebraico.* z *idem.* a *inuentum palã exhi.* b *indemnẽ.* c *domesticas necessitates transferre.* d *ad nonam.* [d] Anno 404. Vide Socrat lib 6 cap. 16 Bar ad an 404. [e] Quæstio de incendiarijs habetur. i *Gentili imbutus superstitione.*

SECVNDVM hunc rei gestæ indicibilem scopum & enarratu difficilem, quo die Ioannem eliminârunt ecclesiæ LXXIV. aditu, flamma [c] è medio throno, cui beatus insidere consueuerat, erumpens, perinde atque cor in medi tullio corporis visa est, exponere velle reliquis membris Saluatoris [t] eloquia: quare & requirebat salutaris eloquij interpretem. Eo minimè inuento, [v] quicquid obuium occupasset, depascebatur, ac veluti in arborem conscendens, perrepsit in sublime per catenas aduscque fastigij supremi contignationem, & [x] Echæi instar [y] cor fugitans ad tergum ferebatur ecclesiæ & solaria eius, mercedem rependens iniquitatis, ac si ob id piaculum merito suo definitam pœnam luerent Deo, ad resipiscentiam & commonitionem eorum videlicet, qui re ipsa vidissent eiusmodi diuinitus inflictas calamitates. Nec id solum, sed vt memoria illius feralis synodi ad posteros transmitteretur. Mox enim vt eo incendio conflagrauit Ecclesia, subsolanus ventus vt aspirauit, senatus curiam honoris præcipui, multis constantem tribunalibus, è regione ecclesiæ sitam, meridiem versus locatam, [z] is velut prudenti consilio vsus, deussit ignis, ac si pons quidam transmissis vulgi domunculis, eam curiam vitiasset, non item corripuisset partem ecclesiæ propinquiorem, vt ne eam calamitatem asscriberemus vicinitati loci: quin & partem incendii in aulam imperialem immisit, vt res gesta admirabilior fieret, idque [a] σόφισμα commentum siue inuentum palam exhiberet indignante Deo esse immissum. Equidem tum licuisset videre bonam partem populi [b] indemniter & citra vllam noxam [c] suas necessitates trãsmittere in medio duorum ignitorum montium. Sanè ignis hunc in modum circunuolitans & exæstuans, veluti mare violento & australi vento [d] exagitatum, ita ignis ille quasi ex compacto progrediens ædes circunquaq; attingebat à nulla sibi temperans. Tantum illi curæ fuit, vt ne vel minimo attingeret ædiculam in qua consecratorum vasorum numerosa multitudo recondita erat: non quod ignis vereretur adoriri aurum, aut insilire in reliquam argenti supellectilem, sed ne locum præberet & ansam istis sycophantis confingendi medacii aduersus [e] iustum, quasi is quæq; pulcherrima suppilasset. Sic plane ignis ille affectus & quodammodo animatus, retro auertit ac suffrenauit flagrantem prius inuidiam, [f] eos velut vestigiatim persequens, qui temere talia fuissent aggressi: ad coarguendam vecordem amentiam Theophili, quandoquidem is se comparabat, vt [g] quam longissimè ablegaret Ioannem spe allectus potiundi thesauris. Et quidem deiectione animi per tot tantosque tumultus, nihil omnino ab incendio ignis resedit quod incolume esset. Denique sordes eorum, qui scelerate & execrabiliter illic fuerant conuersati, operatoria vi ignis eluebatur. [h] Abusque hora nona, tribus tantum diurnis horis tanta moles operum quæ permulto tempore confecta fuerant, euanuêre ex omnium prospectu. Hoc autem [d] contigit fieri 20. die mensis Iunii, Consulatu Honorii sexto. His accessit, quia nonnulli nullo Dei timore exterriti, nullam comminationem gehennæ menti inferentes, dicebant nonnullos eorum qui immodico amore acquiescebant Ioanni, ea conflagratione deusisse ecclesiã. Hac arrepta [e] occasione Optatus Constantinopolitanæ ciuitatis Prætor, sed [i] addictior Gentilium superstitioni, proinde & osor Christianorum, opportunitatem nactus eos in ius euocandi, [k] non paucos eorum qui à parte Ioannis stabant, dire & immaniter torsit. Alij rursus pertrahebantur non qualescunque pœnas luituri.

a *σόφισμα commentum siue inuentum palam exhiberet indignante Deo esse immissum.* b *indemniter & citra vllam noxam* c *suas necessitates trãsmittere in medio duorum ignitorum montium.* d *exagitatum, quasi ex.* e *Ioannem iustum.* f *eorum velut vestigia insequens.* g *ablegaret Ioann spe potiundi thesauris.* h *Ab sexta hora*

IOANNES [f] vero vna cum Cyriaco & Eulysio à militibus Prętoris loris adstricti pertrahebantur Bithyniam versus, LXXV. [f] Interrogato illis supplicio eandem ob causam. Demum Cyriacus & Eulysius vincti vna cum clericis, quod insontes essent pronunciati, absoluti sunt. Sed enim sanctus Ioannes [l] præter omnem superiorem loquendi libertatem hanc adiecit, dicens eis. [m] Et quidem in cæteris vt non locum dederitis expurgandi mei, vel nunc saltem audiar in hoc facto ecclesiæ. Quod si incendii istius author & reus (vti affirmatis) sim, ne sic quidem audiar. Illi tum milites abreptum eum abducunt in ciuitatulam quandã Armeniæ cultoribus destitutam, cui nomen Cucusus, vt illic neci eum [n] contraderent. Siquidem ab Isauris [o] noctu & interdiu obsidione cingebatur oppidulum. Eum alioqui hospitio excipit vir quidam nomine Adelphius, secum habens clerum episcopatus Arabissi, qui quidem dignus habitus est qui videret de hoc Ioanne apertam visionem, de qua in progressu sermo edocebit. Porro famulus [g] presbyteri cuiusdem Elpidij nomine mercede (vti fama est) conductus, nimirum aureis nummis quinquaginta, vt sanctum dolo circunuentum dederet neci. Is deprehensus tres habens [p] homphæas ad eam necem [q] perpetrandam, septem se sigillatim detinentes [r] icit, quorum quatuor sunt continenter mandati sepulturæ tres reliqui medela commode & in tempore adhibita reuaIuerunt.

[f] Chrysost., deportatio. l *ad.* m *in cæteris.* n *traderẽt.* o *noctes diesque.* [g] De sicario Elpidii famulo, Sozomen. lib. 8 c. 21 Pallad. in vita Chrysost. p *gladios.* q *patrandam.* r *percussit.*

Aderat

LXXVI. ABERAT proinde copiosa multitudo regionis illius, quorum hi quidem simulachra colebant, isti autem arbores & condensa nemora honori habebant; alij verò Solem venerabantur, quippe non norant, quibus officijs colendus veniret Deus, sed relicto creatore, creaturæ venerabilem offerebant latriam. Isti de beato Ioanne quum audijssent, quia eximius esset Dei seruus, per quem eum esset facultas edendi stupenda opera & admiratione digna, adducunt ad eum quendam paralyticum in lecto iacentem, eumque vt sanitati restitueret, obsecrant. Etenim apud seipsos dicebant: Hunc si curauerit, omnes nos in Deum ipsius fidem amplectemur, & omnibus quæcunque nobis mandato præscripserit, erimus obsequentes ac morigeri. Atqui Iohannes os suum quum aperuisset, dicit paralytico: Quantum defluxit temporis, ex quo hoc accidit tibi? Respondens ille per interpretem, ait: Octo sunt anni. Rursus dicit eidem: Cui culturæ ac religioni es addictus? At ille: Solem adoro. Respondens Ioannes, ait: Sol equidem nullo modo sospitatem, vt Deus, redintegrare tibi poterit. Subijcit his infirmus, Fateor Dei ope destitutum ipsum non posse id beneficij præstare. Audiuimus enim ipsum agnoscere Deum, cui & latriam exhibet. Ad hæc rursum Ioannes, Siquidem nosti illum habere Deum, cuius imperium agnoscit perinde ac seruus, quamobrem vos minimè ad eum venitis, ipsi Deo offerentes latriam, qui Sol ipse debitam rependit seruitutem? Atqui (ait ille) id nos timore correpti, nequaquam efficere audemus, quandoquidem is mole suæ maiestatis exuperat omnia, vt quidam asseuerant. Quod si homo se non præstiterit dignum, vtpotè expurgatus ab omni contagione & sorde peccati, ne digitulo quidem ipsum propius attingere possit, quin continenti incendio deuratur, vitaque defungatur. Tum ad hæc Ioannes in Domino sapiens ait: O vos homines, sermones hi meræ sunt nugæ ac fabulæ, & commenta diaboli ab ipso vobis suggesta ad extremam perniciem animarum vestrarum. Siquidem Deus & Solis huius & omnium nostrum, visibilium pariter, & inuisibilium Deus est & plastes. Is ad se venientes, & in se credentes cupidè ac lubenter excipit. Neminem qui salutem velit assequi, repellit, nec à se repudiat, auersatur aut execrabilem ducit, quamlibet ij peccatores fuerint: si modò eorum pœnitentiam perspexerit, & ad id, quod melius est, resipiscentiam, ac vicariam permutationem. In ipsum igitur solidam fidem amplectitor, & ipso momento, ac de repente perspicies inuocato ipsius nomine sanitatem de integro tibi instauratam. Ille respondens ait: Credo, mi Domine, secundùm ea, quæcunque mihi loquutus es. Iamque g exnunc nulli sum alteri Deo, præterquam ipsi venerabilem oblaturus latriam. Tunc beatus Ioannes membra ipsius omnia [b] consignauit, dicens: Domine Iesu Christe, qui paralyticum illum sanitati pristinæ instauraßi, quem in lectica iacentem à tecto domus ante te demiserunt, idem ipse tu hunc redde sospitati, vt agnoscant te Saluatorem omnes simul & Deum, credantque nomini tuo. Et hæc ipso dicente, nulla intercessit mora, sanatus homo est, & institit vestigijs sanus. Gentiles [c] igitur illi viso eo, quod de repente factum fuerat admirabile prodigium, fidem in Dominum vnanimi voto complexi sunt omnes, & admoti baptismo tam multi, vt numerari non queat multitudo. Porrò illis episcopos septem creauit, presbyterorum præterea, ac diaconorum non infrequentem multitudinem, qui abundè sufficerent numerosæ illi turbæ ad obsequium ecclesiæ, ad sacram & incruentam exhibendam hostiam. Præscripsit eis & Canonas psalmodiæ, tradidit & in diuinis sacramentorum disciplinam. Cooperante enim Dei gratia quosdam ex istis inuenit non inscios linguæ Græcæ. Hos instruxit, vt nouum Testamentum, psalterium item suo ipsorum idiomate interpretarentur, ad cumulatiorem obtinendam scripturæ diuinæ cognitionem. Eis præcepit edisserere psalterium, vt in ecclesijs cantica concinerent, confirmans ea esse, quæ ipsis per partes interpretarentur seriem & historiam veteris Testamenti. Porrò isti intra paucos admodum dies fide erga Saluatorem adeò effloruerunt, vt non paucis eorum, qui *h* præ se crediderant, superiores euaserint. Beatus Ioannes perpensa horum alacritate ac propensiore studio circa fidem, incredibili perfundebatur gaudio. Sed enim multos vario morborum genere detentos adferebant ad eum, quos ad vnum omnes in nomine Domini nostri Iesu Christi integræ sospitati restitutos, remittebat ad propria.

a erat.
b Crucis sa-
na.
c lucet.
d *quis co-
lendus esset
Deus.*
e Chrysosto-
mo paralyticus addu-
citur.
e *repellit, a-
uersatur.*
f *mutatio-
nem exspe-
ctat. In ipsũ
igitur credę
& repente
perspicies.*
g *post hæc.*
b Signo S.
Crucis cõ-
munitum
restituit sa-
nitati.
c Gentiles ad
fidem viso
miraculo
conuertun-
tur.
h *ante se.*

LXXVII. POSTQVAM Cucusum est relegatus in exilium beatus Ioannes, [d] qui ab eius parte stabant episcopi, quique eatenus fuerant propugnatores veritatis, sicuti initiò circumquaque fama cucurrit, hos in mare esse demersos: verior alioqui fama obtinet extorres esse factos ac emissos in exilium, qui ijdem in *i* segmentis tractibusque barbaricæ gentis tutò protecti sunt & asseruati. Quum autem diaconus quidam aduenisset, qui vnà cum eis confecisset iter, enarrauit ipsis Cyriacum quidem è Media interiore, quæ octoginta miliaribus distat, peruenisse vsque Palmyram Persarum propugnaculum, Eulysium esse Bostris inferioris Arabiæ, quæ dissita est itinere dierum trium. Haud secus exponit illum pergere ad præsidium Saracenicæ genti contiguum, cui nomen *l* Mephas. Palladium [e] verò denunciat proficisci ad Blemmyas Æthiopibus finitimos, illic vt asseruaretur eo in loco, cui vocabulum est, Castrum *m* Synenes, Demetrium præterea significat in Oasin, quæ genti *n* Mazicorum finitima est. Est enim & alia Oasis. Rursus exponit Sarapionem post innumeras, nec vlla ex parte probabiles ingestas calumnias, postquam corpus eius flagris per ignominiam consciderunt: idque per immanem & efferatam crudelitatem cruenti iudicis, vsque ad dentium effractionem, vti fama est, ad Indiæ gentem eum pepulerunt. Quinetiam Hilarius, vir apprimè sanctus iamque senio confectus in intimam Ponti insulam relegatus est cum multis ex clero, annos propemodum octo ac decem transegit non gustato pane, præter admodum pauca oluscula & *o* scolymos, quos esitabat. Antonius in spelæis Palæstinæ delitescit extorris, nullius spectans *p* familiarem consuetudinem, aut certitudinem loci. Timotheus *q* Icariæ, & Ioannes Lydiæ dicuntur profecti in Macedoniam. Rhodo Asianus adijt Mitylenen. Gregorius Lydianus dicitur petiuisse Phrygiam. *r* Physson Palladij frater à sua se vltrò auocans ecclesia, in suo agello degit, proprijs manibus excolens terram. Lampetius, vti aiunt, in agello Lydiæ, à quodam ingenuæ libertatis viro subsidia accipiens vitæ, totus lectionibus incumbit. Eugenius in sua errat patria. Elpidius ille eximius Laodiciæ Syriæ vnà cum Pappo tres expleuerunt annos, *s* neutrobi à sibi præstito climate delapsi, sed assiduis orationibus incumbentes, requietam vitam complexi sunt. Heraclides Ephesius annos iam quatuor carcerali custodia detinetur Nicomediæ, ad hoc aliquantum teritur temporis. Anatolium dicunt ad Gallos esse profectum. Presbyterorum autem nonnulli quidem in Arabiam & Palæstinam expulsi sunt. Tigrius [f] in Mesopotamiam relegatus, illic remansit. Philippus dum fugam arripit, in Ponto suum obiit diem. Theophilus in Paphlagonia degit. Ioannes qui monasterium Æthrij condidit, in Caria est. Stephanum in Arabiam proscriptum Isauri carnificum manibus in frusta distractum vitæ istius munere per crucem absoluerunt. Salustium rumor erat in Cretam abijsse. Philippum qui monachus ac presbyter scholarum erat, ferunt in Campania infirmitate premi. Sophronius Diaconus carcerali custodia detinetur Thebaide. Paulus Diaconus simul & domesticæ dispensationis coadiutor dicebatur in Aphrica degere. Paulus item alter Hierosolymis est in *t* Anastasiæ, sanctæ scilicet resurrectionis templo. Helladius presbyter palatij in suo agello degēs Bithyniæ tranquillam delegit vitam. Plurimi insuper Constantinopoli in abditissimo quouis recessu delituerunt. Alij verò in suam quique secessserunt patriam. Syluanus sanctus Episcopus Troade erat, piscaturæ intentus, vitam tolerans eiusmodi arte.

d Fautores
Chrysosto-
mi vbi exu-
larint, & q
ppessi sint.
Vide Palla-
dium in vi-
ta Chryso-
stomi.
i ἐν ζώνοις.
l *Nusphas
habet Pal-
ladius.*
e Palladium
hunc fuisse
Blemorum
siue Æthio-
pum Epi-
scopum, ha-
bet Palla.
m *Syenes.*
n *Mazyno-
rum.*
o σκόλυ-
μος, *alias
Cinara, li-
monium Dio-
scor. 4. cap.
219. Artis-
chautz,
Gallice.*
p *hominum
consuetudi-
nem neque
locum mu-
tans.*

q *Maroniæ, habet Palladius.* r *Brysso, Pallad. & Antuerp. exemp.* s *nusquam.*
[f] Tigrium Martyrio coronatum causa conflagrationis templi Constantinopolitani memorat Bar ex Sozomeni lib. 8. cap. 24. eius natalis dies agitur 12. Ianuarij, Vide Martyrolog. Rom. t *sanctæ Anastasiæ templo.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Stephanus monachus quæ passus sit,

Stephanus monachus quod è Roma Constantipolin aduexisset epistolas, eam ob causam iussus est cædi, inque carcerem coniici. Quumque ad præscriptum ei permissa esset communicatio, & ne sic quidem persuaderetur, iussum est vt in vniuersum latera eius ac pectus erosione pectinum scalperentur. Atque hic Christi prouidentia euasit incolumis. Id forsan, vt ad secundos exantlandos agones post menses decem ab instaurata sanitate extorris fieret in Pelusium. Prouincialis miles quidam eorum qui tuendo Imperatori operam nauant suam, delatus quod amoris vinculo Ioanni se obstrinxisset, acceptis primum multiplicibus plagis ac viscerum erosionibus, in Petras ablegatus est. Eutropius [a] plane beatus *a* & à contage vxoris incorruptus, idem & Cantor, immaniter cæsus & secundum latera vna cum supercilijs & intermedio frontis nimisquam erosione discerptus est, ac tandem vtrique eius lateri redundanti oleo imbutæ lampades & ad torturam adornatæ sic admotæ sunt, vt nuda apparerent ossa, donec in ligneis *b* compedibus ac numellis tanquam sepultus nocte intempesta exhalaret animam. Et hæc quidem gesta sunt eorum opera qui sacerdotali fungebantur officio, huius morti testimonium perhibente Deo per *c* angelicam visionem ob parilem & salutiferam passionem ac mortem. Præter hæc narrauit idem Diaconus, quod quum se subtraxisset ab episcopis, quia militum præfecti qui eos abduxerant, intantum ipsos afflixerãt, quorundam mandatis eo extimulati, vt in votis haberent, sibique apprecarentur mortem, neciam vinere cuperent. Equidem impendia in argento quæ ad viaticum & conficiendum iter compararant, ad extremum pene nummum quum absumpsissent, quicquid reliqui erat, inter se dispertiebantur. Veterina insuper animalia quibus insidebant, nimia erant macie retorrida, quod viam bidui die vno cogerentur ad profundam vsque vesperam conficere. Adde *d* quia & diluculo tenebris adhuc adoperto hospitiis eos educebant, ita vt ne miserabiles quidem escas stomachus posset continere. Illi proinde ab obscœnis & procacibus verbis nequaquam sibi temperabant. Sed & Palladij famulum abripuerunt vi adigentes vt quas ferebat tabellas, exponeret. Demetrium autem ita inclementer diuexauerunt, vt ad profundam vsque noctem in eum irruerint: qui & ad eorum *e* pedes distentus toto corpore tortus & excruciatus est, ita vt hunc in modum effractus nosse potuerit quanta sit pœna *e* ferocientis in corpora flagitij. Palladius siquidem ei prædixerat ad se egressum commilitonem vnum, qui dixisset Demetrium non aliam viam iturum esse, sed suum obiturum diem. Neque enim prorsum permissus est propius accedere ad ecclesiam. Illi porro accepti hospitio sunt aut in meritoriis tabernis, aut quo locorum numerosa meretricularum multitudo confluit, aut certe in Synagogis Samaritanorum siue Iudæorum, maxime qui à Tarso, & eam accolunt, adeo vt in arctum coangustati aliud aliquid secum excogitare cœperint. Vnus proinde episcoporum dixit: Quid vtique pro hospitiis mœrore contabescimus? Neque enim penes nos situm est quo loci meamus, vt vel nostrapte electione quiduis indecore agentes, pœnas debeamus exoluere. *f* Nummam nostis omnia hæc & facta esse & facienda ad Dei perennem gloriam? *g* Quotæ harum meretricum obliuione tenentur Dei? Hæ quum in nobis spectarint nullius flagitii causam originemve, ad Dei timorem ac de ipso cogitationem forsan peruenturæ sunt, & in melius permutandæ, aut certe non in peius declinabunt. Anima siquidem *h* rationalis vna quapiam vitiosa affectione occupata *i* potest vel momento à præconcepta iniquitate se auocare, id quod ænigmatis vice innuit continentiam siue pudicitiam, vti & voluit insinuare Paulus sactationis doctrinæ antistes: Christi bonus odor sumus in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Spectaculum enim facti sumus nos & angelis & hominibus. Sed enim [b] qui communione iungebantur Theophilo per locorum diuersitatem, toto oriente vsque adeo inualuerunt episcopi, vt monachus quidam illinc ad nos veniens diceret, quosdam retulisse Thephilum non modo erga suæ partis episcopos re ipsa ostentasse iure debitam hospitalitatem, sed & liberali largitione munerum sibi deuinxisse & in suam pertraxisse sententiam militarium ordinum præfectos, vt quam ocyssime eos exigerent vrbibus qui à parte Ioannis stabant. Qui id fieri studuerant, ij erant vel omnium maxime, qui Tarso præsidebat, qui & Antiochiæ, Eulogius item Cæsariæ Palestinæ, qui & Ancyræ præ omnibus, Ammonius insuper Pelusinus. Et quidem illud confecit illice corruptela munerum: hoc autem impetrauit intentans aduersum eos minas militum quorum iram exasperarant præfecti, quantalibet itineris intercapedine essent *l* disparati: & adeo persuasit, vt ne siuerint laicos vel volentes hospitio excipere. Et hæc conscripsimus, quatenus ipsi condiscere potuimus. Ad hæc quam multi episcopi alij Ioannis odio suis sunt exacti ecclesiis? Quod denique eorum qui eatenus monasticam philosophiam obseruarant, in afflictiones nihilo illis dispares reuoluti sunt? Quæ tandem oratio quanlibet accurate *m* elaborata, quæ tum gesta sunt queat exprimere? Non enim ex vno aut altero loco proscripti sunt vt hisce de rebus prout se res habet, exacte definiat. Sunt siquidem ex toto prope orbe terrarum in varias regiones desecti. Porro qui à parte [c] Ioannis stabant eatenus incolumes episcopi numero quinque supra viginti, literas scripserunt Innocentio Papæ Romano, quas quidem miserunt per Theoteenum presbyterum Constantinopolitanum, quarum tenore docuerunt ipsum Ioannem impressione militum è ciuitate fuisse exactum, & Cucusum relegatum esse pro exilio, ecclesiam insuper incendio deflagrasse. Simul atque vidit legitimas literas & ad beatum Ioannem, simul & ad eos qui familiari vtebantur eius communione scribit obtestans cum profusione lachrymarum; vt ingruentem procellam longanimiter ferrent, quod tum non posset illis esse auxilio ob quosdam qui Constantinopoli aduersum se reluctabantur pro tuenda impia hac causa admodum potentes. Rursus [d] Clerici ecclesiæ Constantinopolitanæ qui à parte Ioannis stabant, in vnum aggregati literas exararunt ad eundem papam Innocentium, easque Romam *n* emiserunt per Germanum presbyterum & Cassianum Diaconum, viros vtique religiosos, Deique cum primis amantes. Tenor earum continebat vim plane tyrannicam, quam ipsorum toleraret ecclesia, episcopo suo militari manu extruso, inque exilium relegato subdola molitione *o* Acacij, verius Theophili Alexandrini, Antiochi item Ptolemaidis & Seueriani Gabalorum. Quumque præmonstrassent *p* breue commonitorium iam dicti Hermanus & Cassianus, tunc demum offerunt pretiosas quasdam reliquias sub testibus simul & iudicibus Studio præside prouinciæ & Eutychiano præfecto *q* prætoriorum, Ioanne item Comite, Tabulariis quoque nonnullis qui custodiæ præerant auri, argenti ac vestium. Illi vero vestibus pertritis amicti calumniam exposuerunt aduersus sanctum Ioannem concinnatam. Acacius item, [f] Paulus, Antiochus, Cyrinus & Seuerianus, alij insuper nonnulli aliquot episcopi literas miserunt ad Innocentium papam per nescio quem homunculum effrenatæ ac petulantis linguæ. Erat is inamœnus adeo ac maleuolus & turbulente incedens, vt vel ipsa specie subindicaret inimicitiam. Huic nomen erat Paternus. *r* Iste talis prædicabat se esse presbyterum Constantinopolitanæ ecclesiæ. Hisce literis calumniose ac falso deferebant Ioannem, quasi incendisset ecclesiam. Quin ipse Paternus multiplici maledicentia incessebat Ioannem; quibus ex causis nullum reliquit locum Ioanni pro se respondendi insignis illa synodus. Sed enim sermo hic totus visus est papæ commentitius ac plane mendax: quare & eos quum esset execratus ac velut *f* contemptim despuisset, nullo censuit dignos *t* rescripto aut literis responsalibus.

1 Cor. 1.
1 Cor. 4.

*EXCVRSIS dein pauculis diebus, ecce in Episcopum ciuitatis Constantinopolitanæ creatur *a* Arsacius, præ quouis LXX. VIII.

[a] Eutropii lectoris martyriũ. Vide Palladium in dialogo de vita Chrysostomi. Sozomen. lib. 8. cap. 24. Eutropii festum agitur 12. Ian cum Tigrij, de quo supra

a *quique neutiquam contigit feminam.*

b *compedibus exspiraret: sepultus nocte intempesta, eorum opera.*

c *angelicũ cantum, quod Redemptoris esset passionem imitatus.*

d *quod.*

e *sæuientis in corpora iniuria.*

f *Nostisne omnia.*

g *Quot.*

h *rationali vitiosa.*

i *potest reuocare impetũ, id quod ænigma est continentiæ, seu pudicitiæ. Quod & voluit insinuare.*

[c] Episcoporum partiũ Theophili auctoritas quanta. Vide Palladium in vita Chrysostomi

l *disiuncti.*

m *elaborata queat exprimere?*

[d] Episcopi 25. à parte Chrysostomi, Innocentium de successu rei eruditunt.

[e] Idem faciunt Clerici Ecclesiæ Constantinopolitanæ. n *miserunt.* o *Acacij vel verius.* p *βραβεῖον, latinum corruptum.* q *prætorio.*

[f] Aduersarii Chrysostomum apud Innocentium Pontificem calumniantur.

r *Talis prædicabat.* s *despexisset.* t *rescripto.* * *Excursis.* a *In hunc & Ioannem Simeon quidam, Quis, Cui?*

[a] quotis piſce mutus magis, rana qualibet *b* inefficacior. Ætate admodum affecta erat, nimirum ſuperior annis octoginta, frater fuit Nectarij præceſſoris beati Ioannis: qui cum laude epiſcopatum adminiſtrauit. Hic porrò Arſacius reus compertus eſt periurij. Suo ſiquidem fratri Nectario ſe iureiurando obſtrinxerat, tactis etiamnum intemeratæ fidei Euangelijs, nullius vnquam epiſcopatus inaugurationem ſe excepturum, idque factum, quo tempore *c* eum vidit repudiaſſe epiſcopatum Tarſenſem. *d* Vti non abſimile eſt vero, obſeruabat fratris ſui mortem, vt eius thronum conſcenderet. Huic Arſacio nemo communicabat eorum, qui à parte Ioannis ſtetiſſent, ſed ad vnum omnes vitabundi eius communionem defugiebant. De Conſtantinopoli autem quid attinet dicere, quam numeroſa multitudo *e* ſe abarcuerit ab Eccleſiæ aditu? Se adunabat plebs collectitia ſub dio, tam copioſa, vt qui in eccleſiaſticis rebus adminiſtrandis plurimum poterant, *f* non vſque adeò tantam obtinerent ſeceſſionem populi. quare timore perculſi, ne fortè indignatus ob id Imperator Ioannem ab exilio reuocaret, huc pro virili contenderunt, vt nonnullis palatinis perſuaderent, a|quibus ſubornatus Imperator iuberet [b] edictum tota vrbe proponi aduerſus eos, qui vitabundi auerſarentur communem Acacij, Theophili, & eorum, qui ab ipſis ſtabant, epiſcoporum. Itaque his palàm editis, quæ quidem plena terroris erant & interminationum. *g* qui quidem infensè oderant Ioannem, magnopere gaudebant, vltronei ad Eccleſiam procurrentes. Ediuerſo qui reipſa iſtorum malignitati obluctabantur, in manus principum traditi, ſanctorum martyrum fidem confeſſionemq; *h* neutrobi euariantes conſeruârunt, coronas reportaturi nihilo illis diſpares. *i* Ex contrario alij procumbentes incredibilem acrimoniam tormentorum ſubire coguntur. Emigrârunt ſeq; fugæ commiſerunt, & hac vna in re ſaluatoris mandatum obſeruantes. Ait enim: Si perſequuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Porrò [c] Arſacius in epiſcopatu non multo admodum tempore fuit ſuperſtes. Menſibus enim exactis quatuordecim in throno ſuum obijt diem, ſequenti Conſulatu, qui fuit Stelechionis ſecundus & Anthemij, vndecima menſis Nouembris. Sequenti mox Conſulatu, qui quidem Arcadij ſextus fuit ac Probi, ad epiſcopatum proiectus eſt vir ex presbyteris [d] Atticus nomine, gente ex Sebaſtia, quæ in Armenia eſt.

a Arſacius Conſtantinopolitanæ Epiſcopus creatur, Vide Palladiũ in vita Chryſoſtomi, & Baron. ad annum 404.

rat, obſeruabat. e *abſtinuerit.* f *non tot haberent ſilentij auditores.* [b] Edictum Arcadij contra fautores Chryſoſtomi. Vide Bar. ad ann. g *qui inſensè.* h *nuſquam.* i *contra vero alij.* [c] Arſacius è vita migrat anno 405. ætatis anno 81. Vide Socrat. lib. 6. cap. 18 [d] Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus renunciatur.

b *magis ſtrepens.*

c *illi exprobraret repudiaſſe.*

d *vt veriſimile eſt, reſque declamemoratum.*

anno 406

LXXIX. SED enim generoſi illi Epheſinæ ciuitatis proceres quum percepiſſent, quod acciditſet. (Non *l* enim nomine vllo inſignitur malitia, vt neque vllam ſortita eſt ſubſiſtentiam.) *m* Eos quidem, qui ob prædictas cauſas deiecti fuerãt gradu, throno eccleſiæ *n* redintegrant: eos ex aduerſo, qui legitimè fuerant *o* deſignati, in diſperſionem ouium Chriſti propulerunt. Electiones quas diſcipuli Apoſtolorum Petri & Ioannis *p* abſolucre erant ſoliti ieiunijs & deprecationibus, approbatione Cleri & cum timore, iſti *q* ex contrario cum crapula & ebrietate, donis inſuper *r* commiſeratione dignis, & vnà cum Iudæis, ſuorum epiſcoporum electiones ſanciunt, tanquam amici ſint ſaluatoris, & digni, quibus *ſ* concredantur arcana officij ſacerdotalis, in quorum ſcilicet gratiam populus orthodoxæ fidei addictus ad ædes confugiat orationi conſecratas. *t* Tales in throno collocatos Ioannes Euangelij fidelis ſcriptor, qui & recubuit ſuper pectus ſapientiæ, *v* vocat Abominationem deſolationis. Iſti igitur, quum in Epiſcopum creaſſent [e] Eunuchum Victoris tribuni, in throno collocárunt, exauctorato Heraclide, quem ſeptuaginta epiſcopi communibus ſuffragijs in ea ſede collocârant, virum quadriennio abſumentes in carcerali cuſtodia, virum vtique qui (ceu ſuprà diximus) in ſolitudine degerat ſolitarius, qui diſciplinas liberales (quas & orbiculatas vocant) peregerat, in que diuinis ſcripturis verſatus, iam triennio adminiſtrârat epiſcopatum. Atque vtinam, qui in eius locum ſuffectus eſt, & creatus Eunuchus, vitam duxiſſet religioſam: *x* malum vtique niſi malum eſſe non poteſt. Nunc autem dicas terræ inteſtinum ſiue lumbricum, ventri ſeruum, fœminas deperientem, impudentem, temulentum, lenonem, vili precio venalem, ſordidum & illiberalem congerendis pecunijs auidiſſimè inhiantem. Hunc aſſeuerant plerunque puellas theatricas geſtaſſe *y* humeris, hedera capite coronato, & id per conuiuia ſatyrica. *z* Hic vnus ad exemplum Bacchi fabuloſi ſingularis propinare vinum dicebatur. Et hæc quidem omnia geſſerat *a* priuſquam ſacris, quæ nos ad Chriſtum prouehũt, eſſet imbutus *b* diſciplinis. Sed enim ſuſcepto baptiſmate, per ea quæ geſſit, ſatis innuit, ſe non admodum *c* credere reſurrectioni, *d* quando marcidum & imbelle iecerat fundamentum reſurrectionis. Qua tandem ratione talis ſit fidem indubiam habiturus futuræ reſurrectionis? *e* Proinde qui fidem nõ habet reſurrectioni, quinam fiet præco ipſius? Ad hunc modum citra mercedem vllam, ſed per ferrum, veriùs veſanit prorſus vecors, ac furit nullo ſuo fructu, citra pudorem vllum tantam obit & adminiſtrat functionem. *f* Sed enim illi nihil veriti ſunt iſti tam execrando capiti ſuperponere Euangelium. Erant ſiquidem quibuſuis mulierculis inamœniores, & earum inſtar geſticulabantur, & tripudiabant. *g* quare & in aliorum illorum recenſionem referentur, aut certè eis annumerabuntur, qui capiti filij Dei coronam circumpoſuêre ſpinis intertextam.

l *etenim caret malitia, vt & ſubſiſtentia.*

m *Eos qui.*

n *reſtituũt.*

o *ordinati.*

p *peragere.*

q *contra.*

r *miseran-dis.*

ſ *προϊσταμενοις δ' ὀντως, lego ἐμπιστευομενοις.*

t *Tales igitur in thronum collocant Ioannis Euangelij fidelis ſcriptoris.*

[e] Heraclide Epheſinus Epiſcopat⁹ abrogatur, eiq; Eunuchus Victoris tribuni ſubſtituitur. v *Abominationem deſolationis præ[illegible]ntes.* x *malum hoc vtique, niſi malum eſſet.* y *humeris, idq;* z *Hic ad exemplum caput hedera coronatus propinare.* a *non priuſquam* b *diſciplinis, ſed etiam ſuſcepto.* c *credidiſſe.* d *qui.* e *Qui fidem.* f *Sed illi.* g *Quem igitur in numerum referentur? Nonne eis annumerabuntur.*

v *per cõuiuia.*

LXXX. PRÆTEREA Porphyrius in eccleſia Antiochena *h* occupauit *i* thronum. Illo enim tempore Diaconatum, ac ſacerdotale munus quum adminiſtraſſet in ordine presbyterij, alienos mores rituſque adſcititios ingerebat, qui nihil prorſum ſpiritualis emolumenti aut vtilitatis conciliabant eccleſiæ. Idem inſuper finitimis vndique epiſcopis nullo non tempore obnitebatur refractarius, quod videlicet in ampliſſima ciuitate, non aſpernabili dignitate fungeretur, ſibique addictitios haberet principes, ſuæque propemodum obnoxios poteſtati: Quam ob rem more inſtitorio nundinabatur, & eorum abutebatur poteſtate ad ſuum quæſtum. Quumque is conſilium iniuiſſet planè captioſum, in ſuam rem alioqui accommodum, nempè comparandis per ſe religioſis ſuffragijs, illi clàm voluntas inceſſit, vt pro conſuetudine epiſcoporum illius temporis morum indueret grauitatem, perinde ac ſi quis diceret, [f] vt hi *l* licet nolint, vel ab inuitis extorquebo ſuffragia quouis vento decidua magis & corruptiua. Equidem is temperantiæ, quæ tota verſatur circa coërcendas carnis voluptates, *m* adeò inſolens & externus, vt etiam eſſet oſor vel maximè, vulturis exemplo odio perſequentis ſuaue fragrans vnguentum. Tantum apud ſe conſtituebat, quo artificio ſibi pararet celebrem famam, vt licet obnoxius teneretur *n* flagitioſæ vecordiæ, vel denique exemplo Sodomorum. Nec id modò, ſed & alia pleraque multò deteriora confecit, quæ quidem indecorum cenſui fore ſi attexerem, & in album iſtius conſcriptionis referrem. Flauianus igitur Antiochiæ epiſcopus, quum diem ſuum obijſſet, circumſpectim obſeruabat Porphyrius virorum pariter ac mulierum conclauia deſiderio teneri, ac pendêre à collo Conſtantini presbyteri, qui à tenellis vnguibus bonam *o* ſeruitutem nauauerat Eccleſiæ. Vir hic planè erat *p* ambidexter, qui primum quidem *q* pronunciandis epiſtolis ſtrenuam ſeruitutem inſeruiuit, inuentus tandem à turpi lucro, & munerum corruptela *r* liberrimus & immunis.

Porphyrius Eccleſiam Antiochenam occupat anno 404.

h *diu verſatus. Diaconatum enim ac ſacerdotale.*

i *pro ἐπεβόνησεν lego ἐθρόνισεν.*

[f] Attende Porphyrii ambitionem.

l *licet nolint.*

Xx 4 Dein

m *adeò infeſtus, vt etiam oſor eſſet vel maximè, vt vultur odio proſequitur ſuaue olens vnguentum.* n *flagitioſo crimini exemplo Sodo.* o *operam.* p *manu vtraque ſpirituali & temporali valens.* q *dictandis.* r *alienus & immunis.*

Dein in lectorem & Diaconum promotus est. Quod ad voluptatum illecebras attinet, quæ hominibus imperitantes ipsos proliciunt in amplexus fœminarum, superior his cuasit, sequutus verbum Parœmiastæ Manus electorum facile potientur victoria. Equidem placidis erat moribus, siquis alius inter religiosæ vitæ cultores. Perspicax idem erat, ingenio peracri & exprompto ad percipiendam cuiusuis disciplinæ intelligentiam. Ad irrogandam pœnam erat cunctatior, multa cum consideratione incedens. Circunspectim quid foret agendum tacitus innuebat. Misericors, auaritiæ fugitans, in dirimendis controuersiis pertinax iustitiæ Iniuriarum erat tolerantissimus. Siquando in aduersam impegisset fortunam, persistebat *a* inuictus.

a *inuictus.*

Aduſq; veſperum.

Præter aliquam multos aduſque vesperum sæpenumero perdurabat ieiunus, vt quapiam oppressos afflictione, isti violentiæ eximeret, ac pristinæ redintegraret libertati. Faciem præferebat venustam, & grauitatis plenam. Acriter contuebatur. Cito gressu incedebat. Cœlibem (vti par est credere) agebat vitam & thori expertem. Ipso vultu florem ostentabat gratiosè arridentem. Laborans morbo quopiam, vt à se eum propulsaret, nullis parcebat pecuniis. Missus in aulam ad eos qui inter episcopos præpollebant, molitione *b* & literis impetratis ab Imperatore vt in exilium relegaretur Oasim, quasi is fuisset qui concinnasset & excitasset *c* dolos. Is *d* quum extemplo subornationem aduersum se concinnatam cognouisset, amicorum ope subnixus sospes & incolumis *e* circa Cyprum conseruatur. Denique Porphyrius ipse quum presbyteros ordinasset Cyriacum & Diophantum, reliquos insuper Clericos, circunspecte interim obseruat articulum temporis quo ciuitas tota *f* iter capesseret in eiusdem ciuitatis suburbia, ad insignem ac festum diem qui à gentilibus quarto quoque anno celebratur in memoriam Herculaneorum certaminum, quæ & Olympia vocabantur. Habebat tum apud se clam reconditos [a] Acacium, Seuerianum & Antiochum, quibus cum & accitis aliquot clericis cùm insiliuisset in ecclesiam, ianuis ingenti studio obseratis furtiua consecratione intruditur, sic vt ne orationem præmiserint quidem, timore correpti ne in eo facinore præuerterentur. Istiusmodi sunt adulterii semina, quæ & generant & *g* exequuntur. Porro qui cohærebant Seueriano, arrepta oportunitate per montes & inhospita tesqua fuga suæ saluti consuluerunt, *h* humano quidem timore à se disparati, non item diuino, quem transmittebant, eius plane nescij. Absolutis autem theatralibus spectaculis, ac populo ciuitatem ingresso, renuntiatum est eis quid facinoris molitus esset Porphyrius, quam proinde tragœdiam tentassent, qui à parte stabant Acacij. Torrentis itaque instar illi omnes decucurrerunt arreptis igne & retorridis sarmentis pari animo gestientes internecioni dedere Porphyrium. Ille [b] autem non nescius, quanto aduersum se odio flagraret populus, ad exercitus ducem confugit. Illius manus quum implesset, obarmat milites aduersus auditores: saluatoris & oblitus ecclesiæ orthodoxorum, Vna cum Valentino Comite quum eam complesset, armatis militibus, signum Crucis nulli non cum primis formidabile & expauescendum propriis pedibus proculcabat. Sic se igitur habebant populi, vt qui pro ecclesia concertabant, vel inuiti suis suffragiis comprobarent, timore afflictionum, re autem vera ipsum omni genere blasphemiæ execrarentur ac deuouerent, à Deo in posterum præstolantes non defore auxiliare subsidium. Insignis autem ille Clerus Antiochiæ se in vnum colligebat velut in latebris delitescens, neciam propinquans ecclesiæ parietibus, omnis insuper spectabilium mulierum conuentus. Omnium maxime pecuniarum coactores siue quæstores ducum, sanitatem mentis exuebant. Episcopos enim qui tum deprehensi sunt Constantinopoli, adigebant, vt Porphyrio communicarent, iuxta ac populum. Atticus enim qui decedente Arsacio occupauit episcopatum, totius veteratoriæ molitionis artifex quum obseruasset Prætorem Vrbanum Beato Ioanni aduersantem, neminem præterea episcoporum partis oppositæ velle secum communicare, at ne vnum quidem ex populo ciuitatis totius, ob ea quæ illegitime gesta fuerant in eundem beatum Ioannem, is Atticus diuinæ totius expers quum esset scripturæ, modis omnibus molitur & efficit tandem, vt rescriptis *i* compitatim pendentibus & affixis, eos qui non communicarent, vrgerent ad communionem sub hac interminatione: Si quis episcoporum nolit communicare [c] Theophilo, Porphyrio & Attico, ingressu quidem ecclesiæ *l* abarcetor, peculio autem proprio & facultatibus *m* spoliator. Hinc factum, vt qui opulentiæ onere *n* degrauabantur, communicarent, quamlibet iuuiti. Nonnulli autem quos premebat inopia & ad mordicus tuendam fidei integritatem infirmiores erant, pollicitationibus munerum inescati pertrahebantur ad communionem. Contra, qui nihil ducebant generis claritatem, peculii ac facultatum opulentiam, patriæ decus, euanidam & inanem gloriam, corporis insuper afflictiones posthabebant, fuga sibi consulentes, generosæ animæ salutem sartam tectam conseruabant: sed & præ istis quicunque [d] Euangelicam hanc doctrinã perenni memoria pressius retinuerunt: Si vos persequuntur in hac ciuitate, fugite in aliam, idque contigerit per illorum temulentam debacchationem, addentes elogij vice etiam illud: Nihil proderunt diuitiæ in die *o* furoris. Præpropere igitur hi quidem Romam contenderunt, nonnulli autem in montium spelæa secesserunt, alij vero ab hac Iudaica malignitate in monasticis cœnobiis delitescentes se innoxios conseruarunt: Porro edictum aduersus populares laicos promulgatum hanc continebat formulam: Qui in populo authoritate præpollent, ea, quam *p* abusque initio obtinuerunt, *q* excidunto dignitate: milites balteos *r* deponunto populares reliqui & opifices manuarij auro non exiguo pro mensura facultatum multati in exilium *s* relegantor. Atqui dum hæc gererentur, nihilominus orationes pietatis studiosorum sub dio *t* celebrabantur, multa licet cum afflictione, per extensum amorem erga Saluatorem ipsum qui dixit: Ego sum via & veritas. Rursus idem: Confidite, ego vici mundum. Proinde reliqui episcoporum, qui in illorum communionem venerant, haud speranda animi cogitatione præcerpentes communicarunt Attico, spe animati ad obtinendas etiamnum alias ecclesias.

LXXII.

Ioh. 14. Ioh. 16.

s *relegentur.* t *fiebant.*

Nonnvlli autem Constantinopolitanorum quum ob quasdam *v* priuas necessitas profecti essent Romam, Innocentius [e] Papa eorum aduentum vbi resciuit, ipsos iussit ad se acciri: quos percunctatus est de ecclesiastico statu, itemque de beato Ioanne, quo in statu consisteret. Nihil enim dum vllius relatu didicerat de secundo eius exilio, quin illi potius aggratulabatur & congaudebat, credens eum considere in throno sui episcopatus, quod eum prius intellexisset esse reuocatum iussu Imperatoris. Ille autem quum amarulento gemitu suspirassent, seque proluissent, effusis lachrymis, renuntiarunt ei quæ Ioanni contigissent, in secunda relegatione omnia. His Innocentius auditis & peracri animi confectus mœrore, refert cuncta [f] Honorio Imperatori quæ illorum auditu percepisset. Imperator igitur ob hæc audita angore animi contractus, alias scripsit literas plane increpatorias suo fratri Arcadio, hunc in modum ipsum alloquutus: Non acquieuit animus tuus frater, nec contentus abiit priore piaculo quod admisisti, quando iniuste ac præter ecclesiæ Canones Ioannem Constantinopoleos episcopum in exilium relegasti, *x* quem propter vindicandum diuina vltio incubuit ciuitati tuæ, sed & rursus eius inimici qui illum infense & hostiliter oderant, maiorem apud te impetrarunt fidem, quam conueniebat, quod in ecclesiasticis concionibus quædam coarguisset, quæ præter officium ac decorum gesta fuissent. Nec modo eum throno sui episcopatus deturbasti, sed & ciuitate fecisti extorrem & ad nos vsque nostrumque Imperium emisisti vindictam sanguinis innocenter effusi, cuius defensionem exquiret Dominus Deus illo die iudicij ab iis, qui te transuersum detorserunt à rectitudine viæ. Iam igitur ex quo graue hoc malum tibi contigit, nec secus in fraudem impulsus es veteratoria molitione istorum, atque

LXXIII.

a Eius creatio, vide Palladium in Dialog. & Bar. tom. 5. Annal. ad an. 404.

b Porphyrius armis defendit atreptã sedem.

c Edictum hoc fuit Arcadii, de quo supra.

d Attic⁹ persequitur Chrysostomi participes.

e Innocentius Papa de Chrysostomo inquirit.

f Honorius Imperator Arcadium de secundo Chrysostomi exilio arguit.

b *Prophyrii.*

c *pro δόμων lego δόλων.*

d *quum sub ornationẽ.*

e *in Cypro.*

f *iret.*

g *abortiunt.*

h *humanũ quidẽ timorem effugientes non item diuinum, cuius plane erãt nescij.*

i *per compita.*

l *arceatur.*

m *spolietur.*

n *grauabantur.*

o *Domini.*

p *ab initio.*

q *excidant.*

r *deponant.*

v *priuatas.*

x *ad quem vindicandum vltio.*

atque Adam perſuaſione * Heuæ, vel nunc demum expergiſcamur ac reſipiſcamus pœnitentiam agentes ob ea quæ inique geſſimus, vt aſſequi promereamur exorabilem atque placabilem Dei clementiam, abſterſi à ſordè & macula iſtius peccati. Iubebit igitur veſtra Serenitas Ioannem epiſcopum in ciuitatem poſtliminio reuerti, ego quoque ex hac noſtra occidentali plaga delegandos curabo epiſcopos & clericos omni vacantes crimine, nec vlli calumniæ obnoxios, quos oportebit congredi vna cum eis qui pronuntiauerunt aduerſus eum ſententiam, vt expoſtulationes in quæſtionem ponantur, & excutiantur cauſæ, ob quas dejectus eſt epiſcopatu. Etenim ſi deprehendetur tale quid paſſus ſuo merito, ipſe aſſentiatur eius depoſitioni. Sin res hæc ſecus comperietur, nimirum concinnata quapiam molitione aduerſus eum, qui hoc admiſerint, ſiue epiſcopi ſeu clerici fuerint, non modo *a* abarcendi venient eccleſiæ ingreſſu, ſed & priuandi vita. Hac enim ratione Imperium noſtrum *b* tranquillitate perfruetur.

* חוה *Heua viua.*

a *arcendi ſunt.*

b *forſan ei ſpiritus pace: pacis tranquillitate, habet Ant.*

LXXXIII. Hæc ſimul atque reſciuit Imperatrix [a] Eudoxia, perſuadet quidem Imperatori, ne quo pacto Ioannem ab exilio reuocaret, quin potius præſtolaretur Romanorum aduentum, nequa in ciuitate motoria perturbatio à populo conciretur, *c* nec iam ipſum permitterent in exilium extrudi, quàmlibet conſentaneis rationibus inſimularetur. Ad hoc inſuper è palatio alios ſubornauit, quorum conſiliis potiſſimum nitebatur Imperator, huic vt conſentanea & eadem dicerent. Marinum in primis accerſit, quem priua authoritate ſuis rebus præfecerat, eique demandat, vt portus litorave & *d* Abydum circunſpectim exploret, locaque omnia per quæ venturi eſſent Romani, nec eorum quempiam ſineret ingredi Conſtantinopolim, neu vllæ quas allaturi eſſent, epiſtolæ ad manus peruenirent Imperatoris, ſed eas vi e manibus ipſorum abriperet, multiſque affectos ærumnis cogeret reuerti Romam. Marinus itaque nulla mora milites ad id negotium emittit, ſuoſque filios per loca vt id exequantur, eo deſtinat. *e* Sed enim nihil horum ad cognitionem perlatum eſt Arcadij Imperatoris, ſed ipſo plane inſcio omnium, clancularíam hanc molitionem adornauit ac perfecit Imperatrix. Siquidem perſpicue *f* nouerat, quia mox vt appuliſſent epiſcopi omnes ab orbe occiduo vna cum clericis ſimulque cardo totius cauſæ ſancti Ioannis foret iuſto libramine perpenſus ac diſcuſſus, *g* & proinde veritas eniteſceret, haud dubiè thronum reciperet ſui epiſcopatus, id quod maiorem in modum ipſam *h* perſtringebat: quare modis omnibus contendebat, ne is reuocaretur. Et hæc quidem pro ſecundo exilio ſcripſit Honorius Imperaror Arcadio fratri ſuo, quæ etiamnum Imperatrix rurſus clancularíis inſidiis molita eſt & adornauit aduerſus beatum Ioannem poſt relegationem ipſius.

a Eudoxiæ malitia

c *qui ipſum nõ permitteret.*

d *vrbẽ Helleſponti.*

e *Sed nihil.*

f *nouerat, mox.*

g *veritas ſic eniteſceret, haud dubiè futurum vt thronum.*

h *angebat.*

LXXXIV. Simvl autem contigit [b] Conſtantinopoli & circum eius ſuburbia cœlo delabi grandinem longe maximam triceſima die menſis Septembris, idque pij prædicabant factum eſſe irafcente Deo, quod citra iudicium & indicta cauſa Ioannes fuiſſet exauctoratus. Alii & hi quidem hæretici aſſeuerabant ipſum iuſte eſſe gradu deturbatum, quod multas eccleſias Nouatianorum & Quartadecimanorum, aliorum inſuper quorundam peruerſæ & reprobæ opinionis tota Aſia & per Lydiam illic verſatus ſpoliaſſet, eaſque *i* attribuiſſet recte de Deo ſentientibus. Poſtquam reſcripta Imperatoris palam appenſa ſunt ac propoſita aduerſus eos qui communicare nollent Attico eiuſquè aſſeclis, Cyriacus Synnadorum epiſcopus Romæ erat, literas quidem nullas habens ab epiſcopis, neque à clero Conſtantinopolitanæ eccleſiæ. Abunde enim ipſe [c] ſufficiebat vnus ad rei totius conuenientem & concinnam enarrationem, quippe qui fugam arripuiſſet comminatione exterritus Imperialis edicti, qui Innocentio Papæ renuntiauit vim totam illatarum comminationum per ea antigrapha. Epiſcopos quidem cuſtodiæ tradi: ſi quas autem facultates & copioſam poſſeſſionem habere viſi fuerint, illis depereat.

b Grãdo maxima cõſtãtinopoli *in Catholicorũ cõcuſſit.*

c Innocẽtio Papæ quæ relę à Chryſoſtomo cõmunicantibus deferũtur

LXXXV. Elysivs autem Apamiæ Bithyniæ epiſcopus & ipſe Romæ præſens tum erat. Is exhibuit literas quindecim epiſcoporum Synodi Ioannis & Calogeri Anylij Theſſalonicenſis epiſcopi, quæ quidem per *k* ſcripturam pulchre edocerent ipſum Papam, & ob oculos ponerent depredationem totius Conſtantinopolitanæ ciuitatis, tam eam quæ prius facta, quam quæ tum fiebat, & quia non iam acquieſcerent Romanorum iudicio. Is & quædam conſentanea Cyriaco epiſcopo recenſuit. Decurſo autem *l* menſe dierum Romæ rurſus adfuit & Palladius Helenopoleos epiſcopus. Equidem & is ſine ſuffragio literarum, quod vitabundus effugiſſet vecordem principum inſaniam, cui & enarrauit atque expoſuit quid contineret reſcriptum exemplar edicti, nempe hæc: Quiſquis occuluerit epiſcopum, clericum aut vllum omnino quemuis alium in ſuis ędibus aut certe exceperit ex communione Ioannis, domo ipſa multator.

k *ſcripturã edocerent.*

l *menſe Romæ.*

LXXXVI. Domitianvs vero preſbyter & diſpenſator Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Romæ tum erat, & commentaria quædam reddidit Papæ, quibus docebat geſta Prætoris Conſtantinopolitani, qui quum Gentilis eſſet, honeſtas mulieres & ex Conſulum genere prognatas ac Diaconiſſas eccleſiæ iam dictæ ciuitatis *m* nocte intempeſta ad ſe abducebat, & id propalam. Has vi adigebat aut * communionem admittere, aut mulctæ nomine ſeque redimendi gratia, vt iuxta Quæſtorum *n* ſententiam appenderent ducentas auri libras. Vna cum Domitiano preſbytero alter quoque venit etiamnum preſbyter, nomine Valagaſus, *o* & is nomine Neſimus. Narrabat & ipſe luctus atque lamenta monaſteriorum Meſopotamiæ, & illatam illis *p* violentam impreſſionem, quod *q* non communicaſſet Porphyrio & his qui ſuberant eius ditioni. Iam de monachis & virginibus quid neceſſe eſt nos commemorare? Hi enim quum Romam aduenisſent, oſtenderunt Papæ eroſiones & ſcalpruras laterum ſcalpris, ligneis impactas, ſæuas inſuper lancinationes ac plagas diuerſorum cruciatuum humeris immaniter adeo *r* incuſſas, vt non iam ſe continuerit quin ad ſe accerſeret pientiſſimum Imperatorem Honorium. Quumque ſigillatim ſubieciſſet oculis tantam rerum indignitatem, ob ea permota eius pietas, iubet cogi Synodum epiſcoporum occidentalium, vt quum in commune vnam eandemque ſententiam deprompſiſſent, ad ipſius eam referrent pietatem. Papa autem Innocentius [d] epiſcopos & clericos quum adunaſſet, inſtruxit atque emiſit, vt abirent Conſtantinopolin. Tunc Arcadius Imperator iuſſit cardinem cauſæ totius aduerſus Theophilum conſcriptæ diſcuti & in quæſtionem reuocari: Epiſcopi omnes Italiæ congregati obteſtantur *s* Imperatorem, vt fratri ſuo coimperatori Arcadio demandet negotium Synodum celebrandi Theſſalonicæ, quod eo occurri vndique poſſet nullo prope negotio, nimirum & abortu ſolis & ab occidua plaga, quatenus ſua omni parte ſynodus abſoluta perficeretur, non ea quæ quantitate conſtet numeroſa, ſed quæ in manſuetudine & æquabilitate voluntatis ſententiam pronunciet minimè controuerſioſam, & cui non queat contradici. Eam ob rem religioſa pietas Imperatoris adeo *t* redaccenſa eſt, vt ſignificârit diuerſis è locis aggregatos Romæ epiſcopos ſe eo deſtinare, epiſcopos nimirum quinque, preſbyteros autem duos, Romanæ vero eccleſiæ Diaconum. Orabat inſuper [e] vt epiſtola ſua nullo intercedente impedimento ad fratrem perferretur. Siquidem ante hanc alias duas ſcripſerat quas *v* ſane præſenti præfiximus commentationi, quum cœpiſſet *x* redaccendi aduerſus beatum Ioannem actio plane calumnioſa. Præſens autem epiſtola hæc in ſe complectebatur.

m *ſub nocte ad ſe.*

* Attici.

n *ſententias.*

o *patria Neſius.*

p *violentiã, vt communicarent Porphyrio.*

q *Deſit enim.*

r *incuſſas. Non itaque ſe continet diutius Pontifex, quin ad ſe.*

d Innocẽtius Legationẽ Conſtãtinopolinam 406. mittit

s *Honorium.* t *accenſa eſt.* e Honorius per Legatos Arcadio ſcribit. v *iam præſenti intexuimus narrationi.* x *intendi.*

LXXXVII. Tvæ manſuetudini [f] tertia hæc eſt, quam ſcribo, epiſtola, vt quæ nonnulli per inſidioſam molitionem adornarant aduerſus Ioannem Constantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopum, exoptatam correctionem conſequerentur. At certè vti con-

f Epiſtolæ contenta.

vti constat, nihil eorum effectum est. In præcedente hac epistola mea scripsi significans me mittere vna cum clericis & episcopos occiduæ huius plagæ, qui ex delegato officio *a* deberent inquirere ac iudicium accuratius *b* constituere de his quæ aduersus eum gesta sunt, & ad me referant occasiones *c* ad hunc modum ita in eum cooriendi. Eam ob rem hanc ad te meam misi epistolam per præsentes episcopos & presbyteros, quod modis omnibus solicitus sim pro ecclesiastica pace, qua intercedente in pace nostrum conquiescit imperium. Itaque velis iubere, vt tuæ orientalis plagæ episcopi Thessalonicæ congregentur. Etenim episcopi & ij quos selegimus quos ad te destinauimus, viri sunt non ad malitiam & mendacium deflexuri. Itaque hos velim existimes dignos, quos omni cum cura & honore excipias, vt denique nos persuadeamur, quod is quidem Ioannes iuste exauctoratus est episcopatu, simul vt & doceant me, quamobrem debeam mihi temperare ab eius communione, aut certe eos vitem episcopos orientis, qui prætextu iustæ reprehensionis suapte malitia sunt abusi aduersus eum, teque transuersum egerunt ab eius communione. Quod ad episcopum Ioannem attinet, quædam occurrunt quæ in eo probant occidentales, vti deprehendo per epistolas eorum ad me scriptas. Ex his duas subtexui ex æquo cæteris omnibus respondentes, Romani nimirum & *d* Aquilegienſis. Tuam proinde adhortor & obsecro mansuetudinem, æquum censeto Theophilũ Alexandriæ episcopum præ omnibus, se (*e* quanlibet inuitus id præstet) sistat Synodo, quo incentore vniuersa hæc malorum congeries promota esse dicitur, vt submoto omni impedimento per præsentes episcopos rite celebrata Synodus pacem constabiliat nostris hisce temporibus congruentem, & rationi consentaneam.

a *anquirerent.*
b *cõstituerent.*
c *curita in illum insurgant.*
d *Aquileienſes.*
e *tametsi in uti. sistat.*

INNOCENTIVS [a] item papa Romanus literas & ipse ad vniuersum orientem emittit vna cum Demetrio Pesnuntium episcopo qui palam deprædicet Romanorum communionem cum Ioanne episcopo, qui & Romam à diuenies literas *f* attulit episcoporum Cariæ totius gratiose & amanter amplectentium Ioannis communionem. Secum proinde literas aduexit presbyterorum Antiochiæ in idem conspirantes, quibus *g* se inscripserunt velle agnoscere decorum ac disciplinam Romanæ ecclesiæ. Iidem cum lamentis dequerebantur ac deplorabant illegitimam ac prophanan Porphyrij ordinationem à nescio quibus episcopis. Sanctus [b] igitur Æmylius Beneuenti episcopus & Cythegius & Gaudentius cum Valentino & Bonifacio presbyteris acceptis literis Imperatoris Honorii, Papæ insuper Innocentij & episcoporum Italiæ, Chromatij *h* Aquilegienſis, Venetij quoque Mediolanensis & aliorum, nec non submonitoriorum Synodi totius orbis occidui, publicis communiti diplomatibus abierunt Constantinopolin vna cum Cyriaco, Demetrio, Palladio & Eulypio episcopis. Eiusmodi commonitorium continebat, non oportere Ioannem ingredi iudicium ni prius illi restituta ecclesia & communione, ne qua illi mora necteretur quo minus liberrimè & suapte sponte introiret consistorum. Itaque illi è Roma [c] arrepto itinere, quum nauigassent, præter expectationem suam à tribuno quopiam militum detenti sunt plane suspirioso ac proinde miserabili, qui eorum custodiam cuipiam commisit centurioni, vt ne eos sineret propius appellere Thessalonicæ. Primum enim [d] instituerant illo proficisci vt Anysio episcopo redderent lireras Cumque eos eiecisset in duo nauigia, dimisit. Superueniente autem violento austro, emetuentes pelagus *i* Ægæum toto triduo ieiuni perdurarunt, & vix tandem duodecima hora triduana appulerunt ad ciuitatis suburbia quæ Victoris nomine insigniuntur, quo in loco comprehensi ab his qui portuum obseruationi præsunt & administrant, retro vt abirent, adacti sunt, idque iussu imperatricis & ministerio Marini hominis *k* sibi addictitij. Iidem in propugnaculo Thraciæ iuxta mare sito ac vocato Athyra conclusi sunt. Illinc educti, adhibita quæstione contorti sunt. Romani quidem in quadam domuncula, Cyriaci autem collegæ diuersis & *l* disparatis à se locis, ita vt ne puerum quidem haberent qui sibi inseruiret. Quumque ab eis [e] reposcerentur literæ, abnuerunt eas prodere, asserentes non licere nobis *m* qui legatione fungimur, literas Imperatoris & episcoporum vlli hominum reddere quam ipsi imperatori. Perseuerantibus igitur illis ac negantibus se eas daturos, & ad eos ingresso primum Patritio, subsequuti tandem alii aliquot: venit insuper ductor numerosæ multitudinis Valerius nomine, & is Cappadox. Is quum perfregisset pollicem *n* Marini episcopi, epistolam nomine alioqui consignatam Honorij Imperatoris extorsit, vna cum reliquis *o* epistolis, propemodum dixerim diuinos pugillares existimatione cuiusdam superstitionis in auro multis impendiis confectos. Appetente postero die ad eos destinarunt siue qui ex imperiali aula erant, aut asseclæ Attici, offerentes eis ter mille nummos, postulantes vt persuasi Attico communicarent, sententiamque in Ioannem latam silentio tegerent. Hi quum nullo modo persuaderentur, institerunt orare, vt quia *p* auditu nihil perciperent quod conducibile esset conciliandæ ac sanciendæ paci, saltem sinerentur tuto ac *q* citra periculum in suas quique se recipere ecclesias, tantam tamque immanem ferociam hominum experti: præsertim quum [f] Saluator & idem Deus multifida luce reuelationum ipsos illustrasset. Diacono *r* siquidem Æmylio viro mansuetissimo, & eidem pudicitiæ amantissimo visus est videri in nauigio Paulus *s* apostolus vna cum beato Ioanne, dicens ei: Videte quomodo ambuletis, non quasi insipientes, sed sicut sapientes, scientes quia dies mali sunt. *t* Ac si per hoc insomnium subindicaret multiformem illorum impostutam, *v* vt largitione donorum & verborum lenocinio *x* demulcti supprimerent veritatem. Idem igitur *y* Valerianus tribunus quum diu institisset, eos iniecit nauigio carioſa vetustate *z* pertrito, iubens nauclero ad id pretio & stata mercede conducto, vt nauigantes episcopos disperderet, vna cum viginti militibus è diuersis ordinibus quos è vestigio è præsidio Athyræ *a* pepulit. Multis igitur illo putri nauigio emensis stadiis, cum paulo minus abfuisset quin periissemus, appulimus tandem *b* Lampsaco: & permutata naui inde peruecti sumus Hydruntem Calabriæ die vigesima. *c* Altero item mense exacto se postliminio receperunt Romam, vt Innocentio Papæ quæ sibi contigissent, renunciarent omnia, nimirum se adeò non *d* impetrasse vt celebraretur synodus, vt ne *e* antigrapha referre potuerint. *f* Sed ne nossent quidem quid factum sit de Demetrio, Cyriaco, Eulysio & Palladio qui secum eo fuerant *g* è Roma delegati cum literis Honorij Imperatoris & Innocentij Papæ, sed & de beato Ioanne certi nihil resciscere potuerunt. Et hæc quidem dicta sunto de episcopis è Roma destinatis, deque aduersus eosdem concinnata malitiosa molitione. Horum omnium insciis extitit Arcadius.

LXXVIII.

[a] Innocentius Papa, Episcopi Cariæ, & Antiocheni Presbyteri cũ Chrysostomo cõmunicant.
f *attulerat.*
g *scripserint velle se agnoscere.*
[b] Legati Sedis Apostolicę qui Cõstãtinopoli in directi.
h *Aquileienſis.*
[c] Legati quæ in via passi cõtra ius gẽtium Vide Pallad. in Dialog
[d] Iungebatur is Anysius cũ aliis Macedoniæ Episcopis fœdere cũ Occidẽtalibus, pro Chrysostomo.
i *Ægæum eusq; angustias, toto*
k *illi obnoxij.*
l *disiunctis.*
[e] Litteræ Legatis per vim extorquentur.
m *pro πρεσβύτας senes, lego πρεσβευτάς.*
[f] Legati *amaerat* *z* *synodum.* *e*

PORRO beatus Ioannes in domo Adelphij cum annum vnum habitasset, admodum & abunde pascens inopes Armeniæ, non tam cibario pane, quam sermone, Illo enim tum tempore, *b* cum regionem ingens fames amarulente occupasset, quemadmodum inopia *i* verbi castigabat *k* Constantini ciuitatem, & iam corripuerat, illic *l* quoque rursus degeret, nequaquam destitit sua vnius doctrina eos consolari, populumque Constantinopolitanum corripere, ita vt crebra ad eos *m* missitatione epistolarum vsus sit. Primum [g] quidem epistolaribus libellis exponit ad eos scribens, qui graue scandalum fuerant perpessi ob illegitimas transgressiones commissas aduersus populum, nec paucos

LXXIX.

LXX.

h *regionem ingens fames amarulentè occupárat, quemadmodum.*

i *diuini.* *k* *Constantinopolim.* *l* *animo rursus.* *m* *missione.* [g] Chrysostomi Epistolarum ad diuersos scriptarum enumeratio Epistolas has habes tom 7. operum Chrysost Gr.

paucos sacerdotes, in præscripta persecutione ac peruersitate. Continent autem capita quatuor & vigenti. Principium habet *a* Medicinæ professores iis adhibituri; medelam qui febre conflictantur, aut alio quouis genere morbi laborant, primum omnium sedulo quærunt vt morbo tentatos videant. Et quæ deinceps sequuntur, licuerit *b* vnicuiuis cum desiderio efflagitanti legere, simul & hinc emolumenti plurimum sibi parare. Rursus ad Cyriacum episcopum duas perquam vtiles scripsit epistolas. Prioris principium sic habet: Agedum tursus vomicam hanc planè vlcerosam tuæ istius ægritudinis ac mœstitiæ ipse exhauriam, tuasque ratiocinationes quæ menti tuæ densam nubem offundunt, dispellam ipse & *c* disgregabo: Et cætera. Posteriorem vero epistolam *d* hac verborum illatione exorsus est. Et corpora quidem cum peracri ac permoleste febre diu colluctata. Et quæ sequuntur eloquia prorsus consolatoria. Nec secus alias scripsit literas ad Constantinum presbyterum, & ad sanctam virginem atque Diaconissam Olympiadem. Et has in *e* ordinem vna cum aliis redegimus sancti illius viri prouidam populi curam in arcano pectoris retinentem semper, non modo dum consideret in throno, sed & in exilio *f* consistens, nihil quod populi esset, asserens *g* sibi aut vendicans, imitator factus Pauli. Illi porro fratricidæ extimulati inuidia ipsum iubent [a] transferri Arabissum, vt vel tam diuersis afflictionibus & ærumnis subiecto vitam illi interciperent, sicque *h* deperiret. Sed enim illic etiamnum non mediocriter *i* explenduit virtutum ornamentis. Non enim potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque lucerna lumine præclustri accensa ligneo debet tegi modio. Ex omni enim circum circa *k* finitima regione à socordi somno ignorantiæ expergefecit coruscante radio verbi *l* eos qui eatenus fuerant depressi veternoso perfidiæ sopore. Seuerianus, Porphyrius, & alij aliquot Syriæ episcopi vehementiore flamma *m* redaccensi inuidiæ *n* ad hoc vnum se comparant, vt ipsum illinc emoueant ac transferant alios. Grauis enim eis erat, nec modo quum illi arrideret fortuna rerum felicior, celeberque haberetur, quin & quum is diuexaretur istiusmodi calamitate: isti tanto acrioribus aculeis tentationum affecti perurgebantur, vtique illius ad Apostolum diuinitus redditi oraculi immemores, dum is tribulationibus conflictaretur: Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Contemplati enim ciuitatem Antiochensium, quæ recta spectat Armeniam, etiam illinc, rursus animo perpendentes quia Ioannis accommodam & apprimè vtilem philosophiam Antiocheni miris laudibus attollerent, optabant, vt flagris [b] & cruciatibus diris illi vita abrumperetur, quemadmodum istis adimitur vita, qui torturis examinantur. Talis enim esse solet inuidia nunquam non infensa honestati & aduersa maxime; ita vt qui aderant clerici ipsius sectatores, multa cum admiratione dicerent: Videte morticinum & exangue cadauer nimisquam terrificum. Eos qui viuunt, quique pro potestate agunt, quanto percellit terrore? Nimirum ceu assolent perterrere pueros spectra ac personatæ laruæ. Papæ qui mundi istius gerunt præfecturas, qui magistratu quopiam funguntur, qui ecclesiasticas opes pro sua potestate congerunt & accumulant, hunc solum cum suis literis sacerdotem, inermem prorsus, ad hæc carne infirmum, extorrem & proscriptum tantopere timent, vt toti impallescant! Itaque isti cum iam non sibi in commune temperarent, non denique finerent serpentinum odium tegi silentio, ac delitescere, misissentque ad legionem militum, suggerunt illis rescriptum multo priore inclementius, indicta pœna, nisi intra breue ac præscriptum tempus ipsum transtulissent in *p* Pœtiunta, [f] locum omni habitatore destitutum, imminentem rupi confragosæ ac præruptæ, inque mare Ponticum propendenti. Extrema enim ora est imperii Romanorum, barbaris longe efferatissimis finitima. Eo itinere intra paucos dies confecto, quum peruenisset ad præscriptum exilii locum, eodem perui gili ac matutinam persoluente psalmodiam, precesque ad Deum sursum emittente, sancti apostoli [c] Petrus & Ioannes ad eum sunt ingressi, quos cum olim esset Antiochiæ, fuerat contemplatus, eique dicunt: Fac læteris ac diffundaris gaudio *q* rationalium Christi ouium pastor bone, generosissime athleta. Ab ipso communi dominatore ac domino nostro simul & Deo Iesu Christo huc ad te delegati sumus, vt vires roburque suggeramus, & te tanto fatigationum pondere attritum, sermone consolatorio alleuemus, quas pro tuenda sinceritate conscientiæ fortiter perpessus es. Reges enim ipsos illegitimam & exlegem vitam ducentes increpasti, imitator factus Ioannis Baptistæ, qui impium Herodem coarguit propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Quamobrem conualescito tu ac viriliter age. Siquidem in cœlesti regno ampla tibi reposita est merces. Quare tibi euangelizamus gaudium magnum. Intra enim dies perpaucos hinc emigrabis ad Dominum Deum tuum, in cœlorum regno *r* intermina requie nobiscum perfruiturus. Animo fac sis præsenti, siquidem de inimicis tuis victricem palmam reportasti. Qui te hostiliter oderant, hos ineluibili ignominia dedecorasti. Calcibus protriuisti colluctatorem tuum diabolum, & de *s* dæmonibus ei subiugis insignem retulisti triumphum. Porro * Eudoxia redundanti scaturigine vermium ebullitura est. Quam abs te efflagitabit opem, nunquam impetratura est. Ingenti cum dolore, morbo quo iam laborat, vitæ finem sortitura est. Immedicabili siquidem morbo suam oppetet mortem, accepta à Domino plaga. His dictis, tradiderunt ei edulium quoddam dicentes: Cibum hunc accipito ac vescitor, iam non in præsenti vita indigus fueris alterius edulij. Hic enim cibus te abunde suffulciet tantisper dum commendes spiritum in manus Domini. Acceptum cibum in eorum conspectu edebat. Erant autem cum Ioanne in ipso exilio presbyteri duo, diaconus vnus, qui quidem abusque Constantinopoli indiuidui comites sequuti sunt eum, pio erga eum affectu detenti. Inaudierant & isti sermones quos sancti Apostoli cum beato Ioanne pertexuissent tum familiariter colloquentes, & gratiarum actionem rependerunt modis omnibus exhilarati, & ingenti gaudio perfusi, quod cum tali viro (cuius prouidam curam gereret Deus) promeritis esset consortes fieri afflictionum, dignique habiti, qui non modo verba audierint, sed & ipsos sanctos Apostolos oculis coram conspexerint. Siquidem hi peruigiles erant, & apertis corporeis oculis singula quæque exacte obseruabant. At contra [d] milites Præfecti *t* prætoriorum, qui ipsum ad exilium perducebant, ipsum perurgebant, vt viam festinato capesseret, palam professi se tale quid in mandatis accepisse, vt siquidem medio in itinere defungeretur vita, ad ampliorem gradum dignitatis promouerentur. Et quidem istorum vnus, quem minor cura tangebat præsentis militiæ ac dignitatis, quatenus altero clam suffurari poterat, argumenta benignitatis exhibebat sancto.

v E regione alter tanto erat inclementior & præfractior, sic vt obsequia quæ ab obuiis passim exhibebantur per commiserationem sancto, hæc iste contumeliarum loco habebat, huic vni & soli curæ intentus, vt Ioannem miserrima morte multaret. Pluuius imber siquando cœlo *x* sidens vehementius inundabat, hic tanto securius exibat, vt humor aquæ pluuiæ in dorsum pectusque sancti deflueret. His adde, quia & sol quanto intemperantiore æstu incanduisset, hoc deliciarum loco deputabat, quod scite intelligeret cranium beati, perinde ac Elisæi, id grauatim ac permoleste ferre. In oppidum aut in ciuitatem, vbi nonnihil consolationis arrisisset ex lauacro siue balneo, ne ad punctum quidem horulæ vnius iste *y* suspirioſus & infœlix sinebat diuertere & immorari. Præter hæc omnia sanctus toto trimestri viam hanc longe molestissimam conficiens sic perdurabat contabefaciens corpusculum, tanquam ouis suffusa rubore, se exporrigens ad ramusculum in sublime erectum.

Deus autem generis humani amantissimus non permisit suum athletam vbiqui fortiter vincentem abripi in illam insululam, sed cum propinquasset Comanæ genti (locus autem eius spectat ad Euxinum mare) ac si ponstuisset

a *Medici*
b *vnicuiq;*
c *dissipalo.*
d *sic exorsus est.*
e *mediũ de multis attulimus, vt ostenderemus sanctũ illum virũ prouidam, &c. sic supplet Antuerp. editio sesquilinteolam sequẽtem obsoletam, vt ne legi quidem potuerit.*
f *consistentem.*
g *asserere sibi aut vindicare imitatorem factum Pauli.*
[a] Arabissum transfertur.
h *periret.*
i *resplẽduit.*
k *regione à somno ignorantiæ.*
l *diuini.*
m *incensi.*
n *hoc vnum agebant.*
* Odium & inuidia aduersariorũ in Chrysostomum
p *Pytiunta. Antuer.*
[f] Chrysostomus Pityunti exulare cogitur.
[c] Ei Petrus & Ioannes Apostoli apparent, & discessũ eius è vita prænunciant.
q *ratione præditarũ.*
r *perpetua.*
s *dæmonibus insignẽ.*
* Item & Eudoxiæ miserabilẽ interitum.
[d] Milites male habẽt Chrysostomum.

t *prætorio.* v *Alter contra tanto erat.* x *cadens.* y *miser.*

fuisset, prætergressi sunt Pityuntem extra mœnia in æde martyri consecrata, cùm procul vrbe quinque aut sex miliaribus mansissent, nocte eàdem ei adstitit illius loci martyr, nomen erat ei Basiliscus, *a* qui quidem Episcopus fuerat Comanorum, in Nicomedia imperante Maximiano, vnà cum Luciano *in b* Bithinia passus, Antiochiæ presbytero, is ait: Vide, animo sis præsenti, frater Iohannes. Cras enim vnà erimus. Referunt autem & martyrem prædixisse presbytero, qui in templo morabatur: Adorna locum fratri Iohanni. Venit enim. Porrò beatus Iohannes fidem accommodans sibi reddito oracuło, obtestatur illic, vt in crastinum permanerent ad horam vsque quintam. Illi autem nullis modis persuasi eduxerunt eum. Illinc autem confecto itinere quasi stadiorum triginta, postliminiò se eodem receperunt, ad locum nempè martyrij, à quo discesserant, ipso mox subsequente. Et ita cùm eò conuenissent, vestimenta sedulò sibi exhiberi depoposcit splendida vtique, nec indigna vitæ quam priùs exegisset. Prioribus indumentis exutus, sobrius & castus se nouis induit. Mutatorijs igitur vsque ad calceamenta amictus, in eos qui aderant, priora reliqua dispertitus est. Denique communione dominicorum symbolorum accepta, præsentibus qui aderant, extremam effudit orationem, dicens pro more suo verbum: Gloria Domino, *c* qui omnium causa est. Quumque se signo præmunijsset ac intulisset Amen: *d* pedes sursum versus expandit, qui pro salute sinceriter pœnitentium cum laude cursum expleuerant *e* suum, eos coarguens, qui vt peccarent, plurimum laborârunt. Quod reprehensiones illius apud improbos & flagitiosos nihil obtinuerunt emolumenti, non id statim *f* adscribendum venit imbecillitati aut ineficaciæ eius, qui ingenuè ac multa cum libertate admonuit, sed eorum effreni temeritate contigit, qui nihil æquanimiter ferunt. Ipse porrò [a] ad vitam translatus est *g* senij prorsus exortem, collegio adscriptus sanctorum omnium, qui *Deo* vnquam placuerunt, patribus appositus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis simul & Martyribus, die quartaedecima mensis Septembris, quo die preciosum omnique dignum veneratione lignum viuificæ Crucis Christi ac Dei nostri exaltatum est ad salutem eorum quidem, qui orthodoxa fide in ipsum credunt, qui & ab eodem ligno expassis manibus *h* pependit: è regione ad illorum perditionem, qui ipsum incessunt *i* blasphemis contumelijs. Postridiè consulatus, qui quidem erat Honorij septimus, & Theodosij secundus, valedicto communi huic vitæ ad *k* Christum vsque proiectus peruenit, *l* ceu scriptum est: Venies autem ad sepulchrum tuum, sicut frumentum maturum tempore suo demetitur: *m* ex diuerso, iniquorum animæ viles & abiectæ morientur. Tantus tamque numerosus cœtus virginum, monachorum & eorum, qui ad præscriptum suæ quique legis degentes probabile elogium retulerant ob vitæ sanctimoniam, aderat è Syria & Cilicia, à Ponto & Armenia, vt plerique omnes existimarent eos ex compacto illuc aduenisse. Porrò [b] corpus quòd tot adeò, tamque varios agones fortiter depugnârat, perindè ac athleta quispiam palmarem victoriam ex hoste reportans, sepulturæ mandatum est, & solennibus atque festiuis laudibus celebratum. Depositum id est intra thecam siue conditorium vnà cum iam *n* dicto martyre in æde illi consecrata. Itaque Ioannes exauctoratus dignitate, *in* exilium relegatus per multam oris libertatem, eoque coronas reportauit æquandas, & nihilo dispares certatoribus laude dignis, quique exantlato agone præmium retulerunt, nempè martyribus. Siquidem ad priscam illam viuèdi consuetudinem habitumve perductus est, vti eius *o* opera declarant, & quæ huic permutatio vitæ melior testimonium reddit.

a qui Episcopus Comanorum. *b Bithynia Antiochia presbytero passus fuerat.* *c omnium gratia, Quumq;.* *d pedes extendit, qui pro.* *e suum cõfendebantque eos, qui peccatorum diuitias suis essẽt operati pedibus.* *Quod reprehensiones.* *f adscribẽdum imbecillitati.*

[a] Moritur S. Ioh. Chrysostom. anno 407. 14. Septembr. vide Bar. to. 5. ad an. 407 n. *Basiliscо.*

g *sempiternam.* h *pependit, ad illorum.* i *blasphemiis.* k *Christum proiectus* l *vt.* m *impiorum contra animæ.* [b] Corpus eius sepulturæ mandatur. o *opera.*

HANC aduersus eum iniustitiam detestati sunt & execrati omnium maximè Europæi Episcopi. Perspecta autem XC. [p] ipsorum malignitate, ab eorum communione se segregârunt. Illyrici proindè omnes in partem horum secesserunt, non [q] item in partes diduxerunt corpus Ecclesiæ. Siquidem hoc erat propositum, ea mens [c] Ecclesiæ Romanæ, vt nullam cum Orientalibus Episcopis inirent omninò communionem, præsertim cum Theophilo, tantisper dum Oecumenica synodus celebraretur, medelam adhibitura præcidendis membris [r] putrilagine vitiatis: ijs nimirum, qui tam indigna gessissent. Etenim tametsi beatus Ioannes obdormiuisset, at certè euigilare debet veritas & expergefieri, [s] cuius moderatione res tota in quæstionem ponetur. Simul atque vitæ finem accepit ille eximius orbis doctor, duo [d] illi presbyteri vnà cum diacono (*t* quo cum in exilio versati fuerant) ascenderunt Romam ad Papam Innocentium enarraturi eidem, quæ beato Ioanni contigissent omnia, quo tempore in exilio fuit, quamque miseris modis diuexatus sit per immanitatem militum, qui ipsum è loco in locum transportârunt, de gente edoćturi, quam ope Dei fretus sua doctrina promouit ad salutem, quæ à Solis cultura fidem complexa est in Deum. Insuper & de visione Petri & Ioannis, *y* deq; his quæ ab ipsis dicta fuerant Ioanni, de obdormitione ipsius ac visione Basilisci martyris prædicẽtis ei suam obdormitionem. Hisce Papa auditis, magnopere admiratus est, simul & animi deliquio ac mœrore confectus, his qui aderant ait: Videte, quodnam luminare ecclesiæ, quam insignem fidei preconem isti orientis episcopi inique in exilium relegârunt. Quid vtiq; *x* fiet in seculo præsenti? *y* Quid talibus in futuro continget? *z* Quamnam rationem vel vtcunque in speciem saltem probabilem illo die tremendo poterunt opponere iudici, quo die ad tribunal Christi sistentur, cui nemo imponet, nemo circumscribere *a a* poterit quamlibet captiosis argumentis? Hisce dictis adit [e] Papa Honorium Imperatorem renarraturus ei cuncta, quæ auditu perceperat referentibus clericis. Ad hæc & de Eudoxia Imperatrice, quo pacto memoriam conceptæ aduersus Ioannem malitiæ ex animo nondum remisisset, *b b* donec tandem eam inclusit, Ioanne ab episcopatu exauthorato, idque per flagitiosos & improbandos homines, qui ad id confingendum operam suam condixerant Eudoxiæ, quandoquidem ipsa ab eo correpta fuerat ex officio, dum eam cohibebat, vt intermitteret rapinas facultatum ac possessionum, quas à proximis vi exprimebat, vtque sibi temperaret ab iniustis, & quàm plurimis cædibus hominum. His auditis, Imperator peracri animi compunctione extimulatus est. Erat enim is pius præter omnem modum, ac verus Dei cultor vniuersum vitę suæ tempus in orationibus, ieiunijs ac vigilijs simul & *c c* lectionibus, sibiipsi magnopere attendens, & ad ea, quæ ad animæ suæ salutem conducebant. Et respondens, dixit Papæ: Terra omnis, mare insuper adimpletur istius flagitiosæ mulieris *d d* multiuaria iniquitate. De hac enim rumores nimisquam multi pulsârunt aures meas, ad quos oppilans *e e* aures meas auertebam, & fastidienter audiebam cum execratione, eiusmodi sermones sic malitiosos recusans audire. Ecquid est, quod eam non nouerim gessisse? Equidem fratri meo Arcadio non semel scripsi de ipsa, vt eam ab eiusmodi negotijs auocaret, vt ne ad nos veniret, neque ad filios nostros sua transferret peccata, exemplo Heli sacerdotis, & super domum suam & patris sui, in quem Dei indignatio inclementer desæuijt propter peccata Ophni & Phinees filiorum suorum. ne sic quidem exaudiuit me frater, at ne nunc denique audit ille, vti par est credere. Quin potiùs ei & tu scribito. Credibile enim est te exauditurum, & eam correcturum. Tunc Innocentius Papa epistolam scripsit Arcadio Imperatori talia continentem.

p Orientalium episcoporum malignitate. *q tamen in partes.* *r putredine.* *s cuius aliquando erit iudicium.* *Simul.* *t quo in exilio simul versati.* *u notio imp* *x Eccles. Romana communicate cum Episcopis Orientalibus detrectat, nisi prius in Oecumenica synodo decisa sit causa Chrysostomi.* *d Presbyteri duo. qui cũ Chrysostomo exulârant Innocentiũ Pontificẽ de iis. q̃ circa ipsũ gesta sunt instruunt.*

y Epistola Innocentij Pontificis ad Arcadiũ. Eandem recitat Bar. refert. b b *donec Ioannes ab episcopatu esset exauthoratus.* c c *lectionibus agens.* d d *varia.* e e *eas auertebam.*

quæque ab ipsis. x *hic est in seculo.* y *Quid in futuro.* z *Quam rationem vel probabilem.* a a *poterit captiosis.* [c] Eadem Innocentius Papa Ho-

VOX sanguinis [f] fratris mei Iohannis clamat ad Deum aduersum te ô Imperator, quemadmodum & olim san- XCI. guis Abel iusti aduersus fratricidam Cain, qui & modis omnibus vindicabitur. Ne id quidem solum ipse peregisti, verùm tempore quoque pacis concussti persequutionem contra Ecclesiam Dei, & eius sacerdotes, indicta atque indiscussa

Gen 4

ex Codice vaticano ad annum 407 quam & Gennadius, Nicephorus & Glicas habent, ex alia interim translat.

cussa causa, magnum illum orbis totius doctorem pepulisti è throno sui episcopatus. Cum ipso simul & CHRISTVM persequutus es. De illo enim non est cur tantopere *dequerar aut lamenter, (siquidem hæreditatem sortitò accepit vna cum sanctis Apostolis in Dei ac saluatoris nostri IESV CHRISTI regno) fuerit licet nobis *detrimentosa & intolerabilis ea calamitas. Cæterum angor animo, primum quidem solicitus anxie pro salute animarum vestrarum. Huc proxime accedit, pro his qui miserandam orbitatem lugent sapientissimæ doctrinæ ac spiritualis disciplinæ, qui inedia necantur verbi diuini. Neq; enim sola Constantinopolitanorum ecclesia iacturam adiit aut multata est orbitate mellifluæ illius linguæ, sed & orbis qui Soli subiacet vniuersus, viduitatem suam opplerat deperdito hoc viro plane diuino, idq; suadelis vnius mulierculæ, dramaticam hanc fabulam in apertum producentis. Sed enim & hic luet vltricem pœnam, nec ita post multos dies eam adorietur futurum supplicium. Beatus enim Ioannes, tametsi vitam reliquit seruata fidei incolumitate, & constabilitis in fide vacillantibus, at certe in secula nunquam desitura inexhaustis deliciis vitaq; perenni ac immortali perfruitur sortitoq; possedit. Porro noua hæc* Dalila quæ te sensim nouacula suæ impostura totondit, sibiipsi ex ore multorum conciliauit maledictionem, se obstringens graui sarcina & vix vlli gestabili onere peccatorum, & prius à se commissis peccatis etiam hoc accumulans. †Quapropter enim minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli concreditus est, separo te & illam à participatione immaculatorum sacramentorum CHRISTI Dei nostri.* Nec solum, sed & quemcunq; tandem episcopum aut clericum cuiuscunq; ordinis sanctæ ecclesiæ quisquis præsumpserit ea vobis ministrare, & eorum efficere consortes, ab ipsa hora, qua præsentes litteras vinculi, quo vos astringo, legeritis, eum qui eiusmodi fuerit, definio gradu suæ dignitatis esse deiectum. Porro si, ceu assolent qui pro potestate agunt, vi quenquam eo adegeritis, & à Saluatore per sanctos Apostolos vobis præscriptos canones fueritis præuaricati, primum quidem scitote hoc pro non leui peccato imputatum iri illo die tremendo formidabilis iudicii, in quo quidem quantacunq; dignitas nemini poterit esse auxilio. Proinde Arsacium quē pro eximio Ioanne intrusistis in thronum episcopatus, mortuū licet deiicimus gradu, vna cum omnibus qui destinato cōsilio ipsi communicarunt episcopis, cuius ne nomen quidē inscribi sacris diptychis siue episcoporū tabellis censeo. Is siquidem hoc honore se præstitit indignum, quippe qui eū episcopatum contaminauit adulterio. Omnis n. plantatio, quam non plantauit pater noster cœlestis, eradicabitur. †Ad Theophili exauthorationem addimus censuram excommunicationis, anathematismum & à Christianismo *omnimodam ac perfectam alienationem.

Mat. 15.

ipsi communicarunt. † Theophilus anathemarizatur.

XCII. SCRIPSIT præterea & Honorius Arcadio hęc: Non satis compertum habeo neq; persuasum, quęnam vis tam efficax, alioqui aduersa te in eam fraudem pellexerit, vt te totum permitteres fidei mulierculę vnius, & ea perpetrares flagitia, quæ alius nemo (modo Christianus) in animū induxit vt faceres, religiose Imperator. Etenim sancti qui hic sunt, episcopi omnes, querulis vocibus inclamant toto hoc nostro imperio, nobisque opplorare non desinunt, quia vicarii Rom. ecclesiæ quos ad vestrā reuerentiam & honorem destinarant, vt synodus iam in vnum coacta per vos sanciretur rataq; fieret, hi diuersis detinentur castellis, & iis angustissimis, miserum in modū afflicti, ita vt imperatum sit ipsos extrema fame enecari ac* disperire. Equidem hisce factis constat vos non admodū comiter aut humane eosdem excepisse, sed & sic exceptos hospitio voluisse indignis modis prosequi. Non enim in hos exhibitū hospitalitatis officium imperii vestri latitudinem in angustū aut arctum redegisset, quin tanto magis ampliasset opulentissima Dei erga nos dona. Ad hæc, ipso clementer condonante, nobis cessisset ea hospitalitas in redemptionem delictorum. Sed enim, quæ contraria sunt, nihil cunctati estis efficere. Pecunias proinde quas secum detulerant pro supplendis necessitudinibus sumptuum corporalium, iussistis auferri, & ademptas in alios conferri. Hac vna re nobis suggessisti occasionem suspirioſe ingemiscendi ad Dominum Deum nostrum. Non animaduertistis sapientissimi paræmiastæ sententiā, dicentis: Ne dederis occasionem homini, tibi vt maledicat. Vbi n. ingemuerit cor eius, exaudiet ipsum plastes eius. *a* Hæc præter, tuo vhius consilio, *b* tuomet iudicio in exilium *c* proscripto illo, in eius thronum alios subrogasti episcopos, nec tantilli quidē ducens sedis Apostolicæ dignitatem. Planæ isthæc omnia haud mediocre periculū apud Deum tibi important, *d* apud item homines dedecus pariunt auditu fœdum. Itaq; non iam verbis, sed pro virili operibus enitere, ac festinato membris carioſa *e* putrilagine vitiatis mederi, nosq; omnes hisce de rebus certiores reddere pergito, nec te lateat nos de his facinoribus & piaculis expeditos ad expetendam vltionem, vt orationes à sacerdotibus ad Deum pro nobis effusæ nostra confirment & constabiliant imperia.

XCIII. ARCADIVS susceptis hisce literis in mœrore constitutus & anxius deliquio animi tabescebat. Iubet is inquiri, nunqui in ciuitate supersint ex iis qui aduersus B. Ioannem insidiosas molitiones instruxissent. Erant autem ea in ciuitate (*a* vt fit forte) Menas, Theotecnus, & *b* Eschœrion consobrini Theophili Alexandriæ episcopi, & Acacius *c* qui ab eius parte steterat, Seuerianus itē Gabalorum episcopus. Hos in ciuitate esse cum resciuisset Imperator, iubet eos omni cum ignominia & dedecore adduci, & illatos *d* introcludi carceribus tantisper, dum de eorum gestis consulto anquisiisset. Tum sane sedulo anquirit aduersus eos episcopos qui scenā tragicam peregerant. Eadem opera in quæstionem ponit Rom. ecclesiæ vicarios. Et hæc quidē omnia literis Honorii fratris sui liquido innotuerant: quę vt mox edidicit quemadmodū gesta essent opera Marini, addicti vel maxime Imperatrici, & filiorum eius, iubet in eos animaduerti gladio, ac* morte multari, ipsorumq; corpora appendi ligno. Omnes insuper domesticos, (siue ij congeneres sibi fuissent, seu homines peculiariter addicti Imperatrici) compertos istiusmodi improbandæ molitionis, iussit primum excidere dignitate, dein illis adimi facultates omnes. Alios autem plagis, torturis & carcerālibus custodiis absumi præcepit. Eudoxiam vero Imperatricē permisit in quopiā palatii cubiculo sessitare, & ne quis ad eam introgrederetur, edixit, *e* nisi forte ad auram ipsam siue respirationem, at ne eam aliquando ad se siuit accedere. Porro illa diuexari cœpit in iis quæ ventriculo subsunt partibus per eam afflictionem, & quod taliaspersa dedecore atq; ignominia esset, concidit in eum languorem qui à medicis dicitur *αἱμορροια*, hoc est, eruptio siue profluuium sanguinis. Proinde magistriani qui literas Imperatoris abusq; Roma attulerant Constantinopolin, hæc tum resciuerunt. Arcadius autem Imperator mox vt resciuit, transtulit dictam vltricem vindictam in eos qui eam calumniam adornarant aduersus Ioannem. Ad Papæ Innocentii literas rescripsit.

XCIV. HOMINES †quicunq; recte sapiunt vtiq; norunt, ea quæ ignoratione fiunt, non ipse Deus, non etiam leges plectunt supplicio, sed & nemo pro alterius culpa iudicio sistitur. Hac ratione motus scripsi cupiens vestræ paternitati plenius satisfacere. Nam Deo teste, eorum quæ contigerunt episcopis & clericis vestris, nihil resciui, quin ipse innocens fui sententiæ eorum. Mox enim vt ea intellexi, omnimodam expetiui vltionem de authoribus gestorum, quæ alioqui Deum minime latebant. Nam si tanti per eos admissi flagitii particeps ipse fuissem aut *complex, vtique eos non tot diuexassem aut affecissem incommodis. De beato autem Ioanne Constantinopalitanæ ecclesiæ episcopo (cuius memoria sacrosancta est) quod aduersus ipsum gestum est, non id mea vnius culpa contigit fieri, sed episcopis ipsis asscribendum venit, qui asseuerabant, ipsum quiddam absurdum aduersus Canones sanctæ Nicenæ Synodi admisisse: quare dignus est habitus deiectione: isti siquidem in capita sua receperunt eam sententiam. Ipse igitur eorum verbis persuasus, vt qui essent episcopi, simul etiam prouidens ne quod schisma in ecclesia propter hominem vnum oboriretur, neu eius membra in partes distraherentur, tametsi quidam segregari debuerant à commu-

*Arsacius mortuus Episcopali dignitate priuatur cum Episcopis qui *integram.*

Honorii Epistola ad Arcadium fratrem. Hanc ex codice Cardinalis Guilielmi Sirlet. Bibliothecarii Apostolici recitat Baron. ad an. memorat. aliotamen interprete.

perdere.

a *Prater hæc*
b *tuo*
c *Ioanne*
d *apud homines.*
e *putredine*

Arcadius Chrysostomi aduersarios carceribus mancipat

a *vt fortè accidit.*
b *Ischurion*
c *forsan Homeræe episcopus.*
d *includi*

*Morte mulctat.

e *ἀμίλει σοι.*

† Arcadii ad Innocentiū Papam Epistola. Eandem subdiuisam apud Glicam Annal. par. 4. offendes, quā recitat Bar. ad an. 407.

consortes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

communione sacramentorum. Et quidem illi plane peracri increpatione sunt digni, vt qui illegitime ac præter Canones aduersus eum tale quid ausu temerario gesserunt. Porro nos qua in re peccauimus, siquidem sacerdotes veritatem auersati nobis imposuerunt suo mendacio, Attamen ex his qui hic aderant peregrinis, misi ad vestram sanctitatem, qui vtiq; debuerant vobis renuntiare quæ hæc consecuta fuerint omnia, si qua in re ipse fuerim author istius rei gestæ, si me *huic dramaticæ aut commentitiæ scenæ permiscuerim, quasi consors fuerim arcanæ istius conspirationis. Animaduertat in eos *prout vult sanctitas tua. Hoc & ipsi consulimus & fieri volumus ad aliorum correctionem. Deinceps paterna tua sanctitas nos adhortetur & moneat, non item condemnet segregans quasi expertes, nec vlli acquiescentes ordini à Christi grege & intaminata communione precioſi corporis & sanguinis ipsius, quando reliqui omnes horum perceptione censentur digni. Id enim vt fieret ab istis aduersus B. Ioannem, ægre nec maleuolo animo permisimus. *Sed enim ipsi efflagitamus à vobis condonari veniam pro eo quod inique gessimus. Quod si nos adoriente rursus morbo altero, verbere opus fuerit, pro modo delictorum moderata castigatione *vtitor, non item eam ipsi deprecabimur aut excusabimus, immo eam correptionem Domini *exprompte & alacriter sustinebimus, non subtrahemur aut deflectemus ab ea. Quem enim diligit Dominus, castigat, iuxta Apostolum. Tantum est, vt ne priuemur salutaribus symbolis. De filia autem tua Eudoxia, noueris pater pro modo suæ offensæ vicem pœnæ haud mediocrem ei rependisse, quo facto contigit, vt per eam afflictionem & mœrorem animi deliquio & languore tabescens in lectulo decumbat. Itaque & eam reddito dignam, ne hinc emigret exors sanctorum mysteriorum Saluatoris nostri Dei. Ne illi *multifariam, irroges vltricem pœnam. Non enim percutiet Deus bis in idipsum.

*ἀμμίσης.
*vt
*etenim
*vtere
*promtè
*variam

SCRIPSIT præterea & Imperatrix ad *eundem pro se respondens in sui excusationem, de diuersis contumeliis xcv.
a in se iniectis in medio ecclesiarum à magno illo Ioanne. Beat⁹ autem ille nunquam vllum nominatim perstrinxit, sed culpas modo & *b* crimina. A rectitudine aberrantes coarguebat. Et qui ea inique admisissent, mox sentiebant quæ dicebantur, sui causa dicta esse, ac proinde videbantur familiariter noti, *c* quando eum vel maxime latebant. Hinc contigit, vt multi quidem primum male sibi conscii peccatorum, illinc alio facesserent, partim timore Dei, partim veriti ne qua apud homines aspergerentur ignominia, ne ab ipso in ecclesia contumelioſe fugillarentur. *d* Erant proinde & alii qui ob istiusmodi obiurgationes nihilo *e* melius promouent. Alii insuper insidias nectebant aduersus eum, vt illud impleretur, quod in vtroq; dictum est. Ait enim: Corripe sapientem, & amabit te: stultum, & apponet vt te oderit. Porro [a] Arcadius Imperator Honorio fratri suo rescribit, nec alia quam quæ scripserat Innocentio Papæ, rationem reddens de beato Ioanne, proq; episcopis & sedis Romanæ vicarius *s* efflictim postulans vt eos à pœna ac vinculo absolueret quo eos suspenderat à susceptione sanctorum sacramentorum.

Innocentium papam a sibi in medio ecclesiarum à magno illo Ioanne irrogatis, vt opinabatur.
b crimina coarguebat.
Honorio

c Et qui cum essent vel maxime ignoti. *d Erant & alij.* *e fierent meliores, imo & insidiarentur ipsi: vt illud impleretur.* *a* Arcadius Imperatori scribit pro sui & Eudoxiæ absolutione *f cuixè.*

VTERQVE autem cum literas Arcadii excepisset, earumq; lectione Innocentius Papa intellexisset Imperatoris xcvi.
pœnitentiam humilem, ipsius modestiam demiratus est. Porro relatione eorum qui pro potestate agebant, quum cognouisset vltionem esse expetitam de his qui in magnum Ioannem inclementer egerant, scribit Proclo pientissimo Cyzici episcopo, *a* vt ascenderet Constantinopolin, *b* Imperatoresque efficeret participes incontaminatorum mysteriorum, & eam pasceret ecclesiam tantisper dum reuocaretur, causa Attici discussa, numnam is dignus foret cuius fidei concrederetur tantæ illius ciuitatis episcopatus. Proclus quidem susceptis Papæ literis, moderandæ Cyzicenorum ecclesiæ subrogauit clericos fide dignos ac sanctos, qui suam absentis vicem supplerent, & ascendit Constantinopolin. Expleto *autem sacrificio, eis *c* contradidit incontaminatam hostiam. Per dies aliquot moram nectens in ciuitate, populisque scripturam enarrans, parte aliqua eorum mœrorem solabatur ac leuabat. Siquidem ipsos inuenit intolerabili angore ac deliquio animi contractos, quod se cernerent orbatos esse lingua *d* melle quouis multo suauius profluente, diuina nimirum ac prorsus spirituali ipsius Ioannis doctrina. Porro dicebat eis Proclus. Fratres, ego animatus sic sum erga Ioannem, perinde ac fons ad mare, & riuus ad mare collatus. Nam quis illi queat assimilari in explanandis scripturis? Cæterum ad Imperatores Arcadium & Eudoxiam rursus scribit *Papa hæc: *e* Vestrum erga Deum propensius studium pro tuenda gloria diuini nominis palam repræsentastis. Quamobrem iuxta sanctas sanctiones ipsi animo præsenti & confirmato accedite ad dominica symbola. Iubete autem Ioannis nomen sacris inscribi διπτύχοις, hoc est, episcoporum tabellis. Iustum enim hoc vt ne ecclesia viduetur nomine, qui memoria omni dignus vixit. Proinde nihil indignum ducatis scribere Theophilo, paratus vt sit, seque accingat itineri iuxta Dei exhortationem ad catholicam synodum Thessalonicæ celebrandam, quæ media est episcoporum nostræ huius occiduæ & orientalis plagæ. *f* Per meipsum enim (si quidem Deo gratum fuerit) *g* eo ascendam. Quæ enim aduersus Ioannem episcopum, Isidorum laude *h* cum primis dignum hospitum exceptorem, & alios id genus religiosæ vitæ consectatores gesta sunt ab eo, nos authoritate sancti Petri eximii Apostolorum principis discussis causis & anquisitionibus exacte perpensis docebimus ex animo sanguinario processisse, & præter tenorem Canonum esse confecta, idq; vt fiat Θεήρατος Deo gratus, necia vocetur id quod non est, Θεόφιλος Deo amans. Deus, ô filii, vos tueatur & conseruet. *k* Valete in Domino semper. Ora vt gratiarũ actiones exoluantur ab omnibus qui in obedientia Romanę ecclesię perseuerant.

a vt Constantinopolim profectus.
b Arcadium & Eudoxiam.
Arcadius & Eudoxia ad sactam communionem admittuntur.
c tradidit.
d melle profluente.
Epistola Innocentii Papæ ad Arcadium cuius & meminit Baro ex annalib Græcæ anno 407
bete autem

e Recepi vestrum in Deum studium, quod per nomen eius accepistis. Quare diuinis expediti vinculis Dominicis symbolis valetes pergite Ioannis. *f* Ipse enim. *g* ad eam synodum *h* in primis. *i* est. Deus, filios vestros tueatur *k* Valere vos in Domino semper, oro: vtq; gratiarũ actiones.

PORRO Acacium & Seuerianum Arcadius cum introduxisset, oculis pressius intentis in eos immodico timore xcvii
correptos, multipliciumq; cogitationũ fluctibus exæstuantes, tunc vtiq; aduersum *a* eos pronuntiaturus ait: Vos estis qui sanctum illum quaqua versus præcelebrem virum orbisq; totius doctorem exauthorastis, sententiam de eius depositione in caput quiq; vestrum recipientes. Animaduertite vel nunc, quid feceritis. Siquidem conatus hic vester temeritatis & amentiæ plenus est, *b* nec quamlibet leuẽ pœnam *c* intentans iis qui eo vsq; insolentię conspirarunt aduersus iustum, penesq; se animũ pręferocem retinuerunt luporum instar. Obticuerunt interim illi pro se nihil respondentes ad obiectum crimen. Iisdem rursus ait: Deus, ô filii (si quidem *d* acceptum sit & gratũ) nobis indulgenter condonet vestrum hoc piaculare flagitiũ. Dicite & Theophilo, *e* Absit vt ab hac profana & infami ignominia deprehendaris immunis & liber. Accingitor, teq; appara itineri ad synodum, illic vt obnoxius *f* & compertus criminis inueniare. Imperator magnopere gauisus est acceptis literis Innocentii Papæ, ac ingenti studio contendit vt omnẽ ei exhiberet obedientiam & obsequium. Primum *enim omnium simul atq; excepit literas, scribit Theophilo hæc: Orbis totius *g* climata siue segmenta conturbasti, sacerdotes captiosis dolis circũuenisti locorum *h* vsurpator. Videris nescius quia hæc subiacent Dei dextræ? nec meministi q̃ cum te acceperit, nullo pacto effugere eius potentiam ac virtutem licebit. Itaq; quum hęc flagitia impudenti & temerario ausu admiseris, futurũ est vt sentẽtiam recipias aduersum te, pœnamq; exoluas tantorũ facinorũ vltricem: quare *i* accingitor, teq; ad iter q̃ ocissime adorna omnibus occursurus Thessalonicæ, & illi-

Arcadius cum Acacio & Seuerino expostulat, iisq; pœnam intentat
a eos Papa pronuntians ait:
b nec leuem.
c promittens.
d acceptum illi sit & placitum

vobis indulgenter condonet vestrum hoc flagitium. *e* Ne ab hac infami igno. deprehenderis liber, accingere. *f* ipse præsto sis, inueniarq; & ego Dei voluntate in ea. Hæc enim ipsi scripsi & pientissimo Imperatori Arcadio Hæc illo loquente dimisit illos pueros exosculatus. Imperator magnopere. *Arcadius Theophilo scribit, vt Thessal. se conferat Concilii sententiam expectaturus. *g* climata conturbasti. *h* cum imperio vsurpator. Nescis quia hæc *i* accingere.

& illic vna cum tuis complicibus atque cooperariis dicturus. Si quid abs te gestum compertum fuerit præter canonum tenorem, reuertetur in sinum tuum. Vide igitur, nostris iussionibus * morigervt sis & obsecundes, ac submota omni corporis necessitate ne tempus extrahens adesse cunctetis die tibi præscripto. Egressus ciuitatem Alexandrinorum festinus ad prædictam tibi ciuitatem accede, vt Deus nostra vsus opera, vltricem pœnam de his omnibus expetat, quæ abs te gesta sunt impie. Hac accepta iussione Theophilus velut densa caligine circunfundebatur, * ab omnibus propemodum abiectus. Proinde episcopos vna cum Cyrillo consobrino destinat ad montem Nitriæ, qui hortentur & obsecrent Isidorum, & eos quos persecutus fuerat, monachos: vt pro se intercederent ac fungerentur legatione. Illi autem ipsis responderunt: Renuntiate ei patres, nos id minime *a* neglectim transmissuros. Ille interim nuspiam prodit. *b* Siquidem tempus vitæ Innocentii expletum tunc est: quare illa omnis motoria & præscripta synodus intermissa est. Itaque is qui pene exanimabatur magis ob præsentem tristitiam, quam propter iustitiam Dei, quæ eum erat apprehensura, reualuit animo. His auditis, Theophilus omnem ab animo anxiam solicitudinem dispulit. Innocentius enim papa * non ita multo post diem suum obiit iuxta veterum sanctorum prophetiam. A morte autem Innocentii Papæ abrogatæ sunt *c* & interlitæ literæ episcopatus Attici, qui inuaserat thronum Constantinopolitanæ ecclesiæ post Arsacium, qui *d* præ Attico occuparat sedem. Et huius quidem episcopatum plerique omnes ægerrimè ferebant, pauci tamen lætabantur, qui vtcunque ergo alios inualuerunt. In his enim nonnulli erant ex aula imperiali, qui & populari turbæ addebant nemos & vt conticescerent, persuadebant, simul & acquiescerent. Porro * Adelphius Arabissi episcopus, is qui in sua domo hospitio exceperat Cucusi beatum Ioannem, quo tempore fuerat in eam *e* relegatus. Vir hic quidem extitit mirabilium patrator operum illo in tempore. Maximopere Ioannem diligebat, & erga ipsum plurimum obtinebat fiduciæ. Hic audita morte Ioannis in exilio positi, intolerabili mœrore conficiebatur suis coniunctans cogitationibus, & secum quæritans, quonam pacto vir talis, nempe orbis totius Doctor, qui sermonibus exornarat Dei ecclesiam, qui exhilararat, hic tantus throno eiectus mortem oppetiuit, & quidem maxime in exilio, id vt fieret Deo permittente. Itaque hic effusis precibus multisq; cum lachrymis orabat Dominum, sibi vt reuelare dignaretur, quo in statu esset apud Deum, vtrumne collegio siue ordini Patriarcharum cooptatus. Quum igitur multo fuisset tempore precatus id vt resciscere, quadam die rapitur in ecstasin, & ecce virum contemplatur insigni specie † conspicuum simul & glorioſum, dextera manu se tenentem atq; deducentem in splendidiuum ac præclustrem locum, & ibiq; indice præmonstrantem ecclesiarum Doctores. Ipso autem oculis circumlustrante, dixit vt eum pressius contemplaretur quem tantopere dilexerat magnum illum Ioannem, nec eatenus ipsum viderat. Omnes cognitos ipsi ostendit, ex nomine quemque suo vocitans. Quumque rursus manum eius apprehendisset, eduxit eum ex eo loco. Verum mœrens & anxio animo sequutus est *f* præducem, quod beatum Ioannem minime vidisset vna cum reliquis patribus. Ipso autem egresso, præfectus ianuæ ait eum distinens: Quid rei habes? Cuius gratia mœrens ingrederis? Equidem illo nihil respondente, rursus dicit ei: Nemo semel huc ingressus, tristis abscedit. Huic tum dicit episcopus: Quæ mœrere me facit causa, est hæc: Ioannem patriarcham Constantinopalitanum, mihi vnice dilectum, nequaquam vidi accensum collegio Doctorum ecclesiæ. At ille ei respondens dixit: Ioannem illum dicis pœnitentiæ præconem? Certe illum. Rursus respondens ginquit: Homo tantisper dum in corpore versatur, videre illum nequit. Adsistit enim dominico throno. Hoc igitur responso certior factus Adelphius episcopus gloriam rependit Deo, quod sibi reuelasset hoc arcanum mysterium, suique animi mœrorem conuertisset in gaudium.

* *obedias*

* *omnium quæ ageret ignarus.*

a *neglecturos*

b *Post non diu vitæ Innocentius finem accepit: quare illa omnia de præscripta Synodo intermissa sunt.*

* Mortuus est Innocentius Papa ann. 417. 5 Kal Augusti, vt habet Baron.

c *sunt literæ*

d *ante*

* Adelphius Arabissinus Episcopus maximo ex obitu Chrysostomi dolore conficitur: sed non tum Adelphium Arabissinæ Ecclesiæ præfuisse, sed Tteium ex Chrysostomi Epist. 120. neq; ab Adelphio Cucusi, sed a Dioscoro hospitio exceptum ex Epist 13. dicti Chrysostomi, probat Bar. ad an 407 e *relegatus exstitit* † Visio eiusdem, eandem ex cap. 128 Sophronii Prati spiritualis desumptam, in Annalibus recitat, Bar. ad an. 407 quam idem Sophron testatur mutuatum se esse ex relatione sororis Adelphii ad Athanasium abbatem, eamque commentit am redarguit Bar ad mem. annū. f *ducem. gait.*

XCVIII Sed enim episcopi partis occiduæ nequaquam se complexuros eorum communionem decernunt, qui in Ægypto erant, toto oriente, in Bosphoro & Thracia tantisper dum illius admirandi Ioannis nomen sacris diptychis inscripsissent, secundum iussionem Innocentii. Atticus vero intelligens ecclesiam in partes diductam, quod qui communicabant Ioanni, se ab ipsa ecclesia sequestrarent, edixit, vt eius memoria celebraretur *a* inter preces sicuti & fieri consueuit aliorum episcoporum qui *b* obdormierunt, quod ipe præsumpsisset ob hoc factum non paucos esse ad ecclesiam postliminio reuersuros, *c* eoq; in suam communionem receperunt occidentales episcopi, quippe qui subinde ad eos transmisisset crebram legationem, orasset insuper non raro vt pacem posset obtinere. † Tandem temporis progressu receperunt eum, quod Ioannis nomenclaturam sacris adscripsisset diptychis. Alexander vero qui post Porphyrium, thronum Antiochenæ ecclesiæ rexit, primarium illud sacerdotium in suo ordine conseruabat simul & vitæ conuersationem. In palæstra enim monasticæ disciplinæ ante episcopatum, quum vitam diu traduxisset, seque exercuisset, maxime generosus ac fortis athleta visus est eluxisse. Hic & sermone erudiebat populum, & eloquio vitam confirmabat. Primus hic Ioannis nomen ecclesiasticis *d* diptychis ordine inscripsit. Sed enim indignum fuerit silentio tegere & obliuionis vitio prætermittere diras prorsus calamitates quæ istis acciderunt, qui aduersus sanctum Ioannem calumnias adornarant, ne multis existimemur quasi diuerticulum operis quærere voluisse, magis vero vt omnibus palam Dei clementiam ostendamus simul & indulgentiam erga eos qui iniuste egerunt aduersus suum athletam Ioannem vt eum cunctis spectandum exhiberet insigni corona redimitum, ad exemplum patientissimi Iob. Ex aduerso illos excepisse temporariam *e* retaliationem in se factam, neq; non æternum & ineuitabile supplicium. * Ammonius enim exercitatione monachus, vnus eorum erat frater qui Longi dicebantur, quos persequutus est Theophilus, eos exigens è monte Nitriæ, & inde exacti audierunt comitatum siue aulam Imperatoris. hic sub vitæ suæ finem prophetiam edidit. Dixit is Aurelianum & Sisinnium sibi enarrasse, quia persequutione immani facta, ac schismate in ecclesia exorto, authores malorum forent finem relaturi longe odiosissimum, & ita facta impressione finuaderent ecclesias Dei, quod & factum est. Hinc enim quorundam corpora Episcoporum, clericorum iuxta ac laicorum quæ semel apprehendisset morbus, *g* multimodis affectionibus diducebat in partes. † Ea quidem si occupasset febris, *h* resonantia viscera deurebat. Si prurigo intolerabilis tentasset, ipsos vngues & suis excauabat locis, *i* membri laborantis dolores cótinui, nonnulli tentabantur hydrope, circa pedes vero œdemata, tumores liuidi. Alterū grauat rheuma, hoc est defluxio pituitæ siue catharrus circa articulos, huic calidus est, illi frigid⁹. His qui literas male informabant aut lineamenta dixerant, inhorrescebant digiti. Phlegmone, hoc est tumor callosus & calidus & vlcus particulam aliquam depascens ac putrefaciens, proinde & grauiter olens, deniq; longum vermem se exporrigens generat. Orthopnœa, hoc est anhelitus non nisi recta ceruice redditus his accedebat, & dyspnœa spirandi difficultas, membrorumq; omnium extensio vehemens.

Episcopi Occidentales, Orientalibus communicare renuūt, nisi relato Chrysostomi nomine in tabulas Episcopales Vide Theodot. lib. 5. c. 34

a *in precibus*

b *in Domino*

c *ideoq;*

† Chrysostomi nomen catalogo Episcoporū Constantinopolitanorum restituitur. Quam difficulter autem, quibus aduersantibus, & quo potissimum tempore, Diptychis idem asscriptum sit vidimus.

Yy 2 Noctur-

de Baron ad an 412. d *δίπτυχος ἢ διπλῆχ@ tabula episcopalium nominum.* e *talionem* * Vide quæ superius in hac ipsa vita de Ammonio nota f *inuasuros* g *multis* † Aduersarii Chrysostomi male pereunt. vide Pallad. in vita Chrys. h *viscera lente adurebat.* i *membriq; laborantes dolores erant continui.*

Nocturnæ insuper phantasiæ siue imaginationes quibus se rebantur transformari in canes rabie efferatos, in sicarios, barbaros, & qui linguæ alterius essent, & fluctuum instar turbulenta voce perstrepentes, somnum peruigilem & insomnem transigentes. Alter autem ex equo delapsus & per id dextro crure aut brachio *diffracto actutum vitam abrupit deploratus. Alius dum asseruaret ac velut *condiret vocis organum, ne nunc quidem potest ori proprio manus admouere. Et alius quidem feruore exæstuans præariditate genuum sensim dissecabatur. Alius item toto triennio morbum passus qui facultatem suppeditabat propemodum sacri ignis gignendi. Rursum alius adeo secundum linguam torquebatur cum peracri febre (ita enim dicunt) vt diaphragma siue interseptum narium in os decumberet, adhærens dentibus, lingua ipsa non progrediente ad mensuram à natura sibi præfinitam. Hic proinde confessione facta, rem erga se gestam inscripsit tabellæ. Licuisset tum videre vltricem Dei iram ab ipso vindice immissam, ac diuersis cruciatibus illos debellantem. Quum enim exasperassent animarum *medicum, sapientemque incantatorem exacerbassent, & ab officina parandæ salutis eum submouissent qui sanctioris scripturæ fuerat interpres, ceu contingit tralatis alio corporum medicis: diris cruciatibus traditi sunt, nimirum pharmacis, quæ dolorem acerrimum vsu ipso quidem suggerunt, at certe salutarem medelam istis nequaquam indiderunt. Etenim Cyrinus Chalcedonis episcopus, cuius pedem Maruthas Apamiæ itidem episcopus imprudens calcârat, adeo misere afflictus est, vt in vlcerosam putrilaginem necessario euaserit, sicque illi præfectus est. Nec id semel contigit fieri, sed subinde aliqua ex parte scindi oportuit. Totum enim corpus ea affectio depascebatur & absumebat, adeo vt & alterum pedem sustineret eiusdem vitiosi affectus esse particeps. Huiusce rei gratia, memoriæ proditum est, plerosque omnes confirmasse, propter blasphemam eius maledicentiam in Ioannem hæc Cyrinum passum esse, quod ipsum frequenter *a ἀγόνατον* ingeniculatum appellasset, ceu mihi supra iam dictum est. *b* Proinde peracerba mors *Eudoxiæ imperatricis famam eam amplificarat. Ex quo enim tempore vitiosus ille affectus *αἱμορρόϊς*, profluuii sanguinis *c* vlcus produxit depascens, ac multæ profunditatis circa corporis eius partes necessarias, eius corpus totum vermium arrosione *d* discaturiit, ceu prædixerant Petrus & Ioannes Apostoli *e* decantato & famæ percelebris Ioanni in exilium abeunti. *f* Quumque perquam multi medicorum se accinxissent instaurandæ eius sanitati, eam perpessionem nequaquam euincere potuerunt, nec ipsam restituere integritati. Eousque enim fœdi putoris euaserat, vt nemo ferre posset graueolentem eius odorem. Ipsi suffumigabant copiosam aromatum exhalationem studio contendentes euincere reiectitiam illam graueolentiam ac cœnulenti & tetri odoris indicibilem halitum, qui ab ipsa prodibat, nec poterant. Porro hæc medicis dicebat. Quanam ex causa ipsi euincere non potestis vim istius ægrotationis? Subuerebantur autem illi rationem reddere, vt qui prope nossent immedicabilem esse plagam. Ipsa respondens dicit: Vos quidem si latet causa, ipsa vobis edisseram. Morbus hic Deo vindice mihi est immissus, propter peccatum quod ipsa admisi aduersus Ioannem episcopum, & nisi pro me apud Deum deprecator intercedat, nunquam sanabor. Ingrauescente autem morbo, quum de spe decidisset recuperandæ sanitatis, liberis Theognosti restitui iussit suam vineam. Nec id modo fecit, sed & multis quos iniuste oppressérat, pecunias reddidit suasque facultates. Sed & Arcadius Imperator à morte sancti Ioannis parumper quum durasset ac fuisset superstes, finem accepit vitæ, pro quo *Theodosius eius filius inauguratus imperio est. Non adeo multo post tempore & Theophilus † lithiasi, hoc est, *calculari morbo suum obiit diem, & thronum Alexandrinæ ecclesiæ Cyrillus eius consanguineus obtinuit.

*effracto
*ἐπαρι-
χέϊτο.

*illum medicum

Cyrini Chalcedonensi Episcopi mors. Vide Socrat. lib. 6. cap 17. Sozom. lib. 8. c. 16.

a ἀγόνατον appellasset

b Deinde

* Eudoxiæ, miserabilis

c fistulam.

d fœaturiit

e percelebri Ioanni

f Quumque multi

*dictus iunior

†lethargo

λιθιαγικῶ πάθει *veterno.

TEMPORE aliquanto post tandem *lipsana beati Ioannis ad imperatricem ciuitatem translata sunt. Proclus enim Cyzici episcopus quum ob ingruentem quandam necessitatem esset Constantinopoli, contemplatus eos qui se ab ecclesia segregarant propter Ioannis exauthorationem (vir multa erat præditus prudentia) hic affectum tristitiæ ipsorum pia consolatione *a* demulcturus, Theodosium Imperatorem adit, persuadet iubeat referri Ioannis lipsana à gente Comanorum, quo loci reposita fuerant, anno ab eius obdormitione trigesimo quinto. Persuasus Imperator misit exercitum militum vna cum Clericis, iis maxime quorum vitæ rectitudo multorum fideli testimonio comprobaretur, aliis insuper monasticæ disciplinæ studio addictissimis, quibus iussit, vt omni cum honore ac reuerentia ipsius reliquias curarent adferendas. Et iis dedit pallia *b* nihil indigna excipiendis reliquiis. Illi quum ad Comanos peruenissent, reliquias ipsius venerabiles ac sanctas è capsula siue feretro sepeliendo corpori accommodo depromptas secum retulerunt, vti ab Imperatore fuerat eis condictum. Reliquiæ igitur vt primum relatæ sunt, quotquot in ecclesia deprehensi tum sunt, concurrerunt ad vnum omnes, vt supplices eum venerarentur. In his igitur vir erat cuius pes præmorsus fuerat à serpente, qua ex re claudicabat. Hic sane iugiter assidebat ecclesiæ foribus stipem emendicans. Exurgens igitur cœpit & ipse vna cum omnibus procidere sanctarum reliquiarum veneration. Sane hic è sepulcrali panno laciniam siue fcustulum accepit, quo & pedem inuoluit claudicantem, & ecce † confestim *d* atque è vestigio pedem suum expandit sanum effectum, quasi nullum vnquam sensisset dolorem. Exiliuit ac prodiit ad ecclesiam, quaquauersum hinc illinc cursitans, Deo gloriam ac laudem rependens, imitator illius quondam claudi factus, assidentis Speciosæ portæ, qui & per Apostolos Petrum & Ioannem integræ sanitati est restitutus. Viri autem loci illius contemplati quod præter naturæ ordinem factum fuerat stupendum miraculum, singuli quique è vestimentis sepulcri quibus obtegebatur precioſum illud ac venerabile lipsanum, arripuerunt nonnihil & sibi desumpserunt pro benedictione & ad sanitatem morbo quouis laborantium. Attulerunt vestem magnifici sumptus & cum primis splendidam, qua eum cohonestarunt. Numerosa multitudo virorum, mulierum ac puerorum aggregata est, quæ intercedebat, multumque adferebat impedimenti his quos eo destinarat Imperator, idque vt eum ad se vt assumerent exerta voce clamantes ac dicentes: Quem ad nos misit Deus saluatorem ac medicum, non sinimus à nobis tolli. Hanc igitur ob causam seditione haud mediocri exorta, milites vna cum suis assectis in hoc se conspicuos exhibuerunt, vt Imperatoris explerent iussionem, continentem, ne quis impedimento esset quo minus referrent beatum illud *e* tabernaculum sancti. Vix tandem ac multo cum labore persuadere potuerunt vt referrent, illudque ad se acciperent. Et ita ad ciuitatem asportarunt. Prius autem quam in ciuitatem eum introducerent, fidelis plebs pelagus per freta quasi per mediterraneam regionem traiecit ad Propontidem, quæ os Bosphori est, & mare ipsum occuluit splendore funalium. Et sanctas ipsius reliquias multorum honore & comitatu publicum agente triumphum ac deducente ad ecclesiam Apostolis cognominem, honorifice deposuerunt in vrnam siue capsam. Qui igitur ob hoc se ab ecclesia eatenus segregarant, persuasi ac morigeri *f* conuiti sunt ecclesiæ. Factum est hoc *g* sexto & decimo consulatu *h* Theodosii Imperatoris, die vigesimo septimo mensis Ianuarii. Sed enim Imperator coniectis in vrnam sancti oculis ac fronte, supplicationem obtulit pro suis genitoribus, Deum obsecrans, indulgenter condonaret quæ per ignorantiam iniuste admisissent. Turba quum secessisset, introducunt quendam *i* podagra & chiragra laborantem, qui plurimo tempore non quiuerat ambulare super terram, non etiam quiduis suis manibus tenere, sed gestabatur & parte multo maxima vitæ sic *k* conuersatus degit.

*reliquiæ. Chrysostomi reliquiæ Constantinopolim transferuntur Theodosio decimum sextum & Fausto consulibus: qui fuit annus Christi 438 Vide Socrat. lib. 7. c. 44. Marcellin. in Chron. Bar. ad memoratum annũ Niceph. cap. 43. lib. 14.

Et pro anno ab obdormitione eius 35 lege abdicatione, sic enim habet Socrates loco citato.

a *demulcire cupiens*

b *digna*

c *præscriptum.*

†Claudus miraculose curatur.

d *& statim*

e *tabernaculum viri sancti.*

Arctissime

f *Vniti* g *decimo sexto* h *Iunioris.* i *ποδαλγὸν καὶ χειραλγὸν.* k *acta exspirauit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Arctiſſime enim obtorti erant & adſtricti pedum manuumque digiti, eiuſque brachia retorrida erant & inſtar arundinis arefacta. Hunc collocarunt ſecus conditorium ſiue vrnam ſancti. At ille cum profluuio lachrymarum plena nitens fide inclamans dicebat: Pater ſancte reſpice ad hanc meam humilitatem. Vide obſecro qua conflicter tribulatione. Neceſſitatem morbi iſtius qui me circunſidet & vndique cingit, attendito. Deum pro me facores (qui nullo non tempore per te inuocatus curat ac medetur) vt ſuo munere gratuito mihi impartiatur ſanitatem. Hæc quum dixiſſet, primoribus pedum ac manuum ſuarum digitis attigit vrnam reliquiarum, & ecce hora eadem pedibus inſtaurata eſt ſanitas, ac in integrum reſtituta. Exurgens autem ac recte inſiſtens pedum plantis, manus inſuper ſuas expandit ſuper vrnam, eámq; exoſculabatur, cum effuſione lachrymarum obſecrans, ſibi vt perfectam medelam conferret. extemplo manus ipſius priſtinæ incolumitati de integro reſtitutæ ſunt, quin etiam digiti ſunt obeundo priori officio inſtaurati. Ille nulla non parte corporis ſanus effectus, Deo rependebat gloriam ac benedicebat, ſanctique eius prædicabat gratiam. Omnes vero eum conſpicati ſic repente ſanatum, demirabantur laudantes Deum ac benedicentes.

Oratio podagrici ad S. Ioannem.

Sanitati reſtituitur.

C. *HANC viuendi formulam conſeruauit beatus Ioannes, & hic exitus eius fuit, quemadmodum ſupra ſcriptum eſt, & quæ aduerſus eum adornatæ fuerint calumniæ. Et quidem *quæ aduerſus eum geſſerunt eccleſiaſtici, quis fateatur merito ac iuſte eſſe facta? Vbi tunc ſacerdotalis dignitas? Quonam loci auolauit pietas? vbi manſuetudo & naturæ communio? Præceptum illud ſaluatoris vbinam erat? Si offers munus tuum, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: abi primùm reconciliare fratri tuo, & ſic offer munus tuum. Vbi quæſo & illud, Si quis te alapis percuſſerit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram? Quo abierat ſcripturarum meditatio, Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum? Illud quoque vbinam, Fratres in neceſſitatibus benigni ſint? Porro vt quid ſcriptum eſt, Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma? †Vos equidem vice verſa ac retrorſum acti feciſtis. Etenim frater à fratre intolerandis calumniis per inuidiam oppreſſus eſt, & miſerum in modum ſpoliatus, perinde ac ciuitas miſerabilis nec vllis cincta mœnibus. Ecquid tandem tres vos non ſemel, ſed tertio miſeri, quia rem per ſe ſynceram, nec vili permiſtam malitiæ adorti eſtis vt perſequeremini: quanam ratione non vos ſuppuduit vel demum tanquam hoſtem eum ad cædem iſtam motoriam expetere? Quonam pacto tanta rabies animos veſtros inceſſiuit, vt aduerſum vos ipſos mutuis odiis digladiaremini, ac ferarum inſtar inuicem ferociretis? Quare tantam permutationem opere ipſo demonſtraſtis, vt à manſuetudine delapſi, in immanem hanc ac prorſus efferatam rabiem *euariaretis? Demiror equidem vehementi ſtupore perculſus malignam iſtam improbitatem veſtram, quippe qui perſpiciam ob hanc motoriam tragœdiam nihil non vſquam valde collidi & concuti. Sed enim cur vos tanta freti eſtis temeritate, vſque adeo inſoleſcentes iſthac præſenti animorum fiducia, vt eccleſiam Dei quæ vos †nutriuit & exornauit, quæ vos à puero indulgenter educauit, quæ fœcunda eſt prole numeroſa matrix, è qua prodiiſtis, & ipſi eam perrumpentes veſtris ſchiſmatibus, tanto aſperſiſtis dedecore, tam atroci contumelia inceſſiuiſtis *matricem veſtram, vt in vobis impletum ſit propheticum illud eloquium: Quamobrem perſequuti ſunt in romphæa fratrem ſuum? Cur corruperunt matricem ſuper terram? Matrix noſtra ſermo eſt diuinus & ſalutaris, qui nos iuxta ac *illum rebus vix enarrabilibus commodis & perquam vtilibus ſeuit atque plantauit. Pro eo enim quod pro decoro officii veſtri conueniebat, vt mutuis operis ac vicaria ope voſipſos inuicem ſubleuaretis, didiciſtis aduerſus ipſum Ioannem meditari & exercere homicidium, neque cenſuiſtis vobis eſſe temperandum ab hoc facinore, & apud vos conquieſcendum. Deinceps vobiſcum commentari debueratis quæ facerent ad neceſſitatem afferendæ opis mutuæ. Nunc autem cur tam mala fide tractaſtis illi indultam gratiam, non modo non ſubleuantes eum tot inuigilantem laboribus, ſed & procul à vobis relegantes, & à claritudine generis ſui? quare par eſt vt ſuſtineatis ſententiam illam prophetæ aduerſum vos inclamantis: Nonne pater vnus omnium veſtrum? Nonne Deus ex aliquo creauit vos? Atqui mihi dicetis: Num tu pro teſte adhibes legem? Quam? Cum manſuetudine corripite. Quid tandem eſt? Qui intra ſe conſilia captant: & quæ contraria ſunt, exequuntur, odio ſunt digni. Nam quanto præſtitiſſet vos cohabitantes ſimulque verſatos in commune ac mutuiter quam optima impertiri conſilia ad promerendam Patris noſtri gratiam, & ei vni acquieſcendum? Filiorum enim virtus & ad eam conſpirans concordia mire conciliat beneuolentiam, nec vllo alio apparatu quam hoc. Siquidem ipſi probe noſtis amicitiæ ac beneuolentiæ vinculum aliud nihil eſſe, quam ſtudium ſedulo adhibere, nihilque non eorum exequi quæ plane noueris amabilia eſſe & per quam gratioſa Patri, qui author eſt ſcientiæ. *a* alimoniæ ac perſeuerantiæ, quem vos intumeſcentes ſuperbia pro tricis ac nugis habentes & aſpernati, in eius eccleſiá pugnas *b* redaccendiſtis, iuxta prophetam qui dixit: *c* Inſaniam in domo Domini defixerunt. Vtique pro eo quod vos ipſos perpellere debuiſtis & mutua exhortatione inuitare ad explendam mentem ac voluntatem Patris, ipſi inuicem bella, *d* non iam ex compacto fœderabilia committitis. Sed & his adnecto, quia vos veſtro hoc exemplo Deum ipſum à vobis auertiſtis, ſimul & omnes qui promouebant, & ad eum propius accedere *e* nitebantur, Dei quidem filios, veſtros autem fratres hac veſtra malignitate in inſaniam miſiſtis, nec parum emouiſtis mentis ſanitate, at neque permiſiſtis vt conquieſcerent. Is enim nequaquam perfunctorie, non etiam imprudenter proſpiciebat vtilitati filiorum, tametſi ipſum infenſe & hoſtiliter odiſſetis. Vobis nimirum erat per mentis veſtræ violentiam & perſequutorum veſanam tyrannidem atque oppreſſionem, eoque viſum mihi eſt iniuſtum fore ſi quidem ipſum tranſmiſiſſem inultum, quemadmodum initio auſpicatus ſum. Neque enim iam ipſi curæ eſt, non etiam vobis citra periculum eſt neque tolerabile facinus hoc veſtrum. Curari vult irrogatione plagarum & liuore vibicum *f* haudquaquam numerabilium per exactum rigorem diſciplinæ. Itaque opus fuerit vt perſpicienter obſeruetis. Senſu enim ipſo vacuum admodum torpuit, eſtque flecti contumax ac neſcium, ſiquidem ad fratrum vſq; veſtrorum notitiam peruaſit qui legitimi & ingenui nec fucati contubernales ſunt, qui ſodales confœderati & commenſales, quique vnius tori conſortes fuiſſe dicuntur pariter & conſanguinei. Hic vnus infenſiſſime ipſum oderat, videns quaſi ſuorum domicilium commune omnes auerſari, proculque ab ipſo deflectere extorres & incultos, his adde & patriæ *f* deſertores, ...

Matt 5. *Ibid.* *Pſa 132.* *Prou 18*

Hæc viuēdi forma beati Ioannis, & hic.

ijs qui aduerſarij eius fuerunt Eccleſiaſticis, quis dixerit merito ac iuſte: vbi ſacerdotalis.

† Apoſtrophe ad Chryſoſtomi aduerſarios.

*euaderetis

†legomen ἀπὸ τοῦ κόσμου.

*matrem Amos. 1.

*S. Ioannē.

a Διαστροφῆς lege διατροφῆς.

b accenditis

c Complut. editio pro μανίαν μανίαι habet Oſee. 9. & pro χυσίν, θεῦ.

d quæ conciliari nequeant committitis.

e nitebantur.

f innumerabilium g exules, & quantum in vobis pars acceſſit, inſtruentes, Tempus aliquod exſilium (forte exſilio) definientes, ſed quamdiu poſſint ſuſtinere, atq; in infinitum, vt crudeli ac ſæuo & valde à vobis alieno. Sic hunc locum mutilum reſtituit Antuerp. exempl.

Et qui beato Ioanni eam calumniam intulerant, odium redaccendunt, linguamque ſuam quaſi enſem acuminatum ſortito diſtrinxerunt ad mortem vſque aduerſus eum (cuius memoriam charius amplectimur nec inuiti deoſculamur) id q; delatione ementiti criminis palam in eccleſia ad corruptelam auditorum effundentes, pro per quam vtili ipſius doctrina. Et horum quidem Dominus pro ſua clementi benignitate plenam rependet mercedem iuxta cuiuſque opera. Cuiuſmodi tandem epiſcopi quidam, genus plane vitiorum cœno illutum erogatione pecuniarum, militari procinctu obuallati ac collatione dignitatum habuerunt ſtationem, ſuntq; appulſi, à præſcripto legis deflectentes, quæ dicit. Dabunt ſacerdotes filios ſuos in principes regi. Et hæc quidem quæ ſunt Spiritus ſancti, inſumunt in iſtiuſmodi concinnandis molitionibus, diſcrutiationibus excubiis ſiue cuſtodiis neq; non exiliis, impermiſtam & effrenem bibentes amentiam. Sed enim iſti arbitrantur ſe poſſe indecorem perperis ignominiæ & ineluibilis notam

Malach. 2.

Leuit. 18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ioan. 16. inurere probatæ virtutis amantibus, de quibus ait Saluator. Venient dies, in quibus dicent qui occiderint vos, obsequium se præstare Deo. Num quæso dixisse videri possit de gentilium diis? Vtique dixisset Deos, quandoquidem plures sunt quam vnus, vt hos omittã, vnum & solum nominatim dixit. Illos quidem velut indice prodidit simulatitio quodam prætextu & colore esse istos Deos, qui sua excursione depredantur ecclesias. Sua enim maleficia atque multiformem inuidiam quum occuluerint, sedulo procurant, vt se solerti artificio conforment scripturæ, quo eam aliis verbis vitiant & corrumpunt. Atqui sic subdole argutantur, vt rerum gestarum exitus eos reuincat & coarguat

Psal 10. mendacii. Quum enim vni cuipiam inanis gloriæ auido subministrarint, dicunt: Non mouebor à generatione in generation ẽ sine malo. *a* Sectam hanc non nunc primum excogitauit qui inuentor est iniquitatis & colonus totius concupiscentiæ serpens. Extimulauit ecclesiæ præsides ad mutuam cædem, ambitione obtinendæ cathedræ inescatos per ea quæ operati excitarunt *b* schisma. Si enim penes episcopos fuisset concordiæ diuinæ spiritus, ille velut author totius erroris, aut sacerdotio indignus, aut certe vti prædicabat Theophilus, superbiæ spiritus in Ioanne fuisset, vtiq; debuerat ipse prohiberi. Poterat enim omnipotens Dei sapientia ipsum legitime à sacerdotio coërcere, aut modum cinternanciſci, quo citra *d* turbelam siue lachrymarum effusionem fuisset deiectus gradu, aut morte, siue paralysi, seu priuatione vocis mulctasset; sicuti quosdam abluctantium ipsi nouimus esse passos, adde & fuisse *e* passuros: Iam tanta subsequuta sint opera prorsus indigna quæ ascribantur Saluatori, nec ipse depositus est, sed in exilium relegatus, perspicue liquet rem ipsam à Diabolo esse confectam, quo quidem incentore Imperialis maiestas doctrinæ Ioannis imposuit finem. *Tibi autem ô beate Ioannes cuiusmodi sermonibus coronam immarcescibilem intertexens offeram post stadii huius exitum, exterritus amplitudine laudum tuarum. Subire enim cogar ingentes fluctus ac procellas immanes siue è floribus Mosaici prati, quos mihi ipse Moyses ad manum porrexit benedicens Ioseph, exemplar vitæ operosioris & actiuæ aut certe Leui sacerdotem specimen comtemplatiuæ. In te enim vno vtrumq; contemplor dicens:

De benedictione quam edidit terra tua & de fructibus cœli & rore, de abyssis fontium ab infra & de fructibus tempo- *Deut. 33.*
raneis solis versionum & de coniunctionibus lunarium mensium & de vertice collium æternorum erunt super caput Ioseph & super verticem glorificatus inter fratres primogenitus, tauri pulchritudo eius, cornua *vnicornis cornua eius. Per ipsa gentes cornu petet simul vsq; ad extremum limitem terræ. Et dixit Leui: †Date Leui manifestationes eius, & veritatem ipsius viro sancto, quem tentauerunt apud aquam contradictionis, qui dicit patri suo & matri suæ, non *vidi te, & fratres suos non cognouit, & filios suos ignorauit. Custodiuit eloquia tua, & testamentum tuum seruauit. Manifestauit iustificationes Iacob, & legem tuam Israël. Superponet thymiama coram te semper in ira tua super altare tuum. Benedicito Domine fortitudini eius, & opera manuum eius suscipito. Percutito †lumbum qui aduersus eum coorti sunt & aduersati: & qui oderunt eum, non resurgant. Ego sane ad hæc quæ attexui, dicerẽ: Qui ipsum prosequuntur amore, ne quæso confundantur Domine Iesu Christe neque *suppudescant. Ecquis enim in summa perfunctus exprompta libertate loquendi non vnum aliquem mœrore affecisset, nisi siquis Dæmonum, & eorum qui propius illi s se adiungunt? Porro hic nequaquam diurno tempore abutebatur ad maleficia. Conduplicauit sibi dicendi copiam & facultatem indultam per fœnus bonorum operum, & exiguo tempore transmisit & expleuit. In testamentum enim quum tempore permulto opus foret scribendis commentariis, ipse id laboris pauco tempore euicit præferuidus & peruigili cura solicitus. *a* Carunculæ suæ *b* ianuam macerans ac feriens mortificauit, & donec eam videret exinanitam, inclamabat: *c* Abeamus hinc, concinens: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Hac enim *Psal.* vna in re mire acquiescebat, quod speraret se propediem exemptum iri istius *d* carunculæ multifariis affectionibus, perinde atque abehospitiolo quopiam putri & marcido ac proinde *f* interminante ruinam. *Aurem habuit arrectam ad sermonem illum: Euge serue bone, auditurus & quæ sequuntur. Ex quo die fonte baptismatis regeneratus est, *Matt. 25.* nunquam *g* deierauit: at neque vllum adegit ad iusiurandum. Nullius famæ obtrectauit. Non est mentitus. Nulli male precatus est. Nullius tulit familiarem congressum qui facetus esset aut scurrilis: quo factum vt liberrime loqueretur in ecclesia, hinc & tanto magis *h* prædicabat virtutem, eam esurientibus. Omnibus palam peccata *i* colluxabat coarguens, persuasus eius doctrina qui dixit: Peccata item coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. *1. Tim. 5.* Quis enim sic fuit, vt hic sane quam beatus Doctor, scripturæ interpres ac velut aurigatione quapiam moderans Apostolicam & orthodoxam fidem? Perdocens ieiunium, continentiam prædicans? deiiciens gradu superbiam, humilitatem miris exornans laudibus? suadens hominibus vt theatrales ludos olympicosq; agones relinquerent, ex diuerso vt ad ecclesias festino cursu contenderent? prostibula & meretricum loca illuuie squalentia defugerent & contraderent obliuioni: ex opposito psalmos, hymnos ac diuina eloquia edisserent domi? ecclesias exædificarent? Hic vias *k* nihilo dispares reddidit monasteriis. Christum vndiq; cingebat & velut amiciebat melico concentu psalmodiæ, os eloqui docens in Christi mandatis, aut suaue loquentia verborum ipsius. Orbem vniuersum suo perquam suauiedulcauit eloquio, In omnem enim terram exiuit, ô beate, sonus tuus, & ad extremum vsque mundi limitem peruaserunt eloquia tua. Iniuriis oppressorum ac diris calamitatibus auxiliaris patronus factus es, languentium & viribus defectorum opitulator es designatus, veritatis propugnator & acerrimus vindex es effectus ad mortem vsque. *Iustitiam perinde ac *m* diploidem indutus es. Diabolum exterruisti, permulta eius & eximiæ magnitudinis vasa abripiens. Debacchantem meretricum vesaniam freno continentiæ suffrenasti, *n* mœchiam rerrusam multosq; latentem procul abegisti. Hæreses demolitus es, & palam traduxisti arcanam prius hæreticorum impietatem, fidei virtute numerosam multitudinem proxime adiunxisti Christo. Eneruatis Dæmonibus, de iisdem profligatis præsignem egisti triumphum. Et ipse euasisti Doctor, & alios insuper instituisti doctores tuis lucubrationibus. Quis virtutes tuas enarrauerit, vti par est: *o* is nisi pro earum dignitate præualeat edisserere? Tua enim opera ad hominum notitiam *p* explenduerunt, quemadmodum & Sol per mundi climata suum diffundit splendorem. Nec id solum, sed in angelos quoque tuæ lucis *q* radiosum iubar eiaculatus es. In prædicationibus tuis Apostolos es imitatus. Tua sapientia lucidissimis argumentis coarguit Imperatores: pauper & inops populus ceu signifer declaratus tibi benedixit, vt qui rerum inopiam dilexeris, quod non anxie quæsieris præsentia, è regione eorum sategisti quæ futura sunt. Quis vt tu vnus prolapsos in vitia, tanta acrimonia verborum coarguit, nullo delectu, nulla personarum inita ratione, hac loquendi libertate vsus ad conuersionem & salutem animarum suarum? Fide quam optima nitens fortiter decertasti, tandemque apprehendisti palmare brauium iustitiæ virtute efficaci operum tuorum, perque synceram & inculpatæ vitæ conuersationem. Immarcescibiles coronas tibi ipsi pertexuisti tolerantia laborum tuæ istius sanctæ exercitationis. Nullum non hominum genus pauisti: hos quidem *r* spirituali exhortatione *f* reprehendendo, illos vero sublenando eorum corporalem necessitatem. Nudatos tegumentis induisti: de vita periclitantes frigore & concreta glacie excalfecisti. Defessos recreasti, & necessitate qualibet conflictatos es consolatus: hos quidem eximendo laboribus, illos vero prolixa ac liberali erogatione esculentorum famelicam esuriem refouendo His curam haud segnem adhibebas, peccatorum graue pondus à se vt excuterent per tuam victricem doctrinam ad hoc eos adornans & rite instruens. Vniti bi viduarum curam multimodam, quasi earum esses vir vendicabas: solicitudinem pupillorum tanquam eorum pater spiritualis in te recipiebas.

Nutri-

a *Carnis*
b *os scilicet*
c *Abeamus, concinens*
d *σωρκὸς carnis variis. habet. Antterp.*
e *hospitio*
f *minante*
Chrysostomi virtutum catalogus.
g *iurauit*
h *pro κερατοπῶν lego κηρύνλων.*
ἐξωστεΐζειν lego ἐξωστείζειν ossa emouere loco.
k *aquas mutatasq; reddidit monasteriis*
l *Iustitiam deploidem*
m *διπλοΐς* protunica & pallio vestis est duplex.
n *adulteriũ*
o *Quis pro dignitate eas valeat edicere*
p *resplenduerunt*
q *radiis effulgens iubar*

r *spiritualibus exhortationibus; illos vero* s *pro μιμῶν lego μυμῶν.*

Nutritius omnium factus, nullum non adimplesti benedictionibus tuis. Monasteria edocuisti suam tueri irreprehensibilem & inculpatam monasticam exercitationem. In ecclesijs qui officio aut munere quopiam administrandi fungebantur, hos nihilo angelis dispares reddidisti, nulli non imponens & commendans statum ordinemque ecclesiasticum. Ciuitates edocuisti pietatem colere. Philosophos ipsos clarissimè ostendisti fuisse illiteratos. In omne flagitium grauiter animaduertisti, legis præuaricationem exegisti, te irritauerunt aduersariæ potestates. Aduersum te conciuerunt non paucas afflictionum procellas, vt te à fidei columna decuterent. Et hæc quidem ruina per illos exusci-
ta est, te accinente Prophetæ Dauid ac dicente: Ipsi obligati sunt, siue præpediti, & ceciderunt: nos autem surreximus, *Psalm 19.*
& erecti sumus. Proinde declaratus es esse secundus Moses, vt qui maris fluctibus inuolueris diabolum * in terra qui- * *in terrâ, tua multi-*
dem: tua multiplici doctrina, quemadmodum ille in mare rubrum demersit Pharaonem cum toto suo exercitu, ab- *plici.*
reptis è tota ipsius multitudine manubijs, quas & Christo obtulisti. Quàm multos permouit, vt concupiscerent, ac
desiderio tenerentur angelicæ conuersationis! Equidem de præclarè actis facinoribus sanctissimi Babylæ, quæ ges-
sit, & viuens & post acceptum exantlati agonis palmare præmium vnà cum corpore, memorabilem vitam compo-
suit sanequam religiosè. Hic planè Ozias ac piæ memoriæ consecratus martyr Ioannes. Sed enim esto nostri memor, Oratio ad
eorumque qui diuino accensi desiderio * nobis addicti sunt, ô pater sancte, te sistens tremendo simul & glorioso Dei S Chrysost.
throno nostri causa, ab eo efflagitans, vt peccatorum veniam nobis indulgenter condonet, suamque immensam * *vobis.*
misericordiam impartiatur animabus nostris, & hæc quidem ipsi videre promereamur. Simul nec indecorè, sed ac-
commodatè & concinniter admodum attexta præsenti historiæ, vt & inuictam atque inexpugnabilem vim libertatis,
quam in concionando obtinebat, declarem, doceamque quam * expromptam fuerit * robur, quanta alacritas diui- * *immitis*
næ illius animæ. Quo enim tempore aduersus ipsum ciebatur captiosa illa molitio, siue actio calumniosa, contempla- *affecta illa*
tus insidiatorum volùtatem prorsus implacabilem, & cicurari nesciam, neque efferatam ingenij indolem eorum, qui *fuerit, quã-*
adornatæ aduersum se auctores fuerunt calumniæ, erectus consistens eo in loco, è quo consueuerat scripturas Spiri- *que fera, di-*
tus sanctissimi aspiratione contraditas (quarum intelligentia * erat perquam plenus) edisserere populo, inter enarran- *uinæ illi a-*
dum hæc dicebat plebi: *nimæ.*

* *pro μίσιμε, lego μέσῳ.* * *erat plenus.*

Tempestates permultæ immaniter ferociens vndarum æstus imminent: at ne sic quidem extimuimus, ne in ma- Chrysostomi Oratio
re ageremur præcipites. Insistimus enim solidæ petræ. Quamlibet desæuiat, ferociat licet mare: petram interrumpere ad populũ,
Phil 1. non potest. Fluctus quantumuis exuscitentur, nauis Iesu neutiquam potest vndis immergi. Quid timuimus? dic mihi. cum de ex-
Psal 23. Mortem? Mihi viuere Christus, & mori lucrum. Sed exilium metuam? dic mihi. Domini est terra & plenitudo e- pulsione ip-
Iob. 1. ius. Facultatumne subuerear proscriptionem? Nihil intulimus in hunc mundum, manifestum, quia nec efferre quic- sius agitur. Vide
quam possumus: & quæ in mundo hoc terrorem ingerunt, ea duco mihi * aspernabilia: & quæ frugi ac bona, ea cen- Chrysost.
seo risu prosequenda. Paupertatem non timeo, non teneor cupiditate diuitiarum. Mortem nihil reformido. Tantum tom. 5. ope-
est, viuere optarim ad exaugendos in virtute successus, eoque & per hæc, quæ vobis non suggero, adhortor vestram rum.
dilectionem, vt confirmato ac præsenti animo sitis. Nemo enim nos à mutua dilectione diuellere, aut ab inuicem * *aspernan-*
Gen. 3. seiungere poterit. Quos enim Deus coniunxit, homo separare non potest. Si enim de muliere & eius viro hoc dicit, *da.*
Ephes 5. eo quod ahibi dictum sit: Derelinquet homo patrem suum, & matrem suam: & adhærebit vxori suæ, & erunt duo * in * εἰς σάρκα
carnem vnam. * Quod igitur Deus iunxit, homo ne separet. Quòd si nuptias redimere non præuales, quantò minus *μίαν.*
Dei ecclesiam possit quis dissoluere? Sed eam oppugnas? Scilicet vt qui nequaquam potes noxam vllam intorque- * ὃ.
re in eum, qui oppugnatur, imò me qui oppugnor, tantò illustriorem reddis, & nominis splendore magis conspi- * κέντρα
cuum. E diuerso tuam vnius fortitudinem aduersum me initi conflictus hic conatus tuus dissoluit. Durum enim tibi *ὀξέα.*
Act. 26. est aduersus * stimulos *a* suo acumine pungentes calcitrare. Acumen stimulorum nequaquam obtundis, imò è pedi- a *acutos cal-*
bus elicis sanguinem. Adeò non dissoluunt, non demoliuntur petram isti fluctus coorientes, vt ipsi magis resoluan- *ces facere.*
tur in spumam. Ecclesia nihil vsquam potentius. O homo, *b* dirimito bellum, ne tuum ipsius dissoluas robur. Ne bel- b *Omitte.*
lum inferas cælo. Hominem si oppugnas: vtique aut vinces, *c* aut certè ipse vincêris. *d* E regione si ecclesiam oppu- c *aut ipse*
gnas, scito te arte nulla victoriam de ea reportaturum. Omnibus enim in immensum est fortior Deus. Ne, quæso, Do- *vincetis.*
minum aduersum nos extimulemus, aut prouocemus ad æmulationem. Quisquis huc studio incumbit, vt eum exa- d *At si ec-*
Ps. 103. giter: vtique non nouit, ipsius quanta sit potentia. Inspicit terram, & facit eam e intremiscere. Iubet, & ecce omnia *clesiam.*
concussit tremore. Vnam aliquam ciuitatem intemperiis exagitatam, si momento compescit, quantò magis potest e *tremere.*
Mat 24 constabilire ecclesiam? Sanè ecclesia ipso cælo fortior est: siquidem cælum & terra transibunt, verba autem mea f ὃν μή.
f nunquam transibunt. Cuiusmodi verba hæc? Tu es Petrus, & super hanc g meam petram ædificabo ecclesiam meã, g μου.
Mat. 16 & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Si verbum hoc habes suspectum, vel factis habeto fidem. Quot quan-
tique tyranni toto conatu studuerunt euincere ecclesiam? Quot camini? Immanium beluarum acuminati dentes?
Enses exacuti quot? Qui omni studio oppugnârunt eam, quonam abierunt? Suppressi sunt silentio, obliuioni sunt
h contraditi. Quonam prouecta est ecclesia? quò euasit honoris? Tantò præ Sole ipso illustrius promicat & enitescit. h *traditi.*
Quæ illorum erant, extincta sunt, ieruntque pessum: quæ autem ad ecclesiam attinent, immortalia prorsus. Si cùm
in raro erant numero, non vincebantur: cùm orbis totus iam pietate adimpletus est, quanam ratione eam te expu- *Matth 16.*
gnare & euincere posse confidis? Cælum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt. Idque iure opti-
mo. Gratiosior enim Deo est, ac longè amabilior ecclesia cœlo ipso: siquidem cælum corpus non accepit, ecclesia ve-
rò carnem assumpsit. Propter ecclesiam conditum est cælum: non item propter cælum ecclesia. Eorum quæ facta sunt,
nihil vos obturbet. Mihi vnum hoc, quæso, vt gratuitum conferatis beneficium: fidem conseruate *i* neutrobi euarian- *Matth 14.*
tem, aut altrouersum versatilem. Non videtis Petrum super aquas ambulantem, cùm se parumper à fide disiunxisset, i *nusquam.*
veritus est, ne submergeretur, non vsqueadeò propter erraticum & inconsistentem aquæ impetum, quàm ob infirmi-
tatem fidei? Non enim humanis decretis aut suffragiis ad complexum fidei huius sumus prouecti. Neque homo qui- l *eo dixerim*
uis nos eò vsque perduxit, vt eam dissoluat homo. Hæc *l* eò ipse dixerim, vt ne quis arbitretur me excidisse mente. Ab-
sit hoc. At neque quasi insolescens, & hæc falso mihi arrogans, imò cupiens animorum vestrorum fluctuationem m *nisu.*
constabilire. Vbi enim vidit diabolus ciuitatem sedatam esse, toto *m* annisu voluit ecclesiam concutere. O impuras,
imò flagitiosissimas calumnias! Ne murum quidem vincebas, & speras tandem te ecclesiam collidere posse? Atqui
non mœnium ambitu constabilitur ecclesia: in numerosa multitudine ecclesia consistit. En quàm solidæ sunt eius co-
lumnæ, non quidem ferro adstrictæ, sed fide compactæ & connexæ. Non dico, quia tanta multitudo piorum ex-
creuit igne ipso flagrantior, sed neque si vnus esset, hunc tu euincere possis. Planè nouisti cuiusmodi vulnera infli-
xerint *n* testes. Introgressa sæpenumero puella delicatula ac tenella, virilis expers tori: Cera ipsa erat liquidior, & pe- n *martyres*
tra quauis solidior facta est. *o* Latera eius *p* fluxa, ne sic *q* alioqui complexus es fidem ipsius. *r* Elanguit carnis natura, *intelligit.*
ne sic quidem succubuit aut concidit præstans virtus fidei. Marcore absumptum est corpus, at sensus iuuenilis reuiguit. o *cum late-*
Expensa est substantia, verùm pietas perennabat, ac pudor. Ne vnam quidem vincere poteras hanc mulierem, *ra eius scin*

 & spe- *deres, fidem*

tamen eius mouere non posses, habetur in Chrysostom. operibus Homil. memorat. p *ἐξεις.* q *pro τόνον, lego νόσον.* r *quidem consecutus es fidem.*

Matth 8. & speras te euasurum superiorem tanto populo? Non audis Dominum dicentem: Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum? Vbi numerosus adeò populus mutuæ charitatis vinculo compactus
a *pignus.* & adstrictus conspicitur, non adest Dominus? Eius *a* arrhabonem penes me retineo. Ipsene audaciam mihi sumo ex propria virtute? Tabellas sponsionis ipsius retineo. Illæ literæ mihi sunt baculus, illæ mihi certum & tu-
b *turbis.* telare signum, illæ mihi portus sunt fluctuationum expers & tranquillus. Vt orbis vniuersus *b* turbelis exagite-
Matth. 28. tur, tabellas mordicus tueor ac retineo. Ipsi literas illas recito. Murus tutelaris mihi sunt, & munimentum stabile. Quænam hæ sunt tabellæ? Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Christus mecum est, ecquem timebo? Licet fluctus inundent aduersum me, & concitentur, quamuis ima vorago maris me absorbeat, etiam si animosa & vindictæ appetens indignatio principum aduersum me cooriatur, isthæc omnia vilio-
c *aranea.* ra esse duco telas *c* arachnes: & nisi vestra erga me dilectio obstitisset, ne hodie quidem ipse abnuissem hinc emigrare aliò. Semper enim dico: Domine, tua voluntas fiat. Non quia talis & talis, sed si quid vis. Hoc mihi sit tutissima turris, hoc mihi petra sit immobilis, nec violanda, hoc mihi sit baculus minime vacillans, & neutrobi se inflectens. Si Deus vult hoc fieri, fiat. Si quidem vult hic me esse, habeo gratiam. Quò vult me hinc facessere, gratum
d *turbas.* habeo. Nemo vos obturbet, aut vllum cieat tumultum. Orationibus incumbite. Hasce motorias *d* turbelas exci-
e *supplicationibus, nõ letania.* uit diabolus, vt interciperet, prorsusque abrogaret studium, quod sedulò impendebatur *e* litanijs. Sed enim caue locum des eius suggestioni, verius ipsi conemur inuenire solitò alacriores ac feruentiores. Cras vnà vobiscum proficiscar ad litanias. Aut quò ipse pergam, & vos illuc: nam vbi vos, illic & ego. Vbi vnum corpus est, non corpus quidem dirimitur à capite, non etiam caput à corpore *f* dispescitur. Loco quidem distinguimur, sed *g* counimur
f *disiungitur.* charitate. Ne ipsa quidem mors nos intercidere potest. Etenim corpus meum licet moriatur, viuit tamen anima, &
g *vnimur.* totius populi commeminit. Vos mei patres, quo pacto possim omnium vestrùm obliuisci? Vos mei patres, vos mihi vita, vos mihi splendor nominis & gloriæ contequutio. Si quidem vos promoueritis, profectum hunc vestrum comprobo, & hoc nomine mihi ipse placeo, adeò vt vitam meam existimem, esse diuitias in thesauro vestro repositas. Ego vestri causa paratus sum, vt decies millies macter, nec vllam existimo hinc me exhibere gratiam, quando debitum tali opere resoluere me agnoscam. Pastor enim bonus animam suam ponit pro ouibus. Paratus, in-
Ioann. 11. quam, sum iugulari millies, & capita (si adessent innumera) exponere ad præfectionem. Equidem mors talis argumentum mihi fuerit, & occasio parandæ immortalitatis. Istæ inuidiæ aduersum me adornatæ suggerunt opportunum subsidium salutis benè sperandæ. Non enim ob facultates meas inuidiosa hæc molitio instruitur, vt ne contrister: non etiam pro peccatis, vt ne angore aut animi deliquio intabescam. Tantum est, propter amorem, quo vos prosequor. Isthæc enim omnia efficere enixè contendo, vt tuti permaneatis, vt nemo alienus clàm se insinuet gregi, vt ouile hoc perseueret sincerum & incolume. Ad parandam coronam mihi abundè sufficit causa ipsa, ob quam tot sustineo agones. Quid ni pro vobis patiar? Vos enim mihi præscribitis viuendi formulam, vos mihi estis patres, vos mihi estis fratres, vos mihi loco filiorum estis: vos mihi membra, vos mihi corpus, vos mihi luce hac tantò estis dulciores. Quid enim vsquam est, quod mihi radiosum adeò iubar suppeditet, cuiusmodi vestra erga me dilectio? Radius hic in præsenti vita haud mediocri emolumento me afficit, in futuro implectit mihi coronam. Hæc proinde dixerim, ad aures loquutus audientium. Quid enim vestris auribus accommodatius ad audi-
*longitudo. endum? Tot peruigiles dies egistis, & nihil vos in alterutram partem inflexit, non temporis * prolixitudo segniores reddidit, non incussi timores, non intentatæ minæ. Ad omnia vos exhibuistis strenuos & generosos. Ecquid dico, quia generosi fuistis? Nimirum id, quod semper audire cupiebam, Temporaria hæc, ne tantilli quidem æstimastis, vt valedicto terræ ad cælos transportemini, exempti corporeis vinculis ad beatam illam philosophiam magna animi contentione properetis. Hæc mihi coronas pariunt, hæc mihi solatio sunt, hæc animum demulcent, hæc
h *vnguentorum pro ἄλημμα lego ἄλειμμα.* mihi *h* pigmentorum vicem supplent, hæc vita, hæc occasio conciliandæ immortalitatis. † Sed enim quosdam esse video, qui suadeant, vt mihi temperem ab istis meis dogmatibus. *i* Pleroque enim tam felicior rerum successus in contrarium transuersos agit. Quòd autem istis viderer plus æquo zelum exacuere, hinc reuolutus sum in hanc ærumnosam afflictionem. Et quidem illi suo more nos gradu deturbantes, quum per re- m gestarum diuersitatem superiores
† Hucusque Homelia, quæ in operib. Chrysostomi est, cætera desiderantur. euasissent nostro agone, non iam comminabantur. *l* Sed enim tempestiuum vel nunc est, vt de mea afflictione nonnihil edisseram. Lex sancita quidem est, sed qui sancit leges, superior euasit. *m* Filij, nullo vestro fructu vestram dilenem *n* Video enim coitionem ad pugnam ineundam conspirantem, è regione Deum contumeliose affectum. Video agonem in me delabentem, & munerarium siue præsidem *o* certaminis non mediocri mœrore affectum. Videò persuasionem veritatis exolescere, * & ad tabem properare, *p* exoppositò flagitiosam molitionem refloreseere. *q* Mihi ab istis opponitur: Comedisti, dein baptizasti. Anathemate percellar, si quidem hoc admisi: non *r* veniam in
i *Pleraque enim è rerũ in cõtrariũ opponitis.* numerum & radicem episcoporum, non item admittar in angelorum consortium, non denique prober Deo gratus.

vertunt. l *At tempestiuum.* m *Certè vestram dilectionem conspirasse ad pugnam, & contra Deum contumeliose affectum.* n *Forsan desit,* o *Certaminis mœrore.* * Chrysostomus crimen obiectum aliis *p Et econtra:* q *Obijciunt mihi: Comedisti.* r *ἀειδωλόλατρα οὐδ' ῥίζαν nõ numerer radici.*

Vt interim donem me & comedisse, & baptismo admouisse, vtique rem feci non intempestiuam siue inau- Cl.
spicatam & absurdam. Ad id quod dico, attentum animum aduerte, sed nec desinam dicere. Id quidem dicere non
s *iterum ordiamur.* pigrum, vobis autem tutum. Cœptum igitur propositum *s* redordiar. Obijciunt comedisse me, dein baptismo admouisse? Hoc ergò nomine de gradu deturbent & Paulum. Ipse siquidem à sumpta cœna, carceris custodi baptis-
t *sacri sui corporis & sanguinis.* ma contulit. Ausim dicere, Exauthorent CHRISTVM ipsum. Is enim postquam cœnauit, discipulis *t* communionem gratuitò *u* dispertiuit. Sunt & hæc eximia nobis insignia pignora mutuæ pacis, populi autem illustria *x* encomia: mihi verò hic texitur corona, vobis fructus decerpitur. Cæterum dilectissimi planè nouistis, quibus de causis me ab hoc throno depellunt. Tapetas * ad ornatum minime expandi, vestimentis sericeis neutiquam amiciri
* Dilucit & aliud u *impertiuit.* volui, ipsorum ingluuiem non magnopere demulxi, quin & *y* filij filiorum aspidis refloruere. Adhuc & præter omnem modum z semen Iezabelis mœrore contabuit: eregionè gratia concertat Eliæ, tuetur ac propugnat. Proinde in medium mihi expromito admirabilem illum, ac prædiuitem vitæ præconem, Ioannem dico vsqueadeò
x *laudes virtutis nomine.* pauperem, vt ne lychnum siue lucernam possederit. Siquidem habebat is lampadem Christi sibi prælucentem, cuius caput præsecuit cooperatrix & comministra *a* Heuæ, quæ & sanctis impedimento fuit, quæ & prophetas persequuta est, quæ dolo malo iussit prædicari ieiunium, quæ & nomenclaturam sortita comparem *b* echidnæ, scitè saltitauit, & choream duxit prandio nondum absoluto. Vitam hæc minimè concupiuit, non hanc incessit cumu- Mat. 11
y ἔγγονα. *Vide Phauorinum.* landarum opum cupido, imperatoriam dignitatem tanti fecit, non aliud quiduis ex omni opum affluentia exopta- Mat. 6
z *Eudoxia imperatrix.* uit. Cæterùm tu mihi dic, ô homo, quid illud, cuius desiderio tantopere exarsit? Caput concupiuit hominis. *c* Cur autem

a חוה *Heua viua.* b *Viperæ, quæ mater fuit Hydræ Hesiodus.* c *Quid? Non tantum hominis.*

autem hominis? sed & *a* Euangelistæ. Atqui non prævaluit accipere caput. Ob increpationem enim defecuit caput. Illegitimam quidem illam suam cupiditatem auidissimè expleuit accepto capite in disco. Vide simul & demirare solertem Dei potentiam. Qui *b* coarguit insons alioqui nec vlli obnoxius culpæ, præcisione capitis imminutus est, atqui is ita præfectus in dextera est Christi: illa è diuerso indeprecabile, nec vnquam exorabile fuit supplicium. Rursus ille, qui semen est, qui & *c* sator spinæ in morem aculeatus, [a] velut altera Herodias sedulò anquirit ac festinat, quo artificio petat caput Ioannis. Iterum saltitatoriam choream haud secus gesticulando in omnium prospectum deducit. Nos autem non eam gesticulationem pedibus ludendo repræsentamus, sed *d* Mariæ exemplo *e* stabilibus plantis confirmatam choream proludimus. Clamat rursus Ioannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Ecquid dicam? Tempestiuum est, vt erumpamus in lachrymas. Nihil horum non ad *f* ignominiam spectat & excurrit, sed & omnia iudicat tempus. Precrosus auri fulgor nihil non *g* deprædicat gloriosum. Sed age, mihi in medium profer sanctum Da- *Psal 61.* uidem dicentem, & hæc *h* exerta voce depromentem: *i* Aurum si quidem affluat, nolite cor apponere. Sed enim dic mihi tu. Quis hic erat, qui istiusmodi eiaculatus est vocem? An non [b] is obtinebat ex condicto regalis solij fastigium? Nonne regia potestate functus ordine cuncta administrabat? Ne is quidem ad rapinam aciem oculorum intendebat, non ad demolitionem pietatis *k* eius mens deuergebat, neque illi erat anxia cogitatio de cumulandis thesauris, sed delectus militaris illi erat curæ. Assensum [c] vxoris non requirebat. Fugite & vos ô mulieres alienorum virorum conuentus. Viris vestris ne consilium dederitis quod iniquum sit, quin potiùs eos confirmate secundùm prædicta. *l* Numnam flammam, quæ vos vrebat, ipsi extinximus? Vtrumne tandem subacta sunt corda vestra & emollita? Verùm enimuerò ipse noui, quia vos, quæ filiæ estis & imitatrices Mariæ, nonnihil vtilitatis hinc relaturæ estis.

Eudoxia ad adoxiam ex contrario. g *prædicat.* h *alta.* i χρυσός. [a] Inertiam Arcadii perstringit k *ei vergebat.* [b] Arcadius vxorius.

a *Baptistã intelligit Iuangelistã Christi.*
b *arguit.*
c *pro* σωβᾶ *lego* σωσεύς.
[c] Eudoxiam Herodiadi comparat.
d *sororis Moysi vel Virginis matris, Exultauit spiritus meus.*
e *firmis.*
f *Allusio ab*
l *Num.*

CII. Aliæ contra exatiatæ quidem & inebriatæ non à vino, sed inexplebili auaritia, quemadmodum B. Paulus vociferatur & deprædicat, dicens: Radix omnium malorum est * cupiditas. Hoc pacto hæ mulieres intelligentiæ omnis expertes ac stultæ aures suas oppilant, vt pro bono semine iacto aliud nihil pariant, quàm spinas.

1. *Tim 6.*
* φιλοχρυσία. *amor argenti, pecuniæ.*

CIII. Cæterum vos adhortor & obsecro, ne videamur deiecisse semen nostrum super petram, (siquidem agricolatio sumus Christi) vt audire promereamur: Euge serue bone, intra * in domum meam: vt ne pro hac sententia dica- *Mat 25. Luc. 19.* tur: Serue male ac piger: magis ipse vos obtestor, vt luceat vestra conuersatio coram hominibus, non item stulteſcat *Matt 5.* aut infatuetur sal nostrum, sed glorificemus, sed rependamus gratiarum actionem nos ditati ei, qui prædiues est, nos pauperes benigno hominum amatori, ac pauperum amantissimo Christo, qui idem alioqui potens est forti ac præualida manu sua. Et hæc quidem *m* de vobis, ô mulieres, dicta sunto. Forsan autem finit hæc me perpeti Deus, quæ inter se consultant ac decernunt, se molituros aduersum me, me vt per has calamitates probet, quòd in laboribus & ærumnis prorsus consistat victoria, & corona per certaminum tolerantiam adornari soleat. Etenim admirabilis ille dicebat: Cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquum reposita est mihi corona iustitiæ, qua corona dignos efficiat vniuersorum Dominus in sæcula, Amen.

* εἰς τὸν στέφανον μου.
m *de vobis. Forsan.*
2. *Tim 4.*

CIV. Sane verba hæc sunt huius sapientis, qui orbis vniuersi Doctor erat, ac præfulgidum luminare ecclesiæ. Hi sermones sunt Ioannis pastoris ouium suarum amantissimi, quos habuit ad gregem suæ fidei & doctrinæ concreditum, quo tempore consessus, præter legum æquitatem, malignantium mutua coitione aduersus ipsum conspirabant. cupientes eum exauthorare simul & deturbare de throno sui episcopatus, hisce consolatoriis verbis demulcens populi mœrorem, ac pleniore gaudio perfusus super fide & promotione eorum, ducens suæ ipsius gloriæ, quòd perspicuè nosset illorum erga se propensam gratitudinem. Sed enim postquam Arcadius Imperator beatum hunc & percelebrẽ virum in exilium relegauit, compertum habens se peccasse, sibique malè conscius iussit ipsum ab exilio reuocari. Is ecclesiam sanctam ingressus, vi adactus à populo, sibi vt pro more consueto spiritalem ediſſereret doctrinam, instinctu Spiritus sancti corroboratus, exorsus est * concionem ad eos, ac dixit:

Apostrophe auctoris ad Iohannem Chrysost.

Vide Sozõ. l. b. 8. c. 18.

* Chrysostomi concio post reditum ab exilio, quam non extare, neglectam fortasse vel deperditam, habet Baron.

Quo tempore * Saram & Abraham iniecta vi abstulit Pharao, mulierem vtique pulchram, & honesta indole, ac *Gen. 12.* decora specie præditam, malitiosus ille barbarus & Ægyptius iniquis oculis Saræ elegantem formam contuitus, cupiensque committere facinus nefarium * adulterij: tunc sanè, tunc non statim initio Deus * icere voluit adulterum, vt declararetur & iusti virilis ac strenua probitas, & mulieris pudicitia, simul & barbari procax libido, Dei insuper benignitas. Iusti quidem virilis constantia, quòd is cum gratiarum actione toleraſſet inflictam sibi iniuriam: mulieris autem pudicitia, quia tametsi incidit in manus barbari illius, illibatam tamen & incolumem castimoniam conseruauit: Barbari petulans lasciuia, quod alienum cubile inuadere voluerit. Denique Dei benignitas demonstrata est, quòd spe omni humana destitutus vir quum esset, tunc iusto Deus contulit coronam. Hæc tum fiebant in Abraham. Hocipsum in Ecclesia hodie fieri contigit. Ægyptius ad eundem modum ille suos habebat hastatos satellites, nec secus obtinebat suos propugnatores: ille Saram perinde ac ecclesiam vna detinebat nocte: diem vnum hic inuasor eius fuit, at ne vno die permissus est eam retinere, vt omnibus perspecta eius foret continentia, quia nihil alioqui corruptelæ aut vitij eius intulit decori sanctimoniæ ingressus ad barbarum. *n* Murum siquidem apparauit, & tabellas confecit, quibus permulti *o* propria *p* subscripserunt. Suspensa tabella necdum absoluta. Tunc eluxit & barbari illius nequitia simul & Dei benignitas. *q* Sed enim barbarus ille agnito peccato confessus est se legem transgressum. *Ibid.* Dixit enim Abrahæ: Vt quid nobis feciſti hoc? Cur dixisti: Soror mea est? Parum enim abfuit, quin peccauerim. Ad hunc sanè modum post conceptam animo illegitimam nequitiam secum * eluctabatur. O te miserum & ærumnosum! Peccasti, quiesce. Ne adieceris peccatum peccato. Illud etiamnum repetiuit secum habens opes Ægyptiacas: è diuerso ecclesia redijt quidem, sed diuitias habens à cognitione & scientia profectas, quare & continentia multò clarior explenduit. Vide enim insaniam barbari. Cur eiecisti pastorem? Quare pecus dissipasti? Qua ex causa emisisti gubernatorem? Quam ob rem gubernacula perfregisti? Eiecto vinitore, quam ob causam vineas ipsas ab radice euulsisti? * Quocirca monasteria demolitus es, barbarorum imitatus turbulentam excursionem? Fecit vniuersa hæc, vt vestra virilis fortitudo enotesceret. Hæc omnia fecit, vt intelligeremus, quid grex possit hic sub pa- *Ibid. 2.* store Christo, absente pastore, & quàm compositè se adornârit, quàm ritè adimpletum sit verbum Apostoli: Non in præsentia solum, sed & in absentia mea, cum timore & tremore vestram salutem operamini. Tametsi hæc * intermina- bantur se molituros aduersum me, nihilominus verebantur vestram magnanimitatem, philtrum vestræ erga me dilectionis, vestrum erga me desiderium. Hinc dicunt: In ciuitate nemo nostrum ausit aduersum eum quicquam tentare. Eum nobis date extra ciuitatem. Accipite me extra ciuitatem, vt te ipsa condiscaris ecclesiæ desiderium. Discite (quæso) filiorum meorum generosam indolem, militum robur, armatorum vires, * diadematum intermicantem splendorem, exuberantem opum copiam, magnitudinem dilectionis, quàm cõstans illis suppetat in aduersis patientia, quàm in illis vigeat flos tuendæ libertatis, quàm illustris splendor partæ victoriæ. Fac memineris conflictus ille tuus quàm [d] ridiculus fuerit.

* טרח *princeps mulier, domina.*
* *adulterij: tunc non statim.*
* *percutere.*
n *Et machũ quidem præparauit & tabellas.*
o *domestici.*
p *subaudiendũ* χειρὸς *manu.*
q *Barbarus ille.*
r *luctabatur.*
* Theophilum pstringit.
s *minabantur.*
* διαδημάτων.
t *ridiculus.*

*gestiente. Ores abs te gestas nouè quidem & præter opinionem! Pastor externè se continet vnà cum *prægestiente ouili, & dux quam longissimè profugit vnà cum obarmatis militibus. Non iam habebat exercitum ecclesia solum, sed & ciuitas ecclesia facta est. Vici, fora, vir quiuis tandem sanctificabatur. Hæretici reuertebantur, melius conuersabantur Iudæi: è regione sacerdotum vita passim damnabatur, & Iudæi faustas acclamationes ac laudes concinebant Deo, atque ad

arem nouã, nos accurrebant. Per hunc modum Christo se addixerunt. Quem Caiphas cruci affixit, latro confessus est. O *a* res stu-

stupendam. pendas insolenter præterque omnium *b* opinionem mirè gestas. Sacerdotes trucidárunt, quem magi procidentes ad-

b opinionẽ. orauerunt. Ecclesiam hæc nisi sic gesta essent, *c* malè excepissent hospitio. Diuitiæ vestræ *d* nuspiam apparuerunt. Erant

Sacerdotes. quidem, *e* tametsi visæ non sint. Quemadmodum enim Iob iustus quidem erat, sed non emisisset in lucem eius iusti-

c non excepissent. tia, nisi vulneribus saucius & arrosus fuisset vermibus: ad eundem modum & vestræ diuitiæ, nisi per inimicorum insi-

d nõ apparuissent. dias, non venissent in omnium prospectum. Et enim respondens Deus beato Iob ait: Putabam te aliter responsurum, Iob 39.

e sed nõ apparebant. vt iustus appareres. Insidiosè inierunt consilium *f* illi, oppugnarunt, & victi *g* abierunt. Quibus oppugnârunt modis?

f amici Iob. Fustibus. Quibus armis discesserunt inferiores? *h* orationum præsidijs. Si quis te in dextera maxilla alapa ceciderit,

g sunt. obuerte ei & alteram. Tu clauas ac fustes in ecclesiam *i* infers & oppugnas eam? Nihilne vereris dignitatem sacerdo-

h Orationibus. tij? Nihil defers præcelsæ magnitudini principatus? *k* Baptisterium per te, ne sanguine oppletum? Vbi condonatur

i infers præcelsæ magnitudini. peccatorum remissio, ibi sanguinis fit profusio? In cuiusmodi acie *l* quamlibet violenta fiunt hæc? Imperator locum *m* ingressurus, scutum, *n* parmam aut clypeum à se proijcit: tu contra ingressurus fustes arripis & clauas? Ille extra sa-

k ὡσπέρ, locus fontis sacri baptismatis. crum tesseras Imperij profert: tu tesseras bellicæ impressionis huc intulisti. Atqui *o* sponsa mea nihil per te noxæ ac-

l inordinatè hæc fiunt. cepit: suum illi decus perseuerat incolume, nullique non spectandum palàm exhibet. Ob hoc gaudeo, non quia vici-

m ingreditur. stis. Siquidem testatus sum victoriam ex parte cessisse nobis vobiscum. Nam quando secessi, vestrum illud trophæum

n & diadema proijcit. in omnium prospectu nudum fuit. Verius & hoc in laudem meam versum est. Rursus hanc ipsam victoriam magna ex

o ecclesia. parte vobiscum communem reporto, quippè qui vos hunc in modum educani, vt absente patre propriam animi ge-

p Illi spicula. nerositatem opere ipso palàm exhiberetis. Namque quemadmodum qui generosi sunt, & fortes athletæ, tametsi ab-

q linguarũ. sens sit prædotribes, nihilo segniùs suum ostentant robur: ita & qui inter vos præstanti ac generosa fidei virtute præua-

r in momẽto. lent, absente etiamnum doctore suæ magnanimitatis ac decoris ediderunt argumenta. Quid iam verbis opus? Lapi-

saraneæ tela, hoc loco. desisti inclamant. Hac de re vel muri eiaculantur vocem. Concede hinc in aulam imperialem, & confestim audis cõ-

t hic cumulauerim. stantiam Constantinopolitani populi. Adito mare, confer te in vastam quamlibet solitudinem, in montes faccessito,

u contempserunt. domos lustrato: nullo non loco inaudietis, in quam sublimè præconium vestrum excitaueritis, quia superiores euasi-

x abblandiri. stis præstantia fidei. O popule doctoris amantissime. O popule patris obseruantissime! Beata planè ciuitas, non in gratiam columnarum, non ob conuexa tectorum aut laquearium aurea, sed propter vestram omnium virtutem. Tan-

tæ adornatæ sunt insidiæ, & ecce de eis vestræ orationes victoriam reportârunt. Et meritò quidem. Etenim eæ preces intentæ erant, ac iuges, quas inter fontes & scatebræ lachrymarum vbertim defluebant. *p* Illi missilia *q* spicula iacula-

bantur: vos è diuerso lachrymas effundebatis. Illi peracrem animorum indignationem, vos mansuetudinem demonstrabatis. Quod vis facito, modò vos oretis, illi quidem, qui contradicebant, nunc vbinam sunt? Nulla ipsi promouimus arma, arcus nullos tetendimus. An iacula vlla in eos detorsimus? Oremus, & illi *r* momento minus in fugam se proripient. Quasi enim *s* arachne perrupti sunt, & à se distracti, ex opposito vos tanquam solida petra persistitis. Ego vestri gratia planè beatus. Equidem contemplari iubet, quàm ingentes *t* hic mihi cumulauerim diuitias. Sanè demiratus sum etiam nunc. Longo eram dissitus interuallo, & ciuitas se aliò conferebat habitatum. Hominis vnius causa pelagus in ciuitatem redactum est. Mulieres, viri, pueruli immaturæ etiam ætatis, mulieres vterum gestantes, & prægrauidæ fluctiuomos maris æstus *u* ne tantilli quidem fecerunt. Aduersus pelagi exæstuantis minas nihil non ausæ sunt. Non seruus extimuerat dominum. Non iam mulier natiuæ suæ infirmitatis meminerat. Forum ipsum cessit in ecclesiam, quæ vbiuis locorum vestri gratiam contigerunt. Quæ enim vspiam sunt, non per vestram viuendi formulam, ad meliorem disciplinam redacta. Imperatricem sociam habuistis. Non enim zelum ipsius tegam silentio. Necalioqui dixerim hæc, illi vt assenter aut *x* eblandiar, sed vt quàm optimè de pietate merear. Siquidem arma non accepit, sed ea officia, quæ ad virtutem rectà prouehunt. Abductus tunc sum hinc. Modum scitote. Nosse enim conuenit, quæ inamœna sunt, & ingerunt animo mœrorem dicere, vt & quæ commodiora sunt, ac suauiora, condiscatis. Nunc iam primum discite, quo pacto hinc sim abreptus, & quodammodo redux sim.

Psal. 125. QVI seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes CV.
autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Verba hæc ea repræsentant, quæ nuper gesta sunt. Ea igitur susci-

y mora. pitote cum actione gratiarum, quem abeuntem mœsti estis honorificè prosequuti, nec id factum prolixiore tempore, siquidem intermedio die vno dissoluta sunt omnia. Sed & hæc *y* morula siue cunctatio in gratiam vestri intercessit. Nunc quando Deus initio statim hæc omnia deduxit in nihilum, rem vobis aperio reconditam prorsus &

z portans. arcanam. Pelagus emensus sum solus, ecclesiam ipse *z* gestitans. Dilectio enim non contrahitur in angustum. Na-

a loco angustiatur. uis siquidem capacissima est, non *a* loci arctitudine districta. Non angustiemini in nobis. Hinc abij anxiè solicitus

b mente autem coniũctus. ac satagens eorum, quæ ad promotionem vestram attinebant. Abij corpore quidem à vobis seiunctus, *b* non etiam mente, sed counitus. Abij obtestans Deum, eique commendans vestram dilectionem. Abij, & ecce solitarius

c consciam fuisse eorũ, quæ aduersum te. sedebam, quæ vos concernebant, anxius ad mentem reuocans. Solus ipse mecum consilia captabam de mea peregrinatione. Ipsa Dei amantissima, die primo literas destinatas, sub hoc tenore verborum misit. Congruit enim ipsius verba exprimere: Ne arbitretur tua sanctitas me *c* consciuisse, quæ aduersum te gesta sunt. Ego innocens à sanguine tuo sum. Homines facinorosi & corruptelis vitiorum contaminatissimi hanc in te commentitiam machinam concinnârunt. Testis mearum * lachrymarum est Deus. *d* O sacerdos, quanto nixu eas ipsa effudit? Equidem hæ ipsius lachrymæ factæ sunt libamen. O sacerdos tuamet consecratione sacrificium offerens Deo, ac libans lachrymas, confessionem & pœnitentiam non pro sacerdote, sed pro ecclesia, pro dispersogrege populi obtulisti. Meminerat vtique, memor, inquam, erat & puerorum & sacri baptismatis. Dicebat ipsa: Memini ego, quia consecratione manuum tuarum filij mei fonte baptismatis regenerati sunt. Hæc tacita mente versabat imperatrix. Sacerdotes interim inuidia excæcati omnes ignorabant locum, in quo sibi hospitandum foret. Et hoc sanè quam admirabile est dictu. Et quidem illa quasi pro *e* filio intremiscens, nusquam non obambulabat, non corpore, sed emissione suorum militum. Non enim locum destinatò acceperat, vbi degerent. Nam quaquauersum eos emittebat, nimisquam solicita, ne dolo malo circumuentus occidione occideretur, ne eo peremptο (aiꝛ) nobis dispereat præda venationis nostræ. Cætera per meipsam exhibeo. Id solum peto, vt ne superiores euadant. Hostes interim illi nullum non locum perlustrârunt, retia sua expandentes, quò eum caperent, & ad illorum manus reducerent. Deinde obsecrabat, & genibus sancti regios liberos admouebat, hoc vnum expetens, vt virum efficeret compartícipem suæ venationis, quemadmodum & Abraham Saram, sic hæc virum. *f* Ait itaque, perdidimus sacerdotem, sed velut postliminio ipsum reducamus. Nisi enim illum reduxerimus, nulla superest spes tuendi imperij. *g* Nimisquam autem arduum est, vt vni cuipiam communicem eorum, qui hæc operati sunt. Lachrymas emisi supplicans Deo,

* Ipsa dicit, quò lachrymas libauerit Deo.

d Cui sacerdoti quale emisi libamen? Siquidem hæ ipsius lachrymæ factæ sunt libamen. O sacerdos tuamet.

e *Theodosio iuniore.* f *Perdidimus, inquit, sacerdotem.* g *Nimis.*

Deo, nullam non commentationem & solertiam ostendens. Nec vos latet, quanta cum beneuolentia vos exceperit quomodo velut inter vlnas, quasi membra propria, quomodo prædicabat se vobiscum mihi studio ac fauore obsequi. Neque enim verba hæc nostram æquitatem fugere potuerunt, quòd is susceperit regendam matrem ecclesiarum, monachorum altricem, præsidem sanctorum ac pauperum, quo fulcirentur, baculum. Laus vtique illius gloria est, quæ ad Deum resultat, corona Ecclesiarum. Dico sanè præferuidum ipsius desiderium. Dico studium honoris, quo *a* me vnam prosequitur. Heri sub vesperam profundiorem hæc ad me destinauit, dicens *b* verba hæc: Dic ei, Oratio mea impleta est, nimirum id, quod *c* efflictim postulâram, vt legitimè fieret & ex officio. Ob hoc corona verius, quàm hoc diademate redimita sum. Recepi sacerdotem, reddidi caput corpori, naui gubernatorem, pastorem gregi, nuptiali thalamo sponsum. Pudore aspersi sunt & ignominia adulteri. Si vixero, si emoriar: non amplius mihi membra. Expendite ex ea tentatione, quàm præclarè res gestæ emicuerint. Quid facturus sim, vt gratiarum actionem ac vicissitudinem rependam vestra hac dilectione dignam? Equidem dignam referre neutiquam possim: quam autem ipse possideo, lubens impertior. Exprompto & alacri animo optarim pro vobis sanguinem *d* effundere. Agricolatione nulla mihi opus est. Dormio ego, & ecce vernant comanti *e* flore ipsæ spicæ. Nullo igitur labore opus. Tametsi ipse conquiesco, oues lupum euincunt, & euadunt superiores. Quo vos appellem nomine? Oues ne, an pastores? An gubernatores? Vtrumne milites, an duces? Verba hæc omnia asseuero *f* vobis conquadrare. Quum enim videam à vobis asseruari decorum ordinis ac disciplinæ, oues voco. Si quando contemplor prouidam & solertem prudentiam, pastores vos esse censeo. Quum perspicio in vobis explendescere *g* sapientiam, nomino gubernatores. Quando magnanimitatem & acrimoniam spiritus contueor, appello milites simul & duces. O operosum negotium. O sagacem populi prouidentiam! Lupos hinc abarcuisti, immò & profligasti, neque id citra anxiam solicitudinem. Qui vobiscum erant nautæ, aduersum vos coorti sunt. Horum nonnulli bellum adornârunt aduersus ipsam nauim. Aduersus externum hunc clerum *h* voce exerta clamate, & clerum ab ecclesia *i* alienum. Quid clamore opus? Abierunt, expulsi sunt. Nemine persequente in fugam dilapsi sunt. Mortalium nemo erat, qui ipsum insimularet, aut impingeret crimen, sed tacita coarguebat conscientia. Si inimicus maledixisset mihi, vtique sustinuissem. Nunc autem, qui mecum versabantur, aduersum me constiterunt. Qui mecum velut naucleri moderabantur hanc *k* nauim, secum constituerunt eam præcipitem agere in hoc mare turbulentum. *l* Eorum qui à me stabant, demirati sunt prudentiam. Hæc eò dixerim, non quasi *m* eblandiens aut demulcens vestram discordiam. *n* Nam quæ illi operati sunt, intestina erant seditio: quæ vos, à zelo pio profluebant. Non enim ipsos censuistis dignos, qui è medio tollerentur & mulctarentur morte: sed vt consentaneè in idem conspirarent nobiscum & cum ecclesia, vt ne rursus submergeretur. Vestra enim virilis magnanimitas nequaquam *o* siuit exurgere procellosam tempestatem. Illorum autem mens & maligna voluntas turbulentam & intempestiuam hanc fluctuationem operata est. Siquidem rem totam non exitui imputo, sed flagitiosæ illorum voluntati adscribo. *p* Homo enim, qui quod altaribus adstitisset, tanti tamque numerosi populi ad id consecratus, debuerat siqua oborta *q* fuisset tempestas inamœna, eam sedare & in officio continere populum, adeò id non fecit, vt etiam intemperiem fluctuationis auxerit exerto aduersum se gladio. Filios insuper suos consumpsit, non quidem re ipsa id expertus, quòd Deus prohibuerit: quo factum est, vt vos demirer, & laudibus prosequar, quia sedato bello ac pace reposta, etiam nunc attenta mentis acie obseruatis modum ac formulam, quibus possit pax absoluta iniri, denique & sanciri. Oportet enim gubernatore tranquillæ paci restituto, cum nautis mutuam habere concordiam. Namque si inter vectores & ipsos nautas oboriatur motoria seditio, nauis ipsa præceps immergitur fluctibus maris. Vos pacem hanc Dei gratia cœptam pro animi vestri sententia ratam efficite, ac sa. tam tectam reddite. Huius constanter tuendæ efficiam vos mecum adiutores & compartitipes.

Psal 54.

a me prosequitur. *b Verba: Dic ei.* *c valde.* *d effundere.* *Nullus tales habet fi-los, nullus talem grẽgem, nullus agrum: tam bene excultum. Agricultura nulla mihi.* *e flore spicæ* *f in vos quadrare.* *g sortitudinem & cõtentionem.* *h voce clamate.* *i Deest verbum, forsan subrogate, sic: statuite vel coopta-te.* *k Ecclesiæ.* *l Vestram ego demum Alexandriæ tus sum prudentiam.* *m blandiens.* *n Illorum enim coitio est seditio: cœtus verò noster zelus est. Non enim ipsos.* *o permisit.* *p Theophilus episcopus.* *q fuissent tristia ea sedare.*

CVI. NEQVE enim hac in re quicquam possim, nisi vestra auxiliari ope adiutus, dein & *q* Augustæ fretus suffragio. Etenim illa multarum rerum obiit curam, pro Imperij negotijs anxiè satagit, permulta administrat, quæ ad Reipublicæ moderationem vtilitatemque spectant. Itaque vt quod probè plantatum est, solidè persistat ac stabiliter perseueret, vt nulla in posterum intemperie ecclesia collidatur, nulla exagitetur fluctuatione, pluribus commendandi vestram prudentiam, Imperatorumque solertem prouidentiam. De bello enim, vt de ecclesia non est officij mei ipsis tam prolixum texere sermonem ac edisserere. Obsecremus Deum pro tuenda dignitate ecclesiæ rogemus, orationibus assiduis immoremur. Ne, quæso, ob id, quia afflictiones pessum ierunt, *r* lentescamus, nosque dedamus socordiæ ignauæ. Ea siquidem gratia in hodiernum vsque diem orationibus assiduis institimus, magnopere expetentes eximi grauibus istis calamitatum procellis. Nunc quum sint res afflictæ & *s* incommoda direpta & è medio sublata, debitam Deo exoluamus gratiarum actionem. Quemadmodum tunc nos præstitimus virili magnanimitate constantes, ita & hodie ad excolendam virtutem nihil minus simus strenui. Pro vniuersis hisce beneficijs gratias rependamus Deo, cui gloria & imperium vnà cum filio, cum bono, sancto & viuificante Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

q Eudoxiæ. *r ignauiores reddamur.* *s incommoda è medio.*

Aliam præter hanc Concionem reliquam, quam quoq; eodem tempore Chrysostomus habuit, quæ & post reditum prioris exilij inscribitur, cuius initium est: Quid dicam? quid loquar? Benedictus Deus, &c. inuenies tomo 5. Operum S. Chrysostomi.

DE RELIQVIIS S. IOANNIS CHRYSOSTOMI E BARBARA COMANORVM REGIONE CONSTANTINOPOLIN, A PROCLO PATRIARCHA ANNO 438. DECIMO SEXTO KALEN. FEBRUARIJ, TESTE BARONIO, REVELATIS, * ΔΙΗΓΗΜΑ STUPENDUM PRORSUS & ADMIRABILE, EX NICEPHORI CALLISTI HISTORIA ECCLESIASTICA.

* narratio: Niceph. lib. 14. c. 43.

FECIT (Proclus) præterea præclarum aliud quiddam, gloriaque eius prorsus dignum. Quum enim sciret ecclesiam dudum scissam esse propter abrogatam Chrysostomo dignitatem, consilium quæsiuit, quomodo ecclesiam à dissidio & seditione conseruaret, & hominum mærorem consolaretur. Rem eam Dei ductu mirabiliter est aggressus. Quinto patriarchatus eius anno plebs, quæ piè propter Ioannem tumultuata fuerat, congregata, Proclo persuasit, vt legatione apud Imperatorem fungeretur, vt sanctus ille vir ab iniusto exilio reuocaretur; populusque & ecclesia orbitate liberaretur, petiturus. Id Proclus statim non graua

Proclus, plebe Constantinopolitana petente, corpus sancti Chrysostomi, de consensu tem conacclamationibus pullarint, restitui sibi Ioannem, recitat, quem tu consule.

Imper. Constantinopolim transferri curat. De hac translatione agit & Socrates libro 7. capite 44. & Baron. anno 438 in initio: vbi & paranionis Procli, quam in anniuersaria transitus eius die habuit, vnde Constantinopolitani, desiderio inflammati, Proclum indefinentibus

Tumulus Chrysostomi immobilis

Eadem Bar. anno 438. ex Cosma Vestrio.

grauatè fecit. Et qui corpus eius adducerent, missi sunt. Tumulus autem immobilis prorsus fuit. Et quùm multæ multorum manus ad eum mouendum adhibitæ essent, nihilo magis loco moueri potuit. Quod vbi Imperator cognouit, statim causam eius rei intellexit. Itaque literis rubrica scriptis, virum sanctum, vt adduci se pateretur, obtestatus est. Literæ ipsæ supra pectus eius positæ, & peruigilium actum, precesque ad Deum fusæ sunt. Ita tumulus se abducentibus facilem præbuit, & sanctus ipse pondus eius leuius redditum, vnà cum baiulis simul ferre visus est. Literas [a] Theodosij ad eum scriptas, hic referre visum est. Orbis totius doctori, & spirituali patri, Ioanni sancto, & aurei oris patriarchæ Theodosius Imperator. Corpus tuum itidem vt aliorum mortuum esse putantes, pater honorande, transferre id, & adducere ad nos, sicut filij parentum amantes desiderauimus. Quum autem debitum prorsus honorem, & quantam opus fuit summissionem & modestiam, eam in rem non contulerimus, imperialis fortasse fastus leges in rebus, quibus nos magis quàm imperio ipso honestos esse decuit, sequuti, non immeritò voto nostro excidimus. At tu pater patrum verè reuerendissime (nunc enim veluti viuentem alloquimur) ad desiderium potiùs nostrum, quàm ad cœptum tuum spectans, veniam da pœnitentibus, qui longè magis quàm alius quisquam pœnitentiam docuisti, & nos vicisti: idoneumque castigationis desiderio flagranti, erroremque suum agnoscenti animæ, eò quòd huc vsque reditum ad nos tuum detrectauerit, exemplum exhibuisti: redde teipsum nobis quæso, redde. Vt enim longiore mora & dilatione nos amplius etiam affligas, neque commiserationis visceribus tuis, neque amori & expectationi nostræ dignum est: qui non solùm [c] corpus & cineres, sed solam etiam vmbram tuam cernere cupimus. Literæ tales fuêre. Postquam autem itinere confecto, in littus ex aduerso Constantinopoli ad Chalcedonem cum reliquiis sancti viri peruenêre, transiit eò Imperator, & senatus imperatorius: transiit etiam patriarcha, & iudices, magistratusque omnes, deinde generis & ætatis homines omnis, per fretum in mari perinde atque in continente vadentes, & ad Propontidem os Bospori ardentibus funalibus tegentes, sacrum tumulum imperatoria triremis excepit. Tum sanè miraculum quoddam edidit Deus, prodigiis quæ vnquam visa sunt, longè maius. Quum enim certa & constans esset in mari tranquillitas, repentina subitò exorta est procella, & naues innumerabilis illius classis aliæ aliò diuersæ saluti suæ consulentes dispersæ sunt. Ea autem, quæ sacrum illud pondus & præclarum thesaurum vehebat Imperatoris triremis, funibus de repente ruptis, veluti diuina gubernata manu, ad [d] viduæ agrum appulit: viduæ, inquam, illius, propter quam sponsa CHRISTI Ecclesia pastore tanto viduata fuerat. Et rursum post mortem quoque iusto iudicio legitimam ille tulit sententiam, agrum viduæ auctoritate sua attribuens atque confirmans: Deo nimirum magnum illum glorificante, & iniquum exilium eius apertè deprædicante. Et quoad eius fieri potuit, petram nauis discidit. quod miraculum hodie quoque cernitur, & egregii illius ardorem eximium quouis præcone clarius attestatur. Hoc vbi factum est, serenitas rursum aduenit, & naues aliæ aliunde collectæ, cum apparatu & comitatu maximo, carminibusque debitis, virum sanctum producentes, in vrbem imperantem deportarunt. Eumque primùm circa * Amantium magni Thomæ templum excepit: inde verò in sanctæ Pacis delubrum delatus, posteà porrò imperiali curru tumulus vectus, in sanctorum Apostolorum fanum illatus est. Ibi Imperator sacro tumulo chlamyde tecto, & fronte atque oculis vrnæ impositis, communem supplex [e] precationem pro parentibus fecit. Dudum enim illi mortui fuerant, in pupillari ætate eum tenerum adhuc relinquentes. Seorsim verò pro matre quoque precatus est, vt tumuli eius motus atque strepitus consisteret. Triginta enim & quinque annos iam is quatiebatur, quo tempore scilicet & ipsa ecclesiam concutiebat. Nec ille id non exorauit. Confestim namque vrna eius constitit. Atque [f] vbi sacer Proclus virum sanctum in eundem secum thronum collocauit, plebs circunfusa ore vno exclamauit: Recipe, inquiens, thronum tuum, ô pater. Fertur ipse quoque tum, quæ dudum clausa fuerant, labris rursum apertis, ad populum dixisse, Pax vobis: sicuti id circumstantes homines, & Proclus patriarcha, se audiuisse testati sunt. Porrò sacris mysterijs peractis, ad reliquiarum eius repositionem itum est. Et Episcoporum manibus magnus antistes ad basim sacræ & diuinæ mensæ, veluti sacer & inuiolabilis thesaurus conditus est, [h] episcopis episcopus, martyribus (quamuis sine sanguine) martyr, prophetis Christi & Apostolis, magna atque aurea ecclesiæ Christi tuba omnes omnium aures personans, & pia dogmata & præcepta clarè musicis planè modulis accinens. Factum id vigesimo septimo mensis Ianuarii die. Ingenti autem facinore isto, illi etiam, qui propter ipsum secesserant, persuasi, ecclesiæ omnes coniuncti atque vniti sunt. Admirari verò, [i] Socrates ecclesiasticus inquit, mihi libet (vt Nouatianus clàm virum sanctum, vt opinor, perstringens) quomodo inuidia Origenem defunctum impetierit, Ioanni autem pepercerit. Ille namque post ducentos ferè annos ab obitu suo à Theophilo excommunicatus est: Ioannes verò trigesimoquinto anno post mortem suam à Proclo in communionem est receptus. Adeò diuersis à Theophilo moribus Proclus fuit. Sed hæc quomodo & antea acta sint, & adhuc semper agantur, viros prudentes non fugit.

[a] Literæ Theodosij Imper. ad Chrysostomum defunctum, quibus eum Constantinopolitæ reuocat.

Vide Baronium anno vt supra, vbi eandem recitat Epistolam ex Cosma Vestrio, ex qua putat Nicephorum hanc descripsisse. alia tamen est translatio.

[c] Corpus S. Chrysostomi trâsfertur Chalcedonem.

[d] Appellit per tempestatem ad viduę agrũ, quẽ ei Eudoxia ademerat.

* Ἀμαντίου.

[e] Theodosius pro parẽtibus suis defunctis precatur ad S. Chrysostomi tumulum.

[f] Corpus Chrysostomi in Episcopali throno collocatum, pacem cum Iohanne

populo precatur. Habet Baronius ex Vestrio, Chrysostomo in throno considenti hoc modo vniuersum populum candidi cerei oblati adiisse, ac salutasse, & obsequium tanquam viuenti exhibuisse. [h] Conditur in Sanctissimorum Apostolorum fano. [i] Socrates de Chrysostomo.

Baronius tomo 5. Annalium refert Cosmam quendam Vestiarium sancti Chrysostomi translationem copiosè descripsisse; cuius etiam Epistolam ad S. Chrysostomum iam defunctum, à Theodosio Imper. datam, recitat idem Baronius ad annum 438. Vitam sancti Chrysostomi præter historicos Ecclesiasticos iam sæpius citatos, etiam ex instituto Palladius Diaconus eius coætaneus, & Cassiodorus Senator in modum dialogi conscripserunt, Leo præterea Augustus Encomiasticam orationem in laudem eius dixit: inuenies hæc Chrysostomi operibus præfixa.

VITA S. IACOBI EREMITÆ, EX SIMEONE METAPHRASTE.

18. IAN. MVLTA bona, & animæ salutaria beneficia ijs viris, qui Dei amantes sunt, & Saluatoris Christi præceptis congruentem vitam ingrediuntur, pulcherrima humilitatis possessio conciliat: quam qui amplecti studuerit, & perfectè obierit, is nunquam illud timere poterit, ne aliquo modo cadat, aut vllo affectu capiatur, vel suæ fiduciæ superbia efferatur. Quod enim multum damni, & insanabilem iacturam, maximumq; periculum hæc ijs afferat, qui non cautiores fuerint, licet è multis alijs argumentis hoc intelligere, præcipuè verò ex hac historia, quæ nobis scribenda est, vt qui cælestem vitam sibi proposuerint, ex ipsa narratione proficiant, quò tutiores sint. In hac enim & institutionem optimam inueniemus, & exercitationem perfectam, extremum denique cursum ex pigritia proficiscentem, & pœnitentiæ virtutem: quæ tantum valet apud benignissimum Deum, vt non solùm ex ipsis inferorum portis, & gehennæ doloribus hominem eripiat, sed etiam talem reddat, vt priori virtute maius aliquid possideat, &, adiuuante diuina gratia, emendationem vitæ superiore statu meliorem recuperet.

FVIT

II. Fvit quidam vir, qui solitarium in locum secessit prope oppidum Porphyrionem. Erat viro illi nomen Iacobus. Hic cùm breuis huius vitæ vanitati renunciâsset, in spelunca quadam quindecim annos habitauit. Tantos autem in virtutis exercitatione progressus fecit, tamq; insignis & Deo gratus extitit, vt & gratia contra dæmones dignus effectus fuerit, multasque alias curationes Saluatoris nostri Iesu Christi nomine hominibus attulerit. Cùm omnes igitur eius hominis vitam admirarentur, ad eum concurrebant, quorum plerique erant ex impiorum Samaritarum superstitione. Illos cùm ad se venientes diuinus ille vir animaduerteret, ex diuinarum literarum lectione ipsos multùm eruditendo, ad veram fidem conuertebat. Quindecim annis degit in spelunca.

III. Sed qui humano generi indè vsq; à principio aduersari cœpit diabolus, & iis præcipuè, qui Christo seruiunt, cùm ex multa illius hominis virtute, ac perfecta vita se fugari videret, aggressus est eum persequi, & ex iis locis, quæ supra diximus expellere. Cùm enim in vnum quempiam Samaritam ingressus fuisset ex eorum numero, qui ab initio veritatem ipsam auersabantur, fecit vt ille vniuersos ad se pertinentes amicos, consanguineos ac seruos ad insidias sancto illi viro struendas in vnum colligeret, quò cum ità irretitum posset è regionibus illis propulsare. Omnes igitur cùm ad sacerdotis sui diuersorium conuenissent, & multa essent machinati, vna omnium sententia hæc fuit, vt impudentem atque inhonestam mulierculam ad se accerserent, cui viginti aureos nummos darent, totidemque alios se illi daturos promitterent, si ipsa Dei seruum Iacobum illecebris suis corrumpere posset, vt ansam aliquam arripientes, eum virum cum dedecore è sua regione fugarent. Samaritæ illi insidiantur.

IV. His promissis mulier illa inducta, multam noctem obseruans, ad ipsum adijt, ac ianuam pulsans, eum rogabat, vt ipsam intromitteret. Cumque ille moraretur, & diutiùs id se facturum recusaret, illa nihilominùs impudenter ianuam pulsare pergebat, & multis precibus eum obsecrare, vt ipsam admitteret. Cùm igitur ille ianuam patefecisset, & eam vidisset, spectrum aliquod cernere sibi visus est, seq; crucis signo muniens, ianuam ipsam cùm impetu clausit, atque in cellam reuersus, ad Orientem solem se conuertit, & Deum attentè precatus est. Non multo autem tempore posteà, cùm media nox præteriisset, non desinebat mulier illa pulsare ianuam: quinetiam magna voce, Miserere, inquit, mei tu, qui Dei seruus es: aperi mihi ianuam, ne ante cellam tuam ferarum cibus efficiar. Seque Crucis signo munit.

V. Cùm iustus ille vir hæc consideraret, & ferarum multitudinem, quæ erat in illis locis, animaduerteret, ianuam ipsam inuitus (vt ità dicam) patefecit, eiq; dixit: Vnde huc venisti? Quem quæris? Et vnde es? Cui mulier: E monasterio, inquit, hoc propinquo ego sum, meq; monasterij Præses ad ferendas benedictiones in hoc castellum misit, ac dum reuerterer in monasterium, hoc in loco nox me oppressit. Rogo igitur te, diuine vir, vt miserearis mei, & apud te accipiar, ne ferarum præda efficiar. His igitur verbis ille commotus, eam ad se introduxit, panemq; & aquam illi apposuit: & interiorem cellam ingressus, se ipsum illic inclusit, muliere in exteriore cella derelicta. Illa verò cùm cibum sumpsisset, voluit paulisper quiescere. Posteà cœpit vociferari, & cùm lamentis ad ianuam se deiicere, virumque sanctum implorare. Ille verò è fenestra prospiciens, eamque videns angustiis & multo dolore compressam, dubitabat quidnam ei diceret, aut faceret: Tunc illa: Precor te, inquit, vt me respicias, & signo Crucis munias, quoniam dolore cordis opprimor. His ille auditis, exiit, & statim igne multo accenso, prope mulierem sedit, ac sinistra manu igni admota, dextera sacrum oleum sumpsit, & eam calefacere cœpit propriæ manûs calore, neq; desinebat eius pectus Crucis signo munire. Vide morè consignandi signo crucis.

VI. Illa igitur impudentiæ stimulis impulsa, cùm irretire eum vellet, & in turpem libidinem concitare: Rogo, inquit, te diutiùs cor meum vngas, vt dolor, qui me comprimit, iam desinat. Ille, quæ eius erat simplicitas, mulieri credens, quæque ad eam curandam pertinebant, attendens, simulq; fraudem praui dæmonis sciens ac metuens, ne fortè ex multa in eam commiseratione sempiternam infirmitatem sibi afferret, duabus vel tribus horis constanter sinistram manum in ignem iniectam detinuit, ità vt digitorum compages combustæ deciderint. Hoc ille faciebat contra diabolicas machinas militans, vt propter intolerabilem illum dolorem, ex ignis flamma proficiscentem, nulla pessima cogitatio in eius animum irreperet. Quod cùm admirabiliter ab eo fieri mulier videret, & ipsa resipiscceret, (totam enim sancti viri manum ferè igne consumptam videbat) lachrymans atque ingemiscens, ad sancti viri pedes se deiecit, & suis manibus proprium pectus pulsans, clamabat: Hei mihi miseræ & excæcatæ, hei mihi, quòd diaboli domicilium facta sum. Hæc cùm sanctus vir audiret atq; obstupescceret: Surge, inquit, mulier. Hoc dixit, & admodùm festinanter è solo illam erexit, & attentas preces ad Deum mittens: Nuncia, inquit, mulier, quid hoc sit. Vixq; ad se reuersa, quo pacto res se habebat, singulatim exposuit, aperiens quas praui Samaritæ, vel diabolus potiùs aduersus iustum virum insidias machinatus fuerat. Qua re audita, Dei seruus magnoperè ingemuit: cumque Dei gloriam celebrâsset, & lachrymas multas emittens Deo gratias egisset, illam catechismo instruxit, eiq; benedictiones impartitus, misit ad sanctissimum Alexandrum Episcopum. Magna sancti viri virtus.

VII. Mvlier verò cùm ad ecclesiam venisset, vnamquanq; rem ordine Deo ipsi primum, deindè & sanctissimo viro confessa est: qui & ipse cùm plurimùm eam instruxisset, eorumq; malorum, quæ commiserat, valdè pœnitentem videret, immortalitatis lauacrum ei dedit, & mulierem quidem ipsam ad virginum monasterium misit: omnem verò populum religiosum, & Christi amatorem clerum cùm congregâsset, ex vrbe & regione illa omnes Samaritas expulit, ac posteà Dei seruum Iacobum adiit, eumq; vt bonus pater multum confirmauit. Ita verò & mulier supradicta per pœnitentiam Christo seipsam obtulit, vt & chara Deo esset, & aduersus dæmones gratiam acciperet. Confessio sacramentalis.

VIII. Facto autem interuallo quodam temporis, filia cuiusdam viri, qui principem locum in senatu obtinebat, impuro spiritu agitata, nominatim sanctum illum virum inuocabat. Cùm igitur eius parentes ad Dei seruum eam duxissent, ipsum rogabant, vt puellæ iuuentutem misericordia prosequeretur, & impurum spiritum ab ipsa expelleret. Cumq; sanctus vir pro ea Deum precatus esset, & manus super illam imposuisset, statim diuina ope dæmonem expulit, & puellam curauit. Eius igitur parentes cùm & Deo, & ipsi gratias egissent, trecentos aureos nummos ei miserunt, quos non solùm iustus ille vir accipere ausus non est, sed ne videre quidem eos passus fuit, dicens eisq; persuadens, non decere diuinarum rerum mercaturam facere, sed pauperibus illos potiùs dare. Ego enim inquit, eos non accipio, nam in solitudine degens istis non indigeo. Itaq; gratias Deo agentes homines illos, in eorum domos remisit. Dæmoniaca curatur.

IX. Aliqvando verò cùm adolescens quidam à dæmone tentatus fuisset, vtroq; pede dissolutus fuit: quem eius cõsanguinei baiulantes, ad sanctum virum tulerunt, eum rogãtes, vt pro ipso Deum precaretur. Ille autem cùm tres dies ieiunasset, & diuinis precibus operam dedisset, paralyticum hominem sanum restituit, cui & benedixit, iussitq; propriis pedibus in suam domum reuerti. Multi alij ad eundem veniebant, qui cùm diuersis morbis laborarent, omnes diuina ope per ipsius preces curati, ad suas domos reuertebantur. Triduano ieiunio & precib paralyticum sanat.

X. Cùm autem ille Dei seruus se ab omnibus multùm honorari videret, & casum, qui ex honore ipsò multis euenire solet, valdè metueret, locum illum reliquit, & fugiens abiit procul ab vrbe illa quadraginta milliaribus: cumq; apud petras, quæ sunt ad ripam fluuij, speluncam magnam inuenisset, triginta annos illic habitauit, in precibus & hymnis totos dies ac noctes insumendo. Nutrimenta verò ipsa multo tempore ex herbis, quæ prope fluuium nascebantur, sibi conficiebat: posteà paruum quendam hortum ad ripam fluminis eleganter construxit, atque in eo aliquot horis diei opus faciens ex eo ipso cibum sibi comparabat. Ità verò eius vita celebrabatur, vt è viginti & triginta monasteriis monachi Trigita annis habitat in spelũca.

nachi & clerici ad eum venirent, multiq; alij ex iis, qui mundi rebus occupantur, ad eum se conferrent, vt eius benedictionem acciperent, & ab eo confirmari possent.

SED talis ac tantus vir, tantaq; gratia dignus effectus, fortasse è elatione vel superbia captus, in lapsum, eumq; omnium grauissimum, incidere permissus fuit. Nam sceleratissimus humani generis inimicus, qui contra homines rectam & Deo gratiam, vitam degentes, propriam inuidiam exercet, in puellam quandam ingressus, cuiusdam diuitis filiam, cœpit clamare, & sanctum Iacobum nominatim appellare, ita vt parentes puellæ circumirent, & vbiq; diuinum illum hominem inuestigarent, neque monasterium, neque desertum aliquem locum relinquentes. Quem cum inuenire non possent, postea solitarium quendam hominem in eo loco, quem supradiximus, esse cognouerunt, Pater igitur seruos suos secum habens, & puellam iubens vna cum matre in iumento sedere, & eum sequi, venit in eum locum, de quo audierat, vbi & ille vir sanctus vitam degebat. Quem cùm vidisset, & ad eius pedes se abiecisset: Miserere, inquit, filiæ meę, quoniam grauiter ab impuro spiritu cruciatur: nam viginti dies sunt, quibus neq; cibum, neq; potum sumpsit, sed clamat seipsam lacerans, & nomen tuum appellans. XI.

Rursus dæmoniaca alia sanatur.

TVNC iussit puellam illuc duci: cumq; se diutiùs precibus dedisset, sic ardenter pro ipsa precatus est, vt & locus, in quo stabant, contremuerit. Finitis verò precibus, insufflauit in illum impurum spiritum, & ait: In nomine Domini nostri Iesu Christi exi ab ista puella. Statimq; dæmon ipse, tanquàm igne aliquo impulsus, è puella discessit. Illa verò cùm in solum cecidisset, multis horis iacuit sine voce: sed sanctus ille Deum precatus, eam, manu apprehensa, erexit, & parentibus suis reddidit. Qui cum miraculum illud vidissent, diuinam gloriam collaudarunt. Sed metuentes, ne impurus ille dæmon reuersus, in eam ingrederetur, ipsum rogarunt, vt puella apud eum duos dies remaneret, quoad omninò à dæmone liberaretur. Puella igitur apud eum relicta, parentes in domum suam reuersi sunt. XII.

Qui amat periculum, peribit in illo.

DECET autem, sicut initiò diximus, ad multorum cautionem, & cælestem hanc vitam exercentium ędificationem, non solùm perfectorum hominum rectè facta narrantes, bona tantum colligere: sed ne malorum artium & laqueorum sceleratissimi illius hostis imperiti sint, qui Deo seruiunt, quemadmodum maximas & veras huius hominis virtutes enumerauimus, ita: inquam, conuenit, & fluctuationem in eum illatam, & inde maximum eius lapsum, enarrare. Dicemus autem deinceps, vt decet, & ea miracula magna atq; ingentia, quæ post perfectam ipsius pœnitentiam, & generosam confessionem per eundem edita sunt. Quo enim nobiliorem exercitationem ac vitam anteà egerat, eo maior posteà ipsius fuit lapsus. Quanto autem grauior fuit lapsus, eo maior posteà ipsius fuit & emendatio. XIII.

ILLE enim pessimus, & impius Dei seruorum inimicus, cùm puellam, quæ curata fuerat, illic solam cum solo relictam vidisset, & velut ansam quandam aduersus iustum hominem arripuisset, libidinosò spiritum in eum immisit: qui tantopere ipsum adortus est, vt qui exercitationis initio, quo tempore impiorum Samaritarum laquei per mulierem, quam supradiximus, parati fuerant, generoso & forti animo restiterat, quiq;, vt diabolum superaret, per quem mulier aduersus ipsum impulsa fuerat, sinistræ manus iacturam perferre maluerat: is, inquam, vir libidinis stimulo percitus, diuini timoris, & tantæ sanationum gratiæ, ac tam diuturnæ exercitationis, totq; laborum oblitus fuerit: & quamuis ad multam senectutem venisset, victus tamen dæmoni succubuerit, & in eum locum, qui ante cellam erat, egressus, puellam ipsam vitiauerit, & impietatis cœno seipsum commacularit. Deinde verò, tanquam primordiis quibusdam dæmoni oblatis, coactus est superiori malo & alterum addere. Cùm enim corruptor ille serpens vereretur, ne Iacobus ipse resipiscens ad emendationem veniret, quæ per pœnitentiam his præbetur, qui eam syncero animo inquirunt, ei viro, quem, vt sibi videbatur, captiuum ducebat, suggessit, vt superiore peccato maius quiddam patraret: Quasdam n. timiditatis cognitiones cùm in eius mentem iniecisset, author illi fuit, vt puellam à se vitiatam interficeret. XIV.

Vir sanctus cadit gratissimè.

Addit stupro homicidium.

ET eo igitur peccato superatus, eius quoq; cædem patrauit, sperans scilicet ea re fieri posse, vt eius puellæ parentum molestiam vitaret. Sed neq; eo scelere contentus fuit verus ille malorum author diabolus, sed aliud etiam addidit, vt non solùm interfectæ puellæ reliquias sepulturæ non mandaret, sed eas etiam in aquas fluuij sine misericordia aliqua proiiceret. Talis est superbiæ & arrogantiæ fructus. Nisi enim eiusmodi peccato monachus ille se subiecisset, prauus hostis, tanquàm in breue aliquod naufragium vim omnem ac ventorum æstum effundens, eum senem nequaquam dedecorasset, à quo adhuc iuuene victus fuerat: quem posteà & ipse vicit, eò quòd nimis elatum sensit. XV.

SED tamen egregia Christi, summorum bonorum largitoris, in homines beneuolentia, qui omnes homines maùult saluos esse, quàm perire, ei, qui lapsus fuerat atq; humi iacebat, manum porrexit, & pœnitentiæ remediis insanabilia & graueolentia proprij figmenti, hoc est, eius viri vulnera curauit, iisdemq;, ac maioribus gratiis post pœnitentiam eum decorauit. Hæc autem in medium proferre coacti sumus, vt sicut superiorem eius vitam cognoscentes, Deũ laudauimus, & quomodo lapsus fuerit audientes, in tristitiam incidimus: ita & synceram ipsius pœnitentiam edisce tes, non nobisipsis confidamus, sed in benignissimo Deo, ex quo gratiæ omnes proficiscuntur, spem collocemus: qui & nobis stantibus dat patientiam, vt perfectè stare possimus, & pigritia cadentes sua manu sustentat, hoc est, opem nobis porrigit, ac pœnitentes pro sua in humanum genus charitate amplectitur. Etenim qui tot & talia mala patrauit, quorum vnum quodq; gehennæ obnoxium eum faciebat, Dauidis exemplum imitandum sibi proposuit, quò à lapsu erigi posset. Nam & Dauid post adulterium rerum ordinem peruertit, & pro eo quod adulterij sui pœnas dare debuisset, cædem etiam addit eius viri, cui priùs iniuriam fecerat. XVI.

2. Reg. 11.

Redit ad se, & meditatur pœnitentiam.

ILLE igitur cùm animaduerteret, quemadmodum Deus ipse ac benignus Dominus, Dauidis oratione placatus, statim peccata ei condonauit, ad pœnitentiæ portum confugit, sola spe ad animæ ipsius emendationem gubernatrice vsus. Cùm enim ad se rediisset, & è somno, vt aliquis diceret, excitatus esset, in cellam suam ingressus est, seq; in terram cùm abiecisset, intolerabiles gemitus emittebat, pectus suum valdè percutiens, & lachrymarum riuulos emittens Sed neq; sic ab eo discessit impurus & sceleratissimus diabolus. Nam cùm eius viri propositum ac voluntatem ferre nõ posset, cœpit desperationis cogitationes in eius animum inijcere, cùm huiusmodi pessima initia aduersus humanum genus ex Iudæ ipsius desperatione inferre conatus esset Ille igitur ad seculi consuetudinem redire decreuit. Sed benigni Christi voluntate factum est vt iter faciens, in monasterium quoddam veniret. XVII.

Vult redire ad seculum ex desperatione.

AD eos igitur monachos, qui illic erant, ingressus, ipsos salutauit: qui cùm eius pedes lauissent, & panem ei appositum esset, rogabant, vt cibum sumeret. Ille verò cùm neque eos ferè audire pateretur, grauem gemitum emittens: Hei mihi, inquit, misero, quomodo potero in cælum oculos erigere? Quomodo ipsius Christi Domini nomen audebo inuocare, quem reprobaui ac dereliqui? Quomodo audebo aliquid ex ipsius bonis attingere, qui anima & corpore adulter contra ipsum fui, & intemperantiæ libidinibus meipsum commiscui? Cumq; cœpisset narrare, quo pacto res sè habuerat; illis omnia confessus est: qui multa tristitia ob eam rem affecti, & his, quæ diuersis modis passus fuerat, commoti, pro viribus eum consolati sunt. Cumq; benedictiones ei dedissent, & multas atq; attentas preces pro eo ad Deum misissent, à se dimiserunt. XIIX.

Monachi cuiusdam exim ia in eum charitas.

CÙM autem iter faceret, frater quidam ei occurrit, verè Christum in seipso habens: qui cùm eum salutasset, coegit in suam cellam diuertere: cumq; eius pedes lauisset, & omnia charitatis officia illi præstitisset, panẽ apposuit, ipsumq; adhortatus est, vt particeps fieret earum benedictionum, quas Deus misisset. Ille verò cùm peccatorum suorum sibi conscius esset, pectus suum pulsans, diu recusabat cibum sumere. At Dei seruus, apud quem ille diuerterat, ad ipsius XIX.

pedes

pedes se abiecit, eum consolans, & iureiurando affirmans, se non priùs è terra surrecturum, quàm promisisset, se illorum quæ apposita fuerant, participem futurum. Id cum ille promisisset, Dei seruus è terra surrexit, vt cibum sumeret.

XX. POSTEA verò quàm ambo panem gustauerunt, & Deo gratias egérunt, rursus vnà sedebant. Tunc is, à quo Iacobus hospitio acceptus fuerat, ipsum affatus: Instrue, inquit, pater, me in Christo filium tuum, & cor meum confirma, quoniam multis & variis cogitationibus valdè solicitor. Tunc vlulans sanctus Iacobus, & cum lachrymis, gemitibus & lamentis suum pectus verberans: Sine, inquit, frater, me flere, & grauia peccata mea, quæq; impiè aduersus Deum ausus sum, lamentari: quoniam in hac mea vana & turpi canitie, tanquam puer, à diabolo supplantatus, in interitum omninò immersus sum. Malis enim, quæ iuuenis toleranter vici, nunc in senectute inhonestè me gerens, succubui, cùm in graueolentis stupri cœnum meipsum conieccrim, & alia his grauiora peccata commiserim. Hæc cum ille audiuisset, mœrore multo affectus est, eumq; rogauit, vt singulatim fraudem diaboli narraret, hæc duo ex ea re procurans: primùm, quòd sperabat peccati confessione ad pœnitentiam illum virum prouocandum; deindè, quòd ex fratris lapsu cautionem sibi in posterum parare cupiebat Ille igitur sic narrare cœpit.

XXI. CÙM exercitatione accurata & valdè laboriosa vsus fuissem, & Deo ipsi quinquaginta annos innocenter seruiuissem, postquam multam à benigno Deo gratiam accepi, multaq; miracula per me sceleste perfecta sunt, postremò satanas in puellam quandam ingressus fuit; cuius parentes cùm audiuissent Christi gratiam mihi adesse, illam ad me duxerunt, vt curari posset. Cumq; me rogassent, vt pro illa Deum orarem id feci: & diuina ope factum est, vt impurus spiritus ab illa discederet. Illi cùm omninò eam curari cuperent, duos dies apud me puellam reliquerunt, ipsiq; in domum suam reuersi sunt. Mente verò excæcatus ego, ad illam exij, & libidinis stimulo superatus, neq; Deum hora illa in mente habens, neq; quòd tam diuturnæ exercitationis labores perderem cogitans, sed omnia (vt summatim dicam) oblitus, & gehennam contemnens, ad stupri pernicioſam ruinam cecidi. Cumq; puellam vitiâssem, malo malum curare volui: quinimò minori malo maius addidi. Nam dedecoris illius author dæmon me inuadens, eiusdem puellæ cædem in mentem suggessit Itaq; post stuprum, quod intuleram, illam ipsam interfeci, eiusq; corpus in fluuium proieci. De mea igitur salute desperans, discessi, & nunc in mundum reuertor. Quomodò enim in cæli altitudinem oculos erigere potero? Nam si Christum ipsum nominare ausus fuero, nunc ignis de cælo descendens, statim me consumet. Narrat fratri lapsum suum. Desperat.

XXII. HÆC & talia cùm ille multis lachrymis & gemitibus maximis enarraret, alter Dei seruus hæc audiens, diuina gratia compunctus, in eius collum cecidit, eumq; osculans: Quæso, inquit, frater, ne animo decidas, neq; de salute tua desperes: sed credens pœnitentiæ locum esse, lachrymas fundens benigno Deo confitere. Multùm enim misericors est Dominus, & multa est misericordia, qua nos semper prosequitur. Quoad tempus habemus, pœnitentiam agamus. Nam si pœnitentia non esset, quomodo Dauid post prophetiæ donum, post regnum, post Domini testimonium, in adulterij & cædis barathrum lapsus, verbis & re pœnitentiam ostendens, talium peccatorum remissionem assequi potuisset? Si pœnitentiæ locus non est, quomodo beatus Petrus Apostolorum princeps, primusq; discipulus, qui claues cæli à Deo accepit, cum Dominum Christum non semel, non bis, sed ter negasset, & post hæc amarè fleuisset, non solum eius peccati remissionem impetrauit, sed maiore etiam honore dignus fuit habitus, rationalium Christi ouium pastor effectus? Nisi pœnitentia esset, quomodo eum, qui apud Corinthios fornicatus fuerat, assumi Apostolus mandasset: Ne, inquiens, circunueniatur à satana? His & talibus verbis cum eius animum valdè confirmasset verus & misericors frater, eum rogauit, vt secum vnà manere vellet. Cumq; ille nollet, ad eius pedes Dei seruus se abiecit, eosque osculatus, illum orabat, ne ab eo separaretur, cogitans ac metuens, ne aliquo modo in desperationem incideret, & animam suam omninò perderet. Cum verò vehementer eum admonens, rogans atque obsecrans, illi persuadere non posset, sanctus vir angustiis compressus, & spiritu ingemiscens, atq; pro eo magnoperè Deum precatus, illum dimisit, cùm benedictiones etiam dedisset, quibus in via vteretur. Cumq; vna cum illo vsq; ad quindecim miliaria iuisset, non desinebat ipsum hortari, longam de pœnitentia orationem habens. Eum deinde amplexus, & cum lachrymis osculatus, ac pro ipso Deum precatus, in cellulam suam reuersus est. Eum frater pio egregiè consolatur. 2. *Reg.* 12. *Matth.* 16. *Matth.* 26. *Ioban* 21 2. *Corin* 2.

XXIII. IACOBVS autem cùm viæ, quæ in mundum ducebat, se dedisset, in itinere erat: Cumq; partem quandam viæ trãsegisset, & paulùm declinasset, vetus quoddam sepulcrum inuenit, ad figuram speluncæ factum, in quo plurima mortuorum ossa reposita erant, quæ temporis vetustate ferè vt puluis euaserant. Quò ingressus, cùm ossa illa in vnum collegisset, in quodam monumenti angulo ea reposuit: cumq; veterem speluncæ ianuam occlusisset, & genua in terra posuisset, pectus verberans, magno cum eiulatu ac lamentatione ita Deo confitebatur: Quomodo ad te, Deus, oculos erigam? Quale confessionis meæ initium faciam? Quo animo, quave conscientia fretus, impiam linguam & labia sordibus plena mouere aggrediar? Primùm cuiusnam peccati remissionem petere audebo? Da veniam, benignissime Domine. Esto propitius mihi indigno, bone Domine, neq; perdas me cum turpissimis factis meis: non enim paruæ sunt impietates meæ. Stuprum commisi, cædem feci, sanguinem innocentem effudi. Ad hæc omnia miserum corpus aquis, feris ac volucribus escam dedi. Et nunc, Domine, tibi scienti omnia confiteor, harũ rerum veniam à te postulãs. Ne me despicias Domine, sed pro tua misericordia & in homines charitate, miserere mei hominis impij atq; indigni, & mihi copiosam misericordiam tuam impertias, omnemq; iniquitatem meam remitte, ne in peccati profundam voraginem demersum obruat me vastatoris inimici procella, ne draco abyssi me deuoret. In sepulcro implorat Dei misericordiam.

XXIV. HAC constanti pœnitentia & confessione vsus, decem annos in spelunca transegit, vel in sepulcro potiùs duram vitam tolerans, è loco illo non exiit, neq; cum aliquo versatus est, neq; quenquam allocutus: sed amaris lachrymis, gemitib. & lamentis intolerabilib. multaq; compunctione omne tempus transegit, bis in hebdomada ianuam spelũcæ aperiens, & olera, quæ erant prope ostium sepulcri, vbi ipse manebat, colligens, ex quib. tantum comedebat, quantum sibi satis esse putabat, atq; in speluncam reuertebatur, multas Deo gratias agens, omniq; tempore precibus, vigiliis & confessionis perseuerantiæ dans operam. Quamobrem benignus Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed conuersionem & vitam, tantum & tam multum laborem non inanem neq; inutilem esse passus est Eius enim puram & diligentissimam pœnitentiam attendens, tantorum & talium peccatorum veniam ei dedit. Decem annis agit pœnitentiam in sepulcro. *Ezech.* 18.

XXV. CVMQVE & sancto illi homini, & omnibus aliis pœnitentiæ vim manifestam Deus ipse facere vellet, permisit, vt vehementissimus squalor & pluuiæ penuria totam illam regionem detineret Itaq; post multa ieiunia, preces, & supplicationes, reuelatum fuit ciuitatis illius religiosissimo Episcopo, viro sancto & Deum metuenti, esse quendã hominem, ea in regione in sepulcro habitantem, habitu quidem humilem, sed spiritu & animo sanctum; qui si ab ipsis persuasus, Deum precatus fuisset, omnia mala, quæ illi regioni imminerent, auerteret. Sanctissimus igitur Episcopus cum toto clero iussit omnes congregari ad visionem illam audiendam, quam eis narraturus erat, vt cum supplicationibus ad speluncam sibi reuelatam, ad eum diuinum hominem adirent. Cùm id factum fuisset, & ad eum locum venissent, iustum illum hominem inuenerunt, multisque precibus ab eo petiêrunt, vt eorum regionis misereretur, & Deum precari vellet, ab eoque impetrare, vt populo suo reconciliaretur, & præsentem squalorem depellens, pluuiam in eorum terram demitteret. Ille nihil omninò eis respondens, suum pectus verberabat, neque in cælum oculos erigere audens, id tantùm dicebat: Propitius esto, Christe, multis meis impietatibus. Visio de illo offert. Episcopo. Vide veram humiliatẽ in tanta pœnitentia.

EPISCOPVS verò cùm in supplicationibus atque hortationibus perseueraret, neque responsum aliquod à deo reciperet, illo relicto, qui eò venerant, lamentantes reuersi sunt. Cumque ad ecclesiam venissent, illic rursus lachrymantes & supplices à benigno Deo malorum liberationem quærebant. Cùm verò multis diebus lamentantes ac ieiunantes Deum implorarent, vt eis subuenire vellet, iterùm eidem Episcopo reuelatum est, & clara vox audita fuit, quæ ita dixit: Abi ad seruum meum Iacobum, quem tibi iam reuelaui, eiq; persuadeas, vt de his rebus me orare velit: eo enim orante, iis malis, quæ regioni impendent, liberi eritis. XXVI.

REVERSVS igitur cum toto clero & populo sanctus Dei sacerdos, pergebat diuino homini supplicationes afferre. Tunc ille inuitus (vt breui dicam) & multis supplicationibus adductus, & ab illo sancto Episcopo persuasus, quod diuina reuelatione ad eum missus venisset, erectis in cælum oculis, multo tempore attentas preces habuit cumq; adhuc in eius ore preces essent, bonus & misericors Deus, qui omnia se metuentibus abundè & facilè largitur, re ipsa illud diuinarum literarum dictum implens: Adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum: pluuiam multam in terram dimisit. Quam maiorem in modum admirati, hymnum pro gratiis agendis misericordi Deo & eius magnificentiæ cecinerunt, ac reuersi sunt: diuinam verò gloriam celebrantes, eius seruos beatos prædicabant, qui per virtutis exercitationem, tali ac tanto honore & gratia digni efficerentur. XXVII.

Precibus à Deo pluuiã impetrat. Esa. 58.

EO igitur maximo beneficio à benigno Deo adiuti, & diuina illi plaga liberati, quæ per Dei seruum Iacobum repulsa est, ad hodiernum vsq; diem per singulos annos illius diei memoriam celebrant, quo aridítate illa aërea liberati sunt. & hymnos, supplicationes & gratias assiduas Christo agunt. Multi verò diuersis morbis detenti è populo ipso, vnà cum Episcopo, consolationis & curationis causa ad Dei seruum Iacobum confugiebant: quos ille oleo sancto vnctos, & Christi nomine benedictos, ità sanabat, vt domum reuersi, gloriam Dei collaudarent, qui per seruum suum curationem ipsis attulerat. Omnes igitur, qui ciuitatem ac finitimam regionem habitabant, ægrotos suos ad eum ferebant, vel rogabant, vt, ipsis absentibus, pro eorum salute ipse Deum oraret: ac statim diuina ope curationem assequebantur: tanta enim gratia illi collata est, vt vel solo sermone statim impuros spiritus fugaret. XXIX.

Multis claret miraculis post pœnitentiam.

EODEM autem ipso anno, quo acerbissima illa squaloris plaga repulsa est, Dei seruus Iacobus accersiuit sanctissimum Episcopum, eumq; rogauit, vt speluncam, hoc est, sepulchrum curaret, in quo iamdiu ipse domicilium habuerat, & ab eo petiuit, vt mortuus illic sepeliretur. Id cùm ille se facturum promisisset, & in vrbem reuersus esset, post paucos dies beatus Iacobus in senectute bona obiit, quintum & septuagesimum annum agens. Quod cùm religiosissimus Episcopus cognouisset, ad eum locum cum toto clero & probis laicis accessit: qui cùm aromatibus pretiosis eum condiissent, Deum ipsum & eius gloriam celebrantes, venerandas eius reliquias in illo ipso monumento deposuerunt. Postea sanctus Dei sacerdos sacram ædem ad speluncam ædificauit, eiusq; reliquias illuc transtulit. Quo in loco vsq; ad hodiernum diem multi curantur, ac tota ciuitas & finitima regio eius memoriam singulis annis celebrãs, diem magnum festum agit, in gloriam benigni Dei, qui sic illum honorauit: quem & nos consueto more & glorioſe celebremus, benedicentes Patri, Filio, & Spiritu sancto, cui gloria est & imperium in seecula seculorum Amen. XXIX.

Moritur.

Eius festum quotannis celebratur.

AN. 1250. VITA ILLVSTRISSIMÆ MARGARETÆ VIRGINIS, FILIÆ REGIS HVNGARORVM ORDINIS PRAEDICATORVM, QVAM F. Garinus S. Theologiæ Doctor eiusdem Ordinis, ex iuratorum testium diffusioribus dictis in compendium redegit Auinione, Anno Christi 1340. Etsi autem nondum certo mihi constat, eam esse relatam in numerum sanctorum, at tamen id vt fieret & Hungariæ rex petiit, & aliquot Romani Pontifices diligenter inquiri de vita illius: quæ ab ipsis propè incunabilis fuit sanctissima. Stylus in Lectoris gratiam per F. Laurentium Surium passim mutatus est.

28. IAN. ILLVSTRISSIMA virgo Margareta, in Dominicano cœnobio insulæ beatissimæ semperq; virginis Mariæ, quæ est in Danubio & diœcesi Vesprimiensi, monasticam professa religionem valdè nobilis fuit genere, sed moribus nobilior. Fuit enim filia illustrissimi regis Hungariæ Belæ ac reginæ Mariæ: qui cum timerent Tartaros ipsorum regnum inuasuros, voto se obstrinxêre Deo, si regnum liberaret à Tartaris, & filiam ipsis daret, oblaturos se illam ipsi perpetuò seruituram apud fratres instituti Dominicani. Et Tartari quidem discessêre, regina verò concepit, & peperit filiam Margaretam: quæ vbi annos tres & sex menses ætatis habuit, à parentibus in monasterium [a] Vesprimiense oblata est, eiusque amore domina Olympias Comes, quæ eius fuerat nutrix, monasticum induit habitum in eodem cœnobio, vt & Deo seruiret, & puellam nobilem custodiret. Margareta verò in tantilla ætate statim deuotioni se dedit, & preces Horarias beatissimæ Mariæ Virginis intra annum dimidium perfectè didicit, & cum aliis persoluit. Ludos verò pueriles, quibus illa solet gaudere ætas, respuens, aliis ludentibus, orationi vacabat: imò etiam illas ludere volentes, ad prædicandum pertrahebat.

Is Bela 4. est eius nominis: & Maria, filia Cõstantino politani Imperat.

[a] Offertur puella in monasterium.

CÙM [b] verò magistra illius à precibus retrahere illam vellet, ne corpusculum suum grauaret, tamdiù permansit in fletu, donec magistra lachrymis eius victa, liberam ei faceret in precibus perseuerandi potestatem. Erat sanè summa humilitate prædita, nec regis filia dici voluit: sed quoties sic appellata fuisset, cum lachrymis conquerebatur se audiuisse vituperium. Atque hac de causa rarò voluit loqui cum parentibus suis, ne ex illorum colloquio glorioſior putaretur. Dixit aliquando: Vtinam Deus hanc mihi largitus esset gratiam, vt non regis essem filia, sed potiùs rustici cuiusdam: non nobilis, sed ancilla paupercula: ità enim illi liberiùs possem inseruire. Postquam autem decem plus minùs annorum fuit, cum multis aliis translata est ad monasterium insulæ Danubij, ab eius parentibus Christi amore fundatum. Cùm adhuc quartum ætatis ageret annum, conspiciens crucem quandam, sciscitabatur ex sororibus, quid rei esset. Respondentibus illis, signum esse crucis, in qua Deus Dei filius, nostræ salutis causa suum fudisset pretiosissimum sanguinem, illa his auditis, statim crucem amplexari & osculari cœpit, & coram illa se prosternẽs, & adorans crucifixum, alta voce dixit Domine, me tibi committo. Ex eo autem tempore tanta deuotione erga sanctam crucem ferebatur, vt vbicunq; crucem videret, quocunq; etiam detineretur impedimento, sese prosterneret, eamq; adoraret. Quandam etiam crucem paruulam de ligno sanctæ crucis habens, semper secum portabat, & die ac nocte sæpius osculabatur deuotè. Aliis euntibus ad locum refectionis, illa semper orabat coram imagine Christi crucifixi, quæ erat in domo, vt vocant, Capitulari: & aliquando tam diù manebat in oratione, vt vsque ad alteram refectionem non comederet. Orabat vt plurimùm ante altare sanctæ Crucis, vel coram imagine crucifixi. Tanta quoque deuotione complectebatur nomen Iesu, vt quasi semper illud in ore haberet nec aliquid illi sapidum videbatur, nisi sonaret ibi nomen Iesu. Corpus autem Christi in sacramento altaris deuotissimè venerabatur, & sub eleuatione illius in Missa flebat vberrimè: & frequenter ab eleuatione vsque ad sacram communionem sic præ deuotione manebat abstracta à corporis sensibus, vt quasi mortua videretur. Quando verò sacram erat communionem perceptura, die præcedenti non sumebat nisi panem & aquam, & tota nocte in orationibus permanebat. Sumebat autem ipsum sacramentum cum magna deuotione & multo lachrymarum imbre, atque interdum adeò rapiebatur in spiritu, vt ceu mortua videretur: nec rarò visa est inter cælum & terram plus quàm cubiti altitudine eleuata, nullis corporis sensibus vtens.

[b] Nota deuotionem & humilitatem.

Fundatio monasterij in insula Danubij

Amor & reuerẽtia eius erga crucẽ Christi.

Ad sacram communionem vt se præparauit

Post

Post acceptam verò Eucharistiam, tenebat ab vna parte mappulam ante facies ad communionem accedentium hoc fine, vt videret identidem corpus Christi. Ipsa quoq; die, qua communicârat, perstebat continenter in precibus vsq; ad noctem: & tunc cibo valdè modico vtebatur. Beatam quoq; Virginem, Dei matrem, præcipuo venerabatur affectu, & vbicunq; eius videbat imaginem, flexis genib. salutationem angelicam proferebat. In vigiliis Natiuitatis Christi & quatuor solennitatum beatæ Virginis dum in loco Capitulari pronunciabatur diei sequentis solennitas, deuotionem mirabilem præ se ferebat, se prosternens, & cum lachrymis orans gratias agens Deo, in iisdemq; Vigiliis non nisi pane & aqua vescebatur. In singulis quoq; festiuitatibus beatæ Virginis ac intra octaua offerabat eidem sanctimæ Virgini mille salutationes angelicas, ad singulas quasq; humi se prosternens. Amor erga beatam Virginem.

III. HVMILITATIS & paupertatis studium in vestibus præcipuè declarabat. Pannus, quo induebatur, rudior erat, asperiorque & vilior vestibus aliarum. Nunquam lineis vtebatur nec in capite, nec in corpore, nec in lecto. Per totam Quadragesimam non mutabat vestes, & aliis quoque temporibus rarò admodum. Vestimenta eius rarissimè lauabantur, itaque tum propter vetustatem, tum longum vsum contrahebant sordes, & vermes multos: quæ causa fuit, vt multæ vitarent eam, nec illi vellent assidere, ne inficerentur vermibus eius. Quando hortabantur eam sorores, vt vestes curaret mundari, & à vermibus repurgari, dicebat: Permittatis corpus meum amore Iesu Christi Domini nostri ab his vermibus lacerari: non sit vobis isthuc curæ, ego sola fero & sentio. Raro balneis, rarissimè vnguentis, rarò capitis lotione vtebatur. Humilitas & paupertas vestium.

IV. IN Quadragesima verò nunquam à quinto ætatis anno laneum indusium deposuit: neque tunc lineis ad carnem vtebatur indumentis, etiamsi morbo esset correpta. Circa septimum annum asperum cilicium ad carnem ferre cœpit, & deinceps per totam vitam in aduentu Domini & Quadragesima, ieiuniis quatuor temporum, vigiliis Christi & beatæ Virginis, Apostolorum & præcipuorum sanctorum: aliis verò temporibus à die Iouis vsque ad Completorium sabbati sequentis eo vtebatur. A duodecimo verò anno, in quo professionem expressam fecit, confessarius ei occultè obtinuit & tradidit cilicium asperrimum è pilis equorum & setis porcorum, eum multis intextum nodis instar retis. Occultabat autem virgo quantum poterat cilicium suum, & vt à nullo videretur, manicas de panno veteri assuebat cilicio, à cubito vsque ad manus. Hortabatur etiam socias sorores secretè induere cilicium ad nudam carnem. Præter hoc habebat sub cilicio circulum ferreum, quo caro eius nuda fortiter stringebatur: & ad iacendum nocte habebat cingulum è pellibus hericij spinis horridum. Crebrò etiam voluit ligari brachia sua nuda funibus canabinis, & in tantum stringi, vt funes carni inhærentes, eam rumperent ac lacerarent. Habebat etiam in calceis suis clauiculos quosdam ferreos, quorum acumina ita erant disposita, vt quandocunq; vel ambularet, vel subsisteret, plantas pedum eius pungerent atque cruentarent. Corpus quoque suum multis ictibus flagellabat: nocte qualibet, post disciplinam, vt vocant, cum aliis communiter acceptam, secedentibus cæteris, rursus ipsa se cædebat virgis vel virgultis spinosis, vel cum virgu is circumpositis pellibus aculeatis hericij, iubebat se ab aliis verberari vsque ad sanguinis effusionem, quæ licet horrerent, attamen contradicere non audentes, obediebant inuitæ, & inter cædendum plorabant. Ducebat autè eas ad loca secreta, vt clàm verberaretur ne ab aliis posset animaduerti. Tantùm verò fatigabantur quædam verberando eam, vt vix possent respirare. Et quamuis eiusmodi verbera quotidiè perferret, specialiter tamen die sancto Cœnæ & duobus aliis ante Pascha singulis horis diurnis & nocturnis, tantis se afficiebat verberib. & flagellis, vt sanguis ex eius corpore vbertim emanaret. Quadam nocte, cùm essent densissimæ tenebræ, duxit quandam sororem ad locum admodum secretum, vt ibi manibus eius verberaretur: vbi cùm se spoliâsset & carnem nudam exposuisset, lux copiosa de cælo super eam descendit, & totam illustrans domum, tam diù durauit, donec completa verberatione vestes resumpsit: quibus vbi se induit, lux euanuit, & duæ sorores, quæ hoc viderant, accurrerunt, & se precibus eius commendauerunt. Quadam quoque die, cùm adhuc non nisi decem esset annorum, inueniens iuuenculas virgines ludentes in valetudinario, & propter obscuritatem tenebrosi temporis parùm aut nihil videntes, dixit eis: Vultis vt faciam vobis apparére solem? Illis desiderantibus, sed impossibile putantibus, indicauit locum quendam digito, satis propinquum, & dixit eis: Ibo vsq; ad locum illum, & antequàm reuertar ad vos, videbitis solem clarè lucentem: Iuit & orauit, & statim sol apparens & clarè lucens, totam domum illuminauit. Quodam tempore cùm circa mediam noctem esset in ambulacro, quod est ante dormitorium sororum, & de cælestibus cogitaret, apparuerunt ei sol & luna, lucentes in medio cæli. Vtitur aspero cilicio. Circulo ferreo se stringit. Clauiculi in calceis. Flagellat sese. Miraculum

V. CARNEM suam abstinentiis & ieiuniis assiduis macerabat. Crebrò sedens ad mensam cum aliis, maiori temporis parte, quo cæteræ vescebantur, velabat faciem suam, & tacita orabat. Si cibus delicatior vel vinum melius esset appositum, indignè ferebat, & accipere noluit, non nisi cibo & potu communi vti volens. Ab exultatione sanctæ Crucis vsque ad Pascha quotidie ieiunabat: & si Priorissa eam cogere vellet vti dispensationibus, tandiù flebat, donec Priorissam vinceret lachrymis, vt eam permitteret ieiunare. Non solùm autem in vigiliis Natiuitatis Christi & beatæ Virginis, verumetiam Pentecostes & Apostolorum, sed & quorumlibet solennium sanctorum, & per totam Quadragesimam, ac omni quarta & sexta feria vt plurimùm solo pane & aquâ contenta fuit, & illis diebus permissum illi erat priuatim cibum sumere, ne ab aliis videretur. A carnibus semper abstinuit toto tempore vitæ suæ, nisi graui & euidenti infirmitate teneretur. Suas ægritudines celabat, quantùm poterat, ne propter eas in valetudinario hærere & carnes comedere cogeretur. Quadam vice grauem fluxum sanguinis passa fuit quadraginta diebus, at nihilominùs semper comedit cum aliis in refectorio, cubauit in dormitorio, & fecit officia monasterij perinde vt sana, hoc solùm sciente in secreto quadam sorore, cui inhibuerat, ne aliis reuelaret. Eius ieiunia. A carnibus perpetuò abstinet.

VI. A quarto anno ætatis semper in die Paraseues ieiunauit: toto verò triduo ante Pascha singulis annis non se reponebat in lectum, nec dormiebat, nec comedebat vel bibebat: sed continuè vel stans erecta, oculis eleuatis in cælũ, vel ante altare S. Crucis iacens prostrata, nisi quando diuinum persoluebatur officium, orabat, legebat psalterium, flebat, & corpus diutiùs solito vsq; ad largam effusionem sanguinis verberabat. Et quidem corpusculum eius propter abstinentias, vigilias & afflictiones alias adeò fuit macilentum & pallidum, vt intuentibus admirationem adferret. Exhibebat se sororibus ad omnia officia vel ministeria ancillam humilimam. Sæpè seruiebat in refectorio, & vbi cibum sororibus apposuerat, curtebat latenter ad ecclesiam, & orabat donec comedissent: & tunc iterũ rediens, illis inseruiebat. Nec solùm sanis, verumetiam infirmis, idq; libentiùs & deuotiùs ministrabat. Prima resciscebat earum ægritudines, moxq; se ad seruiendum offerebat. Obseruantias siue instituta regularia perfectiùs cunctis aliis tota vita seruauit. Erat summè ad obedientiam parata & si Priorissa aliquid sororibus faciendum imponeret indiscriminatim, erat ad exequendum prima, & omnes ad promptè obediendum suo prouocabat exemplo. Vide duritiem vitæ sub Pascha. Libenter sororibus inseruit. Eximia eius obedientia.

VII. NOLEBAT parci sibi à pœnis, quæ cæteris sororibus irrogabantur. Itaq; rogauit Priorem prouincialem, vt ipsi, sicut aliis, mulctam irrogaret pro fractione silentij: sicq; factum est. Nam cum aliis humi discubuit, panem & aquam comedens. Erat etiam mitissima, multæque commiserationis & benignitatis erga illas, quæ ipsam iniuria affecissent. Si qua soror ei iniuriam faceret, prostrata ad pedes eius, petebat ab ea veniam, & promittebat sui emendationem. Discordantes & turbatas reducebat ad pacem. Si soror per aliquot dies ei locuta non fuisset, quærebat eam, prostrataque rogabat veniam, timens ne aliquid haberet aduersùs eam. Virginitatem cordis & corporis semper seruauit Patientia. Virginitatis studium

& præcipuè dilexit. Ea causa matrimonium ducis Poloniæ & regis Boëmiæ, atque etiam Caroli regis Siciliæ recusauit. Et cùm diceretur ei, quòd Papa dispensaret in voto solenni continentiæ, quod iam fecerat, respondit se potius præcisuram sibi nasum ac labia, & oculos euulsuram, quàm in cuiuscunq; matrimonium consensuram. Vt autem tales infestationes euaderet, benedictionem virginalem ab Archiepiscopo Strigoniensi suscepit. Cùm autem diceretur, Tartaros venire in Vngariam, & inter cætera mala etiam virgines violare, ait Margareta: Ego scio quid faciam: labia mea detruncabo, & cùm me sic viderint deturpatam, missam me facient.

Liberalitas & benignitas in miseros.

ERAT valdè misericors, & compatiebatur miseris. Quando parentes mittebant ei aurum vel argentum, vel strenas VIII.
& munuscula, nihil ipsa contingebat manibus, sed per manus Priorissæ curabat distribui pauperibus monasteriis, ecclesiis & sacerdotibus, ac aliis indigentibus. Cùm mittebatur ei pannus preciosus pro veste, dabat illum pauperculis sororibus, recipiebatque ab illis earum vilia indumenta. Si per fenestram chori vidisset pauperem, currebat ad Priorissam, orans vt pro illius necessitate faceret eleemosynam. Vidit quandoq; hominem inopem & nudum in acerrima hyeme, moxq; exuens optimam tunicam suam, cum bona venia Priorissæ, pauperi illam dedit. Vestes & linteamina mittebat seruientibus, quando ægrotabant: fercula ipsi apposita in mensa & xenia, quæ à parentibus mittebantur, crebrò distribuebat infirmis, ita vt non rarò ipsa ieiuna à mensa surrexerit. Hortabatur sorores, vt quæ eleemosynas corporales facere non possent, cùm viderent pauperes, pro eis orarent. Omnibus igitur indigentibus compatiebatur, desolatas consolabatur. Si qua soror propter mortem, ægritudinem vel aduersos casus amicorum lugeret, lugebat cũ ea, & eam confortabat. Quando videbat cæcos, claudos, aridos & alios morbidos homines, plorabat, & gratias agebat Deo, dicens: Gratias ago Deo, quia me talibus corporis vitiis & incommodis subiecisset, si ipsi placuisset.

Sedulitas in precibus

ORABAT assiduè, & à septimo ætatis anno vbicunq; videbat sorores orantes, accurrebat & orabat cum eis Omni IX.
tempore surgebat ad nocturnas preces, nec vnquam in vita sua ab illis, vel etiam à Missa & cæteris precibus horariis absens fuit, nisi grauis eam morbus impediret. Præueniebat omnes ad Ecclesiam: diuq; antequàm pulsaretur ad nocturnas preces, orabat ante lectum: & audito signo, reponebat se in lectum, ne sorores surgentes, eam ad lectum inuenirent orantem. Antequàm è strato surgeret, muniens se signo crucis, accipiebat crucem & osculabatur, oculisq; apprimebat, & portans eam secum, ibat ante altare sanctæ Crucis vel imaginem crucifixi, & ibi orabat cum lachrymis, donec sorores chorum intrarent. Post illas noctis absolutas preces vsq; ad auroram vel circiter, manebat in orationibus: & sic ferè tota nocte vigilabat & orabat. Ab aurora verò vsq; ad prandiũ auscultando Missæ sacrificio & orationibus vacabat, interim vsq; adeò silentij tenax, vt nulli vellet loqui, ne ipsis quidem parentibus, vel fratri aut sorori, aut eorum nunciis, nisi per Priorissam cogeretur. Contigit, vt soror eius veniret ad eam, asserq; caderet super caput orantis: at illa nec propter casum asseris, nec propter aduentum sororis, orationem interrupit. Captabat loca secreta ad orandum. Antequàm iret ad prandium, semper orabat priùs coram imagine crucifixi in domo capitulari. Post prandiũ continuè vel operabatur manibus vel seruiebat infirmis aut sanis, vel orabat. Nunquàm illi tædio fuit orare. Post cõpletorium manebat orans in templo donec ianua clauderetur: & sæpè quidem rogabat custodem, vt tardiùs ianuam clauderet, quò diutiùs posset suis precationibus immorari. Clausis verò ianuis, orabat in domo capituiari ante imaginem crucifixi. Postremò clausis omnibus ostiis, orabat ante lectum vsq; ad gallicinium: & tunc excitabat quandam sociam, & ducebat ad locum secretum, vbi se voluit eius manibus flagellari.

Nota statũ tantæ virginis.

ANTEQVAM somno se daret, ambulabat silenter per dormitorium, explorans si qua soror fleret, gemeret, vel rea- X.
liqua indigeret. Si quam indigam comperisset, prouidebat ei: & sic demùm ibat cubitum: quanquàm vix sciri poterat, num in lecto iaceret: nam expanso corio ante lectum, & lapide capiti suppositio, dormiebat. Intrabat autem lectum, cùm aliæ debebant surgere, vt ita semper in lecto iacuisse crederetur. In vigilia natiuitatis Christi mille orationes Dominicas & in vigilia Pentecostes millies, Veni sancte spiritus: & in quatuor vigiliis beatissimæ Mariæ virginis, mille angelicas salutationes, cum totidem sui prostrationibus dicebat: atq; in iisdem vigiliis tota nocte in templo vigilabat & orabat. In orationibus semper flebat. Habebat genas adustas profluuiis lachrymarum, quibus detergẽdis multa deterebat sudariola. Velum quoq; capitis adeò erat lachrymis madidum, ac si fuisset aquis intinctum. Propter assiduas prostrationes in cubitos & genua, vestes eius iis in locis erant laceræ: cutis itidem in genibus contrita fuit: & tandem creuerunt ibi calli instar testæ oui induratæ. Duabus septimanis ante Pascha occupabatur commemoratione Dominicæ passionis, cuius historiam sibi legi voluit vulgari idiomate, & exponi. Audiebat verò cum gemitib. & lachrymis: iisq; diebus semper vel stabat erecta, vel iacebat prostrata, nunquam sedens. Quandoq; in Dominica palmarum, dum passio in ecclesia legebatur, adeò commota fuit corde, vt omnes crederent eam subitò morituram. In die Parasceues ea hora, qua crux nudabatur, prostrata edebat magnos eiulatus, ita vt foris audiretur.

Gratia lachrymarũ.

Desiderium moriendi pro Christo

IN vigiliis quoq; martyrum curabat sibi legi & exponi passiones eorum, & illos imitari desiderans, dixit sæpenume- XI.
rò: Vtinam fuissem illis temporibus quibus seruebant persecutiones martyrum, & cum eis licuisset obire martyrium. Vtinam esset tempus alicuius persecutionis, vt martyrium pro Christo possem suscipere: vellem enim amore eius detruncari & comburi: & vt dolor duraret diutiùs, per membra singula laniari, & omni genere tormentorum excruciari. Laudabat specialiter virgines, quæ pro Christo sustinuêre martyrium, & earum in ferendis martyriis optabat si esset possibile, se fuisse participem. Cùm sparsus esset rumor, Tartaros aduentare in Hungariam, ait virgo martyrij desiderio: Orabo ne veniant, vti ne noceant populo Christiano: sed quantum ad me attinet, vellem iam venissent, vt manibus illorum martyr possem effici. Et quia mens eius ad cælum magno desiderio ferebatur, corpus etiam sequi volebat. Vnde non rarò in die sancto Parasceues, & omnium sanctorum ac Assumptionis beatissimæ Virginis vigiliis & solennitatibus, visum est corpus eius inter cælum & terram plusquàm cubiti spatio eleuatum: sicq; diù permanebat, nullis sensibus vtens corporeis, & quasi mortua videbatur.

Eius ecstases.

QVADAM vice in peruigilio omnium Sanctorum cùm oraret, subitò velut mortua cecidit, sicq; permasit, donec XII.
soror quæ illi aderat, totum psalterium tractim dixit: tum verò mortuam eam putans, strepitum & voces edidit sed nihil proficiens, alias vocans, mortuam esse dixit. Accurrebant illæ, & velut mortuam intuebantur. Tandem ad se rediit, seq; non nisi breui spatio ita fuisse aiebat. Quodam tempore cùm oraret, vocata septem vicibus, nihil audiuit. Octauò autem cùm vocaretur, quam primam illa vocationem putauit, demùm respondit. Cùm à precibus rediret, sæpè tanta in eius facie venustas relucebat, vt eam sorores adspicere non auderent. Quadam vice in aduentu Domini cùm oraret nocte, subitò rapta fuit in spiritu, & globus ac flamma ignis apparuit super caput eius: porrò soror ei assistens, crebrò vocauit eam: sed cùm non responderet, cucurrit ad templum, vbi multas sorores orantes inuenit. Accurrerunt illæ, diuq; ibi steterunt, & multos quidem faciebant strepitus, sed illa rapta in spiritu, nihil aduertit. Tandem quasi excitata, ad se rediit. Dixerunt ergo ei, quod ignis esset super caput eius: at illa eum manu discussit, rogauitq; vt

Nihil lædi-tur ab igne.

nemini dicerent, quod vidissent. Postquàm autem flamma disparuit, odor suauissimus in illo loco remansit. Deniq; ollam ardentem & tripodem ferreũ candentẽ, de medio ignis nuda manu sine læsione manûs extraxit. Accidit quandoq;, vt cũ alia sorore portaret in tabula panes fermentatos ad furnũ, mappula coopertos, eaq; soror timeret ventum validũ, qui iam suo impetu tectũ domûs Capitularis transtulerat in pomarium. Orauit ergò, & statim ventus cessauit.

CÙM frater quidam eius precibus nôllet acquiescere, vt maneret, & die crastino haberet concionem, orationibus XIII.
eius,

eius, nullo tangente, fractus est currus fratris, & sic coactus est remanere. Peracta verò concione, rogauit virginem, vt currum sibi restitueret. Orauit illa cum lachrymis, & statim currus, nullo tangente, sed multis videntibus fuit, diuinitus reparatus. Simile quiddam contingit etiam aliàs cuidam fratri, manere renuenti, Cùm enim vsq; ad villæ limites processisset, orante virgine fractus est currus, & eius absoluta concione instauratus. Item alius quidam frater ad preces eius manere nolens, vt concionaretur, vbi abscessit, cùm tempus esset mirè serenum, virgo, sicut ei comminata fuerat, orauit Deum, vt benè plueret, vt manere cogeretur vel inuitus: & statim tanta extitit pluuia, vt discedere non posset. Quodam tempore Danubius inundans, hortum sororum triduo inuasit. At Prior prouincialis Margaretæ hoc narranti non credidit. Erubescens verò illa, quòd mendax putaretur, rogauit Deum, vt ostenderet vera ipsam dixisse: moxq; inundans Danubius, in cœnobium & officinas sororum sese intulit. Itaq; sorores fugerunt in solarium, Priorq; prouincialis ad cœnobij murum ascendit, Durauit autem inundatio vsq; ad preces vespertinas. Tum verò Margareta rogata à sororibus, orauit Dominum, vt aqua recederet: statimq; recessit, & sub precibus nocturnis loca omnia adeò sunt exiccata, vt nullum vel aquæ vel luti vestigium ibi permanserit. Miraculũ. Danubii inundationẽ auertit suis precibus.

XIV. PVELLA quædam, missa ab ea nocte Paschæ ad quærendam eius tunicam, cùm esset nox obscura & ingens pluuia, cecidit in puteum profundum. Diu verò quæsita, non inueniebatur, donec orante sancta virgine, in superficie aquæ apparuit, & cum labore extracta est. Eius autem omnia corporis membra confracta & conquassata erant, carebatq; sensu & motu, & planè mortua videbatur. Improperabant itaq; virgini, quòd fuisset causa mortis eius. Orauit autem virgo beata cum lachrymis, & statim puella viua & sana, nullam habens læsionem, surrexit & ambulauit, prostrataq; ad pedes eius, gratias egit, & posteà multis superuixit annis. Cùm sorores quandoq; medicamenta apponerent cuidam ossi eius dilatatio, & quædã soror ea causa murmuraret, mox illa idem os similiter affectum sensit suo in corpore, donec ad virginem veniens, culpam edixit suam, & veniam postulans, verbo illius statim curata fuit. Soror quædam grauem patiens dolorem digiti, rogauit eam, vt si quam haberet gemmam, talis doloris expultricem, ipsi accommodaret. At illa strinxit digitum eius, & confestim dolor cessauit. Prior prouincialis rogauit eam, vt curaret socium suum fratrem conuersum à quartana febre, quæ illum vexârat à festo B. Dominici vsq; ad Purificationem beatæ virginis. Orauit ergò pro eo, & quamprimùm curatus est. Puellã mortuam restituit vitæ.

XV. CLARVIT etiam spiritu prophetiæ. Nam cùm rex Bela, pater eius, iuissit pugnatum contra ducem Austriæ, dixit reginæ matri suæ, regem cæso duce victoria potiturum: quod & factum est. Nouitiæ cuidam cogitanti de elegantia vestium & secularium ornamentorum, atq; hac de causa volenti redire ad seculum: quid cogitâsset, indicauit, sicque eam in arrepto proposito confirmauit. Quandam sororem animo dolentem, quòd seculo renunciâsset, ad sanam mentem reduxit, cùm totam cogitationis eius seriem ipsi exposuisset. Aliam iræ stimulis incitatam pacauit, eius cogitationes, quas animo voluerat, ei dicens. Aliam quoque ira commotam, nec seipsam tranquillare valentem, sedauit, causam illi aperiens, cur in eam perturbationem incidisset, & quid interim cogitâsset. Obitum quoq; suum anno vno antè præuidit & prædixit: & tandem * nona die Ianuarij, cùm sana esset corpore, multis præsentibus, dixit, die abhinc decima se morituram. Tertia verò die, postquàm ipsa prædixerat, febre decubuit, quæ vsq; ad diem, quem prædixerat, continua fuit: & interim semper orans, & de Deo cogitans, receptis deuotissimè Ecclesiasticis sacramentis, vbi ad extremam horam venit, incipit psalmum illum, In te Domine speraui. Et cùm dixisset, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, felicem animam transmisit in cælum. Obiit autem anno [a] Domini 1270. ætatis verò suæ 28. Porrò in Ordine vitam sanctam duxerat annis quatuor & viginti, vel circiter. Post transitum eius facies eius nimio decore resplenduit. Sub oculis color extitit aureus, nec vnquam pulchrior visa fuerat, dum vixit, adeò vt Archiepiscopus Strigonienſis diceret sororibus, non debere eas flere quasi mortuam, quę esset verè beata & cum Christo in gloria, & in cuius corpore resurrectionis insignia apparerent. Simul [b] etiam ex eius corpore manauit odor suauissimus, aromata superans vniuersa: isq; sensibiliter à cunctis eò aduenientibus percipiebatur aliquot non paucis diebus. Quartadecima quoq; die, cùm saxum rude fuit eius sepulcro impositum, & rursus post tres menses quando fuit tumba illi adhibita marmorea, is odor erupit. Nocte qua decessit, frater Petrus, lector Laurienſis, post nocturnas preces dormiens, audiuit in somnis vocem dicentem: Agna mortua est. Manè ille hoc dixit fratribus, & omnes interpretati sunt de obitu Margaretæ. Statimq; ad monasterium accessit, & eam illa nocte migrâsse comperit. Idem frater grauem dolorem dentium & tumorem in facie, quatuor dies & noctes passus erat. Noctis igitur principio orauit virginem Christi Margaretam, vt ipsum liberaret, promittens se diebus singulis in honorem eius genua curuaturum, si voti compos fieret: & ecce manè fuit penitùs liberatus. Multa quoq; alia miracula fecit & facit continuè in honorem sponsæ suæ sponsus virginum Iesus Christus Dominus noster, cui cum patre & Spiritu sancto est honor, virtus, potestas, & imperium, per infinita secula seculorum, Amen. Regis Belæ victoriã aduersus Fredericum Austriæ ducẽ prædicit.

* *Aut hic legendum est decima nona: aut in quibusdam martyrologijs lapsus est.*

[a] Moritur anno 1270.

[b] Odor suauiſ. ex defunctę corpore.

VITA GENTILIS SANCTISSIMÆ MVLIERIS RAVENNATIS, EX HIERONYMI RVBEI VIRI DOCTISSIMI DE GESTIS Rauennatum libro nono: quæ vtrùm à Paulo tertio, catalogo Sanctorum sit adscripta, compertum non habeo.

AN. 1490

I. SVB id tempus, quo ab Clemente septimo Cæsar insigni pompa coronam Bononiæ accepit Augustalem, Rauennæ [c] Gentilis decessit, Thomæ Iusti aurificis Veronensis filia, Rauennæ, ex Rauennati muliere nata: quæ cùm admodum familiariter & frequenter Margaritæ, [d] de qua supra diximus, consuetudine fuisset vsa, maximam sanctitatis opinionem contraxerat, * aucta in dies vita innocenter sancteq; agenda. Maritum habuit Iacobum Pianellam Venetum, sutorem: ex quo genuit filios aliquot, Leonemq; præsertim qui sacerdos fuit, eo autem persancto genere viuendi, mariti [e] odium ita vehemẽs sibi conflauit, vt ab illo non modo verbis asperis, contumeliaq; pleniſſimis, sed factis acerbis, publicisq; calumniis, ac verberibus multis, sæpissimè in ingentes calamitates præcipitaretur: quas tamen ea animi moderatione, itaq; tranquillè semper tulit, vt Margaritæ magistræ, omnia diuinitùs cognoscenti, atq; quo modo se haberet sciscitanti, responderet: habere se multo melius, quàm mereretur. Quo factum est, vt assiduis à Deo precibus tandem aliquando mariti in melius commutatos mores impetrauerit. Tanta fuit in eos, qui illam iniuriis ignominiisq; afficientes, multi semper fuêre, bonitate & beneficentia, vt prima illos ad iram odiumq; deponendum, conciliandamq; inter se concordiam, blandis verbis inuitaret. Egentes maxima semper misericordia prosequens, cum postulantibus præbere non posset, (pauperem enim amabat & sectabatur) illachrymans mirifico simul afficiebatur dolore. Plurimis sanitatem corporis, ad[f] mirabili euentu, precibus à Deo impetrauit: animiq; curas & molestias sermone leuauit. Cogitationes, intimosq; animi sensus, Deo indicante cognoscebat: vti locupletissimi testes accessêre Antonius Monuetulus, & Zacharias Pedercinus: dum iussu Pauli tertij Pontificis, anno sesquimillesimo trigesimo septimo, mense Maio, Ioannes Franciscus Petittus, Rauennæ Moderator, de huius & Margaritæ vita, miraculisque (vti supra memorauimus) quæstionem habuit:

28. IAN.

[c] S. Gentilis parentes & patria.

[d] Ianuarij scilicet 13.

* *auctam in die vita.*

Multis afficitur à marito iniuriis.

[f] Plurimos ægros precib. sanat.

buit: in qua Paulus Vegius Rauennas, Episcopus Casensis, se Margaritæ & Gentilis precibus, cum iam ad cælestis vitę præmia vocatæ essent, animi tranquillitatem, corporisq; sanitatem, ex grauissimis morbis sæpius obtinuisse, scribit. Plures etiam ex Canonicis regularibus Lateranensibus, vt Seraphinus Acetus Firmanus, (qui de harum sanctissimarum mulierum vita libellum, typis excusum, edidit) Michael Foro Cornelianus, & Marcus Antonius Venetus, Gentilis rogatu ac precibus, summas à Deo virtutes, ipsamq; præsertim castitatem se fuisse adeptos testantur: adduntque multos se nouisse Venetiis, Ferrariæ, Lucæ, aliisq; ciuitatibus atq; oppidis, quibus cùm Margaritæ & Gentilis suffragium flagitassent, munera à Deo mirabilia acciderint.

Hunc librū necdum vidimus.

SCRIBIT Monuetulus, vir doctissimus ac grauissimus, iuratusq; in hac quæstione testis, cum nocte quadam acriter II.
à dæmone illius oppugnaretur castitas, se protinùs è lecto surgentem, ad Deique opem confugientem, fuisse liberatum: postridieq; mane, cum ad Gentilem adiisset, illam vniuersam oppugnationem narrasse, affirmasseq;, precatam se fuisse Deum, vt illi victoriam præberet. Sępius item, cùm multi adessent, cuiuslibet peccata diuinitus ab eadem cognita & castigata sunt, quod ipse sæpuis sensit Monuetulus. Multa insuper vaticinata est, tametsi id ægrè admodum faceret, nec affirmanter, neq; enim visis, quę sibi frequenter diuinitus obiiciebantur, facilè credebat. Vt[a] autem multa quæ prædixit, omittam, illud non inuoluerim silentio, quòd Rauennate prælium, vrbisq; direptionem sigillatim prænouit, asserens, è remotis locis multos ad diripiendam Rauennam accedentes, se intueri: cum verò Hieronymus Malusellus eam hortaretur, vt saluti fuga consuleret, id ipsa renuens, si erant aduersa ob peccata ferenda, se quoque multa peccasse, & in dies peccare affirmabat. Pridie verò quam ob factiones magna cædes Rauennæ committeretur, sibi è D.[b] Iohannis Euangelistæ redeunti, vas plenum sanguinis ostensum cælitus est, audiitq; vocem, quæ illud acetarium futurum asseruit: Cùm etiam Borbonius per Æmiliam vagaret, Romam contendens, ipsa in cubiculo, nonnullis comitata, cum esset statim pallida facta, & tanquam territa, passis crinibus mulieres sibi ostensas, hominum neces, cruoris magnam effusionem, atq; huiusmodi multa, quæ in vrbium direptionib. solent contingere, affirmauit: quod non diù post verum fecit ipsa Romæ miserabilis clades.

Nouit Deo inspirante occulta hominum peccata.
[a] Prædicit subuersionem Rauennæ vrbis.
[b] Visio eius.

HOC loco Hieronymi Malusselli testificationem libenter posuerim, viri sanctissimi, atque illius contubernalis, III.
quiq; illi à confessione ad expianda peccata, quam quotidie ferè faciebat, adfuit. Hic igitur cùm admodum adolescens multa de Gentilis sanctitate acciperet, &, vt iuuenes solent, sperneret, hortante sorore ac penè impellente, ad Gentilem se, non absq; ingenti metu, contulit: iam enim quartum annum abstinuerat confessione de peccatis. Domum ingressus, statim maximum percipit odorem, ad eamq; accedens, breui ità eius præceptis & admonitionibus iustitiam & pietatem est edoctus, acieq; mentis illustratus, vt aliam statim vitæ conditionem, alios mores ingressus fuerit. Tres interim effluxere anni quibus frequenter ad eam venire consueuerat, audiebatq; illam Deum precantem, vt sibi sacerdotem concederet, quo cum arcana cordis communicaret: nec diu post Hieronymus in animum induxit, sacerdotem fieri: sed quò magis ad eum sacrosanctum ordinem accedebat, eò cordis dolore quodam penè intolerabili magis afficiebatur: quo tamen Gentili patefacto statim exhilaratus est animus, & inanis timor ac solicitudo pulsa. Sacerdos iam factus, cum Cæsenæ in cubiculo solus mysteriorum arcana verba recitaret, & cubito supra sacrum librum innixus, manu ad genam admota, ea consideraret, statim ex sublimi in faciem adeo vehementer rictus est, vt sui vix esset compos, nullum tamen dolorem sensit: confestimq; erectis oculis, iuxta se mulierem nigris indutam vestibus conspexit: quam Gentilem, aut Margaritam suspicans, Rauennam, inquit, proficisci animus est: aut enim Iacobus Gentilis maritus est mortuus, aut supremam agit animam. Itaq; Rauennam cum venisset, postridiè eius diei Iacobus vita decessit: Ipseq; Hieronymus, haud ita multò pòst, Gentilis, Leonis, & mulieris cognatæ, quartus accessit contubernalis, vbi decem & nouem annos, vita sanctè degenda, perpetuo vixit. Gentili assiduè multos dolores, eosdemq; magnos, patienter atq; hilari semper vultu, ferente: cùm tamen corpus etiam castigans, diebus Mercurij, Veneris, & Saturni, semel tantùm, sacræ inediæ causa comederet, omnibusq; Dominicis diebus festis Hieronymus illi diuinam ac sacrosanctam corporis Christi Dei hostiam communicaret.

Peccatorē suis admonitionibus conuertit.
Vir suus vita fungitur.
Abstinentia eius.

ANTEQVAM diem obiret suum illum, sæpè Hieronymo Malusello prædixerat. Tandem verò hærede illo facto IV.
ex asse; erat enim Leo filius præmortuus, iussit, vt domum suam in templum erigeret: iaceret fundamenta, reliqua Deo committeret, futurum enim, vti non Rauennates, sed exteri opus iuuarent. Itaq; ad quintum Calendas Februarias nocte insequenti, ad extremum sacro oleo vncta, morte minimè dissimili ab ea, quam innocenter egerat, vita, nono & quinquagesimo ætatis anno, diem supremum clausit.

Prædicit suo confessario diem obitus sui.

QVONIAM vero nimis longa sumeretur oratio, si quæ post mortem admirabilia munera sunt, eius apud Deum V.
rogatu: impetrata, narrauerim, hæc omittens, ad Hieronymum Malusellum venio, qui cum neque aureos nummos decem haberet, verbis tamen Gentilis magistræ impulsus, fundamenta templi iacit: & quod mirum est dictu, plurimi accurrentes, ita iuuêre, vt breui fuerit templum extructum, in quod quingenti ampliùs nummi aurei impensi sunt: quorum trecentos Carolus in Neapolitano Regulus, quem nos virum nouimus, fuimusq; superioribus annis allocuti, donauit. Is enim cum in Gallia, quò se amisso imperio receperat, de quodam sacerdote accepisset, Rauennæ sacerdotem planè sanctè viuere, & templum exædificare, diuino spiritu impulsus, Rauennam è Gallia venit, Diuæ Mariæ Lauretanæ templum toto orbe ingentibus miraculis celeberrimum, inuisurus, inuentoq; Hieronymo, aureum tradidit torquem, vt, quod iam angustum ædificârat templum, amplificaret, & sacellis additis, exornaret: quod & factum est. Quibus peractis, aliquot sacratis viris probis ac religiosis, in quibus Simon Crespolus Rauennas maximè enituit, secum iunctis, collegium instituit, titulo Boni Iesu, ac Diuæ Margaretæ adiecto, anno à partu virginis trigesimo secundo supra millesimum quinquagesimum, quod posteà Paulus tertius Pontifex Maximus insequentibus approbauit: Iulia etiam Sfondra, nobilis ac religiosa mulier, vidua, Mediolanensis, quæ Mantuæ ex Piccinardata familia maritum habuerat, annuam certam pensionem, pecuniæ illi consociationi cùm tribuisset, multum rem ipsam iuuit, magnificasq; ædes proximas templo, & nonnullos etiam fundos comparauit.

Feliciter obit.
Ex domo S. Gentilis tēplū extruitur.
Anno 1532 eius ecclesia fit collegiata, titulo Boni Iesu, & S Margaretæ.

AN. 50. *VITA S. VALERII TREVIRORVM EPISCOPI, EX M. S. CODICE DESCRIPTA. AVTHOR GOLSCHERVS TESTATVR alibi, se post excidium Treuericæ vrbis inter relictos cineres hæc & quædam alia in chartulis scripta reperisse.*

29 IAN. POST venerabilē obitum beatissimi Eucharij, Treuericæ ciuitatis Archiepiscopi, sanctus Valerius in mi- I.
nisterium sacerdotale successit, illudq; per quindecim annos sanctè viuēdo, & verbum vitæ prædicando, probatissimè rexit: In quo videlicet temporis spatio multos ad Dominum populos, signa magna & stupendā prodigia exercendo, conuertit, & ad agnitionem Catholicæ fidei salubertima instigatione perduxit. Qui etiam tam studiosissimè verbo prædicationis instabat, vt iam tunc penè per Galliam & Germaniam Christiani paganos & numero superarent & religione. Erat namq; doctrina eius singulis congrua, cunctisq; audienti-

Multi conuertuntur ad fidem Christi.

audientibus dulcis & gratissima: vnde ob mellifluam sermonis eius facundiam, vndiq; ad eum populi confluebant, & saltem aliquod verbum ex ore eius audire cupiebant.

QVANTVM verò ad proprios mores pertinuit, vt breuiter narrem, fuit cogitatione mundissimus, verbo vtilis & discretus, operatione nihilominus irreprehensibilis & præcipuus: ac sic per actiuam vitam singulis cõpassione extitit proximus, vt tamen præ cæteris contemplatione esset suspensus. Et in hac contemplatione positus, non deserebat fraternam condescensionem vitæ actualis, nec etiam in actione submissus, recedebat à sublimitate contemplationis. Quiq; salutaria monita sui magistri recto tramite sequens, Euangelicum triticum Dominicæ familiæ fideliter dispensauit, & credita sibi talenta spiritualibus augmentis quotidie multiplicauit. Cùm verò his profectuum gradibus vsque ad venerabiles canos peruenisset, & iam consummatio sui cursûs appropinquaret: quadam nocte apparuit ei beatus Eucharius per visionem, dicens: Tempus iam instat, frater Valeri, resolutionis tuæ, & parata sunt tibi gaudia retributionis æternę. Patet enim tibi ianua regni cælestis, quam post hanc horam quinto die gratulabundus ingredieris & de concessis Domini tui beneficiis sine fine lætaberis. Quapropter Maternum, agonis nostri cooperatorem, tui officij successorem constitue, illumq; de visitatione nostra ante diem sui exitûs certissimum redde. Et hæc dicens, recessit. Euigilans autem sanctus Valerius, mox visum somnium beato Materno cæteriq; fratribus, qui præsto erant narrauit, & eis diem obitûs sui lætissimo vultu instare prædixit. Sequẽti verò die venerabilem Maternum ad sacerdotalem gradum prouexit, & eum de studio commissi ministerij diligenter instruxit. Cumq; per prædictum spatium, ob famam depositionis eius aduenientes, fideles verbo salutiferæ admonitionis de exercitio sanctæ conuersationis instanter instrueret, & eos ad salutem animarum suarum dulciflua exhortatione paternisq; visceribus incitaret: illucescente iam quinto die, oratorium ingressus, viaticum, quod ipse consecrauerat, accepit: & post hæc extensis inter discipulorum manus membris sacris, 4. Kalend. Febr. spiritum reddidit cælo. Cuius corpus colligentes discipuli, sacratissimo corpori sancti Eucharij coaptauerunt, & in eodem sarcophago cum diuinis laudibus condiderunt. Quod superna dispositione actum esse credimus, vt quorum vna mens semper in Domino erat, eorum quoque corpora nec sepulcrum ab inuicem separaret.

Eius virtutes.

Luc. 12. Matth. 25.

S. Eucharij appacet.

Accipit viaticum. Decedit, anno Christi 90 vt habet Codex Aureæ. Vallis Ægidij.

S. CONSTANTII EPISCOPI PERVSINI ET MARTYRIS VITA, EX VETVSTISSIMIS EXEMPLARIBVS, QVAE PERVsiæ, partim in Ecclesia Cathedrali, partim in ædibus S. Petri asseruantur, collecta, nulla planè re addita, quibusdam verò ob nimiam longitudinem detractis: stylo quidem certè, vt eleganti pioq; lectori gratificemur, prorsus immutato opera Iohannis Andreæ Palatij, Eugubini.

AN. 150.

I. SANCTVS Constantius Perusius ciuis, simul & Episcopus, è nobilissima Barciorum familia ortum duxit. Vir autem fuit tanta animi cõstantia, fide, ac pietate præditus, vt eius sanctitas quasi quædam gẽma inter cæteros homines eluceret, amabat humilitatem, fugiebat gloriam, respuebat honores, Christum Iesum, eiusq; Crucem cunctis visceribus amplexabatur, nec quicquam habebat antiquius, quàm vt Deo placeret, proximumq; iuuaret. Quamobrem multas pecunias erogabat in pauperes, & semetipsum per singulos dies immolabat hostiam viuentem, nam & carnem ipse perassiduè coërcebat, & pro fide Christi, prædicationeq; veritatis multas iniurias non solùm patienti, sed etiam gaudenti animo sustinebat, cupiens pro nomine Dei sui mortem quoq; oppetere, & martyrio consummari: quod & factum est. Siquidẽ, diuino numine ipsius votis annuente, in persecutione, quam in Christianos Marcus exercuit Imperator, post verbera & carceres, post ignes, variosq; cruciatus, quos pro fide libenter excipiens superauerat, capite à ceruicib. abscisso, in cælũ euolauit. Huius beati viri actiones, multiplices pœnas, & ipsum deniq; martyrium, quantum feret ingenij mei imbecillitas, scribere instirui, quô faciliùs religiosus populus in tanta solennitate sui Antistitis inueniat, quib. opportunè laudibus possit eum celebrare: nec tamen vniuersa tanti Patris decora, virtutes, ac miracula, totiusq; vitæ sanctitatem stylo nostro persequemur, sed quædam duntaxat percurremus, quæcunq; posse putabimus pij lectoris tum animum ad ipsius virtutes imitandas impellere, tum ingenium ad coniecturam de cæteris eius præclaris facinoribus faciendam excitare.

S. Constantij patria & genus & Virtutes.

Desiderium obeundi martyrij

II. IMPERANTE igitur Antonino, cui Pio cognomen erat, florebat Perusiæ Barziorum familia, & opibus affluens, & generis nobilitate admodum clara, sed multò eo quidem insignior, quòd erat Christi nobilitata insignibus. Ex hac B. Constantius veluti odorifera cedrus è regali viridario nascitur. Natum autem infantem parentes eius curant omni studio ac diligentia educandum, ad idq; potissimum incumbunt, vt eum sana Christi fide imbuant, & assuefaciant, humilem esse, patientem, misericordem, castum in omni timore Domini, ab omni gentilium puerorum, quorum quidem plena erat ciuitas, consuetudine ipsum reuocantes, ne diabolica gentilium zizania, triticum pietatis & fidei in agro Dominico satum, pueri videlicet sacro pectore, suffocarent. Literis post hæc tum humanis, tum verò sacris eruciendum doctissimis præceptoribus tradunt.

Barziorum nobilitas

S. Constantij educatio & disciplina.

III. SED cùm iam adoleuisset, & parentes eius ex hac vita excessissent, cœpit, vt erat benè institutus, militare Domino optimam militiam, affligebat nimirùm & domabat carnem suam quotidianis ieiuniis, longis vigiliis, & omnibus veræ pietatis officiis. Non illi frequentia pocula, non lauti apponebantur cibi, & delicati: sed vix post longa tandem ieiunia cum pauperibus frugalissimæ mensæ viliissimum cibum sumpturus assidebat. Fidem sanctam, quam totis visceribus hauserat puer sanctus, piis ac religiosis operibus & perfectæ charitatis muneribus excitabat quotidiè, & augebat. Diuitiarum à parentibus sibi per manus traditarum, maluit dispensationem quàm possessionem suscipere: siquidem eas Christi pauperibus promptè largiebatur esurientes pascendo, nudos vestiendo, & cuilibet indigenti adiumentum præstando. Crescebat itaq; indiès vir beatus sicut ætate, ita magis ac magis constantia animi & virtute. Castus erat tum corpore, tum mente, dulcis in sermone, mitis, atque humilis corde, amabilibus moribus ac suauissimis exornatus, & iam tum boni pastoris bonam indolem præ se ferens, & perfecti Christiani specimen exhibens, suspiciebatur ab omnibus, singulariq; studio à cunctis fidelibus colebatur.

S. Constantij parsimonia.

Largitas.

Castitas & mansuetudo.

IV. ECCE autem moritur interim patriæ suæ Episcopus, & cùm non deessent alij fortasse digni, quibus munus illud committeretur, populus tamen & Clerus vniuersus vnum spectant Constantium, cuncti vno ore Constantium conclamant Episcopum: nemo enim non videbat eius generis fore B. Constantium, qualem describit Apostolus oportere Episcopum esse, sine crimine videlicet, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non pecussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. His itaque & huiusmodi diuinis donis insignitus B. Constantius Perusinæ ciuitatis eligitur & consecratur Episcopus, annos natus circiter triginta, vt videlicet eo suæ ætatis anno auspicaretur muneris Epi-

Perusiæ Episcopus renũciatur. *Tit. 1.*

Episcopus cõsecratur annos natus triginta.

Ex. 1. Luc. 3.

scopalis functionem, quo & diuinus propheta Ezechiel auspicatus est prophetiam, & Christus ipse Iesus cœpit docere

docere ac prædicare, vt in ipso annorum quoq; numero, qui tribus denariis constat, innueretur fore, vt vir sanctus præceptorum Dei simul & indiuiduæ Trinitatis prædicator existeret, & cultor eximius. Ad id autem munus peragendum aggreditur homo Dei, non veluti arrogans quidam atq; insolens, sed quasi mansuetissimus agnus. Omnibus ex-

Episcopalis muneris functio.

exhibebat eam veræ humilitatis speciem, eamq; morum mansuetudinem, quam & priuatus præ se ferre consueuerat: vigilantior omninò in precando erat, ieiuniis, ac cæteris rebus, quæ carni frænandæ expediunt, maiori assiduitate vacabat, pascebat gregem suum trino illo ferculo, de quo pastoribus Ecclesiarum præcipit Iesus in Apostolo Petro, cùm dicit illi semel, iterùm, ac tertiò, Pasce oues meas, cibo videlicet corporali, prædicatione verbi Dei, & saluberrimo vitæ, omni prorsus culpa carentis, exemplo.

Ioan. 21.

Beneficentia in pauperes.

Matth. 4.

ERAT enim primò in dandis eleemosynis profusior, quàm ante Episcopatum adeptum, vsqueadeò vt domus eius refugium esset pauperum, ac veluti penu quoddam inopum videretur. Deinde fidelissimus Pastor, cum optimè cognosceret, non in solo pane viuere Christianum hominem, sed in auditione potiùs doctrinæ cælestis, & in omni verbo quod procedit de ore Dei, instituebat populum suum in his omnibus, quæ ad euangelicam spectant pietatem, docens illos salutaria Ecclesiæ sacramenta frequentare, beneficia Dei crebrò meditari, æmulari charitatem, possidere

V.

Ephes. 4.

pacem, atq; illud inprimis monens cum Apostolo, vt omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tolleretur ab eis cum omni malitia: essent autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem. Tertium deniq; illud ferculum, quo suum pascebat populum S. Constantius, bonus erat odor suæ vitæ, quę, quasi speculum quoddam perfectionis, elucebat omnibus. Præditus siquidem erat sacerdos sanctus tanta integritate, fide, & sanctimonia, vt admirabilis vita illius, quam ante Episcopatum agebat, flos fuerit lectissimus: hæc verò posterior fructus

Sua prædicatione multos gentiles ad Christi fidem conuertit.

extiterit vberrimus. Ad hæc autem vir beatus, tanto mentis feruore, tantaq; vi & scientia verbum fidei prædicabat gentilibus, quorum ciuitas plena erat, vt multi eius opera ad Christi fidem sese conuerterent, ac salutari abluti baptismatis vnda, relictis idolis, viuum & verum Deum colerent.

DVM autem populum sibi commissum, multo consilio, multaq; sapientia gubernat, & ipse quotidie virtute cre- VI.
scit & gratia apud Deum & homines, nomen eius in omnes finitimas regiones perfertur ac celebratur: mirari omnes doctrinam hominis suspicere virtutes, obstupescere miracula, quæ per beatum Pontificem fiebant quotidie: quæ cùm multa sint & præclara, decreui tamen, ne longior sim, vnum tantùm & alterum attingere, ex quibus possis, quę & quanta fuerint reliqua, facilè coniicere. Erat id temporis mulier quædam Attasia nomine, hæc cùm multos iam annos charissimo oculorum sensu careret, audita S. Constantij & vitæ integritate, & miraculorum edendorum virtute

Cæca mulier ad eius se pedes abiicit, opem poscens.

planè diuina, non dubitauit, ardenti fide, ac spe impulsa, ad eum accedere. Adit, ad pedes hominis sanctissimi sese proiicit, verbum sanè nullum, sed lachrymarum vim magnam cum singultu profundens. Hanc intuitus Episcopus, qua erat benignitate, iubet statim assurgere, fletum comprimere, & animi sui sensum fidenter aperire. Vnde illa recreata, cùm se collegisset, Calamitatis meæ, inquit, Domine, miserere, nam mulier infelicissima ego sum: plures iam annos vsum oculorum amisi, nec possum vllam partem huius suauissimæ lucis aspicere, neq; verò queo vllum tanto malo remedium inuenire: non carmina, non medicorum solertia, non ipsi deniq; dij, deæq; omnes, quibus sæpè vota feci, opitulati sunt. Te autem nunc adij, spei meę extremum solatium, vt per te merear tandem aliquando reportare salutem. Rogo te primùm per illa admirabilia rerum signa, quæ passim efficis, quibus & ipsa confisa huc ad te veni, rogo deinde per Dominum Deum tuum, & obtestor, vt velis me tuarum virtutum principem facere, ne graueris & in me miraculum promere, lumen oculorum cæcæ restituens.

TVM S. Constantius, qui cerneret, mulierem non solùm oculorum, sed etiam mentis lumine esse priuatam, quip- VII.
pe quæ gentilis esset, & idololatra, cupiens vtriq; malo vno & eodem tempore mederi, sic eam affatus est: O mulier, si, spretis idolis, quorum vis ac virtus (quod in teipsa experiris) nulla planè est, inducas animum, credere in Dominum meum Iesum Christum, is tibi verè possit, pulsus tenebris, simul & corporis & mentis oculos aperire, aditumq; ad vi-

Marc. 10.

tam æternam patefacere. Illa verò, Fac, inquit, domine, vt videam: iam credo Deum tuum, Deum esse verum. Hîc demùm vir sanctus flexis genibus hunc in modum non sine lachrymis precatus est: O fons omnis lucis, Domine Iesu

Ioan. 1.

Christe, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aperi, obsecro, huius mulieris oculos tum mentis, tum corporis, vt, dum viderit creaturas, te magis ac magis celebret creatorem, simul & sentiat redemptorem. Peracta huiusmodi precatione, confestim restituta est mulieri lux optatissima. Quod illa exultans, prostrata ad pedes viri Dei, hæc dicitur verba protulisse: Benedictus Deus tuus, ô Constanti, qui mihi desideratũ lumen reddidit: Benedictus & tu dignus ipsius minister, per quem tantum mihi boni contigit, valeant iam dij gentium, opera manuum hominum. Vnum iam ego quidem Deum viuum ac verum agnosco, hunc humiliter adoro, huic me totam tra-

Attasiæ S. Constantij precatione oculorum sensus restituitur.

Sup. 15.

do, atq; addico, licet iam me, vir Dei, huius militiæ adscribas, salutifero obsignans signo. Tum[a] verò B. Constantius nullam moram interponendam putauit, quin eam baptizaret, itaq; duplici morbo liberatam dimisit.

[a] Attasia à S. Constantio baptizatur.

SED iam iam tempus est, vt ad alterum non minùs insigne miraculum explicandum aggrediamur. Fuit per idem VIII.
tempus Perusiæ vir, cui nomen erat Crescentius, hic erat vtroq; pede ita contractus, vt ad poplitem sursum vtraq; plãta retorta verteretur: quam ob rem non modò ambulare, sed ne baculo quidem innixus stare poterat. Quòd si quando vellet domo egredi, & vsquàm discedere, grabato ei aut lectica vtendum erat. Is igitur cùm accepisset fama, S. Cõstantium varios morbos, nullis carminibus, nullisve adhibitis medicinis, protinùs curare, sperans posse eum, si vellet, sibi quoq; opem ferre, curat se ad illum deportandum. Quò perductus, hominem Dei multa cum prece, multis cum lachrymis precatur, ne grauetur, vt alios quamplurimos sanârat, item sibi suorum pedum rectitudinem ac firmitatem restituere. Huius calamitatis misertus vir benignus & sanctus, oculos pariter ac manus in cælum cùm sustulisset, hũcin modum precatus est: Domine Iesu Christe, qui viuificas omnia, & vniuersa restauras, confracta alligans, & infirma consolidans, redde, quæso, huic tuæ creaturæ rectum membrorum situm, atq; vsum, vt cognoscat, te solum Deum esse verum, qui mirabilia facis. Vix erat pater sanctus talia fatus, cùm ecce super infirmum lux magna è cælo delabitur: qua

Crescentio S. Cõstãtij precib. pedũ sanitas restituitur.

ille perterritus, contremuit, & quàm potest maxima voce clamat: Constanti, Constanti, succurre misero. Cui ille, Res benè habet, frater: ne timeas, bono animo esto. Deniq; abeunte luce, apparuit vtrunq; hominis pedem suum in locũ reductum esse, & robur obtinuisse firmissimum, quo factum est, vt nullo iam vsus adminiculo, Crescentius, continuò exiliret è lectica, & ad pedes B. Constantij summa religione prostratus, aquam afferendam curaret, baptismum magna pietate flagitans. Hîc vir sanctus præ nimia cordis lætitia lachrymas continere non potuit, nec vllam interposuit moram, quin hominem ex ritu Ecclesiæ baptizaret. Hoc sanè admirabili facto commoti [b] Gentiles, ad Christi fidem passim confluebant, vt eo ipso die ad centum viginti baptismatis sacramentum à B. Constantio acceperint.

[b] 120. Gentiles, vno die à S. Constantio baptizantur.

QVO rumore magna fortasse ex parte concitatus Marcus [c] Antoninus, qui Antonino itidem, sed pio impius suc- IX.
cesserat, statuit Christianos acerrimè persequi. Cùm igitur alios aliò, tum verò etiam Perusiam Lucium Consulem cum hoc mandato mittit, vt quoscunq; intelligat CHRISTI fidem profiteri, hos cogat gentium deos colere: qui id facere recusent, eos omni supplicio excruciatos, necet. Lucius ergò illuc profectus, Cæsaris edictum cum [d] Carisio, qui erat illius ciuitatis Præses, statim communicat. Is verò cupiens Imperatoris voluntati ob sequi, suos iubet milites per vrbem, & per agrum totum discurrere, & quoscunque Christianæ sectæ homines inci-

[c] M. Antonini persecutio in Christianos.

[d] Carisius Perusiæ Præses.

incidant,hos vinctos ad se,& ad Consulem quamprimùm adducere Hæc generatim,separatim verò contra B. Constantium,cuius opera ac virtute sciret multos quotidie Christianos fieri,præcipuè exardescens,mandat eisdem, vt inprimis Episcopum ipsum diligenter perquirant,& vinculis constrictum,ad se pertrahant.Illi igitur mali Præsidis pessimi ministri,cùm cæteros,tum potissimùm S.Constantium omni studio inuestigant: demùm cùm audîssent, solere eum apud Crescentium,quem sanitate donârat,frequenter esse,domum illius adeunt,fores perfringunt, inuadunt, atque ibi sanctissimum virum vna cum Crescentio,pias effundentem preces, inueniunt, comprehendunt, vinciunt, vinctos ad Consulem & Carisium statim perducunt.

X. Quos cùm vidisset Lucius Consul,Bonorum,ait ciuium officium est,suorum Principum mandatis parere cùm cæteris in rebus,tum præsertim in his,quæ ad deorum cultum pertinent. Cùm igitur Romani Imperatoris pietas, & Senatus integritas iampridem decreuerit,vt ab omnibus,quicunq; sui sint imperij, honos debitus diis immortalibus habeatur, satis mirari non possumus, cur vos, vt audimus, spretis gentilium diis, Iudæum nescio,quem colatis, quẽ nemo ignorat obscurum fuisse hominem, & quòd diuinum sibi nomen arrogaret,à suis crucifixum esse, itaq; vitam cum morte non sine ignominia commutasse. Cupimus igitur à vobis ipsis,quænam sit vitæ vestræ conditio,audire, & an parati sitis ex Imperatoris decreto crucifixi cultum deserere,& his,qui verè sunt dij,offerre libamina.Huic B. Cõstantius audacter,Deo confisus,hunc in modum respondit:Vitæ nostræ conditio,ô Consul,hæc est,vt omni tempore seruiamus ei,cui seruire regnare est,Domino nostro Iesu Christo. Imperatoris autem decretis hac quidem in re obtẽperare nec possumus,nec volumus: neq; enim rationi consentaneum est,vt posthabito creatore nostro ac redemptore,Deo viuo & vero,sequamur eos,qui non sunt dij,sed vere dæmonia.Tunc Lucius Consul iratus,Ergò vos,ait,adeò impudentes estis ac dementes,vt nec præsentiam nostram,nec deos ipsos vereamini? Ite iam,diis nostris sine mora sacrificia facite.Nos verò,B.respondit Constantius, elementa huius mundi, quæ hominum causâ condidit Deus, non adoramus.nec illis vnquam in animũ inducerimus immolare: sed certum est nobis ac deliberatum, omnem cultum & honorem ei tribuere,qui & elementa,& cælum terramq;,& omnia quæ in eis sunt, inexplicabili sua sapientia creauit è nihilo.His illi auditis,iracundia magis magisq; accensi,iubent sanctissimi viri corpus,videntibus cunctis,qui aderant.Christianis,loris cædi.At ille in mediis flagellis non desistebat glorificare Dominum, & vnà cum diuino vate psallere: Confitebor Domino nimis in ore meo,& in medio multorum laudabo eum,qui astitit à dextris pauperis, vt saluam faciat à cædentib.& flagellantibus animam meam.Hic eum interpellans Lucius,Missa isthæc facito,miser, ait, abnega Christum,& magicas artes deponens,sacrifica diis.Cui vir sanctus,Artes magicas ego quidem ignoro, inquit, nec illas vllo modo probo: meum verò Christum, cùm sit verus Deus,non negabo in æternum. At Consul simulacrum Iouis afferendum curat,& ad Episcopum conuersus,Respice iam,inquit,& sacrifica magno deo Ioui.Beatus verò Constantius subridens, ô Luci, ait, cùm te prudentem virum & eruditum celebrent pleriq;, tamen non erubescis diuinitatem tribuere ligno,quod certe formam hanc nõ haberet,nisi manus eam effecissent artificis, qui & scamnum, si libuisset,ex eodem facere potuisset.

S Constantius vinctus ad Lucium Consulem deducitur.

Præclarè respondet Consuli.

Psal.95.

S.Constantius loris cæditur.

Psal 108.

XI. Hic visus est Consul pudore quodam perfundi: quod cernens Carisius, simul & intelligens, Episcopum nec minis posse,nec verberibus flecti,iubet hominem abduci,& vnà cum Crescentio cæterisq; Christianis in thermas multò,quàm mos esset,ardentiùs calefactas includi. At illi signo crucis cùm se munissent, nulla sunt penitùs molestia caloris affecti,sed læti gaudentesq; Deum glorificabant concinentes, Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus,qui sicut olim tribus pueris mitigauit flammas ignium,ità nobis hodie famulis suis balnei huius feruorem mitem reddidit. Dum autem illic asseruantur,eccè quadam nocte splendor magnus totum locum illuminans, in eos è cælo effunditur: quem cùm milites loci custodes viderent, stupentes dicebant inter se: Certè fides, quam tenent homines isti,vera est,& verus Deus Christus,quem prædicant, ac statim intùs ruentes, ad pedes beati Constantij sese proiiciunt,& sanctum ab eo baptismum postulant: quo impetrato,domum quisque suam profectus,id,quod factum erat,suis significant.Deniq; vxores & filios eodem deducunt,numero ferè [d] quinquaginta: quos omnes pius Episcopus ritè baptizatos,suo restituit creatori ac redemptori.

In thermas includitur cum aliis.

Psal 71.

Dan 3.

Carceris custodes conuersi baptismum a S. Constantio impetrant.

[d] 50. Gentiles baptizantur.

XII. His peractis,milites B.Constantium rogant, vt velit vnà cum suis è thermis egredi, & commodiorem aliquem in locum se conferre,quò melius possit ipsos,in fide adhuc rudes,Christianis institutis imbuere. At ille,Pugnam,aiebat, quam iamdiu desideratam,nunc tandem nactus sum,subterfugiam? Non equidem id faciam: hic statui pro fide, & pro Deo mori.Milites contrà,idem ab eo etiam atq; etiam cum lachrymis expostulabant, dicentes, posse eum de seipso securo animo esse,quippe cui certa reposita sit corona iustitiæ debere autem ipsis tanquam nouis Christi militib. omni ratione consulere, ne fidei semina, quæ nuper in ipsorum corda sparsisset, perirent. His demùm,& huiusmodi precib.permotus Episcopus,è balneis,atq; etiam ex vrbe cum aliis omnibus egressus, venit [a] Monticellum, ibiq; aliquot dies apud Anastasium virum sanè humanum ac pium commoratus, quos baptismatis insignibus ornârat, eosdem,omnia quæcunq; ad veram Christi militiam pertinent,diligenter edocuit.

S. Constantius è balneis egressus.

[a] Monticellum venit.

XIII. Interea Lucius & Carisius omnium,quæ acciderant,certiores facti,alios milites,quos fideliores putant, huc illùc dimittunt,hoc iussu,vt Episcopum ciuitatis & omnes eius sectatores inuestigent,& ad se quacunq; possint ratione perducant.Illi duce quodam vsi à fide Christi alieno,ad Anastasij ædes cùm peruenissent,facto impetu, primò quidẽ Episcopum,tum reliquos comprehendunt: in his ipsum hospitem Anastasium,& Carpophorum clarissimum virum, comprehensos ligant,& ad Carisium statim perducunt,qui,vt erat impius & crudelis,animum & linguam aduersus S. Constantium exacuens,O sacrilege,ait,vt meritas effugeres pœnas,non es veritus,tuis pessimis artib.meos subuertere milites,& fugam cum illis arripere? Quanto meliùs saluti consuluisses tuæ, si in animum induxisses, à Christo desciscere,& ad verum deorum cultum transire.His B.Constantius pro sua mansuetudine sic respondit: Milites ego tuos, ô Præses,non subuerti,sed illos ad se conuertit Christus: saluti verò meæ,vt aliis quibuscunq; in locis,ità & in balneo optimè consului.Salus enim mea Christus est: huic me totum deuoui,hunc veneror, huic statui perpetuò inseruire.

Iterum captus & vinctus ad Carisium ducitur.

XIV. Tvm Carisius furore incitatus, iubet prunas afferri,cogitq; sanctissimum virum nudis pedibus super eas inambulare: quin etiam toti ipsius corpori nudato, mandat candentes carbones admoueri. Ille verò diuini amoris feruore ignis ardorem facilè superans psallebat: Probasti cor meum, Domine & visitasti nocte,igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Tunc Carisius videns, Episcopum nullis terroribus aut cruciatibus posse à sententia abduci, iussit illum in carcerem contrudi, cupiens eum Consuli ante tribunal statuto die sistere. B. interim Constantius non cessabat orare,perseuerans in vigiliis,psalmis,& hymnis spiritualibus, & licet corpus in custodia teneretur, virtus tamen illius alligata non erat. Nam cùm multi ex fidelibus, atque etiam ex paganis noctu venirent [b] ad carcerem,portantes ægros variis morbis,hos omnes sanctissimi huius hominis precatione curatos, recipiebant incolumes.Cuius rei fama adducti non pauci,quotidie relictis idolis,ad veri Dei cultum transibant,atque etiam ipsi carceris [c] custodes crebra spectantes B.Constantij miracula,Christi fidem amplectuntur, & in ipso carcere baptismum suscipiunt.Nec multò pòst indignum iudicãtes tantam virtutem vilissimo in carcere iacere,re inter se deliberata,Episcopũ licet inuitum educunt è custodia,atq; etiam è ciuitate,cupientes illum tutiore aliquo in loco collocare. Sed cùm ad flumen Tyberim peruenissent,ibiq; beatus Constantius cognouisset Concordium & Pontianum sanctissimos viros, quibus-

Eius corpori candentes carbones admouentur.

*Psal.*16.

[b] Carcere inclusus, multos curat ægrot.

[c] Carceris custodes baptizati, eũ inuitum è carcere educunt.

quibuscum maxima ei intercedebat necessitudo, Assisij in vinculis teneri, incredibili accensus est desiderio eos inuisendi,& martyrij coronam,si Deo placeret,vnà cum ipsis reportandi.Hac igitur impulsus cupiditate, furtim se à comitatu subtrahens,Assisium pergit,& cùm ad locum quendam quem Danabum dicunt,peruenisset, hic ei obuiam fit manus militum,qui ab ipso Imperatore,Spoleti tunc degente,ad Christianos persequendos missi fuerant. Hos vir sanctissimus atque humanissimus cùm vidisset,benignè salutauit.Ad illi id quod erat suspicati,eum videlicet è Christianorum numero esse,subsistunt,& quærunt ab eo,quis sit, vnde veniat, & quò sic abeat solitarius. Quibus vir sanctus & simplex,nihil dissimulans,in hunc modum respondit: Ego sum Constantius indignus Perusinæ ciuitatis Episcopus,Perusia venio,Assisium contendo,non solus,vt vos putatis,sed benè comitatus, gratia videlicet Domini mei Iesu Christi.Causa verò huius meæ profectionis est,vt visam duos humilimos seruos Dei, Concordium & Pōtianum, qui quidem ibi pro nomine Iesu vinculis atque omni supplicio excruciantur.Tum illi subridentes,Nos ipsi,inquiunt, curabimus,vt hodiè sis vnà cum illis in carcere, vbi grauioribus etiam, quàm ipsi, tormentis excrucieris, nisi saniori consilio vsus,animum inducas,Christum tuum abnegare.Atque inde vinctum domum cuiusdam Duritij deducunt, nec quicquam prætermittunt,quod putent posse eius mentem ac sensum permouere: sed cùm nihil proficerent, demùm ad Clasium [a] flumen perueniunt,atque ibi etiam blanditiis primùm,deindè minis & terroribus student hominem à proposito deducere.Sed cùm ille adeò constans,vt verè à constantia nomen inuenisse videretur,firmè in semel proposito susceptoq; consilio permaneret,iracundia milites magis ac magis exardescentes, tot tantisque cruciatibus sanctissimum virum affecerunt,vt [b] semiuiuum redderent.Cùm igitur B Constantium vires iam deficerent ad Deum toto corde conuersus,Suscipe iam,orabat,spiritum meum,Domine,requiescat in te,qui pro te,te ipso iuuante,omni tempore laborauit.

Danabum peruenit S. Constātius

S Constātius tertiò capitur.

[a] Clasius fluuius.

[b] Semiuius relinquitur S Constantius.

Vix dum pias hasce voces emiserat,cùm ecce præstò est ei Angelus Domini,afflictum his verbis confortans: Noli timere,Constanti,ego sum angelus Dei: misit me Christus,vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis: & illicò omnis plaga curata est. Tunc [c] ille Angelico solatio recreatus, Gratias tibi ago,ait, Domine Iesu Christe,qui per Angelum tuum,me in angustiis positum confortâsti,& curâsti vulnera mea: nunc verè scio,te quidem nunquàm deserere sperantes in te.Milites verò audientes eum cum altero loquentem, & neminem tamen videntes,atque etiam plagas,quas castissimo eius corpori inflixerant,cicatrices repentè obduxisse conspicientes,timore perterriti, Assisium eum festinanter abducunt, & includunt in carcere, in quo cum alij permulti asseruabantur Christiani,tum duo illi præcipui,quos suprà diximus,Concordius [d] & Pontianus. Hi verò,vt alter alterum conspexit,statim in mutuos complexus,mutuaque oscula certatim ruunt,immortales Deo gratias agentes,cuius munere simul essent,vt sperabant,glorioſum pro Christo certamen subituri, ad quod etiam alios piè incitabant, Magna Deo,dicentes,gratia habenda est.fratres,quòd digni habiti sumus pro nomine Iesu contumeliam pati & cruciatus. Atqui milites,exoptantes,quoscunque ceperant Christianos,ipsi imperatori quasi optatissimam aliquā prædam deferre,B Constantium & reliquos è carcere extractos,Hispellum [e] adducunt,atque ibi vsque ad alteram diem statuentes consistere,nocte tota Christianos,vinculis adstrictos, sub dio tenent.

[c] Plagæ S Constantij diuinitus per Angelū curantur.

[d] S.Constātij congressus cum SS. Concordio & Pōtiano Act.5.

[e] Hispellum ducitur S. Cōstantius

Hîc verò Angelus Domini S. Constantio, magno circumfusus splendore, iterum apparuit,prædicens ei,instare XVI.
iam tempus,quo consummata pugna,Martyrij coronam acciperet.Splendorem autem illum multi ex Hispellanis intuiti,accurrunt ad locum,atque ibi audientes etiam vocem Angeli,conclamare cœperunt, Vnus est profectò, & verus Deus quem hic homo adorat,potens in cælo & in terra.Hanc [f] vir sanctus occasionem minimè dimisit,sed aperiēs os suum,& incipiens à scriptura,euangelizauit illis Iesum, nec paucos ad veram fidem conuertit. Hæc ægrè admodum cùm ferrent milites,quærebant,arti magicæ omnia tribuentes, populum ab eo auertere: sed cùm parum proficerent, S. Constantium vnà cum sociis Hispello eductum, Fulgineum versus vinctum trahunt, atque inter eundum cogitantes fore,vt,si diutiùs vir sanctus viueret,magnam Gentilium multitudinem,nō sine ipsorum discrimine,ad se alliceret,consilium capiunt hominis quamprimùm occidendi, nisi velit suorum deorum cultum ac religionem amplecti.Cùm igitur ad triuium quoddam Fulgineatum [g] quod vocant,non procul ab ipsa vrbe Fulgineo positum,noctu peruenissent,quibuscunque rationibus possunt,contendunt B.Constantium à vera Christi fide ad falsas atque inanes deorum fabulas traducere.Sed cùm ille nihilo minùs,quàm anteà,constanter id facere recusaret, affirmans vitam suam ipsum esse Christum,hunc solum amplecti, in hoc vno omnes suas spes repositas habere, milites furore inflammati,strictis gladiis in hominis iugulum inuadunt.Ille verò magno animo & erecto: Susceptor meus, canebat,& refugium meum Domine,suscipe spiritum meum,& ne permittas me vnquam separari à te,vita mea,lumen meum,salus mea,te amaui,te concupisco,te inueniam,Domine Iesu Christe.Inter has pias,sanctasq; voces sæui milites à cerui-
cibus [h] caput abscindunt,ac statim abeunt.

Act 5.

[f] Hispellani non pauci ad fidem conuersi.

[g] Fulginea to in triuio Martyrium subit S.Cōstantius.

[h] Caput à ceruicibus abscinditur

Erat autem Fulginei Leuianus quidam,vir inter cæteros Christianos fide & bonis operibus præstans. Huic visus XVII.
est in quiete Angelus ita dicere: Non reiecit,Leuiane, Dominus opera bona, quæ facis, quin occasionem tibi offert hodiè meritorum tuorum cumulandorum. Iacet in triuio, quod Fulgineatum dicunt,sanctissimi viri corpus,qui ob Christi nomen martyrium passus est: huius sepeliendi munus à Deo tibi præcipuè committitur. Experrectus Leuianus,surrexit è lectulo.Sed cùm,vera ne illa fuisset visio,videretur addubitare,eccè Angelus eximia specie rursus apparet,ac iubet abiecta omni cunctatione, Dei mandatum diligenter curare. Tum verò ille,nulla interposita mora,ad præmonstratum locum accurrit: quo cùm iam appropinquaret,insolitum sibi visus est videre splendorem,ac propius accedens,sanctum ibidem B.Constantij corpus aspicit, simul & magnum circa illud tripudiantium cælestium spirituum chorum.His admirabilibus visis deterritus Leuianus,nec tantum sibi tribuens,vt satis dignè possit angelicis sese immiscere spiritibus,& sanctum corpus attingere,cui cerneret ipsos angelos ministrare, cœpit pedem referre. At Angeli conclamantes,Siste gradum,aiunt,Leuiane,nihil est,quod timeas,tua hæc est sepulturæ curatio.nobis id est mādatum,vt huius sanctissimi [i] viri corpore vsque ad aduentum tuum custodito, tum demum beatissimam eius animā deduceremus in cælum,quod & statim summa cum gratulatione,lætitiaq; præstiterunt. O verè felix anima,quæ & dum fuit in his corporis compagibus inclusa,meruit pro sua eximia pietate ac puritate, Angelorum ministerio frui,& iam soluta ac libera digna habita est,quæ,Angelicis stipata choris,ad æternam requiem perduceretur.

[i] Anima S. Constantii angelicis stipata choris, in cælū ascendit.

Leuianus igitur ad sanctissimum corpus propiùs se cùm admouisset,genibus flexis,in hunc modum orauit: XVIII.
Domine Deus omnipotens,qui hunc preciosum thesaurum non diuitibus seculi,sed mihi humili seruo tuo indicâsti, suppedita,obsecro,vires ad illum deportandum,& ostende locum,vbi sint tantæ reliquiæ recondendæ. Tum corpus ea,qua decebat,religione complexus & osculatus,de terra tollit,sanctissimo oneri collum subiiciens. At ei, iam iter ingresso obuiam fiunt viri duo,pecuniarum causa inter se altercantes.Hi Leuianum agnoscentes, videntesq; eum cadauer humeris ferre,quid hoc rei esset,interrogant.Quibus vir probus rem,vt erat fideliter narrat. At [k] illi incredduli, cœperunt hominem deludere,simul & Christi martyrem irridere,atque adeo maledictis insectari. Quod non tulerunt impunè,nā Deus volens serui sui iniurias contumeliasq; vlcisci, simul & miraculo eius gloriā clariorē reddere, vtrunq; oculorum sensu illico priuauit.Sed tamen & ipsis ira Dei misericordia efficitur, mox enim pœna omnis oculorum ad clarissimum mentis lumen conuersa est: siquidem illi diuina manu tacti; quem antea irridebant, huius iam

[k] Duo gentiles ob cō tumelias in S Constantiū actas, visu

opem

opem & misericordiam supplices implorant, confitentes merito se quidem pro sua temeritate atq; impietate plecti, quod sanctum Dei illusissent, atq; etiam à Leuiano, venia petita, rogant hominem, vt velit sanctum corpus deponere, auxiliumq; ipsis quamprimùm ferre. Tum ille, vt erat pius ac mitis, Si volueritis, inquit, credere in Dominum nostrum Iesum Christum, confido fore, vt hoc eius martyre deprecatore, augustum ipsius corpus, qua decet religione tangentes, lucem, quam amisistis, omnino recuperetis. Quid ni credamus, respondent, in eum, cuius tantam in nobisipsis experti sumus potentiam? Apertè iam fatemur, quem vos colitis, hunc vnum Deum esse verum. Hîc eos Leuianus manu prehendens, duxit ad corpus sanctissimi martyris, quod quidem illi summa religione venerantes atque osculantes, Sancte Constanti, orabant, quamuis erratum nostrum nullam mereatur veniam, tuæ tamen erit gloriæ, opem nobis iam resipiscentibus, misericordiamq; benignè præstare: lumen, quod nostra culpa te contempto perdidimus, tua, quæsumus, benignitate, te intercedente, recipiamus. Hæc ex animo precati, in pristinum statum confestim sunt restituti. priuantur Deindè resipiscentes, illuminãtur.

XIX. IAM verò illucescente die, alterum huic non dissimile consecutum est miraculum. Duo quippe iuuenes iam indè ab infantia cæci, pueri ductum subsequentes, eadem via iter faciebant, & cùm iam loco appropinquarent, miram quandam odoris suauitatem sentientes, O quàm diuinus est, dicebant inter se, odoris, qui ad nares fertur meas: certè aut Deus aliquis hîc est, aut quidpiam planè diuinum. Horum verba cùm audisset Leuianus, Odoris, inquit, quem percipitis, fratres charissimi, afflatur è corpore B. Constantij Perusini Episcopi, qui ob Christi fidem hac nocte hoc ipso in loco morte affectus est. Huius ego corpus humandi gratia, à Deo secundùm quietem monitus, huc accessi. Tũ illi, O nos beati, inquiunt, si cuius præsentiam ex odore percipimus, huius & aspectu frui contingeret. Vos verò, dixerunt hi, quibus fuerat paulò antè oculorum sensus restitutus haud difficulter poteritis id, quod optatis impetrare, modo animum inducatis, huius, qui vos alloquutus est, monitis parere: siquidem & nos idem sumus hoc puncto tẽporis, Deo iuuante, consequuti. Id illi audientes, in spem veniunt & ipsi oculorum sensûs, omnium gratissimi, eadẽ ratione recuperandi, & pollicentur omnino, se, quicquid eis fuerit à Leuiano mandatum, prompte executuros. A quo cùm fuissent sanctissimo corpori admoti, terræ motus fit adeo horribilis, vt cæci magno concuterentur terrore. Hos verò confirmans Leuianus, Nolite, ait, fratres, timere: bono animo estote, signum hoc fauoris est, non furoris, credite in Iesum, debitumq; huic glorioso ipsius martyri honorem præstate, & videbitis mirabilia hodiè. Tum illi, Credimus, inquiunt, vnum esse verum Deum Iesum Christum, ac debitum nos glorioso huic ipsius martyri honorem præstaturos, planè profitemur, ac protinùs humi prostrati, S. Constantij corpus religiosè osculantur, summis precibus cõtendentes, vt liceat eis iãdiù desiderata huius suauissimæ lucis vsura, ipso intercedente, frui, quod & statim obtinẽt. Odor è S. Constantij corpore afflatur suauissimus. Cæci duo, ad S Constantij corpus ad moti, illuminantur.

XX. O verè venerandum corpus, cuius contactu quatuor viri paucarum horarum spatio tum oculorum, tum mentis cæcitate sunt liberati. Cuius illi beneficij vt memores se, & gratos ex aliqua parte præstarent, petunt à Leuiano, vt corporis ad sepulturam deferendi munus sibi concedat, ipse tm viæ ducem se præbeat. Hîc ille precari Deum, orare, obtestari, vt, quemadmodum adiutores sibi ad portandum corpus modo planè diuino suppeditâsset, sic velit locum, in quo sit condendum, demonstrare. Hæc precatus subito exaudiuit vocem è cœlo, ita præcipientem: Perusiæ patriæ suæ beati viri corpus reddite, vt quem habuit in hac vita Pastorem & parentem, eundem post mortem Patronum & defensorem obtineat. Quod quidem illi Dei mandatum exhaurire cupientes, quæ primùm sese obtulerunt arbores, ex his ligna incidunt, in eaq;, in feretri formam constructa, corporis primo truncum imponunt, deindè huic caput sanctissimum quàm maxime possunt accommodatè annectunt. His ita constitutis, quatuor illi, quibus fuerat oculorum simul & mentis sanitas restituta, feretrum ferentes præeunt, Leuianus in hymnis & psalmis Deum benedicens, subsequitur. Interim nonnulli, qui & ipsi per eandem viam Perusiam petebant, acerbum de Episcopi nuncium suis ciuibus cùm detulissent, complures eorum, non modo ex sua, frequenti illa quidem, Barziorum gente, verùm etiam ex reliquis, quæ Christi fidem profiterentur, obuiàm ei vsq; ad Tyberim processerunt, Hos cum procul vidisset Leuianus, id, quod erat, suspicatus, accurrit ad illos, & cum se turbæ adiunxisset, cùm alia, quæ acciderant, breuiter exponit, tum præcipuè miracula, quæ fuerant per B. Constantium etiam post mortem edita, explicat diligenter. Corpus S. Constantij Perusiæ redditi, diuina voce præcipitur. Perusini ciues obuiam S Constantij corpori procedunt.

XXI. Hæc illo referente, attingunt ripam fluminis: quo cùm nec multo post peruenissent hi, qui feretrum portabant, rogati deposuerunt. Vidisses tum omnes certatim ad sanctissimum corpus venerandum atq; osculandum currere, flere, angi, lamentari, eundem parentem, pastorem, vitæ magistrum sapientiæ doctorem appellare. Huic pietatis officio cùm satisfeciissent, iubet eos Leuianus à feretro recedere, vt iter reliquum conficere pergat. Tum verò certat quisque humeros sanctissimo oneri supponere, quod tamen hi, qui vsq; ad eum locum detulerant, nè viderentur munus humanum assignatum à Deo, defugisse, minime permiserunt: sed rursus sanctissimum sustulerunt corpus, è quo quidem tanta odoris suauitas continenter afflabatur, vt omnes, qui circùm erant colles cum summa hominum admiratione repleret. Cùm igitur cuncti simul mœnibus vrbis appropinquassent, vrbem ipsam, Deo ita inspirante, non sunt ingressi, sed locum sepulturæ extra portam S. Petri delegerunt eum, quem etiam nunc Areolæ dicunt, ibiq; funus religiosissimo martyri satis amplum faciendum curârunt. His peractis, quicunq; aderant Christiani, genua ad sepulchrum flectentes suppliciter sese & patriam vniuersam S. Constantio commendârunt, precati, vt cuius fuisset in terra Pastor bonus, & pater optimus, eiusdem in cœlo patronus, & intercessor benignus existeret. Lugubris Perusinorũ ciuium lamentatio. Sepulcrum S Constantij extra portam S Petri in Areola positum.

XXII. POSTREMO tumulum piè osculati, domum quisq; suam redijt, excepto Leuiano, & quatuor illis quibus fuerat modò, B. Constantio intercedente, lux restituta: hi enim paruo ibi extructo tugurio, perseuerantes in orationibus, ieiunijs, & alijs bonis operibus, totum reliquæ vitæ tempus apud S. martyris monumentum traduxerunt, cuius quidẽ fama & gloria ob multa & maxima miracula, quæ ibi quotidiè fiebant, adeò in dies magis magisq; creuit, vt magna piorum hominum multitudo ad eius sepulchrum visendum ac venerandum, ex diuersis locis confluueret. Neq; verò non etiam hodiè magno in honore est & veneratione glorioſus Christi martyr, tum alibi, tum maximè Perusiæ, vbi quidem eius nomine festus dies anniuersarius in templo, ibidem ei cum magnis opibus iampridem dicato, summa religionis pompa celebratur, 4. Kalend. Februarij. Tulit autem S. Constantius martyrij palmam, Marco Antonino; vt initio diximus, Imperatore, qui quidem imperare cœpit clxiij. anno ab ortu Christi Domini nostri, cui honor, gloria, & imperium, in sempiterna sæcula, Amen. Vndiq; visitur. Templum cũ magnis opibus ei dicatum.

VITA S. ALDEGVNDIS ABBATISSÆ PRIMÆ MALBODIENSIS, AVTHORE, VT EQVIDEM SENTIO, HVCBALDO *Elnonensi, qui obijt Anno 930.* AN. 630.

AVTHORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

NOn immemor vestrî, non ingratus tam admirabilibus erga me vestræ sedulitatis officijs, parui voluntati vestræ Si tardiùs, quàm voluisti, si minùs aptè, quàm oportuit, non animo meo, quasi non curanti, sed rei difficultati potiùs adscribatis. Cruda massa non facilè modico potest igne purgari. Si quis inconcinnam subsannauerit orationem, vobis imputate. Maluï certè derideri à quibusdam, quàm vobis non parére Si

cui tamen ideò displicuero, quòd purpureos latè splendentes non solùm non assuërim, sed etiam démerim pannos; sciat me noluisse more puellarum aptare puppas absq; lineamentis membrorum, aut inanimatas in parietibus effigies colorare: sed fœminæ solidum pectus, immò virilem animum, virtutibus plenum, tanquàm lucernam diuinitùs accensam, cunctis ad imitandum simpliciter monstrare. Si placet transcribere, diligenter(obsecro)distinctiones Capitulorum conseruate. Præfationem verò, quæ quidem generaliter agit de sanctorum omnium gestis,& ad eos imitandum exhortari cunctos intendit, & ignauam præcipuè negligentiam, arguens,nec de ignorantia quenquam excusari posse demonstrans, operantem Dominum in sanctis amandum & glorificandum ostendit: sicut est præfixa, Capitulis anteponere curate. Quòd si vobis nō placuerit,aut doctoribus, ad quorum audientiam fortè retuleritis: moriatur inter manus vestras odiosa & inepta membrana,aut deleatur,aut igni tradatur. Quodcunq; acciderit, rogo per amicitiam, nè nostrum nomen in hoc opere sentiatur.

PROLOGVS EIVSDEM.

30. IAN. MIseratio diuinæ bonitatis, humanæ saluti multipliciter omni tempore consuluit, & post hominis lapsum tam per dicta quàm per exempla iustorum, errantes ad viam veritatis reduxit, & antè legem,& sub lege,& sub gratia formam virtutis imitandam,rudibus in vtroq; sexu misericorditer exhibuit. Plena est vtriusq; testamenti scriptura,tanquàm cœlum resplendens, non solùm magnis virtutibus seu luminaribus, sole videlicet ac luna, sed etiam minoribus stellis: hoc est,non tantùm claritate veræ lucis,quæ rationalem creaturam illuminat: & vniuersalis Ecclesiæ pulchritudine,quæ totum clarificat mundum: sed etiam singulorum splendore sanctorum, qui nos in huius sæculi nocte veluti fulgentes stellæ consolantur. Qui ergo,donante Deo,sanos habet oculos,ambulet ad lumen solis: vestigia sequatur Domini Saluatoris. Qui verò tantum fulgorem infirmantibus oculis minùs valet intueri, conuertat adipectum ad montes,iam veri solis lumine candētes, sanctos scilicet Apostolos, eorumq; successores,doctrina pariter & exemplis totum orbem illuminantes: sequatur duces, velut arietes, gregem ad pascua præeuntes. Quòd si tardior aliquis Euangelicam & Apostolicam doctrinam fastidit, quod nimis periculosum est: si fortia gesta magnorum patrum, aut documenta propter imbecillitatem fidei suæ negligenter attendit: quod malè languentis animæ indicium est: saltem vitas sanctorum, qui proximis extitêre temporibus, legens vel audiens, gratiam conditoris in sanctis semper operantem agnoscat: agnoscens, in amorem ipsius incalescat. Si quis etiam delicatus præ teneritudine carnis viros imitari trepidat,fœminas & puellas teneras,quæ sui redemptoris amore sæculum vicerunt,considerans erubescat Ignorantia neminem,qui legere vel audire potuit,excusabit. Vbi iam scripturæ verba non resonant? In Ecclesijs à lectoribus quotidiè recitantur, à cantoribus delectabiliter cantantur, à prædicatoribus vtiliter exponuntur. Quæ patria, quæ ciuitas, quis pagus, quem non decorauit alicuius sancti patrocinio speciali prouidentia creatoris? Vbiquè per membra sua Saluator coruscat. Oleum effusum nomen eius: vbiquè tonat: vbiquè semper pluit per Euangelium,per Apostolos,per Doctores,per exempla sanctorum. Et vt ex multis ad vnum veniamus, quis alius in vita beatæ virginis Aldegundis amandus,sequendus,amplectendus, nisi Christus innuitur? quem adolescētula virgo diligens,merito castitatis agnum sequitur quocunquè ierit. In eius itaquè laude, qui cùm sit idem in omnibus,operatur magna & minima & diuersa non diuisus, ac dissimilia non dissimilis, de vita huius virginis si loquamur aliquid, sermonem impolitum nullus abhorreat: sed quod effari nitimur,attendat.

Sancti ceu stellæ consolātur nos in nocte sæculi huius.

Scripturæ in catholica Ecclesia semper vsitatissimæ. *Cant.* 1.

Apoc. 14.

ANno Dominicæ Incarnationis circiter euoluto sexcentesimo trigesimo, circa hæc tempora non longè multùm Romanæ sedi Apostolicæ præsidentibus per successionem Pontificibus, Honorio,Seuerino,Iohanne,Theodoro, Martino, imperante apud Constantinopolim Heraclio, in Francia regnante Dagoberto filio Clotarij, qui quartus erat à Clodoueo,quem sanctus Remigius baptizauit, orta est in pago Hainoensi virgo Aldegundis ex regali prosapia,patre Walberto,matre Bertilia. Cuius soror Waldetrudis maior natu,cuidam satis illustri viro Maldegario, cognomento Vincentio, legitimè fuerat copulata: qui postea diuinitùs inspiratus, & exhortatione religiosorum virorum animatus,spreuit mundum,secutus est toto corde Saluatorem IESVM CHRISTVM. Eo tempore multi religiosi viri, Dominicæ vineæ studiosissimi cultores, Amandus Traiectensis Episcopus, velut imbrifera nubes circumquaquè pluendo discurrens: Arnulphus Metensium,Autbertus Cameracensium pontifices, Eligius Nouiomensis,Audoënus Rothomagensis, Gisslenus ab Athenis aduenies peregrinus in Galliam, & alij plures in Ecclesia tanquàm in cœlo luminaria, partes orbis occidentales irradiabant, & multos tam prædicatione, quàm exemplo vitæ,in viam salutis deducebant. Puella verò Aldegundis, parentum cura diligenter enutrita, diuina gratia procurante,sacris literis imbuta est: quarum scientia valdè proficiens, ac dogmata Christianæ religionis animo complectens, amore cœlestis sponsi iam ipsis puellaribus annis vehementer flagrare cœpit. Parentes enim eius, quanquàm superbi fastu sanguinis essent elati, Christiani tamen nominis memores, quod gerebant, filiam suam ita secundùm DEI timorem educârunt,vt in ipsa iam tenera ætate DOMINO CHRISTO magis quàm sæculo, placere desideraret. I.

Patria & parentes eius.

Literis sacris traditur imbuenda.

INterea dum adhuc esset in domo parentum, cœlesti frequenter suspensa contemplatione, modò vigilans, modò per somnium, diuina gratia sibi reuelante, cœpit multa visionum genera percipere: quas ipsa describens,Abbati cuidam religioso, nomine Sobino, de monasterio Niuialensi, commisit. Quas etsi quidam,minùs dignè pensantes quæ legunt vel audiunt, superfluas aut non credendas esse putant: nulli tamen sapienti, mirum aut incredibile videtur,si puella DEO toto seruiens affectu, frequentibus sanctorum Angelorum visionibus, seu vigilans, seu dormiens, pascebatur: cùm econtrà quælibet anima spurcitijs luxuriæ negligenter dedita, dæmoniacis nonnunquàm illusionibus deludatur. Igitur vt breuiter ea visa comprehendamus, audiuit quadam nocte sibi promitti per visionem inæstimabiles diuitias: quas primò terrenas æstimans, statim in spiritu sibi promitti cœlestes agnouit. Deinde per visum in sublime rapta, monentem audiuit aliquem, vt caduca postponens, faciliùs adipiscatur cœlestia: modò deniquè vocem audiuit, Non alium tibi quæras sponsum,quàm DEI filium: modò CHRISTVM in specie pueri speciosissimi cernit afferentem sibi stolam candidam, palmamq; victoriæ: nunc etiam erigitur in spem cœlestium, dum audit per visum se futuram esse in societate Angelorum sanctorum. Inter has visiones adspicit diabolum, inuidiæ facibus ardentem, de sua tristem electione: tum Angelum DEI sese cohortantem,vt perseueret in virginitate,& longè se faciat à sæculi vanitate. Huiusmodi visionibus non mediocriter consolata, de die in diem in amore virtutum proficiebat,& vt perseuerando magis proficeret quotidiè, maiora videbat. Siquidem appāret ei puella, quasi de itinere veniens,& à DEI genitrice se missam affirmans,vt, quod vellet,postularet. At illa mox alacriter respondit, id se desiderare, quod Dominus vellet, Christiq́ue voluntatem in se fieri præoptare. Vidit frequenter sanctos Angelos exhortantes se: vidit & beatum Petrum,admonentem se de regno Dei. Conspicit etiam DOMINVM IESVM CHRISTVM, in specie solis & lunæ, in figura regni DEI sibi apparentem. In cunctis huiusmodi reuelationibus virgo prudens,magis magisque se humiliabat,regno DEI propior fiebat,sponso cœlesti feruentiùs inhiabat. Si quis autem istiusmodi visiones pleniùs nôsse desiderat,vitam ipsius reuoluat,de qua nos pauca decerpentes,notitiam tantūmodò rerum indicare summatim conamur scire cupientibus,quāti meriti sit hęc virgo,q̄ toties Angelicis recreā- II.

Multæ ei offeruntur visiones.

Optimi sanè effectus talium visionum.

batur

batur consolationibus secundùm ordinatissimam creatoris dispensationem, qui nouit vnicuique congruentem adhibere dulcedinis suæ moderationem. Et vt harum seriem manifestationum iam terminemus; beata virgo Aldegundis de virtute in virtutem progrediens, in tantam sanctitatis celsitudinem à Domino meruit sublimari, vt non solùm ex somnijs, aut per ecstasim frequenter, sed etiam vigilanti manifestè Angelus apparéret, familiare colloquium de proposito conseruandæ virginitatis exhiberet; virgo sancta nomen eius fiducialiter interrogaret, & ab eo glorioſum & mirabile suum nomen esse audiret. Angelus ei apparet.

III. CVM verò parentes eiusdem virginis iam eam tradere marito disponerent, aduocat mater filiam, prædulcibus hortatur alloquijs, nè sibi voluntatem suam abscondat. Patris ac suum indicat desiderium, vt secundùm sui generis dignitatem, generosum non recusét accipere sponsum. Monstrat familiæ numerositatem, prædiorum amplitudinem, fundos, rerum abundantiam, gazas diuitiarum copia refertas, cuiusdam iuuenis diuitias, nobilitatem, pulchritudinem ei blandiendo prætendit. Huiusmodi blandimentis instat mater, animum filiæ ad suam voluntatem conatur inflectere. Igitur Aldegundis, honesta moribus, eloquio suauis, frequens in diuina lectione, ac sedula in diuinæ scripturæ meditatione, quum sponsum eligeret, quem cordis amore gestaret, Dominum videlicet Christum, quem legendo cognouerat, cui se totam deuouerat, tali sumpta occasione iam ampliùs occultare nequibat. Quid, inquit, ô domina genetrix, mater dulcissima, quid mihi blándiris? Quid tot suasorijs verbis oneras animum meum? Non ampliùs tibi celabo voluntatem meam, desiderium meum iam antè diù in corde meo conceptum patefaciam. Tu mihi nescio quem pauperem memoras sponsum: sed ego talem ac tam diuitem sponsum concupisco, cuius prædia sunt cœlum & terra & mare, cuius fundi nunquam deficiunt, & cuius diuitiæ quotidiè crescunt, & nunquàm minuuntur. Si potes, mater, talem mihi quære sponsum: non hominem peccatorem, petulantem, ac citò moriturum. Hoc audiens mater, licèt non posset mentem virginis à sua constantia amouere, fœminea tamen importunitate sæpè repetebat, admonens filiam de nuptiarum conditione. Sed quid? Incassùm verba fundebat: puellæ mentem in Christo fundatam, quasi turrim non cásuram, frustrà pulsabat: Dominum CHRISTVM speciosum forma præ filijs hominum, hunc adamauerat, hunc esuriens sitiebat, hunc sitiens esuriebat. Misericordem in pauperes animum gerebat, diuinis lectionibus mentem assiduè pascebat. In respondendo cautissima, mitis omnibus, inter homines nobiles humilis, iunioribus velut æqualis. In parcitate cibi & potus intantùm abstinentiæ dedita, vt sibi nulla sodalium æquiparari valeret. Illa planè respuit. Psalm 44. Virtutes eius

IV. SED dum animus teneræ virginis assiduè maternis fatigaretur blandimentis, vt suscipiendo sponso voluntati parentum satisfaceret: quibus quidem non obedire, videbatur incongruum: obediendo verò plùs eos amare, quàm Dominum CHRISTVM; æstimabat pernicioſissimum: prouidentia diuinæ miserationis, taliter eam liberauit ab huiusmodi periculo tentationis. Sororipsius, memorata superiùs, beata Waldetrudis, ob amorem sanctæ religionis, à viro suo pari consensu iam seiuncta fuerat: illoq; religiosè in monasterio, quod dicitur Altus mons, cõuersante: ipsa monasterium sanctimonialium, consilio venerabilis Gisleni, in monte, qui vocabatur Castrorum locus, ædificauerat: ibique cum ancillis Dei alijs, superna contemplatione dulciter animum pascebat. Susceperat autem sacrum velamen, habitum religionis, de manu beati Autberti Atrebatensis & Cameracensis Ecclesiæ Episcopi: qui tunc inter alios sacerdotes Dei eo tempore florentes, ouili Dominico non segniter inuigilabat. Igitur ex inspiratione diuina famula Dei Waldetrudis, memor suæ charissimæ sororis Aldegundis, & valdè metuens, nè vinculo carnalis alligaretur amoris, & exoptans toto desiderio secum illam habere sociam in habitu sanctæ conuersationis, & curam adhibere sororibus illius congregationis, misit literas matri, postulans cum obsecratione sororem sibi destinari, secùm aliquamdiù illam dicens velle demorari: non parùm consolationis ex illius præsentia videri sibi conferri: quandò matri placeret, statim eam se remissuram. Annuit mater, filiam dirigit: & quibus erat vna mens Domino seruiendi, fit etiam vna domus opportunè simul habitandi. Quis dignè potest effari, quantum ædificationis ex mutua locutione acquirérint? quantum exemplum operationis bonæ cæteris sororibus ex sua conuersatione præbuerint? Cerneres illas ex Euangelio sorores Martham & Mariam Magdalenam Domino Saluatori certatim ministrantes: sed non facilè discerneres, quæ magis harum eligéret ad pedes Domini sedere, cùm hoc vtraq; satageret, & curis exterioribus inuita deseruiret. Nota hæc de sorore eius Vualdetrude, & marito illius Vincentio. S Aldegundis iungit se sorori suæ in cœnobio Luc. 10.

V. NON multum temporis elapsum erat, & eccè mater illarum, fœminea suspecta solicitudine, nè filiæ suæ virginis animum soror eius alienaret à sæculo, sacrumque velamen illam persuaderet suscipere, mittit ad monasterium, & reuocat ad se filiam virginem. Beata verò Waldetrudis inuita quidem mittit sororem, nè matrem offendat: sed obnixè deprecando exhortatur eam, vt à sæculo se faciat prorsus alienam, immortali se præparet sponso: quàm citiùs valeret, ad cœnobium reuertatur. Illa mœsta valefaciens sorori, reuertitur ad matrem, quæ tunc morabatur in prædio suo, quod nuncupatur Curtissolra. Non autem immemor, iuxta scripturam, honorandos esse parentes: bonæ indolis puella condecentem reuerentiam exhibet matri, humiliat se ad pedes eius, deprecatur cum lachrymis, vt in habitaculo, quod erat iuxta Ecclesiam, sibi daret licentiam habitandi: dicens, non sibi congruum inter viros ac mulieres sæculares conuersari. Memorat etiam genitrici suæ, quàm sancte, quàm religiosè soror sua Waldetrudis in monasterio se haberet, qualiter ancillas CHRISTI de sæculo conuersas instruendo moneret, quàm sublimia quotidiè de regno cœlorum admonens edoceret. Dum talia matri virgo referret, & ea matri grata satis æstimaret, illa non modò sibi non placita, sed etiam multùm onerosa demonstráns, irata, comminata est ei plagas, si de talibus ei vltrà facere sermonem auderet. Virgo verò sapiens non solùm illius minas patienter sustinuit, sed etiam verbera sustinere parata, prudenter siluit. Mater autem optima linteamina proferens, filiæ tradidit, & vt indè sponsalia sibi vestimenta præparet, imperauit: disponens eam in proximo, nobili cuidam iuueni lege nuptiarum copulare. Virgo ergò linteamina suscepit, domunculam secus oratorium, quam à matre impetrauerat, ingreditur, vestes ad vsus baptizatorum in nomine sanctæ Trinitatis, pia fraude componit, corpusq; suum vehementer affligens, die noctuque Dominum cum lachrymis deprecabatur, nè à societate sanctarum virginum alienaretur, nec alij sponso, quàm Domino Christo, sociaretur. Exaudiuntur preces virginis: nuptiæ, quas inter quindecim dies mater filiæ parabat, differuntur: iuuenis, cui despondere eam cupiebat, nè veniret, per multos dies præpeditur. Reuocata redit ad matrem. Exod. 20. Corp' suum valdè affligit.

VI. CVMQVE mater eius ægrotaret, & iam de vita desperaret, vocat virginem filiam suam, dat ei aurum & argentum, vestimenta preciosa, prædia, villas, seruos & ancillas, & omnia, quæ habebat, præter illa, quæ pauperibus in præsenti pro remedio animæ suæ distribuit, & quæ in vsus seruorum & ancillarum Dei, in cœnobijs Domino famulantium, delegauit. Defuncta verò matre, atque in prædicta villa Curtissolra, & in Ecclesia Dei genetricis, à Dei sacerdotibus & aliis Ecclesiasticæ dignitatis ordinibus: iuxta virum suum sepulta: audiens Endo iuuenis, cui præfata mater filiam suam in coniugem dare disposuerat, obitum eius, nihilominus instat, vt virginem vxorem accipiat, imperatque fidelibus suis apparatum præparare nuptiarum. Quod cùm audîsset Virgo, valdè timuit: fugiensque noctù in locum nemorosum, qui vocatur Malbodius, aliquot diebus ibi latuit. Sed cùm audîsset aduenisse sanctum Amandum atque venerabilem Autbertum Episcopos in monasterium Altimontis, cum magna cordis humilitate, nudis pedi- Mater eius abit è vita.

S Amandi encomium

bus illuc properauit, ad vestigia eorum sese prostrauit, desiderium cordis sui aperuit, contrarias tentationum passiones sibi per insidias diabolicas irruentes indicauit. Tunc beatus Amandus, iam penè toti notus orbi fama celeberrima virtutum, qui tanquàm in messe Dei strenuus operator, multas per circuitum nationes ad fidem perduxerat catholicam, multa cœnobia virorum ancillarumq; Dei construxerat, aperiens os suum, doctrinæ cœlestis imbre facundum, ita puellæ fatigatum roborauit animum, vt non solùm ipsum respueret mundum, verùm etiam parata fieret pro

S Aldegundis accipit sactum velamen.

Saluatore CHRISTO, si foret occasio, subire martyrium. Quid plura? Deducta est à sanctis Episcopis in oratorium quoddam eiusdem cœnobij, dedicatum in honore & memoria sancti Vedasti: vbi sacerdotali benedictione consecrantes, eam æterno sponso Saluatori desponderunt, sacrumque velamen in habitum sanctæ religionis super caput eius imposuerunt.

Malbodij cœnobium extruit.

BEATA igitur Aldegundis de Altomonte reuersa in locum, vbi prius latuerat, quem ipsa Malbodium nomina- VII.
uerat, qui locus adhuc desertus erat, cœpit sagacissimè locum excolere, vepribus & arbustis radicitùs extirpatis, habitacula construere, seruos & ancillas Dei ibidem congregare. Deniquè post ædificium ibi Ecclesiam extruxit in honore & memoria sanctæ DEI genetricis MARIÆ: : in qua laudes diuinas & orationum vota quotidiè persoluebat. Tunc sæculi huius diuitias pro nihilo reputans, prædia sua & facultates, & omnia ornamenta, quæ sibi parentes reliquerant, ad loca sanctorum legaliter distribuit, & pauperibus erogauit: vt illam perfectionem attingeret, vndè Do-

Matth 18.

minus dicit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Locum verò, vbi mater & pater eius sepulti fuerant, in melius reparauit, & ibidem duodecim sanctimoniales ad seruiendum CHRISTO Domino constituit. In supradicto verò loco Malbodio, consilio beati præsulis Amandi, & auxilio Dagoberdi regis, cum duabus sororis suæ beatæ Waldetrudis filiabus semetipsam contradidit, atque multis alijs ibi secum in sanctæ religionis habitu congregatis, in sancta conuersatione permansit, cunctisque se videntibus exem-

Eius virtutes & exercitia.

plum bonorum operum dignum imitatione reliquit. Erat autem famula Dei fideliter sponso suo deseruiens in humilitate, in obedientia, in patientia, corpus ieiunijs attenuans, pernoctans in vigilijs & orationibus, longanimis in spe, domesticis suis mansueta, modesta colloquendo, seu res Ecclesiæ conseruando, benigna distribuendo.

Duas neptes suas piè in cœnobio instituit.

DVAS autem neptes, filias sororis suæ cum magna diligentia regulariter in monasterio erudiebat, & vt Domi- VIII.
num CHRISTVM sibi sponsum eligerent, ab ipsis infantiæ rudimentis diligenter edoccbat. Harum vna Madelberta, altera vocabatur Aldetrudis. Quæ videlicet Aldetrudis, puella bonæ indolis, materteræ suæ mores & vitam satagebat imitari, secusque pedes illius indesinenter accumbens, doctrina vitæ sitiebat informari. Quæ cùm multis floreret virtutibus, humilitati præcipuè & obedientiæ dedita erat. Huic aliquando beata Virgo Aldegundis præceperat, vt fragmenta ceræ coaceruaret in vnum: solicita, nè vel minima rerum monasterij deperirent. Illa dicto citiùs paruit, dispersa ceræ fragmenta collegit, ignem accendit, vas æneum, id est, peluim, cera plenum superimponit. Sed cùm dominante flamma strues lignorum iam combusta decideret, atque sartago feruens, ignis ardore circumcincta, in partem alteram declinaret, ac magis indè focus exæstuaret, timens virguncula, nè quid damni contingeret, armata fide, manibus nudis exertisq; brachijs de medio flammarum luterem bullientem festina sustulit,

Insigne miraculum.

nihilq; penitùs in cute suæ carnis perpessa læsionis, in pauimentum deposuit. Tantum apud Deum & meritum iubentis, & virtus obedientis sine dubitatione promeruit.

BEATA verò Aldegundis à proposito suo non deficiebat, sed de virtute proficiens in virtutem, sicut à pueritia IX.
cœperat, in sanctis operibus quotidiè perseueranter abundabat. Cùm enim adhuc esset in domo parentum, ætate quidem tenella, sed corde matura, quicquid sui iuris erat, pauperibus misericorditer erogabat. Si virgini pecunia nonnunquàm deerat, voluntas tamen largiendi, sibi nunquàm decrescebat. Mater autem eius Bertilia, non modicum pecuniæ thesaurum congregauerat: qui licèt filiam non latéret, occultante matre locum, nihil tamen indè tulit antè mortem illius. Facta autem superstes parentum, ilicò pauperibus cœpit matris thesaurum erogare. Procedente autem tempore, cùm iam fieret mater familiarum cum sorore sua, vocat fidelem ministrum, profert argentum ad comparandas vestes in opus seruorum & pauperum Christi, iubens, vt, si quid de pecunia superesset, sibi referre deberet. Implet seruus dominæ suæ præceptum: emit copiam vestium: quod remansit pecuniæ, refert: argenti

S. Adelgundis adhuc puellæ benignitas in pauperes.

Præclarum miraculum

quantitas integra reperitur, ac si nihil expensum fuisset. Stupefactæ super immensa largitate creatoris, quis explicare valet, quantas Deo gratias egerunt?

QVADAM etiam nocte dum ambæ Christo Domino deuotæ sorores, de dilectione cœlestis sponsi, & conuer- X.
satione regulari, & salute sororum, à summo pastore sibi creditarum, solicitè peruigiles meditarentur, candela coràm posita, subitò cadens extinguitur. Cumq; præstolarentur, vt ab aliquo superueniente reaccenderetur, & aliqua fieret mora, virgo lucis amatrix porrexit manum, lucernam accepit: in cuius manu continuò lucerna diuinitùs lumen re-

Aliud haud vulgare miraculum.

cepit. Quo miraculo, Dominus Iesus Christus, qui est lux vera, se præsentem esse ancillis suis manifestauit, quas in suo nomine congregatas, nec ad momentum perpeti tenebras permisit.

NON multo pòst tempore, dum eædem cœlesti sponso dilectæ germanæ, sibi commissi gregis curam gererent, XI.
incedentes per cœnobium, negocij quid acturæ, venerunt ad basilicam beati Apostolorum principis Petri ad horam orationis sextam. Pulsauerunt ostium: aberat ianitor templi, sed non aberat cœli ianitor, qui statim famulabus suis fores Ecclesiæ clausas reserauit, nè gratia fraudarentur orationis, & animus earum, velut arcus in seruitium diuinum extentus, relaxaretur ab intentione supernæ contemplationis. Tunc intrantes domum orationis, solito deuotiùs & maiori compunctione debitum persoluentes officium, cum alacritate mentis ad sua reuersæ sunt.

Templi fores diuinitùs patescunt.

SED vt parùm superiora memoremus, postquàm virgo sapiens Aldegundis sæcularibus pompis alienata, sancti- XII.
monialibus vestimentis est induta, rursus angelicis admonitionibus roborata, visione mirabili, qua Dominum Iesum tanquàm splendentem circumstantibus angelicis videre meruit, lætificata, memor etiam sermonis Amandi viri Dei, de omnimodo contemptu temporalium, & culmine perfectionis, quod priùs iam complere cœperat in parte, modò deliberat omnibus, quæ possidebat, ex toto renunciare, nihil in terra possidens, in cœlo cupiens thesaurizare. Fecit ergò describi thesauri sui summam, & totius pecuniæ, quam habebat in auro & argento, gemmisque & ornamentis regalibus, quæ sibi collata fuerant à Rege & Regina, principibus & cognatis, & parentibus suis, post velationem capitis sui, ac post largas donationes, quas pauperibus Christi consilio beatorum Amandi atq; Autberti Episcoporum distribuerat, & hæc omnia virgo prudentissima, domùs Dei decorem etiam exterioris diligens, ac decus Ecclesiarum, deuota mente donauit. Prædia verò possessionesq; infinitas, ad vsus inibi regi Christo famulantium publica donatione concessit: cætera vniuersa in sumptus pauperũ delegauit, nihil sibi præter vile reseruans indumentũ, sanctæ religioni cõgruum, atq; victum quotidianum, quo cum reliquis ancillis Dei cõmuniter viuebat. Sed Domini Saluatoris benignitas, vt in fide corroboraret animos famularum suarum, non distulit ostendere quàm sibi gratus esset pro sui nominis amore transeuntium contemptus rerum. Eo namque die, quo famula Dei tam glorioſum opus largitionis suæ

Omnia sua dat ecclesiis & pauperibus.

comple-

compleuerat aduesperascente, dum ipsa iubente ministri deferrent ad potandum aquam de fonte, qui nuptiarum celebratoribus in Cana Galilææ vinum ex aqua largitus est, ipse fontis aquam sponsæ suæ refocillandæ mutauit in mirabilis vini saporem. Quod factum cum omnibus ancillis Dei in monasterio innotuisset, tantus amor Domini Christi mentes earum inflammauit, vt intuitu dilectionis illius, nulla deincèps aliquid terrenum posset possidere curaret. *Ioan. 2.* Aqua in vinum mutatur.

XIII. ACCIDIT aliquando, vt vna famularum vrceolum aqua repleret, quâ sancta virgo manus suas abluere deberet. Intercurrente ergo mora, vacuarus est vrceus ad alios vsus, illa nesciente, quæ vas impleuerat. Cumq; fusura esset aquam in manibus eius, & vacuum reperisset vrceum, tremebunda recurrere volens ad fontem, subitò sensit vrceum aqua repletum. Hoc signo cunctis in cœnobio manifestato, meritum virginis admirantur, laudes ab omnibus Domino Iesu referuntur. Miraculum

XIV. QVADAM die beatæ virgini piscem adhuc viuentem piscator ipsius detulit: quem studio charitatis ad seruorum Dei superuenientium vsus magis, quàm ad suos reseruans, in fontem proximum iactari præcepit. Qui dum aliquando propè ripam nataret, saltum in aëra dedit, & in siccum deueniens, in arida palpitare cœpit. Aduolant corui de vicino crocitantes, vnguibus & rostris piscem laniare volentes. Mirabile dictu, & insolitum dictu: iuxta pascebat agnus, qui minor cæteris pecoribus, celeriter accurrit, piscem à deuorantibus eripuit, cornibus & pedibus ac totius corporis nisu contra pugnans, coruos abegit. Quò sorores, de monasterio noua bella prospicientes, festinanter aduenerunt: piscem incolumem inuenerunt, non sine grandi admiratione, famulæ Dei Aldegundi reportauerunt. Sed idem agnus defensor piscis, tam diù prosecutus est, donèc in præsentiam virginis Abbatissæ piscis oblatus est. Aliud miraculum.

XV. QVODAM verò tempore sorores monasterij focum accendenrant, & vt sibi moris erat, ad abluenda indumenta, caldariam cum aqua super focum suspenderant. Vna autem ex illis tunicam beatæ virginis Aldegundis habens indutam, iuxta prunas abstabat: olla iam æstuante flamma bulliebat, cùm eccè serpens antiquus, inuidens humili famularum Christi officio, propiùs adstantem igni, coniecit in focum, & aquam feruentem super ipsam effudit. At illa cùm caderet, sanctæ Trinitatis nomen inuocauit. Ancillæ verò Domini festinantes accurrerunt, de medio flammarum eam abstrahunt, & quam timebant ignis ardore membratim resolutam, orationibus & meritis beatæ virginis suffragantibus, illæsam reperiunt. Vide maligonum dæmonem.

XVI. INTER alia diuinæ consolationis beneficia, quæ gratia Domini Saluatoris huic virgini conferebat, illud non mediocriter admirandum est, quòd eam angelica visitatione sæpè familiariter confortans, aliqua mœstitia diutiùs affici non permittebat. Quod etiam ex paruis facilè coniectari potest. Audierat enim aliquando de se prolatum detractionis verbum, à quibusdam peruersis & ocio vacantibus: quibus est pessima consuetudo semper derogare de melioribus. Cumq; animus, vt est humanæ fragilitatis, aliquantulùm indè cruciaretur, adest Angelus consolans solitò eam, verbisq; dulcibus permulcens: Quid, inquit, ô dulcissima virgo sponsa Domini Iesu Christi, quid in verbis ociosorum & inuidorum contristaris, cùm tibi sedes parata sit regni cœlestis: illis autem, nisi resipiscant, æternum supplicium & pœna seruetur infernalis? Talibus virgo recreata sermonibus, obloquentium vanitates non curauit vlteriùs. Ociosis familiaris ob tractandi libido.

XVII. POST hæc autem, vt in vita B. Gisleni pleniùs inuenitur, dum beatus Amandus Dominica nocte plenus dierum, tanquàm frumentum maturum in horreum cœleste condendum, palea carnis deposita migraret: in ipsa verò hora, beata Aldegundis vigilijs & hymnis in Ecclesia cœnobij Malbodiensis, coram altari glorioſæ genitricis Domini nostri Iesu Christi Mariæ, incumbebat suppliciter. Et quoniam illum in hac vita multùm dilexerat, vtpotè cuius doctrina culmina virtutum edocta conscenderat, Domini Saluatoris gratia reuelauit ei, & cuius esset meriti, quem exhortantem susceperat: & quòd illa sequeretur in proximo, quò dux ille præcedebat. Orans enim, in ecstasi mentis eleuata, [b] cõtemplatur senem virum, cano vertice reuerendum, sacerdotalibus & præclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem, ad superna transire, turbamq; copiosam albatorum antè & post eum iter habere: seipsam quoq; virgo sancta lætabatur in eodem comitatu simul properare. Cumq; requisita, quis esset dux ille tam gloriosæ multitudinis respondisset se nescire, sic Angelus inquit: Amabilis Deo Amandus à sæculo migrauit, & quoniam in vita sua sine macula, seipsum gratia Dei curauit seruare, atq; sibi commissa talenta disponendo fideliter duplicauit, modò cum sanctis animabus, quas verbo & exemplo Domino acquisiuit, ad gaudia sui Domini tam glorioſus ascendit. Hanc visionem prudentissima virgo nulli secum habitantium eo die reuelans, beato Gisleno mandauit, vt cum sorore beata Waldetrude gratia visionis ad se dignaretur venire: quibus venientibus in locum, qui dicitur * Meruius, festinauit obuiàm ire. Cumq; visionem suam inter alia salutis colloquia beato Gisleno manifestâsset, intelligens vir Dei, quid illa visio præsignaret, altè suspirans: O charissima soror, inquit, amabilis & deuota sponsa regis æterni Domini nostri Iesu Christi, gratias age sine intermissione diuinæ dignationi, quæ tibi dulcissimi pastoris & iam factum ad cælestia transitum, & tuum in proximo futurum, præmonstrauit. Vndè quia cœlestis iam dulcedinem patriæ, saporemq;, Domino reuelante, prægustâsti, necessarium est, vt omni instantia in eius obsequio perseueres, donèc ea, quæ se diligentibus repromisit, merearis adipisci.

[b] Visio. Hanc visionem etiam habes 6 Februar vitæ S. Amandi. * *Memrimus.* S. Gislenus ei exponit visionem.

XIIX. VIDIT etiam aliquandò beata Aldegundis in visu, demonstrante Domino, valde tristem humani generis inimicum: ac percontans illum solicitè, requisiuit quæ tanta contra humanum genus esset eius peruicacia: quid emolumenti sibi futurum speraret, dum tot millia hominum ad infernum impellere non cessaret. Cui malignus respondit, inuidiæ non modicæ se dolore torqueri contra filios Adæ: qui quotidiè illuc ascenderent, vndè miser ipse cum suis exularet. Vidit dæmonem.

XIX. STVDIOSISSIMA diuinæ legis, indesinenter esuriens verbo cœlesti satiari, virorumq; sanctorum ac religiosorum vitam cupiens imitari, beatum Humbertum apud Mariculas habitantem, virum in sanctitate magnificum, illustratum scientia diuinæ scripturæ, signum Crucis ab Angelo expressum gestantem in vertice, virgo prudens visitauerat: pabulo diuini verbi per aliquot dies affluentia oris eius epulata, cum illo circa vicina monasterij quadam vice deambulat: sed æstuante feruore diei, cùm penè siti deficeret, orante viro Dei cum ipsa virgine, fons ilicò [a] dulcis è terra nouus emanauit: virgo reficitur, fons vsq; in præsens non deficit. Beatus autem Humbertus depositionis suæ diem prænoscens, lineas vestes ad vsus exequiarum suarum ab ipsa virgine postulauit: propter quas dum mitteret deferendas, missus alter à virgine præsaga futuri, legato beati viri in medio itinere cum vestibus postulatis occurrit. S. Humberti encomiũ. Huc refer c. 4. & 5 vitæ S. Humberti, quæ est 6 Septemb. [a] Miraculũ.

XX. BEATA igitur Aldegundis, quæ sibi Dominum Saluatorem elegerat sponsum, frequentibus Angelorum confortata visionibus, qui sæpiùs illam multis modis, vtpotè conseruam & conciuem recognoscentes, familiariter alloquebantur, præsciens ex reuelatione Spiritus sancti dormitionis suæ diem appropinquare, deprecata est Dominum, vt qui sanctos sanctificat adhuc, & iustos iustificat adhuc, & qui flagellat omnem filium, quem recipit: dignaretur ancillam suam in præsenti, sic flagellando carnem, purgare, quatenùs anima post hanc vitam in requiem Domini sui sine macula valeret introire. Sciebat enim in hac vita neminem tam perfectum esse, qui posset omnis peccati contaminatione prorsus carere. Non distulit diuina bonitas præstare misericorditer, quod illa petiuit humiliter. Nam in dextera mammilla, non post multum tempus morbus, qui vacatur cancer, subortus est, qui corpus illius exæstuans, vsq; ad vltimum diem vitæ depastus est. Virgo verò prudens, exemplo beati Iob, aliorumq; sanctorum, patienter sustinebat, & tanquàm accepto diuinitùs dono congaudens, supernæ dignationi sapienter gratias agebat. *Apoc. 22. Prou. 3. Hebr. 12.* Cãcer morbus eã corripit. Fert patientissimè.

CVM autem adesse tempus resolutionis eius Angelus præmonuisset, prædictoque die nulla molestia corporis XXI.
eam fatigaret, apparente sibi rursus Angelo, cœpit queri cum eo, cur differretur à regno sibi parato. Cui ille: Scias, inquit, sanctos Angelos hoc tibi à Domino impetrâsse, vt ad perfectionem virtutum adhuc habeas spatium temporalis vitæ. Sed cùm aliquandò tertiana febre laboraret, hebdomada transacta, circa mediam noctem, immittente diabolo, tantus illam sitis ardor inuasit, vt nisi mox biberet, videretur exanimari. Cumque viriliter reluctans, à potu vellet abstinere, vimque febris, non hostis tentationem reputaret, confugit ad orationem. Et eccè antè lucem vidit antiquum hostem, tetra & horrenda facie sibi adstantem, qui fateri coactus est, quòd tantum illi sitis immisisset ardorem: addidit blasphemus, dicens beatæ virgini, restare adhuc duram atque arctam viam, incertumque esse, vtrùm in Dei seruitio perseueraret. Cui virgo constanter: Dominus, inquit, mihi adiutor est, non curo minas tuas. Continuò sathanas aufugit confusus, & sitis ab ea recessit. Post tentationem verò diabolicam, adest multipliciter consolatio diuina. Videt enim in visu tanquàm à Domino se postulantem in eius amore perseuerantiam, ac velut apparentem sibi sacerdotem ipsum Dominum, quod petebat, clementer annuentem. Videt etiam beatum Petrum Apostolum, sibi panem candidum deferentem, seque de manu eius illum cum ingenti lætitia suscepisse. Soror quoque eius audiuit cælitùs per soporem, & suam à Domino acceptam pœnitentiam, & sororem suam virginem promeruisse CHRISTVM.

Sathan eogitur suas ei fraudes fateri.
Contemnitur ab ea.
Visiones S. Aldegũdis.

INTEREA dum virginis animus huiuscemodi visionibus assiduè pasceretur, & ad cœlestia contemplanda sublimaretur, offertur ei paruulus, cuius iam à suis vita desperabatur: quem ipsa protinùs antè cornu altaris proijciiussit. Quod vt factum est, confestim redditus est sanitati. Cumque renunciaretur virgini de subita sanitate infantis, & animaduerteret, hoc ideò contigisse, quòd illum contigerit locum, quo viderat antè paucos dies transisse Dominum: quid nisi Deo gratias ageret? Viderat enim non multò antè, quasi staret in platea, ac velut igneus globus de cœlo superse veniret. Quarto verò die post hæc, media nocte Dominica, cùm ad vigilias ingrederetur Ecclesiam, vna de sororibus egressa, cernit plateam, in qua visio priùs apparuerat, nimia luce splendentem, cùm eadem hora tenebræ totam occuparent terram. Manè facto, colloquentibus indè & mirantibus, intellexit beata virgo causam tanti splendoris, nulli tamen earum tunc manifestauit. Non pòst multum accessit & alius testis harum visionum, affirmans illi, se vidisse Dominum nostrum Iesum Christum cum exercitu Angelorum, antè cornu altaris ipsi virgini colloquentem. Requirens autem ab homine visionis horam, recognouit, ipsam fuisse horam, qua viderat Dominum in visione. Quarto die post hæc sanatus est puer, vt suprà dictum est. XXII.

Puer moribundus sanatur.

SACERDOS quidam boni testimonij, sine reprehensione conuersabatur eo tempore in monasterio à pueritia XXIII
vsque ad perfectam ætatem: qui referre solebat, noctu se vidisse globum igneum descendisse de cœlo super habitaculum, in quo famula Christi ægrotabat. Post hymnos nocturnos, vna de maturioribus ancillis Dei, modicum sopo-
ris degustans, videt beatam Aldegundem antè altare in loco sacerdotis adstantem, corpus Domini in calice fregisse, sibique dixisse: Vade eia, dic sacerdoti, vt in hoc calice mysteria Domini Christi conficiat: & quoniam heri præ valetudine corporis communicare non potui, hodiè particeps fiam corporis & sanguinis Domini. Facta die, processit sacerdos. Missas celebrauit, & in tangendo cernit calicem in aëra subleuatum, ilicò suo resedisse loco. Tunc prædicta famula Dei visionem, quam viderat, & sacerdos de calice in aëre suspenso, ad Christi sponsam vtrunq; detulêre, certitudinem habentes, has visiones obitum illius præsignare.

Igneus globus visus supra domicilium eius.

INTER alia signa virtutum, quæ potentia Saluatoris per ancillam sibi electam operabatur, homo quidam mente XXIV
captus, aut suis exigentibus culpis, aut vt fides virginis manifestaretur, per insaniam capitis penè vsque ad extrema perductus est. Cùm parentes eius de vita ipsius desperarent, adduxerunt illum ad monasterium sanctimonialium, intimantes beatæ virgini cum gemitu, qualia ille miser pateretur. At illa visceribus pietatis condolens misello, fecit eum ad se vespertino tempore perduci. Orauit pro eo, & facto signo Crucis super eum, domùm redire iussit. Qui mox conualescens, restitutus est sanitati. Quinto verò die antè virginis obitum, soror ipsius famula Domini nostri Iesu Christi Waldetrudis, contemplatione cœlestium subleuata, videt in visione, glorioſam Domini nostri Iesu Christi genitricem, cum sanctorum agminibus venientem, atque germanam suam virginem Aldegundem, secum ad sublimia deducentem. In monasterio quoque Niuellæ, vbi sancta Gertrudis corpore requiescit, sanctimonialis quædam nimiæ simplicitatis & obedientiæ, ab amore mundi antè tribunal ad amorem Domini nostri Iesu Christi perfectè conuersa: sexta feria antè diem sabbathi & dormitionis famulæ Dei Aldegundis, circa medium noctis, vidit in visu splendorem lucis intrâsse Ecclesiam beati Petri, vbi iam dicta beata Gertrudis tumulata est, ita vt à pauimento vsque ad trabes vniuersam ædem, quasi meridianus sol illustraret. Dum verò attonita visione tantæ claritatis, timore solueretur: audit choros psallentium, ita vt voces discernere posset virorum ac mulierum, puellarum & puerorum, inuicèm alternando concinentium. Iam verò tertia nocte egressionis eius à corpore, gratia visitationis multis conuenientibus religiosis, atq; sorore eiusdem virginis beata Waldetrude, eccè fulgor ingens nimia claritate refulgens apparuit supra domum, in qua virgo sponsa Domini Christi operiebatur intrepida eius aduentum. Cumque præsentes insolitam mirarentur visionem, ac beata Waldetrudis inter spem metumq; dubia, quidnam præsignaret, tremebunda rei finem expectaret, sancta illa anima, quæ veram lucem Dominum Christum amauit, & præsentiam eius sitibunda desiderauit, carne soluta, cum ipsa luce de hoc sæculo migrauit. Sepulta est autem in villa suæ quondam ditionis, vocabulo Salra: vbi suus vterq; parens, ac soror posteà Waldetrudis, sepulti sunt: In quo iacuit multo tempore, quoad Christo donante corpus eius transiatum est in municipium Malbodium, quod à fundamento constructerat, vbi nunc eius memoria fulget, ac meritis suffragantibus, plurima poscentibus beneficia diuina clementia largiri dignatur.

Hominem insanum sanitati restituit.
Visio S. Vualdetrudis.
Item alterius.
Ingens fulgor appáret sub mortẽ S. Aldegundis.
Migrat in cœlos.

ECCE inter alia sanctorum gesta, quicunque piè legis vel audis, eccè hîc habes, quod imiteris. Adhuc ætate XXV.
puellari terrena despexit, cœlestia concupiuit. Concupiscentiam carnis, virginitatis amore edomuit. Concupiscentiam oculorum, id est, curiositatem, diuinæ lectionis meditatione refrenauit. Ambitionem vitæ, hoc est, superbiam, humilitate calcauit. Contempsit mortalem sponsum, immortalem elegit. Diuitias cùm haberet, non sperauit in pecuniæ thesauris: sed prudenter indigentibus cuncta distribuens, amplexata est paupertatem. Inuénit in agro thesaurum absconditum, & præ gaudio illius omnia vendens, comparauit illum. Quæsiuit bonas margaritas pia negociatrix, inuénit vnam pretiosam, emit, possedit. Tenebras exhorruit, lucem amauit, cum luce migrauit, lumen vitæ perennis habebit. Igitur imitare, quod legis: viue, sicut vixit: incede, quà incessit: ac sine dubitatione peruenies, quò peruénit: adiuuante gratia conditoris, qui misericorditer operatur in sanctis suis, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, Amen.

Vt sit imitanda.
Matth. 13.
Psalm. 67.

VITA

VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM ET MIRABILIVM OPERVM EFFECTORVM, ABBATIS CYRI ET IOHANNIS, EX Simeone Metaphraſte.

AN. 280.

I. CYRVS ille, clara ſtella martyrum, ex clariſſima quoque fuit ciuitate Alexandria, quæ ſita eſt in Ægypto: quam fama eſt ædificaſſe Macedonem, & eam ſuo impertiiſſe nomine. Erat autem Cyrus, religione quidem fidelis à parentibus, vita verò laudabilis, arte autem medicus: eius officina in hodiernum vſque diē nota oſt omnibus, ſed mutato nomine, vt quæ iam Dei templum & ædes ſanctorum trium puerorum appelletur: ſimul verò quodammodo commutata etiam operatione, aut effecta potius diuiniore, & pro illa priore morborum liberatione, quam præbebat ars medicina, laboreſque, & artis medicamenta, modò omnis generis & quæ ſua ſponte fiunt, ſcatens miraculis: Quemadmodum autem hanc acceperit mutationem, ab alto petita declarabit oratio.

IAN. 31. Cyrus medicus. Eius officina mutata in templū.

II. APOLLINARIS, non vehemens ille veritatis & rectorum dogmatum inimicus, qui etiam in Laodicenam ſedem magnum effudit dedecus: ſed ille potius ardens amator veritatis, & defenſor piorum dogmatum, tanto illo gloria & moribus excellentior, quanta erat in eodem nomine conuenientia, cui cùm Dei ſententia commiſſa fuiſſet ſedes Alexandrina, vt vult vera, quæ de ea iactatur, fama, quòd diuino iudicio & cuiuſdam viri, qui futura præuidebat, prædictione, eius fidei ſacerdotalis eſſet ſedes credita. Hic ergo Apollinaris cum iam peruenisſet ad pontificatum, alebat etiam quendam ſuæ ſororis filium, diligenter admodum & ex virtute: vt quomodo eum habebat genere propinquum, ita multo magis eum redderet vita coniunctum. Cùm verò is ad virilem peruenisſet ætatem & ad florem iuuentutis, non, vt multi iuuenes, ſe dedit & permiſit naturæ appetitionibus, laxatis frenis omnibus: neque clam noctuque egrediendo voluit non honeſtas ſuffurari voluptates, ſed potius volens nihil ei eiuſmodi accidere, ad patruum ſuum & pontificem liberè & ingenue accedens, petiit legitimæ vxoris coniugium. Vir autem ille verè diuinus, cum ne auditione quidem, quod dicebat, accipere ſuſtinuiſſet, apud eum multis verbis eſt vſus, turbas matrimonij reuocans in memoriam, & tentans eum ab illa abducere ſententia. Poſtquam vero vidit eum valde inſtare, & de conſtantia ne tantillum quidem remittere, valde pulchre hoc excogitat, dicens ſe cupere excitare templum tribus ſanctis pueris: cuius quidem ædificationis oportet te, inquit in præſentia curam gerere, & cuius ſtudio teneris, id tibi ſuccedet ex ſententia. Audijt ille, & lubenter admodum ſuſcepit quod iuſſus fuerat, calorem cupiditatis bona ſpe refrigerans & recreans.

Apollinaris Epiſc. Alexandrinus.

III. ERAT autem illic quidem locus, qui vocabatur Doryzim. Quo quidem in loco cum viſum eſſet excitare ædem, ipſe toto ſtudio inſtabat operi: & illud quidem ſtatim ad gerontocomium, hoc vero deputabatur ad atrium: atrium autem intercipiebat hanc, quæ vulgo celebratur, officinam: Quam quidem cum in templum mutâſſent, à nomine ſolum, vt iam prius diximus, non autem à re etiam receſſerunt, niſi quod eam effecerunt veriorem cuiuſuis hominem morbi medendi officinam. Sed ea quidem hoc modo eſt tranſmutata, & ex medici officina templum eſt conſtitutum: verè quidem gratuita, & nullam accipiens mercedem medici officina, velox morborum liberatio, curatio quæ nullam habet dilationem, ſed eorum, qui laborant præueniens petitiones. Nobis autem ſunt etiam ea, quæ deinceps conſequuntur addenda, neque ſunt pulchro priuandæ miraculo aures, quæ vtiles ſitiunt orationes, etiamſi ab inſtituto ſatis longa videbitur digreſſio, additio narrationis.

Templum trium puerorum extruitur Alexandriæ.

IV. NAM cum adoleſcens toto ſtudio in ædificando fuiſſet occupatus, in templum quidem officina breui fuit mutata. Noſocomium autem & gerontocomium ab eo conſtructa ſunt: & omnia non longi temporis ſpatio ab eo ſunt perfecta. Deinde accerſijt Apollinaris virum quendam, qui gregi præerat, & erat virtute inſignis. Cui cum dediſſet literas, emittit eum ad tres ſanctos pueros Babylonem. Literis autem ſupplicabatur, vt aliquæ ex illis ſacris reliquiis mitterentur ad templum, quod erat Alexandriæ, quod ipſe multis ſumptibus & multis laboribus conſtruxerat. Talis erat enim in eos amor Apollinaris cum ardenti & viua fide, vt tot iam ante annis conſummatos, tanquam adhuc viuos, epiſtolam eſſe ſenſuros, & ſuis eum eſſe membris impertituros crederet. Cùm ergo ille magnus & rerum verè magnarum miniſter hanc viam confeciſſet, & Babylonem peruenisſet, & ante ſacras illas ſtetiſſet reliquias, & manu indicâſſet literas, & plurimum rogaſſet, vt literas acciperent, & pontificem ijs, quæ petebat, impertirent: qui erat eorum medius, tanquam à ſomno excitatus, (O diuinam prouidentiam, ô ſtupendam narrationem) cum manum ſenſim porrexiſſet, & epiſtolam accepiſſet, rurſus nihil adijciens decubuit.

Nota rem mirandam.

V. LITERARVM itaque tabellarius, miraculum quidem admiratus, quod nihil autem eſſet cõſecutus eorum, propter quæ venerat, animo cruciatus, cùm tota hebdomada in templo permanens & precatus nihil profeciſſet, reuerſus eſt animo anxius, & pro reliquiis ferens Apollinari lachrymas. Ille autem cum ne ſic quidem deſpondiſſet animum, nec curam abieciſſet inſtituti, quod habebat in manibus: (eiuſmodi enim res eſt deſiderium: non ſolet ſpem abijcere non eorum ſolùm, quæ ſunt difficilia, ſed nec eorum quidem, quæ non poſſunt omnino fieri) Abi, inquit, rurſus ô vir optime, & vehementius à ſanctis pete meo nomine: & ſi eos quidem aliqua ſubeat miſeratio, noſtris placati precibus, præbeant aliqua ex ijs, quæ petimus: Sin minus, accepta epiſtola reuerteris, & mihi erit ea res pro reliquiis, nam nec illa quidem erit expers ſanctificationis, vt quæ recte ſit accepta, & iam longo tempore ſacra membra contigerit. His quoque paret magna vir ille obedientia. Oportebat enim, vt arbitror, tali ſeruire deſiderio talem parendi alacritatem. Et cum rurſus veniſſet Babylonem, & ad ſanctos acceſſiſſet, vehementer rogabat, ſupplicabat, obſecrabat, lachrymis magis quam verbis implens ſupplicationem: ne has ſecundas preces patriarchæ contemnerent, neque ſecundos ſuos itineris labores deſpicerent: ſed quod ille eis templum ædificauit ad honorem, hoc ſuis membris viciſſim glorificarent. Hæc precatus quidem eſt, ſed nihil profecit.

En quantopere cupit ſacras habere reliquias.

VI QVOCIRCA cùm ſpem abieciſſet reliquiarum, (Sed eſt diligenter attendendum: audietis enim rem quidem ad audiendum iucundiſſimam, & ad admiratione afficiendum animum diuiniſſimam) cum ille ſpem diuinarum abieciſſet reliquiarum, ſtudebat ipſam ſaltem recipere epiſtolam, vt ei iuſſum fuerat, ei, qui erat fide ardenti, impleturam locum reliquiarum. Cùm ſic itaque manum manui admouiſſet, ſuam manui martyris, & epiſtolam accepiſſet, illam quidem traxit ad ſe: eam autem ſecuta quoque eſt pulchra manus martyris. Quam cùm ſic vidiſſet diuiſam à toto corpore, deſiderantibus ſimul & venerantibus amplexus manibus, in precioſo theſauro reponens, quæ ſunt precioſiſſima, lubens peruenit Alexandriam. Quam ob rem quis vel patriarchæ voluptatem & lætitiam, vel rurſus populi feſtiuam celebritatem potuerit oſtendere? Quam ſapienter autem ſe geſſerit in præſtando promiſſo ſuæ ſororis filio, audire eſt operæ precium. Nam cum ſequenti die totum, qui ei ſuberat, clerum conuocaſſet, manum quidem illam, & cũ ipſa epiſtolam, quæ ab ea tenebatur, ſacroſanctè ſimul & præclare deponit: & cum alia in templo ſplendidè & magnificè peregiſſet, idque de more Chriſtianorum conſecrâſſet, adducto deinde ſororis filio, & ſacerdote ordinato, loco alterius coniugis ei deſpondet eccleſiam, ei dicens: En tibi vxor. Sed eius, vt par eſt, curam gere. Hoc dictum

Manus vnius è tribus pueris fertur Alexandriam.

sic affecit adolescentem,& eius sic tetigit animum,& dimouit cupiditatem,vt maiore virginitatis fuerit deinceps captus amore,quàm antè matrimonij.Sed de his quidem satis.

VII. NOBIS autem rursus Cyri & eorum,quæ ad Cyrum pertinent,facienda est mentio:quem quidem proposuimus argumentum præsentis orationis.Hic ergo cùm in arte medicina aliorum fuisset excellentissimus , nihilo secius erat etiam vita hominibus vtilissimus:arte quidem corpora,moribus autem curans animas: vel potius per artem persuadens,vt morum curam gererent,& docens morbum animæ esse morbo corporis longè difficiliorem:quod huius quoque ille sæpe causa sit, Domino omnium & medico studente per morbum corporis, vt nos animæ vitium deponamus:quod quidem est morborum re vera longe periculosissimum,& curatu difficilimum.Ad ægrotos enim ingrediēs Cyrus,non Galeni & Hippocratis & similium omnino meminerat.is enim secundo loco eorum habebat rationem: sed à nostro fonte sumens,propheticaque & apostolica atque etiam paterna eis multa dicta accinens,& deinde etiam gratiam adiiciens,efficiebat vt sani essent,non solum corporibus,sed & animis:& parua rogantibus & ea dabat, & iis multo maioribus,quæ quidem sunt,Dei agnitio,vitii purgatio,salus animæ,eis gratificabatur:multos quidem ex piis adhuc stabiliores efficiens ad veritatem,multos autem etiam ex infidelibus ab errore liberans gentilium. Is vero tunc erat frequens,& multos atque adeo plures inuaserat,tunc sceptrum tenente Diocletiano,qui non magis erat insignis diademate,quàm nimia superstitione. Nam in hoc quidem multos inuenies, quibus ipsum assimilaueris:in illo autem,omnino paucos.

Cyrus medicus excellentissimus

VIII. CVM vero nec fieri posset,vt malignum hæc laterent,neque si non latuissent,ferre erat facile:res enim, quæ difficiliter contineri potest,& impudens est vitium,hæc peripsum significantur Præsidi ciuitatis: qui magno quoque incitabatur furore in Christianos:qui comprehensum quoque Cyrum statim iubet duci.Ille autem cum iussum cognouisset,recedit à ciuitate,& venit in Arabiam,quæ est in finibus Ægypti.Nemo autem eum condemnet imbecillitatis, neque pusilli & abiecti animi.Non enim adspiciens ad crudelitatem Præsidis,neque propter Christum afferenda tormenta reformidans, neque vlla motus animi mollitia,exiit è ciuitate:sed partim quidem implens præceptum Domini:Quando enim,inquit,persecuti vos fuerint in hac ciuitate,fugite in aliam:partim vero etiam per ocium volens seipsum considerare,& cor suum acuere,& deinde aggredi ad pericula pro Christo suscipienda:forte autem diuina quoque prouidentia eum vocante in Arabiam propter infideles,quos illic erat ad Christum adducturus,& fideles rursus effecturus constantiores.Cum ille ergo sic & propter hæc venisset in Arabiam, statim mutat habitum , vitæ formam & studium: & cum caput cute tenus totondisset, amictu induitur monastico,& ad viuendi rationem extollitur sublimiorem.Deinde etiam mutat modum curationis.Non amplius enim medicus Cyrus dicebatur aut erat, nisi quod solum faciebat potius miracula:non medicamentorum,non herbarum omnino vtens auxiliis , sed prece sola & doctrina:hac quidem aduersus animas,quæ malè se habebant:illa verò,aduersus corpora.

Cyrus fugit in Arabiam.

*Matth.*10.

Nota tonsuram & habitum monasticū

IX. CVM ergo eius fama totam peruasisset Arabiam , & iam ad Iohannis quoque aures virtutes illius peruenissent: Iohannem, inquam,illum,qui genus trahebat ex patria Edessa,moribus autem erat vere ciuis cælestis, erat vero militari insignis authoritate. Cum hæc ergo fama ad illum quoque peruenisset,& alioqui cùm Diocletianus intentasset persecutionem,præclarus hic miles,mutato ordine,& humano relicto exercitu,egregiè relatus est in numerum Christi militum , & maluit se fortiter gerere aduersus eius hostes, quam aduersus eos, qui sunt hostili animo in homines. Quamobrem statim abiectis omnibus,opibus,diuitiis,gloria, authoritate,venit Hierosolyma. Deinde etiam proficiscitur in Ægyptum,amore Cyri eum trahente citra laborem,& toto pede eius gressum accelerante ad eum , qui est eiusdem fidei:vt qui vnà cum illo philosophari & vnà exerceri constituisset. Qui cùm ad eum accessisset, & vnà cum eo habitasset,fuissetque pulchrorum illius certaminum & miraculorum spectator,erat nouacula cotem nacta,& deinceps ad eum adspiciebat,& virtutis eius vestigia diligenter sequebatur : non vt qui longe ab eo abesset vt discipulus, sed qui eius similitudinem accurate assequeretur.Cum autem persecutio spirasset,vt diximus,vehementius,tres quidem numero virgines cùm matre comprehenduntur, quæ res sectabantur Christianorum : ducuntur vero in ciuitatem Canopum,cum Cassianus execrandum eorum,qui dij non sunt,exerceret sacerdotium,Syrianus autem ciuitatis haberet administrationem.Hæc autem non virginibus & matri solis,sed etiam ipsi quoque Cyro & Iohanni, fuerunt veluti proœmia & principia martyrij,& iam incipiebat eis cōtexi corona.Veritus enim Cyrus virginum teneritudinē, ne aspera reformidarent supplicia,quandoquidem erant ætate admodū iuuenili:Theoctiste enim,quæ erat triū ætate natu maxima,decimum quintum annum nondum attigerat:Theodota autem,quæ eam sequebatur, agebat annum quartumdecimum:Eudoxia verò omnium minima,agebat annum vndecimum.

Iohannes vir militaris se iungit Cyro.

Theoctiste. Theodota. Eudoxia.

X. HIS ergo de causis timore affectus Cyrus causa virginum , quandopuidem hæc ætas, & maxime inter mulieres, non solum facile vinci potest metu suppliciorum, sed etiam blanditiis nullo negocio corrumpitur: existimauit esse necessarium,descenderet ad ciuitatem,& eis,quoad eius fieri posset,adderet animum ad certamē. Nam nec erat quidem extra suspicionem de earum matre Athanasia: partim quidem , cùm ea sciret esse mulierem:partim autem matrē quoque filiarum tam teneræ ætatis,quæ scit matris oblectarē oculos,& ne ipsæ graue aliquid patiantur, efficiet quod nolint aliquid,quod non vult mater.Hæc Cyrum metu replebant,dubitantem ne mater quoque frangeretur iuuentute filiarum,ne eius paterentur viscera,& victa à natura,miserabile aliquid,quo se cedere significaret,eis diceret,aut etiam annueret. Hæc ergo,vt diximus,dubitantem Cyrum inducunt in ciuitatem. Eum autem egregius quoque sequebatur Iohannes. Fiunt verò illi eis aliptæ ad certamina , & pulchrum exemplar martyrii : quod quidem erat , non illas adducere ad martyrium , sed suam ipsorum confessionem manifestam efficere : vel potius vtrumque per se inuicem , vt & ipsi propter virgines liberè suam ostenderent pietatem , & illas per se Christo offerrent hostias.

Athanasia.

Nota sancti viri piū timorem.

Aliptæ verbum græcū est,& significat vnctores , qui athletas certaturos vngebant.

XI. CVM itaque rursus suæ improbitatis non negligentes ministros inuenisset inimicus, eis persuadet præsidi dicere de martyribus:quod scilicet sint quidam ignoti,vnusquidem monastico , alter verò militari induti amictu, qui efficiunt,vt modo comprehensæ virgines,deos quidem nostros despiciant, totisque viribus adiurent & execrentur corū religionem,Cæsarisque iussa contemnant:Iesum autem quendam solum laudent,& ei, quæcunque Deo,tribuant:& ad ostendendam suam in eum beneuolentiam,mortem parui faciant. Syrianus igitur cum hæc non leuiter tulisset, sed viros præclaros in suum conspectum produxisset: Vos,inquit,infelices & hostes deorum beatorum: vos, qui virginibus quidem conamini persuadere,Christianorum autem res studetis augere: Cæsarem vero omnibus modis afficere contumelia:Sed etsi non prius,nunc quidem certe ab hac vana deficientes religione, precibus & sacrificijs deos placate maximos:Hoc enim non efficiet solum,vt sitis liberi à suppliciis,sed etiam,vt digni videamini honoribus:Sin minus,mox quidem scietis Syrianum: scietis autem Imperatorem quoque Diocletianum:quinetiam deos ipsos, aduersus quos hæc stolide audetis,quam gratiam suis referant cultoribus,etiamsi sint mites & benigni.

Martyrum constantia.

XII. AD hæc Cyrus & Iohannes:Nos,dixerunt,ô præses,de multis pauca dicere consueuimus:Scias ergo,nos nec esse infames honores admissuros,neque Christianismum,quicquid fuerit,prodituros:Hæc cùm audiisset Syrianus, & vehementi cordis ira esset commotus,& dentes instar apri exacuisset : Oportebat,inquit,vos in hoc saltem vti benignitate iudicis,quod moti pœnitentia eorum,quæ prius statuissetis,si vlla esset sapientia,minas euitâssetis. Quoniam autem

tem vniuersum, vt video, est fastus & arrogantia & inanis iactantia, non prolixis verbis amplius erit opus, sed iam ad ipsam veniemus experientiam. Sic enim ipsi & quæ desideratis præmia omnino consequemini, & vt quæ iussit Imperator faciatis, vel inuiti persuadebimini. Hæc cũ dixisset, & produxisset virgines in conspectum martyrum, vt viderent quæ fiebant, inferebat athletis omne genus tormentorum, flagellis cædebat, clauis conterebat, lampadibus vstulabat, & cum, quæ vsta fuerunt, membra aceto & sale madefecisset, deinde pannis ex pilis confectis iubebat abstergere, & bulliente pice pedes inungebat. Nihil denique non faciebat ex iis, quæ possent corpus aliquo modo punire: simul quidem & eorum vlciscens constantiam, & virginum spiritus prius labefactare moliens. Atrociter cruciantur.

XIII. Cvm autem eos, qui videbant, videretur potius castigare quàm martyres, (illi enim vel ex solo patiebantur spectaculo, propter insignia supplicia: his verò omnia erant iucunda, propter spem remunerationis) ipsos quidem relaxat à tormentis, iussit autem virgines torqueri vna cum matre. Postquam autem faciens periculum, maiori pudore afficiebatur, vt qui nec mulieres quidem posset solum vincere: cernebantur enim sexu solum Christi martyres siuisse præstare, non minus vero esse animis, quam sint ipsi, masculis, eosque ad vnguem plane esse imitatæ. Postquam ergo hæc vidit iudex impius, eas morte condemnat, & earum, quæ vita dignæ erant, sicut etiam factum est, capita amputari pronunciat. Atque cum virgines quidem vnà cum matre manus lictorum accepissent, morti quæ ense infertur, tradiderunt nihil muliebre aut ignauum ostendentes in cæde, sed reddentes, id quod acceperant, & eis effectas exemplar fortitudinis, quos ipsæ prius pulchrum acceperant archetypum ad virtutem magni animi. Cyrum autem & Iohannem iudex rursus vocauit ad luctam: quibus quid non fecit impius, volens eos ad suam traducere sententiam? Prolixa vtebatur oratione: se eorum curam gerere præ se ferens: minabatur grauissima parere nolẽtibus, proferebat dona subijciebat tormentis, alia inferebat maiora, non solum supplicia, sed etiam munera: vt qui existimaret contempta fuisse priora propter egregiam magni animi virtutem, aut præclarum & magnificum desiderium. Cùm verò omnia faciẽs nihil proficeret, in eos quoque fert sententiam: Cyro, dicens, antistiti Galilæorum, & Iohanni, qui est ei in religione similis, qui non cesserunt iussui Imperatoris, & sacrificia maximis diis non obtulerunt, pronunciamus amputari capita, conuenienter legi Imperatorum. Tres puellæ cum matre torquẽtur. Perimũtur.

XIV. Hanc cùm sententiam tulisset Syrianus, ij statim humana quidem manu accipiunt amputationem: immortali autem eam, quæ è cælo datur, coronam, tricesimoprimo mensis Ianuarij. Reliquias autem pij minimè neglexerunt, reueriti difficultatem temporis sed maximo studio eis statim manus admouentes, eas piè & sustulerunt, & cum composuissent, singulas in templo Marci Apostoli honorificè deponunt, nisi quod eis sunt capsæ diuersæ. Alteri enim, Virginum & matris reliquiæ: alteri verò, Cyri & Iohannis, rursus mandantur. Procedente autem postea tempore, cum Gentibus quidem esset dissoluta tyrannis, Theodosius verò regni sceptrum accepisset, piæque religionis amicis Christianis piè præesset: eæ & mouentur & transferuntur. Quomodo autem, non erit piis ad dicendum iniucunda narratio. Plectuntur capite Cyrus & Ioannes, anno 9 persecutionis Diocletiani Imp. vt notat Baron. in Martyrol.

XV. Cvm Theodosius, vt diximus, paulo ante suscepisset imperium, maximum & difficilimum bellum mouetur ab Occidente. Cùm enim repentè multæ gentes simul conijssent, & fœdus inter se inijssent, minabantur in Romanorum regionem grauem irruptionem. Veritus ergo tunc magnus inter Imperatores hic Theodosius, neque ad colligendas adspexit pecunias, neque magnam aliquam manum inuocauit ad auxilium: sed ille in omnibus semper pendebat à manu illa superna. Sic ergo tunc quoque fecit, & id faciens, spe nequaquàm est frustratus. Cum enim intellexisset, quod in Scete (est hæc autem solitudo in Ægypto quidem sita, sic vero nominata) philosophatur vir quidam, genere quidem ipse quoque Ægyptius, maximorum autem effector miraculorum, scribit protinus ad Theophilum Alexandriæ Episcopum, iubens vt efficiat, vt vir ille admirabilis quamprimum veniat Constantinopolim. Eis autem literis quoque continebatur, quid eius aduentu opus esset. Ille vero ijs acceptis, statim ad eum venit, & datis literis, preces Imperatoris & vsum, qui vrgebat, significat Deinde etiam ipse quoque ex se facit, quæ potest: vehementer rogat, orat, supplicat, nè preces despiciat Imperatoris, neque suos vilipendat labores: sed veniat ad ciuitatem, & bellum, quod in eam paratur, suis auertat precibus, & à tanto periculo & metu eam liberet: vtpote quod in eius potestate situm sit, vt ciuitas vel salua sit, vel intereat. Senuphiũ monachũ Imperator ad se euocat: quo id tempore acciderit incertum est, eandem historiam & Glicas refert Annal part. 4.

XVI. Admirabilis autem ille Senuphius (hoc enim nomine vocabatur) primum quidem vt est consentaneum, ne rogaret prohibuit, non ad mensuram eius, quam habebat, gratiæ, sed ad mensuram potius eius, qua erat diues, humilitatis adspiciens. Magna est, inquit, mea in ciuitatem beneuolentia & ipsam valde saluam esse cupio: sed non voluntatem quoque vires consequuntur ex ea, quæ est ad Deum, fiducia. Quinetiam rogauit ipsum Alexandriæ episcopum, nè de eo talia sentiret, neque eum putaret vulgo antecellere. Cum eum autem ipse omnino non dimitteret, nec sciret deinceps magnus quidnam faceret Senuphius, discessum quidem suum pulchrè differt: dat autem sic quoque auxilium, idque facit admirabilius. Nam & statim stetit ad Orientem, & cùm superhumerale & baculum in cælum sustulisset, Domine Deus, inquit, Deus exercituum, da huic meo superhumerali & huic baculo, vt tantum possit, quantum ego ipse, si illic adessem. Hæc cum Deo dixisset, quæ habebat in manibus, dat statim Pontifici. Hæc accipe, dicens, & mitte statim ad Imperatorem. Ille autem super humerale quidem imponat capiti, baculum verò manu ferat. Deinde quando opus fuerit manus conserere cum inimicis, præcedat omnes alios, & audacter procedat aduersus inimicos. Nam si ego quidem possim à Deo exaudiri, existimo fore, vt ipse sit illis terribilis, & sine sanguine glorioſam referat victoriam. Senuphii humilitas.

XVII. Hæc cùm ad Imperatorem lubenter essent allata, ille quidem munit caput superhumerali, quauis galea tutius: baculo autem munit dexteram, lancea longe validius: & hac ratione confidens fore, vt videretur hostibus terribilior, quàm olim, vt aiunt, claua Hercules. Iam accedentibus hostibus, ipse primus præcedit, ducens totum exercitum. Propter Senuphij autem ad Deum orationem nulla erat dilatio, sed res statim finem accipiebat. Simul ac enim eum viderunt barbari, eum admirati tanquam vnum ex cælestibus, ad fugam statim spectabant, & pedum virtutem laudabant. Fugiebant vero non aliquo certo ordine, vt qui non essent omnino obliti virium: sed vt qui essent emotæ mentis & perterriti, alius alio dispersi, terga volẽtibus facilia, expedita venatio, secura persecutio & libera ab omni periculo, ipsi potius propter fugam, quæ erat sine vllo certo ordine, plagas & vulnera, atque adeo mortem sibi inuicem conciliantes: adeo vt Imperator non solum sine sanguine, sed etiam sine labore hanc victoriam retulerit. Festum ille nominauit hunc diem, & nunc quoque post tãtum tempus magnificè celebratur ab Alexandrinis, nominaturque ab eis Iconium. Ab eis enim Imperatoris facta est quædam statua, eo, quo tunc, nodo, armata: & capite quidem induta superhumerali, dextera autem tenens baculum. Nota hæc de habitu monachi & pietate tãti Imperat. Victoria Theodosii admiranda

XVIII Cvm verò gentiles nondum effloruissent, is, qui Alexandrinæ præerat ecclesiæ, destruit quidem omnes cultus dæmonum, sacris autem ædibus ornauit ciuitatem, imaginibusque & donarijs, Canopique extruxit templum Apostolis, magnitudine insigne & pulchritudine, quod nõ minus quam decem stadia abest à ciuitate. Est autem ipsis quoque gentilibus locus insignis & non parui nominis. Id vero licet conijcere, & ex via, quæ fert ad ipsum, vt quæ tota constrata est tabulis & recte concinnatis lapidibus & suburbiorum & balneorum ornata est multitudine: quæ quidem fama est adhuc vigintiquatuor nostris mansisse temporibus: habet autem & forum, & abundat copia rerum venaliũ: Ab hac enim ciuitate, Canopo, inquam, distat quidam vicus spatio duorũ stadiorũ, nomine Manuthe. Hic autẽ vicus erat

erat dæmonum habitatio,& versabantur in eo maligni spiritus. Theophilus verò hic, præsul, vt prius diximus, Alexãdrinus, cum voluisset reddere locum purum à dæmonibus, Christique Euangelistarum & Apostolorum characteribus & figuris, vt ad eum conseruandum idoneis, occupare, id quo à statuerat non perduxit ad effectum. Interim enim mors aduenies, quæ est hominibus res inexorabilis, abducit eum à vita præsenti. Deinde autem Cyrillo quoque, qui post ipsum sedi successit, non parum erat curæ liberare locum à dæmonum iniuria.

Angelus iubet reliquias Sanctorum in vico reponi contra dæmones.

CVM verò de ea re sæpe Deũ rogasset, angelus ei apparens in visione, iubet vt magni illius Cyri & Marci Euange- XIX.
listæ reliquiæ in hoc vico reponerentur. Sic enim fore, vt à dæmonum nocumento liberetur. Cur autem non Iohannis quoque dixerit, satis quidem ostensum est à Cyrillo, est autem omnibus quoque per se manifestum, quod nomine Cyri, omnino Iohannis quoque nomen simul ostenditur. Sicut enim mores sunt eis communes, & quæ propter Christum facta est confessio & consummatio: ita etiam simplex est omnino vocatio & citra vllum discrimen. Hinc in Manuthe martyricæ eorum reliquiæ vicesimo & octauo mensis Iulij præclare simul & sacrosanctè transferuntur, vici custodia, dæmonum fuga, à morbis liberatio: & nunc locus est Deo consecratus, illiusque martyribus & administris, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi, quem decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Baronius in Martyrol ad 31. Ian.

SS. Cyri & Ioannis Martyrum corpora Alexandria Romam translata, & in via Portuensi è regione basilicæ S. Pauli trans Tiberim in Ecclesia vulgo S. Passaræ, sed in antiquis codic. S. Praxedis dicta, reposita sunt, vbi hæc carmina de ijsdem martyribus marmori inscripta leguntur.

Corpora sancta Cyri renitent hic, atq; Ioannis,
Quos quondam Romæ dedit Alexandria magna.

AN. 380. Tom. 1. Epist. 16.

VITA S. MARCELLÆ VIDVÆ, AVTHORE D. HIERONYMO AD PRINCIPIAM VIRGINEM.

IAN. 31. qui translationis eius dies est vt notat Bar. annal. tom. 5 ad an 410.

SÆPE & multum flagitas, virgo Christi Principia, vt memoriam sanctæ fœminæ Marcellæ literis recolam, & bonum, quo diu fruiti sumus, etiam cæteris noscendum imitandumque describam. Satis do- I.
leo, quod hortaris sponte currentem, & me arbitraris indigere precibus, qui ne tibi quidem in eius dilectione concedam: multoque plus accipiam quam tribuam beneficij, tantarum recordatione virtutum. Nam vt hucusque reticerẽ, & biennium præterirem silentio, non fuit dissimulationis, vt male existimas, sed tristitiæ incredibilis, quæ ita meum oppressit animum, vt melius iudicarẽ tacere in præsentiarum, quam nihil dignum illius laudibus dicere. Neque vero Marcellam tuam; immo meam, &, vt verius loquar, nostram omniumque sanctorum, & propriæ Romanæ vrbis inclytum decus, institutis rhetorum prædicabo, vt exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus, & stemmata per proconsules & præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, & eo nobilius, quod opibus & nobilitate contempta, facta est paupertate & humilitate nobilior.

ORBA patris morte, [a] viro quoque post nuptias septimo mense priuata est. Cumque eam Cerealis, cuius [b] clarũ II.
inter consules nomen est, propter ætatem & antiquitatem familiæ, & insignem, quod maximè viris placere consueuit, decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosius peteret, suasque longæuus polliceretur diuitias: & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere: Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltrò appeteret, illa respondit: Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante, posse & senes diu viuere & iuuenes cito mori, eleganter lusit: Iuuenis quidem potest cito mori, sed senex diu viuere non potest. Qua sententia repudiatus, exemplo cæteris fuit, vt eius nuptias desperarent. Legimus in Euangelio secundum Lucam: Et erat Anna prophetissa filia Phanuelis de tribu Aser: Et hæc prouectæ ætatis in diebus plurimis. Vixeratque cum viro suo annis septem à virginitate sua. & erat vidua annis octoginta quatuor, nec recedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus Domino Luc. 2.
seruiens die ac nocte. Nec mirum, si videre meruit Saluatorem, quem tanto labore quærebat. Conferamus septem annos, septem mensibus, sperare Christum, & tenere: natum confiteri, & in crucifixum credere: paruulum non negare, & virum gaudere regnantem. Non facio vllam inter sanctas fœminas differentiam, quod nonnulli inter sanctos viros & ecclesiarum principes, stulte facere consueuerunt: sed illo tendit assertio, vt quarum vnus est labor, vnum & præmium sit:

[a] Maritum septimo à nuptiis mense amittit.

[b] Cerealis hic consulatum gessit cum Daciano anno 358. vt notat Bar. ad an. 375. fuit autem Valentiniani Imper. iunioris auũculus vt idẽ Bar. testatũ reliquit ad an 358.

DIFFICILE est in maledica ciuitate, & in vrbe, in qua orbis quondam populus fuit palmaque vitiorum, si hone- III.
stis detraherent & pura ac munda macularent, non aliquam sinistri rumoris fabulam contrahere. Vnde quasi rem difficilimam, & pene impossibilem optat Propheta potius, quàm præsumit, dicens: Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini. Immaculatos in via huius seculi appellat, quos nulla obscœni rumoris aura maculârit: qui opprobriũ non acceperint aduersus proximos suos. De quibus & Saluator in euangelio: Esto, inquit, beneuolus, siue bene sentiens de aduersario tuo, dum es in via cum illo. Quis vnquam de hac muliere, quod displiceret; audiuit, vt crederet? Quis credidit: vt non magis seipsum malignitatis & infamiæ condemnaret? Ab hac primum confusa gentilitas est, dũ omnibus patuit, quæ esset viduitas Christiana, quam & conscientia & habitu promittebat. Illæ enim solent purpurisso & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris precios issima grana suspendere, fragrare musco mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum se caruisse lætentur, quærantque alios, non quibus iuxta Dei sententiam seruiant, sed quibus imperent. Vnde & pauperes eligunt, vt nomen tantum virorum habere videantur: qui patienter riuales sustineant: si mussitauerint, ilico proiiciendi. Nostra vidua talibus vsa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret: aurum vsque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quàm in marsupijs recondens. Nusquam sine matre. Nullum clericorum, aut monachorum (quod amplæ domûs interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. Semper in comitatu suo virgines ac viduas, & ipsas graues fœminas, habuit: sciens ex lasciuia puellarum sæpe de dominarum moribus iudicari, & qualis quæque sit, talium consortio delectari.

Psalm. 118. Psalm. 1. Matt. 7.

Genes. 1.

DIVINARVM scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua; vt IV.
non peccem tibi, Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem legis non in replicando, quæ scripta sunt, vt Iudæorum existimant pharisæi, sed in opere intelligens, iuxta illud Apostolicum: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid agitis: omnia in gloriam Domini facientes. Et Prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi: Vt postquam mandata complêsset, tunc se sciret mereri intelligentiam scripturarum. Quod & alibi legimus: Quia cœpit Iesus facere & docere. Erubescit enim quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit cõscientia. Frustraque eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemosynas, qui Crœsi diuitiis tumet, vilique opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum. Illi erant moderata ieiunia, carnium abstinentia: vini odor magis, quam gustus, propter stomachum & frequentes infirmitates. Raro procedebat ad publicum, &

1. Cor. 10. Psalm. 118. Actor. 1.

cùm, & maximè nobilium matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre quod contempserat: Apostolorum & martyrum basilicas secretis celebrans orationibus, & quæ populorum frequentiam declinarent. Matri intantum obediens, vt interdum faceret, quod nolebat: Nam cùm illa suum diligeret sanguinem, & absque filijs & nepotibus vellet in fratris liberos vniuersa conferre: ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat: monilia, & quicquid supellectilis fuit, diuitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum contristare. Nulla eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persequutionem Arrianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii, adhuc tunc viuentis, monasteriorumque in Thebaide Pachumij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam. Nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Hanc multos post annos imitata est Sophronia & aliæ, quibus rectissime illud Ennianum aptari potest; Vtinam ne in nemore Pelio. Huius amicitiis fruita est Paula venerabilis. In huius cubiculo nutrita Eustochium, virginitatis decus: vt facilis æstimatio sit, qualis magistra, vbi tales discipulæ.

Roma tutissimus Christianæ communionis portus.

V. Rideat forsan infidelis lector, me in mulierculârum laudibus immorari: qui si recordetur sanctas fœminas comites Domini Saluatoris, quæ ministrabant ei de sua substantia, & tres Marias stantes ante crucem, Mariamque proprie Magdalenam, quæ ob sedulitatem & ardorem fidei, Turritæ nomen accepit, & prima ante apostolos, Christum videre meruit resurgentem: se potius superbiæ, quam nos condemnabit ineptiarum: qui virtutes non sexu, sed animo
Ioan. 18 iudicamus, contemptæque nobilitatis ac diuitiarum maiorem gloriam ducimus. Vnde & Iesus Iohannem euangelistam amabat plurimùm: qui propter generis nobilitatem erat notus pontifici, & Iudæorum insidias non timebat: intantum, vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem, matremque Saluatoris in sua reciperet, vt hæreditatem virginis Domini, virginem matrem filius virgo susciperet.

Matth. 27. *Ioban.* 19. & 20. *Mar.* 16. Migdal, turris Hebraice, inde Magdalena turrita dicta vt notat Victor. Reatin. ad eandem Epist.

VI. Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, vt ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse me-
1 Cor 15 minisset, laudans illud Platonicum, qui philosophiam meditationẽ mortis esse dixit. Vnde & noster Apostolus: Quo-
Luc 9. tidie, inquit, morior propter vestram salutem. Et Dominus iuxta antiqua exemplaria: Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, & sequutus fuerit me, non potest meus esse discipulus. Multoque ante per Prophetam spiritus sanctus: Pro-
Psal 43 pter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Et post multas ætates illa sententia: Memento sẽper
Eccl. 7. diem mortis, & nunquam peccabis. Disertissimique præceptum Satyrici,

Viue memor leti: fugit hora: hoc quod loquor, inde est.

Persius Sat 5. *Rom.* 13.

Sic ergo, vt dicere cœperamus, ætatem duxit, & vixit, vt semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, vt meminisset sepulchri, offerens hostiam rationabilem, viuam, placentem Deo.

VII. Denique cùm & me Romam cum sanctis pontificibus, Paulino & Epiphanio, Ecclesiastica traxisset necessitas: quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexite ecclesiam, & verecundè nobilium fœminarum ocu-
2 Ti. 4 los declinarem: ità egit, secundum Apostolum, importune, opportune, vt pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicuius tunc nominis esse existimabar super studio scripturarum, nunquam conuénit, [a] quin de scripturis aliquid interrogaret: nec statim acquiesceret, sed moueret è contrario quæstiones, non vt contenderet, sed vt quærendo discere-ret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenij, quid sanctitatis, quid puritatis inuenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam, & tibi maiorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono caueris. Hoc solum dicam, quòd quicquid in nobis longo fuit studio congregatum, & meditatione diuturna quasi in naturam versum, hoc illa libauit, didicit atque possedit: ita vt post profectionem nostram si de aliquo testimonio scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valde prudens erat, & nouerat illud, quod appellant philosophi τὸ πρέπον, id est, decere quod facias, sic ad interrogata respondebat, vt etiam sua non sua diceret, sed vel mea, vel cuiuslibet alterius: vt in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum
1 Ti. 2. ab Apostolo: Docere autem mulieri non permitto: ne virili sexui, & interdum sacerdotibus, de obscuris & ambiguis sciscitantibus, facere videretur iniuriam. In nostrum locũ statim audiuimus te illius adhæsisse consortio, & nunquam ab illa ne transuersum quidem vnguem, vt dicitur, recessisse. Eadem domo, eodẽ *cubiculo vsam, vt omnibus in vrbe clarissima notum fieret, & te matrem, & illam filiam reperisse. Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine: multoque ita vixistis tempore, vt ex imitatione vestri & conuersione multarum gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra virginum monasteria, [b] monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentia seruientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ. Interim absentiam nostri mutuis solabamur alloquiis, & quod carne non poteramus, spiritu reddebamus. * Semper obuiare epistolis, superare officijs, salutationibus præuenire. Non multum perdebat absentia, quæ iugibus sibi literis iungebatur.

Anno 382. celebratũ est Romanum concilium, ad quod vocati videntur hi Episcopi vide Bar. hoc anno.

[a] Recitat nonnulla Baron. ad an 382 quæ docuerit S. Hieron. S. Marcell. *al cubili.

[b] Mõachorum Romæ frequentia.

* *Semper se obuiare.*

VIII. In hac tranquillitate & Domini seruitute, hæretica in his prouinciis exorta tempestas, cuncta turbauit, & in tãtam rabiem concitata est, vt nec sibi, nec vlli bonorum parceret. Et quasi parum esset, hîc (in Palæstina scilicet) vniuersa mouisse, † nauem plenam blasphemiarum Romano intulit portui. Inuenitque protinus patella operculum, & Romanæ fidei purissimum fontem, cœno lutosa permiscuêre vestigia. Nec mirum, si in plateis & in foro rerum venalium fictus ariolus stultorum verberet nares, & obtorto fuste dentes mordentium quatiat: cùm venenata spurcaq; doctrina Romæ inuenerit, quos induceret. Tunc librorum περὶ ἀρχῶν infamis interpretatio, tũc discipulus ὁλβιος & verè nominis sui, si in talem magistrum non impegisset. Tunc nostrorum διδακτικῶν contradictio, & pharisæorum turbata est schola. Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, postquam sensit fidem, Apostolico ore laudatam, in plerisque violari, ità vt sacerdotes quoque & nonnullos monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet † episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat, publice restitit: malens Deo placere, quàm hominibus. Laudat Saluator in Euangelio villicum iniquitatis, quòd contra dominum quidem fraudulenter, attamen pro se prudenter fecerit Cernentes hæretici de parua scintilla maxima incendia concitari, & suppositam dudum flammam, iam ad culmina peruenisse, nec posse latere, quod multos deceperat: petunt & impetrant ecclesiasticas epistolas, vt communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Non multum tempus in [c] medio, succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur: Immo idcirco raptus atque translatus est ne semel latam sententiam, precibus suis flectere conaretur, dicente Domino ad Hieremiam: Ne oraueris pro populo isto, neque depreceris in bo-
Hier. 14. num: Quia si ieiunauerint, non exaudiam preces eorum. Et si holocausta & victimas obtulerint, non suscipiam eas. In gladio enim & fame & pestilentia ego consumam eos. Dicas, Quid hæc ad laudem Marcellæ? damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, & postea ab hæretico fuerant errore correpti

Marcella quid contra Origenistas.

† Ruffinum intelligit.

περὶ ἀρχῶν sunt Origenis libri hæresibus pleni, à Ruffino translati.

ὁλβιος i. beatus intelligit Macarium Ruffini discipulum à Ruffino corruptũ. vide Bar. 2. Ianuarii: alludit ad scriptionẽ cuj se Ruffi-

illam Ruffini ad Macarium scriptam, de adulteratione librorum Origenis Romæ editam, vt notat Bar. an 397. † Syricium Papam intelligit nus tanquam Catholicus insinuauit. vide Bar. tom 5 annal ad an 397. [c] Anastasius Rom. Pontifex Origenistas damnat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Per scorpiũ Ruffinum intelligit. vide Bar. an 397.

correpti: dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia θεῖ ἐγχώ- ingerit volumina, quæ emendata manu scorpij monstrabantur: dum acciti frequentibus literis hæretici, vt se defenderent, venire non sunt ausi: tantaque vis conscientiæ fuit, vt absentes damnari, quàm præsentes coargui maluerint: Huius tam glorioſæ victoriæ origo Marcella est: tuque caput horum & causa bonorum, scis me vera narrare, quem nosti vix de multis pauca dicere, ne legenti fastidium faciat odiosa replicatio, & videar apud maleuolos sub occasione laudis alterius, stomachum meum digerere. Pergam ad reliqua.

Luc 18.

DE Occidentis partibus ad Orientem turbo transgressus, minitabatur plurimis magna naufragia. Tunc impletũ est: Putas veniens filius hominis fidem inueniet super terram? Refrigerata charitate multorum, pauci, qui amabant fidei veritatem, nostro lateri iungebantur, quorum publicè petebatur caput, contra quos opes omnes parabantur, ita vt Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, immo apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit. Et ecce vniuersa tempestas, Domino flante, deleta est, expletumque vaticinium prophetale: Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Et illud euangelicum: Stulte, hac nocte auferetur anima tua à te, quæ autem præparâsti, cuius erunt? IX.

Galat. 2. Psalm 103. & 145. Luc. 12.

Roma capta à Gothis, anno 410 9. Kal septemb vt notat Bar. to 5. annal.

DVM hæc aguntur in Iebus, terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi, spoliatosque rursum circundari, vt post substantiam, vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem: imò fame perit antequam gladio, & vix pauci qui caperentur, inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & suo recepit vtero, quem paulo ante effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt cadauera sanctorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circumitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. X.

Esai 25. Psal. 78

Aeneid 2. *labores.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
*Explicet, aut possit lachrymis æquare * dolorem?*
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima perq́; vias sparguntur inertia passim
Corpora, perque domos, & plurima mortis imago.

Erat Marcellæ domus in Aventino vt testatur S. Hieron Epist. 134 a Marcella cæditur fustibus & flagellis. Iob 1.

Cum interim, vt in tanta confusione rerum, Marcellæ quoque domum cruentus victor ingreditur.

SIT mihi fas audita loqui, immo à sanctis vitis visa narrare, qui interfuere præsentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos: cumque poscereturaurum, & defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta: sed hoc lachrymis, hoc pedibus eorum prostratam egisse, nè te à suo consortio separarent, nè sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit, & inter cruentos gladios inuenit locum pietas: cumque & illam & te ad Apostoli Pauli basilicam Barbari deduxissent, vt vel salutem vobis ostenderent, vel sepulchrum, in tantam lætitiam dicitur erupisse, vt gratias ageret Deo, quod te integrã sibi reseruâsset, quod pauperem illam non fecisset captiuitas, sed inuenisset quod egeret quotidiano cibo: quod saturata Christo, non sentiret esuriem, quod & voce & opere loqueretur: Nuda exiui de vtero matris meæ, nuda & redeam. Sicut Domino visum est, ita & factum est. Sit nomen Domini benedictum. Post aliquot dies sano, integro, vegetoque corpusculo obdormiuit in Domino, & te paupertatulæ suæ, imo per te pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis reddens spiritum in tuis osculis, dum inter lachrymas tuas illa rideret, conscientia vitæ bonæ & præmijs futurorum. Hæc tibi, Marcella venerabilis, & tibi, Principia filia, vna & breui lucubratione dictaui, non eloquii venustate, sed voluntate in vos animi gratissimi, & Deo & legentibus placere desiderans. XI.

Reddit animam ann. 410.

AN. 831. TRANSLATIO CORPORIS S. MARCI ALEXANDRIA VENETIAS: SVB LEONE ARMENO IMPERATORE ATQVE Iustiniano Venetiarum Duce ex vaticanæ bibliothecæ tabulis, quam habes apud Baronium tomo 9. annalium anno 820.

31. IAN.

VM Sarraceni vniuersam Ægyptum, & Alexandriam inuasissent; Leo deinde Romanum adeptus Imperium, per diuersas partes Regni sui iussit, vt nullus omnino ad terram Ægypti negocii causa pertingeret. Cuius videlicet iussio dum circumquaque peruolitans, Veneticis quoque delata fuisset, Iustinianus qui eo tempore Dux Venetiæ erat; Imperatoris statuta confirmans idipsum omnimodo suis præcepit. Sed cùm, vt solitum erat Veneticis loca mercationis frequenter exquirere, quidam ex eis nauibus oneratis, cum trans mare pergere vellent, profundaque pelagi nauigantes incederent; diuino factum est nutu, vt stante congruo vento, quod sponte agere propter metum Principis non audebant, veluti inuiti ad Alexandriam ducerentur. I.

Marmoribus eccl-fiç spoliantur.

IN illis autem diebus Regulus quidam nefandæ gentis Sarracenorum, dum ad vrbem, quæ ex nomine ciuitatis antiquæ Babylonia vocitatur: palatium sibi construere vellet, Deo sibi contrario, iussit vt vbicunque in terra Ægypti columnæ marmoreæ, siue tabulæ tam in Ecclesiis, quàm in vulgaribus essent repertæ, ob pompam fabricæ quam parabat, ad eum ducerentur. Vnde factum est, vt dato impietatis decreto, etiam de Alexandrinis Ecclesiis lapides tollerentur. Cumque Venetici apud eandem vrbem negociis insudarent; moramque aliquamdiu facerent; consuetudinem sibi fecerunt, vt beatissimi Marci corpus quotidianis orationibus frequentarent: muneribusque siue oblationibus eum pro suis delictis intercessorem expeterent. Locus enim ipse in proximo erat. II.

Mercatores Veneti frequentãt ecclesiã S. Marci.

PORRO Veneticorum naues, quæ Dec trahente aduenerant, decem erant, in quibus erant pariter omnes nobiles viri, inter quos erant clarissimi Bonus Tribunus Metamaucensis, & Rusticus Torcellensis: Isti dum causa quotidianæ orationis apud custodes Ecclesiæ beati Marci locum familiaritatis sibi adesse inspicerent: quadam die videntes eos tristes, primum quidem compati, & condolere eis cœperunt de Saraceni Reguli iussu, qui marmoreas tabulas, vel columnas auferri præceperat. Nam & custodes propterea tristes erant, quia timebant ne ministri illius impij Reguli illud beati Marci Ecclesiæ facerent, quod locis ceteris faciebant. Deinde verò inter eadem verba compassionis Domino inspirante, Bonus & Rusticus dixerunt: Quare in tantum tristamini Christi serui? quare plus solito animus vester affligitur? Ecce videmus quod impii Reguli persecutio, etiam sacratissimis locis infesta est; quæ non solum vobis, sed cunctis in Christo credentibus magni doloris tristitiam generat. Sed quid contra hæc agere possumus, cum Dominus ipse prædixerit suis fidelibus persecutiones innumeras esse futuras? Vnde si secretum possetis custodire (aut placeret vobis consilium nostrum, hortaremur vtique illud vos facere, per quod securià perfida ista gente essetis, & in honoribus maximis viueretis. III.

ERANT

IV. ERANT ſane duo cuſtodes iſti cum quibus loquebantur hæc, quorum vnus Stauratius nomine monachus erat; alter vero Theodorus ſacerdotij fungebatur honore. Porro & alij eiusdem Eccleſiæ erant cuſtodes, ſed iſti plus cæteris eminebant. Et quia ambo ex Græcorum genere erant, Theodorus presbyter vxorem habebat & filios, quem etiam Bonus Tribunus compatrem fecerat, ob eam maxime cauſam, vt verba quæ ſuadebat, in eius aures facilius intromitteret. Reſpondentes itaque ambo Stauratius, & Theodorus dixerunt: Secretum erit in corde noſtro, tantum dicite quod vultis, & ſi gratiſſimum eſſe probauerimus, plane quia faciemus. Quia dixerunt: Tollite corpus beati Marci, & aſcendentes occulte nauim, venite nobiſcum ad terram noſtram. Agunt mercatores cũ cuſtodibus S. Marci.

V. AT illi primum dure accipientes, dixerunt: Quid eſt quod dicitis? numquid ſuper anguſtiam quam habemus, mortem nobis inducere quæritis? Quis etenim ex nobis vel cogitare audeat, vt faciat rem iſtam grandem, & illud reuerentiſſimum corpus, quod veneratur in terra Ægypti, alienis hominibus tradatur? An forſitan vobis incognitum manet, quod idem beatus Marcus Euangelium, quod Petro dictante ſcripſerat, ipſo quoque iubente in hac prouincia prædicauerit; Alexandrinosq; ciues, qui idolis ſeruiebant, per fontem baptiſmi Ieſu Chriſti Domini noſtri adoptionis filios fecerit? Vnde & merito tanquam reuera ſanctiſſimus Pater ab omnibus veneratur. Et quomodo fieri poterit, vt vrbem Alexandriam, quæ propter eum toto in orbe præclara eſt, tanto quis audeat priuare patrono? Sed etſi faceremus aduerſus animam noſtram audacter, nequaquam hoc plebem latere potuiſſet & tunc apprehenſi, per multorum generum pœnas occideremur, & eſſemus in opprobrium omnium earum. Cuſtodes ſe excuſant.

VI. BONVS & Ruſticus dixerunt: Si de prædicatione eius tractandum eſt, ſcimus quia primum Aquileiam ciuitatem Italiæ duxit ad fidem, quæ ſita eſt in prouincia ille, quæ ex antiquo Venetia nuncupatur, de qua nos orti ſumus. Ergo nos ſumus primogeniti filij eius, qui primum ab eo per Euangelium geniti ſumus. Vnde & credi poteſt vt filios ſuos quos alios acquiſiturus reliquerat, multa poſt tempora, vel mortuus videns gaudeat, & forſitan, vt ſperamus, ideo nos Dominus huc velut inuitos adduxit, vt nobis eumdem noſtrum ſanctiſſimum Patrem reſtituat, nam certe ad aliam regionem ire voluimus. De S. Marci prædicatione.

VII. STAVRATIVS, & Theodorus dixerunt: ſufficiat vobis quod ſedem eius habetis. Cæterum autem rem difficilem poſtulatis. Quis enim ſciat ſi placet Domino iſtud quod dicitis? vel quis dicere poterit, quod ſuum corpus beatus Marcus vel tangere dimittat? Vnde ceſſate iam talia dicere, quæ ſcimus nullo modo fieri poſſe. Et tamen dicamus, vt fieri potuiſſet: de nobis quid ageretur? Si dato corpore hic remaneremus, diuerſis pœnis à plebe occideremur. Sin autem vobiſcum in nauim aſcenderemus, haberemur vtiq; tanquam captiui ad terram quam ignoramus. Quapropter multo magis nobis melius eſt hic manere, & perſecutionem ſufferre, quam nouis rurſum anguſtiis ſubiacere. Nam & Dominus dicit: Beati qui perſecutiones patiuntur propter iuſtitiam. Et iterum: Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit. De ſede S. Marci ſub Heraclio Imp. Venetias delata vide Bar. an. 810. *Matth* 5. *Mar.* 10.

VIII. BONVS & Ruſticus dixerunt: Iſta quæ dicitis vera ſunt, ſed tamen in alio loco Dominus item dicit: Cum perſecuti fuerint vos in ciuitate vna, fugite in aliam. Quam admonitionem multi Sanctorum ſecuti ſunt, etiam ſicut audiuimus, hic beatiſſimus Marcus impleuit, quando perſecutione feruente, ab Alexandria exiit, & ſeceſſit Pentapolim. Vnde quia Deo omnipotenti, & ipſi beato Euangeliſtæ hoc credimus complacere; humanus timor vos non terreat, quia vbi Deus adiutor eſt, humana temeritas nihil poteſt. *Matth* 10.

IX. STAVRATIVS & Theodorus dixerunt: Temeritas iſta quamuis nobis anguſtioſa ſit, propter Eccleſiæ lapides qui tolluntur, tamen portari poteſt, quia in noſtris membris Pagani iſti aliquam læſionem non inferunt. Hæc, & his ſimilia illis per aliquot dies occulte loquentibus, tandem diuina gratia reſpirante Stauratius & Theodorus quod verbis audierant, animo conceperunt. Cumq; ab inuicem receſſiſſent, ecce Stauratio nuntiatum eſt, quod miniſtri illius Pagani Reguli, cuius memoriam fecimus: vnum ex cuſtodibus eiusdem Eccleſiæ crudeliter flagellaſſent. Siquidem fuerat in eadem Eccleſia tabula marmoris nimium pretioſa, & timens cuſtos ne tolleretur à Sarracenis, abiit, & confregit eam in loco vbi ſtabat. Quod cum miniſtri Reguli comperiſſent, apprehenſum cuſtodem flagellis condemnauerunt. Hæc igitur audientes Stauratius, & Theodorus, timore perterriti, miſerunt, & vocauerunt Bonum Tribunum, & Ruſticum, dicentes: Pertractauimus inter nos de cauſa quam expetiſtis, & licet neſciamus vbi Domino placeat, tamen intrauit in cor noſtrum, vt illud ſanctiſſimum corpus tollentes, egrediamur vobiſcum. Nunc ergo volumus ſcire, quid erit nobis dum ad veſtram prouinciam venientes tam magnum theſaurum adduxerimus. Cuſtodes tractant de translatione corporis S. Marci.

X. BONVS & Ruſticus dixerunt: Cum Deo auxiliante illuc peruenerimus, vita comitante, perducemus vos ad dominum noſtrum Iuſtinianum egregium Ducem, virum illuſtrem, Sanctorumq; amatorem. Cui cum fuerit nuntiatum, protinus mente gauiſus venerabile corpus ſuſcipiet, & Eccleſiam conſtruens cum honore dedicabit, vosq; eritis in oculis eius vltra quam credi poteſt dilecti, & primi in ordine ſacerdotum, quemadmodum hic fuiſtis in ordine miniſtrorum. Cuſtodes dixerunt: Quomodo credere poſſumus? Bonus & Ruſticus dixerunt: Dominus teſtis ſit. Tũc ſtatuerunt diem in qua aduenientes ſanctiſſimum corpus ſuſciperent. Pollicitatio mercatorum.

XI. CVMQVE ſtatuta dies veniſſet, euntes prædicti cuſtodes aperuerunt occultè ſepulchrum quod erat ex marmore, habens veluti incaſtraturas, per latera in modum capſellæ, per quas tabula deſuper erat inducta. Iacebat autem beatum corpus vndique circumdatum chlamyde ſerica, & poſitum reſupinum, habens à capite vſq; ad pedes ſigilla impoſita per ea loca, quibus ora eiuſdem chlamydis deſuper iungebantur. Cumque quid agerent ignorarent, tandem præcipuum inuenerunt conſilium. Vertentes igitur corpus, ſciderunt à dorſo chlamydem, vt ſalua ſigna quæ fuerant remanerent, & adducentes beatæ Claudiæ corpus, quod erat in proximo tumulatum, in loco beati Marci repoſuerunt ſimili modo ſupinum, & chlamyde circumdãtes, ſigillorum quoq; impreſſiones in pectore ſtatuerunt, vt ſi fortuitò diceret aliquis, quod corpus beati Marci furatum eſſet; chlamydis ſigna quæ ibi remanſerant, verum non eſſe oſtenderent. Corpus S. Claudiæ ſuppoſitum pro corpore S. Marci.

XII. TANTA igitur ſublato corpore odoris fragrantia emanauit, vt non ſolùm Eccleſia, vel circuitus eius, ſed etiam tota ciuitas Alexandria repleretur. Commoti ciues Chriſtiani, ac Pagani dicebant: Quid eſt hoc? Alij dicebant, neſcimus. Alij verò dicebant: Videamus ne fortè à nautis illis Veneticis corpus beati Marci furetur. Concurrentes ergo ex vrbe, ad eandem Eccleſiam peruenerunt; & aperientes ſarcophagum viderunt corpus beatæ Claudiæ chlamyde inuolutum ſignaque ſalua. Quod cùm vidiſſent creduli facti quod beati Marci corpus ibi iaceret, ſedato tumultu ad propria remearunt.

XIII. PORRO Venetici, quorum iam ſæpè memoriam fecimus, cùm ibi laterent, tulerunt corpus, & ſubmittentes in ſportam, operuerunt illud ex foliis olerum, ac deſuper carnes porcinas impoſuerunt. Cumq; ad nauim pergentes incederent, accedebant Sarraceni qui obuiabant vt cernerent quod portabant. Sed cùm viderunt carnem porcinam, quam ipſi abominantur, clamabant dicentes: Canzir, Cancir, id eſt, porcus, porcus, & expuentes elongabantur; at verò illi pertranſeuntes venerunt ad rupem, quæ proxima mari erat, & deponentes cum funiculis ſportam miſerunt in ſcapham, ac perduxerunt ad nauim; quam cùm intraſſent extrahentes beatum corpus de ſporta, abſconderunt illud in pannis velorum; timebant enim ne perſcrutata naui ab Alexandrinis inueniretur. Cumq; veniſſet dies egreſſionis eorum, Stauratius monachus occultè *abſcedit cum illis. Theodorus verò timebat: timens plebem quæ ſta- Defertur S. Marci corpus in nauim. * *aſcendit.*

bat ad littus, remansit ibi, habens iam supellectilem suam naui impositam. Erat etiam quidam monachus ibi Dominicus nomine Cumaclensis, qui fultus amore diuino, eodem tempore, fuerat Hierosolymis, qui & ipse ascendit cum illis. Cùm ergò ab Alexandria recessissent, tulerunt Venetici sanctum corpus de velis, in quibus eum absconderant, & sub solario nauis dignissimè locauerunt, accendentes lucernas, ac thymiama assiduè inferentes. Dominicus verò monachus cum Stauratio diuturnis officiis iugiter insudabat. Multa inter hæc signa per eum Dominus, dum adducitur, operatus est.

XIV. QVADAM etenim die dum omnes pariter illorum Veneticorum naues velificantes incederent, & causam reliqui ignorarent, dixerunt nautæ beati Marci ad quosdam qui erant in alia naui: Nescitis quod èst factum? quid dixerunt: Quid? aiunt illi: Verè nos corpus beati Marci portamus. At illi dixerunt: Et quomodo istud fieri potuit: cûque illi exponerent ordinem rei, quidam ex illis irridens ait: Forsitan alicuius Ægyptij corpus vobis datum est, & dicitis quia sanctum Marcum portamus. Quod cùm dixisset, protinus nauis illa in qua beatum corpus iacebat, tanta celeritate conuersa quanta nullus hominum vertere potest, insurrexit aduersus eam, in qua vir ille erat, partemque lateris eius confregit, nec priùs ab illa recessit, quamdiù omnes confiterentur beatum ibidem Marcum iacere.

Incredulitas mox punita.

XV. DEINDE cùm nocte quædam tempestas adesset, nauesque illæ cursu velocissimo ducerentur, ac nautæ nescirent, quo pergerent propter tenebras noctis, venit B. Marcus in somnis Dominico monacho, dicens: Surge & dic hominibus istis vt citiùs vela deponant, ne patiantur naufragium, quoniam terra non longè est. Quod cùm monachus surgens dixisset, illicò velis depositis, cum iam auroræ instaret crepusculum, & ecce apparuit insula quædam, Stroalia nomine, quam beatissimus Marcus adesse prædixerat. Tunc omnes pariter fidem dantes, reuerentissimè eius corpus solertiori studio venerari cœperunt. Creduli facti, & congaudentes, quod Marcum Euangelistam habere meruerunt; erat tamen apud illos occultum, atq; decreuerant, ne vllus omninò cuiuslibet regionis rem istam cognosceret. Timebant enim ne illis beatum corpus per vim tolleretur ab aliquo.

S. Marcus se manifestat periculi tẽpore.

XVI. SED quia Dominus tantum lucernæ lumen lucere voluit: coram hominibus multis per proxima maris loca degentibus, qui causam penitus nesciebant, dignatus est reuelare, quod sui Martyris intra nauim luciflua membra quiescerent, qui ex diuersis locis aduenientes, dum nauis ad portum, vel littora regionum accederet, postulabant dicentes: Reuelatum est nobis à Domino, quod B. Marci Euangelistæ corpus habetis, vnde diuino amore precamur, vt nos ad eum orare sinatis. Qui cum ingrederentur, fusis ad eum orationibus, positisq; muneribus, cum timore reuertebantur, dantes gloriam Deo, atque dicentes Veneticis: O quàm beati estis qui talem sanctum habere meruistis!

Pluribus reuelatur corpus S Marci

XVII. SED cum (vt pleriq; stultorum ex tali re dubitare diutius solent) quidam ex nautis nequaquam beati Marci, sed cuiuslibet alius corpus portare se diceret: volens omnipotens Deus ipsius duritiã coarguere, eumq; illicò credulum facere, digna continuò illũ damnauit sententia. Nam arreptus vir ille dæmonio tamdiu vexatus est, quousq; ad sanctum corpus deductus, spumans, & stridens dentibus; beatum ibidem Marcum iacere confiteretur, ac munus pro suis delictis offerret. Qui statim à dæmonio liberatus, & Domino gloriam dedit, & nihil se iam de corpore sacro dubitaturum professus est. Verum quia multa sunt quæ de virtutibus per eum à Domino Deo factis dicuntur, qualiter ad Venetiam venerit, explicemus.

A dæmone punitur incredulus.

XVIII. CVM igitur nautæ ad Istriam peruenissent, diuerterunt ad vrbem quamdã quæ appellatur Humacus: timebant enim redire ad sua, quia Iustinianus Dux eorum vehementissime contra illos erat iratus, pro eo quod iussionem suam repudiantes, ad Alexandriam ire præsumpserunt. Qui tamen missa ad eum legatione dixerunt: Confitemur peccatum nostrum, & erubescimus, quia sumus tamquam rebelles inuenti, sed Dominus testis est, quomodo magis inuiti, quam sponte hoc fecimus. Ecce enim habemus corpus beati Marci Euangelistæ: Si Dominus noster gratiam suam nobis reddens, promittat nequaquam inferre molestiam nec in corporibus, nec in rebus nostris: adducimus eum illi. Sin autem aliter, diuertemus in aliam regionem. Ad hæc Iustinianus Dux valde gauisus ait: Si istud quod asserunt verum est, reuertantur in pace, quia si talem thesaurum adducunt, non solum illis malum non inferam, sed etiam filios meos vocabo. Accepto igitur nautæ verbo, Venetiam redeunt, cumq; ad portum Oliuolensem venissent, egressus cum crucibus Vrsus Episcopus loci illius, & omnibus ministrorum ordinibus, indutis sacerdotalibus tunicis, reuerẽtissime corpori obuiant; suscipientesq; illud, duxerunt ad palatium ducis, vbi dum per cœnaculi scalam ascenderent, tanta agilitate pallium, quo corpus erat opertum, cum esset tranquillitas, mouebatur; quanta vix aura venti mouere poterat: Sed & ministris, qui eum portabant, fiebat subito pondus grauissimum, & immobile, & iterum subito tantum leue, vt nihil sentire se dicerent. Accepto igitur corpore Dux, reposuit illud in cœnaculi loco, qui apud eius palatium vsq; ad præsens tempus monstratur, ordinatis cantoribus ac ministris, qui ibidem Deo laudes referrent, inter quos custos ille Stauratius primus erat. Sed & Theodorus presbyter anno sequenti cum suis aduenit. Porro Dominicus ille monachus ad propria remeauit.

Delatum Venetias corpus S. Marci.

XIX. AT vero Iustinianus Dux cum supra beatum corpus Ecclesiam vellet construere morte præuentus est, cuius germanus Ioannes vir Deo dilectus ducatum suscipiens vicem eius expleuit: construxit namq; iuxta palatium elegãtissimæ formæ basilicam, ad eam similitudinem quam supra Domini tumulum Hierosolymis viderat: Quam etiam multis ac variis iussit depingi coloribus, vbi & aromatibus venerabile corpus conditum honore dignissimo posuit. In eo floreścunt orationes ipsius, & multa beneficia præstantur Christo credentibus, maxime autem, & plurimi à dæmoniis liberantur. Cuius glorioſa translatio celebratur pridie Kal. Februarij. Regnante Domino nostro IESV Christo, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen. hactenus ibi.

Ecclesia S. Marci ædificata.

Quo anno facta sit hæc translatio, vide quæ habet Bar. in notis ad Martyrolog. Rom. ad 31. Ianuarij.

FINIS IANVARII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf